C.SUP.II.PI.

Digitized by Google

31
4 H
17

DONATI ANTONII AB ALTOMARI MEDICI ATQVE PHILOSOPHI NEAPOLITANI

Omnia, quæ hucuſque in lucem prodierunt, Opera, nunc primùm in vnum collecta, & ab eodem Auctore diligentiſſimè recognita & aucta: cum locis omnibus in margine additis.

Horum omnium Elenchum ſexta pagina commonſtrabit.



LVGDVNI,

APVD GVLIELMVM ROVILLIVM,

SVB SCVTO VENETO.

M. D. LXV.

Cum priuilegio Regis.

Extraict du priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy eſt permis à Guillaume Rouille libraire de Lyon, d'imprimer, ou faire imprimer, vne foys ou pluſieurs, ce preſent liure intitulé ***Donati Antonij ab Altomari medici atque philoſophi Neapolitani opera omnia ab eodem auctore in vnum collecta, recognita & aucta.*** Lequel liure il a recouuert auec grans fraiz, miſes & deſpenſes: & pour ce eſt faict defenſe de par ledict Seigneur à tous autres libraires, imprimeurs & perſonnes quelconques, de non imprimer, vendre, ne deſtribuer en ſes païs, terres & ſeigneuries, ledict liure nouellement imprimé par ledict Rouille, ſi ce n'eſt par ſon conſentement, & ce iuſques au temps & terme de neuf ans, à cõpter du iour & datte que ſera paracheuee la premiere impreſsion, ſur peine d'amende arbitraire & de confiſcation des liures qu'ils auroyẽt imprimez. Et afin qu'aucun ne puiſſe pretendre ignorance du preſent priuilege, ledict Seigneur veut & entend, que l'extraict d'iceluy eſtant mis au commencement dudict liure ſerue pour toute notification, ſauf en demãder copie audict Rouille (ſi bon leur ſemble,) & ce à leurs deſpens. Car tel eſt ſon plaiſir, non obſtant oppoſitions & appellations quelconques, comme plus à-plein eſt contenu & declaré par leſdictes lettres de priuilege, ſur ce donnees à Paris, le deuxieſme de Decembre, mil cinq cens ſoixante & trois, & de ſon regne le quatrieſme.

Par le Roy, à voſtre relation,

Signé, De Vabres,

Et ſeelé du grand ſeau en cire iaune à ſimple queüe.

Acheué d'imprimer le douziéme de Feurier. *M. D. LXV.*

DONATVS ANTONIVS AB ALTOMARI, VIRGILIO RICCARDO S. D.

QVVM in vnum cogere mea opuſcula decreuiſſem, quæ iamdiu ſparſa, fuſáque & mendis referta (typographorum negligentia) videbantur, ea qua es doctrina & diligentia fretus, dum Venetijs te contineres, ſub tuo aſpectu ſubijcere volui: fieri etenim non poteſt, quin propterea mendis non vacent: idq; eo magis facere conſtitui, quum te mei defenſorem accerrimũ ſemper agnouerim, in hac præſertim tam ſuſpitioſa & maledica temporum turbulentia, in qua nemo eſt qui locum barbaris obtrectatoribus nõ relinquat: Nec vt opera hæc eſſent præclara & ingenij mei monimenta effeci, ſed quò amicorum petitioni ſatisfacerem, & fructus extarent ocij pomeridiani ad Gal. ſemper & Hippoc. mentem ex noſtro inſtituto. Accipias igitur amicè beneuoléque, vt decet, deq́; mea erga te beneuolẽtia aliquid agnoſcas. Accedit & de ſanitatis latitudine, hoc paruum opuſculum nuper elucubratum his iam contractioribus noctibus meorum diſcipulorum, tuiq́; (vt noſti) ſtudioſiſſimorum cauſa: quibus tùm in me obſeruantia, tùm etiam ſingulari amore, non potui, nõ ſatisfacere. Quòd ſi qui pertinacia adducti, aut maleuolentia potius ſuffuſi, audeant contradicere, ſciant non mihi ſed Galeno ſe cõtradicturos, quicum erraſſe malo, quàm ad aliorum mentem rectè ſapere: nec grauentur quid, quáque de re ſentiant ſcribere, vt non contradicendo tantùm, ſed ſcribendo poſteritati prodeſſe videantur: erunt etenim ex noſtra Academia eis præſtantes tecum, qui partes non ſecundas ſuſtines, quantum in Galeni doctrina Neapoli profecerint. Vale, méque, vt ſoles, ama, & quoad fieri poteſt effice, ne mendoſè minuta hæc opuſcula ad nos veniant, in apertúmque iterum referantur.

VIRGILIVS RICCARDVS Sanſeuerinas, Ad ſtudioſos.

HIPPOC. rei medicæ ceu primus inuentor, nec debitum ordinē dedit, nec quæq; ad vnguem finiuit, obſcuréq; pro antiqua dicendi breuitate eſt interpretatus, artis tum huius nobiliſſimæ copioſa ſemina reliquit, quæ plerique corruperunt: Diuiniſſimus Galen. vt optimus agricola ea cum commodè ſeruit, auxit, tū perfecit, verùm non abſque propter rei magnitudinem, atque difficultatem, in aliquibus obſcuritate, prolixitatéq; ac apparenti, inquibuſdam contradictione. Accedit vir Diuinus huiuſmet Artis Hipp. Galeníque ſententiarum fideliſſimus cultor, qui in dies induſtriis hominibus ac natura prudentibus non vulgarē vtilitatem afferre conatur. Diui Senis ſemina optimè exarando, ſparſim res à Gale. confuſéque tum prolixè tractatas, miro ordine colligendo, lucidiſſima oratione explanando, atq; eum ab omni contradictione vindicat. Inter hæc viri ſtudioſiſſimi tractatum de venæ ſectione in vtero gerētibus ad mentem Senis, & Galeni lucidatum atque denuo recognitum habetis. Demum ex eius lucubrationibus de latitudine ſanitatis opuſculum emanat ex ſententia Galeni elicitum, cuius prælectione in libro artis medicæ obſcuriſſimè à Galeno adiecta, ſole clariora nobis patefiunt, vniuerſáque dubia à confuſoribus ducta facillimè eluuntur. Interea pro viro Diuiniſſimo multos annos precamini: fortaſſe hunc Deus creauit, ne ignoraremus poſſibilia ſcitu in re medica. Deerant loci præcitat. lib. eos addidi. Verùm doleo cum ſub meo aſpectu ſubieciſſe voluerit, putans me quandiu Venetiis commoraturum, ac vrgentem ob cauſam Bononiam accedere opus mihi eſt, ſpero tamen omni menda carentia opuſcula hæc in lucem prodibunt.

Valete. Venetiis, xvi. Calen. Martij.

DONATI

DONATI ANTONII AB ALTOMARI MEDICI, AC PHILOSOPHI NEAPOLITANI,

Quod vtero gerentibus pro præſeruatione aborſus, venæ ſectio non competat: ex Hippocr. & Galeni ſententia,

AD MARCVM ANTONIVM FALCONIVM,

PROOEMIVM.

QVONIAM nonnulli noſtri tẽporis Medici empirici potiùs quàm rationales, ad pauca reſpicientes, cùm primum ad vtero gerentes mulieres accerſuntur incognita cauſa aborſus, à qua ſolent aliàs aborſum pati, vel quę poſſet eſſe in futurum, nulla habita indicatione à totius temperamento, nec à temperamento genitalium partium, ab habitu, ætate, conſuetudine, anni tempore, & denique anteacta vita, ſtatim ad ſanguinis miſsionem accedunt, eámque fieri iubẽt, tam ſi adſit ſanguinis fluor ex vteri vaſis, quàm ſi non adſit. Ex quo non parua noxa pauperculis mulieribus, verùm etiam fœtui cõparatur. Viſum fuit mihi, cùm tu, chariſsime Marce Antoni, ſæpe, & alij quidam amici me nunc hortentur ad hoc, pauciſsimis quantum potero verbis diſſerere, quę eo caſu mihi videãtur: ſimul ſtudens & tibi gratificari, & poſteros pro viribus iuuare. Sed, vt clarius veritas eluceſcat: hunc ſeruabo ordinem. Primò ſuccinctam vteri conſtitutionem, eiúſque ſympathiam, ſiue naturalem conſenſum deſcribam: Secundò conſtitutionem, formationem, ac alligationem fœtus cum ipſo vtero, & qualiter, & quo ſanguine nutriatur oſtendam. Tertiò quot, quáve ſint in vniuerſum cauſa aborſus dinumerabo. Quartò veritatem quæſiti dilucidabo. Quintò, & vltimò obiectiones in contrarium tollam.

INDEX LIBRORVM totius operis.

De vtero gerentibus. pag.1

De Alteratione, Concoctione, Digeſtione, Præparatione, ac Purgatione. 16

De ſedimento in vrinis. 66

Quòd functiones principes, iuxta Galen. decreta, anima non in cerebri ſinibus, ſed in ipſius corpore exerceat. 82

Quòd naturalis ſpiritus in Galen. doctrina admittatur: & non omnino ſit abolendus, vt quibuſdam viſum eſt. 98

Quòd exquiſita tertiana, ad eiuſdem Hippocratis & Galeni ſententiam, in genere acutorum morborum contineatur. 10[illegible]

De ſanitatis latitudine. 1[illegible]

De medendis humani corporis malis: Ars medica. 149

De medendis febribus. 697

De peſtilenti febre. 950

De Mannæ differentiis, ac viribus, deque eas dignoſcendi via & ratione. 987

De Vinaceorum facultate, ac vſu. 1015

EORVM OMNIVM, QVÆ toto hoc volumine deſcribuntur, capitum Index.

Quòd vtero gerentibus pro præſeruatione aborſus venæ ſectio non competat ex Hippoc. & Galen. ſententia. pag. 1
De Natura. 19
De calido innato. 20
Quòd Ars medica & medici ſint neceſſarij. 21
De Alteratione. 23
De Concoctione. 30
De Digeſtione. 39
De Præparatione. 43
De Purgatione. 49
An in principiis morborum, materia non turgente, purgante medicamento vtendum ſit. 53
De Sedimento in vrinis. 66
Quòd functiones principes iuxta Galeni decreta anima non in cerebri ſinibus, ſed in ipſius corpore exerceat. 82
Quòd Naturalis ſpiritus in Galeni doctrina admittatur, & non omnino abolendus ſit, vt quibuſdam viſum fuit. 68
Quòd exquiſita tertiana ad Galeni ſententiam in genere acutorum morborum reponenda ſit. 108
De Sanitatis latitudine. 128

EORVM QVAE IN ARTE MEDICA DESCRIBVNTVR CAPITVM INDEX, IN QVO PRIOR numerus caput, poſterior paginam indicat.

De Methodo artis Medicæ, déque aliis ad eam rem aut neceſſariis, aut ſcitu dignis in præfatione pagina 149
De memoria deperdita cap.1.pag.166
De lethargo 2. 171
De caro 3. 175
De catoche, vel de catalepſi 4. 176
De comate, ſeu de cataphora 5. 178
De phrenitide 6. 180
De melancholia 7. 188
De furore, ſeu inſania 8. 196
De lupina inſania 9. 201
De capitis dolore 10. 202
De cephalæa 11. 220
De hemicrania 12. 221
De conuulſione 13. 223
De reſolutione 14. 229
De conuulſione canina 15. 235
De incubo 16. 236
De vertigine, & tenebricoſa vertigine 17. 237
De epilepſia, ſeu morbo comitiali 18. pag. 242
De apoplexia 19. 252
De lippitudine 20. 258
De vngue oculi 21. 268
De ſugillatione 22. 267
De oculorum vlceribus 23. 268
De cicatricib. & albuginibus 24. 270
De puſtulis 25. 271
De procidentia oculi 26. 273
De mydriaſi, ſeu pupillæ dilatatione 27. 274
De tabe pupillæ 28. 276
De ſuffuſione 29. 278
De obſcuritate, ſeu offuſcatione oculorum 30. 281
De nyctalope 31. 283
De ægilope 32. 285
De aurium dolore 33. 286
De aurium ſonitu 34. 290
De difficili, ſeu graui auditu, & ſurditate 35. 292
De parotidibus 36. 294
De læſione olfactus, & narium vitiis 37. 294
De ozænis 38. 299
De polypo 39. 300
De ſanguinis ex naribus eruptione 40. 302
De dentium dolore 41. 305
De aphthis 42. 310
De diſtillatione, raucedine, & granedine 43. 313
De inflãmatione gurgulionis 44. 318
De glandularum iuxta linguã inflammatione 45. 322
De angina 46. 324
De tuſſi 47. 331
De difficultate ſpirandi 48. 338
De cruenta ſputione 49. 344
De laterali dolore, ſeu morbo 50. 356
De pneumonia 51. 377
De empyemate, ſeu ſuppuratione 52. pag. 381
De tabe 53. 387
De palpitatione cordis 54. 395
De ſyncope 55. 402
De lactis defectu 56. 411
De lactis redundantia 57. 414
De lacte in caſei ſpeciem, ſeu grumos conuerſo 58. 416
De mammarum inflammatione 59. pag. 418
De cardiaco morbo, & cardialgia, ſeu cordis dolore 60. 419
De canina appetentia 61. 424
De citta, ſiue pica 62. 428
De bulimo, ſeu ingenti eſuritione 63. pag. 430
De cibi faſtidio, ſeu inappetentia 64. pag. 432
De immoderata ſiti 65. 436
De ſingultu 66. 439
De ſupinitate, ſtomachi ſubuerſione nauſea,

nauſea,& vomitu 67. 443
De inflammatione ſtomachi, vel ventriculi 68. 451
De cruditate 69. 453
De inflatione ventriculi 70. 457
De læuitate inteſtinorum,& cœliaca, ſeu ventrali affectione 71. 461
De choleta 72. 467
De alui profluuio, ſeu ventris fluxu 73. 471
De dyſenteria,ſeu torminibus 74. 481
De teneſmo, ſeu tineſmo 75. 492
De hæmorrhoidibus 76 495
De ragadiis 77. 502
De procidente ano, vel de procidētia ani 78. 505
De colico affectu,ſeu coli dolore 79. pag. 506
De ileo,ſeu voluulo 80. 514
De lumbricis 81. 518
De Hepaticis,vel iis,qui iocinoris imbecillitate laborant 82. 528
De hepatis obſtructione 83. 536
De inflammatione hepatis 84. 541
De ſcirrho, ſeu tumore ſcirrhoſo hepatis 85. 547
De ictero,ſeu morbo regio 86. 551
De nigro ictero 87. 557
De inflammatione lienis 88. 561
De ſcirrho lienis 89. 563
De malo corporis habitu 90. 566
De aqua inter cutem, ſeu hydropico morbo 91. 569
De diabete 92. 579
De ſanguinis renū profluuio 93. 584
De lapide renum 94. 587
De inflammatione renum 95. 595
De exulceratione renum 96. 599
De ſtillicidio vrinæ 97. 602
De difficultate vrinæ 98. 606
De ſuppreſsione vrinæ 99. 608
De his, qui in ſeipſis mingunt, vel de his, qui vrinā continere nō poſſunt 100. 612
De lapide veſicæ, ſeu calculo 101. 615
De inflammatione veſicæ 102. 618
De exulceratione veſicæ 103. 620
De ſeminis profluuio 104. 623
De priapiſmo,& ſatyriaſi 105. 627
De ignauis partibus genitalibus 106. pag. 631
De vteri affectibus, & primò de menſium ſuppreſsione 107. 632
De immodica purgatione vteri, & ſanguinis profluuio 108. 640
De muliebri profluuio 109. 643
De vteri ſtrangulatione, ſeu ſuffocatione 110. 646
De vteri prolapſu,ſeu procidētia 111. pag. 652
De mola 112. 653
De non concipientibus, ſiue ſterilibus 113. 657
De difficultate partus 114. 661
De ſecunda derelicta 115. 668
De vteri inflammatione 116. 670
De exulceratione vteri 117. 673
De Iſchiade, ſeu coxendicum dolore 118. 675
De podagra, & arthritide, ſeu morbo articulari 119. 681

EORVM

EORVM QVAE IN LIBRIS DE MEDENDIS FEBRIBVS DESCRIBVNTVR CAPITVM ELENCHVS PRIMAE PARTIS.

PROOEMIVM.

QVA uia utendũ in hac methodo cõſtituenda. cap. 1. pa. 697
Quid nõ ſit methodus. c. 2. ibi.
Quid ſit methodus. ca. 3. 699
Quo inuentionis inſtrumẽto, febrium auxilia inueſtiganda. cap. 4. 701
Quid febris ſignificet, & quis calor ſit. ca. 5. 703
Explicantur uariæ febris definitiones, ac oſtenditur in corporibus noſtris duplex eſſe calidũ cap. 6. 705
Impugnatur Platonis opinio de calido innato cap. 7. 706
Quid ſit calidum innatum apud Hippocra. & Galenum cap. 8. 707
Quid ſit calidum acquiſititium cap. 9. 710
Qualis ſit febris natura, quæue eius definitio cap. 10. 714
Quòd febris ſubiectum ſit calidum innatum cap. 11. 716
Quot ſint primæ & eſſentiales febrium differentiæ cap. 12. 717
Quòd nulla febris generari poßit, quin cor afficiatur cap. 13. 719
Quot, quibúsue modis febres omnes generari contingat cap. 14 720
Quid ſit febris diaria, & quomodo dignoſcatur cap. 15. 723
Febres ex putredine ortas uia, & dignoſcendi ratio cap. 16. 727
Cur febres hecticæ appellẽtur, & quomodo generantur cap. 17. 630
Num omnes partes quæ ſolidæ appellantur in febribus hecticis accendantur, & num ſemper cum ſiccitate copulentur, & quemadmodum cum Maraſmo conueniant & dißideant cap. 18. 7,2
Quomodo unum, duo, & tria, dici poßint febrium hecticarum genera cap. 19. 736
Quæ ſint febrium hecticarum indicia communia, examinatúrque exemplum Gal. de calce aqua conſperſa cap. 20. 737
Cuiuſlibet febris hecticæ particularia indicia, & quòd ab urinis pro earum dignotione nullum ſumatur proprium indicium cap. 21. 740
Quòd hæc noſtra methodus per indicationẽ fiat, & quid ſit indicatio cap. 22. 744
Aduerſus eos, qui parum rectè quid indicatio ſit, intellexerunt: tum quid ex Gal. ſit indicans, indicatum: experientia, & analogiſmus cap. 23. 746
Quomodo indicantibus, & coindicantibus utendum: ut quòd falsò per contraindicantia, prohibentia intellexerint quidam, ſuperfluóque correpugnantia addiderint cap. 24. 748
Quid per contraindicans & contraindicare in Gal. doctrina intelligendum ſit cap. 25. 751
Quid ſit totius artis medicæ cõmune propoſitum, quidue huius noſtræ methodi propriũ: ac quæ ſit prima illa uniuerſalißima indicatio omnium præter naturam affectuum, à qua curandi methodus exorditur cap. 26. 753
Quomodo prima illa omnium curationis indicationum, quæ ex ipſo qui curatur affectu deſumitur, contrarietatem, ac contrarium docuit cap. 27 pag. 755
Soluuntur rationes eorum; qui contrarietatem aduerſus Gal. curationem non indicare contendunt cap. 28. 758
Rationes, quibus quidã probare conantur, aërem curationem non indicare, diluuntur cap. 29. pag. 763
Soluuntur rationes eorum qui naturalem corporis temperiem pro morborum curatione nihil indicare contendunt cap. 30. 768
Proponitur primorum trium ſcôporum indicantium diuiſio, ſoluitúrque Gal. contradictio de indicatione quæ à morbo ſumitur cap. 31. 771
Aëris nos ambientis, & corporis tẽperiei in particulares ſcopos indicãtes diuiſio cap. 32. 774
Diluuntur rationes eorũ qui probare nituntur, ætatem, conſuetudinẽ, uitæ inſtitutum, ac alia quædam, curationem non indicare ca. 33. 776
Num à uiribus ſumenda ſit indicatio pro morborum curatione. cap. 34. 780
Reſponſio ad obiectiones eorum, qui uires ad morborum curationem, nihil indicare, probare conantur cap. 35. 783
In quot quibúsue generibus præſidiorum materiæ contineantur cap. 36. 786
De temporis occaſione, & unde capiendum ſit opportunum auxiliorũ tempus ca. 37. 790
Methodi medendi febres, quà febres ſunt, compendioſa repetitio cap. 38. 795
Febrium hecticarum medendi methodus cap. 39. 799
Continentium abſque putredine febrium, dignotionis, & generationis modus ac curationis uia cap. 40. 801

Febrium

Febrium ex putredine ortarum curatiua methodus cap. 41 806
Methodus medendi humorum putredinē ubi eius cauſæ nō adſint, ſed iam abierint. cap. 42. 809
Curatiua methodus putredinis humorum, manentibus adhuc quæ eā excitarunt cauſis 43. 811
Abundantiæ humorum curatio 44. 814
Humorum craßitie, aut lentitie obſtruētium, ac ipſius obſtructionis, & prohibitæ tranſpirationis curatiua methodus cap. 45. 817
Methodus medendi putredinem, tam per totum animal diffuſam, quàm ſi in una quadam parte conſiſtat cap. 46. 820
Putredinis in quapiā parte exiſtētis, citra phlegmonem & cum phlegmone curatio c. 47. 823
Soluuntur rationes quibus quidam probare nituntur quòd indicationes quæ ab affectu partibus ſumuntur, ad curationem non conducunt cap. 48. 828
Quibus potißima ratione uires cuſtodiantur, ac quomodo ueſtiganda ſit nutrimenti quantitas cap. 49. 830
Nutrimenti qualitas ex quibus deſumenda ſit cap. 50. 835
De particulari exhibendæ alimoniæ tempore cap. 51. 837
Quo acceßionis tempore præter inclinationem cibus cum maiori noxa offeratur, ac quomodo in omnibus morbis inſtituenda ſit uictus ratio cap. 52. 840
Quomodo eorum quæ indicant magnitudo ſpectanda, & quotuplex ea ſit: ac qua ratione ubi plures coeant indicationes magnæ, inter ſe conferendæ ſint cap. 53. 844
Nonnullis exemplis, ratio ſpectandi indicationum magnitudines, examinatur cap. 54. 847

SECVNDAE PARTIS CAPITA.

Qua uia particulares febrium differentiæ inueſtigentur, ac proponuntur quæ ex humorum putredine excitantur, differendæ cap. 1. 853
Quid per cōtinuas & intermittentes febres intelligendum, cur utræque fiant, & quomodo inter ſe dißideant cap. 2. 855
Quot modis continuæ & intermittentes febres generari poßint cap. 3. 857
Propter quid in intermittentibus, & non in continuis, rigor, horror, ſeu extremarum partiū refrigeratio fiat: & quamobrem eadem in earum acceßionum principiis fiant, & naturalis calor intus ſe colligat cap. 4. 861
Epiloguntur quæ dicta ſunt de cauſa motus caloris naturalis in principiis acceßionum: ac oſtenditur alia ratione ipſum moueri, ubi in uiſceribus magna fuerit inflammatio orta, aut eryſipelas: confirmaturq́; intermittentes febres fieri non poſſe, niſi per corporis habitum humor putreſcens deferatur cap. 5. 864
Quomodo tres intermittentium febrium differentiæ conueniant, & dißideant inter ſe, & continuarum ex bile ortarū ſubdiuiſio c. 6. 867
Qua ratione ex putreſcente intra uaſa flaua bile febris ſynochos dicta accēdatur, & quòd ſimiliter ex aliis humoribus generari poßit, nedū ex ſolo ſanguine cap. 7. 868
Quid per καύσους ſeu febres ardentes ſit intelligendum cap. 8. 871
De continuarum febrium quæ plures acceßiones habent conuenientia, & differentia. De epiala, & compoſitis febrium differentiis. Deque ſingulas particulares febres ex putredine ortas, curandi uia cap. 9. 875
De quotidiani, tertiani, & quartani circuitus cauſa cap. 10. 879
De quintanis, ſeptimanis, ac nonanis circuitibus. longitudine & breuitate, ac ordine, & perturbatione ordinis ipſarum acceßionum cap. 11. 881
De febre ſanguinis, & quòd ipſe interdum putreſcat, permaneátque ſub forma propria, & febris ex eo orta, ſit ſanguinea cap. 12. 883
Quòd licet febris orta ex putreſcente ſanguine ſit ſanguinea, poteſt tamen bilioſa appellari, quo ſit ut non detur quartum genus febrium cap. 13. 888
Quòd febres ex putreſcente ſanguine ortæ, non ſint de genere ardentium cap. 14. 891
Quòd febres, quæ ex ſanguinis putredine generātur, ſint de genere acutorū morborū c. 15. 894

PARTIS TERTIAE SIVE EXERCITATIONIS CAPITA.

De dignotione prognoſtico, ac curatione febriū ex putredine ſanguinis accenſarum cap. 1. 898
De causi, id eſt ardentis febris dignotione, prognoſtico, ac curatione cap. 2. 901
De exquiſitæ tertianæ dignotione, prognoſtico, & curatione cap. 3. 902
De tertianæ nothæ dignotione, prognoſtico, ac curatione cap. 4. 915
Exquiſitæ quartanæ cauſa, dignotio, prognoſticum, ac curatio cap. 5. 921
De exquiſitæ quotidianæ dignotione, cauſa, prognoſtico & curatione cap. 6. 930
De ſemitertianarū differētiis, earumq́; dignotione, prognoſtico, & curādi ratione cap. 7. 938
De febrium hecticarū prognoſtico, ac curatione cap. 8. 943
Hecticarum febrium cū tabe curatio cap. 9. 947

TRACT

TRACTATVS DE PESTILENTI FEBRE CAPITA.

QVid per communes, quidue per diſperſos, & diſsimiles morbos ſubintelligendum ſit, ac ex quibus cauſis proficiſcantur cap.1.950

Quot modis aër nos ambiens, qui communium morborum auctor eſt, in calido, frigido, humido, & ſicco, alteretur cap. 2. 952

Quòd peſtis è genere ſit uulgarium, & non aliorum communium morborum, & quomodo ab eis etiam diſsideat cap. 3. 956

Quòd ut peſtilentes morbi generentur opus eſt, nedum in manifeſtis qualitatibus, uerum etiam ſecundum totam ſubſtantiam aërem immutari cap. 4. 958

Quomodo ac quibus ex cauſis aër putreſcat: & quòd ex eo, & non abditis cauſis peſtilentes morbi fiant cap. 5. 960

Quid ſit febris peſtilens, & quòd non niſi ex peſtilenti aëris ſtatu proficiſcatur: ſoluūturque rationes in contrarium cap. 6. 963

De modo generationis peſtilētium febrium, & quòd in nullo trium primorum genere contineatur cap. 7. 968

De peſtilentium febrium dignotione ac prognoſtico cap. 8. 972

De peſtilentium febrium curatione cap.9.974

Quomodo & quibus à peſtilētia quis præſeruari poſsit cap. 10. 981

FINIS.

RERVM OMNIVM, QVAE HOC IN VOLVMINE CONTINENTVR, INSIGNIORVM COPIOSISSIMVS INDEX.

A

ABorſus in utero gerentibus, cauſe. pag. 6 & ſeq. uſque ad fin. cap.
Abortus quid. 8
Abſynthium intus, repurgare poteſt, foris non poteſt 819
Abſynthium in tertiana quando competit 914
Abundantia aliis etiam tollitur, quàm uenæ ſectione 815
Abundantia humorũ ante obſtructionem tollenda eſt 814
Abundantia humorum qualibet fuerit, uenam pro eius ſublatione ſecare oportet 815
Abundantia flauæ bilis ut plurimum pueros infeſtat 520
Acceßionis & intermißionis tempora non indicant cibandi tempus 795
Acceßiones exquiſitæ ſemitertianæ febris quales 940
Acria, ſalſa, & nitroſa, atque etiam amara facultatem habent craſſos humores ac uiſcidos tenuandi, & incidendi 44
Acria, ſi prægnans amara uel aſpera præter conſuetudinem comederit, aborſum facit 6
Actio lienis quid ſit 557
Actiones partium duplices ſunt, pro duplici earum natura 150
Acutus quilibet morbus, tam cum febre, quàm ſine febre, lethalis eſt, ut pote, tam fœtum, quàm fœtantem perimens, ſecundum Galenum 7
Acuta febris, uel aliquo humorum putreſcente, uel membro inflammationem patiente generatur 117
Acuti morbi in quatuordecim diebus indicantur 114
Acuti morbi ſunt, quicunque propria tempora uſque ad finem uelociter pertranſeunt 115 & quomodo dignoſcantur ibidem
Acutorum morborum natura cum febre, præſertim, duplex eſt 116 & 125
Acutorum morborum omnium natura propria eſt, ut febrem continuam habeant 522
Acutis in paßionibus, in principiis, medicinis purgantibus rarò utimur 44
Aeger eo cœli ſtatu uti cogitur, in quo ægrotauit, uelit, nolit, etiam in leuioribus morbis, uſquequo in alium aërem migrauerit 766
Aegilops quid ſit 285 eius cauſa ibidem. curatio 286
Aetas & conſuetudo non immediatè conferunt ad inuentionem remediorum, ſed immediatè ad effectuum cognitionem 776
Aetas puerilis flaua bile ut plurimum infeſtatur 520
Aër, donec propriam ſeruat naturam, uel ſubſtantiam, putreſcere nullo modo & peſtilens reddi poteſt 960
Aër facilius quàm aqua calet, atque frigeſcit 993
Aër peſtilens quare huic & non illi animantium generi eſt infenſus 962
Aër in omnium morborum curatione ſpectandus eſt 765
Aër nos ambiens eſt tanquam cauſa ſine qua non ibidem
Aër qua ratione indicatur, & qua ratione indicat ibidem
Aëris diuiſio in præſentem cœli ſtatum 774
Aëris ambientis caliditas immodica, cauſa fuit peſtilentiæ Athenis 966
Aëris frigiditas, pro diuerſa parte, quæ in hectica primum efficitur, admittenda eſt 800
abſque Aëre neque ſanitas ulla ſeruari, nec morbus quiſpiam propulſari unquam poteſt 766
Aër duobus modis mutatur 952
Affectæ partis cognitio ex quibus 151
Affectus per conſenſum quot modis fiant 156
Affectus trifariam magni redduntur ibidem
Affectorum locorum notitia, quos præſtet uſus 551
Agarici laus 252
Alantboides membrana (quæ Latinè inteſtinalis dicitur) unde & quomodo fiat 5 & 668
Alantboides prius quàm Amnios in utero fabricatur 5
Albugines in oculis unde fiant 270. ſigna, cauſæ, prognoſtica, & curatio ibidem
Alexandri hiſtoria mirabilis de muliere quadam 431
Alienus calor, ſeu non naturalis, corruptionis cauſa eſt 27
Alimenti defectu per ſe fœtus deſtruitur 9
Alimenti quicquid ad iecur peruenit, ad ſangui-

nem immutatur, nec quicquam remanet inalteratum omnino atque immutatum 70
Alimentorum digeſtionem à concoctione differre conſtat ex Galeno 45
Alopeciam curare ſi uelis, primitus euacuatione utere, que medicamentis purgantibus fit 64
Alteratio eſt mutatio in qualitate ſeu demutatio eius quæ prius fuit qualitatis 23
Alteratione & auxiliorum preparatione utimur in febribus, quæ ex putreſcentibus excitantur humoribus 26
Alterationes in animalium corporibus ſunt tres ſecundum Galenum 30
Alterantium medicamentorum natura duplex 24
Alui profluuium poteſt aborſum facere, authore Galeno 7 & 9
Alui profluuium unde 471 eius ſigna 472. cauſe 474. curatio ibidem
Alui deiectio ſi rufa ſeu admodum crocea fuerit, bilem eſſe cauſam percipies 474
Alui profluuij cauſa ex excrementis dignoſcitur 473
Amara nitroſáque quecũque ſunt, ad purgandos meatus omnes ualent 45 & 48
Amnios membrana (hoc autem Latini Amiculum nominant) quid, eius fabrica & uſus 5 & 668
Amuleta, quæ capiti circumpoſita, & alligata dolorem eius arcent 220
Analogiſmus quid ſit 748
Anaſarca quid ſit 571. eius ſigna ibidem. curatio 574
Anaſtomoſis ex quibus cauſis fiat 302
Anatomes uſus medico maximè eſt neceſſarius 151
Anaxioni pleuritico octaua die uenã ſecuit Hippocrates 363
Angina quid ſit 324. eius ſigna 325
Anginæ curatio 327
Anginæ differentiæ quatuor 325
Anhelatio quid ſit 339
Anheloſi qui dicantur ibidem
Ani procidentia quid ſit 505. eius cauſa ibid. curandi ratio ibidem
Anima functiones principes non in cerbri finibus, ſed in ipſius corpore exercet 82
Animæ tres ſunt partes ibidem
Animæ functiones quare dicantur principes 83
Animæ uis affertur à corporis malis 93
Animalis ſpiritus eſt exhalatio quadam ſanguinis benigni 101 & 103
Animalis ſpiritus animæ primum eſt inſtrumentum pro ſenſibilibus ac uoluntariis motibus perficiendis 84. 85 & 91
Animalis ſpiritus ex uitali quomodo fiat 84 & 101
Anni temporum temperaturæ quæ ſint 953
Annonæ caritas, quæ multas nationes Imperio Romano ſubditas afflixit, quia herbis omnis generis ueſcebantur homines, multarum ægritudinum cauſa fuit 967
Antiades quid ſint 322. cauſæ ibid. curatio 323
Antonius Muſa Braſauolus, & Petrus Andreas Matthiolus utramque mannam ab Oriente allatam conſpexerunt 995
Aphthæ ubi, & quomodo fiunt 310
Apoplexia quid ſit 252. eius ſigna 253. cauſæ 256 curatio 257
Apoplexiæ differentiæ quatuor 254
Aqua faciliùs quàm omnia terrena corpora calet, atque frigeſcit 993
Aqua intercutem unde nomen ſumpſerit 569 eius ſigna 572. cauſæ 572. curatio 574
Aquarum calidarum uſus commodi caliditatem modicam efficere poſſunt 34
Aquæ frigidæ intempeſtiuum potum quæ ſequantur incommoda 805
Aquæ frigidæ potus, & ſanguinis detractio duo ſunt continentium febrium maxima remedia 900
Aquam quomodo frigidiſſimam reddere poſſimus 990
Ardens febris & tertiana inter cæteras ſunt bilioſiſſimæ 120
Ardentis febris curatio 94
Ardentes omnes febres etiam acutæ ſunt 897
Ardentiſſimis in febribus, ſi uſque ad animi defectionem ſanguis mittatur, totius corporis habitus ſtatim refrigeratur, & febris extinguitur 895
Armenia terra in peſtilenti febre maximè commendatur 978
Armenus lapis (ſi fortè reperiatur) in peſtilenti febre magnoperc utilis eſt 979
Ars medica prior eſt dignitate medicis ipſis 23
Ars ſecandi corpora medico non eſt ignoranda 150
Artem medicam nihil æquè in agendo coniecturalem efficit, uti cuiuſque remedij quantitas 51
Artibus in rationalibus de nominibus diſceptandum non eſt, ſed rerum habenda ratio 749
Arteriæ aſperæ exulceratæ ſigna 389
Artificioſa coniectura quantitas purgantis medicamenti cognoſcitur uel ſingulorum aliorum præſidiorum 31
Articulus quid ſit 675
Articularis morbus quid ſit 682
Aſcarides tertium lumbricorum genus 519 eorum ſigna 524. curandi ratio 527
Aſcites quid ſit 571. ſigna ibid. curatio 576
Aſininum lac quomodo hecticis propinandum 944
Ater morbus regius quid ſit 557
Athletæ in ſanitatis ratione ſunt miſerrimi 944
Athletæ à miſero ſiue à miſeria denominati ſunt 142
Athletarum affectus non ſunt ſecundum naturam ibidem
Auditus difficilis quis dicatur 292
Audiendi primum inſtrumentum quid ſit 287
Aurium ſonitus quid ſit 290. eius cauſæ ibidem curatio

curatio 291

Auxilia tūc dicimus naturæ miniſtrare, cùm auxiliorū materia in tempore, atque ut decet ab aliquibus, humanis corporibus applicantur 22

Auxilia, quæ concoctionem & digeſtionem adiuuant, talia à medico paranda ſunt, ut calidum innatum, ſeu naturam ipſam roborent atque adaugeant, uel ſaltem non diſsipent, ſed quoad poſſunt, ſeruent 41

Auxiliorum quantitas ad rectè medendum plurimùm confert 791

Auxiliorum eorum temperatura, quæ naturam in maturationibus iuuant, commoderata, ac ſimilis ei corpori, cui admouetur, eſſe debet 33

Auſteræ uuæ ſi ſuſpenſa diutiùs fuerint, dulciores redduntur 1017

Authoris uxor à coxendicum dolore ex uinaceorum uſu liberata fuit 1024

B

BAlneum aquæ dulcis, ſi febris magnitudo non obſtet, aptiſsimum eſt 821

Balneum quale in febre ardenti faciendum 909

Balneum alia atque alia ratione inter facienda & foris incidentia numeratur 787

Balneum aquæ dulcis, & ptiſanæ ſuccus ad continētis febris ſine putredine curationē ualet 806

Balneo adhibendo tria ſunt neceſſariò ſpectanda 811

Balneum aquæ dulcis hecticis maximè eſt commodum 946

Barbari quidam & empirici medici ſtultò nimiam cibi & potus repletionem probarunt 976

Barbari ſerui hiſtoria 254

Bilis flaua qua ratione concoquitur 38

Bilis flaua ſi turgeat circa initia, priuſquā in aliqua parte firmetur, nulla expectata concoctione, ſtatim purganda eſt 39

Bilis flaua in ætate puerili maximè ſuperabundat 120

Bilis iuuenibus ratione ætatis plurima redundat 121

Bilis in ſanguinis ſubſtātiam redire non ualet 32

Bilis nigra cum flaua in quo conueniat 881. in quo item ab eadem differat ibid.

Bilem cauſam eſſe alui profluuij indicant rufa, ſeu admodum crocea excrementa 4'4

Bilioſus fit ſanguis, cùm putreſcit, non ſtatim bilis 888

Bilioſi ſi fuerint ac tenues humores, inter initia euacuandi ſunt 61

Bilioſis ex ſuccis febrem ardentem generantibus, ſi uapores ad caput aſcendant non multi, nec admodum acres, delirium oritur 97

Bilioſum ſemper acutos morbos operatur 117

Bilioſiſsimæ inter cæteras febres, ſunt tertiana & ardens febris 120

Bilioſæ fluxionis ſigna 983

Bonus habitus quid ſit 130

Bubones etiamſi in febre peſtilentiali appareant, uena nihilominus ſecanda eſt 977

Bubulū lac, ſi febris non urgeat, tepidum recensq; mulctum, ac potatum magnopere auxiliatur 477

Bubulum ſtercus cùm hordaceâ farina in aqua decoctum podagricis prodeſt 689

Bulimos, ſeu ingens eſuritio, quid ſit 430. cauſæ ibid. curatio 431

Bulimos quibus cum canina appetentia conueniat, quibus item ab eadem diſsideat 430

Bulimos ut generetur, tria ſunt neceſſaria ibid.

C

CAcochymia quid ſit 814

Cæſar de Ruodi cùm ignem in quadam ſylua pro carbonibus faciendis accendiſſet, ex orno, quæ prope fornacem aderat, mannam reſudaſſe proprijs oculis uidit 1003

Calabri, Samnites, & Veſtini concretam mannam quotannis colligunt ex fraxino & orno 995

Calculi in renibus generationis modus 589

Calculo laborantis ueſicæ ſigna 615. cauſæ 617. prognoſtica, curatio ibidem

Calculi pueris innaſcuntur ob loci calorem: uiris autem non, propter corporis algorem 617

Calculi in ſenibus non generātur 616. ſed bene in pueris ibidem

Calculi inter initia magna cum diligentia curari debent 590

Calculorum in ueſica generationis præcipua cauſa, eſt ipſa qualitas materiæ, id eſt, craßitudo urinarum 616

Calculoſis omnibus maximè confert, ſi à cœna ſæpe uomant 595

Calfacere ſi uelis, medicinam elige, in qua maior ignis ſit portio, quàm contrarij elementi 50

Calfactio moderata & quies ad concoctionem non facilè perducunt 34

Caliditas ad coaugmētandum lapidem non parum operatur 616

Caliditas mediocris omnibus utilis eſt, immoderata uerò non minùs frigiditate noxia 1021

Calidum acquiſititium cur dicatur 710

Calidum acquiſititium ab innato differt 711. & ſeq. uſque ad finem cap.

Calidum & exiccans contraria ſunt 26

Calidum innatum quid 19 & 707

Calor innatus in hectica & diaria febre adiuuandus eſt 26

Calor innatus, & natura utrum diſcrepent 21

Calor in animalium corpore duplex 27 & 705 & 809

Calor adauctus uehementius alterat 42

Caloris intrò confluentis, in inflammationibus interioribus, & in principijs acceßionum, differentia 865

Caloris naturalis uis 809

Caloris alieni uis, & quibus de cauſis in corpore excitetur 809

Caloris tres ſunt differentiæ 717

Caloris natura eſt, homogenea cogere, ac in unū copulare: quæ uerò heterogenea ſunt, ſecernere, ac ſeparare 42

Calori innato magnũ uſum frigiditas adiungit 21
Canina appetentia cur ſic dicta 425
Canina appetentiâ quid ſit 425. eius ſigna 426. cauſæ ibid. curatio 427
Canina conuulſio quid ſit. 235 eius ſigna ibid. cauſæ ibid. curatio 236
Caprillum lac, ſi febris non urgeat, tepidum, recẽſque mulctum, ac potatum, magnopere alui profluuio auxiliatur 477
Capitis doloris ſpecies ſeu differentiæ ſunt tres 207
Capitis doloris ſigna 208. prognoſtica 209 curatio 210 & ſeq. uſque ad finem cap.
Cardiacus morbus quid ſit 420. eius ſigna 421. curatio 422
Carnoſa ſubſtantia quæ dicatur 730
Carus eſt reſolutio quædam principis facultatis (imaginatricis præſertim) ac priuatio ſenſuum, omniũmque motionum, ſpirandi tamen facultate manente illæſa 175
Cari ſigna 175. prognoſticum 176. curatio ibidem.
Catalepſis quid ſit 176. eius cauſa 177. curandi ratio ibidem
Caterina Sanſeuerina coxendicum dolore affecta, ex uinaceis maximum commodum adepta eſt 1024
Cauſa diuerſitatis acceßionum in febribus triplex 883
Cauſa externa ad affectus cognitionem confert, & non ad curationem . 813
Cauſa nulla ſine patientis aptitudine agere poteſt 966
Cauſa per ſe aborſum faciens, non poteſt ab eo præſeruare 9
ex quacunque Cauſa per ſe fœtus deſtruitur, ex eadem nullo pacto poteſt præſeruari ibid.
Cauſus quid ſit 871. eſt autem duplex: propriè dictus 872. & impropriè dictus ibidem
Cauſi, id eſt, ardentis febris dignotio 901 prognoſtica 902. curatio 904
Cephalalgia à cephalea in quibus differat, & in quibus conueniat 220
Cephalalgia quid ſit 207. eius ſigna 208 prognoſtica 209. curatio 210. & ſequent. uſque ad finem cap.
Cephalea quid ſit 220. eius ſigna ibid. cauſæ ibi. curandi ratio ibidem
Cerebrum tertio loco poſt iecur & cor, in fœtus generatione fit 5. & quare ibidem
Cerebrum ipſum ſi quomodocunque incidatur non priùs ſenſum & motum amittit animal, quàm ad aliquem uentriculum uulnus penetrauerit 85
Cerebrum per palatum, nares & aures inanitur 162
Ceruicis uteri deſcriptio 2
Chirurgi quidam noſtri temporis non parum decepti 33
Cholera unde nomen ſumpſerit . 467
Cholera quid ſit 468. eius ſigna ibid. cauſæ ibid. curatio 469
Chorij, id eſt, Secundarum (eſt autem membrana illa, qua partus obuolutus ex utero prodit) deſcriptio 3
Chryſoſtomus de Aquino Ruborum comes, ab apoplexia ab authore ſanata 257
Chylus ex uentriculo aſſumptus ex ipſa ueluti carne iocinoris alteratur, paulatimque in illius naturam uertitur . 70
Cibandus acceßionis initio, ſi ſolæ uires inediam non ferant 840
Cibus quandoque in acceſſus uigore dandus, & quando 841
Cibus in acceſſus uigore non dandus 838
Cibus quando dandus in febribus unius acceſſus 837. plurium acceſſuum ibid.
Cibi faſtidium unde proueniat 432. eius cauſæ ibi. curatio 433
Cibum damus neglecto acceßionis tempore, cum quid acciderit uires diſſoluens 840
Cibi ex amygdalis cõfecti in febribus ardentibus omnino uitandi ſunt 905
Cochlearum ſtillatitium liquorem hecticis non dandum 948
Coctio citius ut ueniat, bonum eſt circa principia euacuare 54
Coctiones indicij celeritatem portendunt 38
Coctione quodlibet dulce efficitur, in Ariſtot. 1019
Cœliaca unde nomen ſumpſerit 461
Cœliacæ definitio 461. eius ſigna . ibidem. curatio 464
Colicus affectus, ſeu coli dolor, quid ſit 507. eius ſigna ibid. cauſæ 508. curatio 509.
Coma, ſeu cataphora quid ſit 178. eius duæ ſpecies ibidem
Comatis uigilis cauſa 179. curatio 180
Communes morbi qui dicantur, & quæ eorum ſpecies 953
Conceptus, antequam menſes ueniant, fieri non ualet 2
Concipiendi inſtrumenta qua de cauſa in mulieribus intus formata ſunt 1
Concoctio craßiorem reddit urinam 35
Concoctio à digeſtione quomodo & in quo differat 39
Concoctio naturalis maturatio eſt morbi 31
Concoctio quid ſecundum Ariſtot. 31 & quotuplex . ibidem
Concoctio, licet à calore innato præcipuè efficiatur, ab aliquo tamen externorum auxiliorum iuuari poteſt 33
Concoctio & digeſtio, ſicut & alia naturalia opera, ab innato calore perficiuntur 41
Concoctionem & digeſtionem idem iuuare poteſt . 42
Concoctiones citiùs ut eueniant, melius eſt circa principia euacuare 62
Concoctum in quouis genere dulcius eſt 1019
Condyloma quid ſit 502
Condylomata unde dicta 503

Conſuetudo quid, ex Galeno 777

Continens febris ſine putredine non quæuis corpora inuadit 802

Continens febris citra putredinem oritur ex redundantia ad uaſa 803

Continens febris ſanguinis miſsione curatur 804

Continentis febris ex ſanguine differentiæ tres 898

Continentes febres quæ ſub diariis continentur 801

Continua tertiana 868

Continuæ febres quæ 855

Continua nulla ex quiſita ſimplex dicitur 876

Continuarum & intermittentium febrium cauſa ibidem

Cōtinuæ febres cur plures habēt acceſsiones 858

Continuæ febres cur ſint ſine rigore, prima cauſa 861. *ſecunda* ibidem

Continuæ plurium acceſsionum in quo conueniunt 875. *in quo item differunt* ibidem

Continuarum ex bile ſpecies duæ 867

Contraindicantia aliquando quid agendum ſit, indicant, aliquando id moderantur, aliquando contrarium indicant 786

Contraindicantium prima ſignificatio 752. *ſecunda* 752

Contrarietas quatenus contrarietas, nihil utile particulatim indicat 762

Contraria immoderatione catenus utimur, pro ſublatione eorum, quæ præter naturam ſunt, ut tum primum definamus, cum ad commoderatum peruenerimus 26

Contrarium eouſque pro eo quod exuperat, inducēdum eſt, quoad particulam in ſymmetriā & habitum naturalem uindicaueris ibidem

Contrariorum contraria ſunt remedia 25. 26. 51 755. 762

Conuulſio quid ſit 223. *eius tres ſpecies, ſeu differentiæ ibidem. cauſæ* 224. *curatio ex inanitione* 226. *ex repletione* 227. *ex inflāmatione* 229. *eius quæ ſit per conſenſum* ibidem

Conuulſio canina quid ſit 235. *eius ſigna ibidem cauſæ ibid. curatio* 236

Conuulſiuus motus à uoluntario in quo diſcrepat 223

Conuerſatio cum peſtilenti morbo laborantibus periculoſa eſt, ne inde contagium contrahatur 961

Cor poſt iecur formari neceſſe eſt 4

Cor in omni febre hectica afficitur 731

Cor, quēadmodum ſubſtantiæ arteriarum initium exiſtit, ita ab eō illico motrix facultas ad ipſas delegatur, quæ ipſi cordi innata eſt 107

Cor poſt iecur quidem, ſed ante cerebrum in fœtibus gignitur 5

Cor eſt arteriarum uitalis ſpiritus feruentiſque ſanguinis principium & fons 100

Cordis generatio 4

Cordis dolor quid ſit 420

Cordis palpitatio quid ſit 390. *eius ſigna ibidem cauſa ibid. curatio* 400

Corpus ſi ex toto integrum illæſumque duraret, taleq; quale ipſum ab initio creator fabricatum reliquit, nequaquā correctore eguiſſet 18

Corpus quo modo dicatur ſalubre 131. *& quotuplex* ibidem

Corporis præparatio quid 43

Corpora, ut à peſtilentia præſeruari poſsint, exiccanda ſunt, & pori aperiendi 981

Corpora humana, licet ex ſanguine conformentur, non tamen ex eo ſyncero, uerum ut participe utriuſque bilis & pituitæ 19

Corpora cuncta quæ purgantur, fluida fieri debent, priuſquam purgentur 47

Corpora noſtra præſidia deſiderant, auxiliiſque indigent 18

Corpora quantumcunque fuerint optimè conſtituta, & temperata uictus ratione utantur: fieri tamen nequit, ut in eorum urinis non aliquid ſubſideat, aut pendeat, aut ſupernatet 74

Corporum duplex eſt intemperies 26

Corruptum quod iam eſt, id alienum à natura eſt 28

Coxendicum dolor quid ſit 676. *eius ſigna ibid. cauſæ ibid. curatio* 677

Coxendicum dolor, quibus communicet & differat à podagra & arthritide 676

Cruditas quid ſit 453. *eius ſigna* 454. *cauſæ ibid. curatio* 456

Cruditatis ſigna ſemper ſunt in morbi principio 39

Cruda urina quæ dicatur 729

Cruenta ſputio quid ſit 324. *eius ſigna ibidem curatio* 347

Cruenti ſputi ex uaſorum exeſione curatio 353

Cruenti ſputi, ſi ex refrigeratis inſtrumentis ſpiritus fiat, curatio 351

Curatio febris ex putredine ſanguinis in aliam humoris ſpeciem tranſmutati 900

Curatio febrium hecticarum cum tabe 947

Curatio febris peſtilentis 974

Curatio febris factæ ab obſtructione ſanguinis 900

Curatio per ſe à medicis exercetur, prænotio uerò & dignotio propter curationem 149

Curationem febrium nullus methodo proſecutus eſt, uſque ad Authorem, poſt Galenū & Hippocratem 702

D

DElirij in febribus ardentibus cauſa 902

Dens ut doleat, tribus modis fieri poteſt 305

Dentium dolor 305. 307

Dentium doloris curatio 307

Deperditæ memoriæ definitio 166

Deperditæ memoriæ ex pituitæ redundantia, curatio 169

Deperditam memoriam curandi ratio 168

Deſtillatio quot modis dicatur 313

Diabetes quid ſit 579. *eius ſigna* 581. *curatio* 582

Diaria & hectica febris quomodo differunt 799. quid commune habent ibidem
Diaria febris quid ſit 724. eius ſigna ibidem
Diaria febris cur dicatur 723
Diaria febris ſemper à procatarctica cauſa oritur, ſed non ſemper immediatè ibid.
Diaria & hectica febris, tantùm contrariorum auxiliorum adhibitione curantur 26
Diaria febris ut generetur, ſpiritum præter naturam calfactum eſſe neceſſe eſt 109
Diariæ pro cauſarum & corporis affectuum uarietate, uarias & particulares habent curationum indicationes 853
Diariæ febres morbi ſunt exigui temporis 115
Diariarum febrium cauſæ 853
Diariis omnibus communis eſt materia & indicatio ibidem
Dieræſis quid ſit 302
Difficultas partus quid ſit 663. eius cauſæ 666 curatio 666
Difficultas urinæ quid ſit 606. eius cauſæ ibid. curatio 607
Difficulter qui diſcunt, promptè memorantur 88
Digerere quid ſit 39
Digeſtio eſt ordinata alimentorum diſtributio. ibidem
Digeſtio quæ fit circa humores ſeu excrementa, bifariam fieri poteſt 40
Digeſtio & concoctio à calore innato perficiuntur 41
Digeſtio quæ excrementorum eſt, ab ea, quæ eſt alimentorum, differt 43
Digeſtionis alia definitio 40
Dignotio inflammationis uiſcerum à qua refrigerantur extrema, & principij acceſſionum, à quo etiam refrigerantur extrema 866
Dignotio continentis febris ex pulſu, caloris qualitate, & urinis 803
Dignotio affectus ex quibus fiat 154
Dionyſij Siciliæ tyranni ad captiuos excæcandos aſtutia 261
Diſcendi facilitas cerebri ſubſtantiam formarum facilè ſuſceptiuam indicat 88
Diſcunt qui facilè difficulter memorantur 88
Diſſectio corporum cuiuſlibet partis eſſentiæ proprietatem indicat 150
Diuturnus ſi fuerit morbus, nullo pacto in principio medicamento purgante utendum eſt 54
Dolor quid ſit 202
Dolor nunquid propriè dicatur alteratio, uel alterationis dignotio ibid.
Dolor an ex quauis immutatione fiat 203
Dolor coxendicum quid ſit 667. eius ſigna ibid. cauſæ ibid. curatio 677
Dolor coli, ſeu colicus affectus, quid: eius ſigna, cauſæ, curandi ratio 506. & ſequentibus per totum caput
Doloris ſpecies partem affectam indicat 153
Doloris proprietas internorum affectuum eſt nota 155
Doloris quot quæue ſint cauſæ 203
Doloris capitis ſpecies ſeu differentiæ tres ſunt 207
Doloris capitis uniuerſales cauſæ 208. particulares ibidem
Doloris capitis ex calida intemperie geniti ſigna 208. ex frigida ibidem. ex ſicca ibidem. ex bilioſo ſucco ibidem. ex pituita ibidem. ex nigra bile 209. & ſequent.
Doloris capitis prognoſtica 209
Doloris capitis cura ex ſiccitate 210. ex calida intemperie ibidem. ex redundante flaua bile 212. ex frigida intemperie 213. ex redundante pituita ibidem. ex plethora 215. ex flatuoſo ſpiritu 216. ex ebrietate 217. ex ictu aut caſu ibidem *in febribus* 219
Domus qualis eligenda in peſte 675 & 981
Dulce omne à moderato calore prouenit: idque fit dupliciter 1020
Dulcium acinorum ſuccus calidior eſt reliquis uuarum ſuccis 1018
Duplex eſt calidum: unum naturale, alterum præter naturam 809
Dyſenteria quid ſit 481. eius ſigna 482. curatio 485
Dyſpnœa propriè dicta quid ſit 339
Dyſentericis ſomnus optimum eſt remedium 487

E

Ebrietatem quæ impediant 217
ſi ex Ebrietate dolor capitis contingat, polygoni ramuli duo coronæ modo circumpoſiti ſanant 210
Elementum ignis in regione noſtra præpollet 709
Empirici & barbari quidam falſò probarunt nimiam cibi & potus repletionem 976
Empiricos ad experientiam duxit ſenſus 701
Empiricorum abuſus extirpandus eſt omnino 15
Ephemeri animalis natura 723
Ephemeræ febres, ſanguine tantummodo calefacto, non autem putreſcente fiunt 883
Epiala eſt ſimplex febris 876
Epiala febris 875. eius differentia ab exquiſita & intermittente quotidiana ibidem
Epiala unde dicta 938
Epialæ curatio ibidem
Epialam febrem inducit uitrea & acida pituita modicè putreſcens, ſi per eaſdem ſentientes corporis partes deferatur 933
Eryſipelas in utero grauidis fore lethale Galenus aſſerit 7
Eſus boni ſucci modicorum ciborum ad concoctionem perducit 34
Eucraſia eſt ſimilarium partium 129
Exceſſus cibi & potus ſæpe cauſa eſt ut fœtus perdatur 6
Excrementa ſicut in corporibus ſanis coctionem indicant, non ſecus in corporibus morbo affectis

affectis indicabunt 31
Excrementa cocta quæ 32. item cruda quæ ibid.
Excrementa duo in ſanguinis generatione ſolùm gignuntur 71
Excrementa ſemicocta ſimilia ſubinde ſiunt corporibus, quæ aluntur, quorum corporum ſcilicet ſunt excrementa 73
Excrementa ſeminibus cucurbitæ ſimilia, latorum uermium ſunt indicia 155
Excrementorum ſpecies affectam partem indicant 152
Excrementorum magnitudo, partis affectæ eſt indicium ibid.
Exercitatio omnis fit, cùm particularia ſub eandem uiam, ac rationem ducuntur 249
Experientia eſt eius quod frequenter, & eodem modo uiſum eſt, cõprehenſio atq; memoria 15
Experientia quid 749
Experientia authoris de Orientali & Italica manna 1012
Exquiſita febris ardens dicitur à Galeno, continua circuitus habens, & continens 873
Exquiſitus cauſus quomodo generetur ibid.
Exquiſitæ tertianæ dignotio 910. prognoſtica 912. curatio ibid.
Exulceratio renum quomodo fiat 599. eius cauſa 600. curatio ibidem
Exulcerati uteri ſigna 673. cauſæ 674. curatio ibidem
Exulceratæ ueſicæ ſigna 620. cauſa 621
curatio 622
Externa cauſa ad affectus cognitionem confert, non autem ad curationem 813

F

Fabritius Maramaldus ab apoplexia ab authore liberatus 257
Familiare eſſe neceſſe eſt, id quod nutrit 1020
Febris, cur cum perpetuò conſequatur inflammationes ratione putredinis, non tamen illa febris ſemper ſit ex genere febrium ex putredine ortarum 722
Febris ardens in quo conſiſtat 892
Febris acuta, uel aliquo humorum putreſcẽte ſit, uel membro inflammationem patiente 117
Febris continens cum putredine, eſt ex ſanguine putreſcente, & ſanguinea, non bilioſa 889
Febris continua tertiana duplex 868
Febris diaria cur dicatur 723
Febris diaria quid ſit 724
Febris diaria ſemper à procatarctica cauſa oritur, ſed non ſemper immediatè 723
Febris eſt totius animalis calor immodicus 108
Febris ex putredine occupante uniuerſum corpus, quomodo generetur, & in quibus corporibus 820
Febris ex ſanguine putreſcente in omnibus, aut maioribus uaſis continens eſt: ſi in paruis quibuſdam, continua plurium acceſsionum 888
Febris ex ſanguine quibus in corporibus generetur 899
Febris quæ in generatione eſt, tollitur ſublata cauſa, ſi exiguum ſit quod factum eſt, indicatióque una eſt 807
Febris nulla generari poteſt, quin cor afficiatur 719.
Febris putrida tribus modis generari poteſt 111
Febris eſt præter naturam caliditas, maximè quidem in totum animal diffuſa, ſin minus, aut omnino, uel in pluribus partibus, uel in nobiliſsimis contenta 108. 113
Febris, prout febris eſt, aqua frigida pota perpetuò eſt remedium 56
Febris cùm fuerit ardentiſsima & magna, cunctæq; uires ægroti ac concoctionis notæ planè euidentes ſint: tunc frigidã homini putrida febre laborãti tribuere audacter debemus 26
Febris peſtilens ex praua uictus ratione oriri poteſt 967
Febris peſtilens unde generetur 968
Febris peſtilens in quo diſsideat ab iis quæ ex putredine oriuntur 968
Febris peſtilens quid ſit 963
Febris peſtilens nedum in humoribus accendi poteſt, uerùm etiam in partibus ſolidis ipſius cordis 969
Febris continentis cauſa 803. tres eius differentiæ ibidem
Febris natura qualis, quæue eius definitio 714
per totum caput
Febris cauſam antecedentem eſſe humorum putredinem teſtatur Galenus 27
Febris magnitudo ſi inſtet, tutiùs, cùm oportet, aqua hordei utendum eſt 27
Febris ſubiectum eſt calidum innatum 717. & ſequent. per totum caput
Febris quotidianæ caliditas humidior cum quadã acritudine, non cùm primùm manus admouetur, confeſtim occurens, ſed per moram 931
Febris peſtilentis cauſa, apud Athenienſes erat immodica aëris caliditas 966
Febris peſtilentis cauſa 969. eius ſigna 972
prognoſtica 974
Febrim ſanamus, frigida adhibentes, non ſolùm quæ talia ſunt, ſed ea quæ partim poteſtate, partim ex accidenti refrigerant 25
Febres continentes quæ ſub putridis febribus comprehendantur 802
Febres continentes quæ ſub diariis contineantur 801
Febres cur hecticæ dicantur 730
Febres continuæ cur in febricitationem non deſinant 856. intermittentes uerò in eam deſinunt ibid.
Febres intermittentes quomodo gignuntur ex putredine humorum extra uaſa 858
Febres intermittentes à rigore ſemper incipiunt 862
Febres intermittentes quæ ſint 855
Febres omnes ex ſanguine in quo conueniunt 899

Febres per implexum complicatæ, & per confuſionem, quid 878
Febrium quare quædam per circuitus, repetant 111
Febres putridæ, quæ 806
Febrium commixtio per complexum, & confuſionem multiplex 877
Febrium generationis quinque modi 720
Febrium curationem methodo nullus proſecutus eſt poſt Galenum & Hippocratem 702
Febrium intermittentium initus cur calor naturalis ad corporis intima ſe colligit 862
Febrium primæ & eſſentiales differentiæ quot ſint 717. & ſeq. per totum caput
Febrium putridarum inditium maximum exiſtit urinæ cruditas 78
Febrium ex putredine ortarum ſigna 727
Febribus ardentibus ptiſana eſt accommodatiſſima 45
Febribus in ardentiſſimus, ſi uſque ad animi deſectionem ſanguis mittatur, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur 893
Febrium omnium peſtilentium ortus eſt ex putredine 968
Ferrum acutiſſimum manifeſtè obtuſius fit, ſi toto die ac nocte molliſſimam ceram incidas 62
Fibroſa ſubſtantia quæ dicatur 730
Ficus quid ſint 503
Fluidum corpus bifariam reddi poteſt 46
Fluor à ſputo ſanguinis in quo differat 344
Fluxionis pituitoſæ ſigna 683
Fluxionis bilioſæ ſigna ibidem
in Fluxione duplex eſt genus curationis 41
Fœmina cùm prægnans eſt, non laborat, nec languet, ſi ſingulis menſibus menſes non defluāt 6
Fœmina non, niſi cùm incipiunt, uel ceſſant menſes, concipere poteſt 2
ex Fœminarum ſemine non pauca ſequitur ipſi fœtui utilitas 5
ex Fœminarum ſemine, ſtatim poſt coitum, nutritur fœtus ibidem
Fœminas cur cephalea uehementiùs teneat 220
Fœmineum ſemen multo minoris quantitatis eſt, quàm maris 5
Fœtus eſt, cùm ſubſtantia carnea iam eſt, nec amplius ſeminalis apparet 4
Fœtus in utero gerentibus, non modò pro ſui prima conſtitutione, materiam poſtulat copioſam, uerùm etiam ad incrementum 1
Fœtus in utero quo modo fiat, quáque ratione augmentum nutrimentúmque ſuſcipiat 2
Fœtus ex ſanguine, qui de matre in uterū deſcendit ex toto cùm corpore ſingulis diebus, nutritur & augetur 5
in Fœtu aliquod membrum gigni abſque ſubſtantia ſanguinea impoſſibile eſt 4
Fœtuum duplex principium 4
Fœturæ primæ conſtitutio humidior eſt ac frigidior
Fraxinus & ornus in Italia inter cæteras arbores, inciſæ mannam ferunt 1005
Fraxini duo ſunt genera ſecundum Theophraſtum 1 00
Frictio mediocris modicam caliditatem efficere poteſt 34
Frigida aqua pota, febris, prout febris eſt, perpetuò eſt remedium 26
Frigida & ſicca, & ſi putreſcētis humoris qualitatibus opponantur, putredinémque quodammodo alterando inhibeant, concoquentia appellari haud poſſunt 30
Frigidæ intēpeſtiuum potum quæ ſequantur incommoda 805
Frigidæ potus, & ſanguinis detractio, duo ſunt continentium febrium maxima remedia 900
Frigidam homini dare, ſi febris ardentiſſimā fuerit, & uires cūctæ ualidæ, ac concoctionis notæ euidentes, audacter dare poſſumus 811
à Frigore quæcunque concreſcunt ſeu coagulantur, à calido liqueſiunt, & ſoluuntur: & e contrà 997 & 1012
Frigeſacere ſi uelis, medicinam elige, in qua maior ſit portio aquæ quàm ignis 25
Frigidior multò mulier uiro eſt, & ob id imperfectior 1
Frigiditas in muliere utilitatem non aſpernandam toti humano generi præbet ibidem
Fructuum tunc perfecta eſt maturatio, quando ſemen, quod in ipſis eſt, poteſt efficere tale alterum, quale ipſum eſt 1021
à Fructibus recentibus omnibus (præter quàm ſi acidi fuerint) abſtinere debet, qui à peſtilenti febre præſeruari deſiderat 982
Fuluius de Bernardis à dextræ tibiæ, ſiniſtrique cruris dolore ex uinaceorum uſu liber euaſit 1024
Furor, ſeu inſania quid ſit 197. cùm cauſæ 198. ſigna ibidem. prognoſtica 199. curatio ibidem
Futurorum prognoſtica ex præſentibus ſumuntur 158

G

GAlenus à iunioribus medicis reprehenſus 702
Galenus in peſtilenti aëris ſtatu, corpora in quibus ſuperfluitates redundabant, ſanabat purgationibus, nulla quidem concoctione præcedente 56
Galenus non uno libro methodum curandi febres tradidit, ſed ſparſim, & obſcurè 702
Galeni hiſtoria cùm gargariſmo hortulanum quendam ab uua, pariſthmiis & antiadibus ferè ſuffocatum ſanauit 329
Galenum carpit Aëtius 500
Galli mollem & teneram carnem habent, ſuntq; candidi 816
Generatio calculi cur ſenibus non competat 616
Generatio lactis animalibus maximè eſt utilis 412

Genera-

Generationis calculi in renibus modus 589
Generationis febrium quinque modi 720
Generationis mannæ modus, tempus, ac locus 994
Genitalium partium impotentia quid ſit, eius cauſæ, & curatio 631
Genitura quid, ſecundum Hippocratem 4
Glandularum iuxta linguam inflammatio quid ſit 322
Gratia authori habenda eſt, difficile opus aggreſſo 702
Grauis, ſeu difficilis auditus quid ſit 292. eius cauſæ 293 curatio. ibidem
Grumi in lacte qua ratione fiant 416
Gubernatrices animæ facultates ſunt tres 780. naturalis, uitalis, & animalis ibidem
Gurgulionis inflammatio quid ſit 318. eius cauſæ, prognoſtica, curatio. 319
Gurgulionis inflammationis differentiæ duæ 319
Gurgulionis, ſi citra inflammationem nimium humectus laxior fiat, & propterea linguæ radici, ac faucibus propenſus incumbat, curatio 321

H

Habitus bonus quid ſit 130
Habitus corporis malus 566
Habitus corporis quid 730
Habitus nihil aliud ſignificat, quàm ſtabilitatem ſeu permanentiam affectionis 130
Habitudo non ſtabilitatem, ac firmitudinem, ſed lubricitatem & inſtabilitatem affectionis facilè ſolubilis, & mutabilis ſignificat 130
Hæmorrhoides quid ſint 495. eius ſigna 497. cauſa ibidem. curatio 499
Hæmorrhoidum differentiæ duæ 496
Hectica febris ut generetur, partes ſolidas præter naturam calfactas eſſe neceſſe eſt 109
Hectica & diaria febris tantùm contrariorum auxiliorum adhibitione curantur 26
Hectica febris & diaria quomodo differũt 799. quid habent commune ibidem
Hectica curatur refrigerantibus & humectantibus ibidem
Hectica primùm humiditatem partium propriam depaſcitur, deinde alias partes inuadit 732
Hectica an ſemper cum ſiccitate ſit coniuncta 733
Hectica quando incipiat 735. increſcat ibidem
Hecticæ febris particularia indicia 240
Hecticæ tertiæ ſpeciei ſigna 742
Hectica in quo differant à cæteris colliquantibus 743
Hecticarum febrium hoc proprium atque inſeparabile indiciũ, ut allato cibo ſtatim hora una aut duabus elapſis febris accendatur aucta caliditate 739
Hecticarum prognoſticum 943. curatio ibidem
Hecticarum cum tabe curatio 947
Hecticarum febrium generandarum duplex uia 731
Hecticis omnibus commune eſt, ut puſillæ ac ſemper à principio ad finem uſque ſint æquales 737
Hecticis in febribus multa nõ occurrit humiditas 738
Hecticis in febribus, pro earum dignotione nullum ex urinis ſignum ſumitur 742
Hecticis in febribus inſpiciendæ ſunt ſemper urinæ 744
Hemicrania quid ſit 221. quæ conſideranda pro eius curatione 222
Hepar quid 4
Hepar, cor, cerebrum, & teſtes communiter uniuerſo corpori principia ſunt uirtutum 104
Hepatis obſtructio quid ſit 537. curandi methodus 539
Hepatici ſeu iocinoroſi qui appellentur 528 eius ſigna 530. cauſæ 531. curandi ratio 532
Hepaticus affectus, ſeu iecoris imbecillitas propriè quid ſit 529
Heterogenea quæ ſunt, calor ſecernit, ac ſeparat 42
Hieronymo Alberto Philippi regis conſiliario, uinaceorum uſus mirum in modum contulit 1024
Hippocrates uerebatur in acutis paſsionibus, medicinis purgantibus uti in earum principiis 53
Hippocrates febrium curandarum methodum inchoauit duntaxat 702
Hominis cuiuſque ſingulatim ſuum proprium eſt puris mouendi medicamentum 33
Homini cur mammæ pectori inhærent 411
Homines ut peſte laborent, opus eſt aërem adeò eſſe inquinamentis plenum, ut natura humana offendatur 958
Homogenea quæ ſunt, calor cogit, ac in unum copulat 42
Hordei aqua pro extinguenda ſiti ſummopere ſiticuloſis eſt accommoda 27
Horror quid ſit 864
Horror intempeſtiuus cum febre inflammationis ad ſuppurationem tranſeuntis eſt indicium 155
Humor aliquis cum ſanguine in uenis redundat ac putreſcit duobus modis: aut ut efficiat plethoram cum adiectione, aut cacochymiã 857
Humores communibus elementis reſpondentes 708
Humores cur aliquando in uaſis, aliquando extra putreſcant 856
Humores turgentes mox à principio medicamento purgante ſunt educendi, ſi natura non ualeat eos foras propellere 52
Humores ſi tenues ac bilioſi fuerint, inter initia ſunt euacuandi 61
Humores, qui tenues ſunt, omnes crudi ſunt, & ut concoquantur, robuſtam deſiderant naturam

ram 34. 36
Humorum putredo antecedens cauſa eſt febris, ſecundum Galenum 27
Humorum putredo duorum generum eſt 28
Humorum eorum duntaxat, qui in naſis continentur, nota eſt urina, neque eorum ullum planè nec manifeſtum, nec euidens ſignum habemus, preter ſolam urinam 68
Humoribus crudis, ſeu uitioſis in uentriculo contentis, nullo pacto facienda eſt ſanguinis miſſio 10
Hydropicus morbus unde nomen ſumpſerit 569
Hyemis partes tres 953
Hypochondriacæ melancholiæ ſigna 191
eius curatio 195

I

ICterus ſeu morbus regius quid ſit 551
eius ſigna 552 curatio 555
Icterus niger quid ſit 557. eius ſigna 558. curatio 559
Iecur quid 4. & quòd priùs quàm cor & cerebrum in fœtibus gignitur 5
Iecur ipſum toti corpori idoneam procurat materiam ad alimentum 105
Iecur uenis ueluti manibus utitur 66
Iecoris opus, omnibus particulis eſt pernecesſarium 822
Iecoris obſtructio quid ſit 537. eius ſigna ibidem curatio 539
Iecoris ſcirrho laborantis indicia 547
Ignis in peſte ſuccendi debet 975
Ignis elementum in generatione noſtra præpollet 709
Ignorantia uitium eſt indelebile, ſi cum ſuperbia ſit coniuncta 11
Ileus, ſeu uolulus, quid ſit 514. eius ſigna ibidem. cauſæ 516. curatio 517
Imbecillitas uirium febris acceſsiones longiores efficit 110
Immoderata ſitis 436. eius cauſæ ibidem. curatio 438
Immodica menſium purgatio quid ſit 640. eius ſigna ibidem. curatio 641
Impedientia fieri aliquid conferunt ad inuentionem remediorum 751
Inappetentia quid ſit 432. eius cauſæ ibidem. curatio 43 & ſeq.
Incubus quid 236. eius ſigna 237. cauſæ ibidem curatio ibidem
Indicia pro mannæ tam liquidæ quàm concretæ notitia 1014
Indicia morborum oriuntur ex accidentiũ proprietate 155
Indicatio ſumitur à temperamento quod præſens erat cùm cœpit morbus 770
Indicatio quid ſit 745
Indicationis duo ſunt genera ibidem
Indicatio ab obſeruatione & ratiocinatione differt 746
Indicatio omnium prima 753. hæc autem eſt plebi communis & ſine arte ibidem
Indicationi inuenire opponitur inuentioni per experientiam 744
Indicationes multæ ex affecta parte pro morborum curatione ſumuntur 162
Indicationes à putredine duæ, à febre totidem 813. à tranſpiratione prohibita, duæ ibidem ab obſtructione duæ ibidem
Indicationum magnitudo ex dignitate eorum quæ indicant, & propria eſſentia, ſpectanda eſt 844
Indicans & indicatum idem eſſe poteſt diuerſis rationibus 768
Indicium proprium atque inſeparabile febrium, quæ in humoribus accenduntur, eſt ſummiſſionis, ſeu contractionis pulſuum uelocitas 727
Indicia propria febris ardentis duo ſunt 901
Indicium Picolhomineum ducis Amalfiæ filium à phrenitide liberauit author 187
Inedia eſt cauſa aborſus 6 & 9
Infantes recenter nati plurimum habent calidi innati 710
Inflammatio hepatis quomodo generetur 541
Inflammatio lienis 561. eius cauſæ ibidem. curatio 562
Inflammatio renum 595. eius ſigna 596. cauſæ 597. curatio ibidem
Inflammatio ſtomachi unde, eius ſigna, cauſæ, curatio 451 & ſeq.
Inflammatio ueſicæ quomodo fiat 618. curatio 619
Inflammationis cùm in abſceſſum uertitur, curatio 382
Inflammationis mammarum curatio 418
Inflammati uteri ſigna 670 cauſæ 671. curatio ibidem
Inflammatorij affectus ex pulſatorio dolore deprehenduntur 155
Inflatio uentriculi quid ſit 457. eius cauſæ 458 curatio 459
Innatus, ſiue ingenitus calor coctiones facit, ſecundum Galenum 27 & 28
Inſania lupina ſpecies eſt quædam melancholiæ 201
Inſalubre corpus quando dicatur 136
Intellectus promptitudo ſubtilem cerebri ſubſtantiam indicat, tarditas uerò intellectus craſſam 88
Interiorum ſenſuum omnium primus & infimus eſt communis ſenſus 94
Intermittentes febres an aliquando fiant humore putreſcente per corpora ſentientia non delato, & ob id ſine rigore, &c. 666
Intermittentes ſimplices exquiſitæ dici poſſunt, quo ad ſenſum 876
Intermittentium ſpecies tres 867. in quo conueniant, & in quibus diſsideant ibidem
Intermittentium in principiis cur ſumma refrigerantur 862

Inuent

Inuentionis cuiuslibet duo ſunt inſtrumenta 701
Iuniores medici hallucinati ſunt 50. 52 & 703
Iuniores medici in expoſitione uerborum Galeni hallucinati ſunt 29. 73. 131. 373. 746 & 758
Iunioribus medicis in notitiam deuenere nonnulla medicamenta purgantia prauæ qualitatis expertia, quæ apud antiquos fuere prorſus incognita 51

L

LAc bubulum aut caprillum, ſi febris non urgeat, tepidum recénsque mulctum ac potatum magnopere auxiliatur 477
Lac temperatus eſt cibus, cum hoc quòd depurgat, ſimúlque ea quæ in corpore ſunt, contemperat, ac aluum ſiſtit 485
Lac quid ſit 412
Lactis defectus quid ſit 412 *eius ſigna ibid. cauſa ibid. curatio* 413
Lactis generatio animalibus apprimè utilis 411
Lactis in grumos, ſeu caſei ſpeciem conuerſi deſcriptio 416 *cauſæ ibidem. curatio* 417
Lactis redundantia quid 414. *eius cauſæ* 415. *curatio ibidem*
Lactis temperamentum 413
Lachrymæ inuoluntariæ cum aliis prauis ſymptomatis, mortem ſignificant 903
Lactãtibus & puerperis ſæpius euenit, ut præ lactis redundantia ægrotent 414
à Læſa actione partis affectæ dignotio auſpicanda eſt 151
Læuitas inteſtinorũ quid ſit 461. *eius ſigna* 462 *cauſæ* 463. *curatio* 464
Lapis in renibus & in ueſica duntaxat naſcitur, atque etiam in colo 155
Lapis renum quomodo fiat 587. *eius ſigna ibid. cauſa* 589 *curatio* 590
Lapis in ueſica, cur in pueris magis quàm in adultis generetur 616
Lapidem ex urina ſabuloſa deprehendimus 155
Lateralis morbus quid ſit 356. *eius ſigna* 357. *cauſæ* 360. *curatio* 361
Laudandus eſt potius medicus, qui curat per cibum, quàm qui per medicinam 54
Latio eſt prioris loci mutatio 23
Lethargus dicitur, cùm marcor & inexpugnabilis penè dormiendi neceſſitas percipitur 171
Leo Rhogamus iuuenis noſtra ætate eruditiſſimus 69
Lethargus ab obliuione, ſeu deperdita memoria quibus differat, quibus etiam conueniat 173
Lethargus quis affectus ſit præter naturam, 172. *eius ſigna ibidem. cauſa ibidem curatio* 173
in Libano monte quot annis manna decidit 994
Lienis inflammatio qua ratione curetur 562
Lienis ſcirrhus 563 *eius ſigna* 564 *curatio* 565
Lingua non admodum nigra, arida, & aſpera, ſecuritatem, ac morbum fore breuem indicat 904
Lingua nigricans ardentem febrem portendit 155. & 901
Lippitudo quid ſit 259. *eius ſigna* 260 *cauſæ ibid. curatio* 261
Lippitudinis differentiæ tres 260
Lipyriæ febres adeò ſunt lethales uelut peſtilentes uerè dictæ 964
Lipyriarum febrium curatio 910
Locus affectus ex ſymptomatum proprietate innoteſcit 155
Longis in morbis coctionem expectare ſemper oportet 54
Lora uinum dici non poteſt 1016
Lora è uinaceis aqua madefactis quî fiat ibid.
Lora quandoque aquoſior, quandoque etiam meracior fieri poteſt, pro maiori uel minori quantitate aquæ ſuperinfuſæ ibidem
Lumbrici unde generentur 518 *eorum curatio* 524
Lumbrici in inteſtinis gignuntur 155 & 518
Lumbricorum tres differentiæ 519
Lupina inſania melancholiæ quædam eſt ſpecies 201. *eius cauſa atque curatio* 202

M

MAmmæ ſi utero gerenti repentè graciles fiant, abortus ſignum eſt 13
Mammæ cur hominis pectori inhærent 411
Mammarum inflammationi uinacei triti cum ſale utiles ſunt 1019
Manna liquida quomodo generetur 989
Manna pruinæ quàm rori magis ſimilis eſt, eidémque in eius generatione proportione reſpondet 989
Manna duplex, liquida & concreta: & utriuſque generatio 989 & 991
Manna liquida ſeu mel roſcidum rori: concreta uerò, & quæ coagulata eſt, pruinæ correſpondet 989
Manna in quibuſdam plantis, terris, ſeu lapidibus melius quàm in quibuſdam aliis conſeruatur 993
Manna in fraxino & orno reperta ab aqua ſoluitur ac liqueſcit 997
Manna ſuper arborum, fruticum, herbarúmque folia indifferenter reperitur 994
Manna tam liquida quàm concreta decidit è cœlo anno 1546. in Goritiæ comitatu, ac Friuli patria, menſe Maio & Iunio 995
Manna quæ in fraxino & orno, herbis ſeu lapidibus reperitur, non eſt ros, ſed pruinæ ſimilis è cœlo cadens 996
Manna in fraxinis & ornis reperta, potiſſimùm ſub cane, eſt proprius dictarũ arborum ſuccus

ſuceus 1002
Manna ex fraxinis & ornis inciſis emanat 1005
Manna ex orno & fraxino collecta ualde ſimiles facultates habet cum Arabum manna 1009
Manna aërea & roſcida ſoluitur atque liquefit à ſolis, ſeu ignis calore, atque à calida aqua: arborea uerò minime 1012
Manna arborea ab aerea calore diſsidet 1013
Mannæ us in medicina 1007
Mannæ materia quæ coagulatur, diuerſa eſt 1013
Materia, circa quam ars medica uerſatur (id eſt corpus humanum) continuè fluit mutationibus ac alterationibus, ſeu momentaneis tranſmutationibus obnoxium, facilitérque ab intrinſecis, & extrinſecis cauſis alteratur 52
Materia omnis præſidiorum quatuor generibus continetur 787
Materia refrigerantibus, & humectantibus duplex 799
Materia ex qua roſcidum ſeu aereum mel generatur, eiuſdem eſt cum rore generis 990
Materiæ præſidiorum dexter uſus conſiſtit in quantitate, qualitate, & occaſione 788
Maturatio quid, ex Galeno 37
Maturatio fructuum perfecta quando dicatur 1021
Maturationes à medico extrinſecus iuuari poſſunt 33
Medicus eſt naturæ miniſter 19 & 22
Medicus in ægris quid primum inſpicere debeat 150
Medicus eſt naturæ imitator 52
Medicus humorum in corpore redundantium præparationi abſque dubio opem ferre poteſt 44
Medici ſolius eſt, auxilia ægrotis in tempore adhibere 22
Medici terminus, quem nullo pacto tranſire debet, eſt ut tutè medicetur 9. 12 & 51
Medici intentio eſt, cauſam auferre, quæ poſſet aliquem præter naturam affectum futurum efficere 8 & 9
Medicina eſt humani corporis moderatrix 18
Medicina medicus ipſis dignitate prior eſt 23
Medicinæ finis eſt ſanitas 18
Medicinæ totius communis ſcopus 753
Medicam artem in agendo nihil æquè conlecturalem efficit, uti cuiuſque remedij quantitas 5
Medicamentum omne corporibus iucundum eſt 18
Medicamentum purgans proprium attrahere humorem appetens, cùm is non adſit, ſanguinem ac carnes colliquat, ut ex ipſis propriū attrahat humorem 50
Medicamentum quod ſemel in uentrem deuoratum eſt, quominus omne deuoratum non ſit, fieri non poteſt 51
Medicamentum purgans, quibus dare quadrabit, his medicamenti tantum propina, quantum in plurimis mediocriter uacuari tum nouiſſi, tum es expertus 52
Medicamenta poſt cibum ſumenda non ſunt, quæ ad uehementiorem diſtributionem faciunt 41
Medicamenta purgantia adhibenda eſſe, quomodo intelligendum 58
Medicamentorum occaſione ſequuntur aborſus 7
Medicamentis purgantibus utendum ſi ſit, illud cum præmeditatione faciendum eſt 55
Medium febrium genus inter hecticas & putridas 801
Melancholia quid ſit 189. *propria eius indicia* 190. *prognoſtica* 192. *curandi ratio* *ibidem*
Melancholia quibus à furore diſsideat, & quibus conueniat 197
Melancholiæ tres ſpecies 191
Mellis genera duo apud Galenum 994
Memorantur alia quædam animalia præter hominem 85
Memoria craſſam, & propterea ſtabilem & firmam cerebri ſubſtantiam indicat 88
Memoria deperdita quid 166
Memoria ex infrigidantibus cerebrum cauſis eiúſque intemperie frigida læditur 96
Memoriæ deperditæ quot, quæue ſint cauſæ 168
Menſium ſuppreſsio quid ſit 634. *eius cauſæ* 635. *curatio* 636
Menſium immodica ſuppreſsio 640. *eius ſigna ibidem. curatio* 641
Methodus quid ſit 699
Methodus medendi quid ſit 700
Methodi medendi initium à morbi natura 697
Methodi medendi febres, quà febres ſunt, compendioſa repetitio 795
Methodus in uniuerſalibus, in particularibus exercitatio conſiſtit 149
Moderati caloris effectus hic eſt, ut rigentes excalfaciat, æſtuantes uerò frigefaciat 1023
Moderata dicuntur ea, quæ ſunt ſecundum naturam 25
Mola quid ſit 653. *eius ſigna* 654. *curatio* 656
Morbus acutus quis 894
Morbus comitialis ſemper ad morbum in uia conſequitur 294
Morbus comitialis quid ſit 242. *eius ſigna* 244. *cauſa* 246. *prognoſtica* 247. *curatio* 248
Morbus regius quid 551. *eius ſigna* 552. *curatio* 555
Morbi cauſa ſi adeſt, ipſi cauſæ nō morbo primo remedia adhibentur 808
Morbi comitialis differentiæ tres 245
Morbi comitialis peculiare ſignum eſt ſpuma 244

Morbi ipſius concoctio princeps ſcopus, eſt qui penes temporis occaſionem purgantium medicamentorum perpendendus eſt 52
Morbi ſummus uigor non ut indicans cibum, ſed ut prohibens ſpectatur 835
Morbi tempora non indicant, ſed impediunt 835
Morbi cùm inchoant, ſi quid uidetur mouendum moue 53. 61
Morbi in quibus futurum præſagiri poßit 159
Morbi qui fiunt, duplices ſunt, aut tolluntur ſublata cauſa, aut ea ſublata remanet adhuc diſpoſitio 807
Morbi uniuerſales, ſeu communes qui dicantur qui etiam particulares ſeu diſperſi 950
Morbo conſiſtente faciliùs natura concoquere ualet 54
Morbo conſiſtente, cùm iam natura concoquit, ſuperfluum eſt euacuare 62
Morborum in principiis, materia non turgente, an purgante medicamento utendum ſit 53
Morbificæ cauſæ quot, quæue ſint 157
Mors ſequitur, ſi cum uirium infirmitate ſit phlegmone in parte principe 841
Motus eſt prioris habitus mutatio ſecundum Galenum 23
Mulier uiro eſt imperfectior, non ſolùm circa genitales partes, ſed etiam ſecundum totum 1
Mulier tanto mare eſt imperfectior quanto frigidior ibidem
Mulier à uiro potißimùm circa genitales partes diſcrepat: & quo modo ibid.
Mulieris imperfectio utilitatem maximam toti humano generi præſtat ibid.
Mulieris frigiditas cauſa eſt (cùm non poßit exactè concoquere, nec ualde diſcutere ac digerere) quare benigni alimenti ſuperfluum aliquod ad fœtus educationem neceſſarium colligant 1
Mulieres nonnunquam etiam nolentes aborſum faciunt 6
Mulieres præter naturam craſſæ non concipiunt 7
in Mulieribus omnes partes quæ uiris inſunt, reperiuntur 1
in Mulieribus genitales partes conditæ ſunt, in uiris autem ſunt extrà ibid.
Muliebre profluuium quid ſit 643. eius ſigna ibid. cauſæ 644. curandi methodus ibidem
Muſculi ueſicæ ceruicem ambientis uſus eſt multiplex 612
Muſto omni quandiu feruet, ineſt dulcedo 1020
Mutatio in corporibus duplex eſt, una lationis, ſecunda alterationis 23

N

NAtiuus calor quomodo conſeruetur 809
Natura hominum duplex eſt 19
Natura primaria eſt humani corporis opifex 18
Natura ægrotis ſanitatem comparat ibid.
Natura plura ſignificat 776
Natura in omnibus auxiliatur, morbos indicat, eorùmque eſt medicatrix 19 & 21
Natura quæ noſtra regit corpora, nihil aliud eſt, quàm calor naturalis 21
Natura eſt uniuerſa ſubſtantia ac temperies, quæ ex primis elementis conſlatur, calido, frigido humido & ſicco 19
Natura omnium artium, ac artificum ad medendum primaria, ac potißima eſt 22
Natura noſtri corporis humida eſt, & calida 33
Natura ex tribus partibus conſtat: ſpiritu, ſubſtantia carnoſa, & ex iis quæ uerè ſolidæ dicuntur 100
Natura humorum cauſa eſt, quare pituita quotidie, flaua bilis tertio, & nigra quarto quoq; die acceßionem pariat 880
Natura putredinis quæ ſecundum Galen. 27
Naturæ noſtræ primæ, ſeu temperamenti tria ſunt quæ ſubſtantiam complectuntur: ſpiritus ſcilicet, ſanguis, & ſeminalis humiditas ex Galeno 20
Naturæ tunc medicus auxiliatur, cùm auxilia in tempore, atque ut decet, ei porrigit atque propinat 23
Naturæ imitator eſt medicus 52
quæ ſecundum Naturã ſunt, moderata dicuntur: quæ uerò præter naturã, immoderata 25
Naturalis caloris uis 809
Naturalis caloris idem eſt motus in horrore, & refrigeratione extremorũ, qui in rigore 864
Naturalis partus quomodo fiat 663
Nauſea quid ſit 444. eius ſigna 445. curatio 447
Neapolitani qua ratione hecticis cibos parent 948
in Neapolitano regno pluribus in locis manna liquida decidere uiſa eſt 996
Neruorum reſolutio quid ſit 230. eius ſigna 232 curatio ibid
Neutra tripliciter dicuntur 135
Nitroſa amaráque quæcunque ſunt, ad purgandos omnes meatus ualent 45 & 819
Nix & pruina idem ferè eſſe uidentur 988
Niuis generatio ibid.
Nothæ febres non compoſitæ ob id quod nothæ ſunt, ſed ſimplices non exquiſitæ 876
circa Nubes quemadmodum propter uaporum ad mediam aëris regionem eleuatorum infrigidationem tria proueniunt corpora, aqua uidelicet, nix, & grando: ita propter eaſdem cauſas in aëris parte inferiori duo corpora generantur, ros & pruina 988
Nutrimentum corporibus iucundum eſt 18
Nyctalope quid ſit 283 & 284. eius cauſa 284 curatio ibidem

O

OBliuio fluidam cerebri ſubſtantiam indicat 83
Obliuio à memoria deperdita quibus conueniat,

quibus item differat 173
Obliuioſi fiunt quibus cerebrū refrigeratur 167
Obliuiſcuntur omnium lethargici uelut amentes 172
Obſcuritas uiſus quid ſit 281. eius cauſæ, & cauſarum ſigna 282. curatio ibid.
Obſcuri morbi qui dicantur 150
Obſeruatio generationis mannæ in fraxinis & ornis 998
Obſtructionis cauſa quæ ſit 812
Obſtructionem uenæ ſectio non curat 815
Occaſio temporis & auxiliorum quantitas ad rectè medendum plurimum confert 791
Occaſio temporis ex febris temporibus ſumitur ibidem
Occaſio temporis ad rectè medendum maximi eſt momenti 52
Oculi ſoli ſuffuſione laborant 155
Oculorum ulcera quomodo fiant 2
Oculos componentium partium numerus 258
Odoratorum ſenſus quo loco fiat 297
Olfactus læſio 297. eius ſigna ibid.
Opera quæ uoluntario fiunt motu, ſunt in duplici differentia 254
Opportunū purgantis medicamenti tempus quo rectè eo uti poſſimus, ſi materia turgeat, confeſtim circa initia 52
Orthopnœa quid ſit 339
Orthopnoici qui dicantur ibid.
Oſcitant crebrò lethargum patientes, & hianti ore aliquandiu perſiſtunt, tanquam claudere id obliti 172
Oxymel in febribus ſummopere prodeſt 44
Oxyſaccharo & oxymelite, uel aqua mulſa in ardentiſsimis febribus utendum eſt 45
Ozænæ quid ſint 299. curatio ibid.

P

Palpitatio quid ſit 395
Palpitatio cordis quid ſit 398. eius ſigna ibid. cauſa ibid. curatio 400
Palpitatio cordis à pulſu quo differat 398
Palpitationis & tremoris conuenientia & differentia 397
Palpitationum ortus ex frigore eſt ibid.
Paralyſis quid 230
Parotides quid ſint 294. earum cauſæ ibid. curatio 295
Particularia tempora quæ 837
Partium ſolidarum triplex ſubſtantia 730
quarum Partium ſiccitas inſtaurari poßit, & quarum minimè ibidem
Partus naturalis quomodo fiat 663
Partus difficultas quid ſit 663. eius cauſæ 665. curatio 666
Pauſaniæ Syri hiſtoria 234
Pectori hominis mammæ cur inhæreant 411
Peripneumonia quid ſit 377. eius ſigna ibidem. cauſæ 378. curatio 379
Peſtis quæ minus periculoſa, & quæ periculoſior 964
Peſtis non à quouis cœli ſtatu, quamuis uehementi & diuturno oritur, ſed alij epidemij ſine peſte 957
Peſtis non eſt ex genere cōmunium morborū qui fiūt ex aëre anni temporibus immutato 956
Peſtis cauſæ 961
Peſtis proprium eſt non ſolùm ut plures perimat ſed ex aëre originem ducat 968
Peſtilens febris ex humorum putredine generatur 969
Peſtilens febris impropriè hectica & diaria dicitur ibid.
Peſtilens febris ob aeris caliditatem immodicam, apud Athenienſes orta eſt 966
Peſtilentes febres cùm fiunt, omnibus accidunt, omnibúſque communes ſunt 965
Peſtilentes febres utrum diariæ fiunt, cùm ſpiritus non putreſcant 970
Peſtilentium febrium curatio 974
Peſtilentium febrium natura eſt duplex 964
è Peſtilentia ſeruati quidam, adeò omnium, quæ antea nouerant, obliti fuerunt, ut non ſolùm ſuos familiares non agnoſcerent, ſed ne ſeipſos quidem 93
Phlegmone ſimiliarium primò, totius inſtrumenti per accidens 825
Phlegmone primò morbus eſt in quātitate, deinde in intemperie ibidem
Phlegmone quid ſit 824
Phrenitis quid ſit 180. eius ſigna 181. curatio 184
Phrenitis duplex & utriuſque exempla 92
Phrenitis quo modo inflammatio dicatur 183
Phrenitici à reliquis delirantibus in quo differant 182
Pica morbus unde dicatur 428
Pica quid ſit 428. eius ſigna ibid. cauſæ ibidem curatio 429
Pili unde originem ducant 72
Pilulæ peſtilentes Ruffi 983
Pituita quid ſit 879
Piſcium uenationes quo modo ab his, qui circa Pontum habitant, fiant 990
Pituita ipſa, ſiue dulcis, ſiue acida fuerit, quibus propriè maturatio tribuitur, ex maturatione craßior redditur 35
Pituita ſalſa in ſanguinis ſubſtantiam redire non ualet 32
Pleuritis quid ſit 356. eius ſigna 357. cauſæ 360 curatio 361
Pleuriticorum pulſus qualis ſit 358
Podagra quid ſit 682. cauſæ ibid. curandi methodus 684
Polypus quid ſit 300. curatio ibid.
Polypo qualia medicamenta conferant 301
Poſitus ipſe affectæ partis eſt indicium 153
Potus frigidæ quibus conditionibus offerendus 805
Prægnās ſi quid aſperum, acre, uel amarum præter conſuetudinē comederit, uel biberit, aborſum facit 6

Præpar

Præparationi ars medica & medicus opitulantur 44

Præſagia ut eueniant, quæ requiruntur 119

Priapiſmus quid ſit 627. cauſa 628. curatio 629

Primus ſcopus, ſeu propoſitum in medendo 753

Principium dimidium eſt totius 697

Principia noſtrorum corporum proxima & alia mediata, ex primis quatuor communibus conſtant 709

Principia quatuor omnium quæ oriuntur & intereunt 707

Principia tria, tres quoque, quæ uitam noſtram gubernant, facultates ſunt in diuerſis corporis ſedibus 82. & ubi ſit uniuſcuiſque ſedes ibid.

Procidentia ani quid ſit, eius cauſa, & curandi ratio 505

Procidentia oculi quid ſit 273

Profluuium alui aborſum facere poteſt 7

Profluuiũ muliebre quid ſit 643. eius ſigna ibid. cauſæ 644. curandi methodus ibidem

Prognoſticæ artis uſus tres 158

Promptitudo intellectus, ſeu ingenium ſubtilem cerebri ſubſtantiam indicat 88

Pruina quid, & eius generatio 988 & 990

Pruina in frigidioribus locis generatur 989

Ptiſana extenuat & incidit, non modò citra calfactionem, uerumetiam abſque exſiccatione 817

Ptiſanæ cremor in immodica febris caliditate maximè utilis eſt 45

Pueri, & qui creſcunt, plurimùm habent innati caloris 710

Pueris aliquando uena ſecanda, & quare 816

Pueris ferè omnibus ob uoracitatem, & ob id, quòd una uentriculi operatio non poteſt duobus ſimul ſufficere, augendo ſcilicet & alendo, multum ſedimenti in urinis excernitur 74

Pulmonis ulcera ſunt ſanatu difficillima 590

Pulmonis exulcerati ſigna 389

Pulſus in diariis febribus qualis 725

Pulſus commune febribus omnibus ex putredine ortis ſignum 899

Pupillæ tabes quid ſit 276

Pupillæ dilatatio quid ſit 274. eius ſigna 275. cauſa ibid. curatio ibidem

Purgatio in primis & ultimis menſibus timenda eſt grauidis 7

Purgationes ſeu medicationes non damus eis, qui corporis ſalubritatem habent 50

Purgationes ægris corporibus ſæpenumero aliquo redundante ſucco, ſeu putreſcente competunt ibidem

Purgantia medicamenta quare dicantur ibid.

Purgantia medicamenta ut plurimum potentia calida ſunt, febrémque augent 53

Purgãtia medicamenta, quoad fieri ualet, eligenda ſunt quæ malæ qualitatis ſint expertia 51

Pus unde gignitur 28 & 76

Puſtula quid ſint 271

Putredo quid ſit 809 & 879

Putredinis in parte una citra phlegmonem curatio 824. cum phlegmone ibid.

Putredinis imbibitio, manente tamen humorum ſubſtantia, non niſi dupliciter fieri poteſt 29

Putredinis genus triplex 75

Putredinis cauſa efficiens, materialis, augens 82

Putredinis cauſæ adhuc permanentes per contraria tolluntur 811

Putredinem humorum duorum generum eſſe Galenus aſſerit 28

Putredinem imbibere debet, qui febrem curare uolet 27 & 29

Putrefactio quid 27 & 960

Putrida febris quomodo generetur 109

Putridus aër ſi ſolidas cordis partes occupauit, neque uenæ ſectione, neque purgatione utendum 978

Q.

QValitas alimenti morbo ſit contraria, ſimilis ſolidorum corporum temperaturæ 816

Qualitas caloris maximum ſignum humoris febrem facientis 892

Qualitas febrilis caloris non ſimplex eſt 705

Qualitas medicamenti pro ratione redundantis ſucci eligenda eſt 50

Qualitas nulla ſine ſubſtantia inueniri poteſt 25

Qualitates contrariæ plures, pluréſque formæ in mixto repertri poſſunt 715

Qualitates contrarias opponere debemus his, quæ præter naturam inualuerunt 50

Qualis fuerit eius natura, qui debet perferre purgationem, ad hoc ducere conuenit: & interdum uſque ad animi defectionem, ſi æger tolerare poſſit 51

Quantitas auxiliorũ ad rectè medendum plurimum confert 791

Quantitas bona purgantis medicamenti, ſi coniectura uiribus accommodetur, magni momenti eſt 51

Quantitas cibi unde petatur 831

Quantitas cibi quid ſit 832

Quantitas cibi & potus in peſte tanta exhiberi debet, quantam uires exigunt, ut ex ea ſeruari poſſint, uſque ad morbi ſummum uigorem 976

Quantitas cibi quandoque pro copia, quandoque pro forma, ſeu ſpecie apud Hippocratem & Galenum ſumitur 832

Quantitas morbi ac uirium conſideranda eſt ei, qui de morbo prædicere uelit 904

Quantitatem cibi coïndicantia 832

Quartanæ exquiſitæ ſpecies multæ 921

Quartanæ exquiſitæ cauſa 922. dignotio 923. prognoſtica 924. curatio 925

Quartanæ non exquiſitæ curatio 929

Quies, & calfactio moderata ad concoctionem perducunt 34

Quintanorũ & ſeptimanorum circuituum cauſa 882
Quo modo, & quibus à peſtilentia quis preſeruari poßit 981
Quotidiana febris incipit ab extremorum frigefactione, atque horrore, potiùs quàm rigore 930
Quotidianæ febris ſigna 932. *prognoſtica* 933. *curatio* 934

R

R*Ationem uiſtus non indicant, ſed coindicant ætas, conſuetudo &c.* 95
Rationalis facultatis ſedes eſt in cerebro 83. 87
Ratiocinandi functio lædi poteſt, imaginandi, & memorandi facultatibus illæſis permanentibus 94
Ratiocinatricis animæ qualiſcunque ſit ſubſtantia, ſiue corporea, ſiue incorporea, eius habitaculum eſt in ipſo cerebri corpore 84
Refrigeratio quid 864
Refrigerantia citra adſtrictionẽ in hecticis 800
Refrigerantia quibus partibus admouenda ibid.
Regionales morbi qui ſint 952
Renes ipſi non ſolùm purgant uenas ab excremento ſimul cũ tenuiori ſangiũne ipſum attrahentes, ſed arterias quoque 68
Renum calculi generatio 589
Renum exulceratio quomodo fiat 599. *cauſæ.* 600. *curatio* ibid.
Renum inflammationis ſigna 596. *cauſæ* 597. *curatio* ibidem
Renum lapis quomodo fiat 587
Rerum habenda eſt ratio in artibus rationalibus, & non de nominibus diſceptandum 749
Reſolutio neruorum quid ſit 230. *eius ſigna* 232 *curatio* ibidem
in Reſolutione neruorum cur interim motus, interdum ſenſus duntaxat, quandoque ambo pereant 230
Reſpiratio quis ac qualis motus ſit 254
Reſpiratio inter alias omnes functiones maximè eſt neceſſaria 255
Rigor quid ſit 864
Rimæ quid ſint 502. *eorum curatio* 503
Robur uirium febris acceßiones breuiores facit 110
Ros & pruina in quibus conueniunt, & in quibus diſcrepant 989
Ros & pluuia idem ſunt 988
Ros in temperie ac temperatis locis magis quàm pruina generatur 989
Roris generatio 988. 989
Rubra ſputa ſanguinis exuperantis ſunt indicia 887

S

S*Acra res eſt conſilium, ſecundum Platonem* 987
Salubre corpus quomodo dicatur 531
Sanguis aliquando putreſcere poteſt 884
Sanguis cùm putreſcit, bilioſus fit, non ſtatim bilis 888
Sanguis duplex 857
Sanguis interdum putreſcẽs ſub eius forma permanere poterit, ita ut non confeſtim in alteram humoris naturam tranſeat 887
Sanguis non æqualiter ſecundum omnes ſui partes putreſcit 885
Sanguis ſyncerus in animalium corpore non reperitur 708 & 857
Sanguinis ex uena mißio, aborſus cauſa eſt 7. & 10
Sanguinis mißio duos habet præcipuos ſcopos 8
Sanguinis mißio facienda pro præſeruatione aborſus, dupliciter intelligi poteſt ibidem
Sanguinis mißio utero gerentibus pro præſeruatione aborſus, fluente, uel non fluente ex uterinaſis quibuſlibet ſanguine multo, aut exiguo, in primis, uel in medijs, ſeu in ultimis menſibus nullo pacto eſt facienda 9. & 11
Sanguinis mißionem tutius iterare, quàm uſque ad animi deliquium educere 814. & 815
Sanguinis quãtitas tanta à fœtu ipſo attrahitur, quanta indiget pro eius nutrimento ac augmento 12
Sanguinis quodlibet profluuium uni ex tribus cauſis tribuitur 302
Sanguinis renum profluuium 584. *ſigna* 585. *curatio* 586
Sanguinea febris quamuis ſit maxima, non propterea erit ardens 892
Sanies eſt tenue illud excrementum, quod in cauis ulceribus ſemper colligitur 68
ſi quis Sanus adhuc exiſtens in ſanguinis redundantis concurſu ſit poſitus, non ſtatim huic mitti ſanguinem eſt neceſſe 12
Sanis in corporibus urina nullo pacto ſedimentum habebit, ſi tenuiter uiuitur: copioſum uero ſi largius: exiguum autem, ſi modicè 69
Sanitas duplex 130
Sanitas ex temperatura elementorum in humano corpore efficitur 17
Sanitatis in ratione nemo eſt magis quàm athleta miſer 142
Sanitatis uniuerſa latitudo in tres partes diuiditur 134
Sarmenta quæ dicantur 105
Satyriaſis quid ſit 628 *eius curatio* 629
Scirrhus quid ſit 547. *eius cauſæ* 548 *curatio* 549
Scopo ex communißimo, qui eſt contrarietas, qui alij oriantur 756
Secunda quid ſit 669 *unde nomen ſumpſerit* ibid. *ſi derelicta ſit curatio* ibid.
Sedimentum in corporibus ſanis quid 70 *eius generatio* ibid.
Sedimentum in ægris corporibus quid 75
Sedimentũ habet urina copioſum, quoties morbus ex humoribus crudis fatiget: nullum, aut certè minimum quoties ex bilioſis 69

Sedimen

Sedimentorum in urinis notitia medicis eſt ſummopere neceſſaria 66
Segregatio abſque ualido calore peragi nequit 43
Seleucides aues in Aſia locuſtas iugiter edunt, eáſque celeriter excernunt 425
Semen,ſeu fœtus in primis menſibus, optimum ac ſyncerum ſanguinem ex uenis matris allicit atque attrahit, non uitioſum ſeu excrementoſum 12
Seminis & ſanguinis menſtrui temperatura 709
Seminis parua in uterum moles deiicitur, idque nutritur & amplificatur ex ſanguine 19
Seminis profluuium quid ſit 623. eius cauſæ 624 curatio 625
Semitertiana ex continuis eſt ſemper 941
Semitertiana febris unde dicta 928. eius curatio 945
ea ib us & pueris, cur ſanguis non detrahendus 815
Senſus fit ex alteratione, ac alterationis dignotione 202
Serenitate & tranquillitate opus eſt, ut ros & pruina fiant 989
Siccitas quibus corrigenda 801
Siccitates noſtris in corporibus ſunt quatuor 733
Signa febrium ex putredine ortarum 727
Singultus quid ſit 439. eius curatio 442
Singultus à uomitu quibus differat 440
Sitis immoderata unde 436. eius cauſæ ibidem curatio 438
Situs & pruinæ differentia ex Ariſtotele 990
Somnus à balneo ea quæ concoqui poſſunt maximè concoquit 34
Somnus in febribus tertianis initio acceßionis uitandus 913
Sonitus aurium quid ſit 290
Splenici qui propriè dicantur 563
Spirandi difficultas quot modis fiunatur 338
eius differentiæ tres ibid.
Spiritus animalis in ipſo cerebri corpore continetur 85
Spiritus eſt quoddam corpus calidum, tenuißimæ ac leuißimæ ſubſtantiæ, ex aëre & tenuißima, leuißima ac ſynceriſsima parte ſanguinis ſeu ſeminis genitum 99
Spiritus uitalis eſt, qui in corde & arteriis continetur 100
Sputi cruenti ex uaſorum exeſione curatio 353
Sputa pallida ſi fuerint, bilis exuperantis ſunt indicia 887
Sputio cruenta quid ſit 244. eius curatio 347
Statum in priſtinum qui rediturus eſt, is eadem uia, unde digreſſus eſt, reuertatur 26
Sterilitas quid ſit 657. eius ſigna 658. *curatio* 658
Stillicidium urinæ quid ſit 603. cauſa 604. *curatio* 605
Stomachi ſupinitas unde 444
Stomachi, uel uentriculi inflammatio unde fiat, eius ſigna, cauſæ, curatio 451. *per totum cap.*
Strangulatio uteri quid ſit 646. ſigna 647. cauſæ 648. curatio 650
Stultitia eſt intellectus ſeu diſcurſus amißio 95
Stupor quid ſit 212
Sudor quomodo efficiatur 68
Sudoris & urinæ eadem eſt materia ibid.
Suffuſio quid ſit. 278. eius ſigna ibi. curatio 280
Suffuſionis differentiæ plures 278
Sugillatio quid ſit 267. eius ſigna 268. curatio ibidem
Suppreßio menſium quid ſit 634. eius cauſæ 635. curatio 636
Suppreßio urinæ quid ſit 608 eius cauſæ 609 *curatio* 611
Suppuratio quot modis dicatur 381
Suppuratio propriè dicta quid ſit 382. eius ſigna ibid. cauſæ 383. curatio 385
Surdaſtri qui dicantur 292
Surditas quid ſit ibid.
Symptomata ſi aliquod grauius cum febre ex putredine copuletur, quid agendum 851
Syncope quid ſignificet 402
Syncope quid ſit 403. eius cauſæ 405. curatio 406
Syncope quibus à lipothymia, ſeu lipopſychia differat 403
in Syncope quare dolores frigidi eueniant 404
Synochus ex ſanguine minùs acutus eſt, quàm continens ex bile, & quare 894
Synochorum differentiæ tres 867
Synocham febrem ex bile ortam clara luce fatetur Galenus 869

T

Tabes pupillæ quid ſit 276. eius ſigna ibid. cauſæ ibid. curatio 277
Tabes pulmonis quid 388. eius ſigna 389. cauſæ 390 curatio 391
Tabes ſiue maraſmus quando fit 734. incipiens ibid. increſcens 735
Tabis ſpecies tres 387
in Tabem incidunt maximè iuuenes 391
Tabe laboranti profluuium alui ſuperueniens, lethale eſt ibid.
Tabida febris, non tantùm ſicca, ſed etiam calida paßio eſt 741
Tabidorum pulſus languidus eſt ac paruus propter facultatis imbecillitatem 390
Tarditas intellectus craſſam cerebri ſubſtantiam indicat 88
Temperamenta ſingulorum perfectè dignoſci uix poſſunt 774
ex Temperamenti diuiſione oriuntur ſcopi 775
à Temperamento partis ſumitur indicatio, ut ipſum conſeruetur 829
Temperatura eorum auxiliorum, quæ naturam in maturationibus iuuant, commoderata, ac ſimilis ei corpori, cui admouetur, eſſe debet 33

Tempeſtas humida calidáque, & pluuia quare ſit peſtilens 359
Tempus ante acceßionem non indicat cibum dandum eſſe, ſed non prohibet 839
Temporis occaſio ad rectè medendum plurimum confert 52
Tempora acceßionis & intermißionis non indicant cibandi tempus 795
Temporum differentiæ duæ à medicis ſpectantur 791
Tenibricoſa uertigo 238. quomodo ab epilepſia diſcernatur 239
Teneſmus quid ſit 492. eius ſigna ibidem. cauſæ 493. curatio ibid.
Tenuis quilibet ſuccus crudus eſt 37
Tenues præter naturam exiſtentes quæ utero gerunt neceſſariò aborſum faciunt . 7
Tenues ac bilioſi ſi fuerint humores, inter initia euacuandi ſunt 61
Terra Armenia in febre peſtilenti maximè commendatur 978
In Terra ipſa eſt etiam quædam humiditas 960
Tertiana febris duplex eſt, exquiſita tertiana ſimpliciter, & producta 110
Tertiana febris acutus eſt morbus 116
Tertiana, & febris ardens inter cæteras febres ſunt bilioſißimæ 120
Tertiana mixta cum atra bile, minus eſt formidanda, quàm cum pituita 917
Tertiana pura, eſt acuta propter ſubtilitatem materiei: & eius caliditas eſt magna mordicatiua propter fortitudinem choleræ 121
Tertianæ duplicis ac triplicis curatio 915
Tertianæ plurimùm extenſæ ſigna 916
Tertianæ puræ ſigna 910
Theriaca à Galeno in peſtilenti febre commendatur 979
Theriaca uera hodie uix reperitur 979
Theriaca non à ſe propellendo, ſed ad ſe trahendo uenenum uacuat 980
Thoracis exulcerati ſigna 389
Thymi quid ſint 503. unde dicti ibid.
Topica remedia quando intempeſtiua 821
Tophi quomodo fiant 691. eorum curatio ibid.
Tormina quæ dicantur 481
Tranſpiratio prohibita quæ cauſa eſt putredinis humorum ex qua febris, fit ab obſtructione 812
Tranſpirationis prohibitæ cauſæ uariæ 812
Troilus Spes uinaceorum uſu in podagra maximè ſubleuatus 1024
Turba hominum, quantum fieri poteſt, ingredi domum prohibeatur in peſte 975
Turgentes humores ante concoctionem euacuare iußit Hippocrates 39
Turgentes humores medicamento purgante ſunt mox à principio educendi, ſi natura eos foras propellere non ualeat 52
Tus & myrrha ſub Cane colliguntur 1005
Tußis ex deſtillatione ortæ curatio 336
Tußis ſub qua differentia contineatur 331
Tußium genera duo 332
Tußim ſedat manna, quæ ſuper tamariſcum cecidit 991
Tympanites quid ſit 571. eius ſigna ibidem. curatio 578

V

VAcuatio eſt multiplex 810. 826
Vacuatio per accidens refrigerat 824
Vacuantia citra calfactionem & exſiccationem medico eligenda ſunt 810
Vapores ex quibus generatur manna concreta, non eo indigent frigore, pro eorum concretione, quo nix & pruina, ſed minori: & quare 990
Venæ ſectio in peſtilenti febre quando, & quomodo fieri debeat 976. & ſequent.
Venæ ſectio omnibus febribus putridis competit 821
Venæ ſectionem non ob multitudinem ſanguinis uacuandam facimus, ſed ut materiam quaſi per riuos transferamus 487
Venæ ſectio nec obſtructionem, nec putredinem curat 815
Venæ ſectio iterari poteſt in plethora ſimplici ibidem
Venæ ſectionis loco quandoque purgatione utimur ibidem
Venarum & arteriarum tale eſt excrementum, quale in lacte concreto ſerum 72
Venis quæ ad uentriculum, & uniuerſa inteſtina pertinent, ineſt facultas quædam ſanguinis effectrix, quæ ſuccum, qui ex cibis diſtribuitur, eiſdem in ſanguinem mutare naturale eſt 7
Venenum omne deleterium à foris impoſitis medicamentis uacuetur 980
Ventriculi inflatio quid ſit 457. eius cauſæ 458. curatio 459
Ventriculi inflammatio unde procedat, eius ſigna, cauſæ, curatio 451. & ſequentibus per totum cap.
Ventriculi poſtremi cerebri uulneratio maximè omnium animal lædit 85
Vermis miræ longitudinis quem mulier quædam euacuatione proiecit 431
Vertigo quid 238. eius cauſa 239. curatio 240
Ver quomodo calidum & humidum intelligatur 953
Veſicæ calculo laborantis ſigna 615. curatio 617
Veſicæ exulceratæ ſigna 620
Veſicæ inflammatæ ſigna 618
Victus ſpecies permultæ 834
Victus rationem à duobus ſcopis ſumunt Galenus & Hippocrates ibid.
Vini potus modicè calfacientis ad concoctionem perducit 34 & 49
Vini potus modicè calfacientis ad pituitæ tum dulcis, tum acidæ concoctionem perficiendam maximè prodeſt 42
Vinacei qui dicantur 1015. 1017, unde fiant ibidem

Vinacei omnibus utiles ſunt 1023
Vinacei etiam ſi torculari nuæ admodum expreſſæ fuerint, uini tamen proprietates retinent 1016
Vinaceorum uniuerſa ſubſtantia frigida eſt, & ſicca, atque adſtringendi uim habet 1019
Vinaceorum uſus 1025
Vinaceorum uſu à graui morbo liberatus fuit author 1024
Vinaceis ſi quis utatur ab initio, calculus in ipſo nunquam generabitur 1026
Viperam ueram ſuis cum conditionibus nunquam uidere potuit author 979
Vir quare muliere eſt perfectior 1
Viri à mulieribus potißimùm circa genitales partes diſcrepant ibidem
Vires inter curatorios ſcopos non ſunt 770
Vires ex quibus dignoſcantur 159
Vires etſi contrario modo indicent, nõ propterea ad curationem non conferunt 784
Vires in febribus cõſiderandæ, & quo modo 798
Vires quando contrario modo indicant 784
Vires quando remediorum uſum impediunt 785
Vires ſeruantur uitæ cuſtodiæ cauſa 781
Vires ſi fuerint imbecilliores, ſanguis mittendus non eſt, ſed deiectio mediocris adhibenda 64
Virium propria conſeruatio 831
Virium robur febris acceßiones breuiores facit, imbecillitas longiores 110
Viſceribus eſt etiam ſua caro 541
Vita quid ſit 830
Vlcus cauum ſemper exſiccantia, ac purgantia medicamenta deſiderat, & quare 72
Vmbilicus quid 3
Vniuerſalis methodus ſine exercitatione multa, in ſingularibus artificem bonum efficere non poteſt 149
Volulus, ſeu ileus unde nomen ſumpſerit 514
Vomitus quid ſit 444. eius cauſæ 448. curatio 447
Vomitus ſanguinis curatio 350
Vrina optima eſt, non ſolùm ſi ſedimentum habeat candidum & leue, ſed ſi æquale ſit per omne tempus, dum morbus indicatur 78
Vrina eſt ſerum humorum in uenis contentorum 66. quomodo generetur ibidem
Vrina cruda qua ratione concoqui dicatur 32
Vrina cruda quæ 729
Vrina in febribus diariis qualis 726
Vrina ut excrementum accruatur in uenis & arteriis 66
Vrinæ ſtillicidium quid ſit 603. *cauſæ* 604. *curatio* 605
Vrinæ difficultas quid ſit 606. *eius cauſæ* ibidem *curatio* 607
Vrinæ incontinentia quid ſit 613. *cauſæ* 614 *curatio*
Vrinæ redditio nec naturale opus eſt, nec animale, ſed ex utrique mixtum 613
Vrinæ ſuppreßio quid ſit 608. *cauſæ* 609. *curatio* 611
Vrinæ ſemper inſpiciendæ ſunt in uentris, thoracis, pulmonis ac neruorum affectibus 68
Vrinæ quæ probè innatant, quanto inferius ſubſident, tanto magis laudantur 70
Vrinaculum quid 3
Vterus non alio pacto inſurgit ad fœtus excretionem, quàm expultricis facultatis officio, tam in naturali partu, quàm in abortu 8
Vteri aſperitas ad ſeminis retentionem utilis eſt 2
Vteri exulcerati ſigna 673. *cauſæ* 674 *curatio* ibidem
Vteri inflammati ſigna 670. *cauſæ* 671. *curatio* ibidem
Vteri in mulieribus deſcriptio 1
Vteri procidentia quid ſit, eius ſigna cauſæ, & curatio 652. per totum cap.
Vteri ſtrangulatio quid ſit 646. ſigna 647. cauſæ 648. curatio 650
Vteri triplex offenſio 6
Vuæ auſteræ ſi ſuſpenſæ diutius fuerint, dulciores redduntur 1017
Vuæ quibus exiguus eſt ſuccus, magis nutriunt: quibus autem uberior, minùs quidem nutriũt, ſed promptius ſubſident 1019
Vuarum differentia multiplex 1017
Vuis à ſolari calore dulcedo prouenit, & fructibus omnibus maturatio 1020

X

Xenocrates de aurium ſordibus deuorandis ſcripſit 789
Xenophontis milites cùm per multã niuem iter feciſſent, oculis læſi fuerunt 261

F I N I S.

DONATI ANTONII ALTIMARI DE VTERO GERENTIBVS.

CAPVT I.

QVANTVM ad primum, animaduertendum
eſt quòd licet homo inter omnia animalia ſit per-
fectiſsimus, & in eo ipſo rurſus vir muliere per-
fectior, (cuius perfectionis cauſa, vt dicebat A-
riſtotel. primo de Generatione animalium cap. 2.
& Galenus 14. de Vſu partium cap. 6. eſt caloris
exuberantia) tamen omnes partes quæ viris in-
ſunt, in mulieribus reperiuntur. In vno tantùm
potiſsimùm, circa genitales partes diſcrepant: eò
quòd in mulieribus hæ partes intus conditæ ſunt,
in viris autem ſunt extrá. Nimirum ergo ſi mulier tanto eſt mare imperfectior
quanto frigidior, non ſolum ſecundum genitales partes, ſed etiam ſecundum
rotum. Quæ imperfectio vtilitatem non aſpernendam toti humano generi pręſ-
ſtitit: fœtus enim dum vtero gerunt, non modò pro ſui prima conſtitutione ma-
teriam poſtulabat copioſam, verumetiam ad eius incrementum. At ſi calidiſsi-
ma fuiſſet fœmina, tale alimentum præſtare non potuiſſet: nunc verò frigidior
cùm ſit, ne concoquere quidem exactè poteſt, nec valde diſcutere ac digerere:
ſequitur vt propter earum frigidam intemperiem benigni alimenti ſuperfluum
aliquod colligant. Quod alimentum dum in ætate florenti ſunt, tanquam ſuper-
fluum ſecernendo ab omnibus venis, per earum quaſdam tranſmiſſum ad vte-
rúm, ſingulis menſibus, cùm prægnantes non fuerint, expellitur. Tempore ve-
rò impraegnationis ea excrementa ad fœtus educationem ſunt accommodata,
cùm primæ fœturæ conſtitutio humidior ac frigidior extiterit, vt dicebat Gale-
nus libro ſecundo de Semine. Nec mirum ſi redundans iſte ſanguis, antequam *cap. 5.*
concipiànt, ad genitales partes ab omnibus earum partibus expellatur, cum hæ
omnium ſint imbecillimæ ac infirmiſsimę, vt inquit idem Galenus citato lib. 2.
de Semine. Mittuntur nanque menſes in eas venas, quæ in vtero committuntur, *cap. eo.*
nihil conferente ad eorum delationem ipſo vtero, vt liquet quinto de Simpli-
cium medicamentorum facultatibus. Hac ergo de cauſa concipiendi inſtru- *cap. 22*
menta in mulieribus intus formata ſunt. eſt enim vterus inſtrumentum commo-
dum, tum ad ipſius mulieris, tum ad viri ſemen recipiendum, cùm ſit eius fa-
miliariſsimus ſuccus, vt ait idem Galenus decimoquarto de Vſu partium. ipſúm- *cap. 11*
que ex duabus tunicis compoſitum. Quarum exterior neruoſa eſt, interior verò
venoſa, vt & diſtendi & contrahi facile poſsit. exterior ſimplex atque vna, in-
terior verò duplex, vt patet libro de Diſſectione vteri. ſatíſque aſpera ipſa in- *cap. 6*
terior, & præcipuè ad eius fundum, multíſque ramis venarum ac arteriarum
intercepta, à lateribus proceſſus quoſdam mammillares habens ad vtraque ilia.
Quos quidam cornua nuncupant, reſtéſque ſeminarios meatus agnatos habent
adiacentes ad fundum eius in vtroque latere vtrinque alterum iuxta cornuá. Ad
quam à caua vena, & à ſibi adiuncta arteria magna, paulò infra eas, quæ ad renes

tendunt duæ venæ, & totidem arteriæ deferuntur: quarum altera à dextris ad dexteram, altera à ſiniſtris ad ſiniſtram vteri partem committitur: &, priuſquam in ipſam ingrediantur, ramulum quendam ad teſtes porrigunt, deinde corpori ipſius vteri vtraque vnita ipſum intexunt nonnullis ramis venarum, & arteriarum ab ipſis ortis (vt ſuprà diximus.) Eius autem vteri ceruix muſculoſa cum ſit, carne dura, & cartilaginea conſtat, quo medio mulier menſes expurgat, maris

14. de Vſu part. ca. 3. lib. de diſſect. uteri cap. 7

genituram recipit, & fœtus in lucem egreditur (vt dicebat Gale. 14. de Vſu partium, & lib. de Diſſectione vteri.) in qua ceruice ſunt aliæ quædam venæ, & arteriæ, quæ ipſam contexunt, ac nutritur eo ſanguine, qui per dictas venas per ipſam trahitur: diſciſſæ ſiquidem dictæ venæ ſunt ab eis, quæ ad ſedem tendunt apud os ſacrum, cum quibus ſimul quoddam neruorũ iugum extenditur, ac diuiditur, ex eodem loco proficiſcens, ac per eandem viam ſimul ductum. Quorum neruorum craſsicies pro eorum vſu menſurata eſt: cuiuſque ceruicis extremitate vterus cunno committitur medus quibuſdam tenuibus fibris, recto inteſtino, & veſicæ annectitur, ſacro item oſsi alligatur, firmis quibuſdam vinculis, & lumborum vertebris. Verùm hæc vincula laxa ſunt omnia, vt latè moueri, & transformari poſsit. Et quoniam non ſolum intra eum vterum ipſum ſemen in coitibus attrahere oportebat, verùm etiam retinere eo tempore, quo mulier vtero gerit, nec non excernere, cum fœtus fuerit perfectus: ob eam cauſam genus omne fibrarum natura ipſi molita eſt, fibris quidem rectis ad ſeſe attrahens, tranſuerſis ex-

14. de Vſu part. cap. ult.

cernens, omnibuſque ſimul retinens, vt dicebat Gale. libro 14. de Vſu partium. circa fin. Hæc quantum ad vteri conſtitutionem, & eius naturalem cum vicinis partibus conſenſum. Eum autem, quem habet cum aliis remotis, tum principalibus membris, breuitatis cauſa relinquo.

CAPVT II.

QVo verò ad id, quod ſecundò promiſimus, relicta opinione Ariſtot. 2. lib. de Generat. animal. quæ fortaſſe ab aliquibus fuit malè intellecta, quia nunc cum medicis verba facimus: conabimur eorum ſententiam proſequi, & potiſsimum Hippoc. & Gale. Qua de re ſciẽdum eſt quòd cùm fœmina conceptura eſt, (id verò eo tempore fieri conſentaneũ eſt, quo vel incipiunt, vel ceſſant menſes: cùm reliquo toto tempore, quo menſes expurgantur, concipere nullo modo poſsit) quoniam ſemen nequeat in vulua remanere, ſed à copia influentis ſanguinis eiicitur. Dico ergo, quod & eo tempore, ſcilicet cum menſtruum non multum, ſed paucum effluit: vaſa vteri, quæ interiorẽ eius partem penetrant, ex quibus menſes expurgantur, ora aperta habent. Et cùm eo tempore ſemen à viro, ſimulque & ab ipſa fœmina in vterum mittatur, ob eius vteri aſperitatẽ ipſi vterò adhæret: ſatiſque alimenti ex paucitate confluentis ſanguinis habet. Qua de re, antequam menſes veniant, cõceptus fieri non valet: tum quia ſemen viri alimento caret, tum quia adhærentiã nullam inuenit. immo cum lenis inueniatur vterus, defluit ſemẽ ipſum: aſpera ſiquidem magis idonea ſunt ad

Lib. de diſſec. uteri cap. ult.

coaleſcendum quàm lenia (vt dicebat Gal. lib. de Diſſect. vteri.) Continuò igitur ſibi permanente ſemine tẽpore, quo ab vtero trahitur, cum ab omnibus eius partibus tanquã familiariſsimus ſuccus ſimili modo appetatur (vt idem fatetur. Gal.

14. de Vſu part. cap. 11. 1. de Semi. ca. 4.

14. de Vſu partiũ, & lib. 1. de Semine.) extenditur demũ, ac dilatatur, poſtmodum ſui lentitia, ac craſsitia, calidorumque corporũ adhæſione facilè aſſequitur, vt ſtatim tota eius exterior pars quæ vterum attingit, in membranã concreſcat. Quæ membrana ab ipſo vtero velut fruſtulum quoddam à ferreo inſtrumẽto ſeparata eſt: & tantum ea in parte, qua maxime aſperata eſt vteri tunica (hoc verò eſt in vaſorum orificiis) connexa conſpicitur, non ſecus quàm videre eſt à dulciariis piſtoribus, qui cum ſupra quoddam inſtrumentum calidum ac latũ, liquidam aliquantulum pultem proiiciunt: efficiunt placentas, ſeu cruſtulas: ita natura ex ſemine intra vterum proiecto, & extenſo membranam obducit: qualem dulciarius

1. de Semine cap. 4

piſtor extra ex pulte cruſtulam, vetulámve perficit, vt volebat Gale. lib. 1. de Semine. Quodcunque igitur huiuſmodi vaſorum orificia ſemen attigerit, ſtatim

alimentum per illa ad ſeſe trahit,membrana ea in parte (vtputa quæ recens ac
tenera adhuc ſit) patefacto eius foramine,aditũ præbente. Quod quidem fora-
men poſtea temporis proceſſu vas efficitur,vteri venis coalitum ac ſimile. Hanc
membranam Græci chorion appellant,Latini verò ſecundas: per quam mẽbra-
nam arteriæ & venæ penetrantes,materias ex vtero ad fœtum tranſmittunt.Re-
liquum autẽ ſeminis omnes facultates ac vires naturales inſitas habet: attrahen-
tem vnam,qua ſibi accommodata ac familiaria trahit:retentiuam ac immutati-
uam,qua ſibi cibum præparat:alteram verò expultricem,qua aliena & ſuperua-
cua excernit:materias autem proprias,quas attrahit ab vtero,habet,ſanguinẽ vi-
delicet & ſpiritum per orificia ſupradicta,quibus cõnexum eſt.Simul enim & ea,
quæ ab vtero mandantur,per vaſa attrahuntur,& membrana ipſa magis ac ma-
gis indureſcit,donec ad perfectam duriciem venerit, continuatúrque tota cir-
cumcirca,ipſum ſemen comprehendens. Solæ tamen (vt dictum eſt) illæ partes
perforatæ relinquuntur,per quas materierũ fit tranſmiſsio. Nam reliquus chorij
ſinus interiorem partem vteri ſubſternit ac tangit ſolummodo,ſine vlla coniun-
ctione.inde ergo (vt diximus) orta ipſius chorij vaſa chorium ipſum intexũt ac
inter ſeſe miſcentur & coaleſcunt quadam tenui mẽbrana connexa. cuius coale-
ſcentię modus eſt,velut ſi conſiderabis multas ac tenues arboris radices,binas,&
ternas inter ſeſe vniri,ac coniungi,vt ex his aliæ quædam maiores magnitudine,
ſed numero pauciores oriantur,atque hæ alias procreent: & hoc tantiſper fieri,
quoad in vnum coniunctæ,omnes ad ſummam ſuperficiem terrę eam in partem
arboris deſinant,quæ truncus vocatur: ita hæc vaſa chorij velut radices multæ
atque exiles inter ſe coaleſcunt,& vnitæ,maiores,quàm prius erant,euadunt, nu-
mero tamen pauciores:demum ſic maiores effectæ,vniuerſæ in duos quaſi trun-
cos in venas videlicet venæ,in arterias arteriæ terminantur,ex vtraque parte tam
dextra, quàm ſiniſtra circa vmbilicum fœtum ingredientes. Nihil enim aliud
eſt vmbilicus,niſi hæc quatuor vaſa,duæ ſcilicet venæ,& totidem arteriæ, in me-
dio vrinaculum habentia.Qui meatus in fundo veſicæ infantis exortus, à Me-
dicis vrinaculum nuncupatur: per quem lotium in tunicam aliam inteſtinalem
dictam deriuat (vt infra dicemus.) Ex quibus patet partem nullam ipſius fœtus
priùs poſſe exiſtere,quàm ea,quæ in chorio ſunt, vaſa, in quatuor antedicta ca-
pita coiuerint:cùm ſingula fœtus membra tum ad eorum generationem,tum ad
reliquam omnem diſpenſationem, idoneo egeant alimento. Quod alimentum
nullum aliud magis pro fœtu reperitur idoneum quàm quod à fœtante ſuppedi-
tatur,ſanguis videlicet ex quatuor humoribus conſtans. Quamuis à dominio ſic
appelletur,vt teſtatur Galenus libro octauo de Hippocratis & Platonis decretis. *8.de plac.Hippoc. & Plat. cap. 4*
Relinquitur ergo,quòd nullo pacto fieri poteſt vt aliquod membrum in ipſo fœ-
tu abſque ſubſtantia ſanguinea gignatur:vt idem Galenus inquit lib.de Fœtuum
formatione.& libro primo de Natura humana. Quæ generatio (vt idem Gale. *Lib. de fœtuũ form.cap.2*
dicebat primo de Naturalibus facultatibus) non eſt ſimplex vna quædam natu-
ræ operatio:ſed ex alteratione conſtat & formatione. cùm primum autem inci- *1. de Nat.hu. com.18.& 27*
pit ipſum animal gigni media alteratione & formatione, id, quod primò ſemen
erat,natura efficitur:vt dicebat Galen.2.de Naturalibus facultatibus. Nam licet *1.de Nat.facult. cap.6*
huiuſmodi facultates ſint in ipſomet ſemine, tamen propter materiæ defectum *2. de Nat.facul. cap.3*
erant otioſæ. Verùm cùm primùm materiam attingit,circa ipſam operatur: non
ab ipſa materia operationem ſumens, ſed circa ipſam manifeſtans operationem
ſuam: & quandiu ipſa materia indigeret, eius ſeminis facultates eſſent otioſæ.
Propter quod Gale.in præcitato lib.ſecundo de Naturalibus facultatibus,ſemen *Lib. & cap. eodem.*
ipſum Phidiæ artifici aſsimilauit: ſanguinem autem ceræ: quamuis huiuſmodi
operationes, ſicut & omnes aliæ, ab ipſa natura perficiantur abſque ratione &
intellectu,vt volebat ipſemet Gal.de intentione Hippoc.lib.6.de locis affectis. &
lib.de Fœtuum formatione circa finẽ. Supradicta ergo quatuor vaſa,duę ſcilicet *6.de locis affect. ca.6.lib. de form.fœt. cap.ult.*
venæ & duæ arteriæ,non tamen inter ſe cõmixtæ,ſed venis ſemper cum venis,
atque arteriis cum arteriis coëuntibus, per ſolum vmbilicũ,& per nullam aliam

partē,fœtui inſeruntur:venæ quidem ſtatim cùm vmbilicū ſuperarunt,in ſe mutuo coëunt,vnaque efficitur:quæ ſic progrediens ad hepatis ſimam inſeritur, demum illinc tanquā à venarum principio ad omnes partes diſtribuitur : ipſæ verò arteriæ in partem magnæ arteriæ,quæ eſt ad lumbos,per fundum veſicæ adhæreſcēs,ac per totam ipſam velut per deſcenſum quendam,quouſque ad arteriam perueniant magnā, quæ eſt ad lumbos (vt diximus) ibique inſeruntur. Cur verò venæ ſtatim in vmbilico in vnum ſint redactæ,arteriç verò longo itinere permaneant duæ, Gal.15.de Vſu part. optimè declarat: ego autem breuitatis cauſa relinquo. Proinus ergo natura vtrūque vaſorum iugum loco opportuno collocauit, per quæ,velut per quoſdam truncos,fœtus ex matrice materias trahit, ſanguinē videlicet & ſpiritum: medus tamen velut radicibus vaſis,quæ chorion ſeu ſecundas intexunt. Ex quibus ſequitur & generatio,quæ efficitur (vt dictū eſt) media alteratione & formatione,& nutritio & augmentatio fœtus: nam quouſque ſeminis ſpecies in fœtu ipſo apparet,ea animalis conſtitutio non fœtus ab Hippocrate appellatur,ſed genitura: vbi vero ſanguine fuerit repletum,córque,cerebrum, & iecur indiſtinctam quidem adhuc,& informem,ſed quandam tamen coagulationem & magnitudinem alicuius momenti præ ſe tulerint; hoc ſecundum tempus fabricæ,fœtum appellat.ſicque,cum ſubſtantia fœtus carnea iam eſt & non amplius ſeminalis apparet; vere fœtum tunc appellat Hippoc. Eſtque tertiū tempus fabricæ,cum tria ſupradicta principia videre exquiſite poſſumus, & reliquorum omnium membrorum deſcriptio ac delineatio apparet. Quartum tempus verò, & extremum eſt,cùm brachia & crura,ac omnia membra diſtinctè abſoluta cernuntur: & tunc nō amplius fœtū,ſed infantē appellat Hippocrates id,quod in vtero geſtatur : eò quia,vt perfectū animal,& palpitat & mouetur. Sed id, videlicet quatenus animal eſt,nō habet à ſemine:ſed omnem generationē ac formationē, à ſemine habet vt planta,& non vt animal. principium autem motionum, vt animal,habet à progerminationibus trium principiorum eius , mediis neruis , arteriis & venis,quæ à cerebro,corde,& hepate oriūtur,vt volebat Gal. primo lib. de Semine. Qua de re,quouſque ſupradicta tria membra fuerint exactè formata & abſoluta ; ſemen ipſum habet opificis rationem. ipſis verò exactè abſolutis , proprias functiones exercere incipiunt, nullo alterius auxilio indigentes ad propriā eorum functionem exercendam. Quocirca Gal. lib. primo de Semine poſuit fœtuum duplex principium , quorum vnum habent velut plantæ ab ipſo ſemine: reliquum vero velut animalia habēt à tribus principalibus membris cùm iam perfectè formata ſunt,& abſoluta. Sequitur modò videamus, ſermonis affinitate ducti,quod iſtorū trium principiorum in fœtu primò formetur: In quo digladiantur Philoſophi,tum Stoici & inter eos Cryſippus, tum Peripatetici & præcipuè Ariſtoteles,cum ipſis Medicis. Ego verò,cùm Medicus ſim ; eorū ſequar opinionem. Et quoniam (vt dictum eſt) fieri nullo pacto poteſt , vt aliquod membrū in fœtu ipſo gignatur abſque ſubſtantia ſanguinea,vt volebat Gal. lib. de Fœtuum formatione,videtur quod id membrum , quod ſubſtantiam habet ipſi ſanguini quàm ſimillimam,quod iſtud membrum ex eo promptiſſimè concreſcat. Cùm ergo ipſum hepar non ſit aliud,quàm quoddam parenchyma, vt Græci dicunt, Latine verò quaſi quædam affuſio,vt inquit Gal. lib. ſexto de Hippocratis & Platonis decretis,& libro decimo Methodi medendi,cùm habeat ſimilitudinem in ſubſtantia & colore cum ipſo ſanguine,eiuſque caro ſit ſanguinis cōcretio quædam; ſequitur neceſſariò quòd ipſum primò inter hæc tria principia gignatur. Secundò,cum dictum ſit,de intentione Galeni,fœtum ipſum vſque ad eius expreſſam ac abſolutam formationem à ſemine ipſo velut plantam diſpenſari, ſequitur quòd eo tempore,quo taliter diſpenſatur,nulla ſit cordis ipſius neceſſitas, & ex conſequenti ſequitur cor ipſum poſt iecur formari. Tertiò, cùm ad ipſius cordis generationem ſanguine opus eſſet , & iſte ſanguis nulla conuenientiori via potuiſſet ad ipſum diſtribui, quàm mediis ramis venæ cauæ,cuius ortus & principium manifeſtè in ipſius hepatis gibba apparet, prout nōnullis rationibus diffuſè

cap. 4 (beside "neant duæ, Gal.15.de Vſu part.")

cap. 9 (beside "Semine.")

cap. eodem. (beside "eorum functionem exercendam")

cap. 2 (beside "formatione")

6. de plac. Hip pocr. & Plat. cap. 8. 10. metho. medendi. cap. vlt. (beside "Latine verò quaſi quædam affuſio")

ſusè à Galeno probatur ſexto de Hippocr.& Plato.decretis. Sequitur neceſſariò, quòd iecur ipſum primò: cor ſecundò, vltimò cerebrum in fœtibus gignatur: prout quamdilucide ſe determinat Gale.lib.de Fœtuũ formatione, ibique corrigit ea,quæ ipſemet dixerat de cordis generatione in commentariis de ſemine, cuius etiam opinionis voluit Gale.citato lib.de Fœtuum formatione, quòd fuerit Hippocrates libro de Natura infantium,ſiue ipſe fuerit, qui eum ſcripſit, ſiue Polybus eius diſcipulus:taliter quod per illud rubrum, quod in Pſaltriæ ancillæ genitura excuſſa,poſt ſex dies,apparuit,hepar intelligat Hippocrates,& non cor, vt aliqui interpretantur. Cur autem cerebrum vltimò poſt iecur, & cor inſtitutum fuit: dicebat Galen.libro de Fœtuum formatione:quia fœtui cerebro non erat opus,cum neque videre,neque guſtare,neque olfacere, neque vlla alia functione ipſius vti ipſum oporteret:nulla ſenſus tangendi,nulla imaginationis,nullaque cogitationis, nec memoriæ ipſi neceſsitas eſt. Formatis denique hoc ordine tribus ſupradictis membris principibus, aliisque partibus, tum ventris, tum brachiorum, & crurum, ſequitur quartum tempus poſt primam conceptionem, vt Hippocrates dicebat,in quo non amplius fœtus,ſed infans appellatur. Formato itaque, atque abſoluto infante in vtero eo modo quo dictum eſt: quoniam neceſſum erat in ipſo aliqua gigni excrementa, cum ſtatim ab eo fœtu exhalet quoddam vaporoſum excrementum, quod ſudori perfecti animalis correſpondet,neceſſe fuit huic excremento membranam aliquam,in qua reponeretur,fabricari,totum vndequaque fœtum ipſum ſeu infantem circumplectẽtem: ſicque fabricata fuit ad huic vſum membrana quædam, quæ Amnios Græce appellatur: Latini Amiculum nominant: lata quidem & craſſa, vt non ſolum ſudoris receptaculum efficeretur,verùm etiam futuris motionibus membrorum fœtus poſſet perſiſtere, cuius ſudoris non parua exiſtit vtilitas ipſi fœtui:vt fatetur Galenus 15.de Vſu partium, vtpote quia fœtus in eo quaſi innatans ſurſum tollitur, ac vehitur,vt minus fiat grauis his vinculis, per quæ matrici cohæreſcit, & hac de cauſa, vt ipſe eodem loco dicebat,vt plurimum præſeruat ad aborſu. Qui fortaſſe vtero gerentibus omnibus eueniret,niſi fœtus in huiuſmodi humore innatans leuior fieret. Et quia auctoritate Galeni libro decimoquarto de Vſu partium,& primo & ſecundo libro de Semine, mulieres ipſæ ſemen habent, idque cum concepturæ ſunt,eodem tempore cum mare ex ſeminariis vaſis, & teſtibus cornibus ipſius vteri mediis in eius cauitatem emittunt: ex hoc ſemine licet aquoſo,& imperfecto,non pauca ſequitur ipſi fœtui vtilitas. Nam cum primũ ſemen viri in vterum eiicitur,ex huiuſmodi fœminarum ſemine tanquam Natura magis ipſi familiari quàm ſanguis:ſtatim dico,ex huiuſmodi fœminarum ſemine nutritur. Tum verò ex eo quædam alia tunica Allanthoides Græcè dicta, Latinè inteſtinalis,gignitur:ex figura ei nomen impoſitum, hęc membrana prius tamen fabricata quàm ſupradicta Amnios dicta, tenuis ac imbecillis, propterea quòd ex ſeroſiori ſemine fuit effecta,anguſtior tamen quàm ſupradicta. Quia fœmineum ſemen multò minoris quantitatis eſt,quàm maris, longa vt vtriſque vteri cornibus appendatur:formati iam animalis vrinam excipit medio eo meatu, qui in fundo veſicæ infantis eſt exortus:quem meatũ,vt ſupra diximus, vrinaculum Medici appellant. Qui humor ad vrinæ inſtar cum tenuior,tum flauior, tum acrior eſt eo humore,qui intra Amiculum continetur,vt teſtatur Gal.15. de Vſu partium,& lib.1.de Semine. Horum duorum humorũ cõmunis vſus,aliæque fœminarum ſeminis vtilitates latius conſcribuntur à Gal.lib.1. de Semine, & lib.14. de Vſu partium. Hac de cauſa relinquo hæc quantum ad ſuccinctã fœtus conſtitutionem,formationem,& cum vtero alligationẽ,quæ non parumad rem, quam differere propoſuimus,conducere videntur: ne quis fortè aliena fore arbitretur, ac ſuperflua pro hac diſceptatione. Nutritur verò,& augetur ex ſanguine,qui de matre in vterum deſcendit ex toto eius corpore ſingulis diebus. Deſcẽdit autem non propterea quòd ex toto corpore,tanquam excrementum exiſtens, ad ipſum vterum,& per conſequens ad fœtum ipſum expellatur, velut ſanguis, qui in ſui-

6.de plac.Hip poc. & Plat. cap.3. uſque ad 6. lib. de for.fœt.cap.3. lib.& cap.eo.

Lib.& ca.eo.

15.de Vſu partium,cap.5

14. de Vſu part.ca.10.11 1.de Sem.c.7 2. de Sem. ca 1.& 4

15.de uſu partium, cap.5. 1.de Sem.cap. 7. & ſe. 14. de Vſu part. cap 11.

gulis menſibus, mulieribus vtero non gerẽtibus, expurgatur. nam iſte ſanguis eo
tempore, quo mulieres prægnantes non ſunt, à toto corpore, tanquam excremen-
tum exiſtens, expellitur, ipſo vtero nihil conferente ad eius delationem, vt dixi-
5. de Simplic. medic. facult. cap. 22 mus ſuprà de intentione Gale. lib. 5. de ſimplicium medicamentorũ facultatibus:
verùm is ſanguis, qui deſeruit pro alimento ac augmento fœtus, velut eius vtile
ac familiare alimentum, non ſingulis menſibus, ſed ſingulis diebus vi attractricis
facultatis ipſius fœtus trahitur, prout in dies vires habet attrahendi, & eo magis
ac magis indiget, vt volebat Hippoc. lib. de Natura infantium. Nec ita excremen-
toſus eſt, velut ipſe qui ſingulis menſibus expurgatur, cùm ſit eius tenuiſsima ac
ſynceriſsima pars: & potiſsimùm in primis menſibus. Trahitur ergo tanta eius
quantitas, quanta ſufficiens eſt pro eius nutritione & augmento. Hoc idem aſſe-
cap. 7 ruit Galen. 4. de cauſis ſymptomatum. Vbi loquens de deprauati appetitus præ-
gnantium cauſa, inter alia dicebat, quòd fœtus in primis menſibus paucum ad
ſe ſanguinem, ac optimum trahit; quia pauco indiget alimento: cùm parum ſit au-
ctus. Vbi verò procedente tempore iam increuit; tunc plurimo eget alimento;
& propter hoc magnam trahit ſanguinis copiam. Itaque trahit etiam aliquem vi-
tioſum ſimul ſanguinem, & excrementoſum. Quæ excrementa redundantia ab
attracto ſanguine ſupra eius alimentum, in ſupradictas duas membranas expellit
ac reponit. Et propterea dicebat Hippocrates libro de Natura infantium, quòd,
cùm fœmina prægnans eſt; non laborat, nec languet, ſi ſingulis menſibus men-
ſes non defluant: velut illæ, quæ vtero non gerunt: nam iſtæ ea de re laborant;
quia ſingulis menſibus ſanguis in corpore perturbatur, ac cum labore permoue-
tur. His verò prægnantibus quietè, placidè, ac ſenſim ſine aliquo labore in vteri
venas ſingulis, vt dictum eſt, diebus vi attractricis facultatis fœtus, deſcendit, at-
que pro ſuo tum alimento, tum augmento, vt dictum eſt, per medias chorij ve-
nas, & demum per ipſius vmbilici vaſa ad hepar; & denuo, eo abſoluto, ab ipſo,
mediis venis, per totum corpus & quamlibet eius partem diffunditur ac diſtri-
buitur mediis facultatibus naturalibus, quæ ipſis partibus naturaliter inſitæ ſunt.
Ex quibus patet, quomodo & quali ſanguine fœtus nutriatur ac augeatur. Quod
quidem ignorare non debet, imo & memoriæ tenere, qui velit huius noſtri quæ-
ſiti veritatem percipere. Hæc quo ad ſecundum.

CAPVT III.

Reliquum eſt (quoniam, vt inquit Hippocra. primo lib. de Fœminarum
affectibus, Mulieres nonnunquam etiam nolentes aborſum faciũt) vt
cauſas aborſus dinumeremus: nam & hæ quoque non parũ conferunt
ad huius quæſiti veritatem veſtigandam. His enim dinumeratis facilè
poterimus veritatem dilucidare: cùm ipſa præſeruatio (vt dicebat Galen. lib. 1. de
Compoſit. medic. per genera. cap. 1.) ſit ipſarum cauſarum affectus præter Natu-
ram parientium: ſicut curatio primò ipſarum affectionũ. Dicemusq; omnes cau-
ſas, quas poſuit Hippo. tum citato lib. 1. de Affectibus fœminarũ, tum lib. Aphor.
5. Demum, ſi quæ fuerint à iunioribus Medicis conſcriptæ, eas quoque non præ-
teribimus: dicebat enim Hippo. ipſe, quòd ſi alicui fœminæ vtero gerẽti caput pi-
tuitoſum fuerit, eaq; pituita in vẽtriculum deſcendat, cùm neceſſum ſit ad id ſe-
qui nonnullos cordis affectus præter Naturam: diſſoluuntur itaque, ac imbecillis
redditis fit aborſus. Sic etiam & in ingenti inedia & in ciborũ faſtidio periculum
eſt quòd aborſus fiat, eadẽ de cauſa ſcilicet: quia imbecillæ redduntur. Hoc idem
volebat fieri in largo ventris fluore: ita etiam ſi quod onus graue portauerit, ſi
percutiatur, ſi ſaliat, ſi non comedat, ſi aliqua animi perturbatione vexetur, ſi ter-
reatur, ſi fortiter clamet, ſi febriat, ſic etiam ſi crapuletur: nam immodicus cibus
ac potus ſępe cauſa eſt, vt fœtus perdatur. Si vterus ipſe plenus fuerit flatuoſo ſpi-
ritu, cauſa eſt, vt partus eiciatur: ſic ſi denſus valde: ſi magnus, paruúſve ſit vte-
rus ipſe: ſi aliquo alio magno morbo, vel dolore laborat, & potiſsimùm lumbo-
rum. Sunt etiam cauſæ quædam, quæ fœtum eiciunt: vt ſi quid acre, aſperum,
vel amarum præter conſuetudinẽ comedant, vel bibant, & potiſsimum in primis

menſibus: ita etiam ſi ea comedantur ac bibantur, quæ valde ventrem commoueant: ex ſuperfluo item exercitio, ſeu labore, ex maxima ventris conſtrictione ſequitur quoque nonnunquam aborſus. Hæ ſunt cauſæ, quæ eo ordine, quo conſcripſimus, ab Hippocrate dinumerantur eodem primo libro de Fœminarum affectibus. libro autem aphoriſmorum quinto, nonnullæ tum ſupradictarum cauſarum, tum aliarum ab eodem ſcribuntur. Vnde Aphor. 29. volebat, quòd in primis & vltimis menſibus verenda eſſet grauidis purgatio tanquam de facili valens aborſum prouocare. & Aphor. 30. dicebat quemlibet morbum acutum, tam cum febre, quàm ſine febre (vt exponit Galen. in commento) vtero gerentibus fore letale, vtpote tam fœtum, quam fœtantem perimens. Aphoriſ. 31. expreſsè volebat ſanguinis miſsionem ex vena fore cauſam aborſus. Et cauſam reddit Gale. in cõmento. In Aphoriſ. 34. voluit alui profluuium poſſe aborſum facere. Aphoriſ. 37. dicebat, Si mammæ vtero gerenti repente fiant graciles, abortit. Galen. autem in commento reddens rationem dicti Hippocratis in Aphoriſmo aſſerebat non propter aliud ſignificari aborſum ex mammarum gracilitate, quàm propter alimenti defectum: qui alimenti defectus ſequitur tum ad inediam, tum ad ſanguinis paucitatem, quæ eſt in venis cõmunibus vtero & mammis. & hoc idem ſentiebat in ſequenti Aphoriſ. 38. Aphoriſ. autem 43. dicebat eryſipelas in vtero grauidis fore letale. Vnde Galen. in cõmento dicebat quòd ex neceſsitate fœtus eo caſu morietur. Aphoriſ. verò 44. ait de his, Præter naturam tenues exiſtentes, quæ vtero gerunt, neceſſariò aborſum pati, antequàm fœtus naturaliter in lucem edatur ac craſſeſcat. Et in 46. Quæcunque præter naturam craſſæ, non concipiunt. Verum Aphoriſ. 45. fatebatur cauſam abortus in primis menſibus in corporibus mediocribus, abſque alia occaſione manifeſta, ſemper fore mucorem nimium, acetabula vteri implentem, ac ex pondere ea diſrumpẽtem, non valentibus ſupradictis acetabulis propter dictum pondus fœtum continere. Cuius opinionis fuit Gale. in ſexto lib. de Locis affectis c. 5. & 15. de Vſu partiũ. c. 5. & lib. de Diſſectione vteri. c. vlt. Et, licet ab Hippocrate (vt quilibet ſanæ mentis percipere poteſt) omnes ferè tam externæ, quam internæ cauſæ abortus in prædictis locis dinumerentur, tamen iuniores Medici aliquas, quæ tacitè ab Hippocrate tactæ videntur, dinumerarunt. Et inter externas volunt, continentis nos aeris ſuperfluam frigiditatem, aut caliditatem: velut, ſi talis intemperaturæ fuerit regio, & tempus anni, poſſe aborſum prouocare. quas cauſas Hippocrat. meminit libro Aphoriſ. 3. ita quoque & balneum ſuperfluè, aut calidum, aut frigidum. Addunt & coitus multitudinem. Et inter cauſas perterrefacientes, terremotus, tonitrua, fulguris aſpectus, ac bombardæ ſonitus. Inter cauſas verò internas conſcripſerunt quaſdam ex parte fœtus & partium continentium eum, vt ſunt imbecillitas, aut mors ipſius fœtus, mollificatio, aut ruptura aborſus à Galeno 15. de Vſu partium: vt puta ruptura membranæ, quæ Amiculum dicitur: quæ (vt ſuprà diximus) humorem ad ſudoris inſtar continet, & in eo fœtus quaſi innatans, minùs fit grauis iis vinculis per quæ vtero alligatur. Ea ergo diſrupta, cùm dicta humiditas effundatur; fœtus ipſe amplius in ea non innatans, fit maximè grauis ſupradictis vinculis. Quapropter neceſſum eſt diſrumpantur, & per conſequens aborſus fiat. Medicamentorum inſuper occaſione ſequuntur abortus, quæ vel abortum prouocant, vel alio quopiam affectu fœtum perimunt, vel aliquas membranarum eius corrumpunt, incidunt, &: cùm vterus ex diſtenſione malè eſt affectus, eodem auctore, tertio de Natur. facultat. Ponunt etiam quaſdam alias cauſas ex parte fœtantis, vt puta oris matricis amplitudinem, propter quam non poteſt poſt coitum ſequi perfecta conſtrictio, & per conſequens ſeminis retentio: item & tenuitatem ſeminis, ac paucitatem eius. propter quod non poſſunt ex eo generari membranæ ita valentes, vt fœtum ipſum valeant continere. Vltimo aiunt omnes intemperaturas tum vteri, tum aliorum membrorum. Quæ cum ipſo vtero conſenſum habent, ſiue fuerint ſimplices, ſiue compoſitæ, ſiue cum materia,

15. de Vſu partium. cap. 5

3. de Pot. natur. cap. 12

ſiue abſque materia, fore cauſas aborſus: ſic habitus quoque mulierum ſi molles ac humidæ valde fuerint: licet concipiant, non poſſunt tamen vſque ad præfinitum tempus fœtum cõtinere, verùm ante ipſum aborſum patiuntur. Hæ ſunt in vniuerſum cauſæ aborſus, quæ tum ab Hippocrate, tum à Gale. tum ab alijs iunioribus Medicis conſcriptæ reperiuntur. Communis autem omnibus iam dictis affectibus ipſa eſt vteri offenſio: atque huius ipſius triplex eſt cauſa, aut moles nimia, aut pondus aliquod, aut morſus moles, vbi amplius diſtendi vterus non valet: pondus, cùm ſupra vires eius ſit, quod continet: morſus, vbi vel humores, qui prius in membranis continebantur, his ruptis, in ipſum vterum ſunt effuſi: vel etiam totus partus corruptus & putris, ac in noxiam ſaniem diſſolutus, vteri tunicam eius occaſione irritat, ac mordet. Cùm ergo horum aliquod nõ naturæ ſponte, ſed violenter incidat, abortus prouocatur: Gal. auctore 3. de Natur. facul. Nam partus ſuccedunt vehementiſsimis motibus ipſius fœtus, vt ait Hippocr. lib. de Nat. infan. vterus verò non alio pacto inſurgit ad fœtus excretionem, quàm expultricis facultatis officio tam in naturali partu, quàm in abortu, vt liquet 2. de Cauſis ſympt. Verùm in naturali partu ex naturæ ſponte: in abortu, violenter, vt dictum eſt, ab aliqua dictarum cauſarum præter naturam irritata. Eſt enim abortus nil aliud, quàm violenta & intempeſtiua fœtus editio: vt omnibus in confeſſo eſt. Reſtat modò his ſic explicatis, vt ad veritatem quæſiti, eiúſque dilucidationem properemus.

3. de Po. na. cap. 12.

cap. 3

CAPVT IIII.

NVnc ad dilucidationem veritatis eius, quod principaliter quæſitum eſt, percurramus. &, vt ea clariùs eluceſcat, primò animaduertendum eſt, quod ab omnibus Medicinæ auctoribus cõceſſum eſt, & præcipue à Gale. lib. de Sang. miſsione. & 9. de Meth. med. ſanguinis miſsionem duos habere principes ſcopos. Aut enim fit pro euacuatione tantùm eorum ſuccorum qui in venis continentur: aut pro auerſione cum euacuatione, tam ad longinqua quàm ad proxima: ſiue fiat ea ratione curationis, ſiue præſeruationis. Ex quo patet quàm friuolæ ſint aliæ intentiones quæ à iunioribus Medicis inaniter dictæ ac inuentæ, & ab ipſis cõmentę circa ipſam ſanguinis miſsionẽ fuere. Nam ſi quid aliud ad eam ſequitur, illud eſt ſecundario & per accidens. Eius autẽ principes, & per ſe ſcopi non ſunt alij pręter ſupradictos duos. Quid verò ſit ſanguinis miſsio, tanquam omnibus notũ omitto. Secundo notandum eſt quòd pręſeruatio, quam Græci prophylacticem vocant, vera ac ſyncera (vt dicebat Gal. lib. de Conſtit. artis medicæ, & in lib. An tuenda ſanitas ſpectet ad Medicum, vel Gymnaſticum, & lib. 3. artis Medicinalis) proprie attinet ad affectum futurũ fieri, prohibendo eum, quamuis nondum ſit in corpore: tamen quia imminet periculum ne quamprimum fiat. Hoc autẽ perficit artifex, delens ac auferens eam cauſam, ex qua affectus ipſe præter Naturam quamprimum futurus eſt fieri: & nõ eam, ex qua ſenſibiliter morbus gignitur. Nam illa quæ hanc aufert cauſam, nõ eſt ſyncera & pura prophylactice, cum ſit pars quędã artis curatricis. Dicitur autem aliquo modo prophylactice, ſeu præſeruatio: quia cauſam, quæ morbum creat, adimit: vt voluit Gal. 11. Meth. medendi. Hoc autem perficitur ſiue per alterantia, ſiue per euacuantia, ſi opus eſt: vel per vtrunque, Gal. auctore lib. de Conſtitutione artis medicę, circa finem. Nimirum ergo ſi ſuprà de intentione Gal. lib. 1. de Cõpoſitione medicamentorum per genera, dicebamus præcautionem, ſeu præſeruationẽ primò & per ſe fore cauſarũ parientium affectus ipſos pręter naturam exiſtentium. Tertio eſt animaduertendum quòd ſanguinis miſsio facienda pro præſeruatione aborſus poteſt dupliciter intelligi: vno modo, nullo apparẽte adhuc ſanguinis fluore ex vtero, ſiue fuerit ex venis quæ in eius cauitate terminantur, ſiue ex venis, quæ ad ceruicem committuntur. Alio modo poſſumus loqui de ea, apparente aliquo ſanguinis fluore ex quouis ſupradictorum locorum fuerit. Quarto notandum eſt, quòd diuidendo tẽpus fœtationis in tria tẽpora præcipua, poſſumus loqui de ſupradicta ſanguinis miſsione facienda, aut in tribus primis mẽſibus, aut

Lib. de Sang. miſſ. cap. 11. 12 & 9. metho. med. cap. 11

Lib. de Conſt. art. med. cap. 19. li. ad Tra. ca. 30. lib art. med. cap. 99

cap. 2

cap. 19

cap. 2

in medijs,

in mediis,aut in vltimis.Notandum inſuper eſt & quintò, quòd, cùm loquimur de ſupradicta ſanguinis miſsione facienda pro præſeruatione aborſus:de ea non aliter loquimur, quam indicatione tantum ſumpta ab ea aborſus cauſa, quæ licet ipſum non cœpit facere, tamen facere poteſt in futurum.Ita quòd per ipſam ſanguinis miſsionem fœtum præſeruando,prohibemus ne aborſus in futurum fiat:& ſic loquimur de vera ac ſyncera eius præſeruatione,& non loquimur de ſupradicta ſanguinis miſsione, prout poſſet in vtero gerentibus curare nonnullos affectus præter Naturam qui in ipſis gignuntur ac fiunt. Sextò notandum eſt quòd ſicuti perpetuò optimum eſt maximè tutò curare, vt volebat Galenus decimoquarto Metho.medendi,quod conſiſtit in tribus, videlicet in conſequutione intenti finis : aut ſaltem quem curas non lædas:& tertium, quòd non facilè vitium reuertatur. Propter quod præcipiebat Galenus ipſe 12.Methodi medendi, quòd terminus Medici, qui contra morbum pugnat, quem nullo pacto tranſire debet,eſt,vt tutò medicetur.Ita quoque in prophylactice,ſeu in præcautione proſequendum eſt:quia,cùm in ea Medici intentio ſit cauſam auferre, quæ poſſet aliquem præter Naturam affectum futurum efficere (vt priùs dictum eſt) debet id proſequi omni conatu, tam per alterantia quàm per euacuantia, cum eis quæ maximè tuta ſunt & cum quibus iam certus eſt non poſſe aliquam corpori noxam inferre.Hoc idem volebat Hippocrat.primò de Morbis vulgaribus, ſub his verbis,Te ad hoc exerceto,morbis vt proſis,aut nequid noceas. Quibus ſic ſtantibus, dico aſſertiuè abſque controuerſia vlla, ſanguinis miſsionem vtero gerentibus,pro præſeruatione aborſus,fluente vel non fluente ex vteri vaſis quibuslibet ſanguine multo,aut exiguo in primis,vel in medus,ſeu in vltimis menſibus nullo pacto faciendam fore.Ad quam veritatem corroborandam afferam in medium nonnullas tum rationes,tum auctoritates : quarum rationum prima eſt.Omne illud, quod eſt per ſe cauſa faciens aborſum,non poteſt præſeruare ab eo:ſed ſanguinis miſsio eſt per ſe cauſa faciens aborſum. igitur non poteſt præſeruare ab eo. Maior patet : quia ſi non ſequeretur quòd idem ſimul & ſemel eſſet per ſe cauſa aborſus, & præſeruaret ab illo:quod eſt falſum & impoſsibile. Minor eſt Hippocratis Aphoriſm. 31. quintæ particulæ. Secunda ratio : Ex quacunque cauſa per ſe fœtus deſtruitur, ex eadem nullo pacto poteſt conſeruari:ſed alimenti defectu per ſe fœtus deſtruitur. igitur ex eo non poteſt conſeruari.Maior patet. Minor eſt Galeni in commento citati Aphoriſ. tunc arguitur ſic, Ex ſanguinis miſsione vtero gerentibus facta, per ſe ſequitur defectio alimenti fœtus,vt patet per Galenum in eodem loco. Igitur ex ſanguinis miſsione nullo pacto poteſt fœtus ipſe in vtero conſeruari. Tertia ratio. Si de quo minùs videtur non ineſſe,& ineſt:ergo de quo magis.Sed minor noxa videtur quòd fœtui inferatur ex inedia, & tamen ea eſt cauſa aborſus, vt patet per Galenum in commento Aphoriſm.31. & 37. quintæ particulæ. Ergo magis ſequetur ex ſanguinis miſsione, cùm maior noxa ex ea fœtui inferatur. Maior clara eſt apud omnes Logicos. Quarta ratio:Si ex alui profluuio periculum eſt vtero gerentes abortire,ſolùm ratione euacuationis,vt volebat Galenus in commento Aphoriſ. 33. quintæ particulæ : quæ euacuatio eſt aliorum humorum à ſanguine, quantò magis ex euacuatione per ſanguinis miſsionem,quæ ſanguinem euacuat, ex quo ſanguine fœtus nutritur, & per conſequens magis ei alimentum ſubtrahitur? Quinta ratio probans quòd in primis menſibus nullo pacto pro præſeruatione aborſus competat ſanguinis miſsio, eſt iſta: Dictum eſt ſuprà, præſeruationem fieri per ablationem cauſæ, quæ poſſet in futurum quamprimum aliquem affectum præter naturam in corpore gignere. Tunc argumentor ſic: Quæcunque corpora mediocria abſque occaſione manifeſta abortiunt in primis menſibus,eius cauſa eſt plenitudo muccoris in vteri acetabulis: quæ dicta acetabula diſrumpit:ſed ſanguinis miſsio nullo modo poteſt talem cauſam auferre ac prohibere,imò potius augere.igitur nullo pacto in primis menſibus ea faciẽda eſt. Et, ſi diceretur quòd poſſunt nõnulli alij ſenſibiles præter Naturã affectus manifeſti

cap. 13

cap. 1

1. epid. ſ. 2
tex. 50

atque occulti in dictis primis menſibus aborſum facere, qui affectus præter Naturam curari poſſent per ſanguinis miſsionem, & ita aborſus præpediri: tunc dico quòd ea ſanguinis miſsio præcipue ſit pro curatione dicti affectus præter Naturam. Quo caſu non eſt noſtra intentio de ea loqui. nam (vt diximus ſupra) loquimur hìc de ſanguinis miſsione vtero gerentibus facienda, prout principaliter & per ſe poſſet ab aborſu præſeruare, & non per curationem alicuius affectus præter Naturam: in quem poſſunt prægnantes incidere, & curari forſan per ſanguinis miſsionem: licet per eam (vt volebat Hippocr. citato Aphoriſ. 31. quintæ particulæ.) ſemper noxa fœtui inferatur, & præcipuè ſi aliis auxiliis curari non valeant. Nam eo tempore, licet per ſanguinis miſsionem noxa immineat fœtui, vt diximus de intentione Hippocratis: tamẽ, quia alia ſalutis ratio non eſt, quàm ea: etſi fuerit cum periculo, tentanda eſt, vt iubebat Galenus in his caſibus

cap. 10

decimò Method. medendi. ex Thucydidis conſilio, eius tamen quantitatem minuens. Quòd ſi affectus ipſe præter Naturam ex ea curetur, & aborſus non ſequatur: hoc erit per accidens tum ratione quantitatis, & non qualitatis ſanguinis miſsionis: cùm ratione ſui ſemper habeat aborſum facere, niſi à quãtitate labefactetur: tum quoque quòd ex tali ſanguinis miſsione maius ſequitur cõmodum, quàm incõmodum, auferens per eam maiorem aborſus cauſam. Et in hoc maxime allucinantur nonnulli noſtri temporis Medici, qui quoſdam interdum præter Naturam affectus taliter curantes, ſiue occulti fuerint, ſiue manifeſti, putant ſe nonnunquã per ſanguinis miſsionem præſeruare vtero gerentes ab aborſu, nullum facientes diſcrimen inter curationem, ſeu non veram prophylacticen, & ſynceram prophylacticen: quãuis valde diſcrepent. Et hoc quoque dicendum erit eis, ſi aliquando in mediis & vltimis menſibus fortè in his caſibus præcipiatur ſanguinis miſsio alicui gerenti vtero, & aborſus non fiat. Sexta ratio ad idem. Humoribus crudis, ſeu vitioſis in ventriculo contentis, nullo pacto fa-

De ſanguinis miſsio. cap. 20
9. Meth. med. cap. 5

cienda eſt ſanguinis miſsio, vt volebat Galenus in lib. de Sanguinis miſsione. & nono method. medendi. ſed vtero gerentibus ſemper, vel ſaltem vt plurimùm, tales humores in ventriculo continentur. Igitur eis non facienda eſt ſanguinis miſsio. Nam per illam ſanguinis miſsionem tales humores crudi, vel vitioſi attrahuntur ad venas. & ſic non modò poſſunt eſſe cauſa aborſus, immo maximã noxam & fortaſſe exitium inferre poſſunt ipſis vtero gerentibus. Secũdò ex dicta ſanguinis miſsione ſequitur agitatio & commotio quædam dictorum humorum in ventriculo contentorum, ad quam ſæpe animi deliquum, multoties ſyncope & quandoque mors ſequi ſolet. Tertiò ex eorum cõmotione fit appetitus ablatio, ſeu deprauatio: ad quam ſequens inedia ſubtrahens fœtus alimentum, poſſet aborſum facere. Quod autem ſupradicti humores in vtero gerentiũ ven-

1. de Sympt. cau. cap. 7.

triculis contineantur, patet ex Galeno lib. 4. de Cauſis ſympt. Verum, quòd in mediis & vltimis menſibus nullo pacto debeat talis ſanguinis miſsio pro præſeruatione aborſus fieri, vnica ratione probatur ſic. Eo tempore, quo fœtus indiget multo ac maiori alimento, nullo pacto id debet ei ſubtrahi: ſed in mediis & vltimis menſibus, cum fœtus ſit maior, multò maiori indiget alimẽto. Igitur eo tempore, pro eius conſeruatione, nullo pacto erit ſanguinis miſsio facienda: immo, ſi fiat, ex ea potius ſequetur eius deſtructio & mors, vt volebat Hippocr. Aphoriſ. citato. 31. quintæ particulæ, & Galen. in eius comment. Quòd autem prædicta ſanguinis miſsio non ſit facienda, nec in primis, nec mediis, nec in vltimis menſibus, iam patet ex ſententia Hippocr. in ſupradicto Aphoriſ. vbi dicebat: Mulier vtero gerens, ſanguine miſſo ex vena, abortit: & magis, ſi fœtus ſit maior. Hoc idem teſtatur Galen. in commento dicti Aphoriſ. & in nonnullis aliis locis. Vltimò cui dubium eſt, quin, ſi potuiſſent vtero gerentes per ſanguinis miſsionem aliquo pacto præſeruari ab aborſu, illud literis mandaſſent tot ac tanti auctores artis Medicæ, qui ante nos fuere, & præcipuè Græci: qui inter omnes alios audaces extiterunt in ſanguinis miſsione facienda. Verùm, cùm illud ab aliquo eorum ſcriptum non reperiatur, immo à cunctis in-

terdicatur

terdicatur præcipuè ab Hipp.& Gale. autumandum eſt nullo pacto fieri poſſe,ac debere,tum potiſsimum, cùm Hippoc.ſingulæ cauſæ,quæ aborſum efficere poſſent, fuerint notæ,ac ab eo conſcriptæ, vt ſupra annotauimus. Et tamen ab eo non modò dicta ſanguinis miſsio nullibi cõſcripta reperitur, ac probatur, immo expreſsè in paulo antè citato Aphoriſ.prohibetur.ad hæc,ſi nulla earum, quas recenſuimus abortus cauſas venæ ſectione citra periculum auferri valet, tutius verò & abſque noxa alijs medijs auferri queat:quis negabit ab ea abſtinendum eſſe, ac alijs vtendum tutioribus auxilijs pro earundem cauſarum ſublatione, ſi modò medicus ſemper tutè curare debeat? Concludamus ergo cum eo, & cum Gale.ac omnibus alijs medicæ artis eximiis auctoribus,nullo modo talem ſanguinis miſsionem pro aborſus præſeruatione faciendam fore.&,ſi qui eam præcipiant,quàm valde ſupradictis auctoribus ſe opponunt,ac à veritate deuiant.

CAPVT V.

INſtabunt fortè aliqui in medium afferentes quaſdam aborſus cauſas, quæ ab Hippocrate non fuerunt notæ, nec conſcriptæ. Pro quarum delatione aiunt,quòd ſanguinis miſsio pro præſeruatione aborſus cõpetat, vtputa vtero gerentibus corpora habentibus plethorica, in quibus redundans ſanguis ſit multus,ſiue ea multitudo fuerit quò ad vaſa, ſiue quò ad vires (cum duplex ea ſit) vt volebat Gale.lib.de multitudine,& libro de ſanguinis miſsione:ſaltem in primis menſibus,ne fœtus ipſe ab ea ſanguinis multitudine ſuffocetur, quæcunque ea ſit, extat alia cauſa (vt aiunt) puta plenitudo vitioſi ſanguinis, ſi vtero gerentibus inſit. Quæ plenitudo ſanguinis vitioſi poteſt ſui vitio,eo ſanguine exiſtente inepto pro alimento fœtus ipſum perimere, & per conſequens aborſum prouitare potiſsimum ſi mulier conceperit,cum menſes incipiant fluere,& ſic eorum pars aliqua ſuperflua retineatur : quo caſu facta ſanguinis miſsione ex venis cubiti maxime interna, poſſet per eam hic vitioſus ſanguis reuelli,tum etiam iecur ipſum alterari,eiuſque concoctrix facultas vigorari,& ſic aborſus prohiberi. Dicunt tertiò, quòd cùm ſæpe vtero gerentibus eueniat ſanguinis fluor ex vteri vaſis, ex quo ſanguinis fluore aborſus accidere poteſt,tum fœtum ipſum ſuffocando, tum propter nimiam eius euacuationem alimentum ei ſubtrahendo:in hoc caſu ſanguinis miſsio ex venis cubiti, potiſsimum interna (vt diximus) ex eis, quæ ſunt vteri reuellendo, poſſet tum fluorem ipſum compeſcere,tum aborſum præſeruare. Hiſce rationibus concludunt ſanguinis miſsionem ſaltem in primis menſibus aliquibus vtero gerentibus ratione euacuationis,alijs verò ratione reuulſionis,ac hepatis alterationis, poſſe ac debere fieri,vt ab aborſu præſeruentur. Et ita abſque pudore aliquo tenaciter, ac promptè ſupradictas rationes in medium afferunt,vt ſe aliquid dicere putent: quamuis inania ab eis incognita,ac minus intellecta proferant.ipſe equidem tantæ eorum inſcitiæ miſereor potiſsimum,cum in ea fuerint inueterati. Qua de re deſperata eſt eorum ſalus:eſt enim indelebile vitium ignorantia, vt dicebat Galenus 13.Methodi medendi.præſertim ſi cum ſuperbia ſit coniuncta.Sed iis omiſsis ad eorum friuolas rationes hoc pacto reſpondebimus. Quantum ad primam dico,quòd, ſi bene Hippocratem libro de Natura infantium, & Galenum libro quarto de cauſis Symptomatum perlegiſſent: vtique non ignorarent alium eſſe modum,quo in mulieribus eo tempore cùm vtero non gerunt, ſanguis ſingulis menſibus ad vterum ipſum deſertur:& alium impraegnationis tempore:nam dictum eſt ſuprà de intentione Hippocratis in præcitato loco,& Galeni libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus,quòd eo tempore, quo fœminæ non gerunt vtero,ſingulis menſibus tanquam quoddam ſuperfluum,& excrementoſum à toto corpore per venas,ad eas tandem, quæ in concauitatem vteri committuntur, ſanguis menſtruus expellitur, affatim ferè ac ſubitò, & multis,nullũ inferente auxiliũ ipſo vtero ad eius attractionem ſeu delationem:cum ſit ei tanquàm excrementum. Verùm tempore impraegnationis non ſingulis menſibus, ſed ſingulis diebus (vt volebat Hippocrates in libro de Natura

Li.de mult. cap.3. & de Sang.miſsio. cap.4

13. Meth.meden.cap.15

1.de Sympt. cau. cap.7

5. de Simplic. medic. facult. cap.22

infantium.)

infantium.) per facultatem attractricem ipſius fœtus, ſiue ſeminis pro eius alimento trahitur tanta quantitas ſanguinis, quanta ei opus eſt pro eius alimento, ac augmento quietè, placidè, ac paulatim prout in dies vires habet attrahendi robuſtiores, ac eo ſanguine magis, ac magis indiget. Si ergo ad ipſum ſemen, ſeu fœtum ſanguis non expellitur à toto, nec tranſmittitur cum labore affatim, ac ſubitò, ſed ab ipſo trahitur paulatim abſquè labore aliquo: quo modo poteſt ſemen ipſum, ſeu fœtus ipſe ſuffocari à ſanguinis multitudine exiſtente in ipſis vtero gerentibus, ſiue ea fuerit quò ad vaſa, ſiue quò ad vires? Equidem hoc dicere eſt valde à ratione alienum: tanta nempe quantitas ſanguinis attrahitur à fœtu ipſo, quanta indiget pro eius nutrimento, ac augmento. Et ſi per quàm rariſsime talis plethora, ſeu ſanguinis copia talis in fœminarum aliqua reperiatur, quæ concipere valeat: & ſi concipiat, nunquàm tanta ſanguinis copia aderit, vt ab ea fœtus ſuffocari poſsit. Verùm iſti pauperculi, meo iudicio, decepti ſunt, opinantes eo modo ſanguinem deferri ad vterum temporè impregnationis. quo defertur eo tempore, quo vtero non gerunt, parum exercitati in commentariis Hippocratis, & Galeni, & aliorum Medicinę bonorum Auctorum. qua de re huiuſmodi cauſa ab Hippocrate & Galeno conſcripta non reperitur: cum ea aborſum facere non valeat: niſi cum ſenſibiliter lædat aliquem præter naturam affectum prius pariens. Sed dato per poſsibile, vel impoſsibile, quòd poſsit fœmina aliqua plethorica adeo ſanguine abundans, ſiue in omnibus vaſis, ſiue ſecundum vires impragnari: licet hoc contradicat Hippocrati, & quòd verendum ſit per dictam ſanguinis multitudinem de ruptura alicuius venæ, vel de aliquo alio præternaturali affectu ipſius prægnantis potius, quàm de ſuffocatione fœtus, immo vereatur etiam de ſuffocatione fœtus: cur non memoriæ mandent dicta Galeni 4.12.14. Methodi medendi? dicebat etenim libro 4. Methodi medendi, quòd ſi quis ſanus adhuc exiſtens in ſanguinis redundantis concurſu ſit poſitus, non ſtatim huic mitti ſanguinem eſt neceſſe: immo in alio ſatisfacit inedia, in alio cibi parcitas, & in alio ſoluta aluus, vel purgatio, vel frequens balneum. In aliis verò ſola exercitatio, vel multa frictio abundè fuit ſatis. Si qua ergo vtero gerens ſanguine multo redundet, priuſquàm ab eo ſenſibiliter lædatur, cur non pręcepto Galeni melius erit (non dico inedia) ſed quòd cibi parcitas pręcipiatur: non purgatio, vel balneum, ſed exercitatio, ſeu frictio multa potiſsimum ſuperiorum partium, quàm ſanguinis miſsio pro fœtus conſeruatione, aut prohibitione aborſus Et eò magis, quia iis auxiliis tutius præſeruabimus: nam ſaltem ſecurus eſt medicus prægnantem non lædere: immo ſupradictis auxiliis tutius ab aborſu præſeruabit. Quod exequi iubebat Galenus 12.14. Methodi medendi: illumque volebat fore optimum Medicum, qui tutius, & ſecurius operabatur. Ex quibus omnibus patet, quàm parui ſit momenti prima eorum ratio: & qualiter qui ita argumentantur, ſuam oſtendant ignorantiam tum circa anatomen, tum circa ipſius fœtus nutritionis modum. Ad ſecundam eorum rationem, cum dicebant debere fieri ſanguinis miſsionem pro pręſeruatione ab aborſu ſaltem in primis menſibus, cùm vtero gerentibus ſanguis redundet aliqualiter vitioſus: qui ſanguis vitioſus poſſet aborſum prouocare tanquàm ineptus exiſtens pro fœtus alimento, ac ſuperfluus. Reſpondeo, quòd ſi bene perlegiſſent, ac intellexiſſent Hippocratem lib. de Natura infantium, & Galenum libro 4. de Cauſis ſymptomatum præcipuè, & in commento Aphoriſ. 37. quintæ particulæ, & lib. de Atra bile, vtique cognouiſſent ſemen, ſeu fœtum in primis menſibus, quod optimum eſt, ac ſincerum, ſanguinē ex venis matris allicere, atque attrahere, & non vitioſum, ſeu excrementoſum: quamobrem fruſtra fieret ſanguinis miſsio ab eis: verentes vitioſum ſanguinem tanquàm ineptum pro fœtus alimento poſſe fœtum perimere, atque aborſum facere, cum ſemen ipſum, ſeu ipſe fœtus (vt dictū eſt) ex ſanguine non alliciat, nec attrahat, niſi ſincerum ac optimū, præcipuè in primis menſibus. Et, ſi diceretur ab eis, quòd ſaltem in mediis, & vltimis menſibus poſſet is ſanguis vitioſus aborſum facere, & hac de re bonū eſſet pro fœtus præſeruatione

4. Meth. meden. cap. 6

12. Meth. medendi. cap. 1. 14. eiuſdem cap. 13

4. de Sympt. cau. cap. 7. Lib. de atra bile. cap. 8

eruatione, ac prohibitione aborſus in dictis menſibus fieri ſanguinis miſsionem: Reſpondeo quòd quamuis in mediis & vltimis menſibus, quoniam fœtus maiori indiget alimento, etiã pro eo attrahat inſimul cum optimo ſanguine aliquid excrementoſum ac vitioſum, vt volebat Galen. in præcitato quarto lib. de Cauſ. ſympto. tamen dicebat ipſe quòd abſumpto ab eo ſanguine attracto pro eius alimento, qui bonus eſt ac optimus, quæ ſuperabundat, partem excrementoſam ac vitioſam fœtus ipſe ad ſupradictas duas mẽbranas, Amiculum videlicet, & inteſtinalem, ſua expultrice facultate expellit, ac reponit vſque ad præfinitum tempus partus. Et hoc modo non poteſt fœtus ipſe taliter lædi, vt fiat aborſus. Præterea his menſibus, videlicet mediis & vltimis, fœtus eſt maior: maiori igitur indiget alimento. Sed per ſanguinis miſsionem illud ei ſubtraheretur, & per conſequens faceret potiùs aborſum, quàm præſeruaret ab eo, prout dictum eſt de intentione Hippocr. Aphor. 31. quintæ particulæ, & Galeni in eius comment. Vlterius, cur non tutius eſt tam in primis menſibus, quàm in ſecundis & vltimis ſupradictis vtero gerentibus optimam victus rationem præcipere, quàm ſanguinem mittere, vt iſti volunt? Ex qua optima victus ratione cum faciliùs, tum ſecurius efficitur dicti vitij ſanguinis correctio, ac ipſum gignentis iecinoris alteratio, & per conſequens aborſus præſeruatio, ſi ab ea cauſa, (vt iſti aiunt) fieri poſſet tum potiſsimùm: cùm hæc ſit Galeni opinio, quam iubet exequendam in mediis & vltimis menſibus eodem lib. 4. de Cauſis ſymptomatum. Nam in primis menſibus (vt diximus) huiuſmodi ſanguis non poteſt propter prænarratam cauſam aborſum facere. Et ita patet qualiter ſit reſpondendum ad ſecundam eorùm rationem. Quò verò ad tertiam, cùm dicebant quòd vtero gerentibus ſæpe accidit aliquis ſanguinis fluor ex vaſis vteri: ex quo poteſt aborſus fieri, aut fœtum ipſum ſuffocando, aut propter nimiam ſanguinis euacuationem alimentum fœtui ſubtrahendo: quo caſu ſanguinis miſsio præcipuè ex venis cubiti, reuellendo, poſſet aborſum prohibere. Pro eius ſolutione notandum quòd, vt dictum eſt ſuprà, quædam venæ ad vteri cauitatem deferuntur: quædam aliæ ad eius ceruicem committuntur. E a de re primò videndum eſt, à quibus venis fluor iſte ſanguinis fiat: an videlicet ab eis quæ ad cauitatem, vel ab eis quæ ad ceruicem cõmittuntur. Secundò quantitas ſanguinis, quæ expellitur, eſt animaduertenda Nam ſi fluor iſte ſanguinis fuerit per venas quæ ad ceruicem vteri committuntur, hic fluor vt plurimùm accidit ipſis vtero gerentibus, vt volebat Galenus ſexto de locis affectis, & in commento Aphor. 60. quintæ particulæ, fœtu ipſo pro ſui alimento vtente eo ſanguine qui per venas eas, quæ ad cauitatem vteri deferuntur, fertur: redditque cauſam Galenus in eodem commento, cur potiſsimùm vtero gerentibus accidat huiuſmodi fluor ſanguinis ex venis ceruicis, & non ab illis quæ in cauitate ſunt: nam ab illis chorium, ſeu ſecundæ pendent, vt ſuprà dictum eſt. Propter quod nihil per illas in imprægnationis tempore poteſt naturaliter excerni. Si itaque taliter euenerit, non oportet vereri aborſum: immo, cùm talis ſanguinis fluor fiat per viam expurgationis totius corporis, potiùs ex eo ſequitur conſeruatio fœtus quàm aborſus, potiſsimùm ſi modum non exceſſerit. Quapropter nullo pacto eo caſu facienda eſt ſanguinis miſſio pro eius reuulſione. Quòd ſi modum exceſſerit taliter, quòd prægnans ex eo fluor fiat imbecillis & mamillæ incipiant graciles fieri: eo caſu cum adſtringentibus talis fluor eſt compeſcendus. Et in hoc concors exiſtit tota Medicorum turba ab Auicenna vſque ad noſtra tempora. Neque eorum aliquis quos viderim hucuſque fuit auſus talibus ſanguinem mittere. Et, ſi diceretur quòd cum approximatione adſtringentium ſupradictorum bonum eſſet quoque reuulſionis graria ſanguinem mittere, maximè venis cubiti: Reſpõdebimus optimas fore reuulſiones: verùm, quia inter eas ſunt quædam quæ tutiores ſunt quàm ſanguinis miſsio, illæ perficiendæ ſunt, ſanguinis miſsione relicta: hæ verò ſunt velut cucurbitulæ in ſuperioribus partibus appoſitæ, & potiſsimũ ſub mamillis, vt iubebat Hippoc. Aphor. 50. quintæ part. Inter eas quoque ſunt frictiones & ligaturæ ſuprà

2. de Sympt. cau. cap. 7.

6. de Locis affect. cap. 5

dictarum partium ſuperiorum. Quæ omnes abſque timore & periculo ac ſine fœtus noxa fieri poſſunt: non ſic autem ſanguinis miſsio. Et hac de cauſa, vt mea fert opinio, nemo eorum, qui ante nos fuere, Medicorum auſus fuit in hiſce caſibus ſanguinem mittere, certiorati ſiquidem illam vtero gerentibus fieri non poſſe abſque maxima noxa tum earum, tum fœtus. Quòd ſi ponatur eundem ſanguinis florem ex vtero fore ex internis venis ipſius, quæ ad eius cauitatem committuntur, ex quibus & cum quibus choriū ac fœtus ipſi vtero alligantur: tunc dico, quoniam magnus adeſt timor aborſus, quòd quamprimū etiam ſi in quantitate modum non exceſſerit, compeſcendus venit per omnem modum adminiſtrationis applicando adſtringentia, & ab extra & ab intra. Quem modum obſeruauerunt omnes Medici, qui ante nos fuerunt à Gale. vſque ad noſtra tempora. Et, ſi adhuc diceretur quòd ſaltem in hoc caſu facienda eſt ſanguinis miſſio reuulſionis gratia: Reſpondebitur vt ſuprà, videlicet affirmando ac laudando reuulſionem: verùm, cùm plures ſint eius ſpecies & cùm quàm plurimis fiat modis, vt dictum eſt, vtendum eſt eis quæ, cum hoc quòd nullam noxam inferunt, tutiùs fiūt, quamuis (vt dixi) adſtringentium vſus ſit eius rationalis ac propria curatio: licet vbi hanc ob cauſam ſanguinis fluor contingat, quocunque modo ex eiſdem vaſis profluat, difficile admodum ſit aborſum prohibere, quocunque vtatis auxilio, quemadmodum & ratio dictat, & nos ſæpius obſeruauimus. Hæc mihi videntur ſufficiēter dicta pro ſolutione prædictarum dubitationum, licet potuiſſem has fugere, memoriæ mandans ea quæ dixi in quinto Notando: ibi enim dicebam velle loqui de ſanguinis miſsione facienda, vel non facienda vtero gerentibus pro præſeruatione aborſus, indicatione tantum ſumpta à cauſa ex qua poſſet in futurum aborſus fieri, ſed adhuc ab ea non fit: & non ab ea quæ iam ſenſibiliter ipſum facit. Illa nanque propria ac ſyncera dicitur prophylactice, ſeu præſeruatio, quæ ſe opponit cauſæ ex qua futurus eſt aliquis præter naturam affectus, nihilque adhuc ſenſibiliter lædit. Nam ea quæ eſt pars artis curatricis, vt in morbo fienti, ſe opponit cauſæ quæ morbum creat & ex qua ſenſibiliter morbus gignitur, vt inquit Galen. 11. Metho. medendi. Modò cùm præſupponitur ſuperfluus ſanguinis fluor, dicitur aliquis præter Naturam affectus ſenſibiliter lædens eſſe genitus, ex quo poteſt aborſus fieri. Et eo caſu, quando loquimur de ſanguinis miſsione facienda, præcipua intentio eſt curare ſuprà dictum affectum præter Naturam, qui ineſt & ſenſibiliter lædit: ex cuius curatione poſſet ſecundarie, & per accidens aborſus impediri: quod eſt præter intentionem noſtram, vt ſuprà diximus. Nam intentio noſtra, vt ſæpius explicauimus, eſt loqui de ſanguinis miſsione pro præſeruatione ab aborſu, prout pura ac ſyncera prophylactice dicitur, & non prout ipſa eſt pars artis curatricis in morbis fientibus. Et ſic delentur omnia dubia, quæ fieri poſſent de ſanguinis miſsione facienda vterò gerentibus in fluore præter Naturam ſanguinis ex vaſis quibuſcunque fiat. Sic etiam tollitur dictum Auerrois ſeptimo colliget, cap. 4. vbi volebat contra Hippocr. ſanguinis miſsionem, quando aderat repletio qua fœtus non indigebat, tutiùs faciendam fore, quàm purgationem, vt præcipiebat Hippocrates Aphor. primo quartæ particulæ. Loquuntur enim ambo in curatione acutorum morborum, & potiſsimùm ſi materia turgeat: à quibus morbis poſſunt vtero gerentes corripi: & non pro ſyncera præſeruatione ab aborſu, prout loqui noſtra eſt intētio. Neque enim negamus nos quod vbi quiſpiam præter naturam affectus vtero gerentibus fuerit genitus, à quo nedum abortus, ſed ipſius etiam vitæ periculum immineat, & pro eius ſublatione venæ ſectionem deſideret, quod ea vtendum ſit, moderate tamē, cùm maius ex ea comparetur cōmodum quàm incōmodum, licet periculo non vacet: ſublato per eam eodem affectu, qui magis ac certiùs poterat abortum cauſare: idque in dies experimur, cunctis tamē aliis ritè perpenſis, & feliciter ſemper ſucceſsit. Confugiēt fortaſſe, à rationibus & auctoritatibus deſtituti, ad experientiā, dicentes ſe multoties expertos eſſe ſanguinis miſsionem in ſupra dictis tribus caſibus, vel in eorum aliquo, præſeruaſſe ab aborſu,

11. Method. med. cap. 2

ab aborſu. Verùm hi velut (iudicio meo) prauis rationibus fuerunt decepti, volentes eis vti:ita valdè magis de experientia loquentes, decipiuntur: ignorantes primò, quid ſit experientia. Quæ à Gale. libro de hiſtoria philoſophica hoc modo deſcribitur; Experientia eſt eiuſdem rei ſpecie plures memoriæ. & libro de optima ſecta, Experientia eſt, inquit, eius, quod frequẽter & eodem modo viſum eſt, comprehenſio atque memoria. Nunquid ergo ea, quam ipſi dicunt, ſit vera experientia, ex ſuprà dicta deſcriptione patet: tum cùm huic, vt dicebat Galen. 3. Metho. medendi, longo vſu opus ſit: tum & tertiò cùm rationibus & auctoritatibus omnium Medicorum contradicat: nunquid ea poſſit dici vera experientia, cùm eam (vt dicebat Gale. 2. meth. medendi.) recta ratio ornet. Et nono de Hippocratis & Platonis decretis, & nono meth. medendi, & octauo de compoſi. medicamentorum ſecundum locos, dicebat perquam infirmam & imperfectã fore experientiam ſine ratione. Vltra hoc, quòd periculoſa eſt, vt dicebat Hippocr. primo Aphoriſ. primæ particulæ, & Galen. 10. de Simplicium medic. facultatibus. Is ergo, qui ei ſoli inſiſtit, errat, vt volebat Galen. 3. Metho. medendi. Abſit ergo vt (cùm duo ſint omnium inuentionum inſtrumenta, vt aſſerebat idem Galenus 3. Metho. medendi. & libro de Elementis primo.) aliquis Medicus ſoli experientię, abſque ratione, inſiſtat: quia ipſe, inquit, ſemper artifex imperfectus erit, tanquam ſemper ad perfectionem alterum altero opus habeat, vt fatetur idem Galenus 8. de Compoſitione medic. ſecundum locos. Concludamus ergo quòd, ſi fortaſſe aliquando huiuſmodi ſanguinis miſsionem, pro præſeruatione ab aborſu, vtero gerentibus præceperunt: valde errauerunt & maximo periculo ſe ipſos expoſuere, tum cùm rationibus & auctoritatibus, quibus hanc perficiant, careant: tum etiam cùm loquentes de experientia, eam ignorent: vt clarè patet ex ſuprà dictis Hippocratis & Galeni auctoritatibus. Extirpetur ergo huiuſmodi empiricorum abuſus, caueat deinum quiſque Medicus rationalis ab hiſce erroribus: damnétque, ſi quem audit ignarum empiricum aliquando eam præcipere. Non immeritò ergo, mi Marce Antoni, cùm rationibus & auctoritatibus, tum etiam experientia perſuaſus, elapſis propè diebus in illuſtriſsima Maria Cardona Marchioniſſa Padulæ, cùm vtero gereret, nec in primo, nec in ſecundo, nec in tertio menſe, etiam apparente eo tempore aliquali ſanguinis pauco ex vtero fluore, aſſueta aliàs in primis tribus menſibus aborſum pati, mediocriter etiam ferè corpus habente, abſque occaſione manifeſta: laxæ tamen, albæ & mollis carnis, tum ratione ſexus, tum ratione proprij temperamenti, regione & tempore anni calidis, cui magna copia crudorum humorum in ventriculo redundabat: cuius ſignum erat continua ſubuerſio & nauſea, vt volebat Galenus octauo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos: ſanguinem mittere prohibui. Et de nouo, ſi, Deo duce, iterum geret vtero, prohibeo ac prohibebo. Et, ſi omnis tum ratio, tum experimentum mihi deficeret: ſufficit abundanter ſuprà dictus millies citatus Aphoriſ. 31. quintæ particulæ, qui nullo pacto in caſu illuſtriſsimæ ſuprà dictæ Dominæ ab aliquo poteſt refragari: eò magis, cùm nec ratio vlla, aut auctoritas, vel experientia in contrarium reperiatur: quamuis non defuerint aliqui volentes quod in primo & ſecundo menſe, ante ſanguinis fluorem, bonum fuiſſet ſanguinem mittere: & quidam alij aſſerentes non modò ante ſanguinis fluorem, verum etiam in tertio menſe apparente dicto ſanguinis fluore, quamuis pauco (vt tu mihi teſtis es) debuiſſe ſanguinem mitti: licet eo caſu ſtatim ſuprà dictæ Dominæ alias vena ſecta, poſt horam vel alteram aborruerit. Qui quidem quantùm deuiant ac à veritate deuiaſſent, ſi ita perſeciſſent, & deuiabunt, ſi fortaſſe in prædicta Domina in eodem caſu præcipient, ex omnibus ſuprà dictis tum rationibus, tum auctoritatibus, quilibet ſanæ mentis Medicus iudicet. Et tu ipſe, qui quidem optimi es iudicij, bonóſque Medicinæ auctores legere ac aliis interpretari non deſinis, facilè dignoſcere potes.

cap. 11

cap. 1

2. Meth. med. cap. 6. 9. de Plac. Hippoc. & Plat. 9. metho. meden. & 8. ſec. loc. cap. 6. 10. de Simpli. medic. fac. cap. de ſangui. ne.

3. Metho. meden. cap. 2

3. Metho. medendi. & 1. de elemen. cap. 2. 8. ſec. loc. 1

cap. 3

VIde, mi Falco, quanti valuerit apud me auctoritas tua: quanti etiam imperium. Malui enim tibi morem gerere, quàm, tuum imperiũ renuens, inoſ-

ficioſus haberi: etſi innumeris, hiſque etiam quotidianis, curandorum morborum occupationibus me poteram iuſtè excuſare. Quibus, perinde ac fluentibus & creſcentibus vndis, ita penitus obruor; vt vix detur ex illis ad refocillandam vitam emergere. Tu tamen ſcribentis animum accipies potiùs, quàm doctrinam vel ingenium. Et, ſi nihil in hoc opuſculo doctum, elaboratum, excultum, ac doctis tandem tuis auribus dignum afferam, non tam paruæ meæ doctrinæ, quàm tuæ variarum ſcientiarum profunditati, temporiſque breuitati benignè precor adſcribas: vt, quando ita pręcepiſti, tibi ipſi ſolùm ignoſcas. Daturus equidem ſum, ſi quid plus otij nactus fuero, & hæc noſtra paruula hilari fronte te accepiſſe cognouero, fortaſſe doctiora ac meliora. Tuumque Donatum Antonium Altimarum altiſsimæ tuæ eruditionis ſtudioſiſsimum, vt cœpiſti, ama, amplectere & foue, ac diris maledicentium ac virulentorum morſibus tuæ auctoritatis antidoto, vt par eſt, fortiter ac animoſè tuere, cùm potiſsimùm veritatis inquiſitioni deditus, vt tu es, & non prophanis illis hæc paucula ſcripſerim. Vale 15. Calend. Iulij 1543.

DE ALTERATIONE,
CONCOCTIONE, DIGESTIONE, PRAEPARATIONE, AC PVRGATIONE, EX HIPPOCRATIS ET GALENI SENTENTIA METHODVS,

Donato Antonio ab Altomari Auctore.

1. de Natu. facul. cap. 13. in lib. quòd ani. mo. ſequ. tem. cor cap. 7. 8. de decr. Hipp. & Pla. cap. 4 1. de Natu. huma. tex. 5

HIPPOCRATES, quem primum omnium Medicorum, ac Philoſophorum, qui ad eius manus peruenerunt, Galenus vbique fatetur: non abre Epicuri Leucippi, atque Democriti opinionem, qui ex atomis inſectilibus, ac incompactilibus corpora noſtra compaginata eſſe aſſerebant, libro de Natura humana primo, hoc pacto deſtruere nixus eſt aſſerens: Mea verò eſt ſententia, ſi vnum ſit homo, nullo vnquam dolore afficiatur: neque enim eſſet, à quo doleret, vbi vnum tantum foret: quod ſi doleret, etiam neceſſariò vnum quoque medicamentum eſſet. Quam Hippocratis ſententiam Galenus libro de Conſtitutione artis medicæ, cap. octauo confirmauit: cùm dixit, Nam vnum immutabile in aliud eſt, cum in quod tranſmutetur, non habet. at immutabile inalterabile eſt, atque impatibile. quod verò eſt impatibile, id vacat dolore: ergo quod vnum eſt, id impatibile eſſe neceſſariò ſequitur. Qua de re, ſi vnum ſpecie eſt elementum: nihil in omnibus vnquam dolebit: at verò dolet. non eſt igitur elementum vnum. Ad hæc libro primo, cap. ſecundo de Elementis dicebat, Nulla atomus aut alterari, aut ſentire natura apta eſt. ſi igitur ex atomis corpora noſtra conſtarent, aut ex tali aliqua natura vniformi, non doleremus: atomi nanque omnes corpora exigua ſunt qualitatis expertia. Pari ratione ab eodem Hippocra. eorum opinio refellitur, qui vnum tantùm ex quatuor primis elementum

tex. 1. & 2

eſſe

eſſe aſſerebant,ex quo corpora noſtra,& cætera oriri volunt. quorũ quidam ho-
minem,aërem eſſe,aut ignem : quidam aquam,aut terram putabant. Nec minus
idem eſſe Hippoc.eodem lib.nonnullis rationibus eorũ placita deſtruit , qui ho- *tex.3*
minem vnum tantùm ſuccũ eſſe exiſtimabant, quorum aliqui ſyncérum ſangui-
nem,aliorum ſuccorũ expertem,vtriuſque videlicet bilis,& pituitæ : quidam pi-
tuitã,aut bilem tantùm eſſe dicebant. Quibus ſic deſtructis,ac penitus euerſis, ad
alteram prauam hæreſin diruendam accedit,quæ Empedoclis erat ; his verbis:
Proinde qui veriſimile eſt aliquid ab vno generari:cùm nec à pluribus generen-
tur,niſi mutuo temperamento conueniant? Volunt enim Empedocles ipſe corpo- *tex.12*
ra noſtra,ac cuncta alia ex quatuor elementis ficta eſſe, non tamẽ inter ſeſe con-
fuſis,ſed fruſtulatim compactis,& ſeſe attingentibus:quæ ſententia eiſdem argu-
mentis conuincitur,quibus ea conuincebatur,quę ex inſenſilibus , & impatilibus
primis corporibus,corpora noſtra ſenſilia gigni aſſerebant. quam etiam opinio-
nem Gal.reprobauit lib.de Conſtit.artis medicæ. Quibus ita confutatis,Hippoc. *cap.8*
ipſe primus inter omnes,mox eodem libro de natura humana , ſtatuit elementa *tex.12*
quatuor eſſe,eaque in mixto cõmiſceri,ac temperari (vbi ab Empedocle diſcre-
pat,qui elementa nec cõmiſceri,nec confundi in generatione aſſerebat , vt dixi- *tex.11*
mus : ſed fruſtulatim tantùm compaginari,ac ſeſe attingere) ex quibus, inquam,
elementis quatuor ſimul,modo,& æquabilitate cõmixtis,corpora noſtra genera-
ri decretũ reliquit. cùm,ſi alterũ alteri longè præſtaret,& valẽtius eſſet infirmio-
ri,nihil generaretur. quatuor ergo ſupradicta prima,omnium corporum,quę ge-
nerantur,& intereunt,ſimul commixta, ac inter ſeſe mutuò temperata , nedum *tex.15.16*
hominum,elementa cõmunia eſſe ſtatuit,quæ ſummas,ac ſynceras qualitates ha- *17.& 33*
bent primas. Et propterea quadam excellentia,calida, frigida , ſicca , & humida
appellata ſunt. propriæ autem horum ſubſtantiæ nomina ſunt ignis , aqua, terra,
& aër. ſumma caliditas igni,aëri humiditas,algor aquæ,ac ſiccitas terræ ineſt , vt
teſtatur Gal. in cõment.de Natura humana primo. Nimirum ergo, vt diximus, *com.13*
prædictas peruerſas opiniones Hippocr.deſtruxit , ſuamque veram ſtatuit : cùm *text.17*
nec ab vno aliquid generari valeat,nec à pluribus,niſi mutuo temperamẽto con-
ueniant,ac cõmiſceantur,modoque,& æquabilitate reſpondeãt. Qua de re cum
omnium corporum,quæ interitui,ac generationi ſubiacent : tum etiam hominis
natura eiuſmodi ſit,neceſſarium eſt ipſum hominem non ex vna re cõſtare. imò
non tantùm ex quatuor his elementis,verùm ex peculiaribus , quamuis nõ pro-
priis,ſed omnibus ſanguinem habentibus animalibus,communibus,ſanguine vi-
delicet , pituita flaua, tum atra bile conſtat. hæcque illi ſunt natura corporis , &
propter hæc ægrotat,& valet. valet quidem,cùm ea inter ſe virtutem, & copiam
mediocriter habent temperatas,& potiſſimùm ſi permixta ſint : contrà laborat,
cùm eorum quicquam fuerit minus,ampliúſve,aut in corpore ſecretum , neque
cum omnibus confuſum : prout decretum reliquit idem Hippocr.eodem libro
de Natura humana. Et ſi omnes noſtri corporis partes ex ſanguine generantur,
vt voluit Galen. 8. de Hippocratis,& Platonis decretis , & primo de Natura hu- *Tex.19 & 20.*
mana : tamen non ex eo ſyncero,atque impermixto,puro ſeu integro,& aliis hu- *ca.4 cõ.27.*
moribus non confuſo,cùm hic nunquam vtero gerentibus inſit : ſed ex eo , qui
per excellentiam id nomẽ ſortitus eſt,vtriuſque bilis,& pituitæ participe , corpo-
ra noſtra genita ſunt , & demum edita in lucem, ex ipſo incrementum , & perfe-
ctionem accipiunt ex quadam quaſi materia,vt idem Galenus ſentit eodem li-
bro octauo de Hippocratis,& Platonis decretis. Hinc patet,quòd , ſi ex ſupradi- *cap.4*
ctorum temperatura ſanitas in humano corpore efficitur,& cõtrà, ex horum in-
temperaturis , morbi accidunt : nec corpus noſtrũ impatibile,omniſque affectio-
nis expers eſt , velut adamas,aut quiduis id genus,teſte Gale. 1. de Sanitate tuen- *cap.4*
da : vt cùm alteratur,corrũpitur,& vertitur , neque eundem ſeruat prioris ſtatus
tenorem,propterea auxiliũ deſiderat. nam ſi impatibile atque inalterabile eſſet
humanum corpus,ſemper optima cõſtitutio perduraret, neque artis præſidio in-
digeret,vt ait Galen.libro artis medicinalis. duabus aũt tranſmutationibus cùm *cap.84*

ſubiiciatur,alterata ſimul,ac fluente eius ſubſtantia: (alteratur enim refrigerata,
calefacta,exiccata,& humectata:fluit autem,& ſecundum ſenſibiles excretiones,
ac per occultam tranſpirationem) duplici quoque eget reſtauratione:altera quæ
excedentes temperet qualitates:reliqua, quæ locum repleat inanitum, vt voluit
cap. 7 Galen.1. de Elementis.Atque hinc quarto de Simplic.medicamentorum facult.
cap.10 duplex innuit eſſe noſtris corporibus iucundum:alterum,quod impleat id, quod
euacuatum eſt,cuiuſmodi eſt nutrimentum:alterum quod medeatur ei, quod alteratum
eſt,quod quidem eſt medicamentū.Noſtra denique ſubſtantia cùm impatibilis
non ſit,immò continuò oportet per ſe totam alterari, illudque ratione
primarum qualitatum effectricium elementorum,caliditatis videlicet, frigiditatis,
humiditatis,& ſiccitatis,viciſsim inter ſe agentium,& patientiū,neceſſum eſt,
vt corpora noſtra præſidia deſiderent,ac auxiliis indigeant:cùm,ſi ex toto integrum,
illæſúmque corpus duraret,taléque quale ipſum ab initio creator fabricatum
reliquit,nequaquam correctore eguiſſet.at nunc,cum diffluat ſemper, ac diſpereat:
aliquo obſeruatore indiget,qui & quod diſsipatur,quātum,qualéque ſit,
cogniturus eſt,illicóque tale,ac tantum viciſsim reponēs inſtaurabit: &,vt ſemel
dicam,quod diſcutitur,atque euaneſcit,ingeri paulatim, atque reponi opus eſt,
cap. 19 vt ait Galen.libro An tuenda ſanitas ſpectet ad medicum, vel ad gymnaſticum.
velut,ſi corū ſubſtātia alteratur,indiget aliquo,quod excedentes temperet qualitates,
cap. 7 eodemmet Galeno teſte libro 1.de Elementis.Quocirca ars quædam non
ab re,quæ medicina nominatur,inuenta eſt,corporis humani gubernatrix. & licet
à prima eius conſtituta parte denominetur,vt idem Gale.ait eodem libro ad
cap.ult. Thraſybulum:tamen eamet ars,quæ vna eſt relatione ad vnum intentum finem,
qui ſanitas eſt,circa quem omnes artes verſantur,cum vnum in ſingulis artibus,
cap. 13 íſque bonus finis ſit,eodem auctore eodem lib.ad Thraſybulum: hanc, inquam,
ſanitatem medica ars perpetuò procurat,ſiue eam tueatur, ſiue perditam recuperet
in humanis corporibus,cum in ſanis,ægrotíſque vna hæc ars medica modo
vno vitia emendet,ea videlicet corrigens:in nullo ſiquidem alio eadem vitia
diſcrepantia,quàm ſecundum quantum.At,cùm ipſa perpetuò corporum vitia
emendat, ac corrigit, propterea correctrix ars appellatur. Quod ſi exactè,
perfectéque valentem hominem accipiat,in hocque gradu ipſum cōſeruet,euecticen
eam,id eſt boni habitus ſeruatricē vocamus,ſi verò eos,qui iam morbum
euaſerūt reficiat:analepticen, ſeu refectricem, vel inſtauratricem. Inter quas ea
quoque collocatur,quæ à medicis ſalubris propriè dicitur ac conſeruatiua ſimul.
Hæ quidem tres partes ſub ea medicinæ parte connumerantur,quę exigua vitia
corrigit;inter ſe autem ratione maioris, minoríſque diſſentiunt. Eſtque inſuper
quædam alia prædictæ artis pars,quæ à medicis propriè prophylactice vocatur:
Cui ſuccedit illa,quæ magna vitia tollit,quæ propriè curatiua dicitur. Cum ergo
cunctæ hæ partes circa vnum ac eundem propoſitum finem verſentur,qui nil a-
cap.29 liud eſt,quàm ſanitas,vt voluit Gale.eodem lib. ad Thraſybulum:ſequitur, quòd
vna tantùm ſit ars medica,per quam humani corporis vitia corriguntur in non-
In li. ad Thraſybul. cap. 25. in li.de flatib. prope ficti. nullas partes diuiſa, prout maius, & minus eſt vitium, quod corrigitur:hæcque
præſidia,atque auxilia,quibus indigent, porrigit, relatione tantum ad vnum finem,
qui,vt diximus,ſanitas eſt:corpori videlicet,aut aliquid, vt ſuperuacuū detrahens:
aut aliquid, quod deficiat adiiciens, naturalémque modum ei comparans,
qui nil aliud eſt,quàm ſanitas ipſa. Hinc rectè arbitror ab Hippocrate relatum
fuiſſe, quòd medicina eſt appoſitio, & detractio: appoſitio quidem deficientium,
detractio autem redundantium.verùm,ſicut non vnius artis eſt opus facere,
cap.26 & alterius vitiatum corrigere,ſed eiuſdem,vt ait Galenus lib.An tuenda ſanitas
ſpectet ad medicum,vel ad gymnaſticum, ita nec vnius opificis eſt corpora
noſtra creare,alterius verò eorundem corporum vitia corrigere.Atqui,cùm natura
primaria ſit humani corporis opifex, nos autem ab initio animal creare
non poſſumus,nec primam eius formationem inſtituere: ipſáque iterum natura
ægrotis ſanitatem comparat,nec alia profectò ratione fœtus in præſentia in

lucem

lucem edito alimentum ſuppeditat: quin etiam ſimiliter nunc operatur, alit,
digerit,excernit,omniaque,vt ſemel dicam,in præſentia vt prius eadem ratione
miniſtrat. ars ergo primaria naturæ eſt. Qua de re ritè à priſcis ſapientibus dictũ
eſt,naturam in omnibus auxiliari, naturam morbos iudicare, naturam morbo-
rum eſſe medicatricem: Medicum autẽ eiuſdem eſſe miniſtrum: vt teſtatur Ga
lenus eodem libro ad Thraſybulum, necnon libro primo de diebus decretoriis cap.26
auctoritate Hippocratis aſſerit,quòd natura omnino ſufficit: pariterque Medicũ cap.11
ibi appellat naturæ miniſtrum,non pharmacopolam quendã ex triuio,ſed re ve-
ra medicum.Cum denique naturæ morborum ſunt medicatrices, vt ait Hippo- ſec.5.tex.1
crates libro ſexto de morbis vulgaribus: ac ipſa natura corpus alit,digerit,excer
nit,& omnino ſufficit,vt ſuperius diximus ex Hippocratis,& Galeni mente, eſt- ſec.5.com.1
que eſt artifex,& animalibus conſulit, vt idem Galenus teſtatur ſexto de mor- in 1.de po.
bis vulgaribus,cùm hoc commentariolo nil aliud dicendum proponam, quàm na cap.13
quot,& quibus mediis,ac quando poſsit ipſi naturæ à re vera Medico, ac ipſius
miniſtro cum oporteat opitulari,præcipuè in curandis morbis. prius quid per na-
turam ipſam intelligendum eſt, quidque ea ſit, ac quo pacto omnino ſufficiat,
primùm explanare licebit: deinde quomodo ea pro quibuſdam functionibus
perfectius obeundis, ac quibus mediis iuuanda ſit,dilucidare non grauabor. At,
quoniam ad artem maximè neceſſaria ſunt, quæ hic conſcribimus, præſertim
quia pro tyronibus laborem hunc ſuſcepimus: ſi qua ſæpius repetimus (cum hoc
melius ſit auctore Galeno in commento aphoriſmi vigeſimi ſecundi quarti li-
bri) culpandi minimè erimus.

De Natura.

VNiuerſam hominis naturam eſſe ſanguinem,pituitam, & bilem gemi- tex.18
nam,flauam videlicet,& atrã ab Hippocrate, vt ſuprà retulimus, pri-
mo de natura humana decretum eſt: nam,licet, vt diximus, humana
corpora ex ſanguine conformentur, non tamen ex eo ſyncero, cùm
hic prægnantibus nunquam inſit, verùm vt participe vtriuſque bilis, & pituitæ.
Et quis inficias ibit corporis pleraſque partes ex ſemine gigni Galeno apertum
eſſe? nam ſeminis parua in vterum deiecta moles eſt,nutriturque,& amplificatur
ex ſanguine. Nec verò id incognitum eſt, ex ſanguine quoque ſemen genitum
eſſe:qua de re qui ex ſanguine corpora humana generari aſſerunt, at non ex eo
mero & aliorum humorum experte, ſed ex eo,qui per excellentiam id nomen
ſortitus eſt vtriuſque bilis,& pituitæ participe,nihil Galeno pugnabit, vt lucidè com.27
videre licet apud eum libro primo de natura humana. Quam quidem hominũ
naturam duplicem quoque eſſe,videlicet tum omnium communem, tum cuiuſ-
que propriam,ab Hippocrate primo de morbis vulgaribus decretum eſt. qua de ſec.3.tex.1
re,cum apud eundem ipſius naturæ eſſentia in quatuor elementorum tempera-
tione poſita ſit, ſequitur humani corporis naturam idem eſſe, quod tempera-
mentum,ſeu temperaturam quatuor elementorum,humidi,ſicci, calidi, & frigi-
di,vt patet Galeno ſecundo de natura humana, & in commento aphoriſmi ſe-
cundi libri iij. & 34. libri ij. quę quidem natura,licet quæ opus eſt,efficiat,ineru- com.1
dita,& indocta,vt ait Hippocrates ſexto de morbis vulgaribus: tamen à Galeno 1.de uſu par. com.2
ponitur eam eſſe artificem,animalibus conſulere, ac vim quandam eſſe inhabi-
tantem in ipſis corporibus, quæ ab ea reguntur, eodem libro ſexto de morbis ſec.5.text.
vulgaribus: idque de mente Hippocratis. At quæ ſit ipſius naturæ ſubſtantia, com.2
quæ nos & finxit, & gubernat, ipſe Hippocrates non auſus eſt pronunciare, text.com.1
quanquam noſtræ creationis auctorem naturam appellat, prout omnibus ho-
minibus mos eſt, teſte Galeno, nono de Hippocratis, & Platonis Decretis. cap.8
At idem Galenus libro de temperamentis tertio, naturam ait eſſe vniuer- cap.4
ſam ſubſtantiam,ac temperiem,quæ ex primis elementis conflatur,calido, frigi-
do,humido,& ſicco. Quod autem hæc eadẽ natura,quæ humani corporis parti-
culas effinxit,ac ſenſim adauget,omnino per eas totas ſit extẽſa, vt quæ totas eas

per totas, non tantùm extrinſecus, fingat, nutriat atque adaugeat, dilucidè idem met Galenus declarauit ſecundo de Naturalibus facultatibus. hanc cuiuſque hominis particularem naturam, vt dilucidius loquamur, ſubdiuidere licet in totius corporis temperamentum, & cuiuſque particulæ eiuſdem corporis naturam, ſeu proprium temperamentum, ipſam quidem gubernans. qua diuiſione Galenus vtitur in pleriſque locis, præcipuè libro primo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos in principio. verùm ipſius primæ noſtræ naturæ, ſeu temperamenti tria ſunt, quæ ſubſtantiam complexerunt, ſpiritus ſcilicet, ſanguis, & ſeminalis humiditas, vt ait Galenus in commento Aphoriſmi 15. primi libri. Et libro vndecimo Methodi medendi fatetur naturam ex tribus partibus conſtare: ex ſpiritu videlicet, & ex ſolidarum partium ſubſtantia, quæ partes ex genitali ſemine conditæ ſunt: & tertio ex carnoſa ſubſtantia, quę ex ſanguine gignitur. Et, ſi ſuperius relatum ſit à nobis cunctas noſtri corporis partes ex ſanguine, non tamen ſyncero, formari, idque Galeno minimè pugnare: diſtinctius ſi loqui velimus, partes, quæ carnoſæ magis ſunt, ex ſanguine: quæ verò ſolidiores in primo ortu, ex ſemine fieri atque formari fatebimur, prout patet ex Galeni mente libro primo de ſemine, idque aduerſus Ariſtotelem concludit. His ſic dilucidatis, cuilibet, vel parum in arte medica exercitato patet, quid per naturam tum communem omnium hominum, tum cuiuſque propriam, ac demum ſingularum partium, ex Hippocratis, & Galeni ſententia intelligere debeamus. Verùm, quia ſuperius relatum eſt, naturam ipſam ab initio fuiſſe animalis opificem, eiqs demum alimentum ſuppeditare, digerere, excernere, ac omnino ipſi miniſtrare, vt patet Galeno ex Hippocratis mente libro nono de Hippocratis, & Platonis Decretis, & libro, Num tuenda ſanitas ſpectet ad medicum, vel ad gymnaſticum: nec minus apud Galenum ſæpenumero reperimus, calidum innatum hæc eadē in animantibus perficere, vt patet in commento aphoriſmi 15. primi libri ſub his verbis, Neque enim aliud quicquam animal ab initio afformauit, ſic vti neque rurſus adauxit, aut vſque ad mortem enutriuit, præterquam iſte calor innatus, de quo nunc habetur ſermo. hic igitur eſt omnium operum naturalium cauſa. Verùm, quoniam in nonnullis locis, vt ſuperius diximus, & pariter in commento aphoriſmi tertij primi libri aſſeruit ſemper naturam, coctionem, alimenti diſtributionem, ſanguinis generationem, adiectionem, agglutinationem, atque aſſimilationem operari, velut maximè neceſſarium, diſcutiendum videtur, num Hippocrati, & Galeno, velut natura, & temperamentum, vt ſuprà retulimus, idem ſunt: ita quoque calor innatus, & natura, an in aliquo diſcrepant. Et, cum ad amuſsim oſtenſum ſit, quid per naturā ſibi velint, pari ratione ſuccinctè quoad poſſumus, quid per calidum innatum ex eorum mente intelligendum ſit, dilucidabimus: quò facilius quiſque diſcere valeat, num natura, & calor innatus idem ſint, vel in aliquo diſcrepent.

cap.3 | 1. de ſem. ca. 13 | cap.1 | cap.1 | cap.5 | cap.8 | cap.26 | lib. de marc. ca. 3. 6. epi. 5 v. con. 5. 8. de decretis Hip poc. & Pla. cap.7

De calido innato.

NE quis decipiatur, de calido innato pro ſubſtantia, ac corpore calido, non autem pro qualitate differere proponimus. appellatur autem hæc ſubſtantia innatum calidum ab efficaciſsima, quæ in eo eſt, qualitate: vt ſentit Galenus in commentario aduerſus Lycum. id autem nil aliud eſt, quàm ſanguis, & ſemen, vt eodem loco ab eo aſſeritur. necnon ab eodem auctore in commento Aphoriſmi 15. primi libri, facultas nos gubernans calor innatus appellatur: cuius eſſentia in ſpiritu vnà cum ſanguine, ſanguineiſque viſceribus repoſita eſt, vt idem Galenus quoque teſtatur ſexto de morbis vulgaribus, & in commento 15. aphoriſmi primi libri. Qua de re eius ſubſtantia aërea eſt, & aquea, ſeu in ſanguine, & pituita ſubſiſtit: qualitate verò eſt congruè, ex frigiditate, & caliditate contemperatus, prout Galenus aſſerit octauo de Hippocratis, & Platonis Decretis. Hinc Galenus ipſe libro de palpitatione, tremore, rigore, & conuulſione, ipſum calidum innatum eſſentiam ſeipſam mouen

cap.7 | Sec. 4. cō. 25 | cap.7 | cap.6

mouentem,ſempérque mobilem eſſe fatetur.Et,quia ſemper mobilis eſt,non in-
tra tantùm,extràve mouetur:ſed alius alium motum ſemper excipit.quoniam,ſi
intrà ſolùm moueretur,immobilis ocius euaderet:extrorſus verò,ſi tantùm mo-
ueretur,diſſiparetur,& periret. nunc autem modicè ſuccenſus, ac modicè adau-
ctus perpetuò mouetur.Succenditur quidem ad ima corporis lapſus, quo alatur
appetens:obtinet enim & ipſe ex ſanguine perſeuerantiam: quemadmodum ex
lignis idoneis,qui in foco eſt,ignis,eodem Galeno teſte,libro de Curandi ratione cap. 5
per ſanguinis miſsionem. At auctus,& expanſus affatim, fermè extingueretur.
quòd autem extrorſus exeat,à principio proprio id obtinuit, quia calidum natu-
ra eſt.at interiorem,& infernum ſtatum poſsidet,quòd frigoris alicuius ſit parti-
ceps,quandoquidem mixtum ex calido,& frigido exiſtit.prima itaque calidita-
tis ratione eſt ſibimet motor.Magnum verò vſum et frigiditas adiungit:nam niſi
frigus obſtaret,cum ſurſum ferri calor aptus natus eſt:ſumma peteret, ſimúlque
cum eo alimenta ferret.hunc ergo motum caloris,ne longius protenſus pereat,
frigiditas ipſa impedit:dubium namque eſſet,ne ſua leuitate, & ad ſuperna im-
petu corpora deſereret.quare detinet frigiditas,& impedit,& vehementis elatio-
nis impetum moratur.Verùm,cum aſſerimus calorem hunc innatum ſemper
mobilem eſſe,ſeipſúmque mouere duplici motu,tum ad intra ab extra, tum ad
extra ab intra,horum motuum quidam caloris innati primus dicitur, teſte Gal. cap. 9
libro 3.de Cauſis pulſuum,cum videlicet mouetur foras,& extra:ſecundus verò
eius motus eſt cum intro,& in ſeipſum mouetur.Nec ab re vnus iſtorũ motuum
primus dicitur:nam à proprio principio,vt diximus,quia calidus natura eſt,obti-
nuit vt foras,ſurſum,& extra moueatur. Secundus autem motus, propterea ſe-
cundus appellatur,quia intro,& in ſe ipſum mouetur:non propter aliud, niſi pro-
pter alimentorum cõfectionem:& non quia calidus natura ſit, quinimmo vt ali-
menta conficerentur,ipſéque intus detineretur diu. Vbi abſolutè ſucci confecti
ſunt,ſi neque proprium ſuum motum primum, quo fertur foras repeteret, intra
firmus,immobilis ocius euaderet,eum vtrinque eſſet otioſus,atque ita permanẽs
nil aliud eſſet,quàm via ad mortem,ac eius extinctionem:ſubſtantiæ enim ſem-
per mobili mors eſt quies.Hinc patet calidum innatum,ex Hippocr.& Gale. ſen
tentia,nihil aliud eſſe,quàm eſſentiam ſeipſam mouentem,ſempérque mobilem,
vt ſupra retulimus,nec quicquam aliud eſſe naturam animalium præter hoc cali-
dum ſecundum Hippocratis opinionem,quam Galenus aſſerit in comment. 15.
Aphoriſmi 1.lib.& commento Aphoriſ.37.quarti libri, ex mente eiuſdem Hip-
pocratis aſſerit,Quæ noſtra corpora regit natura,nihil aliud eſt, quàm calor na-
turalis:qui etiam nil aliud eſt,quàm ſanguinea ſubſtantia,ſimulque aërea, ſeu ſe-
minalis,vnà cum ſpiritu,vt idem Galenus ait, quinto de Simplicium medicamen- cap. 9
torum facultatibus,quod iterum de natura ſuperius dictum eſt.Qua de re indu-
bitanter nil aliud eſſe calorem innatum concludamus,quàm naturam atque ani-
mam:immo natura,atque anima,de mente Hippocratis, nihil præter ipſum eſt,
vt Galenus aſſerit libro de tremore,rigore,palpitatione,& conuulſione. calidum cap. 6
ergo innatum,naturam,atque animam idem eſſe ex Hippocratis ſententia,vt ſu
pra oſtendimus:nemo aſſerere vereatur:velut & corporis naturam, idem quod
temperamentum,eodem Galeno auctore libro de Natura humana,& libro 1.de *2.de Nat.hu-*
Vſu partium,nóſque de eorum intentione illud citra cõtrouerſiam fatemur, etſi *ma. cõment.1.*
vt Chriſti aſſecla,& vt rei veritas eſt,aliud de noſtra anima ſentiam,quam incor *1.de Vſu par-*
ruptibilem,& immortalem firmiter teneo:licet Galen.de Ratiocinatricis animæ *tium, cap.9.*
eſſentia aſſertiuè loqui perpetuò veritus ſit.

Quòd ars medica, ac medici neceſſarij ſint.

VErùm,cùm ſuprà relatum ſit,ex Hippocratis, & Galeni mente, natu-
ram in omnibus auxiliari,naturam morbos indicare,naturam morbo
rum eſſe medicatricẽ:& in ſumma, naturã ſumma quadam prouiden-
tia corpori noſtro proſpicere,ac prorſus ſufficere,forſitã quiſpiã ex his

ſuſpie

ſuſpicabitur, artem medicam, ac medicos ipſos tanquam ſuperfluos, tolli debere: cùm natura ipſa omnino ſufficiat, cuncta adminiſtrando ſeruandi animalis cauſa, cuius quoque primaria hæc eſt ars, vt diximus. At ſi quis verba Galeni perlegerit (*Sect. 2. tex. com. 1*) ſexto de Morbis vulgaribus: dilucidè percipiet non mendacem eſſe, qui aſſerit à medicis morbos curari: nec eum, qui artem medicam laborantium ſanatricem eſſe teſtatur: eadem ratione nec illum, qui primã naturã languoribus mederi exiſtimat. verum ergo eſt dicere, naturam morbis mederi: rectè quoque, & artẽ medicam, ac medicum: verè inſuper, & eius eſſe miniſtrum, ac auxilia ipſa cõgruentis qualitate, copia, & tempore exhibita: cum auxilia in tempore ægrotis adhibere ſolius medici ſit, iſque auctor, ac occaſionis inuentor, diſtinguens optimè per artem, quam didicit, ſalubria atque inſalubria. Quæ ergo primò languoribus medetur, omnia congruentia in animalium corporibus operans, alens quidem cùm alimento opus eſt, ipſiſque ſanguinem præparans, per quem egenas particulas nutrıat, cibum in ventriculo conficiens, iterum vt ſanguis ipſe creari poſsit: & in ſumma; quæ quatuor facultatibus animal regens, omnia molitur, ac perficit, non modò ſanum animal tuendo, ſed etiam ægroto ſanitatem reſtituendo, natura quidem eſt dignitate antecellens cunctas alias ſanitatis effectrices cauſas: cum omnes materiam ſibi parent, ac ſuggerant. Poſt quam, ſecundo loco dignitate ſuccedit ars ipſa medica, per quam medici fiunt, cuius artis vi medici ipſi vtentes, morbos pellunt, ac auxilia ipſi naturæ parant, & miniſtrant. Tertium locum medicus obtinet: nam ars ipſa medica medicis dignitate præſtat, vt aſſerit Galenus eodem citato loco (*eodem loco.*): & propterea dignitate vltimos eſſe eos, qui medicis miniſtrant ad ſanitatem comparandam: & eos, qui materias præparant, quos herbarios vocant. Hinc concludamus, naturam omnium artium, ac artificum ad medendum primariam, ac potiſsimam eſſe: poſt quam vt diximus, ſequitur ars ipſa medicatiua, quæ naturæ miniſtra eſt. ſuccedit & medicus tertio loco, quem vbique tum naturæ, tum ipſius artis miniſtrum Galenus appellat, præcipuè primo de Morbis vulgaribus (*Sect. 1. com. 45. & 51. 1. de diebus decr. 11*), & libro primo de Diebus decretoriis: poſt quem ſequuntur ipſorum medicorum miniſtri, materias atque inſtrumenta ipſis medicis parantes. hi verò ſunt herbarij, vnguentarij, coqui, venam ſcindentes, clyſteres immittentes, cataplaſmata adhibentes, & ſimiles alij. Qua de cauſa licet ſuperius relatum ſit, naturam omnino ſufficere, eámque morborum eſſe medicatricem, ac ipſius primariam eam eſſe artem: tamen, quoniam ars ipſa medica in numero eſt earum, quæ effectrices nuncupantur, reparatricium tamen, ac correctricium: in quibus duo præcipuè inſpiciuntur: efficientis cauſæ videlicet potentia & impotentia, & materiæ copia vel inopia, vt ait Galenus libro de Conſtitutione artis medicæ (*cap. 12*); rarúmque eſt artem aliquam effectiuam inuenire nulla alia egentem, quæ aut inſtrumenta fabricetur, aut materiam operi idoneam reddat: hac de re, licet natura ipſa vt efficiens cauſa ſanitatis tum conſeruandæ, tum recuperandæ admodum potens eſſet cuncta perficere, quantum ex ſe eſt, indigebat tamen & materiæ copia, quam extrinſecus ſuſcipere debebat, cum in ſe non haberet. Hinc non ab re ipſi naturæ ſuccurrunt & alij miniſtri, præſertim cum quædam in humanis corporibus fiant, quæ ipſi quidem naturæ, non tamen eius miniſtris negata ſunt: vt ſuperfluæ carnis abſciſio, aut luxati articuli repoſitio. At, cum inter eos, qui naturæ miniſtrant, quidam ſint, qui potius mediatè, quam immediatè ei miniſtrare videntur (vt hi, qui materias tantùm, aut inſtrumenta parant, potius medicis ipſis immediatè, quàm ipſi naturæ miniſtrant.) quidam verò ſunt, qui non tantùm inſtrumenta, aut materias: verùm qualitatem, quantitatem, occaſionem, & vtendi modum ipſarum materiarum dignoſcentes, ea ratione naturæ miniſtrant, vt potius auxiliorum, ac occaſionum inuentores ſint, quàm materiæ auxiliorum: tunc enim auxilia dicimus naturæ miniſtrare, cum auxiliorum materiæ in tempore, atque, vt decet, aliquibus humanis corporibus applicantur, Galeno teſte vndecimo Methodi medendi (*cap. 1*, *cap. 11*). Hinc non ab re Galenus primo de Diebus decretoriis, eum medicum appellat

naturæ

naturæ miniſtrum,qui re vera medicus eſt: & non qui pharmacopola ex triuio;
cum hic tantum abſit à iuſta appellatione miniſtri naturæ, vt etiam maxime con
trarium nomen ipſi conueniat magis,iniquo videlicet,& ipſius naturæ , & ægro-
tantium hoſte iure appellato.Is ergo,qui re vera medicus eſt, diſtinguerêque per
artem didicit ſalubria ab inſalubrib.quique vi eius artis,ac auxiliis vtẽs morbos
pellere valet ; quamuis non primò vt natura ipſa , ſed veluti ipſius naturæ admi-
niculator,atque miniſter : præterea nec ars ipſa medica,nec reuera medicus tol-
li debent pro humani corporis ſanitate tum ſeruanda, tum recuperanda ; quan-
quam ars ipſa,vt diximus,per quam verè medici fiunt,dignitate prior ipſis ſit, vt
ait Galen.ſexto de morbis vulgaribus. Cuncti verò alij, qui medicis miniſtrant, Sect.5.com.1
materias auxiliorum parãtes,aut inſtrumenta idonea,potius medicorum , quam
naturæ miniſtri appellandi ſunt : cùm nec qualitãtem,nec quantitatem,aut occa-
ſionem,vel vtendi modum cognoſcant. Quare eis digniores ſunt medici ipſi,ve-
lut etiam & auxiliis : medicis verò ars medicatiua : quæ rurſus,vt retulimus, na-
turæ miniſtra eſt , eius videlicet,qui vel curatur , vel præſeruatur , vel conſerua-
tur. Tunc ergo naturæ medicus auxiliatur , vt ſæpius diximus : cùm auxilia in
tempore , atque,vt decet,ei porrigit,atque propinat. quòd ſi importunè oblata
fuerint ; non amplius ſalubres cauſæ , neque auxilia dicentur. Porrò,cùm in his
adhibendis nonnullos noſtri temporis iuniores medicos hallucinari inſpiciam,
qui intempeſtiuè materias aliquas auxiliorum naturæ propinantes,ei opitulari
ſe autumant,cum potius eam impediant,quàm ipſi miniſtrent , prauóſque erro-
res committunt : non ſolùm quia intempeſtiuè auxiliorum materias naturæ pro-
pinant , verùm quia etiam cuncta confundunt : nam ſæpenumero alterantia , aut
præparantia propinantes auxilia ſe naturæ adminiculari in concoctione , vel in
digeſtione opinantur:& contrà coctioni,vel digeſtioni,cum fortè fortuna auxi-
lientur,aſſerunt ſe parare expulſioni,aut præter præparationem tantùm alterare
putant : rogantibus amicis , vt quando,& quibus auxiliis naturæ opitulandum
ſit,præcipue in propulſandis morbis,aut in ſola alteratione perficienda , aut con-
coctione,ſimul cum ea alteratione,vel digeſtione , ſeu præparatione , ac purga-
tione , dilucidare vellem ; ſubij,vt eis gratificarer,libenter hoc onus:ſimúlque vt
ad propoſitam materiam ſtylum exercerem. Itaque de alteratione primo diſ-
ſerere decreui , tanquam quodam communi genere ad cuncta alia : nam abſ-
que alteratione , nec concoctio , nec digeſtio , nec præparatio , aut purgatio
fieri valet.

De alteratione.

VElut,cùm corpus aliquod ab his,ſub quibus antea fuit , in nullo eſt im-
mutatum,quieſcere id dicimus,vt Galenus aſſerit primo de Naturali-
bus facultatibus : ita equidem ; ſi in aliquo ab iis receſſerit, ſecundum cap.2
illud id moueri dicimus,& cum nonnullis modis corpus à ſtatu,in quo
erat,recedat; pari ratione multis etiam modis moueri dicetur. At,quoniam mo-
tum prioris eſſe habitus mutationem à Galeno aſſeritur libro primo Methodi cap.6
medendi : ea verò immutatio dupliciter fit,eodem auctore libro ſecũdo metho- cap.3
di,& libro primo de locis affectis : quorum vnus lationis, alter alterationis dici- cap.3
tur. atque ea mutatio,quæ in loco agitur,latio appellatur : quæ verò in qualitate,
alteratio. Latio ergo prioris loci mutatio erit. at alteratio à Galeno ſecundo
Methodi medendi aſſeritur,quòd eſt generatio qualitatis,aut affectus,ſeu diſpo- cap.3
ſitio , vel mutatio eius,quod prius fuit. hæc autem fit,cum quæ prior in corpore
qualitas erat , mutatur , & nunc noua gignitur . erit ergo alteratio mutatio in
qualitate, ſeu demutatio eius, quæ prius fuit qualitatis , prout Galenus aſſe-
ruit primo Methodi medendi.hæ ergo ſunt primæ duæ,ſimplicéſque motus dif- cap.6
ferentiæ ; quanquam enim lationis motus prior , ſimpliciorque ſit , cum auctio,
diminutio , & generatio, licet in his quoque motibus prioris habitus ſit immu-
tatio , veluti in prædictis ; tamen compoſiti ſunt , & non ſimplices motus , vt ait

cap. 2 Gal. 1. de Naturalibus facultatib. Verùm in quacunque re alterationes fuerint, in
ipſo fieri eſſentiam ſuam poſsident: cum, ſi quis ex albo niger, aut ex nigro fiat
albus, is in colore mouetur: &, ſi quid prius dulce, poſtea fiat auſterũ, vel ex au-
ſtero dulce: eum in ſapore motum eſſe dicimus, amboque in qualitate moueri:
veluti qui ex calidiori frigidior fit, aut ex frigidiori calidior, vel ex ſicco fiat hu-
midus, aut ex humido ſiccus: eum quoque moueri affirmamus, cõmunéque his
omnibus nomen alteratio eſt. Quoniam verò corpora noſtra, velut cuncta alia,
quæ ortui, ac interitui obnoxia ſunt, vt ſuperius retulimus, duabus tranſmuta-
tionibus ſubijciuntur: vna fit, cùm eorum ſubſtantia alteratur, quæ non niſi cal-
facta, refrigerata, exſiccata, & humectata alteratur: nam ſolę hæ qualitates totam
cap. 7 tranſmutant per totam ſubſtantiam, teſte Galeno libro primo de elementis, & li-
cap. 9 bro de cõſtitutione artis medicæ: cuiuſlibétque noſtri corporis propria ſubſtan-
tia, in ſupradictarum primarum qualitatum quadam temperie eſt, ac proinde
ſubſtantia facultatum, quibus ea reguntur, proprietas eſt temperamenti, prout
cap. 3 Galenus aſſerit libro de Multitudine. Altera verò tranſmutatio efficitur, fluente
eorum ſubſtantia, quæ non tantùm per ſenſibiles excretiones fluit; verùm & ſe-
cundum illam, quæ occulta nominatur tranſpiratio: nimirum ſi duplici quoque
egeant reſtauratione: vna, quæ excedẽtes temperet qualitates: altera, quę locum
1. de Elem. repleat exinanitum, vt ſuperius dictum eſt. Verùm quæ excedentes qualitates
cap. 7 temperat, ſeu exuperantiam deſtruit, contraria debet eſſe qualitas excedenti, at-
que exuperanti: quæ verò defectum ſupplet, non eſt quidem contraria, ſed magis
ſimillima eſſe debet ſubſtantiæ prius euacuatæ: nam vicem illius in animalibus
obtinere oportet. hoc verò efficitur, cum ex ſubſtantia deperditæ ſimili corpora
enutriuntur: quam ſubſtantiam, alimentum nominamus; licet hæc quoque, quæ
cap. 2 corpora noſtra nutriunt, ea alterent, atque mutent fere omnia, vt ait Gale. tertio
cap. 1 de Temperamentis. hoc autem alimentum à Gal. 1. de Simplic. medic. facultati-
2. lib. de ali- bus dicitur eſſe quicquid ſubſtantiam noſtri corporis augere poteſt; quanquam
men. prope auctore Hippocrate, id tripliciter dicatur: nam nutrimentum ipſe appellat, quod
prin. nutrit: nutrimentum quoque, quod veluti nutrimentum eſt: pariter & nutrimen-
tum, quod nutriturum eſt, vt ait Galenus primo de Naturalibus facultatibus. Il-
cap. 11 lud verò, quod ſecundum ſolam qualitatem ſubſtantiam noſtri corporis alterat,
medicinam, ſeu medicamentum appellamus. quod medicamentum à Galeno pri
cap. 1 mo de Simplicium medicamentorum facultatibus, omne id dicitur, quod natu-
ram noſtram alterare poteſt, abſque hoc, quòd ſubſtantiam corporis augeat. &,
vt vno verbo dicam, ea, quæ aſsimilantur, omnia nutrimenta vocantur: reliqua
verò omnia medicamenta appellantur. Eſt porrò & horum mendicamentorum
cap. 2 natura duplex, teſte Galeno tertio de Temperamentis; quippe vel cuiuſmodi
ſunt aſſumpta, eiuſmodi etiam permanentia vincunt, ac corpus mutant. & hæc
prorſus tum venenoſa, tum naturæ animalis corruptricia pharmaca ſunt. Vel
mutationis initiũ ab animalis corpore conſequuta, poſtea corpus noſtrum alte-
rant: quæ multis modis dicuntur, vt patet Galeno eodem libro tertio de tempe
ramentis. nos autem de prima medicamentorum natura penitus loqui non in-
tendimus, nec de cunctis, quæ in ſecunda medicamentorum natura continentur:
verùm ſecundam in duas ſpecies diuidentes, quarum vna eſt, quæ ſecundum ſo-
lam qualitatem ſubſtantiam alterans, enutrire tamen animal non valet, ſeu ſub-
ſtantiam augere, aut exinanitum locum replere, velut de nutrimento diximus.
Altera ſpecies eſt, quæ non tantùm noſtri corporis ſubſtantiam alterat, cum hoc
quod neque exinanitum corpus replet, verùm de corpore eam educit per quam-
cunque viam ſenſibiliter euacuans: quæ medicamenta purgantia à medicis no-
minari ſolent: redundant nanque in corpore quædam in quantitate, & quædam
cap. 13 in qualitate, vt Galen. aſſerit vndecimo methodi medendi. Cùm ergo de altera-
tione, ac medicamentis alterantibus in hoc capitulo diſſerere propoſuimus; de
eis loqui intendimus, quæ corpus alterare poſſunt abſque ſubſtantiæ diminutio-
ne, aut augmento. nam licet nonnullæ aliæ alterationes dici poſſent: & ea, quæ
naturæ

naturæ in ipſis actionibus opitulantur, alterantia quoque nominari nomine ge-
neris:hic tamen de ea,quæ excedentes in corporibus temperat qualitates, abſque
hoc,quod corporis ſubſtantiam augeat,aut minuat,ſed eadem manente, ac ſer-
uata intelligendum eſt propriè ſumpta, pro mutatione tantùm eius qualitatis,
quæ prius fuerat in corpore,& generatione alterius contrariæ,abſque hoc,quod
aſsimilet,ſeu diſtribuat,diſsipet,atque ſubſtantiam euacuet.Hæc autem excedens
qualitas erit,cum noſtri corporis ſubſtantia alteratur, refrigerata, calfacta, exic-
cata,& humectata,aut cum ex harum qualitatum diuerſis combinationibus af-
ficiatur. quòd ſi vnam valeremus ſine ſubſtantia qualitatem inuenire; ea ſola v-
teremur, ac eam ſolam adhiberemus, vbi alterare neceſsitas vrgeret.nunc ve-
rò, cum nec vna qualitas ſine ſubſtantia inueniri poſsit, vt Galenus aſſerit libro
primo,cap.ſeptimo de Elementis; cogimur eas qualitates vnà cum earum ſub-
ſtantiis corporibus adhibere, vt contraria qualitas in ipſis exuperans ab eis de-
ſtruatur. Et, ſi quandoque exuberans ipſa qualitas in corporibus ſumma ſit cor-
pora accipimus, in quibus contraria qualitas in ſummo reperiatur, præcepto
Galeni tertio de Temperamentis. velut, ſi in corpore ſumma ſit ſuperabundans cap.5
frigiditas; ignem adhibemus. quòd, ſi ſuperabundans qualitas ſumma ſit calidi-
tas; aquam afferimus.quo tempore elementis pro medicamentis vtimur, vſúm-
que ea medicinæ præbent,vt Galenus præcipit libro primo de Elementis.Si ve- cap.7
rò à ſummo paulum recedat, aut plus à ſummo abſit ipſa ſuperabundans præ-
ter naturam in corpore qualitas; non amplius ipſis elementis prò medicamen-
tis vtimur,ſed mixtum aliquod ex eis eligimus. veluti, ſi calfacere intendimus;
medicinam eligimus,in qua maior ſit portio ignis,quàm contrarij elementi, vbi
verò frigefacere volumus; vice verſa medicinam eligimus, in qua maior ſit por
tio aquæ,quàm ipſius ignis, quæ à ſummo quidem paulum, vel multum decli-
nans ſit ad portionem ipſius receſſus,auctoritate Galeni tertio de Temperamen cap.5
tis;ſæpenumero verò contingit,quòd vtriſque ſimul opus eſt,alterare videlicet,
& enutrire túneque ſubſtantiam quærimus,quæ & alimenti,& medicamenti af-
ferat vtilitatem.hæc autem veluti medicamenta corpus noſtrum alterant, ac af-
ficiunt toto eo tempore,quo concoquuntur.at vbi concocta, ac aſsimilata ſunt;
prorſus calorem naturalem augendo, vt alimenta omnia nutriunt, Galeno au- cap.4
ctore tertio de Temperamentis. Cùm ergo duæ ſint primarum indicationum
differentiæ,vt teſtis eſt Galenus tertio Methodi medendi,quod ſecundum natu- cap.3
ram ſe habet,videlicet ſui cuſtodiam indicans,& propterea quæ ſibi ſimilia ſunt
poſtulans,& quod præter naturam eſt, ſublationem ſui, eóque contraria requi-
rens:perit enim quicquid in contrarium,& à contrario,vt idem Galenus eodem *ibidem & 11.*
loco, & libro vndecimo eiuſdem; hinc non mirum, ſi ab Hippocrate hoc au- *Meth. meden.*
reum,æternæque veritatis præceptum recepimus, nempe contraria contrario- *cap.3*
rum eſſe remedia: hoc etenim neglecto,omnem medendi methodum confun-
demus,vt eodem libro vndecimo methodi medendi Galenus aſſerit. nam om- cap.12
nia,quæ præter naturam ſunt; ab his,quæ ipſis ſunt contraria,curantur,ſiue mor-
bi ſint,ſiue morborum cauſæ,ſiue ſymptomata morbi:quanquam morbus ſolus
per ſe ſubſiſtens ſolus quoque curationem propriã ſuſcipit, isque præcipuè con-
traria poſtulat remedia.At,ne quis decipiatur,cum contraria contrariorum eſſe
remedia dicimus; non tantùm ea, quæ poteſtate contrariâ ſunt intelligi volu-
mus, verùm etiam quæ actu, aut ex accidenti ſunt talia. & hoc de intentione
Galeni vndecimo Methodi medendi; licet quod poteſtate,ſeu ſecundum poten- cap.9
tiam tale ſit,præcipuè à medicis audiatur: veluti, cum febris dicimus perpetuò
remedia eſſe frigida: eóque ipſam ſanare, per frigidum intelligendum eſt non
tantùm aquam frigidam,quæ talis eſt in actu,ſed alia,quæ partim poteſtate,par-
tim ex accidenti refrigerant,auctore Galeno vndecimo Methodi.auferuntur er- cap.9
go,quæ præter naturam ſunt omnia à ſuis contrariis,præcepto Hippocratis. ve- *Ex lib.de fla-*
rùm, quoniam quæ præter naturam ſunt, cuncta immoderata dicuntur: quæ *tibus, prope*
verò ſecundum naturam, moderata, neceſſum eſt in omnibus immoderatis à *princ.*

contrariis immoderatis (vt diximus) ad commoderatum regreſsionem molitur. Nam veluti viam quandam ire, quod præter naturam ſe habet, dum ad naturam redit, eandem, quidem, ſed contrario itinere, remeare oportet, vt ait Galenus libro de Conſtitutione artis medicæ, & libro artis medicinalis, pariter libro primo de articulis dicebat. Neceſſe autem eſt, vt qui in priſtinum ſtatum rediturus eſt, is eadem via, vnde eſt digreſſus, reuertatur, quod perindè eſt, ac ſi dicamus, vt contrarium iter faciat. Eatenus verò iubet Galenus cōtraria immoderatione vti pro ſublatione eorum, quæ præter naturam ſunt: vt tum primum deſinas, vbi ad commoderatum perueneris. Hoc inſuper communiſsimum, ac generaliſsimum Hippocratis præceptum, contrariorum contraria eſſe remedia; ſempiternæ veritatis eſt, in inſtrumentalium partium præter naturam affectibus: vt Galenus fatetur libro de Conſtitutione artis medicæ. Verùm, quoniam non licet vllius artis ſcientiam nanciſci, niſi & methodum quandam habueris, per vniuerſalia vocata theoremata; & in particularibus eo exemplis exercueris, auctoritate Galeni nono Methodi medendi cap. ſexto, (cum cuilibet particulari diſpoſitioni præter naturam corporis contraria particularia inueniantur, quibus ea diſpoſitio auferri debet, eodem Galeno teſte libro de Conſtitutione artis medicæ, loco prææallegato, & libro artis medicinalis) vt in particularibus exerceamur, relictis eis diſpoſitionibus, quæ in inſtrumentalibus partibus eueniunt: de eis tantùm, quæ in ſimilaribus verba facientes, dicimus, quòd, cùm calido affectui frigidum auxilium contrarium exiſtat, frigido autem calidum: eodem modo ſicco humectans, & humido exiccans: pariter calido ſimul, ac ſicco morbo, frigidum & humectans veluti frigido & humido, calidum & exiccans contraria ſunt, & eadem ratione de cæteris intemperaturis, quę in vniuerſum octo ſunt, quibus ſimplicia corpora ſunt obnoxia, vt patet ex Galeno libro nono, & ſeptimo Methodi medendi, & primo de Temperamentis: his vtendum eſſe cenſemus pro eorum affectuum curatione, quæ per alterantia propriè dicta perficitur. quem curationis modum Galenus docuit ſecundo de Naturalibus facultatibus & ſeptimo Methodi. At cum duplex corporum intemperies ſit: alia ſanitatis videlicet, & alia morbi. ſanitatis quidem, quæ paulùm à media temperie: morbi verò, quæ longiſsimè abeſt ab ea, vt ait Galenus ſecundo de Temperamentis: nos de morboſa intemperie, & non de ea, quæ ſanitatis eſt, hic verba facimus. Ea ergo alteratione belliſsimè vtimur in eis præter naturam affectibus, qui amplius ab aliqua cauſa non fouentur: v.g. in hectica, & diaria febre, quæ tantùm contrariorum auxiliorum adhibitione curantur. nam quæ contraria eis adhibentur, etiam ſi qualitatem, ſeu qualitates excedentes tranſmutent in alias qualitates contrarias, illud tamen perficiunt abſque vlla alia concoctione, digeſtione, præparatione, ſeu purgatione. & hoc pacto natura ipſa, ſiue calor innatus à medico in hiſce morbis adiuuandus eſt: quod auxilium propriè alteratio dicitur. hanc autem alterationem per eam molimur, quæ vel tota ſubſtantia, vel qualitate vna, duabúsve contraria ſint, teſte Galeno libro de Conſtitutione artis medicæ, & quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus, ſupra dictas quidem qualitates cum ſuis ſubiectis, non tantùm vt materias præparando, ac miniſtrando, ſed vt auxilia, prout decet. Quicunque ergo iam facti ſunt morbi, & cauſa, quæ hos creauit, iam abiit, ſupradictam ſimplicem primam curationis indicationem habent: velut & illi, qui alteratis tantùm qualitatibus in partibus morbi fiunt, nempè contrarium: ſemper enim pro eo, quod exuperat, inducendum eo vſque contrarium eſt, quoad particulam in ſymmetriam, & naturalem habitū vindicaueris, vt præcepit Galenus ſeptimo Methodi medendi cap. tertio. hac inſuper alteratione, ac auxiliorum præparatione ſæpenumero vtimur in febribus, quæ ex putreſcentibus excitantur humoribus, quandoque frigidum adhibentes: nanque ipſius febris, prout febris eſt, aqua frigida pota perpetuò eſt remedium, vt Gal. vndecimo Meth. meden. aſſerit: pręcipue, cùm febris ipſa fuerit ardentiſsima, & magna, cunctæque vires ægroti valentes ac concoctionis notæ planè euidentes ſint: tūc nanque

Lib. de Conſt. artis cap. 12 lib. art. med. ca. 89. primo de arte cur. co. 7

Ex lib. de ſta-tib. ibi. cap. 12

Lib. de conſt. art. cap. 12. lib. art. medi. cap. 89

9. Meth. med. c. ult. & 7. eiuſdem cap 3 tum 1. de temper. cap. 8 8. de facul natur. cap. ult. & 7. Metho. med. cap. 4

Lib. de Cōſti. artis med. ca. 19. 5. de Simp. med. fac. ca. 18 14. Meth. meden. cap. 7

cap. 9

quæ frigidam homini putrida febre laboranti tribuere audacter debemus, decre-
to eiuſdem Gale.eodem loco,& Pauli ſecundo de Arte medendi, cap.18. quin- *loco citato.*
immo id magis audebis ſi frigidæ potioni inſueuerit, nullàque laborantis fuerit
interna particula,princeps præſertim,inflammata, aut imbecilla: præcepto eiuſ-
dem Galeni nono Metho.nam licet tria præcipuè ſint,quæ in propoſitis febribus *cap. 5*
ob putredinem ortis agendorum indicationem nobis præbeant: vna, videlicet
febris ipſa:altera,effectrix eius cauſa:& tertia,vis ipſa naturalis,vt decimo Me-
thodi Galenus decretum reliquit:tamen ſi intolerabilis ægro magnitudo febris *cap.1*
ſit,relicta cauſa,à qua prima ſumitur pro earum curatione indicatio (teſte Gale- *cap.1.& ca.6*
no eodem decimo Methodi medendi) ad frigidam exhibendam, febriſque ex-
tinctionem acceleramus. quæ,niſi occurras,ſui magnitudine præſentem perni-
ciem afferet. At ipſe (cum perpetuò in frigidæ exhibitione cuncta, quæ requi-
runtur, haud facile ſit in febricitantibus reperire) ſi febris magnitudo inſtet; tu-
tius,cum oportet,aqua hordei vtendum eſſe cenſerem,cum hæc non tantùm fe-
bribus ardentibus accommodatiſsima ſit:quia omni ex parte ei opponitur refri-
gerans,& humectans: immo, quia ſitum magis,quàm aqua ſola extinguit, cùm
citius digeratur,nonnullàque alia commoda ipſam ſequantur, vt patet ex Gale-
no lib.de Ptiſana:eſt enim ipſa aqua hordei complicata quædam res ex hordeo, *cap. 5*
& aqua,cum proba concoctione: velut ptiſana ipſa, licet minus hordei, quam
ipſa ptiſana,& plus aquæ aſſumat.quam Hippocrates pro extinguenda ſiti ſum-
mopere ſiticuloſis approbat,quarto de ratione victus in morbis acutis, & Gale- *tex.com.71*
nus in eius commento. At, cum vniuerſi febrium generis intemperies ſit calor,
Gale.aſſerit vndecimo Methodi medendi: nimirum,ſi ea intemperies per frigi- *cap.2*
da ſanabitur,non tantùm per ea,quæ actu talia ſunt, verùm per ea quoque quæ
poteſtate,& interdum per ea,quæ ex accidenti refrigerant, aut etiam omnia ſi-
mul commixta. Non ab re igitur febre ipſa indicante, vt retulimus, quæ pote-
ſtate refrigerant adhibentes,eam curamus: quæ curatio alteratio tantùm dici
poteſt:quibuſdam ſyrupis vtentes,qui alterare valent,vt ſunt violaceus, roſaceus,
ex nymphæa,papauere,& eis,qui ex vtroque cichorio domeſtico,vel agreſti pa-
rantur:quanquam hi extergendi quandam vim habeant, ac conſtringendi, vt
ait Galenus octauo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos. his *cap.8*
quidem ſolis, tum quibuſdam eorum ſimul textis,ac ſæpenumero quoque frigi-
dam permiſcentes,aut quorundam infrigidantium decoctũ: quorum ſylua ſatis
admodum apud medicos nota eſt:hac eadem alteratione interdũ vtimur, eum
aduerſus harum febriũ cauſam pugnamus,à qua prima indicatio ſumitur.quam
cauſam putredinem eſſe teſtatur Galen.libro decimo Methodi medendi, & vn- *cap.1*
decimo eiuſdem,ait humorum putredinem antecedentem cauſam eſſe ipſius fe- *cap.9*
bris.Quare qui febrem curare volet,neceſſe eſt putredinem inhibeat. vt autem
cuilibet liquidò conſtet, quo pacto putredinem inhibeamus aduerſus eam alte-
ratione tantùm pugnantes, primò de ipſius putredinis natura, ſecundò de eius
ſpeciebus,& cauſis diſſeremus. Quantum attinet ad primum, relicta opinione
Ariſtotelis,qui quarto Meteororum textu ſexto hoc pacto naturam putredinis
exponit, inquiens, Putrefactio eſt corruptio quædam in vnoquoque humido
propriæ ſecundum naturam caliditatis ab aliena caliditate: hæc autem eſt, quæ
ambientis:ad eam quæ à Galeno ponitur,definitionẽ veniemus:ipſi nanque tan-
quam medicorum principi,paritérque Hippocrati addicti ſumus.Gale. ergo 11. *cap.8*
Methodi medendi hoc pacto putredinis naturam deſcribit:nempe mutatio to-
tius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam à calido externo:nam cùm
geminum,de intentione Hippocr.vbique fateatur in corpore calidum eſſe: al-
terum,quod ingenitum ſeu innatum vocatur:alterum verò adſcititium,ſeu non
naturale,& alienum: à primo quidem coctiones fieri vbique aſſerit, præcipuè
ſexto de Morbis vulgaribus,& ſecundo de Differentiis febrium:contrà verò ca- *6. epid. ſ. 4*
lor ipſe alienus,ac præter naturam habet corrũpere:primum quidem, ſi in cor- *com.25.2.de*
poribus fuerit excitatus, ſuccos ipſos propter humiditatem, & putrefacit, & *diff.feb.cap.9*

corrumpit: ſpacio verò tum adipem inuadit, tum etiam carnem, vt Galenus aſſe-
cap.8 rit vndecimo Methodi: nil mirum ſi putredinem ab aliena, ac externa caliditate
oriri diximus: non autem à natiua, cuius munus eſt concoquere, & non corrum-
pere. hæc autem humorum putredo, vt habetur à Galeno libro primo de diffe-
cap.6 rentiis febrium, duorum generum eſt; licet, vt ipſe refert, ex horum duorum ge-
nerum miſcella alia tertia euariet, quæ quidem multiplex exiſtit, quoniam & in-
numerabiles miſcellæ modi reperiuntur, cum alterum genus maioris, minoriſ-
que ratione ſuperet, & ſuperetur. Supradictorum autem duorum generum pu-
tredinis alterum fit ſuperante natura, alterum verò ſuperata, & euicta: ſuperante
quidem, in inflammationibus, & ſimilibus collectionum tumoribus omnibus pus
gignitur: in humoribus autem, qui in venis, aut arteriis continentur, quid-
dam, quod puri proportione reſpondet, ſubſidens in vrinis. Verùm hæc putre-
do non ſimpliciter putredo exiſtit, ſed aliquid in ſe continet coctionis: immò,
vt dicemus de mente Galeni, potius concoctio, quàm putredo eſt appellanda;
cùm ſit putreſcentis corporis ſubſtantiæ mutatio, potius ad perfectionem quan-
dam, quam ad corruptelam. Alterum vero genus putredinis eſt, cùm vis conco-
quendi adeo imbecillis facta eſt, vt nullam amplius facere poſsit in putreſcente
ſuperfluitate ad optimum tranſmutationem. in qua ſuperfluitatis putredine ſe-
cundum ſubſtantiam efficitur permutatio, ac multis modis euariat illud, quod
putreſcit. Tertium verò genus putredinis eſt, quod velut ſemiputridum appel-
latur, non quidem ſuperante omnino natura ipſa, vt in primo genere: neque ſu-
perata, vt in ſecundo, ſed vtriſque adhuc cooperantibus, neutro tamen euicto.
quod genus putredinis multiforme eſt, ac multiplex, innumerabileſque differen-
tiæ, pro eo quòd magis, & minus concoctionem ſuſcipit. Attamen in commento
Aphoriſmi 17. ſecundi libri, Galenus duo tantùm genera dinumerat: vnum,
quod potius ſecundum qualitatem tranſmutatio appellatur, parua ſcilicet alte-
ratione ab alieno calore in humoribus ipſis effecta, nondum tamen habente ma-
ximè effatu dignam euerſionem, ad naturæ ſuæ contrarium. Aliud vero genus
eſt, quod tam effatu dignam habet eam, quæ ad propriæ naturæ eſt contrarium
euerſionem, vt non poſsit iterum ex naturæ coctione ad primam eius redire bo-
nitatem, adeo ſcilicet imbecilla facta concoquendi vi, vt nullam amplius poſsit
facere tranſmutationem ad perfectionem. & hæc propriè corruptio ab eo ap-
pellatur: nanque non amplius ad habitum naturalem redit. At, quoniam cuncta,
cap.5 quæ putreſcunt, ex calido, & humido ſic afficiuntur, teſte Galeno quarto Me-
thodi medendi; ea quoque, quæ putreſcunt, tum calida, tum humida eſſe debēt,
eodem auctore nono Methodi. & inſuper tertio de morbis vulgaribus idem Ga-
9.Met. me. lenus dicebat, Putredinem ex materia gigni humida, ex cauſa verò efficiente,
c.3. 3. Epid. extraneo, & præter naturam calore: & propterea quæ omni ex parte ſunt ſicca,
ſ. 3. com. 1 putreſcere non videmus, vt aurum, & argentum: diſſerendum planè eſt, quo pa-
& 22 cto putredo ipſa, quæ cauſa antecedens eſt ipſius febris, vt diximus, alterari va-
leat ſimplici alteratione, abſque hoc quod concoquatur, digeratur, ſeu præ-
paretur putreſcens ille ſuccus: hoc tamen prius pro certo habito, nos non de eo
putredinis genere velle loqui, quod velut corruptela humorum eſt, vi conco-
quendi omnino euicta, ſeu adeò imbecilli, vt ab ea nulla mutatio ad benignum
putreſcentis excrementi fieri poſsit. nam talis putredo, ſeu humorum corrupte-
cap. 10 la euacuanda potius, quàm alteranda eſt, vt præcipit Galenus nono Methodi, &
cap.8 vndecimo: nam quod corruptum iam eſt, id alienum a natura eſt. quod tale eſt,
id ſe auferendum dictat, ac quam primum id educere tentandum eſt: cùm nulla
ratione fieri poſsit, vt naturæ gratiam recipiat, velut idem Galenus aſſerit
cap.3 quarto de ſanitate tuenda. verum de altero genere, in quo veluti ſemiputre-
ſcens, ſeu ſemimalus humor eſt, & in quo adhuc tum innatæ caliditatis, tum
alienæ operatio efficitur, vnius quidem concoquendo, alterius putrefacien-
do, & corrumpendo. hoc ergo genus putredinis, in quo humor veluti ſemipu-
treſcens, ſemimaluſque eſt, alterandum eſſe alteratione, quæ alia à concoctione,

digeſt

digeſtione,ſeu præparatione ſit, intrepide aſſerimus:nam, ſi putreſcentes humores,ex quibus febris accenditur, duo hæc indicant immutationem eorum videlicet manente ſubſtantia,& euacuationem,teſte Galeno libro Artis medicinalis:ab eo, qui has febres curare volet, inhibenda prius putredo eſt, quæ antecedens cauſa earum febrium exiſtit, vt diximus.hæc autem inhibitio, manente tamen humorum ſubſtantia,vt perpetuò loquimur,non niſi dupliciter fieri poteſt: aut adhibitis contrariis qualitatibus ipſius putredinis, aut per aliam immutationem ipſum putreſcentem ſuccum, non tantum in contrarias qualitates alterando,ac immutando,verùm conficiendo quodam modo,ac aſsimilando. quæ quidem immutatio, ſeu alteratio concoctio dicitur.& propterea Galenus vndecimo Methodi decretum reliquit, in humorum putredine & excretionem, & refrigerationem, & ventilationem, & ſemiputridorum concoctionem ex aduerſo reſpondere. Nũc verò,cum de prima immutatione loquamur;dicimus,quòd cum quicunque ſuccus putreſit,de mente Galeni calidus præter naturam,& humidus efficiatur,ac à calido,& humido id perpetiatur, vt retulimus,neceſſum eſt (communiſsimi Hippocrat.præcepti perpetuò veritate ſeruata,quòd contrariorũ contraria ſint remedia) tales ſuccos ſemimalos ſeu putreſcentes à medico ad contrarias qualitates, manente eorum ſubſtantia, immutari.quæ immutatio à frigidis, ac ſiccis medicamentis ipſi naturæ paratis, & corporibus adhibitis optimè perficitur. Hinc acetoſitatem citri,ſuccum malorum punicorum acidorum, ac pomorum acidorum limoncelij, & limonum, omphacium, atque acetum, & ſimilia pro ea immutatione perficienda, putredineque inhibenda,ac pro eius malæ qualitatis tranſmutatione facienda, eligimus ex dictis nonnulla medicamenta,ſeu ſyrupos parantes.quam alterationem aliam à concoctione Galenus præcepit vndecimo Methodi medendi, cap. nono, cùm dixit, Putreſcentia, ſemimaláque ſanare poſſunt, tum ea quæ alterare,tum ea, quæ concoquere valent, excitando, ac firmando eius naturæ facultatem, quæ naturaliter concoquit. Nec minus videtur eundem Galenum libro Artis medicinalis, prærallegato loco, per alterationem, qua putredo inhibetur manente ſubſtantia, duo hæc voluiſſe intelligere: & eam videlicet, quæ propriè alteratio dicitur: & concoctionem, quam tanquàm magis vtilem, atque præcipuam immediatè exponit, præſertim cùm cunctæ aliæ præter has alterationes ſubſtantiam euacuent, ſiue digeſtiones fuerint,ſiue præparationes ſeu purgationes, vt infra declarabimus. Hinc patet nonnullos iuniores expoſitores in expoſitione ſupradictorum Galeni verborum fuiſſe hallucinatos: nanque autumarunt tantum de ea alteratione, quæ concoctio appellatur, Galenum intellexiſſe; cùm, ſi de ea ſola loquutus ibi fuiſſet, falſum penitus aſſereret, ſolam eam putredinem tollere manente ſubſtantia: nam hæc alteratio putreſcentis ſucci, quæ per contrarias qualitates putredinis efficitur, idem perficit, ac putredinem, quæ in generatione adhuc eſt ſubſtantia manente,inhibet. Inſuper nec illud effugeret,quin de inſufficientia damnaretur,aut pugnantia aſſereret, cum non tantùm putreſcens ſuccus concoctione, & euacuatione curetur, immo alteratione alia, ac infrigidatione, de qua libro vndecimo Methodi medendi cap.nono verba fecit, vt ſuperius diximus. & propterea, vbi Græcus codex habet, ἀλλὰ τὸ μὲν εἰρημένον εἶδος τῆς ἀλλοιώσεως, πέψις ἐστίν: quod Latinè ſonat: Sed dicta quidem alterationis ſpecies concoctio eſt, fortè deprauatus exiſtens, melius diceret, ἀλλὰ τὸ μὲν τῆς εἰρημένης ἀλλοιώσεως εἶδος πέψις ἐστίν. id eſt, ſed dictæ quidem alterationis ſpecies, concoctio exiſtit. quòd,ſi velint per alterationem ſolam concoctionem eo loco Galenum intellexiſſe, ſi valeant; eum ab inſufficientia, aut pugnantia abſoluant; quanquam neque hoc quicquam noſtræ opinioni,ac veritati aduerſetur, quæ Galeni auctoritate vndecimo Methodi medendi cap. nono, fulcita, ac confirmata eſt. Quidam alij concoctionem cum prædicta alteratione confundentes,frigida, & ſicca propriè concoquentia eſſe aſſerunt:cùm ea putredinem inhibeant,contrarias qualitates putreſcentibus humoribus inducendo. At quantùm iſti à veritate

Marginal notes: cap. 89 (beside "libro Artis medicinalis"); cap. 11 (beside "vndecimo Methodi"); cap. 89 (beside "per alterationem").

deuient,cùm de concoctione tractabimus,liquidò oſtendemus:frigida enim, & ſicca, & ſi putreſcentis humoris qualitatibus opponantur, putredinémque quodammodo alterando inhibeant; concoquentia appellari haud poſſunt:nec concoctionem iuuare niſi quodammodo ex accidenti, immutatis videlicet putredinis qualitatibus, ex quarum immutatione concoctrix facultas fortè valentior redditur. Hinc concludamus putredinem, de qua modò loquimur, à medico alterari poſſe per immutationem earum qualitatum,quæ ipſi putredini propriè inſunt, à contrariis qualitatibus,vt dictum eſt:ac per ea, quæ dictas contrarias qualitates poſsident, putredinem poſſe ſiſti,ac inhiberi manente ſubſtantia, in qua ea conſiſtit, cum eis, quæ ſuperius conſcripſimus.quæ alteratio alia eſt à concoctione,digeſtione, ſeu præparatione.Et, ſi Galenus concoctiones interdum alterationes appellat, & vim concoctricem alteratricem; nunquam tamen eas cum
cap. 4 prædicta alteratione confundit: quinimmo ſecundo,& tertio de Naturalibus fa-
cap. 7 cultatibus,concoctionem per alterationem definiuit: tertio etiam artis medici-
cap.89 nalis concoctionem alterationis ſpeciem eſſe dixit. Sed mox obiiciet quiſpiam,
ſi putredinis occaſio vna,eſt tranſpirationis prohibitio; quo pacto ea putredo inhiberi poſsit per frigida, & ſicca,cùm ea cauſam putredinis meatus obſtruendo. adaugeant?Cui reſponſum ſit primò,non immoderatum debere eſſe infrigidantium,& exiccantium vſum: ſecundò,quòd ex his maius ſequitur commodum, quàm incommodum. Ad hæc quòd eis vti debemus frigidis, & ſiccis, quæ acidam qualitatem participant,tenuiſque ſint ſubſtantiæ, ac humiditatis multæ admixtionem habeant; qualia ſunt ea, quæ ſupra narrauimus: aut quæ acrimoniam poſsideant,vt acetum,& non eis, quæ valde adſtringentia ſunt terrenæ,ac craſſæ corporis conſiſtentiæ,ſeu ſubſtantiæ. Qua de re,cum acidus ſapor potiſſimum gignatur, dum quid à calido mutatur incipiente concoquere:non tamen perfecte id ſuperante,vt Galenus aſſerit quarto de Simplicium medicamento-
cap. 15 rum facultatibus, acidámque qualitatem frigidum ſubtile efficiat, tenuiúmque
Loco citato. partium ſint acida,eodem auctore eodem libro: ſequitur, quòd quamprimùm
penetrantia non obſtruant, cum hoc quòd putredinem inhibentia maximum comparent commodum,ac ex pauca adſtrictione vaſa corroborentur, potiuſquàm propter oſculorum exiguitatem lædantur. Vlterius ea permiſceri poſſunt cum aliquo infrigidantium decocto, aut aliquo,quod liberare obſtructiones valeat,quorum copia magna penes medicæ artis auctores reperitur: & hoc pacto nedum putredinem non adaugent, ac tranſpirationem prohibebunt, verùm & cauſam oppugnabunt,& febrem pariter extinguent:illud,quod ſine cunctatione
cap. 1 agendum eſt præcepto Galeni decimo Methodi medendi. quòd, ſi ea putredo
per ſe ſola ſubſiſtat, vt ſæpius eſt videre, ipſiúſque putredinis efficientes cauſæ non adſint; quid prohibeat prædictis auxiliis vti pro ea immutanda? nihil ſanè. & hæc de alteratione ſint dicta ſatis.

De concoctione.

CVm tres in animalibus corporibus fiant alterationes, vt Galenus aſſerit libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus cap.ſexto,quarum vna ſecundùm naturam eſt, cùm videlicet in ventre cibus coquitur, aut in viſceribus,& vaſis, qui inibi generatur ſuccus, vnde pars vnaquæque nutriatur:altera contra planè præter naturam, nempe in putreſcentibus omnibus,ab aliena caliditate:tertia media eſt, ac ex vtraque mixta, partim primæ particeps, ac naturalis, partim huius contrariæ,quæ eſt præter naturam: dictúmque ſatis in præcedentibus fuit, tam de ea alteratione, quæ præter naturam eſt mutatio ab aliena caliditate ſuperante, ac vincente, quàm de ea, quæ ex vtraque alteratione mixta eſt, quæ mutatio tam à calore ingenito, quam ab alieno prouenit; reſtat modò differere,cum de ea alteratione, quæ ſecundum naturam eſt & ab ingenito tantum calore perficitur; quam alterationem cõcoctionem propriè dicimus:tum de alia

alteratione,quæ ab ipſo etiam calido innato, ſed non om nino vincente, verùm
ſuperante quodammodo efficitur: quam etiam alterationem concoctionem no
minamus:nempe hæc quoque alteratio à calido innato ſuperante in humoribus
putreſcentibus perficitur:& ſi putredinem eam dixerimus eſſe, ac inter putredi-
nis ſpecies dinumerauerimus,cùm in ea actio quædam,quamuis modica,alienæ
ſit caliditatis: tamen, quia in ea alteratione naturalis caliditatis actio ſuperat,
concoctio potiùs,quàm putredo appellari meretur,Galeno auctore libro primo
de Differentiis febrium,cap.ſexto. Verùm,vt dilucidius loquamur, haud igno-
randum eſt,primò illud quod Græci pepſin, quidam abuſiuè digeſtionem vo-
cant:nos,qui per digeſtionem aliud quoddam Galeno intelligi volumus,clarioris
doctrinæ gratia, pepſin, quod Græci dicunt, concoctionem appellabimus. quæ
concoctio,licet ab Ariſtotele quarto Meteororum hoc pacto definiatur:Conco *tex. 14*
ctio eſt perfectio à naturali,& proprio calido ex oppoſitis paſsiuis: eáque in tres
ſpecies diuidatur,maturationem videlicet,elixationem,& aſſationem:ac eis tres
inſuper ſpecies cruditatis,ſeu inconcoctionis contrarias tribuat:nos,cum medici
ſimus, Hippocrati,ac Galeno adhærentes, de ea velut de cunctis aliis ad eorum
mentem differemus. De duplici autem concoctione, quæ in corporibus noſtris
efficitur à calido innato,Galenum loqui reperi: quarum vna eſt,quæ penes ali-
menta perficitur,ſimilis quidem exiſtens hepſeſi,ſeu elixationi, & propterea eli-
xatio metaphoricè appellatur:altera verò,quæ maturatio metaphoricè ab eo di-
citur,ſimilis exiſtens pepanſi, ſeu veræ maturationi. At de prima concoctione,
quæ attenditur penes alimenta elixationi ſimili, Galenus tractauit libro tertio *cap. 7*
de Naturalibus facultatibus. eámque hoc pacto deſcribit: quòd nihil aliud eſt,
quàm alteratio in propriam eius,quod nutritur, qualitatem. Verùm luce clarius
de intentione Hippocratis,ab eodem Galeno definitur, ſecundo de Naturalibus
facultatibus,cap.quarto,vbi ait, concoctionem alterationem quandam eſſe, ac
nutrientis in propriam qualitatem eius, quod nutritur, mutationem. De altera
verò concoctione,quæ maturationi ſimilis eſt, Galenus verba fecit, ſecundo de *comment. 44*
Ratione victus in morbis acutis, & libro de Conſtitutione artis medicæ, circa *cap. 19*
finem. Verùm,cum vtraque à calido innato perficiatur:de vtriſque ſimul loqu-
tus eſt libro primo de Morbis vulgaribus his verbis, Concoctio enim naturalis *ſect. 2. com-*
maturatio eſt morbi.hæc autem concoctio in concoquentis ſubſtantiam dedu- *ment. 44*
ctio quædam eſt eius,quod concoquitur. ergo, vbi corpus bene habet, cúmque
ei, quod concoquitur, naturæ intercedit familiaritas cum concoquente, muta-
tio fit, & alteratio totius concoquendæ materiæ, aut maximæ partis eius, mini-
múmque ſuperat ſemicocti. at verò, quando præter naturam affecta ſunt (quod
accidit, vbi ſint à natura immutantis,& alterantis aliena) id, quod aſsimilatur,
paucum eſt, ſemicoctum verò excrementum multum. Iam, ſicut in corporibus
ſanis coctionem indicant excrementa, non ſecus in corporibus affectis indica-
bunt.in quibus verbis,vt liquidò conſtat, voluit Galenus vtriuſque concoctio-
nis conuenientiam, ac differentiam propalare. Nos autem de ea alimentorum
concoctione, quæ ab Ariſtotele quarto Meteororum elixationi aſsimilatur, & *tex. 27*
propterea Metaphoricè elixatio dicitur, hic loqui non intendimus. At, quòd
hæc alimentorum concoctio ſimilis ſit elixationi, Galenus cum Ariſtotele con- *ſ. 4. com. 23*
cordat, vt patet apud eum libro ſexto de Morbis vulgaribus, & tertio de Na- *cap. 7*
turalibus facultatibus. Verùm,cùm de concoctione loquimur, de ea intelligere
volumus, quæ maturatio dicitur metaphoricè, per ſimilitudinem eius, quam
Græci pepanſin dicunt: Latini propriè maturationem appellant: quæ in peri-
carpiis efficitur, vt patet apud Ariſtotelem eodem libro quarto Meteororum.
hæc autem penes excrementa attenditur,ac crudos ſuccos,ex ſententia Hippo- *tex. 19*
cratis libro primo de Morbis vulgaribus. & Galeni eodem loco. Hanc autem *ſ. 2. com. 44*
maturationem metaphoricè ſic appellatam, bifariam in humanis corporibus
fieri poſſe Galenus aſſerit, ſecundo de Ratione victus in morbis acutis. nam aut *comment. 44*
qui concoquuntur redundantes ſucci in corpore, verè crudi ſunt, vt acida,

vel dulcis pituita, nec putrefactio in eis magna exiſtit, immò quædam naturæ familiaritas cum concoquente. qui quidem crudi ſucci exiſtentes reliquum perfectionis à calore innato aſſequuti, ac prorſus concocti, & exquiſitè aſsimilati nutrire valent plus, minúsve pro modo putrefactionis: cum nec ipſi nutrire valeāt; quamuis concocti ſint, ſi omnino præter naturam fuerint, ſeu à natura alieni, vt
cap.2 teſtis eſt Galenus tertio de Cauſis ſymptomatum. Verùm harum duarum pituitæ ſpecierum altera facilius concoquitur, vt quę dulcis eſt, teſte Galeno libro de
cap.19 Conſtitutione artis medicæ. Itaque prædicti ſucci in bonum ſanguinem verſi demum in membrorum ſubſtantiam conuertuntur, in toto, ſeu in parte. & hæc à Galeno proprie maturatio dicitur: natura enim ſemper nititur ſuis viribus vtens aſsimilare partibus nutriendis, quicquid fieri vtile poteſt, excernere autem id, quod minime iſtiuſmodi eſt, eodem Galeno teſte libro ſecundo de Differentiis
cap.5 febrium: Aut quæ redundant excrementa alia à prædictis ſuccis, in corpore: præter naturam affecta ſunt, ac à natura immutantis, & alterantis aliena. quæ quidem, licet mutata, atque à natura ipſa euicta ſint (cum videlicet ipſa eis fortior fuerit, ac ſuo robore ea permutauerit) mutari tamen in ſubſtantiam alii non valent, eóque maxime, ſi magna in eis fuerit putrefactio, & ſi ſimilia ad quendam modum fiant membris ſolidioribus, verùm non adeò, vt in ſubſtantiam conuertantur, cum non exquiſitè aſsimilari valeant: vel quia ex eorum natura aſsimilationi exactæ pugnant, vt bilis tum flaua, tum atra: aut quia ſuſceperunt putredinis qualitatem magnam ab aliena caliditate. Ergo cum putrefactio magna eſt in aliquibus ſuccis, aut excrementum natura ſua tale, vt aſsimilari corpori humano exquiſitè, ac conuerti in eius ſubſtantiam omnino nequeat, id quidem ad quendam modum ab ipſo calido innato perficitur, immutatur, ac ſimilis fit aliquo pacto ſolidioribus membris: verùm non adeò, vt diximus, vt in eorum ſubſtantiam conuertatur, ſed à natura ipſa ſuperatum per talem concoctionē aptum redditur, vt expellatur: &, ſi non propterea, vt expellatur ab ea promptius, aut à medico: id euincere, concoquere, ac aſsimilare tentat, ſed vt apponatur, ac nutriat. quod, cùm exacte perficere nequeat, velut ſuperfluum, ac excrementoſum ſecernit, & ad expellendum properat. quæ concoctio, licet etiam maturatio dici poſsit, non tamen proprie, vt ſuperius dicta, quæ penes crudos ſuccos attenditur: ſed generaliori, ac vniuerſaliori vocabulo concoctionis vtentes. Talis denique naturæ ſunt vtraque bilis, & qui Græce ichores dicuntur, teſte Galeno ſe-
com.30 cundo de Ratione victus in morbis acutis. in quo cauſam reddidit, cur neutra bilis in ſanguinis ſubſtantiam redire valeat. eiuſdem naturæ eſt pituita ſalſa ex mente eiuſdem Galeni libro de Conſtitutione artis medicæ. cap. decimonono. Ob id Hippocrates cocta quidem conſueuit vocare huiuſmodi excrementa, quę à natura ipſa euicta ſunt: cruda verò, quæ non ſunt euicta. Pari ratione & pus in phlegmonis, quæ concoquuntur, fieri ait: quanquam pars nulla ex pure alimoniam accipiat, veluti accipit ex crudis iam dictis humoribus appellatis, cùm concocti ſunt. eadem ratione & vrinas crudas concoqui dicimus: & ſi corpus ex coctis vrinis ali non poſsit. Sputum quoque in pulmonis, ſeu thoracis affectibus, lippitudines oculorum, & alia ſimilia excrementa, de quibus Galenus mentionem fecit libro de Totius morbi temporibus. cap. tertio. Concoctio ergo & pro generaliori, ac vniuerſali ſignificato, ſeu proprie ſumpta, quam metaphoricè maturationem nos appellamus, ea eſt apud Galenum, vt diximus. Proinde, cùm hæ
ſ.2. com. 45 quoque concoctiones opus ſint naturæ, teſte Galeno primo de Morbis vulga-
cap.6 ribus, & quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus; necnon prædicti ſucci ſemiputridi, ſeu excrementa talem maturationem à ſolidis corporibus conſequantur, ab ea vi naturæ, quæ per ſolida corpora protenſa eſt: nimirum, ſi aliquo pacto ea excrementa ſolidioribus quodammodo aſsimilantur corporibus, cum ab ipſa natura euicta ſunt, & propterea concocta appellantur: licet ex eis corpus nutriri non valeat: vt pus, ac quod puri ſimilatur candidum ſedi-
cap. ult. mentum in vrina, aliaque nonnulla, vt diſertè declarauit Galenus libro primo Prognoſt

Prognoſticorum. At, quoniam de hac concoctionis ſpecie loquimur, quæ metaphoricè maturatio appellatur, ſiue propriè dicta, ſiue vniuerſaliori ſignificato ſumpta, cum eam dixerimus eſſe quandam deductionem, mutationem ſeu alterationem, ac quodammodo perfectionem, actionesque omnes, pariterque & alterationes, in quacunque re fuerint, in ipſo fieri eſſentiam ſuam poſſideant, vt ait Galenus libro ſecundo Methodi medendi: noſque perpetuò de ea, tanquam in fieri eſſentiam ſuam poſsidente, intelligamus, & non in alterationis, ſeu in mutationis termino: his taliter ſuppoſitis, licet hæc mutatio, ſeu alteratio actio ſit ipſius naturæ: quoniam in fieri eſſentiam ſuam poſsidet, vt diximus, videndum eſt an poſsit iuuari à Medico: &, ſi poſsit, cum quibus. At, quòd concoctio, licet à calore innato præcipuè efficiatur, ab aliquo tamen exteriorum auxiliorum iuuari poſsit, ſatis dilucidè Ariſtoteles quarto Meteororum demonſtrauit, & Galenus in commento Aphoriſmi 22. quinti libri. verùm quòd vna concoctionis ſpecies, quæ propriè maturatio dicitur, tum ab ingenito calido, tum ab externo perficiatur, ſi tamen ipſorum naturæ conueniens, ac familiare fuerit, vt caliditas ſolis penes omnes fructus: clarum eſt videre apud Galenum libro quarto de Simplicium medicamentorum facultatibus. At, quòd tum naturales alterationes, quæ ab innato prouenjunt calore, elixationi ſimiles, cùm videlicet in ventre cibus concoquitur, aut in viſceribus, & vaſis ſuccus, ex quo rurſum vnaquæque pars nutritur: tum etiam & maturationes, quas metaphoricè ſic appellari diximus, vt quæ videlicet in mouendo pure efficiuntur, à ſimili extrinſecus calore pro ea concoctione perficienda iuuantur: ac naturæ Medicus in hoc opituletur, cum his quæ modicè calfaciant, decretum reliquit Galenus libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus, & quarto de Ratione victus in morbis acutis, & libro de Conſtitutione artis medicæ. Non verendum eſt ergo maturationes ex Ariſtotelis, Galenique mente, extrinſecus à Medico iuuari poſſe. Verùm, quoniam concoctioni perpetuò calidum opitulatur, ac confert, frigidum verò renititur, & aduerſatur, teſte Galeno tertio de Ratione victus in morbis acutis: diſcernendum planè eſt, à quibus calidis natura ipſa extrinſecus in maturationibus iuuari poſsit, ſiue hæ fiant in dulci, vel acida pituita: ſiue in alijs excrementis, vel puris generatione. quod quidem inſuper ipſemet Galen. optimè nos docuit eodem libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus, aſſerens quòd velut ventris concoctioni conferunt ea, quæ copiam innatæ caliditatis cibos concoquentis adaugent, non tamen qualitatem: pariter illud, quod ad mouendum pus adhibetur medicamentum, talem debet caliditatem poſsidere, qualis eſt in naturis temperatis calor natiuus. At ſi iuſto calidior natura fuerit, in eo corpore medicamen, quod pus mouebit, calidius ſit oportet, tantò nimirum temperato calidius, quanto, & natura eius temperatam in caliditate exuperat. Hinc concludit, cuiuſque ſingulatim hominis ſuum proprium eſſe puris mouendi medicamentum, licet emplaſticum quoque eius generis medicamentum eſſe debeat, eodem Galeno auctore quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus. Qua de re temperatura eorum auxiliorum, quæ naturam in maturationibus iuuant, commoderata, ac ſimilis ei corpori, cui admouetur, eſſe debet. Proinde non parum noſtri temporis quidam chirurgici decipiuntur, qui cunctis corporibus, naturis, & ætatibus, ac particulis eiſdem medicamentis pro iuuanda natura circa puris generationem vtuntur: iubente Galeno, quòd hæc medicamenta, quæ pus mouent, cuiuſque ſingulatim hominis propria eſſe debent. At, cùm noſtra natura humida ſit, & calida, humida, calidaque medicamenta huiuſmodi eſſe debent: non tamen corporis natura humidiora, ac calidiora, immò cognatam, ac ſimillimam corporibus noſtris caliditatem, ac humiditatem poſsidentia. hinc tum cibos, tum fomenta, ac cataplaſmata, frictiones modicas, & balnea, quæ mediocriter calfaciant maturationes efficere Galenus aſſerit primo de Morbis vulgaribus. & libro de Conſtitutione artis medicæ ait, Perducunt

autem

Marginal notes: cap. 3 — tex 15 — cap. 11 — cap. 60. — com. 44. — cap. 19. — com. 29 — cap. 6 — cap. 6 — 5. 2. comment. 44 — cap. 19

autem ad concoctionem quies,& calfactio moderata, boniqne ſucci modicorũ eſus ciborum,& modice calfacientis vini potus:at caliditatem modicam efficere poſſunt frictio mediocris,& commodi aquarum calidarum vſus, cibariaque, & medicamenta,quæ haud magnopere calfaciant: quanquam eo loco de maturatione proprie dicta loquatur,quæ tum dulci,tum acidæ pituitæ cōpetit. & idem
cap.4 Galenus libro quarto de Sanitate tuenda iuſsit,ſemicrudos humores,tum vino, tum quiete,ac ſomno concoquere,ac vtiles reddere, & eodem libro, nihil eſſe
Loco citato. aſſerit,quod æquè concoquat ea,quę concoqui poſſunt,vt ſomnus à balneo. Proinde toto cælo hallucinati ſunt, qui quibuſdam nominatis ſyrupis concoctioni opitulari aſſeruerunt: cùm tantùm ea ad concoctionem conferant, ac quodammodo adiuuent,quæ calorem naturalem vel fouent, vel in ſubſtantia augent. at, cùm paucis aut ferè nullis hoc datum ſit ſyrupis: ſequitur,vt pauci ſint, aut fere nulli inter eos, quibus noſtris temporibus vtimur, qui poſſint calori naturali ex ſeipſis aliquod adminiculum ferre pro concoctione, ſeu maturatione perficienda:niſi fortè is,qui ex corticibus citri conficitur, cum cortex citri concoctioni nonnihil conferat, ſi vt medicamento eo quis vtatur: licet vt alimentum coctioni renitatur,teſte Galeno ſecundo de Alimentorum facultatibus. cap.37. alij verò ſyrupi,cum quidam calidi vltrà quàm oportet, alij frigidi, alij humidi, vel ſicci ſint, quidam eorum corpus alterare, quidam præparare, digerere, ſeu euacuare aut per ventrem,aut per vrinam,aut per cutis occultos meatus materiam educentes valent:quanquàm ex accidenti quidam ſint, qui quodammodo coctioni deſeruiant:vt hi, qui adſtringendi vim poſsident, aut hi, quibus ſomnum conciliamus. per ſe autem, ac vere,intrepidè aſſerimus tantùm ea, quæ calidum innatum vel fouent,vel in ſubſtantia augent,ad concoctionem conducere: cum hæc actio,ſeu perfectio ſolius calidi innati ſit. & propterea ſola ea, quæ temperatè calida ſunt, vt diximus, per ſe ei opitulantur, ac conferunt: velut etiam noſtris temporibus ſunt inter alimenta gallinarum iuuenum, ſeu gallinaceorum pullorum carnes per elixationem liquefactæ, quod ius conſummatum Medicorum vulgus appellat, aut fortiter contuſæ, alteratæ præcipuè ex hordeacea priſana ſimul permixta, ac cum eis decocta,magis, & minus pro naturæ corporum ratione,ſecundum quam, vt diximus, concoquentia euariari debent, præcipuè cum vires quodammodo imbecilles fuerint: & quæ redundant in corpore excrementa, in ſubſtantiam concoquentis mutari non valeant. Nec minus hallucinati ſunt, qui aſſeruerunt à frigidis concoctionem fieri, ſiue ſyrupi ſint, vt violaceus, roſaceus,ex nymphæa, & vtroque cichorio, & alij nonnulli ſimiles,ſiue aqua ipſa frigida, cum Galenus ipſe decreuerit, frigidum per-
com. 29 petuò concoctioni aduerſari, libro tertio de Ratione victus in morbis acutis. quinimò nec humor biliofus ab eiſdem concoquitur, vt aiunt, bene alteratur. at hæc alteratio nullo pacto nec concoctio, nec maturatio dici meretur. Verùm, cum ſuprà relatum ſit maturationem in acida, vel dulci pituita, ſeu aliis putreſcentibus humoribus ab ea vi naturæ, quæ per ſolida corpora protenſa eſt, perfici: ac proinde, cum maturantur, ſolidis ipſis corporibus quodammodo aſsimilari, nunquid quodlibet, quod eo pacto maturatur, craſsius reddatur, quæ-
tex. 19 ret quiſpiam? At cui dubium eſt Ariſtotelem quarto Meteororum aſſerere ex ſubtilibus ſemper craſsiora fieri, pepanſin, hoc eſt, maturationem paſſa om-
Alexan. 4. meteororum. nia. Pariter & Alexander ait, Vniuerſaliter quæcunque pepanſin paſſa, ex te-
comment. 9 nuibus craſsiora redduntur. Et Galenus libro primo de Morbis vulgaribus.
ſect. 1. com. 25 ait, Humores, qui tenues ſunt, omnes eſſe crudos: &, vt concoquantur, robu-
cap.3 ſtam deſiderare naturam. Et libro de Totius morbi temporibus aſſerit, tum ſaniem ipſam, tum vrinam, tum ſputum, lippitudineſve, quinetiam & humores, qui à cerebro per palatum, & nares defluunt, & denique cuncta excrementa in initio aquea, tenuiáque eſſe: cum verò quandam temporis proceſſu concoctionem accipiunt, craſsiora euadere, atque pauciora, potiſsi-
comment. 33 mùm in his morbis, ex quibus ægri ſeruantur. & libro ſecundo Prognoſti-

corum

eorum ferè idem ait, quòd concoctio craſsiorem reddit, non ſolùm vrinam, ſed
etiam deiectionem, item ſcreationem, atque etiam pituitam per diſtillationes;
& grauedines, necnon per lippitudinem, & pus quoque in vlceribus. Ex quibus
omnibus infertur, quòd quæcunque maturationem ſuſcipiunt; cùm quodam-
modo ſolidioribus membris aſsimilentur, neceſſariò craſsiora, ac pauciora eua-
dunt: non tantùm ex Ariſtotelis, & Alexandri mente, verùm etiam Hippocra-
tis, & Galeni. At non ſtatim ſequitur, cuncta, quæ craſsiora redduntur, ea eſſe
concocta; cùm craſsitudinis duæ ſint cauſæ, auctoritate Galeni ſecundo Pro-
gnoſticorum: calidum videlicet, & frigidum: calidum quidem euaporando, comment.38
& frigidum adſtringendo. Cæterum quæcunque à calido innato craſsiora red-
duntur, ea, concocta eſſe dicimus, & non quæ à frigido, ſeu non naturali calore:
quæ quidem nedum coctioni nõ opitulantur; immò penitus aduerſantur: pariter
& ea, quæ ab ipſo craſsiora ſunt reddita. At iterũ obſtrependo inſurget aduerſa-
rius dicens, Si cuncta, quæ pepanſin patiuntur, hoc eſt, maturationem, craſsiora
euadere neceſſum eſt; fruſtra pituita ipſa, ac ſuccus melancholicus maturantur:
cùm craſsiores per eam maturationem redditi ad eorum expulſionem valentius
renitterentur, atque aduerſarentur. Cui reſpondemus, pituitam ipſam ſiue dul-
cis, ſiue acida fuerit, quibus propriè pepanſis, hoc eſt, maturatio tribuitur, ex ma-
turatione craſsiorem reddi: quoniam pepanſin paſſa, in concoquentis ſubſtan-
tiam tranſire valet, & hoc pacto ſolidis membris aſsimilata, nulli dubium,
quòd craſsior redditur, præcipuè ſi in ea putrefactio non ſit. Quòd, ſi in ea ali-
qua putrefactio magna ſit, aut ſalſa fuerit pituita, vel atra bilis, ſiue aliud ex-
crementum: licet eis maturatio propriè non competat: tamen, quia vniuerſa-
liori vocabulo intelligentes ipſam maturationem, dicuntur quoque hæc matu-
rari, aſſerimus quòd quodammodo pepanſin paſſa à ſolidis ipſis particulis, li-
cet ab earum natura ſint aliena, cùm nutrire non valeant: tamen quodammo-
do eis aſsimilantur, ac craſsiora redduntur; quoniam talia cùm natura ipſa ma-
turat, neceſſum eſt vt euincat: cùmque euicta ſunt, maturata vocare conſue-
uimus. & cùm concoctio omnia, vt diximus, cogat & incraſſet, reſte Galeno
quarto de Ratione victus in morbis acutis: neceſſe eſt ea quoque, cùm conco- comment. 4.
quuntur ac vincuntur, cogi & incraſſari: alia tamen ratione, cùm à calido inna- 4. Meteoro.
to id perpetiantur. verùm enimuerò, ne quis decipiatur, magnam cum dico pu- text.18. & 2.
treſcentiam, non de ea intelligere volo, quæ omnino aliena ſit, ac nulla ratione prog.33
poſsit naturæ gratiam recipere: cum eam, vt ſuprà retulimus, quàmprimum
educere ſit tentandum, reſte Galeno quarto de Sanitate tuenda. verùm de ea in- cap.3
telligimus, in qua natura ipſa adhuc non eſt euicta. Magnam autem, & paruam
nominamus ratione maioris, vel minoris operationis caliditatis alienæ, nun-
quàm tamen ipſo calido innato euicto, imò ſemper cooperante, ac demum vin-
cente. Verùm, ſi ea excrementa taliter alterata, ac craſsiora reddita valentius
expulſioni repugnant, cùm ea in concoquentis ſubſtantiam tranſire non va-
leant, ad quid natura, ſeu Medicus huic alterationi vacabit? non propter aliud di-
cimus, quàm quod concocta medicari iubet Hippocrates. nec ea craſsitudo,
quam à calido innato acquirunt, ineptitudinem eius parat expulſioni, velut ea,
quæ à frigido, ſeu calore immodico: quinimò taliter alterata, ac euicta cum nu-
trire nõ valeant: ocyus ſecernuntur: nam, vt Galenus aſſerit, in cõmento Aphor.
22. quarti libri, cum cruditas humorum adeſt: tunc aliquid bene euacuari eſt im-
poſsibile. Cuius rationem reddens ait, Oportere Medicum naturæ miniſtrum
ipſam perpetuò imitari. Verùm, cùm ipſa nõ antè humores diſcernat, quàm prius
concoxerit: nec prius expellat: quin prius diſcreuerit, eodem auctore Aphoriſ.
22. primi libri, opus eſt: vt bona excremẽtorum euacuatio fiat, tam ab ipſa natu-
ra quàm à Medico, vt prius ea ab eadem natura ſecernantur, ac ſeparentur à bo-
nis ſuccis: quæ ſegregatio, ſeu diſcretio exactè fieri non valet; ſi cõcoctio ipſam
non præcat. tunc nanque, hoc eſt, poſt coctionem naturam ipſam habemus eua-
cuationi adminiculantẽ: &, cum ipſi euicti ſint, ac nutrire non valeant, tanquam

excrementoſos ac alienos,ab eo quod familiare eſt,ſegregans, expellere tentat.
quod quidem prius,cùm permixti eſſent cum familiaribus, inſœliciter tentaret:
nec id eſſet naturæ,ſed caſus ratione : nil mirum denique ſi prædicti ſucci,ſeu ex-
crementa,licet vt alieni à natura immutantis, ac alterantis, in eius ſubſtantiam
verti non valeant : in ea tamen immutatione,cum ab ea euicti ſint,craſsiores ali-
quo pacto redduntur ; non enim vt craſsiores reddat natura,ipſos immutat,ac al-
terat ; nec Medicus ipſe,cum ei in hoc opitulatur : verùm,vt ſuperet, ac euincat,
& denique aſsimilet. quibus ſuperatis,ac euictis cum nutrire nõ valeãt,nec perfe-
ctè aſsimilari : promptius ac facilius à familiaribus ſuccis eos ſegreget,atque diſ-
cernat,eiſque ſegregatis cõmodius à natura,ſeu à Medico expellãtur. quod qui-
dem ægrius,& non abſque magna vi, ac noxa ipſius naturæ perficeretur, ſi prius
videlicet,quàm concocti,ac euicti eſſent,ac ſegregati,tentarentur expelli: ſimúl-
que familiarium cum alienis expulſio fieret : vt liquidò quiſque percipere valet
de mente Hippocratis,& Galeni in præallegatis locis. Ex quibus manifeſtè pa-
tet,quantum delirarunt,qui aſſeruerunt maturationem, ſeu, vt ipſi dicunt abuſi-
uè loquentes,digeſtionem in aliquo fieri poſſe cum eius ſubtiliatione : cum per-
cap.19 petuò ex Hippocrate, & Galeno cõſtet cuncta,quæ maturantur,craſsiora euade-
re,vt diximus. Et ſi de ſalſa pituita,quam Galen.lib.de Conſtitutione artis Medi-
cæ purgare iubet,oppugnaret quiſpiam,eam ſaltem concoqui non debere: Re-
ſpondemus,Galenum eo loco de maturatione propriè dicta,quę tum acidæ,tum
dulci pituitæ competit, velle loqui. de qua inſuper maturatione propriè dicta
cap.4 verba fecit quarto de Sanitate tuenda,cùm dixit, Crudis,& ſemicoctis humori-
bus,qui ante ſanguinis perfectionem fuerunt, percoctionem: acribus verò, ac
mordacibus, eductionem competere. at noluit eo loco de maturatione commu-
niter dicta intelligere,quæ non tantùm ſalſæ pituitæ, verùm non penitus corru-
5.Meth.me. ptæ,vt idemmet aſſerit quinto Methodi medẽdi : verùm & vtrique bili,ac ichò-
cap.14 ribus ipſis tribuitur eomet auctore ſecundo de ratione victus in morbis acutis.
2.reg.acu. De vitrea verò pituita,licet frigidior ſit acida, tamen, quia acidæ qualitatis eſt
44 particeps,acida quoque appellari poteſt, & propterea non eſt habenda alia ra-
tio,quàm de ipſa acida : licet difficilius cõcoquatur,quia frigidior eſt, vt tantùm
cap.6 tria ſint pituitæ genera,eodem Galeno teſte,ſecundo de Differentiis febrium, &
com.13 quarto de Ratione victus in morbis acutis. At mox inſtabit & non ab re aduer-
ſarius,dicens, nunquid humores ipſi bilioſi, cùm calidi, & tenues ſint, & ea de
com.23 re paratiſsimi ad excretionem,vt Galen.aſſerit libro 3. Prognoſticorum, conco-
ctione prius egeant, quàm excernantur? Circa quod digladiantur nonnulli no-
ſtri temporis Medici quidam,aſſerentes cõcoctione nõ indigere:nam,cum mor-
daces ſint,calidiores,ac tenuiores,transfluunt ab vna parte in aliam, ægrum gra-
uiter infeſtant,ac quieſcere non permittunt. cum ergo ipſi per corpus moucan-
tur,naturamque ad eos expellendos proritẽt, priuſquàm in aliquam partem de-
cumbant,præcipuè principem ſtatim euacuandi ſunt, concoctione eorum non
expectata præcepto Hippocratis,& Galeni Aphoriſmo 22. primi libri, & ſexto
de Morbis vulgaribus. Vlterius,ſi craſſos,atque tenaces humores fluxui paratos
reddimus,eos tenuando,ac incidendo,meatuſque reſerando, vt patet ex Galeno
ſec.2.com.32 Aphor. 24. lib.primi,& nono libri ſecundi,cur bilioſos humores,tenues, fluxuiq;
paratos exiſtentes, ac nullum lentorem participantes,priuſquam purgemus,con-
coquere tentabimus : cum ex ea concoctione, craſsiores reddantur? quibus ra-
tionibus concludunt bilioſos humores concoqui non debere. Quidam verò au-
Sec.1.com.25 ctoritate Gale.primo de Morbis vulgaribus,vbi ait, humores tenues omnes eſſe
crudos,&,vt concoquantur,robuſtam deſiderare naturam, inter quos bilioſum
ſuccum tum Hippocrates,tum Galenus dinumerat: necnon auctoritate Hippo-
tex.44 cratis ſecundo de ratione victus in morbis acutis,vbi bilioſa cruda appellat, non
ab re opinantur bilioſos ſuccos priuſquàm expurgentur, concoqui debere : cum
non mouere cruda idem Hippocrat.iubeat Aphoriſmo 22. libri prim. Hiſce ra-
tionibus quidam flauam,ſeu pallidam bilem, antequam è corpore excernatur,
concoqui

concoqui præcipiunt. Alij, concoctione non expectata; ſtatim circa initia purga-
re iubent, vtrique ſuam fouentes opinionem Hippocratis, & Galeni auctorita-
tibus, prout ex prædictis apparet. Verùm, vt tanti quæſiti veritas dilucidetur, at-
tendenda nonnulla ſunt: primò, quòd flaua, ſeu pallida bilis, aut in corpore re-
dundans ex vna in aliam partem transfluit, nec ſedem ſibi adhuc firmam ſtatuit:
vel in quapiam parte firma decumbit: ſecundò, cùm eam concoqui dicimus: tri-
plici ratione poſſe intelligi: aut concoctione, qua familiaria alimenta in corpore
concoquuntur. quam concoctionem, vt diximus, Ariſtoteles, & Galenus elixa-
tioni aſsimulant, ac hepſeſis Græcè dicitur: aut de ea concoctione, quæ metapho-
ricè maturatio dicitur, ſimili exiſtente maturationi propriè dictæ, quæ in pericar-
pus efficitur eamque Græci pepanſin nominant. &, cum hæc quoque duplex ſit:
quædam propriè dicta, quæ tantùm dulci, ſeu acidæ pituitæ tribuitur, vt ſuperius
diximus: quædam verò vniuerſaliter dicta, quæ tum alijs ſuccis, ſeu excrementis,
tum ichoribus ipſis tribuitur, pariter bifariam de ea loqui poſſumus. His prælibа-
tis, aſſerimus flauam ipſam, ſeu pallidam bilem, ſiue in aliquam partem decum-
bat, ſiue de vna in aliam transfluat, ſeu turgeat, nullo pacto concoqui debere con
coctione, quæ elixationi ſimilis eſt: cùm ex ea alimenta conficiantur, ac in aliti
ſubſtantiam conuertantur. pariter nec vllus alius ſuccus, ſeu excrementum tali
concoctione in noſtris corporibus concoquitur præter alimenta ipſa, quæ à ca-
liditate, quæ in humido exiſtit, conficiuntur, ex intentione Ariſtotelis quarto tex. 27
meteororum. Propalamus inſuper flauam, ſeu pallidam bilem in corpore redun-
dantem, ſiue ex vna parte in aliam ea transfluat, ſiue turgeat, ſiue in earum ali-
qua firmetur, ac decumbat, nullo pacto concoctionem admittere, ſumpta conco-
ctione pro maturatione metaphorica propriè dicta: cùm ea, vt ſæpius retulimus,
tantum competat his ſuccis, qui mutati, ac euicti à calido innato, reliquumque
perfectionis aſſequuti, & prorſus cocti corpus nutrire valent, ac in concoquen-
tis ſubſtantiam verti, vt pituita ipſa dulcis, ſeu acida. ipſa autem bilis tum flaua,
tum atra, cùm vna ex ſanguine plus calefacto, altera ex eodem aſſato, atque ad-
uſto gignatur, in ſanguinis ſubſtãtiam redire non valent, prout decretum reliquit
Galen. ſecundo de Ratione victus in morbis acutis. qua de re talem maturatio- com. 30
nem flaua ipſa, ſeu pallida bilis nullo pacto admittit. Quòd, ſi de maturatione lo-
quamur generaliter ac vniuerſaliter dicta, ſecundum quam aliqua cocta, ſeu ma-
turata vocare conſueuimus, cùm ab ipſa natura fuerint euicta, eaque natura fue-
rit cauſis fortior, ac ipſas ſuo robore permutauerit, licet permutata ac victa
nulla pars ex eis alimoniam valeat accipere, tunc flaua, ſeu pallida ipſa bilis
intra vaſa, aut in alium quempiam locum decumbit, ſua acrimonia, caliditate, ac
tenuitate naturam haud ita proritans ac impellens, vt ex vna parte in aliam ex-
pellatur ac transfluat: & tunc aſſerimus eam non tantùm concoqui poſſe, ve-
rùm etiam debere, præcipuè ſi ſuperari ac euinci ab ipſa natura poſſe exiſtima-
bis, præcepto Hippocratis, Aphoriſmo prææallegato, & Galeni ſecundo de Ratio- com. 44
ne victus in morbis acutis. quæ maturatio, eodem teſte, eodem loco, nil aliud eſt,
quàm eius à natura euictio. euincit autem, cùm eam permutauerit. qua permuta-
tione ex flaua, acri, & malè olente, cùm cruda præexiſteret, cocta poſtmodũ, pal-
lidior & minimùm malè olens efficitur. & propterea, licet, quia tenuis, paratiſsi-
ma ad expulſionem ſit: quia tamen cruda, & tenuis, & quilibet tenuis ſuccus cru-
dus ſit, &, vt concoquatur, robuſtam naturam deſiderat, vt Galenus aſſerit primo ſex. v. com-
de Morbis vulgaribus: propterea concoquenda prius eſt, vt concocta facilius ment. 25
diſcernatur, ac demum excernatur, velut de pituita relatum eſt. quam ſenten-
tiam confirmauit Alexander Trallianus libro 1. cap. decimoſexto, cuius hæc ſunt
verba, loquens de flaua bile: Humor nanque negotium faceſſens, dicta ratione
diſpoſitus, coctus, & tanquam ſubactus ac domitus, minore negotio ab euacuãte
medicamento profligatur & exhauritur. Quòd, ſi denuo aduerſarius oppugna-
bit, aſſerens flauam bilem ex tali concoctione craſsiorem euadere, & ſic ægrius
expelli poſſe: ei reſponſum volo, naturam non eò flauam bilem concoquere, vt

ſertè confirmauit:licet eam inter naturalia opera dinumeret. Ex quibus cuilibet conſtat apud Galenum alimentorum digeſtionem aliud à concoctione intelligi debere. &,ſi per pepſin digeſtionem impropriè interdum intelligere poſſumus, per anadoſin tamen nunquam concoctionem ſignificari compertum eſt: quinimmò hanc digeſtionem,ſeu diſtributionem ab aliis facultatibus perfiei,quàm à concoctrice,quia ab expultrice,ac attractrice ſimul, vt patet Galeno ſecundo de Naturalibus facultatibus. aliaque eſſe medicamenta,quę ad digeſtionem,ſeu alimentorum diſtributionem faciunt: & alia, quæ concoctioni præſidium afferunt: ac alio,& alio tempore exhiberi debere decretum reliquit idem Galenus quarto de Sanitate tuenda.Hæc autem digeſtio,ſeu diſtributio hoc pacto libro de definitionibus Medicis deſcribitur.Digeſtio eſt concocti,ac confecti alimenti,& in ſanguinem conuerſi in corporis particulas omnes attractio,quam natiuus calor molitur.De hac autem digeſtione alimentorum hic loqui non intendimus, ſed de ea digeſtione,quæ circa humores, ſeu excrementa, quæ præternaturaliter in corpore,ſeu parte aliqua corporis detinentur,à calido innato perficitur. hæc autem bifariam fieri poteſt:vna,ſiquidem cùm natura ipſa poſt concoctionem mouetur,pro digeſtione,ſeu diſtinctione ſemiputridi, ſeu ſemimali præternaturaliter detenti excrementi,& demum per ſenſibiles canales, ſeu aquæ ductus ſenſibiliter expellit, per aluum videlicet, vrinam,ſudorem,&c. quæ digeſtio, ſegregatio,ſeu diſtinctio propriè appellari meretur: impropriè autem diſtributio. nec minus ea à calido innato perficitur, velut ea digeſtio, quæ alimentorum eſt mediis naturalibus facultatibus, attractrici quidem ex vna, ac ex altera expultrici, hæcque inſuper alia eſt à dictorum excrementorum concoctione, eique ſuccedit,vt dicemus: quam fortè Græci diacriſin appellarent. Altera eſt digeſtio, quæ penes dicta excrementa præternaturaliter quoque in corpore retenta ab ipſa natura perficitur,ac ea excrementa non vtique ſenſibiliter poſtea excernens velut in prædicta,ſed per halitum digerens, diſpergens, atque per poros cutis inſenſibiliter diſcutiens. quæ quidem digeſtio diaphoreſis proprie à Græcis appellatur. hinc diaphoretice idem,quod vis diſcuſſoria ſonat,à verbo diaphoreo,quod idem eſt Latinè,quod digero,diſcutio, ſeu diſpergo. & propterea à quacunque cauſa corporis etiam ſubſtantia propria inſenſibiliter diſsipatur. Hanc diſsipationem per halitum digeſtionem appellamus. de qua etiam veluti de ea, quæ alimentorum eſt, digeſtione loqui pauca paramus. At de ea loquutus eſt Hippocrates libro ſexto de Morbis vulgaribus,cum dixit vigiliam edacem: & Galenus eodem loco ait,vigiliam edacem eſſe: quia corpus digerit, ac diſſoluit. & idem de vigilia duodecimo methodi medendi,voluit quòd corpus digerat. Tantùm ergo de ea digeſtione,quæ à natiuo calore aduerſus excrementa præternaturaliter detenta ſeu putreſcentia in corpore perficitur, tam ſi intra vaſa, quàm extra: tam ſi circa partes internas,quàm externas,verba faciemus. Verùm attendendum primò eſt,quòd velut ea digeſtio, quæ circa alimenta ab innato calido perficitur, ab eorum alimentorum concoctione diſcrepat, ac eam concoctionem, ſi ritè cuncta à natura in conficiendis alimentis perficiantur, ſubſequi debet: pari ratione ea digeſtio, quæ circa corporis excrementa, ſeu putridos humores in corpore præternaturaliter detentos à natura ipſa, ſeu calore naturali paratur, ab ea concoctione, ſeu maturatione, quam circa ea excrementa molitur, valde diſcrepat. Et velut ea digeſtio, quæ alimentorum eſt, eorum concoctionem ſubſequi debet: eadem ratione hæc digeſtio, quæ excrementorum eſt, ſeu humorum putridorum, ſi per ſenſibiles vias expellendi ſunt, eorum maturationem conſequi debet. & propterea Galenus iuſsit, quòd, vt bene aliquid euacuetur, oportet concoctionem præire, ſubſequi verò diſcretionem, & poſtea euacuationem, in commento Aphoriſmi vigeſimi ſecundi quarti,& vigeſimi ſecundi primi libri. Perficitur vero hæc digeſtio, ſeu ſegregatio, ſeu diſtinctio ab ipſa natura duabus eius facultatibus mediis: poſt tamen perfectam operationem ipſius concoctricis: attractrice videlicet vna, &

cap. 7

eodem cap. Ante medium.

Sec. 4. text. com. 20

cap. 3

expultrice altera. per primam ſiquidem quod familiare eſt, attrahens: at per excretricem id, quod amplius in priſtinam naturam redire non valet, ſeu in alimentum transſmutari, diſcernens ac diſtinguens ab eo quod familiare eſt, demum expellere tentat per ſenſibiles excretiones, quam expulſionem ſi perficere non valeat eo tempore, vt infrà dicemus: à medico natura ipſa iuuanda eſt tum præparatione, tum etiam, ſi opus fuerit, purgatione. Verùm eam digeſtionem excrementorum, quæ per halitum fit, natura ipſa confeſtim nulla præcedente concoctione ſæpe molitur: quinimo prius perficere tentat, per halitum videlicet digerere. quod ſi non valeat, id concoquere procurat, & demum ea, perfecta concoctione, ſegregat, ac diſtinguit, nec amplius per halitum digeſtionem æquè aggreditur: nam per concoctionem craſsiora, vt ſuprà relatum eſt, excrementa reddita, non amplius vtique per halitum facilè digeri valent, quæ concocta ſunt, ſed ſecerni & demum ſenſibiliter excerni poſtulant. & hac de re Galenus libro de Inæquali intemperie voluit eſſe in fluxione duplex genus curationis: vnum, quo digeratur quicquid humoris in particulam procubuit: alterum, quo cõcoquatur. Verùm digeſtio, dicebat, optanda maxime eſt: quoniam concoctionem hęc duo neceſſariò ſequũtur, puris generatio & eius in aliquod ſpacium abſceſsio, ex quibus verbis palàm oſtendit, digeſtionem per halitum excrementorum maturationem ſubſequi non debere, ſed potiſsimum eam præcedere: hanc eandem per halitum digeſtionem primò ante concoctionem exequendam iuſsit Hippocrates in cura pleuritidis ſecundo de Ratione victus in morbis acutis in principio. Diſſerendum autem modò à nobis eſt, nunquid ea digeſtio excrementorum, quæ eorum concoctionem ſubſequitur, diſtinctio, ſeu impropria diſtributio appellata, iuuari poſsit ab arte, & à medico: &, ſi poſsit, cum quibus. Pro primo aſſerendum planè eſt, quòd, velut alimentorum digeſtioni quibuſdam auxiliis medici opitulantur, vt patet de mente Galeni quarto de Sanitate tuenda. & libro Quòd animi mores corporis temperaturas ſequantur, & primo de Sanitate tuenda, ac ſecundo, & quinto eiuſdem: pari modo natura ipſa à medico adiuuari poteſt pro digeſtione redundantium excrementorum perficienda, cùm ea ab eadem natura perficiatur, eiſdémque facultatibus mediis, vt ſuprà relatum eſt. Quæ autem auxilia, ac qualia paranda ſunt ipſi naturæ à medico pro hac digeſtione iuuanda non admodum patet: nam interdum reperitur Galenum aſſerere, idem poſſe & cõcoctioni & digeſtioni opem ferre, vt de vino enuntiat in libro, Quòd animi mores corporis temperaturas ſequantur, loco ſuperius allegato, & ſexto de Morbis vulgaribus. ſæpenumero idemmet ait, quædam digeſtionem iuuare, quæ tamen concoctionem impediunt, velut ſecundo de Sanitate tuenda, de exercitatione diſſeruit. quæ cùm in corpus digeſtionem adiuuet, miniſtrari tamen non debet, niſi alimenta, ſeu ſucci, qui in ventre, aut vaſis continentur, optimè concocti ſint: aliàs periculum eſſet, ne priuſquam per maturam concoctionem vtiles ſint, in omnes animalis partes rapiantur. & libro quarto eiuſdem cap. ſeptimo dicebat poſt cibum non eſſe ſumenda medicamenta, quæ ad vehementiorem diſtributionem faciunt: nam tunc non diſtribui, ſed concoqui, quæ ſumpta ſunt, eſt vtilius. quare melius eſt eo tempore vti aliquo præſidio ad concoctionem, præcipuè qui egent. ex quibus Galeni verbis liquidò conſtat interdum eiſdem medicamentis poſſe & concoctionem & diſtributionem à medico iuuari, & ſæpenumero diuerſis auxiliis: Sed, quò veritas clarior fiat, haud ignorandum eſt concoctionem ipſam, ac diſtributionem, ſeu digeſtionem, velut & alia naturalia opera, ab ipſo calore innato perfici, vt patet Galeno in Cõmento aphoriſ. decimiquinti primi libri, & in cõmento Aphoriſ. ſeptimi ſecundi libri. qua de re nec quempiam præterire debet ea auxilia, quæ concoctionem ſimul & digeſtionem adiuuant, talia à medico paranda eſſe, vt calidum innatum, ſeu naturam ipſam roborent atque adaugeant, vel ſaltem non diſsipent, ſed ſeruent. nec minus ſciendum eſt aliquem ſuccum, ſeu excrementũ promptiùs ex ſui natura poſſe & concoqui, & diſtribui, ſeu digeri: aliquem verò ęgrius. His ſic diluci-

cap. 3

tex. 1

cap. 6. & 7.

cap. 3

1. de Sanitate tuen. cap. 11.

2 de Sanita. tuen. cap. 2

& 5. de Sanit. 5

cap. 3

Sect. 4. comment. 20

cap. 2

cap. 2 Gal.1.de Naturalibus facultatib. Verùm in quacunque re alterationes fuerint, in
ipſo fieri eſſentiam ſuam poſsident: cum, ſi quis ex albo niger, aut ex nigro fiat
albus, is in colore mouetur: &, ſi quid prius dulce, poſtea fiat auſterũ, vel ex au-
ſtero dulce: eum in ſapore motum eſſe dicimus, amboque in qualitate mouerĩ:
veluti qui ex calidiori frigidior fit, aut ex frigidiori calidior, vel ex ſicco fiat hu-
midus, aut ex humido ſiccus: eum quoque moueri affirmamus, cõmunéque his
omnibus nomen alteratio eſt. Quoniam verò corpora noſtra, velut cuncta alia,
quæ ortui, ac interitui obnoxia ſunt, vt ſuperius retulimus, duabus tranſmuta-
tionibus ſubijciuntur: vna fit, cùm eorum ſubſtantia alteratur, quæ non niſi cal-
facta, refrigerata, exſiccata, & humectata alteratur: nam ſolę hæ qualitates totam
cap. 7 tranſmutant per totam ſubſtantiam, teſte Galeno libro primo de elementis, & li-
cap. 9 bro de cõſtitutione artis medicæ: cuiuſlibètque noſtri corporis propria ſubſtan-
tia, in ſupradictarum primarum qualitatum quadam temperie eſt, ac proinde
ſubſtantia facultatum, quibus ea reguntur, proprietas eſt temperamenti, prout
cap. 3 Galenus aſſerit libro de Multitudine. Altera verò tranſmutatio efficitur, fluente
eorum ſubſtantia, quæ non tantùm per ſenſibiles excretiones fluit; verùm & ſe-
cundum illam, quæ occulta nominatur tranſpiratio: nimirum ſi duplici quoque
egeant reſtauratione: vna, quæ excedẽtes temperet qualitates: altera, quę locum
1. de Elem. repleat exinanitum, vt ſuperius dictum eſt. Verùm quæ excedentes qualitates
cap. 7 temperat, ſeu exuperantiam deſtruit, contraria debet eſſe qualitas excedenti, at-
que exuperanti: quæ verò defectum ſupplet, non eſt quidem contraria, ſed magis
ſimillima eſſe debet ſubſtantiæ prius euacuatæ: nam vicem illius in animalibus
obtinere oportet. hoc verò efficitur, cum ex ſubſtantia deperditæ ſimili corpora
enutriuntur: quam ſubſtantiam, alimentum nominamus; licet hæc quoque, quæ
cap. 2 corpora noſtra nutriunt, ea alterent, atque mutent fere omnia, vt ait Gale. tertio
cap. 1 de Temperamentis. hoc autem alimentum à Gal.1.de Simplic. medic. facultati-
1. lib. de ali- bus dicitur eſſe quicquid ſubſtantiam noſtri corporis augere poteſt; quanquam
men. prope auctore Hippocrate, id tripliciter dicatur: nam nutrimentum ipſe appellat, quod
prin. nutrit: nutrimentum quoque, quod veluti nutrimentum eſt: pariter & nutrimen-
tum, quod nutriturum eſt, vt ait Galenus primo de Naturalibus facultatibus. Il-
cap. 11 lud verò, quod ſecundum ſolam qualitatem ſubſtantiam noſtri corporis alterat,
medicinam, ſeu medicamentum appellamus. quod medicamentum à Galeno pri
cap. 1 mo de Simplicium medicamentorum facultatibus, omne id dicitur, quod natu-
ram noſtram alterare poteſt, abſque hoc, quòd ſubſtantiam corporis augeat. &,
vt vno verbo dicam, ea, quæ aſsimilantur, omnia nutrimenta vocantur: reliqua
verò omnia medicamenta appellantur. Eſt porrò & horum mendicamentorum
cap. 2 natura duplex, teſte Galeno tertio de Temperamentis; quippe vel cuiuſmodi
ſunt aſſumpta, eiuſmodi etiam permanentia vincunt, ac corpus mutant. & hæc
prorſus tum venenoſa, tum naturæ animalis corruptricia pharmaca ſunt. Vel
mutationis initiũ ab animalis corpore conſequuta, poſtea corpus noſtrum alte-
rant: quæ multis modis dicuntur, vt patet Galeno eodem libro tertio de tempe
ramentis. nos autem de prima medicamentorum natura penitus loqui non in-
tendimus, nec de cunctis, quæ in ſecunda medicamentorum natura continentur:
verùm ſecundam in duas ſpecies diuidentes, quarum vna eſt, quæ ſecundum ſo-
lam qualitatem ſubſtantiam alterans, enutrire tamen animal non valet, ſeu ſub-
ſtantiam augere, aut exinanitum locum replere, velut de nutrimento diximus.
Altera ſpecies eſt, quæ non tantùm noſtri corporis ſubſtantiam alterat, cum hoc
quòd neque exinanitum corpus replet, verùm de corpore eam educit per quam-
cunque viam ſenſibiliter euacuans: quæ medicamenta purgantia à medicis no-
minari ſolent: redundant nanque in corpore quædam in quantitate, & quædam
cap. 13 in qualitate, vt Galen. aſſerit vndecimo methodi medendi. Cùm ergo de altera-
tione, ac medicamentis alterantibus in hoc capitulo diſſerere propoſuimus; de
eis loqui intendimus, quæ corpus alterare poſſunt abſque ſubſtantiæ diminutio-
ne, aut augmento. nam licet nonnullæ aliæ alterationes dici poſſent: & ea, quæ

naturæ

naturæ in ipſis actionibus opitulantur, alterantia quoque nominari nomine ge-
neris:hic tamen de ea,quæ excedentes in corporibus temperat qualitates, abſque
hoc,quod corporis ſubſtantiam augeat,aut minuat,ſed eadem manente, ac ſer-
uata intelligendum eſt propriè ſumpta, pro mutatione tantùm eius qualitatis,
quæ prius fuerat in corpore,& generatione alterius contrariæ,abſque hoc,quod
aſsimilet,ſeu diſtribuat,diſsipet,atque ſubſtantiam euacuet.Hæc autem excedens
qualitas erit,cum noſtri corporis ſubſtantia alteratur, refrigerata, calfacta, exic-
cata,& humectata,aut eum ex harum qualitatum diuerſis combinationibus af-
ficiatur. quòd ſi vnam valeremus ſine ſubſtantia qualitatem inuenire; ea ſola v-
teremur, ac eam ſolam adhiberemus, vbi alterare neceſsitas vrgeret.nunc ve-
rò, cum nec vna qualitas ſine ſubſtantia inueniri poſsit, vt Galenus aſſerit libro
primo,cap.ſeptimo de Elementis; cogimur eas qualitates vnà cum earum ſub-
ſtantiis corporibus adhibere, vt contraria qualitas in ipſis exuperans ab eis de-
ſtruatur. Et, ſi quandoque exuberans ipſa qualitas in corporibus ſumma ſit:cor-
pora accipimus, in quibus contraria qualitas in ſummo reperiatur, præcepto
Galeni tertio de Temperamentis. velut, ſi in corpore ſumma ſit ſuperabundans *cap.5*
frigiditas: ignem adhibemus. quòd, ſi ſuperabundans qualitas ſumma ſit calidi-
tas: aquam afferimus.quo tempore elementis pro medicamentis vtimur, vſum-
que ea medicinæ præbent,vt Galenus præcipit libro primo de Elementis.Si ve- *cap.7*
rò à ſummo paulum recedat, aut plus à ſummo abſit ipſa ſuperabundans præ-
ter naturam in corpore qualitas; non amplius ipſis elementis pro medicamen-
tis vtimur,ſed mixtum aliquod ex eis eligimus. veluti, ſi calfacere intendimus;
medicinam eligimus,in qua maior ſit portio ignis,quàm contrarij elementi, vbi
verò frigefacere volumus; vice verſa medicinam eligimus, in qua maior ſit por
tio aquæ,quàm ipſius ignis, quæ à ſummo quidem paulum, vel multum decli-
nans ſit ad portionem ipſius receſſus,auctoritate Galeni tertio de Temperamen *cap.5*
tis,ſæpenumero verò contingit,quòd vtriſque ſimul opus eſt,alterare videlicet,
& enutrire túncque ſubſtantiam quærimus,quæ & alimenti,& medicamenti af-
ferat vtilitatem.hæc autem veluti medicamenta corpus noſtrum alterant, ac af-
ficiunt toto eo tempore,quo concoquuntur.at vbi concocta, ac aſsimilata ſunt;
prorſus calorem naturalem augendo, vt alimenta omnia nutriunt, Galeno au- *cap.4*
ctore tertio de Temperamentis. Cùm ergo duæ ſint primarum indicationum
differentiæ,vt teſtis eſt Galenus tertio Methodi medendi,quod ſecundum natu- *cap.3*
ram ſe habet;videlicet ſui cuſtodiam indicans,& propterea quæ ſibi ſimilia ſunt
poſtulans,& quod præter naturam eſt, ſublationem ſui, eóque contraria requi-
rens:perit enim quicquid in contrarium,& à contrario,vt idem Galenus eodem *Ibidem & 11.*
loco, & libro vndecimo eiuſdem; hinc non mirum, ſi ab Hippocrate hoc au- *Meth. meden.*
reum,æternæque veritatis præceptum recepimus, nempe contraria contrario- *cap.3*
rum eſſe remedia: hoc etenim neglecto,omnem medendi methodum confun-
demus,vt eodem libro vndecimo methodi medendi Galenus aſſerit. nam om- *cap.12*
nia,quæ præter naturam ſunt; ab his,quæ ipſis ſunt contraria,curantur,ſiue mor-
bi ſint,ſiue morborum cauſæ,ſiue ſymptomata morbi:quanquam morbus ſolus
per ſe ſubſiſtens ſolus quoque curationem propriã ſuſcipit, iſque præcipuè con-
traria poſtulat remedia.At,ne quis decipiatur,cum contraria contrariorum eſſe
remedia dicimus; non tantùm ea, quæ poteſtate contrariã ſunt intelligi volu-
mus, verùm etiam quæ actu, aut ex accidenti ſunt talia. & hoc de intentione
Galeni vndecimo Methodi medendi; licet quod poteſtate,ſeu ſecundum poten- *cap.9*
tiam tale ſit,præcipuè à medicis audiatur: veluti, cum febris dicimus perpetuò
remedia eſſe frigida: eóque ipſam ſanare, per frigidum intelligendum eſt non
tantùm aquam frigidam,quæ talis eſt in actu,ſed alia,quæ partim poteſtate,par-
tim ex accidenti refrigerant,auctore Galeno vndecimo Methodi.auferuntur er- *cap.9*
go,quæ præter naturam ſunt omnia à ſuis contrariis,præcepto Hippocratis. ve- *Ex lib.de fla-*
rùm, quoniam quæ præter naturam ſunt, cuncta immoderata dicuntur: quæ *tibus, prope*
verò ſecundum naturam, moderata, neceſſum eſt in omnibus immoderatis à *princ.*

contrariis immoderatis (vt diximus) ad commoderatum regreſsionem molitur. Nam veluti viam quandam ire, quod præter naturam ſe habet, dum ad naturam redit, eandem quidem, ſed contrario itinere, remeare oportet, vt ait Galenus li-

Lib. de Conſt. artis cap. 12 lib. art. med. ca. 89. primo de arte cur. co. 7

bro de Conſtitutione artis medicæ, & libro artis medicinalis. pariter libro primo de articulis dicebat. Neceſſe, autem eſt, vt qui in priſtinum ſtatum rediturus eſt, is eadem via, vnde eſt digreſſus, reuertatur, quod perindè eſt, ac ſi dicamus, vt cõtrarium iter faciat. Eatenus verò iubet Galenus cõtraria immoderatione vti pro ſublatione eorum, quæ præter naturam ſunt: vt tum primum deſinas, vbi ad commoderatum perueneris. Hoc inſuper communiſsimum, ac generaliſsimum Hip-

Ex lib. de flatib. ibi. cap. 12

pocratis præceptum, contrariorum contraria eſſe remedia, ſempiternæ veritatis eſt, in inſtrumentalium partium præter naturam affectibus: vt Galenus fatetur libro de Conſtitutione artis medicæ. Verum, quoniam non licet vllius artis. ſcientiam nanciſci, niſi & methodum quandam habueris, per vniuerſalia vocata theoremata; & in particularibus eo exemplis exercueris, auctoritate Galeni nono Methodi medendi cap. ſexto, (cum cuilibet particulari diſpoſitioni præter naturam corporis contraria particularia inueniantur, quibus ea diſpoſitio auferri debet,

Lib. de conſt. art. cap. 12. lib. art. medi. cap. 89

eodem Galeno teſte libro de Conſtitutione artis medicæ, loco præallegato, & libro artis medicinalis) vt in particularibus exerceamur, relictis eis diſpoſitionibus, quæ in inſtrumentalibus partibus eueniunt: de eis tantùm, quæ in ſimilaribus verba facientes, dicimus, quòd, cùm calido affectui frigidum auxilium contrarium exiſtat, frigido autem calidum: eodem modo ſicco humectans, & humido exiccans: pariter calido ſimul, ac ſicco morbo, frigidum & humectans veluti frigido & humido, calidum & exiccans contraria ſunt, & eadem ratione de cæteris intemperaturis, quę in vniuerſum octo ſunt, quibus ſimplicia corpora ſunt obnoxia, vt patet ex Galeno libro nono, & ſeptimo Methodi medendi,

9. Meth. med. c. ult. & 7. eiuſdem cap 3 tum 1. de temper. cap. 8 8. de facul natur. cap. ult. & 7. Metho. med. cap. 4

& primo de Temperamentis: his vtendum eſſe cenſemus pro eorum affectuum curatione, quæ per alterantia propriè dicta perficitur. quem curationis modum Galenus docuit ſecundo de Naturalibus facultatibus & ſeptimo Methodi. At cum duplex corporum intemperies ſit: alia ſanitatis videlicet, & alia morbi: ſanitatis quidem, quæ paulùm à media temperie: morbi verò, quæ longiſsimè abeſt ab ea, vt ait Galenus ſecundo de Temperamentis: nos de morboſa intemperie, & non de ea, quæ ſanitatis eſt, hic verba facimus. Ea ergo alteratione belliſsimè vtimur in eis præter naturam affectibus, qui amplius ab aliqua cauſa non fouentur: v.g. in hectica, & diaria febre, quæ tantùm contrariorum auxiliorum adhibitione curantur. nam quæ contraria eis adhibentur, etiam ſi qualitatem, ſeu qualitates excedentes tranſmutent in alias qualitates contrarias, illud tamen perficiunt abſque vlla alia concoctione, digeſtione, præparatione, ſeu purgatione. & hoc pacto natura ipſa, ſiue calor innatus à medico in hiſce morbis adiuuandus eſt: quod auxilium propriè alteratio dicitur. hanc autem alterationem per eam molimur, quæ vel tota ſubſtantia, vel qualitate vna, duabúſve con-

Lib. de Cõſti. artis med. ca. 19. 5. de Simp. med. fac. ca. 18 13. Meth. meden. cap. 7

traria ſint, teſte Galeno libro de Conſtitutione artis medicæ, & quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus, ſupra dictas quidem qualitates cum ſuis ſubiectis, non tantùm vt materias præparando, ac miniſtrando, ſed vt auxilia, prout decet. Quicunque ergo iam facti ſunt morbi, & cauſa, quæ hos creauit, iam abiit, ſupradictam ſimplicem primam curationis indicationem habent: velut & illi, qui alteratis tantùm qualitatibus in partibus morbi fiunt, nempè contrarium: ſemper enim pro eo, quod exuperat, inducendum eo vſque contrarium eſt, quoad particulam in ſymmetriam, & naturalem habitũ vindicaueris, vt præcepit Galenus ſeptimo Methodi medendi. cap. tertio. hac inſuper alteratione, ac auxiliorum præparatione ſæpenumero vtimur in febribus, quæ ex putreſcentibus excitantur humoribus, quandoque frigidum adhibentes: nanque ipſius febris, prout febris eſt, aqua frigida pota perpetuò eſt remedium, vt Gal. vndecimo

cap. 9

Meth. meden. aſſerit: pręcipue, cùm febris ipſa fuerit ardentiſsima, & magna, cunctæque vires ægroti valentes ac concoctionis notæ planè euidentes ſint: tũc nan-

que

que frigidam homini putrida febre laboranti tribuere audacter debemus, decre
to eiuſdem Gale. eodem loco,& Pauli ſecundo de Arte medendi, cap.18. quin- *loco citato.*
immo id magis audebis:ſi frigidæ potioni inſueuerit, nulláque laborantis fuerit
interna particula, princeps præſertim, inflammata, aut imbecilla: præcepto eiuſ-
dem Galeni nono Metho. nam licet tria præcipuè ſint, quæ in propoſitis febribus *cap. 5*
ob putredinem ortis agendorum indicationem nobis præbeant: vna, videlicet
febris ipſa: altera, effectrix eius cauſa:& tertia, vis ipſa naturalis, vt decimo Me-
thodi Galenus decretum reliquit: tamen ſi intolerabilis ægro magnitudo febris *cap.1*
ſit, relicta cauſa, à qua prima ſumitur pro earum curatione indicatio (teſte Gale- *cap.1.& ca.6*
no eodem decimo Methodi medendi) ad frigidam exhibendam, febríſque ex-
tinctionem acceleramus. quæ, niſi occurras, ſui magnitudine præſentem perni-
ciem afferet. At ipſe (cum perpetuò in frigidæ exhibitione cuncta, quæ requi-
runtur, haud facile ſit in febricitantibus reperire) ſi febris magnitudo inſtet; tu-
tius, cum oportet, aqua hordei vtendum eſſe cenſerem, cum hæc non tantùm fe-
bribus ardentibus accommodatiſsima ſit: quia omni ex parte ei opponitur refri-
gerans,& humectans: immo, quia ſitim magis, quàm aqua ſola extinguit, cùm
citius digeratur, nonnulláque alia commoda ipſam ſequantur, vt patet ex Gale-
no lib. de Priſana: eſt enim ipſa aqua hordei complicata quædam res ex hordeo, *cap. 5*
& aqua, cum proba concoctione: velut priſana ipſa, licet minus hordei, quàm
ipſa priſana,& plus aquæ aſſumat. quam Hippocrates pro extinguenda ſiti ſum-
mopere ſiticuloſis approbat, quarto de ratione victus in morbis acutis,& Gale- *tex.com.71*
nus in eius commento. At, cum vniuerſi febrium generis intemperies ſit calor,
Gale. aſſerit vndecimo Methodi medendi: nimirum, ſi ea intemperies per frigi- *cap.2*
da ſanabitur, non tantùm per ea, quæ actu talia ſunt, verùm per ea quoque quæ
poteſtate,& interdum per ea, quæ ex accidenti refrigerant, aut etiam omnia ſi-
mul commixta. Non ab re igitur febre ipſa indicante, vt retulimus, quæ pote-
ſtate refrigerant adhibentes, eam curamus: quæ curatio alteratio tantùm dici
poteſt: quibuſdam ſyrupis vtentes, qui alterare valent, vt ſunt violaceus, roſaceus,
ex nymphæa, papauere,& eis, qui ex vtroque cichorio domeſtico, vel agreſti pa-
rantur: quanquam hi extergendi quandam vim habeant, ac conſtringendi, vt
ait Galenus octauo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos. his *cap.8*
quidem ſolis, tum quibuſdam eorum ſimul textis, ac ſæpenumero quoque frigi-
dam permiſcentes, aut quorundam infrigidantium decoctũ: quorum ſylua ſatis
admodum apud medicos nota eſt: hac eadem alteratione interdũ vtimur, cum
aduerſus harum febriũ cauſam pugnamus, à qua prima indicatio ſumitur. quam
cauſam putredinem eſſe teſtatur Galen. libro decimo Methodi medendi,& vn- *cap.1*
decimo eiuſdem, ait humorum putredinem antecedentem cauſam eſſe ipſiùs fe- *cap.9*
bris. Quare qui febrem curare volet, neceſſe eſt putredinem inhibeat. vt autem
cuilibet liquidò conſtet, quo pacto putredinem inhibeamus aduerſus eam alte-
ratione tantùm pugnantes, primò de ipſius putredinis natura, ſecundò de eius
ſpeciebus,& cauſis diſſeremus. Quantum attinet ad primum, relicta opinione
Ariſtotelis, qui quarto Meteororum textu ſexto hoc pacto naturam putredinis
exponit, inquiens, Putrefactio eſt corruptio quædam in vnoquoque humido
propriæ ſecundum naturam caliditatis ab aliena caliditate: hæc autem eſt, quæ
ambientis: ad eam quæ à Galeno ponitur, definitionẽ veniemus: ipſi nanque tan-
quam medicorum principi, pariterque Hippocrati addicti ſumus. Gale. ergo 11. *cap.8*
Methodi medendi hoc pacto putredinis naturam deſcribit: nempe mutatio to-
tius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam à calido externo: nam cùm
geminum, de intentione Hippocr. vbique fateatur in corpore calidum eſſe: al-
terum, quod ingenitum ſeu innatum vocatur: alterum verò adſcititium, ſeu non
naturale,& alienum: à primo quidem coctiones fieri vbique aſſerit, præcipuè
ſexto de Morbis vulgaribus,& ſecundo de Differentiis febrium: contrà verò ca- *6. epid. 5. 4*
lor ipſe alienus, ac præter naturam habet corrũpere: primum quidem, ſi in cor- *com.25.2.de*
poribus fuerit excitatus, ſuccos ipſos propter humiditatem,& putrefacit,& *diff.feb.cap.9*

corrumpit: ſpacio verò tum adipem inuadit,tum etiam carnem,vt Galenus aſſe-
cap.8 rit vndecimo Methodi: nil mirum ſi putredinem ab aliena,ac externa caliditate
oriri diximus: non autem à natiua,cuius munus eſt concoquere,& non corrum-
pere. hæc autem humorum putredo, vt habetur à Galeno libro primo de diffe-
cap.6 rentiis febrium, duorum generum eſt; licet,vt ipſe refert,ex horum duorum ge
nerum miſcella alia tertia euariet,quæ quidem multiplex exiſtit, quoniam & in-
numerabiles miſcellæ modi reperiuntur, cum alterum genus maioris, minoriſ-
que ratione ſuperet, & ſuperetur.Supradictorum autem duorum generum pu-
tredinis alterum fit ſuperante natura,alterum verò ſuperata,& euicta: ſuperante
quidem, in inflammationibus, & ſimilibus collectioni tumoribus omnibus pus
gignitur: in humoribus autem, qui in venis, aut arteriis continentur, quid-
dam, quod puri proportione reſpondet, ſubſidens in vrinis. Verùm hæc putre-
do non ſimpliciter putredo exiſtit, ſed aliquid in ſe continet coctionis: immò,
vt dicemus de mente Galeni, potius concoctio, quàm putredo eſt appellanda;
cùm ſit putreſcentis corporis ſubſtantiæ mutatio, potius ad perfectionem quan-
dam,quam ad corruptelam.Alterum vero genus putredinis eſt, cùm vis conco-
quendi adeo imbecillis facta eſt, vt nullam amplius facere poſsit in putreſcente
ſuperfluitate ad optimum tranſmutationem. in qua ſuperfluitatis putredine ſe-
cundum ſubſtantiam efficitur permutatio, ac multis modis euariat illud, quod
putreſcit. Tertium verò genus putredinis eſt, quod velut ſemiputridum appel-
latur,non quidem ſuperante omnino natura ipſa, vt in primo genere: neque ſu-
perata,vt in ſecundo,ſed vtriſque adhuc cooperantibus, neutro tamen euicto.
quod genus putredinis multiforme eſt,ac multiplex,innumerabileſque differen-
tias,pro eo quòd magis,& minus concoctionem ſuſcipit. Attamen in commento
Aphoriſmi 17. ſecundi libri, Galenus duo tantùm genera dinumerat: vnum,
quod potius ſecundum qualitatem tranſmutatio appellatur, parua ſcilicet alte-
ratione ab alieno calore in humoribus ipſis effecta,nondum tamen habente ma-
ximè effatu dignam euerſionem, ad naturæ ſuæ contrarium. Aliud verò genus
eſt,quod tam effatu dignam habet eam, quæ ad propriæ naturæ eſt contrarium
euerſionem,vt non poſsit iterum ex naturæ coctione ad primam eius redire bo-
nitatem,adeo ſcilicet imbecilla facta concoquendi vi, vt nullam amplius poſsit
facere tranſmutationem ad perfectionem. & hæc propriè corruptio ab eo ap-
pellatur: nanque non amplius ad habitum naturalem redit. At,quoniam cuncta,
cap.5 quæ putreſcunt, ex calido, & humido ſic afficiuntur, teſte Galeno quarto Me-
thodi medendi; ea quoque,quæ putreſcunt,tum calida,tum humida eſſe debẽt,
eodem auctore nono Methodi. & inſuper tertio de morbis vulgaribus idem Ga-
9. Met. me. c.3. 3. Epid. ſ. 3. com. 1 & 22 lenus dicebat, Putredinem ex materia gigni humida, ex cauſa verò efficiente,
extraneo,& præter naturam calore: & propterea quæ omni ex parte ſunt ſicca,
putreſcere non videmus,vt aurum,& argentum: diſſerendum planè eſt, quo pa-
cto putredo ipſa,quæ cauſa antecedens eſt ipſius febris, vt diximus, alterari va-
leat ſimplici alteratione, abſque hoc quòd concoquatur, digeratur, ſeu præ-
paretur putreſcens ille ſuccus: hoc tamen prius pro certo habito, nos non de eo
putredinis genere velle loqui, quod velut corruptela humorum eſt,vi conco-
quendi omnino euicta,ſeu adeò imbecilli, vt ab ea nulla mutatio ad benignum
putreſcentis excrementi fieri poſsit. nam talis putredo, ſeu humorum corrupte-
cap. 10 la euacuanda potius,quàm alteranda eſt,vt præcipit Galenus nono Methodi, &
cap.8 vndecimo: nam quod corruptum iam eſt,id alienum à natura eſt. quod tale eſt,
id ſe auferendum dictat, ac quàm primum id educere tentandum eſt: cùm nulla
ratione fieri poſsit, vt naturæ gratiam recipiat, velut idem Galenus aſſerit
cap.3 quarto de ſanitate tuenda. verum de altero genere, in quo veluti ſemiputre-
ſcens, ſeu ſemimalus humor eſt,& in quo; adhuc tum innatæ caliditatis, tum
alienæ operatio efficitur, vnius quidem concoquendo, alterius putrefacien-
do, & corrumpendo. hoc ergo genus putredinis, in quo humor veluti ſemipu-
treſcens,ſemimaluſque eſt,alterandum eſſe alteratione, quæ alia à concoctione,

digeſt

digeſtione,ſeu præparatione ſit, intrepide aſſerimus:nam, ſi putreſcentes humores,ex quibus febris accenditur, duo hæc indicant immutationem eorum videlicet manente ſubſtantia,& euacuationem,teſte Galeno libro Artis medicinalis:ab eo, qui has febres curare volet, inhibenda prius putredo eſt, quæ antecedens cauſa earum febrium exiſtit, vt diximus.hæc autem inhibitio, manente tamen humorum ſubſtantia,vt perpetuò loquimur,non niſi dupliciter fieri poteſt: aut adhibitis contrariis qualitatibus ipſius putredinis, aut per aliam immutationem ipſum putreſcentem ſuccum, non tantum in contrarias qualitates alterando,ac immutando,verùm conficiendo quodam modo,ac aſsimilando. quæ quidem immutatio, ſeu alteratio concoctio dicitur.& propterea Galenus vndecimo Methodi decretum reliquit, in humorum putredine & excretionem, & refrigerationem, & ventilationem, & ſemiputridorum concoctionem ex aduerſo reſpondere. Nũc verò,cum de prima immutatione loquamur;dicimus,quòd cum quicunque ſuccus putrefit,de mente Galeni calidus præter naturam,& humidus efficiatur,ac à calido,& humido id perpetiatur, vt retulimus,neceſſum eſt (communiſsimi Hippocrat.præcepti perpetuò veritate ſeruata,quòd contrariorũ contraria ſint remedia) tales ſuccos ſemimalos ſeu putreſcentes à medico ad contrarias qualitates, manente eorum ſubſtantia, immutari.quæ immutatio à frigidis, ac ſiccis medicamentis ipſi naturæ paratis, & corporibus adhibitis optimè perficitur. Hinc acetoſitatem citri,ſuccum malorum punicorum acidorum, ac pomorum acidorum limoncelij, & limonum, omphacium, atque acetum, & ſimilia pro ea immutatione perficienda, putredineq́ue inhibenda,ac pro eius malæ qualitatis tranſmutatione facienda, eligimus ex dictis nonnulla medicamenta,ſeu ſyrupos parantes.quam alterationem aliam à concoctione Galenus præcepit vndecimo Methodi medendi, cap. nono, cùm dixit, Putreſcentia, ſemimaláque ſanare poſſunt, tum ea quæ alterare,tum ea, quæ concoquere valent, excitando, ac firmando eius naturæ facultatem, quæ naturaliter concoquit. Nec minus videtur eundem Galenum libro Artis medicinalis, præallegato loco, per alterationem, qua putredo inhibetur manente ſubſtantia, duo hæc voluiſſe intelligere: & eam videlicet, quæ propriè alteratio dicitur: & concoctionem, quam tanquàm magis vtilem, atque præcipuam immediatè exponit, præſertim cùm cunctæ aliæ præter has alterationes ſubſtantiam euacuent, ſiue digeſtiones fuerint,ſiue præparationes ſeu purgationes, vt infra declarabimus. Hinc patet nonnullos iuniores expoſitores in expoſitione ſupradictorum Galeni verborum fuiſſe hallucinatos: nanque autumarunt tantum de ea alteratione, quæ concoctio appellatur, Galenum intellexiſſe; cùm, ſi de ea ſola loquutus ibi fuiſſet, falſum penitus aſſereret, ſolam eam putredinem tollere manente ſubſtantia: nam hæc alteratio putreſcentis ſucci, quæ per contrarias qualitates putredinis efficitur, idem perficit, ac putredinem, quæ in generatione adhuc eſt ſubſtantia manente,inhibet. Inſuper nec illud effugeret,quin de inſufficientia damnaretur,aut pugnantia aſſereret, cum non tantùm putreſcens ſuccus concoctione, & euacuatione curetur, immo alteratione alia, ac infrigidatione, de qua libro vndecimo Methodi medendi cap.nono verba fecit, vt ſuperius diximus, & propterea, vbi Græcus codex habet, ἀλλὰ τὸ μὲν εἰρημένον εἶδος τῆς ἀλλοιώσεως, πέψις ἐστὶν: quod Latinè ſonat: Sed dicta quidem alterationis ſpecies concoctio eſt, fortè deprauatus exiſtens, melius diceret, ἀλλὰ τὸ μὲν τῆς εἰρημένης ἀλλοιώσεως εἶδος πέψις ἐστίν. id eſt, ſed dictæ quidem alterationis ſpecies, concoctio exiſtit. quòd,ſi velint per alterationem ſolam concoctionem eo loco Galenum intellexiſſe, ſi valeant; eum ab inſufficientia, aut pugnantia abſoluant; quanquam neque hoc quicquam noſtræ opinioni,ac veritati aduerſetur, quæ Galeni auctoritate vndecimo Methodi medendi cap. nono, fulcita, ac confirmata eſt. Quidam alij concoctionem cum prædicta alteratione confundentes,frigida, & ſicca propriè concoquentia eſſe aſſerunt:cùm ea putredinem inhibeant,contrarias qualitates putreſcentibus humoribus inducendo. At quantùm iſti à veritate

cap. 89

cap. 15

cap.89

deuenit, cùm de concoctione tractabimus, liquidò oſtendemus: frigida enim, & ſicca, & ſi putreſcentis humoris qualitatibus opponantur, putredinémque quodammodo alterando inhibeant, concoquentia appellari haud poſſunt: nec concoctionem iuuare niſi quodammodo ex accidenti, immutatis videlicet putredinis qualitatibus, ex quarum immutatione concoctrix facultas fortè valentior redditur. Hinc concludamus putredinem, de qua modò loquimur, à medico alterari poſſe per immutationem earum qualitatum, quæ ipſi putredini propriè inſunt, à contrariis qualitatibus, vt dictum eſt: ac per ea, quæ dictas contrarias qualitates poſſident, putredinem poſſe ſiſti, ac inhiberi manente ſubſtantia, in qua ea conſiſtit, cum eis, quæ ſuperius conſcripſimus. quæ alteratio alia eſt à concoctione, digeſtione, ſeu præparatione. Et, ſi Galenus concoctiones interdum alterationes appellat, & vim concoctricem alteratricem; nunquam tamen eas cum

cap. 4 prædicta alteratione confundit: quinimmo ſecundo, & tertio de Naturalibus fa-
cap. 7 cultatibus, concoctionem per alterationem definiuit: tertio etiam artis medici-
cap. 89 nalis concoctionem alterationis ſpeciem eſſe dixit. Sed mox obiicier quiſpiam, ſi putredinis occaſio vna, eſt tranſpirationis prohibitio; quo pacto ea putredo inhiberi poſſit per frigida, & ſicca, cùm ea cauſam putredinis meatus obſtruendo, adaugeant? Cui reſponſum ſit primò, non immoderatum debere eſſe infrigidantium, & exiccantium vſum: ſecundò, quòd ex his maius ſequitur commodum, quàm incommodum. Ad hæc quòd eis vti debemus frigidis, & ſiccis, quæ acidam qualitatem participant, tenuiſque ſint ſubſtantiæ, ac humiditatis multæ admixtionem habeant; qualia ſunt ea, quæ ſupra narrauimus: aut quæ acrimoniam poſſideant, vt acetum, & non eis, quæ valde adſtringentia ſunt terrenæ, ac craſſæ corporis conſiſtentiæ, ſeu ſubſtantiæ. Qua de re, cùm acidus ſapor potiſſimum gignatur, dum quid à calido mutatur incipiente concoquere: non tamen perfecte id ſuperante, vt Galenus aſſerit quarto de Simplicium medicamento-

cap. 15 rum facultatibus, acidámque qualitatem frigidum ſubtile efficiat, tenuiúmque
Loco citato. partium ſint acida, eodem auctore eodem libro: ſequitur, quòd quamprimum penetrantia non obſtruant, cum hoc quòd putredinem inhibentia maximum comparent commodum, ac ex pauca adſtrictione vaſa corroborentur, potiuſquàm propter oſculorum exiguitatem lædantur. Vlterius ea permiſceri poſſunt cum aliquo infrigidantium decocto, aut aliquo, quod liberare obſtructiones valeat, quorum copia magna penes medicæ artis auctores reperitur: & hoc pacto nedum putredinem non adaugent, ac tranſpirationem prohibebunt, verùm & cauſam oppugnabunt, & febrem pariter extinguent: illud, quod ſine cunctatione

cap. 1 agendum eſt præcepto Galeni decimo Methodi medendi. quòd, ſi ea putredo per ſe ſola ſubſiſtat, vt ſæpius eſt videre, ipſiúſque putredinis efficientes cauſæ non adſint; quid prohibeat prædictis auxiliis vti pro ea immutanda? nihil ſanè. & hæc de alteratione ſint dicta ſatis.

De concoctione.

CVm tres in animalibus corporibus fiant alterationes, vt Galenus aſſerit libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus cap. ſexto, quarum vna ſecundùm naturam eſt, cum videlicet in ventre cibus coquitur, aut in viſceribus, & vaſis, qui inibi generatur ſuccus, vnde pars vnaquæque nutriatur: altera contra planè præter naturam, nempe in putreſcentibus omnibus, ab aliena caliditate: tertia media eſt, ac ex vtraque mixta, partim primæ particeps, ac naturalis, partim huius contrariæ, quæ eſt præter naturam: dictúmque ſatis in præcedentibus fuit, tam de ea alteratione, quæ præter naturam eſt mutatio ab aliena caliditate ſuperante, ac vincente, quàm de ea, quæ ex vtraque alteratione mixta eſt, quæ mutatio tam à calore ingenito, quam ab alieno prouenit, reſtat modò differere, cum de ea alteratione, quæ ſecundum naturam eſt & ab ingenito tantum calore perficitur, quam alterationem cõcoctionem propriè dicimus: tum de alia

alterat

alteratione,quæ ab ipſo etiam calido innato, ſed non omnino vincente, verùm ſuperante quodammodo efficitur: quam etiam alterationem concoctionem nominamus:nempe hæc quoque alteratio à calido innato ſuperante in humoribus putreſcentibus perficitur:& ſi putredinem eam dixerimus eſſe, ac inter putredinis ſpecies dinumerauerimus,cùm in ea actio quædam,quamuis modica,alienæ ſit caliditatis: tamen, quia in ea alteratione naturalis caliditatis actio ſuperat, concoctio potiùs,quàm putredo appellari meretur,Galeno auctore libro primo de Differentiis febrium,cap.ſexto. Verùm,vt dilucidiùs loquamur, haud ignorandum eſt,primò illud quod Græci pepſin, quidam abuſiuè digeſtionem vocant:nos,qui per digeſtionem aliud quoddam Galeno intelligi volumus,clarioris doctrinæ gratia, pepſin, quod Græci dicunt, concoctionem appellabimus. quæ concoctio,licet ab Ariſtotele quarto Meteororum hoc pacto definiatur:Concoctio eſt perfectio à naturali,& proprio calido ex oppoſitis paſsiuis: eáque in tres ſpecies diuidatur,maturationem videlicet,elixationem,& aſſationem:ac eis tres inſuper ſpecies cruditatis,ſeu inconcoctionis contrarias tribuat:nos,cum medici ſimus, Hippocrati,ac Galeno adhærentes, de ea velut de cunctis aliis ad eorum mentem diſſeremus. De duplici autem concoctione, quæ in corporibus noſtris efficitur à calido innato,Galenum loqui reperi: quarum vna eſt,quæ penes alimenta perficitur,ſimilis quidem exiſtens hepſeſi,ſeu elixationi, & propterea elixatio metaphoricè appellatur:altera verò,quæ maturatio metaphoricè ab eo dicitur,ſimilis exiſtens pepanſi, ſeu veræ maturationi. At de prima concoctione, quæ attenditur penes alimenta elixationi ſimili, Galenus tractauit libro tertio de Naturalibus facultatibus. eámque hoc pacto deſcribit: quòd nihil aliud eſt, quàm alteratio in propriam eius,quod nutritur, qualitatem. Verùm luce clarius de intentione Hippocratis,ab eodem Galeno definitur, ſecundo de Naturalibus facultatibus,cap.quarto,vbi ait, concoctionem alterationem quandam eſſe, ac nutrientis in propriam qualitatem eius, quod nutritur, mutationem. De altera verò concoctione,quæ maturationi ſimilis eſt, Galenus verba fecit, ſecundo de Ratione victus in morbis acutis, & libro de Conſtitutione artis medicæ, circa finem.Verùm,cum vtraque a calido innato perficiatur:de vtriſque ſimul loquutus eſt libro primo de Morbis vulgaribus his verbis, Concoctio enim naturalis maturatio eſt morbi.hæc autem concoctio in concoquentis ſubſtantiam deductio quædam eſt eius,quod concoquitur. ergo, vbi corpus bene habet, cúmque ei, quod concoquitur, naturæ intercedit familiaritas cum concoquente, mutatio fit, & alteratio totius concoquendæ materiæ, aut maximæ partis eius, minimúmque ſuperat ſemicocti. at verò, quando præter naturam affecta ſunt (quod accidit, vbi ſint à natura immutantis,& alterantis aliena) id, quod aſsimilatur, paucum eſt, ſemicoctum verò excrementum multum.Iam, ſicut in corporibus ſanis coctionem indicant excrementa, non ſecus in corporibus affectis indicabunt.in quibus verbis,vt liquidò conſtat, voluit Galenus vtriuſque concoctionis conuenientiam, ac differentiam propalare. Nos autem de ea alimentorum concoctione, quæ ab Ariſtotele quarto Meteororum elixationi aſsimilatur, & propterea Metaphoricè elixatio dicitur, hic loqui non intendimus. At, quòd hæc alimentorum concoctio ſimilis ſit elixationi, Galenus cum Ariſtotele concordat, vt patet apud eum libro ſexto de Morbis vulgaribus, & tertio de Naturalibus facultatibus. Verùm,cùm de concoctione loquimur, de ea intelligere volumus, quæ maturatio dicitur metaphoricè, per ſimilitudinem eius, quam Græci pepanſin dicunt: Latini propriè maturationem appellant: quæ in pericarpiis efficitur, vt patet apud Ariſtotelem eodem libro quarto Meteororum. hæc autem penes excrementa attenditur,ac crudos ſuccos,ex ſententia Hippocratis libro primo de Morbis vulgaribus. & Galeni eodem loco. Hanc autem maturationem metaphoricè ſic appellatam, bifariam in humanis corporibus fieri poſſe Galenus aſſerit, ſecundo de Ratione victus in morbis acutis. nam aut qui concoquuntur redundantes ſucci in corpore, verè crudi ſunt, vt acida,

tex. 14 *cap. 7* *comment. 44* *cap. 19* *ſect. 2. comment. 44* *tex. 27* *ſ. 4. com. 23* *cap. 7* *tex. 19* *ſ. 2. com. 44* *comment. 44*

vel dulcis pituita,nec putrefactio in eis magna exiſtit,immò quædam naturæ fa-
miliaritas cum concoquente.qui quidem crudi ſucci exiſtentes reliquum perfe-
ctionis à calore innato aſſequuti,ac prorſus concocti, & exquiſitè aſsimilati nu-
trire valent plus,minúſve pro modo putrefactionis:cum nec ipſi nutrire valeāt;
quamuis concocti ſint, ſi omnino præter naturam fuerint,ſeu à natura alieni, vt
cap.2 teſtis eſt Galenus tertio de Cauſis ſymptomatum.Verùm harum duarum pitui-
tæ ſpecierum altera facilius concoquitur,vt quę dulcis eſt,teſte Galeno libro de
cap.19 Conſtitutione artis medicæ. Itaque prædicti ſucci in bonum ſanguinem verſi
demum in membrorum ſubſtantiam conuertuntur,in toto,ſeu in parte.& hæc à
Galeno proprie maturatio dicitur:natura enim ſemper nititur ſuis viribus vtens
aſsimilare partibus nutriendis, quicquid fieri vtile poteſt, excernere autem id,
quod minime iſtiuſmodi eſt, eodem Galeno teſte libro ſecundo de Differentiis
cap.5 febrium:Aut quæ redundant excrementa alia à prædictis ſuccis,in corpore:præ-
ter naturam affecta ſunt, ac à natura immutantis, & alterantis aliena. quæ qui-
dem,licet mutata, atque à natura ipſa euicta ſint (cum videlicet ipſa eis fortior
fuerit,ac ſuo robore ea permutauerit) mutari tamen in ſubſtantiam aliti non va-
lent,eóque maxime,ſi magna in eis fuerit putrefactio, & ſi ſimilia ad quendam
modum fiant membris ſolidioribus,verùm non adeò,vt in ſubſtantiam conuer-
tantur,cum non exquiſitè aſsimilari valeant : vel quia ex eorum natura aſsimi-
lationi exactæ pugnant,vt bilis tum flaua,tum atra : aut quia ſuſceperunt putre-
dinis qualitatem magnam ab aliena caliditate.Ergo cum putrefactio magna eſt
in aliquibus ſuccis,aut excrementum natura ſua tale,vt aſsimilari corpori huma-
no exquiſite, ac conuerti in eius ſubſtantiam omnino nequeat, id quidem ad
quendam modum ab ipſo calido innato perficitur,immutatur, ac ſimilis fit ali-
quo pacto ſolidioribus membris : verùm non adeò,vt diximus,vt in eorum ſub-
ſtantiam conuertatur,ſed à natura ipſa ſuperatum per talem concoctionē aptum
redditur,vt expellatur: &, ſi non propterea, vt expellatur ab ea promptius, aut
à medico : id euincere,concoquere,ac aſsimilare tentat,ſed vt apponatur,ac nu-
triat. quod,cùm exacte perficere nequeat,velut ſuperfluum, ac excrementoſum
ſecernit, & ad expellendum properat.quæ concoctio,licet etiam maturatio dici
poſsit, non tamen proprie, vt ſuperius dicta, quæ penes crudos ſuccos attendi-
tur: ſed generaliori,ac vniuerſaliori vocabulo concoctionis vtentes. Talis deni-
que naturæ ſunt vtraque bilis, & qui Græce ichores dicuntur, teſte Galeno ſe-
com.30 cundo de Ratione victus in morbis acutis. in quo cauſam reddidit, cur neutra
bilis in ſanguinis ſubſtantiam redire valeat. eiuſdem naturæ eſt pituita ſalſa ex
mente eiuſdem Galeni libro de Conſtitutione artis medicæ. cap.decimonono.
Ob id Hippocrates cocta quidem conſueuit vocare huiuſmodi excrementa,quę
à natura ipſa euicta ſunt : cruda verò, quæ non ſunt euicta. Pari ratione & pus
in phlegmonis,quæ concoquuntur,fieri ait:quanquam pars nulla ex pure alimo-
niam accipiat,veluti accipit ex crudis iam dictis humoribus appellatis,cùm con-
cocti ſunt.eadem ratione & vrinas crudas concoqui dicimus : & ſi corpus ex co-
ctis vrinis ali non poſsit.Sputum quoque in pulmonis,ſeu thoracis affectibus,lip-
pitudines oculorum,& alia ſimilia excrementa, de quibus Galenus mentionem
fecit libro de Totius morbi temporibus.cap.tertio. Concoctio ergo & pro gene
raliori,ac vniuerſali ſignificato,ſeu proprie ſumpta, quam metaphoricè matura-
tionem nos appellamus, ea eſt apud Galenum, vt diximus. Proinde, cùm hæ
5.2. com. 45 quoque concoctiones opus ſint naturæ, teſte Galeno primo de Morbis vulga-
cap.6 ribus, & quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus; necnon prædi-
cta ſucca ſemiputridi, ſeu excrementa talem maturationem à ſolidis corporibus
conſequantur, ab ea vi naturæ, quæ per ſolida corpora protenſa eſt : nimirum,
ſi aliquo pacto ea excrementa ſolidioribus quodammodo aſsimilantur corpo-
ribus,cum ab ipſa natura euicta ſunt, & propterea concocta appellantur : licet
ex eis corpus nutriri non valeat : vt pus, ac quod puri ſimulatur candidum ſedi-
cap.ult. mentum in vrina, aliáque nonnulla, vt diſertè declarauit Galenus libro primo

Prognoſt

Prognoſticorum. At, quoniam de hac concoctionis ſpecie loquimur, quæ metaphoticè maturatio appellatur, ſiue propriè dicta, ſiue vniuerſaliori ſignificato ſumpta, cum eam dixerimus eſſe quandam deductionem, mutationem ſeu alterationem, ac quodammodo perfectionem, actioneſque omnes, pariterque & alterationes, in quacunque re fuerint, in ipſo fieri eſſentiam ſuam poſſideant, vt ait Galenus libro ſecundo Methodi medendi: noſque perpetuò de ea, tanquam in fieri eſſentiam ſuam poſsidente, intelligamus, & non in alterationis, ſeu in mutationis termino: his taliter ſuppoſitis, licet hæc mutatio, ſeu alteratio actio ſit ipſius naturæ: quoniam in fieri eſſentiam ſuam poſsidet, vt diximus, videndum eſt an poſsit iuuari à Medico: &, ſi poſsit, cum quibus. At, quòd concoctio, licet à calore innato præcipuè efficiatur, ab aliquo tamen exteriorum auxiliorum iuuari poſsit, ſatis dilucidè Ariſtoteles quarto Meteororum demonſtrauit, & Galenus in commento Aphoriſmi 22. quinti libri. verùm quòd vna concoctionis ſpecies, quæ propriè maturatio dicitur, tum ab ingenito calido, tum ab externo perficiatur, ſi tamen ipſorum naturæ conueniens, ac familiare fuerit, vt caliditas ſolis penes omnes fructus: clarum eſt videre apud Galenum libro quarto de Simplicium medicamentorum facultatibus. At, quòd tum naturales alterationes, quæ ab innato proueniunt calore, elixationi ſimiles, cùm videlicet in ventre cibus concoquitur, aut in viſceribus, & vaſis ſuccus, ex quo rurſum vnaquæque pars nutritur: tum etiam & maturationes, quas metaphoricè ſic appellari diximus, vt quæ videlicet in mouendo pure efficiuntur, à ſimili extrinſecus calore pro ea concoctione perficienda iuuantur: ac naturæ Medicus in hoc opituletur, cum his quæ modicè calfaciant, decretum reliquit Galenus libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus, & quarto de Ratione victus in morbis acutis, & libro de Conſtitutione artis medicæ. Non verendum eſt ergo maturationes ex Ariſtotelis, Galenique mente, extrinſecus à Medico iuuari poſſe. Verùm, quoniam concoctioni perpetuò calidum opitulatur, ac confert, frigidum verò renititur, & aduerſatur, teſte Galeno tertio de Ratione victus in morbis acutis: differendum planè eſt, à quibus calidis natura ipſa extrinſecus in maturationibus iuuari poſsit, ſiue hæ fiant in dulci, vel acida pituita: ſiue in aliis excrementis, vel puris generatione. quod quidem inſuper ipſemet Galen. optimè nos docuit eodem libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus, aſſerens quòd velut ventris concoctioni conferunt ea, quæ copiam innatæ caliditatis cibos concoquentis adaugent, non tamen qualitatem: pariter illud, quod ad mouendum pus adhibetur medicamentum, talem debet caliditatem poſsidere, qualis eſt in naturis temperatis calor natiuus. At ſi iuſto calidior natura fuerit, in eo corpore medicamen, quod pus mouebit, calidius ſit oportet, tantò nimirum temperato calidius, quantò, & natura eius temperatam in caliditate exuperat. Hinc concludit, cuiuſque ſingulatim hominis ſuum proprium eſſe puris mouendi medicamentum, licet emplaſticum quoque eius generis medicamentum eſſe debeat, eodem Galeno auctore quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus. Qua de re temperatura eorum auxiliorum, quæ naturam in maturationibus iuuant, commoderata, ac ſimilis ei corpori, cui admouetur, eſſe debet. Proinde non parum noſtri temporis quidam chirurgici decipiuntur, qui cunctis corporibus, naturis, & ætatibus, ac particulis eiſdem medicamentis pro iuuanda natura circa puris generationem vtuntur: iubente Galeno, quòd hæc medicamenta, quæ pus mouent, cuiuſque ſingulatim hominis propria eſſe debent. At, cùm noſtra natura humida ſit, & calida, humida, calidaque medicamenta huiuſmodi eſſe debent: non tamen corporis natura humidiora, ac calidiora, immò cognatam, ac ſimillimam corporibus noſtris caliditatem, ac humiditatem poſsidentia. hinc tum cibos, tum fomenta, ac cataplaſmata, frictiones modicas, & balnea, quæ mediocriter calfaciant maturationes efficere Galenus aſſerit primo de Morbis vulgaribus. & libro de Conſtitutione artis medicæ ait, Perducunt autem

cap.3 — *tex 15* — *cap.11* — *cap. 60.* — *com.44.* — *cap.19.* — *com.29* — *cap.6* — *cap.6* — *§.2. comment. 44* — *cap.19*

autem ad concoctionem quies,& calfactio moderata, boniqùe ſucci modicorũ eſus ciborum,& modice calfacientis vini potus: at caliditatem modicam efficere poſſunt frictio mediocris,& commodi aquarum calidarum vſus, cibariáque, & medicamenta,quæ haud magnopere calfaciant: quanquam eo loco de maturatione proprie dicta loquatur,quæ tum dulci,tum acidæ pituitæ cõpetit. & idem Galenus libro quarto de Sanitate tuenda iuſsit,ſemicrudos humores, tum vino, *cap. 4* tum quiete,ac ſomno concoquere,ac vtiles reddere, & eodem libro, nihil eſſe *Loco citato.* aſſerit,quod æquè concoquat ea,quę concoqui poſſunt, vt ſomnus à balneo. Proinde toto cælo hallucinati ſunt, qui quibuſdam nominatis ſyrupis concoctioni opitulari aſſeruerunt: cùm tantùm ea ad concoctionem conferant, ac quodammodo adiuuent,quæ calorem naturalem vel fouent, vel in ſubſtantia augent. at, cùm paucis aut ferè nullis hoc datum ſit ſyrupis: ſequitur,vt pauci ſint, aut fere nulli inter eos, quibus noſtris temporibus vtimur, qui poſsint calori naturali ex ſeipſis aliquod adminiculum ferre pro concoctione, ſeu maturatione perficienda:niſi fortè is,qui ex corticibus citri conficitur, cum cortex citri concoctioni nonnihil conferat, ſi vt medicamento eo quis vtatur: licet vt alimentum coctioni renitatur,teſte Galeno ſecundo de Alimentorum facultatibus. cap.37. alij verò ſyrupi,cum quidam calidi vltrà quàm oportet, alij frigidi, alij humidi, vel ſicci ſint, quidam eorum corpus alterare, quidam præparare, digerere, ſeu euacuare aut per ventrem,aut per vrinam,aut per cutis occultos meatus materiam educentes valent:quanquàm ex accidenti quidam ſint, qui quodammodo coctioni deſeruiant: vt hi, qui adſtringendi vim poſsident, aut hi, quibus ſomnum conciliamus. per ſe autem, ac verè,intrepidè aſſerimus tantùm ea, quæ calidum innatum vel fouent,vel in ſubſtantia augent,ad concoctionem conducere: cum hæc actio,ſeu perfectio ſolius calidi innati ſit. & propterea ſola ea, quæ temperatè calida ſunt, vt diximus, per ſe ei opitulantur, ac conferunt: velut etiam noſtris temporibus ſunt inter alimenta gallinarum iuuenum, ſeu gallinaceorum pullorum carnes per elixationem liquefactæ, quod ius conſummatum Medicorum vulgus appellat, aut fortiter contuſæ, alteratæ præcipuè ex hordeacea ptiſana ſimul permixta, ac cum eis decocta,magis, & minus pro naturæ corporum ratione,ſecundum quam, vt diximus, concoquentia euariari debent, præcipuè cum vires quodammodo imbecilles fuerint: & quæ redundant in corpore excrementa, in ſubſtantiam concoquentis mutari non valeant. Nec minus hallucinati ſunt, qui aſſeruerunt à frigidis concoctionem fieri, ſiue ſyrupi ſint, vt violaceus, roſaceus,ex nymphæa, & vtroque cichorio, & alij nonnulli ſimiles,ſiue aqua ipſa frigida, cum Galenus ipſe decreuerit, frigidum per- *com. 29* petuò concoctioni aduerſari, libro tertio de Ratione victus in morbis acutis. quinimò nec humor biliosus ab eiſdem concoquitur, vt aiunt, bene alteratur. at hæc alteratio nullo pacto nec concoctio, nec maturatio dici meretur. Verùm, cum ſuprà relatum ſit maturationem in acida, vel dulci pituita, ſeu aliis putreſcentibus humoribus ab ea vi naturæ, quæ per ſolida corpora protenſa eſt, perfici: ac proinde, cum maturantur, ſolidis ipſis corporibus quodammodo aſsimilari, nunquid quodlibet, quod eo pacto maturatur, craſsius reddatur, quæ- *tex. 19* ret quiſpiam? At cui dubium eſt Ariſtotelem quarto Meteororum aſſerere ex ſubtilibus ſemper craſsiora fieri, pepanſin, hoc eſt, maturationem paſſa om- *Alexan. 4 meteororum.* nia. Pariter & Alexander ait, Vniuerſaliter quæcunque pepanſin paſſa, ex te- *comment. 9* nuibus craſsiora redduntur. Et Galenus libro primo de Morbis vulgaribus. *ſect.1. com.25* ait, Humores, qui tenues ſunt, omnes eſſe crudos: &, vt concoquantur, robu- *cap.3* ſtam deſiderare naturam. Et libro de Totius morbi temporibus aſſerit, tum ſaniem ipſam, tum vrinam, tum ſputum, lippitudineſve, quinetiam & humores, qui à cerebro per palatum, & nares defluunt, & denique cuncta excrementa in initio aquea, tenuiáque eſſe: cum verò quandam temporis proceſſu concoctionem accipiunt, craſsiora euadere, atque pauciora, potiſsi- *comment. 33* mùm in his morbis, ex quibus ægri ſeruantur. & libro ſecundo Prognoſti-

eorum ferè idem ait, quòd concoctio craſsiorem reddit, non ſolùm vrinam, ſed etiam deiectionem, item ſcreationem, atque etiam pituitam per diſtillationes, & grauedines, necnon per lippitudinem, & pus quoque in vlceribus. Ex quibus omnibus infertur, quòd quæcunque maturationem ſuſcipiunt; cùm quodammodo ſolidioribus membris aſsimilentur, neceſſariò craſsiora, ac pauciora euadunt: non tantùm ex Ariſtotelis, & Alexandri mente, verùm etiam Hippocratis, & Galeni. At non ſtatim ſequitur, cuncta, quæ craſsiora redduntur, ea eſſe concocta: cùm craſsitudinis duæ ſint cauſæ, auctoritate Galeni ſecundo Prognoſticorum: calidum videlicet, & frigidum: calidum quidem euaporando, & frigidum adſtringendo. Cæterùm quæcunque à calido innato craſsiora redduntur, ea concocta eſſe dicimus, & non quæ à frigido, ſeu non naturali calore: quæ quidem nedum coctioni nõ opitulantur; immò penitus aduerſantur: pariter & ea, quæ ab ipſo craſsiora ſunt reddita. At iterũ obſtrependo inſurget aduerſarius dicens, Si cuncta, quæ pepanſin patiuntur, hoc eſt, maturationem, craſsiora euadere neceſſum eſt: fruſtra pituita ipſa, ac ſuccus melancholicus maturantur cùm craſsiores per eam maturationem redditi ad eorum expulſionem valentius reniterentur, atque aduerſarentur. Cui reſpondemus, pituitam ipſam ſiue dulcis, ſiue acida fuerit, quibus propriè pepanſis, hoc eſt, maturatio tribuitur, ex maturatione craſsiorem reddi: quoniam pepanſin paſſa, in concoquentis ſubſtantiam tranſire valet, & hoc pacto ſolidis membris aſsimilata, nulli dubium, quòd craſsior redditur, præcipuè ſi in ea putrefactio non ſit. Quòd, ſi in ea aliqua putrefactio magna ſit, aut ſalſa fuerit pituita, vel atra bilis, ſiue aliud excrementum: licet eis maturatio propriè non competat: tamen, quia vniuerſaliori vocabulo intelligentes ipſam maturationem, dicuntur quoque hæc maturari, aſſerimus quòd quodammodo pepanſin paſſa à ſolidis ipſis particulis, licet ab earum natura ſint aliena, cùm nutrire non valeant: tamen quodammodo eis aſsimilantur, ac craſsiora redduntur; quoniam talia cùm natura ipſa maturat, neceſſum eſt vt euincat: cùmque euicta ſint, maturata vocare conſueuimus. & cùm concoctio omnia, vt diximus, cogat & incraſſet, teſte Galeno quarto de Ratione victus in morbis acutis: neceſſe eſt ea quoque, cùm concoquuntur ac vincuntur, cogi & incraſſari: alia tamen ratione, cùm à calido innato id perpetiantur. verùm enimuerò, ne quis decipiatur, magnam cum dico putreſcentiam, non de ea intelligere volo, quæ omnino aliena ſit, ac nulla ratione poſsit naturæ gratiam recipere: cum eam, vt ſuprà retulimus, quàmprimum educere ſit tentandum, teſte Galeno quarto de Sanitate tuenda. verùm de ea intelligimus, in qua natura ipſa adhuc non eſt euicta. Magnam autem, & paruam nominamus ratione maioris, vel minoris operationis caliditatis alienæ, nunquàm tamen ipſo calido innato euicto, imò ſemper cooperante, ac demum vincente. Verùm, ſi ea excrementa taliter alterata, ac craſsiora reddita valentius expulſioni repugnant, cùm ea in concoquentis ſubſtantiam tranſire non valeant, ad quid natura, ſeu Medicus huic alterationi vacabit? non propter aliud dicimus, quàm quod concocta medicari iubet Hippocrates. nec ea craſsitudo, quam à calido innato acquirunt, ineptitudinem eius parat expulſioni, velut ea, quæ à frigido, ſeu calore immodico: quinimò taliter alterata, ac euicta cum nutrire nõ valeant: ocyus ſecernuntur: nam, vt Galenus aſſerit, in cõmento Aphor. 22. quarti libri, cum cruditas humorum adeſt: tunc aliquid bene euacuari eſt impoſsibile. Cuius rationem reddens ait, Oportere Medicum naturæ miniſtrum ipſam perpetuò imitari. Verùm, cùm ipſa nõ antè humores diſcernat, quàm prius concoxerit: nec prius expellat: quin prius diſcreuerit, eodem auctore Aphoriſ. 22. primi libri, opus eſt, vt bona excremẽtorum euacuatio fiat, tam ab ipſa natura quàm à Medico, vt prius ea ab eadem natura ſecernantur, ac ſeparentur à bonis ſuccis: quæ ſegregatio, ſeu diſcretio exactè fieri non valet; ſi cõcoctio ipſam non præcat. tunc nanque, hoc eſt, poſt coctionem naturam ipſam habemus euacuationi adminiculantẽ: &, cum ipſi euicti ſint, ac nutrire non valeant, tanquam

comment. 38

comment. 4.
4. Meteoro. text. 18. & 2. prog. 33

cap. 3

excrementoſos ac alienos,ab eo quod familiare eſt,ſegregans, expellere tentat.
quod quidem prius,cùm permixti eſſent cum familiaribus, infœliciter tentaret:
nec id eſſet naturæ,ſed caſus ratione: nil mirum denique ſi prædicti ſucci,ſeu ex-
crementa,licet vt alieni à natura immutantis, ac alterantis, in eius ſubſtantiam
verti non valeant: in ea tamen immutatione,cum ab ea euicti ſint,craſsiores ali-
quo pacto redduntur: non enim vt craſsiores reddat natura,ipſos immutat,ac al-
terat: nec Medicus ipſe,cum ei in hoc opitulatur: verùm,vt ſuperet, ac euincat,
& denique aſsimilet. quibus ſuperatis,ac euictis cum nutrire nõ valeãt,nec perfe-
ctè aſsimilari: promptius ac facilius à familiaribus ſuccis eos ſegreget,atque diſ-
cernat,eiſque ſegregatis cõmodius à natura,ſeu à Medico expellãtur. quod qui-
dem ægrius,& non abſque magna vi, ac noxa ipſius naturæ perficeretur, ſi prius
videlicet,quàm concocti,ac euicti eſſent,ac ſegregati,tentarentur expelli: ſimúl-
que familiarium cum alienis expulſio fieret: vt liquidò quiſque percipere valet
de mente Hippocratis,& Galeni in præallegatis locis. Ex quibus manifeſtè pa-
tet,quantum delirarunt,qui aſſeruerunt maturationem, ſeu, vt ipſi dicunt abuſi-
uè loquentes,digeſtionem in aliquo fieri poſſe cum eius ſubtiliatione: cum per-
cap.19 petuò ex Hippocrate, & Galeno cõſtet cuncta,quæ maturantur,craſsiora euade-
re,vt diximus. Et ſi de ſalſa pituita,quam Galen.lib.de Conſtitutione artis Medi-
cæ purgare iubet,oppugnaret quiſpiam,eam ſaltem concoqui non debere: Re-
ſpondemus,Galenum eo loco de maturatione propriè dicta,quę tum acidæ,tum
dulci pituitæ competit, velle loqui, de qua inſuper maturatione propriè dicta
cap.4 verba fecit quarto de Sanitate tuenda,cùm dixit, Crudis,& ſemicoctis humori-
bus,qui ante ſanguinis perfectionem fuerunt, percoctionem: acribus verò, ac
mordacibus, eductionem competere. at noluit eo loco de maturatione commu-
niter dicta intelligere,quæ non tantùm ſalſæ pituitæ, verùm non penitus corru-
5.Meth.me. ptæ,vt idem met aſſerit quinto Methodi medẽdi: verùm & vtrique bili,ac ichò-
cap.14 ribus ipſis tribuitur eomet auctore ſecundo de ratione victus in morbis acutis.
2.reg.acu. De vitrea verò pituita,licet frigidior ſit acida, tamen, quia acidæ qualitatis eſt
44 particeps,acida quoque appellari poteſt, & propterea non eſt habenda alia ra-
tio,quam de ipſa acida: licet difficilius cõcoquatur,quia frigidior eſt, vt tantùm
cap.6 tria ſint pituitæ genera,eodem Galeno teſte,ſecundo de Differentiis febrium, &
com.13 quarto de Ratione victus in morbis acutis. At mox inſtabit & non ab re aduer-
ſarius,dicens, nunquid humores ipſi bilioſi, cùm calidi, & tenues ſint, & ea de
com.23 re paratiſsimi ad excretionem,vt Galen.aſſerit libro 3. Prognoſticorum, concö-
ctione prius egeant, quàm excernantur? Circa quod digladiantur nonnulli no-
ſtri temporis Medici quidam,aſſerentes cõcoctione nõ indigere:nam,cum mor-
daces ſint,calidiores,ac tenuiores,transfluunt ab vna parte in aliam, ægrum gra-
uiter infeſtant,ac quieſcere non permittunt. cum ergo ipſi per corpus mouean-
tur,naturamque ad eos expellendos proritẽt, priuſquàm in aliquam partem de-
cumbant,præcipuè principem ſtatim euacuandi ſunt, concoctione eorum non
expectata præcepto Hippocratis,& Galeni Aphoriſmo 22. primi libri, & ſexto
de Morbis vulgaribus. Vlterius,ſi craſſos,atque tenaces humores fluxui paratos
ſec.2.com.32 reddimus,eos tenuando,ac incidendo,meatuſque reſerando, vt patet ex Galeno
Aphor. 24. lib.primi,& nono libri ſecundi,cur bilioſos humores,tenues, fluxuiq;
paratos exiſtentes, ac nullum lentorem participantes,priuſquam purgemus,con-
coquere tentabimus: cum ex ea concoctione, craſsiores reddantur? quibus ra-
tionibus concludunt bilioſos humores concoqui non debere. Quidam verò au-
Sec.1.com.25 ctoritate Gale.primo de Morbis vulgaribus,vbi ait, humores tenues omnes eſſe
crudos,&,vt concoquantur,robuſtam deſiderare naturam, inter quos bilioſum
ſuccum tum Hippocrates,tum Galenus dinumerat: necnon auctoritate Hippò-
tex.44 cratis ſecundo de ratione victus in morbis acutis,vbi bilioſa cruda appellat, non
ab re opinantur bilioſos ſuccos priuſquàm expurgentur, concoqui debere: cum
non mouere cruda idem Hippocrat.iubeat Aphoriſmo 22. libri primi. Hiſce ra-
tionibus quidam flauam,ſeu pallidam bilem, antequam è corpore excernatur,

concoqui præcipiunt. Alij, concoctione non expectata, ſtatim circa initia purgare iubent, vtrique ſuam fouentes opinionem Hippocratis, & Galeni auctoritatibus, prout ex prædictis apparet. Verùm, vt tanti quæſiti veritas dilucidetur, attendenda nonnulla ſunt: primò, quòd flaua, ſeu pallida bilis, aut in corpore redundans ex vna in aliam partem transfluit, nec ſedem ſibi adhuc firmam ſtatuit: vel in quapiam parte firma decumbit: ſecundò, cùm eam concoqui dicimus: triplici ratione poſſe intelligi: aut concoctione, qua familiaria alimenta in corpore concoquuntur. quam concoctionem, vt diximus, Ariſtoteles, & Galenus elixationi aſsimilant, ac hepſeſis Græcè dicitur: aut de ea concoctione, quæ metaphoricè maturatio dicitur, ſimili exiſtente maturationi propriè dictæ, quæ in pericarpus efficitur eamque Græci pepanſin nominant. &, cum hæc quoque duplex ſit: quædam propriè dicta, quæ tantùm dulci, ſeu acidæ pituitæ tribuitur, vt ſuperius diximus: quædam verò vniuerſaliter dicta, quæ tum alijs ſuccis, ſeu excrementis, tum ichoribus ipſis tribuitur, pariter bifariam de ea loqui poſſumus. His prælibatis, aſſerimus flauam ipſam, ſeu pallidam bilem, ſiue in aliquam partem decumbat, ſiue de vna in aliam transfluat, ſeu turgeat, nullo pacto concoqui debere concoctione, quæ elixationi ſimilis eſt: cùm ex ea alimenta conficiantur, ac in aliti ſubſtantiam conuertantur. pariter nec vllus alius ſuccus, ſeu excrementum tali concoctione in noſtris corporibus concoquitur præter alimenta ipſa, quæ à caliditate, quæ in humido exiſtit, conficiuntur, ex intentione Ariſtotelis quarto meteororum. *tex. 27* Propalamus inſuper flauam, ſeu pallidam bilem in corpore redundantem, ſiue ex vna parte in aliam ea transfluat, ſiue turgeat, ſiue in earum aliqua firmetur, ac decumbat, nullo pacto concoctionem admittere, ſumpta concoctione pro maturatione metaphorica propriè dicta: cùm ea, vt ſæpius retulimus, tantum competat his ſuccis, qui mutati, ac euicti à calido innato, reliquumque perfectionis aſſequuti, & prorſus cocti corpus nutrire valent, ac in concoquentis ſubſtantiam verti, vt pituita ipſa dulcis, ſeu acida. ipſa autem bilis tum flaua, tum atra, cùm vna ex ſanguine plus calefacto, altera ex eodem aſſato, atque adusto gignantur, in ſanguinis ſubſtãtiam redire non valent; prout decretum reliquit Galen. ſecundo de Ratione victus in morbis acutis. *com. 30* qua de re talem maturationem flaua ipſa, ſeu pallida bilis nullo pacto admittit. Quòd, ſi de maturatione loquamur generaliter ac vniuerſaliter dicta, ſecundum quam aliqua cocta, ſeu maturata vocare conſueuimus, cùm ab ipſa natura fuerint euicta, eaque natura fuerit cauſis fortior, ac ipſas ſuo robore permutauerit, licet permutata ac victa nulla pars ex eis alimoniam valeat accipere, tunc flaua, ſeu pallida ipſa bilis intra vaſa, aut in aliam quempiam locum decumbit, ſua acrimonia, caliditate, ac tenuitate naturam haud ita proritans ac impellens, vt ex vna parte in aliam expellatur ac transfluat: & tunc aſſerimus eam non tantùm concoqui poſſe, verùm etiam debere, præcipuè ſi ſuperari ac euinci ab ipſa natura poſſe exiſtimabis, præcepto Hippocratis, Aphoriſmo præallegato, & Galeni ſecundo de Ratione victus in morbis acutis. *com. 44* quæ maturatio, eodem teſte, eodem loco, nil aliud eſt, quàm eius à natura euictio. euincit autem, cùm eam permutauerit. qua permutatione ex flaua, acri, & malè olente, cùm cruda præexiſteret, cocta poſtmodũ, pallidior & minimùm malè olens efficitur. & propterea, licet, quia tenuis, paratiſsima ad expulſionem ſit: quia tamen cruda, & tenuis, & quilibet tenuis ſuccus crudus ſit, &, vt concoquatur, robuſtam naturam deſiderat, vt Galenus aſſerit primo de Morbis vulgaribus: *ſec. v. comment. 25* propterea concoquenda prius eſt, vt concocta facilius diſcernatur, ac demum excernatur, velut de pituita relatum eſt. quam ſententiam confirmauit Alexander Trallianus libro 1. cap. decimoſexto, cuius hæc ſunt verba, loquens de flaua bile: Humor nanque negotium faceſſens, dicta ratione diſpoſitus, coctus, & tanquam ſubactus ac domitus, minore negotio ab euacuãte medicamento profligatur & exhauritur. Quòd, ſi denuo aduerſarius oppugnabit, aſſerens flauam bilem ex tali concoctione craſsiorem euadere, & ſic ægrius expelli poſſe: ei reſponſum volo, naturam non eò flauam bilem concoquere, vt

craſsiorem reddat: immo, propterea quòd à natura euincitur, ac quodammodo ſolidioribus corporibus aſsimilatur, craſsior euadit, nec propterea concoquitur, vt craſsior fiat: verùm, cùm exactè aſsimilari nequeat, poſt euictionem facilius ac tutius expellitur: cùm perpetuò verum ſit, vt diximus, naturam ipſam ægrè expellere, ſi priuſquam excernat, non diſcreuerit: ægriuſque diſcernere, ſi antea non concoxerit. quod itidem confirmauit Galenus eo commentario, cui titulus eſt, Quos purgare conueniat, quibus medicamentis, & quando. concoquitur ergo tali concoctione flaua bilis, ſi in aliquam partem decumbat, quanquam ea concoctione craſsior euadat: nam non propterea concoquitur, vt talis efficiatur: nec propterea quòd talis efficitur, non tutius & ſine corporis noxa purgabitur: cum à calido innato, & non ab immodico calore, ſeu à frigore eam craſſitudinem adepta ſit, & ea de re excretioni non aduerſatur. ſiquidem oportet coctionem præire, ſubſequi vero diſcretionem, & poſtea euacuationem, vt bona ſit criſis, auctoritate Galeni in commento Aphoriſmi vigeſimi ſecundi primi libri: aſſeruitque humores, qui ſunt in aliqua corporis parte firmati, neque oportere aliquo mouere auxilio, neque medicari ante coctionem. tunc enim naturam ipſam habemus euacuationi adminiculantem. Hinc Hippocrates non ab

ſec.2.tex.45 re libro primo de Morbis vulgaribus decretum reliquit, Coctiones celeritatem iudicij portendere, ſecuritatémque ſalubrem: eaſque coctiones fieri teſtatur Galenus eodem loco, natura ipſa cauſas noxias ſuperante. Patet itaque flauam bilem certam ſedem habentem, ac in quapiam parte firmatam, inibique putreſcentem, prædictam concoctionem, ſeu maturationem generaliter dictam admittere. At ſi ea turgeat, agitetur, & de loco ad locum moueatur, ac transfluat, (quia turgere nil aliud à Galeno dicitur eſſe, niſi cum humores vehementi motu agitantur, ac ab vno loco ad alium confluunt, dolores & titillationes afferendo, ægrum quieſcere non permittentes, vt ſcriptum reliquit eo commentario, cui titulus eſt, Quos purgare conueniat, &c. & in commento Aphoriſmi vigeſimiſecundi primi libri) eo caſu aſſerimus flauam bilem taliter conſtitutam, nullam concoctionis ſpeciem admittere: immo mox circa initia eam purgare conuenit: nam, cùm in motu vehementiorę ſit, ægrum infeſtans, faſtidiens, & quieſcere non permittens, priuſquàm in aliqua ſede præcipuè principe decumbat, naturæ ipſi in expellendo auxiliantes, purgante medicamento vtendum eſt. quod quidem non tantùm Hippocrates, & Galenus in ſuperius allegato Aphoriſmo vigeſimoſecundo primi, & primo quarti libri nobis præceperunt: verùm

com.76 hoc ipſemet Galenus iubet libro quarto de Ratione victus in morbis acutis, ſub his verbis: Nam vel ſtatim ab initio, priuſquàm in parte aliqua confirmentur humores, medicandum: vel poſtea, cùm ad maturitatem perducti fuerint: præcipuè ſi maturari valent. pariter & commentario, cui titulus eſt, Quos purgare cõueniat, ait, In his autem qui ægrotant, ſi diuturnus futurus eſt morbus, expectanda ſemper erit concoctio: ſin breui ſoluendus, inter initia, ſi modò à concitatis pendeat humoribus, purgare licet. & paulò inferius aſſeruit: Hos ergo humores euacuare conuenit in motu, agitatione, ac fluxu poſitos: qui verò aliqua parte corporis conſederunt, neque vllo alio auxilio, nec medicamento prius mouendi ſunt, quàm concocti fuerint. Ex quibus omnibus lucidè percipimus Galenum ſæpenumero flauàm bilem concoqui poſſe ac debere aſſeruiſſe, priuſquam

com.44 purgetur, concoctione videlicet generaliter ſeu vniuerſaliter dicta, prout videre licet apud eum libro ſecundo de Ratione victus in morbis acutis, vt diximus: ac de ea flaua bile intellexiſſe, quæ in aliqua parte decumbit ac ſedem propriam ſibi ſtatuit. Interdum autem compertum habemus apud eum calidos, acres, tenuéſve ſuccos turgentes, mox circa initia purgandos eſſe, cùm nullam propriam ac determinatam ſedem obſederint. qua de re flauam bilem ante concoctionem in his verbis purgare iubet, prout ſuperius in nonnullis locis, quæ citauimus, inſtituit: nam cùm ſuperabundantes humores mouentur, & per totum corpus deferuntur, nondum in aliqua parte firmati: tunc ad eos expellendos natura incitatur,

citatur,& aliquo indiget manum porrigente, & hunc humorum motum ad aliuum deducente,prout patet in commento Aphoriſmi primi,libri quarti. Tantæ igitur controuerſiæ,his ſic dilucidatis,veritas ſatis admodum liquet, ac ad mentem Hippocratis, & Galeni determinata eſt, ac quid ad prædictas opiniones ſit reſpondendum,liquidò conſtat.At rurſus aduerſarius inſtabit,ſi Galenus in commento Aphoriſmi vigeſimiſecundi, quarti libri aſſerit, quo in tempore natura à cauſis morbum facientibus grauatur,adeſt autem cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari eſt impoſsibile:& in fine eiuſdem commenti ait, Cùm in morbi principio ſemper ſint ſigna cruditatis, mala erit talium humorum euacuatio: cur flaua bilis ipſa,licet turgeat, in principio euacuari ante concoctionem debeat,aut quo pacto bene euacuari poſsit? Verùm nulli non patet Galenum in præallegatis locis de Euacuatione humorum,qui in aliqua parte firmati ſunt loqui: & non de eis,qui turgent: quibus,cùm natura incitetur,propter eorum motum,titillationem ac mordacitatem, ad eos expellendos: cogimur nos quoque, eam iuuãdo,purgationem accelerare, priuſquam in aliqua principe ſede decumbant: etſi nulla concoctio, nec diſcretio præeat. turgentes enim humores ante concoctionem euacuare in Aphoriſmo vigeſimoſecundo primi libri iuſsit Hippocrates.quare flauam bilem ſi turgeat,circa initia,priuſquàm in aliqua parte firmetur,nulla expectata concoctione,ſtatim præcepto Hippocratis, & Galeni purgare quiſpiam non vereatur: velut etiam interdum,etſi non turgeat, ſed in quapiam parte firmetur,eam purgare cogimur, vt infrà diſertiſsimè oſtendemus de mente eiuſdem Hippocratis, & Galeni.

De Digeſtione.

Etſi nonnulli noſtri temporis Medici ad pauca reſpicientes nullam faciunt inter concoctionem,& digeſtionem differentiam, quantum tamen hi à veritate deuiant,ac quo pacto hallucinati ſunt, ex Galeni,aliorúmque bonorum artis medicæ auctorum mente dilucidare decreui: cum id non paruam rei medicæ tyrunculis ſtudioſis vtilitatem afferat. ſæpe enim quoſdam Medicos digeſtione pro concoctione, ac concoctione pro digeſtione æquiuoca ratione vtentes,ipſi cùm audiant, in prauos labuntur errores.At nos veritatem inueſtigantes dicimus,quòd digeſtio propriè idem ſonat,quod diſtributio, diſtinctio,ſeu compoſitio ordinata. hinc digerere propriè idem eſt,quod ordinare,diſponere,diſtribuere, vel diſtinguere. vnde id, quod apud Græcos diatatto,ſeu dieutheto, vel diacoſmeo, vel diacrino ſignificat,id Latinè ſonat,vt retuli,ordino,diſtinguo,digero,diſtribuo, guberno, diſpono:hinc diacoſmiſis,digeſtio,ſeu diſpoſitio:& diacoſmos digeſtio, diſtinctio, ſeu ordinata compoſitio dicitur: & diacriſis ſeparatio,diuiſio, ſeu diſcrimen. pariter quoque,quod Græci anadoſin dicunt, nos digeſtionem appellamus, & diadoſin diſtributionem.At hæc digeſtio, ſeu diſtributio penes alimenta propriè attenditur: cùm anadoſin cibi diſtractionem à natiuo calore in proprium corpus propriè appellamus,velut etiam & diadoſin: quanquàm & hæc inter ſe quodammodo diſcrepant, vt patet apud Galenum libro ſecundo de Naturalibus facultatibus. hæc autem digeſtio aliud non eſt,quàm ordinata alimentorum diſtributio. *cap.6* Verùm,quòd hæc à concoctione diſcrepet,patet apud Galenum libro quarto de Vſu partium. vbi talia profert verba, Quòd autem animalium ventriculi ſedi *cap.17* minimè cohæſerint,ſatis magno indicio eſt aliud eſſe oportere coquendi alimenti inſtrumentum,aliud diſtribuendi. & parum infrà aſſerit: Satis igitur conſtat *eodem cap.* aliam quidem concoctionis, aliam autem anadoſeos oportuiſſe eſſe particulam: & libro,qui inſcribitur,Quòd animi mores corporis temperaturam ſequantur, *cap.3* loquens de vino ait,Nam te vera ſi commodè eo vtaris & concoctioni,& digeſtioni,& ſanguinis generationi, & nutritioni confert abundè. & libro tertio de *cap.2* Cauſis ſymptomatum hanc anadoſin,ſeu alimenti ex ventriculo in iecur, & ex iecinore in totum corpus diductionem, aliam ab alimentorum concoctione di-

ſertè confirmauit: licet eam inter naturalia opera dinumeret. Ex quibus cuilibet
conſtat apud Galenum alimentorum digeſtionem aliud à concoctione intelligi
debere. &, ſi per pepſin digeſtionem impropriè interdum intelligere poſſumus,
per anadoſin tamen nunquam concoctionem ſignificari compertum eſt: quin-
immò hanc digeſtionem, ſeu diſtributionem ab aliis facultatibus perfici, quàm à
cap. 7 concoctrice, quia ab expultrice, ac attractrice ſimul, vt patet Galeno ſecundo de
Naturalibus facultatibus. aliaque eſſe medicamenta, quę ad digeſtionem, ſeu ali-
mentorum diſtributionem faciunt: & alia, quæ concoctioni præſidium afferunt:
ac alio, & alio tempore exhiberi debere decretum reliquit idem Galenus quar-
to de Sanitate tuenda. Hæc autem digeſtio, ſeu diſtributio hoc pacto libro de de-
eodem cap. Ante medium. finitionibus Medicis deſcribitur. Digeſtio eſt concocti, ac confecti alimenti, & in
ſanguinem conuerſi in corporis particulas omnes attractio, quam natiuus calor
molitur. De hac autem digeſtione alimentorum hic loqui non intendimus, ſed
de ea digeſtione, quæ circa humores, ſeu excrementa, quæ præternaturaliter in
corpore, ſeu parte aliqua corporis detinentur, à calido innato perficitur. hæc au-
tem bifariam fieri poteſt: vna, ſiquidem cùm natura ipſa poſt concoctionem mo-
uetur, pro digeſtione, ſeu diſtinctione ſemiputridi, ſeu ſemimali præternaturali-
ter detenti excrementi, & demum per ſenſibiles canales, ſeu aquæ ductus ſenſi-
biliter expellit, per aluum videlicet, vrinam, ſudorem, &c. quæ digeſtio, ſegre-
gatio, ſeu diſtinctio propriè appellari meretur: impropriè autem diſtributio. nec
minus ea à calido innato perficitur, velut ea digeſtio, quæ alimentorum eſt me-
diis naturalibus facultatibus, attractrici quidem ex vna, ac ex altera expultrici,
hæcque inſuper alia eſt à dictorum excrementorum concoctione, eique ſucce-
dit, vt dicemus: quam fortè Græci diacriſin appellarent. Altera eſt digeſtio, quæ
penes dicta excrementa præternaturaliter quoque in corpore retenta ab ipſa na-
tura perficitur, ac ea excrementa non vtique ſenſibiliter poſtea excernens velut
in prædicta, ſed per halitum digerens, diſpergens, atque per poros cutis inſenſi-
biliter diſcutiens.. quæ quidem digeſtio diaphoreſis proprie à Græcis appella-
tur. hinc diaphoretice idem, quod vis diſcuſſoria ſonat, à verbo diaphoreo, quod
idem eſt Latinè, quod digero, diſcutio, ſeu diſpergo. & propterea à quacunque
cauſa corporis etiam ſubſtantia propria inſenſibiliter diſsipatur. Hanc diſsipa-
tionem per halitum digeſtionem appellamus. de qua etiam veluti de ea, quæ
Sec.4. text. alimentorum eſt, digeſtione loqui pauca paramus. At de ea loquutus eſt Hip-
com. 20 pocrates libro ſexto de Morbis vulgaribus, cum dixit vigiliam edacem: & Ga-
cap. 3 lenus eodem loco ait, vigiliam edacem eſſe: quia corpus digerit, ac diſſoluit. &
idem de vigilia duodecimo methodi medendi, voluit quòd corpus digerat. Tan-
tùm ergo de ea digeſtione, quæ à natiuo calore aduerſus excrementa præterna-
turaliter detenta ſeu putreſcentia in corpore perficitur, tam ſi intra vaſa, quàm
extra: tam ſi circa partes internas, quàm externas, verba faciemus. Verùm atten-
dendum primò eſt, quòd velut ea digeſtio, quæ circa alimenta ab innato cali-
do perficitur, ab eorum alimentorum concoctione diſcrepat, ac eam conco-
ctionem, ſi ritè cuncta à natura in conficiendis alimentis perficiantur, ſub-
ſequi debet: pari ratione ea digeſtio, quæ circa corporis excrementa, ſeu pu-
tridos humores in corpore præternaturaliter detentos à natura ipſa, ſeu ca-
lore naturali paratur, ab ea concoctione, ſeu maturatione, quam circa ea ex-
crementa molitur, valde diſcrepat. Er velut ea digeſtio, quæ alimentorum eſt,
eorum concoctionem ſubſequi debet: eadem ratione hæc digeſtio, quæ ex-
crementorum eſt, ſeu humorum putridorum, ſi per ſenſibiles vias expellendi
ſunt, eorum maturationem conſequi debet. & propterea Galenus iuſsit, quòd,
vt benè aliquid euacuetur, oportet concoctionem præire, ſubſequi verò diſ-
cretionem, & poſtea euacuationem, in commento Aphoriſmi vigeſimi ſecun-
di quarti, & vigeſimi ſecundi primi libri. Perficitur verò hæc digeſtio, ſeu ſegre-
gatio, ſeu diſtinctio ab ipſa natura duabus eius facultatibus mediis: poſt ta-
men perfectam operationem ipſius concoctricis: attractrice videlicet vna, &

expultrice altera. per primam ſiquidem quod familiare eſt,attrahens : at per ex-
cretricem id, quod amplius in priſtinam naturam redire non valet,ſeu in alimen
tum tranſmutari,diſcernens ac diſtinguens ab eo quod familiare eſt,demum ex-
pellere tentat per ſenſibiles excretiones,quam expulſionem ſi perficere non va-
leat eo tempore,vt infrà dicemus:à medico natura ipſa iuuanda eſt tum præpa-
ratione,tum etiam , ſi opus fuerit , purgatione. Verùm eam digeſtionem excre-
mentorum,quæ per halitum fit , natura ipſa confeſtim nulla præcedente conco-
ctione ſæpe molitur:quinimò prius perficere tentat,per halitum videlicet digere-
re.quod ſi non valeat,id concoquere procurat,& demum ea,perfecta concoctio-
ne,ſegregat,ac diſtinguit, nec amplius per halitum digeſtionem æquè aggredi-
tur:nam per concoctionem craſsiora,vt ſuprà relatum eſt , excrementa reddita,
non amplius vtique per halitum facilè digeri valent , quæ concocta ſunt , ſed ſe-
cerni & demum ſenſibiliter excerni poſtulant.& hac de re Galenus libro de In- *cap.3*
æquali intemperie voluit eſſe in fluxione duplex genus curationis : vnum , quo
digeratur quicquid humoris in particulam procubuit:alterum, quo cõcoquatur.
Verùm digeſtio,dicebat,optanda maxime eſt:quoniam concoctionem hęc duo
neceſſariò ſequūtur,puris generatio & eius in aliquod ſpacium abſceſsio,ex qui-
bus verbis palàm oſtendit,digeſtionem per halitum excrementorum maturatio-
nem ſubſequi non debere,ſed potiſsimum eam præcedere:hanc eandem per ha-
litum digeſtionem primò ante concoctionem exequendam iuſsit Hippocrates
in cura pleuritidis ſecundo de Ratione victus in morbis acutis in principio. Diſ *tex.1*
ſerendum autem modò à nobis eſt, nunquid ea digeſtio excrementorum, quæ
eorum concoctionem ſubſequitur,diſtinctio, ſeu impropria diſtributio appella-
ta,iuuari poſsit ab arte,& à medico:&,ſi poſsit, cum quibus. Pro primo aſſeren-
dum planè eſt,quòd, velut alimentorum digeſtioni quibuſdam auxiliis medici
opitulantur,vt patet de mente Galeni quarto de Sanitate tuenda.& libro Quòd *cap.6.& 7.*
animi mores corporis temperaturas ſequantur,& primo de Sanitate tuenda , ac *cap.3*
ſecundo,& quinto eiuſdem:pari modo natura ipſa à medico adiuuari poteſt pro *1. de Sanitate*
digeſtione redundantium excrementorum perficienda , cùm ea ab eadem na- *tuen.cap.11.*
tura perficiatur,eiſdémque facultatibus mediis , vt ſuprà relatum eſt. Quæ au- *2 de Sanita.*
tem auxilia, ac qualia paranda ſunt ipſi naturæ à medico pro hac digeſtione iu- *tuen.cap. 2*
uanda non admodum patet ; nam interdum reperitur Galenum aſſerere , idem *& 5.de Sa-*
poſſe & cõcoctioni & digeſtioni opem ferre,vt de vino enuntiat in libro,Quòd *nit. 5*
animi mores corporis temperaturas ſequantur, loco ſuperius allegato, & ſexto *cap. 3*
de Morbis vulgaribus. ſæpenumero idemmet ait, quædam digeſtionem iuuare,
quæ tamen concoctionem impediunt, velut ſecundo de Sanitate tuenda,de ex- *Sect.4.com-*
ercitatione diſſeruit. quæ cùm in corpus digeſtionem adiuuet,miniſtrari tamen *ment.20*
non debet, niſi alimenta, ſeu ſucci, qui in ventre, aut vaſis continentur , opti- *cap. 2*
mè concocti ſint : aliàs periculum eſſet, ne priuſquam per maturam concoctio-
nem vtiles ſint, in omnes animalis partes rapiantur. & libro quarto eiuſdem
cap.ſeptimo dicebat poſt cibum non eſſe ſumenda medicamenta, quæ ad vehe-
mentiorem diſtributionem faciunt : nam tunc non diſtribui,ſed concoqui , quæ
ſumpta ſunt, eſt vtilius.quare melius eſt eo tempore vti aliquo præſidio ad con-
coctionem,præcipuè qui egent. ex quibus Galeni verbis liquidò conſtat inter-
dum eiſdem medicamentis poſſe & concoctionem & diſtributionem à medi-
co iuuari, & ſæpenumero diuerſis auxiliis. Sed, quò veritas clarior fiat , haud
ignorandum eſt concoctionem ipſam,ac diſtributionem,ſeu digeſtionem , velut
& alia naturalia opera,ab ipſo calore innato perfici,vt patet Galeno in Cõmen-
to aphoriſ.decimiquinti primi libri,& in cõmento Aphoriſ.ſeptimi ſecundi libri.
qua de re nec quempiam præterire debet ea auxilia, quæ concoctionem ſimul
& digeſtionem adiuuant,talia à medico paranda eſſe , vt calidum innatum , ſeu
naturam ipſam roborent atque adaugeant,vel ſaltem non diſsipent,ſed ſeruent.
nec minus ſciendum eſt aliquem ſuccum,ſeu excrementũ promptiùs ex ſui na-
tura poſſe & concoqui,& diſtribui,ſeu digeri:aliquem verò ęgrius.His ſic diluci-

datis, conſtat cuique quòd ea excrementa, quæ in corpore redundant, ſi facilioris ſint maturationis, ac digeſtionis ex ſua natura, viribus ipſis non admodum imbecillioribus exiſtentibus, poteſt à medico eiſdem auxiliis iuuari calidum innatum pro eorum concoctione, ſeu digeſtione perficienda. & propterea Galenus libro de Conſtitutione artis medicæ, cap. decimonono pro dulcis pituitæ ac acidæ concoctione perficienda, modicè calefacientis vini potum laudabat. de quo itidem
cap. 3 vino, vt diximus libro, Quòd animi mores corporis ſequatur temperaturam, ſic ſcriptum reliquit: Nam re vera, ſi commodè vtaris, & concoctioni, & digeſtioni, & ſanguinis generationi, & nutritioni confert abundè. Pariter ergo & ipſius dulcis, ſeu acidæ pituitæ digeſtioni vinum ipſum opitulabitur: cùm eius cōcoctioni opem ferat. quòd ſi vires ipſæ quodammodo imbecilliores fuerint, ac calor innatus non multus, ſimulque excrementa ipſa redundantia, ex eorum natura ægrè & concoctioni, ſeu maturationi, & digeſtioni obſequentia, non verendum eſſe puto aliis auxiliis digeſtionem iuuari, & aliis concoctionem. nam, cùm ea excrementa vehementiori egeant digeſtione, ac ipſa natura non admodum robuſta exiſtit, eis indigent medicamentis quæ ad vehementiorem digeſtionem faciāt, ac calidum innatum roborent & augeant. hæc autem calidiora eſſe debent, quàm ea, quæ concoctionem adiuuant. cuius generis ſunt frigidiora, ac propterea craſſior pituita & atra bilis. Ex quibus patet quomodo Galeni verba intelligi debeant, cum ait, Idem poſſe & concoctionem & digeſtionem iuuare: & quo pacto intelligi debeant eiuſdem verba, cum aſſerit, quædam digeſtionem iuuare, non autem concoctionem, immo eam impedire. Nec mirum eſt, ſi ea, quæ corpus humanum excalfaciunt, calorem innatum augendo, aut ſaltem fouendo; veluti alimentorum digeſtionem, ſeu diſtributionem, ita quoque excrementorum, ſeu redundantium putridorum ſuccorum digeſtionem, ſeu ſecretionem procu-
4. Meteor. tex. & comment. 1 rent. nam teſte Ariſtotele, pariter & Alexandro quarto Meteororum, Caloris natura eſt homogenea cogere, ac in vnum copulare: quæ verò heterogenea ſunt, ſecernere, ac ſeparare. cum verò redundans putridus ſuccus partes habeat heterogeneas, eas, poſt eius concoctionem, calor innatus ſecernere tentat; quod familiare eſt, attrahens: quod verò alienum, excernens. veluti in conficiendis alimentis in ventriculo, quicquid veluti terra, aut lapides in eis cōtinetur, ſegregat: quod verò velut palea & furfur, in hepate: exemplo peritorum præparandi tritici, qui ſi quid terræ, aut lapidum, aut ſylueſtrium ſeminum admixtum ſit, quæ pernicioſa corporibus eſſe ſolent, aut paleæ, & furfuris, vtiliter purgant, prout Galenus aſſe-
cap. 1. & 3 rit libro quarto de Vſu partium. Hæc autem operatio perficitur à calido innato, quatenus calidum innatum eſt, & quatenus calidum. & propterea à calidis medicamentis auxiliari poteſt, quæ tamen non admodum temperamentū excedant: quia, ſi multum excederent, imbecillum reddentia innatum calorem digeſtionem potius impedirent, quàm iuuarent. nam, licet cuiuſlibet calidi ſit heterogenea ſegregare, non tamen cuiuſlibet eſt ſecernere putridum humorem à non putrido: ſed tantùm hoc opus innati caloris eſt. poſſunt tamen ei opem ferre & ea, quæ ipſum calidum fouent, & quæ ipſum augent, ſiue in ſubſtantia, ſiue in qualitate. Verùm ea quæ in qualitate augent, ſunt vehementius digerentia. qua de re eis vtimur, vbi vehementiori digeſtione opus eſt. quanquam hæc quoque calida non tantùm calfacere debeant, vt ipſum innatum calorem valeant in igneam qualitatem tranſmutare. calor enim adauctus vehementius alterat: modò tamen non eò incrementi perueniat, vt iam colliquet. tunc nanque ad omnia eſt inuti-
cap. 3 lis, auctore Galeno tertio de Cauſis ſymptomatum. & ſi hæc quoque caliditas ignea poſſit extenuare, ac diſſoluere, vt patet Galeno in commento Aphoriſmi vigeſimi ſexti ſecundi libri, & Aphoriſ. quinquageſimi ſeptimi, quarti lib. Ex quibus patet, quo pacto auxilia iuuantia digeſtionem redundantium putridorum excrementorum interdum ab eis, quæ maturationem adiuuant, non diſcrepent, & ſæpenumero calidiora quàm ea, quæ concoctionem adiuuant, eſſe debeant, prout maiori, vel minori digeſtione natura eget pro digerendis ſuccis prædictis

ſeminalis. Inſuper & quæ vehemẽtius digerunt, calidiora eſſe debent, quàm quæ concoquunt. nam in digeſtione, vel ſecretione ſeminali ſucci non vna tantum facultas operatur, veluti in concoctione concoctrix, ſed duæ naturales facultates eodemmet tempore, attractrix ex vna, ac expultrix ex alia. Cum autem cunctæ hæ à calido innato perficiantur; ſi temperatè calida adhibeantur, admodum imbecilla erit earum facultatum operatio: cùm nõ ſatis ſit pro duabus facultatibus eodemmet tempore vehementer ſuam actionem perficientibus tanta caliditas, quanta ſoli concoctrici operanti abundans eſſet; verùm maiori indigent, vt ſuprà retulimus. proinde ſegregatio abſque valido calore peragi nequit, vt Galenus te- *cap. 13* ſtatur quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus. horum autem medicamentorum materiæ admodum Medicis notæ ſunt: ex quibus tum decocta, tum ſyrupos, tum electaria, tum aliis modis ſibi talia auxilia præparant. Eſt ergo hæc digeſtio, ſeu ſecretio opus duarum facultatum naturalium, & propterea à concoctione diſcrepat, quæ concoctricis tantùm opus eſt: iuuaturque vt plurimum ab aliis auxiliis, quàm ab eis quæ concoctioni opem ferunt, præcipuè cùm vehementiori indigemus digeſtione: eaque alio tempore adhibenda ſunt; quia poſt concoctionem, ſi rite natura à talibus auxiliis iuuanda ſit, & præcipuè eo tempore, quo ſæuiora cuncta ſymptomata apparent, ac ægri grauiter ſe habent, natura ſeparante à bonis mala, & ad excernendum præparante, iuxta Hippocratis & Galeni ſententiam Aphoriſmo 13. ſecundi libri, ſi vnica expulſione morbi cauſa pellenda ſit: ſi autem non; eis vtẽdum eſt toto morbi tempore, quo concoctio apparet, vt eis adiuta natura, illud, quod concoxit, facilius ſecernat. Differt autem hæc digeſtio, quæ excrementorum eſt, ab ea, quæ alimentorum: cùm in hac attractrix non ita vt in illa operetur validius, ſed expultrix. De diaphoreſi autem, hoc eſt, per halitũ digeſtione, pauca admodum diſſeremus, cùm à nonnullis abundantiſsimè ſcripta reperiantur: tum quia ex his, quæ ſupra retulimus, & quid ea ſit, patet, & quibus auxiliis perficiatur, quia calidis: quanquàm & hæc tepentem calorem obtinere debeant; vt lini ſemen, ac chamæmelum, au- *cap. 16* ctore Galeno vndecimo Methodi medendi. nec minus à balneo ſomnus malos *cap. 4* ſuccos per halitum digerit, vt idem Gal. aſſerit 4. de Sanitate tuenda & eodem libro oleum deſcribit ex floribus populi, quod ſine vlla morſione per halitum *cap. 8* digerit. pariter & ex chamæmelo & anetho medicamenta deſcribit, quæ per halitum digerere poſſunt. quæ cuncta tepentem calorem poſsident, vt diximus; quanquàm & prædictis calidiora quoque reperiantur, quæ calfacere, extenuare, diſſoluere, ac valenter digerere valent. his denique ac ſimilibus vtendum eſt pro hac digeſtione iuuanda, quæ per halitum dicitur. at quo tempore eis vtendum ſit, ſuperius relatum eſt. In quo verò ab eis, quæ concoctioni opitulantur, diſcrepent, Galenus quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus, perbellè *cap. 8. & 9* declarauit. & hæc de digeſtione ſint dicta.

De præparatione.

CVm ergo in hac excrementorum digeſtione, ſecretione, ſeu diſtinctione, quæ mala ſunt à bonis ſeparans, ad excernendum natura præparat, vt ſentit Gal. in commento Aphoriſ. 13. ſecundi libri; conſentaneum eſt diſſerere quo pacto Medicorum ope poſsit humorum excernendorum præparationi opitulari, & quibus auxiliis. ſæpe enim redundans vitioſus ſuccus exiguis canalibus, per quos expelli debet, craſsior ac viſcoſior exiſtit. quare ab ipſa natura expelli nequit, ni canalium, ſiue foraminum hoſtia, per quæ debet purgatio fieri, reſerentur, craſsities tenuetur, ac viſcoſitas eius, quod debet euacuari, incidatur. Hinc corporis præparationem, teſte Galeno in commento Aphoriſ. 24. primi libri, nil aliud eſſe affirmamus, quàm aliquod corpus purgationi imparatum paratum facere. hoc autem eſſe imparatum bifariam præcipuè fieri poteſt: aut ex parte ſuccorum redundantium, qui purgandi ſunt: aut ex parte viarum, per quas redundantes ſucci expellendi ſunt, ac à pharmaco

trahendi. ſi ex parte ſuccorum erit aut eorum craſsities, vel tenacitas, ſiue lentor, vel vtræque ſimul. at ex parte foraminum, ſeu meatuum vna tantùm cauſa eſſe poteſt, videlicet eorum obſtructio: quæ omnia purgationem impediunt. & propterea non immeritò eodem aphoriſmo 24. primi libri iuſsit Hippocrates, Rarò in acutis paſsionibus in principiis medicinis purgantibus vti, nam, cùm in ipſis morbis acutis facultas nobis non detur circa eorum principia præparandi corpora; rarò circa ipſorum initia purgationes in bonum vſum nobis venient. opus namque eſt, vt purgatio omnibus rectè procedat ſine torminibus, vertigine, faſtidio, difficultate, ſeu ægrorum diſſolutione. Corpora quidem prius fluida facere, præcepto eiuſdem Hippocratis aphoriſmo nono, ſecundi libri. quod quoque paſsim Galenus decretum reliquit eo commentario, qui inſcribitur, Quos purgare conueniat, &c. Verùm, quòd Medicorum auxiliis compluribus hoc perfici poſsit, cunctis equidem patet: nam, ſi nil aliud eſt corpora fluida facere, hoc eſt, purgationi præparare, quàm craſſos ſuccos tenuare, viſcidos incidere, ac foramina, per quæ huiuſmodi ſucci pertranſire debent, reſerare,
Sect. 2. & còment. 32 vt patet Galeno in commento ſupradicti Aphoriſmi noni, ſecundi libri, & ſexto de Morbis vulgaribus: nonnullaque inter Medicos comperta ſint auxilia, quibus mediis poſſumus talia in corporibus, cum opus ſit, operari: ſequitur, Medicum humorum in corpore redundantium præparationi abſque dubio opem poſſe ferre. qua de re ſexto de Morbis vulgaribus præcipit ante epotum veratrũ lauare, ac cibum ſumere, vt celerius purgatio fiat. hanc eandem ſententiam re-
ſec. 5. text. com. 19 liquit Aphoriſmo decimotertio quarti libri. Et Galen. in commento Aphoriſmi vigeſimiquarti primi libri non tantùm hanc facultatem præparandi Medicis tribuit: immo nonnulla ibi dinumerat, ex quibus ipſi Medici occaſionem arripere poſſunt pro prædicta præparatione facienda. & inſuper eodem commento, poſtquam declarauit quibus indiget is qui purgandus eſt, aſſerit, quia oportet eius humores quammaximè fieri poteſt, eſſe fluxui paratos, hoc eſt, tenues, nullum lentorem participantes, & aperta eſſe foramina: nam & nos iſta antea paramus, cùm quempiam ſumus purgaturi: &, vt vno verbo dicam, hæc præparatio contrario modo ſe habet cum concoctione, ſeu digeſtione; nam hæc à natura præcipuè, & non arte fit: illa verò ab arte potius, quàm ab ipſa natura. præparationi ergo ars medica, & Medicus opitulatur, nemine contrarium ſentiente, ſiue per vomitum, ſiue per alui ſubductionem purgare velis. immo huius præparationis auctor præcipuè Medicus eſt, ipſi naturæ auxilia pro ea perficienda porrigens, ſine quibus ipſa fortè perpetuò omnino non aſſequeretur: at, cum quibus, nondum liquet. Verùm, ſi præparatio penes redundantes ſuccos craſſos & tenaces attendatur: eis, quæ tenuant ac incidunt, vtendum eſt: de qui-
cap. 8 bus libro de attenuante victus ratione talem protulit ſententiam, Si quid igitur olfactui, aut guſtui, aut vtrique ſimul acre, & mordicans, & calidum apparebit, ſcito id facultatem habere tenuandi, ac incidendi: pariter & quæ eidem olfactui odorem bonum inferunt, & guſtui aromatis ſpeciem repræſentant. & demum ſubdit, Incidunt præterea, & quæ ſaporem habent quendam nitroſum, aut ſalſum. nec minus his amara, tenuandi facultate ſunt prædita. at eorum facultas aceto, & melle intenditur. Ex quibus colligo tum acria, tum ſalſa, nitroſa, tum etiam & amara facultatem habere craſſos humores, ac viſcidos tenuandi, ac incidendi, de mente Galeni. quorum ſi quis velit catalogum inſpicere tum olerum, tum ſeminum, tum ipſarum arborum, germinũ, ac aliorum: ſupradictum Galeni librum de attenuãte victus ratione perlegat. Quædam verò ſummatim in commento aphoriſmi 24. primi libri annotauit, vt in melicrato decoctum hyſſopi, origani, tragorigani, thymi, vel pulegij. Et octauo Methodi me-
cap. 4 dendi nonnulla quoque dinumerat tum in alimentorum, tum in pharmacorum ratione, vt ptiſanam, mulſam, calaminthaim, hyſſopum, origanum, ſerpyllum, apium, pariter in mulſa incocta. Verũ inter omnia præcipuè in febribus, vt quod nec febrem accendat, oxymel ſummopere extollit: quanquam & hæc pariter

obſtruct

obſtructiones liberent.& libro vndecimo eiuſdem ſummoperè ptiſanam, aquam *cap. 9*
mulſam,ac oxymel approbauit. In immodica tamen febris caliditate, omnibus
relictis,confugit ad ptiſanę cremorem,quam ptiſanam & detergere, & diſſecare,
ac reſoluere decretum reliquit quarto de Sanitate tuenda, & primo de Ratione
victus in morbis acutis:& in eo commentario,quem de ptiſana compilauit, talia *cap. 4*
de ptiſana verba retulit,Sanè ne vllum quidem alterum datur inuētu, quod ſiue
vt medicamentum,ſeu tanquam nutrimentum exhibeatur,quod horum ambo- *1. de Ratione*
rum compos ſit præter ptiſanam: incisionis videlicet,& humectationis. præterea *vict. com. 18.*
eodem commentario dicebat,Febribus ardentibus ptiſanam eſſe accommoda- *libro de ptiſa.*
tiſsimam:incidit enim,ac detergit,cum hoc quòd frigida ſit,& humida. Hac er- *cap. ult.*
go,conſulo,vt medici in ardentiſsimis febribus vtantur: cùm redundantium ſue *cap. 5*
corum præparatione egent.nec minus tanquam præcipuo medicamento rogo,
vtantur oxyſaccharo ipſo:ſecundo loco,oxymelite,vel aqua mulſa, præcipuè fe-
bre non exiſtente valida:tertio loco ſupradictorum aliquo decocto,aut ſolo,aut
cum ptiſana,mulſave, prout morbus requirit,ac eius cauſa. &, ſi eorum facultas
intendi velit; acetum addatur.& mel, præcepto eiuſdem Galeni libro de Atte-
nuante victus ratione,loco ſupra allegato.hæc quoad præparationem,quæ penes *cap. 3*
redundantes purgandos ſuccos attenditur, dicta ſufficiant. Reliquum eſt de eis
medicamentis, quæ præcipuè detergunt,poros repurgant, ac infarctu liberant,
& hoc pacto foramina,vias,vaſorúmque oſcula reſerant, differamus. quæ à Ga-
leno quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus, cap.duodecimo bi-
fariam conſiderantur. quædam nanque poros repurgantia medicamenta appel-
lantur ab eo,vt patet eodem libro.& hæc in duo ſubdiuidit,genere quidem ſub-
ſtantiæ minimè diuerſa, verùm ratione maioris minoríſque diſcrepantia: nam
vtraque calida ſunt, tenuium partium nitroſa, ac amara. Horum autem me-
dicamentorum quædam in ſuperficie ſordem auferunt, quæ extergentia, ſiue
rhyptica nominantur:quædam verò abſtergendo etiam poros repurgant, quæ
quidem ſupradictus ſubtiliorum ſunt partium,emplaſticis contraria.proinde hæc
ecphractica, & cathartica quaſi expurgantia,& farctu liberantia dicas,appellan-
tur. Quæcunque ergo nitroſa,amaráque ſunt, ea ad purgandos meatus omnes
valere noueris:quæ verò vlcerum ſordes, ac cutis vniuerſæ extergunt, non tan-
tùm hæc, ſed & viribus minora auferre poſſunt,vt dulcia tenuium partium, pu-
ta mel:ex cerealibus faba: ex fructibus amygdalæ, quæ edendo ſunt. quædam
verò, licet meatus intus aſſumpta purgare valeant,poróſque extergere:cuti ta-
men appoſita, quia eis quædam adſtrictio adiuncta eſt; repurgare non poſſunt.
nam compoſita ſunt ex amara, acerbáque facultate,ac occluditur meatuum exi
guitas ab eorum adſtrictione; priuſquàm in altum abſtergens ſubſtantia recipia-
tur, ac probè meatus expurgentur: vt abſinthium. at quædam ſunt, quæ vtrun-
que perficiunt & intus ſumpta, & foris appoſita; vt erui, ac lupinorum farina:
ſi amara fuerint; amygdalæ amaræ,vrticæ ſemen, ſcylla,& iris &c. quædam ve-
rò huius generis medicamenta, præterquam quòd detergunt, ac infarctu libe-
rant,vim quoque habent extenuandi, ac incidendi craſſos, lentóſque humores:
vt ſeriphon & abrotanum.quorum medicamentorum poros purgantium,ac ab-
ſtergentium, & ea de re obſtructiones ſoluentium,ac infarctu liberantium men-
tionem fecit Galenus octauo Methodi medendi cap. quarto, quo loco aſſerit
vniuerſale documentum, quòd quæ deterſoriam habent facultatem, tum intus
ſumpta, tum foris admota obſtructiones ſoluunt:quanquam & ibi quoque non-
nulla dinumeret,quæ cum hoc quòd obſtructiones ſoluunt,tenuant,ac incidunt
craſſos, ac lentos humores,de quibus ſuprà mentionem fecimus: nec minus &
quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus,loco ſuperius allegato:in- *cap. 12*
numeráque talia cōperiuntur apud alios artis medicæ auctores. quare particula-
rum,vt ea hic dinumerem, non eſt neceſſe. Quædam autem poros,foramina,ſeu
meatus reſerantia à Galeno appellantur, quæ pariter in duplici ſunt differentia:
nam quædam cutis meatus reſerant,quæ rarefacientia,ſeu areotica nuncupãtur:

quædam verò vaſorum oſcula reſerant,quæ aperientia, ſeu anaſtomotica appellantur. quorum medicamentorum contraria diuerſam etiam ſortiuntur appellationem. nam quæ poros contrahunt:condenſantia: quæ verò vaſorum oſcula occludunt,occludentia,conſtringentia, contrahentia, ſeu obſtruentia appellantur. differtque rarefacientium natura ab ea,quæ eſt aperientium.nam rarefaciētium natura,& modicè calida eſt, tum minimè deſiccans, renuiúmque partium: aperientium verò tum craſſarum partium,tum acris,ac mordax natura eſt.Hæc verò cuncta licet quodammodo prædictis, quæ extergere, incidere, obſtructionéſque delere diximus,vicina ſint:non tamen vndiquaque ſimilia ſunt:vt cuilibet ex eis, quæ retulimus,patere poteſt.verùm rarefacientis quidem naturæ ſunt chamæmelum,ſemen lini,althæa,& alia huiuſmodi: aperientis verò facultatis ſunt, quæ acria, ſimúlque terrena exiſtunt: vt cyclaminus, allia, cœpe, & huiuſmodi. quæ omnia in Galeno quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus facilius eſt videre; cum hic vniuerſalem quandam methodum inueniendorū medicamentorum,ac alimentorum,quibus naturæ in prædictis auxilia præbeamus, ſcribere intendimus, & non cuncta particularim: & ſi qua deſcripſimus, gratia exempli habeantur.Præter autem hos præparationis modos alter ab Hippocrate ponitur,qui laxantibus,ac mollius corpus reddentibus,humoréſque fundentibus perficitur:quem præparationis modum decretum reliquit ſexto de Morbis vulgaribus,& Aphoriſmo decimotertio quarti libri.quibus locis iuſsit ante epotum veratrum,vt facilius ac celerius fiat purgatio; corpora præhumectanda eſſe cibis,ac balneis,& quiete.verùm,quoniam laxantium remediorum non ſimpliciter vna eſt ſpecies,vt patet Galeno quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus; ea breuitatis cauſa relinquo. ſufficiat tamen,auctore Hippocrate,prędictis poſſe vti:vt corpora idonea ad purgationem reddantur;præcipuè ſi violentiſsimo medicamento vtendum ſit,vt veratrum eſt,de quo Hippocrates vtriſque locis mentionem fecit.in reliquis verò,ſi humores purgandi, craſſi, ac tenaces fuerint;antedictis attenuantibus,& incidentibus,vel ſimilibus vtendum eſt.Meatus verò,per quos ipſi purgandi ſunt, ac humores tranſmittuntur, & à medicamentis trahuntur,quæ vim purgatoriam habent; repurgandi, ac reſerandi ſunt cum his,quæ hanc facultatem poſsident, quorum methodum ſuperius demonſtrauimus:ac ita purgatio in cunctis rectè procedet.Ex quibus patet,in quo differant ea,quæ præparandi facultatem obtinent ab eis, quæ concoctioni, aut digeſtioni opem ferre poſſunt.Sed mox quæret quiſpiam,nunquid in flauæ bilis redundantia,ſaltem ſi ea non turgeat; præparatio ante eius purgationem competat,vt ea citius,ac facilius è corpore educatur. Iuniores quidam, in arte medica ac in Hippocratis & Galeni doctrina oppidò quàm eruditiſsimi, atque exercitatiſsimi,reſpondent quòd,cùm flauæ bilis vacuatio facilis ſit,pituitæ verò,ac potiſsimum eius quæ craſsior,& glutinoſior eſt,itémque nigræ bilis, difficilior, auctore Galeno decimoquarto Methodi medendi; ea de re præparatione haudquaquam indiget.Inſuper eorum opinio corroborari poteſt alia Galeni auctoritate tertio prognoſtic.quo loco aſſerit,humores corporis calidiores tenuioréſque paratiſsimos eſſe ad excretionem,cuius naturæ ſunt bilioſi ſucci. qua de re præparatione non egent. Verùm, pace tantorum virorum dixerim, ipſe ex Hippocratis, & Galeni mente aliter ſentio.ea de re, non quidem contradicendi ſtudio, ſed vt veritas patefiat, quæ mihi videntur,de ea re proferre non grauabor. Bifariam, vt diximus,corpus poteſt fluidum reddi, ex mente Galeni, (Illud, quod Hippocrates iuſsit, vbi quiſpiam corpus purgare voluerit,) aut humoribus extenuatis, inciſis, ac abſterſis: vel omnibus meatibus reſeratis. cùm ergo inciſio, ac extenuatio ſuccis craſsis, ac glutinoſis, ſeu lentis competat, vt patet Galeno vndecimo Methodi medendi, & in commento Aphoriſmi noni ſecundi libri, ac pleriſque aliis locis: bilioſus autem ſuccus haud talis ſit naturæ,ſeu eſſentiæ; conſequens eſt,vt talis præparatio ei præberi non debeat. At, cum ipſe Galen.iubeat in commento prædicti Aphoriſmi noni,ſecundi libri,& vndecimo Metho

cap.14 — sect.5.ex comment.29 — cap.11 — cap.17 comment.23 — cap.13. & c.8 — cap.19.

Methodi medendi,ſingularum particularum meatus,qui his ad ſuperuacuorum emiſsionem ſunt proprij, fluxiles reddere; vt inteſtino, ventriculo, meſenterio, & concauis iecinoris, inteſtinum rectum: renibus,veſicæ,iecinoris gibbis,venæ cauæ,arteriæ magnæ,& omnibus quæ in lumbis habentur,cum qui vrinis eſt delegatus: pulmonibus & pectori,ipſam aſperam arteriã & fauces: cerebro & eius inuolucris,cum qui per palatum & nares deſcendit; conſonum erit hanc ſaltem fluxibilitatem foraminum,ac meatuum reſerationem,in ipſa flauæ bilis redundantia, vbi non turgeat, ſaltem Medicum parare poſſe ac debere. Ad hæc Galenus in commento Aphoriſmi vigeſimiquarti primi libri in acutis morbis, cùm materia turget; non negat aliquem Medicum poſſe arripere occaſionem in primis diebus dicta corpora præparandi, priuſquam vſurus ſit medicamento purgante. in quibus quidem morbis propter temporis anguſtiam, ac morborum prauitatem ſaltem hæc facultas præparandi nobis non datur, immò nec concoquendi, vt iuſsit Hippocrates Aphoriſmo vigeſimoſecundo eiuſdem primi libri. ergo à fortiori,non negabitur nobis hæc facultas præparandi in his morbis acutis, in quibus ipſa flaua bilis non turget. Vlterius,ſi in inſtrumentali morbo, qui obſtructio eſt, contraria eſt recluſio, ſeu reſeratio, vt patet Galeno vndecimo Methodi medendi, quodlibetque præter naturam ſuo medicetur contrarios cùm pariant obſtructionem (vt Galenus aſſerit octauo Methodi medendi, & vndecimo) tum humorum craſsitudo, tum lentitia, tum præter hæc & abundantia: ſequitur redundantiam flauæ bilis,obſtructionem parientem,viarum recluſione, ſeu reſeratione indigere pro eius purgatione.ſed hæc vna eſt præparationis ſpecies, vt ſuperius oſtendimus. Quare nemo eſt,qui eam eo caſu negabit, præcipuè ſi ea flauæ bilis multitudo non ad tantam peruenerit magnitudinem, vt ſtatim circa initia Medicum ipſam euacuare cogat, vt infrà dicemus. Rurſus, ſi ea non turgente iuſſerunt Hippocrates & Galenus ante eius purgationem concoqui debere,ſaltem concoctione generaliter dicta, vt patet ſecundo de ratione victus in morbis acutis: nam ea euicta ac permutata à calido innato facilius educitur; quantò fortius negandum non ſit vias ac meatus, per quos tranſmittenda eſt ac à medicamento trahenda, recludendos ac reſerandos eſſe: præcipuè cùm Hippocrates vniuerſaliter iubeat Aphoriſmo nono ſecundi libri, Quæ purgantur corpora cuncta prius fluida fieri debere; quàm purgentur? at non ita iuſsit concoctionem: cùm perpetuò turgentiam materiæ ab ea excluſit. Verùm,vt cunctis veritas hæc pateat; placuit verba Galeni octauo Methodi portare, quæ talia ſunt; Cernimus enim aliquando etiam quod multum eſt, cùm ſimul totum confluit, obſtruendo hærere infigique non minus quàm ea,quæ glutinoſa ſunt,&,craſſa: quòd ſi per meatus anguſtos eſt tranſitus:multò profectò magis retineri. Si denique quod multum eſt:præter id quod glutinoſum ſit,ac craſſum,obſtruit,hæret,infigitur,ac in vijs retinetur: quis adeo erit inſulſus, vt pro eius faciliori purgatione, ſeu euacuatione, repurgatione,ac reſeratione eorum meatuum, per quos purgari debet, prius non vtatur, etiam ſi flauæ bilis fuerit talis redundantia?nec minus placuit,vt,eorũ quæ propoſuimus ex Galeni mente,veritas pateat, eiuſdem verba in libro de purgantium medicamentorum facultatibus in medium afferre,quæ talia ſunt: Ducat aliquis ad me quempiam ſine febre, cui in vniuerſum corpus amara bili redundauerit, ſpecteque poſt aliquos dies,cum hominem præparauero, mihique iam tempus inſtare viſum fuerit exhibendi medicamenti alicuius,quod bilem expurget:quo pacto naturalem corporis habitum eiuſmodi potione ipſi reſtituam. In quibus verbis diſertè Galenus in flauæ bilis redundantia præparatione vſus eſt ante purgationem. hanc quoque ſententiam confirmauit libro primo de Sanitate tuenda circa finem, cùm dixit, Quòd, ſi vel craſsitudinis, vel abundantiæ, vel lentoris excrementorum vitio obſtructi meatus ſunt; tenuatoria victus ratio his apta erit. & paulò antè dicebat, At flaua bile retenta, ſiquidem obſtructionis culpa id accidat; eo, qui extenuat, victu vtendum. Præcipit ergo Galenus his, quæ

cap.13

cap. 4. & 11. Meth. 8. & 13

com. 44

cap. 4

cap. 2

cap. 14

quæ hic aſſerit,verbis,tenuatoriam victus rationem:ſi flaua bilis propter obſtru-
ctionem præternaturaliter detineatur : quo victu præparationem molimur,vt di
ximus. vltimò,quis negabit eam præparationem, quam Hippocrates commen-
dat in præallegatis locis : corporum videlicet præhumectationem, ac laxationē,
quæ quiete,alimentis humectantibus,ac dulcis aquæ balneis perficitur , vt faci-
lior veniat purgatio,ac rectè procedat ? nemo inquam,qui mētis ſit compos.Re-
dundante denique flaua bile,modò non turgeat,ſed obſtruendo aliqua corporis
parte hæreat,ac retineatur,ſiue per vniuerſum corpus , liquet ex Galeni ſenten-
tia,vt facilius purgetur,ac à medicamento trahatur, eam præparationem parari
debere à Medicis,quæ ſe tenet ex parte meatuum,ſeu foraminum,per quę tranſ-
mittenda eſt:ea quidem recludere,reſerare,ſeu extergendo repurgare.nec minus
expurgandi corporis præhumectatione ac laxatione,Hippocratis decreto , ma-
cap. 17 ximum ei comparatur commodum.Ad eam autem auctoritatem Galeni,quam
afferunt decimoquarto Methodi medendi , facilis eſt reſponſio ; ait enim flauæ
bilis vacuationem facilem eſſe relatione ad pituitam , & nigram bilem : nec pro-
pterea ante euacuationem præparationem interdicit : immo,ſi ea præcat:facilior
fiat vacuatio:Aut ex ſua natura,quia ſubſtantiæ ac eſſentiæ tenuis eſt, facilè qui-
dem vacuatur:nec ea ratione inciſione,ſeu attenuatione indiget.at,quoniam ſua
multitudine valet obſtruere,hæret,ac infigitur , & in viis retinetur ; ea præpara-
tione indigebit,quæ penes meatuum reſerationem,ac repurgationem ſe tenet: ſi
ea multitudo vinci,ac ſuperari ab ipſa natura valeat.Et eadem ratione alteri Ga
com.23 leni auctoritati reſpondetur,cùm ait tertio prognoſticorum , Humores corporis
calidiores paratiſsimos eſſe ad excretionem : nam,licet flaua bilis ex ſua natura,
cum calidior ac tenuior ſit,paratiſsima ad excretionem fiat : tamen , quia ſui re-
dundantia,vt diximus,obſtruit & in viis retinetur ; hac de re , priuſquam purge-
tur , prædicta præparatione indiget. & propterea ad purgationem ineptos non
tantùm eos,qui multa cruditate laborant , aut alia extenta habent , cenſet Gale-
nus in commento 24. Aphoriſmi primi libri : verùm & quibus ignea , ac ſupra
modum calida exiſtunt. nec paratos tantùm exiſtimat , vbi humores fuerint te-
nuati,ac inciſi,verùm etiam vbi aperta ſint foramina, ac nullam habeant obſtru-
ctionem,per quæ purgatio fieri debet.Verùm ſtatim quæret aduerſarius , quibus
medicamentis talem præparationem in flauę bilis redundātia parare valeamus:
cum ferè cuncta,quæ talem facultatem obtinent , vt ſuprà annotauimus , calida
ſint,eoque flauam bilem adaugeant.Cui reſponſum volo quòd, licet quandoque
calidis vti poſsimus,Gal.decreto in commento Apho.24.primi libri ; tamen,vt
verius id exequamur,nonnulla in arte medica reperiri, quæ quidem facultatem
habent extenuandi,& abſtergendi vias,ſeu poros repurgandi,ac reſerandi, & ci-
tra calorem obſtructiones liberandi : nam quæ deterſoriam facultatem obtinēt,
cap. 4 obſtructiones ſoluunt, teſte Galeno octauo Methodi medendi.inter quæ primo
in alimentorum genere ptiſana eſt,vt patet Galeno ſuprà allegatis locis. at inter
cap.8 medicamenta,vtrunque eſt cichorium,quod à Galeno octauo de compoſitione
medicamentorum ſecundum locos ſummopere extollitur pro exterſione, ac re-
cluſione oſculorum,venarum præcipuè,quæ circa hepar , ſiue ſyrupi , ſiue deco-
cta,ſiue quouis alio modo ex eis medicamenta parentur.& non eſt mirum ; nam
amaram qualitatem participant,cum hoc quòd frigida ſunt , dictumque eſt au-
cap.12 ctoritate eiuſdem Galeni quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus,
quæcunque reperiuntur tum nitroſa , tum amara ad purgandos meatus omnes
cap.de cala- valere. & ſeptimo de Simplicium medicamentorum facultatibus decretum re-
minthe. liquit, Cuncta ferè amara abſtergentia eſſe , ac expurgantia in iecinore proue-
cap. 8 nientes obſtructiones. Et pariter eodem libro octauo de Compoſitione phar-
macorum ſecundum locos, ad iecinoris expurgationem, & meatuum reſeratio-
nem,citra manifeſtam calfactionem,aut refrigerationem, veluti optimum phar-
cap.4 macum,filicem laudauit,tanquam prædominantem habentem amaram quali-
cap.de cucu. tatem. Ad hæc à Dioſcoride libro 2. cap. 123. pariter à Galeno libro ſecundo

de alimentorum facultatibus,& octauo de Simplicium medicamentorum facultatibus, ſemina peponum,ac cucumerum vim quandam habere extergendi, cuius beneficio vrinam cient,ponuntur.Idem pariter ſentit Paulus Aegineta libro primo de Arte medendi cap.octauo, communiſque vſus practicantium eſt hodiernis temporibus eis vti. Nec minus meo iudicio inter cuncta, quæ narrauimus,pro ea preparatione perficienda eligendi ſunt ſyrupi,tum acetoſus ſimplex, tum oxyſaccharum,quod præ omnibus tum ſyrupis, tum decoctis, tum aliorum generum medicamentis præferendum cenſeo. Quòd, ſi cutis meatus reſerandi ſint; aquæ dulcis balneis, pariterque medicamentis rarefacientibus, extergentibuſque vtendum eſt. quam vim moderatè tum calida, tum & nonnulla frigida poſsidere haud difficile eſt reperire & apud Galenum,& apud alios artis medicæ auctores. His demique auxilus, flaua bile redundante, ſi non turgeat, purgandi corporis præparatio à Medicis paranda eſt; vt in eo purgatio rectè procedat: cùm his quæ non tantùm præparant,quinimmo & cauſæ aduerſantur, pariterque & morbis ipſis,qui ex flaua bile gignuntur. hinc eſt, quòd alterabunt, & digeſtioni opem ferent,ac præparationi: veluti & nonnulla, quæ ſuperius annotauimus, alterationi & præparationi præſtant auxilium, inſimulque nutriunt ac concoquunt, vt ptiſana. Quædam concoctioni, digeſtioni, & præparationi inſimul opitulantur; vt vinum modicè calfaciens moderatè bibitum: ad hæc nutrit,ſudorem,vrinamque promouet, ac ſomnum conciliat, teſte Galeno 4. de Sanitate tuenda: non tamen; ſi craſſum ſit,& nigrum. Alia alterant, digerunt, & præparant cum extenuatione,& inciſione, ac excretionem promouent; vt aqua mulſa, & oxymel: eoque magis, ſi ineis, & præcipuè in mulſa concoquantur hyſſopus,aut calamintha,origanum,apium,ſerpillum, aut iris. Verùm perpetuò mente tenendum, priuſquàm obſtructionibus liberandis vacaueris cum his quæ vehementer aperiunt, aut detergunt, ſtudeas vacuare redundantis ſucci maiorem partem: ac demum valenter aperientibus, vel detergentibus vtaris, alioquin ipſas magis impingens, præcepto Galeni octauo Methodi medendi. &, ſi febris adſit, præſertim valida, pro liberandis obſtructionibus vtaris his, quæ citra calorem liberare obſtructiones valent, eiuſdem Galeni præcepto, vndecimo Methodi medendi. At quo tempore pro expellendis excrementis, ac redundantibus ſuccis,præparatione vtendum ſit,nondum liquet ex dictis. verùm hoc perpetuò obſeruandum eſt,ſi ante concoctionem purgandi ſunt,vt ſi turgeant, quocunque tempore Medicus poteſt eam occaſionem arripere ac exequi, præcepto Galeni in cõmento Aphoriſmi 24. primi libri. quòd ſi concoctione prius egeãt, quàm expurgentur; illud perficere, priuſquam concoctionis indicia appareant, minime tentandum eſt. nam nec natura ipſa,niſi poſt concoctionem, ſecernens à bonis mala ad excernendum præparat, auctoritate Galeni in commento 13. Aphoriſmi,ſecundi libri ſuprà allegati. & hæc de præparatione ſatis ſint.

4. de ſanit. tuen.cap.4

cap. 4

cap. 10

De Purgatione.

Hactenus quo pacto ante purgationem paranda ſint corpora, vt eis facilius veniant, ac rectè purgationes procedant, verba fecimus; reſtat modò de purgatione, ac purgantibus medicamentis diſſerere, vt eis quoque rectè vti valeatis. Quàm neceſſariæ autem, ac perutiles ſint quibuſdam corporibus purgationes, purgantiaque medicamenta,cunctis liquet: at quo pacto à venæ ſectione diſcrepent, belliſsimè à Galeno in eo commentario, quem aduerſus Iulianum compilauit, auctoritate Chryſippi, Theophraſti, Hippocratis,Platonis,ac Ariſtotelis demonſtrauit. Inſuper libro de Purgantium medicamentorum facultatibus,nec minus ab eodem Hipp. Aphoriſmo ſecundo primi libri,& ſecundo,& tertio quarti libri,quiuis percipere poteſt. Gale.quoque eodem libro de Purgantium medicamentorum facultatibus aſſerit, quàm admiranda opera à purgãtibus medicamentis abſolui.quare de eorum medicamentorum neceſsitate,ac vtilitate,ſcribere nõ me intromitto. Verùm primò de eis diſ-

cap. ult.

cap. 2

loco citato.

ferendum eſt,cur purgantia dicantur medicamenta, quod quidem non propter aliud, vt Galenus aſſerit libro de Purgantium medicamentorum facultatibus, cap.1.quàm quòd ſanguinem à redundantibus in eo humoribus,ſeu excremẽtis purum conſtituant,quouis modo illa excrementa expurgent,vt patet quinto de
cap. 10 Simplicium medicamentorum facultatibus.& propterea in commento Aphoriſmi ſecundi,primi & quarti libri,purgationem eſſe humorum,qui ſua qualitate moleſtant,euacuationem aſſerit.Qua de re cunctarum euacuationum, quæ per pharmaca purgatoria fiunt,vnam eſſe communem intẽtionem retulit:vt humor videlicet redundans euacuetur. hinc Hippocrates eis, qui ſalubritatem corporis habent,omnino medicationes,ſeu purgationes prohibuit Aphoriſmis 36. & 37. ſecundi libri.nam purgans medicamentum,proprium attrahere humorem appetens: cùm is non adſit,ſanguinem ac carnes colliquat,vt ex ipſis proprium attrahat humorem,& propterea Galenus in commento Aphoriſmi decimiquinti tertij libri decretum reliquit,purgantia pharmaca non niſi valde indigentibus,& ex longis interuallis vtilia eſſe.Verùm liquet Hippocratẽ,& Galenum in Aphoriſmo 47.ſexti libri,corporibus paratis incidere in morbos,quamuis nondum in eos inciderint:redundantis ſucci purgationem præcipere,præcipuè in vere,velut & venæ ſectionem his qui plenitudinis paſsionibus ſubijciuntur. inſuper & hoc
cap.7 idem oſtendit Galenus in eo commentario,qui inſcribitur, Quos purgare conueniat,quibus medicamentis,& quando:& libro de Curandi ratione per ſanguinis miſsionem.in quibus locis,ex vobiſmetipſis poteſtis inſpicere,quibus corporibus paratis in morbos incidere,ineunte vere,& quibus in fine veris, purgatio, vel venæ ſectio adhibenda ſit,vt ab eis morbis præſeruentur,in quos incidere parati ſunt.nam non cuncti,qui ab aliquibus præter naturam affectibus vere præſeruantur,eodem tempore purgandi ſunt,aut eis vena incidenda eſt: vt quidam iuniores noſtri temporis medici ad pauca reſpicientes indifferenter præcipiunt, ac non parum in hac re hallucinantur. His ergo corporibus paratis in morbos incurrere,pro ratione redundantis ſucci,priuſquàm actu ægrotent,purgãtibus medicamentis vtendum eſt, ſi aliquid aliud non prohibeat. Quæ verò purgationes
cap.10. & 13 prohibeant,ſatis dilucidè à Galeno præſertim libro nono Methodi medendi, &
1. ad Glauconem. cap. 14 libro primo de Arte curatiua ad Glauconem oſtenſa ſunt.quare eadem hic enarrare ſuperfluum eſt. Inſuper quòd ægris corporibus ſæpenumero aliquo redun-
tex.11. dantibus ſucco, ſeu putreſcente,purgationes quoque competant,patet apud Hippocratem libro ſecundo de Ratione victus in morbis acutis, & quarto eiuſdem
tex.76 & 64 & Aphoriſmo vigeſimonono ſecundi libri 2.primi & 18.quarti,ac nonnullis alijs
cap.2 in locis.patet etiam Galeno in commentarijs prædictorum Aphoriſmorum. &
cap. ult. libro de Purgantium medicamentorum facultatibus, & eo commentario,qui inſcribitur, Quos purgare conueniat &c. ac in libro aduerſus Iulianum,& ſexcentis alijs in locis. Qualitas autem medicamenti eligenda eſt pro ratione redundantis ſucci: vt,ſi flaua, vel pallida bilis redundet; quæ flauam, vel pallidam bilem purgant,adhibenda ſunt pharmaca:ſi pituita; quæ pituitam. pariter de feroſis humoribus, ſucco melancholico,vel atra bile dicendum erit.Quòd verò purgantibus pharmacis facultas quædam attractrix inſit, quâ media quemlibet ſibi proprium ac familiarem eligunt ſuccum , & attrahunt; licet aliquibus , vt Eraſiſtrato ac Aſclepiadi, incognitum fuerit, ſatis perlucidè à Galeno libro de Pur-
Lib. de purg. med fac. c.2.3 gantium medicamentorum facultatibus , & libro tertio, & quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus, & ab eodem Galeno ſimul & Hippocra-
de ſimp. medi. facult.cap.25. te libro primo de Natura humana oſtenſum eſt. At perpetuò , quoad fieri poſ-
5. eiuſdẽ cap. ſit, purgans eligendum eſt medicamentum, quod præter id quòd redundantem
20. 1. de Natura humana. eliciat humorem, alijs, quæ præter naturam ſunt , aduerſetur. id quod Galenus
comment.27 præcipit primo de Arte curatiua ad Glauconem, capite de cura tertianæ his verbis:Semper enim oportet contrarias qualitates opponere his quæ præter naturam inualuerint:cùm hoc multò melius ſit,quàm quomodolibet euacuare. & libro decimo Methodi medendi,cap.1.loquens de febrium putridarũ curatione ita

retulit

retulit. Ac ſiquidem in idem conſentiant,& quæ febrem extinguunt,& quæ cauſam oppugnant, in quod vtraque conſpirant; cum vnū ſit,ſine cunctatione agendum eſt. Illud, quod perpetuò in omnibus morbis ipſe (velut in febribus iubet Galenus) quoad fieri poſsit exequendum cenſeo: nam contrariorum perpetuò contraria eſſe auxilia omnium,quæ præter naturam ſunt, præceptum commune eſt,vt ſexcentis in locis de mente Hippocratis apud Galenum compertum eſt, præcipuè vndecimo Methodi medendi,& commento Aphoriſmi 22. ſecundi libri. Nec minus purgantia medicamenta,quoad fieri valet,eligenda ſunt,quæ malæ qualitatis ſint expertia:quorum ampla ſylua apud Græcos,Arabes,ac Latinos facilè reperitur,præſertim apud iuniores,quibus in notitiam deuenere nonnulla purgantia medicamenta prauæ qualitatis expertia, quæ quidem apud antiquos penitus incognita fuere; vt myrobalanorum plura genera,caſsia fiſtula,tamarindi,rhabarbarum,& fortè manna,nonnullaque alia,quę breuitatis cauſa relinquo. Quòd verò magni etiam momenti ſit, ſi purgantis medicamenti quantitas, bona cõiectura viribus accommodetur; patet ex Hippocrate Aphoriſmo tertio ac 23. primi libri. nihil enim æquè artem medicam in agendo coniecturalem efficit,vti cuiuſque remedij quantitas: nam quòd laboranti præbendum ſit medicamentum,aut bilem flauam,vel atram, pituitam,aut ſeroſum excrementum euacuans,exactè quidem nouimus. Cęterùm,quantum præberi debet,neſcimus,teſte Galeno libro de Curandi ratione per ſanguinis miſsionem. cap. duodecimo. at intentio quantitatis euacuationis non ſolùm humorem reſpicit ſuperabundantē, ſed & hominis vires,qui euacuari debet. qualis enim fuerit eius natura,qui debet perferre purgationem,ad hoc ducere conuenit:& interdum vſque ad animi defectionem, ſi æger tolerare poſsit, eodem Hippocrate auctore Aphoriſmo eodem vigeſimotertio primi libri,in his præcipuè præter naturam affectibus,qui à Galeno narrantur in commento prædicti Aphoriſmi.& hoc non tantùm in venæ ſectione, verùm in purgatione ſeruare oportet; licet tutius in venæ ſectione, quàm purgatione illud exequamur. proinde præter eos præter naturam affectus, qui valde vrgent,vt videlicet adurentem febrem, vehementiſsimum dolorem, ac maximam inflammationem,aut ſimiles,perpetuò ſuaderem,ſi purgans medicamentum competat; potius ſecundò & tertiò repetere, quàm ſemel euacuare, priore purgatione minus vacuando,quàm humor redundans ac ægroti vires poſtulant:velut de venæ ſectione,niſi quid vrgeat,iuſsit Galen. eodem libro de Curandi ratione per ſanguinis miſsionem loco ſuperius annotato: & in his quoque raro exquiſitiſsima vteret purgatione. nam quod ſemel in ventrem deuoratum eſt medicamentum, quò minus omne deuoratum ſit,fieri non poteſt:neque poſſibile eſt,vbi plus quàm conueniat iam purgetur homo, partem oblati auferre: adeo vt propter id incorrigibilis ſequeretur error, vt vitare non poſsis, aut eius, qui purgatur maximum detrimentum,aut interitum. illud quod non tãtùm non comparatur ex paulò minoris quantitatis,quàm redundans humor ac vires exigant,euacuatione; verùm maximum viribus eius,qui euacuatur,accedit commodum. nam,minore iam facta materia, natura facilius ſupra reliquum aggreditur, quod concoquendum eſt concoquens:quod verò excernendum excernens. at ſi id perficere non valeat; repetenda purgatio eſt: quo modo tutius curabitur. id quod fieri à medicis debere iuſsit Galenus decimoquarto Methodi medendi. & ſecundo de Ratione victus in morbis acutis. quanquàm,ſi quis etiam propter ętatem,vel timiditatem permittere ſe medico ad ſanguinem vllo modo detrahendum nolit; huic quoque deiicienda largius aluus eſt,ſi id quoque ſuſpectum non habeat,auctoritate Galeni quarto de Sanitate tuenda,cap. quarto. Artificioſa denique coniectura quantitas purgantis medicamenti cognoſcitur,velut ſingulorū aliorum præſidiorum. Verùm eius viri eſt de quantitate præſidiorum optimè coniicere,qui vires omniū,quæ in arte ſunt,didicerit, memoriæ mandauerit, atque diligentia omni adhibita ſeſe in operibus artis exercuerit,vt Galen. pręcipit ſecundo de Ratione victus in morbis acutis.& propterea idemmet Gale. eodem

cap. 12 (margin, beside "præcipuè vndecimo Methodi medendi")
cap. 12 (margin, beside "ſtulant")
cap. 11 / comment. 11 (margin, beside "decimoquarto Methodi medendi" / "ſecundo de Ratione victus")
comment. 37 / comment. 11 (margin, beside last lines)

ſecundo libro de Ratione victus in morbis acutis, de quantitate purgationis in pleuritide ita aſſeruit: Quibus igitur dare medicamentum purgans quadrabit, his medicamenti tantum propina, quãtum in plurimis mediocriter vacuare tum nouiſti tum ſis expertus. Quo pacto ergo quis quantitatem purgantium medicamentorum optimè conijcere poſsit, planè oſtendimus: reſtat modò de tempore pauca differere; quia ad rectè medendum plurimum temporis occaſio confert, teſte Galeno primo de Arte curatiua ad Glauconem circa principium. Verùm, cùm præ omnibus cognitu ſit difficillima; vides plerunque medicos non vulgares modò, ſed præexcellentes aberrare: hanc enim præcipitem apud Hippocratem eſſe conſtat: ac velut quantitas cuilibet eſt propria. Sed, cùm nihil proprium poſsit ſermone explicari de communi tum quantitate, tum temporis occaſione ſcribere tentaui: cum ad rectè medendum plurimùm cõferre videantur: adeò enim, vt diximus de mente Hippocr. occaſio non tantùm purgãtium medicamentorum; verùm omnium ferè medicarum operationum penes corpora humana momentanea ac admodùm præceps eſt, & anguſtiſsima, vt ob id difficulter ſit cognoſcibilis: nec quiſquam eam agnoſcere valet, niſi qui diu fuerit in hoc exercitatus. nam materia, circa quam ars medica verſatur, dico corpus humanum, continuè fluit, mutationibus ac alterationibus, ſeu momentaneis, vt ita dicam, tranſmutationibus obnoxium, facilitérque non ab extrinſecis modò, verùm etiam ab intrinſecis cauſis alteratur. at, vt vos iuuenes ſtudioſi plus aliquid, quàm qui arte carent, de temporis occaſione aſſequi valeatis; ad ea, quæ communia ſunt, ſcribenda confugimus. erit autem opportunum purgantis medicamenti tempus, quo rectè eo vti poſſumus; ſi materia turgeat, confeſtim circa initia, prout decretum reliquit Hippocrates decimo Aphoriſmo quarti libri. nam, cùm ſuperabundantes humores mouentur, & per totum corpus deferuntur, nondum in aliqua parte firmati; natura ad eos expellendos irritatur: quare indiget aliquo auxilio, quo medio natura ipſa valeat hunc humorum motum ad aluum deducere, ac eos foras propellere. Vt autem hoc ritè perficiatur; nullum aliud præſtantius eſt, quàm purgans medicamentum propinare: aliàs aut robur virium diſſoluetur, vel febris caliditas augebitur, aut timor adeſt ne in aliquod princeps membrum decumbant hi, qui per corpus vagantur, humores. Sunt itaque mox à principio turgentes humores medicamento purgante educendi, ſi natura eos non valeat foras propellere. Quòd, ſi non turgeant, ſed aliqua in parte ſint humores firmati, non opus erit circa initia purgante medicamento vti. Siquidem quæ Hippocrates dinumerat incommoda quarto de Ratione victus in morbis acutis, neceſſariò euenient, vt qui crudi ſunt, purgationibus non cedant. hac de re idem Hippocrates iuſsit eos medicari non debere ante concoctionem, ſi euinci, ac ſuperari ab ipſa natura poſſe cogitabis. tunc enim præter id, quòd purgationi cedunt redundantes ſucci, naturam ipſam habemus euacuationi adminiculantem: ſiquidem ea videtur poſt concoctionem humores diſcernere, & demum eos expellere, vt ſuperius diximus. Quòd, ſi vbique locorum tum apud Hippocratem, & Galenum, cunctóſque alios artis medicæ authores liquet ipſius naturæ medicum imitatorem eſſe deberei liquidò conſtat eo tempore, quo natura ſuperfluitates vtiliter expellit, ſi imperfectè ipſa moueatur, purgante medicamento medicum vti debere, ac id, quod deficit, ſupplere medicando: vt ab vtroque noxij humoris euacuatio rectè fiat, natura quidem expellente, medicamento verò attrahente, prout Galenus aſſerit in commento Aphoriſmi vigeſimiſecundi primi libri. Hinc patet, quòd, cùm rarò humores ab vna parte ad aliam transfluant, ſeu turgeant, frequentiúſque quietem habeant, ac in aliqua parte conſiſtant, in qua toto morbi tempore concoquuntur, rarò in principijs vtendum eſſe purgantibus medicamentis: præcipuè ſi redundans ſuccus valeat ab ipſa natura concoqui, ac euinci: at ſæpenumero & frequentius poſt concoctionem. Eſt ergo princeps ſcopus, qui penes temporis occaſionem purgantium medicamentorum perpendendus eſt, ipſius morbi concoctio:

cap. 1

coctio: ſi eius cauſa non turgeat, aut quiduis aliud non vrgeat. Aliud inſuper
æquè præcipuum, eodem Hippocrate auctore Aphoriſ. nono ſecundi libri, eſt
purgandi corporis præparatio. propter quod verebatur ipſe etiam in acutis paſ-
ſionibus medicinis purgantibus in earum principiis vti: quia non dabatur medi-
co facultas iſta præparandi corpora, Aphoriſmo vigeſimo quarto primi libri:
aliàs præparatione ipſa neglecta, ſi quis aluí ſubductionem procurauerit, diffici-
les non ſine torminibus, vertigine, faſtidio, diſſolutione, ac difficultate purgatio-
nes venient. Quo autem pacto, ac cum quibus purgandorum corporum præ-
paratio procuranda ſit, ſuprà retulimus. Hæ ergo duæ præcipuè communiter pe
nes tempus purgationū conditiones penſitandæ ſunt tam in preſeruatione, quàm
in curatione, ſi materia non turgeat, aut quiduis aliud non vrgeat, vt infrà dice-
mus. at particularia, quæ medicum perpendere oportet, longè plura ſunt. quę cum
à Galeno nono & vndecimo Methodi medendi. & eo commentario, qui inſcri- *cap. 10*
bitur, Quos purgare oportet &c. & lib. de Arte curatiua ad Glauconem primo. *cap. 9*
aliíſque pleriſque locis fuſiſsimè tractentur, ea omittere viſum eſt.

Quæſtio, an in principiis morborum materia non turgente, purgante medicamento vtendum ſit.

QVæret autem quiſpiam, an perpetuò ſeruandum ſit, quòd materia non
turgente ea medicanda non ſit, neque in principiis, niſi poſt cōcoctio-
nem, ac corporum præparationem. Iuniores quidam artis medicæ, ín-
que Galeni, ac Hippocratis doctrina admodum eruditi ex eorum
intentione in pleriſque locis tueri conantur, nullo pacto ante concoctionem, ni
materia turgeat, vtendum eſſe in morborum principiis purgante medicamēto:
etiam eo, ex quo materia diminuitur: quod quidem hodiernis temporibus mi-
noratiuum medicamentum appellant. illúdque cum auctoritatibus, tum ratio-
nibus contendere non deſinunt. At ipſe nonnullis Hippocratis, & Galeni aucto-
ritatibus, rationibúſque impulſus contra ſentire cogor. Verùm, vt dilucidius rei
quæſitæ veritas pateat, primò quid ſentiam propalabo: ſecundò rationibus, ac
auctoritatibus, quæ à ſupradictis in contrarium ducuntur, reſponſiones tribue-
re conabor. Quantum ad primum attinet, cum Hippocrate vigeſimoquarto A-
phoriſmo primi libri dico in morborum principiis, ſi vtendum ſit medicamentis
purgantibus, illud cum præmeditatione faciendum eſſe, diligenti videlicet exa-
minatione præſertim, ſiue ægroti præparatione, ſiue recti iudicij expectatione,
quibuſdam eorum, vel omnibus ſimul apprime perpenſis, prout Galenus in com
mento eiuſdem Aphoriſmi declaratum reliquit. non enim periculum minimum
eſt vti purgante medicamento in principiis acutorum morborum, ſunt enim *comment. 22*
purgantia medicamenta vt plurimum potentia calida, febrémque augēt, vt idem *& 38*
Galenus eodem commento optimè declarauit. & propterea quarto de Ratione
victus in morbis acutis iuſsit rem iſtam ſecundum Aphoriſmorum mentem de-
finiri oportere, ſcrutaríque quando in principiis purgatione vtendum ſit, & quan
do morbi concoctio expectanda. hinc Hippocrates Aphoriſmo vigeſimonono
ſecundi libri decretum reliquit: Cùm morbi inchoant, ſi quid videtur mouen-
dum, moue: cùm vero conſiſtunt, ac vigent, melius eſt quietem habere. diligens
ergo examinatio in morborum initiis a medico facienda eſt, ſi debeat eo tempo
re vti purgante medicamento, aut non. quam diligentem examinationem ſum-
matim per capita in cunctis morbis faciendam præcepit Paulus ſecundo de Ar-
te medica cap. ſecundo. nam ſi morbus ipſe ex toto genere exitialis fuerit, nihil
nec eo tempore, nec alio mouere oportet: deplorati enim curandi non ſunt, ſed
eis morbi finem prænunciare licet. in quo enim deſperata omnino ſalus eſt, im-
prudentis conſilij fuerit apud vulgum infamare præſidia, quæ multis fuere cauſa
ſalutis. quam ſententiam reliquit Galen. vndecimo Methodi medendi, aſſeritque *cap. 9*
ibi tempora præſidiáque his, quos ſaluari ſpes eſt, ſcribere. Et inſuper, ſi diligenti

examinatione cunctorum, quę oportet, rectum ac perfectum iudicium in morbo aliquo acuto expectatur, viréſque morbo præualere, cumq́ue ſuperare Medicus minimè veretur abſque vllo eius auxilio, præterquàm conueniente ratione victus inſtituta, abſtinendum à medicamento purgante in eorum morborum initiis cenſerem: nam fruſtra id tentaretur, cùm natura ex ſe abſque vllo alio auxilio ſufficiat vincere. longe enim præſtantiorem eſſe ſalubrem victum vniuerſum, quàm medicinam, auctor commentarij, quod Præſagium experientia confirmatum inſcribitur, circa finem ſcriptum reliquit. & libro de Medicinis expertis compertum eſt, optime nos debere laudare virum, qui curat per cibum, quàm illum, qui curat per medicinam. ſi quis autem velit huiuſmodi cauſam diſcere, eodem loco reperiet. Pariter, ſi morbus fuerit diutinus, nullo pacto in principio medicamento purgante vtendum eſt: nam in longis morbis ſemper oportet expectare coctionem, ex ſententia Galeni in commento prædicti Aphoriſmi vigeſimiquarti primi libri. Reliquum ergo eſt, vt in his morbis acutis purgante medicamento circa eorum initia vtendum ſit: qui, etſi haud periculo vacant; tamen non ſunt ex toto genere pernicioſi, verùm ſpes eſt, quòd exonerata natura à purgante medicamento, quod relinquitur, facilius poterit & concoquere, & expellere, quod concoquendum, ac expellendum erit. at id non niſi in principiis perficiendum eſſe cenſent tum Hippocrates, tum Galenus; priuſquam robur corporis diſſoluatur, vel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod princeps membrum decumbant, qui in corpore redundant humores, præcipuè ſi per corpus vagantur, ac turgent: eſt enim eo tempore naturæ impetus, aut in toto corpore, vel ſaltem in partibus principalioribus ad ſuperfluorum excretionem. quare iuuandus erit hic motus naturæ medicamento purgante. age igitur. Hippocrates propterea in quorundam morborum initiis præcepit debere vti medicamento purgante: nam, eo neglecto, timor eſſet ne vi morbi temporis proceſſu robur corporis diſſolueretur, vel febris caliditas augeretur, aut ad aliquod membrum princeps redundantes decumbant humores, vt diſertiſſimè Galenus commento Aphoriſmi decimiquarti libri declarauit. At, quoniam in quibuſdam morbis acutis à diuerſis cauſis hæc pericula impendent; omnium voluit Hippocrates proferre ſententiam: &, cum nouiſſet præcipuam cauſam, propter quam in prædictis morbis ea nocumenta timenda eſſent, humorum turgentiam eſſe in his morbis, in quibus materia turget: illud primò, ac præcipuè decretum reliquit Aphoriſmo vigeſimoſecundo, & vigeſimoquarto primi libri: pariter, cum non ignoraſſet ex aliis cauſis, licet non æquè vt ex prædictis, poſſe prædicta pericula in quibuſdam aliis morbis imminere, ni in eorum principiis ægri purgentur, ne in neceſſariis in arte deficeret, immo eam totam exigeret: iuſsit Aphoriſmo vigeſimonono ſecundi libri, in reliquis acutis morbis, in quibus eadem pericula impendent, circa eorum initia Medicum debere vti aut venæ ſectione, aut purgatione, prout morbus ac eius cauſa expoſtularent. verùm, cur illud in principio exequendum eſſe præcipiant Aphoriſmo 30. ſequenti Hippocrates declarat. Galenus autem in commento prædicti Aphoriſmi vigeſiminoni præter eam, quam Hippocrates aſsignat, aliam addit cauſam, propter quam melius eſt circa quorundam morborum initia euacuare: nam Minorem iam factam materiam, aut, facilius morbo conſiſtente natura concoquere valet. vt autem coctio citius eueniat, bonum eſt circa principia euacuare. Ex quibus Galeni verbis facilè quilibet percipere valet ex eius mente Hippocratem eo Aphoriſmo aliorum morborum ſententiam protuliſſe, quam eorum, quorum materia turget: cum turgens materia nullo pacto, quoad turgeat, cōcoqui ab ipſa natura poſsit. nam quæ concoquuntur, quieti permittenda ſunt, præcepto eiuſdem Hippocratis, ac Gale. lib. 2. de Ratione victus in morbis acutis. ſi ergo turgens materia concoqui ab ipſa natura non valet., & propterea ſtatim medicanda circa initia eſt, præcepto eiuſdem Hipp. tum Aphoriſ. vigeſimoſecundo primi libri, tum decimo quarti libri: fruſtra Galenus retuliſſet propterea circa principia

In ultimis uerbis.

In ultimis uerbis.

euacuand

euacuandum eſſe,quò minorem iam factam materiam facilius poſsit natura concoquere,cùm concoqui ea non poſsit,nec valeat. Ad hæc,ſi ſententia Hippocratis eodem Aphoriſmo vigeſimonono, de turgente tantùm materia verificaretur,ſuperfluus ſiquidem fuiſſet aphoriſmus,cùm id præcepiſſet diſertè vigeſimoſecundo Aphoriſmo primi libri, & vigeſimoquarto eiuſdem ex Galeni mente,& decimo Aphoriſmo quarti libri. Inſuper, ſi mens Hippocratis fuiſſet tantùm,cùm materia turgeat,aphoriſmum veritatem habere,cur nullam de turgentia mentionem fecit, prout in ſupradictis aphoriſmis? aut ſaltem, cur Galenus nec illud explicuit,prout diſertiſsimè explicuit in commento Aphoriſmi vigeſimiquarti primi libri,in quo Hippocrates ipſe verbum nullum de turgentia fecerat? cùm ergo nec Galenus de turgentia quicquam protulerit, audacter aſſerendum eſt,de aliis morbis eos voluiſſe intelligere in prædicto Aphoriſmo 29. quàm de his,in quibus materia turget. hi autem ſunt,qui aut ex multitudine,aut praua humorum qualitate,aut in præcipua aliqua parte fiunt: conſentaneum nanque erat,poſtquam in his quoque verendum eſt,ne robur virium eis vigentibus diſſoluatur, febriſque caliditas augeatur, aut in aliqua parte principe decumbant redundantes ſucci,circa eorum morborum initia vacuandos eſſe. dico medicamento purgante,ſi morbus ex multitudine fiat aut propter ætatem, vel timiditatem,aut quiduis aliud,permittere ſe Medico ad ſanguinẽ vllo modo detrahendum nolit,aut valeat, præcepto Galeni quarto de Sanitate tuenda. & quinto eiuſdem: vel ſi exuperans quantitas fuerit,quæ purgatione auferenda ſit,cum nõ omnis venæ ſectione auferatur. eo nanque neglecto circa initia talium morborum quiſnam mentis compos non verebitur in eius morbi incremento, aut ſummo vigore,vel virium diſſolutionem,aut febris augmentum, vel in aliqua principe parte decubitum? Eadem quoque ratione ſi ex mala, ſeu praua qualitate humorum redundantium morbi gignantur,& circa eorum initia quis purgante medicamento non vtatur: paria, ac forte maiora pericula impendent, ex eáque citius robur virium diſſoluetur,ſpiritus quidem primo, & humores: ſecundo loco pinguedinem,& carnes: tertio ſolida membra corrumpendo. & propterea Galenus nono methodi medendi,quod corruptum eſt,cum id alienum à natura ſit: mox auferendum eſſe præcipit. & libro quarto de Sanitate tuenda, aſſerit,Quod igitur omnino alienum eſt,nulla fieri ratione poteſt,vt id naturæ ſuæ gratiam recipiat: ſed educere id quamprimum eſt tentandum. Idem efficiet, ſi abſque nimia multitudine, aut praua qualitate aliquis ſuccus circa quampiam principem partem,aut in earum aliqua decumbat. quòd, ſi hæc tria, aut duo ſimul hominem infeſtarent: purgationem circa initia præcipere quis vereatur? & propterea in horum morborum initiis purgante medicamento (licet materia non turgeat) vtendum eſſe cenſeo: velut in eis, in quibus turget,cùm eadem pericula impendeant,aut fortè in eorum aliquo longè maiora,& citius expectanda ſint. quæ omnia inſpiciens Hippocrates in Aphoriſmo vigeſimonono ſuperius allegato,purgationes circa initia præcipere voluit, ſimulatque Galenus in eius commento: nam de turgentibus & prius loquuti erant & poſterius mentionem facere debebant, Aphoriſmo videlicet decimo quarti libri. Ad hæc, ſi de morbis,in quibus materia turget,tantùm aphoriſmus ipſe intelligatur,ipſiuſque Hippocratis,ac Galeni mens eſſet,in hiſce morbis tantùm vtiliter purgare circa eorum initia præcipere,purgantia vtique aſſereret Hippocrates. nanque ſecundo de Ratione victus in morbis acutis decretum reliquit, In pleuritide, cùm ſub ſepto tranſuerſo partes dolor infeſtat: ventrem vel nigro veratro, vel peplio mollire: cum hæc dolorem ſedant. Sedant quoque & alia, quæ expurgant medicamentã.At nemini dubium eſt, cùm Hippocrates pro pleuritidis cura ad venæ ſectionem,ſeu purgationem deuenit: prius fomentis vſum fuiſſe pro materiæ eius in habitũ digeſtione: quibus ſi dolor non diminuatur, non propter aliud id effici Galenus declarauit in Commentario primi textus eiuſdem ſecundi libri de Ratione victus in morbis acutis,niſi propter humorum redundantiam, quæ

cap. 4

cap. ult.

cap.10

cap. 3

tex.11

in toto corpore eſt.& propterea corpus totum inſigni aliqua euacuatione præ-
uacuandum eſt. quæ in morbis acutis, vt ipſe aſſerit, aut per ventrem, aut per
venę ſectionem fit. Ex quibus tum Hippocratis, tum Galeni verbis liquet in acu-
tis morbis ex multitudine dependentibus, abſque hoc quòd materia turgeat, cir-
ca initia debere vti purgante medicamento, cùm timor adſit eorum quæ ſuprà
retulimus: velut de pleuritide, in qua materia non turget, ſed ex multitudine,
ſeu humorum redundantia gignitur, Hippocrates ipſe decretum reliquit. At
dicet quiſpiam, propterea Hippocratem purgationem præcipere: nam & in
ipſa pleuritide materia turgens eſt. cui reſponſum volo longè hoc ab Hippocra-
cap.3 tis, Galeniq́ue mente abeſſe, ac à veritate: nam humores turgere Galenus appel-
lat octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos eos, qui non-
dum firmam aliquam inclinationem, ac ſtationem ad vnam partem habeant.&
libro, Quos purgare conuenit, quibus medicamentis, & quando, ait: Tunc hu-
mores turgere, ac concitatos eſſe, cùm motu vehementi agitantur, ac ab vno lo-
co in alium confluentes hominem vexant, doloréſque ac titillationem afferen-
do, ægrum quieſcere non permittunt. quod quidem ſecus eſſe in pleuritide, quis
inquam non lucidè inſpiciat? eſt enim ea inflammatio ſuccingentis membranæ,
in qua humor decumbit incluſus in vno locó, ac circunſcriptus, non transfluens,
cap.5 veluti in inguinum inflammatione Galenus aſſeruit libro primo de Differentiis
cap.1 febrium, & ſecundo de Arte curatiua ad Glauconem circa principium, inflam-
mationem fieri dixit ſanguine ad particulam aliquam vniuerſim fluente, atque
ob multitudinē ibi conculcato. qua de re nemo audebit humores in aliqua cor-
poris parte firmatos, conculcatos, ac præter naturam detentos; cùm ex eis ali-
qua determinata pars afficitur, aſſerere, quòd turgeant: quinimmo ipſis turgen-
tibus de facto pugnant. Et ſi aphoriſmo vigeſimoquarto primi libri raro iuſſe-
rit in principiis acutorum morborum medicinis purgantibus vti, non propter
aliud eſt, vt Galenus in eius commento declarauit, niſi quòd omnia id generis
medicamenta ſunt potentia calida, febrémque augent. At noſtris temporibus
nonnulla eius generis reperiuntur, & remiſsè calida, & frigida, quæ febrem au-
gere non valent, ac ab Hippocrate, ſi ſuperſtes eſſet; minime damnarentur. &
propterea, cum tale non afferant nocumentum in febribus, vitanda non ſunt, vbi
eis vti oportet. Sunt præterea corpora adeò ingluuioſa, ac eò mala victus ratio-
ne hiſce temporibus vtuntur homines: vt, ſi eos circa initia acutorum morbo-
rum, qui ex multitudine, ſeu praua qualitate, aut in aliqua præcipua parte fiant,
non purgabis, verendum ſit, vt diximus, ne eorum vires vi morbi diſſoluantur,
aut in aliqua parte principe, qui in eorum corporibus redundant ſucci, præci-
puè ſi vitioſi fuerint, protinus decumbant. Præterea idem Galenus in peſtilenti
aëris ſtatu corpora, in quibus ſuperfluitates redundabant, ſanabat purgationi-
cap.4 bus, nulla quidem concoctione præcedente, vt ipſe teſtatur primo de differen-
cap.12 tiis febrium. & quinto methodi medendi aſſeruit, ex peſtilentia propterea fuiſ-
ſe quoſdam facile ſanatos, quòd præexiccatum his, repurgatúmque totum cor-
pus fuerit; quippe cum & vomuerint ex his nonnulli, & omnibus venter pro-
fluxerit. Qua de re non verendum eſt in eorundem morborum initiis vten-
dum eſſe medicamento purgante, præcipuè cum valde periculoſi ſint, atque ad-
modum mortiferi: & ni taliter eis circa initia ſuccurratur; natura prorſus ſuc-
cumbet prout optimè Galenus declarauit in commento 13. aphoriſmi ſecundi
libri. Vtendum eſt ergo medicamento purgante in aliorum morborum initiis,
in quibus, etſi materia non turgeat; aut multitudo, aut mala qualitas manifeſta,
ſeu occulta, vt in nōnullis putridis febribus, eſt: aut circa aliquod princeps mem-
brum decumbit, prout Hippocratis, & Galeni auctoritatibus optimè, ac non-
nullis rationibus ſuperius demonſtrauimus. Et, ſi licet illud experientia com-
probare, ipſe, qui ſexdecim ferè annos medendis ægris vacaui, adeò nullum ex
huiuſmodi purgationibus in prædictis morbis, ſi quid aliud non prohibuit, in-
commodum reperi, quòd maximum perpetuò commodum eis comparaui, præ-

cipuè in putridis, ac malignis febribus: quæ ſaltem citra inflammationem ex putredine ortum habent. Nec minus illud expertus ſum in maximis doloribus, nulla concoctione præcedente; præcipuè ventriculi & inteſtinorum, adhibito prius diligenti examine; quòd purgatione, & non ſanguinis miſsione indigebant, purgans propinando medicamentum: etſi eius materia minimè turgeret. ex quo maximam perpetuò vtilitatem ægro adeptus ſum: inſtructus ſiquidem à Galeno in commento 23. Aphoriſmi primi libri. At, quoniam in morborum initiis purgantia medicamenta adhibenda eſſe diximus: non de momentaneis, & abſque latitudine eorum initiis intelligendum eſſe velim. ſed de eis intelligendum eſt, quæ partes ſunt totius morbi, præfiniunturque à manifeſtis ac perfectis ſignis concoctionis, de quibus Hippocrat. intellexit Aphoriſmo vigeſimonono ſecundi libri, prout Galenus diſerte expoſuit libello de Totius morbi temporibus. vel de principio intelligendum eſt, vt Gale. intellexit in Commento Aphoriſ. vigeſimiquarti primi libri, vt ſe extendit ad primum, vel ſecundũ diem. Illud quoque vel me tacente vos percipere velim, cùm hìc de purgante medicamento mentionem fecimus, de eo, quod per aluum, ſeu inferiorem ventrem, & non per alias corporis partes, quocunque modo redundantia excrementa purgat, intelligendum eſt: quod quidem quid ſit, ſuprà definitum eſt. Reſtat modò cùm ad auctoritates, quibus iuniores iſti Medici ſuam hæreſin tueri conantur reſpondere: tum eorum rationes diluere. *cap. 2*

Prima, quam in medium afferunt auctoritatem, Hippocratis eſt libro de Medicamentorum facultatibus: vbi habet, quòd his, qui validis, ac magnis febribus corripiuntur, medicamenta purgantia danda non ſunt. Cui reſponſum ſit me nunquam præcipere ea medicamenta purgatoria in morborum initiis, quæ vſu erant tempore Hippocratis. erant nanque ea valde calida, & propterea non tantùm in magnis febribus, verùm & æſtiuo tempore ſub cane, & ante canem ab Hippocrate erant interdicta: nam in febribus, præcipuè magnis, neceſſum erat ab ignea eorum caliditate eas augeri, velut æſtiuo tempore naturam ab hiſce medicamẽtis purgantibus adeo lædi, vt non valeret eorum acritudinem ferre, vt dilucidè Galenus declarauit in commento vigeſimiquarti Aphoriſmi primi libri, & quinti quarti libri. Verùm ea approbo, quæ adeo remiſsè ſunt calida, aut frigida, &, ſi calida ſint, adeo à frigidis & cum frigidis ſunt quodammodo alterata & permixta, vt febris caliditatem augere non valeant. huiuſmodi autem generis ſunt manna, caſsia fiſtula, tamarindi, ſuccus roſarum, vel violarum, aut aqua in qua ea diluta, ſeu infuſa fuerint: myrobalanorum nonnulla genera, rhabarbarum in aliqua frigida aqua infuſum ac cum prædictorum aliquo permixtum. Quo quidem (licet ab aliquibus valde improbetur) perpetuò ipſe in morborum initiis, in quibus oportet, præcipuè in putridis ac malignis febribus, vtendum cenſeo, ac conſulo; eſt enim purgans abſque violentia, cuiuſlibet magni exceſſus expers, niſi quòd calidum eſt, & ſiccum: at mixtione & infuſione aliorum infrigidantium id corrigitur adeo, vt ab eo febris non augeatur. ab eoque præter purgationem illud habetur, quòd nec ventriculo, aut alicui alij principi membro nocumentum aliquod comparatur, prout à quibuſdam deſcribitur, ac experientia compertum eſt; quin potius prædictæ partes ab eo roborantur ſua adſtringendi vi, qua pollet: nec eius purgandi vis ex infrigidantium mixtione labefactatur, aut imbecillior redditur, vt quidam malè ſentiunt: nam à tota ſubſtantia, & non quia calidum, purgat, velut nonnulla alia medicamenta purgantia. Inſuper & triſera eſt, quam perſicam nominamus, ac ipſum diacatholicon inter compoſita pharmaca. hæc ſunt ea purgantia medicamenta, quæ aut frigida ſunt, aut modicè calida, præſertim ſi cum frigidis miſceantur: quibus, cùm febris ipſa non augeatur, vbi oportet, in morborum initiis ſalubriter purgare præcipimus. nec Hippocrates ipſe, ſi nouiſſet, ea damnaſſet vtique, cum ex eis febris, vt diximus, non augeatur, maximumque ægris paretur commodum. nam ſi Hippocrates, & Galenus ſua tempeſtate in quorundam initiis morb- *uerſus finem.*

tiis morb-

tiis morborum acutorum purgantia medicamenta, quæ calida & acria ſunt, propinabant, non verentes, quod febribus comparabatur, detrimentum pro maiori vtilitate percipienda ex humorum videlicet noxiorum euacuatione, quantò magis, quæ ſupra notauimus, cùm tali periculo vacent, non prohibuiſſent: immò ſæpius vti iuſsiſſent?

tex. 43 Secunda Hippocratis auctoritas eſt quarto de ratione victus in morbis acutis, quæ talis eſt: Quibus principio vrinæ & nebuloſæ & craſſæ exiſtunt, hos, annuentibus cæteris, purgare conuenit. quòd, ſi vrinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis. at, ſi videatur, clyſterem exhibebis. Cui reſponſum volo primò Hippocratem his verbis velle, cum vrinæ tenues fuerint, inter initia, ſi quid aliud non vrgeat, ac concoctio in futurum expectabitur, tales non purgari: nec ego contrarium ſentio. at, ſi multitudo, mala qualitas, vel locus inſtet, hos purgare conſulo; nam ex noxiorum humorum euacuatione maior fiet vtilitas, quàm id, quod poſsit ex purgante medicamento ſequi, detrimentum: de quibus morbis nequaquam Hippocrates ibi intelligere voluit. Ad hæc eo loco per morborum initia, noluit intelligere de eis quæ totius morbi ſunt pars vna, quæque præfiniuntur à manifeſtis ac perfectis indiciis concoctionis. hoc autem eius verba oſtendunt, cum dicat: Quibus principio vrinæ & nebuloſæ & craſſæ exiſtũt: per quas vrinas, eas Galenus intelligit, quæ albas habent nebulas, quæ concoctionis notæ exiſtunt. hæ autem concoctionis notæ, ſeu albæ nebulæ in morborum principiis apparere non poſſunt, ſumpto principio prout vnum eſt de quatuor morbi temporibus, vt patet Galeno tum in commento duodecimi aphoriſmi primi libri, tum libro primo de criſibus. pariter in commento vigeſimiſecundi aphoriſmi quarti libri circa finem aſſerit, ſemper in morbi principio eſſe ſigna cruditatis: ſed per principium primos dies ægritudinis intelligere voluit, quos primus præfinit quaternarius. quòd autem principiũ poſsit hoc modo ſumi, patet Galeno libro primo de criſibus. Iubet ergo Hippocrates in primis morbi diebus eos purgari debere, quibus vrinæ & nebuloſæ & craſſæ exiſtunt: tanquàm tranſacto vniuerſali principio, ac concoctione præcedente. quibus autem circa primos dies tenues fuerint vrinæ, tanquàm ſummè crudo exiſtente morbo, iubet non purgare: ſed concoctionem expectare, eorumq́; corpora quieti permittere, vngere, & æqualiter contegere, quò poſsit natura facilius concoquere. Immo hæc ſententia atteſtatur ſententiæ ſecundæ partis aphoriſmi 29. ſecundi libri dicentis: Cum verò conſiſtunt, ac vigent, melius eſt quietem habere. quo enim tempore natura concoquit, aut vacare concoctioni debet, ſuperfluum eſt euacuare: immo concoctioni vacare debemus, & poſt concoctionem euacuare, ſi à natura non iudicentur, aut iudicata fuerint integrè, quæ concocta ſunt. Etſi cruditatis indicia in morborum initiis apparere poſsint, immo perpetuo appareant, vt ſuperius diximus, tamen Hippocrates in textu præallegato quarti de Ratione victus in morbis acutis, de principio non loquitur, vt eſt vnum de quatuor morbi temporibus: aliàs, cum ipſe aſſerat quibus principio vrinæ & nebuloſæ & craſſæ exiſtunt, &c. falſum eſſet, quod Galenus aſſerit ſemper, in morbi principio eſſe ſigna cruditatis: & quòd perfecti principij manifeſtum & firmum eſt ſignum coctio manifeſta, vt patet apud eum libro primo de Criſibus. Nec conſonum eſt in vno eodémque textu nos inſtruentem quando purgare conueniat, & quando non, diuerſa ratione de principio loquutum fuiſſe. At, vt ego ſentio, talem Hippocrates voluit proferre ſententiam, In quibus circa initia, hoc eſt, primos morbi dies, tranſacto tamen vniuerſali principio, vrinæ craſſæ & nebuloſæ exiſtunt, (quoniam concoctionis notæ ſunt) cæteris annuentibus, purgans medicamentum propinandum eſt. quibus verò circa primos morbi dies vrinæ fuerint tenues, quia cruditatem ſummam indicant, hi purgandi non ſunt, ſed quieti permittendi, &c. hoc eſt, naturæ pro morbi concoctione auxiliandum eſt, ſi eum concoqui poſſe ſperabis. ita quòd Hippocrates velit interdicere purgationes in primis diebus eius ægritudinis,

cap. 17. & 19

cap. 19

eod. cap.

dius,in qua ſumma ineſt cruditas: cùm ſi eo tempore, quo natura vacare concoctioni debeat, purgans adhibebis medicamentum, præcipuè ſi ſummè crudus ſit morbus,præter id quòd ab eo æger non iuuabitur, maximo erit impedimento: nempe corpus vehementer mouens,ac humores agitans, concoctionem impedit. at,ſi adiuuanda erit natura aliquibus externis auxiliis, ea eſſe debent quæ coctioni opitulantur. & hoc modo Hippocr. auctoritas erit extra propoſitum.Vel,ſi fortè eius auctoritas de principio vniuerſali morborum eſſet intelligenda,quod expreſsè negamus; dicendum erit,Hippocratem prohibere purgationem,quibus inter initia morborum vrinæ fuerint tenues, hoc eſt, in quibus ſumma ineſt cruditas. & hoc modo illud exponit Galenus in commento ſequentis textus,in quibus morbis neque ipſe in morborum principiis purgans medicamentum exhiberem.Fiunt nanque hi ex craſsis, frigidis, ac lentis humoribus: quales ſunt ſuapte natura pituita, & nigra bilis, in quibus ſemper oportet coctionem expectare, velut tenues ſi fuerint, & aquoſi, inter initia euacuandi ſunt,decreto Galeni libro, Quos purgare conueniat,&c.etſi ſuprà retulimus hos quoque concoquendos,ac præparandos quodammodo eſſe, cùm in aliqua parte fuerint firmati, illud profectò intelligendum erit,vbi ipſa natura valeat eos concoquere,ac euincere: ſecus autem vbi non valeat. com. 44

Tertia Hippocratis auctoritas eſt quarto de ratione victus in morbis acutis, quæ talis eſt: Quicunque autem ea,quæ inflammantur, ſtatim morborum inter initia medicamento ſoluere conantur, hi non ſolùm ab intenſa, inflammataque parte nihil adimunt,cum non cedat,obſequaturque, quæ adhuc cruda eſt affectio,verùm quoque & quæ morbo aduerſa,& ſana ſunt, abſumunt, contabefaciuntque: ductoque ad imbecillitatem corpore morbus ſuperior euadit: qui,vbi morbus vicerit,remedium non habet. Cui auctoritati,ſi quiſpiam Hippocratis, & Galeni verba in eodem textu, ac præcedenti inſpiciat, facilimè reſpondere valet. Nam, cum Hippocrates in præcedenti textu catalogum conſcripſiſſet omnium præter naturã affectuum,pro quorum curatione,ſanguinis miſsione, ac purgatione indigebant, venæque ſectio purganti medicamento erat præferenda: ſanxiſſetque poſt ſanguinis miſsionem purgans medicamentum porrigendum eſſe, mox in præallegato textu ſubdit, Quòd, ſi quis relicta venæ ſectione, purgatione inter initia eorum morborum vtatur, ea incommoda, quæ ipſe narrat,neceſſariò expectabit. nam in his,priuſquam ſanguis mittatur, purgationes interdicere oportet, prout optimè Galen. in fine commenti illius textus declarat,hancque fuiſſe Hippocratis mentem in textu ſuperius dicto aſſerit. Hinc in expoſitione eiuſdem textus rectè ait, Ad ſanguinis miſsionem propius deuenire præcipit Hippocrates, vbi vitioſi aliqui humores in partem aliquam confluant,atque in ea aceruentur. demum concludens aſſerit, in tota dictione Hippocratem præcipere ad ſanguinis miſsionem eſſe veniendum,deinde ad medicamentum: aliàs prædicta incõmoda,quæ ab ipſo enarrantur, abſque dubio ægris euenient.Erit ergo hæc Hippocratis auctoritas extra chorum, cùm nos purgationes inter initia non his morbis adhibendas eſſe, quibus præferenda eſt venæ ſectio,ea neglecta,præcipimus: ſed eis,quibus aut tantùm purgatio confert, aut, ſi vtrunque auxilium competit,ipſa venæ ſectio prius fuerit exhibita. non enim nos præterit Hippocratem hoc loco, ac Galenum ſexto de morbis vulgaribus præcipere,quòd ſi vtroque auxilio quiſpiam indigeat,à venæ ſectione incipiendum ſit,idque notiſsimum eſſe retulit.Quòd autem hæc fuerit mens Hippocratis, licet ex Galeni verbis in eiuſdem textus expoſitione admodum liqueat, ſi quis tamen rectè inſpexerit eiuſdem Hippocratis verba libro ſecundo eiuſdem de Ratione victus in morbis acutis,facile percipere valet: nam pugnantia vtique aſſereret, ſi hic voluiſſet in cunctis inflammationibus inter initia medicamenta interdicere, cum ipſemet dolore partes ſub ſepto tranſuerſo infeſtante in pleuritide circa initia purgationem, & non venæ ſectionem præcipiat, eodem loco ſecundi de Ratione victus in morbis acutis. At,ſi pleuritis ipſa inflam- tex. 22 Sec.1.cõ.6 tex. 22 tex.11

matio eſt ſuccingentis membranæ, cui venerit in dubium Hippocratem vno loco in inflammationem initiis purgantia medicamenta damnare, & alio loco tanquàm vtilia præcipere, & ita pugnantia aſſerere? Quòd, ſi ſimpliciter de cunctis inflammationibus Hippocrates ſermonem protuliſſet,damnaſſetque in earum initiis purgantia medicamenta, (quod tamen pro falſo habemus) quiſnam negaret in eorum morborũ initiis,qui aut à multitudine, aut à mala qualitate dependent, eorumque cauſa in aliquo loco citra phlegmonem aceruata ac firmata,& præſertim in quibuſdam putridis ac malignis febribus, purgationes ipſas,cùm ex eis ea pericula,quæ in inflammationibus ab Hippocrate narrantur, non immineant: cauſa ipſa non adeò valenter incluſa,ac circunſcripta,vt purgationibus omnino non aſſequatur, velut in inflammationibus tenaciter non detinetur: de quibus Hippocratis ſermo tantùm ibi eſt,videlicet de inflammationibus ipſis? quòd autem putridus humor in vna quapiam parte citra phlegmonem contineri poſsit,ac veluti in foco quodam principium febris eſſe, patet Galeno libro 11. Methodi medendi.

cap. 4 Ad quartam Hippocratis auctoritatem, quam in medium afferũt,& eſt aphoriſmus vigeſimus ſecundus primi libri,Concocta videlicet medicari,&c. ex his, quæ ſupra retulimus,facilis eſt reſponſio. nam, licet Hippocrates in ea ſententia purgationem præcipiat in initiis morborum in quibus materia turget, tanquàm in his,in quibus præcipuè exhibenda ſit: non tamen negat in initiis aliorum quoque morborum,in quibus Medico mouere videtur,ſeu purgare, purgatione vti. in quibus etſi materia non turgeat,ſuperari tamen, ac euinci ab ipſa natura non valet: immo ni Medicus ei circa initia opem ferat, prorſus ſuperabitur, vt patet Aphoriſmo vigeſimonono ſecundi libri. nec dictæ ſententiæ ſibi ipſis aduerſantur,immo ambæ veritatem obtinent. nam eadem ratione,vt diximus, qua turgens materia in morborum initiis euacuanda eſt, in quibuſdam aliis morbis, in quibus eadem pericula impendent,verificari debet: in his videlicet, quos ſupra narrauimus,de quibus voluit quoque Hippocrates ipſe ſententiam ferre eodem Aphoriſmo vigeſimonono ſecundi libri: cùm ibi de turgentia verbum nullum nec Hippocrates,nec Galenus in cõmento faciat. non ſunt ergo dictæ ſententiæ vna,nec ſibi inuicem aduerſantur. quare ambæ ſempiternæ veritatis. Parẽ ſimilitudinem quoque in Hippocrat. Aphoriſmis eſt inuenire.nam in eodem Aphoriſmo vigeſimoſecundo primi,Concocta medicari præcipit:at Aphoriſmo nono ſecundi libri iubet, vbi quiſpiam corpora purgare voluerit, ea prius præparanda eſſe. non eſt idem concoctio,& præparatio, non ſibi ipſis Aphoriſmi iſti aduerſantur. quare ambæ ſententiæ veræ ſunt. Ad hæc non eſt dicendum, Hippocratem, prædicto Aphoriſmo vigeſimo ſecundo primi libri, quæ fieri non valent, præcipere.Cùm ergo nec in morbis,qui à multitudine fiunt,nec in his,qui à mala,ſeu praua qualitate dependent, aut in valde periculoſis locis gignuntur, natura ipſa eorum cauſas concoquere valeat,ni prius ab ea,qua premitur, velut ſarcina quadam, purgante medicamento leuetur,quin potius ſuccumbet, nec prorſus eoſdem morbos ſuperare valebit: conſonum eſt in eiſdem morbis Aphoriſmum veritatem non habere,cùm dixit,Concocta medicari: nec de eiſdem morbis Hippocratem voluiſſe proferre ſententiam,ſed tantùm de his, quorum materia à natura ipſa concoqui ac euinci poſsit.

cap. 5 Inſuper quandam afferunt Galeni auctoritatem quarto de Sanitate tuenda. quæ incipit,At ſi in eodem homine reliqua eadem ſint,cæterùm in lapſo corpore ſanguis bonus exiguus ſit, crudi humores plurimi: huic nec ſanguis mittendus,nec alui deiectio,&c. Cui reſponſum volo, primò Galenum eo loco non de morborum curatione,ſed ſpontanearum laſsitudinum loqui, in quibus corpora nondum ſenſibiliter læſa ſunt,nec à ſolitis muniis impedita: nos autem perpetuò de ipſorum morborum curatione verba facimus. Secundò quis non percipiat, eam auctoritatem extra propoſitum eſſe,cùm Galen. ſupponat in eodem homine ſanguinem bonum exiguum eſſe,crudóſque humores plurimos? quo caſu nec

ipſe

ipſe ſanguinem mittere, aut purgare auderem: immo præcepto eiuſdem, libro duodecimo Methodi medendi, in crudorum humorum copia præcipuè cum oris ventris offenſione, nec ſanguinis miſsionem, nec purgationem præciperem, cùm eas non ſuſtineant, nec ferant. tertiò quis adeo imbecillis erit ingenij, vt non percipiat Galenum per crudos humores plurimos, pituitoſos voluiſſe intelligere: cùm paulò ſuperius dixiſſet, vno vocabulo appellare licere, vel crudum ſuccum, vel pituitam, quæ ex nondum perfecto ſanguine gignitur? eiuſq; innumeræ ſunt particulares differentiæ, vt ipſe tetulit. Cùm ergo multa copia crudorum humorũ, hoc eſt, pituitoſorum in aliquo reperiatur corpore, ſanguiſque in eo bonus, ac exiguus ſit, nulli in dubium veniet nec ſanguinem mittendum eſſe, nec aluum deiiciendam. at, ſi tenues & bilioſi fuerint, inter initia euacuandi ſunt, eiuſdem Galeni præcepto, libro, Quos purgare oportet, &c. præcipuè ſi eorum multitudine, aut praua qualitate, concoqui ac euinci ab ipſa natura non valeant. cap. 3

Alia auctoritas eſt Galeni eodem libro, Quos purgare conuenit, quæ talis eſt; Qui verò humores aliqua parte corporis conſederunt, neque vllo alio auxilio, neque medicamento prius mouendi ſunt, quàm concocti fuerint. cui breuiter dicamus verum eſſe, quod Galenus præcipit, ſi humores, qui in aliqua parte fixi ſunt, craſsi, frigidi, ac viſcidi fuerint: non autem, ſi tenues, & bilioſi eorum multitudine, ſeu mala qualitate, aut vtroque modo infeſtantes, qui verè crudi appellari non poſſunt, velut nec propriè cocti, cùm à natura non fuerint euicti. Vel clarius dicendum eſt, Galeni ſententiam veram eſſe, cùm Medicus certò ſcit naturam eos ſuccos, qui in aliqua parte fixi ſunt ac conſederunt, poſſe & valere concoquere, ſeu euincere: hi enim neque vllo alio auxilio, neque medicamento prius mouendi ſunt, quàm concocti fuerint, ſegregati, ac præparati, vt ſuprà, cùm de digeſtione, concoctione, & præparatione verba fecimus, oſtenſum eſt. At, ſi percipiat artificioſa quadam coniectura naturam ipſam prius ſuccumbere, quàm eos ſuccos concoquere poſsit, nullus equidem verebitur eos in morborum principio purgare, Hippocratis oraculo inſtructus, Cùm morbi inchoant, ſi quid videtur mouendum, moue. tales etenim purgationes non tantùm, vt iſti aſſerunt, concoctionem non impediunt, immo ipſi opitulantur ex Galeni mente in commento prædicti aphoriſmi vigeſimiquarti ſecundi libri. &, ſi naturam eo tempore non admodum euacuationi adiutricem habemus, maius tamen ex hiſce purgationibus, quibus, & quando oportet, noxiorum humorum euacuatione ægris cõmodum comparatur, (cùm ex hoc mortem euitemus) quàm incommodum ex aliquorum fortè bonorum ſuccorum ſimul eductione. etſi Galenus libro primo de arte curatiua ad Glauconem in exquiſitæ tertianæ febris curatione parum purgantia medicamenta probaret, licet & hæc quoque probet, non propterea dicendum erit, purgationes eas nõ eſſe probandas in prædictorum à nobis morborum aliquo: hæc etenim febris ad ſummum in ſeptẽ periodis præfiniri ſolet: cauſamque eius natura ipſa, præſertim ſi à Medico parum fuerit adiuta, facilè & concoquere, & ſeparare, ac expellere poteſt. quorum neutrum perficere valet in prædictis morbis, ſi ea, circa eorum initia, cum oportet, purgante medicamento non exoneretur. At mox obiiciunt dicentes, ſi non tantùm in morbis, in quibus materia turget, verùm & in his, qui ex multitudine, aut mala qualitate, aut in loco aliquo ſatis periculoſo fiunt, vtendum ſit circa initia medicinis purgãtibus: nõ raro, vt Hippocrates præcipit aphoriſmo vigeſimoquarto primi libri, ſed crebro eis vti deberemus, cùm ſæpiſsime hi morbi gignantur. Dicimus nos raro, immo quàm rariſsimè in principiis morborum acutorum eis medicamentis purgantibus vti debere, quæ tempore Hippocr. in vſu erant: cùm ea valde calida exiſtentia, propterea febrem augerent. hanc enim cauſam reddit Galenus in cõmento prædicti Aphoriſmi, cur rarò vtendum ſit in principiis acutorum morborum medicamentis purgantibus. At, ſi talia reperiantur, vt, præter id quòd febrem non augeant, fœliciter purgarent: vt ſunt nonnulla noſtris temporibus approbata ac experta, de quibus ſuprà mẽtionem fecimus: neſcio cur eis vtendum cap. 9.

non ſit in his acutis morbis,quos ſuprà narrauimus ; cùm tale nocumentum non inferunt. vana eſt ergo hæc eorum ratio.

Alia ratio eſt, quod medicamentum materiam diminuens,cùm imbecille admodum ſit,atque adeo crudis humoribus,ac copioſis exiſtentibus , eis præualere non poſsit : alias à debiliori in fortius fieret actio , quod naturæ impoſsibile eſt, ideóque illos tantùm mouet,& non educit. Cui dicendum erit nos non adeò imbecille medicamētum purgans in morborum initus probare,vt aduerſus copioſos humores præualere nō poſsit: verùm adeò valens ſit,vt humoribus ipſis præualere poſsit,ac eorum partem aliquam purgare. nec adeo crudis ac copioſis ſuccis exiſtentibus illud præcipimus,cùm hi,vt diximus perpetuò,prius concoquendi,& præparandi,ac demum purgandi ſunt : verùm in his crudis ac copioſis humoribus inter initia illa probamus,qui nō verè crudi , ſed nondum cocti ab ipſa natura ſunt,& impropriè crudi appellari merentur:vt eſt ipſa flaua,ſeu pallida bilis.nec dicendū erit aduerſus eos quoque,ſi copioſi ſint, medicamētum præualere non poſſe.nam,vt aſſeruimus, licet hoc medicamentū minoratiuum ac diminuens eſſe debeat : tamen artificioſa quadam cōiectura tanta quantitas adhibenda erit,quanta poſsit aduerſus eos humores præualere , ac eorum partē aliquam educere,eam videlicet quam promptius & expeditius educere valet : cùm non æqualiter,nec eodem tempore in totam redundātis humoris molem agat. quod quidem medicamentum materiam diminuens,vtero gerentibus , ſi febre corripiantur ex vitioſis ſuccis, Galenus in Cōmento aphoriſmi 55. libri 5. approbare cuique liquet.Inſuper medicamentum ipſum purgans efficacius ac valentius eſt, vt trahat,quàm trahatur.aptiora enim,ac ad hoc efficaciora ſunt purgantia cap.25 medicamenta,auctoritate Galeni 3.de Simplicium medicamentorum facultatibus. &,cum ait,eſſe impoſsibile , vt à debiliori in fortius fiat actio, miror equidem cap. 8 tantum virum , cum Galenus 3.de Simplicium medicamentorum facultatibus velit,quòd minus calidum a magis calido calidius euadat , & quòd magis cap.4 calidum a minus calido contrà afficiatur.& libro 3.de Temperamentis , ait acutiſsimum ferrum manifeſte obtuſius fieri, ſi toto die ac nocte molliſsimam ceram incidas : vt quod patiatur ab ipſa cera. agit igitur id quod debilius eſt in id quod fortius,Galeno auctore in prædictis locis.

Alia eorum ratio eſt , quòd ſi,cùm crudi adhuc ſunt humores,eos purgatione dimouere tentes : nihil auxilij à natura expectes : cùm ipſa poſt concoctionē ſecernat,ac poſt ſecretionem excernat,vt patet Galeno in commento Aphoriſmi vigeſimiſecundi primi & quarti libri. Cui rationi ex prædictis reſponſio patet: nam,licet parum admodum ipſam naturam adminiculantem habeamus , cum non niſi irritata à purgante medicamento auxilietur : tamen ex horum humorum purgatione in prædictis morbis,vbi oportet , maius ſequitur commodum, cum mortem euitemus, (quæ quidem ea neglecta euitari non poſſet) quam incommodum : quia à natura parum , aut nihil auxilietur,ſeu quia quorundam fortè bonorum humorum ſimul cum eis eductio fiat.

Inſuper aſſerunt aliam noxam ad huiuſmodi purgationes neceſſariò ſequi: cum iudicationes,cōcoctionéſque ab eis impediantur,cæteraque naturæ auxilia tollantur : illúdque probare tentant auctoritate Hippocr. quarto de Ratione tex.44 victus in morbis acutis.Cui pariter ex prędictis liquet reſponſio : nam eo tempore purgationes iudicia ac concoctiones perturbant , quo natura ipſa maximè concoctioni vacat,ac iudicia tentat. at,cum in initiis morborum nec iudicia,nec perfectæ concoctiones ab ipſa natura fiant, ea a purgantibus medicamentis perturbari,ac impediri non poſſunt : quinimo valde opitulantur,dicente Gale. in commento Aphoriſmi vigeſiminoni ſecundi libri : vt concoctiones citius eueniant, melius eſt circa principia euacuare ; quo minorem iam factam materiam facilius poſsit natura concoquere. morbo autem conſiſtente,cum iam natura concoquit, ſuperfluum eſt euacuare. qua de re valde abſurdum eſt,ac Galeni dictis maximè pugnat , dicere purgationes in morborum initiis,cùm Medico videtur, coctiones,ac

comment. 44

nes,ac iudicationes impedire: & ſi Galen.in commento præallegati textus quarti de Ratione victus in morbis acutis dicat, Purgationes contrarias exiſtere coctioni humorum,intelligendum eſt,ſi propinentur eo tempore,quo natura maximè concoctioni vacat.id autem eſt tranſacto vniuerſali principio: nam eo tempore ab his motionibus,quæ à pharmaco fiunt, ceſſare debemus, præſertim in ſummo vigore:cùm corpus vehementer mouentes frangant,exemplo aſſumpti atque deuorati in ventrem alimenti.quod vt optimè concoquatur, à cæteris motionibus ceſſare corpus debet,vt ſoli concoctioni vacet:&,ſi imbecillis fuerit facultas concoquendi,eo tempore aliquo externo auxilio iuuanda eſt, vt Galenus eodem loco præcipit.Vel dictum Gal.veritatem habet in morbis,in quibus ſumma ineſt cruditas,vt ipſe exponit in commento præallegati textus:in quibus nec ipſi,niſi poſt cõcoctionem ac præparationem,purgationem probamus:cum fiant hi ex frigidis,craſsis,ac lentis humoribus,vt diximus. At, ſi quis aliter eius dicta exponere tentabit,cùm in cõmento Aphoriſmi vigeſiminoni ſecundi libri contrarium ſentiat,in eius dictis pugnantiam ſoluat Apollo: quanquam Gale. dicta aliter intelligere, ſeu exponere deprauati ſenſus ac intellectus ſit.

Loco citato:

Aliam quandam rationem in medium afferunt,quę talis eſt,Si in initiis febriũ purgantia medicamentã exhibentur, aut febres ipſæ ſunt diutinæ, aut acutæ: ſi diutinæ,per concoctionem,aut per abſceſſum finiunt. quare non medicamentis purgantibus,præcipuè in initiis,curari debent.Si acutę,licet excretionibus finiãt, illud tamen multis modis eſſe poterit:aut ſanguinis è naribus fluore, aut ſudoribus,vel vomitibus:paucæ verò ſunt,quæ per ventris ſolutionem iudicantur. cum itaque rarò natura,in febribus & acutis aliis morbis,ventris deiectionem efficiat pro eorum curatione:rarò etiam hanc ipſam purgantibus medicamentis medicus procuret.qua de re noxiũ eſt febres ferè omnes alui deiectionibus perſanare velle.hæc ipſi. At nos facilimè reſpondemus, aſſerentes in principiis diutinarum febrium nunquam vti debere medicamentis purgantibus,vt ſæpius diximus. In acutis verò,in quibus aut multitudo,aut mala qualitas, vel locus inſtat, &ſi natura per alui excretionem eas non finire debeat,tamen vtendum eſſe medicamentis purgantibus:eò magis, ſi ſoluenda erit febris ipſa per alui deiectionem. nam, licet iudicium per alias corporis partes futurum ſit, vt illud celerius, ac promptius ab ipſa natura fiat eo tempore quo decet; optimum erit ipſam exonerare, illúdque non niſi in principiis. alleuata enim natura ipſa, valentius poterit per quancunque viam iudicia procurare:quæ tamen nunquàm in morborum initiis criticè procurat.Nec nos per hæc medicamenta purgantia omnino febres ipſas perfectè perſanare intendimus,ſed naturam ipſam,vt retulimus, per ea alleuare: quò magis poſsit,ac vehementius cauſam morbi aggredi, eámque ſuperare, ac per quamcunque regionem ſibi magis conuenientem euacuare. Impedirentur autem iudicationes ex alui deiectione per purgans medicamentum,ſi eo tempore, quo natura iudicat,propinaretur. abſit tamen, vt illud præcipiamus: ſcimus enim hoc Hippocr.ſententiis aduerſari Aphoriſmis 20,& 21.primi libri. procuramus autem præcipuè ventris deiectionem:cum hęc vniuerſalior ſit,ac expeditius in cunctis talibus,ſalubriúſque à nobis perfici queat.Quod verò de febre peſtilentiali aſſerũt,cauendum videlicet eſſe,ne per aluum medicus euacuet, quòd is motus naturæ inſtituto ex diametro pugnet, vtpote quæ venenatos humores non per aluum,ſed per cutem potius excernere ſtudet:quapropter medicus motum hunc per ea,quæ ſudorem eliciunt,adiuuabit, & non per alui deiectionem; eadem quidem via refellitur:nam,licet quo tempore natura in febre peſtilentiali per cutem excernere ſtudet,medicus per eandem viam adiuuare debet,illud tamen efficiendum erit eo tẽpore,quo natura criticè expellit.Illud autem eſſe non poterit ante ſecretionem,ac concoctionem.at neutrum iſtorum in earum initiis natura ipſa criticè perficere tentat,teſte Gale.in cõmen.22.aphoriſmi, quarti libri:vbi habet,Quod,quando aliquis incipit morbus,ſi quid excernitur, nihil tũc excernitur naturæ ratione,ſed ſunt omnia hæc caſus,præter naturam earũ, quæ

ſunt in corpore, diſpoſitionum. quo enim in tempore à cauſis morbum facientibus natura grauatur, adeſt autem cruditas humorum: tunc aliquid bene euacuari eſt impoſsibile. hæc ille. purgationes ergo in initiis febriũ peſtilentialiũ exhibitæ non tantùm naturæ opus non diſtrahunt, atque impediunt, immo eã ſummopere adiuuant: cùm nec ipſa eo tempore ad partes cutis expellat. &, ſi expellit, illud erit ſymptomatis ratione, & propterea purgationẽ non impediet: neque tunc per eam viã mutanda eſt, cùm in medicationibus talia educere oporteat, qualia ſponte prodeuntia vtilia: quæ verò contrariò modo prodeũt, cohibere oporteat, Hippoc. decreto, ſecundo Aphoriſ. quarti libri. Proinde in eis quoque febribus, in quibus criſis omnino ad partes cutis expectanda eſt, velut in his affectibus quos Medicorũ vulgus variolas, & morbillos appellat, circa initia, priuſquàm apparere cœperint, ſi admodum multa, vel vitioſa materia videatur, vt à natura ipſa ſuperari, ac euinci non poſsit, cunctis purgationi conſentientibus purgare medicamento audacter cenſeo eorum aliquo, quæ ſupra approbauimus; cùm ex eo non modò nullum ſequetur incõmodum, immo natura ipſa exonerata promptius & expeditius criſin aggredietur & perficiet. Sed ſtatim inſtabunt, ſi naturam in morborum initiis aliquid bene euacuare eſt impoſsibile, ergo & Medicũ. Huic autem reſponſum ſit, quòd, licet natura id eo tempore criticè nõ tentet: tamen, cùm Medicus ſit eius auxiliator: vt ea ſuo congruo tempore poſsit perfectè operari, in morborum initiis exonerare debet: illudque non niſi purgante medicamento. minorata enim materia, facilius ſuo tempore poterit ipſa natura & concoquere & expellere, in his videlicet morbis in quibus oportet.

Ex quibus, ſtudioſi iuuenes, liquet quanti ſint roboris & momenti auctoritates, rationéſue, quibus hi eruditiſsimi viri ſuam hæreſin tueri conãtur, in morborum videlicet initiis purgantia medicamenta non eſſe probanda, ni materia turgeat. patet inſuper, quàm perpetuæ veritatis exiſtat, ac quibus validiſsimis auctoritatibus & rationibus noſtra opinio firmata ſit, quòd ſcilicet non tantùm vtiliter in initiis morborũ, cùm materia turget, medicamentis purgantibus vtendum ſit, verùm & in quibuſdam, in quibus vel multitudo, vel mala qualitas, vel locus vrgeat: pariter & in maximis doloribus, præcipuè ventriculi & inteſtinorum, qui euacuatione per purgationem indigent, priuſquàm robur virium diſſoluatur. in multitudine ſiquidem, quòd ea purgante medicamento minoranda ſit, patet ex Galeni mente in cõmento Aphoriſmi 29. ſecundi libri. nec valet quicquam, cùm dicunt, de turgentia ibi Galenũ loqui, cùm de ea ne verbum quidem vnum proferat. idem & quarto methodi meden.
cap. 6 At mala qualitate vrgente, vt in peſtilentiis videre licet, quòd purgationibus vtendum ſit, patet Galeno 1. de Differentiis
cap. 4 febrium. vbi habet, At in quibus ſuperfluitates redundabant, hęc purgationibus
cap. 10 ſanabamus. & libro 9. methodi medendi talia profert verba, Si igitur cum viribus imbecillis corruptela incidit, vtique quod affectus remedium eſt, id cum virtutis cuſtodia pugnat. Siquidem affectus vacuandum eſſe præcipit, idque vel vena inciſa, vel purgatione. harum autem neutrã ferent imbecillæ vires. quoniam igitur in omnibus eiuſmodi repugnantiis incerta ſuccurrendi ratio eſt, aliàs inſanabilis omnino affectus relinquetur, aliàs ſpatio & ægrè, idque ſi magnum nactus ſit Medicum, ſanari poterit: oportet nanque, vbi indicationes ita ſibi ipſis aduerſantur, & paulatim, quod vitioſum eſt, euacuare, & paulatim, quod ſalubre eſt, pro eo reponere. vocant Medici eiuſmodi vitioſi ſucci curationem Græcè epicraſin. Quid clarius, quòd in corruptela humorum, cum viribus imbecillis præcipue paulatim quod vitioſum eſt, euacuare Galen. præcipit? ea de re nulli in dubium venire debet in humorum corruptela circa initia minorante medicamento vti poſſe, prout Gale. hìc iubet: etiam ſi vires imbecilles fuerint. & quarto de
cap. 4 Sanit. tuenda, hoc idem præcipit ſub his verbis: Sin vires imbecilliores dehortãtur, ſanguis mittendus haudquaquam eſt, ſed deiectio mediocris adhibenda. & Paulus libro 3. de Arte medendi. cap. 1. redundantibus vitioſis ſuccis, pro alopeciæ cura iubet vti euacuatione primitus, quæ medicamentis purgantibus fit, Ga-

lenum

lenum ſectatus, qui hoc idem iuſsit libro primo de Compoſitione medicamentorum ſecũdum locos. Quòd autem locus poſsit adeo vrgere, vt circa initia medico vtendum ſit purgante medicamento, patet ex Hippocrate tum ſecundo, tum quarto de Ratione victus in morbis acutis: cùm de cura pleuritidis verba facit: idémque Galenus aſſerit in commento prædicti textus 2. de Ratione victus, cùm videlicet febris vehemens non fuerit, hominiſque naturam noueris, ad medicamenti purgantis potum te conferes, ſi dolor ſub thorace fuerit, valdéque infeſtauerit. Et licet in hac purgatione, cum loco redundantia quoque humorum de euacuatione indicet, præcipuè tamen ex loco purgationem neceſſariam eſſe Hippocratis indicationem ſumit. At, ſi in pleuritide partes ſub ſepto tranſuerſo infeſtante, adeo locus vrgeat, vt in initio medicamento purgante vtendum ſit, eò magis vrgebit, ſi materia in loco quopiam magis principe detineatur, vt in corde, cerebro, ſeu iecinore: eáque non venæ ſectione, ſed purgante medicamento vacuanda ſit. Inſuper, quòd maximus dolor, præcipuè circa vias communes interdum adeo vrgere poſsit, quòd purgatione inter initia vtendum ſit, non tãtùm diminuente vt in prædictis, ſed valentiori, patet Galeno in commento 23. Aphoriſ. primi libri, & libro 2. de Ratione victus in morbis acutis. Quinimò nec in his tantùm doloribus, verùm etiam & aliis interdum inter initia purgatione vti debemus, velut in capitis dolore præcipit Paulus libro tertio cap. 4. ſub his verbis: Quòd, ſi modum qualitas potus tranſilierit, purgatorio vtamur medicamento. & idem Galenus 3. de Morbis vulgaribus cõment. 3. quamprimum hominem vacuare iubet, ſi dolore afficiatur ex plenitudine genito: quam vacuationẽ, aut per ventrem, aut per venæ ſectionem eo caſu fieri præcipit libro ſecundo de Ratione victus in morbis acutis in principio. Non immeritò ergo tum hiſce rationibus, ac auctoritatibus, tum aliis ſuperius annotatis in hanc promoti ſumus veritatem, aſſereréque auſi ſumus, in aliis pleriſque præter naturam affectibus circa eorum initia, & ſi materia non turgeat, purgantibus medicamentis vtiliter vtendum eſſe, eis præcipuè quæ ſupra notauimus. Quapropter non video, quin magnopere extollam ſaluberrimum vſum, quem noſtri tẽporis eruditiſsimi medici Neapolitani quotidie exercent, medicamenta purgantia, ea præcipuè quæ ſuprà approbauimus, adhibentes non tantùm in initiis morborum, in quibus materia turget, verùm & in aliis, in quibus multitudo, mala qualitas, aut locus vrget: pariterque in maximis doloribus, qui curari per purgationem debent. illúdque peculiariter obſeruant in initiis acutarum, putridarumque febrium: quæ à multitudine, aut mala qualitate humorum fiunt (dico autem ab ea multitudine, vt ſuprà retulimus, quæ per purgationem reſcindenda eſt) adeoque in his nullum obſeruant ægrotis incõmodum, vt perpetuò ferè maximam vtilitatem ipſis comparent. Illud tamen tacere non poſſum, quin improbem quòd nonnulli eorum, iuniorum præcipuè, in eiſdem medicamentis purgantibus in initiis morborum adhibendis, perpetuò quartũ obſeruant diem: cùm neque inter morbi initia aliquod remediorum huiuſmodi ægris adiungere oporteat, deſumpto à numero dierum ſcopo. Qua de re Galenus quarto de Ratione victus in morbis acutis, & prima interdum die, & ſecunda, & quarta, interdum quinta, & non in quarta ſolùm, quomodo iſti obſeruant, medicamẽta dediſſe aſſerit. Cùm ergo in principiis morborum purgantia medicamenta exhibenda ſint à ſupradictorum aliquo impulſo, non perpetuò quartus dies obſeruandus erit: cùm id à Gale. damnetur: ſed, ſi poſsibile eſt, in prima, vel in ſecunda die, prout decretum reliquit idem Gale. in commento Aphoriſ. 24. primi libri, quòd ſi id poſsibile non erit, in quarta, vel in quinta die, præcepto eiuſdem in loco ſuperius citato tribuẽdum erit, dummodò vniuerſale morbi principiũ adhuc præfinitum non ſit.

cap. 2
tex. 11
tex. 76
tex. com. 11
commen. 76
comment. 1
comment. 76

DONATI ANTONII AB ALTOMARI MEDICI AC PHILOSOPHI NEAPOLITANI, DE SEDIMENTO IN VRINIS TRACTATVS,

AD IOANNEM FILIVM.

CVM nonnullos inſpexerim non modò iuniores, verùm etiam veteres medicos poſt Galenum variè de vrinarum ſedimentis conſcripſiſſe, quorum ne vllus quidem viſus eſt hucuſque (vt mea fert opinio) Hippocratis, ac Galeni ſententiam percepiſſe: & tu quoque non ſemel duntaxat, ſed ſæpius hortatus eſſes, vt meam de eis ſententiam conſcriberem, ob id non ab re viſum fuit, quicquid cum eiſdem de hac re ſentiam, paruo hoc in tractatu, & quoad potuerim ſuccinctè pertractare: potiſsimùm cum hæc diſceptatio non minus perutilis, quàm neceſſaria ſit tibi, cæteriſque neotericis noſtri temporis medicis: etenim nedum in ſanis corporibus, verùm etiam & in morbis ipſis præſertim acutis cum febre, ac reliquis quibuſcunque febribus, quæ ex putreſcentibus ſuccis generantur aſsidue vrinas obſeruantes de eis, ac earum ſedimento loquuntur, atque bonam, aut malam coctionem ſignificare fatentur, quid ſedimentum ſit, ac quomodo generetur. cùm in ſanis, tum in ægris fortaſſe non intelligentes. Cum itaque & valde vtilis, ac non minus neceſſaria ſit medicis ipſis ſedimentorum notitia tam pro ſanitatis conſeruatione, quàm pro morborum præſertim acutorum prognoſtico, ac curatione: quinimmo tanta eſt vis ſignorum ab vrina in morbis acutis, vt & ſolis ipſis credendum ſit, vt liquet ſexto de Morbis vulgaribus: Idcirco volentes de ſedimento verba facere, quoniam ſimul cum vrina excernitur, nec citra ipſam conſpicere, ac de eo quicquam exacte proferre valemus: vt eiuſdem exquiſita habeatur notitia, primùm quid ſit vrina, & quomodo generetur, ac ſecernatur, oſtendemus: deinceps quid per ſedimentum intelligendum, ac quid ſit, quis modus generationis eius, quæue cauſæ, ac quo loco gignatur tum in ſanis, tum in ægris declarabimus. Quòd verò vrina (quam Græci οὖρον appellant) ſerum ſit humorum in venis contentorum Hippocr. auctoritate, Galenus
[3. epid. ſect. 1. comment. 5] libro 3. de Morbis vulgarib. ſcriptũ reliquit: quemadmodum quòd ea, vt excrementum aceruetur in venis & arteriis, quale in lacte concreto ſerũ, vt ab eodem
[cap. 12] Galeno 1. de Sanitate tuenda decretũ eſt: quod deinde renes à ſanguine ſecernentes ad veſicã ipſam tranſmittunt. Cùm primùm verò alimentũ in chylum à ventriculo immutatum eſt, atque concoctum, per venas à iecinore ortas venæ portę dictæ ramo, ex eodem ventriculo ad iecur deducitur. vtitur nanque iecur eiſdem venis veluti manibus quibuſdam, quæ ex ventriculo ei cibum afferant, vt 5.
[cap. 7] de Locis affect. ſcriptũ eſt: eúmque non ſolum attrahunt, ſed ipſi quodammodo hepati præparant: quippe, cùm natura ſint eidem aſsimiles, & primũ germen ex
[cap. 2] illo ducant, vt liquet 4. de Vſu partium, cumq́ue iecur id nutrimẽtum ſuſceperit

ab eiſdem

ab eiſdem venis veluti famulis quibuſdam quodammodo præparatum, & veluti rudem quandam delineationem, obſcurámque ſanguinis ſpeciem referens: eidem poſtremum inducit ornatum ad ſanguinis exacti generationem: quo tempore diſtributus à ventriculo ad ipſum χυλὸς, à viſceris caliditate, veluti vinum muſteum, feruet, concoquitur, ac alteratur in ſanguinis boni generationem. in qua ebullitione excrementum, quod in ipſo reperitur, fœculentum ac craſſum ſubſidet: innatat verò, quod tenue eſt, & leue. Quibus ſecernendis natura inſtrumenta præparauit: ſplenem videlicet, qui craſſum & limoſum attraheret: veſicam verò bilis, quæ leue & flauum exciperet. Poſtquam verò qui apparatur in hepate chylus, hoc eſt, ſuccus, ad animalis nutrimentum, prædicta duo excrementa depoſuit, & ab innata iecoris caliditate coctionem exactam eſt adeptus, ruber iam, & purus ſurſum ad gibbas eiuſdem iecinoris partes aſcendit. excipit autem ipſum illic vena quædam maxima ex gibbis eiuſdem hepatis enata, caua vena appellata: quæ ad vtranque animalis partem fertur, ſuperiorem ſimul & inferiorem. diceres ſanè ipſam eſſe ceu aquæductum quendam plenum ſanguine, riuos quamplurimos habentem magnos & paruos, in omnes animalis particulas diſtributos. In qua etiam vena adhuc humore quodam tenui & aquoſo plenus eſt ſanguis: etenim neque ex ventriculo in venas commodè tranſſumi poterat chylus iam ex cibis factus, neque facilè pertranſire venas, quæ ſunt in hepate & multæ & anguſtæ, niſi tenuis quædam & aquoſa humiditas tanquam vehiculum fuiſſet ei admixta. hunc etenim vſum præſtat animalibus aqua, Galc. teſte 4. de *cap. 5* Vſu partium. ſiquidem ex ea nulla particula nutriri poteſt: neq; diſtribui ex ventre, quod nutriturum eſt, poterat, niſi deductum fuiſſet à quopiam ita liquido. Qua de re non abſque ratione Hippo. humorē hunc tenuem & aquoſum ὄχημα τροφῆς nuncupauit, hoc eſt, vehiculum nutrimenti, ſimul cum appellatione vſum quoque eius oſtendens. Cùm verò tenues hi, & ſeroſi humores ſuo functi fuerint officio: nec amplius oportebat in corpore eos permanere, tanquam onus alienum venis futuros: non enim egebat amplius ſanguis ipſe ſanè multo hoc vehiculo, vt qui tum per amplas vias illinc feratur, tum fluxilis magis à natura redditus ſit primùm ab hepatis, deinde cordis calore: proinde renes a natura fabricati fuere ad eorum attractionem, ac ſanguinis ab eis expurgationem, vtrinque ipſi cauæ venæ adiacentes paulò infra iecur. Attrahunt autem humorem hunc per ampla quædam orificia, per quæ neque purus, neque ſyncerus trahitur ſeroſus hic humor, ſed alterius cuiuſdam diuerſi generis admixtione adulteratus, ſanguinis videlicet humidioris & tenuioris exiſtentis; ac ipſius flauæ bilis: quæ, ſi non admodum craſſa fuerit, cum vrinis etiam ad veſicam permeat. at ſanguis cum eodem ſeroſo humore permixtus, vbi ad renes peruenit, ipſorum carni aſpergitur inſtar fœcis cuiuſdam, & inde paulatim vaporis modo in totam ipſam diſpergitur, adhæreſcit, vnitur, atque demum alimentum fit renibus. & propterea, ne ſimul cum vrinis quemadmodum tenue, bilioſum excrementum, ſanguis hic humidior, ac tenuior exiſtens è renibus elaberetur, denſum fuiſſe eorum corpus præſtitit, Galeno teſte 5. de Vſu partium. Trahunt itaque renes ſe- *cap. 7* roſum hoc, ac tenue excrementum à vaſis ipſis ſimul cum humidiori ac tenuiori ſanguine permixtum, tanquam eorum proprio ac familiari nutrimento: qui cùm ad renes (vt dictum eſt) peruenerit ſanguis pro eorum nutrimento detētus per totam eorum ſubſtantiam diſpergitur. At ſeroſus hic humor tenuis, vi renum à ſanguine ſegregatus per meatus quoſdā prælongos ac fortes, (οὐρητῆρας Græci appellant) ad veſicam delegatur. quo fit vt vrinæ (vt inquit Galenus eodem li- *cap. 5* bro 5. de Vſu partium.) vi renum à ſanguine ſegregentur, & illinc per οὐρητῆρας iam dictos ad veſicam emittantur, indéque excernantur quo tempore ratio ipſa iuſſerit. Verùm, licet, cùm primùm ſanguis in cauam venam aſſumitur, confeſtim per riuulos quoſdam ab eadem ortos, ſatis amplos exiſtentes, à dicto tenui ac ſeroſo humore vi attractricis facultatis renum, ad quos inſeruntur, expurgetur propter eas, quas aſsignauimus, cauſas; tamen nonnihil etiam illius

retinetur, quò reliquus quoque ſanguis non modò per venas in omnes corporis
partes pertinentes traducatur, verumetiam per arterias, media eadem caua ve-
na, quæ ſurſum aſcendens ad dextrum cordis ventriculum inſeritur. Quapro-
pter renes ipſi non ſolas purgant venas ab eo excremento ſimul cum tenuiori
cap. 5 ſanguine ipſum attrahentes, ſed arterias quoque. aliàs (vt inquit Galen. 5. de Vſu
partium aduerſus Eraſiſtratum) non conueniebat arterias renibus inſertas ma-
gnitudine fuiſſe venis æquales ad cauitatem eorum diuiſas haud ſecus ac venas.
Propterea itaque quòd arterias adeo magnas, ac venas natura renibus inſerue-
rit: cauſam nullam dicere poterimus, vt inquit Galenus citato loco, niſi quòd ipſi
ſerum ſanguinis omne non modò ex venis, verumetiam ex arteriis per vniuer-
ſum corpus diſtributis media eorum attractrice facultate expurgant. Qua de re
cap. 12 idem Galenus primo de Sanitate tuenda, (vt diximus) nō ab re ſcriptum reliquit
hoc excrementum ſeroſum in venis & arteriis aceruari: quale in lacte concreto
ſerum: quod deinceps renes ipſi à ſanguine ſecernentes, ad veſicam tranſmittunt.
nam vi renum à ſanguine ſegregatur; cum ex venis vēniat, in renibúſque perco-
letur vrina, ac in veſica aggregetur, eodem Galeno auctore commento Apho-
riſmi 77. 4. libri. & propterea eorum duntaxat humorum, qui in vaſis cōtinen-
tur, nota eſt vrina: neque eorum vllum planè nec manifeſtum, nec euidens ſi-
cap. 4 gnum habemus præter ſolam vrinam, vt idem Galenus quarto de Sanit. tuend.
fatetur; quanquam ex accidenti indicia quoq; eſſe poſsint vrinæ aliarum diſpo-
commen. 26 ſitionum, vt liquet ſecundo Prognoſtico. & tertio de morbis vulgaribus, com. 3.
3. epid. ſec. 3 Quapropter vrinæ ſemper inſpiciendæ ſunt etiā in vētris, thoracis, pulmonis, ac
comment. 83 neruorum affectibus: nam bonæ ſi apparent, multum valent ad ſalutem: contrà, ſi
3. epid. ſec. 2 prauæ, amplificant ſimul ægri periculum, ex ſententia eiuſdem Galeni citato li-
com. 6 bro tertio de morbis vulgaribus, com. ſecundo. Cæterùm animaduertere opor-
tet quòd, licet renes ipſi aſsiduè iam dictum excrementum ex vniuerſis cùm ar-
teriis, tum venis attrahant; non tamen adeo expurgare ab eo ſanguinem valent,
vt nihil eius ſuperſit, ita vt, cùm primùm è vaſis excidit ſanguis, ac ſingulis ani-
malis particulis apponitur, ſyncerus fuerit, & omnino ab hoc ſeroſo excre-
mento (quod pro vehiculo ei permiſcetur) expurgatus, ſed ſimul cum eodem
ſanguine nunc functum officio humidum tenuéque ſupereſt aliquod, quale ni-
mirum ſeroſum illud iam dictum, quod ex vaſis, id eſt, venis & arteriis, in veſi-
cap. 12 cam defluit, ex ſententia Galeni citato primo libro de Sanitate tuenda. Huic ex-
cremento nullus certus à natura præſcriptus meatus eſt, expellitur tamen facilè
partim in ſpeciem halitus ab inſito calore ſolutus, partim violento motu con-
fertim erumpens. appellant verò, quòd ita excernitur, ſudorem. & hæc eſt illa
pars vna alimenti, velut ſeroſa & humida, quæ ipſi etiam gratia diſtributionis
admiſcetur: cum primùm alimentum ſingulis animalis partibus apponitur, vt li-
quet commen. Aphoriſ. 15. 3. lib. Omnem etenim qualitatis alimenti mutationem
alterum craſsius, alterum tenuius excremētum ſequitur: quæ etiam per vniuer-
ſum corpus ſemper perueniunt, vt tertio Methodi medendi ſcriptum eſt. & pro-
pterea qualiſcunque fuerit in corpore redundans ſuccus, (vt inquit Gale. quarto
cap. 3 de Sanitate tuenda) tale neceſſe eſt vt appareat ſerum. ac ſudor quidem ſucco-
cap. 4 rum, qui in vniuerſo corpore abundant, nota eſt: vrina verò eorum tantùm, qui
in vaſis continentur. Eadem itaque eſt materia ſudoris & vrinæ, ſeroſa ſiquidem
alimenti pars. Verùm, dum intra vaſa conſiſtit, à renibus ſegregata, vrina appel-
latur: cùm à vaſis ſimul cum ſanguine excidit, qui cunctas animalis particulas
nutrit, ſudor nuncupatur, ſi in halitum non fuerit à calore ſoluta, ſed per exi-
guos corporeæ molis ac cutis meatus excernatur. Eiuſdem quoque generis exi-
ſtit tenue illud excremētum, quod in cauis vlceribus ſemper colligitur & a Græ-
cis ἰχὼρ appellatur, à Latinis ſanies dicitur. ex quo cum vlcus ſemper humidum
reddatur, nec tempus vllum erit, quo exiccantibus nō indigeat medicamentis ex
cap. 3 Galeni ſententia eodem 3. Methodi medendi. Hæc quoad ea, quæ de vrina per-
tractare polliciti ſumus: conducunt etenim non parum ad eum, quem intendi-
mus de

mus de ſedimentis tractatum. Reliqua verò, quæ faciunt pro exacta vrinarum notitia tam conſiſtentiæ, quàm coloris earundem, à veteribus Græcis, ac iunioribus quibuſdam Latinis, qui de eiſdem fuſius ſcripſerunt, petas, potiſsimum à Leone Rhogano noſtræ ætatis iuuene eruditiſsimo, & Hippocr. & Galen. doctrinæ æmulatore laborioſo.

CAPVT II.

Conſueuerunt Hippocr. ac Galen. ea, quæ craſsiora ac corpulentiora in vrinis conſiſtunt & nos contenta vocamus, communi appellatione παρυφιστάμενα: propriè verò pro ratione diuerſitatis loci, in quo permanent, diuerſimodè appellare. Nam, ſi in fundo vaſis hoc reſideat, ab eis ὑπόστασις nuncupatur: Latini ſedimentum appellant. Si verò deſuper in vrina ſupernatet: ab eiſdem νεφέλη dicitur, à Latinis nebula, ſeu nubecula. At, ſi neque in ſummis eius, neque in fundo vaſis, ſed in media ſede ſublime vel exquiſitè medium, vel deorſum potius quàm ſurſum exiſtat, id conſueuit Galen. ἐναιώρημα no- com. 26
minare, vt ſecundo prognoſtico. ab eodem ſcriptum eſt: Latinè autem ſublimamentum, aut ſuſpenſum dicitur, quanquam Hippocr. eodem modo conſueuerit nominare ſublimamentum, ſeu ſuſpenſum, & nebulam, ſeu nubeculam, vt idem Galenus fatetur citato libro ſecundo progno. licet alicubi ipſe Hippocr. ſublima- com. 26
mentum genituræ ſimile dixerit. ita vt è duobus alterum ſit: aut vt generalioris rei nomen exiſtat ἐναιώρημα apud ipſum, ſectionē habentis in nubeculam, & id, quod genituræ ſimile eſt: aut nunquam nubecula ab eo ſublimamentum appellatur, vt liquet ab eodem Galeno ibidem. Hanc quoque nubeculam Aphoriſ. 71. 4. libro ἐπινέφελον vocauit. verùm, quoniam hæc tam ſi ægris corporibus, quàm ſanis exiſtentibus generentur, eundem habent generationis modum, eandemq́; cauſam efficientem, ac materialem, & locum, vbi generantur, vt dilucidius infra patebit: ſecundum multitudinem, aut paucitatem, tenuitatem, ac craſsitiem materiæ, ac perfectiorem, vel minus perfectam actionem cauſæ efficientis eorūdem duntaxat diſsidentia. Propterea quicquid de ſedimento dicemus, de ſuſpenſo, ac nubecula ſubaudiendum erit. Nanque in ſanis corporibus vrina nullo pacto ſedimentum habebit, ſi tenuiter: copioſum verò, ſi largius: exiguum vero, ſi modicè viuitur. &, ſi id quod naturæ, in ſanguinis generatione, ſubterfugit coctionē, ab eadem exactè quodam modo euictum ſit, in fundo vaſis reſidet: ſi autem nō ita exactè, ſublimamentum aderit. At, ſi minùs exactè, nubeculam in vrinis inſpiciemus. Etenim, cùm à calore omnino, quod concoquitur, non ſuperetur: id, quod humidius in eo exiſtit, ac tenuius, in flatum vertitur, qui eidem commixtus ſubſtantiæ eam ſubleuat, ac impedit ne ſua grauitate deorſum deſcendat: & prout maior, vel minor quantitas ipſius flatus commixta fuerit, eò in ſuprema, vel media regione idem excrementum conſiſtit. ſimilis quoque ratio ferè eſt in ægris: nam ſedimentum habet vrina copioſum, quoties morbus ex humoribus crudis fatigat: nullo verò modo aut omnino minimum, quoties ex billioſis. ſed ſatis eſt, ſi habeat nebulam, aut ſuſpenſum, Galeno teſte primo de Criſ. & ſecun- cap. 12
do prognoſticorum. Pauca etenim portio humorum craſſorum ac crudorum, com. 26
vbi à calore ſuperantur, in fuliginoſum vaporem vertitur: multa autem remanet craſſa, quæ per vrinam excernitur. At, vbi bilioſi fuerint humores redundantes, contrarium euenit propter cauſam contrariam, vt dicemus. Verùm, ſi in vno eodémque morbo eadem contentorum differentia inſpiciatur, eidem cauſæ efficienti, quæ magis, vel minus materiam ſuperauerit, diuerſitatis cauſa tribuenda erit. Nam quæ minus euicta eſt, maiorem habebit flatuoſi ſpiritus permixtionem, & ſic in ſuprema parte: ſi mediocriter, circa mediam regionem. Si verò perfectè fuerit euicta, in infima parte, ſeu in fundo vaſis reſidebit. quod igitur exquiſitè concoctum ſecretumq́ue eſt, æquale ac ſimilare, vtpote nullum habens flatum, in fundum deſcendit vaſis vrinam continentis: quod verò permixtum eſt aereo quodam, & vaporoſo flatu, id ſubductum ab eo quod proportionale ſit quantitate ſubducentis, minusq́ue & magis, ſurſum fertur,

vt ſecun

comment. 36 vt ſecundo Prognoſtico.à Galeno ſcriptum eſt.Et, vt vno verbo expediam,quæ
vrinis probè innatant,quantò inferius ſubſident,tantò magis laudantur, ex Pau-
li ſententia cap.13.libri ſecundi. Per ſedimentum itaque intelligendum eſt id in
vrina contentum,quod corpulentum exiſtens,neque in ſummis eius, neque in
media ſede,ſed in fundo vaſis permanet.Hoc in corporibus ſanis, de quibus pri-
mò pertractare intendimus,nihil aliud eſt,quàm ea alimenti pars, quæ in ſangui
nis generatione naturæ refugit confectionem:neque vt ſanguis ab ea commuta-
comment. ult. ta,neque vt pus cauſæ præter naturam particeps,Galen.auctore primo Prognoſt.
Verùm pro notitia generationis eius, eſt animaduertendum primò tres fieri in
corporibus noſtris in tribus diuerſis locis alterationes , ſeu concoctiones , prout
cap. ult. ſæpe ſæpius in Galeni doctrina ſcriptum reperitur,præſertim lib.primo Progno-
cap. 1 ſtic.& tertio de Cauſis ſympto.lib.de Cibis boni & mali ſucci.octauo Meth. me-
cap. 5 den.ac aliis pleriſque in locis:quarum prima in ventriculo perficitur, in qua cibi
cap. 2 ad idoneum ſanguini humorem commutātur: Secunda verò in iecore ac venis,
in qua humor ad ſanguinem tranſmutatur: Tertia ac vltima in ſingulis animalis
partibus,cum alimentum ipſum ſingulis nutriendis partibus apponitur , aggluti-
natur,atque aſsimilatur.communis autem ſcopus vniuſcuiuſque partis,ſeu inſtru
menti alimentum alterantis ac concoquentis eſt,vt ſibi ipſi aſsimilet id quod al-
teratur,ac ad propriam eius naturam deducat appropinquantem humorem , vt
comment. ult. liquet ex Galeni eodem 1.Prognoſt.& quarto de Vſu partium.Quapropter chy
cap. 12 lus ex ventriculo aſſumptus ex ipſa veluti carne iecinoris alteratur,paulatimq́ue
in illius naturam tranſmutatur,ac in ſanguinem vertitur.Nam ſecundum eius car
nem,quę eſt proprium ipſius corpus,primum ſanguinis gignendi eſt organum,&
venarum principium.& propterea venis,quę ad ventriculum & vniuerſa inteſti-
na pertinent,ineſt facultas quædam ſanguinis effectrix,qua ſuccum , qui ex cibis
diſtribuitur,eiſdem in ſanguinē mutare naturale eſt, priuſquam is ad hepar per-
ueniat,licet ea ſit veluti rudis quædam delineatio,obſcurámq; ſanguinis ſpeciem
referens.Inducit autem poſtremum ei ornatū ad ſanguinis exacti generationem
cap. 3 iecur ipſum,vt eodem 4.de Vſu partiū ſcriptum eſt:ita,vt quicquid ad iecur per-
uenit alimenti,ad ſanguinem immutetur , nec quicquam remaneat inalteratum
omnino,atque immutatum.Verum pro diuerſa alimentorum ratione,ac pro di-
uerſitate partium alimenti quædam magis,quædam minus ad ſanguinis formam
immutantur.inſuper & quædam deteriores reliquiæ alimenti,cùm ſanguinis for
mam ſuſcipere non valeant,alterationem quandam adhuc ab eo ſuſcipientes, in
excrementorum naturam mutantur. Nam & hæ quoque partes , ſeu alimenti
excrementa, conſonum eſt vt alterationem quandam ab eo ſuſcipiant , cùm to-
ta ſubſtantia alimenti, quæ ad ipſum iecur peruenit, ab ipſo alteretur atque im-
mutetur : poſtquam officium vniuſcuiuſque partis animalium (vt diximus) eſt
ad propriam deducere naturam propinquantem humorem. Ex quibus liquet,
quod,ſi hæ alimenti partes quæ, dum in iecinore concoctio fit,excrementorum
naturam habentes,aliquam ſuſcipiunt alterationem ac mutationem ab ipſo ie-
cinore , & non omnino immutatæ remanent, licet in ſanguinem conuerti non
valeant,quod nec reliquæ, quæ non adeò à ſanguinis natura alienæ ſunt, (velu-
ti excrementa ipſa, bilis videlicet flaua, ac nigra) omnino inalteratæ , ac immu-
tatæ permanere poſſunt:potiſsimum cùm ſimul cum ſanguine cōmixtæ,& ipſæ
ad gibbam iecoris perueniant,ac cum eodem per cauam venam diſtribuantur.
Quapropter toto (vt inquiunt) cœlo aberrarunt , qui vrinæ ſedimentum dixe-
runt eſſe particulam illam,quæ ex maſſa ſanguinaria aſſumpta in venis , ſua in
ſpecie manens euaſit omnino inſanguificata. impoſsibile nanque eſt vt eadem
per venas permeans ad iecur adeò a natura ſanguinis ſit aliena , vt primò ab eis
non aliquam ſuſcipiat alterationem,& demum ab ipſo iecinore,cum ſemper al-
terara ex dictis venis ab ea facultate,quam ab hepate ſuſcipiunt,ad ipſum perue-
niat : ac demum in eo permanens ab eodem ſaltem quodammodo immutetur
ac aſsimiletur:quamuis in verum ſanguinem cōmutari non valeat. & propterea
quicquid

quicquid in ſanguinis generatione naturæ ſubterfugit confectionem, dixit Gale
in vrinis ſubſidere, addens, neque, vt ſanguis, ab ea commutatum, hoc eſt, non
adeò perfectè cinctum & aſsimilatum, vt ſanguis, & non quòd omnino inaltera-
tum ac inſanguificatum (vt quiſpiam dixerit) permaneat: aliàs aut nō alimenti,
ſed medicamenti omnino rationem obtineret, eius præſertim quod venenoſum
eſt, ac animalis naturam corrumpit, deleterium dictum, vt liquet. 3. de Tempera- *cap. 2*
mentis, ſaltem relatione facta ad iecur: aut omnino nulla poterit aſsignari cauſa,
cur velut cætera duo excrementa in iecoris cauitate non ſecernatur, ſed ad gib-
bam cum reliquo ſanguine aſcendat, atque ad cauam perueniat venam; cum ne-
que propter tranſitus celeritatem id quoque fieri poſſet. Etenim, ne breuiſsimo
tempore in hepate manſiſſet ſuccus, qui ad ipſum ex ventriculo fertur, neque
ipſo diſtributionis impetu raptus celeriter totum viſcus peruaderet, ſed in eo diu-
tius moraretur, vt perfectius alteraretur, tranſituum anguſtias molita eſt natura.
& proinde venas, quæ ſunt in hepate, omnium, quæ ſparguntur in vniuerſum cor-
pus, tenuiſsimas fabricata eſt ex Gale. ſententia, 4. de Vſu paruum. Niſi quiſpiam *cap. 13*
temere abſque vllo pudore fateatur, hāc chyli partem habere alas, & ideò velo-
ciſsimè iecoris venas pertranſire, ac inſanguificatam permanere. Secundò ani-
maduertendum, ac mente reuoluendum eſt id, quod ex Gale. ſententia 3. Meth. *cap. 3*
meden. ſupra annotauimus, videlicet quòd omnem qualitatis alimenti mutatio-
nem, alterum craſſum, alterum tenuius excrementum ſequitur: idque in ſingulis
alimenti mutationibus luce clarius inſpicies, exorſus ab ea, quæ in ventriculo fit:
in hac etenim craſſum illud excrementum (quod quidē exiſtit veluti in tritico
lapides, ac terra) ſecernitur, paulatimque impellitur per omnia inteſtina vſque
ad rectum, ac deinceps per aluum expurgatur. reliquus autem cibus humido li-
quori percocto iam, & prius elaborato aſsimilis, indigenti autem adhuc perfe-
ctiori concoctione, per tenues ac exiguas venæ portæ ſoboles ex ventriculo ac
inteſtinis ſurſum ad hepar fertur, vt paulò antè diximus. & propterea id, quod
humidum, ac tenue, & aquoſum, ſeu ſeroſum in eo exiſtit, (eius ſanè generis, ex
quo vrina, ſudorque proueniunt) ſecerni haudquaquam neceſſe erat. præſtat et-
enim ipſi chylo eundem, quem diximus, vſum: neque enim ex vētriculo in venas
commode tranſſumi poterat, neque facilè pertranſire venas, quæ ſunt in hepate,
niſi tenuis quædam, & aquoſa talis humiditas tanquam vehiculum fuiſſet ei ad-
mixta, quemadmodum ſupra adnotauimus ex Gal. ſententia, de Vſu part. Cúm- *cap. 5*
que peruenit ad iecur, ſimilem quoque iterum ipſum infert alimento purgatio-
nem, ac perfectiorem concoctionem: in hac etenim concoctione, quæ in iecore
fit, aliud tenue excrementum, quale eſt quod florem in vino appellant: aliud craſ-
ſum, quale quod fœx dicitur, etiam conſequitur. attrahitur primùm à veſica, quę
iecinori ſubiicitur, quod leue ac flauum eſt, & bilis flaua appellatur; alterum ve-
rò, quod craſſum & graue eſt, à liene: & nigra bilis, fœx ſanguinis, ſeu melancho-
licus ſuccus nuncupatur, eodem Gale. auctore citato lib. 4. de Vſu part. & lib. 1. de *cap. 5*
Sanit. tuen. Hæc ſunt illa duo excrementa, quæ neceſſario conſequuntur ad eam *cap. 12*
alimenti mutationem, quæ in iecinore perficitur, hoc eſt, ſanguinis generatio-
nem. Quapropter longe a veritate, ac Gale. doctrina deuiant qui in hac conco-
ctione, hoc eſt, ſanguinis generatione, præter iam dicta duo excrementa, quæ-
dam alia gigni confitentur, cùm neque plura, neque pauciora, quàm nuper dicta
duo ex Gale. reperias: neque etiam veritati conſonum ſit plura in hac concoctio-
ne excrementa animaduertere, quàm in reliquis. Nam & in tertia quoque ali-
menti alteratione, cum videlicet alimentum ipſum ſingulis animalis partibus
apponitur ac aſsimilatur, ſimilia duntaxat duo excrementa conſequuntur: quo-
rum vnum tenue exiſtit, alterum verò craſſum, vt ex eodem Galen. liquet cita-
to lib. 1. de Sanit. tuend. & commen. Aphoriſ. 45. 3. lib. Verùm de tenui ſuperius *cap. 12*
verba fecimus, cùm de vrina pertractauimus. Id verò, quod craſſum exiſtit, ſeu
ſemicocta quæpiam reliquia alimenti, quę aſsimilari nutriendæ parti nequiuit, &
velut fuliginoſa ſuperfluitas eſt, quæ in pluribus cibis deterioribus continetur, &

naturæ

naturæ operationem ſubterfugit, vt neque aſsimilari corpori, quod nutritur,
neque agglutinari valeat: huic nullum publicè nomen eſt, quod videlicet nec
vulgo eſt cognitum: verùm eius nonnihil tranſpiratione, ſeu perſpiratione in-
ſenſibili excernitur. &, vbi expelli nequeat, ab eodem pili originem ducunt, ac
ſordes, quæ circa cutim ſemper aceruantur, vt liquet ex Gale. præcitatis locis.
Huius quoque generis eſt & illud craſſum excrementum, quod in cauis vlceri-
bus ſemper colligitur, & ſordes etiam nuncupãtur, à quo ſordidum vlcus reddi-
tur. & propterea nec tempus vllum eſt, in quo expurgantibus medicamẽtis non
indigeat, quemadmodum & de exiccantibus ſupra dicebamus, ratione tenuis
excrementi. quo fit, vt cauum vlcus ſemper exiccantia, ac expurgantia medica-
menta deſideret; quoniam nullum adeſt tempus, in quo nõ ambo hęc in eo col-
cap. 3 ligantur excrementa ex Gal. ſententia 3. Metho. med. Verùm, quoniam non exi-
guam quoque ſuſcipit alterationem, ſeu immutationem alimentum ipſum, dum
intra vaſa continetur, non ſolùm ſiquidem ab ea facultate, quam à iecinore ſu-
ſcipiunt venæ, ſed ab eorundem vaſorum propria; propterea & in hac quoque
alimenti immutatione, quæ eſt eorum propria, duo illa excrementa, quorũ vnum
tenue, alterum craſſum exiſtit, ſecerni neceſſe eſt: ſi Galen. ſententia, quam ſupra
annotauimus, ſempiternam debeat habere veritatem. At de tenui excremento
nemo veretur, quòd in eiſdem vaſis aceruetur, & quòd venarum, & arteriarum
cap. 12 excrementum ſit, ac tale, quale in lacte concreto ſerum, vt ab eod. Gale. ſcriptum
eſt citato lib. 1. de Sanit. tuend. idq́ue renes facilimè ad ſeſe trahunt ſimul cum te-
nui ac aquoſo ſanguine pexmixtum, à reliquo ſanguine ſynceriore ac craſsiore
exiſtente ſecernẽtes, ipſis videlicet eundem attrahentibus, & vaſis retinentibus
in ſeipſis craſsiorem ſanguinem: cum primùm quidem ſanguis ab innata iecoris
caliditate coctionem exactam fuerit adeptus, ac ruber iam effectus, & à duobus
excrementis purus ſurſum ad gibbas partes hepatis aſcenderit, ac deinceps ad
cauam venam peruenerit. tunc etenim à ſanguine idem ſeroſum excrementum,
tanquam ſuo functum officio, ac onus venarum & arteriarum exiſtens, ſecerne-
re decens erat: quanquam nonnihil adhuc eiuſdem remaneat intra vaſa cum
ſanguine propter eundem vſum, vt ſuperius dictum eſt. Quamobrem putandum
eſt non abſque forti ratione Hippoc. dixiſſe vrinam eſſe ſerum humorum in ve-
cap. 13 nis contentorum, & Galenum nos docuiſſe 5. de Simp. medic. facult. ea peculiari-
ter & verè vrinam ciere, a quibus ſanguis non extenuatur duntaxat, ſed & fun-
ditur, ac ſecernitur, non ſecus atque lac, quod coagulatur, ſeroſo videlicet, & te-
nui ſeorſum ſegregato: craſſo verò in ſeſe coeunte. Siquidem quò facillimè ad ſe
attrahant renes, quod in ſanguine aqueum, tenuéque, ac ſeroſum eſt, vtraq; hæc
conferunt: nempe totius ſanguinis primùm fuſio, deinde ſegregatio, quorũ neu-
trum abſque valido calore peragi queat. Cæterùm ſanguis hic rubeus, ac ab
excrementis purus, quem vena caua ex gibbis iecinoris partibus excipit, etiam
vbi fuerit à ſeroſo humore expurgatus, non omnino homogeneus, ac ſimilaris
exiſtit: ita quòd ſingulæ alimenti partes ſint à iecinoris caliditate innata æquali-
ter euictæ: ſed quædam magis, quædã minus perfectè in ſanguinis ſubſtantiam,
ac colorem ſunt commutatæ prout magis, vel minus conſentientes, ac ſimiles
fuerunt in ipſa ſanguinis generatione; quæ partes alimenti minus euictæ, veluti
ſemicoctæ quædam reliquiæ exiſtentes, aſsimilari omnino, ac perfectè in ſangui-
nem commutari nequiuerunt: idq́ue non propter aliud, quam ratione prædictæ
partis alimenti, quæ ſuapte natura, licet quodammodo ab ea facultate, quæ ſan-
guinem gignit, dum ſanguis ipſe generatur, vincatur, ac ſuperetur; tamen ex ea
perfectus ſanguis generari non valet. Hæc, inquam, alimenti portio ſic imperfe-
ctè euicta in ſanguinis generatione, ſimul cum eo per venas ac arterias diſtri-
buitur, familiaritatem quandam, ac ſimilitudinem cum ipſo habens. quo in tem-
pore à facultate alteratrice ipſorum vaſorum propria, quæ in eorum tunicis con
ſiſtit, ex proprio eorum temperamẽto orta, & non ea, quam à iecore participant
venæ, inſimul cum eo ſanguine, qui ab ipſis pro eorum nutrimento conficitur,

aſsimilatur etiam quodammodo & hæc alimenti portio quandam ſuſcipiens ab eis in colore præſertim, ac etiam ſubſtantia aſsimilationem. Verùm, cum in earum nutrimētum omnino verti nequeat: quoniam in ſanguinis generatione non potuit omnino, ac perfectè in ſanguinem commutari, ſic quodammodo in colore, ac ſubſtantia tunicarum dictorum vaſorum aſsimilata (habent enim commutatricem hanc facultatem propriam, vt liquet 6. de Hippoc. ac Pla. decret. præter eam, quæ ex iecinore ad venas prouenit) eadem tanquam ſuperflua ac aliena, ab eorum facultate expultrice, veluti onus eorum exiſtens, excernitur: poſtquam agglutinari, ac omnino aſsimilari pro eorum nutrimento non valuit, licet fuerit eiſdem appoſita, & quodammodo (vt diximus) aſsimilata. Et, quoniam alia conuenientior ac magis congrua non aderat via, quàm ea quæ ad renes & veſicam tendit, ea de re, quo tempore renes excrementum illud ſeroſum à ſingulis iam dictis vaſis attrahunt, & ipſa quoq; vaſa excrementum hoc excernunt, velut onus quoque eorum exiſtens non minus quàm renue ac aquoſum illud excrementum. quo fit, vt ſimul cum vrina ad veſicam deſcendat, ab ipſis quoque renibus tanquam ſuperfluum quoddam expulſum. & propterea album apparet, ac in vrina ſubſidet, ſimulque cum ea excernitur ſedimentū, intra vaſa, & non in iecinore, in tertia ac nouiſsima cōcoctione, & non in ſecunda genitum: quo tempore ſanguis pro arteriarum ac venarum nutritione apponitur, agglutinatur ac aſsimilatur in earum propriam naturam, & non eo, quo ſanguis generatur. cuius propria materia eſt quædam illius ſemicocti alimenti portio, quæ omnino in verum, ac perfectum ſanguinem commutari nō valuit, dum ipſe generaretur. Hæc nanque ſimul cum ſanguine per venas, ac arterias permeans, (vt diximus) ab earundem caliditate innata quodammodo cuncta ac aſsimilata, ſedimenti ſuſcipit formam, & quæ ad eam conſequuntur colorem ſcilicet ac figuram, quæ prius in iecinore ſuſcipere non poterat, vt quidam falsò opinati ſunt, decepti ex Galeni verbis. 1. prog. cum dicebat quòd Quantum alimenti in ſanguinis generatione naturæ confectionem ſubterfugerit, in vrinis ſubſidet, neque vt ſanguis ab ipſa commutatum, neque in generatione, vt pus, præter naturam cauſę particeps; licet id quoque generationem obtineat, quæ puri proportione reſpondet: nam per hæc verba Gal. noluit vrinæ ſedimentum generari in ſanguinis generatione, quę fit in iecore, cum eius naturam ſubterfugerit, ſed dixit id alimenti eſſe, quod ſubſidet in vrina tanquam materia: neque enim alia eſt materia generationis eius, quàm hæc. verùm propriam eius generationem, ac formam, & colorem ſedimentum in venis, ac arteriis ſuſcipit. Nam propter eandem cauſam ſubſidet candidum in vrina ſedimentum, (vt ipſe inquit eodem loco) propter quam pus candidum efficitur. ſed hoc propterea eſt eiuſmodi, quia quodammodo ſolidioribus corporibus aſsimilatur. ergo & ſedimentum propterea in vrina ſubſidet candidum, quia eiſdē ſolidioribus corporibus, hoc eſt, tunicis venarum & arteriarum quodammodo aſsimilatur. etenim ſemicocta excrementa ſimilia ſubinde fiunt corporibus quæ aluntur, quorū ſcilicet ſunt excrementa; vt liquet 6. de Hipp. & Pla. decre. Hoc itaque eſt illud craſſum excrementum, quod in hac alimenti alteratione generatur nullam participans in eius generatione cauſam præter naturam: veluti pus, & ſedimentum quod in ægris corporibus gignitur, vt in ſequentibus fuſius pertractabimus. Simul itaque cum Gal. concludimus, ſedimentum in vrinis ſanorum nihil aliud eſſe quàm eam alimenti partem, quæ in ſanguinis generatione naturæ ſubterfugit cōfectionem, adeo vt perfectè in ſanguinem commutari non valeat; id nanque per venas & arterias diſtributum, ab earundem calore innato alteratum modo quo dictum eſt, ſedimentum efficitur, ac earundem craſſum excrementum exiſtit: quicquid alij de eius generatione ſentiant. nam, velut in reliquis animalis partibus ſingulis ex ipſo, vnde aluntur, ſucco excrementum quoddā craſſum naſcitur ceu ſemicoctæ cuæpiam reliquiæ quæ aſsimilari nutriendis partibus nequiuerunt, vt ſuperius adnotauimus ex Galeni ſententia 1. de Sanit. tuen. ita quoq; neceſſe eſt, quòd in venis & arteriis ex ipſo, vnde

cap. 8 · *comment. ult.* · *cap. 6* · *cap. 12*

aluntur ſucco, eiuſmodi craſſum ſequatur excrementum, ceu ſemicoctæ quæ-
piam reliquiæ,quæ omnino eiſdem nutriendis partibus nequiuerunt aſsimilari:
cum non aliter,nec ex alia materia nutrimentum ſuſcipiant, quàm cæteræ ani-
malis partes: quinimmo,cũ hæ eædẽ ſemicoctæ reliquiæ,quæ aſsimilari nutrien-
dis partibus nequeunt, ſimul cum ſanguine pro earum nutrimento diſtributo
per eadem vaſa permeent, cõſonum rationi exiſtit partem quampiam in eorum
nutritione ſimilem quodammodo reddi corporibus eorundem, ac ſemicoctam
etiam permanere,& ſimul cum vrinis excerni tanquàm excrementum: idq; non
aliud eſt,quàm quod ſedimentum appellatur. Differt autem à pituita, quæ ſimul
etiam cum ſanguine per vaſa permeat,hoc excrementum,quod ſedimentum ap-
pellamus: nam,licet illa à Gale.veluti ex dimidio coctum alimentum 2.de Natu.
cap.ult. facult.eſſe dicatur, quemadmodum & ſedimentum nos eſſe fatemur, tamen ea
alimenti pars, ex qua in ſanguinis generatione pituita gignitur, conſentiens ma-
gis,ac ſimilis exiſtit pro ſanguinis perfecti generatione,quàm ea,ex qua demum
ſedimentum oritur: & propterea illa per vlteriorem coctionem in ſanguinẽ mu-
tatur, hoc neque in ſanguinem exquiſitè elaboratum, neque in vaſorum nutri-
mentum,cum ex deteriori ac crudiori alimenti parte fuerit genitum, commuta-
ri valet. Et propterea quibus corporibus ſemicoctæ alimenti reliquiæ, quæ perfe-
ctè in ſanguinem commutari non valent,nec in alimentum venarum & arteria-
rum,plures fuerint,plus etiam ſedimenti cum vrinis excernitur,quemadmodum
in pueris ferè omnibus,& perfectam ætatem habentibus,qui otioſam vitam de-
gunt,aut quouis alio modo pleni ſunt, conſpicere licet. nam pueris ob voracita-
tem, & ob id quòd vna ventriculi operatio non poteſt duobus ſimul ſufficere,
augendo ſcilicet & alendo,antequàm in ipſo ſufficienter alimentum coctum ſit,
ipſum ad ſe corpus trahit. atque hinc fit,vt plurimum crudi humoris coaceruet.
huius quoque concauſa exiſtit,quòd à cibo ludentes proſilientéſque mouentur,
cap.11 vt liquet 1.de Criſ.& 6.de Morb.vulga.Nihil enim (vt idem Galen. inquit lib. de
6.epid.ſec.3 cibis boni, & mali ſucci) in cibariis omnibus ad boni ſucci generationem tam
commen.15 pertinet,quàm ſi probè in ventriculo concoquantur: namque hæc & alteram, &
cap.5 tertiam concoctionem facilius admittunt. at, cum non probè in eo cibi conco-
quantur, vt in pueris propter aſsignatas cauſas, neque in ſecunda concoctione,
quæ in iecore,& venis: neque in tertia,quæ ſingulis partibus efficitur,perfectam
concoctionem admittent. propter has itaque cauſas in pueris,ſemicoctæ reliquię
alimenti plures ſuperſtites ſunt, atque adeò vrinæ eorum ſatis multam habent
ſubſidentiam, quamuis eorum alteratrix facultas robuſtior ſit, quàm in cæteris
comment.33 ætatibus,vt liquet 2. & 3. Prognoſtic.& 3. de Cau.ſympt.in reliquis verò plus ag-
comment.34 gregatur huius ſemicocti alimenti,aut propter ſatietatem, aut propter deſidem
cap.3 vitam,vt eodem 1. de Criſ.ſcriptum eſt. quemadmodum contrà qui multum la-
cap.11 borant,& pauciori cibo veſcuntur,eoq; facilis coctionis & boni nutrimenti, cum
paucum ſit,quod ſemicoctum relinquitur, paucum etiam habebunt in vrina ſe-
dimentum,& interim nullum,ſed aut ſuſpenſum,aut nebulam. liquet inſuper ex
iam dictis, quòd quantumcunque corpora fuerint optimè conſtituta, & tempe-
rata victus ratione vtantur: fieri tamen nequit, vt in eorum vrinis non aliquid
ſubſideat,aut pendeat,aut ſupernatet: cum perpetuò ex ipſa alimentorum natu-
ra aliquid ſemicocti remaneat alimẽti in ſingulis corporibus: erit tamen in eiuſ-
cap.11 modi corporibus quantitate,& qualitate moderatis, vt 1.de Criſ. & 3. art. medic.
cap.85 à Gale.ſcriptum eſt.quanquam in eiſdem etiam corporibus, ſi vrina mingatur in
primo tempore coctionis ſanguinis,multam habebit ſubſidentiam:ſi ea perfecta,
1.de criſ. minus ſubſidebit,vt idem Gal.inquit. nam,dum adhuc ſanguis coquitur, multæ
cap.11 ſuperſunt alimenti reliquiæ,quæ,licet ægrè coquantur, poſſunt tamen in toto re-
liquo coctionis tempore in ſanguinem cõmutari: eadem verò perfecta,paucio-
res ſunt,quæ relinquuntur partes ſemicocti alimenti, ac illæ duntaxat, quæ om-
nino aſsimilari ac in ſanguinem commutari nequiuerunt propter ineptitudinem
cap.11 earum, vt ſupra adnotauimus. id quoque intelligere voluit Galenus eod. primo

de criſibus per humorem, qui crudus nominatur.cum dixit:In optimè ſanis corporibus, ſi tunc mingatur in primo tempore coctionis ſanguinis, ſubſidentiam habere albam leuem, & æqualem,ſed multam,quoniam plus de humore,qui crudus nominatur,cum ea excernitur,licet coctionis ſit ſignum exquiſitum, ſi talis vrina colorem etiam exquiſitè ſeruauerit.

CAPVT III.

VErùm de eo ſedimento,quòd in ægrotantium vrinis viſitur,non adeò ſimpliciter ſentiendum, nec eodem modo, quo ſedimentum in ſanis ipſum generari cum Galeno cenſemus.ſed,quoniam in febribus quæ fiunt ex putreſcentibus intra vaſa humoribus, magna ex parte ſedimētum animaduertimus, ac ab eo coctionis, aut cruditatis ſigna ſumimus;hanc ob rem primò de hoc ſedimento inſtitui verba facere. Id verò nil aliud eſt, (vt ex Gale.colligitur primo de Differentiis febr.& 3.de Præſa. ex pulſibus,) quàm pars quædam eiuſdem putreſcentis intra vaſa ſucci,puri proportione reſpōdens, ſuperante tamen natura:nanque (vt ipſe refert) non ſimpliciter hæc putredo exiſtit, ſed aliquid in ſe continet coctionis remanente adhuc vi coquendi vaſorum, à qua interim qui putrefit humor,ad talem peruenit alterationem,cum non rarò etiam eueniat quòd eadem natura ſit ſuperata:quod quidem aliud genus putredinis eſt. ex quorum duorum generum miſcella alia tertia ſecundum ſpeciem euariat, quoniam & innumerabiles miſcellæ modi, in eo quod magis & minus, reperiuntur. de quibus duobus putredinis generibus, ac de ſubſidentiis eorum pertractare non intendimus,ſed de eo ſedimento quod fit humoribus putreſcentibus intra vaſa, natura tamen ſuperante.habita nanque huius notitia haud ægrè etiam de reliquis haberi poterit.pro quo animaduerſione dignum eſt,quòd licet putredinis natura (vt inquit Galenus vndecimo Methodi medendi.) ſit mutatio totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam à calido externo; tamen, dum quiſpiam humor putreſcit, confeſtim duas ſuſcipit alterationes contrarias: quarum vna eſt præter naturam caloris ipſum corrumpentis,ac alienum à natura reddentis:reliqua eſt ab eo,qui innatus, ſeu ſecundum naturam calor exiſtit, putreſcentem humorem ad contrariū alterans,ipſum conficiens ac concoquens. At hæ duæ actiones, ſeu alterationes non ſemper æquales exiſtunt, ſed interim vna,interim altera actio reliquam vincit atque exuperat.Quandoque verò magis,aut minus vna reliquam ſuperat, aut ab eadem ſuperatur. Et propterea triplex putredinis genus in vniuerſum reſultat, quanquam ex tertio genere ferè innumerabiles miſcellæ modi reperiantur,vt liquet eodem libro primo de Differentiis febrium,cap.ſexto. Cæterùm, quia (vt ibidem ſcriptum eſt) quæcūque in abſceſsibus putredinis ſunt differentiæ,totidem in febribus, quæ ex putredine accenduntur, ſunt eorum, quæ in vrinis apparent formæ:propterea nos quando ſedimentum diximus fieri ſuperante natura; intelligere volumus ipſum fieri ab vtriſque caloribus: quoniam eius materia, putreſcens humor exiſtit: verùm quòd adeo exigua ſit præter naturam caloris actio in eius generatione, quòd ipſa natura, ſeu calor naturalis omnino eam ſuperauerit, atque euicerit: & propterea diſsidet hoc ſedimentum ab eo, quod ſubſidet in vrinis ſanorum; quoniam in illius generatione nullo modo ingreditur præter naturam caloris actio, vt liquet primo Prognoſt. velut in eo,de quo modò verba facimus ex Galeni ſententia citato libro primo de Differentiis febrium. cap.ſexto, quo loco aſſeruit id, quod ſubſidet in vrinis, puri proportione reſpondere, ſuperante tamen natura. qua de cauſa talis putredo (vt ipſe inquit) non ſimpliciter putredo exiſtit,ſed aliquid in ſe continet coctionis.quare fit vt, ſi pus præter naturam ſit cauſæ particeps,ſimiliter & hoc ſedimentum eiuſdem particeps erit. Ex quibus patet error eorum,qui tenent ſedimentum hoc eſſe homogeneū,ac eiuſdem ſpeciei cum eo,quod in ſanis generatur:differunt nanque ſecundum efficientem eorum cauſam:nam illud caloris dūtaxat naturalis opus exiſtit:hoc,licet ab eodem ſuperante integrè extraneum fiat, tamen non adeo ſuperatum eſt, vt nihil in

cap.6 *cap.7* *cap.8* *comment. ult.*

eius generatione operetur; quamuis minima ac exigua ſit eius actio. & propterea ſemper ad vnam ſpeciem terminatur hoc ſedimentum, vnúmque ſuſcipit colorem, odorem, ac conſiſtentiam. quò fit vt vrina optima, quæ ex tali putreſcente humore, coctionem à continente vaſe ſuſcipiente, perficitur, ſit, quæ album, leue, & æquale, & minimè fœtidum ſedimentum habet: peſſima autem, quæ in omnibus maximè contrario modo ſe habet: quæ verò intermedia exiſtit, quantò propius ad alteram acceſſerit, tantò aut melior aut deterior erit, ex Galeni ſententia eodem libro primo de Differentiis febrium. Cum itaque humorum putredo, quæ fit in vaſis, ſimilis ſit ei, quæ in inflammationibus atque abſceſſibus accidit, aliiſque collectionibus, hanc ob rem cum Galeno tenemus ſedimentum hoc eſſe partem quandam putreſcentium intra vaſa ſuccorum. nam, quemadmodum in eis ex materia putreſcente, ſuperante tamen natura fit pus, quod pars exiſtit materiæ facientis inflammationes, ſeu abſceſſus; eodem modo ex materia putreſcente intra vaſa, natura ſuperante, fit id, quod in vrina ſubſidet, ſedimentum, vt citato primo libro de Differentiis febrium ſcriptum eſt. At quòd pus fiat ex tali materia putreſcente, Galeni verba oſtendunt Aphoriſmo quadrageſimoſeptimo ſecundi libri, cum dixit, Pus ex ſanguine ortum habet. qui ſemimalam, vt quiſpiam dixerit, habet tranſmutationem. nam mala ſimpliciter cum putrefactione fit olida: ſicuti quæ ſimpliciter bona, eſt ipſa nutritio partium animalis. At quæ pus generat, medium inter has obtinet locum, neque à ſolo calore extra naturā, neque à ſolo ſecundum naturam procedens: mixtus enim quodammodo ex vtriſque eſt calor inflammationis. Quibus ex verbis liquidò infertur nedum ſedimentum vrinæ, portionem quandam eſſe putreſcentium ſuccorum intra vaſa, verumetiam ipſum cum à calore præter naturam, tum ab eo, qui ſecundum naturam exiſtit procedere, veluti ipſum pus, eo tamen, qui ſecundum naturam eſt, vincente. atque iterum patefit error eorum, qui volunt hoc ſedimentum eſſe eiuſdem ſpeciei cum eo, quod ſanorum eſt, & quod non ſit velut pars humorum. ſed quædam eorum ſuperfluitas illis cōmixta. quæ quidem fuit illud ex cibis, vt ipſi fatentur, quod aut nunc, aut in præteritis diebus refugit ſanguificationē. longe etenim hac eorum chimerizata (vt quiſpiam dixerit) opinione à Galeni ſententia, ac veritate recedunt; cum non modò differant ſecundum efficientem eorum cauſam, verumetiam & ſecundum materiā. neque ſedimentum hoc ſuperfluitas exiſtit, vt ipſi fatentur, ſed pars quædam putreſcentis ſucci. nam, quēadmodum ex quadam veluti ebullitione atque exuſtione ſanguinis, vbi is ex toto exuſtus fuerit, reſiduum eius fit pus ceu ex lignorum exuſtione cinis, vt liquet ex Galeni eodem cōment. Aphoriſ. 47. ſecundi lib. ita quoque ex quadam veluti ebullitione putreſcentium intra vaſa ſuccorum ex ambobus caloribus, vt diximus: tandem vbi naturalis calor materiā ſuperauerit, id, quod tenue in ipſis exiſtit, fumoſum, aut fuligonoſum, natura expiratione & contractione arteriarum expellit: quod verò craſſum, & veluti cinericium, puri ſimile, non perinde, cùm craſſum ſit, poteſt excernere, ſed per inſignes quoſdam meatus educit. & id eſt vrinæ ſedimentum ex Galeni ſententia lib. 3. de Præſag. ex pulſ. Non ab re igitur ſedimentum habet copioſum vrina, quoties morbus ex humoribus crudis fatiget, ſeu ex otio, & repletione febriciter quiſpiam. nam in his exiguū eſt quod tenue exiſtens, ac fuliginoſum poſſit expiratione & contractione arteriarum excerni: multum verò, quod craſſum & veluti cinericiū. Contrà verò euenit, quoties morbus ex biliosis humoribus fiat, ſeu ex inedia, ſeu ex labore quiſpiā febricitet; minimum etenim, aut nullo modo ſedimentum habebit, ſed ſatis erit, ſi habeat ſublimamentum, aut nebulam propter contrarias cauſas. Hic itaque eſt modus generationis ſedimenti in corporibus laborantibus febre orta ex humorū putredine intra vaſa. cuius cauſa materialis putredo, ſeu putreſcens ſuccus exiſtit: efficiens verò, calor præter naturam inſimúlque naturalis, vincente tamen naturali, qui protenſus eſt per ſolida corpora, hoc eſt, vaſorum tunicas. Locus autem vbi generatur, ſunt ipſa eadem vaſa. Verùm nunquid pars ſit eius cauſæ febris,

1. de Differ. febr. cap. 6

3. de praſa. pulſ. cap. 5

quam coniunctam appellant, an eius quam antecedentem nuncupant; nondum
liquet ex dictis. id verò clarum fiet ex dicendis, facta prius ſectione putridarum
ac continuarum febrium, quæ quidem in Galeni doctrina vndecimo Method. cap. 4
medend. ſecundo de Differentiis febrium, ac 2. de Criſ. & aliis pleriſque locis, in cap. 2
duplici differen. exiſtunt. Nam quædam vnam duntaxat habent acceſsionem à cap. 6
principio ad finem vſque: quædam plures. In eis quæ vnam habent acceſsionem,
quoniam in his nulla eſt corporis pars, quæ præcipuè ſit offenſa, ſed humores
duntaxat, qui in maximis ac calidiſsimis vaſis continentur, ob putrefactionē fer-
uentes: & propterea vniuerſum tempus earum in vna conſumitur acceſsione, ex
Gale. decreto, ſecundo de Differen. febrium quod excernitur ſedimentum, nul-
li in dubium venit, quòd pars erit eorum putreſcētium humorum, qui talium fe- cap. ult.
brium immediata cauſa exiſtunt, quam coniunctam appellant, cum aliam nō ha-
beant remotiorem cauſam antecedentem, eò quia vniuerſi eodem tempore pu-
treſcentes eiuſdem febris cauſa fuere, nec ab eiſdem reliqui humores diſpoſitio-
nem talem participant, vt demum & illi iterum putredinem participantes alte-
ram faciant acceſsionem. In reliquis verò continuis, quæ plures acceſsiones ha-
bent, cum duas obtineant internas cauſas, quarum vna totius morbi cauſa exi-
ſtit, & antecedentem nuncupant: altera verò cuiuſlibet particularis acceſsionis,
quam coniunctam vocant: in dubium venit cuiuſnam cauſæ ſedimentum pars
exiſtat. cui reſponſum volo, quòd eius, quæ putredinis particeps eſt. &, quoniam
ea actu putredine participat, ac putreſcens eſt, quæ particulares efficit acceſsio-
nes, coniuncta à Medicis vocatur: nos verò antecedentem magis propinquam
vocamus. nam Gal. 11. Meth. med. humorum putredinem antecedētem quādam cap. 9
febris cauſam nuncupauit. propterea eiuſdem pars ſedimentum erit, & non eius
quæ antecedens magis remota cauſa eſt non particularium acceſsionum, ſed to-
tius morbi: quoniam eadem licet quandam aptitudinem ſuſcipiat ad futuram
putredinem capiendam ſemper ex ea portione, quæ actu putreſcit, ac particula-
rem efficit acceſsionem, nō tamen prorſus putreſcentem eam quiſpiam dixerit.
& propterea ſedimentum, quod quidem pars putredinis, ſeu putreſcentis ſucci
exiſtit, vt ſuperius cum Gale. concluſimus, nullo modo excerni poteſt ex ea cau-
ſa, quam ipſi antecedentem nuncupant: neque vt pars eiuſdem, neque vt ſuper-
fluitas, vt quibuſdam falsò viſum eſt: cum adhuc actu ipſa non putreſcat, nec
putredinem habeat, neque ab eadem natura adeò euicta ſit, vt ex ea ſedimen-
tum excerni poſsit; nam roborandas eſſe vires præcipit Galen. 11. Methodi
medendi, quò putredinem ſuperantes, ſuccos concoquant. quare non prius ſuc- cap. 9
cos concoquit natura, quàm putredinē ſuperauerit: etenim hæc iugiter & magis
ipſam infeſtat. neque eidem cauſæ antecedenti ex aduerſo reſpondet concoctio,
ſed vacuatio, ſi multa ſit: extenuatio, ſi craſſa: & deterſio, ſeu diſſecatio, ſi gluti-
noſa: humorum autem putredini, & excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & ſe-
miputridorum concoctio ex aduerſo reſpondent, vt idem Gal. inquit. Id verò lu- 11. Method.
ce clarius experientia comprobat, cum non modò continentes febres, quę vnam med. cap. 13
duntaxat habent acceſsionem, ſed etiam eas continuas, quæ plures habent, ſæ-
penumero inſpiciamus per vrinas iudicari. Atqui iudicari haudquaquam poſ-
ſent niſi per eas, quæ putreſcit, cauſa earum excerneretur: idq; non aliud, quàm
ſedimentum eſt. Amplius Gale. citato libro vndecimo Metho. meden. decretum cap. 9
reliquit expellenda eſſe ea, quæ putruerunt, per aluum, ſudorem, atque vrinas, &
interim per vomitum: quotidieque illud in curandis febribus ex putredine ortis
obſeruamus. Fruſtra itaque Gal. id inſtituiſſet, ac nos exequeremur, niſi quæ pu-
truerunt, per vrinas excernerentur. Ad hæc propter quid Gal. lib. 3. Artis med. in cap. 89
febribus, quæ ex putreſcentibus accenduntur ſuccis, coctionem dixiſſet eſſe, quæ
putredinem finit, ſeu quieſcere facit, manente adhuc ſubſtantia: & eodem 11. Me- cap. 9
thod. meden. putreſcentes humores concoquere inter alia iuſsiſſet, vt ipſos ſanes,
niſi natura, eorundem putreſcentium humorum coctionem pręcipuè intenderet:
ex quibus demum, cum fuerint ab eadem ſuperati atque euicti, ſedimentum ex-

cernitur modo,quo diximus? Eſt itaq; pars putreſcentium intra vaſa ſuccorum, vrinæ ſedimẽtum; cum ipſi à natura fuerunt ſuperati,atq; euicti: & non eorum, qui adhuc putreſcentes non ſunt, ipſarum febrium putridarum antecedentes (vt illi dicunt) cauſæ exiſtentiũ,qui ab eadem non adhuc ſuperati, neque euicti ſunt, neque eſt ſuperfluitas quædam eorundem, vt quibuſdam placuit, velut ex iam dictis liquidò conſtat. & propterea nil mirum, ſi in principio dictarum febrium ſedimentum in vrinis non appareat,tam in eis quæ vnicam habent acceſsionem, quàm in eis quæ plures. etenim natura adhuc putreſcẽtem humorem haudquaquam ſuperauit adeo,vt craſsiorem partem putreſcentium humorum manifeſtã ac notatu dignam per vrinas valeat excernere,& proinde in eis quidpiam poſsit ſubſidere: quanquam id quod tenue eſt, fumoſum, aut ſuliginoſum natura exiſtens,quodammodo expiratione & cõtractione arteriarum in nonnullis earum expellat. & hanc ob rem maximum (vt inquit Gal.) putridarũ febrium indicium exiſtit vrinæ cruditas, quanquam etiam debilis concoctio proprium earundem indicium ſit: etenim proprium ac inſeparabile huic febrium generi eſt, vt vrinæ primæ vel omnino crudæ,vel debiliter coctæ principio aſſociẽtur,vt liquet lib.1. *cap. 7* de Diffe.feb.Hanc eandẽ ſententiam videtur Arabum princeps confirmare ca.7. lib.4.fen. prima,tracta.2.cum dixit,quòd vrinæ in febribus acutis non habent in principiis earum ſedimen: deinde fiunt habentes ſedimen,& quòd ſedimen laudabile aliquid aliud non eſt niſi humor faciens ægritudinem, qui iam digeſtus eſt.Sed mox obiiciet quiſpiam aſſerens,ſi vrinæ ſedimentum in continuis febribus ex putreſcentibus humoribus ortis eſt pars eius putreſcentis ſucci,qui particularem efficit acceſsionem: quomodo indicabit ſupra vniuerſum morbum in iis febribus, quæ plures acceſsiones habent?Seu quomodo nobis oſtendet eam, quæ eſt totius morbi,cauſam,ac antecedens vocatur à Medicis, eſſe coctam, ſi eiuſdem pars non exiſtit? Cui reſponſum ſit, quòd ea portio putreſcentium humorum, cuius pars ſedimentum exiſtit, (vt ſuperius adnotauimus) licet actu putreſcat; ab antecedente,quæ eſt totius morbi cauſa, ſecreta eſt,quãdo particularem efficit acceſsionem. & vbi eadem in ſummo feruore exiſtit, quod huic continuum eſt,adeo calfacit ac diſponit,vt,dum remiſerit eius calor ac feruor, idem iterum incaleſcat,putreſcat,atque efferueſcat,quouſque ſummum feruorem obtineat: eoque rurſus deferueſcente,& reliqua pars cõtinua paulatim ſuccenditur ac efferueſcit,ſeruaturque circuitus hic,quoad vniuerſa totius morbi antecedens cauſa (quæ vt talem ſuſcipiat alterationem, aptitudinem habet) fuerit conſumpta,ac in parto ſuperfluitates generante idem ſeruatur effectus, vt liquet ex ſen- *cap.5* tẽtia eiuſdem Gal.1.& 2.de Diffe.feb.Cùm itaque ea humoris pars, quæ parti- *cap. ult.* cularem efficit acceſsionem,in ſimilem eius naturam alteret atque diſponat antecedentem, quæ eſt totius morbi cauſa,& potiſsimùm ac magis id, quod ſibi continuum eſt,& hinc reliquum: propterea quia ſemper ad continua diſpartitã continet caliditatem,ſuoque contactu vicinos humores ad putredinem trahit & quod natura putreſcere aptum eſt:atque ordo hic(prout diximus) ſeruetur,quouſque morbus iudicetur,nec efferueſcere deſinat vnquam pars vna, quin altera ſibi continua ſuccendatur atque efferueſcat: aliàs continua non eſſet febris: non ſine forti ratione poteſt vrinæ ſedimentum coctionem ſignificare cauſæ antecedentis, ac totius morbi; cùm ſedimentum pars ſit putreſcentis ſucci,& putreſcens ſuccus pars antecedentis cauſæ. Qua de re qualis naturæ erunt partes, eiuſdem quoque & totum eſſe conuenit.Et ob hanc rem Hip.vrinam optimam eſſe dicebat non ſolùm ſi ſedimentum haberet candidum & leue: ſed ſi æquale eſſet per omne tempus,dum morbus iudicaretur; hæc nanq; ſedimẽti æqualitas cum eiuſdem albedine & leuitate eſt:quę vniuerſum morbũ,vniuerſamq; eius cauſam antecedentem cõcoctam atq; euictam eſſe à natura indicat: ſimiliter,ſi ſedimentum nõ æquale ſemper appareat,ſed interdum tale, quandoque diuerſum exiſtat; ſignum erit quòd alius concoctus deuictusq; à natura conditus in conceptaculis humor,alius incoctus exiſtat. & propterea morbus diuturnior erit, vt ex eiuſdẽ

Hip.& Gal.ſententia liquet.2.prog. Siue igitur antecedens illa cauſa, quæ vniuerſum efficit morbum fuerit homogenea,ſeu ſimilaris,ſiue heterogenea, ſeu diſsimilaris,ſemper ſedimentum iudicabit nunquid cocta ſit,vel ſemicocta:cum eandem neceſſariò participet diſpoſitionem,quam in ea,quæ actu putreſcit, & particulares efficit acceſsiones,pars eius exiſtens,per ſedimentum vrinæ animaduertimus,potiſsimum vbi non vnum duntaxat inſpexerimus ſedimentum,ſed plura. id quod conſiderandum præcipuè iuſſerunt Hippoc.& Gale. Verùm quid de intermittentibus putridis febribus ſentiendum ſit,non ab re quæret quiſpiam, num ſedimentum antecedentis cauſæ (vt ipſi dicunt) pars ſit, vel coniunctæ, hoc eſt, eius,quæ putreſcens eſt,& particulares efficit acceſsiones: quam nos cum Galeno antecedentem etiam vocamus cauſam, ſed magis propinquam, ipſius febris putridæ continentem (quam ipſi dicunt coniunctam) non admittentes. Reſpondebimus nos,quòd,cum in intermittentibus febribus putreſcens humor,qui particulares efficit acceſsiones, haudquaquam intra vaſa exiſtat: propterea ex eo ſedimentum excerni minimè putamus.Nam,cum id neceſſum ſit cum vrina excerni,& vrina nota ſit eorum duntaxat ſuccorum, qui in vaſis continentur, non modò ſecundum conſiſtentiam, & colorem, ſed etiam cum his,quæ in ea pendent,aut ſubſident, (vt inquit Galen.4.de Sanitate tuenda) reliquum eſt,vt ſupra reliquos humores,qui extra vaſa continentur, ſignificare non poſsit: potiſsimùm quia notitiam eorum per reliqua ſigna habemus partim ex ſudore, ac colore: partim etiam ex temperamento, ætate, anni tempore, anteacta vita, & reliquis huiuſmodi.Conſonum itaque eſt idem ſedimentum in quibuſuis febribus intermittentibus ex humorum putredine ortis ab ea cauſa ſecerni,quæ antecedens,ac remotior febris eſt,& intra vaſa continetur: nam, cum hæc putredinis particeps non ſit,à calore duntaxat naturali alteratur, euincitur, ac quodammodo concoquitur, & aſsimilatur prædictis tunicis vaſorum, quæ aſsimilata quodammodo,atque euicta, ſi de numero eorum humorum ſit, qui in eorum nutrimentum commutari omnino non valeat,confeſtim ab eiſdem vaſis velut ſuperfluum exiſtens repellitur, ac ſimul cum vrina excernitur tanquàm pars quædam eorundem humorum intra vaſa redundantium à calore naturali vaſorum quodammodo euicta. Non tamen negamus interim (quanquam ex accidenti, & raro) partem quampiam putreſcentis humoris extra vaſa particulares acceſsiones efficientis poſſe per vrinas expurgari, velut eiuſdem ſedimentum exiſtens à ſuperante calore aliarum partium ſolidarum, quam tunicarum vaſorum, euictam atque aſsimilatam,ac puri ſimilem redditam. nam interdum per veſicam & renes omne animal expurgatur, aut partium aliquarum in eo excrementa quædam incidentia venis purgato ſanguine de renibus excernuntur, quemadmodum etiam & abſceſſus quoque ſæpenumero per vrinam expurgantur, vt liquet ex Gal.2.Progno.vt plurimum autem ſedimentum, quod in vrinis viſitur in eiuſmodi febribus ex ea cauſa antecedente, quæ intra vaſa continetur, & non ex ea, quæ extra vaſa putreſcit, tanquam pars eiuſdem ſecernitur. poteſt namque eadem à naturali calore vaſorum concoqui quodammodo, ac per vrinam excerni, cum non magnopere nec continuè ab hac putredine extra vaſa exiſtente natura moleſtetur, quemadmodum ab ea, quæ intra vaſa conſiſtebat. Eadem quoque ratio exiſtit in corporibus non inculpatam ſanitatem habentibus, haudquaquam tamen ægrotantibus, vbi humores in eis redundarint. nam,ſi in toto habitu contineantur,per alia ſigna,quàm per vrinas, & earum ſedimenta dignoſcemus.At,ſi intra vaſa redundantes detineantur, per vrinas: & num iidem cocti,vel crudi ſint,per ſedimenta ſimul cum ipſis vrinis animaduertimus,earum etiam conſiſtentia atque colore perpenſis. Verùm diſsidet quoque ſedimentum hoc ab eo, quod in ſanis corporibus ſecernitur; nam illud eſt pars alimenti, vt diximus: hoc verò eſt pars redundantium ſuccorum intra vaſa, quanquam in efficiente cauſa communicent; nam vtriuſque natura, ſeu calor naturalis vaſorum, efficiens cauſa exiſtit nullam ferente opem extraneo ac

2.prognoſt. com. 26

4.de Sanit. tuen.cap.4

2.Progno. comment.37

præter naturam calore: quoniam in eorum generatione eius actio prorſus nó ingreditur. Cæterùm nó ab re quiſpiam hanc noſtram opinionem impugnabit aſſerens, ſi ſedimentum in ægrotantibus corporibus alterius ſit ſpeciei, ac diuerſæ naturæ ab eo, quod in ſanis generatur; quomodo, ac qua via valeamus in eiſdem ægrotantibus corporibus diſtinguere, quando ſedimentum ipſum ſit pars putreſcentis humoris, aut etiam non putreſcentis, ſi in eiſdem citra putredinem intra vaſa redundet, & quando ſit veluti reliquia quædam ſemicocti alimenti, quemadmodum diximus in ſanis corporibus generari. Nam & in his quoq; ſemper aliqua alimenti portio in ſanguinis generatione naturæ ſubterfugit confectionem: vel dicendum erit vnum in eiſdem corporibus ſedimentum excerni compoſitum ex vtriſque. Pro quo animaduertendum, quòd in dictis corporibus licet ex reliquiis ſemicocti alimenti quotidie ſedimentum aliquod ex naturali vaſorum facultate generetur; tamen, ſi idem cum putreſcentibus intra vaſa ſuccis, aut etiam citra putredinem redundantibus qui ab eodem innato calore euicti ſint, miſceatur, certum eſt, quòd in eorum naturam vertitur, potiſsimùm cum ipſum exiguum ſit, humores verò redundantes multi. Qua de re vnicum erit ſedimentum, quod erit velut pars eorundem redundantium ſuccorum euictorum iam ab ipſa natura, qualiſcunque fuerit redundans ſuccus; etiam ſi putredinis, aut non putredinis particeps ſit. Nam impoſsibile eſt ſuam ſeruare naturam, cum primum iam dictis humoribus redundantibus commixtum ſit: quinimo confeſtim in eorum naturam mutatur. Verùm, ſi contingat ſedimẽtum ipſum, quod diximus in ſanis ſecerni ex ſemicoctis alimẽtis, haudquaquam cum humoribus intra vaſa contentis permiſceri (id quod fieri poterit, ſi in quibuſdam vaſis ipſum genitum ſit, & in reliquis quibuſdam humores putreſcentes, aut non putreſcentes contineantur) putamus ipſum interim ſecerni poſſe diuerſum ab eo quod ab iiſdem redundantibus ſuccis excernitur. Qua de re tenemus duo ſedimentorum genera in eiſdem corporibus modo iam dicto affectis ſecerni poſſe: quorum vnum pars erit redundantium intra vaſa ſuccorum, tam ſi putridi, quàm non putridi extiterint. Reliquum verò portio quædam ſemicocti alimenti: immo quicquid in ſanguinis generatione naturæ confectionem ſubterfugerit, modò intra vaſa conſiſtat alia ab eis, in quibus redundantes ſucci continentur, & cum vrinis excernatur. Sed porrò non ab re adhuc quiſpiam quęret, quî fieri poſſit, vt vnum ab altero ſedimento in hiſce corporibus diſtinguere valeamus. Huic reſponſum ſit, quòd notitia habita qualis nam naturæ ſint redundantes ſucci, ac quantum fuerint ab ipſa natura euicti, cuius item conſiſtentiæ, ac coloris ſit vrina, qua cum ſedimentum excernitur, ac quale ſit ſedimentum ipſum, ſimiliter quale, ac quantum fuerit alimentum aſſumptum, haud ægrè quiſpiã diſtinguere poterit, num quod excernitur ſedimentum, ex humoribus redundantibus, vel ex ſemicoctis alimentis fuerit genitum. Nam, ſi quantitate & qualitate aſſumptis alimentis proportione reſpondeat, ſitque conſimilis conſiſtentiæ, ac coloris vrina ipſa, tanquam pars ſemicocti alimenti, ipſum ſecerni putãdum eſt, potiſsimum ſi neque eiuſdem ſedimenti conſiſtentia, nec color pro portione reſpondeat qualitati, ac diſpoſitioni, & naturæ tum morbi, tum etiam redundantis ſucci. At, vbi ſedimentum ipſum naturæ, ac diſpoſitioni redundantium ſuccorum, ac morbi conſimile ſit tam conſiſtentia & quantitate, quàm colore: ſitque eiuſdem rationis vrina colore & ſubſtantia, nulli in dubium venit ſedimentum hoc tanquam partem eorundem redundantium humorum à natura euictorum excretum eſſe. Nec cuipiam à ratione alienum videri debet, quòd interdum mingatur vrina, cuius ſedimentum ſit ex ſemicoctis alimentis exortum: interim verò cum ſedimento, quod pars ſit redundantium ſuccorum intra vaſa, cùm neque Hippocrati & Galeno alienum viſum ſit, interdum alium concoctum, atque deuictum à natura conditum eſſe in vaſis humorem, alium verò incoctum, & propterea interdum in vrinis ſedimentum apparere candidum ac leue: interim verò longe diuerſum exiſtat ita, vt aliquis hanc ob rem poſsit vna die vri-

nam inculpabilem: altera verò ſequenti nocte, vel die culpabilem emittere, vt liquet ſecundo Prognoſtic. Similiter quoque non inconuenit, quòd in ægrotantibus corporibus quandoque vrina cum ſedimento, quod pars ſit redundantium humorum, mingatur: interdum verò cum eo, quod ex alimentis ſecernitur: cum in diuerſis vaſis, & ab alia quoque materia, abſque tempore vtrunque generetur. Eadem quoque ratio habenda erit de nubeculis, ac ſuſpenſis, ſi cum vrinis eadem excernantur, & non ſedimenta: aut ſi interim vnum, quandoque alterum in vrinis inſpiciatur. Neque obiter hæc animaduertenda erunt, ſed peraccuratè perpendenda: nam ſæpenumero euenit, vt etiam non vulgares medici in hac re valde cæcutire videantur, ita vt ſedimentum ex alimentis ſecretum putent partem eſſe humorum in vaſis redundantium, ac eorundem coctionis ſignum exiſtere. Qua de re in prædictionibus valde decepti ſunt, ita vt quos prædixerant ægrotos euaſuros, non ſine maxima eorum ignominia quandoque interire conſpexerint. Hæc de ſedimentis ſanorum, ægrotorúmque corporum, cum Hipp. & Gal. ſentimus intelligentes de eis, quæ ſecundum naturã & vera ſedimenta exiſtunt, & non de his, quæ æquiuocè & præter naturam ſedimenta appellantur, veluti ea quę ſimilia ſunt farinæ craſsiori, ſquamoſa, ſeu furfuracea, aut, vt quiſpiam dixerit, arenuloſa, ac orobo ſimilia, & reliqua huiuſmodi. nam de his aliter cum eiſdem auctoribus ſentimus, neque de eis pertractare nunc propoſuimus. dabitur tamen fortaſſe de his, & aliquando ſcribendi locus, quanquam de eorum generatione nulla ferè adſit differentia inter auctores qui de eis verba fecerunt. Si qua verò hoc in tractatu ſtudioſi ſæpius repetita animaduerterint, nos conſultò illud feciſſe putent: res etenim perutilis, ac ad artem neceſſaria, & cum tyronibus agenda erat: quod neque Hippocrates neque Galenus in ſimilibus veriti ſunt facere. *commen. 26*

DONATI

DONATI ANTONII
ALTIMARI
TRIVM QVAESITORVM NONDVM IN GALENI DOCTRINA DILVCIDATORVM COMPENDIVM.

Primum: Quòd functiones principes iuxta Galeni decreta, Anima non in cerebri ſinibus, ſed in ipſius corpore exerceat.

Secundum: Quòd naturalis ſpiritus in Galeni doctrina admittatur, & non omnino ſit dimittendus, ut quibuſdam uiſum eſt.

Tertium: Quòd exquiſita Tertiana ad eiuſdem Hippocr. & Galeni ſententiam in genere acutorum morborum contineatur.

Quòd functiones principes, iuxta Galeni decreta, Anima non in cerebri ſinibus, ſed in ipſius corpore exerceat.

cap.7 TRES eſſe animæ partes Platonis auctoritate Galenus quinto de Hippocra.& Platonis Decret. &
7.eiuſdem. ſeptimo eiuſdem ſcriptum reliquit, ſubſtantiis, naturis, facultatibus, ac functionibus non tantùm
cap.3 differentes, ſed corporis ſedibus. quò fit vt tres quoque, quæ vitam noſtram gubernant, facultates, ac tria principia ſint in tribus diuerſis corporis ſedibus, velut apertè ex eiuſdem ſentent. liquet. Horum principiorum vnum in capite collocatum eſſe aſſerit: idque munus habet per ſe quidem, vt imaginationem, memoriam, intellectionem, cogitationémque cauſet: per aliud verò, vt ſentientibus animalis membris ſenſus, iis autem, quæ per appetitionem mouentur, motus originem præſtet. Alterum in corde ſitum eſſe voluit, eiúſque opera, vt ex illius ſententia conſtat, ſunt animæ tenor, quem Tonon dicunt, & in his, quæ ratio iuſſerit inuicta conſtantia. Eiuſdem in perturbationibus eſt quaſi feruor quidam inſiti caloris, cùm anima vindictam de eo ſumere cupit, qui videtur offendiſſe, quæ ira appellatur. per aliud etiam id efficit, vt membris ſigillatim omnibus calorem, arteriiſque illam micationis pulſus agitationem ſuppediter. Reliquum & tertium principium, ſeu facultatem, in iecore ſedem obtinere dixit, vniuerſam in animali nutricationem procurans, cuius maxima pars & nobis & ſanguineis omnibus ſanguinis eſt procreatio. Ad eandem hanc facultatem pertinet iucundarum rerum fruitio, in qua cùm vehementius, quàm par eſt, mouetur, incontinentiam intemperantiámque efficit. In hoc tamen hæ facultates, ſeu virtutes inter ſe diſcrepant, quòd prima rationalis, aliæ verò duæ irrationales appellantur: & quòd quæ in irrationalibus partibus exiſtunt virtutes, habitus quidam tantùm, & potentiæ ſunt: in rationali autem non habitus modò, ac potentia: ſed ſcientia etiam eſt virtus: cum hæc ſola animæ pars ſcientiæ capax, particépsque habeatur, reliquæ verò potentias quidem, & habitus ſiue bonos, ſiue malos poſſunt acquirere: ſcientiam verò, quoad rationis fuerint expertes, minimè poſſunt. At relictis irrationalibus partibus, ſeu

bus,ſeu

bus,ſeu potentiis ad eam, quæ rationalis eſt, accedemus. huius ſedes ad Galeni mentem in cerebro exiſtit, atque ob id inter tria principia principaliſsimum eſt: huic enim natura tribuit imperare, dominari, corpúſque hominis regere, cùm opus eſt,velut liquet 3. de Hippocr.& Plato.decret.& ſi alia quadam ratione cor principatum obtinear, vt patet 5. de Loc. aff. quamuis vtrum in eo tanquam in domicilio,ſeu arce ſit,an tanquàm corporis forma ab ipſo inſeparabilis, hucuſque decretum non reperi,vt dicemus, niſi quòd cerebrum continet in ſe ipſo rationalem animam,veritus perpetuò quid eſſet eius ſubſtantia: quam,tanquàm inueſtigari non neceſſariam pro his quæ dicturi ſumus, adhuc nos ſubticentes,ad ea,quæ tractanda petiſti, deueniemus: An.ſ.principes animæ functiones iuxta Gale.doctrinam in vna cerebri parte, vel diuerſis perficiantur, ſeu in vno,vel diuerſis ſinibus, aut ventriculis. Pro huius dilucidatione animaduertas oportet principes functiones propterea appellari,Gale.teſte lib. artis medic. non quòd initiatæ in cerebro,aliis committantur partibus,vt motrix & ſenſibilis operatio: ſed,quoniam à ſolo principio proueniunt, has quoque proprias ipſius cerebri.2.de Loc.aff.nominauit,vt quæ à nulla alia parte,vt inſtrumento,fiant. & 7. de Hippocr.& Plato.decre. has functiones aſſeruit eſſe per ſe munera eius principii,quod in capite collocatum eſt,cùm non per aliud eas cauſet, velut motum, & ſenſum.Harum verò differentiæ & ſi quamplures ab Auicen. & Auer. ponantur,quia tamen nec cum his barbaris,nec aliis quibuſcunque etiam Græcis, ſeu Latinis, ſed cum Galen.tantùm res agenda erit,vt petiſti: ideo ad eius mentem tres ſtatuendæ ſunt,vt patet 7. de Hippoc.& Plat. decret.lib. Artis medic. & lib. de Differ.ſympt.quarum vnam phantaſiam,ſeu imaginationem, alteram cogitationem ſeu intellectum, & tertiam memoriam appellat. Has functiones cùm in ſua propria ſede,hoc eſt,in cerebro anima ipſa perficiat (vt dictum eſt) citra aliam partem,ſeu organum,ipſúmque cerebrum in plurimas diſcriminatum ſit partes,nonnulloſque in ſe contineat ſinus,ac ventres, duos quidem in eius anteriori parte, vnum in media, & reliquum in eius poſtrema parte: auſi ſunt quidam,licet temerè,aſſerere ad Galeni mentem animam in diuerſis ſinibus operari,vtpotè in anterioribus cerebri ſinibus, ſeu eius anteriori parte imaginationem,in medio cogitationem ac intellectum,in poſtremo memoriam. At nos, quàm parùm hi Galeni doctrinam guſtarint, qui talia fatentur,oſtendere conabimur,ſupponentes prius,quòd per imaginationem nil aliud velit Galenus intelligere,quàm ſpecierum,ſeu formarum receptionem à ſenſibus repræſentatarum,ſiue præſentibus ipſis,ſiue abſentibus obiectis ſenſibilibus.& propterea nullum modò facio diſcrimen in eius doctrina inter ſenſum communem, & imaginatiuam: licet perſpicaciores quidam velint eò diſcrepare,quòd ſenſus communis recipiat præſentibus obiectis ſenſibus: phantaſia autem ſeu imaginatio conſeruet abſentibus ipſis. pariter per cogitatiuam intelligo diſcurſum, ſeu ratiocinationem,qua mediante anima diſcurrit, ratiocinaturque componendo, ſeu diuidendo ea, quæ in phantaſia ſeruata ſunt, nullum ſimiliter diſcrimen faciens modò inter cogitatiuam & intellectū: per memoriam verò intelligens illam formæ,ſeu ſpeciei reuocationem hactenus impreſſæ, ſeu ſigillatæ in ipſa phantaſia, ſeu imaginatiua,ſiue ea fuerit perfectè ſigillata,& impreſſa; & proinde promptè reuocetur,ſiue amiſſa ferè & abolita,vt ægrè reuocetur, ex quacunque cauſa illud fiat: quamuis Ariſtot.vnam memoriam,alteram verò reminiſcentiam appellet,intelligens per memoriam tantùm reuocationem illius formæ,ſeu ſpeciei hactenus in phantaſia impreſſæ,veluti pictura quædam, à qua paſsionem quandam recipiens ipſa imaginatiua ſigillatur, velut cera à ſigillante annulo. huius autem paſsionis habitū memoriam appellat Ariſt.aſſerens,memoriam eſſe phantaſmatis habitū. ea verò eſt præteritorum,ſed non præſentium,nec futurorū.Hac facultate etiam participes ſunt (ad eius ſententiā) alia quædam animalia præter homines. inter quos quidam non ab re difficulter memorantur,aut immemores ſunt, vt ratione ætatis diuerſæ,pueri & ſenes,vtrique propter motū: tamen illi in augmento

3.de Plac. Hippoc.& Plat.cap.5
cap. 1
Lib.de Arte med.cap.12
cap.ult.
7.de Plac. Hippoc.& Plat.cap.3 & ult.
7.de Hipp.& Plat.pla. cap. 3.idē lib.art. med. cap. 12. de different. ſimp.cap.3

gmento,hi verò in decremẽto multo ſunt.Et proinde illis humidioribus exiſten-
tibus,tanquàm in aquam fluentẽ incidente motu,& ſigillo, non manet phantaſ-
ma in anima,inquit ipſe:his verò,propter eſſe frigidos ac duros,nõ ineſt impreſ-
ſio,nec tangit,licet eam accipiant.At per reminiſcentiã, eam animæ functionem
intelligit,qua ad venãdum formam mouetur hactenus in phantaſia impreſſam,
verùm nũc oblitam. &,cum magna ex parte hoc difficile ſit, potiſsimum ſi lon-
gum fuerit interpoſitũ tempus:propterea vt à ſimili,vel à contrario, aut propin-
quo,ac velut quodam vtens ſyllogiſmo reminiſcitur: eſt enim, vt ipſe inquit, re-
miniſci,vt ſyllogiſmus quidam.hoc autẽ eis ſolis accidit,quibus & deliberatiuum
ineſt natura.Reuertendo igitur ad id,vnde digreſſa oratio eſt, dicimus cum Gal.
tres eſſe principes animæ facultates: quarũ munera,vt diximus, ſunt imaginari,
cogitare,& memorari. at,cùm ipſarum operationes circa phantaſmata ſint, quæ
quidem in organis habent deſcribi propter eorum cum materia dependentiam,
neceſſariò has facultates organis perfici exiſtimandum eſt.Qua de re nõ imme-
ritò de hoc ipſarum organo in dubium venit,non ſiquidem vtrum ſit cor,aut ce-
rebrum:quoniam luce clarius eſt apud Gal.cerebrum eſſe,vt retulimus,ſed an di-
uerſis,vel vno cerebri ſinu,aut in ipſomet corpore cerebri perficiantur. Pro quo
iterum animaduertas oportet,ratiocinatricem animã, ſiue ea in cerebro ſit tan-
quàm in arce, ſeu domicilio, ſiue velut quædam eiuſdem corporis forma, ſeu
ipſiuſmet cerebri temperamentum;cui forte ſententiæ potiſsimum adhærere vi-
cap. 3 detur Galen.eo libro,qui inſcribitur,Quòd animi mores corporis ſequãtur tem-
peraturas,cum plures habeat facultates, ſeu efficaces cauſas, eas medio animali
ſpiritu perficere,qui neque eſt eius ſubſtantia,nec eiuſdem quaſi domicilium, vt
Stoici ſenſerunt,ſed primum eius inſtrumentum:nam qualiſcunque ſit animæ ra-
7. de plac. tiocinatricis ſubſtantia, ſiue corporea, ſiue incorporea, eius habitaculum eſt in
Hippoc. & ipſo cerebri corpore,vt eidem Galen.placuit 7. de Hippocr.& Plat.decret. Spiri-
Plat. cap. 3 tus autem animalis eius eſt primum inſtrumentum pro ſenſibilibus, ac volunta-
riis motibus perficiendis,vt ipſe teſtatur. & proinde,ſi exinanitus fuerit, minime
animal vita priuat,ſed ſtupidum, ſenſu motuque erepto, tantiſper reddit, quo-
aduſque collectus reſtituatur. Is,ſi animæ eſſet ſubſtãtia, fieri nullo modo poſſet,
quin ſimulatque ipſe eſſet euacuatus,continuò quoque animal interiret. eſt deni-
que animalis ſpiritus non animæ ſubſtantia, ac velut domicilium, ſed eius pri-
mum inſtrumentum ad Galeni ſententiam: qua ratione & animalis dicitur, qui
Loco cit. ex vitali ſpiritu perfectius concocto (vt Gal.viſum eſt eod. 7.de Hippo.& Plat.
decr.) oritur. Oportuit nanque ipſum exquiſitiſsimam omnium immutationem
adipiſci,quò aptum fieret animæ inſtrumentum. qua de re non immeritò natu-
ra,cum e vitali animalem hunc ſpiritum efficere ſtuderet,reticularem quendam
contextum, quem Græci πλέγμα δικτυοειδὲς dicunt, quaſi varium quendam
labyrinthum iuxta cerebrum ad eius baſim fabricauit, velut propriis oculis non
ſemel,dum eius anatomen adminiſtraremus,inſpexiſti, & ſi quidam falsò contra-
rium ſenſerint.Conſtruxit, inquam, hunc plexum quadam non parua portione
ſoporariarum arteriarum aſſumpta, ac in tenuiſsimas partes diſcuſſa, cancellatis
fibris ad retis formam. Ex hac textura iterum tam magnum exoriens arteria-
rum par,quantum id,quod è ſoporatis proceſſerat, à principio in cerebrum in-
greditur, & cum alias partes, tum ventriculorum ambages multis ramulorum
implicationibus inueſtit:quibus & in ventriculos ipſos,ac in eiuſdem cerebri cor-
pus elaboratus iam vitalis ſpiritus diſtribuitur, ac in animalem vertitur.Eius
nanque generatio materiam habet propriam vitalem, inquam, ſpiritum, prout
cap. 4 Gale.teſtatus eſt.9.de vſu partium.Nam quoad in arteriis continetur, vitalis eſt
cap. 3 & dicitur,prout idem Gale.ſcriptum reliquit 7.de Hippoc. & Plat.decre.velut is
qui in crebro, animalis eſt & dicitur. Ipſius nanque veluti fons cerebrum exi-
cap. 5 ſtit, vt patet 12. metho.medendi,rigatúrque hic ſpiritus animalis ac alitur non
tantùm ex eo,quem reticularis plexus ſuppeditat,verumetiam & ex aëre inſpi-
cap. 5 rato ac per nares attracto,vt patet lib.de Vſu pulſ. & de vtili reſpir.qui verò ſpi-
ritus

ritus cerebri ventriculis incidunt prioribus, denuo conficiuntur ac præparantur in eis noua quadam præparatione præter eam, quam fieri in reticulari plexu diximus: ac tum primùm incipit nomen animalis ſpiritus ſubire, quamuis imperfectus adhuc is ſit, ac incoctus: ea de re conficitur prius in eis, ac præparatur, & demum à poſteriori ſinu excipitur per medium meatum, ſeu ventriculum ipſum tranſſumens, vt Gale. placuit. 8. de vſu partium. & ita demum exquiſitè elaboratus animalis is ſpiritus primùm exiſtit rationalis animæ inſtrumentum cùm in ſenſibilibus actionibus omnibus perficiendis, tum in his quæ à conſilio & voluntate prodeunt, prout patet 7. de Hippo. & Plato. decre. & 4. de lo. aff. quamuis potiſsimùm eo vtatur ſpiritu, qui in poſtremo ventriculo continetur tanquàm exquiſitius elaborato, & eo qui in medio, vt liquidò conſtat 3. de Locis affectis, cùm dixit animam in ſenſibilibus actionibus omnibus, ac in his quæ à conſilio & voluntate prodeunt, ſpiritu vti animali tanquam primo ipſius inſtrumento, qui in ventriculis, maximeque poſtremo, continetur: quamuis non contemnendus ſit medius ventriculus, perinde quaſi non principaliſsimus, ſeu valentiſsimus ſit: multis enim rationibus inducimur, vt hunc amplectamur: duos verò anteriores deſeramus. Ex quibus Galeni verbis conſtat, quòd quamuis anima ratiocinatrix pro inſtrumento vtatur animali ſpiritu contento in cerebri ſinibus, dum ſenſum & motum perficit: tamen eo maximè vtitur, qui in poſteriori continetur ventriculo, ac medio, vtpote qui perfectior, ac maioris facultatis exiſtat, eo poſthabito, qui in anterioribus tanquàm impuro adhuc, ac imperfecto exiſtente, & materiali magis, ac ad eius vſum inepto, cum in eis elaboretur, ac purgetur, vt diximus. quo fit, vt poſterior cerebri ventriculus merito anterioribus minor factus ſit, vt idem Galenus aſſeruit 8. de Vſu partium. Inſuper propter hoc, ſi cerebrum ipſum quomodocunque incidas, non prius ſenſum & motum amittit animal, quàm ad aliquem ventriculum vulnus penetrauerit: quin etiam patet quòd poſtremi quidem ventriculi vulneratio maximè omnium animal lædit: ſecundo loco medij, & minima ex anterioribus vtriſque noxa contrahitur, eodem Galeno auctore 7. de Hippocr. & Plat. decret. illud quod etiam experientia comprobauit in adoleſcente in Smyrna Ioniæ, qui ſuſcepto vulnere in altero anteriorum ventriculorum ſuperſtes tandem euaſit, vt tum 8. de Vſu partium, tum comment. Aphoriſ. 18. 6. lib. teſtatus eſt. Hic denique vſus habetur ab eo ſpiritu, quem arteriæ à retiformi plexu exortæ in cerebri ſinus eructant. At, quoniam nonnullæ earum progerminationes præter prædictas ad tenuem membranam per cerebri corpus penetrantem inſeruntur, ad has quoque partes portionem non minimam vitalis illius ſpiritus prius in prædicto plexu elaborati eas deferre cenſendum eſt, vt etiam teſtatus eſt Galenus 9. de vſu part. & 7. de Hippocr. & Plat. decret. illudq; liquidò in diſſectionibus ſpectari poteſt. Ea de re animalem quoque ſpiritum in ipſo cerebri corpore contineri alienum à ratione non eſt: nam, cùm primùm ex arteriis decidit in cerebri corpus, non amplius vitalis, ſed animalis eſt & dicitur: cùm ille in corde & arteriis tantùm locum habeat: hic verò in cerebro, vt paulò antè retulimus. Nec id quoque Galenum latuit, cùm 8. de Vſu partium talia protulit verba: Poſtea verò quàm in toto cerebri corpore, non in ſolis eius ventriculis, quemadmodum alibi demonſtrauimus, ſpiritus animalis multus continetur: exiſtimare oportet plurimum etiam in cerebro poſteriore ipſum contineri, vt quod omnium, qui in totum corpus diſtribuuntur, neruorum futurum erat principium, mediaque illa interualla, quæ partes eius connectunt, ſpiritus eſſe vias. Ex quibus Gal. verbis conſtat ſpiritum animalem, eúmque multum, in cerebri corpore contineri præter eum, qui in eius ſinibus habetur, de cuius vſu nullam vſque adhuc habemus prolatam à Gal. ſententiam: etſi perpetuò compertum ſit apud eum ſpiritum animalem primum eſſe animæ inſtrumentum: & quòd eo, qui in cerebri ſinibus continetur, ipſa vtatur pro ſenſibus & motu perficiendis. at huius, quẽ in toto cerebri corpore eſſe fatetur, huc uſque vſum ab eo declaratum non reperi, præter id quod in prædictis verbis ha-

cap. 11

cap. 3. & 4

cap. 2

cap. 7

cap. 12

cap. 10

cap. 4. & 7

cap. 3

cap. 13

betur, de quo quid ſentiam, in his quæ conſequenter dicemus, pronunciabo. nunc autem tempeſtiuum eſt ventriculorum omnium cerebri vſus propalare, & demum ad propoſitæ rei veritatem accedere. inter quos anteriores iuxta Gale. do-
cap. 10 ctrinam. 8. de Vſu part. præter id quòd ſpiritum animalem conficiunt ac præparant ipſi cerebro, inſpirationem & expirationem efflationemque efficiunt, atque etiam infernis ſuis partibus, quæ ſpectãt ad nares, ſimul quidem ſunt olfactorium inſtrumentum, ſimul etiam veluti ductus quidam ac canales ad ſuperfluorum effluxionem accõmodi: ex partibus nanq; ſibi propinquis neceſſariò excrementa affluentia, cum loco inferiori ſint ſiti, ſæpenumero excipiunt. At, cur eos duos eſſe oportuit, eodem citato loco à Galeno declaratum eſt: nos verò, vt breuiloqui ſimul ſimus, derelinquimus modo. Eius autem ventriculi, qui in poſteriori parte exiſtit, munus eſt ipſum ſpiritum animalem antè iam in anterioribus ventriculis cõfectum tranſſumere, ſimulque ſpinalis medullæ principium eſſe. Et, cum non liceret duas in animali facere ſpinas, neque duas ſpinales medullas, propterea duplex eſſe non potuit, velut anteriores duplices eſſe oportuit. Et, ſi Herophilus, cui aſſentire videtur Gale. omnium ventriculorum exiſtimarit hunc eſſe principaliſsimum: cum maiorum virium, maiorisque facultatis materias contineat: licet omniũ ſit minimus: prædictos autem ſpiritus in prioribus ſinibus elaboratos nequaquam tranſſumere poterat, ni inter ipſum & eos meatus quidam eſſet: per quem cùm ſpiritus fieret in ipſum tranſſumptio, tum cerebrũ cum parencephalide, ſeu cerebello cõmunicaret, & eſſet connexum: cum vnum ab alio craſſæ meningis duplicatione diremptum ſit, neceſſariumque eſſet aliqua parte cerebrum cerebello cõiungi. Talem ergo præſtat hic meatus vſum, ſiue meatum ipſum, ſiue quartum totius cerebri ventriculum, ſiue perforationem duorum ventriculorum anteriorum nominare velis. Excipiẽs enim hic ſpiritum ex anterioribus ventriculis, parencephalidi ac poſteriori ventriculo tranſmittit, ſimulq; cerebellum ipſum cum cerebro connectit. His ita iactis tanquam fundamentis firmis, reliquum eſt eorum opinionẽ diruere, qui ad Gal. ſententiam aſſerere auſi ſunt principes facultates in cerebri ſinibus perfici, eaſque nec in vno tantùm: ſed diuerſis, in anterioribus videlicet imaginationem, in medio cogitationem, & in poſtremo memoriam, ſimul etiam noſtram opinionem, ac veritatem iuxta Gal. doctrinam ſtatuere. ignoro equidem quo pacto Galeno illud adſcribere nõ erubeſcant: cum vbique locorum velit cerebri ventriculos ſpiritu animali plenos eſſe, quo ratiocinatrix anima vtitur ad ſenſus perficiendos, ac voluntarios motus. Quòd ſi in ipſis talis contineatur animalis ſpiritus pro prædicto vſu, continueque eius portio aliqua diſsipetur, quæ regenerari deſideret, (qua ratione, vt diximus, alimentum ei ſuppeditatur & per inſpirationem & per plexum reticularem.) quo pacto loca eſſe poſſunt principum facultatum, diſsipato ac denuo genito aſsiduè alio & alio animali ſpiritu: cùm nec ſpecies ſigillari, nec memorari poſsint, nec ſupèr eas ratiocinari anima valeat propter continuũ eorum motum? Adde, quòd nec idem ſpiritus à Gal. ponitur inſtrumentum animæ pro his principibus facultatibus obeundis, ſed pro ſenſu & motu perficiendo, vt liquet quouis loco, quo de his verba facit. nec valet, ſi dixerit quiſpiam citra hos ſpiritus animales in prędictis ſinibus prędictas functiones perfici: cum perpetuò his ſpiritibus pleni ſunt, neque anima ipſa quicquam operatur citra animalem ſpiritum quem primum eius inſtrumentum ſemper Gale. appellat. & hac ratione animalis dicitur, vt pa-
cap. 2. & 7 tet 4. de Loc. aff. & 7. de Hip. & Plat. decre. non ergo perficiuntur in cerebri ſinibus principes animæ facultates. at, ſi quiſpiam velit non in eorum cauitate, ſed corpore, ſeu ſubſtantia eas perfici; quid aliud quæſo erit dicere, quàm quòd perficiantur in cerebri corpore: cùm ventriculorum ſubſtantia alia non ſit, & diuerſa à reliquo cerebri corpore: nec maior ratio erit de hac, quàm de tota reliqua cerebri ſubſtantia? id quod probare intendimus. Amplius, ſi animalis ſpiri-
cap. 3 tus propterea talis dicitur (vt Galen. viſum eſt. 7. de Hippocr. & Plato. decret.) quia primum eſt animæ inſtrumẽtum, cùm non tantùm is in cerebri ventriculis

contineatur, verùm & in toto eius corpore, Galeno teſte octauo de Vſu partium, cap. 13
ſuperfluus hic eſſet, ſi principes facultates in cerebri ſinibus perficerentur. nam eo vteretur anima, velut in aliis ſenſibilibus & motricibus functionibus vtitur. Verùm, cum ipſam fruſtra in cerebri corpore contineri erroneum ſit aſſerere, decens erit fateri, quòd eo pro obeundis principibus operationibus vtatur anima. & ſic non in cerebri ventriculis, ſed in ipſius corpore eas perficit, animalique ſpiritu in eo contento vtitur pro primo inſtrumento, velut in externis functionibus vtitur eo, qui in ventriculis eſt, & reperitur: cùm non alia ratione hic animalis dicatur, quàm is, qui in ventriculis eſt, nec alium poſſit præſtare vſum ipſi cerebro. Nam pro alimento innati ſpiritus eius abundans eſt quæ per venas ſubſtantia ad ipſum diſtribuitur: & inſpirationis vſus, velut, pro eius ſymmetria ſeruanda, ea quæ per arterias ſuppeditatur. Adhuc octauo de Vſu partium Galenus cap. 13
aduerſus Eraſiſtratum, qui propter variam cerebri compoſitionem ac magis perplexam volebat homines cætera animantia mente, & ratiocinatione ſuperare, dixit eum non rectè ſentire: nam & aſini habent cerebrum admodum perplexum, quos oportebat ſimplex omnino, ac ſine vllo plexu & varietate habere, ſi verum eſſet quod Eraſiſtratus aſſerebat. Et exinde aduerſus eum concludens ait quòd melius fuiſſet exiſtimare intellectum ſequi non compoſitionis varietatem, ſed corporis, (quòd cogitat atque intelligit) quodcunque id ſit, bonam temperiem. neque enim bonitas ac perfectio intellectus multitudinis ſpiritus animalis potius videtur attribuenda, quàm qualitati. Ex bona ergo temperie corporis, quòd cogitat atque intelligit, ac ſpiritus animalis qualitate optima, ſequitur intellectus & bonitas, & eius perfectio. quare & in corpore cerebri perfici, & intellectum, & ratiocinationem, ac medio animali ſpiritu, qui in eo continetur, his verbis concludit Galenus, de hoc animali ſpiritu, qui in toto cerebri corpore continetur, cum Eraſiſtrato verba faciens. Sed quid clarius, quàm quod ipſemet Galenus teſtatur 3. de Locis affect. aſſerens, Sanè cùm ea, quæ per diſſectiones apparere ſolent, accuratè conſideraremus, rationi conſonum videbatur, animam in cerebri corpore ſedem obtinere, atque in ipſo & rationis vim & ſenſibilium imaginũ memoriam reſidere, ac primum inſtrumẽtum ipſius cum in ſenſibilibus actionibus omnibus, tum in his quæ à conſilio & voluntate prodeunt, ſpiritum eſſe qui in ipſius ventriculis, maximéque poſtremo continetur? In quibus verbis ſole clarius patet principes animæ facultates, ac earum functiones Galenum velle in cerebri corpore reſidere & perfici, & non in ventriculis. Et hoc non ſine valida ratione, cùm & ipſa anima rationalis, vt eidem Galeno placuit, in prædicto cerebri corpore collocetur, ac ſedem obtineat, cuiuſcunque ea ſit ſubſtantiæ: ventriculi verò ipſi fabricati ſint pro gignendo ac continendo eo animali ſpiritu, quo tanquam inſtrumento ipſa anima vtitur ad obeundas reliquas eius functiones: ſenſibiles videlicet, & motrices voluntarias. Vt verò quilibet hanc Galeni ſententiam percipiat, eiuſdem verba prout in codice Græco iacent, inſpiciat: nam nos breuitati indulgentes hic ea tranſcribere recuſauimus. Idipſum confirmauit quarto de Locis affectis cap. ſecundo, dicens quòd, ſi aliquando tota anterior cerebri pars afficiatur, neceſſum eſt & quæ exiſtunt circa ſupremum ipſius ventrem compati: lædi autem diſcurſiuas ipſarum actiones. quibus verbis oſtendit Galenus: (ſi quis ea ſano modo intelligere velit) quòd affecto toto cerebro: anteriori videlicet, & poſtrema eius parte, neceſſum eſt quòd diſcurſiuæ eius operationes lædantur: cùm iuxta eius ſententiam in ipſius corpore reſideant. quare eo affecto, & eas affici neceſſarium erit, prout ipſe in prædictis verbis concludit. Nec quiſpiam decipiatur, quòd per hæc verba voluerit Gal. prędictas functiones principes perfici in ſupremo cerebri ventre, cum non propterea dixerit lædi diſcurſiuas operationes, quia ſupremus venter afficiatur: verùm quia, cùm læſa eſt tota anterior cerebri pars, & reliqua poſterior conſentit, cerebrúmque ipſum propterea totum affectũ, neceſſum eſt diſcurſiuas quoque functiones lædi: hę enim partes, quæ ſunt circa ſupremum ventrem, poſteriores ſunt cerebri partes. Nec idem Gale. aſſeruit, quòd ne-

ceſſum ſit lædi ſupremum ventrem:propter quod quiſpiam fortè coniectari po-
tuiſſet,eo loco prædictas ſunctiones principes perfici:verùm dixit neceſſum eſſe
ea,quæ ſunt circa ſupremum ipſius ventrem,compati:ea autem poſteriores cere
bri partes ſunt,in quibus ſupremus venter ſabricatus eſt , vt cuique in Anatome
experto patere poteſt. At,vt quilibet percipiat hanc eſſe Galeni mentem,græcũ
codicem perlegat:nam nos,vt breues ſimus, eadem græca verba hic transferre
cap.12 noluimus.Libro quoque artis medicinalis,cum de cerebri ſignis verba facit, lo-
quens de his,quæ ex principibus ſumuntur operationibus,retulit virtutem & vi-
tium earum eſſe ſeorſum indicia tantũmodo ipſius principij,ſcilicet cerebri,cùm
à ſolo ipſo principio proueniant:& addidit,Promptitudo igitur intellectus,ſeu in-
genium promptum ſubtilem quidem cerebri ſubſtantiã indicat:tarditas verò in-
tellectus craſſam:diſcendi verò facilitas formarum facilè ſuſceptiuam, memoria
autem ſtabilem ac firmam:ſicut & diſcendi difficultas formarũ non facile ſuſce-
ptiuam,& obliuio fluidam.Ex quibus Gal.verbis duo ad eius ſententiã excipere
licet:Primum quòd,cùm principes operationes, earumq́ue virtutes & vitia tan-
tummodo indicent ſupra ipſum cerebrum,eius videlicet indicantes ſubtilem, vel
craſſam ſubſtantiam,mollem,vel duram,cùm à ſolo ipſo principio proueniãt, in
ipſo quoque,ac ipſius corpore exerceri,non autem in eius ſinibus, velimus, noli-
mus,annuere opus eſt:cùm ſupra ſubſtantiam ac temperamẽtum arguant corpo-
ris totius cerebri,& non ventriculorum cerebri,prout eius verba ſonant. Secun-
dum,quòd,ſi veritatem eius dicta habere debeãt,cogimur fateri neque in diuer-
ſis ſinibus eas perfici poſſe, etſi in eis quiſpiam aſſentiatur fieri.Nam, ſi diſcẽdi fa-
cilitas indicat ſubſtantiam cerebri facilè formarum ſuſceptiuã, & per cõſequens
ſubtilem:memoria verò,eius ſubſtãtiam craſſam,& propterea ſtabilem & firmã:
velut tarditas quoque intellectus iterum craſſam indicat cerebri ſubſtantiã, ne-
ceſſariò ſequitur ad eius dicta,quòd qui facilè diſcunt,difficulter memorantur:&
cap.ult. qui difficulter diſcunt,prompte memorantur,prout etiam Ariſtotel.viſum eſt li-
bro de memoria, & remi.quanquam velit ipſe has facultates manifeſtari tantùm
in cerebro,initiũ autem habere à corde, velut de reliquis quoque ſentit anima-
libus functionibus.at hoc veritatem nequaquàm habere poſſet, ſi ſupponerent
ambo in eodem loco ac ſede,hoc eſt,in cerebri corpore, vel in vno eodémque
ventriculo,prędictas principes facultates perfici.nam pone in diuerſis perfici ven
triculis,vtpote in anterioribus imaginationem,vt iſti volunt:in medio cogitatio-
nem,in poſtremo memoriam,nónne ſimul compati poſſent facilis diſciplina, &
ſtabilis memoria:cùm in anterioribus ventriculis ſubtilitas & mollities,in poſtre-
mo craſsities & duritia ſeruari poſſet:pariter & inſtabilis memoria cum diſcendi
difficultate,oppoſitam ſcilicet ſeruantibus prędictis ventriculis temperaturam, ac
ſubſtantiam? nullus,inquam, hoc formidaret, vt verum ac poſsibile admittere.
Reliquum eſt ergo,vt veritas verborum Gal.& Ariſtot. ſeruetur, principes ani-
mæ functiones in cerebri corpore perfici : aut ſaltem, ſi qui velint quòd in eius
ventriculis fiant, (etſi falſum ſit) vitare non poſſunt,quòd in vno tantùm omnes,
& non in diuerſis,perfici debeant.aliàs falſa omnino Ariſtot & Gal.aſſererent,vt
cap.6 oſtendimus.Quinetiam libro ſecundo de motu muſcul.idem Gale. inueſtigans
cauſam cur pleraſque actionum voluntariarum mente non aſſequamur, aſſerit
quòd,ſi inſignes impreſsiones rerum in imaginationibus ſuſcipiat anima,eas per-
petuò conſeruat:ſin obſcuras & ſuperficiarias penitus,non conſeruat : atque illud
eſt memoria tenere,alterum verò obliuiſci.& demum concludẽns,cauſam dixit
eam eſſe:quia non intenti actionibus tota mente fueramus, & propterea earum
non recordamur. nam quod phantaſiatur animæ, quodcunque vtique ſit, hoc
idem & memorari videtur.At,ſi quod phãtaſiatur animæ,hoc idem memoratur,
nec de vlla re præterita qualis naturæ ſit,conſiderare poſſumus,ni eius memine-
rimus,& illud nequaquam fieri liceat,niſi prius conſeruetur,quis,noua dogmata
introducẽs,velit fateri has functiones in diuerſis partibus ac ſinibus perfici:cùm
eiuſdem animæ ſint munera:immo illud idem ipſius quod phantaſiatur etiam,&

memorat

memoratur? cur vnum velit in anterioribus ventriculis ipſam, alterum in poſtremo exercere? quæ tradenda eſt diuerſitatis locorum cauſa? nulla inquam, quæ alicuius momenti ſit. non ergo perficiuntur prædictæ functiones in diuerſis cerebri ventriculis. Vlteriùs, nec in ipſis anterioribus vētriculis imaginatio fieri poteſt, cùm dictum ſit eos, ad Galeni mentem, inſpirationem, efflationémque ex cerebro efficere, ac animalem ſpiritum conficere & præparare. Quomodo phantaſmata in eis excipi ac ſeruari valent, ſi perpetuò inſpirationem & expirationem operentur, ac nondum confectum ſpiritum animalem ſuſcipientes conficiunt ac præparant? Si per eos quoque notatu digna excrementa ex cerebro ſuſcepta, ad nares expurgantur, ac ſuis infernis partibus, quæ ad nares ſpectant, olfactorium ſunt inſtrumentum, ignoro quo pacto quiſpiam ſibi perſuadere valeat & qua ratione audeat illud Gale. adſcribere: qui, cum tot horum ſinuum conſcripſiſſet vſus in pleriſque locis, & præſertim octauo de Vſu partium, nec per ſomnium talis vſus meminiſſe hucuſque compertus eſt. Satius denique erit dicere, cùm eum vſum eis Galen. non tribuat, ipſo carere, quam temere aſſerere, & de inſufficientia Galenū damnare: aut quod nunquam ipſe ſomniauit, ei falſo adſcribere. &, ſi libro de oculis illud ſcriptum reperiatur, quiſnam ignorat eum eiuſdem auctoris non eſſe, ſed falsò ei adſcriptum: cùm nec phraſin ſapiat Galenicam, vt cuique patere poteſt ex eiuſdem commentariorum lectione: & quædam reperiātur, quæ eius doctrinæ ſunt aduerſa, & præſertim ea quæ de prædictis functionibus ac cerebri ventriculis ibi cōſcripta ſunt? At quòd nec in poſtremo ventre adſit memoria, nec perficiatur, eiuſdem ventriculi ſitus demonſtrat: cùm in cerebello, & non in cerebro, collocetur. cúmque anima in cerebro, & non in cerebello, habitet, iuxta Galeni mentem: tunc non ex ſe ipſo cerebrum hanc functionem perficeret, ſed medio aliquo, cerebello videlicet, & eius ſinu. qua de re memoria princeps functio dici non poſſet, cùm non à ſolo principio proueniret, cerebro videlicet, ſed ex eo medio cerebello, ac eius ventriculo, aut ex cerebello duntaxat tanquàm principio: quorum vtrunque & falſum eſt, & Galeno pugnat. Accedit ad hæc, quòd idem Galen. libro artis medicinalis ex his principibus functionibus non ſupra cerebelli, ſed cerebri, temperamentum voluit arguere, vt ex intellectu eorum verborum cuique patere poteſt. Vnde fruſtra de memoria diſſeruiſſet ex ea ſumens indicia pro cerebri temperamento, tanquam eiuſdem facultate principe, ſi in poſtremo perficeretur ſinu. Adde, quòd, cùm hic ſinus in parencephalide ſitus, ſpinalis medullæ ſit principium, receptaculúmque animalis ſpiritus, prius in anterioribus elaborati, quo anima ipſa pro ſenſibus & voluntariis motibus obeundis vtitur, vt prius dictum eſt, memoria in eo perfici nequit, vtpote ſemper prædicto animali ſpiritu pro motu & ſenſu conſumpto, & recenter alio genito: nec quiſpiam alius vſus, præter iàm dictos, poſtremi ventriculi à Galeno vnquam ſcriptus eſt. Quare nullo modo ad eius ſententiam dicendum erit ipſum eſſe memoriæ ſedem, nec cuiuſuis alterius principis facultatis. &, ſi quis hoc aſſerere audeat, iterum aut de inſufficientia Galenū accuſabit, vel temere ei id, quod nunquam faſſus eſt, adſcribet. Quòd autem in medio ventriculo, ſeu meatu, cogitationis, aut intellectus munus obire anima nequaquam valeat, facile erit intelligere, ſi eius vſus animaduertantur. eſt nanque via, ſeu meatus, per quem ſpiritus in anterioribus ventriculis confectus in poſtremum tranſmittitur. &, quia cerebellum à cerebro media craſſæ meningis duplicatione erat diremptum, vt diximus, neceſſúmque erat ea connecti, cerebrum quoque is meatus parencephalidi connectit. tranſitus ergo, via, ſeu meatus eſt hic ſinus animalis ſpiritus, quo aſsiduè pro ſenſu & motu perficiendo anima, ceu inſtrumēto, vtitur. quare cogitatio, diſcurſus, ſeu intellectus in eo nequaquam perfici poteſt propter continuum motum prædicti animalis ſpiritus, ac eius aſsiduam recētémque renouationem & inſtaurationem. quòd, ſi talem præſtaret vſum, cùm alios huius ventriculi vſus Galenus conſcripſiſſet octauo de Vſu partium. tertio de Locis affectis. & ſeptimo de Hippocrat. & Platon. decret. ac aliis pleriſque locis,

8. de Vſu partium. cap. 10 11. & 12

Lib. art. med. cap. 12

8. de Vſu par. locis citatis. & 7. de Plac. Hipp. & Plat. cap. 3

cur talem perpetuò ſubticiuit, etſi ſæpius de cogitatione & intellectu verba fecerit? cogeris, velis, nolis, fateri aut inſufficientem fuiſſe, aut vſum hunc non nouiſſe, vel, quod rectius eſt, talis ſententiæ nequaquam fuiſſe. Ex his conſtat quàm parum Galen. doctrinam guſtarint, qui eius decreto, ac ipſum in patronum ſibi ipſis adhibentes, auſi ſunt aſſerere principes animæ facultates in cerebri ſinibus perfici, earumque munus animam in diuerſis ventriculis obire, vtpote in anterioribus imaginationem, in medio cogitationem, ſeu intellectum, & in poſtremo memoriam, ſedibus atque inſtrumentis ipſas ſeiungentes. ſimulque liquet noſtra opinio & veritas, cum ſatis admodum oſtenſum ac probatum ſit iuxta eius ſententiam, nec in ſinibus, nec eiſdem diuerſis eas perfici poſſe, ſed in ipſomet cerebri corpore, in quo & ipſa reſidet anima, cuiuſcunque ſubſtantiæ ſit, ad mentem eiuſdem Galen. ſiue incorporea quædam res ſit, & in eo velut in domicilio, ſeu arce, reſideat, ſiue corporea: & ſi corporea, ſiue ſit ipſius cerebri inſita caliditas, aut inſitus ſpiritus, aut tota eius conſtitutio: quodcunque denique ſit anima, ipſa in ipſo cerebri collocanda corpore eſt, in Galen. doctrina, vt ſexcentis in locis ſcriptum reliquit, in ipſoque eodem cerebri corpore has functio-
cap. 7 nes eam operari liquet. 3. de Loc. aff. Valeant ergo, qui has functiones ſecundum
cap. 20 diuerſas ſedes ſeiunxerunt, opinantes hanc fuiſſe Galeni ſententiam. Valeat in-
cap. 2 ſuper Auer. qui in ſuo colliget, & libro de Memo. & remi. hoc idem ſentit, potiſſimum ſi illud ad mentem Ariſtot. vel Galen. fateatur. nam neque ipſe Ariſtot. ſecundum diuerſas cerebri ſedes eas perfici, ſeu manifeſtari vllo in loco aſſerere auſus eſt: quinimmo eodem libro de memo & remi. oppoſitum ſentire conſtat, velut ſuprà oſtendimus. Non ergo perficiuntur facultates principes in cerebri ſinibus, eiſque diuerſis, ſed in ipſomet ipſius corpore, in quo & ratiocinatrix anima reſidet iuxta Gale. ſententiam, vt abundantiſsimè probatum eſt. At, ſi qua conſtituenda eſſet determinata ipſius cerebri pars, in qua prædictæ omnes functiones perficerentur, vt quibuſdam viſum eſt, autumantibus ſe Galenum in patronum habere: etſi (mea quidem ſententia) nulla forti ratione freti, aut auctoritate, illud ſibi ipſis perſuaſerunt: erit tamen ea vnus ventriculus, & non diuerſi, in quo omnes perficerentur. at propter aſsignatas à me cauſas nec poſterior, nec anteriores eſſe potuerunt. probabilius propterea videretur eſſe medius, vt pote qui minores habeat cauſas prohibendi, ne in eo perficiantur. Ex diuerſa inſuper eius conſtructione ac varia illud quoque coniectari poſſet, cum & corpus pſalloides, conarion, vermiformis, epiphyſis, & duo glutia circa ipſum appareant. Idque denuo foueri poſſet ex verbis Gale. qui 3. de Hippocr. & Platon. decre. & 3. de Locis
cap. ult. affect. hunc ventriculum principaliſsimum appellauit. Adhuc perſuaderi id quo-
cap. 7 que poſſet ex his quæ à Gale. habentur 4. de Loc. affect. cùm dixit, Quòd, ſi ali-
cap. 2 quando tota anterior cerebri pars afficiatur, ea, quæ ſunt circa ſupremum ipſius ventrem, ei conſentire neceſſe eſt, atque diſcurſiuas quoque actiones vitiari. quo loco per ſupremum cerebri ventrem medium ventriculum intellexit, ad cuius læſionem videtur iſtis, qui hæc aſſerunt, quòd diſcurſiuæ cerebri operationes lædantur. quare quòd in ipſo perficiantur, non erit omnino abſonum credere. at nos quo pacto hæc Gal. ſententia intelligenda ſit, ſuprà oſtendimus. Vlterius perſuaderi hoc idem poſſet ex his, quæ Gale. aſſerit eodem 4. de Locis affectus, cùm de ſopore verba facit, qui priuatio eſt ſenſus & motus, ſpirandi facultate manente illæſa. dixit enim eum quandoque prouenire poſſe, cùm quis inter perforandum membranam negligenter, ac vltra quàm res poſtulat, meningophilacen. i. meningis cuſtodē premendo violauerit ita, vt os caluariæ vehementer attritum cerebri ventriculos comprimat, maximeque medium. Ex quibus verbis iterum patet medium ventriculum eſſe principaliſsimum inter cerebri ventriculos: hoc autē eſſe; quia in eo principes perficiantur operationes, alienum à ratione nō erit credere. Hæc itaque opinio, etſi (vt retuli) non ſit ad Gal. mentem, vt ipſe ſentio: probabilior tamē eſſe videtur, quàm ea quæ vult animam prædictas functiones in diuerſis cerebri ſinibus obire. hæc nanque penitus abſona ac aliena à Gal. doctrina

eſt, vt

eſt, vt ſuprà probauimus: & tanquã erronea, & omnino falſa abiicienda erit. quã opinionem cur quidam fortè ad Gal. mentem tanquam veram ſibi perſuaſerint, poſt pauca declarabimus: ea autem, quam nos pro vera ac firma ſtatuimus, iuxta Gal. decreta habenda erit. huic nanque eius dicta videntur eſſe cõſona, vt ex veris ac lucidiſsimis aſſumptionibus & auctoritatibus locupletius ſupra demonſtratum eſt. Huius autem diſsidij in Galeni dictis cauſa, quòd videlicet in corpore cerebri, aut in medio ventriculo principes perficiantur operationes, nulla alia eſſe poterit, quam quòd nullibi in eius commẽtarijs reperiatur liquidò ſuam explanaſſe ſententiam: fortè quia non ſatis illud perceptum ac cogitatum ei fuerat, nec linealibus demonſtrationibus confirmare potuiſſet. quare ſine vlla demonſtratione illud confirmare indecens erat, ac philoſophi grauitate auctoritateque indignum. vt enim de ipſius animæ ratiocinatricis ſubſtantia vbiq; locorum veritus eſt firmam proferre ſententiam: pari ratione de eius principibus facultatibus: cum, ſi incorporea ea ſit, ac in cerebro velut in arce reſideat; eas functiones alio modo operari fortè cenſendum eſſet, quàm ſi inſitus calor, vel ſpiritus, aut tota ipſius cerebri conſtitutio, vel temperamentum ſit. Qua de re indubitanter aſſerere audeo (ſi anima incorporea quædam ſubſtantia ſit, ac in ipſo cerebri corpore veluti in domicilio habitet) ad Galen. ſententiam, in ipſo quoque cerebri corpore, vt diximus, eam principes operationes operari. & cum incorporea res quædã ſit, pro præcipuo organo ad eas obeundas, quia circa phantaſmata operatur, quæ dependentiam quandam cum materia habent, eo vtitur animali ſpiritu, qui in cerebri corpore dictus eſt contineri, per ipſum principes facultates cerebri corpori diſpenſans: veluti eo, qui in ventriculis continetur, vtitur (vt ſupra retulimus) pro ſenſibus & voluntarijs motibus perficiendis in proprijs eorum inſtrumentis, ad quę facultatem tranſmittit. conſonum nanque eſt hunc ſpiritum animalem, qui in cerebri corpore continetur, otioſum non eſſe, ac non alia ratione animalem dici, quàm quòd animæ ſit primum inſtrumentum: velut millies declarauit Gale. nec inſuper animam eo vti oportet pro externis operationibus: cùm abundans is ſit, qui in ventriculis habetur ad perficienda hæc munera deſtinatus. aptius ſiquidem exiſtens inſtrumentum, ac promptius pro ipſis obeundis, quàm is qui in cerebri corpore exiſtit. Reliquũ ergo eſt quòd pro obeundis principibus functionibus anima hoc vtatur ſpiritu animali, qui in cerebri corpore continetur, velut primo eius inſtrumento, ſi incorporea ea ſit, ipſaque functiones in eodem cerebri corpore perficiat, quo loco habitat. at, ſi corporea quædam res ipſa exiſtat, & hæc aut inſita caliditas, vel ſpiritus cerebri, aut tota ipſius conſtitutionis ſpecies, ſeu temperamentum ex ſeipſo has facultates habens, in ſemetipſo quoque prædictas functiones principes operari cenſendum eſt: cùm nulli alteri parti eas iniiciet atque committat vt priùs diximus, & ita pro obeundis ipſis nullo indiget animali ſpiritu, nec etiam eo, qui in ipſomet corpore cerebri continetur. ſuſcipit nanque phantaſmata in ſeipſo, quæ & memoratur in eomet, & ſuper ea diſcurrit abſque alio animalis ſpiritus auxilio: cùm eo non indigeat pro facultatis vehiculo, velut indiget in reliquis functionibus externis. habet nanque eas in ſemetipſo in propria eius conſtitutione, ſeu temperamẽto. & propterea ex ſe operari potẽs eſt, prout operatur citra alicuius animalis ſpiritus ſubſidium. At mox inſtaret quiſpiam, ſpiritum aſſerens animalem in cerebri corpore cõſiſtentem otioſum fore neceſſariò, ſi eo anima non indigeat pro obeundis principibus functionibus. Cui reſpõſum ſit, nõ propterea ſuperuacaneũ ac otioſum eſſe, quia pro perficiendis prædictis functionibus principibus nullã fert opem, ſi anima corporea quædam ſubſtãtia ſit: nam eo vtetur anima pro ſenſibus perficiendis, cùm longo tempore, aut vehementer ipſos in proprijs inſtrumentis operatur, & eo, qui in cerebello, vtitur in diutinis ac vehemẽtiſsimis motibus voluntarijs. quod quidem olfeciſſe videtur Gale. 8. de Vſu part. cùm aduerſus Eraſiſtratum de varia cerebri cõſtructione ac perplexu verba fecit. Quare, licet eo ſpiritu animali, qui in ventriculis reſidet, pro obeundis prædictis externis functionibus, tanquam cap. 13

primo inſtrumento, vtatur anima, vt vbique locorum teſtatus eſt Galen. non tamen propterea indecens erit, quod in huius defectu, cùm ſcilicet vehemeter ipſa ſenſum & motum voluntarium operatur, ad eorum inſtrumenta facultatem transmittens, quòd hoc quoque animali ſpiritu, qui in cerebri corpore eſt, tanquam inſtrumēto, vtatur. Illud quod nec vnquā viſus eſt Gale. negaſſe, mediaque

Locis cit. illa interualla, quę partes tum cerebri, tum cerebelli connectunt, eiuſdem ſpiritus eſſe vias, vt idem Gal. teſtatur 8. de Vſu part. Nec inſuper hoc quicquam pugnat his quæ ſupra diximus de huius ſpiritus vſu: cum, ſi incorporea ſit anima, eo pręcipuè, tanquam primo inſtrumēto, ad exercēdas principes iam dictas functiones in cerebri corpore vtatur: interimque eo pro externis operationibus perficiendis abuutur: licet eo primo, qui in cerebri ventriculis cōtinetur, pro inſtrumento vtatur, vt prius diximus. at, ſi anima res quædam corporea ſit, & eo non indigeat pro obeundis principibus functionibus, cum cerebrum in ſeipſo has habeat facultates, ac in ſemet eas perficiat: reliquum eſt vt hoc ſpiritu animali, qui in eo reſidet, pro reliquis eius operationibus externis exercēdis vtatur: nam propterea animalis dicitur, quia animæ inſtrumentum exiſtit. & quamuis eo primo vtatur, qui in cerebri ventriculis continetur, pro vehiculo facultatum ad externa organa ſenſus & motus, vt Gal. viſum eſt: quia tamen ſæpenumero euenit vt hic in vehemētioribus ac diutinis ſenſibilibus & motricibus operationibus conſumatur, ac ei paruum nutrimentum ex inſpiratione & plexu reticulari ſuppeditetur: ea de re tunc hoc, qui in eius corpore eſt, pro eodem vſu, vti alienum à ratione non eſt. Hic ergo tribuendus erit vſus huic animali ſpiritui, qui in cerebri corpore continetur, tam ſi incorporea, quàm ſi corporea quædam res ſit anima, iuxta Galen. doctrinam, quæ principes operationes, cuiuſcunque ſit naturæ, ſeu ſubſtantiæ, in cerebri corpore (vt relatum eſt) operatur: quod ſatis rationibus & auctoritatibus, tanquam verum ac Gal. decretis conſonum, abundantiſſime fulcitum eſt. Si qua tamen coniectari, ſeu conſtitui poſsit ipſius cerebri pars, in qua eas perficiat, illa, quòd medius ſit ventriculus opinari, non nimis præter rationem eſt Galeni placita ſupponentibus nobis de anima noſtra: quāquam de ea perpetuò, quod de foris corpori organizato adueniat, quodq; ei delegata à Deo benedicto immortalis & incorruptibilis creata ſit, & credam & firmiter teneam. Perſuaſerunt verò ſibi quamplurimi, vt dictum eſt, ex Galen. ſententia has principes facultates ſecretas, ac locis ſedibusque ſeiunctas eſſe, decepti quidem ex his quæ de earum operationum læſione aſſere: cum etenim audiſſent phantaſiam aliàs lædi poſſe, ſalua ac conſtante ratione & memoria: aliàs verò aut rationem, aut memoriam conturbari, reliquis duabus illæſis atque valentibus: ſtatim concluſerunt iſthæc prouenire non poſſe, niſi, quæ effectrices earum ſunt facultates, locis ac ſedibus diſiungerentur. Quòd verò vna earum lædi poſsit, altera illæſa

cap. 2 permanente, phreniticis exemplo. 4. de Loc. affe. idem Galen. confirmauit. cuius duas conſcripſit ſpecies, ſeu ſimplices differentias, ex quibus deinceps tertia componitur, vt ipſe aſſerit: in quarum vna imaginatio tantùm deprauatur, vt nō modò in alus, verùm in ſeipſo expertum fuiſſe teſtatur. cùm nanque æſtate febre ardente laboraret, putaretque feſtucas atri coloris ex cubili eminere, & floccos ſimiliter in veſtibus eſſe, eos auferre dum properaret, nihil ſub digitis eductum inueniens, accuratius rurſus, vehementiusque id efficere conabatur, cumq; amicos audiſſet, qui ſecum aderant dicentes eum floccos euellere, & feſtucas colligere, illæſa in eo manente adhuc ratiocinandi facultate, reſpōdit eos recte dicere. proinde, vt ei auxilium ferrent, rogauit: ne phrenitis ipſum arriperet, adhibitiſque auxiliis curatus fuit. In altera verò phreniticidis differētia accidit quòd cogitatio, ſeu rationalis diſcurſus, à naturali iudicio aberret: veluti Romæ cuidam, qui cum lanifico puero continebatur, euenuſſe ſcriptum eſt. hic intus ianuis obſeratis à cubili ſurgens ad feneſtram acceſsit, per quam & ipſe videri, & prætereuntes videre poterat. ex vitreis itaque vaſis ſingula oſtendens, interrogauit, imperarēntne, vt ea proiiceret. illi vero ridentes annuebant. tum ipſe deinceps proiecit omnia: cumque

cumque interrogaret iterum, puerum ne proiici iuberent, eo illi iuſſo, & illum-
met proiecit. Huic nec imaginandi functio erat oblęſa, cum ſingula vaſa propriis
nomenclaturis probè nominauerit, neq; nominum memoria erat deleta: tantùm
ergo cogitandi functio erat deprauata. Quòd autem ex his duabus differentiis cap. 3
tertia componi poſsit, licet exemplo non comprobauerit; eo tamē loco aſſeruit
Gal. confirmauitq; lib. de Diffe. Sympt. cùm dixit: Accidit plerunque vt delyrium
ambas actiones obturbet, vt neque benè procedat imaginatio, neq; debita fiat ra-
riocinatio. Interdum vna duntaxat læditur, veluti Theophilo Medico ægrotanti
euênit, cui imaginatio tantùm oblæſa fuit: ac illi, cuius historiā ſuprà narrauimus
de lanifico ſcilicet puero, iterum ibi facta mentione, cogitationem, ſeu diſcurſum
duntaxat aberraſſe aſſeruit. Cæterùm, quòd memorandi facultati idem quoque
accidere poſsit, Thucididis teſtimonio eodem loco confirmauit: qui nonnullos è
peſtilentia ſeruatos, adeo omnium, quæ antea nouerant, fuiſſe oblitos comme-
morat, vt non ſolùm ſuos familiares non agnoſcerent, ſed ne ſeipſos quidem. Ex
his denique omnibus ſibi ipſis fortè perſuaſerunt quidam ex Galen. ſententia in
diuerſis ſedibus atque locis prædictas functiones principes ab ipſa anima exerce-
ri: cùm vnam lædi, altera illæſa permanente, fieri haudquaquam poſſet: ſi in vno
duntaxat loco cerebri perficerentur. Verùm, cùm nos aliter ſentiamus, rationes
quoque aſsignare conabimur, quomodo, etſi prædictæ functiones in vna ea-
demque ſede perficiantur, velut ſupra probauimus, poſsit interdum vnà lædi,
quæuis earum ſit, aliis permanentibus illæſis, in ducem tamen, atque patronum
Galen. perpetuò adhibentes. Pro huius ergo dilucidatione illud pro comperto in
eiuſdem Gale. doctr. habendum erit, quòd, ſiue corporea res quædam, ſiue incor-
porea ſit ratiocinatrix anima, eius functiones principes, cum in cerebro ab eadem
exerceantur, ex quauis eiuſdem cerebri intemperie lædi poſſunt, ſiue ea per eſ-
ſentiam ſit, ſiue per conſenſum, quinimmo non tantùm ex eiuſdem intemperie,
verùm ex quouis alio vitio in prædicto cerebro exorto: &, vt ſummatim dicā, à
quibuſuis ferè malis ipſius cerebri. Hoc non tantùm percipi poteſt ex his quæ
Galen. dixit lib. de Diffe. Sympto. de phrenitide, & 4. de Loc. affe. vt ſuprà anno- locis cit.
tauimus. per ea quæ aſſerit de ſopore, verumetiam lib. 2. de Cau. Sympto. circa fi- cap. ult.
nem, & lib. Quòd animi mores corporis ſequantur temperaturam, prolixo ſer- cap. 5
mone illud comprobauit, cùm dixit, Porrò à corporis malis vim animæ afferri,
luce clarius in melancholis, & phrenitidibus, & furoribus apparet: nanque vi
morbi neque ſeipſos, neque neceſſarios agnoſcere. quod Thucidides quoque
pluribus vſu veniſſe ait, & in morbo peſtilentiæ non multos iam annos deſæuien-
te, quam vel ipſi vidimus. proinde eſſe videbitur, atque ob oculorum ſordes, ſeu
ſuffuſionem facultate ipſa videndi nequaquam perpeſſa, non cernere, ac pro vno
tria videre: ipſius viſoriæ facultatis non mediocris affectus eſt. id quod phreni-
tidi eſt ſimilis. Quod quidem Hippocratis, Platonis, & Ariſtotelis, auctoritati-
bus confirmare non piguit, veluti per otium quilibet videre poterit: Hippocra-
tem videlicet lib. de Aëre, regio. & aquis, & in Aphoriſmis quamplurimis: Plato-
nem verò in Timæo præſertim, ac in aliis eius libris: Ariſtor. libro de Parti. ani-
ma. ac de eorundem hiſtoria, etſi Ariſtote. in ſanis tantùm corporibus fortè lo-
quatur. Hippocratis tamen, atque Platonis dicta tam in ſanis, quàm ægris veri-
tatem habent, vt ex eorum decretis quiuis percipere poterit. Immutantur de-
nique animæ functiones à cerebri vitiis præſertim principes, ac quouis modo
non tantùm vitiantur, verùm, ſi eius vitia ſupra modum augeantur: valent
ipſam, ſi incorporea res ſit, à corpore ſeiungere, & tandē dirimere. Si verò quod-
dam cerebri temperamentum ſit, quæ ratiocinatur anima, cùm eius facultates
ex eiuſdem cerebri eſſentia, ſeu ſubſtantia conſequantur, oblæſo ipſius tempera-
mento, neceſſariò principes vitientur functiones oportet. &, ſi criminum af-
fectio creuerit, deſtrui omnino temperamentum eſt neceſſe, deleri facultates,
& interitum ſequi: vt idem Galen. præallegato lib. Quòd animi mores cor-
poris ſequantur temperaturas, decretum reliquit. At quid in hoc teſtes adhibere cap. 3

Hipp. Plato. Ariſtot. Gal. opus eſt: cùm id quotidie obſeruare experientia liceat? conſpicimus enim quolibet ferè die à diuerſis corporũ malis diuerſas quoque noxas animæ afferri, diuerſimodeque principes animæ functiones lædi, ipſo præſertim cerebro quomodolibet affecto: interdũ vna, ſępenumero duabus, & quãdoq; cunctis oblæſis, etſi quidam eruditi viri aliter ſentire videantur. nam & imaginationem, & memoriam lædi poſſe affirmant, nondum ratione deturbata; verùm quòd ratio lædi poſsit, ſeu ratiocinatio, conſtante cũ memoria, tum imaginatione, nequaquam conſentiunt: cùm neque argumentatio vlla, vt ipſi fatentur, neq; euentus vllus, nec vlla prorſus experientia illud cõmonſtret. Quomodo nanque fieri poterit (inquiunt) vt mens ratiocinando labatur, atq; vacillet, niſi cõmentitia quædam illuſio ab imaginibus irrepat, quæ illam obturbet? quòd, ſi afferatur phreneticus fictilia vaſa ab alto detrudens; dicunt, quòd hic ſi læſa mente malè ratiocinabatur, neceſſe ſimul erat eundem perperam phantaſia comprehendere: nam quo ordine, quáve connexione in veram rerum cognitionem; ſimiliter etiam in turbulentos errores, falſamque opinionem inducimur atque rapimur, ſi qua horũ efficiens cauſa non præceſſerit: non igitur fieri poteſt (vt iſti inquiũt) quòd ratiocinatio, ſeu mens offendatur, quin primus communis ſenſus, qui omnium interiorum primus ac infimus eſt, ſeu phantaſia turbetur, ſeu lædatur. At, qui, cur in hanc ipſi ſententiam proruperint; non parum miror: cum eius oppoſitum & ratio, & auctoritas, & experientia cõmonſtret. Ratio quidem: nam, licet hæ operationes quendam inter ſeipſas ordinem obtineant, vtpote qui ratiocinari non valeamus, ni imaginatiuæ opus pręcedat: diſcurrit nanque mens, ſeu intellectus ſuper ea, quæ in phantaſia ſeruata ſunt phantaſmata, tam ſi valeat, quàm ſi non: interdum tamen diſcurſus oblædi poteſt in ſua propria eſſentia, cùm actio & facultas ſit ſeparata atque ſeiuncta à communi ſenſu, & phantaſia, nulla ſuſcepta offenſa ab ipſius imaginatiuæ oblęſione, nec à falſis imaginibus illuſa, ſeu decepta. nam quid quæſo obeſt, quòd imaginatio rectè procedat in apprehẽdendis ſimplicibus, ipſa verò mens, ſeu intellectus diminutè, ſeu deprauatè, aut nequaquam circa ea operetur eius propria facultate læſa, & non à fictis ſimulacris, ſeu imaginibus illuſa: velut accidit, cùm primò imaginatio læditur, & ei diſcurſus conſentit. depẽdet enim mentis operatio à phantaſia eo videlicet, quòd ratiocinari nequit, niſi ſuper ea, quæ in imaginatiua detinentur, phantaſmata diſcurrat. at, quòd benè, vel malè illum perficiat diſcurſum, ex ſe ipſa habuit primò. nam, cùm valet, benè: cùm verò malè afficitur, non rectè ratiocinatur, interdum per ſe, ſæpenumero verò ſecundariò oblæſa, nulla prorſus offenſione ſuſcepta à communi ſenſu, ſeu phantaſia; cùm facultas & actio ſit (vt diximus) ſeparata omnino, ac ſeiuncta ab ipſa imaginatiua. Nec, propterea quòd omnium interiorum ſenſuum primus & infimus ſit communis ſenſus: perpetuò is priùs debet turbari ac offendi, quàm mens & diſcurſus; nam, quamuis in vera rerum cognitione, cùm hæ facultates valent ac naturaliter operantur, is ſeruetur ordo ac connexio, vt ratiocinari quicquam nequeat mens, ni phantaſia priùs operetur, ac in ſeipſa phantaſmata & ſimulacra detineat: in morboſis tamen affectibus perturbari poteſt hic ordo, ac connexio ſolui cùm ex offendentium cauſarum, ſeu affectuum diuerſitate, tum ex maiori, vel minori prædictarum facultatum præparatione. ex quibus fit vt modò vna, modò altera, aliàs verò cunctę functiones lædantur, vt paulò pòſt declarabimus. Teſtatur hoc idem Gal. in quamplurimis locis, potiſsimùm lib. de diffe. Sympto. quòd ſcilicet ratiocinandi functio lædi poſsit, imaginandi & memorandi facultatibus illæſis permanentibus. id quod phrenetici exemplo, qui obſeratis ianuis ſingula vaſa per feneſtram protulit, comprobauit. at, ſi velint quòd huic quoque imaginandi actio fuiſſet oblæſa: Gal. eodem loco oppoſitum ſentit inquiens, Illi phrenetico neque imaginandi functionem fuiſſe læſam, neque nominum memoriam deletam: cùm ſingula vaſa proprijs nomenclaturis probè nominauerit. quibus verbis & id quoq; deſtruitur, quod ipſi afferunt, quòd videlicet, cùm quiſpiam malè

cap. 3

ratiocinatur, de eiſdem ſaltem opus eſt ſenſum communem, ſeu phantaſiam non rectè fingere; licet de aliis rectè imaginari contigerit: nam Gale. prædicto loco dicebat, quòd prænarrato phrenitico circa illa, quæ malè ratiocinabatur, imaginandi functio nō erat læſa, nec nominum memoria deleta. quo fit vt circa eadē, iuxta Gal. decreta, contingat quempiam non rectè ratiocinari, memoria & imaginandi functione permanentibus illæſis. Ad hæc 3. de Loc. aff. cùm de memoria deperdita, ac ſtultitia verba facit, aſſerit ſtultitiam eſſe intellectus, ſeu diſcurſus amiſsionem: & quòd interdum accidat, vt vitiata ratione, memoria quoque lædatur, velut læſa memoria rationem quoque interdum lædi contingit. Nam vtraque affectio ex frigida cerebri intemperie ortum habet. Quibus verbis liquidò oſtendit Galen. rationem duntaxat poſſe interdum vitiari, quandoque ſimul cum memoria, imaginandi functione nequaquā oblæſa, vt in ſtultitia: quam etiam in numero affectuum cogitandi functionem lædentium libro de Sympto. differentiis connumerauit, & non imaginationem. Hanc eandem ſententiam ſcripſit Aëtius tetrabibli. ſermone, & cap. 2. tractans de phrenitide, dum dixit: Differentiæ autem phrenitidis plures ſunt, ſed tres principaliſsimæ: aut enim imaginatiua facultas ſolùm læſa eſt, ſeruatur autem ipſis ratiocinatiua, & memoria: aut ratiocinatiua ſolùm læſa eſt, ſeruatur autem imaginatiua, & memoria: aut etiam imaginatiua læſa eſt, ſeruatur autem memoria. Quid clarius, quàm ratiocinatiuam ſolùm lædi poſſe in quibuſdam phreniticibus, imaginatiua, & memoria illæſis permanentibus, vt teſtatur Aëtius? quod quidem etſi nulla ratio, vel auctoritas commoſtraſſet; quotidiana experientia comprobat. vidimus etenim nos non ſemel, velut & alij quidam non vulgares Medici frequenter obſeruarunt, in ægris non paucis mentis læſionem, imaginatiua haudquaquam, nec memoria affecta: nuperque, dum hæc conſcriberem, iis, qui mecum aderant, obſeruari feci in quodam Franciſco Raimo nobili Capuano: cui cùm ratiocinatio omnino propter febrem deprauata eſſet: nulla in imaginatione offenſa aderat; cùm ſimplicia cuncta rectè comprehenderet. Quòd ſi ratio, auctoritas, ac experientia non imaginatiuam duntaxat, aut memoriam, verùm & rationem, ſeu diſcurſum ſolùm affici interdum poſſe commonſtrent: quoniam cunctæ hæ functiones iuxta Galen. ſententiam in vna eademque ſede perficiuntur, in ipſo videlicet cerebri corpore, vt probatum eſt: non ab re in dubium venit qua ratione id fieri queat, cùm ſedibus non ſeiungantur. Cuius quidem cùm non facile ſit rationem tradere, non mirum ſi nonnulli non vulgares profectò, ſed eruditi viri prædictas facultates ad Gal. mentē locis ſedibusq; ſeiungere auſi ſunt, vt prius diximus. At nos ex eiuſdē Gale. monimentis edocti conabimur huius rei cauſas aſsignare, quamuis eodē loco, eademq; ſede prędictæ functiones perficiantur: in memoriam rurſus reuocātes primò, quòd ex cerebri vitiis (vt probauimus) eædem facultates lædi poſſunt interdum vna, interdum altera, quandoque duæ, vel omnes ſimul: cùm ab ipſo ſolo principio prouenīāt, in eiuſque proprio temperamēto conſiſtant, velut cunctæ aliæ functiones eius, (etſi nō tantùm ab eo perficiātur) cuiuſcunq; ſubſtantiæ ſit anima. proinde nihil aliud eſſe facultatum eſſentiam, ſeu ſubſtantiā, quàm temperamēti proprietatem, quæ quidem cuilibet parti propria ac peculiaris inuenitur, à Gal. ſcriptū reperitur lib. de mult. & lib. 5. de Loc. aff. quo fit vt, ſi cōtingat hanc peculiarem temperiem à quauis cauſa, potiſsimum ab vna octo intemperaturarū perturbari: ipſis quoque viribus noxam accidere neceſſariò oporteat, magiſque peculiarem offenſam viribus excitari, prout illi debetur intemperantiæ, quemadmodum Gal. 5. de Loc. affe. & 3. de Cau. ſympto. docuit. proinde euenit, vt, quamuis in vnam et alicuius partis temperamenti proprietate plures ſint facultates, ac eas ſtrenuè exerceat vbi temperatiſsima fuerit, & malè fungatur vbi intemperata fuerit pars: & hactenus malè, quatenus intemperata fuerit, velut patet primo de Præſagitione ex pulſibus: videre tamen liceat non omnes illico offendi, cùm intemperata pars efficitur, verùm ſæpe vnam, interdum aliam, quandoque plures lædi conſpicimus: quemadmodum in naturalibus

cap. 5
cap. 3
cap. 3
cap. 7
cap. 7
cap. 1. & 2
cap. 4

ralibus quoque facultatibus cuiuſuis partis quotidie obſeruamus: vna videlicet, vel duabus affectis,alus illæſis permanentibus. Cuius rei teſtimonium pariter

cap. 7 & 6. reddit Gale. eodem 5. de Loc.aff.cùm de iecinoris affectibus verba facit.& 6. vbi

eiuſdem cap. 3 derenum affectibus,& propriè de diabete pertractat, & magis vniuerſaliter 3. de

cap. 2 cau.Sympto.Illud quoque mente concipiendum,quòd,licet quædam facultates, cùm valet pars,cuius ſunt propriæ,quodam ordine, quadámve connexione, diuerſis temporibus ab ea exerceantur,vt videre licet in naturalibus ipſis viribus: nam primò pars vtitur familiarium attractione,deinceps eorundem retentione, & alteratione,vltimo loco,quod alienum eſt,excernit; peruertitur tamen ordo ſæpenumerò,ſoluiturque connexio,cùm eadē pars intemperata reddita eſt.quod quidem effici poſſe nequaquam arbitrandum eſt,niſi propterea quòd, cùm à diuerſis cauſis ipſa effici intemperata queat,pro ratione maioris,vel minoris præparationis dictarū facultatum,ac pro cauſarum diuerſitate,modò vnā,modò alterā, vel plures lędi cōtingit:velut non tantùm in facultatibus ipſis,verùm etiam in febrium ſubiectis quotidie obſeruamus. nam quāuis ſpiritus parat iores ſint, quàm humores parteſque ſolidæ, ad calorem præter naturam ſuſcipiendum,cùm tenuioris ſint ſubſtantiæ: omniſque tenuis ſubſtantia promptius alteretur, quàm

cap. 1 craſſa,primo de Differentiis febrium,& inſuper humores,quàm membra: nō tamen perpetuò,quæ incipit febris,diaria eſt,ſed putrida interdumque hectica eſſe

cap. 8 poteſt,vt eodem primo de Differentiis febrium patet. cuius euentus cauſa aſsignatur prædictorum ſubiectorum maior,vel minor pręparatio; cum magis lædi poſsit ab vna,vel altera cauſa,à qua primùm homo cœpit febrire.Pari modo nec illud mirum videri debet,quòd cerebro diuerſimodè affecto, quamuis in eodem loco,eademque ſede principes eius facultates perficiantur,in proprioq; eius temperamento conſiſtant,vnam interdum,aut alteram, vel plures earum lædi contingat. &,quamuis,cùm ipſum cerebrum valet,imaginādi functio præcedat, ſubſequaturque ratio & memoria,paratiorque ſit imaginatio,vt lædatur; non propterea,cùm intemperatum redditur, neceſſariò à quauis cauſa imaginandi functionem primò lædi oportet: verùm indifferenter(vt de naturalibus facultatibus diximus) poſſunt vna,vel altera,aut plures lædi,prout paratior vna facultas inuenitur, vt lædatur magis ab vna,vel altera cauſa. Pro maiori ergo præparatione vnius,vel alterius facultatis ad hanc,vel illam offenſionem ſuſcipiendam, ac pro lædentis diſpoſitionis varietate contingit vnam modò, vel alteram, plures, aut omnes principes facultates lædi,quamuis in vna eademque ſede perficiantur, vt diximus. Concomitatur inſuper hæc,diuerſa ipſius cerebri pars, quæ primò afficitur. nam omnium principalium virium animæ affectus in cerebro conſiſtere

cap. 5 apud omnes Medicos in confeſſo eſt,velut 3. de Loc.aff.teſtatur Galen. Et,ne tyrannorum ritu hæc affirmare videamus citra eiuſdem Galen. auctoritatem, ad

cap. 5 ipſum confugiemus.Is 3. de Loc.aff.dinumeratis quibuſdam capitis ac cerebri affectibus,ex quibus diuerſæ principes functiones turbātur, dixit eos differre tum pro diuerſitate diſpoſitionis & cauſarum,aut eo quòd magis, vel minus eædē intenduntur: vel varietate mixtionis dictarū diſpoſitionū,& hoc totū ex parte efficientiū cauſarum,ac lædentium morborum,nanq; ex infrigidantibus cerebrum cauſis,eiusque intemperie frigida memoriam lædi contingit,&, ſi eædem vehementius intendantur, ſimul cum memoria læditur ratio: quæ affectio ſtultitia nominatur. Similiter quoque accidit in lethargo ac omnibus ſoporoſis affectionibus, etſi ex his imaginationem quoque veluti reſolui contingat. conſueuit nanque (eodem Gal. auctore) frigida intemperies animales actiones torpidas efficere; id quod animalia,quæ per frigora latere coguntur,haud obſcurè declarāt, ac in frigidis medicamentis & cibis videre licet.Ex quibus concludo ad Gal. ſententiam,ſtultitiam & obliuionem à frigore ortum habere: cum videlicet ex his

cap. ult. cerebri corpus refrigeratum eſt, vt idem teſtatur 2. de cau Sympt. Verùm,ſi non vehementius intendatur frigiditas, obliuionem cauſat, memoriamque lædit, ſi autem intendatur,ſtultitia oritur, atque mens, ſeu cogitandi functio impeditur

ac torp

ac torpida efficitur, eodem auctore 3. de Loc. affe. ex oppoſitis verò cauſis, calfa- cap. 5
cientibus videlicet, velut oppoſiti morbi in cerebro excitantur, ipſo immodicè calfacto, ita & oppoſita vitia, vt vigiliæ, delyria, phrenitides, diuerſimodeq́; principes functiones læduntur: nō tantùm quia ex calidis afficiuntur diſpoſitionibus, ſed etiam quia leuiores, aut vehementiores exiſtunt. Nanque ex bilioſis ſuccis febrem ardentem generantibus, ſi vapores ad caput aſcendant nō multi, nec admodum acres: delyrium oritur, eaque princeps facultas potiſsimum læditur, quę minorem habet oppugnandi vim, vt lædatur. hęc verò phantaſia eſt. quare imaginandi functio tunc offenditur. At, ſi multi, acresque, & vitioſi fuerint, non imaginatio, ſed cogitatio aberrabit. Quòd ſi multi ac admodum acres ſint, vtræque deprauantur. Nec diuerſa quoque ratione, orta phrenitis nōnunquam mitior eſt, vtpote cùm à pallida bile ortum habuerit, imaginandíque facultas turbatur, ceu promptior ac paratior vt à leuioribus cauſis lædatur, præſertim calfacientibus. At, ſi vehemētior fuerit, cùm videlicet flaua bilis eam parit, promptius mens, ſeu ratio vitiatur, vtpote magis apta vt ab hac offenſionem ſuſcipiat. vbi verò fuerit vehementiſsima ex eadem flaua bile excitata, adeò tamen acri & calfacta ac ferè præaſſata, vt velut ferina ſint delyramenta; euenit vt tum imaginatio, tum cogitatio deprauentur. Ex his deniq; diſpoſitionibus calidis non modò aliæ atque aliæ facultates læduntur principes, eò quòd magis minuſque intenduntur, & ſecundum quòd magis minuſque obnoxiæ ſunt hæ facultates his lædentibus cauſis: ſed ipſarum lęſionis modus alius eſt ab eo qui à diſpoſitionibus frigidis excitatur. ex ipſis nanque minus intenſis memoria primò: quòd ſi intendantur, ratio quoque læditur, vt diximus ac imaginatio interdum; vt in veterno & lethargo, læſionisque modus velut deficiens eſt, torpidus, ſeu reſolutus. At ex calidis diſpoſitionibus, non quidem vehementer auctis, imaginandi facultas primò, &, ſi intendantur, mens & ratio: ac, ſi vehementius intendantur, vtræque afficiuntur: eritque earum læſionis modus non deficiens & reſolutus, ſed deprauatus & errans. & proinde cerebrum, vbi in morboſam intemperiem incurrerit, neceſſariò ſymptoma, quod intemperiei familiare eſt, induerit, vt 4. de Præſag. ex pul. patet. cap. 8
nec tantùm ex oppoſitis, ſeu diſpoſitionibus diuerſis cerebrum offendētibus, contingit diuerſas principes functiones lædi, eaſque diuerſimodè (prout promptius, aut ægrius quæque earum parata eſt) offenſam ſuſcipere, quinimmo ex varietate mixtionis prædictarum cauſarum: quæ cum multiformiter commiſceri queant, varia cerebri vitia pariūt pro mixtionis modo, varias inſuper ex ipſis noxas cōtrahunt functiones principes. nam modò vna, modò altera, vno, vel alio modo, pro earundem etiam diuerſa præparationis ratione, lædi conſpicitur. quę quidem abnegare extremæ eſſet dementiæ, eum in dies illud quiuis in ægris curādis etiā parùm exercitatus obſeruare valeat. Et, quamuis hæ functiones principes (vt diximus) in ipſius cerebri corpore perficiantur: non exigua tamen oritur in earum læſione differentia, cùm videlicet cerebrum ipſum ſecundum diuerſas eius partes primò afficitur. Cuius rei nōn immemor Gale. 3. de Loc. aff. teſtatus eſt cere- cap. 5
bri affectus non tantùm inter ſe differre mixtionis varietate, aut eo quòd magis, minúsve intenduntur eorum cauſæ, verùm etiam, quia ventriculi cerebri interdum afficiuntur, interdum eius vaſa vniuerſa, interim humiditas, quæ per eius corpus diſperſa eſt, aut eum ipſummet cerebri corpus intemperatum redditur. non enim verendum eſt, quòd pro ratione diuerſarum cerebri partium primò affectarum poſsint & ipſius varia oriri vitia, ac diuerſæ functiones lædi, quamuis hæ in ipſius cerebri corpore ab anima exerceantur. nam alia ratione conſentit cerebri corpus, cùm eius ventriculi primò afficiuntur, alio modo cùm eius vaſa, ſeu humiditas, quæ per ipſum diſperſa eſt. Diuerſa quoque ratione ipſæ functiones lędentur, ſi ipſius cerebri corpus pręter naturam primò afficiatur. qua inſuper ratione euenit, vt interdum vna, interdum alia noxam ſuſcipiat, etſi ſedibus non ſeiungantur. Ex quibus ſatis admodum demonſtratum eſſe cenſeō, Gal. duce atque auctore, qua ratione contingat vnam interdum, vel alteram functionem

principem turbari, aut quouis modo offendi, altera illæſa permanente: quamuis in vno eodémque loco conſiſtant, vt diximus, ac ab ipſa anima in cerebri corpore exerceantur. quæ cùm hucuſque à quibuſdam percipi non potuerint, conati fuerunt ad Galeni mentem, vt ipſi fatentur, licet falsò, prædictas functiones locis ac ſedibus ſeiungere, maximam Galeno iniuriam inferentes: cum id apud eum ſcriptum nullibi reperiatur, quinimmo ab eiuſdem monumentis alienum, eiúſque ſententiæ pugnans omnino eſt, vt ex his, quæ ſuprà diximus, liquidò conſtare poteſt.

DONATI ANTONII ALTIMARI,

Quòd naturalis ſpiritus in Galeni doctrina admittatur: & non omnino abolendus ſit, vt quibuſdam viſum fuit.

QVI naturalem ſpiritum in Galeni doctrina, tanquam non neceſſarium abnegant, hac prima ratione id probare conantur. Spiritus naturalis, (inquiunt) ſi neceſſarius ſit, non propter aliud vtique, niſi vt vehiculum naturalium facultatum exiſtat, altricis præſertim, ad membra ipſa: Atqui hæ cognatæ cunctis partibus ſunt, veluti magneti lapidi vis qua ferrum attrahere poteſt, Galeno auctore primo de Locis affectis circa finem. (cap. ult.) quare vt eis ab aliqua parte vis hæc influat, ſuperuacaneum eſt. Non ergo ſpiritus naturalis ad partes ipſas naturales facultates ſuppeditat: & propterea neque neceſſarius exiſtit. Poteſt & hæc eorum ratio corrobari Galeni auctoritate libro Artis medic. cap. nono, vbi de partium differentiis loquutus, quaſdam dinumerauit, quæ nec aliarum gubernationi præſunt, nec aliunde gubernantur: cum inſitas habeant à natura potentias, à quibus reguntur: vt cartilago, membrana, os, ligamentum, &c. At, ſi ſpiritus naturalis nutriendi vim ad corporis partes deferat: nulla daretur prænarratæ differentiæ pars, & Galen. tanquam ſuperflua ponens condemnandus eſſet. Inſuper, cùm partium eſſentia permanens non ſit, ſed continuè diffLet ac mutetur, venis & arteriis (cap. ult.) (Galeno teſte primo de Locis affectus) indiguerunt, vt nutrimentum eis defeatur, ac innati caloris temperies ſeruetur. At per venas nutrimentum eis diſtribuitur, per arterias caloris ſymmetria ſeruatur. nullo ergo alio tertio, nec ſpiritu naturali opus erit. Deficit quoque materia pro ſpiritus naturalis generatione, vt hi opinantur. Nam, ſi qua eſſet materia, ex qua naturalis procrearetur ſpiritus, ea vitalis ſpiritus eſſet, ex quo etiam animalis gignitur. Eius verò generatio prima in corde fit, & ab eo in vniuerſum corpus per arterias diffunditur. qua de re, cùm multò plures ſint noſtri corporis partes, quæ vi egent naturali quàm quæ animali: neceſſarium vtique eſſet magnas, immo maximas arterias ad iecur peruenire, tantam vitalis ſpiritus copiam ſuppeditantes, quæ pro naturalis materia ſufficere poſſet. At per corporum diſſectionem, & Galen. quarto de Vſu part. cap. decimotertio, conſtat ad ſimas tantùm iecinoris partes, & eas quidem valdè paruas, arterias inſeri, per quas tanta ſpiritus vitalis copia, vt ex ea naturalis gigni poſſet, non defertur: quam tamẽ multam eſſe oportuiſſet ſi ex ea

naturales ſpiritus gigni deberent. At, ſi quiſpiam dixerit non hanc eſſe ſpiritus
naturalis materiam, ſed ſanguinem, qui in iecore fit: eum eſſe non poſſe arguunt,
cum is craſſus ac turbulentus, necdum ab alijs humoribus emundatus ſit, vt ido-
neus fiat ad eius generationẽ: deficit ergo materia. Sed nec locũ in iecinore eſſe,
in quo poſsit naturalis ſpiritus generari, vtpote cùm nulla in eo ſit cauitas, veluti
in corde & cerebro manifeſte cernitur. qua de re deeſt & locus pro eius genera-
tione. Præterea nec canales, ſeu meatus, ſuppetunt: per quos, vbi genitus iam
fuerit, valeat ad membra deferri: Niſi quiſpiam dixerit per venas vnà cum ſan-
guine ſpiritum tranſire. quod tamen nec corpus venarum patitur, vnica tantùm
tunica contentum: nec motus, ſeu pulſus indicat, qui venæ non ſecus ac arteriæ
adeſſe deberet. Vltimo loco non dari ſpiritum naturalem probant, cùm nulla via
pateat aëri quo is nutriri valeat, veluti animalis & vitalis. deficeret ergo viuus
eius nutrimẽti modus. Qua de re, cùm nec finis adſit, ob quem eum gigni opor-
teat nec materia, ex qua vel generari, vel conſeruari poſsit: nec locus idoneus, in
quo gignatur: nec via, per quam ad membra mittatur, ex prædictis probabilibus
rationibus iure omitti ac negari ad eorum mentem poteſt. Vt autem rei propoſi-
tæ dilucidius veritatem aſſequi valeas, quid per ſpiritum intelligendum ſit ani-
maduertas oportet. Eſt autem, ad Gale. mentem, corpus quoddã calidum, tenuiſ-
ſimæ ac leuiſsimæ ſubſtantiæ, ex aëre & tenuiſsima, leuiſsima ac ſynceriſsima
parte ſanguinis, ſeu ſeminis genitum. Quòd corpus ſit calidum, patet 5. de Simpl. cap. 9
med. fac. quo loco innatum ſpiritum calidum appellauit: & commentario aduer-
ſus Lycum. ita de alijs dicendum, cùm ab eo calidaque materia originẽ ducant. cap. 7
At, quòd ſubſtantia eius ſit leuiſsima ac tenuiſsima, apud eundem auctorem pa-
tet 3. de Nat. facul. vbi aſſeruit omnium, quæ in corpore ſunt, leuiſsimum tenuiſ- cap. 14
ſimumque eſſe ſpiritum. Quòd ex aëre ac ſanguine halituoſo & tenui gignatur,
decretum reliquit Gale. 6. de Vſu part. 11. ac 12. Met. med. ac ſexcentis alijs locis, cap. 17
Quòd verò ex ſemine, 14. de Vſu part. & lib. aduerſus Lycum, patet. Huius ſpiri- cap. 3
tus duæ primæ differentiæ iuxta eiuſdem auctoris ſententiam aſsignari poſſunt: cap. 5
nam quidam fixi ac ſtabiles ſunt, qui innati ab eo appellantur 5. de Simp. med. fa. cap. 9. & 10
quidã verò vagantes ac errantes ſunt, & influentes. Hi verò ſpiritus, qui inſiti ac cap. 7
innati dicuntur: cum in omnibus animãtis partibus contineantur, non tamen vn- cap. 9
dequaq; ſimiles, veluti nec etiã ſanguis, adeo in ſimplicibus ac primis ſolidiſque
animalis partibus fixi ac implantati ſunt, (ex ſanguinis, vt diximus, & ſeminis le-
uiſsima ac tenuiſsima parte geniti) vt toto vitæ curriculo iidem permaneãt. etſi
eorum ſubſtantia quolibet ferè momento tum minor, tum maior conſpiciatur,
nunquam tamen in totum diſsipatur. Nec parua eorum ſubſtantia in ſpatijs ma-
nibus dictarum partium ineſt: immo potius ea veluti materia quædã, leuiſsimam
etiamnum mutationem expoſcẽs, eſt ad innati ſpiritus qualitatibus ſuis abſoluti
generationem. poterit autem hæc ſubſtantia ſpiritus innatus appellari, cum ad-
modum ad naturalia opera perficienda cõducat, prout 5. de Simp. medi. fac. Gal. cap. 9
viſum eſt. Hunc ſpiritum innatum in ſemine contineri, ſpumoſoque corpore, ele-
mento ſtellarum proportione reſpondentem, primumque fœtus principium eſſe
Ariſt. 2. de Genera. anima. ſcriptum reliquit. At Gal. qui & ſemen non tantùm ef- cap. 3
fectiuum generationis fœtus principium voluit eſſe, ſed & materiale, ſic nec ſan-
guinem menſtruum materiale tantùm principiũ, ſed effectiuum quoq;: licet va-
lidiſsimũ ſit in ſemine effectiuum, materiale pauciſsimũ, in ſanguine cõtrà, quod
ad materiam ſpectat plurimum, quod ad vim & facultatem imbecillimum: hunc
innatum ſpiritum non tantum ex ſeminis parte leuiſsima ac tenuiſsima, verùm
& ſanguinis menſtrui ſimili ſubſtãtia gigni voluit: licet ex ſemine magis. qua ra-
tione ſæpe apud eum reperies (vt 1. de Sani. tuen. & 2. de Nat. fac.) ſemen opificis cap. 2
rationem obtinere, ſanguinẽ verò materiæ, ab eo quod in eis præualet, ipſis prin- 2. de po. na.
cipijs denominationem tribuens: ita vt ex vtriſq; ſimul permixtis velut vnũ fiat cap. 3
agens, vnum motus principium ſeu effectiuum, vt vtrunque in vnũ motum con-
ſpiret, ac principiũ motus ſit idem: vt patet ex eius mẽte tum 2. de Sem. tum 14. cap. 1

cap.8 de Vſu part.quanquam hæc vis, ſeu facultas in ſemine magis principatum obti-
neat,vt diximus: eſt nanq; ipſius animæ inſtrumentum primum,etſi Stoici ipſius
ſubſtantiã eſſe autument.Hic ſpiritus eſt,qui omnes actiones naturales adauget,
qui,cum in pueris copioſiſsimus ſit,caliditate ſymmetrus ab Hippo.Aphor.14.1.
lib.calor innatus appellatur: etſi is verè in triplici ſubſtantia cõtineatur: ea quam
diximus,ac reliqua tum ſanguinea: ex qua carnoſæ partes generãtur: tum ſeroſa
ſeminis parte,ex qua ſolida finguntur. Quapropter Gale.hoc innatum calidum,
cap.7 quòd ἀρχέγονον, id eſt,primogenitum vocare Hipp.cõſueuit,nil aliud eſſe,quàm
ſanguinem menſtruum,ſemenq́; retulit lib.aduerſus Lycum, aſſerens ſe nihil no-
uiſſe,præter hæc,tertium: & propterea iis,qui creſcunt,plurimus ineſt: & iis, qui
cap.3 conſenuere,minimus. Errãtium autem ſpirituum differentiæ à Gal. 7.de Hipp.&
Plat.decretis duæ conſcribuntur: quarum vna vitalis ſpiritus, altera animalis di-
citur. Vitalem appellat eum,qui in corde & arteriis continetur: eſt enim cor eo-
6.de Plac. dem auctore 6.eiuſdem,ſicuti arteriarum,ita & vitalis ſpiritus, feruentisque ſan-
Hippo. & guinis principium,& fons. quo ſpiritũ vitali medio cor,ceu fons (vt diximus) in-
Plat.cap.8 ſiti caloris facultatem quandam ſingulis partibus tranſmittit: per quam & earũ
poſsit intimi caloris temperies ſeruari,cuius gratia ſpiritus is à corde confluit ca-
loris delator. Quanquam & alia quoque ratione,pulſu videlicet, prædictũ inna-
cap.3 tum partium calorẽ cuſtodiat,prout patet lib.de Vſu pulſ. Proinde actiones ſuas
perficiunt ſingulæ partes peculiari cordis temperie, qua pereunte ipſarum quoq;
cap.1 actiones perire neceſſe eſt: prout ipſe 5.de Loc.aff.teſtatur. Altera differẽtia ani-
malis ſpiritus appellata,non quòd ſubſtãtia animæ ſit,vt Stoicis placuit, ſed quòd
is primum eius inſtrumentũ in cerebro continetur, præſertim in eius ventriculis,
poſteriori & medio: hoc ſiquidẽ (cùm ipſa voluntariis actionibus vnà cum ſen-
ſibus præſideat) ad ſenſus omnes,cum ad eos motus,qui à conſilio & voluntate
prodeunt,vtitur,ad prædictorũ inſtrumẽta eo medio facultatẽ ſuppeditãs. An ve-
rò tam vis,ſeu facultas,quam ſubſtantia ad prædicta ſenſus & motus inſtrumenta
influat,vel vis tantùm,aut ad quædam vis,ad quædam verò & ſubſtantia & fa-
cap.5 cultas,cum ad rem propoſitam ſcire non conferat: iure prætermittam. At lib.12.
Method.med.cum de prędictis ſpiritibus verba feciſſet; aſſeruit quòd,ſi natura-
lis quoq; aliquis eſt: vtiq; is in iecinore & venis cõtinebitur. Quo loco etſi ipſum
dari non affirmet, nec omnino negauit: locum tamen ſignauit diuerſum a prę-
dictis,iecur videlicet & venas,ſi daretur. eſt nanque & ipſum inter tres principes
partes dinumeratum,quibus animal gubernatur,altricis facultatis principium &
veluti fons,ſicut cor caloris,& cerebrum ſentiendi atque mouendi ab electione,
cap.10 Galeſte cùm 9.Meth.med.tum 5.de Loc.aff.& 7.de Hipp.& Plat.decr. De hoc
cap.1 ergo principio altricis, ſeu naturalis,facultatis in dubium venit, nunquid inſtar
cap.3 aliorum duorum principiorũ,cerebri videlicet & cordis, aliis corporis partibus
ſpiritum aliquem ſuppeditet, loco & vſu ab animali & vitali diuerſum, genere
tamen eis conſimilem,vt qui vagans & errans dicatur, qua ratione ab innato di-
ſcrepet: naturalis appellatus,vt qui à principio naturalis facultatis genitus, iecore
videlicet,per eiuſdem proprios canales,venas ſcilicet,in totum corpus diffunda-
tur,quo medio naturales partium potentiæ, ſeu facultates,conſeruentur, quem-
admodum a vitali a corde tranſmiſſo intimus earum calor in ſymmetria conſer-
uatur. Quòd autem ſpiritus hic naturalis tanquam neceſſarius in Gale. doctrina
concedendus ſit,ex infra dicendis,cuius non tantùm tibi, ſi admodum duræ cer
cap.1 uicis non fuerit probare conabimur,præſuppoſito prius eo,quod Galen.11. Meth.
meden.decretum reliquit,Naturam ex tribus partibus conſtare: ſpiritu,ſubſtan-
tia carnoſa,& ex iis quæ vere ſolidæ dicuntur: ſingulaq́; iſtarum trium propriam
habere pro ſua natura cum qualitatem, tum quantitatem. ac qualitas earum ex
congrua temperie calidi, frigidi,humidi,& ſicci conſiſtit: quantitas vero ſolida-
rum partium par ſemper manet numero duntaxat his, qui inaugentur: qui verò
abſoluti ſunt,etiam magnitudine; ſed carnoſæ ſubſtantiæ magnitudo variatur,
etiam ſi animal non augeatur: pari modo,& ipſius ſpiritus ſubſtãtia tantùm non

quolibet momento tum minor, tum maior conſpicitur. Virtus quoque dictarum partium, vel in his tribus ſimul enumeratis additur, vel in eorum proprio temperamento conſiſtit perpetuò ſui cuſtodiam requirens: cuſtodia verò ſimilium exhibitionem indicat, velut ſublatio contrariorum. Proinde virium ſubſtantiam (quæ ex ſpiritu, vt diximus, carnoſa ſpecie, ac ſolidis ipſis completur) ſi cuſtodire velimus, ex iis, quæ ſimilia ſunt, moliri cuique ſuam cuſtodiam conuenit: nempe ei, quæ terrea eſt, ex iis quæ magis ſunt terrea: & ei, quæ humida, ex iis quæ ſunt humidiora. ad eundem modum & ei, quæ magis aërea, ea, quæ plus huius ſubſtantiæ in ſe habent, vt propria cuique menſura ſeruetur, adhibenda ſunt, Galeni auctoritate eodem vndecimo Metho. medend. Ad hæc nulli in dubium venit (prout primo de Sanit. tuend. & 12. Metho. Galen. ſcriptum reliquit) fieri non poſſe, vt continuò noſtri corporis ſubſtantiæ quicquam non vacuetur, aut immutetur, veluti nec vllo alio generabili corpori contingit. Proinde Medici officium eſt vt, quæ ſubſtantiæ portio defluit, eam apponendo reſarciat: quod alteraſcit, in debitam temperiem per contrariam alterationem vindicet, vtrorunque materiam naturæ propriam ſubminiſtrans. Harum porrò trium ſubſtantiarum nulla prorſus & alterationi & diſſipationi promptius ſubeſt, quàm ea quæ ſpiritus, vt quæ tenuior & halituoſior ſit. qua de re ſi aſsiduè ab ipſo calore aliqua portio digeritur, ſimulque ab aliis cauſis, & alteratur, ſimili corrigenda venit ſubſtantia: aliàs verendum ſit ne (ea aſsiduè diſsipata, nec per aliquod ſimillimum ſubſtantiæ prius euacuatæ reſarcita, vel alterata & in debitam temperiem per contrariam alterationem non deducta, vt tum quantitas, tum qualitas, quoad fieri licet, naturaliter ſe habeat) virium eſſentia, quibus corpus regitur totum, & quæuis eius pars, vitietur, ac animal pereat, vel pars aliqua deperdatur. Eadem re libro vndecimo Method. Galen. ſpirituum cuſtodiam moliri ex reſpiratione ac tranſpiratione, &, qui ex ſanguine attollitur, vapore, vel eius attenuatione, ſeu in halitum ſolutione, & quaſi aëratione, inquit, tanquam hæc ſit eorum ſpirituum omnium ſubſtantia ſimillima. Particulatim autem vitalis ſpiritus irrigatur ac alitur, ſiue nutritur ex inſpiratione & ſanguine: animalis verò ex inſpiratione ac ſanguine tenuiori, quem reticularis plexus ſuppeditat, prout 12. Method. patet. & 7. de Hippocr. & Plat. decre. dixit ſpiritum animalē ex vitali perfectius concocto oriri. Ac 6. de Vſu part. hunc animalem ſpiritum aſſeruit exhalationem quandam eſſe ſanguinis benigni. Ex quibus patet quòd, quamuis ex reſpiratione, ſeu tranſpiratione, ſimulque & ſanguinis exhalatione; vt ita dixerim; ſpiritus quicunque gignitur, nutritur, ac cuſtoditur, præcipua tamen eius cuſtodia ac nutritio eſt ex eiuſdem ſanguinis attenuatione, ſeu aëratione: in quo (mea quidem ſententia) tum inſiti, ſeu innati, tum vagantes omnes, ſeu errantes, ſpiritus quodammodo conueniunt: cum hęc ſit maximè ſimilis ac familiaris eorum materia, potiſsimum innati. vnumquodque enim ea ſubſtantia, qua primum genitum eſt, ali etiam perpetuò conſueuit, prout Gale. aſſeruit libro primò de Semi. circa finem, licet ex aëre eorum qualitas æquè, vel fortè magis, cuſtodiatur. quod voluit Hippo, innuere lib. de alimento, dum dixit: Principium alimenti ſpiritus, os, guttur, pulmo, & alia reſpiratio. Nec te præterit innatum ſpiritum, velut in aliis corporis partibus, ita in iecinore cōtineri: non enim fas eſt in aliis, & non in iecinore reperiri, eiuſq; iecinoris naturam facultatemque in hoc potiſsimum ſpiritu conſiſtere, velut de aliis partibus ſuprà relatum eſt. Quinimo conſonum eſt iecur ipſum, velut altricis ſeu naturalis facultatis principium, vnū ex tribus corpus noſtrum gubernantibus, multam copiam ſpiritus innati in ſeipſo continere: non enim ſibi ipſi duntaxat gubernando dat operam, ſed tanquam principium obtinens aliis partibus materiam ad alimentum idoneum procurat. Amplius ſcio te non ignorare, quòd innatus hic ſpiritus tam in iecinore, quàm in aliis corporis partibus aſsidua cuſtodia egeat: cùm tota moles animalium in perpetuo fluore ſit, &, ni ſimilis alteræ ſubſtantia, pro ea quæ defluxit, reſtituta ſit, vt diximus, ac Galenus primo de

[Margin: cap.3 / cap.3 / cap.5 / cap.3 / cap.5 / cap.3 / cap.17 / cap.16 / Hippo. lib. de alimen. quod refert Galen. libro de Vtil. reſp. cap. ult.]

cap. 2 Sanit.tuend.teſtatur,euaporabitur certè, atque diſsipabitur vniuerſa, præſertim
ſubſtantia hæc ſpiritus, quæ promptè propter ſui tenuitatem euaporat, ac diſsi-
patur. Verùm eius non tantùm in quantitate iuſtus modus ſeruandus eſt, ſed
etiam in qualitate,quæ ſimilis eius tẽperiei ſubminiſtrari debet, quoad fieri poſ-
ſet.&,ſi quale erat ipſum quod effluxit,tale prorſus adiũgere agglutinareq́ue ei
per totum liceret; optimum id,ſaluberrimumq́ue planè eſſet. Hic autem iuſtus
cap. 3 ſeruandi modus non aliter fieri valet Gal.teſte primo de Sanit.tuend. quàm cibi,
potionis,reſpirationis & arteriarum motus ope. Vltimò non te fugit quòd, licet
cor veluti principium & fons (vt prius diximus) innati caloris,mediis arteriis ab
eo ortis aliarum partium innatum calorem ſeruet, non tantum earum arteria-
rum motu, verùm etiã mediis ſpiritibus,in ſiniſtro eius ventriculo ortis, qui ve-
cap. 3 luti vehiculum caloris à corde confluunt,Gale.auctore lib.de Vſu pulſ. ex his ta-
men ſpiritibus calorem vehẽtibus nullum aliud commodum partes, ad quas de-
fertur,ſuſcipiunt,quàm vt intimi caloris temperies in eis ſeruetur. Hæc cuſtodia
non tantùm pulſu,verùm etiam ex abundãte naturæ gratia à prædictis confluen-
tibus ſpiritibus fit: nam propter hoc naturam in partibus inſeruiſſe arterias Gal.
cap. 15 oſtendit 4.de Vſu part. Quare non ab re eundem vſum præſtabit hic ſpiritus vi-
talis innato ſpiritui,& non alium,ipſum in propria temperie ſeruans,ac qualitate
cap. 3 decenti.& propterea voluit 7.de Hipp.& Pla.decr.eo probè concocto animalem
cap. 17 ſpiritum generari,& innatum.Immo 6.de Vſu part.propterea purum ſanguinem,
inquit,ac tenuem in arteriis contineri oportuit: quoniam ſpiritui animali, & non
aliis partibus,alimentum erat ſuppeditaturus.Excipiendæ ſunt tamen fortè par-
tes quædam,quamuis paucisſimæ,vt pulmo, qui vaporoſiori ac tenuiori ſangui-
ne pro eius nutrimento indiguit.Is nanque ſanguis ſpirituoſus & feruens in cor-
de genitus,non etiam,velut qui è iecore ortus eſt,in alimentum proficiſcitur om-
cap. 6 nibus corporis partibus 6.de Hippoc.& Plato.decre. pari ratione nec vitalis ſpi-
ritus, qui veluti cordis caloris vehiculum, partium, ad quas defertur, ſymme-
triam proprij calidi cuſtodit: & proinde innati ſpiritus earũ, in quo potisſimùm
eſſentiam habent,in alimentum non proficiſcitur, ſed eum contemperando ſer-
loco præcita. uat,animalis tantùm materia ac alimentum iuxta Gal. ſententiam præcitato lo-
7.de pla. co. nec ſolùm ipſius innati ſpiritus,ſed etiã carnoſarum,ac ſolidarum partiũ calo-
ris ſymmetriam conſeruat,à corde tranſmiſſus.Nec quiſpiã fateri audebit anima-
lem ſpiritum à cerebro diffuſum in innati ſpiritus alimentum tranſire: nam hic
cap. 3 (vt calles) primũ animæ inſtrumentum eſt,ad Gal.mẽtem 7.de Hipp.& Pla.dec.
tum ad ſenſus omneis,tum ad motus,qui ex appetitione fiunt, perficiendos. Re-
liquum eſt,præter eam,quam ex aëre habet,cuſtodiam,inſitus ſpiritus, vt aliqua
ſubſtantia ei quàm ſimillima reperiatur: poſtquam ea, quæ eſt vitalis aut ani-
malis ſpiritus,non eſt: velut animalibus ſpiritibus inuenta eſt.nec minus & ipſius
vitalis ſpiritus materia ac ſimillima ſubſtantia inueniri debet, ex qua, præter
aërem, gignatur ac cuſtodiatur. His iactis fundamentis pro ſpiritus naturalis
neceſsitate, talis prima poteſt erigi ratio: In quacunque corporis parte ſpiritus
innatus reperitur, is præter aëris inſpirationem, ſeu tranſpirationem, quadam
ſanguinis exhalatione,aut (vt ita dixerim) aëratione, pro eius nutrimento ac
cap. 3 cuſtodia, indiget velut quicunque alius ſpiritus, Galen.decret. 11. Methò. Sed in
iecinore, quod vna eſt corporis pars, eaq́ue princeps,innatus ſpiritus reperitur,
in quo potisſimum eius natura conſiſtit, ac virtus, vt ſuperius oſtendimus,
quare & cuſtodia & refectione eget,vt, quæ difflatur portio eius, quoad fieri
liceat,reficiatur. hæc non eſt alia à ſanguinis exhalatione quam ſpiritum vo-
camus: nec is vitalis eſt; quia non niſi in corde & arteriis continetur,& ſymme-
triam tantùm partium ſeruat: nec animalis,propter prædictas cauſas. quare iure
naturalis appellandus erit; cum præter hos nullus alius reperiatur ſpiritus, &
cap. 5 ipſemet Gal. 12.Metho.aſſeruerit Quòd, ſi naturalis quoque aliquis ſpiritus eſt,
vtique is in iecinore & venis continebitur. Præterea, ſi iecur principium altricis
ſeu vegetabilis facultatis eſt, propterea quòd materiam procurat idoneam ad

alimentum,toti corpori,ad Galeni mentem ſexto de Hippocr.& Plato.decret.iu- *cap.6*
re omnibus eius partibus id ſuppeditare debet. At, cùm partium eſſentia in tri-
plici ſubſtantia conſiſtat,vt prædiximus,ſpirituoſa,carnoſa, & ſolida, ſingulis ſi-
millimum alimentum impartiri debet. quare inſito ſpiritui idoneam præſtat ma-
teriam,veluti & carnoſæ,& ſolidæ parti. Sed hæc non eſt alia, quàm tenuiſsima,
& leuiſsima ſanguinis pars,quam etiam ſpiritum nominamus. nec is vitalis, aut
animalis eſt: iure ergo naturalis appellandus. At,ſi quiſpiam dixerit iecur ido-
neam materiam ad alimentum procurare tantùm carnoſarum & ſolidarum par
tium,& non inſitorum ſpirituum: præter id, quòd minus ſcitè dixerit, duo ſe-
quentur incommoda. Primum, quòd iecur non ſit ſufficiens principium altri-
cis facultatis, cùm ſingulis partibus ſufficiens alimentum non ſuppeditet:& præ-
ter hoc,aliud aſsignandum ſit principium, quod ſpiritui innato materiam præ-
ſtet. hoc autem quantum à ratione alienum ſit,cuique patet, præſertim in Gale-
ni doctrina exercitatos vniuerſam nanque in animali nutricationem iecur pro-
curat,vt ſeptimo de Hippocr.& Plato.decret.ſcriptum reliquit. Ad hæc accedit, *cap. 3*
quòd ſicut ſe habet ad animalem ſpiritus vitalis,qui perfectiùs cõcoctus in ipſum
vertitur, vt patet ſeptimo de Hippocrat.& Plato.decret.ſic ſe debet habere, re- *Loco cit.*
ſpectu vitalis,alius ſpiritus: ex quo perfectius concocto vitalis ipſe oriatur. Sed
hic non poteſt eſſe alius,quàm naturalis. ergo pro ortu,generatione, ac cuſtodia
vitalis ſpiritus,præter aërem,neceſſarius eſt ſpiritus naturalis, præſertim cùm is
quoque animalis ſpiritus generationis materiam habeat, præter eam quæ ex in-
ſpiratione,& humorum exhalatione,vt Galenus teſtatur eodem loco. Amplius,
ſicut ſanguis tenuis,purus & vaporoſus,in corde & arteriis cõtentus, ex eo gigni-
tur ſanguine,quamuis craſsior ſit,qui priùs in iecinore confectus, ad cor per ve-
nas diſtribuitur,perfectius tamen in eo elaboratus, ac concoctus: ſic ſpiritus vi-
talis,præter aërem,materiam ei quàm ſimillimam prædicti ſanguinis exhalatio-
nem ſuſcipit, perfectiusq́ue elaborat cor: inque ipſo gignitur,ſeptimo de Hip-
pocrat.& Platon.decret.quę non niſi per eaſdem venas ad ipſum peruenit in ieci- *Loco cita.*
nore genita,& per venas diſtributa,quãquam craſsior & caliginoſior ſit.At,quòd
hanc ſanguinis exhalationem intra venas contentam ſpiritum naturalem nomi-
nemus,alienum non eſt: cùm & animalem 6.de Vſu partium,Galenus dicat eſſe *cap.17*
exhalationem quandam ſanguinis benigni, qui tamen & ſyncerior & tenuior
naturali exiſtit. Inſuper, ſi nihil in noſtro corpore planè eſt ſyncerum, ſed om-
nia omnibus mixta: non tamen æqualiter, vt Galenus teſtatur auctoritate Hip-
pocratis lib.de Alimento. 6.de Vſu partium: iure in venis ipſis non tantùm ſan- *cap. 16*
guis,verumetiam ſpiritus continebitur: velut in arteriis non tantùm ſpiritus,ſed
ſanguis,prout ipſe aduerſus Eraſiſtratum probauit.At is,qui in venis ſpiritus con-
tinetur,nec animalis,nec vitalis dici poteſt: cùm vnus in cerebro, alter in corde
& arteriis contineatur. meritò ergo naturalis dici debet. Vltra hæc, ſi in venis
aliquis continetur ſpiritus,is naturalis dici debet: cùm duodecimo methodi me-
dendi Galenus dixerit,Si naturalis aliquis ſpiritus eſt,vtique is in iecinore & ve- *cap.5*
nis continebitur: ſed in ipſis ſpiritus continetur,vt idem 6.de Vſu part. ſcriptum *cap.16*
reliquit,dum aſſeruit arteriam,tenuem ac purum & vaporoſum ſanguinem con-
tinere: venam autem paucum,eundemq́ue caliginoſum aërem,ſeu ſpiritum.con
ſueuit nanque hęc Galenus confundere,vt patet primo de Different.febr.meritò *cap.1*
ergo naturalis eſt, & dici debet. præſertim cùm eodem libro inquiat quòd reli- *cap.10*
quæ particulæ omnes omnium ſunt participes,& venæ & arteriæ:quarũ hæ qui-
dem exigui,& eiuſdem tenuis,atque vaporoſi ſanguinis: illæ verò pauciſsimi, &
ipſæ,ſpiritus,verùm caliginoſi & craſsi.Cùm prærerea tria ſint principia, quæ,ad
Galeni mentem,corpus gubernant,&.quodlibet ipſorum propriam contineat fa-
cultatem diuerſi generis inter ſe, ac toti corpori quæuis ipſarum ex ſuo veluti
fonte diſtribuatur,vt patet 9.Meth.& 1.de Arte cur.ad Glauc.ſi cerebrum & cor *cap.10*
propriis ſpiritibus velut inſtrumentis vtentes ſuas proprias ſuppeditãt facultates, *cap.14*
iecur pariter ſuam diſpenſans facultatẽ ſuo vtetur proprio ſpiritu tanquã inſtru-

mento,cùm & ipſum inter tria principia nõ minùs,quàm reliqua, corpus guber-
net.At,cùm naturalis facultatis ſit principium , etiam ſpiritu naturali medio toti
miniſtrabit : velut cerebrum animali, & cor vitali. hepar enim,cor,cerebrum, &
teſtes communiter vniuerſo corpori principia ſunt virtutum : vt Galenus inquit
cap. 2 2. de Arte cur.ad Glauco. At,ſi quiſpiam dixerit contrarium ſentire, lib. Artis
cap. 9 medic.& primo de Locis affect.ex his , quæ paulò poſt dicemus,reſponſio pate-
cap.ult. bit.Spiritum ergo naturalem ad Galeni mentem & dari & neceſſarium eſſe præ-
dictis hiſce rationibus probatum eſſe reor , cùm propter inſiti iecinoris ſpiritus
& aliarum partium inſtaurationem ac cuſtodiam , tum vt materia ſit vitalis ſpi-
ritus , velut & is animalis , in iecinoreque generari tanquàm naturalis faculta-
tis,ſeu altricis, ſonte ac principio,aliiſque partibus per venas trãſmitti pro earum
prænarrato vſu. At,ſi quiſpiam adhuc eum inficiabitur,aſſerens propter quid de
cap. 5 eo ambiguè Galenus loquutus fuerit 12. Metho.med. cùm dixit , Quòd , ſi na-
turalis quoque aliquis ſpiritus eſt,vtique is quoque in iecinore & venis contine-
bitur : Ei reſponſum ſit,primò eo loco Gale.ſpiritum naturalem non negaſſe: ſe-
cundò ſub conditione loquentẽ,locũ,in quo contineretur,aſsignaſſe:tertiò quòd
non mirum,ſi ſub conditione de eo verba fecit ; nam , ſi de vitali ſpiritu, qui eui-
dentior erat,non æquè aſſeruit euidentem eſſe demonſtrationem , veluti de ani-
mali,eò minus euidens demonſtratio eſſe poterat ipſius naturalis : qui & purita-
te & tenuitate ab ipſo vitali deficit. eſt nanq; craſsior ac caliginoſior, veluti & ſan
guis,qui in ipſo iecinore generatur,craſsior & rubrior : at qui in corde,tenuior &
cap. 8 flauior eſt,ſexto de Hippoc.& Plato.decret. neque euidentis alicuius motus (vt
cerebrum & cor) exiſtit iecur ipſum, eodem teſte præcitato libro , quo euidens
quoque naturalis in eo pateret ſpiritus . non ab re igitur ſub conditione de eo
verba fecit , propterea quòd de eo ſatis euidentem demonſtrationem non ha-
beret,& non vt ipſum penitus negaret , vt quidam volunt.Conſueuit nanque de
his rebus,quarum euidentem demonſtrationẽ non haberet, nil temerè pronun-
tiare : ſed ſub dubio loqui,veluti & de animæ ſubſtantia,& cauſa fœtuum forma-
cap.ult. trice,vbique locorum,& præſertim lib. de Fœtus formatione , & nono de Hip-
cap 9 poc.& Plato.decret.ambiguè loquutus eſt. Non igitur in Galeni doctrina abne-
gandus eſt naturalis ſpiritus: quinimo, propter prænarratas cauſas ac vſus , tan-
quam neceſſarius admittendus.Et,ſi linearibus exquiſitis demonſtrationibus , ac
euidentibus confirmari nequit , ſatius eſt probabilibus credere & acquieſcere
quàm ipſum penitus negare,præſertim cum nec veritati,nec Galeni doctrinæ re-
cap. 10 pugnet.Quinimo cùm nono metho.fateatur, tres diuerſi generis facultates ani-
mal gubernare,qualibet toti corpori ex ſuo veluti fonte diſtributa , de naturali
facultate minime id verificari poſſet: cùm ſingulis partibus ſit cognata ad eius
mentem : niſi ſpiritus hic naturalis vniuerſis à iecinore ſuppeditaretur,quo inna-
ti earum ſpiritus,quibus potiſsimùm operationes naturales perficiunt,ac proprias
functiones,ſeruentur,vt paulò pòſt dicemus. Reliquum eſt rationes eorum qui
contrà ſentiunt,quas ſuprà portauimus,diluere : quod quidem admodum erit fa-
cile.Nam ad primam,qua tentant ſpiritum naturalem deſtruere,propterea quòd
vehiculum non eſt naturalium facultatum,cùm nutriendi vis cuicunque parti in-
ſita ſit,dicimus ad Galeni mentem , quòd è veſtigio cùm noſtri corporis partes
conſtructæ ſunt,cognatas habent eas,quas diximus , vires naturales. & propter-
ea,vt eis à iecinore per naturalem ſpiritum deferantur , opus non habent. At,
cùm earum eſſentia & natura permanens non ſit,iure,præter id quod à corde eis
confluit,iecinore indigent,quod alimentum eis ſuppeditat : eſt enim ipſum pro-
pterea altricis facultatis principium.Hoc alimentũ , vt ſuprà probatum eſt,non
tantùm carnoſis,& ſolidis partibus,immo etiam innatis earum ſpiritibus , ſuppe-
ditare debet,ex quo diſtributo alimento conuenienti & ſimillimo, vt opus eſt,
partium tum natura,tum virtus,quæ in prædictis tribus conſiſtit, potiſsimùm ta-
men in ſpiritibus , conſeruetur. Naturalis ergo ſpiritus appellatur, non quòd na-
turalis potentiæ ſit vehiculum , ſed quia ad ipſas partes diſtributus alimentum

præſtans

præſtans innato ſpiritui, quo præcipuè operationes naturales perficiuntur, ipſas
facultates naturales ſeruare, ac in partibus cuſtodire videtur. Ex quibus dicta Ga- *cap. 10*
leni nono Meth. primo & ſecundo de Arte cura. ad Glauc. etſi pugnantia aſſerere *cap. ult.*
appareat, cum his, quæ primo de Loc. affe. aſſerit, & lib. Art. medic. cõcordari poſ- *cap. 9*
ſunt: nam, licet inſitæ ſint partibus quatuor naturales facultates, quas ex propria
earum eſſentia & natura perficiũt, præſertim ſpiritu eis inſito, tamẽ quia talis na-
tura, ſeu eſſentia permanẽs nõ erat, aliquo indiguerũt principio inter reliqua, quod
idoneam alimenti materiam ſuggerens tam carnoſæ & ſolidæ, quàm inſiti earum
ſpiritus ſubſtantiæ, eſſentiam ac naturam earum conſeruaret, & per conſequens
vires ac naturales facultates earum, quæ in his conſiſtunt. hoc autem iecur eſt,
hac ratione naturalis, ſeu altricis facultatis principium, ac ſpiritum naturalem
ſuppeditans, & quodammodo vim, ſeu naturalem facultatem toti corpori di-
ſtribuens, vt ſeptimo & nono method. & primo de Arte curat. ad Glauc. ſentire *cap. ult.*
videtur Galenus. ſuppeditatur denique ab hepate ſpiritus materia propriè, & *cap. 10*
non naturalis facultas: velut à cerebro animalis facultas, & non materia, præter- *cap. 14*
quàm ad oculos: & à corde, pro caloris ſymmetria conſeruanda, vtraque: mate-
ria videlicet & vis, ſeu facultas princeps. nanque principium nuncupamus non
modò quod vim, ſeu facultatem, verùm etiam quod materiam ſuppeditat, vt
patet ſexto de Hippocr. & Plat. decret. Pariter ad Galeni auctoritatem libro Ar- *cap. 6*
tis medic. liquet reſponſio: nam neque nos negamus quaſdam partes à ſeipſis gu- *cap. 9*
bernari, inſitas à natura potentias habentes, à quibus reguntur: verùm eas ali-
mento non indigere alienum à ratione eſt aſſerere, cum iecur ipſum toti corpo-
ri idoneam procuret materiam ad alimentum: nec eas innato ſpiritu carere quiſ-
piam dixerit, cum in hoc earum potentiæ præcipuè eſſentiam habeant. Non im-
meritò ergo, cùm huic quoque ſpiritui innato alterum iecur pro eius alimento
ac conſeruatione naturalem pariat, eo indiguerunt pro ſeruanda earum par-
tium natura. At, ſi quiſpiam obiecerit non poſſe hunc ad eas peruenire, cum vaſa
ad ipſas non perueniant: Reſponſum volo, eas permanere non poſſe citra ali-
mentum: conſpicimus nanque in dies eas nutriri. quare ad eas illud deriuari ne-
ceſſum eſt: etſi neque vena eis inſeri conſpiciatur, prout Galen. aſſeruit tertio
de Naturali. facultatibus. circa finem: per quãdam tamen quaſi traditionem, vel *cap. ult.*
porrectionem, quam Græci ἀνάδοσιν appellant, alimentũ ad eas tranſſumitur, ſeu
transfertur; quare eo magis ſpiritui innato earum diffunditur naturalis pro eius
alimẽto, quo tenuior ac leuior eſt, quàm reliqua ſanguinis pars, quæ pro carnoſa
ac ſolida earum reficienda ſubſtantia transfunditur, quanquam patentes ductus
non ſint. Quòd autem Galenus ſcriptum reliquit primo de Locis affect. aſſerens, *cap. ult.*
quòd ſi partium eſſentia permanens fuiſſet: neque arteriis, neque venis indiguiſ-
ſent: verùm, quia nutrimento egẽt, ſeruareque oportet intimi caloris temperiem,
hanc ob cauſam & venis & arteriis indigebãt: nihil obſtat, quòd naturalis ſpiri-
tus dari non debeat; nam per venas, per quas carnoſis & ſolidis partibus alimen-
ti materia diſtribuitur, per eaſdem ſpiritibus ipſis innatis idonea diffunditur ma-
teria, qua alantur: nec minùs & ſpiritui vitali, vt diximus, quæ ſanguinis in ipſis
contenti exhalatio quædam eſt, purioris ac ſyncerioris ſubſtantiæ, quam ſubſtan-
tiam ſpiritum appello naturalem, ſimillimæ exiſtentis & pro innati & vitalis ali-
mento. hæc ergo congrua fuit eorum ſpirituum nutrimenti via, (per venas vide-
licet) velut & aliarum partium nutrimenti. Pro eo etiã, quòd materia deſit pro ſpi-
ritus naturalis generatione, vt ipſi opinantur, ipſum negare auſi ſunt. At nos ipſis
aſſentimur ſpiritum vitalem nec poſſe eſſe, nec eſſe ſpiritus naturalis materiã: im-
mo contrà hunc illius materiam eſſe ſentimus: verùm, cùm aſſerunt neque ſan-
guinem, qui in iecore cõficitur, poſſe eſſe, cùm is craſſus ac turbulentus ſit, longè
diſſentimus: nam, licet qui in iecore generatur ſanguis ex propria eius carnoſa
parte, quæ rectius parẽchyma dicitur, ac in venis cõtinetur, craſſior & turbulen-
tior ſit, quàm is, qui in arteriis cõſpicitur: tamẽ negandũ nequaquã erit ex eo poſ-
ſe naturalem generari ſpiritum; qui pari ratione à vitali declinat, qui in corde

& art

& arteriis continetur, velut & ſanguis. nam & proprio eius temperamẽto, ac natura, peculiarique cordis temperie, qua mediis arteriis participat, etſi exiguæ ſint;
cap. 13 quia tamen ſeruant caloris in eo ſymmetriam, vt patet 4. de vſu part. poteſt propterea propriis ſuis viribus vtens, quæ non minus in eius ſpirituoſa potiſsimum parte conſiſtunt, alimenti materiam ad ſeipſum delatam aſsimilare pro eius alimento primò, ſecundariò verò quod in eo redundat, velut ipſi ſuperfluum toti diſpenſans. In hac aſsimilatione quis negaret ſimillimam ſpiritui innato ipſius ſubſtantiam conficere pro prædicti inſiti ſpiritus cuſtodia ac alimento? hæc autem ab eiuſdem ſanguinis, qui in eo conficitur, exhalatione alia eſſe nequaquàm poteſt: nam hæc ſexcenties dicta eſt ſimillima eſſe ſpiritui ſubſtantia ex ſanguinis tenuiori, ac ſynceriori parte genita. Ac quæ ſufficiens eſt, pro ipſius inſiti ſpiritus alimento ab eo reponitur: quod autem redundat, veluti & reliquum ſanguinem ab eius parenchymate genitum, ad alias partes propellit tanquam ſuperfluum. qua ratione ipſum iecur in numero trium principiorum corpus diſpenſantium reponitur. Hæc eſt illa materia conformis ac ſimillima pro generatione ac alimento innati ac vitalis ſpiritus. qua de re non tantùm ſanguis, qui in iecinore conficitur, idonea poteſt eſſe materia pro naturali in eo ſpiritu generando, verùm & eius cauſa efficiens ſimilis ac proportionata pro eiuſdem ſpiritus generatione in eo reperitur. Spiritus ſiquidem innatus eius, in quo eiuſdem iecinoris natura præſertim conſiſtit, qua ratione ſpiritus quoque naturalis appellari meretur, ab ipſo quoque ſpiritus vim accipiens: veluti & is, qui à propria cordis natura, & potiſsimũ ab eius ſpiritu inſito gignitur, vitalis: & qui à cerebro, animalis dicitur. adeſt ergo pro ſpiritus naturalis generatione iecinori abundans, ac apta materia, nec minus, & potens cauſa efficax. Cum autem nulla adſit in iecinore cauitas, veluti in corde, & cerebro, in quo poſſet naturalis ſpiritus generari, illum quoque hac ratione negarunt. At nos dicimus, quòd, velut in eo viſcere pro ſanguinis generatione natura magnum vnum ſinum veluti ciſternam quandam non fabricauit, ne breuiſsimo tempore in eo ad ipſum tranſmiſſus ſuccus manſiſſet, ac in ſanguinis abſolutionem tranſmutari non potuiſſet, raptus ſiquidem ab impetu diſtributionis: & propterea, vt diutius in eo perſiſteret, ac perfectè alimentum alteraretur, ac in ſanguinem mutaretur, machinata natura eſt tranſituum, ſeu viarum anguſtias, quemadmodum in aliis locis hoc machinata eſt: vt in ventriculo pyloron, in inteſtinis inuolucra ante teſtes, arterias, & venas inuolutas, in capite plexum retiformem. In quibus partibus, cùm natura voluerit diutius materias morari, tranſitum ipſis difficilem molita eſt, vt tra-
cap. 13 dit Gale. quarto de vſu part. Pari ratione nec pro ſpirituum naturalium generatione talem in iecinore ſinum natura fabricauit, cùm materia eius diutius in eo non manſiſſet, tum quia attingi minimè potuiſſet ab omnibus inſitis iecinoris ſpiritibus, à quibus ipſum naturalem gigni oportebat. Et propterea aut prædicti naturalis ſpiritus generatio prohibita eſſet, aut deterior fieret. Non ab re ergo permanens diutius ſanguis in tenuiſsimis iecinoris vaſis, & perfecti ſanguinis generationis cauſa fuit, & abſoluti ſpiritus naturalis. Quinimmo, & in generatione animalis ſpiritus ex ipſo vitali hoc idem natura machinata eſt, reticularem plexum conſtituens, in quo diutius vitalis ſpiritus permanens valeat perfectè in animalẽ tranſmutari. Sicut ergo ex iecinoris propria carnoſa ſubſtantia, ſeu parenchymate alimentum in tenuibus eius vaſis detentum poteſt perfectè in ſanguinem verti: ſic ex eiuſdem iecinoris inſito ſpiritu tenuior prædicti ſanguinis pars diu in ipſis detenta valet in naturalem ſpiritum verti. Accedit ad hæc, quòd nec ipſe adeò lucidus, & ſyncerus eſſe debebat, velut animalis, aut vitalis: ſed quantũ vitalis ab animali deficit, tantùm naturalis à vitali: vt poſsit ille æthereus, vitalis aëreus, hic (cùm vaporis ſimilitudinẽ gerat) vaporoſus appellari. nõ ergo deficit locus pro eius congrua generatione. Dum autem ſpiritum naturalem deſtruere conantur, quoniam canalis, aut meatus aliquis non ſuppetit, per quem valeat ad membra deferri, cùm genitus fuerit, ſatis admodũ ad hoc reſponſum patet. Nam,

veluti per arterias à corde ortas vitalis ſpiritus ad membra deſertur,ita & per venas à iecinore ortas naturalis ad eadem membra pertranſit. Et,ſi dixerint in venis eum contineri non poſſe,cùm vnicam tantùm habeant tunicam,dicimus nos eam ſufficere pro naturalis ſpiritus detentione: nam,cùm is non tenuis,ac aëreus ſit,veluti animalis,ac vitalis,ſed turbulentus,ac vaporoſus, vtpote ex craſsioris ſanguinis attenuatione,ſeu halitu genitus, propterea diſsipari ac diſflari per venarum tunicas nequit. &,cùm aſſerunt oportere inſuper eaſdem tunicas pulſare, veluti & arterias,non poſſum tantos viros non mirari,ſupponentes per hæc verba propterea arterias continuo motu agitari: quia ſpiritus continent. at hoc quãtum à Gale. mente alienum ſit,quilibet ex lib. an ſanguis in arte. natura cõtineatur,& 6. de Hipp.& Pla. decret. percipere poteſt. quibus locis aduerſus Eraſiſtratum,arterias non propterea quòd ſpiritus in earum cauitatibus continent, moueri,ſcriptum reliquit:ſed ob virtutem à corde in tunicas ipſarũ tranſmiſſam. Nam, veluti ſubſtantiæ ipſarum initium cor exiſtit, ita ab eo illico motrix facultas ad ipſas delegatur,quæ ipſi cordi innata eſt. At,cùm innatus motus diſtentionis videlicet,iecinori non adſit,pariter nec venis ab ipſo ortis: etſi ſpiritum naturalem in eo genitum contineant,haudquaquàm eo motu agitabuntur:cum nec arteriç, propterea quòd ſpiritus ſunt receptacula,diſtentionis & contractionis motu moueantur:ſed quia talem ſuſcipiunt in earum tunicis à corde facultatem,vtpote ab eo ortis. Sufficientes igitur canales ac meatus naturalis ſpiritus venæ ſunt:cùm & craſsiuſculæ naturæ is ſit: nec propterea eas continuè diſtentionis motu agitari opus eſt,veluti nec arteriæ,quia ſpiritus vitalis receptaculum ſunt,propterea mouentur,vt diximus. Vltimo loco,quia nec aëri patere viã conſpicitur,vt eo,veluti & reliqui ſpiritus,is, qui naturalis dicitur, nutriatur: hac quoque ratione ipſum deſtruere conantur. Cui reſponſum volo, quòd nec hæc nutritionis via ſpiritui naturali deficit: nam ad ſimas eius partes arteriæ inſeruntur, vt Galeno patet 4. de Vſu partium,non propter aliud; niſi vt refrigerationem eis partibus ſuppeditent. quem vſum,& gibbæ hepatis partes quodammodo ex continuo ſepti trãſuerſi motu eis vicino ſuſcipiunt, quod quidem abundans eſſet ſpiritui naturali in iecinore contento pro aëris participatione. nam,cùm craſsiuſculus ac vaporoſior is ſit,ſanguinis potius exhalatione,quàm aëre alitur,& præter hæc nemo vnquam negabit apertiones orificiorũ arteriarum ad venas, quas Græci ἀναστομώσεις appellant,præter alios,quos præſtant vſus,propterea factas eſſe,vt reſpirationis ac pulſuum vtilitas non tantùm cordi & arteriis, ſed, cum eis,venis etiam diſtribueretur,prout decretum reliquit Galenus 6. de Vſu partium: per quas iecur quoque promptè & reſpirationis & pulſuum vtilitatis particeps eſſe poterit. Per dictas ergo reſerationes poſſunt & naturales ſpiritus in venis & iecinore contenti tanta aëris vtilitate participare, quanta egent pro eorum alteratione ac alimento. Ex his ergo patet, quanti momenti ſint eorum rationes, qui naturalem ſpiritum ad Galeni mentem penitus negarunt.

cap. ult. *cap. 7* *cap. 13* *cap. 17*

DONATI

DONATI ANTONII
ALTIMARI,

Quòd exquiſita tertiana ad Galeni ſententiam in genere acutorum morborum reponenda ſit.

HAVD iniuria medicorum plurimis hæſitare contingit,num tertiana febris in acutorum morborum numero connumeranda ſit: cùm & tertiana ipſa non vno modo dicatur, nec acuti morbi ſimplicis, ac vnius tantùm naturæ in Hippocr.& Galeni doctrina eſſe reperiantur.Duo hæc igitur primam, atque præcipuam dubitandi cauſam præbuerũt. Adde tertium, quia nec alicubi ferè compertum eſt Hippocr.aut Gale. de hac re certam proferre ſententiam.Quapropter volens ipſe præpoſiti quæſiti veritatem indagare,ſimúlque ab eorundem decretis non decedens,quid ſentiam aſſerere:terminorum primò exactam notitiam tradere , rationibus deinceps, & prædictorum præſertim auctoritatibus,quam ſentio, veritatem fulcire conabor, & demum quas aduerſus in medium afferre conſueuerunt dubitationes,ſoluere non grauabor:vt exinde irrefragabilis propoſitæ rei veritas cunctis pateat. De
6. Epi l.5 cōment.29 febre ipſa (quoniam eius eſſentia iuxta Galeni ſententiam ſexto de Morbis vulgarib.non ſecundum Hippocr.modò , ac præclariſsimos medicos, ſed etiam ſecundum communem omnium hominum conſenſum eſt præter naturam calidítas,maximè quidem in totum animal diffuſa,ſin minus,aut omnino vel in pluribus partibus,vel in nobiliſsimis accenſa) velle nos modò , vt rem longiſsimis verbis tractare videamur differere,num eius caliditas fuerit eadem, vel diuerſa cum naturali caliditate:&, ſi eadem, nunquid numero vel ſpecie, aut genere eadem : &,ſi diuerſa quibus differant,penitus abſtinere decreuimus:cùm & præter morem noſtrum ſermonem protelare opus eſſet, ſtudioſiſque confuſionem potius,quàm doctrinam pareremus, & quæ ab alijs ſexcentis in locis prius tradita ſunt,nulla exinde vtilitate percepta,hic conſcriberentur.Iure igitur hæc res Con
cap. 2 ciliatori,Gentili,Nicolo,ac huius claſsis alijs tractanda relinquatur. Tantùm cùm
cap.1 Gale.lib.de ca.morb.dicamus febrem eſſe totius animalis calorem immodicum,
cap. 1 vel,vt octauo meth.meden.aſſerit,febrem calorem eſſe adeò immodicè auctũ, vt & hominem offendat,& actionem lædat: vel, vt Comment.aphoriſ.16. primi libri,vbi febrem retulit eſſe cõuerſionem natiuæ caliditatis in igneam. Huius tria eſſe genera primo de Differ.febr.ſcriptum reliquit pro ratione triplicis ſubſtãtię, quæ noſtri corporis naturam conſtituit.Hippoc.auctore.quas ſubſtantias cõtinentia,contenta,& impetum facientia nominauit.Cõtinentia appellãs ipſius corporis partes ſolidas:contenta humores:& impetũ facientia ſpiritus:febrilis nanque diſpoſitio alias ex alio de prædictis incipit,prout vna magis,quàm altera ſubſtãtia ab vna,vel altera cauſa præter naturam calorem ſuſcipere parata eſt. In quacunque enim earum primùm ſuſcipitur præter naturam caliditas, genus aliquod febrium cõſtituitur: vt,ſi in ſpiritibus diaria dicta,febris generatur:ſi in humoribus, putrida:ſi in partibus ſolidis,hectica gignitur.ſpiritus,dico,humores, & partes ſolidas cordis,& non aliarum partium.cum etſi ſpiritus omnes totius corporis, &

humores,

humores,vel ſolidæ partes præter naturam calfactæ ſint,quæ verò in corde con
tinentur,non adhuc,neque febris dici poteſt,neque eſt : prout Galen. ſexcentis in
locis,præſertim eodem libro primo de diffe.feb. teſtatus eſt. ipſius nanq; cordis *loco cit.*
aliquam prædictarum ſubſtantiarum calfactam eſſe præter naturam opus eſt, ſi
febris gigni velit : ſpiritum videlicet,ſi diaria : humores,ſi putrida : & partes ſoli-
das,ſi hectica ; quamuis non ſemper vt prædictæ cordis ſubſtantiæ pro febrium
generatione primò afficiantur oporteat. Contingit nanque ſæpenumero non in
diaria duntaxat,vt ſpiritus alij primò calfacti ſint præter naturam , aut animales,
aut naturales,vel vitales illi,qui in arteriis continentur,ex quibus deinceps ad eos
pertranſit , qui in corde continentur : quo tempore & diaria febris conſtituitur.
Quemadmodum de ea diaria,quæ ex inguinum inflammatione,æſtu,vel frigore
ortum habet Galen.ſcriptum reliquit primo de Dif.feb.ac primo de Arte cur. ad *cap. 5*
Glau.& ea,quæ ex cruditate excitatur.8.metho.med.ex his nanq; cauſis alij ſpi- *cap. 2*
ritus primò,præter naturam caliditatem ſuſcipiunt,demũ per conſenſum ad eos, *cap. 5. & 6*
qui in corde continentur,transfluente calore diaria generatur febris. At,ſi ex ira
diaria febris excitetur,hi,qui in corde ſpiritus continentur,primò afficiuntur: ve-
rùm hoc idem obſeruare licet in putridis febribus,quoties putreſcentes ſucci aut
intra vaſa continentur,vel in vna determinata parte,aut inflammationem pariẽ-
tes,vel citra phlegmonen,in ea veluti in foco quodam detenti febrem efficiunt.
Nam cunctis hiſce modis putrida febris generari poteſt , Galen. teſte 11. Metho. *cap. 4*
med.Hi nanq; putreſcentes ſucci primò præter naturam caliditatem excipientes,
iis,qui in corde continentur,humoribus deinde impartiunt:ac proinde febris ge-
neratur putrida. Quo fit vt in hac febre ea pars primò afficiatur , in qua putre-
ſcens ſuccus continetur , aut inflammatio oritur,ex qua cor demũ ſimul afficia-
tur oportet : dico ſecundum humores eius , quomodo de diaria quoque , de qua
ſuprà narrauimus,exiſtimandum eſt.Pari modo de hectica febre dicendum erit:
nam hæc interdum fit præter naturam calore, primò partes ſolidas, iecinoris vi-
delicet,ventriculi , aut renum,vel aliarum partium,depaſcente,& demum ipſius
cordis : quo tempore hectica febris dicitur,vt Galen,viſum eſt.10.meth.med. Li- *cap. 8*
cet igitur nullum febrium genus generari valeat , niſi cordis ſubſtantia aliqua in
calfacto eſſe poſita ſit, vt ſpiritus eius in diaria , humores in putrida , & ſolidum
corpus in hectica; nõ tamẽ perpetuò in dictarum febrium generatione prædictæ
cordis ſubſtantiæ primò afficiuntur , neque ipſum cor,ſed ſæpenumero euenit
(velut in ſingulis febrium generibus oſtendimus) vt affectis ſpiritibus,vel humo-
ribus , aut partibus ſolidis aliarum partium primò,ad eas,quæ in corde ſunt, ſub-
ſtantias communicata affectione , febris pro ratione ſubſtantiæ diuerſæ præter
naturam calfactæ generetur.Hoc tanquam valde neceſſarium ac vtile pro dicta-
rum febrium curatione, nec à quàmplurimis hoc ſeculo obſeruatum prætermit-
tere nolui , cùm eam partem , quæ primò afficitur , omnino inueſtigandam eſſe,
pro optima cuiuſque vitij curatione, Galen. vbique præcipiat. 2. præſertim, & 3. *cap. ult.*
lib.de loc.affe.ei nanque auxilia adhibẽda ſunt,vt morbus curetur. Curationem
verò pro ratione diuerſæ partis affectæ variandam eſſe.10.metho.meden. Gale. *cap. 1*
docuit,dum de hectica verba faciens aſſerit,alia debere remedia adhiberi , ſi cor: *cap. 8*
alia ſi iecur,vel ventriculus,aut renes primò afficiantur. Aliis quoq; partibus ſic
topica remedia applicanda ſunt : & ſemper ei,quæ primò affecta eſt. Hoc etiã in
putrida diaria febre obſeruandũ eſt,ſaltem pro topicis applicandis remediis: qua
ratione tot tantaque topica remedia pro curandis febribus deſeruientia inuenta
fuerunt. non enim indiſtinctè partibus applicanda ſunt,prout maior Medicorum
pars hiſce temporibus cõſueuit,ſed cognita parte,quæ primò afficitur,eidẽ, cùm
opus eſt,adhibeantur,non tamen propterea ipſo corde,tanquam in febribus aut
per eſſentiam,aut per conſenſum neceſſariò affecto,ac membro exiſtente princi-
pe,derelicto:ſed ipſi ſemper in febribus ſuccurrendum quoque fore cenſemus: ve
rùm non vt perpetuò eo primò affecto, vt malè quidam ſentiunt, aſſerẽtes in fe-
bribus ſemper eam primã partem affectam eſſe.Nam neque in diariis,nec putri-

dis, aut hecticis ſempiternæ id veritatis eſſe ſuprà ad Galeni mentem oſtẽdimus. Intereſt itaque Medici exquiſitè in qualibet febre partem, quæ primò afficitur, dignoſcere, vt ei etiam primò curatio dirigatur: nec in omnibus indiſtinctè aſſerendum eſt (vt ex his, quæ diximus, conſtat) cor primum eſſe ſemper, quod afficitur: vt noſtro æuo maior Medicorum pars vno ore fatetur: ſemperque de eo ſolliciti nos eſſe debemus, vtpote quod princeps membrum exiſtat, neceſſarioque in cuiuſuis febris generatione afficiatur, licet non ſemper primò. In numero verò febrium quæ quidem ex humorum putredine conſiſtunt, tertiana exiſtit. neque

cap. 9 enim magnus earum numerus eſt, vt Gale. inquit ſecundo de Criſibus, & ſecun-

cap. 2 do de differentiis febrium, ſed omnes tres exiſtunt: biliosa videlicet, melancholica, & pituitoſa, hoc eſt, tertiana, quartana, & quotidiana. Harum verò cuiuſque differentia duplex exiſtit, intermittens videlicet, & continua, ita vt omnes ſimplices febrium putridarum differentiæ ſex numero ſint: quamuis aliquæ aliæ differentiæ illis accedant: ex humoris ſcilicet copia, quantitate, & qualitate putredinis, modo motus, & parte, in qua humor putreſcit, vt idemmet Gal. teſtatur eo. 2. de

cap. 8 diffe. feb. Et, vt ad tertianam veniamus, de qua verba facturi ſumus, aliis derelictis, præter id quòd quædam eſt continua, ſic dicta nomine generis, multas tamen circuitiones particulares continens, & non vnam tantùm, ſicut vera continua, quæ continens dicitur febris, cuius omne tempus vna acceſsio eſt ab initio vſque ad finem, ſiue ea æqualis perſiſtat, aut paulatim decreſcat, vel paulatim creſcat, quædam verò intermittens, ſeu ad integritatem deſinens: ipſam intermittentem, quæ tertio quoque die infeſtat, pro ratione diuerſæ longitudinis, vel breuitatis acceſsionis eius, & intermiſsionis, variis nomenclaturis appellari apud Gal. inuenio, cum 2. de diffe. feb. tum primo, & 6. de morbis vulga. Nam cui & acceſ-

2. de Diffe. feb. cap. 8. 1. epid. ſ. 1. cõ. 23. & ſ. 2. com. 25. 6. epi. ſ. 2. cõmen. 23

ſionis tempus breue eſt, & initium cum rigore, & cum ſudore ſolutio, biliſque vomitu, vel etiam infernè, aluo biliosa deiiciente huic exquiſita tertiana nomen inditum eſt. Cui autem horum aliquid deeſt, non amplius exquiſita, ſed tertiana ſimpliciter vocatur. Verùm, ſi & intermiſsionem minorem habuerit, ſcilicet longiore acceſsione, tertianam hanc productam nominare licet: tametſi hæc maioris, minoriſque ratione differentiam magnam obtineat: cum & magis productã vnam, admodum productam aliam, & maximè, ſeu plurimum productam reliquam nominemus. Verùm eas hoc modo definire quodammodo obſcurum eſt, cum & recentiores Medici de eis quotidie certent atque contendant, ne id quidẽ agnoſcentes ſe de nomine contendere. Talem igitur nominum ſubtilitatem quęrere neceſſarium Medicis non eſt, cum & rectè curare tertianam valeant, ac eius euentum præſentire, inſpecta tantùm acceſsionis & intermiſsionis longitudine, & ſpecie, ſeu forma eius, quã in ipſis tertianis variari contingit, velut in aliis quoque febribus per circuitum repetentibus, aut ex parte redundantis ſucei, & hoc vel quantitate, vel qualitate ipſius: nam, velut copioſior bilis longiores, pauca breuiores efficit acceſsiones, ſic tenuis, quàm craſſa, breuiores; craſſa verò, quàm tenuis, longiores parit: Vel virium ratione: nam virium robur breuiores, eæ verò imbecillæ multò longiores acceſsiones efficiunt. Totius quoque corporis conſtitutio cauſa eſt, vt interdum breuiores, ſæpenumero longiores fiant acceſsiones: corpus nanque rarius quantum in ſe eſt, breuiores, denſius autem longiores efficit: facultas nanque valida promptius à ſe expellit id, quod alienum eſt: corporis autem raritas minimè detinet id, quod effertur. quocirca ita affectis cito euacuari excrementum neceſſe eſt, ſi etiam alia ſimilia exiſtunt. Pari ratione quibus ecõtrario corpus afficitur, iis neceſſe eſt longiorem eſſe excrementorũ excretionẽ, debiliter expellente facultate, detinente autem ea, quæ efferuntur, meatuum anguſtia, ac corporis denſitate: omnibus autem prædictis inſimul concurrentibus aut breuiſsima, aut longiſsima acceſsio fit: nam ob paucitatem, biliſq; tenuitatem, robur virium, & viarum amplitudinem, ſeu corporis raritatem breuiſsima fit acceſsio, longiſsima autem ob copiam, eiuſq; craſsitiem, virium imbecillitatẽ, meatuumque anguſtiam, ſeu corporis denſitatem. Si verò prædicta omnia haud con-

currant,

currant,ſed eorum quædam, pro cõmunicantium cauſarum diuerſitate,acceſsio magis,vel minus longa erit,vel breuis vel in medio longiſsimæ & breuiſsimę,non paruam ſecundum magis & minus differentiã ſuſcipiens. liquet igitur ex his tertianæ acceſsionem propterea non ſemper eſſe æqualem , quia non perpetuò eadem bilis copia,eiuſdémq; ſubſtantiæ putreſcit,nec in corporibus eandem ſemper conſtitutionem ac vires æquales habentibus. & propterea hæc inſpiciens medicus cauſam promptè inueniens longitudinis,vel breuitatis acceſsionis eius, ritè eam curabit,eiúſque finem prænuntiabit, quouis nomine ipſam appellet. At , vt clarior noſtra euadat oratio,quia ſingulis tertianis iuxta Galeni doctrinam,ſuum cuique nomen impoſuimus,prout magis,vel minus earum acceſsio prolongatur, cùm ſermo noſter de ea erit tertiana , cuius acceſsio duodecim horas non pertranſit,quæ maxima eſt eiuſdem acceſsionis longitudo, eam vel exquiſitam tertianam,vel abſoluto ſermone,ſimpliciq́ue appellatione tertianã nominato, prout & Græcorum conſuetudo eſt altero duorum modorum indifferenter eam appellare,vt ſexcentis in locis præſertim comment.aphoriſ.59.4.libro teſtatur Galen. Huius inſuper differẽtię quędam ex longitudine & breuitate acceſsionis eius ortum habent. Nãque acceſsio interdum vſque ad duodecim horas prolongatur, ſępenumero ad decimam,& quandoque ad ſex,vel octo tantùm, vel etiã ad pauciores,prout dicta flaua bilis,ex qua excitatur,in maiori fuerit , vel minori copia, craſsioris,vel tenuioris ſubſtantię,ac in corporis diſpoſitione rara,vel denſa:& vires robuſtæ, vel imbecillæ fuerint. Verùm,quoniam hæc tertiana de numero eſt morborũ,qui per circuitus repetunt,quærendi propterea occaſio oritur , quãobrem febres quædam (in quarũ numero tertiana eſt) per circuitus repetant. Huic Gale.2.de Diff.feb.paucisſimis verbis ſatisfacere videtur. Circuituum repetitio, inquit,aut oritur ex fluxione quæ ex robuſtioribus partibus ad imbecillimas fit, cùm videlicet in aliqua parte excrementum ex quauis cauſa generatur , demum eiuſdem partis expultrice facultate valida exiſtẽte,reſeratis viis,ac eodem excremento non admodum craſſo,nec multo exiſtẽte,ad alias tranſmittitur,ac ex illis ad alias,quoad ad vnã quandam deueniat,quę cunctis aliis imbecillior fit:quo loco decumbens,pręter naturam calfactum ac putreſcens febrem excitat , tãtoq́ue tempore per circuitus repetit,quanto eædem diſpoſitiones in mittentibus,& ſuſcipientibus partibus permanent. Interdum,etiam ſi pars,quæ excrementa trãſmittebat,amplius non mittat,neque ab aliis ſuſcipiat,remanet tamẽ in ea parte, quæ prius excipiebat,imbecillitas quædam,ea ratione fit,vt febris oriri poſsit:quoniã ſibi ipſi excrementa generat,etſi ab aliis non excipiat,velut ſi ea ab initio imbecilla fuerit,ſibi ipſi excrementa generãs,eáque expellere non valens. Cùm enim imbecilla ea ſit,excrementum verò fortè multum,aut craſſum , viæque obſeratæ,fit,vt ſibi ipſi initium febricitandi afferat,ſeruetúrque non minus eiuſdem febris circuituũ repetitio quoad in prædictis partibus ſimiles diſpoſitiones permanſerint. Accidit & tertiò,quòd quædam partes nulla ab aliis ſuſcipiant excrementa,vt pote nulla exiſtente parte,quæ ea tranſmittat,verùm præter naturã affectæ, vt cùm ſupra modum calefiunt,aut dolent,ad ſeipſas excrementa trahant. proinde fit vt,vbi putreſcunt,qui trahuntur ſucci,febrem excitent. hoc modo, fluxione orta tam ſi corpus plenum ſit,excrementíſque refertum, quàm ſi eiſdem vacet,admodum tamen larga exiſtente fluxione,vbi plenum,pauca verò, vbi excrementis vacet. non ſecus tandiu per circuitus repetet dicta febris , quandiu calor,aut dolor in eiſdem partibus perſeuerantiam habet. Tribus igitur modis,iuxta Galeni ſententiam 2.de Differen.febr.quæuis putrida febris generari poteſt, quæ per circuitus redit, quamuis interdum eueniat, quòd non vna tantùm , ſed plures prædictarum cauſarum communicent in febrium putridarum generatione,quæ circuitione fatigant : vt puta ſi fluxio in aliqua parte ab aliis mittentibus excipiatur,& eiuſdem adſit imbecillitas , ita vt non tantùm ſuſcipiat, ſed & ſibi ipſi excrementa generet , quibus in ea parte putreſcentibus ſi febris gignatur , duplicem habebit & generationis & per circuitum repetitionis cauſam:

cap.ult.

Loco citato.

prout Galenus ſecundo de Differentiis febrium, ſcriptum reliquit. Cauſæ igitur, quòd febres quædam per circuitum repetant, ac quiuis alij morbi, tot ac tales ſunt. At, quòd ad integritatem aliquæ earum acceſsiones deſinant, non difficile eſt inuenire: nam, cùm prioris acceſsionis tempus adeo breue fuerit, vt, priuſquam ſecunda incipiat, iam prima deſierit: medium interuallum inter ſecundæ acceſsionis principium & prioris finem, totum ſine febre exiſtit. at, vbi ſecunda prius incipiat, quàm prior omnino ſoluatur, nihil harum medium relinquitur. quare ad integritatem non deſinet. quærimus itaque nos de ea tertiana febre, nunquid ſit morbus acutus, quæ tertio quoque die per circuitus cùm repetat, eius acceſsio duodecim horas non pertranſit: quod tempus longiſsimum eſt, omninoq; intermittit. eam pro clariori doctrina indifferenter, aut abſolutè tertianam, aut cum additione exquiſitam, quò ab aliis differat, nominabimus. Hæc cauſam habet flauam bilem ſuperabundantem in toto corpore latam, ac motam. quo fit, vt in ea vehemens fiat rigor, bilis ſuperueniat vomitus, aut alui deiectio biliosa, vrinæ ac ſudores bilioſi, ab acutiſsimis continuis, maximeque adurentibus febribus hoc tantùm diſcrepans, quòd in illis bilioſus ſuccus vnà cum ſanguine intra venas contineatur, in hac per totum corpus defertur, ac per ſingulas eius partes diſſeminatur. diſtãt ergo hæ febres inter ſe locis tantùm, in quibus ſuperfluus contrahitur humor: conueniũt verò in cauſa. vtraq; enim à flaua bile gi-
cap.6. 1. epid. 2. cõment. 20. gnitur, vt Galenus inquit ſecundo de Criſibus. primo de Morbis vulgaribus com-
ment. Aphoriſ. 59. 4. lib. & ſexcentis aliis in locis. Num autem hæc, & quælibet alia febris interdum ſymptoma, & non morbus dici & eſſe poſsit, adeo quòd, vt vulgus Medicorum aſſerit, febris accidens, & non morbus dicatur, non minimam difficultatem habet: cùm apud Galenum compertum ſit, nonnunquam febrem ſymptoma nominari, præſertim cùm inflammationes ſequitur, vt patet commento Aphoriſ. 44. lib. 6. cùm de ea febre loquitur, quæ ad inflammationem veſicæ conſequitur: aſſerit enim eam eſſe caſum eiuſdem inflammationis & tertio
cap.7 de Locis affectis, de febre phreniticis orta inquit eam vnum quoddam ſymptoma, ſeu caſum cenſeri cerebri diſpoſitionum, idem quoque fateri videtur & pri-
1. ad Glauc. ca. 4. & 5. 3. reg. acu. & 1. ad Glauc. cap. ult. 2. ad Gl. cap. 1. 1. de different. feb. cap. ult. mo de Arte curan. ad Glauc. circa finem, & ſecundo eiuſdem circa principium. & primo de Different. febrium, circa finem, cùm de diaria diſſeruit, quæ ex æſtu, vel frigore ortum habet, febrem dixit interdũ eſſe ſymptoma ſolius in capite diſpoſitionis: prætermittendo pro nunc ea, quæ ſcripſit comment. Aphoriſ. 66. & 73. quarti lib. & 43. ſeptimi lib. cùm ad mentem antiquorum, & non iuxta propriam ſententiam illud conſcripſerit, velut liquidò cuilibet eius ſcripta inſpicienti parere poteſt. At nos prædictis haudquaquam obſtantibus cum eomet Galeno indubitanter affirmare audemus nullam febrem quouis modo genitam poſſe nec dici, nec eſſe ſymptoma, ſed ſemper, quæcunque ea ſit, morbus eſt, & dicitur: illud tantùm animaduertentes in eiuſdem Galeni doctrina, quòd, cùm de ſymptomate bifariam loqui poſsumus, generatim ſcilicet, & ſpeciatim ſumpto, vt patet libro de Differentiis ſympto. quando dicimus febrem non poſſe dici, nec eſſe ſymptoma, de eo intelligendum erit ſpeciatim, & non generatim dicto. nam neminem præterit non febrem tantùm, aut quemuis alium morbum ſymptoma dici poſſe generatim ſumptum, ſed & morborũ cauſas, & vniuerſaliter quicquid præter naturam corpori accidit, ſiue morbus ſit, ſiue cauſa, ſiue ſymptoma propriè dictum fuerit, verùm de eo ſymptomate intelligendum erit, quod ſpeciatim ſumitur. hoc
cap.2 autem trifariam diſtinguitur à Galeno eodem libro de Differentiis ſymptoma. aliud nanque affectus noſtri corporis eſt, aliud functionum noxa, & reliquum excrementorum immodica excretio, aut ſuppreſsio. Quo ſuppoſito tanquam vero Galeni decreto, quòd quæuis febris perpetuò morbus ſit, & non ſymptoma, ſumpta ipſius morbi definitione, quæ à Galeno non modò lib. de Differentiis morb. & ſympto. verùm ſexcentis aliis in locis conſcribitur, abſque vlla difficultate probari poteſt: nam, cùm morbus ſit præter naturam affectus, à quo primò actiones impediuntur, febriſque perpetuò huiuſmodi ſit: ſemper enim functiones per ſe

primò lędit: neceſſariò ſequitur ſemper eſſe morbum. Ad hæc, ſi omnium medi-
corum conſenſu febris eſſentia, eſt præter naturam caliditas in totum animal ef-
fuſa, vel in plurimis, aut ſaltem nobiliſsimis partibus accenſa, vt 6. de Morb. vulg. *6.epid.ſ.p.*
Galen. teſtatur: ergo perpetuò morbus erit in intemperie, velut ipſemet lib. de *com.29*
Differ. morbo. ſentit. hæc autem intemperies vniuerſi febrium generis eſt calor, *cap.5*
eodem teſte 11. Method. quo fit vt frigidis ſemper curetur tanquam contrarijs ei *cap.2*
exiſtentibus. Erit igitur quæuis febris ſemper morbus in intemperie, eaque cali-
da: talis nanque eſt eius propria eſſentia, vt diximus. Rurſus, ſi ſymptoma ſit fe-
bris ſpeciatim ſumptum, cùm id triplicem habeat differentiam, neceſſariò in ea-
rum aliqua reponi deberet. at, quòd in nullo ſymptomatum genere ea collocari
poſsit, facilè deducitur: cùm nec in genere noxę functionum eſſe poterit: nã ipſa
per ſe primò functiones lædit, & non eſt aliqua functionum noxa, vt patet per
omnes functiones diſcurrenti: nec in genere affectus corporis connumerari po-
terit, cùm hæc ſymptomata functiones non offendant, nec per ſe primò: verùm
febris ipſa eſt, quæ per ſe primò functiones lædit. In genere autem retentorum,
vel excretorum immodicè quis adeò erit inſulſus, vt febrem reponat? nemo in-
quam, etſi per cuncta excrementa diſcurrat. Cum igitur in nullo ſymptomatum
genere reponi febris valeat, relinquitur vt nullo pacto, quocunque modo ipſa
oriatur, ſymptoma propriè dictum appellari poſsit, ſed ſemper morbus in intem-
perie, eaque calida. Et, ſi qui eam quandoque morbum, interdum ſymptoma ap-
pellant, id faciunt, quoniam febris eſſentiam atque propriam naturam ignorant:
nec minus eos præterit, quibus morbus à ſymptomate diſtet. & propterea vnum
cum altero confundunt. Quòd, ſi Galenus præcitatis locis, & alijs quibuſdam,
interdum febrem ſymptoma alicuius præter naturam affectus appellarit, non
propterea illico febrem eſſe ſymptoma dicendum erit ſpeciatim dictum: cùm
hoc & eius doctrinæ, & veritati ſatis pugnet, vt ſupra monſtratum eſt. Sed atten-
dẽdum Symptoma nomẽ Græcũ à Græco verbo συμπίπτω deductum, apud eoſ-
dem Græcos nonnullas habere ſignificationes: nam, velut verbũ ipſum συμπίπτω
ſignificat quandoque contingo, concido, interdum incurro, competo, conſequor,
&c. ſic ſymptoma id, quod contingit, conciſionem, concaſum, incurſum, vel ali-
cuius rei aſſeclam ſignificat. Quo fit, vt, cùm ſymptoma dixerit febrem eſſe, ali-
cuius diſpoſitionis præter naturam, nil aliud voluerit intelligere, quàm eam con-
tingere cum dicto affectu, vel eiuſdem eſſe aſſeclam, ſeu ad eum conſequi, vt di-
lucidiſsimè cõſtat ex eius verbis in fine primi libri de Arte cur. ad Glauc. & prin- *cap.ult.*
cipio ſecundi cum de febribus, quæ inflammationibus accidunt, ſeu contingunt,
verba facit. Illud quod nec ignorauit doctiſsimus Leonicenus, qui hoc modo no-
men illud Symptoma lib. 1. de Differen. feb. iuxta finem, interpretatus eſt, cum di- *cap.ult.*
xit: Eorum verò nonnullis febres ſolùm capitis diſpoſitionem conſequi: & non
dixit eiuſdem diſpoſitionis eſſe ſymptoma, velut Laurentianus, quod parum do-
ctus non parui erroris cauſa eſſe potuit, prout quibuſdam vſque ad noſtra tem-
pora fuit. Febrem igitur aliquam eſſe ſymptoma propriè & ſpeciatim dictum,
tanquam erroneum in Gale. doctrina, à veritateque valde alienum quiuis aſſere-
re caueat. Nam qui arbitrantur interim eam ſymptoma cenſendam eſſe, ob id
ſunt accuſandi, vt Galen. inquit lib. de diffe. morb. quòd non expectantes donec *cap.5*
ab alijs confutentur, ipſi ſeipſos redarguunt. quòd ſi illud reperiatur conſcriptum,
modo, quo expoſuimus, erit intelligendum, niſi fortè Galenus ad aliorum mentẽ
loquatur, vt in quibuſdam prædictorum locorum patet. erit denique propterea
tertiana febris morbus. num verò acutus, vel non acutus nondum liquet. Pro hu-
ius dilucidatione animaduertas oportet, Galen. tertio prognoſt. ſcriptum reliquiſ- *cap.10*
ſe duas eſſe temporum præfinitiones in morbis, qua ratione acuti, aut diutini di-
cuntur, qui quidem ſic ab eo ſæpenumero illuſtrioris diſciplinæ gratia nominan-
tur. verùm, cùm non duæ tantùm re vera morborum differentiæ ſint, ſed mul-
tæ admodum, idcirco nec eos laudat ſecũdo de diebus decreto. qui duas vniuer- *cap.12*
ſas morborum ſpecies ponunt, neque vtranque deinde diuidunt: nec illos probat,

qui tot eſſe dicunt, quot dierum decretoriorũ circuitus: acutos propterea ſub hac
ratione ſubdiuidens eodem loco aſſeruit quoſdam acutos eſſe, quoſdã verò per-
acutos, iterum peracutos ſubdiuidit in exactè peracutos, qui quartam diem attin-
gunt, & peracutos non exactè, qui ad ſeptimam vſque producuntur. deinceps in-
ter acutos ait alios eſſe exactè acutos, qui vſque ad decimamquartam producun-
tur: alios non exactè, qui vſque ad vigeſimam durant: quanquam & hi quoque
acuti ſint. Eſt inſuper aliud morborũ genus, quod ex delapſu acutum ad quadra-
geſimam vſq; diem peruenit, ita vocatum, quòd acuto quodam imperfectè iudi-
cato intra diem vigeſimum, deinde vehementia eius confracta, reliquũ eius intra
quadrageſimum diem diſſolui conſueuit. nõnulli autẽ ſtatim ab initio velut pro-
hibiti, tardeque moti, & nullam interea ſubitam mutationem moliti ad quadra-
geſimum diem producuntur. duplex autem horũ quoq; natura eſt, vel enim ac-
ceſsionum remiſsiones in integritatem finiunt, vel continua febris ſemper perdu
rat: tales etenim (vt ipſe aſſerit) acutorum morborum naturæ adhærere viden-
tur. iam alij manifeſtò ſunt vtique diuturni, qui iterũ pro diuerſa ſecundum tem-
pus eorum præfinitione diuerſas habere poſſunt ſpecies ſeu differẽtias, quas om-
nes, in varijs tamẽ locis Hipp. in omnibus admirandus conſcripſit, ab ipſis euidẽ-
tibus ſermonem capiens. Exactè nanque peracutorum memoriam habet aph. 7.
2. lib. dum dixit, Vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores, & ex-
treme tenuiſsimo victu vtendum eſt: per extremos labores, vt Gal. fuit interpre-
tatus, intelligens acceſsiones, & caſus omnes maximos atq; vehemẽtiſsimos, cùm
in ipſis ſtatim morbi incidat vigor, in primis videlicet eius diebus, hoc eſt, circa
primos quatuor dies, vel paulò vlterius: in quo morbi ſummo vigore prædicta
duo maxima ac vehemẽtiſsima fiũt, acceſsiones ſcilicet, & caſus vniuerſi. Peracu
text.44 torũ autẽ, non tamẽ exactè, lib. 1. de ratione victus in morbis acutis ſub his verbis
meminit, Sorbitionem dare oportet neque multã, neque craſſam, ſed poſt ſepti-
mam, vel nonam, ſi validus ſit. & iterum, Quibus vtique vel quinto, vel ſeptimo,
tex.25 vel nono fieri debeat morbi iudicatio, &c. At de exactè acutis in apho. 23. ſecundi
lib. ſub his verbis ſcripſit, Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. acuto-
text.3 rum verò non exactè. 3. prog. oblitus non fuit, cùm inquiat, Itaque primus impe-
tus hunc in modum finitur, ſecundus verò ad ſeptimũ producitur, tertius ad vn-
decimum, quartus ad decimumquartũ, quintus ad decimum ſeptimum, ſextus ad
vigeſimũ. Hi ergo ex morbis acutiſsimis per quatuor ad viginti ex additione ter-
tex.25 minantur. at eorũ, qui ex delapſu, ſiue decidentia acuti nominantur. 1. prog. men-
tionem fecit, dum talia protulit verba, Spirationis facilitatem exiſtimari oportet,
perquam magnam vim habere ad ſalutem in omni morbo acuto, qui cũ febre
inſiſtet, & quadrageſimo die iudicetur. quinetiã ſexageſimi, octuageſimi, & cen-
1. de epid. ſ. teſimi rurſus primo de mor. vulg. meminit, & apho. 28. tertij lib. ſcriptum reliquit
3. tex. 14 nõnullos puerorum affectus diebus xl. finiri, quoſdam ſeptem menſibus, reliquos
ſeptẽ annis, nõnullos verò ad pubertatem vſque peruenire. quæ omnia ſimul ad
clariorem diſciplinam, & ægrotorum vſum admodum vtilia fuiſt: etenim ſua cu-
iuſque victus ſpecies eſt. At quoniam Medicorum plurimis, qui ex ſola temporis
præfinitione morbos diffiniunt, aberrare contingit, non tantum circa eorũ appel-
lationes, verùm & rerũ quoque ipſarum dignotiones cõfundunt: nam paruas & à
periculo remotas febres diarias ex frigore quodã, ſeu æſtu, vigilia, ebrietate, vel
ira, aut alijs ſimilibus cauſis ortas, etſi circa primos dies terminẽtur, nemo tamen
vel idiota, vel Medicus peracutas febres, ſeu morbos peracutos vocare cõſueuit.
nec ſecus morbũ aliquẽ cum ſegni lẽtoq; motu cum interuallis à febre remiſsis,
ſi vſque ad quadrageſimũ extendatur, nemo ſanæ mentis acutũ ex decidentia no
minauerit: nec, ſi in decimoquarto finitur, acutũ quiſquã nũcupabit: quos tamẽ, ſi
nudas tẽporis præfinitiones obſeruarit, acutos, vel peracutos quiuis appellare co-
cap.12 getur. propterea Gal. 2. de Dieb. decr. Archigenẽ laudabat, qui nõ ſolis nudis tem
poribus, ſed motu & natura, magis acutũ, vel peracutũ morbũ appellauit, eum talẽ
eſſe aſſerens, qui propter motus velocitatẽ periculoſus exiſtit. quapropter luci diſ-

ſimus

ſimus Gal. cunctos, qui in hac re prouenire potuiſſent errores euitans, eodem loco dicebat, Vides igitur nos, cùm ſolutio interdum eandem temporis præfinitionem habet, vel acutum morbum, vel nõ acutum nuncupare eodem modo quãdoque: alium acutum, alium diuturnum ipſo ſolo motu diſtinguentes. contingit nanque morbos quoſdam quarto, ſeptimo, decimoquarto, vigeſimo, vel quadrageſimo die terminari, qui non ſtatim acuti, vel peracuti dicendi ſunt, niſi eorum motu priùs obſeruato. hic ſi celer, ſeu velox, motus fuerit, ſic appellãdi ſunt iuxta Gal. ſententiam: ſin autem ſegnis & lentus, nullo pacto acuti dicendi, ſed alio nomine nuncupandi ſunt, etiamſi intra terminũ acutorum (vt diximus) finiantur. Quare ex motu præſertim, & nõ ex tẽpore tantùm, morbos præfiniri iubet Gal. vt 3. de Dieb. decr. circa finẽ, decretũ reliquit. nam qui breui tempore terminatur morbus, non autem celeriter mouetur, vt diaria febris, hunc Græci βραχυχρόνιον, hoc eſt, breuis temporis morbum, non autem acutum appellant. huic contrarius eſt, quem Græci πολυχρόνιον, nos diuturnum, ſiue longi temporis morbũ appellamus, ſiue quomodocunque aliter quis vocare ipſum malit. At acutus morbus, licet omnino brachychronius quaſi exigui temporis ſit; non tamen hac ratione acutus nuncupatur, ſed propter eius motus celeritatem acutus dicitur. quia verò ipſum celerrimè quieſcere oportet, vt qui ad proprium finẽ properat, (nam idem eſt celeriter moueri, ac ad terminum properare) erit propterea acutus morbus omnino & brachychronius, hoc eſt, exigui tẽporis. Propter motus ergo celeritatem acutus dicitur: quòd verò diu morari, eò quòd celeriter mouetur, nõ poteſt, brachychronius appellabitur. ipſi verò acuto morbo tardus oppoſitus eſt, vt qui non celeriter, ſed ſegni & tardo motu moueatur. hic omnino polychronius non eſt, etſi quilibet polychronius morbus ſit tardus. accidit enim, vt propter virium robur, aut corporis raritatẽ, paucitatem, ac tenuitatem humoris ex quo fit, interdum brachychronius ſit: ita nec quilibet brachychronius acutus eſt: licet quilibet acutus exigui temporis omnino ſit: febres nanq; diariæ morbi ſunt exigui tẽporis, non autẽ acuti morbi dicuntur: cùm non celeri motu moueantur, neq; magni ſint. Liquet igitur ex his, quòd licet quilibet morbus acutus ſit exigui tẽporis, ſeu brachychronius: non tamẽ hac ratione acutus appellatur, ſed talis dicitur, quia celeriter mouetur, velociter ſcilicet tẽpora eius propria pertranſiens, ac ad ſummũ vigorẽ properans. hac ratione is morbus ei opponitur, qui tardus dicitur: quoniã ſegni & lento motu mouetur. & propterea vnus ab altero iuxta Gal. ſententiam ſolo motu diſtinguitur. quod quidẽ cõfirmauit 6. de Mor. vul. cùm dixit, Acutos morbos dicimus, quicũq; propria tẽpora vſq; in finem velociter pertranſeunt. & propterea non mirũ, ſi iidem ipſi acuti morbi, pro diuerſa motus eorũ celeritate, magis & minus acuti dicantur; nam vbi ſtatim, circa primos videlicet quatuor dies, extremos labores habeat, in ſummoq; vigore cõſiſtat: talis morbus, cùm velociſsimi, ſeu celerrimi motus ſit, exactè peracutus morbus dicetur. quòd ſi in ſeptimo conſiſtat dies peracutus, non tamen exactè, nominatur, velocioris quidẽ & ipſe motus exiſtens, nõ tamen adeo vt is qui in quarto, vel paulò vlterius cõſiſtebat. ſi autẽ in 14. die caſus vniuerſos, ac acceſsiones extremas habeat, & proinde in ſummo vigore conſiſtat: ſimpliciter acutus morbus nuncupabitur, celeriter quidẽ & ipſe propria tẽpora pertranſiens: verũ non adeo vt qui in quarta, vel ſeptima conſiſtebat. At, ſi quidã morbi debiles ac parui circa primos dies exiſtant verùm quarta, aut quinta die continui vehemẽtes, acuti, ſeu celeres fieri incipiãt, aut ſexto, vel ſeptimo die tales fiant; acuti, ſed nõ ſimpliciter dicuntur ad 20. vſque diem, vel 17. iudicati: adeo vt morbi continui acuties nunquam poſsit plures, quàm quatuordecim obtinere dies, vt liquet cõmen. Aphoriſ. 23. lib. ſecũdi: & propterea hi quoq; acuti ſunt. quidã verò celeriter à principio moti, imperfectèque intra diem vigeſimum iudicati, deinde confracta eorum vehementia, reliquum intra quadrageſimum diem diſſolui conſueuit. & propterea acuti ex delapſu, ſeu deſidentia, aut acuti, qui in quadraginta diebus iudicantur, appellari conſueuerunt. Sola itaque motus ſpecie acutus morbus quocunque modo talis di-

cap. vlt.

6. epid. ſ. p. com. 29

cap. 12 cattur, à diuturno, ſeu tardo diſtinguitur iuxta Gale. doctrinam 2. & 3. de diebus
cap. ult. decreto. & 6. de morbis vulg. cùm ille veloci, ſeu celeri; hic verò ſegni & tardo motu moueatur: quamuis omnis acutus morbus exigui temporis ſit, ac celer; omniſque diuturnus, id eſt, longi temporis, neceſſariò tardus: non autem è contra, vt ſupra diximus. Proinde cum Gal. citra omnem ambiguitatem ac contro-
6. epid. f. 1 comment. 19 uerſiam, audacter fateri audeo, tertianam febrem eſſe acutum morbum. nec ſcio, ſi quiſpiam vel idiota, vel Medicus reperiatur, qui hoc idem confiteri vereatur. nam, ſi apud eum acuti morbi ſolo motu à diuturnis diſtinguuntur, & propterea hi acuti dicuntur, quia propria tempora vſque in finem velociter pertranſeunt: quòd tertiana ſit huiuſmodi, cunctis liquet; etenim celeriter mouetur, adeoque velociter propria tempora pertranſit, vt interdum ſuo motu celeri ſeptem periodos non expectans, (quod tempus ei longiſsimum eſt, vt patet Aphor. 59. 4. lib.)
cap. 3 neque etiam vltra tertium progrediatur circuitum, velut Gale. inquit. 2. de Criſibus. quare erit tertiana febris morbus acutus. At, ſi quiſpiam dixerit adhuc eam non eſſe morbum acutũ; quæritur, in quo morborum genere debeat reponi: non quidẽ inter polychronios: cùm hi multi temporis morbi ſint, tertiana verò exigui: non in numero eorum, qui tardi appellantur: nam ea celeri motu, hi verò tardo & ſegni mouentur. neque brachychronius morbus dicenda erit: quia, præterquam quòd exigui temporis tertiana morbus ſit, etiam celeriter mouetur. quod brachychroniis nullo pacto cõpetit: hi enim pauci & breuis temporis ſunt tantùm, non autem celeriter mouentur, vt eſt videre in diariis vocatis febribus. Qua de re, cum neque brachychronius, neque polychronius morbus ter-
cap. ult. tiana ſit, neque tardus, qui verè acuto opponitur iuxta Gale. ſententiam. 3. de diebus decreto. neceſſariò ſequitur, quòd in numero acutorum ſit: nam præter has nulla alia reperitur morbi differentia apud eum. Quòd ſi hi morbi, qui celeriter iudicantur, & ad ſuum vigorem celerrimè properant, ac magni ſunt, à Gale. in commento Aphoriſ. 19. & 23. 2. lib. acuti dicuntur, atque ſunt, tertianam quis negabit acutum morbum & eſſe & dici, cùm celerrimè iudicetur, & magnus morbus ſit: quòd autem celerrimè iudicetur, cuiuis patet. magnum verò morbum eſſe ei patebit, qui quos magnos morbos Galen. appellet 4. Method. medendi, conſiderabit. trifariam enim dicit morbum eſſe magnum: vel propter affectæ partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel quia cacoethes. At tertiana non vna tantùm ratione magnus morbus dici debet, vt puta quia princeps pars in ea læditur, cor videlicet: cùm hæc cunctis generi febrium cõmu-
cap. ult. nis ſit: ac propterea, quia febris, ei hæc magnitudo aduenit, Gale. auctore octauo Meth. med. verùm & propter affectus magnitudinem morbus magnus appellari debet. eſt ſiquidem tertiana magna & vehemens febris. quare, præter id quòd febris eſt, illi quoque magnitudo adeo notabilis accedit, vt, relatione aliarum febrium, magna & vehemens dici poſsit, præſertim ſi ad diarias, hecticas, & putridas eas, quæ ex frigidis ſuccis ortum ducunt, comparetur. Cum igitur duplicem habeat magnitudinis cauſam, & non vnam tantùm, tertiana ipſa, celerrimeque ſua pertranſeat tempora, vt prius diximus; iure morbus acutus appellanda erit, ſi quæ Gale. aſſerit com. Aphoriſ. 19. & 23. 2. lib. de acuto morb. vera eſſe concedemus. Eodem quoq; com. Apho. 19. 2. lib. duplicem fatetur eſſe acutorum morborum naturam, cum febre præſertim; nam vel in humoribus calidis ſolis, qui nullum obſedere locum, ſed æqualiter in omnibus animalis partibus apti ſunt ex ſua natura generari, vel loco aliquo patiente fiunt, vt in morbo laterali, pulmonis inflammatione, & angina. cùm igitur ipſa tertiana ex calidis ſuccis, biliosis videlicet, generetur, calidioribus exiſtentibus cunctis aliis, qui in corpore ſunt: qui nullum obſedere locum determinatum, ſed per totum corpus deferuntur, vt
cap. 3. & 6 patet 2. de Criſ. quis adeo erit inſulſus, qui ipſam negabit eſſe morbum acutum, ſecundum primam ſaltim eorum naturam? cùm Gal. huiuſcemodi morbos acutos nuncuper, qui ex calidis humoribus ſolis generantur citra aliquem determinatum locum patientem, quamuis non ipſis ſecundum naturam ſe habentibus,

ſed

ſed putreſcentibus tertiana fiat, vt Gal. viſum eſt 2. de Criſibus, cum dixit, Quòd febris acuta vel aliquo humorum putreſcente, vel membro inflammationem patiente generatur. Verùm, cùm nec pituita, nec melancholicus ſuccus putreſcens acutas febres pariat, vt cuique liquet: ex his nanque morbi longi, ſeu diutini fiunt eodem Gale. auctore comment. Aphor. 19. ſecundi lib. ſequitur, quòd ex bile putreſcente febris acuta generetur. qua de re tertiana febris acuta erit, cum ex bile putreſcente ortum habeat. Ad hæc quis vnquam tertianam eſſe morbum acutũ dubitabit, ſi Gale. verba inſpiciet & intelliget, quæ commento Aphoriſ. 59. 4. lib. ſcripſit? ſunt autem talia: Sicuti igitur in morbis continuis acutorum quidem morborum terminus eſt quartusdecimus, peracutorum verò ſeptimus, ſic in intermittentibus longiſsima tertiana febris terminum habet circuitum ſeptimum. Rurſus autem ſicuti in peracutis morbus poterat iudicari quinto, quarto, & tertio die, ſic & in tertiana eiſdem circuitibus fieri ſolutio poteſt non expectante natura ſeptimum. Cum igitur Galen. dixerit, Sicuti in morbis continuis acutorim quidem morborum terminus eſt quartusdecimus, peracutorum ſeptimus, & demum addidit, Sic in intermittentibus: quærendum eſt, de quibus intermittẽtibus loquatur, de acutis, videlicet, an de tardis, & diuturnis. Non eſt dicendum de tardis & diuturnis, cùm tertiana non ſit huiuſmodi: præter id, quòd falſum eſſet illud, quod aſſerit, longiſsimum ſcilicet terminum earum eſſe circuitum ſeptimũ: cùm multæ non exquiſitæ tertianæ reperiantur, adeo tamen diuturnæ, vt non modò vltra ſeptimum circuitum protendantur, ſed vltra decimum, vigeſimum, & interdum quadrageſimum. Nec valet, ſi dixeris, de intermittentibus brachychroniis eum fuiſſe locutum: quoniam & comparatio fruſtra eſſet, & nihil vtile concluderet Gal. in prędictis verbis acutos morbos continuos cum brachychroniis intermittentibus comparans, qui alterius generis ſunt morbi: præter id, quod iam probatum eſt tertianam de numero eorum non eſſe. Quare, velis, nolis, fateri cogeris quòd de intermittentibus acutis loquatur, cum dixit, Sic in intermittentibus longiſsima tertiana febris terminum habet circuitum ſeptimum, tertianam ipſam exquiſitam acutum morbum intermittentem nuncupans. quod inſuper verba eius ſonant: nam, cur prius oportuiſſet dicere Sicuti in morbis continuis acutorum quidem morborum &c. fruſtra vtique appoſuiſſet verbum illud Continuis, ſed ſatius fuiſſet dicere, Sicuti in morbis acutis. verùm, quoniam percipiebat Gale. quòd in numero acutorum morborum comprehenduntur & continui & intermittentes; propterea vtroſque comparauit, ſignificans quòd velut ſe habet decimusquartus dies in acutis continuis, quia vltimus eſt eorum terminus, ſic in intermittentibus acutis, vt in tertiana ipſa, vltimus terminus eſt circuitus ſeptimus; quod enim in continuis vna dies valet, hoc in intermittentibus acceſsio. & propterea tertiana poterit ante ſeptimum circuitum iudicari, vtputa in tertio, quarto, vel quinto circuitu, velut peracutus morbus in eiſdem diebus ſeptimum diem non expectans. erit denique tertiana exquiſita acutus morbus intermittens, ſi præpoſita Galeni verba veritatem contineant. Rurſus, ſi verum eſt bilioſum ſuccũ ſemper acutos morbos operari Gal. decreto cõmen. Apho. 22. 7. lib. qui tertianam negabit eſſe morbum acutum, eius ſententię ac veritati ex aduerſo pugnabit: cùm & ipſa ex bile ortum habeat. quinimo, ſi quis valet ex ſyncera bile morbus gigni, ille præcipuus erit exquiſitą tertiana. At forte dices, Gale. pro ſemper intellexiſſe, vt plurimũ, vt ſenſus ſit verborum eius bilioſum ſuccũ ſemper, hoc eſt, vt plurimũ operari acutos morbos: poſſent fortè Gal. verba hoc modo exponi, niſi vſus fuiſſet aduerbio Gręco ἀεὶ, quod nullibi compertum eſt aliud Latine ſignificare, quàm ſemper. quapropter hic pro ſemper exponere, vt plurimũ, ſiue magna ex parte, penitus falſum eſt, vt cuilibet, qui Græcas literas callet, manifeſtò liquet. Erit itaqi ob id acutus morbus tertiana: quia bilioſus ſuccus ſemper acutos morbos operatur. Quòd inſuper tertiana febr. acuta ſit, patet iis, qui Gal. verba inſpiciẽtes 6. de Morb. vulg. ea intelligere velint: nam tex. Hipp. exponens, in quo febriũ differentias conſcribit ſuper Hipp. verba, Aliæ verò acutæ, in- 6. Epid. 5. p comment. 29

cap. 6

quit

quit Gale. de caliditate celeriter manui occurrente, ſuúmque ipſius velocem motum oſtendente intelligere opus eſt. Ex quibus verbis conſtat, quòd eas febres acutas Hippocr. & Gale. appellant, quæ ſua caliditate celeriter manui occurrunt, ſuúmque velocem motum oſtendunt. Atqui tertiana huiuſmodi eſt: ipſius náque caliditas non velociter modò, ſed velociſsimè manibus occurrit. quod cum pateat ad ſenſum, alia probatione minimè indiget. tum igitur quia ſuum ipſius velocem motum oſtendit, hácque ratione eius caliditas celeriter manui occurrit: tum etiam quòd ſeptenis circuitibus, quod tẽpus longiſsimum eſt, iudicatur, Hippocr. auctore Aphor. 59. 4. lib. erit tertiana febris acuta. Libro quoque 8. de Hipp. & Plato. decr. redarguens Plat. Gale. de cauſis generationis febris tertianæ atque quotidianæ, inquit acutiſsimas & ardentiſsimas febres à flaua bile oriri, & tertianam ex ardentium genere eſſe. at, ſi tertiana ex genere eſt ardentium feb. neceſſariò & acuta febris erit: neque enim vna ardens febris eſt, quę nõ acuta dici poſsit, vt in expoſitione febris acutæ patet. hoc idem cõfirmauit lib. de Palpi. trem. rigore, & conuulſione, dum dixit: Tritæi quidem exacti ſi qua nota euidens ſit, eſt à rigore: quòd cùm vehementibus rigoribus inuadant paroxyſmi. nullus autem vel non ſanæ mentis febrem hanc in ſucco frigido fieri affirmet: cùm genere ardens ſit 2. cap. Vides igitur, quo pacto tertiana, cùm genere ſit ardens, acuta quoque febris dicenda erit, niſi aſſerere audeas ardentem aliquam febrem nõ eſſe acutam, quod penitus Hipp. & Gale. doctrinæ ac veritati pugnat: nam quæuis ea ſit, ex calidis procreatur ſuccis biliosis, præſertim quorum natura eſt acutos morbos generare. qua ratione ſit, vt, cùm ardens febris à Gale. dicatur tertiana, non minùs & acuta dici debeat: cùm enim ex bile ortum habeat, febris vtique erit multam & acrem habens caliditatem, eodem teſte quarto de Ratione victus. cuius naturæ acuta febris eſt. Amplius, cùm quælibet continua febris idem habeat genus cũ ſingulis intermittentibus, vtputa quotidiana continua cum intermittente, & quartana continua cum intermittente, & exquiſita febris ardens cum exquiſita tertiana, vt decretum reliquit Galen. 2. de Criſib. & cùm quatuor in vniuerſum ſint morborum genera, ex motu & tempore diſtincta, eodem Galeno teſte, tertio de Diebus decr. duo videlicet ex motu præcipuè, & duo ex tempore: de neceſsitate ſequitur, quòd in eo genere, in quo reponitur quælibet prædictarum continuarum febrium, in eodem & intermittens reponatur ſibi correſpondens. at, cùm in genere acutorum morborum, acutarúmque febrium, quæ exquiſita ardens eſt, omnium conſenſu contineatur: in eodem quoque genere exquiſitam tertianam contineri oportet: aliàs diuerſum haberet genus ab ipſa exquiſita ardenti febre. quod manifeſtè Galeni dictis pugnat, præter id quòd in nullo aliorum genere contineri poſſet, vt ſuperius oſtenſum eſt. quaproptèr optimè Galen. eodem ſecundo libro de Criſibus dicebat, acutiſsimas maximeque adurentes febres hoc ſolo à tertianis differre, quòd in illis flauæ bilis humor in vaſis vnà cum ſanguine continetur: in tertianis verò, cum vehementer moueatur, per ſingulas corporis partes diſſeminatur: quamuis in eo, qui vtrunque facit morbum, humore communicent. Idem eſt ergo earum genus, eadem ambarum cauſa, ambæ ex neceſsitate acutæ ſecundum magis & minus tantùm ratione locorum diuerſorum diſcrepantes. qua ratione exquiſita febris ardens poterit acutiſsima, atque ardentiſsima nuncupari, prout Galen. eam appellat: ipſa verò tertiana, acuta atque ardens, prout vbique locorum eius verba ſonant. Nec minus tertianam eſſe acutum morbum ex his, quæ Galenus ſecundo prognoſtic. aſſerit, percipere poſſumus quo loco diſcrimen afferens inter extremarum partium refrigerationem in diutinis morbis, & eam quæ in acutis accidit circa acceſsionum principia, duplicem naturam acutorum conſcribens, qui cum febre fiunt, vnam cum inflammatione in viſceribus, & reliquam ſine ea, dixit quòd in morbis acutis cum inflammatione, propter inflammationis magnitudinem in viſceribus fatigantis, parum ſanguinis in omne permeat corpus, plurimum verò eius in parte inflammatione affecta includitur. & ob eam rem, licet extremæ partes frigidæ ſint: mediç tamen

corporis

Marginal notes: cap. 6 (beside "& Plato. decr."); cap. 7 (beside "vt in expoſitione"); 4. reg. acut. comment. 2 (beside "& acrem habens"); cap. 6, cap. ult. (beside "na, vt decretum" / "morborum genera"); cap. 3 (beside "cundo libro de Criſibus").

corporis partes, quæ ſunt thorax & venter, admodum calent. Horum morborum idemmet Gal. meminit commento Aphoriſmi 48. quarti libri, & primo ſeptimi libri eandem eorum afferens rationem. Demum ſubdit, At verò per morbos acutos interdum acceſsio cum rigore prehendens aut refrigeratione, non ſolùm extremas corporis partes, ſed etiam cutem circa coſtas ac ventrem, frigidam reddit. ea quidem circa viſcera vitium non oſtendit. Cùm in hac verborum ſerie acutorum morborum Galen. meminerit, in quibus acceſsio cum rigore prehendit, quærendum ab eo de qua febre loquutus ſit. Non erit dicendum, quòd de quartana: quoniam, licet cum rigore inuadat, inter diuturnos morbos connumeratur. Ergo de tertiana: nam hæ duæ tantùm febres cum rigore inuadunt. At ſi de tertiana, quæ cum rigore inuadit, Galen. intellexerit, cùm hoc proprium ſit ipſius exquiſitæ tertianæ: quis audebit eam negare eſſe morbum acutum? Dicet fortè quiſpiam Galenum per rigorem horrorem voluiſſe intelligere, & propterea per acutam febrem cum rigore prehendentem ſemitertianam ſignificaſſe: quæ quidem ex Hippocratis ſententia primo de morbis vulgaribus acuta eſt: aut de aliqua alia continua, quæ cum horrore inuadit intellexiſſe; poſſunt enim quædam eſſe huiuſmodi, Hippocrate auctore primo de mor. vulgari. & Galeno primo de arte cur. ad Glauc. Huic obiici volo, nullibi Gal. per rigorem horrorem intellexiſſe: immo inter eos lib. 10. Method. medendi & ſecundo de cauſis ſympto. diſcrimen non minimum conſcripſit, aſſerens rigorem propter multitudinem, ac excrementorum acrimoniam, impetuſque celeritatem, cùm per ſenſibilia corpora ferantur, atque ob laborantis virium infirmitatem fieri: contra horrorem excitari, vbi & qualitas eorum, & impetus velocitas eſt remiſſa, tum etiam copia minor, ac vis naturalis triſtanti obſiſtit. ex diuerſis denique cauſis omnino cùm fiant rigor & horror, nequaquàm poterit nec à Galeno nec ab alio quouis alterum cum altero confundi. qua de re nec de ſemitertiana Galen. dicta verificari poſſunt: cùm eius non tantùm cum horrore prehendat acceſsio, immo horrifica ſit, maiori ſcilicet acceſsionis parte ab horrore occupata, qui medium eſt rigoris, & frigoris: nec de continuarum aliqua intelligi poſſunt: cùm omnis continua febris (vt idem teſtatur ſecundo de diffe. feb.) ſuapte natura, ſi exquiſita eſt, horrorem non habeat, neque rigorem: quamuis Hippocr. 1. de morb. vulg. & Gale. primo de arte cur. ad Glauc. aliquam ex continuis febrem incipere poſſe cum paruo rigore affirmauerint: qui tamen rigores paucißimi ac minimi ſunt vt Hippocr. eodem loco teſtatur. quem Galenus exponens aſſerujt per paucißimos rigores Hippocratem horrorem voluiſſe indicare. cùm nanque ſcriptum reperitur paruus, ſeu minimus, aut paucißimus rigor: poſſumus, immo debemus, horrorem intelligere: at non poſſumus, ſi ſimpliciter Rigor compertum ſit. Cum rigore igitur retulit Gal. 2. prog. acceſsiones per morbos acutos interdum prehēdere, & nō cum paucißimo, ſiue paruo rigore. quare de horrore minimè intelligendū erit, ſed de vero rigore, qui nō, niſi in tertianis & quartanis, cùm earū acceſsiones inuadunt, cōſpicitur. at cùm nequeant eius dicta de quartana veritatē habere, nō enim eſt ipſa morbus acutus: neceſſariò de tertiana verificabuntur. & propterea inter acutos morbos connumeranda erit. Vlterius, ſi Hipp. 1. de morb. vulgari. ſemitertianā febrē appellat horrificā, continuam, & acutam, cùm horrorem ſuſcipiat à quotidiana & tertiana ſimul, quoniam medium quoddā eſt inter tertianæ rigorem & frigus quotidianæ eueniens, continua autem ſit propter quotidianā, quæ cōtinua eſt: quæret quiſpiam, à qua iſtarum febriū acuitatē habeat. & non erit dicendum, quòd à quotidiana: nam ipſa inter tardos morbos ac diuturnos comprehenditur, etiamſi continua ſit, & non inter acutos: quoniam non eſt celeris motus. nec ab vtraque ſimul velut horrorem, ſic etiam acuitatē, ſuſcipit: nam quod ex ſua natura quotidiana ſola non habet, etiam cùm alteri coniungitur, ex ſe tribuere nequit. at acuitatem ipſa nequaquam habet, cùm nec ipſa febris acuta ſit, vt tum ex eius motu, tum ex eius caloris qualitate conſtat. ergo neq, cùm alteri febri copulatur, acuitatem illi præſtabit. relinquitur ob id pro-

2. prog. com. 4

1. epid. 5. p. tex. 23
1. epid. 5. p tex. 34. ſec. 2. tex. 25.
1. ad Glauc. c. 5
cap. 4
cap. 5

cap. 8
locis citatis ſupra.

cōment. 4

1. epid. 5. p. tex. 23

pterea acutam febrem ſemitertianam dici,quoniã tertianã habet coniunctã. qua
ratione fit vt,ſi per eam ſemitertiana acuta febris dicatur, ipſa quoque tertiana
febris acuta ſit. congruum inſuper erit, cùm tria in ſe complectatur ſemitertia-
na: horrorem videlicet, continuitatem,& acutiem: vt vnum habeat à quoti-
diana, continuitatem videlicet: reliquum à tertiana, acutiem ſcilicet: tertium
verò,horrorem ab vtraque. Quæ omnia confirmare videtur Galen.2.de Differ.
cap. 8 feb.dum inquit,Quòd,vbi tertiana exuperat febris,magis erit horrifica ſemiter-
tiana,& aliquid rigoris in acceſsione aſſumit. ſtatim itaque calidior talis eſt,& ar-
dentior,ac celerius peruenit ad conſiſtendi vigorem. vbi verò pituitoſus exupe-
rat ſuccus; frigus extremarum partium exuperabit, & horror paruus erit, pul-
ſusque contractio fortior,ac diuturnior eſt,& lentè acceſsio increſcit, multoque
poſt tempore viget:non tamen ſitim efficit,neque ardorem.& poſt pauca ſubdit,
Incrementum verò poſt initium propter tertianam facilè ſuſcipit & caliditatem,
atque ad conſiſtendi vigorem feſtinat: propter pituitoſum autem ſuccum tardè.
citius igitur,aut tardius deuenit ad ſummũ vigorem ſemitertiana,potiſsimũ quæ
non exquiſita eſt,prout tertiana magis,vel quotidiana in ea exuperat: nam exu-
perante tertiana celerius ad ſummum vigorem acceſsio deuenit, ſtatimque cali-
dior,& ardentior erit talis febris. at,ſi quotidiana; & diuturnior erit,lenteque ac-
ceſsio increſcet,& multo pòſt tempore vigebit,vt ex prædictis Gale. verbis con-
ſtat. quo fit vt nullo modo acuta appellari poſsit ſemitertiana propter quotidiã-
nam,cùm ab ea oppoſitas penitus cõditiones accipiat:tardum videlicet motum,
diuturnitatem,& neque ſitim,neque calorem cauſet:à tertiana verò celeritatem
motus,ardorem,caliditatemque maiorem,ac ſitim ſuſcipit; quæ omnia acutis fe-
bribus inſunt,quare,cum propter tertianam, quam coniunctam habet, ſemiter-
tiana, acuta febris dicatur, ipſa quoque tertiana acuta febris erit. Quòd ſi dixe-
rit quiſpiam copulatam tertianam cum quotidiana, quando ſemitertiana fit,non
eſſe exquiſitam,ſed notham; in idem incidet; nam nec acuta dici poteſt notha
tertiana,niſi propter biliosũ ſuccum,qui in ea redundat. qui cùm ſyncerior ſit
in exquiſita tertiana,quàm in non exquiſita: acutior erit ſemitertiana, quæ cum
exquiſita tertiana compoſita eſt, quàm, ſi cum non exquiſita componatur. & ſi
cum nõ exquiſita copuletur quotidiana, licet ab ipſa tertiana acutatem habeat,
quæ non exquiſita eſt, præcipuè tamen eam acquirit propter flauam bilem re-
dundantem in ipſa tertiana notha, & non propter permixtionem alicuius alte-
rius ſucci,melancholici videlicet, vel pituitoſi: ex quibus, vt declarauimus, in
tex. 32 Gal.doctrina,diutini & non acuti morbi excitantur.Idem quoque Hipp. 3. Prog.
tertianam morbum eſſe acutum apertè innuit:nam,cum de dolore capitis per fe-
brem acutam non exitioſam verba faceret,ait,Hæc accidunt viris & mulieribus
potiſsimum in tertianis.Minoribus natu accidunt etiam in illis, magis verò & in
feb.cõtinuis,& in veris tertianis. tertianas itaq; abſq; cõtrouerſia hoc loco Hipp.
inter acutos dinumerauit morbos. eſt etenim liber prognoſt.de Morb. acutis, vt
cap. 7 ipſemet in principio dicti lib.fatetur,& Gale.primo de Criſib.ac eodem lib. Pro-
cap. ult. gnoſt.confirmauit. At quid amplius in hoc tempus terere opus eſt,diuerſiſque
rationibus & auctoritatibus veritatem hanc fulcire tento, cùm ipſemet Galen.
eam commento Aphor.29.tertij libri apertiſsimè fateatur?quo loco, cùm Hipp.
in Aphoriſmo conſcripſiſſet nonnullos morbos, qui iuuenibus eueniunt, inter
quos febrium meminit acutarum,exponens Gale. Hippocr. verba inquit: Non
ſat plenè de acutis febribus dixit: neque enim dicere ſimpliciter oportebat acu-
tas,quæ & in pueris nihilominus fieri videntur,ſed ex acutis tertianas maximè,
& febres ardentes: hæ enim præ cæteris febribus ſunt bilioſiſsimæ,& plurimùm
iuuenibus accidunt: quoniã & flaua bilis hac ipſa ſuperabũdat ætate,ex qua mor-
bi tales in ſummo ætatis vigore conſiſtentibus accidunt. per quæ verba liquidò
oſtendit Galenus tertianam eſſe in numero acutorum morborum,acutarumque
febrium. & reddens cauſam cur ipſa & ardens febris plurimùm iuuenibus acci-
dunt,dixit, Quoniam tertiana & febris ardens inter cæteras febres ſunt bilioſiſ-
ſimæ;

ſimæ:bilis verò plurima iuuenibus, ratione ætatis, redundat. Ex quibus verbis
colligo biliosas febres eſſe acutas omnes,& quantò biliosiores fuerint, tantò acu-
tiores. At,ſi quiſpiam forſan dixerit Gale.de continuis tertianis, & non de inter-
mittentibus loqui,cùm dixit, Sed ex acutis tertianas maximè: Ei reſponſum ſit,
nullibi compertum eſſe apud Gale.per tertianam abſolutè prolatam intellexiſſe
continuam,veluti neque per quotidianam,vel quartanã,ſed perpetuò cum appo-
ſitione continuam,vt in ſexcentis locis patet.immo commento Aphor.59.quarti
lib.aſſerunt non modò Hippocratis,ſed omnium Græcorum conſuetudinem eſſe
tertianam ipſam aliquando cum adiectione exquiſitam,aliquando ſimplici appel
latione,tertianam ſcilicet tantummodo, nominare: velut ipſe quoque conſueuit
primo de Morbis vulgaribus,& ſecundo de Differ.feb.non ſemel duntaxat eam *1. epid. ſect. 2*
ſimplici appellatione nominare.Qua de re,ſi quis vellet in prædictis Gal. verbis, *comment. 19*
per tertianas,continuas intelligere, non modò Hippocr.& omnium Græcorum *cap. 8*
conſuetudinem euerteret,verùm eundem Galenum deſtrueret, cum non intelli-
gendo,eiúſque dictis falſum omnino,ac contrarium ſenſum tribuens.cùm igitur
per tertianam abſolutè prolatam,in Hippoc.& Gale.doctrina continuam intelli-
gere omnino quiſpiam nequeat,eámque dixerit eſſe Galen.acutum morbum, ac
acutam febrem,velut etiam fuſiſsimè nonnullis rationibus probauimus, valeant
perpetuò,qui eam non eſſe huiuſmodi pertinaciter ſibi ipſis perſuaſerunt, ſuam
ipſorum opinionem quibuſdam Gale.dictis fouere cogitantes: quæ,quo veritas
promptius pateat,in mediùm afferre ac exponere non piguit,ſimúlque eorum ra
tiones, quibus ea tueri conantur, ſoluere non prætermittam. interim Arabum
principem,qui Galeni opinioni ac veritati adhęret,non prætercam,potiſsimum
cùm Gale. ſe eſſe interpretem fateatur. libro enim quarto,fen prima, tracta.pri-
mo,cap.4.inquit:Et tertiana pura & cauſon ſunt de acutis valde,& eodem libro
& fen,tractatu ſecundo,cap.quarto dicebat: Et tertiana quidem pura eſt acuta
propter ſubtilitatem materiei: & eius caliditas eſt magna, mordicatiua propter
fortitudinem choleræ. Qui tamen tertianam contendunt non eſſe morbum a-
cutum;hac prima ratione credunt id. confirmare:de ratione nanque morbi acu-
ti, ſi cum febre ſit, inquiunt,eſt, quòd ſit cum febre continua: ſed tertiana non
eſt huiuſmodi. igitur non eſt morbus acutus.maiorem eſſe Gale.aſſerunt in com
mento Aphoriſ.30.quinti libri,quo loco dixit: Si enim ſit cum febre morbus,ne-
ceſſe eſt ipſum febres habere continuas:talis enim eſt morbus acutus: Huic pri-
mò reſponſum ſit falſum eſſe, quòd de natura omnium morborum acutorum,
etiam eorum qui cum febre ſunt,ſit,eſſe cum febre continua.&, cùm illud confir
mant Galeni auctoritate,dicimus quòd velut,apud Hipp.illud verbum Græcum
ἀνάγκη, quod Latinè ſonat neceſſariũ,non facit enunciationem talem, quòd im-
poſsibile ſit aliter ſe habere,ſeu perpetuam,vt idemmet Gale.teſtatur Aphor.58.
ſexti libri:ſed quòd magna ex parte ſoleat ita accidere:& propterea non tantùm
in Aphor.ſed in aliis quibuſdam eo vtitur,quamuis res ipſæ non ſemper eodem
modo eueniant:etſi figura dicendi perpetuitatem quandam indicet:ſic apud Ga-
lenum dicendum erit,quòd per illud verbum ἀνάγκη voluit intelligere quòd ma
gna ex parte conſueuit accidere,vt ſenſus verborum eius ſit: Si enim ſit cum fe-
bre morbus,neceſſe eſt,hoc eſt,magna ex parte accidit,ipſum febres habere con
tinuas,non propter hoc abnegans febrem aliquam intermittentem eſſe morbum
acutum. vel rectiùs dicendum falſum eſſe id,quod primò aſſerunt,ac Gale.aucto-
ritatem haud eſſe ad propoſitum.nam,cùm duplex ſit acutorũ morborum cum
febre natura;vna,cùm in humoribus calidis,qui nullam obſedere propriã ſedem:
altera,cùm loco aliquo patiente fiunt, vtpote ortis in viſceribus inflãmationibus
quibuſdam,eodem Gale.auctore comment.Aphor.19.ſecundi lib.cùm Galen.di-
xit,Si enim ſit cum febre morbus,neceſſe eſt ipſum febres habere continuas:ta-
lis enim eſt morbus acutus: de eis intellexit morbis acutis, qui aliquo loco pa-
tiente fiunt,inflammatione videlicet viſcus aliquod,& præſertim princeps, fati-
gante. quorum morborum natura eſt, quòd neceſſariò atque perpetuò ſint cum

febre continua:& non de eis verba fecit,qui in humoribus calidis fiunt, qui nullum obſedere proprium locum.id autem oſtendunt apertiſsimè verba eius, dum aſſeruit,Si enim ſit cum febre morbus:vt ſecluderet eos ab his qui ſine febre fiūt; parte etiam aliqua patiente,vt apoplexia:neceſſe eſt,inquit, hunc eundem morbum febres habere continuas.præſupponit itaque primò aliquem fieri morbum acutum,ad quem febris ſequatur:illam demum aſſerēs ex neceſsitate debere eſſe cōtinuam:quod quidem in nullo alio acutorum morborum genere veritatem habere poſſet,niſi in his,quas ſuprà diximus,inflammationibus, ortis videlicet in viſcerum aliquo,vt in morbo laterali , pulmonis inflammatione,angina , & alijs huiuſcemodi morbis quaſdam determinatas ſedes fatigantibus.Ex quibus conſtat Gale.non id aſſerere, quod iſti putant, in prædictis verbis febrem videlicet omnem acutam neceſſariò eſſe continuam : ſed eam dixit neceſſario eſſe continuam,quæ ad aliquem morbum acutum ſequitur,vtputa qui aliqua determinata parte patiente fit,velut in alicuius viſceris inflammatione conſpicitur , non propterea negans per hæc verba,quòd aliqua febris acuta,vt diximus, poſsit eſſe intermittens.& propterea hoc falſum eſt,quod iſti dicunt,omnium acutorum morborum naturam propriam eſſe vt febrem continuam habeant:cùm in ea acutorum natura,quæ in humoribus calidis fit ſolis , qui nullum obſedere locum , ſed æqualiter in omnibus animalis partibus apti ſunt ex ſua natura generari , veritatem haud habeat,veluti ſuprà probauimus. At mox , quæ diximus , oppugnabit quiſpiam,nullibi aſſerens horum morborum Hippocr.nec Gale.meminiſſe. Cui reſponſum dabimus & horum ambos mentionem feciſſe,vt liquet his , qui non corticem tantùm,ſed internam medullam eorum verborum guſtarūt:nam,cùm
tex. 25 Hippoc.primo Prognoſt.ait,Spirationis facilitatem exiſtimare oportet perquam magnam vim habere in omni morbo acuto,qui cum febre infeſtat,& quadrageſimo die iudicatur,nónne eorum morborum meminit acutorum,qui etiam cum febre intermittente fiunt,dum aſſeruit:Qui cum febre infeſtat,non addens continua? At fortè diceret quiſpiam quòd, licet illud non appoſuerit, tamen de continuis tantùm voluit intelligere:verùm hic,præter id quòd verba Hippocr. peruerteret,ac ea falsò intelligere oſtenderet , Galeno quoque è directo pugnaret: cùm,ſi de eis tantùm loqui voluiſſet,appoſuiſſet vtique continua,haud ignorans, quòd per febrem ſimpliciter dictam,intermittentem & continuam, ac fortè magis intermittētem,quiuis intelligere poſſet.pugnaret quoque Galeno, qui ſecun-
cap. 12 do de Diebus decreto.Hippocratem à quorundam calumnijs defendens, qui eidem impoſuerant ſibi pugnantia ſcripſiſſe de morbis acutis:cum aliter in Aphoriſmis,aliter in prognoſticis ab eo ſcriptum reperiatur : ponderans prædicta Hippocr.verba de facili ſpiratione in morbis acutis inquit,Quòd niſi ipſe Hippocr. cognouiſſet acutorum duplicem naturam,non ſane diſtinxiſſet cum appoſitione quadam ſuam ſententiam:verùm ſimpliciter dixiſſet,quòd facilis ſpiratio in acutis morbis magnum valde momentum ad ſalutem habere putanda eſt. nunc autem,cum huiuſmodi dictionem ſimpliciter acutos declaraturam ſciret , non tamen ita,verùm,cùm his etiam alia complecti vellet , non ſine ratione appoſuit primum,quibus febris copulatur,non adſcribens continua,quod abſolutè acutorum erat proprium.quibus verbis cauſam Galen. reddit cur in prædicta dictione,cum dixit,Qui cum febre infeſtat,non addidit continua,inquiens:Quia volebat Hippocr.id non tantùm verificare in abſolutè acutis, verùm in alijs : nam, ſi voluiſſet eius dicta veritatem habere in abſolutè acutis tantum, appoſuiſſet illud verbum continua,quod abſolutè acutorum erat proprium.cùm igitur illud non abſolutè adſcripſerit,& propterea,vt inquit Gale.dictum Hipp.quod de facili ſpiratione ſcripſit,in alijs etiam acutis verificatur,neceſſariò ſequitur aliquem acutorum morborum,non tamen abſolutè & ſimpliciter , eſſe cum febre intermittente iuxta Hippoc.ſententiam.Sed mox quiſpiam rurſus inſtabit,inquiens hoc,
1. reg. acut. quod diximus,Hippoc.pugnare:qui primo de Ratione victus in morbis acutis fa
tex. 8 tetur acutorum morborum febres omnino eſſe continuas. huic reſponſum volo

Primò Hippo.eorum meminiſſe acutorum morborum,quos priſci acutos nominabant: vt ſunt pleuritides,peripneumoniæ,phrenitides,&c.& propterea,ad corũ mentem,dixit horum omnino febres eſſe cõtinuas:nam hi tantùm à priſcis acuti morbi nuncupabantur. vel dicas,ſi ex propria ſententia illud ſenſerit,verbum τὸ ἐπὶ πᾶν,nõ ſemper omnino,ſed interdum magna ex parte Latinè ſonat.quare in morbis acutis magna ex parte febres eſſe continuas Hippoc. retulit. id quod nec nos ſuprà negauimus.vel,& rectius,quòd de his acutis morbis ibi loquitur, qui propriè & abſolutè acuti nominantur. hi ſunt,cum determinata parte affecta, inflammatione videlicet orta in aliquo viſcerum, velut ſeries verborum eius ſonat,vt quiuis poterit videre; quos inſuper idem Hippo.primò de morbis vulga. acutiſsimos nuncupat,maximos ac grauiſsimos:in his nanque omnino febris eſt continua. at in alijs,qui alterius ſunt naturæ,non inconuenit interdum febres eſſe intermittentes, velut ſuprà declarauimus. Non ergo Hippocrati pugnat dicere aliquem morbum eſſe acutum cum febre intermittente, modò de abſolutè acutis non intelligatur,maximis ac grauiſsimis morbis, velut ipſe primo Prognoſt. in prædicta dictione tacitè confeſſus eſt,vt Gal.placuit. Verùm quouis loco eum fateri inueniatur, acutos morbos omnino eſſe cum febre continua, de abſolutè acutis,maximis, grauiſsimis & acutiſsimis intelligendum erit. hi nanque ſunt, qui omnino cum continentibus febribus fiunt,ac propriè acuti nominantur, vt Galen.viſum fuit libro tertio de Difficult.reſpi.ea parte, qua Hippocr. verba primo de Rat.vict.conſcripta hoc modo exponit. Quòd verò aliqua intermittẽs febris acutus morbus ſit,apertiſsimè Gale.oſtendit ſecundo Prognoſt. vt diximus ſuprà,inſuper & ſecundo de diebus Decre. dum inquit, Nonnulli autem ſtatim ab initio morbi, velut prohibiti,tardeque moti, & nullam interea ſubitam mutationem moliti ad quadrageſimum producuntur. Duplex autem horum quoque natura eſt: vel enim acceſsionum remiſsiones in exactam integritatem finiunt,vel continua febris ſemper durat. & ſubdit, Tales etenim acutorum naturæ adhærere videntur; nam alij manifeſtè ſunt diuturni. Connumerat hic, vt liquet, Galen.morbos acutos cum febre intermittente:nam de his ſermonem faciens vltimo loco dixit alios ab his, quos conſcripſerat, omnes eſſe diuturnos. hoc idem patere poterit cuiuis eius verba inſpicienti, quæ aſſerit de acutis morbis in commento Aphoriſ.19.ſecundi libri,& quæ de tertiana ſcripſit comment. Apho.59.quarti lib.Sed circa hoc iterum hæſitare cõtingit:nam idem Gale.com. Aphor.7.primi libri fatetur febres ab acutis morbis eſſe inſeparabiles, & commento præcitati Aphoriſ.19.ſecundi libri in acutis morbis dixit febres omnino eſſe continuas.commen.quoque Aphoriſ.primi ſeptimi libri auctoritate Hippoc. ſcriptum reliquit acutos vocari morbos, quorum febres omnino ſunt continuæ. at,ſi eorum,quæ mox diximus,non fueris oblitus: promptiſsimè hæc Gal. verba conciliabis: nam,cùm dixit à morbis acutis febres eſſe inſeparabiles: de abſolutè,ac exactè talibus loquutus eſt: vt de cauſo,ſynochis, vel reliquis morbis,qui cum parte patiente fiunt,inflammatione videlicet orta in viſceribus, qui quidem abſolutè acuti dicuntur. & propterea nec cum eis nos febrem intermittentem copulamus,verùm in alia acutorum morborum natura illud fatemur, vt ſuprà oſtendimus.Ad reliquas Galen. auctoritates bifariam quoque reſpondere poſſumus,vt puta ſimilem offerendo reſponſionem cum acutorum diſtinctione, & inſuper aſſerẽtes ipſum vti verbo τὸ ἐπὶ πᾶν quod non modò Latinè ſignificat omnino,ſed plurimùm & magna ex parte,vt velit Gal.non omnino, ſed magna ex parte febres continuas à morbis acutis eſſe inſeparabiles, quamuis prima reſponſio congruentior ſit. Atqui rurſus dices Galen. tertio Prognoſtico. voluiſſe morbum acutum intelligi cum magnitudine quadam,ac febre continua. & ſubdit: Si enim non ita ſit, quanquam circa decimumquartum ſoluatur diem, aut etiam citius,eiuſdem appellationis nequaquam cenſemus.At dicimus nos Gal.eo loco narrare differ.morb.ſecundum diuerſas temporum præfinitiones. quapropter circa ea ambigit, tum de morbo acuto,qui interdum decimumquartũ diem

Margin notes: 1.epid.ſ.3. text.3 — text.25 — cap. 9 — com.4 — cap. 12 — com.10

pertranſit, protenditurque vſque ad vigeſimum: tum etiam quòd nonnulli alij
morbi etiam ſi in quatuordecim diebus finiant, aut citius, acuti non ſunt appel-
landi, niſi hi & magnitudinem quandam habeant, & ſint cum febre continua:
cap. 9 verum nanq; fatetur, quoniam hi propriè acuti ab eodem Gal. nominantur, ter-
cap. 12 tio de Difficul. reſpira. & abſolute acuti nuncupantur 2. de Diebus decreto. quòd
Loco cita. alij ſint, qui non ita propriè, abſolutè, ſeu exactè acuti dicantur non negans: quin-
immo & 2. Prognoſt. & 2. de Diebus decreto. ac commento. 19. Aphoriſ. ſecun-
di lib. ſæpius citati, ſexcentiſque alijs in locis illorum meminit. qui autem exactè,
ſeu abſolutè acuti dicuntur, hi & magnitudinem habeant, & febrem continuam
oportet. at, qui non ita abſolutè ſunt, ſatis erit, quòd ad ſummum vigorem ce-
lerrime properant, ac magni ſunt, iuxta eiuſdem Galeni ſententiam comment.
Aphor. 23. ſecundi libri, ſiue cõtinua fuerit febris, ſiue intermittens. Et, ne ſæpius
eadem repetantur, dicimus, quòd vbicunque in Hipp. & Gale. commentarijs fue-
rit compertũ acutos morbos omnino eſſe cũ febre continua, perpetuò de exactè
1. epid. ſ. 3 ſeu abſolutè acutis intelligendum erit. quos morbos Hippoc. 1. de Morbis vulga.
text. 3 acutiſsimos, maximos, ac grauiſsimos nuncupauit: &, vt Gal. exponit, tum in fe-
bribus eueniunt, quæ vocantur propriè ſynochi, tum in alijs. iuxta quæ ſingulis
progrediuntur acceſsionibus, ac initia efficiunt, incrementa, vigores, & inclina-
tiones manifeſtas, nec tamen ad integritatem veniunt. inter quos nolumus ter-
tianam connumerari: verùm fatemur in alia acutorum morborum natura com-
prehendi, nec id eorum dictis pugnare, immo ſatis conſonum eſſe cenſemus, vt
abundantiſsimè probatum eſt. Non eſt igitur de ratione cuiuſlibet acuti morbi,
quod ſit cum febre continua, iuxta Hippo. & Gal. decreta. ſed eorum tantùm, qui
exactè, ſeu abſolutè tales dicuntur: quamuis quidam ſibi ipſis falsò illud perſua-
ſerint. Amplius tertianam non eſſe morbum acutum alia ratione probare ten-
tant: nam, cum acuti morbi ex eorũ natura periculoſi ſint; ipſa verò tertiana pe-
1. ad Glauc. riculo vacet, vt patet auctoritate Hippo. aphoriſmo 43. 4. lib. & Gal. cum in eius
cap. 8 cõmento, tum etiã primo de Arte cura. ad Glauc. dum aſſerit eam eſſe mitiſsimã,
& minime periculoſam, vtpote quæ nec ex inflammatione aliqua, neq; ex mali-
gna humorũ putredine occaſionem habeat, propterea quia intermittit: ea de re
text. 8 non erit morbus acutus. at quòd periculoſi ſint acuti morbi, cum Hippoc. confir-
1. epid. ſ. 3 mare conantur, qui primo de Rat. vict. inquit eorũ plurimos enecare. & primo
tex. 5 de Morbis vulg. eos aſſerit præ cæteris omnibus eſſe lethales. hoc inſuper corro-
cap. 12 borant Galen. auctoritate ſecundo de Diebus decreto. qui Archigenem ſummo-
pere laudabat, quòd acutos morbos non nudis temporibus ſolis, ſed motu & na-
tura, appellauerit, eos videlicet, quibus motus velox & ſubitò pericula adueniunt.
1. epid. ſ. 3 hos quoque cum periculo coniunctos eſſe teſtatur idem Galen. ex propria ſen-
cap. 3 tentia eodemmet. lib. primo de Morbis vulga. At, ſi eorum memineris, quæ pau-
lò antè diximus de acutis morbis; facillime huic rationi, velut friuolæ & exigui
momenti, reſponſio patebit. diximus nanque eorum morborum naturam dupli-
cem eſſe: vnam citra aliquẽ determinatum locum affectum: reliquam cum loco
aliquo patiente, ſeu inflammatione affecto, præſertim ſi princeps viſcus fuerit, &
inflammatio magna. his itaque, qui ſunt prioris naturæ, vt qui non ex inflam-
matione originem ducant, ſed ex humoribus calidis ſolis, ſi neque ex maligna
humorum putredine occaſionem habeant, qui plurimi ſunt, proprium non eſt
cum periculo eſſe: quinimmo ferè cuncti, qui huius naturæ ſunt morbi, periculo
vacant, præſertim ſi intermittant, velut Galeno viſum fuit com. præcitati Apho.
43. quarti libri. horum quoque acceſsio interdum cum rigore prehendit, aut re-
com. 4 frigeratione, velut Gale. ſentit ſecundo libro Prognoſt. reliqui verò acuti mor-
1. epid. ſ. 3 bi, qui loco aliquo patiente fiunt, & prorſus febres habent continuas, abſolutè
text. 3 ac exactè acuti appellati: immò ab Hippo. primo de Morbis vulg. acutiſsimi, ma-
1. epid. lo- ximi & grauiſsimi dicti, non modò periculoſi ſunt, vt placuit Archigeni &
co citato Galeno, verùm præ cæteris omnibus ſunt lethales ac interficiunt, eodem Hipp.
1. reg. acu. auctore primo de Morbis vulg. & primo de Ratione vict. in morbis acutis. cuius
text. 8

naturæ acutos morbos cum periculo coniunctos eſſe nemo ſanæ mentis negare audebit. At quòd de his, & non de aliis loquatur Hipp. ex verborum eius lectione præcitatis locis cuilibet, vel parum erudito liquet, velut etiam doctiſsimus Gale. exponit. Quòd verò Archigenes 2. de Diebus decre. de his quoque ſermonem faciebat, cui non patebit, ſi Gale. verba inſpiciat, ac intelligat? dicebat enim *cap. 12* quòd Archigenes laudandus erat, qui non ſolum temporibus ſolis nudis, ſed motu & natura magis acutum, vel peracutum morbum appellauerit, cui videlicet motus velox, & ſubita pericula adueniunt: non enim Archigenes quemlibet acutum morbum, ſed magis acutum, vel peracutum his conditionibus deſcribebat, vt Gale. phraſis indicat. atqui huiuſmodi morbos neque nos negamus cum periculo coniunctos eſſe: ſed alterius naturæ morbos acutos, qui non ita abſolutè ac propriè acuti ſunt, & propterea nec acutiſsimi, maximi ac grauiſsimi appellantur, qui quidem in humoribus calidis ſolis fieri conſueuerunt, qui nullum obſidere locum: hos, inquam, fatemur interdum periculo vacare, præſertim ſi intermittant, vt tertiana, (de qua loquimur) propter iam traditas cauſas. Non eſt igitur de ratione cuiuſlibet morbi acuti eſſe cum periculo, velut quidam imaginati ſunt: ſed tantùm, quòd ſint velocioris motus, & magnitudinem habeant, Gal. decreto com. Aphor. 19. & 23. 2. lib. ſæpius citati. Et, ſi apud eius ſcripta compertum fuerit quandoque aſſerere acutos morbos cum periculo eſſe coniunctos: de his intelligendum erit, qui abſolutè tales ſunt, acutiſsimi, maximi & grauiſsimi; velut Hippo. & Archigenes quoque ſenſit. At denuo aduerſus ea, quæ diximus, inſtabunt, Hippo. dicentes, ac Galen. nullibi horum acutorum morborum, qui ſine periculo ſunt, meminiſſe: immo ſemper de acutis verba facientes illos periculo coniunctos eſſe dixiſſe. Reſpondebimus nos & horum quoque non omnino eſſe oblitos, ſed interdum ſermonem feciſſe: nam Hippocr. 3. Progneſt. cùm inquit, *tex. 2* Simpliciſsimæ enim febres, hoc eſt, placidiſsimæ ac mitiſsimæ, vt Gal. exponit, & ſignis firmatæ ſecuriſsimis, quarto die, aut citius deſinunt, de acutis febribus ſimpliciſsimis ac ſecuriſsimis loquutus eſt, quas dixit iudicari quarta die, aut citius. Sed dicent fortè non de acutis febribus intelligere per hæc verba, ſed de diariis. Atqui hoc aſſerere eſt Hippocr. non modò non intelligere, ſed eius omnino verba peruertere: cùm & ipſemet, vt ſuperius annotauimus, circa finem eiuſdem libri fateatur ſe cuncta eo libro conſcripſiſſe de acutis morbis, & aliis quicunque ex his conſiſtunt. cùm verò febres diariæ nec acutæ ſint, vt diximus, nec ex eorum morborum numero, qui ex acutis conſiſtunt; quoniam nec quarto die, aut citius deſinerent, ſed vltra protenderentur, ſequitur ergo, quòd inter acutas connumerari debent prædictæ febres, quas ſimpliciſsimas ac ſecuriſsimas Hipp. nuncupauit. At quid alia opus eſt ratione ad probandum Hippocr. de acutis febribus in ea verborum ſerie loqui? ſi Gal. hoc modo eadẽ verba exponit 1. de Criſibus *cap. 16* aſſerẽs, ea de acutis febribus intelligi deberet: quod ſi ita eſt, meminit igitur Hipp. febrium acutarum, quæ ſine periculo ſunt, in prædicta verborum ſerie, quapropter apud eum non omnis febris acuta erit cum periculo coniuncta: immo, ſi liceat Hippoc. per Gal. exponere: fortè per prædictas febres exquiſitæ tertianæ intelligendæ ſunt: cum has Gal. 1. de Arte cur. ad Glauco. mitiſsimas ac breuiſsimas *cap. 8* appellauerit, præter id quod minimè periculoſæ ſunt: aliàs dicant quæſo, de qua alia febre Hippoc. dicta verificari valeant, niſi de tertiana ipſa exquiſita, ſecluſis diariis, de quibus, vt diximus, impoſsibile eſt Hipp. loqui: cùm inter acutas febres nulla alia reperiatur, quæ mitior & ſimplicior (vt ita dixerim) ac ſecurior ea ſit? præſertim ſi febres quarto die, aut citius deſinant, vt tradit Hippoc. At ſi velis aliquam aliarum acutarum febrium voluiſſe Hippoc. intelligere, & non exquiſitam tertianam: ſatis erit me monſtraſſe Hipp. febres acutas citra periculum interdum ſcripſiſſe, & non cunctas, eius ſententia, periculo coniunctas eſſe, velut quidam ad eius mentem falsò ſentiunt. Gal. inſuper Hippo ac eorum, quæ diximus, non immemor, primò de diebus decreto. talia verba retulit: Si quis primo die acuta fe- *cap. ult.* bre infeſtetur, nullum autem periculoſum ſignum ipſi attulerit, ſed in vrinis ali-

qua concoctionis nota inuenta fuerit, non extra quartum diem morbus ſoluetur: quin etiam, ſi multa lethalia ſigna primo die ſtatim deprehendantur, morietur planè non extra quartum diem. & ſubdit, At, ſi acutè febricitet, nullum verò ſignum lethale adſit, immo nec aliqua concoctionis nota: fieri non poteſt vt hic
cap. 16 quartanus decedat. Et lib. 1. de Criſi. loquens de præcognitione futuri vigoris, quẽ quidem Medicus minimè ignorare debet: alias permultum errabit: inquit ipſe, Quid enim, ſi aliquis primo ſtatim die nullũ habens ſignũ periculoſum, verùm inſuper omnia ſalutaria, acutè quidẽ febricitet, vrinã autem mingat bene coloratam, ac mediocriter craſſam, an non in propatulo eſt Medico, qui in artis operibus eſt exercitatus, hunc in primis quatuor diebus criſin habiturũ? & eò magis, ſi nebula aliqua, vel ſuſpenſio ibi adeſſet: atque etiã tantò plus, ſi bona ſubſidẽtia. & poſt pauca iterũ dicebat: Sicuti igitur, quæ omnia habet ſigna tutiſsima, febris acuta, in prima periodo decretoriorum dierum ſolutionem habet: ſic quæ iſti proximè adiacet, diem ſeptimum non tranſcendet. Non igitur proprium eſt acutarum febrium omnium eſſe cum periculo, ſed earum quaſdam eſſe ſimpliciſsimas ac tutiſsimas ſatis admodum cum Hippocr. & Galen. probatum eſſe cenſeo, velut nec eas ægritudines penitus cum febre continua eſſe niſi acutiſsimæ, maximæ vehementiſsimæque ſint: nanque de his veritatem habent Hipp. Gal. vnà & Archigenis dicta, ſi apud eos compertum ſit acutos morbos cum periculo cõiunctos eſſe, ac cum febre continua, non de his qui alterius naturæ ſunt, vt probauimus. Hac itaque ratione conciliari poſſunt quæcunque in eorum commentarijs ſcripta de acutis morbis comperta ſint: cùm non vno modo de eis vbique locorum ſentiant, ac pugnantia afferere videantur: nam interdum, de abſolutè acutis verba facientes, eos pericula & febres continuas habere aſſerunt: ſæpenumero citra periculum ac febrem continuã morbos quoſdam acutos eſſe affirmant: cùm videlicet non de abſolutè, ſeu exactè acutis loquuntur, quamuis ipſi decimumquartum diem non excedant. in quorum numero exquiſitam tertianam connumerari audacter affirmamus. Eſt nanque ipſa in numero acutorum morborum ſimpliciter dictorum, non tamen abſolutè & exactè talium, ſed eorum qui non abſolutè tales dicuntur: cùm non ſit febris continua. quapropter & periculo vacat, vti diximus, & ſeptem circuitibus, quod tempus longiſsimum eſt, terminatur. quod etenim in continuis vna dies poteſt, hoc in intermittentibus acceſsio
com. 7 Gal. auctore 3. Progn. & commento Apho. 59. 4. lib. illud nanque, quod omnium acutorum morborum naturam complectitur, eſt motus celer & magnitudo: cuncti etenim & magni ſunt & celeriter iudicantur, velut ſuperius ex Galen. ſententia commen. Aphoriſ. 19. & 23. 2. libri probatum eſt. quòd nanque cum febre continua ſint, vel non, cum periculo, vel abſque eo, magis, vel minus acutum morbum denuntiant, ſeu abſolutè, vel non abſolutè talem, vt patet apud Galc. 2.
cap. 12 de Diebus decret. cùm ex propria, tum ex Archigenis opinione. Quibus igitur rationibus tertianam non eſſe morbum acutũ quidam probare nixi ſunt, tot & tales exiſtunt. quæ quantùm valeant, quidue momenti obtineant, ex prænarratis liquet: per quæ non modò facilè rationes hæ delentur: ſed, ſi reliquas innumeras præ manibus habuerint, ex his, quæ conſcripſimus, promptè reſponſio patebit.

FINIS.

DONATVS ANTONIVS ALTIMARVS, ANELLO TVRBOLO ET PADVANO GVLIELMINO

S. P. D.

PEtiiſtu quamſæpiſſimè ſumma, qua fieri potuit, diligentia, iuuenes periciſſimi, vt ſcriberem, quid ſentiam de ſanitatu latitudine, quam Galenus breuiſſimè ac abſolutiſſimè tradidit: ex quo factum eſt, vt tot, variæ, minimèque ſibi conſtantes exſtarent ſententiæ, quæ veſtros animos Euripi more paulo momento huc, vel illuc impulerũt. Quamobrem, ne meo ab officio diſcedere viderer, huic iuſtæ petitioni veſtræ, amicisque aliis ad hoc ipſum nos hortantibus, ſatiſfacere conſtitui: & Galeno addictus ſuccisiuis (vt aiunt) operis hæc ſcripſi: non enim intermittere ſtudia ſeria poſſum, ſed ne remittere quidem, aut relaxare ingenium: tantum abeſt, vt otiari valeam: & ſi quid otij ſupereſt, id in ægrotis curandis (vt noſtis) conſumere oportet. nec propterea meum inſtitutum non tenui. Verùm quò vobis ſatiſfaciam, ea ſcripta ſunt via & ratione, vt facilè quæcunq; Gale. olfecerit, percipere poteritis. Sed, ſi qui ſint, qui barbarorum, aut etiã recentiorum opiniones imitati, ab eorum ſententia diſcedere nequeãt, & noſtræ huic opinioni, nulli poſt Gal. memoriã ſcriptæ, repugnauerint: Gal. ſe repugnare ſciant: vóſque ex illius ſententia omnia poteritis aſſerere. Valete.

ANELLVS TVRBOLVS LECTORI S.

SOlent, Lector, quæ ab alto mari aduehuntur, noua eſſe, hominúmque curioſitatem, quæ noua ſemper exoptat, allicere. Ecce ſanitatis, quam vocant, latitudo ab Altimaro ad nos transfretata, te nunc ad legendum inuitat atque allectat. ea certè ſi Galenum ſpectes, vetus eſt: ſin poſt Galenum ſcribẽtes, noua. Ne mirere, nec temerè deſpicias, priuſquàm rem aſſequaris: ſcio enim te nec montes parere mures, nec Aegyptiorum templa viſurũ. Interim admirabile de febribus opus propediem in apertum proferendum expecta. Vale.

DONATI ANTONII ALTIMARI, MEDICI AC PHILOSOPHI NEAPOLITANI, DE SANITATIS LATITVDINE.

SI QVIS exactè velit iuxta Galeni ſententiam
numerum ac ordinem ſalubrium corporum, neu-
trorum, ac inſalubrium dignoſcere, quæ ſanitate
participant, hoc eſt, vt aiunt, ſanitatis latitudinem
intelligere, opus eſt nonnulla pro hypotheſi prius
aſſumere: quorum primum eſt, quid per ſanitatem
1. de Sanit. tuen. cap. 5 intelligendum ſit. & cum eodem Galeno dicimus,
quòd nil aliud, quàm eam corporis cõſtitutionem
intelligere volumus, in qua nec doloribus crucia-
mur, nec in vitæ actionibus impedimur. quam ſi
De different. morb. cap. 2 quis velit alio nomine appellare quàm ὑγίειαν, vt ipſe inquit, non reclamamus.
Satis ſit omnium conſenſu comprobatum eſſe, quòd homines tunc ſe ſanos exi-
ſtiment, quum partium corporis miniſterio, ad eas, quæ in vita neceſſariæ ſunt,
actiones, ſine aliquo vitio, perfungi poſſunt. At cùm corporis partes quædam
ex ipſis elementis primò fiant, quæ ſimilares dicuntur; quædam verò ex com-
poſitione dictarum ſimilarium partium, quæ inſtrumentales appellantur, ſintque
actiones quædam primæ & ſimilarium partium: quædam ſecundæ & inſtrumen-
1. de Sanit. tuen. cap. 4 tariarum: animaduertas oportet ſecundò, ſanitatem non ſolùm nec abſolutè con-
ſiſtere in medio temperamento, ſeu debita conuenientia, quam εὐκρασίαν &
συμμετρίαν appellant, elementorum, ex quibus conſtamus: ſed eam duntaxat, quæ
eſt ſimilarium partium, in ipſis conſiſtere: nam neque minùs ſanitas conſiſtit in
inſtrumentalibus partibus. conſtat autem ea ex numero, figura, magnitudine, ac
compoſitione dictarum partium. Tertiò ſcire licebit ſanitatem, quemadmodum
etiam & morbum, in corporum affectione, ſeu conſtitutione conſiſtere, non in a-
cap. 5 ctione, ſiue actionis læſione, vt liquet primo de Sanit. tuen. Et propterea dicebat
cap. 2 Galen. lib. de Differ. morb. Hinc perſpicuum exiſtit, quòd ſanitas non in ope-
ratione, ſed facultate & potentia potius eſt deffinienda. vt autem operari poſſi-
mus, ſtructura efficit naturalis. in hac ergo conſiſtit ſanitas. vnde & hæc ipſa ad o-
perationem vim obtinet cauſæ. Siue igitur naturalem omnium partium cor-
poris conſtitutionem ſanitatem appellare libuerit, ſiue operationum cauſam,
in idem vterque incidit ſermo, vt ipſe Galenus fatetur. Erit itaque ſanitas affe-
ctio, ſeu conſtitutio naturalis, ſeu ſecundum naturam, actionem perficiens. Ne-
que enim, ſi affectus ſecundum naturam ſe habeat, omnino etiam ſanitas exi-
ſtit, vt Aegyptiorum nigritia, Gallorum candor, Scytharúmque rufus color,
Loco citato. quorum nullum ſanitas eſt: quoniam ad aliquod opus edendum nullus talis color
cauſæ rationem obtinet, vt eodem primo de Sanitate tuenda patet. Quartum
pro hypotheſi præſumptum eſto, quòd cùm ſanitas, vt dictũ eſt, ſymmetria quæ-
dam ſit, & omnis ſymmetria duplici ratione non ſolùm perficiatur, ſed etiam di-
catur, vt Galen. inquit eodem loco: nam aliàs quæ ad ſummum peruenit & verè
prorſusque ſymmetria eſt, aliàs quæ ab huius abſolutione perfectioneque paulu-
lum defi

tum deficit: ita & ſanitatis ſymmetria duplex vtique fuerit, hæc quidem exacta, optima, abſoluta, & ſumma: illa verò paulùm ab hac deficiens, non tamē eatenus vt animali ſit grauis, ſed vſibus noſtris adhuc nō ſit inepta. Prima ſanitas, quæ inſectilis ſimul eſt, & dicitur, cogitatione potius in animātium corpore vſurpatur, quàm ſolidè ſubſiſtat. & eſto quòd reperiri poſsit. de hac haudquaquā noſter erit ſermo, ſed ſilentio prætereunda: nam ſi hos duntaxat ſanos eſſe diximus, quorum ſingula membra ſuas abſolutiſsimè obeunt functiones, fruſtra tentaremus ſanitatis latitudinē condere, quum ea vna ſola ſit, & inſectilis, vt prius diximus: de qua aſſerebat Gal. eodem primo de ſanitate tuen. quòd ſi ea ſola, ſanitas diceretur, & eos duntaxat ſanos eſſe diceremus, quorum ſingula membra functiones ſuas obeunt abſolutiſsimè, cæteros, qui minùs probè ſunt affecti, nō eſſe ſanos, inutilis, irritaque eſſet ars de Sanit. tuenda. nam tali ratione nemo noſtrum ſanus exiſtit. quare nec etiam nobis quærenda talis ſanitas eſt, ſed, vt diximus, ſilentio prætereunda. De hoc etiam corpore lib. de optima noſtri corporis conſtitutione, aſſerebat Galen. quòd quàm rariſsimum eſt, & tanquàm imago quædam normæ Polycleti, longiſsimoque temporis interuallo gigni ſolet. de ea itaque ſanitate verba faciemus, quæ nec planè abſoluta, optima, ſummaque eſt, ſed paulùm ab hac deficit. Et, quoniā ſanitas hæc neque anguſtum quippiam eſt, aut inſectile, aut omnino ſimplex, verùm extendi ad idoneam latitudinem poteſt, maioris, minoriſue ratione diuidua: propterea huius affectus, quem ſanitatem dicimus, notabilem quandam latitudinem eſſe, cum Galeno aſſerimus, eodem libro de Opt. corpor. conſtit. primo de Sanit. tuenda. lib. Artis medic. & lib. de Differentiis morborum. Verùm ſanitates hæ, licet multæ variæque ſint, vt dicemus, ratione, qua ſanitates ſunt, & communi omnium forma, vnde ſanitates dictæ ſunt, haudquaquam inter ſe diſsident, ſed maioris minoriſquè ratione: velut niuis candor ab eo qui in lacte viſitur, quatenus candor eſt, non diſsidet, ſed maioris, minoriſue ratione differt. ita quoque Platonis ſanitas ab ea, quæ in Socrate eſt, quatenus ſanitas, non differt: ſed eſt eadem cum ipſa. differunt autem altero quopiam, quod aliud planè non eſt, quàm maioris minoriſque ratio. quæ diſsimilitudo non ab alio naſcitur, quàm ab ipſa conſtitutione, vnde actio proficiſcitur: reſpondent etenim conſtitutionibus opera. qua de re quot ſunt functionum differentiæ, tot erunt cōſtitutionum diſcrimina: Sed illæ numeroſæ ſunt. erunt ergo & conſtitutiones æquè multæ. Nec incōuenit quòd omnium, qui ſani ſunt, membrorum conſtitutio in ſymmetria conſiſtat, & quòd propterea multæ variæque conſtitutionū ſymmetriæ ſint. Nam cuilibet ſectæ ſanitas ſymmetria quædā eſt: hæc autem ſymmetria, ſeu eucraſia, omnino inſectilis atque indiuiſibilis non exiſtit. Præterea neque cuiquā violentum apparere debet medium temperamentum, ſeu debitam conuenientiā, poſſe dici quod medio ad vnguem temperamēto non ſit. nam vt potionem & balneum εὔκρατον, hoc eſt, temperatum dicimus, non ſolùm cùm alterum huic, alterum illi tale eſt, ſed etiam quum ad eundem hominem in latitudine tale eſt, ſimiliter aërem nos ambientem temperatum dicimus, etiam ſi in alterutram partem paululum ſit propenſus: ita quoque de medio temperamento ſentiendum eſt. Inſuper eodem primo de Sanitate tuenda, exemplo lyræ illud idem comprobauit Gale. In lyris enim conſonantiam ipſam, quæ ſumma exactiſsimaque ſit, vnicam atque inſectilem eſſe probabile eſt: quæ verò in vſus hominum venit, certè latitudinem habet. Sæpe nanque quam percommodè temperaſſe videaris, alter ſuperueniens Muſicus exactius temperauit. Nil miri itaque ſi eucraſiam in ſatis amplam latitudinem extendunt omnes: ſiquidem nobis ad omnia vitæ munia ſenſus vbique iudex eſt, ipſoque etiam eucraſiam & diſcraſiam iudicabimus, eodem Galeno teſte. Quapropter non immeritò in naturali corporis noſtri conſtitutione illa maximè ſeruanda ſunt, quorum beneficio functiones obimus. Eſt nanque ſimilarium quidem partium eucraſia: inſtrumentariarum verò ipſarum conformatio, quæ conſtat ex earundem ſimilarium forma ſeu figura, poſitura, numero, & magnitudine, functionū cauſa.

cap. 5 *cap. 3* *cap. 3* *cap. 5* *cap. 8* *cap. 2* *Loco cit.*

Interim illud quoque haud ignorandum, quod cuncta hæc quoque in latitudine quadam ſpectanda ſunt; & quòd longè melius eſt,ſatis amplam latitudinem ſanitati tribuere,quàm omnes homines perpetuò vrgentibus morbis premi: neque enim functionum imbecillitas morbi ſtatim nota eſt,abſolutè ita, citraque exceptionem loquenti, niſi adiectum ſit, quæ præter naturam cuiuſque ſit: vt liquet
cap.5 eodem primo de Sanitate tuenda. Et ſecundo de Temperamentis idem confir-
cap.4 mauit Gale.de ſanitatis latitudine,aſſerens alteram eſſe ſanitatis & alterā morbi intemperiem: morbi quidem ea,quæ à media temperie longiſsimè abeſt: ſani-
cap.11 tatis,quæ paulùm. & ſeptimo Meth.med.ait, Imbecilla verò actio, prout magis, minúſue talis eſt,aut ad ſanitatis tuendæ,aut ad medendi tractationem pertinet: leuiter quidem impedita,ad priorem: grauiùs,ad poſteriorem. diſcernitur vtraque ex eo quod à cōſuetis actionibus obeundis,propter noxæ magnitudinē, vel deſiſtatur,vel non deſiſtatur. Quantum igitur interuallum eſt inter id, quod perfectiſsimè functionē obit,& id quod manifeſtè functionem aliquam habet oblæſam,tanta eſt profectò & ſanitatis & diſtemperantiæ, quæ intra ſanitatem conſi-
cap.4 ſtit,latitudo. Ab hac,proxima eſt intemperies morboſa, vt liquet eodem ſecundo de Temperamentis. Qua de re in eo ſtatu,ſiue conſtitutione, quæ ſanitas dicitur,non parua neceſſariò ſtatuenda eſt latitudo. & ob id idem Galen. ſecun. artis
cap.8 Medic.inquit: Quo fit vt tota ſanitatis latitudo in tres partes,quarum ſingulę latitudinem habent non paruam,diuidatur. Erit autem prima quidem ſalubrium corporum,Secunda neutrorum, Tertia inſalubrium. Nec minus ſcire opus eſt quòd habitus nihil aliud ſignificat,quàm ſtabilitatem,ſeu permanētam affectionis: nam cuiuſque rei,cùm affectio bene adhærēs,altiuſque defixa fuerit,habitus nominatur,vt patet lib.ad Thraſyb. quemadmodū,quòd bonus habitus nil aliud eſt,quàm benè ſe habens habitus: nam,cùm habitus ſtabilis quædam affectio ſit, bonus habitus nihil ei plus quàm bonitatem adijcit,vt idem Galenus inquit. Loquor autem de bono habitu, qui naturalis exiſtit. Contrario modo ſe habet habitudo: nam non ſtabilitatem ac firmitudinem, ſed lubricitatem & inſtabilitatē
cap.6 affectionis facilè ſolubilis & mutabilis ſignificat. Quapropter non ab re Galenus eodem lib.concludebat geminam eſſe ſanitatem: hanc videlicet,quam cum latitudine conſideramus,quarum altera ſecundū habitum,altera ſecundum affectionem appellatur. Et iterum quæ in habitu dicitur ſanitas, alia in habitu duntaxat eſt: alia ſecundum bonum habitum. atque hęc inſuper bifariam dici poteſt,vt li-
cap.2 bro de Differentijs morborum liquet: quoniam alia dicitur ſimpliciter boni ha-
cap.7 bitus,alia optimi habitus,quem ſummè bonum habitum appellabat idem Galenus lib.ad Thraſy. Hic etiam ſummè bonus habitus æquiuocè dictus ab Hippocrate ſcribitur aphoriſ.3.primi libri.ita,vt à Gale.habeamus ſanitatem in habitu, aut eſſe optimi,ſiue ſummè boni habitus, aut non, optimi, ſed ſimpliciter boni,
cap.6.& 7 aut in habitu duntaxat citra adiectionem optimi, ſiue boni. Reliqua verò relinquitur ſanitas,quæ ſecundum affectionem dicitur eodem lib.ad Thraſy. libro au-
cap.2 tem de Differen.morb.appellatur ſanitas minus valens: & 5.de Sanit.tuen. fallax
cap.4 & incerta κατὰ σχέσιν dicta, differens à firma & conſtante, quæ κατ' ἕξιν nomi-
cap.6.eod. natur. Has etiam ſanitates quandòque duas dicit eſſe eodem libro ad Thraſy.
lib.cap.7 vt diximus, quando videlicet ſuprema accipit earum genera: quandoque verò tres,quum ſanitatem ſecundum bonum habitum non ita exquiſitè conſiderat, diuidens optimum à ſimpliciter bono habitu: quarum vnam dicit eſſe propter imbecillitatem inutilem,& hanc appellat ſecundum affectionem: alteram ſanitatem in habitu,quæ non amplius imbecilla eſt, verùm adhuc non robuſta dicitur, ſed actionibus media eſt inter ſanitatem ſecundum affectionem,& ſecundū bonū habitum. tertiam appellat ſanitatē ſecundum bonum habitum, quæ quidē robuſta ſanitas appellatur. Quibus ita ſuppoſitis vnà cum Gale. bona fronte cōcludimus eum non de alijs corporibus ſanis, ſignis,& cauſis ſermonem habuiſſe in lib. Artis Medic.neque aliam,diuerſam ab his ſanitatem conſideraſſe, quàm conſiderauit in lib.ad Thraſy.aliàs aut hic ſuperfluus, aut ibi (hoc eſt libro ad Thraſy.) fuiſſet

fuiſſet diminutus:licet diuerſis vocibus vſus fuerit,vt qui artem ſub alio docendi
genere tractauerit lib.Artis medic. At, quomodo tales ſanitates diuerſæ, diuer-
ſaque corpora ſana ordine quodam collocari poſsint,ita vt Gale. verba vbique
locorum inter ſe conſentiant,non admodum facile mihi videtur,potiſsimũ cùm
quotquot ſunt auctores,qui de hac re ſcripſere (quos viderim) tot in eis di-
uerſas reperiam opiniones.Nos verò breuiter & facilè cuncta Gal.dicta concor-
dare conabimur:vt pauperculi artis medicæ tyrones, ſaltem Gale.opinionem ac
veritatem valeant intelligere:quam hucuſque eos non intellexiſſe puto. Sanitas
ergo quam in latitudine contemplamur,ea medij temperamenti exquiſitè dici-
tur,ſeu optima conſtitutio appellatur:quæ nec vlli vitio obnoxia eſt,quod ſaltem
ſenſu percipiatur:& qui talem habent ſanitatem,ex eo dignoſcuntur,quòd robu-
ſtas habent operationes,& cauſis,quæ ægritudinem pariunt, magis quàm cætera
corpora,reſiſtunt.hoc etenim eſt illud corpus , quod magis vicinum exiſtit cor-
pori abſolutiſsimè temperato ac optimè conſtituto:quod corpus diximus potiùs
cogitatione inueniri,& eſſe veluti exemplar quoddam. nuncupatur autem ſim-
pliciter ſalubre,& eſt illud quod ab ipſo naturæ ortu bonam habet temperatu-
ram in ſimplicibus & primis particulis,atque in iis,quæ ex illis componuntur,in-
ſtrumentis,eſt commenſuratum.eſt verò & ipſum in duplici differentia:nam vel
tale eſt ſemper,& ita ſimpliciter ſemper appellatur,quod quidem eſt optima tem
perantia præditum,ac maximè eſt commenſuratum:vel vt multùm, quod à con
ſtitutione optima non valde admodum deficit,ſed exiguum & breue aliquid, &
propterea ſimpliciter vt multùm dicitur. Diſtinguitur autem ab eo quod ſemper
tale eſt,quoniam re vera hæc corpora ſalubria vt multùm,in aliquo ſunt offen-
ſa,non tamen id ſenſu comprehenditur,ſed ex eo quod magis , minúsve in ope-
rationibus exiſtit:ac quia cauſis,quæ ægritudinem pariunt,non æquè reſiſtunt, vt
illa ſemper talia.Hæc ſunt illa corpora, quæ Galenus dicebat lib. de Differentiis *cap. 2*
morb.eſſe optimè conſtituta.& optimi habitus,& lib. ad Thraſyb. ſummè boni *cap. 7*
habitus:neque mirum. nam,ſi in bono habitu non naturali,ſed apparenti,vt qui
Athletarum exiſtit, Hippocr. conſiderauit ſummè bonum , vt patet Aphoriſ.3.
primi lib.eò magis in eo,qui verè & naturalis & bonus eſt,reperitur is qui opti-
mus,ſeu ſummè bonus exiſtit.Conueniunt itaque hæc duo corpora , ſemper &
vt multùm ſalubria,in optimo habitu:licet exquiſitior reperiatur in vno , quàm
in altero.omnia etenim hîc cum latitudine cõtemplamur. & propterea primum
corpus in latitudine ſanitatis erit ſimpliciter ſalubre ſemper:ſecundum verò ſalu-
bre ſimpliciter vt multùm,quod à cõſtitutione optima non valde admodum de-
ficit,vt inquit Galenus primo Artis medic.Succedunt tertio loco corpora, quæ à
Galeno ſalubria nunc appellantur:ſalubre nunc corpus eſt,vt ipſe refert, quod in
præſenti eſt ſanum. eſt verò & hoc eo tempore, quo ſanum exiſtit , bonam ha-
bens temperaturam, & commenſurationem, non tamen optimam , at ſibi pro-
priam. de iis nanque corporibus, vt mea fert ſententia, idem Galenus intellige- *cap. 8*
bat textu quarto ſecundi libri Artis medic.poſtquam optimæ cõſtitutionis ſigna
declarauerat, hoc eſt , corporis ſimpliciter ſemper ſalubris , cùm dicebat { Eo-
rum autem quæ ab ipſa deficiunt , & adhuc tamen ſalubria exiſtunt , nonnulla
quidem in conſimilium temperatura lapſum aliquem paruum habent:nonnulla
verò in inſtrumentariarum commenſuratione , & hunc quoque perexiguum.}
deinde ſubdebat { Accidit autem hoc vel in omnibus,vel in aliquibus , aut vtriſ-
que.} In cuius textus expoſitione cuncti,quos viderim,cæcutiunt,opinantes Ga-
len.per ea verba intelligere ſalubria vt multùm.quod quidem multis rationibus
falſum eſſe oſtendam:primò quoniam corpora ſalubria vt multùm,nec errorem,
neque lapſum aliquem habent in temperatura conſimilium,aut in inſtrumenta-
rum cõmenſuratione, licet re vera & ipſa quoque in aliquo ſint offenſa: verùm
nõ adeo vt error,ſeu lapſus,verè appellari poſsit. Rurſus,ſi de ſalubri vt multùm
intelligere voluiſſet, fruſtra addidiſſet illa verba { Et adhuc tamen ſalubria exi
ſtunt. } nam ſatis fuiſſet dixiſſe { Eorum autem,quæ ab ipſa deficiunt, } ſi voluiſſet

nobis oſtendere id breue,ſeu exiguum,quo deficiunt ſalubria,vt multùm à ſalu-
bribus ſemper,& non etiam addidiſſet illa verba {Et adhuc tamen ſalubria exi-
ſtunt.} Per quæ verba voluit potius vltimũ gradum ſalubritatis nobis propalare,
Loco cit. qui eſt corporis ſalubris vt nunc.Ad hæc textu 6.reddi cauſa non poterit,cur ite-
rum de eodem corpore vt multùm ſalubri verba fecerit,ſi in 4.de eodem loqu-
tus eſſet:nec non in paucis quibuſdam verba diuerſa de eodem corpore protuliſ-
ſet.nam eodem textu 6.volens nobis oſtendere corpora ſalubria vt multùm,aſſe
rebat {Quæ verò ab optima corporum conſtitutione breue aliquid deficiũt.} id
quod non dixit in textu 4.Per hæc verba {Breue aliquid deficiunt} manifeſtauit
ſalubre vt multum:ipſum nãque breue aliquid deficit à ſalubri ſemper.Deinceps
dicebat {Re vera quidem & ipſa in aliquo ſunt offenſa,non tamen id ſenſu com-
prehenditur} Per quę verba luce clariùs demonſtrauit hanc offenſionem mino-
rem eſſe ea,de qua loquutus erat textu 4.nam ibi dicebat lapſum, ſeu errorē ali-
quem habere,licet paruum:modò in plus ſe habet lapſum aliquem habere,quàm
breue aliquid deficere,licet ille quoque paruus ſit. Vlteriùs in hoc textu 6. diffe-
rentiam tradit inter hæc corpora ſalubria vt multùm,& ſemper,docetque modũ
diſtinguendi,oſtendens nobis quàm difficile ſit ea dignoſcere:quoniã,licet re ve-
ra quidem in aliquo ſint offenſa,ſeu oblæſa ſalubria vt multùm,non tamen id po-
teſt ſenſu cõprehendi,id quod haudquaquam eſt neceſſarium in corporibus ſalu
bribus vt nunc,quia eorum lapſus non eſt ita exiguus.& propterea per alia verba
ipſum figurauit,dum dixit ea lapſum aliquem paruum habere, & nõ dixit breue
aliquid deficere:neque addidit hæc verba {Re vera quidē & ipſa in aliquo ſunt
offenſa,non tamen id ſenſu cõprehenditur.} Docuit inſuper modum diſtinguen
di hæc corpora ſalubria vt multùm à ſemper talibus,aſſerens {Diſtinguuntur ve-
rò ex eo quod magis minúſve in operationibus exiſtit:ac quia cauſis,quæ ægritu
dinem pariunt,non æquè reſiſtunt} Minus itaque deficiunt ſalubria vt multùm à
ſalubribus ſemper,quàm ſalubria nũc.& propterea illorum offenſa,ſeu defectus,
licet re vera ſit,non tamen ſenſu comprehendi poteſt:lapſus verò,ſeu error corpo
rum ſalubrium vt nũc,non adeo exiguus eſt,nec adeo inſenſibilis,cùm magis re-
cedant à ſalubribus ſemper. Vlterius,ſi de ſalubribus vt nunc non tractaſſet Gal.
cap. 7 eodem textu quarto,vtique eſſet diminutus,cùm hæc corpora definiſſet in pri-
mo libro,diuiſiſque ſignis in principio ſecundi adhuc illorum meminiſſet , ſicut
cæterorum ſalubrium,cùm dicebat {Cùm verò ſint ſalubria corpora, hæc qui-
dem ſimpliciter,hæc verò vt nunc,quæ & bene valentia dicuntur &c.} cur de-
mum ea ſilentio præteriſſet,ratio nulla aſsignari poſſet,poſtquã de cæteris om-
nibus verba fecit,ſalubribus,neutris, & inſalubribus vſque ad textum 10. potiſsi-
mum cum textu nono epilogando dixerit {Hæc quidem ſigna ſanorum corpo-
rum.ſed,ſiue ſalubria,ſiue inſalubria,ſiue neutra exiſtant,quantitate diſtãtiæ dif-
ferunt:} & deinceps textu 10. {Optimæ igitur cõſtitutionis corporis,inquit, indi
cia explicauimus:eorum verò,quæ ab ipſa deficiunt,totidem ſunt numero gene-
ra,quæ in mágis & minus ſecari poſſunt.} Vbi itaque eſſet enarratum hoc genus
corporum ſalubrium vt nunc,quomodo eius ſigna duobus inuicem cõtrariis ter-
minis ſtatutis poſſent per quantitatem diſtantiæ diſcerni? cùm potiſsimum dicen
dum non ſit ea extra cœtum corporũ in latitudine ſanitatis poſitorũ reperiri , &
ſic eſſe extra eiuſdem ſanitatis latitudinem,neque confundi poſſunt , vt quidam
falsò imaginantur,cum neutris ſimpliciter,aut inſalubribus ſimpliciter : nam pri-
ma corpora ſunt exquiſite media,atque æqualiter diſtantia,vt diceмus, ab vtriſ-
que extremis:in medio autem amborum,inquit Gale.hoc eſt, ſalubrium,& inſa-
lubrium corporum collocantur ea,quę neutra ſimpliciter appellantur,& quę cum
latitudine quadam.Cùm ergo ſalubria vt nunc in numero ſalubrium continean-
tur, non poſſunt ſub neutris contineri , neque neutra appellari ſub vllo neutro-
rum ſignificato , neque eorum conſtitutio ſimilis eſt alicui neutrorum conſtitu-
tioni,vt liquet diſcurrendo per omnia neutra:nam neque corpora ſunt,quæ neu-
trius diſpoſitionis participent,neque ſimul contrariarum, neque aliquãdo vnius,
aliquando

aliquando alterius viciſsim. Hæc etiam & fortiori ratione longè diſtabunt ab inſalubribus ſimpliciter: nam corpus ſalubre nũc, vt dictum eſt, bonam habet temperaturam, & commenſurationem, non tamen optimam, at ſibi propriã, vt Gale. ait. ſed inſalubria ſimpliciter ab ipſo ortu naturæ vel in conſimilibus habent malam temperaturam, vel in inſtrumentariis incommenſurationem, vel vtrunque vitium. & ſemper tale corpus eſt, quod ab ipſo naturæ ortu, vel peſsimam in ſimplicibus habet temperaturam, & primis particulis omnibus, vel aliquibus, vel principalibus, aut in inſtrumentariis incommenſuratum exiſtit, ſimiliter vel omnibus, vel quibuſdam, vel illis quæ obtinent principatum: vt multùm verò tale eſt, quod ab huius quidem vitio recedit, nondum tamen mediocritatem attingit, vt Gal. refert. Quare, cùm corpora ſalubria nunc, bonam habeant temperaturam & commenſurationem: inſalubria verò ſimpliciter, peſsimam, nullo modo coincidere inter ſeſe poſſunt: nam & ipſa inſalubria vt multùm, etſi non ita habeant peſsimam, habent tamẽ ſaltem malam, cùm parum à ſemper talibus recedant. Non itaque bonam habebunt, quemadmodum ſalubria nunc. & propterea coincidere non poſſunt. quòd ſi coincidere valerent ac ſimul confunderentur, cur eſt quòd Gale. illud ſubticuerit, nec vllibi illud ſcriptum reliquerit? Illud quoque vitari non poſſet, ſi confunderentur, quòd neutra ſimpliciter primi ſignificatu eſſe nõ poſſent exquiſitè media ſaluberrimi & inſaluberrimi, neque æqualiter diſtare ab vtriſque inuicem contrariis terminis, optima ſcilicet corporis conſtitutione, ſuperque facta ægritudine, ſi ſalubria nunc corpora, ſeparatim à neutris & inſalubribus in ſanitatis latitudine non ſtatuerentur. ſed quiſpiam diceret propterea ſalubria nunc, confundi debere cum neutris ac inſalubribus ſimpliciter: nam, cùm ſint nunc, talia ab ortu eſſe non poſſunt. quare cogêris, velis, nolis, aſſerere quòd hæc corpora ab ortu erunt aut neutra, aut inſalubria ſimpliciter, hoc eſt, talem habebunt conſtitutionem, quam habent vel neutra, vel inſalubria ſimpliciter, vt pote quæ ab ortu ſunt talia. Nos verò dicimus, non propterea corpora ſalubria vt nunc, appellari, quia in præſenti ſolùm tempore ſunt ſana, neque pugnare vt nunc ſalubri, quòd à generatione tale ſit: quemadmodum neque etiam vt multùm talia dicuntur, quia multo tempore ſana ſunt, ſed potius quia talem habent ab ortu conſtitutionem, ita quoque vt nunc talia dicuntur, quod in quodam tempore, ſeu aliqua ætate, & non ſemper nec vt multùm, ſana exiſtũt: quoniam talis eſt eorum temperatura, & commenſuratio bona, talem habent potentiam, in qua ſuppoſuimus ſanitatem conſiſtere à naturæ ortu, & non in tempore acquiſitam: quæ quidem licet ipſis propria ſit, non tamen optima eſt, vt ipſe Gal. inquit. quam bonam temperaturam, ac commenſurationem à naturæ ortu habent. verùm hæc cõſtitutio dicitur ſalubritas vt nunc, quia nõ eſt ſicut ea quæ ſimpliciter ſemper: neque ſicut ea quæ ſimpliciter vt multùm: ſed ab vtraque deficit, licet exiguum quoddam. Erat ergo ſalubre nunc corpus id, quod in præſentia bene valet. eſt autem ſanè & hoc, in eo quo bene valet tempore, bonam habens temperaturam & commenſurationem, non tamen optimam, ſed ſibi propriam, ex Gal. ſententia, non à tempore acquiſitam ſed ab ortu talem: nam neque in præſenti ſanum exiſteret, niſi talem hoc tempore temperaturam, & cõmenſurationem bonam ab ortu naturæ ſibi propriam haberet: qua ratione ſalubre nunc, appellatur. Id quod probatur eiuſdem Gal. auctoritate. 5. de Sanit. tuen. cap. 3 quo loco aſſerebat quòd corpora, quæ ab optima ſanitate deficiunt, tribus de cauſis proueniunt: aut quòd ſtatim in vtero, vitioſo ſtatu fuerint: aut quòd qualibet de cauſa in non naturalem affectum pòſt conceſſerint: aut ætatis ratione. ſed hęc corpora ſalubria vt nunc, nõ dicuntur ab optima ſanitate deficere ætatis ratione, vt cuilibet in confeſſo eſt, neque etiam poſt ortum ab aliqua cauſa talia reddita ſunt. (nam ſi hoc eſſet, à neutris, & ægris vt nunc, non diſcreparent: hæc nanque ſunt illa corpora quæ ab optima ſanitate deficiũt, à qualibet cauſa in tempore cõtingente: illud quidẽ quàm alienum eſſet aſſerere, nedum in Galen. ſed omnium Medicorum doctrina, cuilibet planum eſſe poteſt.) Relinquitur ergo, quòd talem

lapſum ſeu errorem, per quem à perfectione, ſeu optima ſanitate deficiunt, ſtatim in vtero & ab ipſo ortu naturæ habuerint. Quapropter non repugnat corpori ſalubri vt nunc, eſſe à natura tale. quinimmo magis repugnat ipſum aſſerere nõ eſſe ab ortu naturæ tale, tam Galeni doctrinæ, quàm veritati. id quod nonnulli haudquaquam intelligere potuerunt. ob id dicimus nos ſalubria nunc corpora diuerſam habere conſtitutionẽ à neutris, & inſalubribus ſimpliciter, eaq; à naturæ ortu: licet in eorum definitione illud Galenus nõ appoſuerit. nam ſatis ſibi erat appoſuiſſe in ſimpliciter ſalubri: quoniã neq; in definitione vt multũ ſalubris, neq; vt multũ inſalubris addidit illa verba (ab hortu naturę,) nec etiã illa verba conſcripſit in definitione neutri ſimpliciter tertij ſignificati. & tamen ſubintelligenda ſunt, præter id, quòd clarius intelligitur etiã natura ſalubris vt nunc, ſi illa verba non apponantur: nanq; eius naturam ac conſtitutionem longè melius intelligemus, quando in præſentia bene valet, & cum hoc etiã eodẽ tempore bonã habet (vt inquit Gale.) temperaturam & cõmenſurationem, quàm ſi dixiſſet tale corpus bonam duntaxat habere temperaturam & commenſurationem à naturæ ortu. neque etiam illud ſatis fuiſſet pro eius natura manifeſtanda: nam opus eſt & quòd in præſenti ſanum ſit, & quòd talem habeat temperaturam, & commenſurationem bonam, vt ſalubre nunc ſit corpus. hoc etenim, quòd in præſenti benè valeat & ſanum ſit, præſupponit illud, quòd bonam habeat & ſibi propriam temperaturam, & commenſurationem ab ipſo naturæ ortu: aliàs neque bonam, neque ſibi propriam diceretur habere eo tempore, quo ſanum exiſtit, quemadmodum ſunt neutra, & inſalubria nunc, quæ ab optima ſanitate deficiunt à cauſis in tempore contingentibus. talem itaquè à naturæ ortu corpora hæc ſortita ſunt conſtitutionem, vt quo tempore bene valent, & ſalubria nunc appellantur, non modò ſana ſint, ſed bonam etiam, vt ſæpius diximus, & ſibi ipſis propriam temperaturam, ac conſtitutionem habeant, quæ nulli ex alijs corporibus propria ſit. & propterea à neutris & inſalubribus ſimpliciter corporibus differunt. differunt etiam, quoniam hæc corpora ſalubria nunc; quòd bonam habeant temperaturam & conſtitutionem, iure dicentur habere ſanitatem in bono habitu: reliqua verò, neutra & inſalubria ſimpliciter, licet ſanitatem habeant in habitu, vt liquet ex Galeno in eorum definitionibus, non tamen quiſpiam dixerit ea ſanitatem habere in bono habitu, veluti ſalubria nunc. Hæc inſuper corpora ſalubria

cap. 2 nunc, appellata ſunt illa, de quibus dicebat Galenus lib. de Different. morb. quòd alia ſunt corpora ſimpliciter boni, non tamen optimi habitus: quæ etſi ab ipſa optima conſtitutione deficiant, adhuc tamen ſalubria exiſtunt, & bene valentia dicuntur, vt idem ſecundo artis medic. aſſerebat. Collocantur etiã tertio loco in

cap. 8 ſanitatis latitudine propter eas, quas diximus cauſas, quibus ſimul cum corporibus ſimpliciter ſalubribus ſemper, & vt multùm, præeſt ea pars conſeruatiuæ artis, quæ ἐυεκτικὴ à Græcis nuncupatur, hoc eſt, boni habitus ſeruatrix: nam prętер iam dicta tria genera ſalubrium corporum nullum aliud reperitur, quod in bono habitu ſanitatem habeat. qua ratione & ſalubria corpora appellantur non modò quæ optimam corporis conſtitutionem habent, ſed quæ eidem proximiora ſunt: hæc etenim ſalubria corpora appellari præcepit Galenus textu nono ſecun. artis medic. quemadmodum ea, quæ magis accedunt ad ea quæ ægrotant, inſalubria: intermedia verò neutra. qua etiam ratione & ſalubria nunc in ſanitatis latitudine conſtitui conſentaneum eſt. neque enim dixiſſet Galenus quòd quæ corpora proximiora ſunt optimæ conſtitutioni, ſalubria ſunt & appellantur, ni per ſalubria ſubintellexiſſet vt multùm, & vt nunc ſalubria: ſed dixiſſet ſalubre, ſi vt multùm ſalubre duntaxat intelligere voluiſſet. alienum ſiquidem à ratione eſſet, ſi cuiuſque hominis priuatim ſanitatem vt multùm eſſe intelligere voluiſſet, hoc eſt, ſingula corpora ſalubria vt multùm.

Cum verò, vt prius dictum eſt, vniuerſa ſanitatis latitudo in tres partes diuidatur: quarũ prima erat ſalubrium corporum, & ſecunda neutrorum: declarata prima decenter eſt, ad ſecundam accedamus & deinceps ad tertiam, quæ eſt inſa-

lubrium:

lubrium : nam hæc quoque ſanitatis pars, vt inquit Galenus, latitudinem habet non paruam. In medio verò ſalubrium & inſalubrium collocantur (ait Gale.) ea corpora, quæ neutra exquiſitè, ſeu ſimpliciter appellantur, & quæ cum latitudine quadam : habent etenim & hæc corpora talem cõſtitutionem, vt imbecilles edãt actiones. Sed, quoniam neutra tripliciter dicuntur : quædam videlicet, quæ neutrius diſpoſitionis participant : quædam, quæ vtriuſque : & quædam, quæ aliquando quidem huius, aliquando illius, & vnumquodque horum poteſt eſſe ſemper, & vt multùm, & vt nunc tale : de his quæ ſemper, & vt multùm talia exiſtunt, primò verba faciemus. nam hæc ſunt, vt demonſtrabimus, quæ ſalubria corpora in ſanitatis latitudine immediatè conſequuntur : reliqua verò, vt nunc talia, poſtponemus : cùm alter ſermo de iis habendus ſit. Aſſerimus itaque, quòd, licet ſecundũ diuerſam neutri conſiderationem trifariam neutrum dici poſsit : quodlibet tamẽ eorum ad aliud comparatum ſecundum eandem rationem in eodem gradu dicetur ſanum, nec vnum magis altero. Exempli gratia, neutrũ ſimpliciter primi ſignificati comparatum ad ſimpliciter ſecundi & tertij, ſub eadem ratione, hoc eſt, ſemper ad ſemper, & vt multùm ad vt multùm, eiuſdem ſanitatis participabunt, adeo quòd vnum non dicetur eſſe altero ſalubrius. ſunt etenim omnia talia neutra in medio ſalubrium & inſalubriũ collocata, & imbecillas edunt operationes, magis quàm ſalubria, minùs autem quàm inſalubria, æqualiter ab vtriſque extremis diſtantia, modò ſimpliciter ſeu exquiſitè neutra ſint. id verò dicimus propterea, quia, licet neutra primi ſignificati ſemper ſint exquiſitè talia : reliqua tamẽ duo genera poſſunt & exquiſite eſſe, & nõ exquiſitè, cùm ſint cum quadam latitudine. nanq; poſſunt neutra ſecundi ſignificati plus de vno extremo, quàm de altero participare, & tertij ſignificati cõſtitutionẽ habere, quòd maiori tempore & longiori, ſeu pluribus ætatibus, participent vno, quàm altero extremo, hoc eſt, talẽ habere à natura potentiã. & propterea non amplius erunt ſimpliciter & exquiſitè neutra, ſed cum latitudine quadam. id quod voluit intelligere Galenus citato textu 6. ſecun. artis medic. cùm dixit { In medio autem ambo- *cap. 8* rum collocãtur ea, quæ neutra exquiſitè, ſeu ſimpliciter appellantur, & quæ cum latitudine quadam. } Nam ſiue ἀκριβῶς, ſeu ἁπλῶς textus habeat, nõ ſolùm neutra primi ſignificati, ſed ſecũdi & tertij, quæ ſimpliciter & exquiſitè talia exiſtunt, intelligi debent per neutra quæ ſimpliciter, ſeu exquiſitè appellantur. Quòd verò neutra ſecundi ſignificati, duobus dicantur modis, patet primo artis medic. *cap. 3* tex. 12. quum inquit { Horum autem ipſorum ſecundum duobus dicitur modis, aut quia vtrunque contrariorum ex æquo participat, aut quia aliquando plus alterum. } Id quod ſimili ratione contingere neutro tertij ſignificati decens eſt, poſtquam aliquando quidem ſalubre, vt in vna ætate, aliquando verò inſalubre, vt in altera ætate, viciſsim eſt, vt Galenus inquit : & propterea non refert, ſi illud particulatim non explicauerit, breuitati indulgens. Attamen diſsident in ſanitate, neutra ſecundi & tertij ſignificati ſemper & vt multum dicta, à neutris primi ſignificati, quando eadem non fuerint exquiſitè talia, ſed cum quadam latitudine, ita vt vno magis, vel minus participent, ſi fuerint ſecundi ſignificati : vel, ſi fuerint tertij, vno, vel altero extremorum maioris, vel minoris temporis ſpatio viciſsim, ſeu in pluribus ætatibus, participent. qua ratione dicuntur neutra cum latitudine : nam ea, quæ ſunt primi ſignificati, ſemper ſunt exquiſitè talia, ac neutra ſemper diſpoſitione participant, ſiue ſimpliciter, ſiue vt nunc talia dicantur. vnde dicebat Galenus primo artis medic. { Neutrum iuxta primum ſignificatũ eſſe cor- *cap. 6* pus, quod exquiſitè mediũ eſt & ſaluberrimi & inſaluberrimi corporis, & huius ſignificati hoc quidẽ ſimpliciter tale, quod ab ipſo ortu naturæ ita eſt conſtitutũ : hoc verò vt nunc, quod in præſenti tempore medium exquiſitè exiſtit ſaluberrimi atque inſaluberrimi corporis. ipſum autem ſimpliciter ſemper quidẽ tale eſt id, quod in omnibus ætatibus tale perdurat : vt multùm autem, quod nonnullas recipit mutationes. } Patet itaque neutra ſimpliciter exquiſitè media ſecundum quemlibet trium modorum eadem participare ſanitate, ac inſequi in ſanitatis

latitudine ſalubria nunc,tam ſi fuerint ſemper, quàm ſi vt multum, verùm quæ vt multùm ſunt talia,cum nō adeo exactè ſint media,quemadmodum quæ ſemper neutra ſunt,ſed parum quodammodo ab eis recedant, ambigua fortè quiſpiam fateri poterit, & interim ad vnum, quandoque ad alterum extremū accedere,vel recedere magis.Nos verò,quò facilius Tyrones intelligant, in latitudine ſimul repoſuimus,præſertim cùm exiguus valde ſit hic receſſus. At, vbi ſimpliciter ſeu exquiſitè non ſint neutra ſecundi & tertij ſignificati, verùm magis, vel maiori tempore ſalubritate participabunt, quoniam talem habent à natura potentiam: ad ſalubria nunc, magis accedunt, vbi talia ſemper fuerint, quàm ſi vt multum.Inſuper præcedent etiam in latitudine non ſolum neutra vt multùm, ſed etiam ſemper,primi ſignificati. & quæ multùm ſunt talia, præcedent etiam alia multùm & ſemper talia exquiſitè dicta, ſed inſequuntur eorum ſemper talia.Vbi verò æqualiter vtriuſque extremi participantia fuerint, aut magis inſalubritatis,quàm ſalubritatis,ſeu maiori tempore: eo modo ſe habebunt, vt diximus. nam,ſi exquiſitè talia fuerint,ſiue vt multùm,ſiue ſemper, æqualiter vtique recedunt,vt neutra primi ſignificati. ſi verò magis,vel maiori tempore inſalubritate participabunt,præferuntur in latitudine ſanitatis neutra primi ipſis neutris ſecundi,& tertij ſignificati, tam ſi multum,quàm ſi ſemper ſint talia, ſed vt multum præcedunt eorum ſemper talia: ſemper tamen facta relatione ad duo extrema,neutra omnia mediocriter dicentur ædere imbecillas actiones cum latitudine quadam. & in hoc genere noxæ continentur etiam neutra primi ſignificati, quamuis neutris contrariarum actionum participent, ſcilicet neque eis, quæ in magnis diſtantiis, neque eis, quæ in paruis exiſtunt imbecillæ: habebunt tamen imbecillas actiones, quæ etiam neutrius contrariarum actionum participes exeunt. & hoc voluit dicere Galenus 2. artis medic.tex. 8. hæc quoad ſecundam partem latitudinis ſanitatis,quæ neutrorum eſt.

cap. 8

Sequitur tertia,quæ eſt corporum inſalubrium. quæ iterum primo ſunt in duplici differentia: ſimpliciter videlicet,& vt nunc. de corporibus vt nunc inſalubribus,quæ quidē actu ægrotant, non loquemur niſi quatenus ad ſanorū corporum dignotionem conducunt: cum ſint extra ſanitatis latitudinem, vt liquet ſecundo artis medic.quāquàm vitia omnium inſalubrium corporum iuxta quodlibet ſignificatum,vt ipſe Galenus refert eodem loco,conſiſtunt aut in intemperatura conſimilium partium, aut ſtructura ſeu commenſuratione inſtrumentalium vitiata,formatione videlicet,numero, magnitudine, ſeu ſitu: aut in continuitate ipſarum,quæ communis vnitas appellatur. Diſtinguuntur autem hæc vitia,ſeu hæc corpora,inter ſe ex ſenſibili operationum læſione. quare, vbi fuerint ſenſibiliter operationes oblæſæ, tunc inſalubre nunc dicitur, & hoc corpus actu ægrotare fatemur, extraque latitudinem ſanitatis contineri, neque aliud reperiri corpus,præter hæc inſalubria nunc, quod non ſit intra ſanitatis latitudinem,vt dicemus.At inſalubria ſimpliciter,de quibus loquemur, à reliquis intra ſanitatem collocatis diſtinguuntur:quòd facilè à cauſis,quæ morbos committendi vim habent,ſuperantur,& quoniam in vigore operationum plurimùm deficiunt. Et propterea nemo mentis compos dicet hæc corpora coincidere cum ſalubribus nunc: cùm hæc,licet ab optima ſanitate deficiant, adhuc tamē ſalubria exiſtant,& paruum aliquem habeant lapſum, ſeu errorem, aut in temperatura conſimilium aut inſtrumentariarum commenſuratione, & hunc etiam perexiguum in omnibus,vel quibuſdam,aut in vtriſque, vt patet citato textu quarto ſecun.artis medic. habent etiam bonam temperaturam & commenſurationem: inſalubria verò ſimpliciter,malam. nam inſalubre ſimpliciter corpus, inquit Galenus,eſt quod, ab ipſo ortu naturæ, vel in conſimilibus partibus malam habet temperaturam,vel in inſtrumentariis commenſurationem,vel vtrunque vitium. Cùm verò hoc etiam corpus inſalubre ſimpliciter bifariam dicatur, aliàs ſemper,aliàs vt multùm,vt cætera iam dicta corpora ſalubria & neutra, propterea ſemper tale eſt, quod ab ipſo naturæ ortu, vel peſſimam habet temperaturam

Loco cit.

in ſimplicibus & primis particulis omnibus, vel aliquibus, vel iis quæ obtinent
principatum, vel in inſtrumentariis incommenſuratum eſt: ſimiliter autem in
his vel omnibus, vel aliquibus, vel illis quæ obtinent principatum. Vt multùm
verò inſalubre eſt, quod ab huius quidem vitio recedit, nondum tamen medio-
critatem attingit. quo fit vt, abſque controuerſia, quæ multùm inſalubria exi-
ſtunt, immediatè neutra corpora conſequantur in ſanitatis latitudine: deinceps
quæ ſimpliciter ſemper talia dicuntur, quæ ſunt velut vltimus terminus eius ſa-
nitatis, quam ſecundum habitum eſſe diximus. nam licet eam non habeant in
bono, nec optimo habitu, vt corpora ſalubria; habent tamen tam neutra, quàm
inſalubria ſimpliciter, ſanitatem in habitu. de quibus omnibus intelligere voluit
Galenus libro de Differentiis morborum, cùm dixit. { Alia ſunt, quæ, etſi ſana di- cap. 2
cuntur, non tamẽ boni ſunt habitus: } quaſi velit dicere quòd, licet habeant ſani-
tatem in habitu, non tamen eam habent cum hac adiectione, Bono. nam habe-
re ſanitatem in habitu nil aliud eſt, quàm permanentem & ſtabilem: habere au-
tem in bono habitu, eſt addere huic permanentiæ & ſtabilitati bonitatem, vt pa-
tet lib. ad Thraſy. Conueniunt ergo in hoc neutra ſimpliciter & inſalubria ſim- cap. 12
pliciter: quoniam vtraque dicuntur habere ſanitatem in habitu, & pro tanto defi-
ciunt à ſalubribus corporibus ſimpliciter, & vt nunc, quę ſanitatem habẽt in opti-
mo, & bono habitu. Verùm hæc etiam ſanitas in habitu cùm ſit in latitudine
quadam, magis ſtabilem ac firmam eam habebũt ſimpliciter neutra, quàm ſim-
pliciter inſalubria: & inter inſalubria, minùs quæ ſemper ſunt talia, quàm quæ
multum: quemadmodum etiam, inter neutra, magis firmam ac ſtabilem habent
ſanitatem ea, quæ ad ſalubria magis accedunt, tam ſemper, quàm vt multùm,
quàm illa neutra, quæ ſimpliciter & exquiſitè ſunt media: & hæc magis quàm ea,
quæ ad inſalubritatem plus vergunt. ſemper enim eandem ſeruabunt ſanitatis
rationem, quam participant eo, quo ſcripſimus ordine in ſanitatis latitudine. Iſtis
inſuper corporibus neutris, & inſalubribus ſimpliciter, proſpicit ea pars artis con-
ſeruatiuæ, quæ ſalubris nominatur: communi autem vocabulo, vt Galen. refert cap. 30
eodem libro ad Thraſyb. conſeruatiua ſimul & ſalubris dicitur.

Cùm verò totius ſanitatis latitudo in tres partes diuidatur, vt ſæpius dictum
eſt: quarum prima eſt ſalubrium corporum, ſecunda neutrorum, & tertia inſa-
lubrium, poſt quæ, vt inquit Galenus 2. artis medic. ſequuntur, quæ iam ægro- cap. 8
tant corpora, quæ ſenſibilibus operationum læſionibus diſtinguuntur: opinati
ſunt quidam, eorum, quæ reliqua ſunt, corporum nullum in ſanitatis latitudine ſi-
tuari, propterea quòd Galenus, poſt tertiam latitudinis partem, quæ quidem eſt
inſalubrium ſimpliciter, dicebat ſequi corpora, quæ iam actu ægrotant. quare in-
quiunt iſti neutra vt nunc, ſecundi ſignificati, contineri debere extra ſanitatis la-
titudinem. Sed pace eorum dixerim, præter iam dicta corpora adhuc in ſanitatis
latitudine continentur cuncta tria neutrorum genera vt nunc. id quod cum Ga-
leno demonſtrabimus, prius in memoriam reuocantes, quod ſupra cum Galeno cap. 6
ſuppoſuimus lib. ad Thraſy. duplicem videlicet eſſe ſanitatem, quarum vna dice- cap. 30
batur ſecundum habitum, altera ſecundum affectionem. ſanitatem itaque ſecun-
dum habitum, vt longiſsimis verbis declarauimus, diuiſit Galenus ſecundo artis cap. 8
medic. in tres partes: poſt quã, ſi tali ratione ſanitas conſideratur, ægrotãtia cor-
pora ſequuntur. At, quoniam, vt ipſemet teſtis eſt, ſunt quædam corpora, quę licet
actu non ægrotent, neque etiã ſanitatem in habitu habeant, eam tamen habent
ſecundum affectionem, hoc eſt, inſtabilem, infirmam atque inutilem: ea de re &
hæc quoque corpora, licet neutra à quibuſdam fuerint appellata, vt ipſemet Ga
len. fatetur eodem lib. ad Thraſyb. adhuc aſſerit ſana dici & eſſe, eiſque cõpete- cap. 30
re partem quandam conſeruatricis artis, quoniam in his etiam pauxillum quid-
dam corrigimus: quæ verò pars artis pauxillum quiddã corrigit, conſeruatiua ap-
pellatur, vt contra diſtinguitur ei parti artis, quæ multùm ſemel corrigit, & medi-
catiua, ſeu curatiua nuncupatur. Verùm, inquit ipſe, inter hãc artis partẽ quæ ma-
gna vitia & illã quę exigua vitia corrigit, quęq; in tres alias ſubdiuiditur partes in

eucčticen ſcilicet,ſalubrem, & Analepticen: quidam quartam particulam adie-
cerunt,quæ ab ipſis propriè Prophylačtice,id eſt, præſeruatoria vocata ſunt, fa-
cultatem oppoſitam habentem ei, quæ à morbo proximè liberatos recreat, hoc
eſt,Analeptice. & demum inquit {Haſce autem ambas ancipitis quodammodo
eſſe naturæ inter contrarias totius artis partes nemo ambigit. Dico autem inter
eam quæ magna vitia,& eam quæ parua corrigit. curatiua ſanè pars, quòd ma-
gna vitia,Euečtice autem atque ſalubris quòd parua diſcutiant, id quoque per-
ſpicuum eſt: in medio autem ambarum interſtitio inſtauratiua nominata atque
præſeruatoria poſitæ ſunt. nam,ſi ad ſalubrem eučtricemque comparentur, non
exigua vitia emendant. ſi ad curatiuam,non magna. propterea & quicunq; am-
bas has partes neutras appellauerũt,haud malè mihi ſenſiſſe viſi ſunt.} Hęc Gale.
quibus verbis clara luce videtur aſſerere has duas partes artis medicę Analepti-
cen videlicet,& Prophylačticen contineri ſub ea,quæ exigua vitia tollit, & cõſer
uatiua dicitur,differreque inter ſe maioris minoriſq; ratione.magis enim parua
caſtigat eučtice: qua ratione nos diximus eam proſpicere corporibus ſalubribus
ſimpliciter & vt nunc: minùs parua caſtigat ſalubris:quã partẽ neutris & inſalu-
bribus ſimpliciter,cõpetere diximus. Hac adhuc minùs parua caſtigãt Analepti-
ce & Prophylačtice: quã Prophylačticen quidã adiecerunt tanquã quartã partẽ
cõſeruatiuæ artis.Deinceps ſubdebat Gal.{quòd,cùm hæ ambæ partes ſint anci
pitis quodãmodo naturæ,dico inter eam quæ magna,& eam quæ parua vitia diſ-
ſoluit,in medio interſtitio ambarum poſitæ: propterea haud male ſenſerunt, qui
ambas neutras appellauerunt. Nam ſi ad ſalubrem & eučticen comparentur,
non exigua vitia emendant: ſi ad curatiuam, non magna.}. Comprobat itaque
Galen.eorum opinionem, qui has artis partes, neutras appellauerunt. Verùm
non propterea negat id,quod paulò antè concluſerat, eas videlicet contineri ſub
ea artis parte,quæ exigua vitia corrigit, ac conſeruatiua nuncupatur, licet non
adeo perexigua vitia corrigant, quemadmodum ſalubris & eučtice. Si itaque
conſeruatio per eundem Galenum non niſi ſanis corporibus debeatur, non ab
re & hæc corpora,quibus hæ artis partes competunt ſub conſeruatione conten-
tæ,adhuc ſana eſſe aſſerendum, quamuis neutra nuncupentur. Hæc igitur ſunt
illa corpora,quæ ſanitatem habent ſecundum habitudinem, neutra vt nunc ap-
pellata.Quare poſt pauca idem Galen.concludens aſſerebat.{In præſenti autem
cap.31 contemplatione de conſeruatrice artis humanum corpus gubernantis parte, tria
diuiſionis membra ſupponantur: vnum de corporibus ſecundum habitudinem
valentibus: alterum de iis,quæ in habitu ſana ſunt: tertium de bono habitu prę-
ditis.} Nemo ergo ambigat hæc corpora, quæ ſanitatem ſecundum habitudi-
nem habent,connumerari debere inter ea quæ ſunt in latitudine ſanitatis; quæ
quidem, vt dičtum eſt,iure neutra vt nunc appellantur. Dico, quòd continean-
tur ſub ſanitate,& ſana dicantur ſecundum affečtionem: quam etiam ſanitatem
adhuc cum latitudine eſſe aſſerimus,quemadmodum ſanitatem ſecundum habi-
tum diximus eſſe. quapropter poterit dici ſecunda hæc ſanitatis latitudo, de qua
cap.8 haudquaquam voluit intelligere libro 2. artis medic. ea parte qua dixit. {Poſt
quæ deinceps ſequuntur quæ iam ægrotãt corpora.} Nam de hac ſanitate adhuc
verba non fecerat,ſed de ea duntaxat,quæ eſt ſecundum habitum, ac propria eſt
eorum corporum quæ à natura ſunt talia: licet hanc quoque poſtea non dereli-
querit. ſiquidem de eiſdem neutris corporibus, quæ talem habent ſanitatem ſe-
cap.82. & ult. cundum affečtionem lib.2.verſus finem, & tertio, verba fecit, ſigna pro digno-
tione eorum,ac modum correčtionis nobis tradens: quanquam non ſub ſano-
rum,ſed neutrorum genere collocauerit. ſunt etenim re vera hæc corpora neu-
tra vt nunc. & ob id cõprobauit eorum opinionem,qui volebant eas artis partes,
quæ his corporibus præſunt,cùm ſint ancipitis quodammodo naturæ,neutras ap-
pellari. qua ratione libro artis medic.à ſanitatis latitudine hæc corpora ſecluſit;
libro verò ad Thraſybulum,ea ſub ſanitatis latitudine contineri voluit, coačtus
de omnibus corporibus,quibus ſalubris quomodolibet pars artis proſpiceret, ſeu

conſer

conſeruatiua, quæ exigua vitia corrigit, verba facere, ne in aliquo aduerſus gymnaſtas deficeret, largiùs ſanitatem vſurpans tam in habitu, quàm in affectione. nam, cùm hæc ſanitas in affectione, infirma ac parum conſtans ſit, neque ab ipſo naturæ ortu, ſed in tempore adepta, interim à Galeno ſanitas κατὰ σχέσιν, interim affectus medius morbi & ſanitatis nuncupatur: ita etiam & corpora, quibus ea ineſt, interim ſana, interim neutra appellat: & partes artis eiſdem proſpicientes ſæpe neutras, quandoque inter conſeruatrices ſalubres connumerauit. Cùm autem hæc corpora in duplici ſint differentia: nam quædam corpora neutra conualeſcentiæ, quędam verò neutra decidentiæ nuncupantur: in quo dictorum trium neutrorum genere cõtineantur vtraque, non vtique facile eſt diſſerere, cùm adhuc videamus nonnullos inter ſeſe diſſentire. Præterea, num in vno eodemq; neutrorũ genere ambo, vel in diuerſis cõtineantur, nõ minus inter ſe digladiantur. Nos verò, cùm aliorum opiniones recenſere non decreuerimus, noſtram, quam veram eſſe cum Galeno putamus; ſtatuere conabimur, aſſerentes cum eo, quòd gemina exiſtente ſanitate, vna ſecundum habitum, altera ſecundum affectionem, quemadmodum illa ſecundum habitum latitudinem habet: ita quoque & hæc, quę ſecundum affectionem dicitur. & propterea plura corpora ſub ea contineri opus eſt, quemadmodum in ea, quę iam dicta eſt. Sunt autem hęc corpora ſingula neutrorum tria genera, quę vt nunc appellantur. Verùm illa non amplius ſub neutro primi, ſecundi, aut tertij ſignificati nominant; ſed quędam, quę quidem iamiam morbum euaſerunt, ſeu à morbo conualeſcunt, conualeſcentię neutra nuncupant: quędam verò, quibus ęgritudinis iamiam imminet periculum, neutra decidentię dicunt. Videndum ergo, in quo neutrorum genere hęc duo neutra ſic appellata contineantur, & quomodo in participatione, ſeu ordine hujus ſanitatis ſecundum affectionem dictę ſe habeant. Quòd verò non in vno eodemque neutrorum genere, vt nonnullis viſum eſt, ipſa contineantur, liquet ex Gale. primo lib. ad Thraſyb. quo loco dicebat quòd pręſeruatoria vocata ars facultatem oppoſitam habet ei, quæ à morbo proximè liberatos recreat. Cùm ergo inter ſe oppoſitę ſint hæ partes conſeruatiuę artis, non poterunt in vno eodemq; neutrorum genere conuenire, &, ſi dixeris in eodem genere neutrorum contineri, reliqua duo neutra vbi collocabis? ac vbi etiam erit iſtius ſanitatis ſecundum affectionem latitudo? Dilucidius verò illud declarauit Galenus 2. artis medic. tex. 92. 93. & 94. vbi loquens de ſignis futurę ægritudinis, dicebat. { Neque in ambiguo eſt, quòd quę ſigna ſunt vtrorumque ſignificatiua, neutra dicantur ſecundum vnum quoddam neutri vocabuli ſignificatum. } & poſt pauca ſubdit { ſecundum verò alterum ſignificatum quęcunque his, qui à morbo reficiuntur, inſunt, ſigna neutra appellamus: neque in alio ſignificato accipiunt ea, quę ſenibus inſunt. } Quibus verbis luce clarius oſtendit Galen. quòd quemadmodum ſigna, ita & corpora neutra decidentiæ & conualeſcentiæ, quorum ſunt ſigna, in diuerſo neutri ſignificato contineantur. *cap. 30*

Cæterùm, in quo ſignificato neutri contineantur ea quibus ægritudinis periculum imminet & decidentię neutra vocantur, & in quo ea quę à morbis conualeſcunt, neutra cõualeſcentię dicta, hic labor eſt. Verùm nos procul dubio cum Galeno aſſerimus neutra decidentia dicta, quibus pars ea artis proſpicit, quę verè Prophylactice dicitur, ſimulque conſeruatrix, dici & eſſe neutra ſecundi ſignificati. dico verè & propriè Prophylactice: cuius officium eſt cauſam adimere, à qua morbus futurus eſt fieri. Hæc enim pars cõſeruatricis quędam exiſtit: quemadmodum illa quæ non verè Prophylactice dicitur, cuius officium eſt cauſam adimere, quę morbum iam creat, ſub curatrice continetur: immo ipſam curatricem etiam nominant, vt patet vndecimo metho. meden. Quòd verò hęc neutra ſint iuxta ſecundum ſignificatum, quicquid velint alij, eiuſdem Gal. verba oſtendunt, citato loco ſecundo artis medic. ſiquidem dicebat { horum corporum ſignæ nonnulla quidem eſſe ex eorum genere, quę ſecundum naturam ſunt, ſed permu- *cap. 2* *cap. 82*

rata vel quantitate, vel qualitate, vel temporibus: nonnulla ex his, quæ præter naturam, verùm minora iis quæ ægritudinibus adſunt. Atque propterea (ſubdebat) hæc corpora deſidentiæ ſeu eorum diſpoſitiones, quæ ſunt in morbos caſura, eſſe ex neutrorum genere, atque vnà ea, quæ ipſa indicant, ſigna. } Si ergo, propterea ſunt ex neutrorum genere, quia eorum ſigna quædam ſunt ex genere eorum quæ ſecundum naturam ſunt & quædam ex genere eorum quæ præter naturam, cui dubium quòd velut ſigna vtriſque extremis participant, ita & corpora participare debent, cuius rationis ſunt ſecundi ſignificati neutra? Idem confirmauit paulò infrà in verbis ſupra citatis, cùm aſſerebat. { Neque in ambiguo eſt quòd quæ ſunt vtrorunque indicatiua, neutra dicentur ſecundum vnum quoddã neutri vocabuli ſignificatum.} Quodnam, inquam, erit iſtud neutri vocabuli ſignificatum, niſi ſecundi, poſtquam dicit eſſe vtrorunque indicatiua, hoc eſt, vtriuſque extremi, ſalubritatis videlicet, & inſalubritatis? Quicquid itaque alij ſentiãt, cum Galeno concludimus ac firmiter aſſerimus neutra decidentię eſſe neutra vt nunc, ſecundi ſignificati. &, licet eorum ſigna mediam habeant formam inter ea quæ ſanis, & quæ ægrotantibus eueniunt, non propterea non dicẽtur vtrorunque indicatiua: quoniã vtriuſq; extremi participant. & idcirco neutra ſunt, vt Galen. ſcriptum reliquit. Rurſus qua ratione quiſpiam dixerit neutra decidẽtiæ eſſe neutra primi ſignificati, ſi eadem neutra primi ſignificati exquiſitè media ſunt ſaluberrimi & inſaluberrimi, nec latitudinẽ habeãt, ęqualiterq; diſtent ab vtriſque extremis, etiã quæ vt nunc ſunt talia, vt Gal. viſum eſt: iſta verò neutra decidentiæ, neq; exquiſitè media ſunt ſaluberrimi & inſaluberrimi; amplamque latitudinem habent, prout contingit vno, vel altero extremorum magis, aut minus participare, & quò magis, vel minus accedunt, vel recedunt ab vno, vel altero extremorum? Non enim ſemper æqualiter participant decidentiæ neutra ſalubritate & inſalubritate, ſed quædã magis ſalubritate, quædam inſalubritate magis, & contrà. Hoc item magis & minus adhuc plures habet gradus. Quamobrem hæc neutra decidentiæ inter ſe magnopere diſcrepant: quia ſcilicet ratione recedunt magis, vel minus à ſalubritate, acceduntque ad inſalubritatem: & propterea exquiſitè neutra eſſe non poſſunt. Sub hoc neutrorum genere etiam ſanitas continetur, ſeu bonus habitus, athletarum, magis quoque & minus ſuſcipiẽs; vt liquet Hippo. & Gale. quibus quoque præeſt ea artis pars, quæ Prophylactice dicitur: habent etenim hæc corpora eadem ratione ſanitatem ſecundum affectionem, qua ipſa neutra decidentiæ dicta. & propterea eorum habitus ſtatim ſoluẽdus eſt, inquit Hipp, potiſsimùm vbi ad ſummum bonitatis peruenerit.

cap. 82 Cùm verò eodem ſecundo artis med. hæc verba ſubſcribat Gale. { verùm in altero ſignificato quæcunque conualeſcentibus ex morbis ſigna adſunt, neutra appellamus } nulli in dubium veniet quòd quæ à morbis reficiuntur corpora, conualeſcentiæ neutra appellata, in alio neutrorum ſignificato quàm in ſecundo, contineri debeant, & non in eodem, vt quidam volunt. Quare cum Galen. dicimus hæc corpora dici & eſſe neutra primi ſignificati: nam hæc ſunt exquiſitè media ſaluberrimi & inſaluberrimi corporis, tam ſi fuerint ſimpliciter, quàm vt nunc talia: atqui cõualeſcentiæ neutra ſunt huiuſmodi. erunt ergo neutra primi ſignificati. Quòd verò neutra conualeſcentiæ ſint exquiſitè media ſaluberrimi & in-
cap. 30 ſaluberrimi corporis, liquet lib. ad Thraſy. cùm dicebat { In medio verò ambarũ interſtitio, inſtauratiua nominata, atque præſeruatoria poſitæ ſunt: nam, ſi ad ſalubrem, euecticenque comparentur, non exigua emendant vitia: ſi ad curatiuam, non magna} Si itaq; in medio interſtitio poſitæ ſunt inſtauratiua & præſeruatoria: & corpora, quibus præſeruatoria præeſt, neutra ſecundi ſignificati ſunt, ſequitur quòd corpora, quibus inſtauratiua proſpicit, cùm non ſint in eodẽ neutrius ſignificato, ſint primi ſignificati: quę quidẽ exquiſitè media dicũtur ſaluberrimi & inſaluberrimi. Nã corpora quę inſtauratione, ſeu refectione indigẽt, neq; morbo amplius participãt: quoniã ab eo ſunt liberata: neq; ſanitate in habitu: quoniã eorũ ſanitas adhuc imbecilla eſt, alterius generis exiſtẽs, quàm ſanitas quæ eſt ſecũdum habitum,

habitum. Quamuis ergo ambæ hæ artis conſeruatiuæ partes in medio interſti-
tio poſitæ ſint; nontamen ambæ ſecundum eandem rationem. Nam corpora,
quibus ars præſeruatoria debetur, vt declarauimus, latitudinem habentia exqui-
ſitè media eſſe non poſſunt. Hæc verò neutra conualeſcentiæ dicta eandem lati-
tudinem nõ habent. Nam confeſtim, quòd à morbo liberata ſunt, abſq; vllo me-
dio ac latitudine conualeſcentia appellantur, ſanitatem habent ſecundum affe-
ctionem, & refectione indigent: quoniam propter imbecillitatem inutilis quo-
dammodo eſt eorum ſanitas, & debiles habent actiones. Neque fateri poſſumus,
cum primùm à morbo liberantur hęc corpora eſſe magis, vel minus cõualeſcẽ-
tia, niſi poſtmodum temporis progreſſu, quando illorum ſanitas deſit eſſe inuti-
lis, atque ſunt ab imbecillitate liberata, & in habitu ſanitatem acquiſierunt. quo
tempore nõ ampliùs conualeſcentiæ neutra appellabimus. Quare dicimus hæc
corpora eſſe neutra primi ſignificati: etenim neutro extremorum participant. &
propterea, licet eorum ſigna neutra etiã appellentur, tamẽ alio neutrorum ſigni-
ficato, vt Gal. aſſerebat, quàm ea quæ indicant corpora, quibus periculum ægri-
tudinis imminet, & neutra decidentiæ dicuntur. Quòd ſi quiſpiam dixerit illa
non eſſe exquiſitè media ſaluberrimi & inſaluberrimi, & propterea nõ poſſe dici
neutra primi ſignificati: reſpondebimus quòd hoc quoq; verificatur in illis cor-
poribus; nam, cùm in medio interſtitio poſita ſint inter corpora ſalubria ſecun-
dum habitum, & corpora ægrotantia, vt Gal. inquit eodem lib. ad Thraſy. nõ ab *cap. 7*
re exquiſitè media eſſe dicentur; quoniam neque ægritudine, à qua iam liberata
ſunt, amplius participant: neque ſanitate in habitu, ad quam nondum peruene-
runt. Et, quoniam hæc neutra dicimus eſſe vt nunc primi ſignificati: intelligimus
quoq; nunc exquiſitè media eſſe ſaluberrimi & inſaluberrimi: quoniam medium
obtinent locum inter vniuerſa corpora quæ ſanitatem habent in habitu, & cor-
pora ægrotantia. Et hac ratione hęc etiam ſanitas ſecundum affectionem, quæ in
hiſce corporibus reperitur, media exquiſitè dicetur. ſi verò quiſpiam dixerit hęc
corpora nõ eſſe ita exquiſitè media, velut ea quæ ſimpliciter neutra appellantur
eiuſdem primi ſignificati, nõ prohibebimus, vt ſophiſticas vitemus rationes: ſunt
etenim, quoad fieri poteſt, exquiſitè media ſaluberrimi & inſaluberrimi, neutro
extremorum participantia, hoc eſt, neq; ſanitate in habitu, neque ægritudine. Et
propterea ſenes quoq; ſub hoc neutrius ſignificato collocauit Gal. eod. 2. ar. med. *cap. 82*
& 5. de San. tuen. Habent etenim & ipſi ſenes affectum, qui planè nõ eſt exacta ſa- *cap. 4*
nitas, hoc eſt, ſanitas in habitu, quemadmodum iam dicta corpora conualeſcen-
tium: ſed eorum affectus, vt ipſe inquit, tam ſcilicet eorum qui ex morbo cõua-
leſcunt, quàm ſenum, vel morbi & ſanitatis quidem medij ſunt, vel omnino eorũ
affectus non eſt eius ſanitatis, quę firma conſtanſque eſt, quam καθ' ἕξιν appellãt:
ſed eius potius, quæ fallax incertaq; eſt, quàm κατὰ σχέσιν nominant. quanquam
partem artis, quę ſenum ſanitati proſpicit, Gerocomicen, hanc verò Analepticen
Græci nuncupant. Si quis etiam velit, poterit proculdubio cum Gal. tenere quòd
neutra cõualeſcentię, (quę neutra vt nunc, primi ſignificati diximus eſſe) in prę-
ſenti tempore ſunt exquiſitè media ſaluberrimi & inſaluberrimi corporis: nam,
licet ſana ſint, ſanitate ſecundum affectionem, quæ in tempore acquiritur, dunta-
xat, poſſunt etiam dici exquiſitè media ſaluberrimi & inſaluberrimi: cum eorum
affectus medius ſit morbi & ſanitatis, vt Gal. inquit citato lib. 5. de Sanit. tuend. & *cap. 4*
propterea exquiſitè media eo tempore dici poſſunt, cùm neque vnius, neque al-
terius corporis cõditionem aliquã participent: talia enim ſunt corpora exquiſi-
tè media, quocũq; modo neutra primi ſignificati ſunt: perpetuò per inſaluberri-
mum corpus intelligens cũ Gal. id quod actu ægrotat, hoc eſt, inſalubre vt nunc.

Sed quid ſentiẽdum ſit de neutro vt nunc, tertij ſignificati, poſtquam hęc duo
conualeſcentiæ ſcilicet, & decidentiæ, primum eſſe primi ſignificati, alterum ve-
rò ſecundi concluſimus? Neque etiam apud Gal. adhuc reperio de hoc neutro vt
nunc, tertij ſignificati mentionem factam eſſe, niſi in fine primi libri artis meden. *lib. art. med. cap. 6 in fine.*
Quòd, ſi ipſum ſanitatem etiã haberet ſecũdum affectionem; hoc vtiq; dictum
fuiſſet

fuiſſet ab eo lib. ad Thraſyb. Vel fortè dicendum eſt extra ſanitatis latitudinem
reperiri. Dicimus breuiter cùm Gal. aut hoc neutrum non dari: quoniam, vt ipſe
inquit, in vno tempore, quod ita eſt neutrum exquiſitè quidem conſiſtere non
contingit: aut, ſi concedatur, vtpote tempus accipiendo cum latitudine, dice-
mus quòd quæ corpora neutra talia ſunt, indifferenter continentur ſub neutris
tam decidentię, quàm conualeſcentiæ: modò dicta corpora diuerſis rationibus
fuerint conſiderata. nam, ſi neutrum decidentiæ conſideretur, non amplius vt
vtriuſque extremorum particeps eſt ſolùm, ſed etiam vt habet quandam diſpo-
ſitionem, ſecundum quam ex qualibet leui cauſa quamprimum in morbos in-
cidere poteſt & ad ſanitatem redire; poſſumus dicere quòd habebit quandam
diſpoſitionem nunc, ſecundum quam aliquando ſanum & aliquando ægrum
eſſe poteſt. ita quoque de neutro conualeſcentiæ aſſerendum: nam, ſi ipſum
non amplius conſideres vt corpus neutra diſpoſitione participans: ſed vt eius af-
fectio, cùm infirma ac inſtabilis ſit, potentiam quandam nunc habet, vt à qua-
uis leuiſsima noxa, ſi non rectè tractetur, iterum incidat in morbum: &, ſi rectè
tractetur, pauco tempore acquiret ſanitatem in habitu, & deinde in bono habitu,
lib. artis med. cap. 7 vt Galen. ſentit libro ad Thraſyb. dicemus ſub hac conſideratione poſſe etiã dici
neutrum tertij ſignificati: quoniam in eodem tempore, cum latitudine videlicet
quadam, aliquando ſanum, aliquando ægrum eſſe poterit, talem potentiam ha-
bens. Etenim, ſicut neutrorum ſigna ſub diuerſa conſideratione poſſunt diuerſi-
cap. 82 modè appellari, vt liquet ſecũdo artis medic. ita & hæc neutra ſub diuerſa ratio-
ne poſſunt dici diuerſimodè neutra vt nũc. Hæc ſunt denique ea corpora, quę di-
cimus ſanitatem habere ſecundum affectionẽ. Verùm inter hæc illa primò col-
locari debent in ſanitatis latitudine, quæ conualeſcentiæ neutra nuncupantur.
Sunt etenim ab ægritudine magis remota, cùm ab ea liberata ſint: illa verò deci-
dentiæ dicta, magis propinqua, cùm eandem participent. & propterea eis magis
imminet periculum ægritudinis. Adhuc, ſi eadem corpora neutra conualeſcen-
tiæ appellata contingat in morbos iterum incidere, neceſſum eſt, prius fiant neu-
tra decidentiæ, & demum actu ægrotent, quemadmodum contingit reliquis cor-
poribus in ſanitatis latitudine collocatis. Illa verò decidentiæ dicta confeſtim in
morbos incidant, oportet: nec aliud habent medium, per quod pertranſeant, vt
actu ægrotantia fiant. igitur poſt inſalubria ſimpliciter ſemper, reponi debent
neutra conualeſcentiæ, & poſtea neutra decidentiæ: quæ in ſanitatis latitudine, vt
communis exiſtentis ei quæ ſecundum habitum & ei quæ ſecundum affectio-
nem dicitur, vltimum gradum poſſident. Et ob id non ab re diximus in hoc eo-
dem gradu reponi habitum athletarum: nam Hippocr. dicebat affectus athle-
cap. alt. tarum non eſſe ſecundum naturam. Et Galen. in oratione ſuaſoria ad artes, ne-
minem inquit, reperiri, qui in ratione ſanitatis magis ſit, quàm athleta, miſer. &
propterea nomine ab eo non degenerarunt, ſiue à miſero, ſiue à miſeria deno-
minati ſint: quorum primum Græci ἄθλιον, alterum ἀθλιότητα nominant. Hæc
inſuper neutra vt nunc, ſunt illa corpora, de quibus Galenus dicebat libro de
Differentiis morborum. cap. ſecundo, ⁊ quædam verò minus valent. ⁋ vltimo lo-
co poſita in tota latitudine ſanitatis ibi deſcripta, ſimul complicans corpora & ſe-
cundum habitum, & ſecundum affectionem ſana: nam poſtea dicebat ⁊ quædam
autem iam ægrotant ⁋ quaſi velit quòd poſt dicta neutra vt nunc, quæ minus va-
lent, ſequuntur corpora, quæ iam ægrotant, hoc eſt, vt nunc ægra. Hęc eadem neu
tra decidentiæ & conualeſcentiæ vulgus medicorum appellat neutra tranſitus:
non ab re quidem. nam neutra decidentiæ ita appellantur, quoniam quodlibet
corpus ſanum, vt actu ægrotet, opus eſt tranſeat per neutra decidentiæ. eadem
ratio eſt de neutris conualeſcentiæ: licet cõtrarium ſit in tex. Nam cùm primùm
corpora à morbis euadunt, neutra conualeſcentiæ appellantur: ſunt tamen reuera
(vt dictum eſt) ſana, ſaltem ſanitate ſecundum affectionem. Sed quoniam nullus,
vt inquit Galen. libro ad Thraſy. cap. vndecimo, proculdubio mutilam inutilém-
que ſanitatem exoptat, ſed, quàm fieri poteſt, abſolutiſsimam ac firmiſsimam:
propterea

propterea facta relatione ad ſanitatem ſecundum habitum, quam poſſunt & de-
bent acquirere, & deinde ad eam, quæ eſt boni habitus, poſſunt adhuc quodam-
modo dici media tranſitus. Qua etiam ratione & ſanitas ſecũdum habitum me-
dia dicetur inter ſanitatem ſecundum affectionem, & ſanitatem ſecundum bo-
num habitum: quoniam hæ duæ in melius ducendæ ſunt, tertia in optimo ſtatu
conſeruanda, vt eodem lib. a d Traſyb. liquet.

Sequitur poſt dicta corpora, morboſa affectio: qua laborant quæ iam ægro-
tant corpora. Vocantur autem à Gal. lib. primo artis med. inſalubria nunc. Nam cap. 31
inſalubre nunc corpus (vt ipſe inquit) eſt quod eo tempore, quo tale dicitur,
ægrotat. Neque obſcurum eſt quod & hoc ipſum eo, quo tale dicitur, tempore
ægrotans, vel in cõſimilibus malã habet temperaturã, vel in inſtrumentariis in-
commenſurationem, vel vtrunque. Hæc verò corpora, quę iam ægrotant, diſtin-
guuntur ab aliis inſalubribus, ſenſibilibus operationum læſionibus, vt 2. artis me- cap. 8
dic. patet. nam terminus, qui vtrunque inſalubritatis modum diſtinguit, vt Gale.
inquit, eſt operationum læſio ſenſibilis. neque alia nobis tradidit indicia, qui-
bus eadem ſecerni inuicem poſsint. Id etiam paulò poſt confirmauit poſita ſani-
tatis latitudine, ac diuiſa: cùm dicebat { Poſt quæ deinceps ſequuntur, quæ iam
ægrotant corpora, quæ ſenſibilibus operationum læſionibus diſtinguuntur.} li-
bro verò de diff. morborum deſcribens hæc corpora & eorum gradus, ita dice- cap. 2
bat. { Quædam autem iam ægrotant, atque horum quoque ægrotatio quando-
que leuior, quandoque periculoſior: & hæc ipſa quandoque vehemens, nonnun-
quam periculum mediocre affert. } Neque enim omnia corpora (ſubdit Galen.)
ſana, vel ægra, æqualiter affecta eſſe exiſtimare debemus. qua de re horum etiam
corporum tradi poteſt latitudo non parua, quæ tamen non eſt præſentis nego-
tij. Illud autem non prætеream de his corporibus inſalubribus nunc, quòd, licet
dicantur ægrotantia, ac actu ægrotent eo tempore, quo talia dicuntur, ſemper
tamen propter id, quod addidit Gal. { neque obſcurum eſt, quod & hoc ipſum
eo, quo tale dicitur, tempore ægrotans, vel in conſimilibus malam habet tempe-
raturam, vel in inſtrumentariis incommenſurationem vel vtrunque } poſſunt
etiam eſſe hæc corpora ab ortu naturæ talia, quemadmodum diximus de ſalu-
bribus vt nunc, id quod in dies experimur. oriuntur etenim nonnulla corpora
actu ægrotantia, ſenſibiliter operationes læſas habentia: quæ, cùm inſalubria
non ſint, nec ſemper, nec vt multum, propter iam dictam cauſam, neceſſariò,
vt nunc inſalubria dicentur: quinimo hæc corpora verè & propriè inſalubria vt
nunc appellantur, in nullo alio ab aliis inſalubribus diſsidentia, quàm ſenſibili
operationum læſionẽ, vt cum Gale. dictum eſt. Quòd ſi cætera corpora etiam
ſalubria ſimpliciter ſemper, poſsint actu ægrotare, dicimus, quòd talia non di-
centur inſalubria nunc: quia non habent neque in conſimilibus, neque in inſtru-
mentariis, neque in vtriſque malam temperaturam, aut incommenſuratio-
nem, neque etiam à naturæ ortu, ſed bene dicuntur ægrotantia, & ægra nunc:
quemadmodum etiam neutra, & inſalubria ſimpliciter, licet dici poſsint ſana
nunc, non tamen ſalubria nunc eſſe dicentur: cum neque bonam, neq; à naturæ
ortu in ſimplicibus habeant temperaturam, & in inſtrumentariis commenſura-
tionem, id quod eſt de ratione corporum ſalubrium vt nunc. Si quis autem velit,
quamuis impropriè, omnia etiam corpora, quæ iam ægritudinem patiuntur,
etiam non à primo ortu, vt nunc inſalubria appellare, quemadmodũ videtur olfe-
ciſſe Gal. 2. artis med. 78. cum dicebat { quæcunque verò vt nunc inſalubria ſunt, cap. 75
hoc eſt, ægritudinem patiuntur: } nos non reclamabimus, modò ſubſtantia, ſeu
rei natura nõ immutetur, vt ſcias videlicet alia eſſe corpora inſalubria nũc ab or-
tu naturæ, quę verè & propriè ita appellãtur: & alia, quę in tempore ſunt talia, im-
propriè ſic dicta, propriè verò ægrotantia, ſeu ægra nunc appellata. De primis lo-
quutus eſt Gal. 2. artis med. circa principiũ, quo loco de aliis quoque corporibus à cap. 8
natura talibus verba faciebat. de reliquis verò præcitato textu. 78. vtraq; tamen lib. art. med.
corpora ægrotãtia, hoc eſt, quę actu ægrotant, & inſaluberrima quoq; ab eodem c. 75

Gal. nun

lib. art. me. c. 6. Gal. nuncupari conſueuerunt: vt liquet tex. 17. primi lib. Neque enim fas eſt hoc loco aliud corpus intelligere per inſaluberrimum, vt quidam putant, quàm inſalubre nunc; cum hoc corpus poſuerit pro vno contrario termino in tex. 9. ſecundi lib. *lib. art. me. c. 8.* cuius relatione, neutrum primi ſignificati dicitur exquiſitè mediũ ſemper: alioqui exquiſitè diceretur medium relatione ad diuerſa corpora inſalubria, quod omnino eſſe non poſſet, poſita pro altero contrario termino optima corporis conſtitutione: quemadmodum Gal. vbique cenſet: quamuis eadem ſit habenda ratio de corporibus inſaluberrimis, quæ de inſalubribus, vt nunc habetur: neque etiam inſalubre corpus ſimpliciter ſemper inſaluberrimum appellari poterit, vbi pro contrario termino optimæ conſtitutioni nuper facta ægritudo ponatur: quemadmodum Gale. viſum eſt, cùm multò inſalubrius eo fuerit inſalubre vt nunc, vt liquet in eiuſdem Gale. doctrina. ad vtroſque enim hos contrarios terminos relatione habita, docuit idem Gale. intermedia omnia corpora, quę ſana ſunt, ſeu ſanitatem participant, dignoſcere, quantitate diſtantiæ inter ſeſe *Loco cit.* diſsidere, ac diuerſimodè etiam appellari citato tex. 9. ſec. artis medic. Sed quæres quî fieri poſsit vt ſalubria & inſalubria nunc valeant à naturæ ortu eſſe talia, neutra verò nunc nullo modo? Dicas priora talem habere poſſe diſpoſitionem ab ortu, vt demonſtrauimus. At neutra vt nunc neceſſariò opus eſt, vt talia ſint ac dicantur, aliam prius habuiſſe diſpoſitionem: ita vt eandem neutralitatem vt nunc, ſemper aliæ diſpoſitiones præcedant, vtpote ſanitatis, vel ægritudinis. nam, ſi primi ſignificati neutra vt nunc fuerint, vel ægritudo præceſsit, vt in conualeſcentibus: vel diuerſæ ætates, vt in ſenibus. Si verò ſecundi ſint ſignificati neutra vt nunc, ſanitatis diſpoſitio melior præcedet tam ſi neutra decidentiæ verè dicta ſint, quàm athletæ. & hac ratione neque vnius, ne alterius generis neutra nunc, poſſunt à naturæ ortu eſſe talia, quemadmodum ſalubria & inſalubria nunc.

Hæc ſunt (iuuenes ſtudioſi) quæ de ſanorum corporum ordine ac numero, ſeu, vt inquiunt, de ſanitatis latitudine, cum Galen. ſentio, quamuis non propterea verear, quòd ob multas, quæ de ea proditæ ſunt opiniones, non paucos etiam habebit oppugnatores. illud tamen pro certo habeatis, quòd ſi qui ſint, qui aliter ſentiant, ad eorum, vel aliorum opinionem, non autem Galeni, id ſentire videntur. Vt verò nedum vos, ſed & cæteri omnes hanc, quam Galeni putamus eſſe, ſententiam facilius intelligere valeatis, ſequentem tabulam exarauimus.

FINIS.

IOANNIS FRANCISCI
LOMB. NEAPOLITANI
Ὠδὴ δίκωλος δίστροφος

Ad docilem Lectorem.

Sectio venarum in grauidis, ne fiat aborſus,
Num bene conueniat:
Coctio morborum vt fiat, ſuccúsque paretur,
Functio & verum animæ
Princeps, in cerebri ſinibus, vel corpore detur:
Spiritus an valeat,
Admitti phyſicus: Febrísve Tritæa in acuta
Sede libens ſedeat:
Mox ſit in vrinis ſani, & quid ὑπόστασις *agri;*
Quomodo ſeſe habeat
Corporis humani Eucraſeos Πλάτος ἠδὲ Πλατυσμὸς,
Differit iſte liber
ALTIMARI, longo viuet qui tempore; Roma
Dum caput orbis erit.
Diuinam iamiam expecta de Febribus artem
Lector adhuc Medicam.
O opus excelſum. Iouis ira abolere, vetuſtas,
Quod nequit ignis edax.
O opus egregium. Quod ſolum liuida Momi
Obſtruere ora poteſt.
O opus eximium, claudit quod ſcripta Galeni
Hippocratíſque ſenis.
At decet vt taceam. calamus nam deficit omnis
Sepia, charta, manus.
Expedit vt ſileam; vitam ne Theſſalus ira
Finiat ante diem.
Præclara interea hæc capias quæſita libenter,
Lector amice precor.

IOAN. FRANCISCI NEAP. LOMB. DACTYLICON CVM SENArio Iambico ad Lectorem.

Ἱερὸς ἐςὶ βίβλος, κατέχει μυςῆρι ἀριθμοῦ
　Μιῦ ἐναγνωςὶ ὅθ᾽ ἑβδομαῖς θαυμαςῶς.
Τὸν λαβὲ νῦν τερπνῶς λυκάβαντος πάγχατος ὥρα,
　Ψυχῇ ἵν᾽ ᾖ σοῦ ἡδονὴ, καὶ σώματι,
Ἀσπασίως Πυρετοῦ μέθοδον μετ᾽ ἀκήρατος ἀκμὴν
　Σὺ προσδόκα καινοῦ ἔτους ἐν πάσχατι.
Ηρί γαρ ἐκτίσθη κόσμος, τὰ Ζῶα γελῶσι,
　Παύεται Αἷμα, πᾶν τότ᾽ εὐκραὲς πάγχυ.
Ἀρ᾽ ἀναγνωςὰ ποθοῦ σ᾽ εὔχεσθαι τοῦ Θεοῦ ἀντὶ
　Πολυπόνου Ἀλτιμάρου τῆς φύσεως.

FINIS.

LATITVDO SANITATIS SECVNDVM HABITVM.

Sanitas eſt conſtitutio naturalis actionem perficiens: ea uerò qua diuidua, ſeu cum latitudine, eſt duplex.

Altera ſecundū habitū.

PRIMA PARS LATITVDINIS SANITATIS SECVNDVM HABITVM.

SALVBRIA.

- *Secundum optimum habitum*
  - *Salubria ſimpliciter ſemper*
  - *Salubria ſimpliciter ut multum*
- *Secundum bonum habitum*
  - *Salubria ut nunc*

} I. *cōſeruatiua Euectice.*

SECVNDA PARS LATITVDINIS SANITATIS SECVNDVM HABITVM.

NEVTRA.

- *Secundum habitū ſimpliciter*
  - *Neutra ſemper, ſecundi ſignificati plus ſalubritate quàm inſalubritate participantia.*
  - *Neutra ſemper, tertij ſignificati plurimo tēpore ſalubritate quàm inſalubritate participantia.*
  - *Neutra*
    - *exquiſitè media.*
      - *Neutra ſimpliciter ſemper & ut multùm, primi ſignificati.*
    - *Nō exquiſitè media.*
      - *Declinantia uerſus ſalubria.*
        - *Neutra ut multùm, ſecundi ſignificati plus ſalubritate quàm inſalubritate participantia.*
        - *Neutra ut multū, tertij ſignificati plurimo tēpore ſalubritate quàm inſalubritate participātia.*
      - *Declinantia uerſus inſalubria.*
        - *Neutra ſimpliciter ſemper & ut multùm, ſecundi ſignificati.*
        - *Neutra ſimpliciter ſemper & ut multùm, tertij ſignificati.*
        - *Neutra ut multùm, ſecundi ſignificati, plus inſalubritate quàm ſalubritate participantia.*
        - *Neutra ut multùm, tertij ſignificati, plurimo tempore inſalubritate quā ſalubritate participātia.*
  - *Neutra ſemper, ſecundi ſignificati, plus inſalubritate quàm ſalubritate participantia.*
  - *Neutra ſemper, tertij ſignificati, plurimo tēpore inſalubritate quàm ſalubritate participantia.*

} II. *conſeruatiua ſalubris.*

TERTIA PARS LATITVDINIS SANITATIS SECVNDVM HABITVM.

INSALVBRIA.

- *Inſalubria*
  - *Inſalubre ſimpliciter ut multùm*
  - *Inſalubre ſimpliciter ſemper.*

LATITVDO SANITATIS SECVNDVM AFFECTIONEM.

Altera ſecundū affectionem.

- *Neutra ut nunc, primi ſignificati.* } *neutra cōualeſcentiæ. ſenes.* } III. *cōſeruatiua analeptice.*
- *Neutra ut nunc, ſecundi ſignificati.* } *neutra decidētiæ. Athletæ.* } IIII. *cōſeruatiua prophylactice.*
- *Neutra ut nunc, tertij ſignificati.* } *in utriſque diuerſa ratione conſideratis continentur.*

Inſalubre ut nunc, extra ſanitatis latitudinem. } V. *curatrix.*

DONATI ANTONII AB ALTOMARI MEDICI, AC PHILOSOPHI NEAPOLITANI,

De medendis humani corporis malis

ARS MEDICA,

Nunc denuò ab eodem Auctore diligentiſsimè recognita.

Cui addita ſunt tria capita De Hæmorrhoidibus, De Ragadiis & Procidentia ani, quæ in aliis æditionibus deſiderabantur. Necnon loci omnes in margine, maximo cum emolumento ſtudioſorum omnium.

m*



PAVLO IIII. PONT. MAXIMO, ATQVE SANCTISS.

DONATVS ANTONIVS AB ALTOMARI.

CVM *maximam, præcipuámq; meæ ætatis partem in Medicinæ ſtudiis conſumpſiſſem P. M. atque Sanctiſſ. viderérque omnia mea profeſſionis ſpatia decurriſſe, ad ea demum me contuli, quæ (paucis demptis) totam penè Medicinam abſoluere viderentur. In quibus non ſucciſiuis (vt aiunt) operis, ſed diu, multúmque verſatus perfeci, vt ſingularum humani corporis partium morbos cognoſcendi, primùm breuem modum, deinde in eis prædicendi, curandíque omnibus indicarem, via quadam, ac methodo vſque à Galeno intacta, à nullóque abſoluta. Quæ dum mecum commentarer, non defuere, qui in me turpiter eſſent maleuoli, meóque de nomine & fama detrahere arbitrantes, variis calumniis, non religione, ſed maleuolentia, vt nigro notarer carbone, à patria non tantum eiicere, ſed etiam arcere conati ſunt: perfecerúntque, vt & ſolum verterem, Románque adirem. Quamobrem meas lucubrationes omnes detraxi, & meridiationes, nec addere potui, quibus vti ſolebam. Vnde effectum eſt, vt opus iſtud, quod in manibus tunc habebam, iamdiu eſſet imperfectum, atque inelaboratum. Quæ in calamitate cùm te vnum præter cæteros, tua, qua es in omnes ſingulari humanitate, acerrimum mei defenſorem præſtitiſſes, méque pro virili*

tueri non deſtitiſſes, non modò domum, & ad patriam, verum etiam ad priſtinam dignitatem, quam ſemper te fautore ſeruaui, ſum reſtitutus. datique ſunt mea ad ſtudia reditus, & quæ in illa calamitate propè oblanguerant opera, oculos ſuſtulerunt. Cúmque in illis noctes & dies vrgerer, quæ priùs fuerant imperfecta, perfeci. Quod cùm ita ſit, quicquid eſt hoc Medicæ artis, tibi vni acceptum referre debeo. Tuo igitur patrocinio, cui me totum tradidi, fretus, illud in apertum proferre conſtitui. Per te enim abſolutum, per te etiam inuidorum calumnijs vindicandum æquum eſſe duxi. Suſcipe igitur munuſculum hoc tranquillo animo, ſerenáque fronte, tanquam ſignum quoddam meæ erga tuam ſanctitatem iuſtæ, ac debitæ ſeruitutis: velut etiam me illius authorem in rebus aduerſis ſemper ſuſcepiſti, in quo animum, non rem inſpectes oro, nec alienum à tua dignitate ducas. Eſt enim ſapientis, & prudentis literas, eorúmque cultores vtcunque amplecti. Nec me præterit, te arte Medica potiùs, quàm medicis ipſis oblectari. Huc accedit, quod cui magis in hac re ſit tribuẽdum, video neminem. Nam vt omittam, quæ te omnibus numeris abſolutum à pueritia reddiderunt, quid dicam de animi fortitudine? quam in maximis rebus gerendis, dubiiſque ſuſtinendis, & ſemper declaraſti, & nuper præcipuè, cùm tota Italia inteſtino bello ardere cœpiſſet (cùm & bella vitari interdum nequeant, vbi res vrgeat, pax autem ſemper ſeruanda, ſi fieri poteſt) ſicut initia illius obiter admiſiſti, ita extrema libenter, honorificentiſſimè, & fortiter, es perſecutus, pacéque, ex omnium ſententia deſperata, tua vigilantia, maximáque authoritate effeciſti, vt omnia pacem eſſent habitura, & Philippum Regem noſtrum Sereniſſ. ea beneuolentia tibi reconciliaſti, vt te vnum, præter omnes (quot fuere vnquam) Pontifices Maximos, & ipſe admiretur, & noſtra etiam memoria: adeò, vt quæcunque tuo nutu, conſilióque geſta ſunt, præclarè ſanctéque geſta omnia arbitretur. Itaque omnes Pontificem talem habuiſſe lætamur, nec iniuria. Quis enim vnquam in Deum ea religione fuit? Sanctæq́; Romanæ Eccleſiæ defenſor adeò aſſiduus, & veluti ſui patrimonij vehemens fortiſque propugnator? Quid dicam de vitæ integritate, ſummáque in omnes charitate? Quid de domeſticarum rerum ordine, & publicarum adminiſtratione? Quæ omnia, vt in terris ad hunc magnum dignitatis gradum, atque ampliſſimum te extulerunt: ſic

apud

apud Deum æternam ſedem tibi paraſſe omnibus eſt exploratum. Ad quam ne quamprimum, ſed multis poſt annis proficiſcaris, omnes, pro Reip. Chriſtianæ commodis, maximaq́; pro illius fidei ſeruandæ neceſſitate, cupiunt, & optant. Vale Pontifex Sanctiſs. & meæ, quamuis indignæ tanto Pontifice ſeruitutis, eiúsque ſemper augendæ voluntatis, ex animo tuo nunquam diſcedat memoria: meam enim tuorum erga me meritorum nulla vnquam delebit obliuio. Neapol. V. Kal. Februarij.

M. D. LX.

IO. MARTINVS EVSTACHIVS TEPSANVS ARTIVM, ET MEDICINAE *Profeſſor, Authoriſq; diſcipulus, Artis medicæ candidatis S.*

ACcipite ſtudioſiſsimi iuuenes Altimari Medicam Artem nunc denuo excuſam, quæ ob multa adiecta, tam diuerſa exit ab illa, quæ altera æditione prodierat, vt penè alia eſſe videatur. Nam præterquã quòd emendatiſsima nunc apparet, infinitis mendis, quibus illa altera ſcatebat, ſoluta, tum recognita diligentiſsimè prima æditione, tum cura adhibita, ne inter imprimendum noui (id quod ſæpe accidit) errores orirentur. Accedit nunc in veſtri gratiam margineus noſter labor non inutilis (vt ſpero) nec contemnendus, vbi Galeni præcipuè, aliorúmque authorum locos, quos conſultè author omiſit, ſigillatim veluti digito mõſtramus. Quid quod & author nunc primum tria capita de Hæmorrhoidibus & de Rimis & de procidentia Ani, quæ priori deerant, adiecit. Adde quòd multa nunc adſunt locupletius declarata, lucidius expoſita, quamplurima paſsim appoſita, vt facilè cuiuis conferenti cum altera patere poteſt. Hanc ergo noſtram operam boni conſulite, & ſi qua legentibus occurrerint, quæ noſtram hanc quantumuis maximam diligentiam fugerint, librario notas inurite: qui ob id quòd volumina ſuperiori anno excuſa, ad vnum omnia (pro vendibile opus) vendita fuerant, recentem impreſsionem accelerabat. Valete igitur noſtri memores, & magno Altimaro Neſtorea vita digniſsimo, febrium tractationem interim ingenti conatu parturienti, multos annos felicéſque precaminor.

Rurſus valete.

IOAN. FRANCISCI LOMBARDI NEAPOL. ART. ET MED. DOCT.

πρὸς Ἀναγνώστην τὸν εὐφυῆ, καὶ εὐπειθῆ δ'. Διγλωττασκληπιαδικόν. ἔθει τοῦ Αὐσονίου γάλλου.

SI Lector cruciat magna ſitis tuas
Fauces, huius aquas nunc MARIS haurias
ALTI; ſume libens pocula dulcia,
Vincunt quæ Ambroſiam, & Νέκταρ Olympicon.
Morborum citiùs nam omne genus fugant;
Galeni vt placita, ac Hippocratis iubent.
Hinc ſit Barbaries en procul, & chorus,
Seruat qui fatui dogmata Θεσσάλου.
Felix térque quater, cui ſuperi dabunt
Guſtare hos latices. ALTIMARUS meus
Præceptor (procul ô ſis reuerentia)
Nanque eſt Italiæ gloria totius.
Ἐνδείξεις Πυρετῶν γράψει ὁ αὐτὸς ἄν,
Γαληνὸν μετὰ μηδεὶς τάχα γράψειεν ὥς,
Γνεῖαν προθύμως λήψεται ὧν ἀνδῶ
Ὃς πάχει πυρετοῖ ὠμὰ παθήματα.
Δείξει τῆς Μαλέας λαμπροτέραν τὴν ὁδὸν,
Πῶς κρύπτουσι κέραν οἱ ἔλαφοι ὁρῶν,
Εὑρεῖν ὥς τις ἀνὴρ οὐχὶ δυνήσεται.
Γαληνοῦ φανερῶς γράμμας, ἐν οὐδαμῶς.
Σχεδὸν πασῶν ἀκριβῶς ἔργον ὅλον Νόσων,
Ὀξεῖαι, χρονικαὶ ἔστε μὲν ὦσιν ἄν.
Τούτῳ δὸς χάριτας μετ' ἄνδρι, φθόνου βέλη,
Καὶ λεῖπων φθονεροῦ τράγματα Ζωίλου.

DONATI ANTONII AB ALTOMARI MEDICI, AC PHILOSOPHI NEAPOLITANI,

De medendis humani corporis malis, Ars Medica.

METHODVS.

CVM de ſingulis humani corporis locis male affectis dignotionem, prognoſticum, ac curationem rationabili via, & Gale. Methodo poſt eum hucuſque intacta, à nullóque in lucem edita conſcribere propoſuerim, efflagitantibus quibuſdam amicis ſtudioſis, artíſque medicæ candidatis, quò facillimè in ſingulis malis quiuis eorum viam hãc aſſequi valeat, vniuerſalem methodum vno capite contentam prius deſcribendam fore putaui, ſub qua demum promptius in particularibus ſe exerceant. Fit nanque exercitatio omnis, cum particularia ſub eandem viam, ac rationem ducuntur. Viæ ſiquidem, & rationes vbi ſolæ ſine multifaria ſecundum ipſas éxercitatione cognoſcuntur, haudquaquam poſſunt perfectos efficere diſcipulos, velut ſecundo de Locis affectis Galen. ſcriptum reliquit. Quapropter *2.de Loc. aff.*
nono Methodi medendi non ab re decretum eſt ab eo, non licere vllius artis *cap.9*
ſcientiam nanciſci, niſi & methodum quandam habueris per vniuerſalia vocata *9. Method.*
theoremata, & in particularibus te exemplis exercueris; nanque in vniuerſali- *cap. 6*
bus methodus, in particularibus exercitatio conſiſtit. Et libro nono de Hippocratis & Platonis decretis dicebat, Vniuerſalis methodus ſine exercitatione mul- *cap.2*
ta in ſingularibus artificem bonum efficere non poteſt. Qua ergo via, ac ratione valeat quiſpiam affectam ſedem omnem, ac quemuis præter naturam affectum, eiúſque cauſam dignoſcere, & eis cognitis quid deinde futurum ſit præſentire, & prædicere, ac demum ſi affectus is curari valeat, curare, iuxta Hippocratis & Galeni monimenta potiſſimum hoc loco ſcribere aggrediar. In his nanque tribus continentur omnia quæ ad artem medicam ſpectant; nam commoda ea ſunt vel ad dignotionem, vel curationem, vel prognoſticum. Curatio autem per ſe à medicis exercetur, prænotio verò & dignotio propter curationem, vt Galenus inquit primo de Ratione victus in morbis acutis, comment. tertio,

& proinde in tres primarias partes artem medicam diuidi aſſerere melius erit, quàm in quinque, vt quibuſdam viſum fuit ex eiuſdem Galeni ſententia. Sub eandem deinceps viam,& rationem particulares omnes affectas partes,ipſóſque affectus, & eorum cauſas proprias docere conabor, prout in ſingulis his patebit; cùm non ſatis ſit, vt diximus, methodum nouiſſe,ſed multifaria inſuper exercitatione in his quæ particulatim occurrunt,opus eſt, vt liquet primo de Cauſis ſymptomatum,cap.tertio. propterea quòd pro locorum differentia, ac affectuum præter naturam curationem quoque variari contingit.

Vide 1.de loc. affect. cap.2

Quamuis oportet, vt Eraſiſtrato placuit, hominem exercitatiſsimæ conſiderationis eſſe,qui voluerit non ſolum ipſius affectus qualitatem,ſed affectum quoque locum probe dignoſcere,præſertim ſi in imo corporis lateant. Nam quæ in ſuperficie ſunt conſtitutæ partes vnà cum affectuum ſuorum ſpecie facilè ſenſibus deprehenduntur. Sunt verò morbi non in manifeſto loco hærentes multi,atque hi qui ad interna vertuntur,vt Hippocrates inquit, libro de Arte. quorum nullis eſt, quem oculis conſpicienti videre,ac cognoſcere contingit, & ab arte quoque obſcuri eſſe iudicati ſunt,& proinde obſcuri morbi appellati ſunt: qui cùm oculorum conſpectum effugiant,mentis tamen oculis obtinentur,& ſuperantur,vt ipſe refert.

Paulò poſt medium.

Primùm denique quod in ægris medicum inſpicere oportet, vt Galeno viſum eſt primo, & tertio de locis affectis eſt, quænam corporis pars ſit affecta, & numquid ea per ſe afficiatur, vel alteri conſentiat. Quapropter ſemper incipere oportet à læſæ actionis inſtrumento, eiuſdem Galeni præcepto, eodem primo de Locis affectis. Quo inuento,ipſam deinceps diſpoſitionem quærere opus eſt, vt ex vtriſque ſimul totius curatiui generis indicatio ſumatur, vt apud eundem Galenum liquet tertio de Locis affectis.

Quid primò inueſtigandū ſit in ægris.

1. de loc.affe. cap.2.& 3.

3. de loc.aff. cap.1.& 3

cap.2

cap.3

Verùm quænam pars afficiatur, priuſquam eius natura,ſeu eſſentia ſit cognita, actio,ſeu vſus eius, & compoſitio, cum qua & ſocietas,quam cum aliis habet,comprehenditur, ratione quadam, ac via rite inueſtigabit nemo, vt primo de Locis affectis.& libro de Conſtitutione artis medicæ patet. Nihil autem intereſt,ſi poſitionem aut cōpoſitionem,vel cum proximis ſocietatem dixeris. Hæc autem per artem ſecandi corpora accurate cognoſcere oportet, præſertim qualis ſit cuiuslibet partis eſſentia, ac compoſitio, vt exinde earum cuiuſlibet, cum actiones,tum vſus manifeſtentur,non ſiquidèm ſolis anatomicorum libris fidem adhibendo, qui magna ex parte infinitis erroribus pleni comprehenduntur,ſed propriis oculis diligenter inſpiciendo.

1.de loc.affec. cap.2

Lib.de conſt. art.med.ca.16

Ars ſecandi corpora non ignoranda.

Cognita nanque hoc modo cuiuſuis partis ſubſtantia, ac compoſitione, actionem cuiuſque earum,quinetiam earundem vtilitates nullo negotio inuenies,ab ipſa partium natura doctus; cùm videlicet exactè,vt diximus, partium eſſentiam, ac totam earum conſtructionem noueris,iuxta Galeni ſententiam,ſecundo de Vſu partium. Hæc nanque corporum diſſectio,vt ipſe refert, ſe ipſum Gale.docuit,vt patet primo de Locis affectis, cap. primo.cum alia permulta, tum cuiuſlibet partis eſſentiæ proprietatem.

2.de Vſu par. cap.3.& 7

Hanc igitur anatomen propriis oculis,ac ſæpius rectè inſpicere ab his,qui eam callent, conemini, vt quæ dicturi ſumus promptè intelligere valeatis. Nam iis, qui eam ignorant, fortè quæ dicemus, etſi ratione dicta ſint,veluti inſomnia quædam videbuntur. Nos verò his qui corporum diſſectionem haud ignorant, ſed propriis oculis mecum, vel ab aliis adminiſtratam probè,ac ſæpius inſpexerunt, has lucubrationes ſcribere paramus.

Quibus fuerit hoc opus conſcriptum.

Hi nanque, partium eſſentia, ac compoſitione cognita, earum cuiuſlibet, cum actionem,tum vſum haud ignorabunt, cum ſingulæ noſtri corporis partes aut peculiarem habeant actionem,aut aliquem præſtent vſum:pro comperto etiam habeant actiones partium duplices eſſe pro duplici earum natura, alteras ſimplicium,& ſimilarium,reliquas compoſitarum,ſeu inſtrumentalium, quæ ſiquidem partium actio motus eſt earundem factiuus. Inſuper non præteribit eos quemlibet partium vſum aut gratia conſeruationis, & tutelæ fuiſſe, velut cauſam ſine qua non poteſt actio perfici,aut,vt melius eadem perficiatur: quorum omnium Gal.pro teſte habent tum lib.de Conſtitutione artis medicæ,tum primo de Vſu

Lib. de conſt. art. med. cap. 4.& 5

1.de Vſu part. cap. 8

partium,& vt vno perſtringam verbo,Medico vſum pręſtant confectiones ana- *Anatomes vſus.*
tomicæ, non modo ad affectus noſcendos, ſed ad eos curandos, ac ad illorum
præſagia; vt ſecundo de anatomicis adminiſtrationibus ab eodem Gal. dictum *cap.1*
eſt. Qui igitur cuncta quæ diximus exacte nouerit, nonnihil vtilitatis ex his,
quæ dicemus, exportabit. Vt autem & hi mentem exerceant in affectorum lo-
corum notitia,tres exercitationis modos,Eraſiſtrati authoritate, Gale. ſecundo *cap.1*
de Locis affectis propoſuit. Quorũ vnus eſt circa ſingulas corporis partes,quas
locos vocant. Alter circa cauſas, & diſpoſitiones. Tertius circa ſymptomatum
differentias. His nanque rite cognitis, ac inter ſe diſtinctis, facile propoſitæ rei
veritas percipi poteſt, ſingulorum per eam facta contemplatione. Verũtamen
nos, vt quæ facilior ſit, & ne eadem bis repetamus,ea exercitationis via preci-
pue vtemur ad affectorum locorum notitiam,quæ quidem ex ſymptomatibus,
ac eorum differentia procedit, cum hoc tamen, & reliqua quæ diximus, non
negligentes. Ex hoc nanque genere eorum,quæ præter naturam ſunt, ſperan-
dum eſt comparari poſſe exacte dignoſcendarum partium affectarum iudi-
cium,velut Galen. ſcriptum reliquit lib. de conſtitutione artis medicæ. Quan- *cap.15. & 16*
tum autem præſtet vſum affectorum locorum, notitia in curandis ſingulis cor- *Notitia affectorũ locorũ, quos præſtet vſuũ.*
poris vitiis,Gale. paſsim in cunctis fere ſuis commentariis meminit, præſertim
lib. primo de locis affectis. Nam quòd quilibet præter naturam affectus ſuo au-
feratur contrario,cõmuniſs. Hippoc decreto,cap.1. affectus ipſe indicat,vt ſi ca-
lidus, frigidis,& ſi frigidus,calidis. At quouſque,quomodo, aut qua materia id
exequi liceat,affectus ipſe non indicat duntaxat,ſed ipſa pars affecta common-
ſtrat; quemadmodum de phlegmone in diuerſis partibus orta, pro ipſarũ par-
tium diuerſitate libro 13. methodi Gal. docuit terminum,modum,ac diuerſam *cap.6. & ſequentibus.*
medicamentorum materiam eligere. Quare ad vſum dextrum adiumentorum
neceſſarium eſſe exacte ſcire partis curandæ ſubſtantiam, formationem, ac ſi-
tum libro de conſtitutione artis medicæ decretum reliquit. Quantam inſuper *cap.17*
vim habeat hæc notitia in ea artis parte,quæ prognoſtica dicitur, & ſi ſexcen-
tis in locis confiteatur Gale. quarto tamen de præſagitione ex pulſibus per hæc *cap.11*
verba palam oſtendit,cùm dixit, Proinde cui ſtatus facultatis perſpectus ad vn-
guem ſit,locusque affectus,& eius affectus, hic ad futura præſentienda eſt peri-
tiſsimus; & tertio methodi medendi aſſeruit, primùm artis opus eſſe vt intel- *cap.1*
ligas ſperare ne id, quò tendis,debeas, an ſecus. Cuius rei cùm duplex poſsit
haberi cognitio, altera per experientiam, cui longo vſu eſt opus; altera per
ipſius rei naturam; hæc ſiquidem cuiuſque particulæ ſubſtantiam exiſtimabit,
tum actionem, & vſum, ac ſitum ipſum,à quibus procedens non ſolum quod
ſanari non poteſt,præuidebit,ſed etiam quod recipere ſanitatem poteſt, de in-
ueniendis et remediis deliberabit. Habes igitur ex his quantum conferat, cùm
ad curationem, tum ad prognoſticum partium affectarum notitia, ex Galeni
monimentis. Præter id quòd nonnihil etiam afferat vtilitatis ad affectus di-
gnotionem ipſius loci natura, cùm ea fuerit cognita, veluti primo de locis af-
fectis liquet. Reliquum denique erit, poſtquam ex primo venit inueſtiganda,
docere quomodo, ac qua via partem quampiam affectam dignoſcere valea- *cap.1. & 5.*
mus. Cùm vero ex nonnullis notis ipſa deprehendi poſsit, vt teſtatur Gale- *Aff ctæ partis cognitio ex quibus c.5*
nus primo de Locis affectis, à læſa tamen actione prius eius dignotio auſpican-
da eſt; ex qua ſola, cum nulla alia pateret via, idemmet Galenus confeſſus eſt
inueniſſe partem affectam tertio de Locis affectis. Eſt nanque cuiuſlibet partis *Ex læſa actione. cap.3*
affectæ proprium ſymptoma,propriæ actionis eiuſdem noxa, ſiue ſimilarium,
ſiue inſtrumentalium partium actio fuerit, ſingularum etenim animalis cor-
poris actionum vnam eſſe propriam particulam,per quam fiunt, omnibus me-
dicis in confeſſo eſt. Reliquæ verò quæ inſtrumentali parte continentur, eidem *cap.6*
præſtant vſum,vt liquet ſecundo methodi medendi. Quare actionem lædi ne- *1. de loc. affe. cap 2*
ceſſe eſt,inſtrumento ipſam efficiente quomodolibet affecto, vt decretum re- *2 de loc. affe.*
liquit Gal. eodem primo, & ſecundo de locis affectis. Quæ verò actiones ſimi- *cap.2*

larium duntaxat partium ſunt, oblæſo earum proprio temperamento, & ipſas offendi neceſſe eſt. Non ab re igitur ex actione læſa diximus primò inueſtigari debere ipſam partem affectam, quomodolibet ipſa afficiatur. Nam velut naturalis actio neceſſariò comitatur corporis ſtatum naturaliter ſe habentem: ſic contrà, ſi à natura receſſerit actio; ſtatim præter naturam ſe habet, vt patet
cap. 7 primo Methodi medendi; quæ aut non fit, aut male fit, diminutè videlicet, aut deprauatè. Nam ſi ventriculus affectus ſit; & eius propria actio, quæ eſt chylificatio, ſeu aſſumptorum ciborum confectio, ac propriæ eius qualitati aſsimilatio, vitiata erit, ſi iecur, hæmatoſis, hoc eſt, ſanguinis generatio neceſſariò erit oblæſa. Quòd ſi pars, quæ afficitur, peculiari careat actione, verum aliquem præſtet vſum, is non ignorandus erit; cùm & ipſe magnificè conducat ad affectorum locorum inuentionem. Hic enim omnibus partibus, vel nihil agentibus ineſt,
cap. 2 Gal. teſte primo de locis affectis. At vbi vnica duntaxat actio læſa eſt, & ſedes affectæ plures, tum noſtri inſtituti eſt, vt reliquorum varietate ſymptomatum eas diſcernendo, inueniamus, velut liquet quarto de locis affectis.
cap. 4 *Ex excrementorum ſpecie.* Indicant ſecundò partem affectam ipſæ excrementorum ſpecies, quorum excrementorum, quædam ad exquiſitam perducunt partis affectæ notitiam, vt quæ affectæ partis eſſentiæ proprietatem declarant, quædam verò artificioſam coniecturam producunt: quæ nobis perquàm vtilis eſt, vtpote media exiſtens quodammodo inter exactam notitiam, & omnifariam ignorantiam, teſte Gal. pri-
cap. 1 mo de locis affectis. Licet ea aliquando aberret, vt patet commento aphoriſmi ſecundi quarti lib. Sumitur autem artificioſa hæc coniectura ex ea excrementorum natura, quæ in ipſa parte affecta continentur, ſiue natura, ſiue præter naturam. Declarant verò partis affectæ eſſentiæ proprietatem, ſi ea excernantur, quæ ſunt de propria eiuſdem partis ſubſtantia ſeu eſſentia. Vt ſi tuſsiendo aliquando aliquod expuatur bronchion, vlcus maximum in pulmone eſſe exiſtimamus ab eroſione, vel putredine ortum, cùm pars eſſe non poſsit arteriæ aſperæ, quæ inter fauces & pulmonem exiſtit, vtpote tam grandi vlceratione haudquaquam potente in ea fieri, quin prius mors animal præoccupet: at in
In principio. ipſo pulmone talis fieri poteſt, propter cauſas primo de locis affectis à Gal. traditas. Pariter ex ramentis cum alui deiectione per dyſenteriam excretis, inteſtina affecta eſſe dignoſcimus. Haud aliter ſi cum vrina carunculis ſimilia excrementa excernantur, renes affectos eſſe dignoſcimus. At ſi lamarum ſpeciem referant, in veſica vlcus eſſe oſtendunt, prout Hippocr. aphoriſmis 76. & 77.
Ex magnitudine excrementorum. & 81. quarti libri ſcriptum reliquit. Quòd ſi magnitudinem quoque eorum interdum conſiderabis, haud obſcurè, & affectam quoq; ſedem indicabunt. Nam fruſtum vaſis tuſsiendo reiectum, ſi magnum fuerit, pulmonem affectum eſſe vlcere indicat. Etenim quę ad aſperam arteriam in collo exiſtentem proueniunt vaſa, capillorum ferè ſpeciem referunt. Sic ſi tunica inteſtinorum per dyſenteriam eiecta magna conſpiciatur, ſitque latitudine, & craſsitudine his, quæ tenuia conſtituunt inteſtina, multò maior, non ab re coniiciendum eſt, vlcerationem in craſsis inteſtinis conſiſtere. Interdum etiam ea, quæ adnaſcuntur, affectam ſedem oſtendunt. Nanque res adhærentes, eſſentiæ proprietatem obtinent, quemadmodum fungi capite fracto, membranam eſſe affectam indicant. Cuius præterea generis eſt cruſtula quædam, quæ ephelcis Græcè dicitur. Nanque eius particulę, à qua excernitur, vlcerationem portendit, vt vrinæ meatum, ſi cum vrina; ſpiritalium inſtrumentorum, ſi tuſsiendo; gulæ, & ventriculi, ſi vomitione, aliquod inteſtinorum affectum eſſe oſtendit, ſi per alui deiectionem excernatur. Ex alia excrementorum ſpecie, quæ in affecta parte quouis modo continentur, ipſa quoque deprehenditur, licet non exacta notitia, vt ex prędictis, ſed artificioſa quadam coniectura: Vt ſi per vulnus aliquod vrina excernatur, vrinarios meatus, vel veſicam; ſi ſtercus, inteſtinorum aliquod; ſi cibus, ventriculum vulneratum eſſe oſtendit. Sanguis quoque per vulnus ſaliendo reiectus vulneratam indicat arteriam. Efflatus ſpiritus inter reſpiran-

dum

dum per thoracem, membranã coſtam ſuccingẽtem vulneratam eſſe indicat. Eſt præterea alius notitiæ modus ex his excrementis, quæ in affecta parte præter naturam continentur, velut in renibus, aut veſica, lapis, aut pus in thorace, vel ſanguinis grumus, qui Græcè thrombos dicitur, vbicunque contineatur: aut alius quidam humor moleſtus, in animalis corpore genitus, vel extrinſecus ei adueniens. Conferunt igitur modo quo diximus ad affectæ ſedis notitiam excrementa, cuiuſuis generis ſint. At ipſe poſitus affectam ipſam partem nimirum ſufficienter commonſtrare poteſt. Quippe durus in dextra hypochondriorum parte tumor, nõ lienis, ſed iocinoris affecti nota eſt. Quemadmodum ſi in ſiniſtra fuerit, non hepatis, ſed ſplenis affectum portendit. Poſitus inſuper, vbi ſimiliter ſe habeant excrementa, interdum affectam partem cõmonſtrat. Nam ſi membranoſæ tunicæ fruſtulum excernatur, vlcus alicubi eſſe oſtendit: verum in qua ſit particula, ex poſitu diſcere licebit. Nam ſi vomendo fuerit reiectum, gulæ, aut ventriculi, ſi tuſsiendo gutturis, ſeu aſperæ arteriæ, ſi ſcreando, faucium, ſi per ſedem, alicuius inteſtinorum, ſi per mulieris pudenda, vteri affectum portendit. Intelligere nec minus opus eſt ipſius partis ſocietatem, quam cum proximis habet, quæ etiam in poſitionis vocabulo comprehenditur. Conducit nanque & hæc nonnihil ad affectorum locorum inuentionem: conſtat inſuper, quòd ſinguli dolores pro poſitus varietate, affectum locum oſtendere poſſunt. Quippe apparentibus per vomitum vlceris notis, vt diximus, animaduertendum erit, vtrum anteriores partes circa hypochondria, aut poſteriores circa dorſum, dolor infeſtet. Etenim, qui in anterioribus percipitur, ventriculum, qui verò in poſterioribus, gulam affectum occupare cenſendum eſt. Sic ſi in dextra hypochondriorum parte dolor adſit, iecur, ſi in ſiniſtra, lienem affectum eſſe indicat. Atqui ex diuerſa doloris ſpecie, licebit quoque affectam partem comprehendere, prout Galeno placuit ſecundo de Locis affectis. Nam pulſatorius dolor non niſi affectis arteriis per inflammatorios affectus prouenire poteſt: modò pars ipſa, in qua arteriæ conſiſtunt ſentire nata ſit. Quo fit, vt neque in peripneumonia, neque in laterali morbo pulſatorius dolor prouenire poſsit, pulmo nanque ſenſum non habet, quoniam nullus per totum corpus eius diſperſus eſt neruus: ſimiliter neque in hepate, aut renibus, propter ſimilem cauſam, talis apparet pulſatio. Membrana verò coſtas ſuccingens, cuius affectus lateralis morbus eſt, arteriis minimè participat, vtpote quæ per intercoſtalia vocata ſpacia extendantur, & ad eam haudquaquam attingant. Qua de re nec ipſa taliter affecta, pulſatorius ſentitur dolor. Punctorius tamen dolor membranas affectas eſſe indicat. Nam ad eas propriè pertinet hæc doloris ſpecies, vt patet ſecundo de Locis affectis. & libro de Conſtitutione artis medicæ. At grauis dolor in renum, & iocinoris inflammatione non ab re ſentitur. Nam vtrorunque horum viſcerum, velut etiam pulmonis adiacens membrana ſenſu potitur, per quam neruus diſpergitur, & propterea cum à tumore, qui in aliquo prædictorum viſcerum continetur, membrana ipſa diſtenditur, talis ſpeciei dolor ſentitur, qui grauis dicitur. Proinde Hippocr. primus omnium ſexto de Morbis vulgaribus ſcripſit: In renem dolor grauis: & poſt eum optimorum medicorum non pauci. Neque ipſorum dolorum vehementia, ſeu magnitudo, remiſsio, ſeu mediocritas ſpernenda erit, pro affectarum partium notitia. Sæpenumero enim affectum locum coindicant, ſi Galeno credendum ſit, commento Aphoriſmi quinti ſexti libri. Quo loco Hippocr. ſcriptum reliquit, Dolores qui fiunt in lateribus, & pectoribus, atque aliis partibus, ſi multum differant, perdiſcendum. Innoteſcit inſuper affectus locus ex propriis quibuſdam ſymptomatibus ipſarum partium affectarum. Nam ore ventriculi affecto, faſtidium infeſtat. Propter hepatis imbecillitatem excrementa, quæ per aluum deiiciuntur, aquæ, in qua carnes nuper mactatæ ablutæ, ſimilantur. Maxillæ item rubræ apparent in peripneumonicis. Ex his igitur omnibus, vel ſi cuncta ea haberi non poſſunt, ex ipſorum nonnullis, vel quibuſdam, pars ipſa affecta compre-

Ex poſitu.

Ex ſpecie doloris.
Cap. 2. & ſequentibus.

2. de locis aff. cap. 5
Lib. de conſtitut. art. med. cap. 15

Comment. 4

Ex ſymptomatum proprietate.

Ex his, quæ præceſſerunt, ac concomitantur.

Nũquid propriè, & primò, aut per cõſenſum, & ſecundariò pars afficiatur.

henditur. Quamuis nec totius corporis diſpoſitio, natura, ætas, ſeu cõſuetudo deſpicienda ſit, veluti nec ea, quæ præceſsit victus ratio, omittenda erit: vt quiuis affectus locus facilè patefiat. Qua habita notitia, num ipſa propriè, ſeu primò, aut per conſenſum afficiatur, perquirendum erit. Quod quidem nõ ex his quæ diximus, ſed ex aliis deprehenditur. Voco autem partem propriè affectã, cùm in ea permanens ſit diſpoſitio: Quem affectum Græci Idiopathian nominant. A nulla enim parte tunc afficitur, ſed in ſeipſa continet permanentem diſpoſitionem. Veluti ex aduerſo dicimus per conſenſum aliquam partem affici, cùm ab alia, vel cum alia afficitur, adhuc permanentem diſpoſitionem non continens, licet ea ab affectu non ſit penitus libera. Hanc partis affectionem Sympathian Græci appellant. Primarium autem partis affectum, qui ſecundario, ſeu poſteriori opponitur, Græci Propathian dicunt. Sæpenumero autem contingit, vt pars aliqua per conſenſum afficiatur, & propria affectione laboret, cùm in ipſa permanens fiat diſpoſitio: quam non primariò affectam, ſed ſecundariò, & propriè ipſam tunc affici dicemus, Galeni auctoritate primo, de Locis affectis. At quicquid ſit, propria, ſeu primaria pars affecta dignoſcenda erit, ac exactè diſtinguenda ab ea, quæ per conſenſum, & ſecundariò afficitur. Nam huiuſmodi ſpeculatio, vt Gale. teſtatur ſecundo de Locis affectis in fine, non parum ad curationem conducit, cùm ad curandi rationem non ſine manifeſta vtilitate imprimis pertineat, cuínam parti ſint remedia adaptanda, cognouiſſe: quæ non, niſi ei, quæ proprio, ſeu primario affectu laborat, propinanda ſunt. Nanque ea curata, nullus relinquitur in ea, quæ per conſenſum, & ſecundariò afficitur præter naturam affectus, quoad in ea aliqua permanens fiat diſpoſitio. Cum ergo permanere in quapiam parte aliquis affectus conſpicitur, tunc dicimus ipſam propriè eſſe affectam, velut primario, ſeu primogenio affectu laborare affirmamus, cùm à nulla alia prius affecta parte, affectione participet, ſed ipſa primò affecta ſit. Secundariò autem affici partem dicimus, cùm alia ante eam prius afficiatur, à qua demum, ſeu cùm qua afficiatur & ipſa, velut per conſenſum quoque aſſerimus partem affici, quando cum alia, vel ab alia ſic afficitur, vt vna irritata, altera vehementius moleſtetur: remiſſa verò irritatione, quieſcat. Hæc ſiquidem coniectura communis eſt in omnibus affectis partibus, prout Galen. ſecundo de Locis affectis decretum reliquit. Quanquam in quibuſdam propria ſumantur indicia, velut de cerebro ipſemet eodem loco dicebat. Num verò eadem pars, vt ſimilaris, aut vt inſtrumentalis afficiatur, ex cognitione affectus, ac qualitatis eius dependet. Quare tempus erit, vt ad ipſius affectus notitiam accedamus: ac qua via quibúsve indiciis is dignoſci debeat, oſtendamus: cùm non ſolum an aliqua afficiatur pars, vt ventriculus, vel iecur, aut alia huiuſmodi, à medico conſiderandum ſit, verum etiam quis affectus vrgeat, atque diſtinguere, quænam notæ affectibus propriæ ſint, & quænam partibus affectis, iuxta Galeni ſententiam primo de Locis affectis, cap. 5. quamuis paucæ admodum ſint ipſorum affectuum notæ, quæ non ſimiliter affectum locum oſtendant. Vt verò hunc pariter via quadam, ac ratione inueſtigemus, primùm ſanè definiendum eſſe cenſeo: cùm tria ſint in vniuerſum rerum præter naturam genera, ex quónam eorum ſperari poſsit, vt comparetur iudicium dignoſcendi prædictos præter naturam affectus, ſeu morbos. At quoniam omnium ſymptomatum cauſa eſt ea corporis diſpoſitio, quæ morbus, vel affectus nominatur, nihil enim refert, ſiue morbum, ſiue affectum pro nunc eam quis nominet, iure ex ſymptomatibus ipſis morbi cognoſcuntur, vt quæ ipſorũ ſint effectus, ac ipſi morbi, ſeu affectus, ad ea ſymptomata cauſæ rationem habeant, vt patet lib. de Differentiis ſymptomatum, & lib. de Conſtitut. artis medicæ. Ex his denique ſymptomatis affectuum, ſiue morborum notitia inueſtigabitur primò haud aliter, quàm de partis affectæ inuetione diſſeruimus. Nam quòd ſpecies morbi ex propriis ſymptomatibus dignoſcatur, tertio de Criſibus Gal. teſtatur. Cùm verò eorum ſymptomatum genus in tres dirimatur differentias,

cap. 3

Dignoſcendi modus.

In fine.

Affectus dignotio ex quibus.

De diff. ſymptom. cap. 4. & de conſtit. art. med. ca. 15 cap. 4

actionum videlicet offenſam, affectus corporis, & excernendorum immoderationes: ex his omnibus ſumi notæ poſſunt pro affectus, ſeu morbi notitia comparanda. Licet nonnulla eorum ex neceſsitate eos conſequantur, quæ ſymptomata pathognomonica, hoc eſt paſsionis ſignificatiua appellantur: ſiquidem certa ſunt morborum indicia, & vnà cum morbo inuadunt: eiúſque, vt ita dixerim, eſſentiam conſtituunt, vt patet libro de Conſtitutione artis medicæ, & tertio de Morbis vulgaribus. Quædam verò ſymptomata, non ex neceſsitate, ſed vel ſæpiſsimè, vel raro, vel ancipiti opinione morbum conſequuntur: quæ morbi aut differentiam, aut mortem, aut magnitudinem indicant: & hæc quandoque ſimul inuadunt, aliquando ſuperueniunt: nonnunquam verò nullo pacto veniunt. Neque enim ſunt à morbo inſeparabilia, velut pathognomonica appellata: nec eius veluti ſubſtantiam conſtituunt: appellantur autem aſsidentia.

De conſt art. med. cap. 15
3. de morb. vulgar. cõment. 3 cap. 34

Quapropter ſiue hanc præter naturam diſpoſitionem, morbum appellaueris, cùm videlicet ea permanens ſit, ſiue affectum, cùm videlicet motus alterationis ſit permanens, ipſam dignoſcere, præſertim ſi abditis partibus conſiſtat, ex dicendis tentandum eſt. Neque enim cuiuſuis eſt morboſam ſingularum, tum ſimplicium, tum inſtrumentalium partium diſpoſitionem reperire; cùm in profundo ſint abditæ, Galeno teſte, libro de Conſtitutione artis medicæ, cap. 15. Qua de re ſpeculationem quandam inuenire oportet, qua diſpoſitiones dignoſcamus vniuerſas; præſertim eas, quæ circa partes intimas conditæ fuerint. Proinde Galenus primo de Locis affectis, cap. quinto, ratione quadam, ac via docuit eas dignoſcere. Primo quidem ex excrementis: vt ſi vlcus ſit, ex ramentis, ex ſabuloſa quoque vrina lapidem deprehendimus. Excrementa verò ſeminibus cucurbitæ ſimilia, latorum vermium indicia ſunt. Denique ex diuerſa excrementorum ſpecie interni affectus deprehendũtur: nec minus ex doloris proprietate: quamuis ſingulorum dolorum ſpecies nemo cõſcribere poſsit, niſi ipſemet paſſus fuerit, ſitque medicus, qui interpretandi facultatem habeat, & qui prudenter, & ſine mollicie comprehendere ſuos affectus poſsit, dum laborat, vt Galen. teſtatur ſecundo de Locis affectis.

Ex excrementis.
Ex proprietate doloris.

Poteſt tamen affectus aliquis ex ipſa doloris proprietate dignoſci. Inflammatorij nanque affectus ex pulſatorio dolore deprehenduntur. Quamuis non ſingulis hæc doloris ſpecies eueniat: eſt tamen corũ propria.

cap. 7

Ab accidentium quoque proprietate affectuum, ſiue morborum indicia oriuntur. Nam quibuſdam, vt Gal. placuit, per tabificos morbos, vngues adunci euadunt. Intempeſtiuus horror cum febre inflammationis ad ſuppurationem tranſeuntis, indicium eſt. Lingua nigricans ardentem febrẽ portendit. Ab ipſorum quoque locorum affectorum natura, morborum indicia ſumũtur, eo quòd quibuſdam ſolis partibus quidam morbus accidat, quibuſdam verò ſolis nunquam eueniat. Nanque ſoli oculi ſuffuſione laborant. Lapis in renibus, & in veſica duntaxat naſcitur, atque etiam, vt nonnullis placet, in colo. Lumbrici in inteſtinis gignuntur. Rurſus impoſsibile eſt, vt abſceſſum cor ſuſtineat, quemadmodum nec pulmo, neque ſyndeſmi dolorẽ.

Ex accidentium proprietate.
1 de loc. aff. cap. 5
Ex loci natura.

Cæterùm paucæ admodum ſunt, vt diximus ipſorum affectuum notæ, quę non ſimul locum affectum oſtendant. Etenim, vt actionum noxæ affectam duntaxat particulam, ita earum differẽtiæ ipſius affectum declarant: quæ ſolæ ipſorum affectuum ſunt propria ſigna: per accidens tamen ipſos ſequuntur. Variantur nanque noxarum differentiæ pro affectus tum ſpecie, tum magnitudine, vt patet ſecundo de Locis affectis.

cap. 7

Cum his autem, & quæ præceſſerunt, perpendenda ſunt. Nam & ea non parum conferunt pro partis cum affectæ, tum ipſius affectus cognitione, vt liquet primo de Locis affectis. Qualis ergo præceſſerit victus ratio, quæ conſuetudo, ætas, anni tempus, regio, aëris conſtitutio, ſeu cæli ſtatus, ac reliqua conſideranda ſunt, totius corporis diſpoſitione non neglecta, vt valeamus quoad artificioſa coniectura permiſerit, diſtinguere, quis affectus vrgeat, cùm aliqua pars non abdita affecta fuerit: quamuis quidam eorum ſcientifica notitia deprehendi poſsint, vt patet tertio de Locis affectis, cap. 3. Separandíque ac diſcernendi ſunt, vt diximus,

cap. 1
Ex his quæ præceſſerunt.

qui nam affectus fiant in partium propria eſſentia,& qui ipſis veluti inſtrumentis accidant,ac qui facti iam ſint affectus,ſeu morbi,& qui adhuc fiant, ſeu nondum pertinaciter inhæreant,quorũ ſingula ex qualitatis affectus notitia promptè eluceſcunt.Interim ipſius morbi vis,ſeu magnitudo,ac mos ignorari nõ debent.

Trifariam affectus redduntur magni.

Nam cùm triplici genere morbus quilibet grãdis,ſeu magnus ſit, aut propter præcellentiam partis, aut propter affectus magnitudinem, vel propter ipſius malignitatem, Gale. teſte quarto Metho.cap.6.quorum omnium primam indicationem inuenit Hippocr. propterea medicus nec ea ſpernere debet; verùm cognito affectu,hæc ſingula de eo perpendat; ipſam ſiquidem affectus magnitudinem ex diſpoſitionis magnitudine, ac ipſam ſequentium propriorum ſymptomatum.

Modus dignoſcendi eos.

Quòd ſi magnus propter præcellentiam partis fuerit morbus, ex præſtantiæ, partiſque affectæ natura dignoſcet. Morem verò, ſeu cacoethian,cum ex eorundem morborum differentia, tum ex ſymptomatibus, quæ ipſam conſequuntur,ſeu ſuperueniunt.

Qgibus diſtinguantur affectus per eſſentiam ab his, qui per cõſenſum fiunt.

Iis denique cognitis diſtinguere oportet eos,qui per conſenſum fiunt,à propriis affectibus. Nam cum aliqua vitia propriis accidentibus exactè diſcernuntur,ac eadem fuerint perpetua, neque aliis præcedentibus ſuperueniunt, tunc ea propria, ac primogenia appellamus. At cùm propriis accidentibus diſcerni nequeunt,nec perpetuò permanent, & ad alias affectiones conſequuntur, per conſenſum ipſa oriri dicimus: quod tribus modis fieri contingit,vt teſtatur Gale. primo, & tertio, de Locis affectis.

1.de loc. affe. cap.6. 3.de locis aff. cap.1
Affectus per cõſenſum quot modis fiant.

Nam aut ex primo affectu humor quidam, vel vapor eleuatur ad aliam quampiam partem deueniens,in qua demum quiſpiam generatur præter naturam affectus, vt ſimilia ſuffuſioni ſymptomata, vel capitis dolor humoribus in ventriculo contentis,ad oculos,vel caput ex eis vaporibus delatis. Aut propter defectum materiæ, quam ab aliis partibus præpararam ſuſcipere aliqua pars conſueuit. Per conſenſum quoque affectus gignitur,ſi ea priuetur,vt vox vitiata, cùm flatus,ſeu efflatio,materia vocis exiſtens, deperditur. Vel prohibita facultate aliqua:quæ ad quaſdam partes deſcendit,cùm naturaliter operantur, propter aliquem affectum primarium illius partis,à qua facultas tranſmittitur: velut accidit crura reſolui propter ſpinalis medullæ inflammationem; & manus digitos ſenſum amittere,ea parte ſpinæ prius affecta,quæ eſt circa dorſi initium. Læditur nanque vocalium inſtrumentorum,crurum,ac digitorum officium, quamuis ad ea quicquam præter naturam non perueniat; ſed quoniã carent eo,quod ſecundùm naturam ad ipſa peruenire debet. Guttur nanque efflatum ſpiritum non recipit:nec vis ſenti.ndi digitis,aut mouendi cruribus impartitur,atque influit,& propterea eas partes affectas eſſe dicimus, per conſenſum tamen. Nam quoties alicui deeſt illud, ſine quo ſecundum naturam munere ſuo fungi non valet,ipſum iure affectum eſſe putandum eſt,Gale.teſte tertio,de Locis affectis. cap.primo.Tot igitur modis per cõſenſum pars aliqua affici poteſt.Fieri autem hæc conſortia tribus modis; aut propter viciniam, aut propter familiaritatem, vel generis,vel operis; liquet 3.de Morbis vulgaribus comment. primo, ac confirmatur 2.de Ratione victus,& primo de Cauſis ſymptomatum,ab eodem Galeno.

2.de rat.uict. cõment. 44
2.de cau.ſympto.cap.7

His prædictis indicius,qui proprij affectus dicuntur,ab his,qui per conſenſum excitantur,ſeparandi,ac diſcernendi ſunt. Vbi verò cõnexi duo,tréſve,aut plures fuerint morbi,haud aliter dignoſcendi erunt, quàm ex excrementis, locorum natura,proprietate doloris,ac propriis ſymptomatis, diuerſis ſiquidem exiſtentibus pro complicatorum morborũ numero,ac natura. Quibus ritè perceptis ad ipſius affectus, ac affectarum partium cauſæ cognitionem deueniendum erit.Eo indemõſtrabili axiomate ductus,quòd nihil videlicet abſque cauſa fiat,præſertim ſi is quoque nunc fiat.

Cauſa cognitio.

Deinde inueſtigandum erit, num cauſa,quæ affectum efficit,in ipſa affecta parte contineatur, vel per ipſam tranſeat. Eſt nanque cauſa vnum genus eorum,quæ præter naturam ſunt; quæ diſpoſitio quidem eſt præter naturam,velut morbus actiones lædens,licet non primò, ſed ſecundariò. Neque enim ipſam per ſe, ſed morbo interueniente actionem

lædit: vt patet lib. de differentiis ſymptomatum, quo ſolo à morbo diſtat. Dixi *cap. 1*
autem cauſam inueſtigandam eſſe, præſertim ſi affectus nunc quoque fiat, non
ab re. Nam hanc propriè cauſam in confeſſo eſt apud omnes Medicos appella-
ri. Id enim quo tangente afficimur, & quo ſeparato quieſcit affectus, cauſam
eſſe apud omnes homines in confeſſo eſt, dicebat Gale. primo de locis affectis. *cap. 2*
Sic enim ignem vſtulationis, & gladium ſectionis cauſam eſſe credimus. Quã-
quam conſueuerunt Græci cauſam etiam quodammodò appellare, ſi nondum
quicquam agat, ſed eo ſolum, quod poſsit agere, velut incoctio, auctor, & cau-
ſa morborum dicitur, quamuis morbum nondum afferat, quemadmodum lib.
de conſtitutione artis medicæ Gale. ſcriptũ reliquit; nec minus, & id quod egit, *cap. 15*
deſiit vero agere, cauſam nominant, vt idem teſtatur libro de differentiis ſym-
ptomatum. Quicunque igitur affectus præter naturam morbos præcedũt, cau- *cap. 1*
ſæ rationem obtinent, ac morbificæ cauſæ nominantur, ex Gale. ſententia eo-
dem lib. de differentiis ſymptomatum, & ſecundo methodi. Quas morbificas *De differen.*
cauſas in duplici eſſe differentia, primo methodi medendi his verbis oſtendit. *ſymp. cap. 1.*
Quartum verò ab iis genus ſtatuito, quod ſit morbificarum, ſeu inſalubrium *2. meth. cap. 1*
cauſarum. Atque harum, quæ in ipſo animalis corpore conſiſtunt, internas no- *1. metho. cap. 8*
minant. Quæ extrinſecus, externas; niſi mauis, vt nunc vulgus Medicorum con *Morbificæ*
ſueuit, illas antecedentes, has primitiuas vocare. Illud idem confirmauit libro de *cauſæ quot,*
morborum cauſis, dum dixit, Redeamus igitur ad id, quod propoſitum nobis *quæue ſint.*
erat, Nempè, vt ſingulorum ſimplicium morborum cauſas explicemus, tum *cap. 2*
præcedentes, tum primitiuas. Neque enim fuerit abſurdum dilucidioris doctri-
næ gratia, eas huiuſmodi nominibus diſtinguere, eas ſiquidem quæ in animali
ipſo conſiſtunt, ſiue affectus ſint, ſiue motiones præter naturam, cauſas nominãt
morbos præcedentes. Quæ verò extrinſecus adueniunt, ſi vehementer alte-
rant, immutantque corpus, eas primitiuas appellant. Ex quibus Galen. verbis
luce clariùs liquet, eum non niſi duplex ſtatuiſſe inſalubrium, ſeu morbifica-
rum cauſarum genus, nec præter eas dinumeraſſe, quas Arabes, & Medicorum
vulgus, coniunctas, ſeu continentes appellant. Et ſi interdum de eis meminerit
non ex propria ſententia, ſed Stoicorum more loquutus fuit, vt idemmet in lib.
aduerſus Iulianum fatetur, quanquam nec eaſdem inter cauſas poſuerit: niſi re- *cap. 6*
ponantur in numero eorum, quæ eſſentiam habent in fieri, quemadmodũ aliæ
cauſæ. Neque enim ex iis ſunt, quæ abſolutè eſſe dicantur: quãquam earundẽ
affectus, ſeu habitus ex permanentium, conſtantiumq; numero ſunt; vt liquet 2.
meth. med. vbi internæ fuerint præſertim. Nam tũc verè aliquã eſſe cauſam ali- *cap. 8*
cuius dicimus, cùm agit, vt prædictũ eſt. Qua ratione ſi in numero eorũ, quæ in
generatione eſſentiam habent, numeretur continens cauſa, ab antecedente non
diſcrepabit. At ſi aliquo quodam modo ea ſumatur, vtpote quod habeat eſſe
permanens, & abſolutè, penitus à Galeni ſententia ſecludenda erit, qui mor-
bum diſpoſitionem eſſe præter naturam retulit: qui per ſe primò functionem
lædit: quare conincidet cum morbo. Siue ergo externa, ſiue interna cauſa ali-
qua cuiuſuis morbi fuerit, via quadam, ac methodo ea inueſtiganda erit, parte
affecta, ipſoque affectu, ſeu morbo prius cognitis, tam ſi adhuc agat, quæ ve-
rè cauſa appellatur, quàm ſi egit, deſiit verò agere, velut externa: quanquam
hæc tantum pro affectus cognitione, qui actionem vitiat, cùm videlicet ratio-
nem, & ſenſum lateat, inquirenda ſit, vt quarto methodi medendi liquet, non *4. met. cap. 3.*
enim ſolum affectum locum, verum etiam cauſam illi noxam inferentem con- *2. de loc. affe.*
ſiderandam eſſe decreuit Galen. ſecundo de locis affectis. Quæ ſi adhuc agat, *cap. 1. & 9.*
ab ipſius affectus, ſeu morbi ſpecie, ac ſymptomatibus, eorumque diuerſitate di-
gnoſcitur, non modò quæ cauſa ſit, verùm etiam vtrum ea, quæ affectum effi-
cit, in parte contineatur tanquam in propria eſſentia, vel tanquam in inſtrumẽ-
to, aut per ipſam pertranſeat, ex ſymptomatum inquam differentia, vt ex diuer-
ſa noxa diuerſarum functionum, excrementorum varietate, ac corporis diuerſis
affectibus, colore præſertim, ſeu ſapore, ex morbi ſpecie. Nam hæc præcipuè

cauſam indicat, vt ſi tertiana fuerit, bilem; ſi quotidiana, pituitam; ſi quartana, atram bilem cauſam eſſe indicat; aut ſi eryſipelas, bilem; ſi œdema, pituitam; ſi ſcirrhus, melancholiam. Qòd ſi morbus ſimilaris fuerit, & ipſa cauſa tanquam in propria eſſentia partis continebitur; ſi verò in compoſitione morbus erit, permanebit potiſsimum, & cauſa in parte affecta, tanquam in inſtrumento. At ſi permanens non fuerit affectus; nec ipſa cauſa in parte continebitur, ſed per ipſam veluti tranſibit partem, velut nec ipſe affectus permanens, ſeu conſtãs erit. Hunc affectum Archigenes vmbram affectus appellare conſueuit. Totius quoque corporis diſpoſitio, temperamentum, ſeu ægrotantis natura, ætas, regio, tempus anni, victus ratio, conſuetudo, & vt vno verbo perſtringam, cuncta, quæ præceſſerunt, cauſam interim morborum opificem oſtendunt. Nam præteritorum cognitio nihil aliud eſt, vt Gal. inquit, quarto de præſag. ex pulſ. quàm

cap. 11

inuentio cauſarum, quæ affectus inducunt. At cum his addenda erit, cùm ciborum, potionumque, tum medicamentorum quotidiana experientia, vt exquiſitè, cùm morbos, tum eorum opifices cauſas inuenire valeas. Qua experientia vſus Galè. in quibuſdam coli dolore laborantibus, eos ſanauit, vt teſtatur primo

cap. 4

de locis affectis. Haud diſsimili ratione ea morbi cauſa inueſtiganda erit, quæ, licet egit, deſiit tamen agere. Nanque ex ipſa affectus ſpecie, natura ægrotantis, ætate, tempore anni, regione, aëris conſtitutione, præcedenti victus ratione, & aliis prædictis, inueſtiganda erit. Sed præſertim inquirere oportet, qui præceſſerunt in animantis corpore affectus, vt dignoſcas euidentes cauſas extrinſecus aduenientes, quas procatarcticas appellant. Quare, vt ſummatim dicam, intueri oportet cuncta, tam præſentia, quàm præterita ſymptomata; præſentia quidem ex ſe ipſo Medicus inſpicere debet, præterita verò non à laborante ſolum, ſed ab ipſius familiaribus interrogando, perdiſcere; quò promptius, non modò locus affectus, ac morbus ipſe, ſed morbifica quoque cauſa, quæcunque ea ſit, comprehendatur. Quamuis præteritorum cognitio magis neceſſaria fuerit pro cauſarum, quæ affectus inducunt, inuentione: velut præſentium, pro affectuum, & partium affectarum inuentione: vt patet eodem quarto de præ-

cap. 11

ſagitione ex pulſibus. Quibus iam cognitis finem imponet Medicus ei artis medicæ parti, quam dignoſcitiuam appellant, quæ reliquas duas, prognoſticam ſcilicet, & correctiuam meritò præcedere debet. Nanque ex ea, & hæ oriuntur; vt nec prædici quicquam, aut corrigi valeat, ni prius ſingula, quæ diximus, Medicus optimè diſtinguat, ac primò cognoſcat. Mox ad prognoſtica

Prognoſticorum.

accedere debet, cùm venientium præſagia, ſeu futurorum prognoſtica ex præſentibus ſumantur, inuento ſcilicet affectu, ac parte affecta, qui præſentes ſunt, cognitiſque eorum cauſis, ex eiſdem nanque iis, quonam terminaturus morbus ſit, præcognoſcimus, & vſus dexter ſuppetit nobis adiumentorum

cap. 16

Galen. auctoritate libro de Conſtitutione artis medicæ. Medicus nanque futura præſentiendo, ac prædicendo, triplicem comparat vſum, Hippocr. ac Galen. teſtibus primo prognoſticorum. Nam cùm fieri non poſsit, vt omnes ad ſanitatem ægri perducantur, mortis culpa eum vacare oſtendetur, ſi futura prædixerit; obtemperanteſque ægrotos reddit, cùm propenſius ipſi pareant; & de longinquo ipſi morbo obuiam it, multò antè remediorum tempus opportunum edocens.

Tres artis prognoſticæ vſus. In principio.

Quapropter hæc pars artis ſpernenda non erit, quæ in dignoſcendis euentis, quæ in morbis expectantur, conſiſtit. Quorum vnum ac primum quidem eſt, quò erumpet morbus ad exitium ne, an ad ſalutem præcognoſcere. Alterum ab hoc, quo potiſsimum tempore illud accidat. Tertium autem, quinam erit modus mortis, aut ſalutis; quæ omnia ex affectibus præſagiũtur, ex quibus morbi genus, & facultatis imbecillitas, vel robur dignoſcitur. Hæc nanque ſi inter ſe conferantur, futura præſagiuntur, vt quarto de Præſagitione ex pulſibus, tertio de criſib. primo de arte curatiua ad Glauconem, & libro de cõſtitutione artis medicæ teſtatur Galenus. At cum non omnia, quę ſunt circa ægrotantem oritura, neceſſariam generationem obtineant; eorum, quæ

Quæ in morbis prognoſticari debent.

4. de præſag. ex pulſ. cap. 11
3. de criſ. ca. 5
1. ad Glauco. cap. 8
Lib. de cõſti. art. med. ca. 18

Quæ medicus prædicere nõ valet.

non habent neceſſariam generationem: neque erit firma prædictio, cùm de eis certam non poſsit Medicus habere præcognitionem; vt ſi propter vicinorum tumultum, canes latrantes, aut iniucundos quoſdam nuncios inſomnis reddatur æger, nullo horum morbi ratione effecto, quinimò nec eorum omnium, quæ morbi ratione efficiuntur, certam præcognitionem habere poterit. Nam ſi ſuperfluus intra corpus humor aliquis in partem quampiam principem repentè influat, aut ab ea in viliorem tranſeat, quò fit, vt, cum, qui in princeps membrum illatus eſt, ſummum periculum; cum verò, qui non in primariam, ſed in viliorem partem tranſmigrauit, ſubita, ac inexpectata ſalus laborantis neceſſariò ſequatur: in his ſtatibus, quò terminaturus ſit morbus, non exactè comperit Medicus; ſed tantum prænoſcere in his licebit inconſtantiam, ac lubricitatem.

In quibus morbis præſagiri futurũ poſsit.

At ſi permanentiam habuerit morbus, in quo non amplius diffluunt excrementa, ſed in locum vnum quendam graſſata, illum occuparunt, præſagiri in his futurum poteſt, ſi videlicet rectè omnia circa ægrotum gerantur. Nam quæ perperam à quopiam aguntur, eæ cauſæ exiſtunt, vt aut morbi ſolutio prorogetur, aut mors anteuertat. Propterea meminiſſe ſemper oportet, vt Galenus tradit libro de Conſtitutione artis medicæ, cap. decimooctauo. ſola optimi Medici præſagia, curante quidem ipſo, euenire, ægroto autem nihil delinquente.

Quæ requirãtur, ut præſagia eueniant. com. 6

In hoc igitur morbi genere, cum virtutis imbecillitate, vel robore collato, futura præſentiri poſſunt; cùm ſumma totius præſagitionis in morituris, conualituriſq; ſit, quoties vis ægrotationis cum ægri facultate conferatur, Galeno teſte ſecundo prognoſticorum. Cognita nanque morbi ſpecie ex propriis ſymptomatibus, vt oſtendimus, ac eius magnitudine, ex quantitate eorundem ſymptomatum, aut partis affectæ præſtantia, cognitaque benignitate, vel malitia, ſeu, vt ita dixerim, more; quem dignoſces ex ipſius morbi differentia, ac ſuperuenientibus ſymptomatis, quod quidem maximè inſpiciendum eſſe iuſsit Galen. tertio de criſibus, cap. quarto; adiuncta conſideratione temporis anni, naturæ, regionis, & ſimilium, nunquid æger ſeruabitur, aut morietur, inuenies; potiſsimum tamen ſi hæc tria reſpicies, ſpeciem videlicet, morem, ac morbi magnitudinem, partis affectæ notitia non poſthabita, ſi qua eſt, quæ præcipuè afficiatur:

Vires ex quibus dignoſcantur.

poſt quæ virium robur, vel imbecillitatem, cum ex earum propriis actionibus, tum ex commodo temperamento, vel intemperie partium, ex quibus vires proueniunt, dignoſcere oportet, tam eius, quæ ex corde prodit, quàm quæ ex hepate oritur, quàm etiam quæ ex cerebro originem ducit. Quamuis naturæ robur præcipuè ex pulſuum actionibus agnoſcatur, vt patet libro de conſtitutione artis medicæ, & libro de curand. rat. per venæ ſectionem.

De cõſti. art. med. cap. 18

Tamen per quam potiſsimum facultatem ægro periculum immineat, Medicus perpendere debet ipſius facultatis indicia bona, vel mala inſpiciens, velut Galeno placuit tertio prognoſticorum.

De cur. rat. per ſangui. miſſ. cap. 14

com. 37

Nanque veluti obluctatoribus quibuſdam, ſemper duobus his Medicus attentus eſſe debet, nempè morbo, & naturæ, ſeu viribus: & proinde ſanitatem, vel mortem non ex aliis meditationibus præſentiet, quàm ex morbi, & naturæ robore exactè cognito, ad hæc inquam duo capita cuncta rediguntur, eodemmet Galeno auctore libro primo de arte curatiua ad Glauconem, & libro de conſtitutione artis medicæ.

1. ad Glauc. cap. 8

De cõſti. art. med. cap. 18

Quibus ignoratis minimè poterit exactè prænoſcere, ac prædicere. Deinde, & futuri ſtatus præcognitionem perdiſcere ſtudendum eſt; potiſsimum ſi criſi terminaturus morbus ſit: Neque hoc difficillimum fuerit, cognita morbi ſpecie, ac magnitudine.

Primum quod in morbis præſagiri debet.

Horum denique cognitione habita, exactè quicquid de ægrotante futurum ſit, inueſtigari contingit, nunquid ſeruabitur, vel peribit. Nam vtrum aliquis portando oneri ſufficiat, ſciri minimè poterit, hominis robore, oneris magnitudine, & itineris longitudine antea non perſpectis. Aegri nanque vires portanti onus, morbus verò oneri, tempus autem, quod vſque ad ſtatum extenditur, itineris longitudini reſpondet, prout Gale. tertio de criſibus aſſeruit.

cap. 5

Euadendum ergo, vel pereundum homini eſſe ex horum duorũ altero robuſtiore cognito, morbo videlicet, vel natura, ſeu

viribus

viribus, prædictio facienda erit. Nam ſi vires adeò validæ fuerint, vt poſsint morbum ſuperare, neceſſe eſt ægrotum euadere. Si verò contrà, omnino morietur. Vires tamen nec omnium indiciorum exactè interſtinguere oportet, inter ſe comparando, non probè dignoſcere, & indicia certa, ac alia ſigna. Sunt nanque ea certa indicia, quæ indicant vires corpus gubernantes, quo pacto robore valeant, vel deficiant. Hæc nanque perpetuò ſi mala ſunt, malum; bona verò, bonum denuntiant, vt patet tertio prognoſticorum. Ex eiſdem quoque & terminum vtriuſque inueniet Medicus. Quod tanquam ſecundum euentum in morbis expectandum prædignoſcendum eſſe dicebamus; morbi videlicet, ac naturæ robore exactè cognito. Nam eo tempore ægri euadent, cùm morbum ſemel ſuperatura eſt natura. Morientur verò tunc temporis, cùm facultatem morbus adeò proſternet, vt functio aliqua ad vitam neceſſaria, pereat. In propinquo autem morbi ſolutio erit, cùm bene valuerit facultas, ac morbo fuerit valentior; is vero imbecillis: quòd ſi ea fuerit imbecilla, morbus vero validior, mors maturabit. Præſcriptionis autem tempus indicat magnitudo exceſſus. At quantum alter alterum ſuperet coctionibus, ac incoctionibus, hoc verè ex proprijs excrementis percipies. Quæ quidem in vaſis continentur, per vrinas; quæ in toto corpore, per ſudores; quæ in thorace, & pulmone, per ea quæ extuſsiuntur; quæ in ventriculo, & inteſtinis, per alui excrementa; quæ in veſica, & renibus, per ea quæ in vrinis deferuntur; quæ in ſuperiori ventre, ac ſtomacho, per ea quæ vomuntur; quæ vero per palatum, nares, vel aures excernuntur, quomodo cerebrum robore affectum ſit, declarabunt. Ita & de reliquis iudicandum excrementis. Nam commune in omnibus eſt, non prius diſſolui morbum poſſe, quàm aliquod in exeuntibus excrementis coctionis indicium apparuerit. Coctiones nanque omnes criſium celeritatem, ſecuritatemque ſalubrem portendunt. Cruda autem, & incocta, & quæ in malos conuertuntur abſceſſus, infectas iudicationes, vel labores, vel tempora, vel eorundem recidiuas, aut mortem ſignificant, auctore Hippocr. primo de morbis vulgaribus. Præfinitum ergo tempus, quo vel pereundum, vel euadendum ſit homini, ex eo intelligas, quanto videlicet alter altero valentior ſit. Id vero coctionibus, & incoctionibus propriorum excrementorum percipitur. Nanque, vt dicebat Galc. primo de criſibus, cap. decimonono, ſummopere neceſſarium eſt, exquiſite ſcire dignoſcere, quantum inuicem ſuperant, & ſuperantur, & coctionis, & cruditatis ſigna. Habent enim vtraque non paruam inter ſe differentiam. Nam poſſunt, & integræ cruditatis ſigna, & debilis, mediocriter, aut parua ſatis apparere: velut & coctio debilis, ſeu obſcura, aut manifeſta, vel perfecta, & integra. Hæc igitur vniuerſa in primis etiam morbi diebus, quos primus præfinit quaternarius, præſertim ſi acutus ſit, exacte dignoſcenda ſunt, pro notitia temporis, quo potiſsimum ſalus, aut ægri exitium expectetur. Nanque vſus prædictionis eſt agnoſcere diem, quo morbus iudicandus eſt, Galeno auctore tertio prognoſticorum. Verum cum nec ſcribi, neque ſermone edoceri omnino ſingulorum quantitas poſsit, vt patet primo de arte curatiua ad Glauconem. cap. octauo, ex nulla tamen re poſſumus adeò ad exquiſitam eius peruenire notitiam, quantum ex crebra exercitatione circa quantitatis coniecturam. Neque enim bene prænoſcere valebimus, niſi horum ſingulorum magnitudinem diligenter penſitemus; eiuſdem morbi motu, nunquid videlicet acute, aut tarde moueatur, non neglecto. Modus autem ſalutis, aut mortis ex eiſdem fere patebit. Nam cognita morbi ſpecie, ac motu, naturæque inclinatione (cum neceſſario, vt animal pereat, aliquam facultatem, pro vita neceſſariam aboleri oporteat) cùm ea aboletur, vel ipſam ſuffocans morbus, vel proſternens, vel partim proportione ſuffocans, & proſternens, eandem auferet. Id vero ex morbi natura, ſeu ſpecie, ac loco affecto perdiſces. Sunt nanque morborum quidam, quorum natura eſt ſuffocare, vt thoracis, pulmonis, aut gutturis affectus, ſeu aſperæ arteriæ, qui vitalem ſuffocant facultatem, & nonnulli etiam qui ſtatim ipſum cor occupant,

tex.39. Secundum. Comment.2. tex.44. et 45 Com.10 Tertium.

quemadmodum longi, ſeu vehementes dolores, ſtomachici affectus quidam,
aut iocinoris affectus diuturni ipſum proſternunt, ac hecticæ febres omnes, &
ipſius corporis cordis (quoquo modo fuerit genita) ingens intemperies. Ex in-
genti quoque cerebri intemperie animalis facultatis imbecillitates excitantur,
ex impletionibus ventriculorum eius, & obſtructionibus meatuum, qui in eos
penetrant, ſuffocationes oriuntur eiuſdem animalis facultatis. Pari ratione de
altrice, ſeu naturali facultate ſentiendum erit; etſi perire omnino animal non
poſsit, niſi cor afficiatur: & propterea ſemper mors ſequitur ad immodicas
cordis intemperantias, vt quinto de locis affectis patet. Similiter ſi euaſurus *cap. 1*
ſit æger, quis nam erit ſalutis modus, ex eiſdemmet intelliges, potiſsimum
naturæ inclinatione, ſeu motu exacte perſpecto, viribus ipſis bene valentibus,
ac morbo valentioribus exiſtentibus. Proinde merito cum Galeno iterum con
cludamus quarto de præſagitione ex pulſibus; quòd cui ſtatus facultatis per- *cap. 11*
ſpectus ad vnguem ſit, locuſque affectus, & eius affectus, hic ad futura præ-
ſentienda eſt peritiſsimus. At ſi libuerit præcognoſcere, nunquid criſi, vel non
criſi terminandus ſit morbus, ac ex quibus id prænoſcere liceat, librum ter-
tium de criſibus conſulas: vbi Galenus illud ſcriptum reliquit; nos vero hic *Præcipue c. 3. & 4. curatio*
breuitati indulgentes prætermiſimus. Inuentis denique affecta parte, ipſo af-
fectu, & cauſa, ex eorumque notitia ſelecto prognoſtico, reliquum erit, ſi cu-
rari affectus valeat, ad eius curationis modum accedere. Etenim medicinam
eſſe inquit Hippocr. libro de arte, morbos ab ægris in totum tollere, & morbo- *circa princip.*
rum vehementes impetus obtundere, & eorum qui à morbis victi ſunt, cu-
rationem non aggredi. Quorum itaque curationem aggrederis, communiſ-
ſimum eiuſdem Hippocr. axioma, lib. de flatibus præſertim, ac nonnullis aliis
in locis conſcriptum, perpetuo præ oculis habeto: Quòd omnia videlicet, *In princip.*
quæ preter naturam ſunt, ab iis, quæ ipſis ſunt contraria, curentur. Verum
cum eorum duplex ſit prima differentia, vt ex Gale. patet vndecimo metho- *cap. 12*
di, aliis, per ſe ſubſiſtentibus, aliis vero in ipſo fieri, vt ita dicam, ſuam eſſen-
tiam habentibus, non omnibus tamen ipſis ex vſu eſt ſemper mederi, ſed iis
quæ vere per ſe ſubſiſtunt: ex his nanque curationis indicio præſtatur. Nam
id quod curationem deſiderat, aliud plane non eſt, quàm affectus, qui vitiat
actionem, vt Gale placuit primo methodi medendi; & ſecundo eiuſdem dice- *1. Meth. cap.*
bat, non functionis vitio, ſed morbo ipſi, id eſt, affectui præter naturam, qui *2. meth. cap.*
actioni incommodat, applicamus remedia: & proinde neceſſe eſt remedio-
rum inueniendorum initium ex morborum ipſorum natura ſumi, vt eidem
Gale. viſum eſt tertio methodi medendi. Siquidem abſurdum ſit, vt ipſe fate- *In principio.*
tur, aliud eſſe, quod curandi rationem præſcribat, aliud quod curetur: indica-
re enim de ſe quicquam magis poteſt, quàm de alio. Semper igitur comparan-
dum eſt remedium, quod affectui ſit contrarium; ab ipſoque affectu prima in-
dicatio ſumenda; ac illi demum remediorum indicatio, quæ à laborantis na-
tura ſumitur, adiicienda ex Gale. ſententia ſeptimo medendi. Nanque mini- *cap. 13*
ma eſt ea, quæ ab ipſo ſumitur affectu, &, tantùm initium, &, vt ſic dicam, car-
cer, vnde medendi ratio promouetur; cum is merito morborum curator ſit,
cui facultas adeſt illa inueniendi: ex quibus perfici poſsit quod à prima indi-
catione ſuggeritur, ratione quadam, & methodo, ſi rationalis, & methodicus
ſit Medicus. Nam ſi per experientiam inuenerit, obſeruator, & empiricus eſt
nominandus. Vnùm itaque eſt in omnibus curationibus principium, tum &
via, quæ ab eo principio ad finem vſque ducit, in omnibus particularibus mor-
bis ſimilis eſt. Quare & ſi in ſingulis morbis priuata quædam methodus ſanan-
di videatur, commune tamen in omnibus genus vnum eſt: auſpicari etenim
perpetuo oportet ab indicatione, quæ ab affectu, cui mederi paramus, accipi- *cap. 4*
tur, quemadmodum quarto method. Gal. ſcriptum reliquit: & demum exami- *A quo ſumenda ſit prima indicatio pro curatione.*
nare, ac diſcernere, an cauſa, quæ affectum excitauit, iam deſierit, an ipſum
quoque nunc tum augeat, tum faciat. Methodos propterea de medicamentis

diſcas oportet, ſi conſummate morbos ſis ſanaturus, ac, vt quæ particulatim ſunt agenda, promptè inuenias, doctus tum ab eo, quod prima indicatio dictat, tum vero ab ægræ partis natura, tum ambientis temperie, ac aliis his cognatis, vt eodem quarto methodi medendi liquet.

cap.3

Quanti vero momenti ſit ea, quæ ab affectis partibus præſtatur indicatio, pro ipſorum morborum curatione, ſexcentis in locis Gal. teſtatus eſt: ita vt in decimotertio methodi ſcriptum

cap.10

reliquerit, nihil obſtare quo minus medicinam non ſex menſibus tantum, ſed ſex diebus totam addiſcas, ſi quis eam, quæ à partibus ipſis præſtatur, indicationem adimat.

Ab ipſa parte affecta nō vna dūtaxat indicatio ſumitur.

Prima Indicatio.

Atqui ex ipſa affecta parte pro morborum curatione non vna tantum indicatio ſumitur, etenim ab ipſius temperamento prima ſumenda erit. Ipſa nanque menſuram præſcribit adhibendorum medicamentorum pro morborum abolitione, quando videlicet vberius, & diutius, & quando minus, ac breui tempore, calida, vel frigida, humida, vel ſicca medicamenta adhibere debeant; cum eatenus redeat ad naturam eorum quodque neceſſe eſt, quatenus à natura receſſerit: ac veluti quadam via retroferatur, quæ in diuerſum agat ei, quæ facta eſt in ipſo, tranſmutationi: quamuis & ipſa etiam partium ſubſtantia ſimul cum affectu, medicamenti genus commonſtret quoque, vt patet quinto methodi medendi: velut modus vtendi ab ipſius forma,

cap.11

Secunda indicatio.

ac ſitu deſumitur. Secunda indicatio ab eius actione ſumitur: Nunquid videlicet cunctis animalis partibus vtilis ſit, aut paucis quibuſdam, aut ſibi vni. Verum hæc in iis intemperiei generibus deſeruit, quæ ex humoribus ſunt orta. Nam audacter euacuare licebit, ſi pars ſibi ſoli inſeruiat, prout affectus ſuadebit, virtuti tamen eius attendendo. At ſi opus partis neceſſarium ſit omnibus animalis particulis, veluti ventriculi, & iocinoris, non leuis adhibenda diligentia de robore virtutis eſt, ne hanc, magna ſemel vſus euacuatione, diſſoluas: quare cum cautione euacuandum, vt ne quid virtuti officias. At cum non par ſit actionum dignitas, ad portionem actionum dignitatis etiam cuiuſque partis proſpiciendum eſt robori: & propterea intelligendæ ſunt omnium particularum tum functiones, tum vſus, vt ſupra retulimus, ex quorum intelligentia haud difficulter inuenies, quatenus cuiuſque robur cuſtodiri oporteat.

Tertia Indicatio.

A figura etiam affectæ partis indicatio ipſius modi euacuandi excrementi ſuggeritur. Nam venter vomitu, deiectioneque inanitur. Inteſtina deiectione tantum, ſicut iocinoris caua. Renes vero, & iocinoris gibba, veſica, ſi multo vitioſo ſucco ſint referta, per deiectiones, & pharmaca deiectoria expurgantur, ſin modico ſint referta, per vrinarios meatus. Cerebrum verò per palatum, nares, & aures. Pectus, & pulmo, per aſperam arteriam, & fauces.

Quarta Indicatio.

A ſitu quoque affectæ partis indicatio dabitur ſane non leuis, cum ad ſolidarum partium intemperiem, tum ad ſuccorum vitium. Nam qui per ſumma corporis intemperie laborant, iis medicamenta, quæ intemperies requirit, applicabimus. Quibus autem in profundo corpore intemperies eſt, in his rationem interualli habebimus, vehementioribus vtentes medicamentis, quàm intemperies requirat. Nam ſi eis vtaris, quæ intemperies requirit, multo imbecilliora quàm vſus poſtulet ad locum peruenient. Ad euacuationes quoque ſitus nonnihil indicat, ſocietatem cum aliis particulis laborantis partis docens, & propterea per quæ, ac quomodo euacuare oporteat, ipſa partis poſitio præcipue demonſtrat, vt liquet ſecundo de arte curatiua ad Glauconem, & quinto, ac decimotertio methodi.

2. ad Glau. c. 2
5. meth. cap. 13
13 meth. ca. 15

Nec ſpernenda erit indicatio, quam ſenſus partium acuitas, hebetudoque ſuppeditant, quando omne medicamen contemnunt, quæ tardi ſunt ſenſus, etiam ſi non leuiter rodant. At quæ acuti ſunt ſenſus, eorum vires dolore reſoluuntur. Expedit igitur his non confertim, nec ſemel valentioribus auxiliis mederi, ſed tuto potius in tempore. At vbi tardus eſt ſenſus, in his

Quinta Indicatio.

etiam celeriter obire, quod iuſtum eſt, licet, ſemel vtendo remedio, quod ſit idoneum. Sumpta igitur ab ipſo morbo prima indicatione, ac prædictis omnibus de affecta parte optimè perſpectis; ſeu ipſarum nonnullis, quæ contraria

ſunt

ſunt morbo, vna, vel duabus qualitatibus, aut tota ſubſtantia pro eius aboli-
tione, propinanda ſunt, victus ratione primum inſtituta: quæ iterum ex ipſius *[Victus ratio.]*
morbi ſimulque affectæ partis notitia, præſtatur. Etenim vniuerſa morbo pu-
gnare debet, quoad eius qualitatem ſpectat. Similis vero ætati, conſuetudini, ac
naturali temperamento inſtituatur, etſi veræ alimoniæ ſcopus vnus tantum
ſit communis prorſus cum ſanis, tum languentibus, facultatis ſcilicet vitalis
cuſtodia, vt patet apud Gale. primo de ratione victus in morbis acutis. Nanque *[comment. 44]*
morbus, ſuæ affectionis indicat auxilia, venæ ſectionem videlicet, clyſma, ca-
taplaſma, oxymeli, aquam mulſam, atque aliorum vnumquodque. Virtutis ve-
ro cuſtodia ſolam indicat alimoniam. Quanquam morbi affectionem in ci-
bandis ægris, non tanquam cibi indicatricem, ſed tanquam prohibitricem
contemplamur. Vbi igitur non prohibuerit morbus, facultasque præceperit,
tunc nutrimus. Neque enim cibus morbi affectionem ſua ratione iuuabit, niſi
vim etiam medicamenti obtineat, quæ contraria velut ipſa medicamenta,
morbo eſſe debet, vt diximus. Ipſius verò quantitas metienda erit, prout ma-
gis, vel minus vires indigent, ac morbus ipſe à cibo maiorem, vel minorem
noxam ſuſcipere paratus eſt, quod idem eſt, ac ſi dixeris promptius, aut ægrius
alimoniam prohibeat. Similis quoque ratio habenda erit in ſingulis alijs mor-
bis, non ex intemperie tantum, ſed ex quauis alia cauſa ortis, cùm non alia ra-
tione curentur, quàm per contrariam victus rationem, ac medicamenta con-
traria, parte ipſa affecta, ac eius indicationibus non neglectis, vt ſuprà decre-
tum eſt. At ſi non vnus tantum fuerit præter naturam affectus, ſed duo, vel plu- *[Complicatorũ affectuũ curandi ratio.]*
res, primum exiſtimare licebit, à quo maximè diſcrimen ægro impendere
videatur, vt ab eo non leue periculum immineat. Nam affectus, a quo primum, *[Primus modus cõplicationis.]*
maximeque impendet homini periculum, hic primus curari debebit, vt patet
tertio, & ſeptimo meth. meden. Quanquam interdum non primus modò, ve-
rumetiam ſolus. Ad id verò quod magis vrget, dirigi primum curantis conſi- *[3. metho. c. 9.]*
lium debet, non tamen alterius cura omnino poſthabita, cùm etiam aliquan- *[7. meth. c. 12.]*
do omnibus pari ſtudio auxiliemur, ſi æqualiter vrgeant. Vrgebit autem ma-
ximè affectus, vbi ipſe magnus fuerit, aut ex eius propria eſſentia, ſeu magni-
tudine, vel quia cacoethes: aut propter affectæ partis præſtantiam, quam occu-
pat, vt diximus Gale. auctoritate quarto methodi medendi. Hac igitur via cu- *[cap. 6]*
rari debent complicati affectus, vbi alter magis vrgeat. At ſi ita ſe habeant, vt *[Secũdus mod.]*
vnus ſanari nequeat, niſi prius alter curetur, ad id, quod ordo dictat, eſt reſpi-
ciendum, eo ſcilicet primo curato, quo non curato, reliquus affectus curari
non valet. Veluti ſi vlcus vnà cum phlegmone conſiſtat, quamuis phlegmone
ad vlcus conſequatur, curari tamen non valet vlcus, niſi prius phlegmone cu-
retur, prout ſcriptum reliquit Galen. tertio methodi medendi. At ſi vnus affe- *[cap. 9]*
ctus cauſæ rationem obtineat, alter verò effectus, animaduertendum erit quis *[Tertius mod.]*
nam eorum augere, aut gignere reliquum poſsit: quíve rurſus, vel gignatur,
vel incrementum ab eo ſuſcipiat, illud pro comperto habens non poſſe ad per-
fectionem vllum affectum ſanari, manente adhuc ipſa, vnde natus eſt, cauſa.
Quanquam fieri aliquando poteſt, vt tanta ſit morbi, qui ſe habet vt effectus,
magnitudo, vt præſentem perniciem, niſi occurras, afferat: quo caſu oporte-
bit huic primò occurrere, deinde ad cauſam redire: vt à Gale. decimo metho- *[cap. 1]*
di medendi decretum eſt, licet non amplius complicari tunc affectus à medi-
co, vt cauſa, & effectus conſiderentur, ſed vt vnus magis vrgeat, quàm alter.
Qua de re idem erit curationis modus, velut in prima affectuum complica-
tione diximus, qua ratione interim fit, vt quamuis ſymptoma nullum ſeorſum
curationem exigat, vtpote cum affectu, vnde naſcitur, vnà ceſſans, & proinde
nullum ſymptoma, qua ſymptoma eſt, curationis rationem indicat, nec primã
immutat: ex accidenti tamen ſymptomata quædam interdum curationem im-
mutant, cauſæ ſcilicet locum eo tempore habentia, quando adeò aucta ſint,
vt lædant aut virtutem, aut affectionem: quò fit vt curandi ratione mutata,

ſymptomata primum ſummouere cogamur. Quod iterum non, vt ſymptoma, ſed tanquam magis vrgens affectus à Medico conſideratur. Complicatur nanque non modò morbus cum morbo, & ſymptoma cum ſymptomate, ſed morbus cum ſymptomate, ſeu ſymptoma cum morbo interdum. Cùm videlicet grauiora adeò ſint ſymptomata, vt eis proſpici maiore medentis ſolicitudine debeat. Nam ea, quæ neceſſariò morbis ſuccedunt, tanquam effectus eorum, ceu prorſus non ſint, relinquimus. Sunt etenim & morborum ſigna, & vnà cum effectu, vnde oriuntur, ceſſant, ipſum vmbræ ritu comitantia, vt patet vndecimo methodi medendi. *cap. 12* Cùm igitur eò complicantur affectus, vt vnus cauſæ rationem obtineat, reliquus verò effectus, qui vel gignatur, vel incrementum ab eo accipiat (nam ſi genitus ab eo fuiſſet, nec amplius generaretur, aut incrementum ſuſciperet, nulla ſumeretur ab ipſo curatiua indicatio, tanquam alterius cauſa, vtpote eo non amplius lædente) ab eo affectu prima ſumenda erit indicatio: ac is primò curandus, à quo alter gignitur, aut incrementum ſuſcipit, non alio inquam modo, quàm, vt ſuperius demonſtrauimus, ſi morbus ille fuerit, ac ex ſe ipſo functiones quaſdam primo offendat (ſubinde nanq; morbus ex morbo naſcitur, vt teſtis eſt Gale. lib. de differentiis morborum) *cap. 7* demum ad reliquum accedere, qui vt effectus ſe habet, cuique nanque eorum ſua erit contrarietas, & ſi plura ſint morborum genera, vt liquet vndecimo metho. *11. Metho. c. 2* Ita vt omnis exceſſus per contrarium exceſſum ſanetur, vt ipſemet Galen. teſtatur octauo eiuſdem. *8. Meth. cap. 1* Vbi vero qui generat, vel auget affectum, non morbus, ſed morbi cauſa fuerit, ipſa cauſa ſpectanda erit, Gale. præcepto ſeptimo meth. med. *cap. 12* Nanque hæ dum lædunt, curandi rationem immutant, ac interpellant, vt liquet duodecimo eiuſdem, *cap. 1* cum ex eis prouidentiæ indicatio, & non curationis veræ, & propriæ præſtetur, quò fit, vt in iis nec affectus ſimplex, nec ſanatiò ſit: tamen prima indicatio ab ipſa ſumitur cauſa, ac procul dubio hæc primò ſananda erit. Interim tamen nec eius affectus, qui per eam genitus eſt, ratio non habenda erit. Quinimò ſi in idem conſentiant, & quæ morbum curant, & quæ cauſam oppugnant, ſine cunctatione id peragendum erit. *Affectuũ qui fiunt differentiæ tres.* Animaduertendum tamen in huiuſmodi implexibus, quòd nonnunquam à cauſa quapiam oritur affectus, ſed ita oritur, vt ſeparata cauſa, haudquaquam affectus ipſe permanentem habeat diſpoſitionem. Interdum autem partim iam affectus eſt, partim etiam dum fit. Sæpenumero, quanquam fieri deſinat ablata cauſa, perſeuerans tamen manet diſpoſitio, vt primo de locis affectis, & octauo meth. med. teſtatur Gale. *1. de loc. affe. cap. 2. & 3, 8. meth. cap. 1* Proinde ſi talis naturæ erit, qui à quapiam cauſa affectus oritur, vt ea ſublata permanere non valeat propter eius exiguitatem, propter quam interdum non apparet eſſe, ſummouenda tunc tantum cauſa erit, nulla demum ipſius affectus habita ratione, cum propter eorum exiguitatem, ſeparata cauſa faciente illico tales affectus finiantur, natura videlicet ipſos ſanante, nullo adhibito medicamento. At ſi non adeo exiguus affectus ſit, ſed pars eius iam genita ſit, pars in gignendo, & etiam dum fiat, vtrique conſulendum erit. Primum quidem ſummouendo, quæ ipſum efficit, cauſam: deinde quod factum iam eſt ipſius auferendo, vtpote natura propter eius magnitudinem abſque medicamento externo ipſum vincere non potente. Quòd ſi in idem conſentiant, & quæ cauſam reſcindunt auxilia, & quæ affectum oppugnant, cum vnum ſit in quod vtraque conſpirant, ſine cunctatione, vt diximus, id peragendum erit. Quanquam prima indicatio perpetuo ab ipſa ſumitur cauſa, eaque nimirum prima ſananda erit. Etenim dum ipſa lædit, curandi morbi rationem interpellat, vt oſtendimus. Interim tamen nec ipſius affectus, ſeu morbi ratio non habenda erit, vt diximus, quinimò ſemper quoad fieri poſſit, medicamentorum materia eligenda eſt, quæ cum hoc, quòd cauſam reſcindant, affectum ſaltem non augeant. Si ex eiſdem amborum ſublatio prouenire non poterit, commune præceptum Galen. perpetuo obſeruantes lib. artis medicæ, vt vnamquanque prius, quæ efficit cauſam reſcindamus, deinde

ita ad

ita ad illam, quæ ab eadem cauſa facta eſt, ægritudinem accedamus, ſalubrium cauſarum intentionem facientes: quod quidem Medici opus mixtum iam eſt ex præſeruatione, & curatione. Nam per cauſæ morbum efficientis abolitionem, illud quod factura erat cauſa illa, prohibitum eſt fieri: & hoc pertinet ad artem præſeruatiuam. Quod vero iam factum eſt ex morbo, propriam exigit curationem. Quare non immerito cum talia mixta ſint ex præſeruatione, ac curatione, interdum aliàs alia vtimur appellatione, cum proprio hoc opus nomine careat. Semper enim curatio prophylacticen ſibi quoque permiſtam habet. Nec ſecus exequendum eſſe cenſerem, cum perſeuerans permaneat diſpoſitio, quanquam ablata cauſa fieri deſinat. Quinimò ipſa cauſa prius ſublata, vniuerſa Medica intentio (quamuis affectus fieri deſinat, quoniam perſeuerans manet diſpoſitio) pro ea diſpoſitione auferenda ſuis contrariis occupari debet, modo quo ſupra retulimus, neglecta eo tempore cauſæ indicatione, vtpote non amplius lædente, ipſa iam ſublata. Vt vero ipſius efficientis cauſæ congrua fiat abſciſsio, ea animaduertenda erunt, quæ in noſtra methodo breuiter conſcripſimus, vtpote ſi opus fuerit, ipſam prius concoquendo, ac præparando, & demum euacuando. Interim autem ſtatim circa initia ipſam euacuabis, prout vſus vrgebit, vtpote ſi materia turgeat, aut ea quæ ex turgentia immineant pericula, etiam ſi non turgeat. Quantitas vero quæ auferri debet, tum ex eiuſdem quantitate menſuratur, tum ex virium robore, vel imbecillitate maiori, vel minori: quod quidem ſummopere perpendendum iuſsit Galenus nono Method. meden. Semper enim ad vires collatio facienda erit, vt quantum ipſæ permiſerint, aut prohibuerint, tantùm ipſius cauſæ morbi auferamus, & non auferamus. Pro magnitudine etenim imbecillitatis impeditur vacuantium auxiliorum vſus, vt patet decimo eiuſdem Metho. meden. Quòd ſi cum viribus imbecillibus corruptela humorum incidat, oportet & paulatim, quod vitioſum eſt, euacuare, & paulatim inuicem quod ſalubre eſt pro eo reponere, vt nono Metho. med. ſcriptum eſt: vocant autem Medici eiuſmodi vitioſi ſucci curationem Græcè epicraſin. Naturæ autem robur, prout ſuperius diximus iuxta Galen. ſententiam libro de cur. ratione per venæ ſectionem, & lib. de conſtitut. artis medicæ, ex ipſo præſertim pulſu dignoſcimus. Si vero adeò imbecilles interdum vires fuerint, vt omnino cauſæ abſciſsionem prohibeant, ipſæ prius roborandæ ſunt, tanquam magnopere vigentes cauſæ; eo tempore, ac morbi indicatione poſthabita; ac demum ad cauſam, ipſumque morbum redeundum erit, vt patet decimo Metho. med. Nam virtus omnium prima cuſtodienda hominibus eſt, ac omnium ea prima indicatio eſt, quæ à virtute ſumitur, licet non ſit prima, vt quæ curationem doceat, cùm ex numero curatricium indicationum non ſit, quamuis ex accidenti aliquando virtutis roboratio ad affectus curationem conducat. Verùm prima eſt earum, quæ ad vitæ cuſtodiam pertinent. Nam neque vt valeamus, nec vt à morbis liberemur, ab ea quicquam proprium deſumimus, ſed vt viuamus, ex eiuſdem Galen. decreto nono Metho. med. Quòd ſi affectus, ſeu morbi cauſa non amplius lædat, ac ipſum efficiat morbum, licet prius feciſſet, cum non amplius cauſa ſit, nec in corpore perſiſtat, aut actiones lædat, nulla ab ea ſumenda indicatio erit, pro eius ſublatione, aut eiuſdem affectus curatione, ſed tantum pro ipſius affectus notitia, vt diximus ex Galeni ſententia quarto Metho. meden. Si verò ea nondum efficit, aut lædit, poterit tamen olim lædere, aut actu morbum efficere, hæc ad eam attinet artis partem, quæ verè prophylactice dicitur: de qua hoc loco ſermonem facere non intendimus. Nam quomodo ſanitas, quæ iam deperdita eſt, vendicanda ſit, & non quo pacto ea in corporibus ſeruanda, aut eadem corpora à morbis præcaueri debeant, pertractare aggredimur.

Cauſæ abſciſſio.

cap. 10

cap. 2

cap. 10

De cur. rat. per uenæ ſec. cap. 14

de conſt. art. med. cap. 18

cap. 1

cap. 15

cap. 1.

EXERCITATIO.

Περὶ μνήμης ἀπολωλυίας. *Id eſt, De memoria deperdita.*

CAPVT I.

CVM caput, ſeu cerebrum, quod in capite continetur, aut velut arx, ſedes, & domicilium ſit animæ ratiocinatricis, vel ipſa anima forma ſit, aut temperamentum eiuſdem cerebri, vt Galeno viſum eſt tanquam in hac re ancipiti, in ſecundo, & tertio de locis affectis, ac ſeptimo de Hippocratis & Platonis decretis, & ſexcentis fere aliis in locis, non ab re ab eiuſdem affectionibus exordiemur. Verùm de eis, non velut cæteri, qui indiſtinctè ſcripſerunt, tractare intendimus. Quicquid enim ſit ad Galeni mentem anima ipſa, cùm ſemper de eius ſubſtantia anceps fuerit, & proinde confeſſus fuerit ipſius eſſentiam non nouiſſe, illud tamen, non modo eiuſdem auctoritate, ſed Hippocratis, Platonis, ac Ariſtotelis, pro comperto habetur, eam ob ſuſcipientis ipſam corporis alterationem immutari poſſe, & proinde interdum lædi; velut etiam experientia indies comprobari videmus, animæ ſcilicet functiones à diuerſis præter naturam affectibus oblædi, quamuis eam incorruptibilem ac immortalem, vt Chriſti aſſecla, firmiter teneam. Propterea ratione diuerſarum læſionum animæ functionum, quæ ex diuerſis cauſantur præter naturam affectibus, eorundem ordinem quendam ſtatuemus. Nam cum quædam per ſe ac propriæ actiones ſint, quas ex ſe ipſa operatur, velut imaginari, cogitare, ac memorari; quædam vero munera per aliud exequatur, tanquam inſtrumentis quibuſdam, vt ſentire, medüs inſtrumentis ſenſus, & moueri, inſtrumentis motoriis, principium, ac originem, & ſentiendi, & mouendi eis præſtans, vt liquet in Gale. doctrina; propterea cum duxi ordinem ſeruandùm, vt primo de iis affectibus ſermo habeatur, ex quibus principes animę functiones læduntur. Secundo loco, de iis, qui ſenſibiles operationes offendunt. Tertio vero, de iis vitiis, quæ quomodocunque voluntarios motus impediunt. Vltimo, ſi qui ſint præter naturam affectus in capite orti, in quibus, aut cunctæ prædictæ animæ functiones, aut plures offendantur, de iis etiam tractare non grauabor: quibus tandem enarratis, abſolutus erit ſermo de capitis affectibus. Et licet omnes ferè difficilis ſint cognitionis, cum nullum habeant loci affecti ſignum, quod ſenſibus dignoſcatur: nam neque tumor præter naturam, neque dolor, neque excretio, aut aliud quippiam apparet, quo valeamus partem affectam in eis dignoſcere, in memoria quidem deperdita id potiſsimum conſpicitur. Quapropter cum non admodum facilis ſit in ea affectione partis affectæ dignotio; cumque ſit ex numero earum affectionum, quæ raro euenire ſolent, vt teſtatur Gale. tertio de locis affectis, in quibus remediorum inuentio ex vera demonſtratione procedens, quam hic ſectari potiſsimum intendimus, experientia longe præſtat, non ab re cum Gale. tertio de locis affectis, ab hac exordiendum eſſe cenſui: cuius dignotionem, prognoſticum, ac curationem, via quadam, ac ratione, iuxta eiuſdem Gal. monimenta præcipue, & Hippocratis, ac aliorum Gręcorum, veterumque Latinorum, Arabibus omnino poſthabitis, velut & aliorum quoque affectuum præter naturam, conſcribere paramus, illum, quem in præcedenti vniuerſali capite propoſuimus ordinem perpetuo ſeruantes. Propoſito nanque quolibet vitio, de quo differendum erit, quis locus afficiatur primo inueſtigabimus, deinceps quis affectus præter naturam ſit, & quibus indiciis, cum ipſe, tum eius cauſa dignoſcantur, dilucidabimus. Quibus exactè cognitis, ad eiuſdem vitij prognoſtica primùm, & deinde curationem rationabili quadam methodo deueniemus. Cum itaque quiſpiam omnium eorũ, quæ prius nouerat, oblitus fuerit, huic memoriam deperditã eſſe fatemur, adeo, vt interdum eueniat, vt quidam eorum, & literarum, & artium in tantum obliti fuerint, vt ne nominum quidem

ſuorum

2. de loc. affe. cap. 9
3. de loc. affe. ca. 5. 6. & 7.
7. de Placitis cap. 3

Ordo ſeruandus in capitis affectibus.

Cur prius de memoria deperdita.

cap. 4

cap. 3

Autores quos ſectabimur.

Quis ordo ſeruetur in ſingulis affectibus.

Memoria deperdita quid.

ſuorum meminiſſent, prout Galenus teſtatur libro de differentiis, & ſecundo de cauſis ſymptomatum, Thucididem pro teſte inducens. Huius affectionis, quæ pars in ea affecta ſit, cum omnes affectarum partium notione indigeant, primò inueſtigabimus. Quæ quidem quòd ea ſit, qua princeps animæ vis continetur, nulli dubio eſt, quam ſola actionis læſio ſatis conducit ad dignoſcendum. Hæc nanque, cum nulla alia pateret via, Galeno ſatis erat, pro affectarum partium inuentione, velut ſcriptum reliquit tertio de locis affectis, potiſsimum in hac affectione, in qua nullum affecti loci ſignum, quod præcipue eiuſdem ſit, haberi poteſt, videlicet neque tumor præter naturam, neque dolor, neque excretio, neque aliud quippiam tale, nec ea affectio, ſi caluaria tantum affecta ſit, fieri poſſet, vt patet eodem tertio de locis affectis velut quod nec cerebrũ ipſum ſecundum eius ventriculos afficiatur, idem Gale. ſecundo de cauſis ſymptomatum decretum reliquit. Nam nec eius generatio, nec ſolutio ſubitaria eſt: relinquitur ergo iuxta eius doctrinam, quòd cerebrum ipſum ſecundum proprium eius corpus, in quo principes exercentur functiones in obliuione, ſeu deperdita memoria, affectum ſit. Ipſa verò affectio ſymptoma eſt in genere noxæ functionum animalium principum: in qua memorandi facultas non deprauata eſt, nec imbecilla reddita, ſed omnino abolita: quòd promptè ex modo læſionis ipſius facultatis, ac ab ipſius notione patere poterit. Verùm cùm cuiuſuis ſymptomatis cauſa morbus ſit, vt liquet libro de differ. ſymptoma. eumque præcedere neceſſe ſit; ad quem cerebri morbum conſequatur, inueſtigandum erit: hunc verò omnino intemperiem, eamque frigidam ipſius cerebri, quæ animales actiones torpidas efficit, Gale. tertio de locis affectis, ac ſecundo de cauſis ſymptoma. aſſeruit eſſe, medicamentorum exemplo, quæ hoc ſymptoma facere poſſunt, quibus refrigerandi facultas ineſt, illud comprobans. Siquidem calida cauſa motum excitat, frigida autem ocioſum, & ad motiones pigrum reddit animal; id quod animalia quoque quæ per frigora latere coguntur, haud obſcure declarant: perinde enim ac ſi mortua eſſent, hyeme ob frigoris vim latitare ſolent, vt ipſemet Galen. aſſerit ſecundo & tertio de locis affectis. Illud idem confirmauit Hippocrat. tum libro, de morbo ſacro, tum in epiſtola de inſania, cùm dixit, Obliuioſos fieri dum cerebrum perfrigeratur: hoc verò à pituita perpetiuntur, cùm præter ſolitum morem compingitur. Verùm nunquid ea ſola frigida cerebri intemperies ſit, vel cum humiditate, ſeu ſiccitate copulata, ex aliis quibuſdam ſignis deprehenditur; ſomnos ſiquidem obſeruando, vtrum videlicet vehementer, an modicè ſomnolenti ſint, aut omnino non ſomnolenti, ſed quantum ad ſomnum pertinet ſecundum naturam ſe habeant. Nam ſi vehementer ſomnolenti ſint, frigidam ac humidam cerebri intemperiem, ſi omnino non ſomnolenti, frigidam ac ſiccam, ſi verò modicè ſomnolenti ſint, frigidam tantùm intemperiem eſſe ſignificabit. Præterea conſiderandum eſt, num quippiam excernant, vel ex naribus, vel ab ore, quod quidem à capite defluat, aut ſiccæ appareant partes hæ: nam ſi multa excernantur, pariter humidam cum frigida copulatam intemperiem: at ſi aridiores huiuſmodi partes ſint, ſiccam, & frigidam: ſi vero quantum ad hæc pertinet, ſecundum naturam ſeſe habeant, frigidam tantum intemperiem deperditæ memoriæ cauſam eſſe oſtendunt. Nunquid autem hæc cerebri diſpoſitio ipſius primaria ſit, vel per conſenſum, nam ſic quoque exoriri poteſt, vt in quibuſdam morbis in abſceſſum declinantibus Gale. teſtatur ſecundo de cauſis ſymptomatum; diſcerni illud poteſt, ſi obſeruaueris, num prædicta affectio propriis accidentibus dignoſci valeat, perpetuoque permaneat, ac ad alias affectiones non conſequatur: nam tum primario affectu cerebrum laborare conſtabit. Quòd ſi propriis accidentibus diſcerni non valeat, neque perpetuo permaneat, atque ad alias affectiones conſequatur, per conſenſum memoriam offendi dicemus. Sunt qui velint aliis quoque cerebri partibus affectis, ac ex quibuſdam, præter dictas intemperiebus, eam oriri poſſe; quos, ſiue Græci, ſeu Arabes, vel Latini fuerint, cum à Gal. doctrina, ac Hippo

De differen. ſympt. cap. 3.
2. de cauſis ſymp. c. ulti.
Quæ pars in ea affecta ſit.
cap. 3
cap. 4
cap. ult.
Quis affectus præter naturam.
cap. 4. & 5.
Symptoma cũ ſit, quẽ morbũ ſectetur.
3. de loc. affe. cap. 5
2. de cauſis ſymp. cap. 7
2. de loc. aff. cap. ult.
3. de loc. aff cap. 5
De morbo ſacro circa finẽ.
Via diſtinguẽdi diuerſas cerebri intemperies, ad quas ſequitur.
Nunquid per eſſentiam, aut per cõſenſum læſo cerebro, fiat.
cap. 7

3. de loc. affe. cap. 5
2. de cauſis ſympt. ca. 7.
Quot quæue ſint eius cauſæ.
Diuerſarum cauſarũ indicia.

magnopere deuient, Galenus inquam, vt liquet tertio de locis affectis, & ſecundo de cauſis ſymptomatum. Hippocrates vero, vt præcitatis locis patet, præſertim cùm eoſdem tanquam duces præcipuè ſectari intendamus, breuitati modò indulgentes, miſſos faciemus. Huius autem affectionis cauſa cum interna, tum externa eſſe poterit: quòd ſi interna fuerit, vel redundans pituita, vel ſuccus melancholicus erit. At ſi pituita, non tantum ex modo dictis ſomnis, ac cerebri recrementis illud percipies, verùm ex ægri habitu, ætate, ac temperatura, anni tempore, regione, & cæli ſtatu, ac præcedenti victus ratione; omnibus ſiquidem, aut ſaltem pluribus ad frigidum & humidum vergentibus. Pariter, ſi redundans melancholicus ſuccus prædictæ affectionis cauſa fuerit, vt diximus, aderunt ſomni, tum excrementa, ac cuncta alia, quæ præceſſerunt ad frigidum, & ſiccum inclinabunt. Si verò nullum affuerit prædictorum humorum redundantiæ ſignum, ex aliqua externa cauſa ortum ducere coniectandum erit; præſertim ſi ex extrema ſenectute obliuio originem non ducat; idque potiſſimum percipies ex ægri, vel aſtantium relatione: vt ſi quiſpiam morbus prius præceſſerit, ſolutusque in totum in obliuionem tranſierit: vel ex aſſumptione quorundam medicamentorum, quæ ingentem refrigerandi facultatem habẽat: ſeu capiti quomodocunque adhibita fuerint. Ex immodicis quoque laboribus in ſtudiis, atque vigiliis, vel in aliis quibuſdam, ortum habere poterit; veluti in eo, qui circa diſciplinas, & in alio, qui vites colebat, propter labores Galen.

cap. 5

nouit: vt patet tertio de locis affectis. Ex aliis quoque infrigidantibus, quæ extrinſecus accidunt, ſi immoderatius occurrant; velut ſunt tum cibi, tum potiones ſuapte natura frigidiores, excitari poterit. Quòd ſi modica fuerit ipſius memoriæ offenſio, ob minorem euenter cerebri refrigerationem, & veluti quidam torpor eius erit, ac labes, nec omnino ea abolita erit, ſed diminuta, ſeu imbecilla. Si verò ſimul cum memoria ratio quoque deperdatur, quæ affectio fatuitas, ſiue ſtultitia nominatur; à Græcis μώρωσις dicta, licet ab eadem diſpoſitione procedat, vehementius tamen in hac intenditur iuxta eundem Galenum eodem tertio de locis affectis, ac ſecundo de cauſis ſymptomatum.

Locis citatis.
Prognoſticũ.

At quoniam totius præſagitionis ſumma in morituris, conualituriſque eſt, quoties vis ægrotationis cum ægri facultate confertur; ſi enim morbus vehementior eſt, æger omnino morietur, ſi debilior quàm ægri facultas, haudquaquam morietur, vbi nihil erroris committatur Gale. teſte ſecundo prognoſticorum; propterea conſiderata hac affectione, quæ ſuapte natura cerebrum, membrum ſiquidem princeps, lædit, perpenſaque eius magnitudine, quanta videlicet fuerit, factaque demum relatione ad vires ipſas, cum ipſius cerebri, tum etiam totius corporis, vitaleſque, ac naturales, ſi affectus eis ſuperior inueniatur, vtique morietur æger; ſin contra, ſeruabitur: potiſſimum ſi alia conſenſerint, ætas videlicet, temperamentum, tempus anni, &c. Tempus autem coniectari poterit ex maiori, vel minori robore virium, & prædicti affectus, ac magnitudine exceſſus eorundem. Quæ, & ſi in aliis non dicantur, in cunctis tamẽ ſubintelligi affectibus debere volumus. Hippocr. verò libro primo prædictionum, obliuionem malam eſſe retulit. Inſuper ex Aëtij ſententia, capite de memoria amiſſa, valde timendum erit, quibus ea derepente deficit, alia vero ſana eſſe videntur, ne comitialis morbus eis ſuperueniat, aut ſideratio, vel reſolutio, aut quoddam aliud magnum cerebri malum.

Comment. 6
Quæ ſeruãda ſint in ſingulorũ affectuum prognoſtico, etſi non dicantur.
tex. 28
Aëtius lib. 6 cap. 23
Curãdi ratio.

Pro cuius curatione illud primò animaduertendum erit, non tantum in hac, ſed in ſingulis ſequentibus affectionibus nos earum tantum curationes docere, quæ per eſſentiam ortum habent, ac primariæ & propriæ ſunt, & non earum, quæ per conſenſum tantum, ac nullam propriam curationem requirant, ſed ſublatis primis, ac propriis affectibus, quos inſequuntur, ſtatim & ipſæ auferuntur, vt liquet primo & ſecundo de locis affectis. Quemadmodum ſi obliuio ad lethargum, vel cæteros ſoporiferos affectus inſequatur, aut ad morbum quempiam in abſceſſum declinantem. Summa verò huius affectionis medela eſt in calfaciendo vniuerſum ipſorum corpus intrinſecus, & extrinſecus, iuxta

1. de loc. affe. cap. 6
2. de loc. affe. cap. 9

menſu

Victus ratio.

menſuram euariationis habitus naturalis, Aëtio auctore. Proinde tam ſi ab interna, quàm ſi ab externa cauſa ortum ducat, aër ad calidum inclinet oportet. Nam cùm ſine eo nec ſanitas tueri, nec morbus tolli poſsit, Galen. teſte nono meth.med. non immerito is primo alterandus erit; isque ſit luminoſus, alienus ab aquilone, ac auſtro, cùm vnus infrigidet, alter verò caput repleat. Caueat à multo ſomno, præſertim diurno, ac ſuper repletionem; ſed is ſit moderatus; velut & vigiliæ moderatæ quoque eſſe debent, cùm & ſuperfluæ ſpiritus diſſoluant. Exercitium quoque moderatum, & pedum, & manuum, & interdum capitis cum frictionibus ex aſperis linteis magnopere confert: velut quies immodica, ac deſidioſa vita valde offendunt. Alui excrementa ſingulis diebus, ſi non à natura, ab arte educenda erunt: eorum nanque retentio caput offendit. Caueant ab immoderatis animi affectibus, præſertim mœſtitia, cura, ac ſolicitudine: nam iræ excitatio forte eis non nocebit. Cauenda eſt multa repletio alimentorum & potuum, vitandaque ſunt edulia infrigidantia, craſſefacientia, & inflantia; multusque aquæ, adhuc magis vini potus. Ab oleribus propterea omnibus frigefacientibus abſtinendum, fructibus, ac bellariis, caſeoque, ac lacte. Verùm, vt Aëtius teſtatur, alimentum conuenit friabile, & aliquo modo calefactorium, ac attenuatorium. Acriora autem alimenta, velut ſunt allia, thymbra, origanum, pulegium, ex interuallis exhibeantur. Sed & horum etiam copia vitanda erit. Cruditas quoque omnino cauenda, cum omni re magis mentem vitiet. Vinum his conuenit tenue, album, non valde vetus. Nam per moderatam caliditatem, vt ait Aëtius, tum alia nō pauca poteſt, tum animam manſuefacit, & motum ei præbens concinnum, ac ſedatum; ad tripudium aptam facit. Veneris verò vſus ſit rariſsimus. neque enim ad totius corporis ſalutatem conducit, neque ad animæ ratiocinationes, ſi immoderatus fuerit, confert. Verùm illud memoria tenendum erit, quòd ſi à frigida, & humida cauſa obliuio ortum duxerit, non tantum ad calidum, verum & ad ſiccum vniuerſa victus ratio declinabit. Si verò cum frigiditate ſiccitas fuerit commiſta, non modo ad calidum, verumetiam ad humidum vergat oportet; cùm ex calido & ſicco prorſus læderentur taliter affecti, velut experientia comprobauit Gal. in eo, qui ob laborem in ſtudiis effectus erat obliuioſus; ſimulq; in eo, qui vites colebat. Hoc autem cùm non magno negotio fieri poſsit, breuitati indulgentes bona fronte omittimus. Medicamentorum verò ratio ea ſeruanda erit. Nam ſi ex pituitæ redundantia obliuio ortum duxerit, eam prius concoquendo, ac præparādo, demum euacuare oportet: pro cuius concoctione, ac præparatione vtaris rhodomelle, accipiens eius vnc.j.& s. ſyrupi de infuſione roſarum vnc.j. aut tantundem oxymellis cum eodem ſyrupo de infuſione roſarum cum aquæ betonicæ, ſampſuchi, vel hyſſopi vnc.iij. vel iiij. aut ſampſuchum, hyſſopum, betonicam, ſerpillum, vel thymum in aqua mulſa decoquito: de qua vnc.iiij. vel v. ægro tribuantur: quibus pluries adhibitis ſecundum totum, vel partem concocta, ac præparata materia, eam euacuare licebit ex decocto myrobalanorum chebulorū pondere drac.iiij. agarici trochiſcati drac.j. vel ſcrup.iiij. florum ſtœchadis drac. s. cui adde ſyrupi de pluribus infuſionibus roſarū rubearū, aut roſarū perſicarum vnc.ij. vel iij. diacatholicon vnc. s. aut confectionis de dactylis drac.ij. vel iij. & ſi vnica vice tota cauſa auferri nequeat, quod ſæpius euenit, tum ſuapte natura, quia craſſus, & lētus humor eſt, tū ratione partis affectæ, iterū is præparādus, ac concoquendus erit cum eiſdem, vel valentioribus, vt ſyrupo de ſtœchade, aut oxymelle ſcyllino, eis iterū addendo ſyrupum de infuſione roſarum, permiſcendoque decoctum aliquod ex ſupradictis, & miſcēdo, ſi videbitur, in eo pulegium, origanū, vel ſtœchadem; quo denuò concocto, ac præparato ex catapotiis arabicis, aureis, ſine quibus, vel aggregatiuis cū agarico permiſtis, euacuari poterit: drac.j. vel ſcrup.iiij. excipiēs ex dictorum catapotiorū aliquo, addendo inſuper agarici trochiſcati ſcrup.ij. aut drac.j. redactisq; in formā catapotiis cum aqua ſampſuchi, vel betonicæ, rhodomelle, ſeu ſyrupo de ſtœ-

cap. 14

3. de loc. affe. cap. 5

Medicamētorum ratio.

Ex pituita.

chade:

chade:poſt quæ per duas vel tres horas exhibeatur potio ex decocto myrobalanorum prædictorum drach.iij.in quo aut ſyrupũ ex pluribus infuſionibus roſarum,aut mel aëreum ponderis vnc.ij. vel iij.diſſoluatur. Auxiliatur etiam iis ſummopere purgatio ex hiera,præſertim Rufi,vt Paulo & Aëtio placuit. Verùm quæ de quantitate medicamẽtorum hîc ſcribimus, gratia exempli habenda erunt, cùm nec dici,nec ſcribi,nec præcipi ea poſsit, ex Gale. mente tertio Metho.meden.quare coniectura quadam aſſequi licet. Nam nihil æquè artem medicam in agendo coniecturalem efficit,vti cuiuſque remedij quantitas, eodem Gal.auctore lib.de Curandi ratione per venæ ſectionem. & ſi quid in nobis eſt,& ex nulla re adeo poſſumus ad exquiſitã eius peruenire notitiã, quantum ex crebra exercitatione circa eiuſdem quantitatis coniecturã,eodem Gal. teſte primo,de Arte curatiua ad Glauconem.cap.8. Minui igitur poteſt,vel augeri ſingulorum,quæ diximus,ac in ſingulis affectibus,quam dicemus, quãtitas, pro diuerſo rum virium robore,temperamento,natura, ac ætate laborantis, & cõſuetudine,regione,anni tempore,ac cæli ſtatu,& aliis.Nec aliter ſentiendum erit de modo eorum vſus,ac temporis occaſione: quæ præ omnibus eſt cognitu difficillima,vt liquet eodem libro primo, de Arte curat.ad Glauco. nam ad recte medendum plurimum conferre videtur, & temporis occaſio, & auxiliorum quantitas.quod quidem perpetuo memoria tenendum cõſulo. Placuit inſuper Paulo cap.vndecimo libri 3.pro cura huius affectionis vti acribus clyſteribus,veluti ſi hieram compoſitam,vel Rufi apponas, agaricũ, hieralogodion, aut aliquid tale in quantitate opportuna,miſcendo vnc.ij.vel iij. mellis roſacei, & iij.vel iiij.olei,vel communis,vel amygdalarum dulcium, chamæmelini, aut anethini cum decocto maluarum,mercurialis,foliorum betæ, florum chamæmeli,furfuris,& ſalis.At ſiquid reliqui fuerit in capite prædicti redundantis ſucci,ad particulares ipſius cerebri euacuationes te conferas oportet, apophlegmatiſmis vtens iis,qui pituitam à capite attrahunt, compoſitis ex chiamaſtiche; & vua paſſa vinaceis detractis,interim addas zinziber, pyrethrum, aut nigellam,aut cubebas: ex quibus figurari poſſunt manſiles paſtilli. Interdum errhinis vtendum erit liquidis,præſertim ex decocto hordei cum corticibus, manipuli vnius ſampſuchi,hyſſopi,betonicæ,ana vnc.iij. quo ſecundum artem cõfecto,ex eo ſumantur libræ duę,vel tres,& additis ſucci foliorum,& radicum betæ vnc.iij.aut tantundem ſucci braſsicæ: vel, ſi validius quæras, ſucci cyclamini vnc.ij.quibus commiſtis calidis moderate,aut tepidis,naribus infuſis vtaris:& ſi fortiori indigeas,addere decocto poteris caſtorei, aut nigellæ drach.vnam,calaminthæ, origani, ſeu ſtœchadis vnc.ij. Nec omnino ſternutatoria ſpernenda erunt,quæ ex pipere,caſtoreo,ſeu albo helleboro,diuiſim, vel coniunctim fieri poſſunt.Placuit etiam Aëtio poſt purgationem,ramentum eboris drach.j. pondere,aut cornu cerui tantundem,ſeu caſtoreum ſimiliter vnc.j. pondere potum cum aqua mulſa magnopere huic affectioni prodeſſe,ac opitulari. Simili modo & ipſe laudarem drach.j.aut amei,vel ſucci rutæ,ſeu ſeminis vrticæ cum prędicta aqua mulſa,ſimiliter tantundem confectionis anacardinæ,aut aureę alexandrinæ,confectionis diambræ,diamuſchi dulcis, mithridati, aut theriacæ cum aqua mulſa,aut pauco vino albo.Ab extrà verò irrigationes,quas Grçci, ἐμβροχὰς vocant,ex alto cadentes torrentis ritu capiti prius abraſo adminiſtrari poſſunt,præſertim iuxta coronalem commiſſuram,qua parte cùm ea laxior ſit, atque os tenuius,& rarius,promptè non tantum qualitates, ſed etiam ſubſtantiæ medicamentorum,præſertim ſi tenues fuerint,intro tranſmittuntur, Gale.teſte, ac in ſeipſo experto decimotertio Metho.tum ſecundo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos.Quæ ex aliquibus prædictorum medicamentorum parari poſſunt,veluti ex decocto hyſſopi,ſerpilli, thymi ana pug.s. beronicæ,ſampſuchi,florum chamæmeli ana pug.j.florum ſtœchadis vnc.iij.fiat decoctum,cui adde caſtorei drachm.j.aceti vnc.j. Nécnon tum parte eadem,tum poſterioris capitis partis in occipitio videlicet, ac iuxta primam & ſecundam

De quãtitate medicamentorũ quid ſentiendum ſit.
3. meth.cap.3.
cap.12

1. de Arte curat.ad Glauc. cap.1

13. Method. cap.ult.
2. de compoſ. medic.ſec.loc. cap.1

vertebram, vnctiones ex oleo nardino, nucis muſcatæ, ac de caſtoreo, coſtino, vel de piperibus fieri poterunt, pariter & ſaccelli approximandi; vt Recip. hyſſopi, ſampſuchi, & florum ſtœchadis ana drach. j. caſtorei, nucis muſcatæ, ſpicæ, macis, ana ſcrupul. j. corticum thuris, maſtiches, & ligni aloes ana drach. j. & s. roſarum rubearum ſiccarum, æquali pondere omnibus, contundantur, & formentur ſacculi. Illius tamen ſemper meminiſſe oportebit, etiamſi aliquãdo in ſermone relinquatur; nõ prius adhibenda eſſe topica vocata remedia, quàm præmiſſa fuerit vniuerſi corporis curatio ex Gale. primo de compoſ. medic. ſecun. loc. & tertio de locis affectis. *1. de compoſ. med. ſec. loc. cap. 1. & 8. 3. de loc. affe. cap. 3* Id enim commune præceptum eſt; quod in omnibus morbis obſeruare oportet. Quòd ſi iis non ceſſerit affectio, vltimo loco ſinapiſmo vtendum erit, vt Aëtio placuit non modò in occipite, vt ipſe refert, verùm potius in ſyncipite, propter ſignatas cauſas. Frigida verò, & ſicca cerebri intemperie exiſtente, ex qua obliuio gignitur, ſi fortè cum quapiam ſucci melancholici redundantia fuerit, *Ex melancholico ſucco.* is parandus primò erit expulſioni, id quod cum ſyrupo ex ſucco boraginis, vel fumariæ, permiſto cum ſyrupo ex infuſione roſarum, aquis betonicæ, lupulorum, & meliſſæ perficies; quibus prout viſum fuerit pluries aſſumptis, infraſcripto medicamento purgante ducendus erit. Rec. myrobalanorũ Indorum drach. iij. ſenæ, epithymi ana drach. ij. florum lupulorum, fumariæ, & boraginis ana drach. ij. & s. fiat decoctum in aqua fontis, in cuius expreſſionis quãtitate diſſolue mannæ electæ vnc. ij. diacatholicon drach. vij. aut diaſenę vnc. s. vel ſyrupi domini Auguſtini vnc. iiij. fiat potio. Reliqua demum topica remedia ad humidum magis, quàm ad ſiccum vergant, tum vnctiones, de quibus mentionem fecimus, eis addendo oleum chamæmelinum, anethinum, ac amygdalarum dulcium. Irrigationibus autem prædictis iterum humectantia addendo exſiccantia demas, pariter & ſacculos pares oportet. Quòd ſi frigida tantùm, & ſicca, aut ſolùm frigida intemperies ſit, calfaciente, & humectante victu, ac eiuſdem qualitatis medicamentis alterantibus tum intus, tum extra vtendum erit, frigida, & ſicca exiſtente. Si verò frigida, tantùm calefacientibus. At ſi ob extremam ſenectutem euenerit obliuio, non oportet curioſè aliquid moliri, ſed ſola conueniente victus ratione contentus eſſe. Si ex immodicis laboribus, ac aliis euacuationibus, refectoria diæta vti conuenit. Si ex frigidis medicamentis abſorptis, aut capiti adhibitis, & intus, & extra calida medicamenta approximanda erunt, ex iis, quæ ſupra diximus. Ex quibus omnibus diligens Medicus poterit non modò quamlibet obliuionem rationabili methodo curare, verumetiam & ipſius labem, ſeu, vt ita dixerim, torporem, in quo non abolita, ſed imbecilla redditur memorandi functio: prouenit ſiquidem ex eiſdem ferè cauſis, quamuis non admodum auctis, velut ſi ipſa deperdatur. Quapropter cognita cauſæ diuerſitate eiſdemmet medicamentis vtitor, ea tamen ſeligendo, quæ mitiora fuerint. At ſi cum ipſa memoria deperdita, ratio quoque deperdatur, quò fit vt ſtultitia, ſeu fatuitas generetur, pariter obſeruando, quæ prius à nobis dicta ſunt pro cauſæ dignotione, abſque labore pro eiuſdem affectionis ablatione iam dictis medicamentis vti poteris, ex eis tamen, quæ valentiora ſunt eligendo, cùm ex vehementiori cerebri intemperie gignatur, Galeno teſte tertio de locis affectis, velut ſuperius dictum eſt. *cap. 5*

Περὶ ληθάργου. *De lethargo.* CAP. II.

CVM maximam habeat cum deperdita memoria affinitatem is affectus, qui à Græcis λήθαργος, à Latinis interdum lethargus, interim veternus à quibuſdam appellatur, non ab re de eo hìc verba faciemus. Nomẽ ſiquidem nactus eſt ἀπὸ τῆς λήθης, quod obliuio interpretatur, & ἀργῆς hoc eſt, iners: proinde λήθαργος, *Vnde nactum ſit nomen.* obliuio iners Latinè dici poſſet, cùm in ipſo marcor, & inexpugnabilis penè dormiendi neceſsitas percipiatur, velut Paulo, & Celſo viſum eſt cap. nono

libri

Quæ pars afficiatur.
13. meth. c. 21
libri tertij, & cap. vigeſimo libri tertij. Quòd autem cerebrum in prædicto af-
fectu afficiatur, liquet Gale. auctore decimotertio metho. Paulo præcitato lo-
co, ac Tralliano lib. primo cap. decimoquarto. Etenſuper quoniam nequeunt
taliter affecti eorum quæ dicuntur meminiſſe, vt eidem Tralliano viſum eſt,
3. de loc. affe. cap. 5
De diff. ſymp. cap. 3
illud potiſsimum patere poteſt. Quinimò cum ipſa memoria, ratio quoque pe-
rit, auctore Galeno tertio de locis affectis, & lib. de differentiis ſymptomatum.
In lethargo imaginationem lædi idem ſcriptum reliquit. Iure igitur cerebrum,
in quo princeps pars animæ reſidet, in hoc affectu læditur, velut ex eius prin-
cipum functionum læſione oſtendimus; & idipſum non ſecundum eius ventri-
cap. 5
Quis affectus præter naturam ſit.
culos, ſed ſecundum propriam eius ſubſtantiam, vt eodem tertio de locis af-
fectis, liquet. Verùm quis affectus præter naturam ſit, nec inter Græcos, nec in-
ter Latinos quempiam determinaſſe hucuſque reperi, quamuis Auicenna velit
Auic. li. 3. fen 1. trac. 3. c. 7.
cap. 21
De diff. ſymp. cap. 3. cap. 21
eum eſſe apoſtema phlegmaticum factum intra craneum. Galenus autem lib.
decimotertio meth. interim νόσημα, ipſum appellat, interdum ipſum ſub nomi-
ne πάθος comprehendit, quemadmodum etiam commento aphoriſmi tertij
ſecundi lib. libro autem de ſympt. differentiis, inter ea ſymptomata, quæ prin-
cipibus functionibus animæ eueniunt, ipſum connumerat, & propterea deci-
motertio meth. dicebat, hoc πάθος contrarium quodammodo eſſe ſecundum
ideam phrenitidi. Verùm cùm & ipſe lethargus, vt dicemus, non tantum ex ce-
rebri inflammatione orta à pituitoſo ſucco excitari poſsit, verumetiam ex ipſa
pituita citra inflammationem in cerebro putrefacta, propterea inter ſympto-
mata ipſum connumerabimus functionem principum, memoriæ videlicet, ac
rationis abolitæ, imaginationiſque infirmæ, & veluti deficientis, ſimul cum
3. de lo. aff. c. 5
De diff. ſymp. cap. 3
Aëtius lib. 6. cap. 23
Affectionis ſigna.
Gale. tertio de locis affectis, & lib. de differentiis ſympt. Quod quidem affirma-
re videntur Pauli verba, dum aſſerit, lethargum eſſe noxam aliquam ratioci-
natricis animæ: & Aëtius cap. de memoria amiſſa dicebat, Pereunt autem am-
bo hæc, de memoria, & ratione loquens, in lethargo. Indicant hanc affectionem
obliuio ipſa, vt diximus, cum inertia. Omnium nanque veluti amentes obliui-
ſcuntur; palpebris ſemper conniuere volunt, & conquieſcere. Vix reſpondent
quocunque modo interpellentur. Oſcitant crebrò, & hianti ore aliquandiu
perſiſtunt, tanquam claudere id obliti. Cùm violenter ab aſsidentibus excitan-
tur, rurſus in ſomnum deferuntur; & dum ad mictionem vrgentur, porrecta
ipſis matula, ſeſe in manibus ipſam habere obliuiſcuntur. Febris lenta eos comi-
tatur, pulſuſque magni, molles, languidi, tardi, ac rari, & turbulenti, intermitten-
tes potius, quàm intercurrentes: reſpiratioq; rara, & imbecillis. Deiiciunt per
aluum lethargici magna ex parte liquidiora, quibus valdè exigua vitæ ſpes eſt
Circa princ.
Hippocr. teſte lib. tertio de morbis. Nonnullis contrà venter inareſcit, vrinam
reddunt iumentis ſimilem: quidam ex eis tremiſcunt, & ſudoribus vndequaque
Quem cerebri morbũ comitetur.
Loco citato.
madent, auctore Paulo. Comitatur autem is affectus frigidam, ac humidam ce-
rebri intemperiem, cùm obliuio, ſegnitia, ac altus ſomnus ex ipſa proficiſcan-
tur, Galen. teſte eodem decimotertio metho. Hoc idem teſtatur Paulus, cùm
dixit, ex nimio frigore, ac cerebri humiditate hunc affectum contrahi. Quòd
autem ea intemperies ex redundante pituita, eaque putreſcente originem du-
cat, idem Trallianus affirmat, dum aſſerit lethargum ex pituita ſuperante na-
ſci, quæ cerebrum humectat, ac valide madefacit; & Paulus hoc idem aſſeruit,
dicens, Ex pituita, quæ frigore nimio, & humiditate cerebrum imbuerit, ipſum
oriri. At quòd ea putreſcat oportet, vt lethargus contrahatur, decretum reli-
quit Gale. decimotertio metho. & proinde cum febre incidit; nec ſine ea gigni
poteſt. Propter quod non mirum, cùm in capite humor frigidus redundat, ſi in-
ſenſibilitas, immobilitaſque hominem opprimat: ex frigore enim ſegnitia, ve-
lut ex calore immodico motus prouenit, vt patet eodem decimotertio meth.
Quæ ſit eius cauſa.
Citato loco.
Ex quibus liquet, etiamſi alia, quæ non præceſſerunt non conſideraueris, vt re-
gionem, ætatem, anni tempus, victus rationem, &c. Lethargi cauſam pituitam
eſſe in cerebro redundantem, eamque neceſſariò putreſcentem, iuxta Galeni
moni

monimenta,ſiue cum inflammatione, ſiue citra inflammationem ea putreſcat. Proinde ipſum non perpetuò ſubſequi ad cerebri inflammationem ex pituita ortam,ſed interdum citra inflammationem: ea tamen putreſcente ortum ducere cum Gale. audacter aſſerimus, quicquid velit Auicenna, ac reliqui ſimul cum eo ſentientes. Quod quidem clarè oſtendunt verba eiuſdem Gale. cõmento aphoriſmi tertij libri ſecundi,dum dixit, quæ refrigeratio quando fortis facta fuerit, cum humiditate quidem mixta facit τὰ ληθαργικὰ πάθη, hoc eſt,lethargicas affectiones,ſeu paſsiones,& primo prorrheticorum, cùm aſſerit lethargum fieri,cùm locum eundem,in quo princeps animæ pars reſidet, humectarit,dilueritque pituita. liquet inſuper, quòd licet lethargus quandam habeat cum obliuione propriè dicta affinitatem,nonnullis tamen inter ſe dirimuntur.

comment. 1

Quibus cõueniat,& differat lethargus ab obliuione, ſeu memoria deperdita.

3. de loc. affe. cap. 5

2. de cauſis ſymp. ca. ult.

De differen. ſymp. cap. 3

Nam in obliuione memoria duntaxat ablata eſt, in lethargo nedum memoria, ſed etiam ratio aboletur, vt patet tertio de locis affectis, & ſecundo de cauſis ſympt. præter id quòd imaginatio infirma,ſeu deficiens redditur, eodem Gale. teſte lib. de different. ſympt. proinde obliuio cùm iners ſeu ocioſa, lethargus dicatur,nec ambo omnino eandem ſectantur cerebri diſpoſitionem. Nam obliuio ad frigidam,tum frigidam & humidam, ac frigidam & ſiccam, indifferenter cerebri diſpoſitionem conſequi poteſt; at lethargus ad frigidam, & humidam tantum, vt præcitatis locis liquet. Quapropter non niſi à redundante pituita excitatur lethargus. Obliuio verò ab humore melancholico etiam, ac à ſola frigida cerebri intemperie,vt præcedenti cap. oſtendimus: adde quòd quamuis vtraque affectio à pituita excitari poſsit,in obliuione tamen non oportet, quòd ipſa putreſcat,velut in lethargo: nec quòd febris eam ſequatur, vt lethargum conſequitur neceſſariò. & ſi Trallianus, & Aëtius nõ veri lethargi mentionem faciant,nos tantùm de vero,ac genuino, qui per eſſentiam in cerebro gignitur, verba facimus. Hic affectus, niſi ei ſuccurratur, cùm ex genere acutorum ſit, Celſo auctore,celeriter iugulat. Galenus autem quarto de cauſis pulſuum inſpiciens cum eius cauſam,tum partem ipſam affectam,aſſeruit, lethargum longè letaliorem eſſe peripneumonia. At Hippoc. lib. ſecundo de morbis ſcriptum reliquit, quòd lethargicus in ſeptem diebus moritur, ſi verò hos effugerit, ſanus euadit. Cùm autem ex iis, quæ diximus de hoc affectu,eius cauſa, ac parte affecta, maxima quædam ſimilitudo eſſe reperiatur eius cum memoria deperdita, licet in quibuſdam diſcrepent, vt cuilibet rectè inſpicienti ea quæ ſcripſimus,patere poterit,propterea & eius curatio ferè ſimilis erit cum prædicta,paucis quibuſdam mutatis.

Prognoſtic. cap. 13

Prope finem.

Curatio.

lib. 6. cap. 3

Locandus proinde æger eſt in domo tepida, ac lucida, & ſplendida: ita vt aër parum ad calidum & ſiccum inclinet. A ſomno potiùs excitandi ſunt,quàm is prouocandus ſit. odoramentis ex caſtoreo, fœniculo lucernario extincto,galbano,ſagapeno, ſulfure, pice liquida; aut bitumine, Aëtio auctore: vel ex thymo,pulegio,hyſſopo,& origano in aceto decoctis, additoque caſtoreo,odoramentum fiat. Eluatur aluus efficaciore clyſtere, ex hiera videlicet,agarico,aut ex eiſdem figuratæ glandes cum melle ſubdantur. Pedes, & manus fortiter confricentur,ligentur,& interdum pungantur, nonnunquam etiam pili in ipſis vehementius euellantur.

Victus ratio.

Cibi autem extenuantes eſſe debent, Tralliano teſte, vt cremor ptiſanæ,aut ptiſana ipſa, interdum ſola, interim cum oxymelite permiſta: aut in qua hyſſopi coma fuerit decocta,vel pulegij,ſeu thymi, præſertim valida non exiſtente febre. Salutares etiam ſunt panis micæ ex apomelite,vel hydromelite datæ. Quòd ſi vires requirant, carnibus quoque veſcatur æger oportet,pullis videlicet gallinaceis, perdicibus, ſturnis,phaſianis,turdis,merulis,ac montanis auiculis,quæ cinnamomo, vel caryophyllis condiantur. Oleribus vti poterunt fœniculo, oreoſelino, & aſparagis, vel in iure prædictarum carnium bulliat parum ſampſuchi, hyſſopi, thymi, betonicæ,aut ſerpilli. Pro potu,vtantur hydromelite,vel vino albo aquoſo, tenui, & aſtringenti. Nam ipſum cum tempeſtiuo cibo datum, non mediocriter adiuuat, vt Celſo viſum eſt. A cibo autem non ab re extremæ partes,præcepto Pauli,

Medicamentorum ratio.

vinciri debent per aliquod ſpatium, ne videlicet vapor ad caput aſcendat. Statim autem ab initio, ſi nihil prohibeat, in tali affectu incidenda vena eſt. Quod licet præceptum ſit Galeni decimotertio meth. cum eo itidem conueniunt Paulus, Aëtius, Trallianus. Vena autem incidenda eſt media, aut interna. Quantitas ſanguinis pro viribus euacuetur. At ſi ſanguinis miſsionem vires prohibeāt, ætas, aut aliud quippiam, acribus clyſteriis aluus ducenda erit Pauli præcepto. Demum redundās ſuccus hyſſopi decocto in hydromelite, thymo, vel pulegio, rhodomelle, aut oxymelite, ſolis, aut permiſtis cum ſyrupo borraginis, vel ex infuſione roſarum, & aquis betonicæ, hyſſopi, vel ſampſuchi, & borraginis præparetur; ac demum purgetur aliquo purgante medicamento eorum, quæ conſcripſimus præcedenti capite pro cura deperditæ memoriæ ex frigiditate, & humiditate cerebri prouenientis. Interim capiti admouendum erit oxyrrhodinum, idque in principio, cùm repellendus à capite humor ſit, quiſquis is fuerit, vt eodem decimotertio meth. liquet. At procedente tempore miſcere, & incoquere poteris oxyrrhodino, quæ extenuare ſimul poſsint, vt caſtoreum, pulegium, calaminthum, thymum, & alia huiuſmodi. Fronsque illinienda erit, Tralliano auctore, aut caſtoreo, aut pilis humanis crematis, læuigatiſque ex aceto. Incoquantur etiam in aceto thymum, pulegium, & origanum aut aliqua id genus, ac naribus ſic affectorum admoueantur, miſceto que cum eis caſtoreum: habent nanque vim huiuſmodi medicamenta calfaciendi, attenuandi, ac diſſecandi humoris craſsitudinem, ac lentitiem: ſimiliter ſi cornua capræ leui flamma torreantur, ac naribus fumus excipiatur, grauem ſomnum depellent, vt inquit Q. Serenus, idem labrum Veneris, ſi teratur prius, & confuſum vino liqueſcat, ac bibatur, commendauit. Aſperis frictionibus vtendum, vt diximus erit, ac extremarum partium vnctionibus, & vinculis: nonnunquam pilos etiam in ipſis vehementius euellere oportet. Sternutamentis quoque interdum vtēdum ex caſtoreo, pipere, ſeu helleboro; & ſi admiſerint, apophlegmatiſmis quoque iam dictis in præcedenti capite. Mox palatum etiam, vt Gal. placuit, valentibus, & acribus medicamentis vngemus, velut mithridato, theriaca, diamoſcho, diambra, aut eclegmate pliris archoticon dicto, aut ſinapi cum melle. Quòd ſi ius nec affectis diſcutiantur, caput radendum erit, & ex alto, velut torrentis ritu, medicamentum infraſcriptum fundendum erit, præſertim in ſyncipitis loco. Sumito ſerpillum, hyſſopum, ac thymum cum pauco caſtoreo, & in aceto, ac oleo coquito, & vtare: aut caſtoreum cum modico aceto terito, additoq; oleo communi, vel irino, & caput irriga, vel fouendum erit aqua in qua laurus, aut ruta decocta ſit, & altero die imponendum caſtoreum, aut ruta ex aceto contrita, ſi Celſo credendum erit. Satureia quoque cum aceto frequenter infuſa capiti adhibita, aut ex vino pota lethargicos etiam lethaliter dormientes excitat, vt Plinius ſecundus refert lib. quarto de re medica cap. decimonono. Excitat item eos ruta trita ex aceto infuſa, & fronti admota, vt Apuleio Madaurenſi viſum eſt cap. 90. Occipitio quoq; cucurbitæ ſunt affigendæ cum multa flamma circa primam & ſecundam vertebram: interimque ſanguis ex his detrahendus erit, ſi opus fuerit. Quòd ſi neque hæc ſufficerint, ſinapiſmus adhibendus erit ex caricis cum ſinapi aceto macerato. Summopere Trallianus extollit aſſumptionem caſtorei, præſertim vna hora ante acceſsionem per ſe exhibitum, aut cum oxymelite: ex cuius aſſumptione nouit ipſe multos hoc ſolo remedio euaſiſſe, propterea ipſum prætereire nolui: poterit eius quantitas eſſe drac. j. cum oxymellis vnc. j. aut tantundem vini albi aſtringentis, aut hydromellis. Similiter recrementorum copia non exiſtente, coctioneq; morbi apparente, balneum ſummopere laudauit, illud quod nec Aëtius, affectione tamen declinante, negauit, nec Paulus. Verùm nullo pacto ægri caput eſt madefaciendum. Modus autem vſus eius ab eodem Tralliano prædicto cap. decimoquarto deſcribitur. Oportebit præterea frequenter eos ſolicitare ad naturæ excretiones, vt inquit Paulus, ad alui excrementa cum glandibus, ac clyſteriis; ad vrinam

cap. 21
Venæ ſectio.
Purgatio.
Topica remedia.
cap. 21
Verſus finem libri.

nam verò irrigando pubem cum oleo rutaceo, aut irino, cui adiectum ſit caſtorei paulum. Hæc pro huius vitij curatione ſufficiant: quod ſi quis mauult, non ſymptoma, ſed morbum appellare, à ſymptomate tamen nomen aſſumens, modò in curatione non erret, non reclamabimus.

Περὶ κάρυ. De caro. CAP. III.

DEcreueram de ea affectione, quæ à Græcis κάρος, ab Arabibus ſubeth appellatur, quam etiam & nos vt ὁμωνυμίαν vitemus, carum nominabimus, nondum verba facere: cùm in eo, vt patebit, non tantùm principes animæ functiones vitientur, verum ſenſibiles, atque voluntariæ motrices, Galeno teſte ſecundo de articulis, dum dixit, in caro omnes animæ operationes lædi, vt neq; ſentiat, neque moueatur homo, neque intelligat, ſed & rationem & memoriam, & ſenſum, & motum, qui per appetitionem fit, oblæſos habeat. At quoniam maximam ipſe habet ſimilitudinem cum lethargo, Græciq; omnes ferè poſt eum de caro mentionem faciunt, de ea re hoc loco & nos de eo tractabimus. Eſt nanq; is veluti reſolutio quædam principis facultatis, imaginatricis præſertim, Gal. auctore lib. de diffe. ſymp. ac priuatio ſenſuum, vniuerſarumq; motionum, ſpirandi tamen facultate manente illæſa, vt ab eodem ſcriptum eſt quarto de locis affectis. In qua affectione quòd cerebrum afficiatur ex operationum eius læſione cuique patere poterit, confirmaturque à Gal. eodem quarto de locis affectis: quo loco non modò in eo cerebrum affici aſſeruit, verùm ipſum magis affici ſecundùm ventres, quàm ſecundùm corpus, ac magis ſecundùm totam anteriorem partem eius, quàm poſteriorem, ſcriptum reliquit. Symptoma hoc affectus eſt in genere noxæ functionum animalium principum, præſertim imaginatricis abolitæ, ſenſibilium, ac motricum, ſpirandi tamen facultate excepta, quo ab apoplexia diſcrepat, quamuis interdum & ipſa quoq; lædatur quodammodo, vt patet quinto de locis affectis, vt in minori apoplexia, cùm videlicet carus magnus fuerit, intellige, aliàs Gale. ſibiipſi pugnaret; & ſi Aëtius velit in cunctis ſoporiferis affectionibus memoriam: ac rationem perdi cap. de memoria amiſſa. Indicant ipſum non modò prædictarum functionũ læſio, verùm quòd taliter affectorum oculi ſemper ſunt clauſi, ac ſomno profundiſsimo detinentur, vt dum punguntur, ſentiant quidem, non tamen loquantur, neque oculos aperiant, Aëtio teſte. Propter quòd à lethargo differt, quoniam lethargici interrogati reſpondent, & non omnino ſine voce decumbunt. Præterea carum febris præcedit, vt Paulus teſtatur, eaque vehementior, lethargum verò ſubſequitur ignauior. Item carus ad nonnullos ſuperuenit affectus, vt dicemus, lethargus autem peculiarem cauſam obtinet, vt dictum eſt. Nanque ad cerebri frigidam intemperiem, præſertim ſecundum eius ventres, à frigido, craſſo, aut omnino viſcido humore ortam, inſequitur carus, Gale. auctore quarto de locis affectis: qua ratione à lethargo non diſcrepat; verùm hic vt pituitoſus humor putreſcat, non requirit; lethargus verò niſi putreſcat fieri nequit, vt decimotertio methodi liquet: quò fit vt propterea à lethargo differat etiam, hac de cauſa genitus carus. Superuenit etiam aliis cerebri affectibus, aliiſque cauſis, à quibus nec lethargus gigni poteſt, vt muſculis temporum affectis, ac quibuſdam acutis morbis, vt Hippoc. teſtatur ſecundo de articulis. Item cùm oſſe copiam terebra perforato, medius ventriculus fuerit attritus, carus hominem occupat teſte Gale. eodem quarto de locis affectis: quemadmodum etiã ſi quis inter perforandam membranam negligenter, ac vltra quàm res expoſtulat, μηνιγγοφύλακι, premendo violauerit, carus accidere ſolet: ſic vbi os caluariæ vehementer attritum ipſius ventriculos comprimat, maximeque medium, carus ſuperuenire poteſt: veluti etiam ad vehementes dolores hic affectus ſequitur, conſidente videlicet robore ſpiritus animalis. Superueniro inſuper conſueuit

comment. 18

Caros quid ſit.

De differen. ſymp. cap. 3.

4. de loc. affe. cap. 2

Quæ pars in eo afficiatur.

Loco citato.

Quis præter naturam affectus ſit.

cap. 1

Lib. 6. cap. 23

Lib. 6. cap. 5

Lib. 3. cap. 9

cap. 2

cap. 21

text. 7. 18. & 19.

cap. 2

febrium acceſsionibus, ac comitialibus. Ex quibus omnibus cauſis liquet cerebrum ipſum non vno modo ſemper affici, ſed diuerſimodè pro diuerſitate cauſarum, cum hic affectus gignitur. Verùm quoniam verus carus à frigida, ac humida cerebri intemperie à pituita orta, vt diximus, originem ducit, isque præſertim curari ſolet, quem etiam facilè dignoſces, tum ex iis, quæ diximus, tum quòd nullam habeat aliarum, quas retulimus manifeſtam cauſam; idcirco aliis poſtpoſitis de hoc ſermonem facimus: etſi quilibet morboſus carus, de quo modò loquimur, malus ſemper ſit, Gale. auctore ſecundo prorrheticorum. Et vt breues ſimus, Aëtij auctoritate curandi ſunt taliter affecti, ſimiliter vt lethargici, valentioribus tamen attenuantibus, ac incidentibus vtendum erit. Stomachi quoque cataplaſmata vnà cum hoc, quòd calfaciant, etiam corroborandi vim habere oportet; ſi is quoque pituita refertus, aut immodicè frigidus ſit. Aliorum vero curationem nunc ſcribere tempeſtiuum non eſt; peculiares etenim curationes requirunt: quæ ſuis locis fortaſſe olim dicentur.

Prognoſticũ.
Curãdi ratio.
2. prorrhet. comment. 28.
Aëtius lib. 6. cap. 5

Περὶ κατοχῆς ἢ καταλήψεως. *De catoche, vel de catalepſi.*

CAPVT IIII.

Refrigerato item primo ſenſitiuo, hoc eſt, cerebro, alius quidam affectus fieri conſueuit, verùm non tantum eo refrigerato (vt dicemus) ſed areſacto ſimul, Galeno teſte commento tertij aphoriſmi lib. 2. Affectus hic à Græcis interim *κατοχὴ*, interdum *κατάληψις* dicitur, velut qui eo affectu laborant, *κατόχους*, *καὶ κατεχομένους* veteres Græci appellabant; Latinè verò ea affectio, deprehenſio, detenſio, ſeu occupatio dici poteſt, à quibuſdam congelatio dicitur. Qui verò taliter affecti ſunt deprehenſi, detenti, ſeu occupati, ac congelati poſſent nuncupari. Eſt nanq; affectus hic, ſubita quædam detentio, ſeu occupatio tum animæ tum corporis; qua qui corripitur repentè in illo permanet habitu, quo correptus eſt. Paulo auctore cap. 10. tertij lib. Ex cuius verbis liquet cerebrum affectum eſſe, cùm is affectus gignitur, nec illud alia via indagari opus eſt, quàm ex eiuſdem operationum læſione: quanquam Gale. quarto de locis affect. velit poſteriores cerebri partes magis in hac affectione moleſtari, veluti in caro anterior pars magis afficitur, ſymptomaque exiſtit (vt Gale. placuit lib. de diffe. ſympt.) in genere noxæ functionum animalium principum, & propriæ imaginationis reſolutæ, ſeu abolitæ; quanquam & reliquæ quodammodo animę functiones in eo vitiantur; velut ex eiuſdem indiciis comprehendi poteſt, ſeruata tamen ſecundum naturam ſpiratione, velut in caro, ex ſententia eiuſdem Gale. quarto de locis affect. Adeò enim hi mente detenti, ſeu occupati ſunt, vt veluti fixos oculos, ac palpebras habeant penitus immobiles; aliquando & eaſdem apertas habentes, aut nictitant, aut intente vident, adeò vt neque ſiquis manus oculis ipſorum obtendat, eos claudant, vt teſtis eſt Aëtius. Voce inſuper, ac ſenſu priuantur, neque audientes, neque reſpondentes: admouent autem manus ſuas aliquando ad caput, & oculos, ac nares, velut qui vellicentur, atque hoc non ſentiunt. Pulſus ſimilis quodammodo lethargicis eſt, non tamen ita languidus, nec mollis, iuxta Gale. ſententiam lib. de pulſ. ad tyrones, & quarto de cauſis pulſ. prætetea horum pulſus æqualis eſt, lethargicorum verò inæqualis. Aluus, & vrinæ ſupprimuntur iis propter ſenſuum ſtupiditatem. Spiritus eorum aliquando denſus, aliquando rarus, & per interualla quædam magnum ſpiritum ducunt. Quo malo quidam ex Gal. condiſcipulis correptus fuit, vt 2. prorrhet. liquet. Iacebat enim (vt ipſe inquit) veluti lignum prorſus inflexus, rigidusque atque extenſus, videbaturque oculis apertis aſtantes ita intueri, vt ne conniueret quidem, nihil tamen loquebatur, verùm quæ loquerentur audire ſe dixit, quanquam non euidenter, clareque; nonnulla item & memoria tenens referebat, præſentesque omnes ſeſe conſpicere dicebat, ita vt quorundam actiones

Catalepſis quid ſit.
Quæ pars afficiatur.
cap. 2
Quis affectus præter naturam ſit.
cap. 3
Eiuſdem affectionis ſigna.
Lib. 6. cap. 4
De pulſ. ad tyr. cap. 11
4. de cauſis pulſ. cap. 16
comment. 55

recor

recordatus exponeret,ſed neque loqui poſſe, neque membrum vllum mouere fatebatur, cùm videlicet conualuiſſet. Conſequitur autem frigidam, ac ſiccam cerebri intemperiem, vt diximus, auctoritate Gal. com. aphoriſ. tertij; lib. 2. ex frigidiori, ſiccioriq́; materia ortam, veluti Paulo placuit præallegato loco.

Ad quē cerebri morbum ſequatur.

Verùm vt homonymiam vitent, qui eius verba perlegūt, animaduertant in primis eiuſdem auctoris verba, cap. 10. tertij lib. non de vera catalepſi; ſed de vigilanti comate verba facere: quod vitium aſſerebat idem auctor cap. 6. eiuſdem lib. antiquiores Galeno Medicos κάτοχον vocaſſe; à quibuſdam autem Gręcis κῶμα dicitur, de quo in ſequentibus tractabimus. Demum verò alterum, atque diuerſum ait fieri κάτοχον à vigili comate, ſimplicē quidem nōn mixtam habentem cauſam, nimirum frigidiorem, ſicciorem que materiam: quæ poſteriore cerebri ventriculo repleto malum hoc excitat: quo qui corripitur, vt ipſe fatetur, repentè, in illo permanet habitu, quo correptus eſt, ſtans ſcilicet, vel ſedens clauſis oculis, aut reſpiciens, quibus verbis de eo catocho, de quo modò mētionem facimus, meminit, illud quod hucuſque pauci animaduerterunt, quamuis ad obſtructionem potius poſterioris ventriculi, quàm ad intemperiem poſteriorum cerebri partium conſequi ipſum velit.

Animaduertēda ſunt Pauli verba de catocho.

Eiuſdemmet cauſam attulit Aëtius, dum dixit ex atræ bilis humore contingere. Præter autem iam dictos caſus, id comprehendere valebis ex victus ratione præcedenti, conſuetudine, ætate ac laborantis natura, tempore anni, regione, ac cæteris ad frigidum & ſiccum vergentibus.

Quæ ſit eius cauſa.

At quoniam vniuerſum corpus catochis ſtipatur, & cogitur, non laxatur, atque intumeſcit, velut lethargicis, ex Gal. ſententia lib. de pulſ. ad tyrones, & quarto de cauſis pulſ. nec id abſque ratione contingit, cùm catalepſis ex frigiditate & ſiccitate, lethargus verò ex humiditate & frigiditate ortum habeat.

Cur vniuerſum corpus eiſdē ſtipetur, ac cogatur.
Locus citatus.

Quamuis Aëtius interdum ob ſanguinis multitudinem confertim caput occupantis, & idipſum ſuperimplentis fieri hanc affectionem velit; illudq́ue teſtatur ſe vidiſſe in quodam adoleſcente multo ſanguine referto. Nos verò, qui in hoc, velut in alijs Galenum præcipuè ſectamur, ex frigida tantùm & ſicca cerebri intemperie ortum habere fatemur, eiusq́ue cauſam eſſe frigidum, ac ſiccum humorem. Aëtio autem dicere poterimus aut non veram fuiſſe catalepſim, quam ipſe in adoleſcente vidit, ſed catochon, hóc eſt, coma vigil: aut à fæculento ſanguine, eoq́ue frigido, & ſicco exiſtente, propterea quòd magnam habet permiſtam copiam eius humoris, quem ſuccum melancholicum conſuerunt Medici nuncupare, ipſam fuiſſe genitam: proinde à ſanguinis eruptione per nares facta, melancholici videlicet, adoleſcentem fuiſſe liberatum. Idemmet Aëtius aſſeruit catalepſim periculoſiorem eſſe, quàm lethargum, licet in febribus lethargo ſimilibus conſiſtat: proinde ſi ille periculoſior erat, hæc erit periculoſiſsima.

Prognoſticū.

Propterea confeſtim aër ad calidum, & humidum vergens eligatur. Cibi ſint ptiſanæ ſuccus, & ſimilia: potus conueniens eſt apomeli, aut aqua mulſa diutius cocta, aut vino vtatur aquoſo, albo, & tenui, ac ſubaſtringenti, optimè diluto: nam cùm caput non percutiat tale vinum, magnopere iuuabit: aqua autem ijs aduerſatur, cùm & fluctuationes faciat, ſitim nō ſedet, ſplenes excitet.

Curādi ratio.
Ratio victus.

quòd ſi æger multo ſanguine refertus ſit, vires, ac ætas non prohibeant, citra dilationem, eiuſdem auctoris decreto, vena ſuperna in cubito ſecanda erit, & pro viribus ſanguis detrahendus.

Venæ ſectio.

In alijs autem primùm ventrem per clyſterem eluere oportet ex furfurum decocto, chamæmelini, borraginis, betæ, mercurialis, ac ſalis, in quo adiicias olei cōmunis, chamæmelini, anethini, aut amygdalarum dulcium vnc. iiij. mellis roſacei vnc. ij. caſiæ tractæ vnc. j. diacatholicon vnc. ſ. vel drac. vij. poſtea verò cū prædicto decocto coquātur polypodij, ſenæ, epithymi ana drac. iiij. inſuper adde prædictis diaſenę, aut cōfectionis hamech drac. iiij.

Medicamētorum ratio.

At ſi nō tantùm clyſteriis ęger indigeat, ſed purgāre medicamēto, aſſumpto priùs aliquot vicibus, ſi affectus permiſerit, infraſcripto ſyrupo, Recipe ſyrupi de ſucco borraginis vnc. j. ſ. ſyrupi de epithymo vnc. ſ. aquæ betonicę, & lupulorū vnc. iij. hoc medicamento vti poterit, Recipe lupulorum,

Purgatio.

fumariæ,& borraginis ana drac.iij.ſenæ,polypodij, & epithymi ana drac.ij.fiat decoctum ſecundum artem,in quo diſſolue pulpæ caſsiæ vnc. j. ſyrupi domini Auguſtini vnc.iiij.ſacchari violacei, aut mannæ vnc. ij. aut loco ſyrupi domini Auguſtini ponatur vnc. s. diacatholicon,aut diaſenæ.Caput verò irrigetur oleo dulci tepido,chamæmelino aut anethino : deinde coquatur in eis ſerpillum,aut hyſſopus,aut thymum. quòd ſi vrinæ craſſæ fuerint,præcepto Aëtij, anethi, & apij decoctum dandum erit.Totum autem eorum corpus anethino oleo inungatur,maximè in hyeme : & in quibus etiam tremor ſuccedit, caſtorei drac.j. cum aqua muſa ori infundatur. Reliqua pro eius curatione requiras partim cap.de melancholia,& quædam in cap.de perdita memoria,ac lethargo.

Topica medicamenta.

Περὶ κώματος, ἢ καταφορᾶς. *De comate,ſeu de cataphora.* CAP. V.

LIcet nonnulli variè de cataphora, ac comate tractarint, nos tamẽ Hippocratem,ac Galenum,in hoc, velut in reliquis ſectabimur : nanque conſuetudo eſt Hippocrati quamlibet cataphoram κῶμα appellare,vt lib.de comate,ac prorrheticorum primo Gal.teſtatur. Verùm quod ab Hippocrate κῶμα, à Gale. καταφορὰ nuncupatur, nihil aliud volentes ſignificare per cataphoram, ſeu coma, quàm quandam in ſomnum delationem,ſeu propenſionem,vt liquet cum præcitatis locis,tum tertio de morbis vulgaribus : in qua ſomni delatione, vt Galenus fatetur,nequeunt qui taliter affecti ſunt,vigilantiũ munia obire, non apertos habentes oculos,ſed conniuentes, ac palpebras claudere cupientes, ſimúlque dormire ſperantes. Verùm quoniam horum quibuſdam contingit interdum, vt licet clauſas palpebras habeant, dormire tamen nequeant, ſed plurimum vigilent : quibuſdam verò euenit,vt mox dormiant,& profundè, & diu: propterea non immeritò dúas, iuxta Hippocratis ſententiam, cataphoræ ſpecies lib.de comate Galenus ſtatuit : quarum commune eſt, quòd eleuare non poſſunt oculos laborantes,ſed mox grauantur, & dormire volunt. Propterea velut commune ambarum ſpecierum,coma,ſeu cataphoram (vt diximus) appellare licet.Quamuis coma ſomno magis familiare fuerit, ac eius naturæ magis aſsimiletur.Harum verò ſpecierum eam,in qua dormiũt mox ægri, & profundè,& diu,Coma,ſeu cataphoram ſimpliciter interdum, interim verò cum hac adiectione ſomnolentam,mos eſt ab Hippocrate,& Galeno nominari propter aſsignatam cauſam.Ea verò in qua licet non apertos habent oculos, ſed palpebras clauſas ſpe ſomni conciliandi, tamen dormire nequeunt, ſed plurimum vigilant,non amplius ſimpliciter coma,ſeu cataphora ab eiſdem nuncupatur,neque cum hac additione ſomnolenta, ſed coma vigil, ſeu cataphora nõ ſomnolenta dicitur.Hanc comatis ſpeciem Galeno antiquiores catôchon appellabant,Paulo auctore,cap.ſexto libri tertij : de quo affectu cùm capite decimo eiuſdem libri tractaſſet in primis verbis eiuſdem capitis i de alio quodã diuerſo catocho à vigilãti comate in fine meminit : quæ Pauli verba male à quibuſdam intellecta nõnullis iunioribus propter homonymiam maximi erroris cauſa fuere,veluti in præcedenti cap.notauimus. propterea nos, ne poſteris erroris anſam tribuamus, coma vigil, aut cataphoram non ſomnolentam, relicta catochi appellatione, nominabimus. Cuius inſomnis cataphoræ geminæ inſuper ſunt ſpecies, iuxta Hippocratis & Galeni doctrinam; quarum altera pigra dicitur,reliqua verò nomine generis nuncupatur.Commune autem ambarum eſt,propter quod & maximè differunt à ſomnolenta, quoniam loquuntur,& delirant,nulli hærentia menti,& ad aſſurrectiones promptiſsimi ſunt, ſi phreniticis coincidant præſertim, quorum nullum ſomnolentis exiſtit cataphoris. At quicquid ſit de earum differentiis, illud tamen liquet in earundem quauis parte cerebrum eſſe affectum,vt patet Galeno, tum libro prorrheticorum 1. tum 3.de morbis vulgarib. Quod inſuper coniectari licet ex animalium

Lib.de comate.cap.2.
1.prorrhet. com.1.
Coma,ſeu cataphora quid ſit.
3.de morbis vulg. com.1. Comment.7
Cataphoræ duæ ſpeci.1. cap. 2
In quo commu-nicent.
Prima ſpecies.
Altera ſpecies.
Pauli verba iteru perpendantur de catocho.
Inſomnis cataphora duplex.
Commune vtriuſque.
Quis locus in cunctis afficiatur.
Locus allegatus.

funct

functionum læſione in prædictis affectibus, præſertim principum, & maximè imaginatricis. Quòd autem quoduis prædictorum comatum ſymptoma ſit, ab eodem Galeno in præcitatis locis decretum eſt: verùm quòd hoc ſymptoma imaginationi præſertim tribuatur, deficienti videlicet, & infirmæ exiſtenti; liquet libro de diffe. ſympt. Cùm autem quælibet cataphoræ ſeu comatis ſpecies ex propriis, ac diuerſis ſignis dignoſcatur diſtinctè, decreuimus cuiuſuis propria indicia conſcribere. Dignoſcitur nanque quæ ſomnolenta eſt cataphora, præter prædicta ſigna communia non ſolùm ex graui ſomno, ſed quoniam difficilem habet expergefactionem, Galeno auctore commento aphoriſmi tertij lib. ſecundi: & proinde libro de comate dicebat, quòd hi dormiunt mox, & profundè, & diu; propriamque eſſe huiuſcemodi cataphoram lethargicorum, ac ſemper eis ineſſe fatetur, & quod immobiles præterea ſemper, & inuocibiles iacent, eis qui profunde dormiunt, aſsimiles. At qui inſomni comate grauantur, vigiles, & verſuti ſunt, & ſi phreniticis aliquando coincidant, audientes vocem, & ſonum, faciliter ſurgunt; & ſi tetigeris partem corporis eorum, mox oculos eleuant, & ad tangentem aſpiciunt; & in ipſa in ſomnum delatione, vel manum mouent, vel crus, vel vniuerſum corpus eiiciunt irrationabiliter, & repentè, & deſipienter exiliunt, inſtar ſpaſmi: hæcque omnia faciunt, cum eo, quòd loquuntur aliqua non congruè. Hunc affectum medio loco ſtatuendum eſſe inter lethargum, & phrenitim Galeno viſum eſt libro de pulſibus ad tyrones, & tertio de morbis vulgaribus, velut medios intercedentes inter planè vigiles, & dormientes, comate vigili affectos aſſeruit eſſe. Quòd ſi eo vigili comate capiantur (quod nomine generis appellatur) ita facile, & multum mobiles exiſtunt; vt neque deficiant clamantes valde, & moueant aliquam particulam vehementer; & ſi excitaueris eos, aut loquaris, aſpiciunt inconuenienter, & magis egrediuntur à ſe, & malum facere tentant; ac omnino in audiendo promptiſsimi fiunt, nihil relinquentes ab iis, qui ſummè deſipiunt. Si verò inſomni, ac pigra cataphora corripiantur, ſurgentes magis intelligunt, & non multum mouentur: & quamuis deſipiant, tamen tunc magis, quando commiſeris eos comati, ſecundum quod maximè licet eos diſcernere à cataphoris lethargicis. Ex quibus omnibus liquet rectè à Galeno tertio de morbis vulg. decretum eſſe comatóſos omnes, vel altis ſomnis, vel tenuibus, vel vigiliis detineri, prout diuerſimode cerebrum ipſum fuerit affectũ. Nanq; eo immodice irrigato, coma ſequitur, vt nõnullis vſuuenit ebriis repleto in ipſa ebriatione capite, ac humectato valde; interdum autẽ ex ſolis vaporibus calidis, & humidis à ſubiectis partibus ad caput in febribus delatis, vt Aëtio viſum eſt, ipſumq; implẽtibus affectio comatoſa excitatur. Subinde ob ſolã cerebri frigiditatẽ oritur: eſt inſuper cum ad ambas has intẽperantias cerebri ſomnolentũ coma ſuccedit: quo caſu profundior, & ſoporoſior ſomnus erit; velut tenuior, ſi ab aliqua ſola frigida, vel humida cerebri intẽperantia ortum fuerit: quas varias cerebri intẽperies promptiſsime dignoſces, ſi ea quæ cõſcripſimus cap. de memoria deperdita, ac de lethargo conſideraueris. Si vero propter virtũ infirmitatẽ talis affectus fiat, adeo iam languentium, vt apertæ genæ ægri ſeruari non valeant, præter id, quòd ex iis, quæ præceſſerunt, prompte dignoſces, ex iis quoque facile deprehendes, quoniam ita affecti, poſtquam conniuerint, aut nihil prorſus, aut parum dormiunt, ſed vigilant; nec attollere tamen genas queunt, eorumque pulſus languidiſsimi, tardi, rari, & parui erunt: quo potiſsimum diſtinguuntur ab eo comate, quod committit humiditas, & algor: vigil autem coma oritur, cum tam bilioſus, quàm pituitoſus humor cerebro moleſtus fuerit: & propterea mixtam ipſi permanere affectionem eſt putandum, vt Gal. placuit, primo prorrheticorum. Interim verò præ copia ſanguinis, cum bilis permiſtione acris, ac mordentis, poterit æger reddi tum comatoſus, tum vigilans, grauata quidem ob ſanguinis copiam cerebri facultate, ſed à bile vſque adeo irritata, vt ſomnus inhibeatur, vt idem præcitato loco teſtatur,

cap. 3

Somnolẽtæ cataphoræ ſigna.

Lib. de comate. cap. 2. & 3.

Inſomnis ſigna.

De pulſ. ad tyron. ca. 11.

3. de morb. vulg. cõmentario 3. com. 39

Vigilis comatis, quod nomine generis nũcupatur ſigna.

Inſomnis, ac pigræ cataphoræ ſigna.

comment. 1

Comment. 7.

Diuerſæ comatum cauſæ.

Lib. 6. ca. 7

Si ex virium infirmitate.

Comatis vigilis cauſa.

Comment. 1.

In fine. quemadmodum,& libro de comate ſæpenumero ebriis euenire dixit, vt vigiles ſimul, & comatoſi ſint repleto in ipſa ebriatione capite; deinde præ grauitate ad coma tracto,ſimul autem & à ſomno prohibito, multitudine indigeſta caput comprehendente. Vndè quemadmodum cauſam, ſic appellationem acquiſiuit compoſitam,vigil ſiquidem coma appellatum,Paulo teſte,ca.6. lib.tertij,& vniuerſaliter quidem bilioſo humore prædominante, phrenetizant tales vigilantes: pituitoſo autem dominante, comatoſe rurſus deferuntur,vt ipſe teſtatur; & quoties ad finem vſque, tum deſipientia, tum coma perſiſtunt,velut phreniticis euenire ſolet, tunc affectionem hanc ex phrenitide, & lethargo *Loco citato.* mixtam appellat Gal.eodem lib.prorrheticorum 1.quidã vero Typhomaniam *Typhomania.* vocauerunt. Contraria vero hominem prehendent ſymptomata,ita vt tum vigilet,tum leniter in ſomnum deferatur, & prout magis, vel minus deſipit, ſeu vigilat, aut ad ſomnum defertur, quiſnam prædictorum ſuccorum magis prædominetur, ac ex aliis vtriuſuis humoris redundantis proprus indicus prom-*Prognoſtica.* pte dignoſces.Pro cauſarum autem ipſius comatis diuerſitate, diuerſæ quoque eius prædictiones fieri poſſunt; exitioſiſsimum ſiquidem eſt, ſi propter infirmitatem virium talis affectus oriatur: nec minus exitioſum erit, ſi cum cali-*Commentar. 1.com.7* dis,& ſiccis morbis inſignem cerebri refrigerationem ſequatur, ex Gal. ſententia 3.de morbis vulg.ſi vero frigidam,ac humidam cerebri intemperiem comitetur, quæ de lethargo prædiximus,de eo prædicenda erunt: minus tamen periculoſum erit, ſi ab vna tantum cerebri intemperatura ortum ducat: velut ſi *Curãdi ratio.* ex contrariis, magis. Diuerſa inſuper pro cauſæ ratione eiuſdem curatio tentanda erit: nam ſi ex humiditate tantum ſomnolentum coma originem ducat his,quæ excitant,capiti admotis,curari debet,ex acerrimo videlicet aceto cum roſis,ac chamæmelo permiſto,eo irrigato,ac eiuſdem medicamenti euaporatione per nares ſuſcepta.Si ex frigiditate, anethinum oleum, ſeu chamæmelinum calfactum adhibe: ac inquantum intenta frigiditas ſit, intantum calefactoria augeantur, vt etiam pulegium, & rutam liceat aliquando in oleo coquere, Aëtio auctore. At ſi ex frigiditate, & humiditate ſimul excitetur,ſimili curatione,qua & lethargus.Ex virium autẽ imbecillitate ortũ cum iis, quæ eas inſtaurare valent, curare tentabis. Coma vero vigil,ſeu phreniticum, cum ex permiſta, ac contraria cauſa originem ducat, contrariis quoque medicamentis curare oportet: partim lethargi, quæ prius diximus; partim phrenitidis,de qua deinceps dicemus. Vtrùm autem eorum ſuperare debeat, ex exuperante humore dignoſcitur: nam ſi pituita bilem ſuperarit,ad lethargi remedia declinandum erit magis; ſi vero bilis pituitam, ad phrenitidis magis: de cuius tum dignotione,tum curatione decens eſt,vt conſequenter tractemus.

Περὶ φρενίτιδος. *De phrenitide.* CAP. VI.

comment.4. Mortales omnes (vt Galen. inquit 1. Prorrheticor.) phrenitim appellitant eam affectionem in qua φρένες, id eſt, mentem læſam eſſe vident,quam tum νοῦν, tum διάνοιαν Græci vocãt.Pro-*1.Prorrhet. comment.1* inde ab Hippocrate, eodem Galeno teſte præcitato loco, omnes qui mente læſi continue fuerint,phrenitici vocantur, ſola febre, ab iis qui μαινόμενοι appellantur, diſcrepantes, quoniam continuã demen-*Aet.lib.6.c.2* tiam cum febre acuta phrenitidem appellant. Hunc affectum Aëtius (Poſsidonij auctoritate) inflammationem eſſe membranarum cerebri cum febre acuta, delirium, & mentis percuſſionem inducentem, aſſeruit. Paulus verò cap.6.lib.tertij ait,quòd phrenitis inflammatio membranarum cerebri eſt, aliquando quidem & ipſo cerebro coinflammato, aliquando vero præternaturali caliditate exiſtente in ipſo.Trallianus autem cap. 13. libri primi, inflammationem teſtatur phrenitim eſſe cerebri,aut membranarum eius. Nos vero Gale. *cap.ult.* ſectantes eum eo 2. de cauſis ſympt.dicimus phrenitim inflammationem eſſe

ſecund

ſecundum cerebrum,& membranas eius:quod quidem ex eiuſdem Gale.verbis colligitur,quæ talia ſunt. Phrenitis nanque neque ſimpliciter in calidis conſiſtit ſuccis,ſed cum eo,quòd inflãmationem efficiat ſecundum cerebrum , & membranas,& 1.de Morb.vulg.ſcriptũ reliquit,quòd vbi in cerebrum, eiúſque membranas flaua bilis fuerit impacta,phrenitides inducit. Qui verò cerebri naturaliter habentis munia nouerit,is ex horum offenſa , quod affectum ſit primùm, deinde qualiſnam is morbus ſit,inuenire valebit (eodem Galeno teſte prorrheticorum 1.) cùm exactè definire,vtrum cerebrũ,an membranę ipſius primitiuè afficiantur,haud magnam vtilitatem afferre poteſt.In vtraque enim diſpoſitione,vt Gale.2.de Locis affectis,cap.9.viſum eſt, capiti ſuccurritur. Quapropter huic rei non ita vehemens ſtudium adhibere oportet; præſertim cùm ipſemet teſtetur phrenitim ipſam potius ex tenui meninge,quàm ex cerebro gigni , vt patet 4.de Cauſis pulſuum.quãquam 4.de Præſagitione ex pulſibus,fateatur tenuem meningem,vt quæ cerebrum amplectatur, niſi vnà cum eo nullum ferè affectum ſubire poſſe,nec etiam cerebrũ citra meningem , ſed ſtatim impartiri vnius affectus alteri oportet : & ſi dura meninx,quoniam longiſsimè à cerebro diſsita eſt,affecta eſſe ſola poſsit. Quare exquiſita phrenitis in loco,in quo princeps animæ pars reſidet,generatur,vt liquet eodem 1.prorrheticorum:ſiue autem is qui primo afficitur locus,cerebrum ſit, aut membrana tenuis, cum exigui ſit momenti quærere,ac nullius vſus,iuxta Gale.doctrinam, iure nos inquirere prætermittimus,tantum ſtudioſis liqueat cerebrum in ea affectum eſſe, illúdque conſtare ex earundem functionum principum læſione,quæ in ipſo cerebro perficiuntur. Dixi autem non ab re exquiſitam phrenitim,nam quæ exquiſita non eſt,ex ſepti tranſuerſi inflammatione oritur; cuius vitio excitatum delirium parum ab eo,quod in vera apparet phrenitide,diſtat,adeo vt veteres putarint eodem ſepto tranſuerſo inflammatione affecto (vt Gale.teſtis eſt quinto de Locis affectis,cap.4.) homines phreniticos euadere; atque ob eandem ſuſpicionem φρένας,hoc eſt,mentem eam partem appellauerunt , tanquam ſapienti parti conſerat quippiam. Verum nos quo pacto hæc non vera phrenitis , ab exquiſita,de qua verba faciemus,diſtinguenda ſit,deinceps oſtendemus; cum de vtriuſque ſignis pertractabimus.Illud tamen pro cõperto habeatur, quòd quęuis functio in exquiſita phrenitide lædatur,cum & diuerſæ lædi poſsint, in ea vt dicemus,pro varia phrenitidis ſpecie,ſeu differentia,eius læſio , & perpetua, & prima erit,cùm neceſſario cerebrum læſum eſſe oporteat primo, aut cum eius meninge. Quiſnam autem præter naturam affectus ſit phrenitis , ex iam dicta eius notione patere poterit; diximus nanque eam inflãmationem eſſe. At cùm in inflammatione duplex particulis affectus oriatur,vt libro de Differ.morb. & tertio de Temperamentis liquet,vnus videlicet in quantitate,alter verò in qualitate; erit ergo phrenitis,cum de genere inflammationum ſit,morbus in compoſitione,primo,& propriè in magnitudine,velut quælibet alia phlegmone eſt, iuxta Galeni ſententiam decimotertio Metho. Poterit ſecundariò dici morbus in intemperie,& ea calida; & 3.in continui ſolutione. Verum quomodo intelligenda ſit inflammatio,cùm phrenitim inflammationem dicimus eſſe, in explorandis eiuſdem cauſis enucleabimus:nunc verò tempus eſt de eiuſdem indicus pertractare. Exordiemur autem ex proprus eiuſdem ſignis; quæ quidem cerebri affectionem oſtendunt : nam propria morborum ſigna ſunt,cum vel perpetuo , vel ſolis contingunt : cum autem neque ſolis inſunt , neque perpetuo, propria illorum ſigna non ſunt:ob eam rem phreniticorum ſignorum ea ſunt certiſsima,quæ perpetuo,& ſolis inſunt phreniticis:deinde ab his , quæ perpetuo,ſed non ſolis,velut Gale.primo Prorrheticorum fatetur. Quapropter neque in vrinis,vt ipſe teſtatur, neque in deiectionibus , neque in ſudoribus , neque in vomitibus ſigna phrenitica ſunt. Adhuc autem & hæc ſigna phrenitidis bipartita ſunt:nam quædam eorum imminentem ipſam, ſeu iam exordientem,vel futuram dixeris,indicant ; quædam vero ipſam factam, ſeu completam

oſtend

Comment. 2
cõment. 72
Quæ pars phrenitide afficiatur.
commen. 4
4. de Cauſis pulſ. cap. 14
4. de præſag. ex pulſ. cap. 9
Exquiſitæ phrenitidis locus affectus.
commen. 1
2. de locis aff. cap 9
In non exquiſita quæ pars primo afficiatur.
Quis affectus præter naturam ſit.
Lib. de dif. mor. cap. 12
3. de temper. cap. 5.
cap. 1. & ſeq.
Signa.
comment. 4
Quæ ſint phrenitidis certiſsima ſigna, & quæ non.

Hæc quoque bifariã ſunt. comment. 4 Imminentis phrenitidis ſigna.

oſtendunt,iuxta Tralliani ſententiam præcitato loco,& Gale.5. de loc. affectis, cap.4. Verum quæ exordientis affectionis notæ ſunt,iure prognoſtica ſigna eius,quæ iam completa eſt,eſſe dixeris,vt liquet primo Prorrheticorum: quamuis & ea quoque phrenitica indicia vocentur. Interim nanque vigiliæ præcedunt, ſiue etiam ſomni manifeſtis imaginibus turbati: ita vt & clament nonnulli,& exiliant:interdum vero adeo agreſtis accedit obliuio, vt laborantes aliqui cum matellam petiuiſſent,meiere tamen neglexerint,aut cum lotium emitterent,matellam ipſam prodere haudquaquam meminerint. Interdum maiori cum tumultu,aut temeritate reſpondent,præſertim vbi antea fuerint manſueti: atque hi omnes exiguo vtuntur potu propter mentis læſionem, ſpiratioq; ipſis rara eſt,& magna, pulſus parui,& neruoſiores; nonnunquam occiput dolor infeſtat.

Factæ iã phrenitidis ſigna. cap.1

Febris verò ſemper eſt continua. At cum ipſe affectus increuerit,ſeu inualeſcat,oculi eorum vehementer euadunt ſqualidi,aut ex altero ipſorum acris lachryma effunditur: ac deinde lippitudo innatat, & venæ ipſorũ ſanguine plenæ videntur: ſanguiſque ex naribus ſtillat,quo tempore nihil (quod ex arte ad prudentiam pertinet) reſpondent. Floccos auellunt,& feſtucas carpunt,aridioréque febre torquentur,cui non ita magnæ in alterutram partẽ mutationes accedunt: quemadmodum in aliis quibuſdam febribus videre eſt, quæ per vigorem quidem grauiſsime infeſtant: inclinationes vero habent mitiores. Ad hęc lingua ſalebroſa quoque eſt: nonnulli interdum audiendo falli videntur,ac interim mœſti iacent,vix quicquam reſpondentes; atque dolorifica diſpoſitione affecti, vel acrius premente aliquo,haudquaquam ſentiunt.

Quibus indiciis ipſa diſtinguatur ab ea quæ ex ſepto tranſuerſo oritur. Loco citato.

Hoc inquam modo exquiſita phrenitis paulatim euenire ſolet: quieſcere vero neque ſubito, neque affatim cõſueuit,prout Gal.viſum eſt,eodem 5.de Locis affect.cap.4. Proinde licet perpetuum deliriũ ſepto tranſuerſo quoque inflammato, excitetur, & propterea quoquomodo cum eo,quod ad exquiſitam ſequitur phrenitim,cõueniat: diſtinguitur tamen ab ea (iuxta Gale.ſententiam) ex oculorum accidentibus, & ſanguinis à naribus ſtillis,ac ſpirationis ſpecie,quæ in phreniticis magna eſt, & rara. Vbi vero à ſepto tranſuerſo delirium ortum fuerit, inæqualis eſt, vt modo exigua ſit,ac frequẽs,modo magna,& anguſtioſa. Rurſus pręcordia intendi proprium indicium eſt illico ab initio ſepti tranſuerſi affecti, id quod affecto cerebro poſterius accidit,parato iam eo,non autem incipiente. Calor quoque circa caput & faciem vehementior eſt iis,qui ob cerebri vitium delirant: & (vt ſummatim dicam) eorum ſignorũ,quæ phrenitidem antecedere diximus, aut nullum apparet,aut ſi apparuerit aliquod,id perexiguum eſt in his,quibus ſeptum tranſuerſum inflammatione laborare incipit.

Quibus à ceteris delirantibus diſtinguuntur. Quibus à furore. Exquiſitæ phrenitidis differentiæ tres.

Diſtinguuntur vero phrenitici à reliquis delirantibus,per conſenſum reliquarum partium cum febre acuta: quoniam in his non adeò valida fiunt deliria, non perpetua,ſeu aſsidua permanẽt, ſed auctam febrim ſequuntur,remiſſa verò ea,quieſcunt, vt patet ſecundo de Locis affectis, cap.nono, quemadmodum & ab ea inſania, quæ Græcè μανία dicitur,ſola febre diſcrepat,vt antea meminimus. Huius autem exquiſitæ phrenitidis tres inquam inueniuntur ſpecies,ſeu differentiæ: quarum duæ ſimplices ſunt,ex quibus deinde tertia componitur,vt patet quarto de Locis affectis, cap. ſecundo. Quippe ſunt quidam phrenitici,qui de iis,quæ oculis offeruntur,rectè quantum ad ſenſitiuam notitiam pertinet,ſeu ad imaginatiuam ſpectat,iudicãt; cogitando vero à naturali iudicio aberrant. Alij rurſus cogitatione quidem minimè falluntur,cum eis veluti errans ſit imaginationis motus: plerunque vero in vtriſque ſimul delirium cõſiſtit, ſenſus videlicet, ſeu imaginationis, & cogitationis vitio laborantes,parum probè imaginando, ac parum aptè ratiocinando.

De diffe.ſymptom. cap.3 4.de locis affectis. cap.2 De dif. ſymptom. cap.3

Attuliſtque idem Gale.exemplum lanifici pueri tum prædicto loco, tum libi de Different.ſymptom.pro declaranda prima differentia. Secundam autem differentiam non ſolum in aliis,verum in ſeipſo,cum puer adhuc eſſet; expertum eſſe teſtatur. Illud quod Theophilo medico ægrotanti contigit, vt eodem lib. 4.de Locis affect.& de Differ.ſympto.patet.

Quomodo

Quomodo autem quiſpiam valeat

præno

dictæ tres differētiæ diſtinguantur.

prænominatas differentias, ſeu phrenitidis ſpecies ſigillatim dignoſcere. prolixa oratione opus non eſt: cum ex deprauato cuiuſque functionis motu, aut ex vtriuſque, ſi compoſita fuerit, prompte percipiatur, ſiquis prius norit, quid ſit vtriuſque facultatis munus. Euenit autem interdum, vt illæſa ſeruetur memoria, interim vero vt ſimul cum eis afficiatur: at non propterea ſic temere in Gal. doctrina aſſerendum eſt has functiones in diuerſis cerebri partibus perfici, cum & vna lædi poſsit, altera illæſa permanente; quamuis Aëtius illud ſentiat, cum valde alienum ſit ab eius ſententia, vt in quodam noſtro compendio longiori diſcurſu oſtendimus, ac qua ratione illud fieri poſsit demonſtrauimus: quamuis in vno, eodemque loco, hoc eſt, in cerebri corpore, perficiantur. Illud tamen non omittam, priuſquam ad narrandas phrenitidis cauſas deueniam, cùm ea ſit inflammatio, vt diximus, ſub quo inflammationis ſignificato comprehendatur.

Loco citato.

Quot modis in Gal. doctrina dicatur inflāmatio: quid quatuor.

Nanque Gale. communiſsimo eius ſignificato vtens ſecundo de arte curatiua ad Glauconem, dixit aliam eſſe ſiccam, aliam eſſe humidam inflammationem: nec ab ea ſub ſicca contineri poteſt, cùm ex quibuſdam oriatur ſuccis, vt dicemus. Inſuper & hæc, quæ humida eſt, fieri poteſt ex cuiuſuis humoris ſuperabundantia, potiſsimum cum ſanguine, vt ſecundo de locis affectis, ac commento aphor. 33. ſexti libri patet, communi quodam ſignificato ea vtens, quomodo nec ipſa phrenitis inflammatio dici poſſet, cùm ea oriri nō valeat ex cuiuſuis ſucci redundantia, etiam cum ſanguine permiſti, vt dicemus. Interim vero inflammationis nomine vtitur, velut etiam communi quodam non ad omnes inflammationes, ſed ad eas tantum, quæ ex calidis ſuccis ortum habent, ſiue is ſanguis fuerit, ſiue bilis flaua, aut ex ambobus ſimul humoribus genita fuerit: ſub quo ſignificato, & ipſa phrenitis comprehenditur: nam ex calidis ſuccis, quamuis non omnibus, originem ducit, vt infra patebit.

2. de loci. affec. cap. 9

Quomodo phrenitis inflammatio dicitur.

Qua ratione fit, vt quamuis Gale. alio modo inflammationis nomine vtatur, & quanto magis propriè ipſam ſumendo, vt ſit tumor quidam ex ſanguine optimo, ac mediocrem craſsitudinem obtinente, præter naturam excitatus, cum vehementi dolore, calore, tenſione, ac pulſu; phrenitis tamen ipſa ab hac inflammationis appellatione ſecludatur; cum nec ipſa à ſanguine optimo, ac mediocrem craſsitudinem habente excitari poſsit. Ex quibus liquet phrenitim ipſam exquiſitam propterea inflammationem dici, quoniam ex calidis ſuccis ortum habet, non ſiquidem omnibus, ſed ex ipſa bile, cum videlicet locum, in quo princeps animæ pars reſidet, prehenderit, eodem Galeno teſte primo prorrheticorum.

Exquiſitæ phrenitidis cauſa.

Comment. 1.

Amaræ bilis differentiæ.

At quoniam ea non vnam tantum habet denominationem, & differentiam, cùm alia pallida bilis dicatur, alia flaua, ſeu ruſa, quæ iterum immoderatius excalfacta, aſſata flaua bilis nominatur; ex qua iſtarum exquiſita phrenitis excitetur, non iniuria quæret quiſpiam; cui reſpondebimus nos cum Gal. tertio de locis affectis. ac Tralliano, præcitato loco, eam oriri poſſe ex quauis prænominata bile: nam interdum à pallida ortum contrahit: interim flaua eam parit: nonnunquam ab eadem flaua præaſſata gignitur.

cap. 7

Modus dignoſcendi ex qua bile phrenitis fiat.

Cap. de felle.

Illud verò hoc modo inueſtigare licebit, quando ex prædictarū aliqua excitetur: nanque ex pallida bile ſi generetur, mitior erit, & phrenitis, & delirium, & febris; illudque non abſque ratione: nam cum ſeroſo recremento flauæ bili commiſto pallidam conſtitui contingat, vt Gale. viſum eſt decimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, non mirum, ſi mitior ea fuerit. Si verò ex flaua bile excitetur, multo vehementior phrenitis erit, febres quoque maiores inducet: cùm & ipſa flaua bilis propterea colore flaua ſit, quoniam pluſculum excalfacta eſt, vt præcitato loco Galen. placuit. At vbi flaua bilis immoderatius excalfacta, & plus æquo aduſta fuerit, ſeu præaſſata, phrenitim efficiens, dementia occurrit ferina, & melancholica; & propterea efferata dicitur; cuius ratio cunctis facile patere poterit. Patet denique ex his, ex qua bile phrenitis gigni poſsit, ac quibus indiciis eiuſdem cauſa inueſtiganda erit. At ſi quis dixerit, Pauli auctoritate fretus cap. 6. libro tertio, ex redundante ſanguine

Dubium ex Pauli uerbis.

phreni-

Reſponſio. phrenitim oriri poſſe: reſpondebimus nos, aut Paulum non de exquiſita phrenitide intellexiſſe, quæ ex ſanguine, cui admiſta fuerit flaua bilis gigni poſſet, vel de ſanguine ferueſcente, & tenuiſsimo ſecundum ſubſtantiam intelligere voluiſſe: qui flauæ quidem bili ſimilis exiſtit, aſsimileſque parit affectus, Gale. *cap.1* teſte ſecundo de arte curatiua ad Glauconem; quinimò & ipſe flaua bilis dici poteſt. Quapropter cum Gal. concludamus, exquiſitam phrenitim, quæ inflammatio cerebri, & membranarum eius exiſtit, ex pallida bile, aut flaua, ſeu eadẽ flaua præaſſata originem ducere. Quo autem pacto diuerſæ eius cauſæ dignoſci valeant, ex iam dictis liquet: reliquum eſt igitur, vt eius prognoſtica deſcribamus; deinceps vero curationem. Quòd autem ea acutiſsimus, periculoſiſsimuſque ſit affectus, omnibus in confeſſo eſt, iuxta Tralliani ſententiam, & Gal.

Prognoſtica.
1.progn.cõ.23

1.progn. vniuerſum phrenitidis genus exitiale eſſe teſtatur, ſimul cum Hippoc. Verum idem Hippocrates aphoriſmo 53. ſexti libri aſſeruit, deſipientias, quæ cum riſu fiunt, ſecuriores eſſe: quæ vero cum ſtudio, periculoſiores: quo loco per ſecuriores intellexit minus periculoſas: cùm nulla deſipientia ſecura ſit, velut Gale. eodem loco exponit. Quò fit, vt hæc ſententia non aduerſetur ei, *1.progn. loco citato.* quæ dicta eſt primo progn. Hoc idem Celſus confirmauit lib. 3. c.18. dum dixit, interdum in acceſsione ægros deſipere, & loqui aliena: quod non quidem leue eſt, neque incidere poteſt, niſi in febre vehementi; non tamen ęque peſtiferum eſt, vt phrenitis. Idemmet Hippo. aphoriſ. 72. quarti lib. vrinas albas, & perſpicuas malas eſſe in delirantibus dixit: & Galen. 3. de morbis vulgaribus acutiſ- *3. de morb. vul. cõmen. 3 commen. 75.* ſimam eſſe phrenitidem teſtatur, quæ primo ſtatim die vnà cum febre inuadit; atque omnes fatetur, qui ita phrenitide periti eſſent, infra ſeptimum diem mortuos eſſe: perpaucos autem, hoſque raros, hunc ſuperaſſe. Grauiſsima quoque phrenitis eſt, quæ ex peruſta bile gignitur, vt Paulus inquit. At tempus eſt

Curatio. ad eius curationem accedere: pro qua, aer primo alterandus, hyeme quidem, vt Aëtio viſum eſt, ad tepidum, æſtate verò ad frigidum: nam dixit, Aeger igitur decumbat hyeme quidem in domo tepida, æſtate verò frigida. At Paulus voluit, quòd æger decumbat in loco tum lumine, tum temperie moderato, & varijs quibuſdam picturis libero. Vt verò hi concilientur, prohibendus eſt, mea quidem ſententia, aër extremè frigidus, etiam in æſtate: de quo noluit Aëtius intelligere: quoniam & inflammationi nocua ſunt impenſe frigida, eiuſque cauſam denſando, prohibent digeſtionem: nec impenſe calidus eligendus erit, etiam in hyeme, cum inflammationem & irritet, & foueat, ac eius cauſam adaugeat. Quod vero ad lucem, ſeu tenebras ſpectat, voluit Aëtius, quòd hi qui ad lucis ſplendorem reſipiſcunt, in lucida domo degant: at qui ad lucem efferantur, in tenebricoſa domo decumbant. Trallianus autem iuſsit aërem magis lucidum, quàm tenebroſum eligendum eſſe, vt æger per huius ſenſum ad conſpectorum perceptionem, ac conſcientiam perueniat. Quod vero ad aëris qualitates primas eligendas, quòd temperatus exiſtat, voluit quò animalis ſpiritus temperie ipſius reſocilletur, ac relaxetur, vitanduſque ſit admodum craſſus, humidus, frigidus, aut calidus, propter aſsignatas cauſas. At Celſus quod ad tenebras attinet, aut lumen, hiſce vtitur verbis, Fere vero antiqui tales ægros in tenebris habebant, eo quòd eis contrarium eſſet exterreri; & ad quietem animi tenebras ipſas conferre aliquid iudicabant. At Aſclepiades tanquam tenebris ipſis terrentibus, in lumine habendos eſſe dixit. Neutrum tamen perpetuum eſt: alium enim lux, alium tenebræ magis turbant: reperiunturque, in quibus nullum diſcrimen deprehendi, vel hoc, vel illo modo poſsit. Optimum itaque eſt vtrunque experiri; & habere eum, qui tenebras horret, in luce; eum qui lucem, in tenebris. At vbi nullum tale diſcrimen eſt, æger, ſi vires habet, loco lucido: ſi non habet, obſcuro continendus eſt: quam Celſi ſententiam perpetuo ſeruandam eſſe cenſerem, quanquam prædicti omnes veritatem afferant, ſi eorundem mens ritè percipiatur. Quantum vero ad motum, & quietem ſpectat, iuſsit Paulus phreniticos in quiete, quoad eius fieri licet, contineri, ſi

diuites

diuites fuerint, à famulis, ſin pauperes, vinculis conuenit; nam inordinata motio vires proſternit, ac ægrotos macilentos reddit, potiſsimùm delirantes. Galé. teſte commento aphoriſmi 28. ſecundi libri. Alia etiam de cauſa pedes deligaturis conſtringi debent, nempe quo humores deorſum reuellantur, vt eidem Paulo placuit: huius quoque ſententiæ eſt & Trallianus: qui propterea inhibendum eſſe violentum motum aſſeruit, quoniam præter iam dicta, & morbũ excitat, & ſommũ impedit: de vinculis ſimilia proferens, quæ Paulus. De ſomno autem dicebat Celſus, Omnibus vero ſic affectis ſomnus, & difficilis, & præcipuè neceſſarius eſt: ſub hoc enim plerique ſaneſcunt: propterea quæ ſomnum moliuntur, adhiberi debent intus, ac extra, de quibus in ſequentibus mentio fiet, ac omni ratione vigiliæ excidendæ ſunt Tralliano auctore. Subluenda interim aluus eſt lenibus clyſteriis, decocto videlicet maluarum, violarum hordei, papaueris capitum, ac foliorum betæ, & pauco ſale additis vnc. uj. vel iiij. olei violacei, vel de papauere, ſeu amygdalarum dulcium, duabus mellis violacei, & j. caſsiæ tractæ, ſeu caſsiæ fiſtulæ: licebitque interdum, ſi hæc non ſuffecerint, drac. iij. vel iiij. diacatholicon addere. Ventris verò aſtrictio penitus vitanda erit, cum & morbum, & cauſam adaugeat. Ad locum autem quo æger decũbit, amici & quidem gratiſsimi ingrediantur: qui nunc blandè ægrotum alloquantur, nunc acerbius corripiant, vt inquit Paulus. Celſus verò aduerſus omnium inſanientium animos aſſeruit neceſſarium eſſe gerere ſe pro cuiuſque natura: nam quorundam vani motus leuandi ſunt, ſicut in homine prædiuite famem timente accidit: cui ſubinde falſæ hæreditates enunciabantur: quorundam audacia coercenda eſt, ſicut in iis fit, in quibus continendis plagæ quoque adhibentur: quorundam etiam intempeſtiuus riſus, & obiurgatione, & minis prohibendus eſt: quorundã diſcutiendæ triſtes cogitationes, ad quod ſymphoniæ, & cymbala, ſtrepituſque proficiunt. Sæpius tamen aſſentiendum, quàm repugnandum eſt, paulatimque & non euidenter ab his, quæ ſtultè dicentur, ad meliora mens eius abducenda eſt. Interdum etiam elicienda ipſius intentio, vt fit in hominibus ſtudioſis literarum: quibus liber legitur aut rectè, ſi delectentur, aut perperã, ſi id ipſum eos offendit: emendando enim cõuertere animum incipiunt: quin etiã recitare, ſi qua meminerunt, cogendi ſunt. Ad cibum quoq; quoſdam non deſiderantes reduxerunt hi, qui inter epulantes eos collocauerunt. Quare rectè inquit Trallianus, quòd amici nonnulli admodum familiares ei aſsiſtere debẽt, vt etiã increpãtes ipſum propter ea, quæ facit, reuereatur: neque verò domeſticus, aut cognatus, cuius cauſa aliquando triſtetur, aut cui iraſcatur, ingredi debet: quippe hoc irritare ægros, & cõmouere ſolet, & vt valdè perturbentur, manifeſtã præbet occaſionẽ: nec etiã amici frequẽtes, & copioſi ad eum ingredi debent, propter cauſas ab eo aſsignatas. Quoad cibum attinet moderatio in eo quoque adhibenda: nam neque implendus æger eſt, ne inſaniat: neque ieiunio vtique vexandus eſt, ne imbecillitate in cardiacum incidat, quemadmodum Celſus teſtatur, opus eſt autem, eo auctore, cibo infirmo, maximeque ſorbitione: propterea ptiſana, velut primum omnium victus ratione phreniticis remedium adhibeatur, optimè prius decocta, vt Tralliano viſum eſt. Inſuper & ipſius ſolus cremor vtilis eſt. Quòd ſi ægri prædicta auerſentur, panis in aqua calida intinctus iuuabit. Quòd ſi vires conſentiant, ipſa aqua hordei tantum vtare. Ex oleribus intybum, & lactuca elixa, ac alia olera frigida, cucurbitaque, in pauca tamen quantitate exhiberi poteſt. Ex fructibus vti poſſunt malis, ac acidis pomis, & eiuſdem qualitatis ceraſiis. Pro potu vtantur aqua hordei iam dicta, aut aqua ex decocto ſeminum coriandrorum præparatorum, vel aqua ipſa decocta cum additione exigui ſucci acetoſitatis citri, aut ſucci malorum punicorum acidorum, ſiue ſucci pomorum etiam acidorum. In quibus autem multæ vrgent vigiliæ, febris verò non vehementiſsima, ac vires ſunt imbecillæ, quædam quoque concoctio vrinarum in eis apparet, præſertim ſi cùm ſani eſſent vino vti conſueuerint, & eo vti poſ-

ſunt, potiſsimum ſi os ventriculi eis imbecillum ſit. Commodiſsima nanque eſt us vini potio, ſi modicè aſſumatur, Tralliano teſte; nam ferocitatem ipſorum mutat, ferinos mores ad hilaritatem transfert, ſomnumque conciliat, ac ſitim reſtinguit: eoque vtendum erit vino, quod Græci ὀλιγοφόρον appellant dilutum inquã, tenue, & aquoſum, ac albũ, modiceq; aſtringens. Nam huiuſmodi vinum & ventriculum robuſtum efficit, cum hoc, quòd haudquaquam caput tentat,
5. de loc. affe. cap. 6 auctore Gale. 5. de locis affect. 12. meth. medendi, & 3. de ratione victus in mor-
bis acutis. Proinde nulla futura mentis alienatio ex eius exhibitione timeri
12. meth. ca. 4 debet, vt Paulo viſum eſt. Frigidam autem aquam vitare omnino oportet, eò
3. de rat. uictus. com. 3. quòd tuta non ſit, at tutius erit tepida potius vti, vt placuit Tralliano, & potiſ-
Venæ ſectio. ſimùm ſi ſeptum tranſuerſum coaffectum ſit. Phreniticis verò ſtatim ab initio venam incidendam eſſe, modò valens virtus ſit, vt ſine noxa miſsionem ſanguinis toleret, ac nihil eorum prohibeat, quæ de ſecanda vena perpendenda
cap. 21 ſunt, cuncti ferè artis medicæ auctores cum Galeno 13. meth. conſentiunt, præter Aſclepiadem; qui perinde eſſe dixit his ſanguinem mitti, ac ſi trucidentur, rationem hanc ſecutus, quòd neque inſania eſſet, niſi febre intenta, neque ſanguis in remiſsione eius rectè mitteretur: quem Celſus, & rectè quidem improbauit, tum propter alia, tum quoniam continuata quoque febris habet tempora; quibus & ſi non remittit, non tamen creſcit. Sanguis ergo abſq; controuer-
Quæ uena ſecanda ſit. ſia, aliis conſentientibus, ſtatim iis mitti debet, tanquam primum omnium, & maximum futurum præſidium, prout omnes conueniunt. Verùm Aëtius mediam cubiti venam ſecandam eſſe præcipit. Paulus verò protinus è cubito ſanguinem mitti debere iuſsit, ex qua autem vena, non meminit: quanquam illud ratione determinare haud difficile erit: nam ſi ab initio vſque ad quartũ diem phrenitis irruat vigenti ætati, bonæque corporis habitudini, ac cuncta ſanguinis multitudinem indicent, ſecanda primò erit præcepto Aëtij media vena. At ſi non adeò fuerit ſanguinis cum bile redundantia, & ex tranſmutatione alterius morbi phrenitis ſuccedat, potiſsimum ſi aliæ euacuationes præceſſerint, tunc humeralis, ſeu externa vena incidenda erit: quòd ſi phreniticus manum non porrigat, quòd ſæpe accidit, ex recta in fronte vena ſanguinis miſsio molienda erit, ex Tralliani, & Pauli ſententia. Facies autem id rectè; ſi collum ar-
Quãtitas ſanguinis auferẽda. tificioſè faſcia lanea, ſeu linea conſtringas, vt vas attollatur. Quantitas autem pro viribus detrahatur, & minus quàm oporteat auferatur, ob plurimam, quæ in ipſis ex vehementi motu contingit, diſsipationem, ac exhalationem, & propter laxitudinem, at ſi videbitur, iteranda potius erit, vt ſi prior ex media facta fuerit, ſecundo loco ex externa, & tertio, ſi opus fuerit, ex frontis vena ſanguis detrahatur. Quòd ſi prior externa vena inciſa fuerit, ſecundo loco eadem frontis vena ſecetur, & vltimo, ſi opus fuerit, cucurbitulæ in occipitio figendæ, ex quibus ſanguis ſcarificatione trahatur: aut ſi noluerit æger brachium porrigere, & propterea recta in fronte vena fuerit inciſa, ſecunda vice, ſi oportebit, ex eadem ſanguis mittendus erit: & demum ſi intererit, cucurbitulæ in oc-
Oxyrrhodinum. cap. 21 cipitio figendæ. Poſt ſanguinis euacuationem, capput oxyrrhodino madefaciendum erit, non tantùm Galeni præcepto 13. meth. ſed ex communi omnium
Cõmune præceptũ in admouendis topicis medicamentis. cõſenſu, illudque in principio admouendum: nam repellẽdus à capite humor eſt ipſumque alterandum, ne immodica caliditate liberalius humores attrahat, atque iccirco eis repleatur: quanquã nec illud capiti admouere tentandũ erit, nec aliud quodpiam medicamentum, niſi vniuerſi corporis curatione præmiſſa: id quod commune præceptum eſt in omnibus morbis, ac obſeruare opor-
1. de comp. medic. sect. loc. cap. 1. & 8. 3. de loc. affe. cap. 3 tet in cunctis topicis, hoc eſt, localibus vocatis remediis, Galeni decreto, cum primo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, tum tertio de locis affect. vt ſupra retulimus, quo etiam tempore odoriferum parari poteſt eundem præſtans vſum, excipiens aquæ roſarũ, & myrtillorum ana vnc. iij. ſandalorum rubeorum, citrinorum, & corallorum rubeorum ana drac. j. aceti roſacei vnc. j. & ſ. miſceantur ſimul. Interim nonnulli alterantes ſyrupi competunt, vt

roſac

roſaceus, violaceus, ex nymphæa, ex cichorio, ſeu endiuia, ac de papauere. Verùm nunquid purgatione, vbi opus fuerit, vtendum ſit, non admodum liquet, cùm neminem Græcorum inuenerim ipſam præcipere: quamuis Celſus videatur ipſam olfeciſſe, dum dixit, Nec minus deliberari poteſt an aluus ducenda ſit. Inter Arabes, Auicenna proprio capite de cura phrenitidis, redundante flaua bile, magis quàm ſanguine, purgationem laudauit. Verùm nos (licet Græci auctores de ea mentionem non fecerint, fortè quòd purgantia medicamenta ſint natura calida, humoreſque commoueant, & propterea inflammationem augeant, tum etiam quòd cùm ea febris ſit vehemens) ipſam tamen non negabimus, vbi vſus fuerit, nec propterea tantis pugnabimus viris, cùm nec ea medicamenta purgantia, quæ talis ſint naturæ, ac eorum temporibus reperiebantur, admittimus, ſed tantùm ea, quæ cum hoc, quod feliciter purgant, ac fluentes ſuccos ad infernas partes reuellunt, nec inflammationem, nec febrem adaugent, imò & vtraſque mitigant, ac curant, quæ ſi nouiſſent, approbaſſent vtique, quanquam nec eamet, quæ ipſi nouerunt purgantia medicamenta damnent, licet non præcipiant. Nam & ipſe Galenus quarto meth. medendi, auctoritate Hippocratis, interdum in morbis magnis, non modò venæ ſectione, verùm, & purgatione reuulſionis tantùm gratia vtendum eſſe præcipit, etiam nulla humorum plenitudine exiſtente, aut redundantia vitioſi ſucci. Qua de re vtendum eſſe purgantibus medicamentis, quæ aut calida non ſint, aut parum caliditate participent, cum ipſis tamen frigida miſcenda medicamenta cenſerem: ea ſunt manna, caſsia fiſtula, ſaccharum violaceum, ſeu ſyrupus ex pluribus infuſionibus violarum, aut roſarum, tamarindi, & interdum diacatholicon, aut triphera perſica, ſeu rhabarbarum, modò cum aliquo prædictorum permiſta ſint, poterit autem ſic componi, Recipe tamarindorum vnc.j. fiat decoctum cum florũ violarum borraginis, bugloſsi, & hordei mundi ana drac.iij. in aqua: in cuius decoctu iure diſſoluas mannæ electæ vnc. ij. s. vel iij. aut caſsiæ fiſtulæ vnc.j. & s. vel ſacchari violacei vnc.ij. ſeu ſyrupi ex pluribus infuſionibus violarũ, aut roſarũ vnc.iiij. adde demũ rhabarbari vigorati infuſi drac.j. vel ſcrup.iij. diacatholicon, ſeu tripheræ perſicæ drac.iij. vel iiij. & fiat potio. Verùm ſi quis rhabarbarũ auerſetur propter corporis temperaturã, ætatem, aut habitũ, ſeu anni tempus, regionẽ, ac cæli ſtatum calidum, poterit reliquis benè vti, eorum quantitatem accõmodando, prout ritè videbitur. Interim quoque frictionibus vtendum leuibus pro reuulſione, eo potiſsimùm tempore, quo & delirium, & febris non valde auctæ fuerint, ſed potius remiſerint, & præſertim inferiores fricentur partes. Caput autem roſaceo cum modico aceto irrigetur, ætate quidem tepido, hyeme verò moderatè calido, quod in cunctis alijs medicamentis ſeruandum erit topicis: & ſi ambiens frigidior fuerit, commodum eſt & chamæmelinum ex æquo ipſi admiſtum, velut ipſe illuſtrẽ Indicum Piccolhomineum, Ducis Amalfiæ filium hoc medicamento à phrenitide, cùm à cunctis medicis eſſet deſtitutus, liberaui, facta ex eo irrigatione ſupra coronalem commiſſuram, capillis prius tonſis. Poterit inſuper parari decoctum ex roſis, violis, hyoſcyamo, lactucis, nymphæa, ac corticibus papaueris, cui miſcendo roſacei, & chamæmelini quantitatem moderatam, aut roſacei ſolum in aëris conſtitutione calida, ſeu æſtate, & albi aceti parum, irrigatio ſimiliter fieri poteſt: odorem quoque naribus obiicimus: ac nares ipſas intus, vel frontem ex ſimilibus medicamentis illinimus, etiam cùm in ſummo incremento phrenitici fuerint, teſte Galeno 13. metho. Quippe ſopire, vt ipſe aſſerit, ac ſtupefacere principem facultatem oportet, cerebrum ſcilicet, quod ſupra modum incaluit, refrigerando: ex quibus etiam aſsiduè facies proluatur, vt Aëtio viſum eſt. Vbi verò diu hoc vitium moram traxerit, Galeno, & Aëtio teſtibus, ea adhibenda medicamenta ſunt, quæ diſcutiant, ac craſſos vapores tranſſpirare faciant, velut ſi ſerpillum, thymum, aut ſpondylium, melilotum, & althæa oleo coquantur roſacco, vel chamæmelino, quo demum caput irrigan-

Nunquid purgare eos conueniat.

Auic. lib. 3. fen. 1. tract. 3. cap. 3

cap. 6

Quibus purgātibus medicamentis utendum ſit.

Frictiones.

Quæ iterum ſeruanda ſint in adhibendis topicis.

cap. 21

dum, aut madefaciendum erit, atque vapor per nares ſuſcipiendus. Verùm in hoc magnopere animaduertant Medici rogo, ne ſic temerè prædicta, ſeu alia, quæ diſcutiant medicamenta calida phreniticis admoueant, niſi tranſacto eius incremento, inclinanteque vigore ſummo; nam ſi prius approximentur, maximum parabunt diſcrimen, & fortè ægrotátis perniciem, inflammationem ſiquidem augendo: nec minus animaduertant quæſo in approximandis, velut vulgus Medicorum hodierno tempore vtitur, catellis, ſeu gallis: eum ſi in principio, ac ſummo incremento eis vtaris, inflammationem irritabunt, & febrem. In fine verò ſummi vigoris, ac inclinatione rectè fortè eis vtaris: quo etiam tempore aquæ potabilis balneo temperatè calido, præſertim vbi ſiccitas, & vigiliæ plurimæ vrgeant, lauare eos non nocebit, & ſi febricitent: cùm ad bonam temperiem ex eo reuertantur, & in poſterum delirio, & febri liberentur, Traliani decreto: poſt quod & liberaliter vngere conuenit. Illud præterea menti tenendum, quòd in quacunque phrenitidis differentia, ſeu quauis principe functione affecta, perpetuò medicamenta iuxta capitis commiſſuram coronalem approximanda ſunt; tum propterea, quòd non in diuerſis cerebri partibus prædictæ functiones exerceantur, ſed in eademmet ſede, iuxta Galeni ſententiam, vt alibi fuſiùs declarauimus; tum etiam quòd per eam partem promptiùs non modò facultas, ſed etiam ſubſtantia medicamentorum penetràre valet, velut prius in capite de lethargo ad mentem Galeni, dictum eſt. At cùm diximus ſomnum ſolum, & maximum eſſe delirantium remedium, propterea non immeritò commemoranda hìc duxi, quæ ipſum moliuntur, tam intus, quàm extra adhibita: nam pro oxyrrhodino, ac iam dicta irrigatione, poſſet caput irrigari cum oleo de nymphæa, violaceo, ſeu ex papauere, pauco aceto addito: aut decoctum fieri ex lactucæ folijs, violarumque, tum floribus, tum folijs, hyoſcyamo, roſis, ſolano; capitibus papaueris albi, & nigri, ac mandragoræ pomis, ſeu radicibus, ſemper aceti parum miſcendo, ex eoq; vel caput irrigando, vel ipſum olfaciendo. Naribus inſuper, ac temporibus cum pauco aceto populeone vnguento vti poteris, ac fronti. Sub ceruical papaueris capita, aut mandragoræ mala ſubdantur, vt præcipit Aëtius. Confert etiam aliquid ad ſomnum ſilanus iuxta cadens, hoc eſt, aquæ riuus, vt inquit Celſus, faciemque aſsiduè prolui præcipito ex aqua, in qua papaueris tum albi, tum nigri capita ſint cocta; in potu inſuper danda eſt aqua, in qua papauer, aut hyoſcyamus decocta ſint, vt idem Celſus refert pondere vnc. iij. aut drac. j. alicuius ſomniferi antidoti, vt tripheræ magnæ, aut eius quæ requies dicitur, ſeu philonij Romani, vel perſici tribuas: in quorum aſſumptione illud obſeruandum, ne in vigore, ſed in exacerbationis declinatione dentur. Cæterum aſsiduum vſum ſtupefacientium pharmacorum, potionum, irrigationum, ac illitionum vitare oportet; facilè enim in his, vt Aëtius refert, qui immodicè perfrigerantur, tranſitus fit à phrenitide in lethargum: quò fit, vt quem obdormire volumus, excitare poſtea non poſſumus. Si etiam vires imbecillæ fuerint, tunc maximè vitabis nequid torpori, ſomnoque inducendo accommodum exhibeas: nam in his, qui infirmas vires habent, Tralliano teſte, non vulgaris noxa, imò interdum mors talium potionem comitatur. Liquet igitur ex his non modò phrenitidis curandæ ratio, verùm & immodicæ vigiliæ, necnon & delirij quouis modo in febribus geniti, cùm videlicet adeò vrgeat, vt & ipſi quoque quamuis per conſenſum excitetur, ac febrium ſymptoma ſit, non abſque ratione ſuccurrere oporteat, ne videlicet ex eo cerebrum ipſum per ſe facilè afficiatur.

Quæ præſertim parte applicanda ſint topica internis capitis affectibus.

In proprio quæſito.

Quæ ſomnum concilient medicamenta.

Quæ obſeruãda ſint in exhibendis anodynis medicamẽtis torporem inferentibus.

περὶ μελαγχολίας. *De melancholia.* *CAP. VII.*

SVb delirij nomine, quod Græci παραφρονεῖν appellant, non modò phrenitis, ac quod in acutis febribus excitari conſueuit, continentur, Galeno teſte ſecundo de cauſis ſympto. verùm etiam duæ aliæ ſpecies, ſeu differentiæ, quę quidem citra febrem oriri ſolent: quarum

2. de cauſis ſympt. cap. 7

vna melancholia tum à Græcis, tum à Latinis dicitur, reliqua vero μανία Græcè, Latinè inſania, ſeu furor nuncupatur, de his propterea non immeritò pertractabimus, de melancholia prius verba facientes: quę quoniam inter eos connumeratur affectus, vt Galeno viſum eſt ſecundo Methodi medendi, & tertio de Locis affectis. qui à cauſa nomen ſumpſerunt, propterea melancholiæ nomẽ impoſitum ei eſt, quò fit, vt Paulo lib. 3. cap. 14. ſic deſcribatur. Melancholia delirium quoddam eſt ſine febre, ex melancholico humore maximè naſcens, qui mentis ſedem occupauerit: nam quamuis non vnus ſit eius generationis modus, vt dicemus, cunctis tamen melancholicis commune eſt, quòd cerebrum eis afficiatur, ſiue per eſſentiam, ſiue per conſenſum: quod inſpiciens Paulus in eius deſcriptione innuit cerebrum in ea affici. Hoc idem Galenus ante ipſum tertio de Locis affectis cap. ſeptimo, decretum reliquerat. Patere inſuper poterit ex principis functionis læſione aliqua, cùm dictum ſit eam quandam eſſe delirij ſpeciem: & propterea in ea neceſſarium eſſe aliquam lædi functionem principem, quæ non niſi in cerebro perficitur, qua de re & ipſum affectum erit: nam quòd in cerebro conſiſtant omnes principalium animæ virium affectus, in confeſſo habent omnes medici, vt tertio de Locis affectis cap. 5. liquet. Nunquid autem vt inſtrumentalis, vel vt ſimilaris pars, cerebrum ipſum in melancholia afficiatur, idemmet Galenus eodem tertio de Locis affectis teſtatur, cùm dixit. Vbi verò in ipſo cerebri corpore melancholicus ſuccus abundat, eam inſaniæ ſpeciem quam Græci μελαγχολίαν vocãt, efficit: quò fit, vt neque ſubito eueniat, neque affatim ſoluatur: nam totius ſubſtantiæ cerebri temperies mutata eſt. ex quibus liquet cerebrum, vt ſimilarem partem, & non vt inſtrumẽtalem in melancholia læſum eſſe: quod quidem ante Galen. Hippocrates ſexto de Morbis vulgarib. confeſſus eſt, cùm dixit; Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur, & contra, morbo comitiali laborantes efficiuntur melancholici: atque horum vtrumlibet magis accidit, prout vel in hanc, vel in illam partem infirmitas repit: ſi enim in corpus, epileptici, ſi verò in mentem, melancholici redduntur. Cùm verò in hoc affectu cerebrum per eſſentiam læditur, propria ipſius melancholiæ ſymptomata, quæ infra narrabimus, auctiora videbuntur, nec alia ſymptomata in aliqua aliarum partium priùs apparebunt. At ſi prima ſymptomata in aliqua corporis parte, vtputa circa ventriculum inceperint, & demum ipſis auctis melancholica ſequatur affectio, haud ab re exiſtimandum erit, primitiuam affectionem non in cerebro conſiſtere, ſed ipſum per conſenſum affici: quo caſu nec propria melancholiæ ſymptomata grauiora apparebunt, vt fuſius infrà dicemus. Sufficiat autem modò nõ ignorare cerebrum neceſſariò eſſe affectum in ipſa melancholia quomodocũque ea excitetur. At nunquid morbus ſit hic affectus, vel ſymptoma, non omnes conſentiunt: quidam nanque, quòd in morborum numero reponatur, exiſtimarunt, qui licet magnæ auctoritatis viri ſint, parcant mihi, ſi aliter ſentiam cum Galeno, dicamque ſymptoma, & non morbum eſſe in genere noxæ functionum principum, cùm earum quædam deprauata ſit functio, velut tertio de Locis affectis, ac ſecundo de Cauſis ſymptomatum liquet: vbi ipſam παράνοιαν, hoc eſt, dementiam appellat: nec minus veniam dabunt ab eorum opinione recedere, qui tum imaginationem, tum cogitandi functionem in melancholia lædi aſſeruerunt: nam licet dixerimus ſymptoma eſſe principum functionum, non tamen cogitandi, nec memorandi functio in melancholica dementia, noxam ſuſcipiunt, prout Galeni verba 2. de Cauſis ſympto. cap. 7. liquidò oſtendunt, dum dixit, Melancholicæ autem dementiæ variæ ſunt ſpecies, prout in ipſis particulatim doloſę imaginationes apparent. Patet ex iis verbis, imaginandi functionem, non cogitandi, nec memorandi læſam eſſe, hoc idem confirmauit Aëtius proprio capite de melancholia, dicens, Melancholica deliria multiformia quidem ſunt, ob particulares corruptas imaginationes. & Trallianus cap. 17. lib. 1. aſſerebat, quòd non omnes melancholici eadem ſymptomata ſuſtinent, neque ſimiliter eiſdem imagina-

2. Meth. c. 2
3. de Loc. aff. cap. 7

Melancholia quid ſit.

Quæ pars in ea afficiatur.

Nunquid ut ſimilaris, vel ut inſtrumentalis pars cerebrũ afficiatur.

Sect. 7. in fin.

Quomodo diſtinguatur, ſi per eſſentiã, aut per conſenſum ipſum fuerit affectũ.

Quis affectus præter naturam ſit.

3. de loc. aff. cap. 7
2. de cauſis cap. 7

Quæ animalis functio per ipſam offendatur.

Lib. 6. cap. 9

Propria melancholiæ indicia quæ.

tionibus agitantur. Quòd igitur imaginatio tantum melancholicis lædatur, eáque deprauata ſit,ac veluti errans,ex iam dictis patet,cogitandi functione,ac memorandi manentibus illæſis,cùm circa viſa decipiantur, & propterea cuiuſcuis melancholiæ propria indicia ſunt,metus,& mœſtitia,abſque manifeſta cauſa:quemadmodum ſi propter cauſam manifeſtam hæc incipiant,longóque tempore perſeuerent,adhuc melancholiam ſignificant, prout Hippocrates, & Galenus decretum reliquerunt,Aphoriſmo 23.ſexti libri.Metuunt enim,& triſtantur omnes,odioque habent homines,vt inquit Paulus, nec ſi roges eos, quamobrem mœreant,reddere cauſam poſſunt: nam ſine cauſa omnes mœſti ſunt, vt Galenus inquit,ac frequenter coguntur in lachrymas, & deſerta loca potius appetunt,hominumque incipiunt vitare conſortia: aliquando rurſus ſuam ſententiam redamnantes vitæ ſolatio delectantur,Theodoro Priſciano teſte, libro ſecundo,cap.5.ad Timotheum:timent inſuper cuncti melancholici, nec aliquo tempore timor eos deſerit,licet non cunctis idem ſit timoris modus:quoniam præter naturam eis viſa non ſemper eodem genere continentur, vt Galeno viſum eſt tertio de Locis affectis,cap.ſeptimo. Ceterùm nihil mirum ſi eis timor, mœrórque accidat,ſiquidem eorũ, quæ extra corpus ſunt,nihil videmus,quod nos perinde terreat,ac tenebræ. Ergo cùm tenebræ rationalis animæ parti ſunt circunfuſæ,neceſſe eſt hominem timere, vt qui ſemper vnà cum corpore ſuo timoris cauſam circunferat. Quod enim nobis extrinſecus fit, vt inquit Galenus ſecundo de Cauſis ſymptomatum,cap.vlti.altiſsimis tenebris circundatum nobis aërem ad tempus aliquod occupantibus,id melancholiæ vitio laborantibus ab interno,& ipſo corpore contingit,vel nigra bile cerebrum occupante rationalis animæ ſedem, vel aliqua melancholici halitus exhalatione.qua ratione fit,vt nonnulli ipſorum mortem, atque alia quædam haudquaquam timenda, timere videantur: ſi quidem alius,vt Gale. tertio de Locis affectis teſtatur, teſtam ſe factum putauit:atque iccirco obuiãtibus cedebat,ne collideretur. Alter gallos cantare audiens,vt hi alarum,ſic ille brachiorum plauſu,latera quatiens, animantium ſonum imitatus eſt. Fuit item alter timens ne Atlas, qui mundum ſuſtinere dicitur,grauatus ſub tanto onere,ipſum à ſe excuteret,atque ipſe cum illo collideretur,ac nos quoque cum ipſo periremus. Sunt autem alia huiuſmodi infinita eorum viſa,ſeu phantaſmata, vt propterea Trallianus dixerit, Nouimus autem eiuſmodi humorem etiam alias infinitas peregrinas, & multiplicès imaginationes inducere poſſe. Differunt autem inter ſe melancholici; nam licet omnes timeant,mœreant,vitam damnent,odio habeant homines,non tamen omnes mori cupiunt:nam nonnulli mortem pertimeſcunt:quidam etiam adeò alieno,atque extraneo animo ſunt,vt qui ſimul & mortem metuant,& tamen mortem ſibi conſciſcant:cum præter naturam eis viſa,vt Galen.inquit eodem tertio de Locis affectis, cap.7. non ſemper eodem genere contineantur.

Cur melãcholicis timor, ac mœror accidat ſemper.

Loco citato.

Ad quem cerebri morbum conſequatur.

Excitatur autem melancholica dementia,quæuis ea fuerit, ratiocinatricis animæ ſede,hoc eſt,cerebro intemperato,ac tenebris ſimili reddito: porrò nigreſcit aliquando hic humor ſupercalefactus,aliquando ſuperfrigefactus, Aëtio teſte:quæ intemperies rationabiliter frigida,& ſicca erit:quoniam melancholicus ſuccus hanc efficiens;talis eſt naturæ; quò fit,vt non modò,quòd tenebris ſimile à melancholico ſucco reddatur cerebrum,propterea melancholia gignatur: vt quidam falsò auſi ſunt Galeno imponere: verũ etiam quia frigidum ipſum, & ſiccum ab eo redditum eſt, vt patet eodem ſecundo de Cauſis ſympto.cap. 7.Nam quamuis nigra bilis in duplici ſit differentia, vt liquet tértio de Locis affectis,cap.7.14.meth.cap.9.lib.de atra bile,cap.3.& ſexcentis aliis in locis: alia nanque eſt veluti fæx ſanguinis,quæ admodum ſpiſſa eſt,fæcibus vini haud abſimilis:quam nigram bilem melancholicum ſuccum, ſeu melancholicum ſanguinem nominare conſueuit Gale.& hæc nõ rectè atra bilis appellari poteſt:nominibus verò abutentes aliquando atram bilem vocamus: quoniã ſi non prius euacuetur,paulò pòſt atra futura eſt,Gale.auctore cõmen.aphoriſ.53.ſexti libri.

Ex qua nigra bile generetur, cum duplex ſit.

Alia verò multò eſt eſſentiæ tenuioris,quàm prædicta; vomentibusque eam,& olfacientibus acida videtur: etiam terram radit, attollit, & fermentat, atque ampullas, quales feruentibus iuſculis ſupernatare videmus, excitat: quæ ex præaſſata flaua bile,ſeu ſanguine,vel prædicto melancholico ſucco oriri conſueuit: & hæc propriè atra bilis nominatur: ex qua melancholica iam dicta affectio non excitatur: nam hic humor vbi in cerebro contineretur,ferina deliramenta induceret, vt dicemus,cùm de mania pertractabimus. Verùm ex altera nigra bile, quæ rectius melancholicus ſuccus nuncupatur, melancholici fiunt, vt patet tertio de locis affectis, & commento aphoriſmi vndecimi ſexti libri; quamuis quidam licet temerè ex hac quoque atra bile melancholiam oriri ad Galeni ſententiam fateri auſi ſint. Sed quoniam iam dictus melancholicus ſuccus nonnunquam in toto corpore redundat, vniuerſo videlicet in venis ſanguine melancholico effecto; & propterea ipſum quoque cerebrum læditur: nonnunquam verò reliqui corporis ſanguine prorſus innocuo,ſolus is, qui in cerebro contentus eſt,alteratur,ſiue in ipſum aliunde deriuetur, aut in ipſomet genitus ſit. Interim contentus in ventriculi vaſis ſanguis craſsior, ac melancholicus, ſublataque ex eo ad cerebrum euaporatione, melancholica prius dicta ſymptomata excitat. Propterea earundem ſpecierum, quæ tres ſunt, vt liquet, ſeiunctim propria indicia conſcribemus, vt earum exacta habita notitia, promptius, ac rationabilius quiuis eas curare valeat, præcognoſcens quando cerebrum ſolum ipſum per eſſentiam afficiatur, ſeu ſimul cum toto corpore, vel ab ipſo ventriculo coafficiatur. Nam ſi & vniuerſum corpus melancholicus ſanguis occupauerit, cerebrum ſimul cum toto corpore affectum erit. Euenit autem hoc, vt patet ſecundo de arte curat. ad Glauconem: cùm iecur ad generãdum hanc ſuperfluitatem ſit aptum, & ratio victus per tales fuerit adhibita cibos, qui craſſum; & fæculentum humorem procreare natura apti ſint: ac ipſe ſplen ſit natura imbecillior, vt quicquid de eo generetur, ad ſe minimè trahere potens ſit. Quo fit vt eorundem corpora ſint macra, nigra, & hirſuta: ac venas latas habeant, qui ex tota melancholici ſunt natura. Qui veò ex acquiſitia, per ſolicitudines, aut vigilias, hæmorrhoidorum, aut menſtruorum ſuppreſſiones, ſeu prauorum ciborum eſus, tales facti ſunt: qui autẽ cibi ſuapte natura melancholicum ſanguinem pariunt, quíve potus, tertio de locis affectis fuſiſsimè à Galeno enumerantur, qua victus ratione ſiquis fuerit educatus, maximã quandam licet coniecturam facere, ſuccum melãncholicum in totum redundare. Si verò boni ſucci cibis vſus fuerit, reliqua conſiderare oportet; vt ipſius exercitationes, mœſtitiam, vigilias, ſolicitudines: & ad efficaciorem notitiam non parum confert anni tempus, præterita, ac præſens aëris conſtitutio, regio, ac laborantis ætas: & vt certiorem habeas cognitionem, cubiti venam ſeca, præcipuè mediam, quæ communis eſt humerali, & axillari: & ſi fluens ſanguis melancholicus videatur, in vniuerſi corporis venis melancholicum ſanguinem contineri iudicabis: ac proinde ea vtaris, vt dicemus. At ſi fluens ſanguis non videatur melancholicus, iudica melancholicum ſuccum non in toto redundare corpore, ac ſtatim eum ſupprimas, vt iterum paulò pòſt docebimus. Qua de re inquirendum erit, nunquid circa ventriculum prima inceperint ſymptomata, ipſiſque auctis melancholica ſequatur affectio: nam tunc licebit coniecturam facere in ipſo ventriculo ſanguinem ipſum melancholicum, tanquam in parte quadam inflammata contineri: ex quo facta ad cerebrum euaporatione, eoq; intemperato, atq; tenebroſo reddito, melancholia ipſa excitatur, cerebro ipſo per conſenſum affecto. Hunc affectum hypochondriacum, ac flatuoſum, libro tertio de locis affectis Gale. nominauit. Teſtantur autem eum hæc ſymptomata: nam præter metum, & mœſtitiam, cruditates, acidiq; ructus accidunt, æſtus in præcordiis, flatus, interdum ventriculi vehementes dolores, ſumptoque cibo, maxime coctu difficili, ſputum humidum, idemque multum ſequitur: præcordia ei ſurſum conuelluntur: deinde alui deiectione, vomitu, proba conco-

3. de loc. affe. cap. 7

Tres melancholiæ ſpecies.

cap. 10.

Signa melancholiæ ex toto.

Loco citato.

Loco citato. Signa melancholia hypochondriacæ.

ctione, ructibusque eleuatur is, qui ita laborat. At ſi neque circa ventriculum aliquod apparuerit prædictorum indicium, aut ſi apparuerit, paruũ admodum ſit, neque ſigna affuerint redundantis in toto corpore ſanguinis melancholici, propria autem melancholiæ ſymptomata extiterint, metus videlicet, & mœſtitia, quæ veluti charactere quodam ipſam deſignant, Gale. tertio de locis affe-

Citato loco.
Eius, quæ ſolo affecto cerebro accidit, ſigna.

ctis, auctore, cerebrum ipſum primariò affici, ac tertiam melancholiæ ſpeciem ortam eſſe, exiſtimandum erit ob melancholicum ſuccum in ipſo cerebro congeſtum, ſiue in ipſo genitus ſit, ſiue aliunde in ipſum deriuatus. His quippe ſic declaratis ad prognoſticum deuenientes dicimus, periculoſas eſſe permutatio-

Melancholiæ prognoſtica.
Loco citato.

nes ipſis melancholicis, cùm vel apoplexiam, vel conuulſionem, vel furorem, vel cæcitatem ſignificent, vt Hippocr. inquit 56. aphor. lib. ſexti. Interim verò, eodem teſte, in morbum comitialem permutatur, vt patet ſexto de mor. vulg. propterea non negligenda erit eius curatio circa initia, ne diutius protrahatur, ac in prædictos vergat affectus. circa initia nanque facilis eſt eius curatio: inueteratus enim & veluti in naturam conuerſus affectus, vt Alexander inquit, incurabilis propemodum euadit. Vlterius cùm ex melancholico ſucco excitetur, qui ſi non prius euacuetur, paulo poſt ſuperaſſatus in atram bilem vertitur, vt Gal. viſum eſt commen. aphoriſ. 53. ſexti libri, & maniam, hoc eſt, furorem efficit: hac quoq; ratione confeſtim curanda melancholia erit. Cauendi inſuper ſunt timor, atque mœſtitia immodici ex externa quauis cauſa orti: nam ſi longo tempore perſeuerent, melancholiam ſignificabunt, vt liquet apud eundem Hippocr. aphoriſ. 23. ſexti libri. Verum ſi ipſis melancholicis hæmorrhoides ſuperuenerint, bonum erit; & ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, eiuſdem melancholiæ fit ſolutio, vt idem Hippo. inquit aphor. 11. & 21. ſexti lib. Frequentant autem in maſculis magis, & medijs ætatibus hæ affectiones, difficilè verò in fœminis, vel alijs ætatibus, Cælio Aurel. teſte, cap. 6. lib. primi. Vt verò

Modus curandi.
Ratio victus communis cuiuſlibet melancholiæ.

ſingulæ iam dictæ melancholiæ ſpecies, ſeu differentiæ, ritè curari valeant, victus rationem cunctis communem inſtituemus; deinceps earum cuiuſlibet propriam curationem præcipiemus Sit itaq; aër ad calidum & humidum vergens, non tenebroſus, aut grauiter olens, ſed lucidus, ac ſuaue olens. Interdicenda eſt vigilia immodica, quinimò ſomnus conſueto paulo longior conciliandus: omnique conatu, vt dormiant melancholici tentandum erit: nam magnopere confert pro eorum curatione. Debent etiam mediocriter per loca viridia, & amœna exerceri conuenienti tempore, excretis prius natura, vel arte alui excrementis: quę diu detineri nullo pacto eſt permittendum. Prodeſt inſuper coram eis, non quæ metum & mœſtitiã afferre poſſunt, loqui; verùm quæ his cõtraria ſunt, gaudia, hilaritates, bonam ſpem, ac animi conſtantiam, & ſecuritatem, vt ægri gaudeant, & lætentur: in hocq; cantu, aut alijs muſicis inſtrumentis vtendum: & vt inquit Celſ. quærenda delectatio ex fabulis, ludiſque quibus maximè capi ſanus aſſueuerat, laudanda ſiqua ſunt ipſius opera, & ante oculos eius ponenda; leuiterque obiurganda vana triſtitia. Eorum cibi ſint probi ſucci, mediocriter humidi, concoctu faciles, ac flatus exortes: attendendaque eſt in is, ægri diſpoſitio; cùm non omnes ad omnes cibos ſimiliter diſpoſiti ſint. Plerunque tamen conueniunt panes clibano cocti, probè præparati. Carnes non viroſæ, nec pingues; gallinarum videlicet, pullorum, caponum, perdicum, phaſianorum, & ſturnarum, præſertim iuuenum, oua gallinarum mollia, piſces

Lib. 6. cap. 10

petroſi, & molles carne. Erinacei verò marini plurimum præſtant ad iucunditatem, & vtilitatem, Aëtio teſte. Conueniunt iterum hædinæ carnes. Ex oleribus conferunt ad communem victum dulcia cum prædictis carnibus decocta, vt borrago ſeu bugloſſum: interim lactucæ, intybi, & maluæ conedendæ ſunt, ex Plinij ſecundi auctoritate lib. 5. cap. 8. Acriora verò loco pharmaci aliquando danda ſunt. Ptiſana quoque potiſsimum vtendum: quæ cum aliquo prædictarum carnium iure paranda erit. Ex fructibus interim vti poterunt vuis, ac malis dulcibus, & vua paſſa. Vino vtantur tenui, albo, non valde veteri, pro po-

tu, opę

tu,optimè diluto,non tamen aceruatim eo vtantur; &,vt ſummatim dicam,vi-
ctu humido,boniq́ue ſucci,ita affecti vtantur:quo ſimul cum frequentibus bal-
neis (vbi non diuturnus factus fuerit hic affectus) Galenus ſe curaſſe tertio de *cap. 9*
Locis affectis teſtatur. Vitent autem cuncta,quæ melancholicum ſuccum gene-
rare poſſunt, quorum ſylua locupletiſsima habetur à Galeno eodem tertio li-
bro de Locis affectis.nos verò breuitati indulgentes iure hoc prætermittimus: *Loco citato.*
vnum tamen non omittam,quod valde ab Aëtio,& Paulo extollitur, aceti vi-
delicet ſorbitio quàm acerrimi poſt omnē cibum,vbi iam dormire velit æger,
idq́ue modicum eſſe debet,vt voluit Paulus;aut cochlearij menſura , vt placuit
Aëtio,fortè quoniam attenuat,ac melancholicum ſuccum diſcutiat , vel quòd
aſſumptorū ciborum vapores humidos cōfeſtim ad caput deferat; ſomnumq́;
propterea conciliet,illud probarunt. Qua de re ſiue iam dictis rationibus pro-
moti,ſiue aliis fuerint,abſonum non erit eo vti , cùm & tanti viri ipſum appro- *Curandi ratio*
barint. Prædicta communi victus ratione inſtituta , decens eſt ſingularum cu- *eius melāncho-*
rationis proprium modum deſcribere , incipientes ab ea,in qua melancholicus *liæ,quæ ex to*
ſanguis vniuerſum corpus occupauit , ac ipſum cerebrum. In hac principium *to genita eſt.*
curationis à venæ ſectione exordiendum erit,viribus ægri, ac aliis conſentien- *Venæ ſectio.*
tibus (iuxta Galeni ſententiam tertio de Locis affectis , & aliorum Græcorum *Citato loco.*
omnium,ac Celſi) præcipuéque media,ſeu communis appellata incidenda erit,
tantúmque ſanguinis extrahendum, quantum pro laborantis corporis habitu
ſatis eſſe conieceris; ſin autem vires multam prima vice euacuationem non to-
lerant,neceſſe eſt tunc non modò ſemel,ſed etiam bis, & ſæpiùs quantum licet
paulatim auferre,præcepto Tralliani : & ſi à brachio vacuatio fieri nequit, ten-
tandum eſt à poplite,vel tali partibus moliri,idq́ue potiſsimum in muliebribus
corporibus,aut in viris, quibus menſtruæ purgationes, vel hæmorrhoides de-
tentæ fuerint:nam pro prædicti affectus curatione ſanguinis euacuatio eſt ne-
ceſſaria. Quare cum cubiti venas non manifeſtas inueneris , nihil minus iuua-
bis, ſi ex prædictis venis, vel quacunque alia parte ſanguinem detraxeris. Eſt
nanque , vt Hippocrates libro de Alimento aſſerit , confluxus vnus , conſpira- *Paulo poſt*
tio vna,omnia conſentientia.Interpoſito deinde à venæ ſectione tempore,viri- *principium.*
búſque recollectis per inferna purgare conuenit, Paulo auctore,ac Poſsidonio. *Loco citato.*
Verùm priùs concoctioni , ac præparationi redundantis ſucci vacandum erit: *Aëtius lib.6.*
pro quibus ſyrupi adhibendi ſunt,vt de pomis,de corticibus citri,de ſucco bor- *cap.10*
raginis,ſeu buglosſi,de ſucco fumariæ,aut lupulorum,vel violaceus cum aquis *Concoctio, &*
meliſſophylli,lupulorum,aut bugloſsi,vt Recip. Syrupi de pomis,& violacei,vel *præparatio.*
de corticibus citri ana vnc.vnā,aut de ſucco fumariæ , & violacei , vel de ſucco
lupulorum,& fumariæ,& violacei,vel de ſucco lupulorum, & fumariæ tantun-
dem,& additis aquæ meliſſophylli,& bugloſsi,aut lupulorum vnc.quatuor, plu-
ribus vicibus exhibeantur. Per interpoſitos autem dies aluus per clyſteres eua- *Clyſteres.*
cuari poterit,parato prius decocto ex foliis maluarum,violarum, betæ, mercu-
rialis,borraginis,fumariæ,& lupulorum,furfure,ac pauco ſale adiectis,atque in-
terdum addita ſenæ,polypodij,vel epithymi vnc.s.in eo diſſoluas vnc. tres vel
quatuor olei violacei,cōmunis,vel amygdalarum dulcium,mellis roſacei vnc.ij.
pulpæ caſsiæ fiſtulæ vnc.j.diacatholicon drac.vj.vel vij.interim loco eius drac.
iij.vel iiij.diaſenæ,vel cōpoſitionis hamech. Facta autem humoris coctione , ac
præparatione,purgetur corpus hoc purgante medicamento, Quod recipit flo- *Purgatio.*
rum violarum,borraginis,fumariæ,& lupulorum ana drac.ij.hordei mūdi,drac.
iij.ſenæ,epithymi ana drac.ij.& s.myrobalanorum Indorū drac.j.& s.vuarū paſ-
ſarū vinaceis detractis vnc.s.pruna num.iij.ex quibus parato decocto,ac per co-
lum transfuſo,in eo diſſoluas vnc.ij.vel iij.mannæ Calabriæ,vel vnc.j.& s.caſsię
fiſtulæ,vel iij.ſacchari violacei,aut ſyr.ex pluribus infuſionibus violarū tantun-
dem,diacatholicon drac.vij.ſeu diaſenæ, vel confectionis hamech drac. iij. vel
iiij.& fiat potio. Quod ſi nec huic purgationi cedat affectus,iterum parandus hu- *Coctio, &*
mor erit ex prædictorum ſyruporum aliquo, addita vnc.j.ſyrupi de epithymo, *præparatio iterum.*

aut

aut parum ſenæ aquis ſyruporum decoqueres quibus ſæpiùs (prout videbitur)
Purgatio altera. aſſumptis,iterum æger purgari poterit, aut prædicto medicamento purgante,
vel valentiori,ſi opus fuerit; vt picra, quæ epithymum accipit, velut Themiſon
iubet,& Aëtius eius auctoritate deſcribit.Exhibet autem ipſe ex ea cochleariū
magnum cum aqua mulſa:& ex modicis interuallis iterum, atque iterum dari
præcipit.Confert inſuper epithymo, ac ſena, in aqua lactis maceratis purgare,
vel drac.j.è catapotiis de lapide lazuli:ſeu de lapide armenio,quem ſummopere
Trallianus extollit prius præparatum, videlicet exhibeas: quòd ſi ea aſſumere
noluerit,aut inuitus capiat,cum vino,aut ouis molliſsimis excipiat, ita vt vitelli
membrana leuiter aperta in medio illa conijciantur, præcepto Tralliani, pariter
ſcrupul.iij.pilularum arabicarum exhibens,poſt quæ ſorbeat mannæ diſſolutæ
in aqua lupulorum,vel borraginis,aut hordei vnc.ij. vel tantumdem violacei
ſacchari. Conducit etiam & lactis ſero aluum ſubducere,vt Aëtio placuit:
quod quidem per cocturam à lacte ſeparetur. Sit autem equinū, aut bubulum,
ac præparatum eo modo,quo ipſe iubet:ex eo non infra quinque heminarum
menſuram æger accipiat.Ab omni verò euacuatione, idem Aëtius, iuſsit vtendum
eſſe maluæ ſemine leuiſsimè trito duarum drachmarum pondere, cum aquæ
Medicamenta poſt purgationem ſumenda. cyathis iij. Interim verò,vt ægris lætitia paretur, ſæpius pauca quantitas
infraſcripti medicamenti danda erit,vt quæ animi tenebras abigere valeat, ac
vires quodammodo recreare.Recipit autem ſacchari è bugloſſo,& fumaria,&
lupulo,& violacei ana vnc.j.ſacchari roſacei vnc.ij.ſyrupi de pomis, & de infuſione
roſarum,ac de corticibus citri ana vnc.j.& s.dianthus drac. iiij. cōfectionis
diambræ drac.ij.vel diamargariton frigidi drac.iij.cum iiij. vel v. auri foliis
Balnea. conditum paretur.Poſt purgationē,dulcis aquæ balneis vtendum erit; cùm non
modò aliquam melancholici ſucci partem diſcutiant; verùm & totum corpus
contemperent,& propterea melancholicis magnopere opitulantur. At eorum
caput tepida potius,quàm calida dulci aqua ſuperfundendum erit:luteiſq; ouorum
abſtergere,vt Trallianus præcipit. Quòd ſi mauis eorum caput torrētis ritu
irrigare,poterit hoc modo parari,Rec.Foliorum maluarum,violarū,altheæ,
borraginis,& lupulorum,ſingulorum pug.j.florum chamęmeli manip.s.florum
Vnguenta. ſtœchadis,drac.tres,fiat ſecundum artem decoctum,& vtere capite prius abraſo;
poſt quam irrigationem caput oleo amygdalarum dulciū,violaceo,chamæ-
Odoramentū. melino,ſeu anethino vngendū erit.Odoramenta ſimiliter parari poſſunt, aquæ
roſaceæ,& florum citrangulorum vnc.iiij.aſſumens, in quibus florū nympheæ,
violarum,meliſſophylli,maluarum,& altheæ ana drac.duas decoquito,parúmque
aceti adiicito,& per nares ex eo vaporem ſuſcipiat æger. At ſi hæmorrhoidibus,
aut menſibus ſuppreſsis,malum hoc fuerit concitatum, horum quoque
Melancholia, quæ ſolo affecto cerebro oritur curatio. purgationem moliemur,inquit Paulus.Si verò ex primario cerebri affectu melancholici
fiant,aſsiduis balneis;victúque boni ſucci,humido,ac flatus experte
citra aliud efficax auxilium curare oportet:cùm videlicet humor,qui moleſtat,
nondum ob temporis longitudinem,ægrè euacuetur, iuxta Pauli & Aëtij ſententiam;
quam ex Galeno tertio de Locis affectis,cap.ſeptimo ſumpſerūt, dum
dixit,Interim monendi ſunt mihi amici,qui me curantem viderunt; frequentibus
balneis,victuque humido,boniq́ue ſucci,nullo alio adhibito pręſidio huiuſmodi
me affectum curaſſe, vbi nondum ob longum temporis tractum nociuus
humor multum euacuationi reſiſteret.Cùm enim diuturnus iam factus fuerit,
Quando iis vena ſecanda ſit. fortiora prædictis oportet adhibere remedia.Verùm ipſemet eodē loco aſſerit,
quòd vbi ſolum cerebrum affectum ſit,quod ad hanc diſpoſitionem attinet,ſanguinis
detractione non indiget,quamuis ob aliam quampiam cauſam, ſanguis
mitti poſsit: vtpote ſi æger (vt Aëtius inquit) multo ſanguine redundarit, &
pręſeruationis gratia ſanguinis detractionem faciamus. Quo caſu præciperem
& ipſe venam ſecari (quanquam ſolum cerebrum melancholicū habuerit ſanguinem)
diuturno etiā exiſtente affectu:qui nec balneis, nec victu humido curari
potuerit,nondum in μανίαν, hoc eſt, furorem verſo. Deinceps præparato,

ac con

ac concocto redundante ſucco purgans medicamētum exhibendum erit,idq́ue ſi opus fuerit,iterandum; ac aliis paulo ante dictis medicamentis vtendum erit. At ſi multo ſanguine æger non redundarit, venæ ſectione opus non habet: verùm omiſſa ea ad reliqua,quæ diximus medicamenta, confugiendum erit:quibus omnibus probe vti poterunt. Pro viribus autem nitendum erit omni modo,omniq́ue artificio vti (cum in prædictis,tum in iis,quibus malum à manifeſta quadam,& veluti primaria cauſa occaſionem habuerit; quæ triſtitiam, metum,aut ſolicitudinem quandam efficere potuerit, diu perdurantes, pro diuerſa deprauatæ imaginationis ſpecie) vt ab eadem reuocentur:aut ratione perſuadendo,aut aliud quiddam agendo eorum,quæ ſubitam,& affatim mutationem efficere poſſunt.Plurimi nanque (vt Trallianus aſſerit) curati ſunt quodammodo,vel cùm vidiſſent,audiuiſſentq́ue ea,quæ conſequi deſiderabant. Ita nanque Philodotus medicus quendam,qui ſibi caput amputatum eſſe putabat,quòd tyrannus factus fuiſſet,curauit,impoſito repente capiti ipſius plumbeo pileo, vt grauitatem ſentiens,caput ſe recepiſſe rurſus putaret: quo plurimum gauiſus, vana imaginatione liberatus eſt.Pari ratione idem Trallianus fatetur duas mulieres curatas fuiſſe,quarum vna imaginans ſerpentem ſe deuoraſſe, citauit ei medicamento vomitum,ac anguem extinctum in vas,quod vomitionem excipiebat,immiſit:quem videns mulier,putans ſe vomitu reieciſſe,nimirum gaudens,à vana illa imaginatione liberata fuit.Reliqua verò ex longa viri peregrinatione melancholia correpta eſt,& iracunde omnibus reſpondens,eodem modo ſanata eſt:nam eius vir peregre reuerſus,nulli prædicens, ſed ſubito ingreſſus ſeipſum illi oſtendit.Præter ſpem igitur ipſum mulier conſpiciens, atque ita amplexa,multóque gaudio affecta, ſubito omni metu liberata eſt,ac ad ſtatum naturalem redijt, vt nulla alia indigeret curatione. Hypochondriaca vero, & flatuoſa melancholia cum ea,quæ primario affecto cerebrò oboritur,communia habet auxilia ventrem ſubducentia, vt Aëtius Rufi auctoritate teſtatur. Propterea primùm bonæ coctionis curam habere oportet,poſtea vero purgare:& velut in hoc conueniunt,ita in venæ ſectione (mea quidem ſententia) ſentiendum erit:cùm non niſi multo ſanguine ſi redundarit æger,ſeu præſeruationis gratia facienda erit,aut ſi melancholicus ſanguis,qui in ventriculo,ſeu vaſis eius continetur,ex aliquo viſcerum, liene videlicet (vt placuit Galeno quinto de Locis affectis,& ſexto eiuſdem circa principium) aut iecore ad ipſum fuerit deriuatus: tunc nanque reuulſionis gratia ſeruans rectitudinem, præſeruationis item,interna vena vnius, vel alterius brachij ſecanda erit. Deinceps aliquem prædictorum ſyruporum pluribus vicibus (prout opus fuerit) exhibere, cum quo adiicere poterimus ſyrupum è corticibus citri,de infuſione roſarum, aut de abſinthio. Vt Recipe ſyrup.de ſucco fumariæ,borraginis, vel de pomis vnc. j.& v.ex infuſione roſarum, corticibus citri, vel abſinthio vnc.v.aquæ meliſſophylli, & lupulorum vnc.iij. poſt quæ talis exhibeatur purgatio, Pulueris hieræ ſimplicis Galeni excipe drac.j. pulueris ſenæ,epithymi ana drac.v.aut diacatholicon drac.vj.vel vij.cum drac.j.caſsiæ fiſtulæ,formetur bolus, vel loco caſsiæ fiſtulæ (formatis ex prædictis catapotiis) drac.ij. mannæ, vel iij.ſyrupi domini Auguſtini cum aqua lupulorum exhibeantur. Huius claſsis medicamentis,vbi vrgeat neceſsitas,iterum,atque iterum iteratis vtaris, à valentioribus, atque à vehementioribus protinus abſtinendo:ne eorum, tùm calore immodico, tum à remotis partibus attractione augeatur affectio. Prodeſt inſuper iis moderate, & paulatim, velut etiam cunctis aliis melancholicis, aluum ſubducere. Verùm in hac affectione hypochondriorum quoque ſolicitudo habenda erit; præſertim ne flatus in ipſis generetur.Propterea optimum eſt (Aëtio auctore) pulegij decoctum ſæpè bibere,aut minoris centaurij, & ante purgatoria, & poſt ipſa.Abſinthij autem decoctum aſsiduè præbendum erit,verùm poſtquam purgatus fuerit æger, Aëtij,& Pauli decreto;adeò enim huic medicamento cōfiſus eſt Aëtius ipſe,vt ex ſolius vſu nouerit quoſdam ab hoc affectu liberatos. Dāda

Purgatio.

Hypochōdriacæ & flatuoſæ melancholiæ curatio.

Venæ ſectio.

5. de loc. aff. cap. 6.

Syrupi.

Purgatio.

inſup

inſuper eis ſunt, quæ vrinam mouent, aniſum, daucus videlicer, petroſelinum, nardus, fœniculi ſylueſtris ſemen, & radix: nec prætermittendum eſt chamæpityos, & chamædryos decoctum; aut ipſæmet herbæ aridæ tritæ potioni inſpergantur. *Topica.* Exterius autem fouebuntur & ipſa hypochondria ex oleo, in quo decocta fuerint ruta, anethum, abſinthium, pulegium, ſerpillum, agni ſemen, baccæ lauri, aut folia eiuſdem tenera: hæc nanque dolores mitigant, & flatus diſcutiunt. Interdum in ſtomachi inflationibus, cuminum, & pulegium, vel aniſum in aceto coquere oportet, & per ſpongias ſtomachum fouere, ex Aëtij ſententia; vel ex prædictis ſacccellos parabis, excipiens foliorum, & baccarum lauri, rutæ, abſinthij, ſerpilli, & pulegij ana vncias ij. vel iij. florum chamæmeli, fœni græci, anethi ana vnc. iiij. cumini, aniſi, ſeminis fœniculi ana drach. j. roſarum rubearum manip. j. contundantur, & fiant ſaccelli: qui irrorati pauco aceto, vel vino albo, calidi approximentur, ſæpius eos mutando, ſupra ventriculum. Cæterum præter hæc, cataplaſma adhibeas, in oleo decoquens aniſum, cuminum, apium, abſinthij, & artemiſiæ folia; quibus demum addatur cyperus, & roſmarinus leuiſsimè tritus admoueáſque ipſum, diutiúſque permittas & ante, & poſt cibum adhærere: quo ablato, locus contegatur operimento quodam accommodato, vt lana, vel ſtupa leuiſsima præillito loco ex nardino. *Cucurbitulæ.* Ad flatus quoque digerendos cucurbitulis vti poteris: nam veluti incantamẽtum quoddam, ex flatuoſo ſpiritu dolorem ortum confeſtim leuant, Galeno teſte duodecimo Methodi medendi, cap. vltimo. *Vomitus à cibis.* Quibus etiam vitium hoc diutius perdurauerit, præſentiſsimum remedium eſt ex longioribus interuallis, etiam à cibis vomitus, non tamen fortioribus vomitorijs vtendum: ſunt enim talia nociua, in his ærumnam ventri, ac ſtomacho addentia, vt Aëtius inquit. Vtaris autem aceto, aut ſyrupo acetoſo, ſeu oxymelite cum aqua tepida pro vomitu ciendo: prætermittendus quoque erit vomitus ei, cuius ventriculus, ſeu ſtomachus debilis exiſtit. Interim nec melancholicorum caput, etiam ſi ea hypochondriaca, & flatuoſa ſit, omnino omittendum erit, quin ei opituleris cum his, quæ ipſum roborare, ac humectare valent: irrigationibus videlicet inunctionibus, ac odoramentis ſuperius deſcriptis, quamuis a ventriculo ortum habuerit. *Syrupi noſtri deſcriptio ad hypochondriacam.* Poſtremo viſum eſt ſyrupum noſtrum, quo in prædicta affectione vti conſueuimus, non prætermittere; præſertim cùm nonnullos, Deum teſtor, ex eius vſu melancholicos tales curauerimus, potiſsimum facta prius purgatione quadam. Is autem excipit hyſſopi, ſampſuchi, ſerpilli, meliſſophylli, & betonicæ, ſingulorum manip. v. borraginis, lupulorum, ſcolopendrij, fumariæ, capillorum veneris ana pugil. v. radicum cichorij, borraginis, fœniculi, & capparorum ana vncias iiij. abſinthij, corticum citri, ana manip. j. ſenæ, epithymi ana drach. iij. pulegij, florum chamæmeli, & minoris centaurij ana drach. ij. chamædryos, chamæpityos ana vnc. duas & v. iunci odorati, ſpicæ, aniſi, dauci, ſeminis fœniculi, aſari ana drac. j. paſſularum vinaceis detractis vnc. j. paretur ex his ſecundum artem decoctũ: cuius excipe lib. iiij. adiicito ſucci pomorum dulcium, & acidorum, ſucci roſarum, & malorum punicorum acidorum ana lib. v. ſucci borraginis, & fumariæ, depurati ana lib. j. addito ſaccharum quantum ſatis ſit, & fiat ſyrupus: de quo ſumat æger vnc. iij. vice qualibet, deſuper bibens parum aquæ lupulorum, vel borraginis. Poterit inſuper, ſi videbitur, dictus ſyrupus cum pauco ligni aloës, vel cinnamomi odoratus reddi. Detur etiam melancholicis, præſertim hypochondriacis, ex quibuſdam interuallis, potiſsimum hyeme, & inchoante vere drác. j. antidoti theriacæ poſt purgationes.

Περὶ μανίας. De furore, ſeu inſania. *CAP. VIII.*

3. de Loc. aff. cap. 7
3. de cauſis ſymp. cap. vlt.

AFfectus is, qui *μανία* Græcè, Latinè inſania, ſeu furor nuncupatur, non minùs ſub eius delirij ſpecie continetur, quod quidem ſine febre eſt, quàm ipſa melancholia, vt tertio de Locis affectis, & 2. de Cauſis ſymptom. liquet. Quinimo tantam inter ſe cognationem

tionem ex affectiones habent, vt interim furor pro melancholia,& melancholia pro furore ſumatur apud artis medicæ auctores, præſertim Galenum, qui aphoriſmo vigeſimiprimo ſexti libri, per μανίαν, hoc eſt, furorem, de quo Hippocra. in aphoriſmis mentionem fecerat, non verè furorem, ſeu inſaniam, ſed melancholiam propriè dictam voluit Hippocratem intellexiſſe. & idemmet tertio de Locis affectis, cap. ſeptimo, de melancholia verba faciens, dicebat, quòd cum ea diuturna facta eſſet, fortiora exigebat remedia, fiebat autē affecto priùs calidis diſpoſitionibus cerebro. Quod quidem de melancholia propriè dicta veritatē habere haud quaquam poteſt; cùm ea ex frigida cerebri intemperie, ac frigidiori ſucco ortum habeat, vt in præcedenti cap. declaratum eſt. Verùm eiuſdem verba de furore intelligenda ſunt, qui & à mordacibus ſuccis, & interim à calidiori cerebri intemperatura naſcitur, eodemmet Galeno teſte ſecundo de Cauſis ſymptomatum. Proinde non ab re nil aliud eſſe inſaniam, ſeu furorem Trallianus cap. 7. tertij libri dicebat, quàm intenſionem melancholiæ ad maiorem feritatem. Intenſior nanque melancholia eſt non ſymptomatum modo, verùm ipſius cerebri affectus, ac cauſæ ratione, vt infra parebit: & ſi quodammodo ſecundum omnia hæc aſsimiles eſſe videantur. Propter quod nonnulli haud rectè auctorum verba, ac ſententias Hippo. præſertim, & Gale. intelligentes, in hac re non immeritò hallucinati ſunt, putātes quòd perpetuo per μανίαν, furorem proprie dictum, intelligēdum ſit, & per μελαγχολίαν, melancholiā propriè dictam, iuxta eorum doctrinam, quod quidem falſum eſſe oſtendimus. Nos igitur ὁμωνυμίαν vitantes, cùm de mania, ſeu furore loquimur, de eo propriè dicto, ac à propria melancholia ſeiūcto intelligemus. Hunc quoque licet Plato in Phædro duplicem dixerit eſſe, quorū vnum mentis intentione ex corporis cauſa, vel origine fieri, alterum diuinū, ſiue immiſſum, eiúſque Apollinem inſpiratorem eſſe aſſeruit, vocatur autem nunc diuinatio. de primo tamē ſcripturi modo ſumus: qui, vt inquit Cælius Aurel. alienatio mentis eſt ſine febribus, libro primo chronicarum paſsionum cap. 5. ſiue alienatio tardans in febribus, quo à phreniticis diſcernitur. Afficitur autem in hac affectione cerebrum, & vt pars ſimilaris exiſtens, velut & ipſa melancholia, ac cunctis alijs delirijs, etiam cum febre exiſtentibus, vt patet tum tertio de Locis affectis, tum cōmento aphoriſ. 53. ſexti libri. Laborat autem cerebrū in hoc affectu, modò per conſenſum, modò primaria affectione, quo iterum cum melancholia conuenit, ac à phrenitide diſtat: in qua non niſi primaria affectione cerebrum læditur, vt eodem tertio de Locis affe[illegible]s liqu[illegible]. Quanquam & ipſe furor tum à phrenitide, tum ab alijs delirijs in ardentibus febribus ortis diſtet, quoniam in his perpetuò febris adeſt, ipſe vero furor omni tempore ſine febre reperitur. Præter hæc percipi poteſt cerebrum in furore læſum eſſe, quoniam principales animæ vires oblæſæ ſunt. Nunquid autem ipſum cerebrum per eſſentiam, aut per conſenſum afficiatur, ex iam dictis indicijs, & in Methodo, ac cap. de memoria deperdita relatis dignoſcere ſtudendum erit. Quòd verò furor ſymptoma ſit principum facultatum, diſcere licebit ex ſecundo de Cauſis ſympt. velut etiam quòd non diminutè, nec ablatè, ſed deprauatè lædantur. Verùm hucuſque in Gale. doctrina non reperi, quæ functio princeps in furore oblæſa ſit: quanquam Aëtius cap. proprio de inſania illud fateatur: ait nanque læſam eſſe inſanientibus imaginationem, & rationem, ſeruari autem in ipſis memoriam; velut coniecturare licet ex cantilenis, quas familiares habent, præſertim ſi ex feruenti ſanguine originem ducat inſania. Cùm ergo in inſania tum imaginatio, tum ratio, ſeu cogitatio lædatur, hac quoque ratione ab ipſa melancholia diſcrepat: in qua non niſi imaginatio, vt diximus, oblæſa eſt. Quò fit, vt in hac affectione præter deprauatas imaginationes, errent quoque ægri in cogitandi functione. Ex quarum functionum læſionis modo, cum febris non adſit, & ipſe furor dignoſci poterit. Nam nunc iracundia, nunc hilaritate, nunc mœſtitudine, ſiue vanitate occupat mentem, nunc timore comminante inanium rerum: horum plurimis acceſsionis tem-

Quibus cōueniat & diſsideat furor à melancholia.

cap. 7

Quid ſit furor, Alexādri auctoritate.

Verſus finem dialogi.

Ex Celio Aureliano, quid ſit furor.

Quæ pars in eo afficiatur.

3 de locis affect. c. citato.

Loco citato.

Quis affectus præter naturam ſit.

cap. ult.

Aët. li. 6. ca. 8

Eiuſdē ſigna.

pore oculi ſanguinolenti fiunt, atque attenti: accidunt etiam vigiliæ iuges, venarum extenſio, genarum rubor, corporis durities, atque aliena fortitudo, ex Cælij Aureliani teſtimonio præcitato loco: præſertim, ſi priùs cerebrum ipſum calidis diſpoſitionibus fuerit affectum, aut ſolicitudo, mœſtitia, ac vigiliæ immodicæ præceſſerunt, ſeu horum ſimilia: quibus quoque optime perpenſis, ad quem cerebri affectum furor conſequatur, percipere poteris: nanque non niſi ad calidam ipſius intemperiem, vt teſtis eſt Galen. eodem ſecundo de Cauſis ſymptomatum, cap. 7. ſiue ſola ea ſit, ſiue ex calidioribus ſuccis orta, vt ipſe teſtatur.

Ad quem cerebri affectum conſequatur.

Propter quod inſuper à melancholia diſtat, quæ à frigidiori cerebri intemperie ortum habet, vt diximus, ac cum phrenitide, aliiſque delirijs cum febre ortis communicat. Percipies autem ſi hæc cerebri calida intemperies præter calidos, ac vitioſos ſuccos redundantes fuerit: quoniam nullum eorum vitioſorum ſuccorum redundantiæ ſignum aderit, ac fortè, quia ex aliqua externa cauſa cerebrum calfaciente inſania orta ſit. At ſi calidorum, ac vitioſorum humorum occaſione cerebrum calfacientium furor genitus ſit, ex proprijs indicijs illud percipere poteris. Verùm cùm hic affectus ex melãcholico ſucco fieri nequeat, ex eo nanque melancholia propria dicta gignetur, Galeno teſte tertio de Locis affectis, neque ex ſanguinis, ſeu bilis redundantia, niſi priùs præaſſentur, ac in veræ atræ bilis naturam vertantur, ex qua atra bile mania ipſa excitatur, inueſtigandum erit priùs, nunquid ex atra bile ex ſanguine orta, ſeu ex flaua bile, aut ſucco melancholico, præaſſatis ipſa generetur. (Nanque pituita nunquam ad tantam deuenire poteſt aſſationem, vt ex ea atra bilis fiat, iuxta Galeni doctrinam, quicquid Arabes, & eorum ſectatores ſentiant) Deinceps ſi ab omnibus, vel quibuſdam, quibus indicijs illud percipere poterimus. Quod ad primũ attinet, Aëtius cap. de inſania fatetur eam oriri poſſe aliquando à multo ſanguine non putrefacto ad cerebrum confluente, qui purus ſit, & multitudine ſolum affligat, velut in ebrijs, interdum flaua bile ei admiſta. Paulus vero cap. 14. libri tertij furorem excitari aſſerit, cum flauæ bilis ſupra modum exuſtæ in atram fit mutatio. At nos Galenum ſectantes aſſerimus interdum maniam ipſam ex feruenti ſanguine delato per totum corpus, ac caput præcipuè petente excitari poſſe: quoniam ſanguis talis caput occupat, vt patet commento aphoriſ. 40. quinti libri. Interim verò ex melancholico humore fit, licet ex eo non ſemper, ſed cùm ſupra modum exuſtus fuerit, aut putrefactus malignam induerit acritudinem, vt liquet apud eundem commento aphoriſ. 56. ſexti lib. Quòd autem ex præaſſata flaua bile furor ipſe excitari poſsit, idem auctor teſtatur tertio de Locis affectis. dum dixit, Quemadmodum alter atræ bilis ſuccus, qui præaſſata flaua bile naſcitur, ferina deliramenta inducit, modò ſine febre (innuens maniam) modò cum febre, phrenitim indicans (in cerebri corpore abundans) & demum poſt pauca dicebat, Atque inſuper alia nonnunquam dementia occurrit ferina, & melancholica, flaua bile præaſſata. Quinimo ex hac flaua bile præcipue furor gignitur, vt patet ſecundo de Cauſis ſymptomatum, & commento aphoriſ. 22. tertij lib. Ex ijs liquidò conſtat cuiuis ex Gale. monimentis, quòd ex feruenti ſanguine, & flaua bile præaſſata, ſupráque modum exuſto melancholico ſucco mania ipſa, ſeu furor generari poteſt. Reſtat modo vt ad id, quod ſecundo loco inueſtigandum erat, ſatisfaciamus, ac diſtinctiua indicia cuiuſuis redundantis ſucci conſcribamus. Nanque ſi ex feruenti ſanguine originem ducat inſania, erit cum immodico riſu, videntibus ægris ſæpe ob oculos imagunculas quaſdam riſu dignas, & hilaris eſt ipſis facies, ac aſsiduè canunt. Aliquando enim ex contingentibus euaporationibus ſonitus circa aures adſunt, vt putent ſe tibicines quoſdam audire: & ipſis præſertim memoria ſeruatur, quãuis imaginatio, & ratio oblæſæ ſint; ac ſimiles erunt deſipientiæ ipſis quodãmodo cum eis, quæ ex ebrietate contingunt, ſiue ortis ex ſola caliditate, ſiue humore vitioſo: cum his quoque indicijs totius corporis temperamentum, ætas, ac laborantis habitus, tempus anni, regio, aëris conſtitutio, ac præcedens victus ratio conſi-

Furoris cauſa.

Loco citato.

Vide Auicen. lib. 3. fen 1. tractat. 4. cap. 18

Furoris cauſæ, quæ, ex Gale.

cap. citato.

2. de cauſis ſymp. cap. ult.

Signa furoris à feruenti ſanguine orti.

conſideranda erunt,ſi ſimul cum prædictis ſignis feruentis ſanguinis redundantiam atteſtentur. Quòd ſi ex flauæ bilis præaſſatæ redundantia oriatur inſania, ferarum modo redduntur effrenes; vt etiam eos, qui imprudentius ipſis occurrunt, manu violenter tractent, vt inquit Paulus: ferina erit dementia, & melancholica, vt Gale. inquit tertio de Locis affectis, & quanto magis exuſta fuerit, eo magis inſaniæ ſatis furioſæ erunt, velut ipſemet commento aphoriſmi 53. ſexti libri cap. 7. ſcriptum reliquit, vt iracundi ſint ægri, temerarij, percuſſores, & iniurioſi fiant, ſicut Aëtio viſum eſt; ita vt eorum quidam iam propriam carnem guſtarunt, & domeſticos velut inſidiatores tractarunt, occiderunt, percuſſerunt, & vulnerarunt. Temperamentum quoque eorum ætas, habitus, & præcedens victus ratio, aëris conſtitutio, tempus anni, & regio redundantem bilem coindicabunt. Ex ipſo autem melancholico ſucco immodice exuſto ſi fiat furor, deliramenta cum immodicis metu, ac mœſtitia erunt, diutius interdum taciturni fiunt, ac loqui auerſantur. Interim cùm loqui incipiunt, & ſi diu locuti fuerint, ſilere tamen nequeunt. Pariter eorum cùm temperamentum, tum ętas, ac habitus ad melancholicum vergunt, tempúſque anni, regio, aëris conſtitutio, ac præcedens victus ratio, melanchplici ſucci redundantiam commonſtrabunt. Cum ſingulis autem prædictis tribus maniæ cauſis præcedere ſolent ea, vt paulo ante dictum eſt, quæ cerebrum duntaxat, aut totum corpus ſimul cum eo, ac redundantes humores valeant calfacere, ac intantum exurere, vt poſſit furor ipſe generari. Sunt autem ea, ſolicitudines, mœſtitiæ, ac vigiliæ immodicæ, præcedens phrenitis, aut alia inflammatio, ſeu æſtuatio, ac quæuis alia ipſius cerebri calida diſpoſitio. Nam plures viſi ſunt, vt Galeno viſum eſt commento aphoriſ. 23. ſexti libri, furore correpti, qui ab excandeſcentia, vel ira, vel mœſtitia principium habuere, promptè ſe habente corpore eo tempore ad incidendum in tales affectiones. Si autem velis delapſuros in hanc affectionem dignoſcere, quæ præcedunt ſigna, attendere oportet. Præcedit nanque capitis debilitas, riſus præter rationem non aſſuetis id facere: ex facili occaſione iraſcuntur, aurium ſonitus adeſt; & ſplendores oculis obuerſantur: præceduntque vigiliæ immodicæ, & curæ per vices repetentes, ac peregrinæ; grauitas item, & vibratio capitis. Progreſſu verò temporis omnia hæc intenduntur; & appetentiæ ipſis putidiores fiunt, ſed ad venerem prompti ſunt, & ideo aſsiduè ſeminis in ſomnis effuſiones ipſis fiunt, oculi cauantur, ſimúlque intenti, ac fixi conſiſtunt: propter quod doctus medicus his apparentibus, aut quibuſdam ex ipſis, poterit eis adhibere, quæ oportet: priuſquam ad perfectam deſipientiam ægri perueniant. Nanque nulla deſipientia, vt teſtatur Galen. commento aphoriſ. 53. ſexti libri, ſecura eſt: licet minus periculoſæ ſint, quæ cum riſu fiunt, quoniam ex ſola fiunt caliditate, ſine humore vitioſo: periculoſiſsimę verò omnium temerariæ. In medio autem ambarum ſunt, quæ cum ſtudio fiunt ex flaua bile ortum ducentes: quæ cùm multum exuſta fuerit, vt iam magis ad atræ bilis naturam accedat, inſaniæ ex ea fiunt temerariæ, & ſatis furioſæ, & propterea omnium ſunt periculoſiſsimæ. Ea autem inſania, quæ ex ſuperaſſato atro humore contingit, licet periculoſa ſit, non tamen adeo pernicioſa eſt, velut quæ à flaua bile præaſſata gignitur. Nam tanto pernicioſior eſt hæc atra bilis cenſenda ea, quæ generatur ab exuſto humore atro, quanto nimirum & humor humore efficacior, ac ſtrenuior eſt. Gal. teſte lib. de Atra bile. cap. 3. Generatur autem furor frequētius in iuuenibus, ac mediis ætatibus, difficilè in ſenibus, atque difficiliùs in pueris, vel mulieribus, Cælio Aurel. auctore eodem libro primo cap. 5. Hippo. verò aphoriſ. quinto ſeptimi libri, ſcriptum reliquit. A furore difficultas inteſtinorum, vel aqua intercus, vel mentis alienatio, bonum: quorum cauſam Galen. tradidit in commento. Pro quorū curatione, aër ad humidum vergat oportet, caliditate temperatus, aut ad frigidum parum vergens: mutare item regiones debent, vt inquit Celſus, nec oportet eos eſſe vel ſolos, vel inter ignotos, vel inter eos, quos aut contemnant, aut negligant. erunt præterea, vt idem Cælius

Eiuſdem ſi à præaſſata flaua bile fiat, ſigna.

Ex exuſto humore melancholico ſi fiat, ſigna.

Parati ad furorem, quibus dignoſcātur.

Prognoſtica.

Curatio.

Ratio victus.

inquit, multorum ingreſſus prohibendi, & maxime ignotorũ. Somnus eis procuretur per quácunque viam, ſiue exterius, ſiue interius adhibitis iis, quæ ipſum promouent. Quorum ſyluam in præcedenti cap. reperias. Ante omnia verò, vt ait Paulus, in lecto vinciendi ſunt, ne vel ſibi, vel alteri noceant; aut geſtandi lectulo penſili intra cubile quoddam inſanientibus dicatum. Commumia nanque ſunt, vt teſtatur Celſus, inſanientibus vehementer exerceri debere, & multa frictione vti. Aluum quoque humidam habere eos oportet: quod ſi non ſponte fiat, clyſteribus ſubducatur lenibus, iam dictis in præcedenti cap. quo loco etiam requiras, quomodo circa animi accidentia ſe habere debeant. Victum autem tenuem exhibere conuenit, Aëtij decreto, præſertim circa initia; ſorbilem, liquidum, non multum, ventri commodum & qui parum ſanguinis generare poteſt. A vino penitus abſtinendum eſt, niſi ex metu inſania orta fuerit; nam in hoc inſaniæ genere ſolo, rectè vinum datur, Celſo auctore. Vniuerſa ergo diæta ſtatuatur tenuis, concoctu facilis, ventri commoda, flatus exors, habénsque vim contemperandi, hoc eſt, humectandi, magis quàm infrigidandi. Propter quod ptiſana vtendum, intybo, borragine, malua, cucurbita, & interdum lactuca. Procedente tempore, poſtulantibus viribus, carnibus vti poteris; potiſsimum contuſis gallinarum, pullorum, perdicum, phaſianorum, & caſtratorum; in quarum carnium iure ptiſana optime parari poſſet. Pro potu ſumant aquam hordei, aut decoctum, cum qua permiſceatur ſuccus malorum punicorum dulcium, aut parum acidorum. Quòd ſi prædictos potus auerſentur, vires indicent, ac aſſueti fuerint ægri vini potioni, illud quoque non omnino denegandum erit, præſertim ſi ex ſucco melancholico exuſto mania fuerit genita; ſit autem album, tenue, aquoſum, ac ſubaſtringens, optiméque dilutum, potiſſimum inclinante malo. Admonendi inſuper ſunt, vt ab omnibus eduliis, & potibus bilem gignentibus abſtineant, Aëtio teſte. prædicta verò victus ratio cunctis inſanientibus communis exiſtit, paucis quibuſdam mutatis pro diuerſa cauſæ ratione. propriam autem curationem vnaquæque expoſtulat, licet conſimilem melancholicis curationem recipiant, Paulo teſte.

Si ex feruẽti ſanguine fiat, curandi ratio.

Nanque ſi ex feruenti ſanguine furor excitatur, ante omnem aliam curationem ſanguinis miſsio adhibenda eſt, ſecandáque erit cubiti vena media, ſeu externa; aut ſi hæ non appareant, tali vena incidenda erit, præſertim in mulieribus: quod ſi neque hæc appareat, ad eas, quæ in ſummis manibus, ac pedibus, tranſeundum, Aëtio auctore: & ſi vires robuſtæ ſint, quantũ ſatis eſſe putaueris, ſtatim detrahito, prout Trallianus cum Aëtio cõuenit. Si autem vires multam prima vice euacuationem non tolerant, neceſſe eſt non modò ſemel, ſed etiam bis, & ſæpius, quãtum licet paulatim auferre. Poſt hæc caput irrigare oportet roſaceo, cum pauco aceto, aut polygoni ſucco, vel oleo anethino, ſeu melino, imbuta videlicet pecia lanea ſeu linea oleo ſyncipiti imponatur, & frequentius renouetur: aut accipe roſarum, violarum, ſolani, foliorum lactucæ ana p.v. corticum papaueris albi drac. duas, florum chamæmeli drach.iij. florum ſtœchadis drac.j. & cùm prius bullierint in debita aquæ quantitate, additóque pauco aceto, iuxta coronalem commiſſuram, loco prius abraſo, caput irrigato. cuncta verò non frigida actu, ſed tepida capiti applicentur. Hoc interim tempore poſt venæ ſectionẽ, omni modo ſomnus procurandus erit cum his quę cap. de phrenitide retulimus. Confidit autem Aëtius valde pharmaco ex papaueris capitibus cum ptiſanæ ſucco, aut aqua exhibito pondere cochlearis vnius, interdum non vna vice, ſed intermiſſa die vna, rurſus exhibendo. Aſſerit enim quòd vel ſolum hoc medicamentum ſolet poſt venæ ſectionem perfectè liberare ab affectione, vnà cum conuenienti diæta. At ſi res poſtulauerit, vena quoque in fronte ſecanda erit, eodem Aëtio teſte, præſertim ſi infarctus, impactúsque ſanguis in cerebro fuerit.

Si ex flaua bile præaſſata generetur, curandi ratio.

Orta autem inſania ex præaſſata flaua bile, ad ea, quæ huiuſmodi humorem vacuant, ſtatim veniendum eſt Tralliani præcepto, prius tamen eo concocto, ac præparato; tunc nanque purgatio commodè tibi ſuccedet. Perficies

autem

autem id, ſi ſyrupum violaceum, aut roſaceum exhibeas, aut è ſucco fumariæ, intybi, ſeu borraginis confectum, cum aquis appropriatis præcedenti capite, & cap. de phrenitide prædictis: purgabis quidem eos, aut aliquo eorum medicamentorum, quæ in curatione melancholiæ approbauimus, vel infraſcripto, quod excipit florum violarum, fumariæ, lupulorum, borraginis, & hordei decorticati, nymphææ, ſingulorum drac. ij. paſſularum vinaceis detractis, & tamarindorum ana vnc. j. ex quibus facto decocto extrahatur cum eo amygdalarum dulcium ſuccus, in quo per decem, vel duodecim horas macerentur, drac. ij. myrobalanorum citrinarum, & drac. j. indarum, & facta per colum transfuſione, diſſoluas in ea mannæ vnc. iij. diacatholicon, aut diaſenæ drac. iiij. aut loco mannæ vnc. j. & s. caſsiæ fiſtulæ. Cæterùm ſi tali, vel alio dato medicamento corpus non abundè ſatis euacuatum eſſe deprehendas, vtpote quia ei non cedat affectus, poſt aliquot dies præcedente tamen prius corporis præparatione, ac humoris concoctione, rurſus, aut prædictum medicamentum, vel aliud ex his, quæ in cura melancholiæ diximus, propinandum erit. Et ſi illud aſſumere recuſarint, aut mollißimis ouis, vt Tralliano placuit, aut aliis cibis, vel ficubus pinguibus, vel palmulis, interdum etiam potionibus excipiant, vt Paulo viſum eſt. Balneis aquæ dulcis poſt hæc vtendum, inclinante præſertim morbo, aliiſque irrigationibus, & medicamentis topicis prædictis, addendo tamen quæ magis infrigidant, ac humectant. Nec minus ſomnus in his conciliandus erit, imò magis quàm in reliquis maniacis, ac melancholicis: prodeſt autem eis fœniculi magni ſyluestris radix, & ſemen ex aqua quotidie pota poſt purgationem, præcepto Pauli, & Aëtij. Ex exuſto autem atro humore ſi furor incidat, non alio modo curandus erit, quàm melancholia. Propterea ſi in toto corpore talis ſuccus redundarit, ſimili curatione vtendum erit, quam præcepimus pro curatione melancholiæ cum redundantia ſanguinis melancholici in vniuerſo corpore. At ſi furor excitetur ex atra bile prædicta, non tamen in toto redundante, ſed in cerebro tantùm, ſimiliter curanda erit velut melancholia excitata ex redundante ſucco melancholico tantum in cerebro. quanquam perpetuò medicamentis humectantibus, ac infrigidantibus plus, pro curatione furoris, quàm melancholiæ vti poteris. Quòd ſi orta fuerit mania ex calida tantùm cerebri intemperie, ſeu externa cauſa ipſum calfaciente, præter venæ ſectionem, ac purgationem eiſdemmet medicamentis curare oportet caput, ac totum corpus alterantibus. Per conſenſum verò furor ſi fuerit genitus, nulla alia peculiari indiget curatione: verùm primogenio affectu curato, & ipſe quoque ceſſabit. Quòd ſi velis, ne per eſſentiam fiat, cerebrum præſeruare, iam dictis poteris topicis medicamentis rectè vti. Attendendæ item ſpecies alienationis, cuius accidentia vt teſtatur Cælius Aurel. præcitato loco, contrariorum coniectura erunt mitiganda; vt furioſum hilaritate relaxent, nunciantes quicquam quod animum reſoluat. Sic nanque oportet contrarietate quadam alienationis corrigere qualitatem, quò animi quoque habitus ſanitatis mediocritatem agnoſcat.

Ratio curãdi furorẽ ſi fiat ex exuſto humore melancholico.

Περὶ λυκανθρωπίας. De lupina inſania.

CAPVT IX.

Malum id, quod à Græcis λυκανθρωπία dicitur, Latinè lupina inſania, ſpecies quædam melancholiæ eſt, Aëtio & Paulo teſtibus: qui nanque hoc affectu detinetur in Februario menſe noctu domo egreßi lupos in cunctis imitantur, & donec dies illuceſcat, circa defunctorum monumenta plerunque vagantur, eaque maximè aperiunt: quo fit, vt promptè quæ pars in eis afficiatur dignoſci poßit: quoniam cerebrum. pariter quis affectus præter naturam ſit, quæve ſit eius cauſa, quoniam ſymptoma in genere noxæ functionum principum, præſertim imaginationis, & cogitationis deprauatæ: nam memoria fortaſſe his

Aëtius lib. 6 cap. 11.
Pau. lib. 3. c. 16
Sedes affecta.
Quis præter naturam affectus ſit.

oblæſa non eſt; velut percepi in quodam qui hoc affectu laborabat, & ſi huc uſque duos viderim tali affectione correptos. Ille nanque cùm prius me nouiſſet, quadam die cùm detentus hoc malo eſſet per iter obuiam mihi factus, ipſe verò timens ſeceſsi, at ille modicum me aſpiciens abiit; erat autem cum eo multitudo quædam hominum, ipſe quidem ferebat humeris crus integrum, ac tibiam defuncti cuiuſdam: hic demum curatus liber euaſit. Qui cùm iterum mihi occurreret, nunquid timuiſſem interrogauit, cùm in tali loco, dum inſanus erat, eum offendiſſem: ex quibus conſtat memoriam in eo non fuiſſe oblæſam.

Affectionis ſigna. Dignoſcitur autem hic affectus ex his ſignis; quoniã facies eorum pallida eſt, oculi ſicci, ad videndum imbecilli, & non lachrymantur, ipſorumque oculos cauos videbis, linguam ſiccam, & ſaliuam omnino non profundunt. Sitis ipſis adeſt immodica; & tibias habent exulceratas immedicabiliter propter aſsiduos caſus, & canum morſus, qui frequenti per noctem eius partis offenſione accidunt: ex quibus quoq; indiciis liquet quæ ſit eius cauſa, quoniam

Cauſa. atra bilis.

Curãdi ratio. Curantur autem hi acceſsionis tempore venam ſecando, & ſanguinem ferè vſque ad animi deliquium euacuando, eoſque boni ſucci cibis nutriendo, ac balneis aquæ dulcis, ſi eis vtantur. deinde ſerum lactis per triduum præbendum erit, & non ſemel tantùm, ſed bis, térve. Purgabitur autem æger hiera ex colocynthide, vt placuit Paulo & Aëtio; aut ſi videatur aliquod prædictorum medicamentorum in cura melancholiæ præbeto: velut & poſt purgationes alia adhibenda ſunt eis, antea iam relata in cap. de melancholia, ac præſertim theriaca vtendum. Ad veſperam verò inualeſcente affectu irrigationibus capiti, ac odoramentis iam dictis ſomnum inducere tentandum eſt. Nares item & tempora populeone dicto vnguento illinantur: quandoq; etiam ſomnifica medicamenta in potu exhibeantur, Aëtij præcepto.

Περὶ κεφαλαλγίας. *De capitis dolore.* CAP. X.

PRiuſquam ad eius affectus, qui à Græcis κεφαλαλγία, à Latinis capitis dolor dicitur, tractationem accedamus, tanquã valde neceſſarium, ac vtile in quauis doloris generatione, tria inueſtigare propoſuimus. Primum quid ſit dolor. Secundum ex quibus, & quot cauſis gignatur. Reliquum & tertiò, in quo præter naturã affectuũ genere reponẽdus ſit. Quod ad primũ

Quid ſit dolor. id quod nos dolorem dicimus, variis nomẽclaturis cõſueuit à Græcis appellari: nam interim ὀδύνη, ſæpe ἄλγημα, interdum πόνος, quandoque ἄλγησις ab Hippoc. & Gal. nuncupari aſſolet; quãuis aliis etiã nominibus apud quoſdam Græcos auctores nominari reperies. Hunc verò triſtis, atque grauis mutationis

12. meth. ca. 7. 1. de cauſis ſymp. cap. 6. 2. de rat. uictus com. 1. ſenſum eſſe in Galeni doctrina luce clarius patet, præſertim duodecimo meth. 1. de ſymp. cauſis, ac ſecũdo de ratione victus in morbis acutis. At cùm dixit ſenſum, neque omnes partes ſenſiles ſint, manifeſtũ eſt quæ prorſus ſunt inſenſiles, eas non dolituras; quò fit vt ſenſilibus duntaxat partibus dolor accidat. Verùm cùm non perpetuò ſint dolitura corpora, quæ ſenſibilia ſunt, ſed multum eſſe videatur temporis quò nõ doleant; relinquitur certo aliquo tempore, quo ſcilicet excitatur in eis crucians affectus, neceſſe eſſe ea dolere: nam citra alterationem non fit dolor, cùm citra eam ſenſus non fiat: neque in iis quæ ad perfectionem ſunt alterata, vt in hecticis febribus, dolor adeſt, Galeno teſte li-

cap. 5. bro de inæquali intemperie. Non enim cùm mutata particularum temperies iam eſt, ſiue, vt ſic loquar, in ipſo mutatum eſſe, dolent, ſed dum mutantur, ſiue in ipſa mutatione, quemadmodum mirus dixit Hippocrates. Verùm cùm

Hipp. 2. apho. 47. 7. de decret. cap. 6. 1. de elemẽ. c. 1. ex alteratione, ac alterationis dignotione ſenſus fiat, vt liquet ſeptimo de Hippocratis & Platonis decretis, & primo de elementis, non tamen alteratio ipſa, vt quidam putant, ſenſus eſt, ſed ipſa alterationis dignotio: nanque ſenſus inſtrumenta alterari etiam ſine ſenſu potuiſſent, vtputa ſi neruos non haberent,

ac per

Nunquid dolor propriè dicatur alteratio, vel alterationis dignotio.

ac per eos alterationis dignotionem. Et propterea non ſatis eſt ad voluptatis, doloriſque creationem, vt vel leuis, vel grauis, ſeu aſpera in corpore motio efficiatur, ſed vtriſque his agitationibus earundem dignotio quoque accedat neceſſe eſt, quæ propriè ſenſus dicitur, quinimò interdum hæc duntaxat alterationis dignotio dolor appellatur, vt patet aphor.ſexto libri ſecundi, dum dixit, dolorem non ſentiunt. Hunc ergo ſenſum dolorem nos dicimus eſſe, qui penes alterationis dignotionem potiſsimum attenditur, & non penes alterationem ipſam: quamuis in eius generatione ea quoque neceſſaria ſit; cùm neque ſenſus hic ſine patientis corporis immutatione vllo modo eſſe poſsit. Impropriè verò interdum appellauit Hippocrates ipſas diſpoſitiones, ſeu affectus, qui cùm dolore apti ſunt natura fieri, dolores, vt in principio iam dicti aphoriſ. ſexti lib. 2. liquet, cùm inquit. Quicunque dolentes parte aliqua corporis; ſexto de morbis vulgar. quòd in cranone antiqui dolores frigidi, noui autem calidi, dicebat.

Commẽtario. 1. tex. 7.

An ex quauis immutatione dolor fiat.

Cæterum nec ex quauis immutatione, ſeu ſenſibilium corporum alteratione progigni dolor conſueuit: quoniam ſi leuis, & exigua fuerit corporum immutatio, ſenſum quidem efficit; qui facultatem, & vim agentis dignoſcit, ac percipit, & propriè naturalis ſenſus dicitur, non tamen dolorem inducit: nam promptè vnumquodque ſenſorium leuem hanc ex cognatis patitur mutationem, ſeu alterationem. Inſuper quòd nec alteratio ipſa ſenſim, paulatimque facta dolorem afferre animanti poſsit, primo de cauſis ſympto. & duodecimo metho. à Galeno decretum eſt.

1. de cauſis ſympt. cap. 6

12. meth. c. 7

Et propterea non cuiuſlibet immutationis ſenſus dolor eſſe dicitur, ſed eius, quæ grauis, vehemens, ac triſtis eſt vt diximus, tum confertim, tum etiam violenter facta. Huius nanque immutationis ſenſus exiſtere nullo modo poteſt ſine patientis corporis immutatione præternaturali, vt eodem ſeptimo de Hippocra. & Platonis decretis liquet. Hoc itaque intelligere volumus per triſtem, ac grauem mutationem; quæ quidem omnium: dolorum communis cauſa exiſtit, prout Gale. eodem 1. de cauſis ſympto. teſtatus eſt; illudque tum Platonis auctoritate in Timęo, tum etiam & ipſius Hippocra. confirmauit.

cap. 6.

Plato in Timeo poſt medium.

Platonis inquam, dum dicebat, quòd pathos præter naturam violenter, & affatim incidens dolorem excitat: cùm verò ad naturalem habitum redit, idque rurſus affatim, delectationem inducit: at in delectatione, licet affatim ad naturalem habitum mutatio fiat, non tamen ea violenta eſt: nam ſi violenta quoque foret, ſimiliter dolorem excitaret, vt idem Galenus teſtis eſt 12. metho. med. Qua ratione conciliantur eius dicta prædicto loco cum his, quæ aſſeruerit 1. de cauſ. ſympt. de doloris, ac delectationis generatione.

Locis citatis.

Hippocr. 2. aphor. 47.

Hippocratis verò auctoritate, qui fatetur, quòd ab his, quæ naturam mutant, ac corrumpunt, dolores excitantur, hac quidem voce corrumpunt & celeritatem, & vehementiam tranſmutationis indicans, quemadmodum Galenus ipſe exponit. Quòd verò dolor præcipuè in ſenſu conſiſtat mutationis triſtis, hoc eſt, affatim, & violenter factæ, & non in ipſa mutatione, palam oſtendunt medicamenta, quæ à Medicis excogitata ſunt pro eiuſdem curatione, quando intendimus contra ipſum, velut ſymptoma pugnare, & non eius cauſam adimere: ſunt nanque ea torporem inferentia, ac ſenſum auferentia à Græcis anodyna, quaſi indoloroſa dicta: nam ſi cauſam eius auferendo, ipſum curabis, ita vtique, vt Galenus inquit 12. metho. contra ſymptoma non pugnabis.

cap. 7.

Quot, quæue ſint doloris cauſæ.

His quippe ſic declaratis, reliquum eſt, vt ad id, quod ſecundo loco propoſuimus, accedamus: videlicet quot, quæue ſint triſtis huius, ſeu grauis mutationis, ac demum doloris cauſæ declarare; cùm iam oſtenſum ſit vnam eſſe communiſsimam, ac immediatam omnium dolorum cauſam, immutationem videlicet confertim, ac violenter factam corporibus ſenſibilibus. Hæc verò immutatio fit, vt quidã Galeno aſcribunt, à duabus cauſis, ſolutione videlicet continuitatis, aut alteratione aliqua: quidã alij aſſerunt vnam tantùm meminiſſe cauſam ipſum Galenum, continuitatis videlicet diuiſionem. Si qui verò ſunt, qui velint eum alterationem aliquam duntaxat dolorem excitare, hi

velut apertum mendacium aſſerentes, ac Galeno, id quod nullibi ſomniauerit, attribuentes, ſeponendi ſunt, nulla alia confutatione egentes, ſed tanquam
cap. 3 mendaces condemnandi: quamuis Auerrois tertio colliget, illud ſentiat, ac nonnullis rationibus idem tueri conetur aduerſus Galenum, & Auicennam cap. 31. at illi, qui continuitatis ſolutionem duntaxat doloris cauſam eſſe ex Galeni ſententia contendunt, illud tueri conantur ex eiuſdem Galeni verbis quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Quo loco frigidum, ac calidum propterea mordacitatem inducere aſſerebat: quoniam vnum diuellendo; reliquum verò erodendo continuitatem ſoluebat, ac continuum corpus diſtrahebat; qua de re nec frigidum, nec calidum præter continuitatis ſolutionem, auctor doloris erit, vt iſti aſſerunt. Confirmant illud eiuſdem Galeni auctoritate tertio de fracturis cap. 1. quo loco volens non prorſus à probabilitate eſſe alienum, omnes morbos appellare vlcera, quemadmodum Hippo. ibidem aſſerebat, repentinam dicebat quoque mutationem in intemperatura ſolutionem ipſam continui efficere. Non erit ergo intemperies aliqua (vt iſti volunt) doloris cauſa ad Galeni ſententiam, niſi & continuum ſoluat: & proinde concludunt cum eo vnam tantùm eſſe doloris cauſam, ſolutionem videlicet continui. Veruntamen nos, qui Galenum vbique locorum inſpeximus quæ euidentia ſunt ſectari tanquam verum, ac ſummum Medicum, cum eo aſſerimus non vnam duntaxat, ſed duas eſſe primas omnium dolorum cauſas. Quemadmodum & ipſe ſexcentis in locis lucidiſsimè confeſſus eſt, præſertim lib. ſecundo art. medicin. 2. 4. & 6. de locis affectis 12. meth. & 2. de ratione victus in morbis acutis, ac lib. de inæquali intemperie. Immodica nanq; intemperies, quæ inæqualis ſit, confertim ſenſibiles partes alterans, ſeu immutans, & violenter eaſdem partes dolore afficit, ac afficere valet citra vnitatis diſſolutionem: quemadmodum ipſis nullo modo præter naturam immutatis, ac à naturali ſtatu delapſis omnino dolorem non ſentimus, tanquam propria temperie fruentibus eiſdem partibus; & eodem modo ſi & ipſæ ſenſim alterentur, aut æqualiter alteratæ ſint, indoloroſæ permanent. Si igitur propriam temperiem ſenſibiles partes poſsidentes, aut leuiter, ſeu æqualiter alteratæ indoloroſæ ſunt, conſonum erit eaſdem præternaturaliter, inæqualiter, ac violenter intemperatas redditas, dolorem ſentire: quod confirmauit Gale. primo de
cap. 6 cauſ. ſympt. cùm de dolore loquens dixit: Porrò vehementes eueniunt in tactu à naturali habitu transmutationes ob violentum calidi, frigidíque occurſum.
cap. 3 Similiter libro de inæquali intemperie de calida fluxione in muſculis loquens, dicebat arterias, & venas ipſorum præter cæteras partes eorum, vario dolore affici: cùm interius à fluxione tum excalfiunt, tum extenduntur, ac diuelluntur; exterius non modo excalfiunt, ſed etiam premuntur, ac degrauantur: reliquæ particulæ aliæ comprimendo ſolùm, vel incaleſcendo, aliæ vtroque genere laborant. Quid clarius quod Galenus in his verbis aſſerit quaſdam muſculi partes, quòd incaleſcunt duntaxat dolorem ſentire? quaſdam verò quòd diſtendantur, ſeu diuellantur; nonnullæ propterea quòd vtroque modo affi-
cap. 5 ciantur, doleant: amplius 2. de loc. affectis dicebat. Verùm in eryſipelate, & inflammatione, atque in totum in affectib. inflammatoriis non ſolum, quia intentæ ſunt partes, laborant, ſeu dolent, verum etiam quia intemperantia affectæ ſunt: ac ne hac quidem exiguam ad dolorem inducendum vim habente. &
cap. 1 ſexto de locis affectis de coli dolore verba faciens dicebat, frigidum craſſum, aut viſcoſum humorem, ſeu flatuoſum ſpiritum in corpore craſſo, denſóque geminum, ſed egredi nequeuntem, dolorem excitare: vehemẽtem quidem geminam ob cauſam, intemperantiam videlicet, & corporum, quibus continetur, tenſionem. His quippe locis cuiuis patere poterit Galenum intemperantiam, eamque inæqualem confertum, ac violenter factam, præter continui ſolutionem dolorem excitare, abſque dubio voluiſſe, & ſolutionem continui citra intemperantiam, ac ambas ſimul. Reliquum eſt eorum opinionem, qui cum Galeno putant

Rationes eorum, qui ſolutionẽ dũtaxat continui, cauſam eſſe doloris, ex ſententia Gale. contendunt.

Comment. 34.

Opinio noſtra de cauſis doloris cũ Galeno.

2. de art. medic. cap. 8. 2. de loc. affe. cap. 5. 4. de loc. affe. cap. 7. 6. de loc. affe. cap. 1. 12. meth. cap. 7. 2. de rat. vict. comment. 1. De ineq. intemp. cap. 3.

putant ſolutionem duntaxat continui doloris cauſam eſſe, eorundem rationes ſoluentes diluamus. Ad primam eorum rationem; quam afferunt auctoritate vtentes Galeni 4. de ſimplic. medi. facult. dicimus primò, quòd quamuis ibidem Galenus doceat modum, quo calidum, & frigidum media ſolutione continui mordacitatem efficiant, nequaquam tamen negauit poſſe dolorem eadem excitare confertim, ac violenter ſenſibiles partes alterando, prout ſæpius in eius doctrina compertum eſt. Qua de re licet vnum docuit; non propterea alterum, quod in pleriſque locis ſcriptum reliquerat, negaſſe videtur, vt cuilibet patere poterit eius dicta ſanè intelligenti. Ad hæc non quodlibet calidum, aut frigidum media ſolutione continui mordacitatem inducit, vt eodem loco patet: ſed illud tantum, quod immoderatius auctum eſt, calidum videlicet adeò auctum, vt noſtram ſubſtantiam diuidat, diſtrahat, atque ſecet; frigidum verò quod ſupra quàm quòd contrahat: ac condenſat, etiam diuellendo partes mordicatione infeſtet, ac continuum ſoluat. Qua de re quis negabit; quòd quamuis vehemens repentina; ac violenta alteratio eſſe debeat, vt dolorem excitet, quòd priuſquam ad tantam deuenerit immoderantiam, quam exigit continui ſolutio ex ea orta, valeat confertim duntaxat, & ſemel totas ſenſibiles partes alterans, citra continui diuiſionem dolorem efficere? datur inquam immoderato immoderatius; vt proinde fiat, quòd ex inæquali intemperie, calida potiſsimum, vel frigida immoderata non extremè tamen, dolor excitetur, præter continui ſolutionem dolentis partis. Immoderatius autem aucta, de qua Gale. 4. de ſimplic. med. fac. loquutus eſt, dolorem gignit interueniente continui ſolutione: cum immodici caloris, ac frigoris hic terminus ſtatui poteſt, vt lib. de inæquali intemperie patet, quò fit, vt vnus minor, alter verò maior dolor exiſtat. Ad ſecundam eorum rationem; pro qua Galenum pro teſte inducebat lib. tertio de fracturis, facilis eſt reſponſio: nam quærens ibi Galenus tanquam probabile, ac veriſimile Hippocratis dictum ſeruare, qui aſſerebat poſſe quempiam omnes morbos vlcera appellare, licet non tanquam verum, quanquam non prorſus à probabilitate alienum, vt ipſe aſſerit, pro ſuſtinenda hac probabilitate ſubiunxit, omnem intemperaturam aliquam omnino continui diſſolutionem, ſi non ſenſui euidentem, ratione tamen contemplabilem, efficere; allegans ſe in præallegato loco quarto de ſimplic. med. facultat. demonſtraſſe repentinam item mutationem in intempeatura ſolutionem quoque continui efficere: tanquam probabile ergo, ac veriſimile illud affirmat, non tamen omniquaque verum; & cùm dicit repentinam mutationem in temperatura ſolutionem continui efficere, concedimus nos modo, quo ſupra diximus; dum verò ſubdidit, eam omnino continui ſolutionem, ſi non ſenſui euidentem, ratione certè contemplabilem progignere, aſſerimus nos illud fateri, non quòd re vera ſit, ſed vt à calumniis Hippocratis dicta liberet: propterea ait illud poſſe ratione contemplari tanquam probabile, & non penitus abſurdum. Nanque in hoc ea, quæ ſenſui euidentia ſunt, præter eius morem, vt liquet, tranſgreditur, & vt cunctis pateat me non inſomnia, ſed vera fateri, Galen. ipſum legat lib. de inæquali intemperie, dum huius Hippocratis dicti etiam meminit: ait nanque, Quippe vlcus vnitatis eſt diuiſio, immodicus verò calor, ac frigus proximè accedunt, vt vnitatem ſoluant, & non dixit, quòd re vera ſoluant vnitatem: licet ea vnoque euidens ſenſui non ſit, velut fatetur prædicto libro de fracturis: quamuis etiam de immodica loquatur intemperatura, & non de omni; cùm de his quæ immodicæ valde non ſunt, fortè nec illud veritatē habeat, quòd proximè accedant, vt vnitatem ſoluant. Quare licet proximè accedant, vt continuitatem ſoluant immodicæ intemperantiæ, potiſsimum calidæ, vel frigidæ, iuxta Galeni ſententiam, dolorem tamen efficere poſſunt citra continui ſolutionem: quamuis probabiliter loquendo, à veritate prorſus alienum non ſit, cùm proximè accedant, vt continuum ſoluant, eas aſſerere cōtinui diſſolutionem efficere: quemadmodum philoſophi mobile

Solutio rationum opinionis contrariæ. cap. 1

Reſponſio ad primam rationem.

Loco citato.

cap. 6

Ad ſecundā rationē cōtra reſponſio.

comment. 34.

cap. 6

quod

quoddam quieſcere aſſerunt, etiam ſi non verè quieſcat, ſed quieti proximum ſit, ac eundem motum, qui quieti proximus eſt, quietem appellare conſueuerunt, licet impropriè. Ex quibus liquidò conſtat in Galeni doctrina non modò continui ſolutionem (vt quibuſdam viſum eſt) dolorem excitare, verum etiam ipſam intemperiem inæqualem, ac interdum ambo concurrere pro doloris generatione: & propterea rei euidentiam conſecutus in omnibus ferè locis tum præallegatis, tum aliis ſexcentis illud teſtatus eſt. Hanc etiam ſententiam confirmauit 2. lib. de compoſi. medic. ſecundum loc. dum dixit, Vehementiſsimi igitur capitis dolores fiunt iuxta caliditatē, & frigiditatem, maximè cùm inæquales exiſtant. Moderati verò iuxta ſiccitatem: at ad humiditates nullus conſequitur dolor. Non enim propterea duntaxat, quòd efficaciſsimæ qualitates ſint caliditas, & frigiditas, ea de re cum inæquales ſint, vehementiſſimos excitant dolores ſimilarium partium affectiones proritantes ſimplices, ac inæquales, verum etiam quòd cùm immodicæ valde fuerint, faciunt etiam quodammodo continui ſolutionem, vt ab eodem Galeno decretum eſt. Excitant igitur dolores vehementiſsimos, & quia intemperatas inæqualiter reddunt partes ſenſibiles, & quoniam erodendo, ſeu diuellendo continuitatem earum ſoluunt, cùm immodicæ valde fuerint, vt diximus. Siccitas verò moderatos infert dolores, quoniam nec efficaciſsima qualitas eſt, velut prædictæ: & propterea ſuo occurſu non valet adeo violenter corpus contingere, vt media intemperie dolorem proritet, ſed tantum media ſolutione vnitatis, tendendo videlicet partes, quæ continuæ ſunt; & ſi neque tenſionem valde repentinam, & violenter moliatur. At humiditas nec vno, nec alio modo dolorem inferre poteſt ex ipſa, cùm nec mutationem repentinam, ac violentam partis alicuius vt ſimilaris efficere valeat, neque continuitatem ſoluere poſsit, velut ſiccitas ipſa, aut alio modo, contundendo ſcilicet, ſecando aut erodendo. Nanque ex hiſce cauſis ſolui continuitas conſueuit, vt patet tum 5. tum 12. metho. meden. & ſecundo de cauſis ſympto. quo loco etiam decretum reliquit, humidum, & ſiccum niſi calori, aut frigori coniungantur, citra violentiam corpus contingere: quia nec affatim, nec violenter ipſum immutare poſſunt, inefficaciores cùm ſint qualitates. Hanc diuerſam ex variis qualitatibus doloris generationem cum Galeno fatentur Aëtius cap. de dolore capitis, Trallianus cap. 10. lib. 1. & Paulus cap. 4. lib. 3. Ad tertium autem deuenientes dicimus cum Galeno primo de cauſis ſympt. quòd delectatio, & dolor omnibus ſenſibus contingunt, non tamen pari euidentia, ſed in oculis minus euidenter, quàm in cæteris: in tactu autem, & guſtu maximè luculenter, ab his deinceps in odoratu, & poſt hunc in auditu. At relicta delectatione, quæ nihil aliud eſt niſi reditus ad naturam, ſimul, & celeriter factus: hic nanque eſt, qui voluptatem affert, dicimus, ex maximis ſplendoribus viſum ipſum propter nimiam ſecretionem non modò laborare, ſed etiam corrumpi quandoque, afficitur quoque guſtus inſtrumentum dolore ab acutis, amaris, acerbis, ac acribus ſuccis. Contriſtant verò olfactum qui ex iam dictis ſuccis exhalant halitus. Auditum autem infeſtat vox aſpera, & maxima, & celerrima. Verùm tactui accedunt magnæ mutationes naturæ à frigidi, calidique violento contactu: præterea ab his, quæ contundendi, vel ſecandi, vel diſtendendi, vel exedendi vim habent. Quapropter cùm quærimus nos quis affectus præter naturam ſit dolor, non de omni dolore loquimur, qui ſingulis ſenſibus contingit, ſed de eo, qui omnium euidentior eſt: hic verò erit qui ſenſui tactus accidit ex vna, aut pluribus prædictarum cauſarum ortus, moleſtus quidam ſenſus exiſtens, vt volebat Plato, compoſitus ex violento ſimul, & quod cõfertim fit pathemate, ſenſitiuis corporibus accidente: nihil autem refert dicere vel moleſtum, vel doloroſum, vel dolorificum, vel laborioſum ſenſum; quemadmodum neque ipſum pathos, ſi triſtitiã, vel moleſtiam, vel dolorem, vel laborem, dolentiámve appellaueris. Nam Plato, vt Galenus refert, prò eadē re in Timæo, & in Philebo dictis nominibus

cap. 1 — *5. met. cap. 2.* — *12. met. cap. 7.* — *1. de cauſis ſympt. cap. 6.* — *Aet. li. 6. c. 40* — *1. de cauſis ſympt.* — *Loco citato.* — *Quis affectus præter naturam ſit dolor.* — *Gal. 1. de cauſ. ſympt. cap. 6.* — *Plato in Tymæo poſt medium.* — *Plato in Philebo ante medium.*

omnibus promiſcuè vſus fuit, ac in aliis libris: ſimiliter & Hippocrates tum de nominibus, tum de rebus prædictis in eadem fuit ſententia, quanquam & hoc etiam pathos in aliis quoquè ſenſibus deprehendi poſsit, vt prius diximus, in hoc verò videlicet tactu euidentius eſt. Verùm cùm tactus in dolore afficiatur ex præternaturali quadam patientis corporis immutatione, is nec morbus, nec cauſa morbi erit, ſed ſymptoma. Offenſa nanque eſt ipſius tactus actio ex his, quæ ipſum contriſtant: verùm non adeò offenſa eſt, vt ea penitus ablata ſit: nam ſentit vtique non naturaliter tamen, ſed cum triſtitia, neque adeò imbecilla, ac difficilis eſt tactus actio, velut in torpore, ſeu ſtupore eſt videre. Relinquitur ergo, quòd cùm non ablata, nec imbecilla, ſeu difficilis ſit ſenſus tactus actio in dolore, quòd neceſſariò ea deprauata ſit propter violentam, vehementem, ac repentinam immutationem eius inſtrumento occurrentem: & propterea moleſtum, ac malum hunc ſenſum, ſeu laborioſum, qui ex prædicta immutatione perficitur, ſenſitiuis corporibus accedere neceſſarium eſt, iam dictam immutationem ſentientibus: omnem nanque prauam, ſeu malam ſenſionem bifariam dici à Galeno lib. de diff. ſympt. patet: nam vel idem quod debiliter, vel idem quod deprauatè ſignificat, at cùm in dolore non debiliter tactus ſentiat, reliquum eſt, vt cùm mala ſit eius ſenſio, quòd ea deprauata ſit.

cap. 3

Habet enim tactus ipſe inſigne hoc ſymptoma, & proprium præter reliquos ſenſus, nempe dolorem: vt eodem lib. de diffe. ſympt. liquet. His quippe ſic declaratis reuerſi iterum ad id, à quo noſtra oratio diuerticulum ſumpſit, de capitis videlicet dolore dicimus, quòd licet de eo variæ reperiantur apud medicorum vulgus differentiæ, apud Græcos tamē omnes quos vidi, præſertim Galenum, tres duntaxat de dolore capitis ſpecies, ſeu differentias reperi: quarum vna à Græcis κεφαλαλγία, à Latinis non aliter quàm capitis dolor nuncupatur, nomen ſiquidem ſumens ſimul ab affectu, & parte affecta, teſte Gal. 2. met. Altera κεφαλαία. Reliqua, & tertia ἡμικρανία dicitur, vt patet 3. de loc. affe. De his igitur tribus differentiis nos ſeparatim verba faciemus ab ipſa cephalalgia exordientes: quæ nihil aliud eſt, quàm recens laborioſus ſenſus totius capitis, propter grauem eius mutationem, ſeu triſtem. Adhibitum autem eſt illud verbum recens, vt differat à cephalæa quæ, vt dicemus, capitis dolor diuturnus eſt, difficultérque ſolubilis, teſte Gale. eodem 3. de loc. affe. totius autem dictum eſt, quo ab hemicrania diſcrepet.

Loco citato.
De capitis dolore ſermo iterum.
Quot ſūt eius ſpecies, ſeu differentiæ.
2. met. cap. 2.
3. de loc. affe. cap. 9
Cephalalgia quid ſit.
cap. 9

At cùm diximus capitis, eam nunc ſignificamus partem, quæ capillo tegitur: hoc inquam intellexit Celſus ſub nomine capitis, lib. 4. cap. 2. illud quoque per iam dictam deſcriptionem conſtat, quæ afficitur in hac affectione, partem, caput eſſe: quòd coniectare licet ex ipſo dolore cum poſitu. At quoniam interdum extra caluariam affectio eſt, aliquando intra, & quandoque quidem omnium exteriorum, aut interiorum, interim non omnium, ſed vnius tantum corporum generis, arteriarum videlicet, aut venarum, aut neruorum, aut membranarum, aut cutis, vel ipſius denique cerebri; propterea difficillimum eſt, Galeno auctore 2. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, affectum locum dignoſcere, ſiue vnus, ſiue plures vno exiſtant; aut qui tandem hi ipſi extent. Illud tamen non ignorādum erit, nunquid intra caluariam affectio ſit, vel extra. Dignoſces verò ex ipſo dolore, ſi vſque ad oculorum fundamenta, ſeu radices extendatur necne: nam ſi non extēdatur illucuſq; dolor, extra caluariam erit affectio, vt Gale. 3. de loc. affe. viſum eſt. Si verò ad oculorum fundamenta is extendatur, intra caluariam erit diſpoſitio, nam ab ipſo cerebro, & ab vtraq; membrana, atque à vaſis, quæ in ipſis continentur veluti germina quædam ad oculos deducuntur, vt facilè poſsit propterea vſque ad eos dolor extendi; etiā ſi ipſummet cerebrū in eius propria ſubſtantia affectum ſit: nam id quoque grauem, ac triſtē immutationem ſentit: & propterea dolore afficitur, vt teſtis eſt Galenus eodē ſecundo de compoſitione medic. ſecundum locos. lib. de multitudine, & 3. de locis affect. Excitatur autē hic dolor, velut & reliqui omnes, vt diximus, aut ab inæ-

Quid per caput intelligendum ſit.
Quæ pars afficiatur.
cap. 1
Nunquid intra caluariā, vel extra caput affectum ſit.
cap. 9
2. de compoſ. med. cap. 1.
Lib. de multit. cap. 11.
3. de loc. affe. cap. 9

qualí

quali intemperie confertim facta calida potiſsimùm, ſeu frigida, aut à continuitatis ſolutione, ſeu ab vtriſque. Verùm non ſatis erit, hoc ſcire, ſed ſi veli- *Vniuerſales cauſæ doloris capitis.* mus cuilibet capitis dolori auxilia rationabiliter adhibere, & non indiſcriminatim, & citra diſtinctionem, opus eſt, cunctas affectiones, ex quibus capitis dolor excitari conſueuit, prænoſcere. Neque enim omnes ob vnam affectionem caput dolent, ſed tum ipſæ affectiones plures ſunt, tum curatio ipſarum ſingularum propria exiſtit, ex Galeni ſententia, eodem 2. de cōpoſitione medic. c. 1. *Particulares cauſæ eiuſdē.* ſecundum locos. Vna etenim affectio eſt, vt ibidem ipſe aſſerit, iuxta intemperiem ſimplicem citra humorum complexum. Alia ſecundùm humorum qualitatem, quædam iuxta multitudinem duntaxat ipſorum humorum contingit: quibus etiam accedit ea, quæ fit, cùm humores tranſitus liquorum, ac vaporum obturarunt. Et ad hæc alia eſt, cùm ob imbecillitatem in quibuſdam capitis partibus flatuoſus ſpiritus innaſcitur: quandoq; etiā ob aliquam externā cauſam, προκαταρκτικην Græci appellāt, capitis dolor contingit; velut eſt externus ardor, frigiditas, ebrietas, plaga, & alia huiuſmodi. Ex hiſce ergo ſex diuerſis cauſis, vt Galeno viſum eſt, capitis dolores excitari poſſunt, ex quibus ipſum propter imbecillitatem ſuam facillime affici conſueuit: interim ob ſenſus exuperantiam, ſeu totius corporis plenitudinem: quamuis diffuſi, & veluti efferueſcentes humores interdum, ac vapores à magnis febribus ad caput aſcendant, & capitis dolorem efficiant, vt dicemus. Proinde docebimus nos quo pacto ſingulæ ex propriis earum indiciis dignoſci valeant, vt demum eis cognitis, ratione, ac methodo curari poſsint, initium ſumentes ab eo, qui ex ſimplici duntaxat intemperie citra humorum complexum ortum habet: quamuis nec illud inuenire promptum ſit, ſed & exercitato homine indigeat, qui tum per rationis exercitium, tum per multam, & aſsiduam affectionis ægrorum inſpectionem eam cognoſcat. Nanque proprietates aliquæ quidem omnino dici non poſſunt; quædam verò ægre circa ægrotantium corpora oſtendi valent, vtpote quæ tantum iis, qui eas ſæpe viderunt, cognitæ ſint: & propterea quòd coniecturale artis eſt, id maxime in affectionum cognitione conſiſtit, vt patet *Loco citato.* eodem 2. lib. de comp. med. ſecundum locos. Si autem ex ſimplici intemperie capitis dolor prorıtetur calida, vel frigida, dolor vehementiſsimus erit, vt dictum eſt: nanque ex his duntaxat qualitatibus vehementiſsimi fiunt capitis *Signa doloris capitis ex calida intemperie geniti.* dolores. Verùm ſi calida fuerit intemperies, præter vehementiſsimum dolorem, capitis aderit calor quamprimum ei manum admoueris, ac oculorum rubor: frigidis aſperginibus oblectantur ægri, ex quibus maximum percipiunt adiumentum; præceſsitque alia extranea calfaciens cauſa. At ſi ex frigida exci- *Ex frigida intemperie.* tetur intemperie, licet vehementiſsimus dolor quoque ſit, tamen caput tactu calidum non deprehenditur, neque facies, & oculi rubeſcunt, nec arida, & collapſa apparet, ſed è contrario plena, & pallida, Talliano teſte, eodem cap. 10. primi libri; præceſsitque externa quædam infrigidans cauſa, & frigidis neque iuuantur ægri, neque gaudent, vt Galeno viſum eſt. Quòd ſi ex ſiccitate ortum *Ex ſicca intēperie.* habuerint, moderati erunt capitis dolores, aridior deprehendetur capitis cutis citra alia indicia, quæ de calida intemperie diximus: aliquaque præceſsit exiccans cauſa, & à ſiccis medicamentis non modò non iuuantur ægri, ſed noxam ſuſcipiunt. Ad humidam vero intemperiem, quòd nullus conſequatur *Si ex biliofo ſucco.* dolor, iam oſtendimus. Quòd ſi non ex ſimplici tantum intemperie capitis dolor excitetur, ſed cum humorum complexu, ſi biliofus is fuerit, dolor præter vehementiam mordax quoque erit: ſimiliter cum totius capitis calore immo- *Loco citato.* dico, ac faciei pallore. Interim etiam os amareſcit, quemadmodum Paulus teſtatur eodem cap. quarto lib. tertij, inſtructus à Galeno ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & quæ præceſsit victus ratio flauam bilem coaceruauit; pariter temperatura calidior, ætas vigens, immodi- *Ex pituita.* cæque ſolicitudines præceſſerunt. At ſi pituita redundante is fiat, præter iam dicta frigidæ intemperiei ſigna, tum victus ratio præcedens, tum reliqua con-

currentia

currentia firmabunt; cuncta nanque pituitam ipſam coaceruarunt. Nec minus ſi ab atra bile ortum ducat, cuncta aderunt indicia redundantis atræ bilis; quæ requiras cap. de melancholia. At ſi ex plenitudine quatuor humorum ex æquo, ſeu ex ſanguine dolor capitis proritetur, aderit grauitatis ſenſus, aut tēſionis: faciei color rubeus, temperamentum, ætas, victus ratio, & reliqua concomitantia ſanguinis incrementum, ſeu humorum omnium ex æquo indicabunt. Quòd ſi eadem humorum multitudo cum obſtructione quapiam, ſeu obturatione caput dolore infeſtat, ſiquidem ea moderata fuerit cum grauitate prædicta, moderatus erit dolor; ſin fortis, fortiter dolebūt, & ſi mordacem qualitatem humorum multitudo complectatur, etiam iuxta hanc dolorem augebit, prout Gale. teſtatur præcitato lib. 2. de compoſ. medic. ſecundum loc. cap. 1. Verùm ſi cum grauitate, aut tenſione, pulſus quoque aderit; inflammationem indicabit. Quemadmodum ſi tenſio aderit ſine grauitate, ac pulſu, ſpiritus flatuoſi multitudinem oſtendit, vt liquet primo de Arte curatiua ad Glauconem, cap. 5. aderitque aurium ſonitus; & quæ præceſsit victus ratio, corporis natura, ac reliqua, ad ſpiritum flatuoſum generandum fuerunt idonea. Qui demum ob cauſam quāpiam externam proritantur capitis dolores; vt externo ardore, frigiditate, ebrietate, plaga, odoratis item calidis, ac reliquis huiuſmodi, promptè ex ægri, ſeu aſtantium relatione percipi poſſunt. Quare vt diu in his dignoſcendis immoremur non oportet: quemadmodum ſi ob ſenſus exuperantiam dolor capitis infeſtet, velut in ore ſtomachi accidit quibuſdam, qui ipſum exactè ſenſilem habent, facillimè à quauis cauſa in eum incidere parati ſunt, præſertim ab ipſis odoratis, adeò vt nonnulli ne thuris quidem odorem ferre poſsint, Galeno auctore 3. de locis affectis cap. 9. At tempus eſt doloris capitis prognoſtica enunciare: cuius primum ab Hippocr. aphoriſ. 70. lib. 4. ſcriptum eſt, dum dixit, Quibus febricitantibus vrinæ ſunt perturbatæ, quales ſunt iumentorum, iis dolor capitis vel adeſt, vel aderit. Quoniam, vt inquit Galenus in commento, ſpiritus flatuoſus vnà cum calore promptè fertur ad caput. Secundum prognoſticū eiuſdem Hippocr. aphoriſ. 51. 6. libri ſcriptum eſt, cum inquit. Quicunque ſani dolore capitis repentè capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, iii ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. Nam cùm ſanis (vt Galenus aſſerit eodem commento) dolor in capite repentè aduenerit, cauſam referre oportet non modò ad ſpiritum flatuoſum, ſed etiam ad materiæ vniuerſim fluētis multitudinem; quam ad cerebrum fuiſſe delatam indicant ſymptomata, quæ poſt dolorem ſuperuenerunt, ab Hippocrate in aphoriſ. annotata: per quæ etiam ſymptomata, quòd ſit quædam materia pituitoſa, commonſtratur: atque idcirco febris ſuperueniēs diſpoſitionem ſoluit. Aphoriſ. autem decimo eiuſdem ſexti libri, idem Hippoc. dicebat, Caput dolenti, & circum dolenti, ſeu vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſoluit: quando videlicet propter inflammationem, Galeno teſte, vel crudorum humorū multitudinem in capite aceruatorum fieri dolorem contigerit: tunc nanque inflammatione ſuppurata, aut humore excreto ſolutio fit. tertio verò prognoſticorū. Capitis dolor vehemens inquit Hippocrates, & continuus cum febre, ſi quod ex indiciis extiterit exitioſis, letalis admodum eſt: & libro 3. Prædictionum dixit. Vterum gerentibus capitis dolores ſoporoſi cum grauitate fiētes mali ſunt. Galenus autem primo de arte curatiua ad Glauconem ſcriptum reliquit, dolorem capitis inſeparabile eſſe indicium futuræ criſis, ſi à principio non inuaſerit, ſed vbi corpus perturbatur, ac agitatur naturam tentante ipſam per vomitum, aut per fluxum ſanguinis ex naribus. Reliquum eſt cuiuſuis doloris capitis curationem conſcribere, vnam tamen in omnibus communem intentionem habentes, cauſas videlicet, à quibus fiunt ſinguli, conſiderare: hæ ſiquidem tibi conuenientem curationem oſtendent non cuiuſuis doloris capitis tantum, ſed omnium aliorum ſymptomatum, vt liquet libro 1. de arte curat. ad Glauconem. Verùm nos non immeritò initium faciemus ab iis, qui à nudis dunta-

Ex nigra bile.

Ex plethora.

Ex multitudine mordaciū humorū.

Ex inflammatione.

Ex flatuoſo ſpiritu.

Ex externis cauſis.

Doloris capitis prognoſtica.

3. prognoſt. tex. 11

3. prorr. tex. 11. cap 15

Loco citato. cap. 1.

xat qualitatibus originem duxerunt, ac à procatarcticis cauſis. Nam cùm recentes hi fuerint, facilè curantur, cunctique optimi Medici ab eis initium ſumpſerunt, vt patet ſecundo de comp. med. ſecund. locos. *cap. 24.*

Cura doloris capitis ex ſiccitate. cap. 6.

INSVPER viſum eſt, quo breuiores ſimus, ab eo capitis dolore qui ex ſiccitate oritur, cœpiſſe. Nanq; ex ea, licet non vehementiſsimus, moderatus tamen gignitur, non tamen intemperie media: quoniam citra caliditatem, aut frigiditatem hoc pacto illum efficere non valeret, vt Galeno patet primo de cauſis ſympto. ſed mediâ continui ſolutione, hoc eſt, tenſione. Demum relicta humiditate, ex qua nec vno, nec alio modo ſola exiſtente excitari dolor poteſt, ad eos deueniemus, qui ex frigida, ſeu calida intemperie cum humorum redundantia, vel citra, ortum ducunt; alios, qui ex aliis iam dictis cauſis excitantur, non omittentes: quamuis plurimum, vel frigida intemperies caput viciat, vel humida, quinetiã & ambæ ſimul, vt 13. meth. med. apud Gal. legitur. Pro huius tamen ratione vniuerſa victus, ac medicamentorum ratio ad humidũ vergere oportet. *Victus ratio.* Talis ergo naturæ aër eligatur, ſomno vtatur longiori, vigilias vitet, quietem eligat. Caueat ab immodico exercitio, ac euacuatione immodica, animique affectibus immoderatis, præſertim mœrore. Cibi eligantur humectantes, boni ſucci, multi nutrimenti, vt recentium ouorum lutei, gallorum teſtes, gallinarum, ſeu pullorum caro: interdum perdicum, ac phaſianorum iuuenum; eorundemque animalium iuſculis interim veſcantur. Vinum bibant tenue, aquoſum, optime dilutum: dulcium aquarum calefactarum lauacris, vt quæ humectare poſſunt, vti conuenit. *Medicamentorum ratio.* Capitis irrigationes faciendæ, præſertim iuxta coronalem commiſſuram ex oleo amygdalino dulci, aut de cucurbita, vel violaceo, & chamæmelino ſimul mixtis. Interim vero cum prædictis oleis recentem aliquam pinguedinem miſceas, vt anſeris, gallinarum, vel vitulorum: pariter & recens butyrum, hiſque caput inungendum. Humida quoque errhina adminiſtrari poterunt ex prædictis tum oleis, tum pinguedinibus pullorum, ſeu Gallinarum iuſculis commiſtis, ac ſaccharo albo.

Cura doloris capitis ex calida intemperie orti.

CAPITIS autem dolor ex calore genitus, vt ſolis ardore, flammæ vicinitate, ſeu odoramentis calidis, aliiſq; huiuſmodi, curabitur, ſi aër, ac domus in qua æger decumbit, natura frigidi deligantur, aut qui noſtra induſtria ſic præparati ſint ex floribus, ac graminibus frigida facultate præditis per domũ ſparſis, roſis videlicet, violis, nymphææ floribus, pampinis, ſeu capreolis vitium harundiniſque foliis, & huius claſsis reliquis. Refrigerabitur item ſi humi aqua frigida proiecta ſit, ac de vaſis in vaſa transfundatur. De ſomno maxima habenda erit cura, qui ſit conſueto longior; vigiliæ præſertim immodicæ penitus vitandæ, quies iniungenda, cùm non modo his, verùm omnibus, quibus caput dolet, augente adhuc, & vigente dolore quieſcere melius ſit, vt Apollonij auctoritate Gale. teſtatur ſecundo de compoſitione mendicamentorum ſecundum locos. *cap. 1* Alui excrementa, ſi natura non excernantur, lenibus clyſteribus prorītanda ſunt: ex eorum nanque retentione capitis dolor augetur. Animi perturbationes, præſertim ira, ac furor penitus vitentur. Boni ſucci cibis, non tamen calfacientibus, imo natura frigidis ægrum nutrire oportet, neque eiſdem multis. Sunt autem tales panis ex aqua frigida lotus, ptiſanæ ſuccus. Ex oleribus, lactuca, intybum, portulaca. Ex piſcibus conueniunt petroſi, & teneris carnibus præditi. Ex carnibus, pullorum, gallinarum, ac columbarum pulli cum omphacio præſertim conditi, gallorum teſtes, atque alæ. Ex fructibus, malum punicum, vuæ paſſæ, pyra, ac mala, quæ apia dicuntur, interdum cruda, aliquando vero cocta condonari poſſunt. Abſtinendum verò ab his, quæ proprietatem quandam habent capitis dolorem inducendi, vt à palmarum glandibus, Galeno teſte; eruo, quercinis glandibus, lactis potu, viticis ſemine, ac nigris oliuis, vt Aët. viſum eſt, & ante ipſum eidem Gale. ſecundo de compoſitione medicament.

Loco citato. Aet. li. 6. c. 46 Galen. loco citato.

dicamentorum ſecundum locos. Pro potu verò, omnino aqua vtendum eſt, quod ſi ex eius potu ventriculus ſubuertatur, in ea parum cinnamomi decoquatur, aut ſeminum coriandrorum præparatorum, vel miſceatur cum aqua ſuccus malorum punicorum acidorum, ſeu acidus ſyrupus, vel oxyſaccharum. Quòd ſi nec his bene habebit, & aquam bibere non poſsit, permittẽdus ei erit ex aquoſis vinis aquoſus potus, eiuſdem Gale. præcepto. Refrigerantibus item, ac modicè aſtringentibus medicamentis, tenuiumque partium ſubſtantia præditis vtendum erit. Quapropter in principio nil melius erit, quàm roſaceo probè apparato caput perfundere, ac æſtiuo tempore frigido exiſtẽte: optimumque erit ſi ex oleo crudo, quod omphacinum appellant, confectum ſit, nec id ipſum roſaceum vetus exiſtat: magis autem adhuc penetrare poterit, Trallia. teſte, ſi cum aceto illinatur: pauca autem eius quantitas adiecta ſit. Locus autem illitionis, perfuſionis, ſeu irrigationis ſit iuxta frontem, vbi piloſa pars capitis deſinit, ac iuxta vtrunque eius latus, vbi pili ipſi ad aures nectantur. Verùm inter omnes capitis partes, vt ſæpius diximus, ea, quæ iuxta ſynciput eſt, propter laxitatem coarticulationis iuxta coronalem ſuturam, & ob oſsium tenuitatem, & raritatem, facilè tum caliditatem, tum frigiditatem omnium quæ adhibentur pharmacorum intro diſtribuit. Quare ſiue refrigerare oporteat ardorem, ſiue calfacere frigiditatem, aptiſsimus erit capitis iuxta ſynciput locus. Proximum à roſaceo chamæmelinum locum habet in his corporibus, quibus vehementem frigiditatem inducere veremur, qualia ſunt fœminarum, eunuchorum, ac puerorum, & aliorum quicunque molli carne præditi, albumque habentes colorem. Menſuram autem tum roſacei, tum chamæmelini, quod ad refrigerationem attinet, ex prædictis corporis habitibus, & ex ardoris magnitudine inuenire oportet, conſiderata ſimul ætate ægri, eiuſque & ambientis nos aëris temperie, ac reliquis huiuſmodi: atque ita demum, ſi oporteat, roſaceo addere ſemperuiui ſuccum, aut portulacæ, aut lactucæ, & polygoni, pampinorum vitis, ac vuarum immaturarum, & aliquando ſolani paululum. A papaueris verò, & mandragoræ ſucco abſtinendum: non enim citra damnum refrigerant, vt Galeno placuit. Nec minus vitanda, quæ cum refrigeratione magnopere aſtringunt: quòd ſi libuerit ex prædictis, aut aliis medicamenta componere, hoc modo parari poſſent. Olei roſacei excipe vnc. ij. aquæ roſaceæ vnc. j. aceti vnc. s. aut pr ędicti ſucci ſemperuiui, portulacę, ſeu lactucæ vnc. j. immiſceas. aut aliorũ prædictorum infrigidantium medicamentorum tantundem. Poteris inſuper & addere cremorem ſeminis cydoniorum, maluarum, aut althææ, ſeu pſyllij drachm. iij. & loco roſacei, violaceo, de cucurbita, ac ex nymphæa oleo vti, & cum cera, ac pauco aceto ad vnguenti formam redigito: quod iam dictis locis adhiberi poterit, præſertim ſyncipiti, aut mori ſucco per linteolum expreſſo cum pari roſaceo vtitor. Saccelli item parari poterunt ex roſis, violis, hordeo, lentibus, ac nymphææ floribus priùs contuſis. At ſi velis aliis quoque embrochis vti, excipe foliorum maluarum, violarum, & roſarum pug. s. florum nymphææ drac. iij. pampinorũ, ſeu capreolorum vitium, portulacæ, ſeu ſemperuiui ſingulorũ manip. i. chamæmeli, meliloti, & fœnigræci ana drac. ij. coquantur ſecundum artem, & fiat embrocha, addendo aceti parum, præſertim, ſi dolor intra cranium ſit. Qua ratione permiſceri eum præcepimus in ſingulis iam dictis medicamentis, nec minus ægri odorem ſuſcipere poterunt ex aqua roſaſea, & myrtillorum, cum exigua aceti portione: prodetit quoque ſi hoc tempore per duas, vel tres horas ante cibum in manè æger aſſumat vnc. j. & s. ſyrupi de infuſione roſarum, aut ex nymphæa, vel violacei cum duabus, vel tribus vnciis aquæ borraginis, vel cichorij. Apollonij auctoritate, mori ſucco per linteolum expreſſo, cum pari roſaceo caput aſsiduè irrigari poterit: aut portulacæ folia tuſa per ſe, & cum polentæ flore capiti imponito, aut ſolani, vel cupreſsi folia ſimiliter tuſa per ſe, & cum polentæ flore; vel vitis folia cocta tuſa cum mulſa aqua pariter imponito.

Medicamentorum ratio.

Citato loco.

Vide Gale. loco citato.

Cura doloris capitis ex redundante flauæ bile orti.

QVOD ſi non modo ex calida intemperie, ſed ex flauæ bilis redundantia dolor capitis genitus fuerit, non aër duntaxat, ſed cuncta, quæ ſæpius conſcripſimus, ad frigidum, ac humidum declinare opus erit, ita vt vniuerſa victus ratio non tantum frigida, ſed humidior ſit, oportet, & boni ſucci. Cæterùm curandi ratio ſtatim à biliosi humoris euacuatione auſpicanda erit. Verum vt probè hunc euacuare poſsis, humidiore prius victu opus eſt, balneisque temperatis, vnctionibus, & aquæ potu liberaliore. Ita enim, vt inquit Trallianus, diffuſa bilis, & veluti imbecillior facta, facilius à medicamento ipſam trahente euacuabitur. Quare ſi bilioſus humor copioſus nimium, & calidus fuerit, ita agere oportet. Quibus verbis Trallianus & alteratione, & concoctione, ſimulatque præparatione, priuſquam purgetur, bilem indigere, potiſſimum vbi firmata in aliqua parte decumbit, lucidiſsimè oſtendit: id quod nos fuſius in noſtra methodo probauimus. Propterea non modo ex iam dictis illud probè exequi poſſes, verum etiam ſi exhibeas per aliquot dies ante purgationem ſyrupi de oxyſaccharo vnc. vnam: & ex infuſione roſarum vnc. s. vel tantundem ſyrupi violacei, ſeu ex nymphæa, vel ex ſucco cichorij confecti, cum borraginis, ſeu intybi aquæ vnc. iij. Nunquid vero ante purgationem competat venæ ſectio, non admodum liquet. At dicimus nos, quòd ſi bilis ſincera fuerit, aut alteri humori permiſta, quàm ſanguini, venam ſecare non oportet. Verùm ſi ſanguini commiſta fuerit (id quod ſæpius accidit) aliis conſentientibus, venam ſecare non eſſet abſurdum: quod tum ratione, tum principis Arabum auctoritate probari poſſet, niſi nimium prolixus fierem: ſecandaque vena erit, vel media, vel humeralis, prout maior, vel minor fuerit eiuſdem bilis redundantia, ac maior, vel minor cum ſanguine commiſtio, non ſemel tantum, ſed ſi opus fuerit, ipſam iterare; cùm non multa quantitas ſanguinis vnica vice extrahenda ſit. Apparente autem demum concoctione, abſque moleſtia, minorique negotio à purgante medicamento trahetur, promptiuſque à natura ipſa excernetur bilis. Infraſcripto autem vtitor, quod excipit tamarindorum drac. vij. myroba. citrinarum drac. ij. florum borrag. violarum, & hordei decorticati ana drac. iij. fiat decoctum; in quo vnc. ij. vel iij. mannæ electæ, & vnc. s. vel drac. vij. diacatholicon diſſolue, & fiat potio: aut cum prædicto decocto diſſolue caſsiæ fiſtulæ vnc. j. & s. ſeu ſacchari violacei vnc. ij. aut ſyrupi ex pluribus infuſionibus violarum, vel roſarum vnc. iij. rhabarbari in prædicto decocto infuſi cum ſpica drac. j. aut ſcrup. iiij. & cum vnc. s. diacatholicon, aut drac. ij. diaprunis ſolutiui, vel tantundem antidoti è ſucco roſaceo, fiat potio. Temporibus autem intermediis clyſteribus vti non erit abſurdũ, in hunc, vel ſimilem modum paratis, Maluarum, violarum, foliorum betæ, & borragin. ana manipu. j. excipe, ex quibus facto decocto permiſceantur olei violacei vnc. iij. vel iiij. mellis roſacei vnc. ij. caſsiæ tractæ, vel pulpæ caſsiæ fiſtulæ vnc. j. ſalis parum. Et interdum (ſi videbitur) addere poteris hieræ picræ ſimplicis vnc. s. At ſi craſsior bilis fuerit, ac prædictis purgationibus non cedat, ex Galeni picra, agarico trochiſcato, ac rhabarbaro formatis catapotiis purgari poterit æger: ſumes agarici ſcrup. ij. rhabarbari, cum ſpica, & pulueris hieræ ſimplicis ana drac. s. cum ſyrupo violaceo, & aqua betonicæ fiant catapotia: poſt quæ per duas vel tres horas vnc. ij. mannæ, vel iij. ſyrupi ex pluribus infuſis, roſarum vel violarum aſſumat cum aqua borrag. intybi, aut cichorij, in qua prius drac. j. myroba. citrinarum fuerit decocta. His quippe peractis ad topica medicamenta deueniẽdum erit: quæ ex iam dictis in cura doloris capitis ex ardore orti confici, ac parari poſſunt; vnum tantum animaduertentes, quòd frigidioribus, ac humidioribus pro cura doloris capitis ex bile orti, vti poſſumus, ac debemus. Inſuperque & errhinis ſimilis facultatis, humidis præſertim ex aqua hordei paratis: in qua foliorum maluarum, violarum, ac lactucæ, ſingulorum pug. j decoquatur: cui ſuccum foliorum betæ adiicias, ac vtitor, lib. ij. prædicti decocti aſſumendo, & vnc. iij. vel iiij. iam dicti ſucci. Cucurbitulas ſine ſcarificatione, ac crurum, &

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

De venæ sectiõe quid ſentiendum ſit.

Auic. li. 3. fen. 1. tract. 2. c. 11.

Purgatio.

Topica.

brac

brachiorum frictiones non omnino omittens, ſed intercapedine quadam, temporibus congruis, eis vtare. Similiter ſi quando ex prædictis humoribus reliquiæ quædam relinquantur, ac iam dictis medicamentis minimè cedant, vtpote tenuibus poris, ac meatibus impactæ, & ob id etiam capitis dolor perſeueret, cum roſaceo ipſo, aut aliis conſcriptis medicamentis refrigerantibus ea primum medicamenta miſcenda ſunt, quæ digerendi vim habeant, ac demum ſolis digerentibus, aut diſcutientibus vti, ſi oporteat. Perpetuo tamen ab his, quæ validam vim tum digerendi, tum diſcutiendi habent, abſtinendum erit: cùm & immodicè quoque calida ea eſſe oporteret: & propterea affectionem ipſam, cuius cauſa capitis dolor genitus eſt, irritarent magis, ac augerent, quàm curarent. Horum autem materiam, prout magis commoda videbitur, ex his, quæ in ſequenti dicentur, eligere poteris.

Cura doloris capitis ex frigida intemperie orti.

EX perfrigerato autem capite ſi excitetur dolor, aër frigidus vitandus, & omnino calidus eligendus erit. Somnus moderatus, non tamen ſolito longior. Motu quoque vtendum totius corporis, equitatione præſertim, & pedum ambulatione. Aluus iis humidior ſit, quàm ſicca, vt ſingulis diebus ventris recrementa excernantur natura, aut arte, cum glande videlicet, aut clyſtere. Vitent triſtitiam, ac graues cogitationes, alioſque immodicos animi affectus fugiant. Deuitent cunctos cibos, ac potus, qui refrigerare poſſunt, ac eligant oua recentia, & ſorbilia: gallinarum, pullorum, perdicum, & phaſianorum carnem. Necnon pro potu, vino vtantur tenuium partium; quod mediocriter extenuare, ac calfacere poteſt. Qua ratione fit, vt lauacra quoque calida plurimum conferant: & vt ſimpliciter dixerim, pro eius curatione calefacientibus vti oportet: verùm pro intemperiei magnitudine remedium quoque variandum erit, iuxta Tralliani ſententiam. Proinde neque difficulter curatur capitis dolor ex frigiditate ortus, potiſsimum ambientis, ſi recens ſit, Gal. auctore 2. de compoſi. medic. ſecund. locos, vt interdum ſufficiat rutaceum oleum calidũ ſyncipiti (vt dictum eſt) affuſum perfectè hominem liberare, vt ipſe teſtatur, loco autẽ rutacei, anethino, & chamæmelino vti poteris. Si verò vehementiori calfactione opus ſit, nardino, ſerpillino, aut amaracino, & irino. Frons quoque talibus inungatur, & nariũ, ac auriũ meatus illinãtur. Quidã etiam pedũ veſtigia, ac ſedem ex eis illinunt, vt idem Gale. teſtatur præcitato loco. Confert inſuper excalfactis pãnis caput calfacere, aut ex ſaccellis ex milio, & ſale confectis, & prius calfactis ac pauco vino albo, ſeu aceto irrigatis. Poterunt parari inſuper, & alij ſacculi ex rutæ foliis, hyſſopi; ac ſerpylli ſingulorũ pug. j. ſampſuchi, betonicæ ana drac. ij. florũ ſtœchadis, ſpicæ ana drac. j. roſarũ rubearũ manip. s. ſimiliter & vnguẽtum cõficiatur ex olei rutacei, chamæmelini, & nardini ana vnc. j. hyſſopi, ſpicę, florũ ſtœchadis ana drac. s. maſtiches thuris ana drac. j. & ceræ parũ, & ſi videbitur, poteris interdũ addere caſtorij ſcrup. j. Embrochæ pariter nec omittantur paratæ ex decocto florũ chamæmeli, fœnigræci, ſeminis lini, ſertulæ cãpanę ana manip. s. ſpicæ, florũ ſtœchadis ana drac. j. foliorum rutæ, hyſſopi, & ſampſuchi ana drac. iij. Ex quibus quoq; aut ſimilibus per nares vaporẽ ægri ſuſcipiãt. Lauri inſuper folia tenera cũ irino vnguẽto trita, capiti adhiberi poterũt, aut ſampſuchi ſimiliter folia cũ vino trita, ſeu roſaceo, vel cyperũ tuſum adipe anſerino admiſto capiti illinito. Cõueniũt & fomẽta interim per ſpõgias calida imbutas, & expreſſas, maximè ſi in aqua lauri folia tenera fuerint incocta, aut ſampſuchi, vel cyperi. Prodeſt itẽ oleũ irinum cum ſerpyllo, & exiguo aceto infuſum, vt inquit Marcellus: magis autẽ ſi aut iridis radix, aut peucedani ſuccus prioribus admiſtus fuerit: prodeſt etiã & ruta cũ oleo irino, & exiguo aceto cocta, vt idẽ teſtatur. Hederæ inſuper folia molliſsima quæque trita cum aceto, & roſaceo aduerſum omnem dolorem capitis fronti illiniuntur. Plinio ſecundo auctore.

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

cap. 1

cap. 1

Lib. 1. cap. 1

Cura doloris capitis ex redundante pituita orti.

GENITVS autem ex pituitoſis humoribus capitis dolor, curabitur pri-

mò aëre ad calidum, & ſiccum vergente: & ſi naturalis haberi non poſsit, arte paretur. Carnibus vtantur magna ex parte aſsis, interdum elixis, ſaluiæ folia adhibendo, aut betonicæ, ſerpylli, ſampſuchi, ſeu hyſſopi. Pro potu tenui vino vtãtur, & ſi illud auerſentur, aqua, in qua decoctum ſit cinnamomũ. Omniaque ipſos iuuant, quæ mediocriter extenuare, & calfacere poſſunt. Reliqua victus ratio ſimilis ſeruãda erit ei, quam præcepimus in prædicto capitis dolore ex frigiditate orto; illud tamen ſeruantes, quòd ad ſiccius quoq; inclinet præter [illegible]ditatem.

Medicamentorum ratio. Pro extenuatione verò, ac inciſione prædicti redundantis ſucci, mellis roſacei excipe vnc. j. & s. cum aqua hyſſopi, betonicæ, ſeu ſampſuchi vnc. iij. aut oxymellis ſimplicis tantundẽ, cum vnc. s. ſyrupi de infuſ. roſarum. ſimiliter cum aliqua prædictarum aquarum.

Purgatio. Quibus pluries iteratis, ac propterea prædictis ſuccis præparatis, ea, quæ purgandi pituitam vim obtinent medicamenta propinanda ſunt, velut, Recip. agarici trochiſcati ſcrup. iiij. diacatholicon drac. vj. vel diaphœnicon vnc. iij. pulpæ caſsiæ recenter extractæ vnc. j. cum ſaccharo fiat bolus. Vel ſumas agarici trochiſcati drac. j. & s. myrobalanorũ chebularũ drac. ij. florũ ſtœchadis drac. j. fiat decoctũ in aqua fontana, betonicæ ſeu hyſſopi, aut ſampſuchi: in quo diſſoluas ſyrupi de pluribus infuſ. roſarũ rubearũ vnc. iij. diacatholicon vnc. s. aut diaphœnicon drac. ij. fiat potio. Verum quoniã hoc malo affectis non ſemel tantũ: purgatio cõuenit, ſed bis, aut pluries: cũ vni tantùm purgationi ſua craſsitie, ac lentitie redundans ſuccus non recedat; ea de re iterum poſt vnam, vel alteram purgationem extenuandus, ac præparandus erit ex prædicto oxymelite, aut eodem ſcyllino, ſeu ſyrupo ex ſtœchade: quibus parum ſyrupi ex infuſione roſarũ (ſi videbitur) addere poteris, & in aquis hyſſopi, ſerpilli, aut ſtœchadis parum decoquere. Et cum præparatus fuerit humor, ex catapotiis expurgari poterit: quæ recipiant pilularum arabicarum, ſine quibus, aut cocchiarum drac. j. agarici trochiſcati ſcrup. ij. cum oxymelite, aut ſyrupo ex ſtœchade catapotia formentur. Poſt quæ per aliquod ſpacium vnc. iij. ſyrupi ex pluribus infuſ. roſarum rubearum, aut ij. ex tribus infuſ. roſarũ perſicarum, vel domini Auguſtini cum aqua borrag. vel lupulorũ exhibere poteris, aut vnc. j. pulpæ caſsiæ fiſtulæ.

Clyſteres. Conferunt etiam iis clyſteres: tum vt ſuperflua recrementa in inteſtinis contenta extrahamus, tum etiam propter reuulſionem eorum, quæ ad caput in iis ferri conſueuerunt, facto prius decocto ex maluis, borragine, ſampſucho, betonica, ſerpyllo, ac ſtœchade, furfure, & ſale: in quo diſſoluas olei anethini, chamæmelini, aut rutacei vnc. iij. mellis roſacei vnc. ij. benedictę drac. iiij. aut diaphœnicon tantũdem, vel hieræ pictæ drac. vij. & agarici drac. j. & s. vel drac. ij. miſceantur ſingula, & fiat cyſter.

Glandes. Ex eiuſdẽ etiã, vel ſimilibus glandes confici poterunt melle addito: vt ſi agarici drac. ij. aſſumas, ſalis gemmæ, & pulueris hieræ drac. j. cum melle quantum ſatis ſit, & figurẽtur glandes, quibus clyſteriorum vice vtitor.

Cucurbitulæ. Nec omittẽdæ erunt, reuulſionis gratia, frictiones brachiorum, ac crurum; necnon cucurbitulæ citra ſcarificationem in occipitio, ac dorſo affixæ poſt purgationem potiſsimum. A qua item ſeptimo quoque, vel octauo die, ſi aſſumant drac. j. theriacæ, aut mithridati, optimum erit, ſimiliter diambræ, vel diamoſchi.

Apophlegmatiſmi. Nec minus hoc tempore apophlegmatiſmi conferunt. Tralliano teſte, qui ex vuæ paſſæ drac. iij. hyſſopi, & ſampſuchi ſingulorum drac. j. maſtiches drac. ij. cum pauco melle, & cera paſtilli formentur: quorum vnus notabili quodam ſpacio commanducetur, aut ex piperis, & ſinapis ſingulorum drac. j. hyſſopi, ſtaphidis agriæ, origani, & pyrethri ſcrup. j. vuæ paſſæ drac. iij. cum melle, & cera iidem fingantur.

Errhina. Erthina etiã medicamẽta per nares approximata, quæ naſalia appellant, præſertim mollia, & liquida valde conducunt in euacuanda à capite pituita. Componantur autem ex hyſſopi, ſampſuchi, & betonicæ decocto: de quo lib. ij. aſſumens, adde ſucci foliorum betæ, aut ſucci radicum eius vnc. iiij. vel lib. s. vel ſi fortioribus indigeas tantundem ſucci braſsicæ, aut cyclamini adiicias.

Sternutatoria. Poterit inſuper & à capite pituita expurgari cum his, quæ ſternutamenta proritant: quare & interdum eis vtitor,

vt pul

vt puluere albi hellebori,caſtorij,piperis,aut nigellæ naribus indito, vel compoſito ex his. Et denique naribus odoramenta calida adhibere oportet; velut infraſcriptum,quod recipit ſampſuchi,corticum,& foliorum citri, hyſſopi, & rutæ ana ſcrup.ij.caſtorij,florum ſtœchadis ſingulorum ſcrup.j. ſtyracis calamitæ, ladani,ligni aloës ana drac. ſ. maſtiches,corticum thuris,ſpicæ, & caryophyllorum,maceris ana ſcrup. ſ. ſandalorum rubeorum,& corallorum rubeorum, ſingulorum drac.j.cum ſucco betonicæ,ſeu ſampſuchi,& cremore tragacanthi fiat orbiculus odoriferus,moſchi ac ambræ grana iij.vel iiij.addendo. His denique peractis,ad topica confugiendum eſt medicamenta,quæ diſcuciendi,ac attenuandi,& diſſecandi vim habeant, præſertim ea, quæ in præcedenti capitis doloris curatione ex frigiditate notauimus. At ſi ex humore melancholico dolor capitis fiat,ſimili victus ratione,ac modo curationis vtendum erit, prout cap. de melancholia præcepimus. Qua de re vt iterum hîc tractemus ſuperuacaneum puto,ſed cuncta quæ dici poſſent,eodem loco requiras.

Orbiculi odorati compoſitio.

SI VERO non ex redundantia pituitæ,aut vtriuſque bilis, ſed ſanguinis ſolius, aut quatuor humorum ex æquo auctorum.dolor capitis excitetur: quã redundantiam,ſiue auctionem,multitudinem, ſeu plenitudinem appellant ſimpliciter dictam; pro eius curatione aër frigidus, & ſiccus eligendus erit; mediocriter exercendi ægri, ac mediocri ſomno vtantur: ſtudeas tamen pro virili,vt aluus eis humecta ſit,ſi non ſponte,cum clyſteris arte perficiatur. Fugiant immodicos animi affectus. Vitent carnes,oua ſorbilia, & reliqua, quæ copioſè nutriunt. Veſcantur hordeacea ptiſana, aut frigidis oleribus, lactuca videlicet, cichorio, endiuia,portulaca, borragine, & ſimilibus. A vino abſtineant, ſed aquam hordei, aut in qua decoctum ſit parum cinnamomi, vel ſeminum coriandrorum præparatorum,bibant.Hunc autem capitis dolorem totius corporis euacuatione haud difficulter curabis, potiſsimum ſi in toto quidem corpore adſit plenitudo,nec in capite tantum. Quapropter media in cubito vena audacter ſtatim incidenda erit; & niſi quid prohibeat, notatu digna copia ſanguinis extrahenda. Quòd ſi id vires non ferant, non vnica duntaxat vice, ſed duabus aut pluribus ſanguinis miſsio erit facienda. Verùm poſt primam, externa in cubito vena incidatur, velut etiam ſi non magna fuerit plethora; ab eiuſdem inciſione auſpicanda curatio erit. Similiter vbi caput propter eius imbecillitatem multitudinem contineat: quo caſu, ſaltem reuulſionis gratia, vena ſecanda erit externa, ſeu humeralis; demum ſi opus fuerit, frontis quoque vena incidatur. Veluti etiam clyſteribus, & his quidem interdum acribus, nexibus,ac frictionibus in partibus inferioribus,plurimis expedit vti, Galeno auctore primo de arte curatiua ad Glauconem. Ipſi quoq; parti affectæ hoc tempore remedia adhibere conuenit: quæ à capite repellendi vim habeant primò, deinde ea, quæ diſſoluunt, atque euacuant, poſtremò verò corroborantibus vtendum. Repellit autem (eodem Galeno auctore) oleum immaturum, quod Græci omphacinum nominant,aut roſaceum, ſeu oxyrrhodinum: qua de re iis cõmodè vti poteris,ac reliquis,quæ in cura doloris capitis ex ardore orti conſcripta ſunt. Deinde ex diſcuſſorijs medicamentis quippiam addendum erit, paulatim detractis pharmacis, quæ repellunt, vt chamæmelinum, & anethinum: aut ſi in oleo ſerpyllum,ſeu ſpondylium,ſampſuchum, aut hyſſopum decoxeris: quæ virium etiam aliquid capitis partibus adducunt & quæ debiles ſunt,roborant: vt proinde ipſis vſq; ad integram ſanitatis reſtitutionem vtendum ſit, eiuſdem Galeni præcepto. Demum ſi oportuerit, per nares, & palatum expurgandi ſunt, ac ſternutamenta excitanda, & cucurbitulæ in occipitio cum ſcarificatione affigendæ. Irrigationibus quoque, ac alijs medicamentis, quæ vim diſcutiendi habeant paulo antè conſcriptis (vbi opus fuerit) commodè vti poteris: nos verò breuitati indulgentes iterum ea non repetimus. Velut nec ſi ex iam dictis cauſis cum obturatione quoque capitis dolor fiat, quæ,

Cura doloris capitis ex plethora geniti.

Ratio victus.

Venæ ſectio.

cap. 15

Topica remedia.

uis earum ſit, nouam præcipiemus curatioœm, cùm ex eiſdem ferè curari poſſit, cauſam videlicet au[illegible]endo, quæ obturauit.

Si ex flatuoſo ſpiritu oriatur dolor capitis, curatio.

AT ſi ex flatuoſo ſpiritu redundante quiſpiam in dolorem capitis incidat, ſiue in reliquo corpore ſimul, ſiue in ipſo capite duntaxat, relictâ victus ratione, quæ omnino talis eſſe debet, vt flatum non gignat: pro eius curatione, ſi in capite is non tantum genitus ſit, ſed ex corpore efferatur, in principio repulſoria curatione vtendum eſt: quod vbi moderatè factum ſit, ex mitigatoriis, ac concoctoriis quippiam admiſcere ad repulſoria oportet. Deinde etiam diſcuſſoria addenda, ita vt paulatim repulſoria pharmaca detrahamus, donec ad contrariam miſturam perueniat medicamentum ei, quam à principio habuit. ſiquidem influentem vaporem, ſeu ſpiritum repellere neceſſarium ſit: infarctum autem concoquere, attenuare, eundemq; ipſum diſcutere; ac circa ipſam affectam partem firmitatem inducere, ne videlicet quod influit, ſuſcipiat: atteouatum verò excernat, impactumque concoquat, & attenuet; prout ſcriptum reliquit Galenus ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. Iuuat autem eos magnopere euacuatio alui prius per clyſterem validum: nam ex eo, præter id, quod ea quæ circa ventrem, meſaræum, ac circa hepatis ſima hærent, euacuantur; adhuc ea, quæ ad caput feruntur, reuelli contingit. Diſſoluas autem in eis præter ea, quæ iam dicta ſunt, interim benedictæ drac.iiij. aut electuarij indi, ſeu diaphœnicon tantundem, vel diacatholicon, aut hieræ picræ drac.vij. in clyſteriorum autem decoctum, quæ flatum etiã diſcutiunt, adiicienda erunt: vt ſemen aniſi, fœniculi, carei, aut cumini, aridæ quoque ficus, ac furfur. Corrobotandumque interim affectum membrum, vt neque ipſum ventoſum flatum gignat, quodcunque id fuerit, ſiue ventriculus, aut aliquod inteſtinorum, ſeu iecur, aut lien, aut quoduis aliud. Poſt quæ ſi vnà cum flatu calor in capite prædominatur, roſaceum adhibendum erit, quod videlicet repulſorium, concoctorium, & mitigarorium, adhæc & diſcuſſorium, ſit, vt Galeno viſum eſt eodem ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos: pariter & acetum, cum & repulſoriam ſimul, & attenuatoriam, imò & diſcuſſoriam habeat facultatem, eodem Galeno auctore. Verùm per ſe ſolo aceto vtendum non erit, ob facultatis ipſius vehementiam: ſed cum eo roſacea aqua admiſcenda erit, vel etiam ipſum roſaceum, aut portulaca, polygonum, ſeu ſolanum. Si verò cum frigore flatus ſit, loco roſacei chamæmelino, aut anethino cum aceto vtaris, vel cum roſaceo etiam, & aceto ea permiſceas. At ſi augeſcat affectio, Archigenis auctoritate, irrigatio facienda erit ex ruta viridi cum aceto, & oleo trita, aut ex ſucco radicum iridis cum aceto: polygonum quoque cum ruta, oleo, & aceto dilutum adhibere conuenit: aut ſerpillum cum aceto, & oleo tritum, ſeu ſuccum è baccis lauri expreſſum cum aceto & ruta. Amygdalæ quoque amaræ delibratæ, tritæ cum acero & oleo, irrigationis modo adhibitæ, aut cerati craſsitudine in linteolo fronti impoſitæ, cùm primùm affectio incipit augeri, magnopere conferunt. Quòd ſi cupias ſacculis potius vti, circa initia, ex milio, roſis, ſalicis foliis, & polygono, ſolano, ſeu portulaca eos parare poteris, & fronti, ac ſyncipiti adhibere. Poſtea verò prædictis ſampſuchum, ſerpillum, hyſſopum, ac rutam, lauri folia tenera, cyperumque adiicere valebis. Necnon odoramentis iam dictis, ſeu caſtorei, & muſci, aut amaraci vtaris; ſimiliter his, quæ ſternutamenta prouitant. Poterunt inſuper ægri diacumini, aut dianiſi drac.j. manè aſſumere, aut tantundem theriacæ, ſeu mithridati. Si autem flatuoſus ſpiritus, propter earundem imbecillitatem, in capitis quibuſdam partibus generetur: nam nec illud mirum eſt, neque impoſsibile, prout Galenus teſtatur eodem ſecundo libro de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, præter ea medicamenta, quæ repellendi vim habent, cùm eis opus non ſit, cunctis iam dictis, aut eiſdem ſimilibus medicamentis vtare; parum etiam & in hac affectione conferunt, & ſi non no-

cap.1

Clyſteriorum uſus.

Loco citato.

Topica.

Loco citato.

ceant

ceant ea quæ intus aſſumuntur, præſertim diacuminum, & dianiſum.

SVNT quibus caput aſsiduè dolet, vbi vel liberaliùs vinum ingeſſerint, vel meracius, idque magis, ſi ſuapte natura calidum fuerit, vt teſtatur Galenus tertio de Locis affectis, vtpote quòd omnino quidem caput vaporibus replet, aliquando verò etiam humoribus calidis, cùm & citra vini potum eiuſmodi ad caput promptè deferuntur. Pro eius curatione ſcopus primus vniuerſalis, & communis omnibus habendus erit, nempe euacuatio. Iubendi igitur ſunt, ſi crudum adhuc in eis vinum in ſtomacho fluctuet, vt tepida aqua hauſta vomant, per ſe ſola, aut pauco aceto, ſeu acetoſo ſyrupo permiſta. Quòd ſi etiam poſt concoctionem caput doleant, refrigerantibus vtendum eſt, ac repellentibus, vt multitudo quidem euacuetur, caliditas verò frigefiat: quale eſt roſaceum per ſe, & cum aceto, aut hederæ, ſeu braſsicæ ſucco: quin & ipſa braſsicæ folia in aquam calidam macerata, capitiq; circumpoſita, ac alligata, naturaliter ebrietatem arcent, vt quæ vapores reſiccent. Propterea eiuſdem decoctæ vſus in id efficax eſt. Similiter ex leguminibus lens hos adiuuat, præſertim eos, qui humidiorem habent vētriculum: rutæ quoque folia trita cum aceto, admiſta eis roſa capiti tepidè affuſa proſunt, Marcello auctore cap. 10. Aliis quoque boni ſucci cibis vtendum (non tamen calfacientibus) vt priſanæ ſucco, ex oleribus lactuca, pane ex aqua loto: & interdum ouis ſorbilibus. Pro potu omnino aqua vtendum, aut vino tenui, albo, modico, potiſsimum ſi aquam bibere non poſsint. Poſt omnem verò cibum parū dandum eſt de malo punico, aut pōmo, aut vua paſſa. Breuiter, vniuerſus cibus ſit boni ſucci, ſtomacho vtilis, & qui vapores arceat, Tralliano auctore. Cæterùm ſomni, ac quietis cura in primis habenda erit: cùm manifeſtum ſit, Galeno teſte, quòd tum hos, tum omnes, qui caput dolent, augeſcente adhuc, & vigente dolore, quieſcere melius eſt: remittente verò, ac decreſcente, in locis aptis deambulare; & ante cibum quidem pluribus deambulationibus vtendum. Poſt acceptum verò cibum, breuibus, & lentis. Oportet aut neque multa comedere, neque ſtatim deambulare, ſed poſt duas, aut tres, aut etiam plures horas. Si vero poſt hæc probè dormire non poſsint, ad balneum quàm celerrimè inducantur, calidaque aqua eis in balneo ſæpe affundatur. At ſi ex vaporibus, & humoribus in caput ſublatis reliquiæ quædam relinquantur tenuibus poris, ac meatibus impactæ, & ob id etiam capitis dolor perſeueret, à roſaceo quidem abſtinere expedit, & chamæmelino moderatè calido, aut anethino primùm, poſtea (ſi opus fuerit) irino vtendum. In balneo verò caput calida perfundatur, non ſolum ob id, vt quidpiam circa ipſum diſcutiatur, ſed & ſomni conciliandi gratia, vt Galen. pręcipit ſecundo de Compoſitione medicament. ſecundum loc. cap. 1. Quapropter etiam ſecundum, aut tertium quoque ad veſperam balneum apparandum eſt, acceptis ab eo lactucis ex aceto, verum aqua affuſa multa, vt acetū planè exæquet, niſi omnino aquoſum ſit ipſum acetum. Si quis autem velit ab ebrietate præſeruari præſumens ea, quæ ipſam arcēt, quinque, aut ſeptem amygdalas amaras, à ieiuno comedat, Aëtio teſte: aut vinum abſinthites, ſeu myrteum præaſſumat. Prohibent inſuper & ebrietatem ipſam myrti baccæ præaſſumptæ, & braſsicæ cauliculi præcomeſti: at quę ebrietatem extingunt poſtea ingeſta, ſunt centaurēi tenuis decoctum, ceruinum cornu, ac verbenacæ ſemen cum aqua.

Cura doloris capitis ex ebrietate orti.

2. de compoſ. med. ſe. cundum loc. cap. 1

Quæ ab ebrietate preſeruent.

Lib. 6. c. 43

DOLOR capitis etiam ex ictu, aut caſu accidit, inflammatione interim ſubſequente. quare eius curatio magno ſtudio tractanda erit, Tralliano teſte. Nam periculum inducit, dum humores copioſius ad ipſum caput confluunt. Quapropter pro eius curatione, à vino per initia, carnibus, & in totum ab omni victu valentiori, ſeu pleniori, præſertim ſi febris adeſt, ægros coërcere expedit: priſanæ verò cremorem, maluam decoctam, lactucam, intybum, & cucurbitam pro cibo exhibere conuenit. Pro potu aquam per ſe ſolam decoctam, aut

Cura doloris capitis ex ictu aut caſu orti.

Victus ratio

aut cum ſemine coriādrorum præparatorum, vel paucißimo cinnamomo. Acida verò, acria, & ſalſa omnino vitanda ſunt. Adhæc quies, & corporis tranquillitas præcipiendæ, ac cibi parcitas: fugienda verò ſunt, ſol, balneum, clamor, & contentio. Quòd ſi plaga, aut caſus, vulneris aut contuſionis cauſa exiſtant, plures ſcopi erunt ad remediorum inuentionem, Galeno teſte ſecundo de Compoſitione medicamentorum ſecundum loc. cap. primo. Vnus quidem in vulnere, ad quod conglutinantibus, & inflammationem arcentibus pharmacis vti oportet; poſtquam vlceris labia conſtrinxerimus fibulis impoſitis, aut aliis, vt oportuerit. Alter verò ſcopus erit in contuſione, & tertius in doloribus: qui quandoque in ipſis ſolis percuſsis partibus fiunt. Plerunque verò etiam ad vicinas partes extenduntur propter continuitatem ſubſtantiæ, tum cutis ipſius, tum eius membranæ, quæ caluariam ambit, præſertim ſi vſque ad eam plaga penetret. Quòd ſi per communionem eiuſdem membranæ caluariam ambientis, quam ad duram cerebri membranam circa ſuturas habet, etiam intra caluariam inflammatio ipſa diſtribuatur: non abſque periculo eiuſmodi capitis dolor exiſtit. Contingit autem interdum in caſu, præſertim ex ſublimi facto, vt quædam circa cerebrum, aut membranas partes abrumpantur: quod vbi euenit, etiam amplius capitis dolor inualeſcit: ipſaque affectio tota ægrè curabilis redditur, & periculum ingens, ac præceps imminet. Verùm ſi oborta inflammatio ſolam cutem occupet, & non vlterius adhuc procedat, nihil negotij eſt, ſed dolor etiam, qui circa caput contingit, facilè diſcutietur. Optimum itaque fuerit in his, Galeno auctore, niſi ætas prohibeat, & niſi vitalis facultas debilis appareat, à venæ ſectione curationis initium facere: ita nanque influxus reuelletur, vt Trallianus refert. Incidenda autem erit media, aut humeralis vena. A venæ ſectione conuenientibus capitis irrigationibus vti oportet, oleo, dulci ipſum perfundendo, lanis contegendo, fouendoque omni ex parte, vt ne caput rigeat: conueniunt quoque & fomenta per ſpongias aqua calida imbutas. Quòd ſi ætas, ſiue virium imbecillitas, aut etiam ambo ſimul ſanguinis detractionem fieri impediant, aluum per clyſterem euacuabimus reuulſionis ſimul, ac euacuationis gratia: atque inde auxiliis ad inflammationes commodis vtemur. Nanque incipientibus, & adhuc naſcentibus ipſis, roſaceum cum aceto; in vigore verò conſiſtentibus roſaceum ſolum adhibemus. Ipſis verò decreſcentibus, pharmacis laxantibus appellatis vtimur: quemadmodum in indurațis inflammationibus abſinthium, ac pulegium roſaceo admiſcemus. At nec circa initia indefinitè acetum roſaceo admiſcendum erit. Nanque cutis capitis, aut quæ poſt eam eſt membranæ caluariam ambientis inflammationes citra quidem vehementem dolorem obortæ, per exigui planè aceti ad roſaceum admiſtionem iuuari poſſunt: lædentur autem vbi magnæ fuerint, dolorémque vehementem induxerint. Similiter ſi craſſæ cerebri membranæ nudæ roſaceum offeratur, quēadmodum in his, quibus capitis oſsiculum aliquod exciſum eſt, fieri conſueuit, ſolum ipſum leniter tepefactum adhibemus. At ſi citra denudationem per capitis iuxta ſyncipur partem, ſana, & integra exiſtente caluaria, roſaceum ad cerebri membranam peruenire velimus, acetum ei (vt eò perducat) admiſcemus. Quòd ſi vigiliæ vrgeant, etiam chamæmelino oleo, & non roſaceo duntaxat, ſubinde verò vtriſque commiſtis perfundere caput debemus, plus & minus à magnitudine inflammationis, ægri temperamento, & ætate conſiderantes. Proderint quoque iis roſę, & irinum oleum aceto decoctum. Item roſæ aridæ folia macerata prius paſſō, deinde cocta, atque trita, & ita impoſita, & ſertula campana ſimiliter facta, vel myrti folia recentia ex vino trita cum myrrha, & pulegium ex vino tritum, & mala cydonia vino cocta & trita, atque impoſita capiti plurimum proſunt, Marcello auctore. Si verò membrana cerebri fuerit vulnerata, egregiè ipſam conglutinat, Archigenis decreto, calaminthæ ſuccus infuſus, & farina milij arida inſperſa; deinde butyrum, & roſaceum, ac adeps ſuillus inſulſus, vetus, tepefacta, ac miſtim. infuſa

Si ad caſum ſeu ictum ſequatur vulnus, aut contuſio, curatio.

Loco citato.

Venæ ſectio.

Topica.

cap. 1

Vide Gale. 2. de compo. medic. ſecun. loc. cap. 1. & 2.

infuſa. Cæterùm in contuſionibus citra deſperationem, ac fiſſuram circa caput factis, eodem Archigene auctore, polenta impoſita commoda eſt. Amplius verò & œſypum, atque ipſæ adeò lanæ ſordibus ſudoris ſuccidæ eodem modo: magis autem propriè ſimilaginem ex aqua pro cataplaſmate imponens, aut origanum cum polenta. Hæc quamuis alterius negotij, atque operis ſint, hic tamen adſcripta, nihil incommodi afferent. In mediocribus autem capitis vulneribus, aut quibus omnino legitimo Medico non opus eſt, in quibus nuditas per ſe non adeſt, pilos rademus, fibuliſque impoſitis conſtringemus, ac glutinantibus experimento cognitis vtemur, vt Archigeni viſum eſt; quanquam nec hoc ad præſens negotium attineat.

Compoſ. ſec. loc. cap. 2

LIQVET etiam quoniã non perpetuò capite primario affectu laborante, dolor accidit, ſed interim etiam cõdoleſcit, aliqua particula priùs affecta, velut ventriculo, iocinore, aut ſtomacho, aut alia quapiam. At quia ſic vexatos ſanare licebit nihil capiti adhibentes, verùm his ipſis priùs affectis partibus auxiliantes, Gal. & Aëtio teſtibus; propterea bona fronte huius curationem prætermiſimus. Patebit nanq; cùm de harum partium affectionibus verba faciemus.

Si alterius partis primo affectæ cõſenſu dolor capitis fiat, curãdi ratio.
Gal. loc. cit.
Aet. li. 6. c. 45

EVENIT etiam capitis dolor iis, qui vehementer febricitant: in quibus diligenter conſiderandum erit, num criſis ratione, an non oriatur. Nam ſi ſanguinis fluxum, aut vomitum decretorium ſignificabit, remedia quærenda non ſunt, Galeno teſte primo de arte curatiua ad Glauconem. Quoniam ea (Tralliano auctore) quæ admouerentur, pręter quàm quòd nihil iuuarent, etiam naturam ſubinde impedirent. At quando ex magnitudine febrium humores diffuſi, ac veluti efferueſcentes ad caput aſcenderint, tunc medicamenta adhibere eſt neceſſarium, Galeni præcepto eodem libro primo de arte curat. ad Glauconem. Vt verò promptè illud diſtinguas, ac cognoſcas, tria (vt eidem Galeno viſum eſt) conſideranda erunt. Primum quidem ſpecies ipſa febrium. Secundo loco, ſi ſit ad ſalutem morbus decliuis. Tertio verò ac potiſsimum totius morbi tempus perpendas; num videlicet in principio ſit, vel incremento, vel in ſummo vigore. Febre nanque non magnopere calida exiſtente, ac circa initia, præſertim ſi capitis dolor irruat, quinetiam febre valida exiſtente, cùm iudicationem non portendat, curandus is eſt. At ſi ipſa valde vehemens fuerit, adſintq́ue ſalutis ſigna, ſuperueneritq́ue capitis dolor, cùm ipſa prope iudicationem venerit, tunc nihil tentare oportet medicamenta adhibendo: & ſi Galenus iuſſerit hæc perpendenda eſſe pro notitia morbi, num per excretionem criſim ſit habiturus: poterunt quoque ad hanc cognitionem transferri: maximè verò totius morbi tempus conſiderandum erit. In his ergo capitis doloribus, qui in principio cum febribus irruunt, vena ſecanda eſt poſt primam, aut ſecundam remiſsionem, Galeno & Aëtio teſtibus (niſi quid impediat) & præſertim in corporibus bonæ habitudinis, & multo ſanguine refertis. Animaduertendum autem num ob vapores à ventre ſublatos, aut ob alui ſuppreſsionem capitis dolor cõtingat. Quòd ſi ſerius poſt ſeptimum tandem irruat diem talis capitis dolor (qui criſim non ſignificet) præeuacuata aluo per clyſterem notabiliter, cucurbitæ occipitio, vel ceruici affigendæ ſunt, & capiti rigationes admouendæ erunt; quæ vim repellendi obtineant, frigidaſq́ue qualitates, ac vires, vt roſaceo quidem in calidioribus, ac hora æſtiua, & cum exiguo aceto, chamæmelino verò, aut anethino frigidioribus habitudinibus, ac hyeme, quinta aceti parte adiecta. Aliæ inſuper infuſiones, quæ ex papauerum capitibus conſtant, expediunt, ex Galeni ſententia, eodem primo de arte curatiua ad Glauconem: quarum materiam vbi de cura doloris capitis ex calida intemperie, ſeu bile orti, tractauimus, inquiras. Nec minus ſi diſicientibus medicamentis indigeant, ea reperies eo loco, quo de cura doloris capitis ex pituita orti verba fecimus: perſeueranti tamen vehementer dolore, hyoſcyami folia viridia,

Cura doloris capitis geniti in febribus.
1. ad Glauc. cap. 15

Venæ ſectio.
Gal. loco cit.
Aet. li. 2. c. 42

Cucurbitulæ.
Topica.

cap. 15

ridia,aut papaueris cum roſaceo,pauco aceto,ac micis panis , ſyncipiti.& fronti approximanda erunt.Reliquæ verò ad capitis dolores ob febris magnitudinem obortos,medelæ ad tractationem de febribus pertinent.Reſtat vltimo loco amuleta,quæ capiti coronę modo circumpoſita,& alligata dolorem eius arcent,conſcribere,Archigenis auctoritate:quæ quidem nullam medicam rationem habent derelinquentes:quæ verò ab eo iuxta medicam rationem tradita ſunt,referemus.Horum vnum eſt,polygoni duos ramulos coronæ modo impo nito,præſertim ſi ex ardore,ſeu ebrietate dolet capitis contingat. Aliud,cichorium ægri capiti imponito,maximè ſi ex ardore,ſeu etiam ebrietate doleat.Roſaceæ iterum coronæ eoſdem iuuant,Galeni auctoritate.Callitricho quoque coronare caput conducit,quod adiantum appellatur. Philanthropo etiam herba appellata,coronari caput Archigenes iubet. Liberat item à capitis dolore verbenaca herba,tum coronæ modo circumpoſita,tum illita ex roſaceo & aceto. Teſtudinis quoque paluſtris ſanguis ſyncipiti inſtillatus capitis dolorem iuuat, herbæque plantaginis radix in collo ſuſpenſa,capitis dolorem mirificè tollit, vt cap.de Arnogloſſa teſtatur Apuleius Madaurenſis.

Amuleta.
Vide Gale.2. de comp.med. ſec.loc.cap.2.
Galen. loco citato.

περὶ κεφαλαίας. *De cephalea.* *Caput XI.*

GRauis quidem affectus,vehementer dolorificus, diuturnus, ac difficulter ſolubilis nonnunquam euenit in capite, à Græcis *κεφαλαία*, pariter & à Latinis nuncupatus.Qui capitis dolor ex facili occaſione vehementes habet acceſsiones,Galeno auctore tertio de Locis affectis cap.9.& ſecundo de compoſit. medica. ſecundum locos cap.2.adeo vt neque ſtrepitus,neque vocem vehementiorem, neque lumen ſplendidum,neque vini potum,neque medicaměta caput replentia tolerare poſsint ægri; neque item motum:ſed in quiete,& tenebris, ob doloris vehementiam decumbere volunt.tanquam à malleo enim ſe percuti arbitrantur nonnulli:alij caput frangi,diſtendiq́ue ſentiunt:non paucis verò vſque ad oculorum radices dolor progreditur. Habet autem hæc affectio aliquando quidem continuos dolores; aliquando verò exacerbationes, & interualla, ſiue ordinata,ſiue inordinata.Intermittunt enim quandoque eiuſmodi exacerbationes,velut in comitiali morbo apprehenſis,intercedit́que tempus, quo perfectè liberati videntur:ſed vehementius fœminas tenet,vt inquit Cęlius Aurelianus, ob diligentiam capillorum. Conſtat igitur,quòd ſicuti cephalalgia, ſic etiam in hac affectione conſimilem aptitudinem capitis habent ægri ; quia videlicet facillimè ipſum afficitur , aut propter ipſius imbecillitatem , vel propter ſenſus exuperantiam:atque hoc eſt ipſis commune.Verùm differunt,quòd per cephalæam affectæ capitis partes multò redduntur, quàm in cephalalgia debiliores: & veluti cephalalgiam patientibus quibuſdam capitis inuolucra dolore afficiebantur,alius pericranium,id eſt,exterior caluariæ membrana:ita quoque in cephalæa contingit,prout quidam quibuſdam promptiùs has,vel illas capitis partes aptas habent,vt afficiantur.Diſcrimen autem num internæ videlicet capitis partes,aut externæ afficiantur, ab oculorum radicibus ſimiliter ſumitur, vt de cephalalgia diximus : conſiderando ſcilicet , vtrum veniat ad eas malum nécne.Totidem inſuper cauſæ eius eſſe poſſunt , quot de cephalalgia narrauimus,externis poſthabitis,ex quibus rarò contingit hunc affectum generari, ſimiliq́ue via,ac ratione inueſtigandæ ipſæ ſunt : diligenterq́ue animaduertendum eſt , atque attendendum ex qua cauſa originem trahat. Sic nanque affectus ipſe arte faciliùs ſolui poterit. Quapropter nec victus ratio diuerſa præcipienda erit ab ea, quam in prædictis capitis doloribus præcepimus , imò eadem pro cauſarum ſimilitudine. Similiter & curandi ratio. Nam ſi humorum, aut vaporum multitudině cauſam eſſe reperies,ſiquidem propter totius corporis repletionem facta eſt,vniuerſo corpore euacuato , capitis dolorem ſanabis.

Signa.
Lib.1.cap.1.
Cur vehementius fœminas teneat.
Quibus cũ cephalalgia conueniat, & diſferat.
Cauſæ.
Curãdi ratio.

Qua

Qua de re venam ſecare oportet, ſi vires ferant: incidendaque eſt aut media, aut vena cubiti externa: & acrioribus vti clyſteribus conuenit. Et ſi adhuc ſanguis videatur redundare etiam ex naribus aperta vena, quantum ſanguinis ſatis eſſe videatur, detrahes. Si verò velut debile exiſtens caput ad ſe ſublatos humores, ac vapores excipiat, materiam reuellere oportet in totum corpus, atque ita particulæ mederi. Fiat itaque reuulſio per clyſteres, & ligaturas extremitatum, ac plures infernarum partium confrictiones. Interdum etiam (vbi nihil prohibeat) ſanguinis ex cubito detractione vtendum erit, mox purgare corpus conuenit ex aliquo iam dictorum ſuprà medicamentorum. Poſt cuius corporis totius euacuationem, ſeu purgationem, tutò ad ea, quæ caput euacuant, accedes, apophlegmatiſmos videlicet, & medicamenta alia, quæ naribus induntur, de quibus ſuprà mentio facta eſt. Caput autem curabis repellentibus irrigationibus primò, deinde his, quæ digerendo, ſeu diſſiciendo caput euacuant; admotis demum his, quæ firmitatem ei addere poſſunt. Repellit nanque cum omphacinum, & roſaceum per ſe, & cum aceto illitum; & quæ his ſunt ſimilia: de quibus in præcedentibus abundè diximus. Diſcutit autem oleum dulciſſimum calidum, & magis inueteratum, camæmelinum, ſeu anethinum: ſi verò craſſior ſit humorum multitudo, ſpondylium, aut pulegij comam: ſiſimbrium, aut folia lauri, mentham, ſeu calaminthan in oleo concoquas, capitiq; adhibeas. Sic nanque multitudinem euacuabis. eadem hæc etiam firmitatem parti addunt, iuxta Galeni ſententiam. Quapropter vſque ad perfectam curationem eis vti cõuenit. Omnium verò longe maximè diſcutit, & perfectè corroborat verbenaca recta, præcipuè viridis, imo & arida cum radicibus, & ſimul cum ſerpillo oleo incocta, ſi ex ea caput perfuderis. Quin & ipſam per ſe verbenacam ſi oleo incoxeris, caputq; inde rigaueris, omni capitis dolori antiquo ex frigiditate, aut ex craſsis humoribus orto medeberis, eodem Galeno teſte ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. Maximè etiam proſunt ſub aquario vaſe naſcentes aſelli, millepedæ appellati, ſi oleo incoquantur. Et hæc de cura cephalææ ex plenitudine ortæ ſatis. Nam reliqua, cùm pro eiuſdem curatione, tum etiam ſi ex quauis alia cauſa excitetur, in præcedentibus locupletiſsimè reperies. Quare in his non erit amplius ſermo protelandus, ſed ad curam hemicraniæ accedere tempeſtiuum erit.

Venæ ſectio. *Purgatio.* *Topica.* *2. de compoſ. med. ſec. loc. cap. 2* *cap. 9*

περὶ ἡμικρανίας. *De hemicrania.* CAP. XII.

SED et alia quædam affectio doloroſa iuxta dimidiam capitis partem, aliquando dextram, interdum ſiniſtram cõtingit, quam hemicraniam appellant; diſtinguit autem dextram capitis partem à ſiniſtra, ſutura per longitudinem ipſius protracta: ſub qua intra capitis oſſa linea medium cerebrum diuidens protenditur: ad quam & peruenit anteriorum duorum ventriculorum ſeptum, vt patet tertio de locis affect. & aliquibus contingit, vt extra caluariam doloris ſenſus percipiatur: alij in capitis intimis partibus dolorem ſentiunt: aliqui verò temporum muſculos vehementer dolent. Cunctis autem vt plurimum per circuitus dolor exacerbatur, influxu videlicet vaporum, aut humorum, ſiue multorum, ſiue calidorum, ſiue frigidorum cauſam dolori ſuggerente. Euenit etiam interdum, vt quidam adeò vehementer doleant, vt neq; manuũ contactum facilè ferant: in quibus palam eſt, membranam caluam ambientem eſſe affectam, & neq; cutem ipſam immunem ab affectione omnino exiſtere: quemadmodum ſi in partibus, quæ intra caluam continentur, hoc eſt, cerebro, eiuſque membranis dolor ſentiatur: iſque vſque ad radices oculorum extendatur, liquidò conſtabit, partes intra caluariam affectas eſſe, vt neq; manuum contactu dolor irritetur. Ex his conſtat quæ pars in hemicrania afficiatur; ac quomodo ea dignoſcenda ſit, in quo genere affectuum contineatur, cùm dolor ſit; ac quot

cap. 9 *Nõnullæ eius differentiæ.* *Commune omnium.* *Diuerſæ capitis partes, quæ in ea affici poſſunt.*

quæve ſint eius cauſæ. Et quoniam diximus ex vaporum, ſeu humorum influxu per circuitum exacerbari, rationabile eſt, Galeni decreto ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, hunc influxum ſiue per venas, ſiue per arterias, ſeu per vtraſque contingere; & interdum cùm corpus, aut aliqua eius pars infra caput, vitiatos vapores, aut humores ſurſum mittat, interim verò cùm ea ſola, quæ intra caluam continentur, quod in ipſis redundat excrementum, foras protrudant per iam dictas venas, ſeu arterias, ſiue per vtraſque. Si quis autem cupiat dignoſcere quando ex multitudine humorum, ſeu vaporum, & quando ex calidis, ſeu frigidis hemicraneus dolor excitetur, ex ſuperioribus capitibus notas petat. Pro quarum cauſarum varietate curationem quoque ipſam variari contingit. Nam vbi ipſam hemicraniam curare aggredetis, priùs quali purgatione, aut venæ ſectione ægro opus erit, conſiderabis: atque ita deinde ad capitis auxilia progrediaris, venam ſecans, ſi multitudo cauſa fuerit, purgationibus vtens vbi ex vitioſis humoribus fiat. Atque ſi calidi fuerint, his quæ bilem expurgant, vtaris. Si frigidi, his quæ pituitam, aut ſuccum melancholicum. Quorum purgantium medicamentorũ copiam præcedentibus capitibus comperies: quare ſtudioſi ex inde petant. Ad capitis auxilia deinde deueniens tum per digitos ſuæ manus, tum per linteum dimidiam frontis partem, & eam maximè, quæ circa temporum muſculum eſt, confricando excalfaciat æger; atque id ante irritationis tempus faciendum eſt. Poſt exacerbationem verò medicamentis hemicranicis à Medicis appellatis, vtendum: ſiquidem multa caliditas in doloribus percipiatur, his quæ refrigerans quippiam habent: citra verò hanc, his quæ multum calfaciunt, vtendum. Vtriſque verò aliquid ex iis, quæ firmitatẽ, ac robur addunt, miſceatur; quod aſtringentem videlicet habeat facultatem, prout Galenus eodem ſecundo libro de compoſitione medicamentorum decretum reliquit. Et quanquam ea pharmaca, per quæ inueterato capitis dolori medemur, hemicranicis quoque affectionibus auxiliantur; teſtatur tamen Aëtius quòd quadam naturæ proprietate, ſeu potentia, euphorbium hemicranicis maximè confetat, ſi cum aceto teratur. Et ſi dextrum tempus dolet, illinito ſiniſtrum. Si verò ſiniſtrum dolet, illinito dextrum. Idem quoque aſſerit, quòd ſi inteſtina terræ terantur, & dolens tempus illinatur, mirifice proſunt. Similiter ſi cochlearum carne vtaris: aut ſi cochlearum carnis cinerem excipiens, ſtercus bubulum, & thus, æqualibus portionibus cum aceto trita, affectam partem illinas. Stœchadem quoque herbam cum aqua, aut mulſa coctam ſi exhibeas, in omni capitis dolore, velut ſolum, & maximum remedium erit, eodem met auctore. Galenus autem in fine ſecundi libri de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, his, qui ob frigidas cauſas hemicranico infeſtantur dolore commodiſsimum medicamentum eſſe aſſerit, ſi dimidiam frontis partem vnà cum temporis muſculo ex euphorbio, oleo, & cera parato vnguento illinas, euphorbij ſumens vnc. j. olei lib. j. ceræ quadrantem. Quòd ſi validius videbitur medicamentum, poterit euphorbij vnc. ſ. aſſumi, præſertim ſi euphorbium validum exiſtat, corpuſque molle, ac exactiori ſenſu præditum. Iuuat etiam hos ſi oleum tepidum in aurẽ inſtilletur, modico euphorbio ad oleum iniecto, eodem auctore, ſumito autem euphorbij ſcrup. j. olei dulcis vnc. ij. quibus commiſtis gutta vna, vel duæ in aures inſtillentur. Caueas autẽ hoc pharmacũ in his, in quibus à calidis vaporibus, aut humoribus hemicrania gignitur. Hircinum fimum tritum cum aceto ſcillitico miſce, & fronti, & temporibus illine, hoc ad dolorem hemicranij ſedãdum etiam in perpetuum prodeſt, vt inquit Marcellus. Subito verò ſi hemicranij dolor fuerit, thus, & myrrham & ouum teres, ſimul etiam fronti induces, vel temporibus, eodem auctore. Minutæ item cochleæ tritæ, & fronti illitæ, & ceruini quoque cornu cinis cum aceto roſaceo mixtus, ac fronti impoſitus hemicranij dolorem emendant, Plinio ſecundo teſte cap. 8. lib. 1. Reliquum eſt, vt quibus vti conſueui, tum in diuturnis capitis doloribus, tum in hemicranicis

cap. 3

Quæ conſideranda ſint pro eius curatiõe.

cap. 3 Topica.

Aëtius lib. 7. cap. 29

Animaduerſio.

cap. 2

famil

familiaria catapotia cõſcribam, ex quibus drac.j.vel ſcrup.iiij.decimo vel quintodecimo quoq; die omni tempore,præterquàm in æſtate æger aſſumere poterit,bile redundante.Excipe pulueris hieræ ſimplicis Galeni drac.ij.pilularũ arabicarũ drac.iij.trochiſcorum myrobalanorũ citrinarũ drac.j. & s.rhabarbari cũ ſpica ſcrup.iiij.cum ſyrupo violaceo ſimul cõponantur , ſeruetурq; compoſitio; & cùm opus fuerit,ex ea ſumantur,vt diximus drac.j. vel ſcrup.iiij. à cœna per quinq; vel ſex horas. deinde ſuperdormiat æger.Pituita verò redundante, agarica trochiſcati excipe drac.iij.pilularũ arabicarũ,& pulueris hieræ ſimplicis Galeni ana drac.j.s.florũ ſtœchadis,& trochiſcorũ myrobalanorum chebulorum, ſingulorũ drac.j.cũ ſyrupo ex ſtœchade,& oxymelite ſimul miſceantur ; & cùm opportunum videbitur,drac.j.vel ſcrup.iiij.modo quo ſupradictum eſt;aſſumat æger pro qualibet vice.At ſi ex nigra bile dolor capitis genitus fuerit,prædictarum pilularũ arabicarũ drac.ij.excipias,pulueris ſenæ,& epithymi ana drac.ij.& s. hieræ ſimplicis Galeni drac.j.& s. trochiſcorũ myrobalanorũ indarum ſcrup. iiij.cum ſyrupo è fumaria,ac aqua meliſſophylli inſimul cõponãtur: & cùm vſus vrgeat,pariter, vt prædictis,vtitor. Reliquum eſſet de aliorũ ſenſuum affectionibus pertractare ; ſed quoniam extra eam partem , quam caput ex Celſi ſententia nuncupauimus , quodammodo exiſtere videntur ; propterea non ab re duxi prius de functionis motricis voluntariæ noxis verba facere ; necnon & de his vitiis,ex quibus omnes actiones animales læduntur : & deinde ad aliorum particularium ſenſuum læſiones pertractandas conuertar.

Noſtrarum pilularum compoſitio.

Celſ.lib.4.c.2

Περὶ σπασμοῦ. *De conuulſione.* CAP. XIII.

QVONIAM motiuarum actionum prima ſymptomata ſunt, Galeni auctoritate libro de different.ſymptoma.immobilitas, & vitioſa mobilitas,vitioſæ autem mobilitatis,alia diminutus,infirmusque motus eſt: de quo cùm de immobilitate pertractabimus verba faciemus: alia verò prauus motus eſt : qui licet plures quam habeat differentias,vt liquet apud Galenum eodem loco : duximus tamen de vna earum,hoc eſt,de cõuulſiuo motu,priùs diſſerere: quem quidem Græci ſpaſmon, Latini vero conuulſionem nuncupant , nomine ipſo indicante quid ſit, ac quomodo fiat.Nanque paſsio quædam eſt inuoluntaria , Galeno teſte,commento aphoriſ. 39. ſexti libri,ad ſimilem diſpoſitionem venientibus partibus neruoſis in ea,quam etiam in motibus voluntariis aſſumunt.Nam in eum ſitum neruos,muſculoſque conuulſio ducit,vt patet ſecundo de cauſis ſymptomatum,in quem,ſi pro naturæ lege ſe haberent,ab animali virtute ducerentur; tractis videlicet,ſeu reuulſis ad propria capita muſculis.Ex quibus conſtat conuulſionem in conuulſis partibus factam hac ſola ratione à motu naturali voluntario ſcilicet earum differre,quòd præter voluntatem fit , vt Galeno tertio de locis affectis viſum eſt.Omnis nanque motus,qui à voluntate procedit , attractis muſculis in eas , quibus innaſcuntur partes , hoc eſt , eas , ad quas nerui inſeruntur, fieri videtur : neque poteſt attractio fieri,niſi ad ſuam originem retrahatur muſculus.Itaque quemadmodum in eo ; qui ſecundum naturam habet,voluntas in cerebro iuxta neruorum originem ordinata , motionis principium primis dat neruis , ac per ipſos muſculis ; ita ſi ſine huiuſmodi principio contingat muſculos retrahi , tunc conuulſio gignitur. Tendi igitur muſculos, & ad initia propria retrahi, corporiſq; , cui inhæſerint , partes ſecum trahere, eſt ſanis , & conuulſis pariter commune, iuxta Gale.ſententiam lib. de tremore,rigore,palpitatione,& conuulſione.cap.8. Verum illud inuoluntarie fieri,his quidem inest , qui naturaliter vtique non habeant : at præcedente voluntate, motus quippe naturalis erit his,qui naturaliter habent. Huius autem deprauatæ motionis tres ſtatuuntur ſpecies , ſeu differentiæ à Galeno lib. de different. ſymptom.& lib.de tremore,rigore,& palpit. ac commento aphoriſ.57. 4. libri,

cap.3

Conuulſio quid ſit.

cap. 2.

cap. 6.

Motus cõuulſiuus à voluntario, in quo diſcrepat.

Conuulſionis tres ſpecies ſeu differentiæ.

de Different. ſymp.cap.3.

Lib. de tremore.cap.8.

Pau. lib. 3. c. 10
Aet. lib. 6. c. 38
Celſus lib. 4. cap. 3

& aliis pleriſque in locis, tum etiam à Paulo, Aëtio, ac Celſo: quarum vna τέτανος, alia ἐμπροσθότονος, reliqua verò ὀπισθότονος dicitur. Nam cùm corporis particulæ vnà cum ceruice, ac capite in anteriora tenduntur, affectus hic ἐμπροσθότονος nominatur: cùm in poſteriora ὀπισθότονος. Cùm verò æqualiter in alterutram partem, & retro videlicet tenduntur, τέτανος nuncupatur. A Latinis verò quibuſdam prima diſtentio ad anteriora. Altera diſtentio ad poſteriora, & reliqua diſtentio ſimpliciter. A Celſo autem rigor neruorum, quælibet iſtarum appellatur, qui modò caput ſcapulis, modò mentum pectori annectit, modò rectam, & immobilem ceruicem intendit, vt ipſe inquit cap. 3. lib. 4.

Quòd diuerſe partes in eis primò affici poſſunt.
Ca. 6. & 10.
Quomodo diſtinguendæ ſint.

Harum autem affectionum non perpetuò eadem eſt ſedes primò affecta. Nam interdum cerebrum ipſum noxam ſuſcepit; interim ſpinalis medullæ initium; quandoque neruus aliquis, aut muſculus, qui particulari motioni deputatus eſt. Id autem promptè dignoſces: nàm ſi vna cum toto corpore faciei quoque muſculi conuellantur, cerebrum ipſum affectum eſſe indicat, Galeno teſte, tertio de locis affect. At ſi faciei partes, ſeu muſculi ſeruentur, ac illæſi permaneant, ſpinæ initium affici ſciendum eſt. Vbi verò pars aliqua conuulſa ſit, neceſſum eſt neruum, aut muſculum, qui eius motioni deputatus eſt, affici. Verùm in iam dictis tribus differentiis, cùm in toto corpore conſtiterint, & non in vna determinata parte, vnum tantum diſcrimen habendum erit; nunquid videlicet capitis, & faciei partes læſæ ſint, vel illæſæ permãſerint. Nam primo modo ſi euenerit, cerebrum ipſum affectum erit. Si ſecundo modo contingat, non cerebrum, ſed principium ſpinalis medullæ ſecundum totum, aut ſecundum partem. Pro cognitione verò particularis conuulſionis determinatæ partis cuiuſdam, cùm determinatus neruus, ſeu muſculus afficiatur, ſummopere neceſſaria erit anatomes notitia, neruorum potiſsimùm, & muſculorum. Cunctæ verò conuulſionis ſpecies, ſeu differentiæ ſymptomata ſunt in genere noxæ functionis motricis voluntariæ, eiuſque deprauatæ, à cauſa duntaxat præternaturali ortæ.

Qui præter naturã affectus ſint.
2. de cauſis ſymp. cap. 2.
Lib. de tremore, cap. 5.
Duæ ex Hip. conuulſionis cauſæ.

Qua ratione conuulſio à tremore diſcrepat: qui non modò à cauſa præternaturali, verùm à functione ipſa, licet irritata, ortum ducit, vt patet ſecundò de cauſis ſymptomatum, & libro de tremore, rigore, & palpit. Conuulſionum autem cauſas: non immeritò duas Hippocrates ſtatuit aphoriſmo 39. ſexti libri, cùm dixit, Conuulſio fit vel ex repletione, vel inanitione. Nanque ex his duntaxat cauſis neruoſæ partes conuelli poſſunt præter voluntatem: ex repletione, inquam, madefactis ipſis, ac irrigatis; ita vt in tumorem præter naturam attollantur: & propterea conuellantur dilatatis ipſis ſecundum latitudinem, earumque longitudine decurtata. Ex inanitione verò, vtpote ipſis neruoſis corporibus violentiùs exſiccatis; vt propterea cogantur in ſe ipſa duci, contrahi, atque conuelli: quemadmodum etiam in lyræ chordis euenire conſueuit: vt intentis ipſis vehementer ob ambientis aëris immodicam intemperiem nonnunquam rumpantur, ſi vel nimis aridus fuerit, vel admodum humidus. Humiditas nanque ipſas madefaciens, ſiccitas verò cõtrahens, modo quo lora quoque cùm ad ignem exſiccantur, contrahi, tendíq; videntur: & ſolterga arefaciens contrahit. His quippe ita præcognitis haud difficile inuentu

cap. 6.

fuerit, vt Galeno tertio de locis affectis, viſum eſt, vtrum ab ariditate, quæ eſt ab humidæ eſſentiæ defectu, & euacuatione, an humoris plenitudine, quæ egeſtati aduerſatur, & ab Hippocrate repletio nominata eſt, affectus ipſe prodierit.

Quibus ſignis dignoſcẽda cõuulſio ſit, num ex ariditate, vel repletione fiat.
Si ex inanitione fiat, cauſæ.

Nanque cùm conuulſio fit vel à labore, vel vigiliis, vel fame, vel ſolicitudine, vel arida, æſtuanteq́ue febri, qualem in phreniticis videre eſt, & aliis huiuſmodi, cauſam eius eſſe ariditatem, inanitionemq́ue rectè putabis. At ſi contigerit aliquem ſanum repentè conuelli, vt ait Galenus commento 26. aphoriſ. 2. huiuſmodi conuulſionem fieri ex repletione eſt neceſſarium. Ita quoque ſi temulento cuipiam, ac omnino pleno homini, qui videlicet in ocio degat, id euenire conſpexeris. Verùm vbi propter defectum, ſeu euacuationem conuulſio excitatur, vel ex aliqua prædictarum cauſarum, vel ex aliquo præcedenti largo

ſudore

ſudore, aut vomitu, alui deiectione, aut ſanguinis profluuio, aut quapiam alia cauſa ſimili, haud difficile erit ipſum dignoſcere ex relatione præſertim ægroti, ſeu aſtantium. Si verò ex plenitudine conuulſio excitetur, bifariam illud euenire poterit, iuxta Galeni ſententiam lib. de tremore, rigore, conuul. & palpit. Nanque aut ex inflammatione principij neruorum, id eſt, cerebri, aut initij ſpinalis medullæ, ſeu alterius partis neruoſæ, aut ex ſuccorum copia circa iam dictas partes, ex qua ipſæ tendi cogantur. Id verò promptè diſcernas ex indiciis inflammationis, ſi ea fuerit. Quod ſi præter eam, ex humorum duntaxat copia conuulſio excitata fuerit, nunquid ex multitudine ſimpliciter dicta, aut ex ea, quæ eſt vnius tantùm ſucci redundantis, inueſtigare oportet, quanquam neruoſæ partes ex frigidis, & glutinoſis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur, promptè repleantur, ac proinde ſæpiùs conuulſionem patiantur, teſte Galeno commento aphoriſ. 26. ſecundi libri. Illudque non alia via, quàm ſuprà docuimus, cùm de dolore capitis verba fecimus. Ibi nanque reperias ſigna tum propriæ multitudinis, tum eius, quæ non ſimpliciter plenitudo dicitur: cùm videlicet alius quiſpiam humor redundarit cum ſanguine; non ſanguis ſolus, nec omnes ex æquo aucti fuerint. Hæc igitur ſufficiant quoad cognitionem conuulſionis primariò ortæ: de qua, iuxta Galeni ſententiam loquutus fuit Hippocr. aphoriſ. 39. ſexti libri, cùm dixit, Conuulſio fit vel ex repletione, vel inanitione. Verùm præter hanc conuulſionem, alia quædam eſt conuulſio, quæ per conſenſum accidit, eodem Galeno teſte commento aphoriſmi primi quinti libri, & tertio de locis affectis, hanc iuniores Medici barbarè loquentes, ſpaſmum non proportionatum ad materiam vocant; cùm neque ex plenitudine neruoſarum partium, neque ob inanitionem earundem originem ducat, ſed vel à qualitate quadam, alteratis per continuationem partibus; & proinde ad neruorum principium aſcendente, aut à ſpiritali quadam ſubſtantia per iam dictas neruoſas partes tranſmiſſa fluida, aut veluti arida, quæ licet mole minima, facultate tamenquam maxima ſit, & ad neruorum principium delata; propter quod huiuſcemodi motu ipſum concutiatur, vt à ſe expellat quicquid fuerit id, quod à parte primo affecta ad ipſum effertur. Huius verò cauſa non modo externa eſſe poterit, ex ſcorpionum videlicet, phalangiorum, aut alterius venenoſi animalis ictu, verumetiam ex quapiam interna cauſa: ex qua ſimilis eſſentia generari poterit, non accedente cauſa extranea, velut Pelopis auctoritate, Galenus tertio de locis affectis decretum reliquit. Hæc, inquam, vbi neruoſam aliquam partem occupauerit, per continuas partes (vt diximus) vſque ad neruorum principium transferri poterit: ac conuulſiuum motum (modo quo diximus) excitare. Hanc conuulſionem haud ægre percipies ex cognitione partis primario affectæ: cuius modum in vniuerſali capite docuimus. Quòd ſi ab externa cauſa ortum ducat, eam ab ægro, aut aſtantibus diſcas. Si verò earum nulla præceſſerit, internam eſſe putabis: quemadmodum per conſenſum cum ore ventriculi, vbi fortiùs morderetur ab æruginoſo humore, qui potius exacta ærugo dici poterat, in quodam adoleſcente obſeruauit Galenus; cui cùm totum corpus conuulſum eſſet, ærugine per vomitum vacuata febris ſtatim, & conuulſio ceſſauit, prout teſtatur commento aphor. primi quinti lib. 12. metho. med. & quinto de locis affect. Atqui ſiquis velit & hanc quoque conuulſionem per conſenſum genitam, ex inanitione conuulſionem nuncupare, cùm humores mordaces vim habeant exſiccandi, vt Galenus inquit, commento aphoriſmi primi quinti libri, non reclamamus. Verùm non adeò exitialis erit, quemadmodum ea conuulſio, quæ propriè ex inanitione gignitur, ob defectum ſcilicet humidæ eſſentiæ partium neruoſarum: ſed curari vtique poſſet, quia ex ſiccitate duntaxat, & non ex ſiccitate, quæ eſt ab humidæ eſſentiæ defectu, & vacuatione ortum ducit, vt videre licet apud eundem Galenum, cum commento prædicti aphoriſmi, tum eodem 12. method. med. in fine: & hoc modo intelligendo, quælibet conuulſio tam quæ primario, quàm quæ per conſenſum oritur,

Si ex plenitudine fiat, cauſe.

Loco citato.

De conuulſione, quæ per cõſenſum fit. 3. de loc. affe. cap. 7

Diuerſe cauſe eiuſdem.

Loco citato.

12. metho. c 8 5. de loc. affe. cap. 6

erit,ac dici poterit de repletione,aut de inanitione. ab immodico item frigido
12.method. in fine. ſi conuulſio fiat,velut Hippocr.aphoriſ.17.quinti libri,& Gal.duodecimo meth.
med.viſum eſt ; ex plenitudine dicenda erit, quoniam neruoſorum corporum
ſubſtantiam cogens ac conſtringens , frigidum ad difflandum difficilia efficit,
& propterea vt repleantur,cauſa eſt,Gale.teſte commento aphoriſ.13. ſexti lib.
quamuis ſi corpus ſiccum fuerit , & ſuperfluis carens ; poſsit ex frigore conuul-
ſio ex ſiccitate fieri,nam penetrans in interiores partes corporum neruoſorum
exugit , ac exprimit eas,& hac ratione ſicciores eas reddit,ac inanit , vt Philo-
Prognoſtica. theo placuit commento eiuſdem aphoriſmi 17. quinti libri. Maximum tamen,
ac ferè inſanabile malum eſt conuulſio, ſi ex inanitione propriè fiat , vt Aëtio
Aet.li.6.c.38. & Paulo viſum eſt,curatu perdifficile, vel potius quod curati omnino non poſ-
Pau.li.3.c.19. ſit,ſi febris occaſione potiſsimum contractum ſit, cùm priùs ſic affecti pereant,
12.method. in fine. tempus excogitandi remedia negantes : quemadmodum Galenus 12. method.
med.& in fine lib.de palpit.rigore , tremore , & conuulſione ſcriptum reliquit.
Verùm , qui à conuulſione , aut diſtentione neruorum tenetur ex repletione,
Hippocr.auctore 57.aphor.4.lib.febre ſuperueniente liberatur, eadem die , aut
ſequenti,aut omnino tertia : vt patet lib.de loc.in homine.Et idem auctor aph.
Prope finem libri. 26.ſecundi libri dicebat,febrem conuulſioni ſuperuenire melius eſt , quàm fe-
bri conuulſionem.Et in epiſtola ad Demetrium dicebat. Conuulſiones omni-
bus morbis atræ bilis ſuccedentes atram bilem ſedant : faciles quoque eas eſſe
3.prorrhet. tex.17. ex vtero affecto , ſi ſine febre ſint , liquet in prænotionibus. Aphoriſmo verò
ſexto quinti libri de tetano ſic decretum reliquit. Quicunq; tetano corripiun-
tur, in quatuor diebus pereunt: Si verò hos effugerint, ſani fiunt. Reddit Gale-
nus cauſam in commento,quoniam tetanus morbus peracutus eſt,vt qui com-
poſitus ſit ex emproſthotono , & opiſthono. Et propterea citius in ipſo fit iu-
dicatio , non tolerante natura longiori tempore tenſionis laborem : quo fit , vt
in primo circuitu dierum iudicatoriorum paſsio iudicetur : quamuis neq; pue-
ris,neque ſenibus conuulſio fiat tetanica, Aëtio teſte. At aphoriſ. 1. quinti libri,
Aetius lib. 6. cap. 39. conuulſionem ex helleboro letalem eſſe dixit, & ſecundo eiuſdem lib. conuul-
ſionem ex vulnere letalem aſſeruit. Nam Gale.interprete , ex vulneribus con-
uulſiones,ratione ſequentis ipſius inflammationis fiunt , vbi partes neruoſas at-
tigerit.Et primùm quidem videntur conuelli , quæ à directo ſunt partium in-
flammatione laborantium : deinde cùm & principium attigerit , paſsio ad totũ
extenditur corpus: toto verò vniuerſim corpore ab affectu immuni, ſi labrum,
aut palpebra , aut lingua contrahatur,graue ſymptoma exiſtimandum eſt , vt
Paulus aſſerit,quod maxima inuehat pericula : licet exiguæ partes affectæ vi-
Lib.3.cap.19. Conuulſionis ex inanitione curatio. deantur.Cæterùm quantum ad curationem ſpectat , ſcire licet conuulſionem
ex inanitione,& ſiccitate ortam (ſi modo ea curari poſsit) humectationem po-
ſcere,Galeno teſte 12. meth.med.vniuerſa igitur victus ratio, quòd humida ſit,
Loco citato. oportet.Proinde aër ad humidum vergat. Somnus præcipiatur conſueto lon-
Ratio victus. gior. Quieſcat æger: ab immodicisque animi affectibus caueat : ac nutriatur
cunctis cibis humectantibus , ac ſorbitionibus pinguibus , concoctu facilibus,
ac probe nutrientibus : quique facilè per omnes corporis partes diſtribuantur.
Quare contuſæ pullorum , ſeu gallinarum,aut phaſianorum carnes , & prædi-
ctorum aqua carnis quoq; tribuatur : ſiue ex carnibus agnorum, hœdorum,aut
caſtratorum : in quibus quandoque ponantur humectantia olera : præſertim ſi
ſiccitas cum caliditate fuerit permiſta. Carnibus quoque prædictis veſci pote-
runt cum ptiſana,aut humidis oleribus decoctis. Deinceps cum cibis interim
vtantur oleo amygd.dulci,ac ſaccharo.Pro potu (ſi immodica non affuerit ca-
liditas) vino vtantur tenui,aquoſo : quòd ſi febris,ac immodicus calor affuerit,
pro potu eligatur aqua hordei , aut aqua,in qua glycyrrhizæ parum, aut cinna-
momi fuerit decoctum,vt promptiùs aqua penetret: ſeu violaceus ſyrupus per-
Medicamentorum ratio. miſceatur.Oleo inſuper dulci,aut amygdalino , ſeu hydrelæo calido eos foue-
Citato loco. re competit,Pauli auctoritate:& ſi nihil prohibeat,etiam ad lauacrum tepidum

cos

eos deducere conuenit dulcis aquæ: poſt quod aliquo iam dictorum oleorum corpus inungendum erit, tepido eo exiſtente. Frictione leniſsima, temperatóque ſolio vtendum. Inſuper poſt balneum, quibus ipſum competit, ac citra balneum, quibus non competit, ægroto lac recenter mulctum, præbendum erit, quantitate congrua, aſininum, ſiue caprillum, pauco addito ſaccharo, ſi febris non aderit, aut ſi ea admodum exigua fuerit. Conuulſiones vero quæ ſuccorum copia, aut inflammatione fiunt, liquidò curabis, illam vacuans, huic propriis ipſius auxiliis adhibitis, auctore Gale. lib. de trem. rigore. palpit. & conuulſ. ac poſt eum Aëtio teſte. Qua de re nos eius conuulſionis, quæ ex plenitudine ortum ducit primo curationem præcipiemus: deinde ad eam, quæ ex inflammatione excitatur, deueniemus: poſthabita tamen ea, quæ ex plenitudine ac ſimpliciter dicta oritur. Nanque eius patebit curatio, cum de conuulſione orta ex inflammatione verba faciemus: cum vtriuſque ſimilis quodammodo curatio ſit, præſertim quod ad vniuerſalia ſpectat. At ſi ex aliorum ſuccorum redundantia, neruoſis partibus repletis, conuulſio fiat (potiſsimum ſi à frigidis, ac glutinoſis, ex quibus nerui ipſi nutriuntur) hac ratione erit curanda quæuis iam dictarum ſpecierum fuerit; cum omnes eadem ratione curentur, Celſo auctore eodem cap. 3. lib. quarti. Proinde aër ad calidum, & ſiccum vergens eligatur. Ideoque in eo conclaui, in quo cubabit æger, eiuſdem Celſi decreto, ignis continuus eſſe debebit, maximeque tempore antelucano; quo præcipue frigus intenditur: cùm ipſum frigus apprime cauendum ſit. Quinimò lib. de loc. in homine, conuulſioni ſic mederi oportet, inquit Hippocrates, ignis ab vtraque lecti parte ſuccendatur, & mandragoræ radix in potu præbeatur minore pondere, quàm quod inſaniam facit: & ad tendines poſteriores ſacculi calidi imponantur. Somnus ſit mediocris: diurnus tamen fugiendus. Quies ægro præcipienda erit; atque partes, quæ contrahuntur, valenter continendæ ſunt, & inordinatis reſiſtendum motibus, Paulo teſte, oleoque perfricare eas oportet rutaceo, aut veteri, aut quodam ex hoc genere. Aluus ſit lenis. Gaudeat inſuper æger; & animi perturbationes aufugiat: primiſque tribus diebus tenuiſsimo vtatur victu. Nam dicebat Celſus, Sed diu vitandus cibus, quiſquis mandendus eſt, & ſorbitionibus vtendum. Proinde aut ſolius aquæ mulſæ, aut pauco ptiſanæ cremore contentus ſit, deinde ouis ſorbilibus cibetur, aut à gallinarum pullis mollibus ius aliquod aſſumendum; in quo hyſſopi, aut ſerpilli, ſaluiæ, ſampſuchi, betonicæ, aut ſatureiæ parum fuerit decoctum. Aſsiſque interdum carnibus gallinarum, pullorum, phaſianorum, perdicum, aliarumque auium montanarum veſci poterunt ægri: vuaque paſſa, ac pineis. Potus, præter id quòd exiguus eſſe debebit, aqua mulſa eligatur: cui etiam ſaluiæ parum, aut cinnamomi fuerit incoctum. A vini autem potu, præſertim circa initia, abſtineant. Nam vt inquit Celſus, eius vſus præcipuè periculoſus: ideoque in longum tempus differendus eſt. Licebit tamen eo vti, vbi affectus bene proceſſerit; in parua tamen quantitate: cum & ipſum extenuando, ac calfaciendo conferat, Gale. teſte commento aphoriſ. 5. lib. 5. Auſpicandaq; ſtatim eius curatio à venæ ſectione erit, modo nō penitus à ſanguine ſecretus, pituitoſus fuerit ſuccus redundans, cunctis aliis conſentientibus. Sanguinem autem auferre cōuenit ex media cubiti vena, non vniuerſim, ſed pluribus (ſi opus fuerit) vicibus: cum taliter affectis non tantum mittere ſanguinis oportet, quantum exigit morbus, ſed aliquid ſymptomati eſt relinquendum, Galeno auctore primo de arte cur. ad Glauc. cuius cauſa ſæpe ſudores eueniunt, & vigiliæ moleſtant, & ægroti vires debilitantur, vt ipſe inquit. Quòd ſi ſudores euenerint, linteis oleo madentibus abſtergere conuenit, vbi refrixerint, Paulo auctore. Partes inſuper, quæ conuelluntur, valenter continendæ ſunt, vt diximus, atq; prædictis oleis perfricandæ: acribuſq; clyſteribus vtendum erit. At ſi pituitoſi ſucci redundātes citra ſanguinis permiſtionem fuerint, hi primo extenuandi, calfaciendi, ac incidendi erunt, adeo vt ad expulſionem idonei ſint. Demum purgans medicamentum

Curatio conuulſionis ex repletione.

Cap. ultimo.

Aet. lib. 6. cap. 38.

Victus ratio.

Loco citato.

Loco citato.

Venæ ſectio quando competat.

cap. 14

Purgatio.

præbendum erit: præparabis autem aqua mulſa cum hyſſopi decocto, aut ſaluiæ, melle roſaceo, aut ſyrupo ex ſtœchade, cum aquis betonicæ, aut ſampſuchi. Purgabis verò catapotiis fœtidis, aut ex ſagapeno, cum agarici additione: excipiens pilularum prædictarum fœtidarum, aut ex ſagapeno drac.j. vel ſcrup. iij. agarici trochiſcati drac.j. vel ſcrup.ij. & cum aqua betonicæ, melle roſaceo, aut ſyrupo ex ſtœchade catapotia fiant. Poſt quorum aſſumptionem per aliquod ſpacium ſyrupi ex pluribus infuſionibus roſarum rubearum, aut perſicarum cum aqua betonicæ, & borraginis diluti vnc.ij.iij. vel iiij. exhibere poteris, & ſi opportunum erit, iteranda purgatio erit, præparatione tamen præcedente. At ſi videbitur aliis purgantibus medicamentis vti, ea requiras cap. de cura doloris capitis ex pituita. Huius quoque conuulſionis optimum præſidium eſt febris ſuperueniens, quæ per initia non fuerit, velut auctoritate Hippocratis, & Galeni aphoriſ. 26. 2. lib. liquet, & reſtatur Paulus cap.20. 3. lib. Communis quoque non modò diſtentionis, ſed cuiuſlibet alterius conuulſionis ex plenitudine ortæ ſine vlceratione, iuuenibus bene carnoſis, ac æſtate media curatio ab Hippocr. & Gale. aphoriſ. 25. 1. lib. præcipitur. Hæc autem eſt, multa frigidæ aquæ perfuſio: quæ caloris reuocationem faciens, cum in prædictis fortis fuerit, propterea ex accidenti affectum ſanat: quanquam Paulus hoc præſidium damnet, tanquam periculoſiſsimum. Ipſeque vitandum cenſeo, niſi cuncta, quæ diximus, conſentiant. Succurrit tum ipſis conuulſis ſucci centaurij tenuis potus, aut acanthij radicis drac.j. vel ij. cum aquæ mulſæ vnc.ij. vel iij. vel myrrhæ, ſeu caſtorei drac.j. caſtoreum nanque omnium ſecuriſsimum, expeditiſsimum, ac maximè efficax eſt, Aëtio, & Paulo teſtibus, quòd ſi robuſti ſint, panacis liquoris, aut ammoniaci tantundem cùm aqua mulſa bibant. Caput quoque purgandum errhinis, ac apophlegmatiſmis, cap. de memoria deperdita, ac de dolore capitis ex pituita iam dictis: & ſi opus fuerit, acrioribus quoque vtendum. Antidoti quoque anacardinæ theriacæ, mithridati, diamoſchu, aut diambræ drac.j. cum aqua mulſa præberi poterit. Ceruix inſuper, ac tota ſpina mungenda ex oleo de caſtoreo, nardino, coſtino; de nuce muſcata, aut de piperibus, aut hiperici, vel de vermibus terreſtribus parato, ſeparatim, aut permiſtis, prout videbitur, caſtoreumque tritum inſpergendum: & vbi perunxeris, deinde admouere veſicas bubulas, vel vtriculos oleo calido repletos, præcepto Celſi: oleoque veteri, vel adipe quàm vetuſtiſsimo ceruicem, ſcapulas, & ſpinam perfricare oportet. Frictio nanque cum omnibus in homine vertebris vtilis ſit, tum his præcipuè, quæ in collo ſunt. Propterea die, nocteque (interpoſitis tamen quibuſdam temporibus) hoc remedio vtendum erit, eodem Celſo auctore. Dum autem id intermittitur, cataplaſma locis iam dictis adhibeatur. Cuius materia ſit, vt Aëtio viſum eſt, fœnum Græcum, & ſemen lini, farina hordeacea, ac loliacea: quibus reſina terebinthina addatur, galbanum, & mel, ac oleum multum, in quo decocta fuerit ruta, conyza, artemiſia, aut libanotis: infarciaturque aliquando ammoniacum, ſit tamen molliſsimum, ac leue cataplaſma; eoque incumbente prædictas veſicas oleo calido ſemiplenas deſuper adhibeas; ne cataplaſma infrigidetur; aut calfactos ſacculos ex ſale, ſeu ex milio ſuperimponas. Neque erit inutile, præſertim ſi cerebrum affectum ſit, caput attonſum habere, idque irino oleo calido, aut iam dictorum aliquo madefacere: demum adeo ipſum velare, ne infrigidetur: ſacculumque ſuperimponere ex floribus ſtœchadis, hyſſopi, ſampſuchi, ac ſerpilli foliis, caſtoreo, ac macere confectum. Vitandæ tamen erunt aſsiduæ capitis irrigationes: caput enim inde repletur, nonnunquam etiam congruum erit in calidum oleum deſcendere, ac balneari ægrum, vel in aquam calidam, in qua fœnumgræcum decoctum ſit, ſaluiæ, ſeu rutæ folia, & adiecta olei pars tertia; non tamen diutius in eo immorari ſuam vt inquit Paulus libro ſexto, cap. vigeſimo, in oleum deſcenſus maximè vires deiicit. Conferunt quoque ex aquis, ſulphureis, & aluminoſis balneæ. Conuulſæ quoque partes pellibus luporum, aut vulpium

Quæ poſt purgationem tribuenda ſint.

Aet. li.3.c.39. Pau. li.6.c.20

Topica.

Loco citato.

vestiri

veſtiri debent. Si verò vehementius dolor increuerit, admouendæ ceruicibus cucurbitulæ ſunt, ſic vt cutis incidatur, Celſi præcepto. Inquit Marcellus cap. decimooctauo, opiſthotonicis, & tetanicis lotium caprinum cum aqua mixtũ efficaciter prodeſſe, ſi ieiunis potui detur: pariter ſi caſtorij, piperis albi, & petroſelini æquales portiones ſimul tundes, & cribrabis, atque inde cochleare vnum cum vno cochleari mellis, & aquæ calidę cyathis duobus ieiuno ad diem dabis: ſummum opiſthotonicis eſſe remedium, & multis experimentis probatum ait, nec minus & arthriticis conferre. At ſi ex plenitudine, ſeu inflammatione conuulſio excitetur, vena ſecanda erit, liberaliterque ſanguinem auferre conuenit: modò pluribus vicibus id fiat, vt diximus, & non vniuerſim, propter iam aſsignatas cauſas. Demum clyſteribus, eiſque acribus: vtendum, modò non adſit quod impediat, vnum, aut alterum. Quòd ſi inflammatio non cedat; eis vtendum erit medicamentis, quæ inflammatio ipſa exigit ſecundum diuerſa eius tempora, indicatione, quę à parte affecta ſumitur, non neglecta, horum medicamentorum methodum à Galeno decimotertio metho. ſcriptam reperies: aut eorum copiam lib. de Simplic. medicament. facultat. requiras. Quę vero per conſenſum cõuulſio efficitur, curata parte primario affecta, & ipſa quoque curabitur conuulſio: velut ſi ex rodentibus ſuccis, os ventriculi infeſtantibus cõuulſio fiat: his per vomitum euacuatis, conuulſio ſedabitur, ſi opus erit, dando illi aquam tepidam biberę: quemadmodum Gale. adoleſcentem quendam ſimili conuulſione correptum duodecimo Metho. meden. cap. vlti. ſe curaſſé teſtatur. At ſi ex phalangiorum, ſcorpionis, aut alterius venenatæ feræ ictu conuulſio excitetur: ad hanc rem in primis Gale. auctoritate tertio de Locis affectis cap. ſeptimo, conferunt vincula ſuperioribus partibus iniecta: ab his enim præſentaneum præſidium expectatur. Et ſi in aliquo digitorum ictus fuerit, is confeſtim reſcindendus erit: nam ex hoc ſaluus euadet, quemadmodum nonnulli ruſtici, quorum eodem loco Gale. meminit, ex tali reſciſsione euaſerunt, ac à periculo liberati ſunt: potiſsimum ſi ex viperis medicamentum potandum tribuatur, drac. j. videlicet exhibens cum pauco vino albo, ac tenui. At ſi partẽ abſcindendam renuerit, facta ligatura, vt diximus, paulo ſupra affectam partem, ipſi parti affectæ medicamenta, quæ vehementer attrahunt, adhibenda erunt: tum excalfactoria, tum quæ citra calfactionem id efficiant, veluti cucurbitulæ: pariter cauterium, & medicamenta quæ cauteriis ſimiliter eſcharam efficiant, iuxta Galeni ſententiam 13. Metho. meden. cap. ſexto competunt: & ſi inueniri poterit quiſpiam, qui ore ſuo virus extrahat, id quoque maximè confert: & ipſe etiam Gale. theriacam ſupra affectam partem adhibere præcipit, lib. de theriaca ad Piſonem, cap. decimoſexto: cum & ea extrinſecus impoſita venenum trahat, aliaque innumera medicamenta pro diuerſo animalis venenoſi ictu à Paulo, & Aëtio conſcripta reperies: & proinde ea ſubticere libuit. Si verò ex immodico frigore conuulſio fiat, balneis, vnctionibus, frictionibus, ac reliquis calfacientibus medicamentis haud ægrè curabitur.

Curatio conuulſionis ex inflammatione orta.

13. metho. cap. 56. & ſeq.

Conuulſionis per cõſenſum genitæ curatio.

Paulus lib. 5. Aetius lib. 13.

περὶ παραλύσεως. *De reſolutione.* *CAP. XIII.*

QVOD is affectus, qui à Græcis πάρεσις, ſeu παράλυσις dicitur, à Latinis reſolutio nuncupetur, neque vnus eſt, qui non admittat. Verum nunquid vbi motus deperditus eſt, aut partium aliquarum ſenſus perit, vel cum tum ſentiendi, tum mouendi vis amiſſa fuerit, reſolutio ea affectio appelletur, non ita liquidò conſtat. Nam Gale. cum 3. de Locis affect. cap. 10. tum 1. de cauſis ſympto. cap. 5. neruorum reſolutionẽ appellat, cum & ſenſus, & motus fuerit. Cæterùm idemmet eodem tertio lib. de Locis affect. cap. 10. dicebat, per neruorum reſolutionem interdum ſenſum duntaxat, interdum motum, nonnunquam ambo ſimul perire. Deinceps ſubdit; Itaque neruorum reſolutio potiſsimum dicitur, vbi motus deperditus eſt. Vbi vero partium aliquarum ſenſus perit, eam partem ſenſus

expert

expertem eſſe: reſolutam vero non adeo dicere conſueuimus, & ſi nonnulli hanc affectionem ſenſus reſolutionem vocitent. Ex quibus liquet, interdum Galeni motus deperditionem, interim ſenſus duntaxat, nonnunquam amborum ſimul amiſsionem, reſolutionem nuncupare: quanquam potiſsimum reſolutio apud eum dicatur, vbi motus deperditus ſit. At qui eius verba bene perpenderit, eum ſenſiſſe reperiet, exquiſitam, ſeu veram reſolutionem nuncupare, cum tum ſenſus, tum motus vim partes amiſerint: quam ſententiam ſectati

Aëtius lib. 6. cap. 28
Pau. li. 3. c. 18.
Alex. li. 1. c. 16

ſunt Aëtius, & Paulus, necnon & Alexander Trallianus. Inſuper nec negare videtur, vbi motus, aut ſenſus duntaxat pereant, poſſe non veram, nec exquiſitam, ſed tamẽ reſolutionem appellari, nec minus collationem faciens inter motus, & ſenſus deperditionem, aſſerit potiſsimum dici neruorum reſolutionem,

Neruorũ reſolutio quid ſit.

vbi motus deperditus fuerit. Erit igitur iuxta Galeni decreta, exquiſita neruorum reſolutio, cum motus, tum ſenſus amiſſio: non ſiquidem neruorum omnium totius corporis: nam huiuſmodi affectio apoplexia appellatur, vt infra dicemus: ſed vbi alteri laterum, dextro, aut ſiniſtro, aut in aliquo particulari membro id euenerit. Quanquam ſi alteri alterum accidat, reſolutio nominabitur, eius ſcilicet partis, in qua conſiſtit affectus, interdum dextræ, interdum ſiniſtræ. At ſi in aliquo membrorum idem euenerit, vt in manu, vel crure, eiuſdem membri reſolutio eſſe dicetur: quamuis & vbi pereat motus duntaxat præcipuè, aut ſenſus, reſolutio quodammodo appellari poſsit eodem modo, vt diximus: id quod etiam confirmant Cælius Aurelianus libro 2. cap. 1. cum dixit, Sed eſt, vel fiet paralyſis, nunc ſenſus, nunc motus, nunc vtriuſque. Nec prætereundum erit quòd Galenus eodem primo lib. de cauſis ſymptomatum, & 3. de locis affectis, de tertia quadam ſpecie, ſeu reſolutionis differentia pronunciauerit:

Locis citatis.

vbi ex aliqua facta ſpinali medullæ diſpoſitione valida, circa primum eius proceſſum, aut reliquis eius partibus, omnes æqualiter corporis partes ſuppoſitæ reſolutæ fuerint, ſiue ob luxatam aliquam ſpinæ vertebram. At quî fiat, vt in neruorum reſolutione interim ſenſus pereat, illæſo ſeruato motu: interim motus, illæſo ſenſu; nonnunquam vtrique pereant: quanquam Galenus primo de Locis affectis, cap. 6. & primo de Cauſis ſymptomatum cap. quinto, illud enodauerit, cum eius verba obſcura aliquantiſper videantur, tyronibus præſertim, hic explicare libuit.

Cur in neruorũ reſolutione interim motus; interdum ſenſus duntaxat, quãdoq; ambo pereãt.

Illud priùs tanquam manifeſtum, ac luce clarius in eiuſdem Galeni doctrina ſupponentes; quòd tam motrix quàm ſenſitiua facultas à cerebro tanquam à fonte, & parte principe ad motus, & ſenſus inſtrumenta per neruos delabitur: qui ex ipſo cerebro orti eandem cum ipſo ſubſtãtiam habent, niſi quatenus compactiori materia ſunt conſtituti, ne facilè à quolibet paterentur. Quò fit, vt eatenus à cerebri natura receſsiſſe videantur, quatenus ex compactiori materia conſtituti induruerunt: qua ratione aſsiduo cerebri auxilio indiguerunt. Nam ſi tales, quale eſt cerebrum prorſus remanſiſſent, nulla eius ope indiguiſſent. Natura enim ita comparatum eſt, Galeno teſte ſeptimo de Hippocrat. & Platonis decretis, cap. quinto, vt ſubſtantiarum proprietates facultatum etiam ſibi conuenientium proprietates ſecum habeant. Vnde fit, vt quantum vnuſquiſque neruus a natura cerebri receſſerit, tantum etiam ſit à virtute, facultatéque eius remotus, & ſic omnes cerebri continuitate, recentique ſemper, ac aſsidua ab eo informatione indigeant; velut, circunfuſus nobis aër continuo fulgore illuſtratur, & non in ſemel accepta mutatione perſeuerat: vtpote qui, dum continuam accipit mutationem, illuſtratur, nec ſublato illuſtrante, lux in eo permanet, ſed ſtatim fulgor cum illuſtrante euaneſcit. Non ab re igitur ſi continua, ac recenti iam dicta informatione, à quauis cauſa impedita, & facultas quoque à principe parte miſſa intercipiatur, ne ad animalis tum ſenſus, tum motus inſtrumenta pertranſeat, pro ratione diuerſorum neruorum affectorum.

Reſponſio.

Qua de re in his partibus, quæ duplici neruorum genere participant, vt in lingua, & oculis, nihil habet ambiguitatis, quòd moueantur quidem, ſed non ſentiant, aut illæſa ſentiendi facultate, rurſus non moueantur:

ueantur:& vtriſque ſimul affectis generibus neruorum nec moueantur, nec ſentiant. Verùm in quibus membris duri duntaxat nerui inueniuntur, ſi ablata cute ſubiectus muſculus, qui nudus eſt, immobilis videatur, ſentiat verò tangentes, exiguam ei noxam accidiſſe putandum eſt. At ſi vehemens fuerit vitium, ſenſum, & motum ſimul lædi contingit. Senſum verò oblædi, ſeruato quidem motu in tali muſculo, fieri nequaquam poteſt: tantam ſiquidem muſculus ipſe animalis facultatis partem ſuſcepit, quanta ad ſenſus excitationem ſufficiat, ad eius verò motum non ſufficiat: quippe tactionis ſenſus pati aliquid potius, quàm agere deprehenditur: proinde ab exigua facultate functio eius perfici poteſt, vt quæ non ita validis egeat viribus ſentiendi facultas:& propterea nihil minus, imò etiam magis pati poſſunt partes, cùm debiles fuerint. Efficit enim imbecillitas, vt facilius affectio à ſenſu dignoſcatur, Galeno teſte quarto de Locis affectis cap. quarto, muſculorum vero motus in agendo, non in patiendo actionis efficaciam habet: quapropter plurima indiget animali facultate. Nunquam igitur accidere deprehendes, vt moueatur quidem nudus muſculus, ſed non ſentiat: cùm per eundem neruum & mouendi, & ſentiendi facultatem ſuſcipiat, ſed aut ſentit, & non mouetur exigua exiſtente eius noxa, aut neque mouetur, neque ſentit: cùm vehemens fuerit eiuſdem nerui vitium. At ſi ad membrum aliquod, pro motu, nerui ad muſculos inſerantur; pro ſenſu verò perficiendo, ad cutem perueniant (non enim qui per muſculos diſperſi ſunt nerui reliquias quaſdam ad cutem impartiunt, vt quibuſdam falsò viſum eſt) fieri inquam poterit, vt interim ſenſus, interdum motus, nonnunquam ambo ſimul pereant. Nam fieri poterit, vt adiacens illi cutis ſenſum amittat, eo affecto neruo, qui ad cutem inſeritur, ac per eam diſperſus eſt: qui verò per muſculos ſpargitur, noxa vacet:& proinde muſculus ipſe moueatur. At ſi is, qui per muſculum ſpargitur neruus offendatur, qui verò per cutem diſſeminatur, noxa vacet, non mouebitur quidem membrum ipſum, quamuis ſenſum non amiſerit, id verò ob hanc cauſam euenire ſolet, quòd neruus alterius læſus ſit, alterius verò manſit illæſus: & ſi ab vno principio originem duxerint, fuerint tamen in via diuiſi. Quòd ſi vtrique ſimul nerui afficiãtur, & qui ad muſculum deueniunt, & qui ad cutem perueniunt, ſimul & ſenſus, & motus pereunt: cùm videlicet commune principium affectum fuerit. Scies autem hoc, vbi exquiſitè cognoueris communia ipſorum principia, exquiſitè conſiderando, num cerebrum ipſum, vel ſpina ſit affecta in eius principio, aut aliqua alia vertebrarum. Hæc autem in neruorum diſſectione percipiuntur, quare ſolus ille, qui in his fuerit exercitatus, exquiſitè ea conſiderare poterit, Galeno teſte primo de Locis affectis cap. ſexto. Nam cùm non perpetuò vnus præfinitus afficiatur locus in ipſa reſolutione, ſed diuerſi affici poſſint, ſi cerebrum ipſum affectum ſit, non tamen ſecundum totum (quia apoplexia generaretur) ſed ſecundum partem dextram, vel ſiniſtram dignoſces: quoniam ſimul cum dextra, vel ſiniſtra parte corporis, faciei quoque partes reſoluuntur, dextræ, vel ſiniſtræ. At ſi dempta facie, vna prædictarum corporis partium ſenſu, motuque priuabitur, circa primum ſpinæ proceſſum affectum conſiſtere conijcies. Verùm media pars eius affecta erit, ea videlicet, quæ ſuperſtat è regione reſoluti lateris. Quòd ſi omnia inferiora membra, facie excepta, reſoluantur, eodem in loco, hoc eſt, in eius initio ipſa ſpina offenſa eſt, tanquam omnium neruorum communis origo, qui ſub facie exiſtunt: verùm non ſecundum partem, ſed ingenti affectione laborans, tota affecta erit. At ſi accidat quandam duntaxat determinatam partem reſolutam eſſe, ea inueſtiganda pars erit, à qua neruos ſuſcepit: id quod in anatomice exercitatus haud obſcurè inuenies: quemadmodum ſi & ipſamet ſpinalis medulla non ſecundum eiuſdem initium, ſed iuxta alias inferiores eius partes, ac vertebras lædatur, & ſuppoſitæ partes oblæſæ erunt: ſi ingens fuerit affectio, omnes: ſi exigua, & ſecundum partem oblæſæ ſit; partes quæ è directo ſuppoſitæ ſunt, afficientur. Quapropter ex anatome doctus locum

Si cerebrum affectum ſit.

Si initium ſpinalis medullæ.

Si aliqua alia pars.

primò affectum inuenire poteris, notitia præhabita, à qua ſpinalis medullæ parte, partes reſolutæ neruos ſuſcipiant: at quemadmodum dignoſcendum id ſit, ſcriptum reliquit Galenus tum primo de Cauſis ſymptomatum, cap. 5. tum tertio de locis affectis, cap. 10. Cùm igitur propter priuationem animalis facultatis quælibet reſolutio generetur, quæ à cerebro tãquam à primo principio mediis neruis, ac per ſpinalem medullam, tanquam per ſemitas, ad ſenſus, & motus inſtrumenta delegatur, non immeritò cerebrum ipſum, aut ſpinalem medullam, ſeu particulares neruos quoſdam à cerebro, vel ſpinali medulla ortos, aut denique ipſamet inſtrumenta in qualibet reſolutione affici neceſſe eſt. At quo pacto illud diſtinguendum ſit, num videlicet vna, vel altera pars primò afficiatur, iuxta Galeni doctrinam, paulò antè oſtendimus. Eſt verò reſolutio ſymptoma in genere noxæ functionum animalium motricum, & ſenſibilium: læditur nanque vtraque facultas in ea, non tamen diminutè, veluti in ſtupore: qui nihil aliud eſt, quàm difficultas quædam ſentiẽdi, & mouendi, vt patet primo de Cauſis ſymptomatum, cap. 5. vel imperfecta quædam neruorum reſolutio, vt ſecundo de Cauſis ſymptomatum, cap. 2. liquet: quanquam enim ſub eodem genere contineantur tum ſtupor, tum reſolutio, differunt tamen magnitudine, eodem Galeno teſte præcitato loco. Quapropter neruoſæ partes in reſolutione non difficulter ſentiunt, & mouentur, veluti in ſtupore; ſed neque mouentur, neque ſentiunt: & propterea vtraque facultas in ea ablata eſt, facultate enim animali omnino partes priuatæ ſunt, cùm reſoluuntur. Cuius affectionis indicia ſcribere non opus erit: cùm quiuis non medicus modò, ſed ferè vulgaris promptè ipſam dignoſcere valebit, cùm viderit partem quampiam ſenſu, & motu priuatam eſſe. Sectatur autem non vnum tantùm morborum genus, ſed indifferenter penè ex quolibet oriri poteſt. Interdum nanque ex immodicè frigida intemperie, cùm frigidorum, viſcidorum, ac craſſorum ſuccorum abundantia, aut abſque ea, in altera cerebri parte, ſpina, ſeu particulari neruo excitari poteſt. Dignoſces inquam id promptè ex his, quæ narrauimus, ſignis, cap. de dolore capitis orto ex prædictis cauſis: nec minus inflammatione, ſeu ſcirrho in prædictarum partium aliqua ortis, delationem facultatis impedientibus, imò non modo ſi in eis, verùm in vicinis partibus orti fuerint, neruos comprimentes, reſolutionem excitare poterunt: quod ex propriis inflammationis, aut ſcirrhi ſignis comprehendes, qua ratione etiam & nerui ipſi comprimuntur, ac reſolutio excitatur ab aliquo corpore duro extrinſecus adueniente, aut vbi vel laqueo, vel manibus conſtringuntur: fiunt quoque & ipſi arctiores ex luxatis, fractisue ſpinæ vertebris, aut aliis oſsibus. Similiter ad vulnus, ſeu vlcus, cum cerebri, ſeu ſpinalis medullæ, tum alterius particularis nerui ſequitur neruorum reſolutio: quorum morborum, ſeu cauſarum notitia ex propriis eorum indiciis promptè haberi poterit: vel ſi externa fuerit cauſa, ex ægri, aſtantiumq; relatione. Reſolutio, quæ non per omnia membra, ſed in partibus fit, vt Celſus aſſerit, cap. 27. lib. tertij, nunquam acutus, ſæpe longus, ferè ſanabilis morbus eſt. Quòd verò in ſenibus, atque hyemis tempore frequenter hæc paſsio, difficilè autem in calidis ætatibus, apud Cælium Aurelianum liquet eodem libro ſecundo, cap. primo. Verùm quæ à nerui diuiſione oritur reſolutio (Paulo teſte) inſanabilis eſt: nec minus ſi ex ſpinalis medullæ tranſuerſis inciſionibus, ſeu luxatione valida. Amplius ſi reſolutum membrum minuatur, aut eius color immutetur, non abſque ratione difficulter curabitur, aut fortè non curabitur: non enim facultate animali duntaxat priuatum eſſe indicatur, verum & naturali, ac quodammodo vitali. Nunquid autem ea, quæ dextri lateris eſt reſolutio deterior ſit ea, quæ ſiniſtri, aut è contra, reliquis iunioribus cenſendum relinquo, nam quæ circa id dici poſſent, magis fortè puerilia viderentur, quàm huius rei exactiorem doctrinam afferrent. Curabis autem eam, quæ à frigidis, craſsis, ac viſcidis ſuccis reſolutionem ortam habet, ſi ſimilis præcipiatur victus ratio, velut præcedenti capite de conuulſione ſtatuimus, vt vniuerſa videlicet ſit attenuatoria,

Quæ partes afficiantur in quauis reſolutione.

Quis præter naturam affectus ſit reſolutio neruorũ.

Stupor quid ſit.

Reſolutionis ſigna.

Quem morbũ ſectetur reſolutio neruorum.

Curatio.

Victus ratio.

toria,ac ſiccior,Paulo & Aëtio teſtibus : modicisque cibis eiſdemque ſiccis , ac potionibus vtantur ægri:ſitim propterea quoad poſsint, maximè ſuſtineant:& vt ſummatim dicam,in vniuerſum ſimili victus ratione vtantur. Et cùm redundantem humorem euacuare oporteat,pro eius curationē (Aëtio teſte) nullum aptius in his reperire datur principium, quàm à venæ ſectione : ſiquidem permiſerit ætas,habitus, tempus,ſtudium,prægreſſus victus,& reliqua, quæ prohibere ſolent venæ ſectionem:quæ fiat à partibus ſanioribus, & ne perfrigerentur ægri,oportet moderatam facere detractionem : per quam ſolum paululum imminuatur materia,quemadmodum Aëtius conſulit.

Venæ ſectio.

Interpoſitis autem diebus quibuſdam à venæ ſectione, aluus clyſteribus ſubducatur , parato eorum decocto ex maluarum , althææ , mercurialis, chamæmeli,betonicæ,hyſſopi, & ſampſuchi, ſingulorum manipul.s.florum ſtœchadis , & foliorum rutæ , vtriuſque drach.tres decoquantur in aqua , quoad tertia pars abſumatur. Deinde accipiatur prædicti decocti lib.j.& s..ſalis communis parum,olei communis, anethini, vel chamæmelini vnciæ tres, mellis roſacei vnc. ij. hieræ picræ ſimplicis drach.vij.aut compoſitæ drach.iij.ſeu benedictæ laxatiuæ drach. iiij. aut confectionis de dactylis, ſeu antidoti indi tantundem. Interimque ſi videbitur, trochiſcati agarici ſcrup.iiij.aut drachmas duas commiſcere poteris, & fiat clyſter.

Clyſteres.

Poſt quæ non diuerſa ratione ab ea , quam in cura conuulſionis docuimus , ſyrupi,aut alia decocta, propinandi ſunt pro pituitoſorum redundantium humorum extenuatione,ac inciſione,vt expulſioni reddantur idonei.

Præparatio.

Quibus ſic paratis,purgatio exhibeatur aliqua ex his quæ iam dicto capite cōſcripſimus,paulatim à lenioribus ad vehementiora progrediendo. Nanque non ſemel tantùm,ſed ſæpius purgandi ſunt ægri , interpoſitis tamen ſemper diebus quibuſdam:etenim vbi pars reſoluta eſt (Celſo auctore) prouidet malo corporis , vel ſanguis miſſus,vel aluus ducta. Vtiliſsima autem eſt poſt purgationes theriaca, & mithridatum , vt Aëtius teſtatur, qua de re drachma vna alterius tribuatur.

Purgatio.

Quòd ſi cerebrum primariò affectum ſit , magnopere conducit poſt hæc apophlegmatiſmis , ſternutatoriis , ac naſalibus medicamentis caputpurgiis dictis vti:vtpote quæ à capite pituitam ducant. Quòd ſi ipſum affectum non ſit, neque eis vtendum erit, ſed talibus medicamentis , quæ cerebrum ipſum roborent.Nanque vniuerſa curatio in his à capite initium ſumit : hoc enim radix eſt,& principiū totius affectionis, Aëtio auctore, inter quæ hoc vtare, Recipe diambræ,antidoti pliris archoticon,& diamoſchu dulcis,ſingulorum ſcrup.j.pulueris hirundinis præparati drach.s.ſeminum coriandrorum præparatorū drac. j.ſacchari roſacei drach.iij.cum ſaccharo diſſoluto in aqua roſacea,fiant tabellæ,ex quibus æger ſæpius parum in ore teneat.

Quæ poſt purgationē peragenda ſint.

Auxiliatur inſuper huic affectioni (vt Paulo,& Aëtio viſum eſt) aſſumptio caſtorii,aut opopanacis,aut ſagapeni pondere circiter drach.j.cum aqua mulſa. Inſuper & antidotum ex triplici pipere,Paulo auctore.Sed & ſarmentorum vitis viridium decoctum à ieiunis aſſiduè potū prodeſt valde partibus corporis reſolutis,vt teſtatur Aëtius. Quòd ſi caput primò affectum fuerit,aut ſpinalis medullæ initium,à iam dictis euacuationibus non erit incōmodum circa occipitis cauitatem, quo loco ſpinalis medulla initium habet,vnctiones approximare ex oleo nardino, coſtino, de nuce muſchata, vulpino,de hyperico,caſtorio,aut è terrenis vermibus parato,& demum laurino,ſeu de piperibus, aut de euphorbio. At ſi mauis vnctiones componere,eiſque vti,excipe ex vulpino , nardino,& de nuce muſchata oleo , omnium vnc.iij.addaſque ſucci hyperici,& ſaluiæ, ſingulorum drach.ij.caſtorij,ſagapeni,vtriuſque drach.j.& s.florum ſtœchadis drach.s.& cum pauca cera, exiguoque vino albo odorifero fiat vnguētum,vel ſacculus pariter paretur.

Vnguenta.

Rec. hyſſopi,ſampſuchi,hyperici,ſaluiæ,rutæ,& foliorum lauri,ſingulorum drach.ij. ſpicæ,maſtiches,caſtorij,florum ſtœchadis ſingulorū ſcrup.ij. caryophyllorum, maceris,nucis muſchatæ ana ſcrup.s.roſarum rubearum ſiccarū manip.s.omnia contundantur , & ex eis ſacculi parentur. Non incommodè inſuper fotus fieri

Sacculi.

Potus. poſſunt ex ſaluia, roſmarino, hyperico, herba paralyſi hodie vocata, hyſſopo: ſampſucho, betonica, pulegio, & calamintha, omnibus in vino albo decoctis, additiſque caſtorij drach.ij. florum ſtœchadis, ac ſpicæ ana drach.j.& s. quibus ſæpius reiteratis cum ſpongiis, ſeu linteo, aliquod ex prædictis vnguentis, ſeù ſacculis ſuperimponi debet. Quòd ſi neque, his morbus cedat, *Sinapiſmi. Cauteria.* ſinapiſmis, aut per ignem cauteriis, ſiue per aliud medicamentum candens partem inurere non dubitabis, Aëtij ſententiam ſectatus. At ſi nec cerebrum; neque ſpinæ initium affectum fuerit, ſed ex reliquis eiuſdem medullæ ſpinalis partibus oriatur affectio, eis ritè inueſtigatis, atque inuentis ſuper eaſdem iam dicta medicamenta approximare poteris. Simili ratione, & ſi aliquis particularis neruus fuerit affectus, eius origine primo inuenta, prædicta, aut ſimilia medicamenta adhibebis: *Pauſaniæ Syri hiſtoria.* quemadmodum Pauſaniam Syrum ſophiſtam, qui ſecundum duos minores ſiniſtræ manus digitos, atque medij partem dimidiam, in primis ſenſum difficilem habebat, poſtea eum omnino amiſit, malè curantibus medicis, ſanauit Galenus, circa dorſi initium ea medicamenta, quæ illi digitis adaptauerant, adhibere iubens, à qua parte neruų, per quos ad manus digitos, præſertim iam dictos ſenſibilis tranſmittitur facultas, procedunt, velut tum primo de Locis affectis, cap.6. tum 4. eiuſdem, cap.4. ſcriptum reliquit: nũquam tamen cerebrum deſpiciendum erit, & ſi primariò non afficiatur. *Quæ adhibẽda ſint reſoluto membro.* Prodeſt etiam reſoluti membri, ſeu torpentis ſummam cutem exaſperaſſe, Celſo auctore, vel vrticis cæſam, vel impoſito ſinapi, ſic vt vbi rubere cœperit corpus, hæc remoueantur, ſcylla quoque contrita, bulbiq́ue cõtriti cum thure rectè imponuntur. Conducit quoque & cucurbitulas aliquando ſine ferro admouere: quinetiam fouere aqua calida marina, vel ſi ea non eſt, tamen ſalſa magnopere neceſſarium eſt. At ſi adſint balneæ calidæ naturales, iis potiſsimum vtendum eſt: in eiſque præcipuè reſoluta membra agitanda ſunt: in quarum defectu arte balneum parandum erit ex prædictarum herbarum decocto, ac reliquis calfacientibus, eóque in reſolutis partibus vtendum. Nam ſi quid aliud, conducent reſolutis membris, vt ad ea ſanguis, atque calor, & ſpiritus trahantur: quò fit, vt & melius alimentum trahant, ac concoquant, & recrementa repellant, & digerant. Poſt verò cucurbitulas, ſeu balneas, alienum non erit aliquo prædictorum vnguentorum affectum membrum linire, ac linteis ſeu vulpina pelle operire: aut aliud componere licebit in hunc modum, Recipe olei nardini, & coſtini vnciam vnam, olei de piperibus, & de euphorbio ana drachmas tres, ſucci herbę, quam paralyſim vocant, ſaluiæ, & hyperici, ſingulorum drachmas quatuor, florum ſtœchadis; calaminthæ, hyſſopi, ſingulorum drachmam vnam, caſtorij, baccarum lauri ana drach.s. ſeminis ſinapis ſcrup.ij. cum cera, & reſina terebinthina quod ſatis ſit, fiat vnguentum, ſeu ceratum. *Si ex frigore reſolutio fiat, curatio.* Si verò ex ingenti frigore citra humorum redundantiam reſolutio fiat, inuenta parte primariò affecta prædictis medicamentis ſupra eam adhibitis, curabitur, cerebro, ac ipſamet parte reſoluta, omnino non neglectis, verum eis quoque auxilia (vt præcepimus) porrigas: poſthabitis tamen venæ ſectione, purgatione, ac reliquis cõnumeratis medicamentis, quæ vim vacuandi habeant: ſed alterantibus tantùm, ac partes roborantibus vtendum. At ſi ex inflammatione, vel ſcirrho in prædictarum aliqua partium ortis reſolutio fiat, *Curatio, ſi ex aliis cauſis fiat.* eiuſdem inflammationis, ſeu ſcirrhi curatione ſanabitur. Ab aliquo autem corpore duro extrinſecus adueniente, laqueo, vel manibus neruos conſtringentibus, ſi reſolutio excitetur, per eorundem ablationem promptè curabitur. Sic ſi ex fractis, aut luxatis ſpinæ vertebris, ſeu aliis oſſibus, ſi curari valeat orta reſolutio, ex luxationis ſeu fracturæ curatione ſanabitur. Similiter ſi ad vulnus, ſeu vlcus tum capitis, tùm ſpinalis medullæ, aut aliorum particularium neruorum, ipſis curatis, dummodò curari valeant, & ipſa reſolutio perſanabitur: propterea ex iam dictis cauſis reſolutionem ortam curare prætermiſimus.

Περὶ σπασμοῦ κυνικοῦ. *De conuulſione canina.* Cap. XV.

SERMONIS affinitate ducti de ea affectione tractare propoſuimus, quam Græci σπασμὸν κυνικὸν, Latini caninam conuulſionem, medicorum vulgus oris torturam appellat, quæ nihil aliud eſt, quàm mandibularium muſculorum reſolutio, Aëtio teſte, ex qua in obliquum diſtorquetur os, naſus, & oculus, & in ſumma, dimidia faciei pars.

Lib.6. c.30.
Canina conuulſio quid ſit.

In hac affectione interim cerebrum, non tamen ſecundum totum, verùm ſecundum dimidiam eius partem afficitur, interdum nerui, qui à cerebro ad faciem deferuntur; nonnunquam verò partes ipſæ, quæ læſas actiones habent, proprio affectu laborant, Galeno auctore quarto de locis affectis, quarum partium primò affectarum diſcrimen per copulata ſymptomata facilè deprehenditur.

cap.2.
Si cerebrũ affectum ſit, ſignum.

Nanque ſi cerebrum affectum ſit, primò non modò omnes faciei partes affici conſueuerunt, vt oculus quoque lædatur; verùm etiã ſimul cum ea tota corporis medietas è directo ſuppoſita reſoluta erit, vt in præcedenti capite declarauimus. Si verò faciei tantum partes reſoluantur in alterutra duntaxat parte, omnes partes quibus à tertia coniugatione nerui adueniunt, vt temporarij, maſſeteresque muſculi, labra, & pinnæ narium reſoluuntur, ac ipſius linguæ, atque partium oris ſenſus duntaxat amittitur: quapropter neruum ipſum primariò affectum eſſe putandum eſt, qui à tertia neruorum coniugatione procedit.

Si faciei partes duntaxat, ſignum.

At ſi fortè fortuna vna quæpiam faciei particula, aut ſentiendi, aut mouendi, aut vtraque facultate lædatur; ea ſola cauſam diſpoſitionis continet, atque affecta eſt: velut ſi latus muſculus affectus ſit, & labrum ipſum, narium pinnæ, ac ferè tota mandibula, & gena vtraque reſoluta videbitur. Similiter accidit ſi ſupercilium vnum duntaxat fuerit reſolutum, aut palpebra: nanque affectus in ipſis tantum particulis continetur.

Si una quæpiam pars, ſignum.

Euenit autem cùm latus muſculus fuerit reſolutus, qui dextram labri partem mouet, vt ipſa ad ſiniſtrum deflectatur, velut ſi is, qui ſiniſtram mouet, reſoluitur, ipſa trahatur ad dextram, vt ſemper in aduerſam partem deflecti contingat reſolutam partem: trahitur nanque eà à muſculis actionem facientibus, Galeno teſte libro de cauſ. morb.

cap.7

Nec ſecus videbitur vbi quilibet alius faciei muſculus, vel neruus quodammodo fuerit affectus. Nam ſemper ipſa pars in diuerſum trahitur muſculum, vbi reſoluta fuerit, eodem Gale. auctore quarto de locis affectis, impedita nanq; facultate animali, quæ per neruos ad faciei partes delegatur à cerebro, non ab re partes ipſæ eadem animali facultate priuatæ relaxantur.

cap.5
Cur reſoluta pars ſemper in aduerſum trahatur muſculum.

Oppoſitæ verò, vtpote ſanæ exiſtentes, participesque eiuſdem animalis facultatis, proprium munus perficiunt, præſertim muſculi, qui cùm operantur, ad ſuum principium ſeipſos contrahunt; & propterea oppoſitum ad ſe trahunt. Qua de re non mirum ſi in hac affectione per accidens videatur figura vitiari, ac morbus in figura oriri: quoniam pars faciei à naturali figura deflectit: non tamen propter hoc canina conuulſio morbus in figura dici poterit: quanquam ad ipſam is ſequatur morbus, vt diximus, verùm ſymptoma eſt in genere noxæ functionis animalis ſenſibilis, & motricis voluntariæ, ſi ſenſus, & motus deperditus fuerit, aut alterius ſenſibilis, ſeu motricis, ſi ſenſus, aut motus deperdatur: modus autem læſionis erit earum ablatio.

Quis affectus præter naturam ſit conuulſio canina.

Neque laborandum erit per multa ſigna pro eiuſdem affectionis notione, cùm promptè à ſenſibus dignoſcatur, viſu videlicet, & tactu, cuius cauſæ non abſimiles videntur eſſe, quàm eæ, quas præcedenti capite de reſolutione narrauimus, & propterea hìc conſcribere ſuperuacaneum eſſet: quamuis ex conuulſione quoque alterius partis faciei muſculorum poſsit & facies ipſa lædi, ac peruerti: adeò vt ſimiliter figura vitietur, veluti ex neruorum reſolutione, vt patet lib. de cauſ. morborum: quæ quoniam curata conuulſione ſanabitur, propterea de ea non erit noſter ſermo.

Signa.
Cauſæ.

Indicant autem ſpaſmi cynici euentum dolor circa faciei oſſa, & ſtupor in cute eiuſdem; ac palpitatio multa in ea proueniens. Non deſpicienda erit eius curatio: nam ſi protelетur, fortaſſe ipſa ſpe-

Prognoſtica.

randa non eſt: ſed timẽdum erit ne in reſolutionem, aut morbum comitialem, *Curatio.* vel apoplexiam mutetur. Propterea ſimili victus ratione ſeruata, quam cap. de conuulſione, & reſolutione inſtituimus, confeſtim pro ratione cauſæ ipſam facientis, ea reſcindenda erit, vtendumque & venæ ſectione, ſi opus fuerit, aut forti aliqua purgatione: & demum errhinis, ac apophlegmatiſmis valentioribus, & præter iam dictos, hoc vtare, R. radicis pyrethri, zinziberis, caſtorij ſingulorum ſcrup. ij. piperis, ſtaphidis agriæ ana ſcrup. j. maſtiches drac. ij. ſeminis ſinapis drac. s. hyſſopi, origani ana ſcrup. iij. vuæ paſſæ drac. iij. excipiantur omnia trita, & adhibita cera, ac pauco roſaceo melle; fiant paſtilli maſtiles. Proderit etiã eiſdem ligatura, quæ in oppoſitum æqualiter veluti capiſtrum quoddam partem reſolutam deducat; Paulo teſte. Quibuſdam etiam & ſanguinis detractio ex vaſis linguæ ſubiectis confert, eodem auctore. Item cucurbitulæ in occipitio iuxta primam vertebram defixę iuuãt, vt ipſemet teſtatur. Reliquis inſuper medicamentis tum cerebrum roborantibus, cum topicis ſupra affectam primariò partem adhibendis eis vtaris, quæ præcedenti cap. conſcripſimus. Verùm quia non ea maxilla, quæ peruerſa eſſe apparet, ſed oppoſita, reſolutione infeſtatur, *Lib. 3. cap. 14* vt ex ipſa rei notitia liquet, & Paulo viſum eſt, iccirco reſolutæ parti (vbi oporteat) auxilia adhibenda ſunt: & non oppoſitæ, quemadmodum Aëtius præcipit. Et quoniam omnia hac affectione laborantibus commodant, quæ in reſolutione fuerunt relata; ea de re huic ſermoni finem imponamus; qua ratione & ab aliarum partium reſolutionis tractatione excuſatum eſſe velim.

Περὶ ἐφιάλτου. *De incubo.* CAP. XVI.

VBI quiſpiam, cum ſomnum ingreditur, ſe grandi, quadam mole opprimi, inuadique ab alio, & premi imaginatur, ἐφιάλτης affectus is ab omnibus ferè Græcis nũcupatur, ἀπὸ τοῦ ἐφάλλεσθαι, quod inuadere & premere ſignificat: nam hoc malo correpti ab aliquo ſe inuadi, & premi putant, vel quoniam homo quidam Ephialtes nominatus hunc affectum perpeſſus eſt, Paulo teſte cap. 15. tertij lib. At Themiſon (vt ipſe refert 10. ſuarum epiſtolarũ volumine) πνιγαλίωνα à ſuffocando nominauit. Tota autem medicorum turba Latine incubum, ſeu *Aet. li. 6. c. 12* incubonem appellat, qui Aëtio teſte, auctoritate Poſsidonij, non eſt dæmon, ſed magis præludium, & procemium morbi comitialis, aut inſaniæ, vel apoplexię. Hunc incubonem aliqui (vt refert Cælius Aurelianus cap. 3. lib. j.) ab hominis forma, vel ſimilitudine nomen ducere dixerunt, aliqui à phantaſia, qua patientes afficiuntur: ſiquidem veluti aſcendere, atque inſidere ſuo pectori *Quæ pars afficiatur.* ſentiant quicquam. Quòd verò in hac affectione cerebrum lædatur; tum Pauli, tum Aëtij auctoritate liquet. Conſtat inſuper ex operationum læſione: læduntur nanque in ea cùm principes, tum motrices, ac ſenſibiles functiones. Nam difficilis eo detentos comitatur motus, torpidus in ſomno ſenſus, & ſuffocationis imaginatio, vt Paulus teſtatur: illudque non ab re, vt fatetur Aëtius, nam eiſdẽ prohibentur facultates per neruos tranſire, oppletis ven- *Morbus quẽ ſequitur.* triculis cerebri vaporibus craſsis, ac frigidis: qui affectum ægrè excitabilem efficiunt, ac vix ad rectam actionem ægri producuntur. Ex quibus Aëtij verbis liquet, non modò cerebrum in hoc vitio lædi, verùm ipſum vt partem inſtrumẽtalem, & non ſimilarem oblæſum eſſe: afficitur nanque ſecundum eius ventres, vt ipſe teſtatur: hoc malum non morbus, ſed ſymptoma eſt in genere noxæ fun- *Quis affectus præter naturam ſit.* ctionum animalium, omnium inquã: nam imaginatio in eo deprauata eſt, motus difficilis, & ſenſus torpidus, & propterea functiones hæ, aut debiliter fiunt, vt Paulo viſum eſt, aut nõ fiunt præſertim motrices, vt Aëtio placuit, dũ dixit, Vnde etiam immobiles penitus tales permanẽt: quamuis demum permultam anxietatem diſcuſſo obſtruente ſpiritu, ac attenuato, & apertis meatibus, derepentè excitentur. Præcedit hanc affectionem, eodem teſte, ſuffocatio, vocis

priuatio

priuatio,grauitas,& immobilitas, at comitatur eos, vt placuit Paulo, difficilis motus,torpidus in ſomno ſenſus, ſuffocationis imaginatio, & veluti ingruentis cuiuſdam mali occupatio. Vox ſupprimitur, aut incerta, nihilque ſignificans editur,eademque perpetiuntur incubo preſsi dum dormiunt, quæ morbo comitiali correpti patiuntur in exacerbationibus, Aëtio teſte, & Paulo, & ferè non niſi in ſomni initio fit, cum primum à vigiliis,in quibus vapores diſsipantur,quieſcat innatus calor, & ad interna ſe conuertat,vapores generans, ac eiſdem cerebrum opplendo,potiſsimum ſi eo tempore alimenta conficiat,non tamen perfectè euincat. Huius vitij cauſa,craſſus,ac frigidus vapor ad cerebrum delatus,eiúsque ventriculos obſtruens,ab eiſdem auctoribus aſsignatur,qua ratione fit,vt crapulæ,ac continuæ ſtomachi cruditates, ex quibus iam dicti vapores eleuentur,hunc affectum præcedant.Cui malo (vt eiſdem viſum eſt) per initia ſuccurrendum erit;inueteratum nanque, & aſsiduè incidens grauius aliquod vitium nunciat,vt morbum comitialem,apoplexiam aut inſaniam, dum paulatim in cerebri ventriculis craſſus humor coaceruatur: ſuccurritur autem prohibendo ne iam dicti vapores cerebri cauitates occupent. Fiet verò hoc, ſi victu vtantur tenui,ac penitus flatus exorte,quapropter parcè ſemper, verùm parciſsimè in cœna cibus ſumatur:qui boni ſit ſucci,facilè concoquatur, modicè alat,ac non inflet,aut vapores multos ad caput mittat. Vinum vitent,niſi album,aquoſum,ac ſubaſtringens ſit,moderatè ſumptum, ac dilutum. In vltima menſa aſtringentibus vtantur cibis,vt piris,ſeu cydoniis, cum eorum cibis ea, quæ extenuandi vim habent,permiſcenda ſunt, vt hyſſopus, ſampſuchus, ſerpillum,ſatureia, & alia huiuſmodi. A ſole,frigore,ventis, igne, ac fumo, diurno ſomno,ac ſtatim à cibo,cauendum erit. Curandos etiam oportet iacere loco lucido,atque mediocriter calido,adhibita requie animi, & corporis abſtinentia,vſque ad tertium diem, ex ſententia Cælij Aureliani lib.1. cap.3. & vt ſummatim dicam,ſimili victus ratione vtantur, quam vertiginoſis, ac comitialibus præcipiemus. Quòd ſi ſanguis redundarit,venam in cubito ſecare oportet, exteriorem,vel mediam: ſi verò vitioſi ſucci magis prædominantur, purgante medicamento ægri corpus euacuandum eſt, prius tamen exhibitis extenuantibus quibuſdam medicamentis pro eorundem humorum præparatione. Quibus paratis, ſi pituita fuerit is qui redundat humor, ex ſtomachicis pilulis, & Galeni hiera,aut ex eadem picra cum epithymo, & ſena, aut ex pilulis de lapide lazuli ægrum purgabis:quòd ſi malis aliis purgantibus medicamentis vti, cap.de epilepſia,aut de vertigine ea requiras.A purgatione ea,quæ cùm ventriculum,tum caput roborant, exhibeantur:diarrhodon videlicet, aromaticũ roſatum,diamoſchu dulce,diambra,& alia huiuſmodi. Admouenda inſuper, purgato corpore vniuerſo, capiti localia medicamenta ſunt, irrigationes videlicet, ac inunctiones calidæ; apophlegmatiſmis, ac caputpurgiis ſimiliter vtendum: quorum omnium medicamentorum copiam cap.de morb. comitiali inuenies, & de apoplexia. At ſuccurrit particulatim ipſis,ex Aëtij, & Pauli ſententia, niger peoniæ fructus, ſi quindecim eius grana trita cum aqua in potu exhibeantur,idque continuè fiat,quoad æger ſanetur.

Eiuſdé ſigna.

Cur in ſomni initio fiat.

Cauſæ.

Prognoſtica.

Curatio.

Victus ratio.

Venæ ſectio. Medicamentorum ratio.

Quæ à purgatione exhibenda ſint.

Περὶ δίνου καὶ σκοτοδίνου. *De vertigine, & tenebricoſa vertigine.*

CAPVT XVII.

ADeo magnam inter ſe cognationem habent affectus is qui à Græcis,præſertim Hippocr.& Gale.interdum ἴλιγγος, vt patet aphoriſ.17.23.& 31.tertij lib.interim δῖνος,vt liquet 4.de ratio.victus,appellatur,& qui ab eiſdem σκοτόδινος nũcupatur,vt aphor.17.4.lib.& eodem 4.de ratione victus conſtat: quorum affectuũ primus à Latinis vertigo, reliquus verò tenebricoſa vertigo nuncupatur:à medicorum autem vulgo ſcotomia,vt auſi ſint

4.de rat.vict. cõment.42

Quibus cõueniant & differant vertigo & tenebricoſa vertigo.

quidam iuxta eorum ſententiá aſſerere inter ſe prædicta duo non differre. Nos verò non modò nomenclatura eos affectus,prædictorum auctoritate,diſcrepare putamus,verùm etiam re ipſa,quòd autem nomine diſsideant,ex iam dictis liquet:

Loco citato.

at quòd reipſa diſtent,ex Galeni verbis 4.de Ratione victus,patere poterit,dùm aſſeruit, quòd quando quiſpiam imaginatur caput circumferri, tunc δῖνος, hoc eſt,vertigo dicitur, quando autem & tenebricoſa ſimul viſio cum hoc fit, σκοτόδινος,hoc eſt tenebricoſa vertigo vocatur; ab accidenti nomen, quòd repentinas oculis ingerat tenebras,vt ait Cælius Aurelianus cap.2.lib. primo. Ex quibus verbis liquet aliud re ipſa eſſe,quòd caput duntaxat circumagi videatur:aliud verò quando ſimul cum eo tenebricoſa fuerit viſio, nanque in vertigine dicta (præter tenebricoſam viſionem) caput circùmagi videtur duntaxat:in tenebricoſa verò vertigine ſimul cum capitis circumlatione tenebricoſa fit viſio.

Vertigo quid ſit.

Quid ſit tenebricoſa vertigo.

Propterea iuxta Hippocratis & Galeni ſententiam aſſerimus, quòd vertigo ſit imaginatio quædam,quòd caput circumferatur,ſeu vertatur, σκοτόδινος autem ſit,quãdo quæcunque conſpiciuntur,circumagi videantur, ac derepentè ſimul pereat ſenſus viſus, cùm ipſi ægroti putent tenebras circunfundi,quemadmodum Galeno viſum eſt, commento Aphoriſmi decimiſeptimi, libri quarti; & ſi per σκοτόδινον interpres malè vertiginem intellexerit, ac interpretatus fuerit: nam in hac paſsione conſtitutos repentina viſus tenebratio, atque nebula,vt ex eodem Cælio Aureliano liquet, cum capitis vertigine conſequitur, vt omnia ſecum moueri exiſtiment. At in generationis modo ambo conuenire videntur,cùm ob inordinatam ſpiritus flatuoſi motionem in partibus cerebri generentur,qui vel in capite localem habet generationem, vel ſurſum ex infernis fertur,vt 4.de Ratione victus in morbis acutis, & commento aphor.31.3.lib.liquet.quò fit,vt eadem etiam pars in vtriſque afficiatur, nempè caput,vt conſtat de vertigine,commento aphor.23.3.lib.& 4.de Ratione victus in morbis acutis, & de tenebricoſa vertigine,tum eodem quarto de Ratione victus comment.42.tum tertio de Locis affectis cap.8.

Loco citato.

Quæ pars in eis afficiatur.

Inſuper conformari poterit ex functionum læſione:in vtriſque nanque animales oblæduntur functiones; quamuis non omnino eædem,neque eodem modo;nanque in vertigine deprauatè imaginatio læditur,diminutęque viſio, vel fortè etiam deprauatè interdum,vt patet Galeno quarto de Ratione victus,& commento 17. aphoriſ.3.lib. quam ſententiam ſectari etiam videtur Aëtius, cap.proprio de vertiginoſis.

Loco citato.

Aëtius lib.6 cap.7

In tenebricoſa autem vertigine cùm ipſa deprauata imaginatione, non viſionis imbecillitas,verùm eius ablatio percipitur, nam præter id quòd cuncta videntur circumagi,derepentè ſimul perit ſenſus,viſus, vt teſtatur Galenus commento aphoriſ.17.4.lib.putant enim ægroti tenebras circũfundi, adeò vt interdum cadant,vt patet tertio de Locis affectis cap.8.

Quis affectus præter naturam ſint ambæ affectiones.

Qua de re vertigo ſymptoma erit in genere noxę functionum cum imaginatiuæ deprauatæ, tum diuiſionis diminutæ,ſeu deprauatæ.At in tenebricoſa vertigine non modò imaginatiua aberrat,ſed viſiua functio abolita eſt,& interim motrix facultas, vt ex iam dictis liquet,& propterea affectiones prædictæ ſecundum magis, & minus inter ſe diſcrepare palam videntur:nec idem ſunt,vt quibuſdam viſum eſt:& ſi in vtriſque imaginatiua facultas vitiata ſit,ac caput,ſeu cerebrum afficiatur,

Nunquid in hiſce affectionibus lędatur imaginatio.

Reſponſio.

quanquam conati ſunt quidam Galeni ſectatores probare in hiſce affectionibus imaginationem non lædi,cùm ſi lęderetur,aiunt,non putarẽt ægri ſe eſſe deceptos:nam licet videatur eis caput circumuerti,aut quęcunque conſpiciunt,circumagi,ſciunt tamen falſam eſſe viſionem,& imaginationem. Atqui nihil obſtat imaginationem læſam eſſe,ægrúmque cognoſcere verum,ſeu falſum, illud quod imaginatur; cùm hæc cognitio ratiocinatricis facultatis, ſeu cogitatiuæ, & non amplius imaginatiuæ ſit munus:quæ conſtare poterit,imaginatiua oblæſa exiſtente, vt in quibuſdam phrenitidibus apparet: & proinde quia falſum imaginatur, imaginatiua aberrat, quia verò dignoſcit æger ſe falſa imaginari, ratio, ſeu cogitatio illæſa erit: quemadmodum de ſe ipſo teſtatur Galenus phrenitide laborans

rans quarto de locis affectis. Ruſus ſi ad cerebrum prædictæ affectiones attinent, quomodo viſibilis duntaxat facultas oblæſa erit? In vtriſque igitur luce clariùs patet, imaginatricem facultatem deprauatam eſſe: at diſsident, quòd in vertiginoſis ſenſus viſus non ſimul perit, velut in ſcotomaticis, nec concidunt ægri, cum affectio mitior exiſtat; in ſcotomaticis verò, quoniam caput vehementiùs afficitur, ſenſus viſus repentè deperditur adeò, vt interdum cadant, maximè vbi in circulum circumuertantur: ſiquidem ipſis ab vna ratione euenit id, quod cæteris à pluribus accidere ſolet, Galeno teſte tertio de locis affectis: ſimiliter ſi alium quendam circumuerti viderint, ſiue rotam, aut trochum, aut ipſos quoque in aquis vortices, ſiue aliquid tale, idem perpetiuntur. Spiritus enim viſiuus ad trochum, ſiue aliud tale, qui circumuolutatur, collabens mouetur, & ſimul cum illo circunfertur, vt teſtatur Aëtius, quinimo & in ipſis citra circuitionem euenire videmus id, quod in aliis, cùm in circo frequenter vertuntur, accidit, & proinde ex ipſa appellatione manifeſtus eſt, qualis ſit ſcotomaticus affectus, vt patet tertio de locis affectis. Diſcernitur verò ab epilepſia hæc paſsio ex Cælij Aureliani ſententia, ſiquidem neque ſenſibus priuat ægrotantes, neque ſpaſmo, id eſt, diuerſo raptu afficit. Nec quicquam refert, ſi Galenus eodem tertio de locis affectis, de ſcotomate duntaxat, hoc eſt, de tenebricoſa affectione verba fecerit, vertiginis autem non meminerit, cùm eadem pars in vtriſq; afficiatur: quòd quidem inueſtigare eo libro propoſuerat, & inſuper quoniam de ſcotomate diſſerens, qui maior affectus eſt, quàm vertigo, ſub eius tractatione & vertigo ſubintelligi poterat. Quòd igitur iam dictæ affectiones non confundantur, nec eædem ſint, ac quomodo diſerepent, & vna ab alia diſcerni queat, ex ſuperius dictis liquet. Sed quoniam vtraque bifariam oriri poteſt, tum primariò affecto cerebro, tum per conſenſum ex ore ventriculi, Galeno auctore tertio de locis affectis, & Paulo cap. 12. lib. tertij: propterea ſi ex primaria cerebri affectione dependeant, vehemens capitis dolor, grauitasque præcedet, aurium ſonitus: item olfactus læſio, & nonnullis etiam (vt Paulus teſtatur) guſtus, atque alterius cuiuſque ſenſus, qui à capite initium ſumit, ex Archigenis teſtimonio. Si verò ori ventriculi cerebrum conſentiat, ſtomachi morſum, quem Græci cardiogmon appellant, accerſit: ac nauſeam ægri præſentiunt, eodem Paulo auctore, & Galeno, ex Archigenis auctoritate eodem tertio de locis affectis. At quoquomodo fiat, perpetuo ad inæqualem, turbulentum, & inordinatum motum flatuoſi ſpiritus in cerebro iam dictæ affectiones conſequuntur. ex quo animalis etiã ſpiritus in cerebro conſiſtens euertitur, vt Aëtio viſum eſt, vt propterea non valeat ordinatè, & vt decet, ad propria loca diſtribui. quò fit, vt ad morbum in via, hoc eſt, ad obſtructionem ex prædicto flatuoſo ſpiritu ortam, hæc ſymptomata inſequantur, ſimul atque inæqualem cerebri intemperiem. Verùm cùm non ſemper flatuoſus is ſpiritus in capite localem habeat generationem ex inæquali cerebri intemperie, vt patet tertio de locis affect. ſed interdum ſurſum ex infernis partibus feratur, Galeno teſte quarto de ratione victus, & commento aphoriſ. 31. libri tertij, ex iam dictis ſignis illud dignoſcere poteris; ex grauitate videlicet capitis, ac eius dolore, aliorumque ſenſuum oblæſione, ſi in cerebro genitus ſit. At ſi ex ventriculi præſertim ore, aut aliis partibus ſurſum feratur, eiuſdem partis primò affectæ indicia præerunt. Generatur autem flatuoſus hic ſpiritus, non ſummè languente natiua caliditate, prout Galenus aſſerit eodem quarto de ratione vict. cùm ſi perfectè langueret, diſſoluere non inciperet, & propterea cùm conatur calor ipſe natiuus corporis humores tum diſſoluere, tum effundere, verũ ipſos tenuare, & per inuiſibilia foramina excernere non valeat, tunc ſpiritus flatuoſus ortum habet: & in capite contentus non ab re inæqualiter, & inordinatè mouetur. qua etiam ratione fit, vt ſæpenumerò hæc ſymptomata in iudicationibus fiant; conatur nanque eo tempore natura humores euincere, diſſoluere, & demum excernere. hic autem flatuoſus ſpiritus, ſi in cerebro generationem

cap. 2

cap. 8

Loco citato.

Quomodo tenebroſa uertigo ab epilepſia diſcernatur.

Loco citato.

3. de loc. affe. loco citato.

Si primariò affecto cerebro fiant, ſigna.

Si per conſenſum ex ore uẽtriculi.

3. de loc. affe. cap. 8

Ad quem cerebri morbum ſequantur.

Cauſa.

Locis citatis.

Flatuoſi ſpiritus generatio.

Eodem loco.

Cur in iudicationibus uertigines fiant.

habeat, ex frigido ac glutinoſo humore vt plurimũ ortum ducit, Paulo teſte, & propterea ex quauis leui occaſione, calfacto capite, vtputa ſi ſub ſole æſtiuanerint, vertigo ſeu ſcotoma excitatur. At ſi ori ventriculi, aut reliquis partibus cerebrum conſentiat, ex vitioſis, calidis, & acribus ſuccis in ipſis redundantibus, eiuſdem qualitatis vapores, ad caput delati potiſsimum iam dictas affectiones efficiunt, vt Aëtio viſum eſt. Facilè etiã prædictis affectionibus corripiuntur, quibus conſuetæ excretiones ſunt ſuppreſſæ: cruditates quoque, & ardores aſsidui, & ebrietates eas efficiũt, eodem Aëtio auctore: quæ omnia ex ęgrotantium, ſeu aſtantium relatione percipi poterunt.

Prognoſtica. Prædictæ autem affectiones paruifaciendæ non ſunt: nam vertigo proxima eſt morbo comitiali, & aploplexiæ, quemadmodum Galenus teſtatur cõmento aphoriſ. 17. tertij lib. vtræque etiam affectiones medium quodammodo obtinent, tum earum, quæ periculo vacant, tum pernicioſarum, eodem Galeno auctore quarto de Ratione victus in morbis acutis. *Citato loco.* non ergo penitus periculo vacant. Promptè enim, vt diximus de vertigine, ita & ſcotoma permutari poterit in affectus pernicioſiſsimos, vtpote quòd proximi ſint eiſdem, præſertim morbo comitiali, & apoplexiæ: & ſi ea, quæ oculis obuerſantur, ſanguinolentiora ſe videre putent ægri, ad inſaniam magis apti ſunt, Aëtio teſte: in qua non imaginatio duntaxat, ſed & ratio læſa eſt, vt ipſe teſtatur. qui verò purpurea vident oculis obuerſari, apti ſunt (eodem Aëtio auctore) ad morbũ comitialem tranſmutari. Vehementeſcit autem ſcotomatica paſsio hyeme, vt Cælius Aurelianus inquit, vel veris temporis initio, præterea ſæpe futuram denunciat epilepſiam. veteres denique (vt idem ait) paruam epilepſiam vocauerunt.

Curatio. Quod autem ad earum curationem ſpectat, aër eligendus erit temperatus, purus, & lucidus: fugiant autem nebuloſum, & craſſum, nocturnum. A ventis pariter caueant, maximè auſtralibus.

Victus ratio. Radios ſolis & lunæ vitent: velut etiam aſpectum rerum velociter motarum, vt currentis fluminis, aut in circum, vt rotæ, & trochi, ac profundarũ rerum aſpectum. Somnus ſit mediocris, non immediatè poſt cibum, ſed ſaltem per duas horas poſt: vitetúrque diurnus, ac in loco multum calido factus: neque caput ipſum multum calidum teneat. Ventris excrementa nitendum, vt ſingulis diebus excernantur: in quo ſi natura auara fuerit, clyſteribus, vel glandibus ea excitanda erit. Exercitio vtendum erit temperato: in quo quantum poſsibile erit caput quieſcat: cuius vice frictionibus crebro vtendum, manè præſertim, priuſquam ſurgant: quæ à ſupernis partibus cœptæ ad infima deſinant. Ab animi affectibus, ſeu perturbationibus cauendum, præſertim ira, timore, & mœſtitia. Pariter & clamores, contentiones, & cantus fugiendi ſunt: venus quoque omnino vitanda eſt. Cibi eligendi ſunt boni ſucci, concoctu faciles, flatus exortes, ſtomacho, ac ventri cõmodi, ſintque modici. Propterea & ſatietas, non minus & fames vitanda erit. Vinum bibendum, verùm modicum ſit, album, & tenuiſsimũ, & non valdè vetus, ne caput percutiat; qua ratione euaporantes cibi, quales ſunt cepa, allium, porrum, atque id genus alij vitentur: & a cibo ea exhibeãtur, quæ vim habeant aſtringendi, ne vapores ſurſum ad caput ferantur, & præſertim ſi vitio ſtomachi fiant prædictæ affectiones.

Quæ in ipſa acceſsione facienda ſint. In ipſa verò acceſsione excitare ægros conuenit tum odoratis medicamentis, tum frictionibus, & id genus alijs, Paulo auctore: quo tempore, & glandibus, aut clyſteriis vti præciperem. Poſſent autem glandes confici ex hiera, agarico, ſale gẽmæ, & deſpumato melle. Clyſteres verò ex furfuris, mercurialis, maluarum, betę, florum chamæmeli, & ſalis decocto, in quo vnc. iij. olei amygd. dulcium, communis, aut anethini ij. mellis roſacei, & drach. hieræ picræ Galeni adiicias, & vtare.

Quæ facienda ubi conquieuerint Vbi verò conquieuerint, & vires robuſtæ fuerint, nihilque aduerſetur, *Venæ ſectio.* vena ſecanda erit, ſiue principium affectionis fuerit, ſiue tempus iam progreſſum fecerit (Aëtij præcepto, ac Pauli) humeralis videlicet, ſeu externa, aut media, verùm non aceruatim ſanguis euacuandus erit, cùm ex qualibet occaſione ægri concidant, ſed pluribus detractionibus, ex quibuſdam interuallis vtentes, congruam explebimus menſuram. Hoc autem

temp

tempore caput irrigetur (ex Aëtij ſententia) aceto, & roſaceo, admiſto polygoni, aut hederæ ſucco, pro cauſæ diuerſitate. Si verò aliquid ſanguinis detractionem impediat, aluus ſubducenda erit, primùm acri clyſtere, poſteà purgante pharmaco, redũdanti humori ſemper ipſum adaptãdo: quẽadmodum idemmet Aëtius præcipit, præcedente tamen eius concoctione, ac præparatione, bile ſiquidem redundante ex oxyſaccharo, & ſyrupo de infuſione roſarum, ſucco cichorij, & id genus aliis: hocq; demum purgante medicamento vtendum, Corticum myrobalanorum citrinarũ excipe drac.iij. fiat decoctũ in aquis cordialibus; in quo diſſoluas mannæ Calabriæ vnc.ij.& ſ.aut ſyrupi ex pluribus infuſionib.roſarum rubearum vnc.iiij.antidoti diacatholicon drac. vij. & fiat potio: etſi malũ non ceſſerit, aliaq; purgatione opus fuerit, catapotia formẽtur ex rhabarbari cum pauca ſpica drac.j.& trochiſcati agarici, aut pulueris hieræ ſimplicis ſcrup.ij.cum infuſione, vel ſucco roſarũ; & poſt aliquod interuallum, vel mannæ Calabriæ vnc.ij.vel ſyrupi ex pluribus infuſionibus roſarum rubearum vnc.iiij.in aqua cichorij, vel borraginis diſſolutas aſſumat. At ſi craſſus fuerit, qui redundarit ſuccus, pituita videlicet, aut fortè nigra bilis, ab eorum coctione, & præparatione, quæ ex his perficiatur, quæ præcepimus cap. de dolore capitis ex pituita, & cap.de melancholia; catapotia tribue ex arabicis pilulis, aut ſine quibus, aut eis, vel cochiis, agarico addito. Poſt quæ, ſi pituita redundarit, myrobalanorum chebularum decoctum, & ſyrupum ex pluribus infuſionibus roſarum rubearum exhibe. Si nigra bilis, poſt catapotia, exhibe ſenæ, epithymi ana drac.j.corticum myrobalanorum indarum drac.ij.in aqua fontana, vel lupulorum fiat decoctum, in quo ſacchari borraginati vnc. ij. diſſolue: aut ſyrupi prædicti ex pluribus infuſionib.roſarum rubearum drac.iij. Poſt quæ cucurbitulæ cum ſcarificatione ad occipitium affigendæ ſunt: mox, apophlegmatiſmis pituitam à capite per os detrahentibus ſuperius iam dictis, vtendum. Naribusq; infundatur aqua hordei cum corticibus, cum anagallidis ſucco, aut radicis betæ, vel cyclamini. Gargariſmis quoque vtaris ex origani, & pulegij decocto cum aceto mulſo, vt inquit Aëtius. Odor inſuper ſuſcipiatur per nares ex amaracij, ſampſuchi, & hyſſopi, ac florum ſtœchadis decocto, caſtoreo pauco addito, & moſcho, ac aceto pauco. Ex pulegio item tuſo, vel origano, aut ſinapi cum aceto commiſto procurare ſternutamenta præcipit Theodorus Priſcianus libro ſecundo ad Timotheum, cap.3. præſertim ſcotomaticis. Deinceps æger ad balneum ducatur, præſertim naturale aluminoſum, etſi caput in balneo ſupramodum incaluerit, aut valde calidum caput habeant ægri, roſaceo caput ipſum cùm aceto irrigandum erit, in ſyncipite præſertim, & circa frontem, & tempora. Quòd ſi adhuc affectio perſeuerauerit, neque prædictis ceſſerit, præſertim ſi ex vaporibus calidioribus per arterias ſurſum elatis prædictæ affectiones fiant, arteriæ ipſæ iuxta tempora ſitæ ſupra aures incidendæ ſunt, non modo Galeni 3.de locis affectis præcepto cap.8, verumetiam Pauli, & Aëtij: quarum inciſionis modum addiſces ex Paulo libro ſexto cap.4. Quanquàm, vt Galen. aſſerit, non omnes huius auxilij beneficio curati fuerint: tum propterea quòd per altiores arterias, quæ ad cerebrum ex ipſius baſi per retiformem plexum aſcendunt, vaporoſus, calidusq; ſpiritus interim elabitur, ac cerebrum implet, tum etiam quòd ſpiritus flatuoſus poterit ex inæquali cerebri intemperie oriri: & proinde ſi prædictæ affectiones altero prædictorum modorũ excitentur, nullam vtilitatem ex prædictarum arteriarum ſectione ægri ſuſcipient. Quare priuſquam incidantur, ſummopere laborandum erit, vt exquiſitè illud diſtinguatur. Inæqualis enim cerebri intemperies in contrarium alterãda erit, quemadmodum & conſuetæ excretiones detentæ prouocandæ ſunt, ſi earum retentio prædictarum affectionum cauſa ſit, cruditates, ardores, ac ebrietates corrigendæ, ſi ex eiſdẽ ortum duxerint. At ſi ex humoribus in ventriculo, præſertim eius ore contentis, vaporoſus ſpiritus ad cerebrũ delatus eas progignat, vomitu curari poterunt ex anethi, & raphani decocto, in quo acetoſus ſyrupus, aut oxy-

Purgatio.

Bile redundantia.

Si pituita redundarit, aut nigra bilis.

A purgatione quæ peragenda ſint.

Inciſio arteriarum iuxta tempora.

Si per conſenſum fiant, curatio.

mel

mel permiſceatur: tepidumq́; potiſsimũ à cibo aſſumatur. Quòd ſi non ſuffecerit, conducet etiam eos purgare ex picra Galeni, aut ſtomachicis pilulis, myrobalanorum citrinarum, aut chebularum decocto, & manna Calabriæ, ſeu ſyrupo ex pluribus infuſ. roſarum rubearum, pro ratione diuerſitatis vitioſi ſucci redundantis. Similiter ſi in alijs corporis partibus redundarint, eaſdem inſpiciendo, ex eiſdem quoque redundantes ſucci purgandi erunt, caput ipſum non deſpiciendo, imo ipſum ſemper robotare oportet, cùm dictæ affectiones ad cerebrum pertineant, licet per alterius partis conſenſum ipſum afficiatur, vt patet tertio de locis affect. & propterea vertigines citò emendabis, vt inquit Marcellus in ſuo de medic. lib. cap. 3. ſi betæ nigræ ſucco tempora perlinas: inſuper efficaciſsimum remedium eſſe ad abolendam eam, ſi abrotonum tritum in vini potione tepidum bibatur: vel cum oxymelle non acri accipiatur. Et hæc ſimul de vertiginis, & tenebricoſæ vertiginis curatione dicta ſufficiant, cùm non niſi ad inuicem ratione maioris, & minoris differant, vt iam diximus.

Loco citato.

περὶ ἐπιληψίας. *De Epilepſia, ſeu morbo Comitiali.*

CAPVT XVIII.

Trall. lib. 1. cap. 15

CVM proxima ſit (Galeni auctoritate) vertigo ei affectioni, quam Græci ἐπιληψίαν dicunt, non ab re de ea hîc tractandũ duxi. Conſueuerunt quoque eundem affectum (vt ex Tralliani verbis liquet) non modo ἐπιληψίαν, hoc eſt, ſupracomprehentionem nuncupare, nam ſupernæ partes in eo comprehenduntur, ſenſusque detinentur, verumetiam quidam hunc eundem affectum, ἱερὸν νόσημα, hoc eſt, ſacrum morbum: ſacrum etenim, & honoratum eſt cerebrũ, quod in eo afficitur: alij verò, eo quod validius, & contumax ad amouendum, ſit, ἡράκλειον νόσημα, hoc eſt, herculeum morbum appellarunt; quemadmodum Galenus libro ſexto de morbis vulgaribus teſtatur. Hippocrates autem puerilem morbum appellare conſueuit, vt libro de aëre, regionibus, & aquis, Galeno teſtante, patet. Quidam etiam falſa opinione decepti ſacrum morbum nominauerunt. Celſus verò cap. 23. tertij lib. maiorem morbum, ſeu comitialem ipſum nominat, eò quòd laborantes in comitijs manifeſtabantur, interrumpebanturque ea, quo die aliquis concidiſſet: alij etiam aliter nominauerunt, vt idem Trallianus teſtatur. Sed quoniam parum noſtro conueniunt inſtituto, propterea cuncta ea ſcribere non oportet: ſatis etenim erit quoquomodo nominetur, quòd eius eſſentia, ſeu ſubſtantia non te fugiat. nanque vt teſtatur Galenus tertio de locis affectus, conuulſio eſt omnium corporis partium, non perpetua, ſed quæ ex temporum accidit interuallis, cum mentis, ac ſenſuum oblæſione: quam ſententiam ſectatus eſt Paulus cap. 13. libri tertij, cùm dixit, quòd epilepſia totius corporis conuulſio exiſtit cum principum operationum læſione. Differt igitur ab emproſthótono, ópiſthotono, atque tetano, quæ differentiæ ſunt veræ conuulſionis, quoniam in iam dictis perpetua, in morbo comitiali ex temporum interuallis conuulſio accidit. Inſuper quia in vera conuulſione nullum ſit principibus functionibus nocumentum, in morbo autem comitiali non modo functiones principes, verũ & ſenſibiles operationes ſuſcipiunt detrimentum, quemadmodum ſcriptum reliquit Galenus eodem libro tertio de locis affectis, & libro de differentijs ſymptomatum. Cæterùm quòd cerebrum in hac affectione lædatur, liquidò conſtat ex Galeno libro primo de cauſis ſymptomatum, & tertio de locis affectis, quo loco dicebat, Ex his igitur omnibus planè conſtat in cerebro hanc affectionem conſiſtere. Inſuper ex Aëtio, qui in omnibus comitialibus morbis cerebrum affectũ eſſe inquit: & Trallianus capitis vitium eſſe aſſerit: nec minus & ex Pauli verbis hoc idem confirmatur. Quòd ſi prædictorum auctoritates non ſuffecerint, ex proprijs cerebri functionibus læſis, cum principibus, tum motricibus, & ſenſibilibus, vt patet ex

6. de morbis uulgar. commentario 6. commen. ult.

cap. 7

Morbus comitialis quid ſit.

Quibus à conuulſione, & diſtentione differat.

Quæ pars in eo afficiatur.

3. de loc. affe. cap. 7

De different. ſympt. cap. 3.

1. de cauſis ſymp cap. 8.

3. de loc. affe. cap. 7.

Aëtius lib. 6. cap. 13.

iam dicta eius definitione, illud patere poterit (& ſi plures ſint eius differentiæ,
vt dicemus.) Nanque in omnibus commune eſt, quòd cerebrum afficiatur, eo-
dem Galeno auctore tertio de locis affect. & Aëtio, qui in hoc ipſum ſectatur. *3. de loc. affe.*
Verùm nunquid cerebrum ipſum, vt ſimilaris pars, an vt inſtrumentalis, noxam *cap. 7.*
ſuſcipiat, nondum liquet. quamuis ſiquis Hippocratis verba ſexto de morbis *Nunquid cere-*
vulgaribus ritè contemplauerit, dum dixit, Melancholici magna ex parte co- *brũ ut ſimila-*
mitiali morbo afficiuntur, & contra, morbo comitiali laborantes, efficiuntur *ris, aut ut in-*
melancholici: percipiet vtique, vt inſtrumentalem partem, hoc eſt, ſecundum *ſtrumentalis*
ventres, & non tanquam ſimilarem affectum eſſe. & ſi nec Galenus illud inde- *pars afficia-*
terminatum reliquerit: nam tertio de locis affectis dicebat. Igitur vt craſſus pi- *tur.*
tuitæ ſuccus, ita hic quoque, de melancholico verba faciens, comitialem mor- *Sect. in fine.*
bum ſolet efficere, vbi in meatibus ventriculorum cerebri continetur, ſiue is *Loco citato.*
medius ſit, ſiue poſtremus: & ſecundo de cauſis ſymptomatum, ſub his verbis *cap. ult.*
idem confirmauit, dum dixit, Quemadmodum & apoplexia, & morbus comi-
tialis ob pituitæ in ventriculis ipſius cerebri aceruatæ multitudinem accidere
videntur: & illud ratione comprobans ſubdebat, Proinde horum ſymptoma-
tum tum generatio, tum ſolutio ſubitaria eſt, id quod per corporum intempe-
riem fieri haudquaquam poteſt: & eodem tertio de locis affectis hoc idem ap- *cap. 7*
probans, hæc verba conſcripſit. Cæterùm velox eius diſcuſsio, craſſum humo-
rem ſpiritus meatum in cerebri ventriculis obſtruentem, hunc maximè affe-
ctum peperiſſe declarat: & paulò infrà ſubdebat, Sed à craſſo ſemper humore
hanc affectionem induci argumento eſt, quòd & ſubitò fit, & ſoluitur confe-
ſtim: nam ſubitariam meatuum obſtructionem à craſſo, viſcoſoque humore
fieri conſtat. Afficitur igitur cerebrum, non vt ſimilaris pars, ſed vt inſtrumen-
taria, quoniam ſecundum eius ventres in morbo comitiali, vt liquidò ex iam
dictis patere poteſt: quamuis & corpus eius parum quodammodo coafficiatur,
vt quarto de locis affectis liquet. Si quis autem altiùs inueſtigare velit num an- *cap. 2*
teriores cerebri ventriculi, medius, ſeu poſtremus in comitiali morbo afficia- *In quibw ce-*
tur, pro comperto in Galeni doctrina habebit, non anteriores, vt Medicorum *rebri ventri-*
vulgus refert, ſed medium, aut poſtremum affici. Ait nanque Gale. tertio de *culis hæc Le-*
locis affectis, cap. 7. craſſum pituitę ſuccum, aut melancholicũ comitialem mor- *ſio fiat.*
bum efficere, vbi in ventriculorum meatibus retineantur, ſiue is medius ſit, ſi-
ue poſtremus. igitur aut medius, aut poſtremus ventriculus, & non anteriores
ex eius ſententia afficiuntur. Adhæc ſi impediente craſſo humore animalem
ſpiritum, qui in ventriculis eetebri continetur, quominus poſsit exire, iam di-
cta affectio oriatur, eodem Galeno auctore: iſque animalis ſpiritus proprium
ipſius animæ inſtrumentum ſit, tum in ſenſibilibus actionibus, tum in his, quæ
à conſilio & voluntate prodeunt, perficiendis: qui videlicet in ipſius cerebri
ventriculis medio, maximeq́; poſtremo, continetur: quis inquam inficias ibit
eorum aliquem in comitiali morbo affectum eſſe, & non anteriores? præparãt
nanque, ac conficiunt ipſi cerebro animalem ſpiritum, & non confectum, ac
præparatum continent, veluti poſtremus, & medius, duo anteriores ventricu-
li, vt patet octauo de vſu partium: & quamuis ſimul veluti ductus quidam ſint, *cap. 10.*
ac canales ad ſuperfluorum effluxionem accommodi ad infernas perforatio-
nes in nares, alioquin animal, eodem Galeno teſte præcitato libro octauo de *cap. 6*
vſu partium, apoplexiis frequenter prehenderetur, niſi viam quandam horum
excrementorum, quæ ſæpè excipiunt, effluxui accommodam natura præpa-
raſſet: & propterea foras per narium meatus eadem excerneret, non propter-
ea dicendum erit, quòd oblæſis eiſdem cerebri anterioribus ventriculis, comi-
tialis morbus fieri poſsit. Cùm neque apoplexia ex affectione ipſorum dunta-
xat generari poſſet, niſi & medio, ac poſtremo ventriculo communicaretur af-
fectio. opus nanque eſt in vtriſq; affectibus, vt tam anterior cerebri pars, quàm *Quis præter*
poſterior afficiatur, vt patet 4. de locis affectis cap. 2. propterea detentis præter *naturam affe-*
naturam excrementis in anterioribus ccrebri cauitatibus, niſi impartiantur *ctus ſit.*
medio,

medio,aut poſtremo,ſeu medio,& poſtremo ventriculis,nec epilepſia,nec apoplexia,iuxta Galeni ſententiam, generari poterit. Num verò iam dictus affectus morbus ſit in Galeni doctrina,vel ſymptoma, haud difficulter ex eiuſdem verbis percipi poterit. Nam quòd morbus ſimilaris non ſit,patet tum ſecundó de Cauſis ſymptomatum,cap.vlt.tum tertio de locis affectis,cap.ſeptimo, cùm aſſerit,non vt partem ſimilarem,ſed vt inſtrumentariam,cerebrum in hac affectione lædi.Propterea non mutando cerebri temperamentum cauſa aliqua comitialem morbum generat:ſed vbi ei nocet,veluti parti inſtrumentariæ: neque enim adeò eſſet ſubitaria eius tam generatio, quàm ſolutio.At quòd nec morbus ſit in cõpoſitione,vt quidam falsò ſentiunt,& ſi cerebrum tanquam inſtrumentum lædatur,ex eodem Galeno liquet præallegatis locis: dicebat nanque tertio de locis affectis,cap.7.quòd velox diſcuſsio huius affectionis,craſſum humorem ſpiritus meatum in cerebri ventriculis obſtruentem hunc maxime affectum peperiſſe declarat,& paulò infrà ſubdebat,quòd impediente humore animalem ſpiritum,qui in ventriculis cerebri continetur, quo minus valeat exire, eadem exoriebatur affectio,& ſecundo de Cauſis ſymptomatum,cap.vlti.morbum comitialem ob pituitæ in ventriculis cerebri aceruatæ multitudinem accidere.Sequitur ergo,vt ex prædictis conſtat Galeni verbis,comitialis morbus ad ventriculorum cerebri obſtructionẽ, quæ eſt morbus in via,& non eſt ipſa obſtructio prædictarum cauitatum morbus comitialis, velut quidam, licet falsò, aſſerere auſi ſunt, nec inſuper in alio genere morborum in compoſitione connumerari poterit, aut in continuitatis ſolutione:cùm nec illud imaginari queat aliquis, & Gale. vbique locorum fateatur, affectum hunc præſertim per eſſentiam genitum perpetuò ad obſtructionem conſequi. Erit igitur connumerandus in ſymptomatũ aliquo genere ; quamuis à Celſo tanquam vetuſtiſsimo auctore, vt qui nullam fecerit inter ſymptoma,& morbum differentiam, morbus comitialis appelletur.In prædictorum enim ſymptomatum numero à Galeno libro de Differentiis ſymptomatum cap.tertio connumeratur:nam cùm deprauati motus ſymptomatum meminerit,ſic ad verbum ait,Si verò non ſolùm totum corpus conuellitur,ſed principum quoque functionum prohibitio fiat,ſymptoma tale epilepſia nuncupatur. In genere ergo noxæ functionum ſymptoma exiſtit,non tamen naturalium,ſed animalium : quæ cùm in triplici ſint differentia,in cunctis per morbum comitialem noxa exiſtit.Nanque cùm de genere ſit conuulſionis,eodem Galeno teſte tertio de Locis affectis,cap.7.erit & in eo affectu motrix facultas deprauata. Inſuper cùm is, qui ſic laborat, neque audiat, neque vllo ſenſu quippiam percipiat, vt idem Galenus eodem loco teſtatur, erunt quoque in eo affectu ſenſibiles omnes functiones ablatæ. Adhæc cùm ratio ſimul cum memoria oblæſa ſit, cohibitæque ſint principes functiones omnes,vt idem Galenus libro de Differentiis ſymptomatum,cap.3.& tertio de locis affectis,cap.7.ſcriptum reliquit,iure fatendum erit in hoc ſymptomate cunctas animales functiones oblæſas eſſe;verùm motricem facultatem deprauatè: principes autem, & ſenſibiles ablatè.Præcedit hoc vitium (Paulo auctore) corporis,animique ſtatus minimè arbitrarius,triſtitia, & eorum quæ perceperunt obliuio.Turbulentæ inſomniorũ imagines.Capitis dolor,eiuſque repletio continua,ob iracundiam maximè,pallor faciei,& inordinatus linguæ motus. Nonnulli verò ipſam quoque mordent. Quamprimùm autẽ malum hoc inuaſerit, vt idem Paulus teſtatur,ægri concidunt,conuelluntúrque,ſtertunt,ac interdum impotens quædam vox eis ſuboritur,minimè aliquid ſignificans.Verùm peculiaris admodum eiuſdem vitij nota eſt oris ſpuma, cùm alia communiter aliis quoque morbis euenire poſsint.Non deſunt etiam quibus vrina,& ſtercus præter voluntatem excernatur,nonnullis & genitura. Celſus autem dixit eiuſdem mali indicia eſſe,quòd homo ſubitò concidit,ex ore ſpumæ mouentur:deinde interpoſito tẽpore ad ſe redit:& per ſeipſum conſurgit.At non ab re admodum peculiare indiciũ eſt huius affectionis oris ſpuma. Nam cùm eiuſdem generatio

In quo genere ſymptomatum reponatur.

Signa, quæ ipſum præcedunt.

Eiuſdem inuadentis ſigna.

Cur oris ſpuma peculiare ſit ſignũ morbi comitialis.

ex duarum ſubſtantiarum mixtione conficiatur, tanquam ex materia, altera ſpirituoſa videlicet, & altera humida, Galeno teſte commento aphor. 43. libri ſecundi, & 30. ſeptimi lib. earum autem mixtio ambabus in multa perfractis, & multis mutuo complexu paruis ampullis ab ipſis effectis, fit, quem cõfractum, ac mixtionem nonnunquam violentus motus, & inæqualis, vel vtriuſque, vel alterius duntaxat ſubſtantiæ, nonnunquam verò fortis calor operatur: interim autem & ambæ concurrunt non ab re in ipſis comitialibus morbis, non ex immodico inquam calore, ſed propter motus vehementiam, ac inæqualitatem, & violentiam, quæ propter conuulſionem in eis fiunt, ſpuma generari conſueuit: quemadmodum idem Gal. commen. eiuſdem aphoriſ. 43. teſtatur; potiſſimum cùm in eiſdem corporibus iam dictæ duæ ſubſtantiæ reperiantur, ſpirituoſa ſcilicet, & humida. id quod nec in vertigine (cùm non adeò violẽtus fiat motus) euenire conſueuit, neque in apoplexia, cùm non modo vehemẽs motus, imo neque vllus in ipſa appareat. Hippocrates verò libro de morbo ſacro reddens cauſam huius dixit, Spuma verò ex ore prodit epilepticis ex pulmone: cùm enim ſpiritus non ingrediatur in ipſum, ſpumeſcit, & ebullit, velut moriens. at lib. de flatibus aliam tradidit cauſam. Relinquitur propterea, vt ipſius comitialis morbi ſit peculiaris nota oris ſpuma. Verùm quoniam non vno tantummodo is generationem habet, capite videlicet primariò laborante, ſed duobus adhuc aliis modis oriri poteſt, ita vt tres ſint eius differentiæ: quanquam omnibus commune ſit, quòd cerebrum afficiatur: quarum vna eſt, conſiſtente in ipſo cerebro affectu primò, & per ſe, id quod pluribus epilepticis euenire conſueuit. Altera eſt cum cerebrum ipſum ventriculo, & præſertim ori eius cõſentit. Tertia verò morbi comitialis ſpecies, ſeu differentia, quanquam ea raro fiat, cùm videlicet à parte aliqua inceperit affectus; qui deinde ægro etiam ſentiente, ad cerebrum vſque aſcendat, velut Gale. tertio de locis affectis ſcriptum reliquit: quem Paulus, Trallianus, & Aëtius ſectati ſunt. Hac de re quibus indiciis quælibet earum dignoſcenda ſit, ac ab aliis diſcernenda, operæpretium erit declarare. Qui primario capitis affectu comitiali morbo laborant, hoc modo argui poterunt, nanq; vt teſtatur Trallianus, capite grauantur, oculi obſcurantur, & caligant, tardeque ſentiunt: vehemens quoque in his conuulſio apparebit, vt patet tertio de locis affect. At quibus à ſtomacho vitium hoc oritur, palpitatio ipſius percipitur, & turbatio quædam, & eroſio. Item morbi acceſsionem tum potius ægri ſentiunt, irritanturque cùm tardè ipſos cibum ſumere, aut nullum contingit, Tralliano & Paulo teſtibus: quemadmodum Galeno auctore quinto de locis affectis, cuidam grammatico iuueni eueniebat; qui quoties vel nimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam ſuſtineret, aut iraſceretur, morbo comitiali corripiebatur, ortum ducente ex ipſo ore ventriculi primariò affecto, vtpote quòd facilè ſentiret, & deinde per conſenſum cerebro oblæſo. At ſi ob aliam quampiam particulam morbo comitiali laborant, diſtributionem mali ex eadem parte primariò affecta ad ſuperiora, hoc eſt, ad cerebrum fieri manifeſtò percipiunt, prædicuntq; id quod futurum ipſis eſt, cùm diſtributio vitij ad cerebrum vergere incipit, ſiue qualitas quædam ſit, quæ alteratis per continuationem partibus à parte affecta ad cerebrum aſcendat, aut ſpiritalis quædam ſubſtantia tranſmittatur. His etiam accedit, vt ſine vehementi conuulſione concidant, ſed veluti ſaliendo per interualla concuti videntur: quanquàm & id commune etiam ſit his, qui à ſtomacho comitiali afficiuntur. Hanc differentiam comitialis morbi à crure initium habentis primùm Gale. vidit, cùm adoleſcens adhuc eſſet, in puero, qui tertiumdecimum ætatis annum agebat, narrante puero ipſo diſpoſitionem ipſam à crure initium capere, mox illinc recta aſcendere per femur, lumbos, ac per latera ad ceruicem, donec ad caput perueniret. quod cùm primùm tangeret ipſum haudquaquam ſibi conſtare dicebat. Verùm quale eſſet id, quod ferebatur ad caput interrogatus puer, nihil habuit, quod reſponderet. Alius tamen adoleſcens men-

Tres comitialis morbi differentiæ.

3. de loc. affe. citato loco.

Quibus indiciis quælibet earum dignoſcatur, ac ab alijs diſcernatur.

3. de loc. affe. cap. 7

Galeni hiſtoria 5. de loc. affe. cap. 6.

Altera Galeni hiſtoria.

tis compos, qui ſatis poterat, & ſentire quod fiebat, & alteri enarrare, dicebat
cap.7
veluti frigidam quandam auram eſſe, id quod aſcendebat, vt patet tertio de lo-
cis affectis. Tale etiam quiddam contingit in his, qui à ſcorpio, aut aliqua alia
venenum eiaculante beſtia icti ſunt. Cæterùm cùm ſymptoma ſit comitialis
Ad quē morbum ſe habeat hæc affectio.
morbus, ad morbumque in cauitate, ſeu in via conſequatur, eius cauſa inueſti-
ganda erit: quæ à Gale. quoniam ſubitò fit, ac ſoluitur confeſtim hæc affectio,
Quæ ſit eius cauſa.
quòd nulla alia eſſe poterit quàm craſſus, lentuſque humor tertio de locis affe-
ctis adſtruitur. Nam ſubitariam meatuum obſtructionem (vt ipſe refert) à craſ-
Loco citato.
ſo, viſcidoque humore fieri conſtat. Atqui cùm craſsi humores in duplici pri-
ma differentia reperiantur, pituitoſi videlicet, & melancholici, non ab re ab
eodem decretum eſt, quòd velut craſſus pituitæ ſuccus, ita & is qui atræ bilis
naturam habet, comitialem morbum ſolet efficere: id quod confirmauit Pau-
lus, dum dixit, morbi comitialis modò humorem pituitoſum, modò melancho-
licum cauſam eſſe. Tenuis nanque humor, calidusque exiſtens haud ita ſubitò
obſtructionem gignere valet, ſed longo forſan tempore auctus obſtruere poſ-
ſet, non tamen morbum comitialem progignere, qui ſubitò fit, confeſtimque
ſoluitur. Ij igitur ſucci ſunt, qui cerebri meatus obſtruentes, impedienteſque
animalem ſpiritum, qui in eiſdem cerebri ventriculis continetur, quominus
poſsit exire, morbi comitialis auctores fiunt. Verùm nunquid vnus, vel alter
in cauſa ſit, ne ſermo protelетur, percipere poteris ex his, quæ diximus indiciis
ſucci melancholici cap. de melancholia, & pituitæ, cap. de dolore capitis orti
ex pituita. Hæc de cauſis morbi comitialis primariò affecto cerebro. At ſi per
conſenſum fiat, ſicut diuerſus eſt generationis modus, ita diuerſæ eius cauſæ
eſſe poterunt, quæ vbi ad cerebrum aſcenderint, ipſum affligentes morbi co-
Nū morbi comitialis conuulſio ſit de repletiōe, vel inanitione.
mitialis auctores fiunt. Sed mox non iniuria quæret aliquis, nunquid conuulſio
comitialis dici poſsit de repletione, an de inanitione? cùm ab Hippocrate de-
cretum ſit aphoriſ. 39. ſexti libri, eam vel ab vna, vel ab altera cauſa gigni poſ-
ſe: eadem ſententia quoque confirmata eſt Galeno tertio de locis affectis:
3. de loc. affe. cap. 6.
cui reſponſum volo ex Galeni verbis, commento aphoriſ. 70. quinti libri, eam
Reſponſio.
eſſe ex repletione: dicebat nanque conuulſionem ex euacuatione factam acu-
tiſsimam eſſe, ac pernicioſiſsimam, eam verò, quæ ex repletione neruoſarum
partium fit, qualis in morbo comitiali, neque acutiſsimam, neque ſimiliter pe-
riculoſam eſſe. Conuulſionem igitur Galenus in his verbis in morbo comitia-
li factam connumerat inter eas, quæ ex repletione neruoſarum partium fiunt.
Verùm adhuc inficias ibit, hoc veritatem fortè habere poſſe in morbo comi-
tiali per eſſentiam orto, at in eo, qui per conſenſum euenit, ſiue à ventriculi ore,
ſiue ab aliis quibuſdam partibus, haudquaquàm veritatem habebit; cùm nul-
la repletio partium neruoſarum in prædictis percipiatur, neque cerebri caui-
tates obſtruantur, cùm in eis humor craſſus, ac viſcidus non comprehendatur,
veluti in morbo comitiali per eſſentiam genito, primariò ipſo cerebro affecto.
Atqui dicemus nos perpetuò in quouis comitiali morbo conuulſionem fieri,
neruorum principio ſeipſum quatiente, quò excutiat id quod noxium eſt, vt
cap.7.
tertio de locis affectis liquet; quocunque modo ipſe excitetur, verùm ſi prima-
riò affecto cerebro exoriatur conuulſio, haud abſimilis eſt eis, quæ à ſpinali me-
dulla principium habent, conuulſionibus, irrigata explantatione ex eo humo-
re, qui in cerebro comitialibus comprehenditur, vniuſcuiuſque nerui: quem-
3. de loc. affe. cap. 7.
admodum idemmet Galenus teſtatur eodem tertio de locis affectis, & ſexto
6. de morbis vulgar. commentario 6. comment. ulti.
de morbis vulgaribus illud idem confirmauit, cùm dixit, Cauſa autem morbi
comitialis (intelligens de eó, qui per eſſentiam ortus eſt) craſſus & frigidus eſt
ſuccus congregatus quidem in ventriculis cerebri, comprehendens autem &
explantationes ſcilicet neruorum, & maximè primum principium ſpinalis me-
dullæ. Qua de re nemo vereri debet, conuulſionem hanc in numero earum eſ-
ſe, quæ ex plenitudine ſunt: repleti ſunt nanque in ea cerebri ventriculi, irri-
gati, ſeu humectati neruorum exortus, ac ſpinalis medullæ principium: de qua

etiam

etiam conuulſione eius verba intelligi debent commento aphoriſ. 70. quinti libri. Verùm de ea conuulſione, quæ in morbis comitialibus per conſenſum affecto cerebro contingit, non abſque ratione hæſitandum erit, num de repletione, aut de inanitione dici debeat: nanque in his quoque veluti ſaliendo per interualla concuti ægri videntur. At quòd neruorum principium, cerebrum videlicet, huiuſcemodi motu concutiatur, vt à ſe expellat quicquid fuerit, quod à parte primò affecta ad ipſum affertur, nemo vereri debet, & Galenus tertio de Locis affectis, decretum reliquit. propter hoc ergo epilepticæ in his fiunt conuulſiones. Sed ſi veritatem fateri velimus, ea neque de repletione, neque de inanitione dici poterit. Et ſi dixeris quamlibet conuulſionem, aut ex plenitudine, vel euacuatione fieri, iuxta præallegatam Hippocratis ſententiam; reſpondebimus nos illud veritatem habere in his, quæ per eſſentiam fiunt, conuulſionibus, & non in his, quæ per conſenſum, ex Galeni doctrina commento aphoriſmi primi quinti libri. Nanque in his ſimilis aliquis motus cerebro euenit, qualis ſtomacho interdum à re quapiam moleſtato accidere ſolet: quippe cùm à ciborum mole grauatur, aut vbi corruptis cibis morſu infeſtatur: tunc nanque ſingultu affici conſpicitur. ſic etiam & cerebrum idem pati exiſtimandum erit, cùm aliquod à parte primò affecta ad ipſum affertur: quæ licet mole minima, facultate tamen quammaxima eſt. Sed mox in dubium venit num morbus comitialis hoc modo per conſenſum genitus, velut & is, qui primariò affecto cerebro fit, ad morbum in via, ſeu in cauitate ſequatur? Cui reſponſum volo, eum quoque ad morbum in via, ſeu in cauitate inſequi: nam licet humor craſſus in cerebri ventriculis ſpiritus meatum obſtruens non comprehendatur veluti in morbo comitiali per eſſentiam genito, conſtringuntur tamen in hac affectione ſpiritus meatus, ac cerebri ventriculi, cùm primùm cerebrum ipſum concutitur, vt à ſe expellat quodcunque fuerit id, quod contriſtat. atqui cauitates partium non modò læduntur, aut pereunt, eis obſtructis, conſtipatis, coaleſcentibus, aut in ſeſe reſidentibus: verumetiam conſtringuntur, iuxta Galeni decreta libro de Cauſis morborum cap. ſeptimo. Ad morbum igitur in via ſemper comitialis morbus cõſequitur, impedito animali ſpiritu, qui in cerebri ventriculis continetur, quominus exire poſsit. Neque ab ariditate, ſeu vacuatione ortum ducere poteſt, quemadmodum Galenus ſcriptum reliquit eodem tertio de Locis affectis. id quod probauit ex eo, quòd ſubitò fit, & confeſtim ſoluitur: etenim breui tempore fieri non poſſet, vt vel cerebrum, vel tenuior ipſius membrana ad tantam perueniret ariditatem, vt corio ſimile quippiam pati videretur. Accedit ad hæc, quòd in his, qui ſic laborant, ſenſus, & functiones principes confeſtim detinentur. Occupat autem hoc vitij genus maximè pueros, eóſque adhuc paruulos, deinde adoleſcentes, & iuuenes, minimè verò ſenes, & decrepitos (Paulo teſte) cuius ſententiæ ſubſcribit Cælius Aurelianus libro primo cap. quarto, & propterea (ni fallor) Hippocrates παιδικὸν νόσημα, hoc eſt, puerilem morbum conſueuit appellare. habetur hic affectus vnus ex longis affectibus, vt fatetur Trallianus: qui excellentem diligentiam, ſtudiúmque requirit: et ſi per initia neglectus fuerit, frequenter ij, qui eo detinentur, commoriuntur: id quod Paulus confirmauit, dum aſſeruit quòd pleriſque hic affectus longus eſſe ſolet, niſi crebris, & vehementiſsimis acceſsionibus, velut acutiſsimus affectus ſtatim iugulet. Nam ſi non pubertate, vel menſtruorum initio, aut puerperio ſolutus fuerit, vel ſi poſt hoc tempus remanſerit, ſæpè vſque ad mortis diem prorogatur, niſi congruam medici curationem fuerit aſſecutus. Celſus quoque teſtatur hunc morbum comitialem ſæpiùs viros, quàm fœminas occupare, ac ſolet quidem etiam longus eſſe vſque ad mortis diem, & vitæ non periculoſus: interdum tamen cùm recens eſt, hominem conſumit: & ſæpè eum, ſi remedia non ſuſtulerunt, in pueris, veneris, in puellis, menſtruorum initium tollit. Magnæ ſiquidem fiunt corporis mutationes in pubertate, in fœminis maximè, propter menſtruorum eruptionem. Quare ſiqui morbi ne hac quidem

Quid ſentiendum ſit de conuulſione morbi comitialis per cõſenſum geniti.

Quòd comitialis morbus ſemper ad morbũ in via conſequatur.
Citato loco.
Quòd ab ariditate fieri nequeat.
Prognoſtica.

ætate finiuntur, vſque ad longum tempus perdurare conſueuerunt, Galeno teſte commento Aphoriſmi vigeſimioctaui tertij libri, quanquam & ipſemet commento Aphoriſmi ſeptimi libri quinti ſcriptum reliquerit, certum eſſe, quòd neque omnibus ſanabitur morbus comitialis ex pubere ætate, niſi & alia rectè geſſerint:neque quibus in hac accidit, omnino permanet,ſi bonam victus rationem adhibeant. Quapropter non ab re Hippocrates aphoriſ. 45. ſecundi libri dicebat, quòd quicunque pueri morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis,temporum,& locorum, & victuum quoque liberantur, & Aphoriſmo ſeptimò quinti libri. Quibuſcunque, ait,morbi comitiales fiunt ante pubertatem,mutationem accipiunt:quibuſcunque autem vigeſimoquinto, ferè commoriuntur,& ſexto de Morbis vulgaribus ait , Infantium effulgeſcentiæ cum pubertate nonnunquam mutationes habent, &c. Et inſuper quòd magna ex parte epileptici fiunt melancholici,& melancholici epileptici,eodem ſexto de Morbis vulgaribus ſcriptum reliquit. Aëtius verò teſtatur , quòd licet difficilem curationem habeat morbus comitialis recens natis paruulis ortus,non tamen ea deſperata eſt. Irruit autem in omni tempore corporibus (vt refert Cęlius Aurelianus) ſed magis verno:quo etiam tempore periculoſior eſt, Hippocrate auctore libro de Sacro morbo. Inſuper eodem loco ſcriptum reliquit, ſacrum morbum inueteratum eſſe incurabilem:cur verò huic morbo obnoxij aliquando liberentur , maximè accedente hyeme, libro de Flatibus apud eundem Hippocratem legitur. Quòd autem hoc vitio affectis extenuans victus ratio conferat, cunctis artis medicæ auctoribus liquet,potiſsimùm Galeno,qui libro de Attenuante victus ratione cap.primo ſcriptum reliquit , epilepſias paruas quidem,& etiamnum incipientes eam penitus ſanare:inueteratas verò , ac conſummatas iuuare non mediocriter.Vtilis eſt ergo victus ratio,quæ incidat, atque extenuet : quemadmodum & Paulo etiam viſum eſt.Quapropter aër ad calidum,& ſiccum declinans eligendus erit,præſertim ſi ex pituitoſo ſucco morbus comitialis ortum ducat. Si verò ex melancholico ſucco , ad calidum inclinans eligatur,temperatus tamen in paſsiuis.Somnus quoque ſit eis moderatus, & nocturnus:diurnum autem omnino vitent.Exercitia,& frictiones proſunt etiam capiti, poſt reliquas omnes corporis partes adhibitæ , Paulo teſte. Aluus quòd lenis ſit , & non aſtricta eis procurandum erit, vt ventris excrementa deiiciantur,& non detineantur,quòd ſi non ſponte ea deiecerint, glandibus,aut clyſteribus in eorum excretione natura proritanda erit. Deuitandus quoque erit liberalis coitus (quanquam moderatus proſit) Ab animi perturbationibus cauere debent immodicis : ſimiliter & ſolicitudines , negotia omnia, loci præcipitis conſpectum,omniumque torrentium fugere oportet , Celſo auctore:cibus conueniens ſumi debet, mediæ materiæ : & propterea eis non conueniunt neque ſorbitiones , aliique molles , & faciles cibi, neque caro, minimeque ſuilla, vt Celſo viſum eſt : quam ſententiam imitatus Alexander dicebat, At carnes vitari debent,donec in totum morbus fuerit diſcuſſus, & præſertim ſuillæ. Similiter etiam legumina, præcipuè lenticula. Cum quo etiam conuenit Paulus , ſed panis tribuendus eſt optimè fermentatus. Ex volatilibus verò interim carnes guſtare poterunt , gallinarum videlicet , phaſianorum , auium montanarum,turdorum, & turturum , ac paſſerculorum , licet ex his minus pingues eligi debeant, Alexandro teſte, quæ decoqui debent cum extenuantium medicamentorum aliquo, vt hyſſopo, pulegio,ſerpillo, ſampſucho,anetho, & aliis huiuſmodi : capparorum frequenter eſus mirifice prodeſt, Paulo teſte. Ex oleribus, intybum,caucalidem,gingidium, & decocta porra edant. A cepis, dauco , ſmyrnio abſtinendum; cùm & caput repleant, comitialeſque offendant, Alexandro auctore. Non alienum quoque erit inter piſces erinaceum ſumere per interualla : & alios quoſdam, qui ſuperfluitate vacent, vt merulam ſcorpium, aut ſcarum. Fructus verò cauere admodum ſalubre eſt:quanquam voluptatis gratia modici,& magis à cibo offerendi ſunt. Nuces,& palmulæ vitandæ ſunt.

6.de mor.uul. comment.1. Tex.4 Comment.7. in fine.

Curatio.

Victus ratio.

ſunt: at piſtacia,& vuas paſſas ſuper cibum ſumere poſſunt, præſertim quæ leuem aſtringendi vim habent. Coriandrum item ſi comedant, prohibet humores aſcendere in caput, quod maximum adiutorium eſt, Plinio ſecundo auctore, libro quinto cap. 7. præſertim ſi præparatum ſit eius ſemen. Vinum circuncidendum eſt, præcipuè vetuſtum, ac meracum, & copioſiùs ſumptum, vtpote quòd caput repleat: verùm ſtomachi gratia, vt coctioni auxilietur (quoniam cruditates cauendæ ſunt) non ab re erit, mediocriter ipſum aſſumere. Sit autem album, & aſtringens, optimè dilutum, vel aqua mulſa, ſeu aqua in qua cinnamomum, & coriandrorum præparatorum ſemina fuerint decocta, pro potu vtantur. At ſi infans ſit æger, vel etiam lac aſſumit, nihil moliendum eſt, neque agendum quantum ad curationem attinet, Alexandri, & Pauli auctoritate. Nam ætate ad calidiorem, ſicciorémque ſtatum vergente, ac victu moderatiore, ſua ſponte plerunq; morbus finitur, vt Hippocratis auctoritatibus, aphoriſmo 45. ſecundi libri, & ſeptimo quinti libri liquet. Diſcutitur nanque in eis humiditas cerebri ventriculos replens hac ratione, adeò vt ſolius victus infantium, & eorum, qui lacte nutriuntur, ratio ſit habenda. Quo fit, vt iuuare nos, curamque habere oporteat, vt nutricis lac benignum ſit, & recrementis liberum, vt Trallianus refert, ſi infans lactens ſit. Fiet autem hoc, ſi eadem victus ratione vtatur nutrix, quam ſuprà probauimus: hoc tamen ſeruato, quòd non valdè extenuantibus vtendum ſit, ne plus vaſa vteri aperientibus, plurimúmque ſanguinem menſtruum prouocantibus, lac imminuatur. Propterea fœniculo, anetho, & aniſo, ac aliis viridibus vtantur, & non aridis, quæ magis ſint acria. Verùm præter victus rationem nutricis inſtitutam, Poſsidonij auctoritate Aëtius quædam adhibenda auxilia conſcripſit infantibus ipſis, inter quæ puluis quidam capiti conſpergendus ex cypero, adianto, & iride eſt. Inſuper & illitionem aſsiduam ex oleo anethino, irino, ac amaricino calidis laudauit: præcepítque eiſdem mel deſpumatum ad delingendum dandum eſſe, & collo alligandam pæoniæ radicem recentem, quæ ſemper ſtomachum contingat: cuius medicamenti auctor fuit Galenus ſexto de ſimpl. medicamentorum facultatibus, cap. de pæonia. Sed quoniam non his duntaxat infantulis, & lactentibus, ſed ablactatis, præter victus rationem vtiliter vtendi venia datur medicamentis: quemadmodum non ſemel duntaxat, imò ſæpius experientia comprobauimus: propterea & ea, quibus vti conſueui recenſere non grauabor. Nanque & glandibus paruis ex muris ſtercore, agarico, ſale gemmæ, & puluere hieræ ſimplicis, ac deſpumato melle vti poteris: nec minus & clyſteriis ex gallinarum, ſeu pullorum iure, pauco ſale, olei communis, ſeu amygdalarum dulcium vnc.ij. mellis roſacei vnc.j. trochiſcati agarici ſcrup. ij. aut hieræ picræ ſimplicis drac.iij. vel ambobus ſimul cõpoſitis vtaris: præſertim ſi bieniũ tranſcenderit infans: lingendũ quoq; præbeto ſæpiùs parum antidoti pliris archoticon, diambræ, ſeu diamoſchu dulcis ſcrup.j. & ſyrupi de infuſione roſarũ, ſeu mellis roſacei vnc. j. vel j. & s. ſimul mixtis. Interim & antidoti mithridati tantundem accipias, præſertim ſi triennium, aut quadriennium exceſſerit, cum eodem melle roſaceo, aut ſyrupo de infuſione roſarum: necnon & puluerem capiti inſpergendum deſcribam, qui recipit hyſſopi, & ſampſuchi ſicci gra. iiij. corticum thuris, maſtiches ana gra. iij. ſpicæ, florum ſtœchadis, macis, ſingulorum gra. ij. caryophyllorum, nucis moſcatæ ana gra. j. roſarum rubearum ſiccarum drac.iij. terantur omnia, & fiat puluis, qui capiti circa coronalem commiſſuram inſpergatur, aut ex eo paruuli ſacculi parentur, & prædictæ capitis parti applicentur: non parum etiam conducit & infraſcriptus puluiſculus, ſi eis aſſumendus tribuatur: quo etiam quotidie vti conſueui. Excipit autem mannæ thuris, maſtiches gra. iiij. nucis moſcatæ, ſpicæ, cinnamomi, ſingulorum gra. ij. hirundinis præparatæ ſcrup. s. ſeminis, & radicis pæoniæ gra. iij. pulueris oſsis cranei viri, ſi maſculus, fœminæ, ſi fœmina fuerit, gra. v. ſeminum coriandrorum præparatorum, & ſacchari candidi ana ſcrup. ij. ſacchari optimi lib. s. miſceatur,

Victus ratio pueris ſeruanda.

Medicamentorum ratio.

& fiat puluis. Tempora quoque, & locus iuxta narium foramina ex antidoto mithridatico, ſucco rutæ, ac pauco aceto illinantur: rutaque ipſa ſæpiùs odorãda erit, ac ſub ceruicali ſubſternenda. Interimque infraſcripto ſuffumigio vtitor, Recipe ladani drac. j. corticum thuris, maſtiches, ſingulorum ſcrup. j. roſarũ rubearum drac. iiij. fiat puluis: quo ſuper prunas adhibito, infans, ac domus, in qua degit, leniter ſuffumigetur. Inungatur prætereà ſpinalis medullæ principium ex oleo nardino, ſeu de nuce moſchata cum oleo roſaceo, ſeu amygdalarũ dulcium permiſto.

Reliquis à pueritia medicamentorũ ratio acceſſionis tẽpore.

Qui verò poſt puerilem ætatem in hanc affectionem prolabũtur in ipſa acceſsione conuulſæ eorum partes dirigendæ, inungendæ, ac deligandæ ſunt: atq; ita continendæ, vt in rectum dirigantur. deinde diſtento ore, vomitus proritandus erit: quò humores ex ſtomacho extrahantur, pituitaque auferatur digitis, aut pennis oleo illitis, irino præſertim demiſsis. Inſuper oportet medicamentis, quæ naribus adhibentur, ſenſum irritare: velut peucedano, cyrenaico ſucco, bitumine, aut cedrina pice. perſeuerante autem adhuc exacerbatione, glans immittenda erit, ex agarico, ſale gemmæ, hiera, & deſpumato melle confecta. Extremæ partes fortiter vinciendæ ſunt, ac confricandæ, confidenterque caſtoreum, ſuccúm ve cyrenaicum cum aceto mulſo ori infundere licebit, Aëtij pręcepto.

Curatio eorundem ab acceßione.

Acti inſuper poſthæc clyſtere vtaris, pręſertim ipſis reuocatis, decocto videlicet centaurij, calaminthæ, ariſtolochiæ, mercurialis, florum chamæmeli, & furfuris cum ſale pauco: in quo vnc. iij. vel iiij. olei cõmunis, ſeu anethini, mellis roſacei vnc. ij. agarici drac. j. vel drac. j. & s. hieræ picræ ſimplicis drac. vij. & antidoti indi, ſeu benedictæ laxatiuę drac. ij. vel iij. diſſoluas. Deinde recuperatis viribus, per Galeni hieram, agarico trochiſcato admiſto, ſeu alio conuenienti medicamento (vbi opus) purgetur. huiuſmodi ſanè eſt recentis, & acuti comitialis morbi curatio. quòd ſi neque his cedat, verùm adhuc permaneat, curandus iam, vt longus eſt. hos ſiquidem oportet in longo aquæ potu continere, ex Pauli & Aëtij ſententia, quibus etiam (ſi nihil impedierit) venam ſecare confert, non tamen cubiti, ſed crurum potius, iuxta Galeni ſententiam, libro de curandi ratione per venæ ſectionem, ac Celſi cap. 23. lib. tertij, paululumq; ſanguinis mittere oportet, eodem Celſo auctore, iuxta talum, ex vtroque crure venam incidens.

Venæ ſectio.

Lib. 6. de curan. rat. per venæ ſectio. cap. 19.

Tempus autem erit adhibendæ venæ ſectionis acceſsione tranſacta, alijs conſentientibus, vt apud Cælium Aurelianum legitur, quam etiam ex brachio faciendam admittit, quemadmodum & Paulus: tu verò tutiùs curans, ex cruribus potius ſanguinem detrahes. Intermiſſiſque demum aliquot diebus, purgans medicamentum exhibendum erit, redundante tamen ſucco priùs præparato (qui ſi pituita fuerit, ex melle roſaceo, oxymelite ſimplici, aut ſcillino, ſeu ſyrupo de ſtœchade, aut hyſſopi, in aqua mulſa decocto, ſeu alijs huiuſmodi præparari poterit. Succo autem melancholico redundante, ſyrupus è fumaria tribuatur, vel ex lupulis, ſeu epithymo, aut ſenæ, ſeu epithymi in aqua mulſa decoctum, aut alius huiuſmodi ſimilis, cum quibus ſemper radicis pæoniæ decoctum commiſceri poterit. Poſtea verò non ſemel duntaxat, ſed bis, ter, & ſæpiùs (vbi opus fuerit) purgantibus medicamentis ægri purgandi ſunt: cauendaq; erit exquiſitiſsima in vnica vice euacuatio.

Purgatio.

Qua de re redundante pituita pilulis cocchiis, aureis, ſine quibus, aut de agarico ægrum purgabis, à quibus per duas ferè horas vnc. iij. vel ij. ſyrupi ex pluribus infuſionibus roſarum rubearum, aut perſicarum exhibeas. At ſi à nigra bile hæc paſsio excitata fuerit, à prædictis hunc humorẽ præparantibus, quę eundem purgare poſſunt, tribuas, nempe drac. j. aut ſcrup. iiij. ex pilulis arabicis, aut de lapide lazuli, vel de lapide armeno, ſeu tantundem pulueris ſenæ, vel epithymi cum ſcrup. ij. aut drac. j. pulueris hieræ ſimplicis Galeni, catapotla conficias, à quibus per iam dictum ſpatium vnc. ij. vel iij. ſyrupi domini Auguſtini, aut prædicti ſyrupi ex pluribus infuſionibus roſarum abſorbere poterit æger.

Poſt purgationẽ quibus utẽdum ſit.

Vbi verò ſufficiẽter purgati fuerint, ægros ipſos lauare nõ erit inutile, ac cucurbitulas poſt tres dies cum ſcarificatione (ſi opus fuerit) ſcapulis affigere, ſeu in

occip

occipitio: & ſequenti die cataplaſma capiti adhibeas, ex pane cocto cum aqua mulſa, cùm amygdalis amaris contrito, aut ſerpillo, aut calamintha, aut mentha, ſeu ruta, idque per triduum continuandum erit, ex Aëtij, & Pauli ſententia. Poſtea radendum eſt caput, & liniendum peucedani ſucco in aceto diluto, vel ſpondylium, ſeu ſerpillum in aceto coquatur, aut iris, & eodem modo illinatur, inde medicamentis vti, quæ ſternutamenta citant, hellebori videlicet, caſtorij, ſeu piperis puluere naribus iniecto: aut liquidis errhinis vtaris, ex aqua hordei, in qua ſampſuchus, aut amaracus, ſerpillum, calamintha, ſeu ruta fuerint decocta, & adiecto betæ ſucco, iridis, aut cyclamini: nec minus vtiles ſunt & manſiles, paſtilli, qui per os pituitam educant, ex hyſſopo, pulegio, pipere, caſtoreo, chia, maſtiche, pirethro, vua paſſa, & cera confecti, vel alijs huiuſmodi ſuperius deſcriptis vtare: inunganturque ſpinæ initium ex oleo coſtino, nardino, hyperici, de caſtoreo, aut de nuce moſchata. Quòd ſi neque his ceſſerit malum, ſinapiſmum capiti adhibe, eorundem Aëtij, & Pauli decreto, aut ferro candente in occipitio, & infra, quo loco ſumma vertebra cum capite committitur, aduras, iuxta Cornelij Celſi ſententiam: inuras autem duobus locis iam dictis, vt ipſe refert: vt per ea pernicioſus humor euadat, quòd ſi in duobus locis inuſtionem non perferant, ſaltem in vno ferro candente aduras, quo videlicet ſumma vertebra cùm capite admittitur. Aſſumere autem caſtoreum cum aqua mulſa, ſummopere à Paulo laudatur: & oxymel ſcillinum quotidie potum. Aëtius verò (Dioſcoridis auctoritate) rutæ ſylueſtris ſemen cum aqua potum commendat, aut ſpondylium eodem modo, & loti arboris ramentorum cremorem, aut foliorum quinquefolij drac. j. quotidie potam. Vel ſi ad dies quinque, aut plures duorum cochleariorum menſura ramentorum eboris, ſingulis diebus, cum aqua mulſa aſſumatur. Similiter ſi æger ieiunus bibat quotidie ex coagulo leporis erui magnitudine, aqua diſſoluto: & ſi leporinum non adeſt, hœdino vtatur. Aſſumptionem autem leporini coaguli cum aceto ebibiti, tanquam valde vtilem morbo comitiali laborantibus Galenus 10. de ſimplic. medic. facult. ſummopere commendauit: confert etiam muſtellæ hepar ſine felle aſſum, ſi cum aqua vnc. iiij. dabis bibere, vt ait Pli. ſecundus libri tertij, cap. 10. Ex compoſitis antidotum diambræ, diamoſchu dulcis, mithridatum, ac theriacam exhibere poteris. Sunt inſuper medicamenta quædam, quæ proprietate quadam, ac tota ſubſtantia huic malo aduerſantur: quæ quoniam copioſe à Medicis conſcripta ſunt, conſultò prætermiſi, velut quædam quoque ſunt, quæ comitialem morbum arguunt, & eo affectos collabi faciunt ſuffita, vt bitumen, lapis gagates, cornu caprillum, & caprini hepatis aſſati odor, ſiue ipſum etiam hepar comeſtum, iuxta Pauli, & Aëtij ſententiam. Reliquum eſt, vt per conſenſum geniti morbi comitialis curam præcipiamus. Nam ſi ventriculo primariò affecto fiat, oportet ægro præcipere, vt bonæ concoctionis ſtudioſus ſit, eamque accuratè ei procurare, Galeno auctore, quinto de locis affectis, quem ſectati ſunt Aëtius, & Paulus, ita vt ex facili æger concoquat. Proinde panis optimè præparatus circa tertiam, vel quartam horam diei exhibeatur, ſolus ſi non ſitiat: ſi verò ſiti crucietur, ex vino madidum albo, atque modicè aſtringente: nam huiuſmodi vinum (eodem Galeno teſte) vt ventriculum robuſtum efficit, ita haudquaquam tentat caput: id quod facere ſolent ea, quæ vehementes vires obtinent. Dare quoq; expedit, ſingulis annis bis, aut etiam ter medicamentum amarum ex aloe: totum nanq; ventrẽ purgat, vireſque reparat: quo curationis modo iuuenem quendam grammaticum à prædicto affectu Galenus liberauit. Propterea non ab re & alij ſimili modo affecti curabuntur: præſertim ſi in eis flaua bilis circa ventriculum decumbat. At ſi pituitoſum coacteruat ventriculus humorem, atque hinc caput malè ſimul afficiat, & morbum comitialem inducat, proſpiciendum eſt ei (poſt prædicti ſucci præparationẽ, coctionem, & purgationem; quã non piera tantũ, ſed & agarico ſolo, aut cum ea miſto, perficias) vt os ventriculi ab extra etiam

Cap. de coagulo.

Quæ à proprietate morbum comitialem excitãt.

Cura morbi comitialis per conſenſum geniti.

5. de loc. affec. cap. 6

irrigetur ex iis, quæ calfaciunt, & corroborant, bis ſaltem, aut ter in menſe, Alexandri præcepto, oleo chamæmelino, & abſynthino: quibus adiiciatur ſtyrax, & maſtiche: quò præſtantius (vt ipſe refert) non reperitur: cum & calfacere, & quod imbecille eſt, firmare poteſt, vt probè concoquat. Illud tamen ſilentio præterire nolui, quòd non modò in his comitialibus morbis per conſenſum genitis, verùm & in eis, qui per eſſentiam affecto cerebro oriuntur, agari-

Agarici laus.
Dioſc.li.3. c.1
Gal. 6. ſymp. ca. de agr.
Lib.4. c.134.

cum ipſum non erit prætermittendum: cum & Dioſcoridis auctoritate, & Galeni lib. 6. de ſimpl. medic. facult. & Pauli eodem capite 13. 3. lib. morbo comitiali obnoxios ſua facultate ſanet: præſertim ſi ex craſsis, & viſcidis humoribus ipſe gignatur; quemadmodum neque nigrum veratrum prætereundum erit, potiſsimum ſi nigra bilis epilepſiæ cauſa fuerit, eiuſdem Dioſcoridis auctoritate: multum quoque prodeſt his, quibus ſtomachus primariò affectus eſt, ſeſelli, & ſpondylij radix, ac ſemen, ſeu ariſtolochia rotunda trita, & ex aqua pota. Mirum quoque in modum opitulatur eis aſsidua crurum ſcarificatio in talo, ſeu poplite, eiſdem Aëtio & Paulo teſtibus.

Gal.5. de loc. affe.cap.6.

Alios inſuper Galenus vidit conuulſione comitiali, ob oris ventriculi vitium correptos, cum aut non probè coxiſſent, aut vini, & quidem meracioris plurimùm potaſſent, aut vbi veneri immodicæ operam dediſſent: quibus non alio modo ſuccurrendum erit, quàm prohibita eorum cauſa, eis procurare & accuratè concoctionem probam: nullum enim (vt inquit Alexander) eſt in omnibus quidem affectibus præſtantius auxilium, præcipuè verò comitialibus. Sin autem nec ventriculus, nec caput comitialis morbi originem habeant, ſed ex alia quadam particula initium ſumat, ſiue manus ea fuerit, ſiue pes, illi potiſsimum parti proſpiciendum erit, totaque curatio ei admouenda. Propterea imprimis conferunt vincula ſuperioribus partibus iniecta: ab iis enim præſentaneum præſidium expectatur, Galeni præcepto tertio de locis affectis, id quod reſtatur expertum eſſe in viperarum, aſpidum, & ſcorpionum ictibus, quod magis incredibile eſt propter imminens ſubitariæ mortis periculum.

cap. 7
Galeni hiſtoria.

Inſpexit quoque Medicos ſanaſſe puerum, cuius morbus comitialis à crure oriri conſueuerat, curato in primis vniuerſo corpore, ligatoque in medio membro, ſupra eam videlicet partem, quæ primaria diſpoſitione erat affecta, adhibitoque demum medicamine ex thapſia, aut ſinapi, parti ipſi affectæ. Poſt igitur totius corporis euacuationem; cum videlicet malum remittit, ea quæ adurere, ſeu exulcerare, extenuare, ac calfacere partem poſſunt medicamenta, parti affectæ imponenda ſunt: inter quæ lepidium à Paulo, & Alexandro commendatur: vel medicamentum ex thapſia, ſeu ſinapiſmus: quorum meminit Galenus, eodem tertio de locis affect.

Loco citato.

Poſt omnia commemorata & theriacæ, & naturales balneæ locum obtinent; poſtremoque curandum ne caput inſolatu vratur, vt Paulo viſum eſt: & de comitialis morbi curatione quouis modo orti, hæc dicta ſufficiant.

Περὶ ἀποπληξίας. *De Apoplexia.* *Cap. XIX.*

EST inſuper morbus comitialis proximus quodammodo ei affectioni, quæ ἀποπληξία appellatur, vt Galenus inquit commento apho. 45. 2. lib. propterea non ab re poſt tractationem de morbo comitiali, de ea hic tractare intendimus. Poſſet Latinè affectus hic attonitus nuncupari, cum à Celſo, hi, qui hac affectione laborant, cap. 26. tertij libri, attoniti nominentur: quorum (vt ipſe refert) & corpus, & mens ſtupet.

Quid ſit apoplexia.
Alexan. lib.1. cap.16.

Ab Alexandro verò cap. de reſolutione, hoc modo deſcribitur, quòd ipſa quidem eſt totius corporis ſenſus, & motus abolitio cum principis animæ functionum noxa: & Paulus cap. 18. tertij libri dicebat, apoplexiam appello, cùm omnes corporis particulæ motum ſimul, & ſenſum amiſerunt, principalibuſque animæ functionibus oblæſis.

Aët.lib.6. cap.27.

Aëtius item ſimiliter dixit, quòd eſt priuatio ſenſus, & motus totius corporis vnà cùm læſione

principalium actionum derepentè incidens. Galenus autem tertio de locis affe-
ctis,cap.10.ſic de ea ſcriptum reliquit. Cum igitur omnes pariter nerui,tum ſen-
tiendi,tum mouendi vim amiſerint,apoplexia huiuſmodi affectio appellatur,&
lib.de Different.ſympto.cap.3.apoplexiam dixit eſſe affectionem, qua ſimul &
totum corpus reſoluitur,& principes functiones cohibentur,in apoplexiis nan-
que totum corpus derepentè ſenſu, ac motu priuatur: quanquam interim ſola
reſtat reſpiratio, eodemmet Galeno auctore,commento aphoriſ.42.ſecundi li-
bri.in hac denique affectione quòd cerebrum affectum ſit,patet ab eodem Ga
leno tertio de Locis affectis,dum dixit, Igitur apoplexia omnibus animalibus
actionibus noxam inferens,cerebrum affectum eſſe manifeſtè declarat, & Pau-
lus præallegato loco ſcriptum reliquit, commune neruorum principium, hoc
eſt,cerebrum in apoplexia affectum eſſe. Poterit nec minùs,& illud ratione in-
ueſtigari,ac ex operationum læſione tanquam ex ſigno inueniri. Læduntur nan-
que in prædicta affectione, velut ex iam dictis eius deſcriptionibus liquet, non
modò ſenſibiles, & motrices animæ functiones omnes; verùm & principes:
quarum auctor,fons, ac principium cerebrum exiſtit. Ipſis ergo cunctis oblæ-
ſis,de neceſsitate & cerebrum oblæſum erit, non modò ſecundum vnam eius
partem,anteriorem videlicet,aut poſteriorem,imò ſecundum vtranque in apo-
plexia,velut etiã in morbo comitiali, afficitur, vt patet quarto de locis affectis,
cap.2. Verùm cùm ſubitò eueniat,ſicut & comitialis morbus, cerebri ventricu-
los,eoſque principes primariò affectos eſſe manifeſtum eſt, eiuſdem Galeni de-
creto tertio de locis affectis,cap.7.id quod cõfirmauit etiam ſecundò de cauſis
ſympto.cap.vlti.dum dixit, Quemadmodum & apoplexia,& morbus comitia-
lis ob pituitæ in ventriculis,ipſius ſcilicet cerebri,aceruatæ multitudinem acci-
dere videntur. Proinde horum ſymptomatum tum generatio,tum ſolutio ſubi-
taria eſt,quod per corporum intemperiem haudquaquam fieri poteſt. Propter
repentinum ergo eius exortum,non propter intemperiem totius eſſentiæ cere-
bri,ſed ob craſſum,aut frigidum,aut viſcoſum humorem,principaliores cerebri
ventriculos implentem fieri apoplexiam,indicium eſt, ex eiuſdem Galeni ſen-
tentia tertio de Locis affectis cap.7.& Aëtij, cap.de apoplexia. Atqui principes
cerebri ventriculi,iuxta Galeni decretum, eodem 3.de locis affectis cap.7.po-
ſtremus ſunt,& medius: quamuis in ea non modò principes cerebri ventriculi
afficiãtur,& corpus minùs veluti in epilepſia,ſed & cerebri corpus quoque vnà
magis læditur,vt patet 4.de Locis affect.cum dixit, Verùm in caro, & morbo
comitiali ventres magis,cerebri corpus minùs,in apoplexia verò corpus magis
affici ſolet. Nunquid verò apoplexia in morborum numero,aut ſymptomatum
cõnumeranda ſit,ex prædictis eius deſcriptionibus patere poterit. Nanque cum
omnimoda ſit ſenſus,& motus priuatio,ac principum facultatum cohibitiò,non
morbum,ſed ſymptoma eſſe fatendum erit,ſimul cum Galeno lib.de Different.
ſympto.cap.3.& 2.de cauſis ſympto. cap.7. liquet inſuper hoc ſymptoma eſſe in
genere noxæ functionum animalium,omnium inquam,motricũ videlicet, ſen-
ſibilium,& principum,nõ diminutè,nec deprauatè,ſed ablatè. Qui hac affectio-
ne laborant,omni denique motu,& ſenſu carent,ac tanquam mortui viuunt, &
oculis clauſis inſtar dormientium,decumbunt,ac ſtertũt, quẽadmodum etiam
profundè dormientibus accidit,licet ſecundum diuerſum modum; læditur quo-
que in his ſpirandi facultas,quo à caro diſcrepat apoplexia, vt patet quarto de
locis affectis,quinimò cum plures eiuſdem apoplexiæ differentiæ reperiantur,
vt patet apud Hippocra.& Gale.aphor.42.2.lib.& 3.de locis affect.ex nulla alia
via eaſdẽ diſcernere poterimus: quàm ex vehementia,ſeu paruitate noxæ ipſius
reſpirationis: ſic enim & affectionis magnitudinem, atque periculum maius,vel
minus conijcere poterimus,vt 3.de Loc.affect.ab eodem Gal. decretũ eſt. Nam
ſi ipſa prohibeatur,vt nulla aſpiciẽtibus videatur fieri ſpiratio (non quòd ſecun-
dum rei naturam,nullo modo ſpirent laborantes,nam impoſsibile eſſet, vt om-
ni ſpiratione exactè priuatum animal in vita ſeruari poſſet, cum ſpirationem à

Quæ pars in ea afficiatur. cap. 10

Quòd cerebrum in ea ut inſtrumẽtalis, & non ut ſimilaris pars, afficiatur.

Quis affectus præter naturam ſit.

Signa.

cap.2

Quomodo dignoſcantur diuerſe differentiæ apoplexiæ.

3.de locis aff. cap.18

cap. ulti.

vita

vita,& vitam à ſpiratione ſeparari non poſſe cuilibet pro comperto habeatur, adeò vt viuentem non ſpirare,& ſpirantem non viuere ſit impoſsibile, vt 4.5. & 6.de Locis affectis. Galenus ſcriptum reliquit) tunc igitur cum ita prohibeatur reſpiratio,vt ad ſenſum ægri non ſpirare videantur,maxima, & acutiſsima erit apoplexia,eodem Galeno teſte,commento aphoriſ.42.2.lib. quamuis viuere etiam poſsint animalia quædam, & ſi nihil omnino ſpirent: vt cap.de vteri ſuffocatione dicemus.At ſi qui apoplectici ſpirant quidem, ſed magna cum vi, fortis adeſt ipſis apoplexia,adeò vt Galeno 3.de Locis affectis, aſſerat omnium apoplecticorum peſsimam putandam eſſe ſpirationem,quæ & intermittitur, & magna cum violentia trahitur:quando videlicet ad ſenſum ſpirent: nam ſi ipſis ea prohibeatur (vt diximus) omnium erit acutiſsima, ac maxima apoplexia: cum verò reſpirant, verum eo modo,quo diximus, fortis adeſt iſtis quoque apoplexia,& inter omnes alias,præter iam dictam,peſsima. Verum minùs fortis adeſt illis,qui neque intentum,neque violentum,inæqualem tamen,atque inordinatum,ac præterea intermittentem habent anhelitum:velut ſi in aliquibus aliquem ſeruat ordinem ipſa reſpiratio, quamuis quodammodo ſpirandi facultas læſa ſit, debilior ſiquidem exiſtit hæc apoplexia: & ſi omnia fiant,quæ ſunt neceſſaria,vt patet eodem commento Aphoriſ.42. ſecundi libri fortè curatur.

4.de locis aff. cap.7
5.de locis aff. cap.1
6.de locis aff. cap.4
cap.10

Quòd quatuor ſint apoplexiæ differentiæ. Loco citato.

Quatuor igitur,iuxta Galeni ſententiam, apoplexiæ differentiæ connumerari poſſunt, vt ex iam dictis eiuſdem Galeni verbis liquet: quamuis Hippocrates præallegato aphoriſ.42.duas tantum meminerit,quæ inter ſe ratione maioris, vel minoris noxæ ipſius reſpirationis diſcrepant. Quapropter eodem tertio de Locis affectis dicebat Galenus,Diſcernitur autem affectionis magnitudo, de apoplexia verba faciens, & noxæ, quam inſpirationi infert, vehementia: cum enim naturalem ordinem plurimum egreditur,magnam:cum verò paulum impedimenti eſt,paruam in cerebro noxam eſſe conijcere oportet. Et inſuper eodem tertio lib.de Locis affectis cap.7.aſſerit. Porrò in omnibus his affectibus, in quorum numero apoplexia quoque continetur, periculi magnitudinem, ex anhelitus magnitudine conijcere oportet. Sed non ab re mox quiſpiam à nobis quæret,qua ratione fiat, vt Galenus ex vehementia noxæ reſpirationis potius, quam ex aliarum animalium functionum læſione vehementi, magnitudinem voluerit apoplexiæ ſignificare? cum & functiones omnes animales in ea oblæſæ ſint, vt dictum eſt. Atqui reſpondebimus nos reſpirationem ipſam in numero earum actionum, quæ à conſilio, & voluntate prodeunt, eſſe, iuxta eiuſdem Galeni ſententiam ſecundo de motu muſculorum cap.5. Quapropter muſculorum munus eſt:eámque ſi libera fuerit,ſolum ſeptum tranſuerſum,modo valeant vires,efficere ſolet,vbi verò ipſum ob infirmitatem ſpirandi munus perficere non valet,tunc intercoſtalium muſculorum concurrit auxilium: & ſi maiori egeat animal reſpiratione; thoracis muſculi omnes ſuperni, ad ſpirandi actionem requiruntur, vt liquet quarto de Locis affectis cap.7. verum cum opera quæ voluntario motu fiunt,in duplici reperiantur differentia, vt patet eodem libro ſecũdo de motu muſculorum,cap.6.nam alia penitus libera ſunt,alia verò affectibus corporis ſeruiunt,priora itaque perpetuo abſque impedimento à nobis fiunt:poſteriora verò non perpetuò, ſed in tempore quodam, & cum menſura:opus reſpirationis iuxta eiuſdem Galeni ſententiã,non ſub prima continetur differentia,ſed ſub ſecunda. Nam licet voluntatis ſit opus, & ſponte ab anima fiat,penitus ipſam retinere longo tempore non valemus citra mortis periculum: quemadmodum declarauit ſeruus barbarus, qui cum vehementi ira concitatus mortem ſibi conſciſcere decreuiſſet, proſtratus humi, reſpiratione que cohibita, longo quidem tempore immobilis erat, poſtea verò paulum volutatus,hoc pacto mortuus eſt. Licet tamen nobis vſquequaque reſpirationem cohibere, quoad maximè neceſsitas vrgeat:periculum nanque eſſet, ne quis moreretur,niſi reſpirauerit:quo fit,vt ipſam penitus retinere arduũ ſit: neque enim omnes ad moriendum ſunt procliues, etiam ſi infinitis malis confli-

Cur periculi magnitudinẽ Gal.in apoplexia voluerit ſignificari ex noxa reſpirationis.

Reſpiratio quis ac qualis motus ſit.

Opera quæ voluntario fiunt motu, ſunt in duplici differentia.

Serui barbari hiſtoria.

ſtentur, iuxta eiuſdem Galeni ſententiam, eodem lib. de motu muſculorum. Et propterea idem Galenus libro de vtilitate reſpirationis dicebat, ex eo apparere non vulgarem eſſe eius vtilitatem: quod ne momentum quidem temporis ea deperdita, ſufficere poſſimus: ex quo manifeſtum eſt, ad nullam particularem actionem, ſed ad ipſam vitam eam referre, atque neceſſariam eſſe, & propterea ſi ea priuemur, morimur. Seruatur nanque ex ea innati caloris ſymmetria, potiſsimum cordis, animalíſque ſpiritus nutritur, vt patet eodem lib. de vtil. reſp. ac ſexcentis aliis in locis apud Galenum, ex quibus luce clarius excipi poterit, inter omnes animales functiones hanc maximè eſſe neceſſariam: nanque ea abolita, non animalis partem quampiam, ſeu actionem priuatam eſſe dicemus, ſed vita priuari aſſerimus: cùm vita citra reſpirationem, & reſpiratio ſine vita eſſe non poſſit: hinc patet, quod & ſi cunctæ animales functiones in apoplexiis oblædantur, ipſa tamen reſpiratio, cum adeo maximè neceſſaria ſit pro vita, vltimo loco noxam patitur, curam habente natura ipſa de vitæ animalis conſeruatione, imò & ipſius ſpirationis maximus vſus neruorum facultatem ac operationem excitat. Probauit & illud ſigno Galenus ſumpto ex ſomno, tum tertio, tum quinto de locis affectis, nam quamuis dormientes nulla alia voluntaria fungantur actione, ſed omnes ferè muſculorum actiones in eis exoluantur (ſola autem reſpiratio ſeruatur, quæ muſculorum thoracem mouentium munus eſt) ſenſuſque quodammodo expertes ſint: nam neque ipſa anima dormientium omnino quieſcit, vt patet eodem lib. 2. de motu muſculorum, ſed intermiſsionem quandam habet vigoris, quæ non perfecta quies dicitur: & propterea non penitus ſenſus expertes ſunt, neque omnino à voluntario motu ceſſant dormientes, ſic non in apoplexia duntaxat, ſed in omnibus ſoporoſis affectibus, quanquam neque ſentiat corpus, neque moueatur, ſola tamen reſpiratio ſeruatur, aliàs nec ipſum animal viueret, hoc autem fit propter eiuſdem reſpirationis vtilitatem, vt idem Galenus teſtatur eodem commento aphoriſ. 42. ſecundi lib. quæ quidem neruorum vim excitat ad operationem: & ob hanc cauſam mirandum non erit, quomodo omnibus aliis muſculis motu carentibus in apoplexiis, illi qui thoracem attollũt, quãuis difficulter moueantur, tamen plerunq; imò magna ex parte, vt ipſe inquit, muſculi omnes in apoplexiis operantur thoracem mouentes, & ſi rarò prius omnes operabantur: quemadmodum & in vehementibus exercitiis, vbi anhelitus plurimus eſt neceſſarius: quanquàm in apoplexiis non ob id, quòd auctus fuerit vſus reſpirationis, quem duplicem eſſe diximus: ſed quia vis ipſa eſt imbecillis, ideo omnes muſculi thoracis ſimul coguntur operari: cum ſi non operarentur, cordis quoque temperamentum ſolueretur, & animalis ipſius neceſſario ſequeretur interitus. Semper enim mors ad modicas ſequitur cordis intemperantias, vt patet quinto de locis affectis. Cum igitur apoplecticos mori contingat ob id, quòd ſpirare non poſſunt, vt tertio de locis affectis, liquet: non ab re Galenus ipſe ex eiuſdem anhelitus nocumento periculi magnitudinem conicere oportere decreuit. Nam ipſa ad ſenſum prohibita, periculoſiſſima ac maxima erit apoplexia. At ſi magna cum violentia trahatur, fortis inquam erit, & ipſa. Verùm ſi inæqualis, & inordinata, ac intermittens ſpiratio fuerit, minùs periculoſa erit apoplexia: quemadmodum in quibus aliquem ſeruat ordinem, debilior exiſtit, & ſi omnes apoplexiæ fiant, propterea quòd vis animalis non poteſt defluere ad partes infra caput exiſtentes. Paulus quoque in hoc, velut in reliquis Galenum ſectatus capite 18. tertij libri, ſic ſcriptum reliquit, Seruatur itaque in apoplecticis modica quædam reſpiratio: quæ ſi permultum à naturali functione receſſerit, maximum infert malum, ſi paululum, exiguum. Et quoniam earum generatio ſubitaria eſt, vt diximus, non in ipſius cerebri corpore principaliter impedimentũ eſſe ſignificatur, verum circa eiuſdem cerebri ventriculos, eoſque principes, vt oſtenſum eſt Galeni auctoritate, in quibus ſpiritus animalis continetur: quo veluti primo inſtrumento anima

vtitur

2. de motu muſcul. cap. 6.
De vtilita. reſpi. cap. 1.
cap. 1. & ſequentibus.
Quòd inter omnes alias functiones reſpiratio ſit maxime neceſſaria.
3. de loc. affe. cap. 7
5. de loc. affe. cap. 1
cap. 4.
5. de loc. affe. cap. 1
3. de loc. affe. cap. 10.
Cõcluditur ex Gale. periculi magnitudo in apoplexiis, ex leſione reſpirationis.
Ad quem cerebri morbum ſequatur.

vtitur ad animales functiones exercendas. Iccirco non alia ratione ipſi ventriculi afficiuntur, quàm & in epilepſia afficiebantur: cum idem locus in vtraque patiatur, Galeno teſte commento apho.45.2. lib. Quare aut ad obſtructionem, aut ad conſtipationem, ſeu conſtrictionem prædictorum ventriculorum

Cauſæ. ſuccedit apoplexia, ad morbum inquam in via. Quapropter aut frigidus, aut craſſus, ſeu viſcidus ſuccus eoſdem ventriculos affatim opplendo, apoplexiæ cauſa erit: qui non modò pituitoſus eſſe poterit, vt patet commento aphor. 42.

2. de cauſis ſympto. cap. 7 lib. 2. & 2. de cauſ. ſympt. verum etiam & melancholicus, quemadmodum teſtatur idem Galenus commento aphor. 56. 6. lib. quoniam vtriſque humoribus, vt ipſe aſſerit, communis eſt craſsitudo, & propterea frigidum, & craſſum humorem tam epilepſiæ, quàm apoplexiæ cauſam eſſe fatetur, commento eiuſdem apho. 45. 2. lib. aut phlegmonoſam aliquam diſpoſitionem, quæ in ipſo cerebro ſit conſtituta, ſeu inflammatorium affectum, non ſiquidem ventriculos ipſos obſtruentem velut frigidus, & craſſus, ſeu viſcidus ſuccus; ſed eos conſtipãtem

cap. 3. apoplexiam gignere, idem Gale. ait commento apho. 42. 2. lib. vocat autem inflammatorios affectus, vt patet 2. de loc. affect. inflammationem, eryſipelas, & abſceſſum. Conſueuit nanque maxima conſtipatio apoplexiam afferre, vt pa-

cap. 3. tet lib. de cauſ. morb. ſimiliter ex immodico vini motu, aut immoderata etiam optimi ſucci ciborum ingeſtione, & eorum qui plurimum alimenti præbere poſſunt, ac vehementibus cruditatibus, admodumq; frigidi aëris occurſu, caſu, aut capitis ictu apoplexia oriri poterit, non alia ratione, quàm oblæſis ipſius cerebri ventriculis, impeditoque propterea ipſius animalis ſpiritus, ac facultatis ad debitas partes tranſitu, quoniam hac ratione omnes apoplexiæ ortum

Cauſarum diuerſarũ ſigna. ducunt. Gale. teſte præallegato commen. apho. 42. 2. lib. Verum ſi ex pituitoſo, aut melancholico ſucco excitetur, ex propriis eorundem ſuccorum redundantiæ ſignis, cap. de melancholia, & de capitis dolore ex pituita traditis, conijcere poteris, tum quia febris non aderit: quemadmodum ſi phlegmonoſa fuerit affectio ex propriis cuiuſque affectus indiciis percipies, ac febre. Externas verò cauſas, quæ, qualéſve fuerint, ex aſtantium relatione intelligere poteris, potiſsimum ſi anteactam vitam tibi retulerint. De hac apoplexia in ſæpius al-

Prognoſtica. legato apho. 42. 2. lib. Hippo. hoc modo prognoſticum propalauit; quod ſoluere eam, quæ fortis eſt, impoſsibile erit; debilem verò, non facile. Et Paulus præallegato loco de ea præſenſit, dicens, quòd apoplexia nequaquam, aut rarò curatur, vt quæ mortem in propinquo minetur. Si verò etiam remedia ipſam ſuſtulerunt, plurimum cum partis cuiuſdam corporis reſolutione diſcedit: nam ſolutæ apoplexiæ creberrimè ſuccedere ſolet vocata παραπληγία, in quam

cap. 2. morbus comitialis non finitur, vt patet 4. de locis affectis, quoniam in eo vniuerſo corpori conuulſio, & non reſolutio, veluti in apoplexia euenit: quæ cùm actio deprauata ſit, minorem indicat noxam, quàm totius corporis reſolutio, in qua actio animalis omnino ablata eſt. Hæc quidem paſsio, inquit Theodorus Priſcianus cap. 7. lib. 2. ad Timotheum, acuta eſt, & numquam penitus ſociata cum chronicis, nimium ſolicita, ſine febribus tamen. Aëtius verò, Archigenis auctoritate, aſſerit apoplexiam ex ſui natura magnam eſſe, & vehementer acutam; contingereque, vt qui periculum effugerunt, in diuturnum morbum incidant, reſolutionis videlicet aliquarum partium, aut etiam totius corporis, aut violatæ rationis. At Cornelius ſic de ea ſcriptum reliquit, Solent autem, qui per omnia membra vehementer reſoluti ſunt, celeriter rapi, ac ſi correpti non ſunt, diutius quidem viuunt, ſed rarò tamen ad ſanitatem perueniunt, & plerunque miſerum ſpiritum trahunt, memoria quoque amiſſa. Quòd autem quicunque ſani dolore capitis repente capiũtur, & ſtatim muti fiunt & ſtertunt, in ſeptem diebus pereant, niſi febris apprehenderit, decretum reliquit Hippocrates aphoriſ. 51. 6. lib. & quòd apoplexiæ fiant maximæ à quadrageſimo anno, vſque ad ſexageſimum, apho. 57. eiuſdem lib. præſertim ea, quæ ex atra bile fit: nullus enim morbus adeò eſt ſenili ætati familiaris, vt Galen. teſtatur

comment.aphor.31.3.lib. Quapropter Aëtius ſenibus magis in hyeme, & conſtitutione frigida, hanc affectionem accidere teſtatur. Atqui ex dictis concludimus nos forti apoplexiæ remedia non eſſe adhibenda; cùm ſuapte natura exitialis ſit, Hippocr. auctore: ſed ſi ea debilis, quam dignoſcere ex iam dictis docuimus, licet ſolutu, neque facilis ſit opportunis tamé auxilijs adhibitis fortè curari poterit, Galeno teſte: quemadmodum & nos non ſemel curauimus, potiſsimum in Illuſtri Fabritio Maramaldo; qui bis, diuerſis tamen temporibus, ab ea correptus, opportunis remedijs adhibitis, Deo fauente, liber euaſit: Necnon & Illuſtris Chryſoſtoma de Aquino Ruborum comes, quæ cum annos ageret fere ſexaginta in apoplexiam incidens, remedijs confeſtim adhibitis, ab ea liberata, principesque primò functiones recuperauit, deinceps cum in ſiniſtri lateris reſolutionem finita eſſet apoplexia, ſenſum primò cum brachij tum cruris, & motum deinde cruris antea, & demum brachij non longò poſt tempore adepta eſt. Qua de re leuis apoplexiæ curatio non prætermittenda erit, & cum ea quoque magna, & acuta ſit affectio, potius à præſidiorum, quàm à victus ratione eius curatio auſpicanda eſſet, quemadmodum mos eſt pleriſque artis medicæ auctoribus. Verùm nos, ne conſuetum ordinem peruertamus, pauca prius de victus ratione dicemus, mox verò ad eius curationem deueniemus. Collocetur igitur æger in aëre ad calidum declinj.: cibis vtatur paucis leuibus, & calidis, deterſoria vi præditis, diſtributionisque facilis, plerunque cum melle edulcatis, vt placuit Aëtio, qua ratione gallinarum, ſeu pullorum iure, in quo decoctus ſit hyſſopus, ſerpillum, ſpondylium, ſeu ſatureia, calamintha, aut ſampſuchus, vel denique ſaluiæ folia, vtendum. In quo iure panis quoque optimus macerari poterit. Pro potu, tutius erit vti aqua mulſa, aut apomelite cum micis panis, iuxta Pauli ſententiam: cauendúmque à vini potione: quamuis ſi diutius malum protelletur, eo calente aqua temperato (Pauli decreto) vti poterit, ſtatim quoque prædictis taliter ægrotantibus ſanguis ex vena detrahendus erit, prædicto tamen eorum periculo: vt ait Aëtius: quoniam ſanguinis detractio, vel occidit, vel liberat, Celſo auctore: adeò vt poſt ſanguinis miſsionem (vt ipſe refert) ſi non redit, & motus, & mens, nihil ſpei ſupereſt. Detractio autem ſanguinis è dextra manu fiat, humerali, aut media inciſa vena, vbi vires, ætas, & alia non dehortantur: affectus nanque magnitudo id præcipit, tanquam princeps ſcopus venæ ſectionis, Hippo. & Gale. decretis. Verum copia ſanguinis, qui detrahitur, diuidenda erit: cum commouere oporteat tantum, non exoluere vires, & calorem extinguere, vt teſtatur Aetius: & propterea in euacuatione, pulſus, faciei color, ac inſpiratio inſpiciantur, vt ipſe refert, & ſi nihil mali conſequatur, etiam repetenda eſt detractio: quoniam aliud curationis genus vix vnquam ſanitatem reſtituit, vt placuit eidem Celſo. Poſt tamen venæ ſectionem, & vociferationes, & odoramenta excitatoria adhibeantur, ex caſtoreo, opopanace, aut galbano, ſeu ſagapeno, & aperto eorum ore, acetum mulſum inſtillandum erit, & pinnæ oleo irino imbutæ immittendæ ſunt, & vomitus prouocandus: totumque corpus oleo calido inungendum eſt, irino, nardino, coſtino, de caſtoreo, aut alijs huiuſmodi, vinculiſque, ac frictionibus vehementibus in extremis corporis partibus vtendum: & humetis plares cucurbitulæ affigendæ. Interim caput, prius abraſum, roſaceo cum aceto, in quo ſerpillum, aut ſpondylium fuerit decoctum, ſeu calamintha, irrigandum erit, ſeu chamæmelino, vel anethino, vt Paulo viſum eſt, aut anethi, chamæmeli, ſampſuchi, ſerpilli, hyſſopi, ſertulæ campanæ, ſingulorum pugil.s. florum ſtœchadis, origani, ſpicæ drach. tres, in aq. æ bulliant, ac vini portione æquali: quo medicamento ſimiliter caput irrigetur. Si verò hæc nihil profecerint, clyſteribus vtendum erit, ex decocto furfuris, mercurialis, minoris centaurij, rutæ, hyſſopi, pulegij, ſaluiæ, calaminthæ, ſingulorum manip.s. polypodij vnc.s. ſeminis fœniculi, aniſi ana drach.ij. & parato ex eis ſecundũ artem decocto, de eo recipe lib.j. & s. in qua diſſoluas hieræ picræ compoſitæ vnc.s. be-

Hiſtoriæ.

Curatio.
Victus ratio.

Venæ ſectio.

Reliqua medicamenta quæ apoplecticos excitant.

Clyſteres.

nedictæ drac.iij.confectionis de dactylis,ſiue antidoti indi drac.iiij.agarici drac. j.& s.mellis roſacei vnc.ij.ſalis cõmunis,ſeu gemmæ parum,olei anethini, chamæmelini,ſeu rutacei vnc.iij.commiſtis omnibus fiat clyſter. Nec minus & glãdes cõmendantur,quæ ex hiera ſimplici,ſeu hiera logodio,colocynthide, agarico,& ſale gemmæ,cum deſpumato melle formari poterunt. Interim hellebo-rum addere poteris,aut drac.ij.ex pilulis cocchiis:ligentur autem filo,vt pro arbitrio extrahi poſſint,ſintque notabilis longitudinis,vtpote quinque, aut ſex digitorum. Verùm ſi ægri,inepti ad venæ ſectionem fuerint, aut in prædictis malum quoque perſeuerarit,alienum non erit,medicamentum purgans eis præbere (ac non ſecus interim modo dictis præſidiis vti) quod ex pilulis cocchiis,& agarico,pituita præſertim redundante,componatur : aut ex eiſdem pilulis, ſeu arabicis ſumpta drac.j.cum veratri nigri ſcrup.j.aut drac.s.catapotia formentur, vel aliquod ex modo dictis purgantibus medicamentis præcedenti cap.de morbo comitiali,ſeligas,& quia permittit hæc affectio,ac cogit, vt Aëtius teſtatur, vel temere omnia tentare,ſi vires permiſerint, cucurbitulæ quoque occipitio cum ſcarificatione defigendæ ſunt, theriacaque, mithridato, ac diambra poſt purgationem vtendum : nec minus & ea,quæ ſternutamenta excitant, crebrius adhibita proſunt,vt puluis caſtorii, hellebori, ſeu piperis naribus inſperſus. Similiter conferunt quæ pituitam per os ducunt, apophlegmatiſmos nominant: parentur autem hoc modo,Recipe pyrethri,ſtaphidis agriæ,piperis ana drac. s. thymi,origani ana drac.j.caſtorij ſcrup.j.maſtiches drac.j.& s.vuę paſſæ drac.ij. ceræ albæ parum,miſceantur,& fiant mauſiles paſtilli cum oxymelite, aut roſaceo melle : præſtat etiam & rubificantibus medicamentis vti, appellatis ſinapiſmis,ac aliis,quæcunque capiti admota calfaciendi, ac diſsiciendi vim habeant, vbi præſertim ea,quæ diximus,medicamenta non ſuffecerint. Nec prætermittenda erit inunctio circa ſpinalis medullæ initium,ex oleo rutaceo,ſeu nardino, de caſtoreo,aut nuce moſchata. Et hæc de apoplexiæ curatione ſufficiant, modò ea curari valeat, vt diximus.

Glandes. *Purgatio.* *Poſt purgationem,ſeu venæ ſectionem remedia.*

Περὶ ὀφθαλμίας. *De Lippitudine.* *Cap. X.*

CVM inter omnia ſenſuum inſtrumenta oculus mirabili fabricæ excellentia præditus,ad cerebri naturam propius accedat, certiuſque,ac ſubtiliùs,quàm reliqua proprium, ac primum ſenſibile habeat : ſiquidem in nullo alio inſtrumento inuenies, neque ipſam cerebri ſubſtantiam, neq; tãtam animalis ſpiritus copiam,quanta in oculo continetur,Gale.teſte, 7. de Hippocr.& Plat.decret.propterea poſt cerebri,capitiſque affectus,de oculorum affectionibus tractare duxi: quorum actio videre eſt : eorum autem proprium ſenſibile eſt colorum genus: cum illos primos,& per ſe,& ſolus ex omnibus ſenſibus viſus percipiat, vt patet eodem 7.de Hippocratis,& Plato.decretis. Relicta itaque eorum admirãda conſtructione, temperamento, ac cunctarum eorundem partium vſu, velut fusè tractatis ab omnibus artis medicæ auctoribus, præſertim Galeno, libro decimo, de vſu partium, aliſque ſexcentis in locis: quia ex eiuſdem Gale. ſententia, in quolibet inſtrumento vna quæpiam reperitur peculiaris pars ſimilaris, cui primò, ac per ſe totius inſtrumenti actio committitur, aliæ verò cunctæ eidem præſtant vſum, ea de re in eiuſdem Galeni, aliorumque illuſtrium Medicorum doctrina compertum eſt,viſus actionem cryſtallino humori, tanquam primæ inſtrumenti parti, tribuendam eſſe. Præſtant verò vſum reliqui humores gemini,vitreus videlicet,& albugineus,ac tunicæ cunctæ propriæ, quæ tres non à Galeno duntaxat, ſed & Aëtio, aliſque medicæ artis bonis auctoribus connumerantur : quarum vna interna magis, Græcè ἀμφιβληστροειδὴς Latinè verricularis,ſeu reticularis,ſecunda ῥαγοειδὴς, hoc eſt, vuiformis, in cuius medio foramen exiſtit,quod pupillam vocant. Tertia verò κερατοειδὴς, id eſt, cor-

cap. 5. *Loco citato.* *Per totum.* *Numerus partium cõponentium oculos. Aët.lib.7.c.1.*

niformis tunica appellatur, potiſsimum à Galeno eodem decimo, de vſu partium, cap. 3. & 1. de cauſ. ſympto. cap. 2. ex his deniq; propriis partibus totus componitur oculus. Eſt inſuper & alia oculi quarta tunica, ſeu membrana, quã Græci ἐπιπεφυκότα, Latini autem agnatam vocant: propterea quod aliis, quæ oculũ ipſum conſtituunt tunicis forinſecus ex membrana os caluariæ ambiente, quæ περικράνιος dicitur, agnata ſit, ligamentum ſiquidem exiſtens toti oculo ad circunſita oſſa, cum quibus oculum ipſum colligat, ſimul autem & mouentes ipſum muſculos operit. Si quis autem velit prædictas tres proprias oculorum tunicas in anteriores, & poſteriores partes diuidere, & hac ratione alio nomine poſteriores earum partes nuncupare, vt nonnulli conſueuerunt, ac ſex, non tres duntaxat oculis proprias tunicas tribuere, cum ad rem tractandam nec obſit, nec conferat, non reclàmamus: etiam ſi ex Galeni, ſeu alterius medicæ artis auctoris ſcriptis illud elicere conetur. Nos verò tres duntaxat oculorum tunicas connumerauimus, anteriores earundem partes à poſterioribus non ſegregantes: cum & vtraque earundem tunicarum pars, ſiue ante cryſtallinum humorem, ſiue poſt conſtiterit, eiuſdem ſit ſubſtantiæ, ac ab eodem loco, cerebro videlicet, aut membranis eius, tenui, ſeu craſſa progerminetur, Hippocratem ſectati, qui lib. de loc. in homine dixit, Membranæ autem tres ſunt quæ oculos cuſtodiunt. Quartam autem, quæ agnata dicitur iure non velut propriam annotauimus: cum neque ex cerebro, aut aliqua eius membrana, ſed ex ea, quæ exterius os caluariæ ambit, pericrania dicta, originem ducat.

In principio.

Nuncupatur autem agnata, propterea quòd aliis, quæ oculum ipſum conſtituunt tunicis, forinſecus agnata ſit, ligamentum exiſtens toti oculo ad circunſita oſſa, vt patet 4. de compoſi. medic. ſecundum locos, cap. 2. & decimo, de vſu part. Verum cunctæ nedum prænominatæ tunicæ, ſed etiam dicti humores, vt perfectè viſio ipſa abſoluatur, à natura conditi ſunt. Quò fit, vt ex triplici vitiorum genere (vt teſtatur Gale. primo, de cauſis ſympto.) videndi actio lædi poſſit: quorum vnum eſt, cum primum ſentiendi inſtrumentum quippiam perpeſſum eſt, quod cryſtallinum humorem eſſe diximus. Alterum, cum miniſtrãtium primo ſentiendi inſtrumento partium aliqua fuerit affecta, velut ſunt reliquæ omnes oculi partes annotatæ. Tertium eſt, cum ipſa ſentiendi potentia, quæ à cerebro per neruum in oculum ipſum deſcendentem procedit, quoquomodo fuerit impedita. Quicquid nanque ex iis (quæ iam enumerauimus) fuerit oblæſum, animal vel male, vel nihil omnino videbit, hoc quidem commune eſt cuilibet ſentiendi actioni.

10. de uſu partium cap. 7. cap. 1. & 2.

Quòd triplici uitiorũ genere uidendi actio lædatur.

Exordiemur autem nos ab iis oculorum malis, quæ eorundem partibus vſum aliquem præbentibus euenire ſolent, initium ſumentes ab agnatæ tunicæ affectibus, vtpote quæ exterior magis ſit, ac à frequentiſsima eiuſdem affectione, quam Græci propriè ὀφθαλμίαν, Galeno auctore, eodem 4. de comp. medic. ſecund. loc. vocant: Latini lippitudinem appellant. Quæ nihil aliud eſt (vt idem Galenus teſtatur eodem loco, & lib. de differentiis morborum) quàm inflammatio eiuſdem agnatæ tunicæ, ſeu tunicæ os capitis, & caluariam ambientis, aut, vt vulgus Medicorum appellat, coniunctiuæ.

Cur de lippitudine prius tractetur.

cap. 2
Lippitudo quid ſit.

Quòd autem in hoc vitio oculus perpetiatur, ad ſenſum liquet, & propriè prædicta agnata tunica: quamuis iuxta Galeni ſententiam eodem lib. de different. morborum, ex accidẽti hoc vitium videatur eſſe oculi morbus, cum ad totum inſtrumentum non referatur: neque totius inſtrumenti primo morbus ſit, ſed in vna quadam ipſius particula ſimilari conſiſtat: qua etiam ratione fit, vt & ipſa videndi functio ex accidenti quoque ab ipſa lippitudine fuerit impedita: cum neque ipſa perfectè, inhærenti membrana taliter affecta abſolui poſsit, & propterea, quòd oculus afficiatur, ex ipſa videndi functione oblæſa argui poterit: quamuis ex accidenti (vt diximus) fuerit impedita. Non enim totius inſtrumenti morbus eſt, ſed vnius tantum partis, quæ ſimilaris exiſtit; & ſimilarium corporum morbi ex accidenti (vt Galen. inquit lib. de different. morborum) ad totum inſtrumẽntum referũtur, etiam ſi compoſiti ſint, vt phlegmone.

Quæ pars in ea afficiatur. cap. 15.

Quis præter naturam morbus. Loco citato.

Nec quiſpiam vereri debet, cùm è numero inflammationum ſit lippitudo ipſa,
morbum eſſe compoſitum in quantitate, ſeu magnitudine primo, in intempe-
rie ſecundo, ac ſoluta continuitate forte tertio: eſt nanque phlegmone quæli-
bet morbus compoſitus, eodem Galeno teſte lib. de differ. morb.. Dignoſcitur
cap. 12. Signa eiuſdē. ex dolore, ipſiusque adnatæ tunicæ colore ad rubrum mutato, adeoque inter-
dum in tumorem ea attollitur, vt ob id omnia, quæ circũcirca oculos ſita ſunt,
vſque ad malas quandoque in vehementi lippitudine. ſimul attollantur, vt pa-
cap. 2. tet 4. de comp. medic. ſecun. loc. lachrymæ quoque ex oculis ipſis reſudant. Sed
quoniam non vnius duntaxat differentiæ inflammatio in eadem tunica agna-
ta excitari poteſt, vt Aëtio, & Paulo teſtibus conſtat: maioris tamen, & mino-
Aët. lib. 7. c. 2. et ſequētibus. Pau. li. 3. c. 22. Tres differentię inflammationis tunicæ agnatæ. Quibus indicijs quælibet earum dignoſcatur. ris ratione differentes: quarum vna τάραξις Græcè, Latinè conturbatio, reli-
qua ὀφθαλμία, Latinè lippitudo propriè, & tertia χήμωσις, quam etiam & La-
tini chemoſin dicunt, nuncupantur: propterea dignoſces facilè primam, quæ
nihil aliud eſt (Paulo auctore) quàm calor cum humiditate, & rubore à natura
alieno, quod nõ ab interna, ſed a foris veniente cauſa aliqua orta ſit, ſole videli-
cet, fumo, puluere, aut oleo, ſi hæc adſint: quia de re promptiſsimè etiam ipſa
ſoluitur. Vera autem lippitudo non extrinſecus tantum, ſed ex interna etiam
cauſa excitatur, nec ita facile ſoluitur, velut perturbatio. Verùm ſi adeò inflam-
matio magna ſit, & dolor vehemens, vt vtræque palpebræ ex vehementi inflã-
matione inuerſæ ſint, adeo vt vix oculi ab ipſis contegantur, & album oculi
Lippitudinis cauſæ. ſublimius euaſerit, rubrumque etiam magna ex parte nigrum occupet, non
amplius lippitudo verè, ſed chemoſis dicitur. At lippitudinis veræ cauſæ in tri-
plici differentia eſſe poſſunt. Nam vel ex plenitudine totius corporis, ob quam
agnata ipſa tunica repleta diſtenditur, excitatur; vel ob influentium humorum
acrimoniam, ac morſum vehementius eroditur; vel propter aliquam exten-
ſionem eius, ex craſsis ſuccis, ſpiritúve flatuoſo genitam, & proinde vehemen-
cap. 22. tes ex his cauſis excitantur dolores; vt patet 13. metho. med. Qua de re cum di
ximus lippitudinem inflammationem eſſe, phlegmonem intelligi volumus, eo
modo dictam, quo generationem habere poteſt ex quauis redundante ſubſtan-
Si ex ſanguine fiat ſigna. tia. Dignoſces autem, ſi propter totius corporis plenitudinem ſanguineus hu-
mor influxerit, ac iam dictam inflammationem concitauerit: quoniam cun-
Lib. 2. cap. 1. cta (vt Trallianus teſtatur) rubra, & ſanguinea ſunt, nedum agnata ipſa tuni-
ca, ſed & facies rubens, & humidior erit, venæ latiores, ſenſus grauitatis ad-
erit, & pigritia ad conſuetas actiones. Lachryma neque rodens, neque acris ap-
parebit: adde quòd temperamentum, & ægrotantis ætas, ſanguinis redundan-
tiam atteſtabuntur, nec minùs & regio, & tempus anni, ac præcedens victus ra-
Ex acri humore ſigna. tio. Verùm ſi ex rodente, ac acri humore prouenerit, id tibi manifeſtabit, pri-
mùm quòd totum corpus plethoricum non apparebit, ſed potius vitioſo hu-
more præditum; adhæc lachryma rodens, & acris aderit: quò fit, vt non ſolùm
oculorum anguli, ſed etiam malæ vehementer ex tali influxu rodantur, &
exulcerentur, ægrique videantur vri, exiliantque roſionem non tolerantes.
Nec minùs ex his, quæ præceſſerunt, id percipere poteris: nam triſtitia, curæ,
inſolatus, ira, & acrium eius præceſſerunt, aderitque ætas, ac temperatura bi-
Si ex craſsis ſuccis. lioſæ. Si autem ex redundante pituita inflammatio facta ſit, grauitas erit vehe-
Si ex ſpiritu flatuoſo, ſigna. mens, caliditas parua, & rubedo agnatæ tunicæ exigua, cum aqua & facies, ac
eiuſdem color communicabit. Similiter quæ præceſſerunt, & concomitantur,
pituitæ redundantiam arguent, quòd ſi neque feruore, neque roſione, aut ve-
hementi grauitate vrgente agnata oculi tunica extendatur, adeò, vt rumpi vi-
deatur, ac doleat, lachrymæque non appareant, aut paruæ, licet quandoque
rubea videbitur eadem tunica, indicium erit ſpiritum eſſe, qui diſtendat, ac
dolorem faciat. At ſi ab externa cauſa lippitudo originem ducat, ab ægri, ſeu
aſtantium relatu percipere poteris. Verùm cùm magnam partem ad vitæ ſi-
Prognoſtica. mul vſum, & dulcedinem conferant oculi noſtri, Celſo auctore libro 6. cap. 6.
ſumma quoque cura tuendi ſunt. Protinus autem, vt ipſe refert, orta lippitudi-
ne, quæ

ne,quædam notæ ſunt, ex quibus quid euenturum ſit,colligere poſſumus. Nam ſi ſimul & lachryma, & tumor, & craſſa pituita cœperint, ſi ea pituita lachrymæ mixta eſt,& ea lachryma calida eſt,pituita verò alba, & mollis, tumor non durus, longæ valetudinis metus non eſt. At ſi lachryma multa, & calida, pituitæ paulum, tumor modicus,idque in vno oculo eſt,longum id, ſed ſine periculo futurum eſt: Idque lippitudinis genus minimè cum dolore eſt, ſed vix ante vigeſimum diem tollitur: nonnunquam per duos menſes durat, ſed quandoque finitur. Præterea ſi pituita alba, & mollis eſſe incipit, lachrymæque miſcentur, aut ſi ſimul hæ vtrunque oculum inuaſerunt; poteſt eſſe breuior ſed periculum vlcerum eſt. Pituita autem ſicca, & arida dolorem quidem mouet, ſed maturiùs deſinit,niſi quid exulcerauit. At tumor magnus ſi ſine dolore eſt, & ſiccus,ſine vllo periculo eſt,ſi ſiccus quidem,ſed cum dolore eſt, ferè exulcerat: & nonnunquam ex eo caſu fit,vt palpebra cum oculo glutinetur: verùm ante Celſum apud Hippocratem hæc eadem leguntur, libro ſecundo, prædictionum. Non ab re etiam Galen. libro tertio, metho. meden. maximam habendam eſſe curam circa lippitudinis curationem præcepit, cùm ex curationis errore,quoſdam ægrè confuſeque vidiſſe euenit: tempore verò, ſuffuſione, quam ὑπόχυσιν vocant, vel pupillæ nimia dilatatione,quam μυδρίασιν appellant,vel tabe,vel corrugatione, quam ῥυτίδωσιν nuncupant, fuiſſe occupatos, ex vſu potiſsimùm ſtupefacientium medicamentorum. At hyeme ſicca,& aquilonia exiſtente,vere autem pluuioſo,& auſtrali, quòd neceſſe ſit præcipuè mulieribus,& viris natura humidioribus, æſtate lippitudines fieri, decretum reliquit Hippocra. aphor. 11. 3. libri, & aphor. 17. ſexti libri. Lippientem (inquit) alui profluuio corripi bonum. Quidam autem volunt, quòd in regionibus meridianis, multiplicetur, & remoueatur velociter lippitudo, ſuperueniente autem eis frigore,quòd difficilis eadem ipſis fiet,præterea quòd in regionibus, & temporibus frigidis lippitudo minoratur,verùm ea,quæ oritur, praua ſit. Primo itaque die pro eius curatione, æger loco obſcuro cubare debet, iuxta Celſi ſententiam,ſic vt à ſermone quoque abſtineat. Nam viſionis inſtrumentum ſplendorem citra moleſtiam tolerare non poteſt, Galeno teſte libro primo de cauſis ſympto. & decimo de vſu part. (quo loco exemplis illud comprobauit tum militum Xenophontis, qui cùm per multam niuem iter feciſſent oculis læſi fuerunt: tum Dionyſij Siciliæ tyranni, qui ſuper carcerem domum clariſſimam,ac longè ſplendidiſsimã conſtruxerat,in quã diutiſsimè infimo, ac caliginoſo loco carceratos educebat, atque ita cupidè lucem intuiti occæcabantur.) Recreatur autem potiſsimùm nigro, & cæruleo, aut viridi. Frigidus autem,aut calidus eligatur aër,non tamen immodicè, pro cauſæ ratione. Somno moderato vtantur ægri, & præſertim nocturno. Exercitium vitent, quietem eligant; procurentque ſingulis diebus alui excrementa excernere, ita vt aluus ſi non natura,arte ſaltem lenior reddatur clyſteris lenibus, ſeu glandibus. Animi affectus omnes proculdubio vitent immodicos, à coituque abſtineant. Parco vtantur cibo, ac potu, præſertim inter initia: imò ſi fieri poteſt nullum cibum (Celſo auctore) ſumere debent,ne aquam quidem: ſin minus,certè quã minimum eius: nam prima omnium (vt ipſe teſtatur) in eiuſmodi caſu ſunt quies, & abſtinentia. Qualitas autem cibi eligatur eius qui humorem generat laudabilem, eos vitando, qui vaporoſi ſunt,ac tardæ concoctionis, & proinde carnium potiſsimùm quadrupedum animalium, lactiſque vſus vitandus erit: cauendumque ab acetoſis, ſalſis,ac acribus. Pro potu, abſtinendum à vino eſt circa initia, potiſsimùm veteri,ac vinoſo,ſed aqua vtantur, in qua coriandrorum præparatorum ſemina, ſeu hordeum, aut cinnamomum fuerint decocta, aut multæ permiſtionis aqua mulſa, præſertim cùm ex craſsioribus humoribus lippitudo fiat, ac tempore anni frigido: quo caſu & vino quoque vti poterunt, albo tamen,& adſtringenti, tenui, & aquoſo. Quo verò ad medicamentorum rationem attinet,breuiſsimo quodam ſermone, ſeu potius oraculo Hippocra-

2. prædict. in medio libri. cap. 2

Curatio.

Victus ratio.

1. de cauſ. ſym. cap. 2.

10. de vſu partium. cap. 3.

Medicamentorum ratio.

tes apho.31.6.lib.ex quacunque cauſa vera lippitudo oriatur, decretum reliquit,
dum dixit, Dolores oculorum meri potio, aut balneum,aut fomentum,aut ve-
næ ſectio, aut medicamentum epotum ſoluit. Quamuis eorum tempora, &
cauſas (Celſo auctore) parum explicuit, in quibus, vt ipſe teſtatur, medicinæ
ſumma eſt, & ſi in eo aphoriſ.nihil,vel falſum,vel quod fieri non poſsit, præci-
cap. 2 piat, tertio metho.meden.teſtatur Galenus. Verùm quo pacto diſcernendum
ſit; quando, quomodóque dictorum quoque ſit vtendum, in commento eiuſ-
dem aphoriſ. idem Galenus perbellè declarauit, iubens inquirendas eſſe di-
ſpoſitiones, in quibus meri potio, aut balneum, fomentum, venæ ſectio, aut
Lib.7.cap.5 purgans medicamentum vtile ſit. Quoniam (Aëtio teſte) non eidem homini
omnia auxilia hæc adhiberi iubet Hippocrates: ſed alij venæ ſectionem, alij
Si ex plenitudine fiat. purgatorium pharmacum, alij fomentum, alij balneum; alij vini potum. Et
proinde cum ex plenitudine ortum duxerit, quæ diſtentione dolorem efficit;
Venæ ſectio. ſi nihil ex ſæpe relatis impedierit,venæ ſectio confert, eodem Galeno teſte de-
13.metho. cap. 22. cimotertio method. quem ſectati ſunt Aëtius, Paulus, Alexander, ac Celſus.
Aet.lib.7.c.8 Venam autem ſecare oportet cubiti exteriorem, humeralem appellatam, at-
Pau.loc.cita- que eam,quæ ex directo eſt laborantis oculi: cum oculorum perſæpe dolores
to. ſic Alexã. grauiſsimos è directo venæ, quam humeralem nominant, ſectio intra horæ
ac Celſus. cap.16. vnius ſpacium compeſcuit, vt libro de curandi ratione per venæ ſectionem,
Galenus teſtatur,& propterea dolentibus oculis (vt ipſe inquit) humeralis vo-
cata vena, quæque ex ea deriuata eſt, in cubito inciſæ luculentum celeriter
commodum afferunt; & vſque ad animi deliquium, vbi vehemens fuerit in-
flammatio, ſanguinem auferre idem permiſit Galenus: interim verò eadem
vehementiori non exiſtente, viribuſque non admodum robuſtis, nec ætate
florente, iteratò ſanguinem mittere, poſt modicam ſanguinis miſsionem,iuſ-
ſit, interdum eodem die, ſi ita expedire videatur,interim poſtridie.Atqui nos
ſtante totius corporis plenitudine, mediam venam prius ſecare conſulimus:
cùm vix, aut fortè nunquam cuncta ea concurrant, quæ vſque ad animi deli-
quium, ſanguinem auferre admittant. Qua demum peracta, ad humeralem
incidendam deuenias. Neque illud pugnare prænominatis auctoribus cen-
ſemus. Nam ſupernis duntaxat partibus ſanguine repletis, aut ætate, ac viri-
bus, & reliquis non prohibentibus, eorum dicta veritatem habere putamus.
At ſi cuncta hæc ſimul non conueniant modo quo diximus, ſanguinem mitte-
re tutius eſſe nemo vereri debet: & ſi oportuerit, non ſemel tantum, ſed bis,
aut ſæpius,humeralem venalem ſecabis, ac cum ſcarificatione cucurbitulas in
Reuulſentia. occipitio affiges.Conueniet inſuper prædictos infernarũ partiũ frictione cura-
cap.ult. re: & ſi neceſsitas aliquando vrgeat,vincula artubus adhibere, & alui deiectio-
Topica qualia in principio eſſe debeant. nem procurare,ex Gal.ſententia eodem 13.meth. potiſsimùm ſi biliosi, & acres
humores cum ſanguine redundarint: quo caſu paulò poſt ſanguinis miſsionẽ,
purgationem adhibebis,Tralliano teſte: mox fomenta ipſi laboranti particulæ
cap. 22. ex aquâ dulci modicè calida adhibenda ſunt, vt eodem 13.meth.liquet. Admo-
uendaque inſuper ſunt circa initia pharmaca repulſoria,quæ non vehementem
ſortita ſint adſtrictionem.Sed tum propria eorum ſubſtantia ſint moderatiora,
tum lenitiui liquoris admiſtione adhuc magis talia fiant,potiſsimũ ſi vehemen-
ti dolore afflicti ſint ægri,aut propter inflammationis magnitudinem, aut ob
Quæ cauenda ſint. influentium humorum acritudinem. Cauenda tamen ſunt, quæ vehementem
ſortita ſunt adſtrictionem, vt diximus,cùm ampliorem dolorem infligant, tu-
nicas exaſperando,quã iuuent influxionũ impetũ repellẽdo: quæ verò medio-
4. de compo. criter adſtringunt,lippitudinibus iam dictis commodiſsima exiſtunt,vt patet 4.
medic. ſecun. de comp.medic.ſec.loc.Hippoc.verò lib.de vſu humidorum dicebat, vbi mo-
loc.cap.1. dica potabili in ſpongia vteris,optimũ oculis eſt.Lenitiui autem liquores; quos
Lenitiui liquores qui ſint. dixi talibus admiſcendos eſſe: ſunt,eodem Galeno auctore prælegato loco, &
13.meth.medend.albus oui liquor, fœnigræci decoctum, & ad hæc lac ipſum,
13.metho.c.22 quod iuuenculæ,ſimulque boni ſucci fœminæ exiſtat, vberibus ipſius in cotem,

in qua

in qua collyrium teritur, expreſsis; quò calidum adhuc oculis infundatur. Ab
eis verò anodynis, hoc eſt, quæ ſenſum auferendo dolorem ſedant, ſummope-
re cauendum eſſe cenſeo: cùm ipſa neque vehementes reprimant fluxiones,
ſed excerni prohibeant: atque adeò ſi humores fluentes acres extiterint, cor-
neam erodi contingit, ſi verò multi, magis irritari, ac vehementer extendi, ac
ſi rumperetur: ex quibus niſi medicamentum fuerit ſummopere ſtupefaciens,
dolores impatibiles excitantur, Galeno teſte commento aphoriſ. 31. ſexti libri.
Si verò fuerit adeò vehementer ſtupefaciens, vt ex eo oculi maximam inflam-
mationem non ſentiant, neceſſarium eſt ſimul quidem vim viſoriam offendi,
adeò quòd ceſſante inflammatione, vel debiliter, vel nihil omnino videant; ſi-
mul autem & quandam præduram diſpoſitionem, & quæ difficulter ſanari poſ-
ſit, in oculorum tunicis derelinqui: hac de re ſuſpecta habenda ſunt talia me-
dicamenta, neq; liberaliùs admouenda, etiamſi ingens dolor vrgeat. Sed à ve-
hementibus ſtupefacientibus abſtinendum erit: quibus ſi fortè vrgente maxi-
ma neceſsitate fueris vſus, poſtmodùm ſanitatis tempore oculi excalfaciendi
ſunt, velut & reliquæ partes omnes, ſi eis talia applicuiſſes, vt patet 12. metho. *cap. ult.*
med. Frons tamen illinienda erit ex plantaginis, ſolani, ſeu ſemperuiui ſucco,
oui candido, roſaceo oleo, vel aqua, bolo armen. ac pauco aceto. Poterunt
inſuper miſceri thus, ſantalum, hypociſtis, balauſtiũ, ac hordeacea farina: inte-
rim & croci parum: mirificeque dolorem finit, admodumque feruentes oculo-
rum inflammationes concoquit, Tralliano teſte, ex lacte muliebri, vitellis ouo-
rum, & roſaceo, ſimul mixtis, ſuperimpoſitum medicamentum. Iterum & cro-
cus cum mica panis, luteiſque ouorum, ac roſaceo, vice autem roſacei aqua ro-
ſacea, præſertim roſarum albarum, vtere. Quòd ſi imponi cataplaſma res ali-
quando ſuadebit, papauerum capitibus in aqua diſcoctis, ac fœnigræci, vel hor-
dei, vel lini ſeminis farina aquæ immiſta, cataplaſma conficies, ex Galeni ſen-
tentia eodem duodecimo methodi med. quo item in vehementi aurium dolo- *cap. 8*
re vti poteris. At ſi ex vehementi acris humoris confluentis roſione dolor pro- *Si ex erodẽti-*
uenerit, inflammatioque excitetur; ſi quodammodo cum ſanguine iidem per- *bus ſuccis fiat,*
miſti ſint, venam priùs ſecare humeralem oportet, reuulſionis ſaltem gratia: *curatio.*
dein purgantibus medicamentis, deorſum ſcilicet, & reuellendo, & euacuando *Venæ ſectio.*
curare conuenit: potiſsimùm vbi billioſa humorum prauitas in toto corpore
ſuperare videatur: tunc nanque iis, quæ totum corpus purgant, recrementiſque
liberant, vtitor, Tralliano teſte. Nam ſi recrementa acria non in toto redun- *Lib. 2. cap. 2*
dant corpore, ſed qualitate potius, quàm quantitate peccare videantur, ſolis
balneis dulcis aquæ, & temperatis, ægrum citra dolorem liberabis, eodem Ale-
xandro auctore: quemadmodum quendam liberauit tali dolore affectum, ex
acrium videlicet humorum influxu, non tamen totius corporis eorundem ple-
nitudine, Galenus ſolo balneo vſus, vt idemmet teſtatur commento aphoriſ. 31.
ſexti libri. Verùm vbi in toto corpore, non qualitate duntaxat, ſed quantitate
etiam bilioſus ſuccus redundarit, & euacuari ipſum, & ad infernas partes re-
uellere oportet, purgantibus videlicet medicamentis, quæ ipſum expurgare *Purgatio.*
valeant, manna ſcilicet cum tamarindorum decocto, aut caſsia fiſtula, ſeu ſy-
rupo ex pluribus infuſionibus roſarum, vel violarum, cum diacatholico, ac re-
liquis huiuſmodi medicamentis: nec minus & ante, & poſt medicamenta prę-
dicta, alterantes ſyrupi præbendi ſunt, pro antedicti humoris acrimonia, ſeu
mordacitate domanda; velut violaceus, roſaceus, ex papauere, ſeu nymphæa
confectus, aut intybi ſucco. Demum ipſi particulæ candidus oui liquor infun-
dendus erit, quo per eum acris fluxio ſine offenſa eluatur, iuxta Galeni ſenten-
tiam 13. meth. ac Pauli cap. 22. tertij libri. Atqui magna cum conſideratione vi- *13. method.*
dentur veteres hoc caſu, ad oui deueniſſe humorem, cùm minimè mordens ſit, *Loco citato.*
& glutinoſus: & propterea lenire aſperitates omnes, quaſcunque acris fluxio
excitat, valet. Accedit ad hæc, quòd cùm craſſus, ac lentus ſit humor, conſtan-
tius quàm tenuis, & aquoſus, in loco permaneat, & cùm abſque roſione ſit, ſi

cap.ult. modicè incaleat, dolorem maximè leniat, vt eodem 13. metho. med. patet. Nec
minus & lacte iuuenculæ fœminæ, quæ boni ſit ſucci, vti poteris: connumera-
cap.1. & 2. tur etenim & ipſum inter lenitiuos liquores quarto de compoſitione medica.
ſecundum loc. vt diximus. Adhæc idipſum cum tenui oui humore, roſarumq;
albarum ſtillatitio liquore, ſeu aqua permiſtum commodum erit medicamen-
tum, non ſemel tantùm, aut bis in die, ſed ter, quater, & ſæpiùs applicatum, vbi
vehementior dolor vrgeat, tenuibus lineis linteis in eo madefactis. Vbi autem
concocta iam phlegmone ipſa fuerit, & ſimul corpus vacuum, tum vtique la-
uationes in balneo his ſunt aptiſsimæ: nam & dolorem ſtatim ſedant, & fluxio-
nem quæ ad oculos fertur, ſiſtunt: maxima quidem eius parte inter lauandum
per totum corpus excreta, reliquo verò diluto ex Galeni ſententia eodem 13.
cap. 22 meth. med. At ſi ex craſſorum, frigidorumq́ue humorum redundantia, flatuo-
Si ex craßis ſuccis fiat, curatio. ſove ſpiritu lippitudo oriatur, vacuato prius in his quoque toto corpore, auer-
ſoq́ue humorum momento deorſum, ipſam curabimus, Gal. decreto, eodem 13.
cap. citato. method. med. Euacuabitur autem corpus totum, ſi pituita redundarit, ea priùs
præparata, ac concocta, cum his quæ ipſam purgant, quæ in cap. de dolore ca-
pitis ex pituita reperies. Nec ſecus ſi ſuccus redundans melancholicus ſit, cum
his quæ ipſum purgant: quemadmodum cap. de melancholia docuimus. Illud
tamen non prætereundum in vtraq; redundantia, quòd ſi cum ſanguine com-
miſti fuerint prædicti frigidi, & craſsi ſucci, ante purgationem, aut media, aut
humeralis vena ſecanda erit; deinceps purgatio adhibenda. Si verò à ſangui-
ne abſoluti ſint, purgatione duntaxat vtaris: deorſum autem humorum impe-
Topica qualia eſſe debẽt. tum auertes frictionibus vehementibus, vinculis, ac cucurbitulis. Abhinc mox
localibus remediis vtendum, non tamen iis medicamentis, quæ repercutiunt,
ac reprimunt, imò iis, quæ euocant, atq; digerunt, vt eodem 13. meth. ſcriptum
13. metho. eodem loco. reliquit Galenus; & Paulus libro tertio cap. 22. Qua de re fouendi ſunt oculi
ex fœnigræci decocto, eo prius curioſè lauato, nequid illi, vel pulueris, vel ſa-
buli adhærens clam lateat. Eſt nanque medicamen hoc, Galeno teſte, omnium
maximè quæ oculis applicantur, ſine offenſa digerens, ſimile quidem exiſtens
quoad viſcoſitatem attinet, albo ouorum liquori, diſcuſſoriam tamen habet fa-
cultatem, & moderatè calfactoriam: & ob id multos dolores mitigare conſue-
uit, vt patet quarto de compoſ. medic. ſecundum locos. Eſt præterea fomentum
cap. 1 oculis ipſis omnino adhibendum per ſpongiam ſemel, aut bis, ter, aut quater,
vel ſæpius in die, prout vehementior dolor vrgeat. Fit autem interdum fomen-
tum non per fœnigræci dũtaxat, ſed meliloti, & eiuſdem fœnigræci decoctum.
Animaduerſio in applicãdis eis. Verùm meminiſſe oportet, quòd priuſquàm totum corpus purgaueris, nec iam
dicta, nec aliud vllum medicamẽtum digerens, nedum oculis, ſed nec aliis qui-
buſuis particulis applicare debes, vbi in toto corpore redundantia ſubeſt: im-
cap. citato. plebunt nanque potius, quàm educent, iuxta Gal. ſententiam eodem 13. metho.
Qua de re expurgato toto corpore à redundantibus ſuccis, craſsis, ac frigidis,
non modò fœnigræci decocto, verumetiam & aliis digerentibus, ac diſcutien-
tibus, ſeu euocantibus medicamentis vti poteris, velut ſi in aqua fœniculi, eu-
fragiæ, & albarum roſarum drac. j. lotæ pompholygis, quam Medicorum vulgus
tutiam appellat, aloëſq; non lotæ drac. s. diſſoluas, aut ſi ſarcocollæ in lacte aſinę,
ſeu mulieris nutricis drac. j. aſſumas, aloës ſcrup. j. pompholygis drac. s. & in
vnc. iij. aquæ fœniculi. & roſatũ diſſoluas. Similiter ſi aloe ipſa ſola in aqua roſa-
rum, & fœniculi diſſoluta, quãtitate moderata vtaris. Quod ſi totũ corpus me-
diocri habitu in humorũ tum qualitate, tum modo fuerit, ſed caput tantũ hu-
morum redundantiã ad oculos tranſmittat, ipſum prius ſanandum eſſe conſtat,
cap. ulti. eius affectu explorato, quem ſuperfluorum generatio comitatur, vt eodem 13.
meth. med. liquet: quinimò diutinas oculorũ fluxiones curamus, oculis ipſis di-
miſsis, atq; ad capitis curationẽ conuerſi. Quòd ſi eius vitium ex genere intem-
perantiarum fuerit, ex ſibi contrariis curatio fiat. Plurimùm nanque vel frigi-
da intemperies caput vitiat, vel humida; nec dubiũ eſt, quin ambæ etiam con-

gredian

gredianrur, vt eodem decimotertio metho. & ſecundo de locis affectis, clarè patet: rariores autem ſunt, quæ propter calorem, acrem oculis fluxionem immittant. Conducit propterea iam dictis medicamentorum vſus, interdum quæ per nares, & os pituitam eliciunt, appellantur autem errhina, & apophlegmatiſmi, quorum ſæpiùs in prædictis mentionem fecimus. Vbi verò nec in toto corpore humorum copia adſit, nec à capite fluxio ad oculos fiat, verùm craſſus ſanguis oculorum venulas intendat, eoſque ſquallidos habeant, & propterea valde tumidas, ac plenas ſanguine (vt diximus) balneum eis præcipiendum temperamentum erit, quo meatus excalfacere, & laxare valeat: ac deinde vinum meracius exhibere, quo nedum excalfacere, & meatus aperire valeat, verùm ſanguinem effundere, atque euacuare potens ſit, & ſui motus vehementia obſtructiones aperire, iuxta Galeni ſententiam aphoriſ. 31. ſexti lib. quam confirmauit Alexander Trallianus, cùm dixit, Poſt temperatum balneum vini potio facilè in totum corpus, parteſque ſuperiores diſtribuitur, vt nonnihil eorum, quæ obſtructionem pepererunt, non modò calore ipſius, ſed etiam motus celeritate extenuet, & expellat, ſimulque etiam particularum (vt diximus) imbecillitatem confirmet, vt ipſe quoque partem aliquam illorum, quæ inſident, extrudere poſsit. At ſi vini potione vti metuat æger, fomentum potius ex calida (cùm ſit tutiſsimum, & omnino aliquam afferens vtilitatem, vel tanquam cauſa ſanitatis oculorum, vel tanquam ſignum ad dignotionem) admouendum erit: ſitque idipſum aut ex calida aqua, vel fœnigræci, ſertulæ campanæ, ſeu chamæmeli decocto, aut demum cunctis ſimul commiſtis. Vbi nanque ex eiſdem fouebis oculum, nihilque influit, conſtat totum corpus recrementis eſſe vacuum, ac fomentis inſiſtendum eſſe, quoniam diſcutiēs eam, quæ in ipſis continetur, ſuperfluitatem, oculis in totum ſanitatem reſtituit. Sin autem humor influat, & dolor, cùm primum fomentum adhibetur, ſuo calore paulum remiſſus ſit, ſed paulò pòſt iterum intendatur, tunc tanquam ſignum dignoſcitiuum proderit, ex quo nos diſpoſitionem comprehendentes, quòd euacuatione indigeat æger, ad totius corporis euacuationem peruenimus, aut per venæ ſectionem, eo magis plethorico exiſtente, ac ſanguine redundante, aut per purgationem, ſi vitioſi humores infeſtarint: neque enim difficile eſt admodum alterum ab altero diſtinguere, & propterea inter omnia connumerata fortia remedia doloris oculorum aphoriſ. 31. ſexti libri ab Hippocrate, tutiſsimum eſt fomentum ipſum ex Galeni ſententia in commento eiuſdem aphoriſmi. Rarò autem contingit ſpiritum duntaxat flatuoſum agnatam tunicam diſtendentem ophthalmiam cauſare: verùm ſi contingit, vaporationibus ex milio, aut milio & furfure ſaccellis paratis, curari poterit: aliiſque digerentibus, euocantibus, ac diſſicientibus medicamentis. quæ autem adſtringunt, ac repellunt, vitare oportet Galeni decreto 13. method. medendi. In quibus verò chemoſis fortis contingit, oui luteum cum muſcæ carne terito, atque vbi ad cerati formam deducta fuerint, linteolo excepta impone, & confeſtim ſedant, Galeno teſte quarto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos.

13. method. *Loco citato.* *2. de loc. affe. cap. 9*

Balneum quādo conferat.

Alex. li. 2. c. 3.

Si ex flatuoſo duntaxat ſpiritu fiat, curatio.

cap. 22.

cap. 8

Περὶ πτερυγίου. *De vngue oculi.* *Cap.* XXI.

INTER alias affectiones agnatæ tunicæ ea à Medicis connumeratur, præſertim ab Aëtio, quam *πτερύγιον* Græci vocant, à Latinis, vtpote à Celſo lib. 7. cap. 7. vnguis nuncupatur. Vulgus autem Medicorum, vngulam appellat, qui (eodem Celſo auctore) membranula neruoſa eſt, oriens ab angulo oculorum, quæ nonnunquam ad pupillam quoque peruenit, eique officit, ſæpiùs à narium, interdum etiam à temporum parte naſcitur. Paulus verò libro tertio cap. 22. vnguem dixit eſſe membranulam quandam neruoſam oculis ſeſe obtendentem, quæ ab angulo quidem oritur, ſed aduſque pupillam peruenit, eamq; vbi fuerit

Aët. li. 7. c. 7. *Vnguis quid ſit.*

adaucta,

adaucta,obtegit : & libro ſexto cap. 18. dicebat, pterygion neruoſa membrana
eſt,quæ ab oculi angulo maiore vt plurimum initium capiens,per minorem ad
exteriora progreditur,officitque oculo,motum ipſius , & bulbi contractionem
impediens , & quòd progrediens totam pupillam contegat. Eſt itaque mem-
brana hæc neruoſa , vt ex iam dictis patet : incipit autem eius augmentum ſæ-
pè ab angulo magno appellato , iuxta naſum ; rariùs autem à paruo, & adhuc
Lib.7. ca.58. rariùs à ſuperna , vel inferna palpebra generatur, Aëtio teſte : extenditurque
vſque ad nigrum ipſius oculi,& cùm maior facta fuerit , etiam pupillam conte-
git,& viſum impedit, & propterea non ex accidenti ; ſed primaria ratione pu-
pillam obſcurat , viſus aciem aut vitioſam reddendo , aut omnino auferendo,
iuxta Galeni ſententiam primo de cauſis ſymptomatum . proprius propterea,
1.de cauſ.ſym. cap. 2 & compoſitus eſt oculi morbus pterygion , totius videlicet inſtrumenti primò,
cap.13. cùm eodem tempore multæ partes ipſius in eo afficiantur,vt libro de differen.
Quæ pars af- morb.liquet. Nam licet in agnata tunica primùm oriri incipiat , corneam ta-
ficiatur oculi. men attingit ; & vbi plurimùm increuerit, pupillam obſcurat, viſumque impe-
dit .Ex cuius viſus impedimento ſatis admodum conſtat oculum ipſum in hoc
vitio affectum eſſe ſecundum plures partes ipſius: nam & agnata tunica pri-
mò,cornea ſecundò,& pupilla tertiò oblæditur. Et propterea ipſius oculi tan-
quam inſtrumenti primò,cõpoſitus morbus eſt pterygion, propter eam , quam
Quis præter diximus,rationem,in numero videlicet, ac in exceſſu (non tamen toto genere
naturam affe- præter naturam,vt eſt lapis in veſica , & lumbrici) eo quòd primaria ratione,
ctus ſit. & non ex accidenti pupillam obſcurat , vt eodem libro de different. morb. li-
Loco citato. quet. & quamuis nullis opus ſit ſignis, quibus vitium hoc deprehendatur , cùm
Signa eiuſdẽ. ad ſenſum pateat : cum Aëtio tamen dicimus,quòd in hoc malo album in ocu-
lo amplius augeſcit , aut caro ſuperexcreſcit , ex ſcabra quadam lippitudine,
Cauſa. aut aſsiduis fluxionibus. Cuius itaque occaſio magna ex parte ſcabra præce-
dens lippitudo eſt,aut aſsidua craſſorum , lentorumque humorum fluxio,hunc
recentem, vt Celſus ait , non difficile eſt diſcutere medicamentis, quibus cica-
Prognoſtica. trices in oculis extenuantur. Si inueterauit, iamque ei craſsitudo quoque ac-
ceſsit,excidi debet,faciliusque curationem recipiunt pterygia; quæ tenuia ſunt,
& alba,ex Pauli & Aëtij ſententia : qui etiam Paulus aſſerit magnos , & inuete-
ratos vngues ſolam manum expoſtulare,recentiores verò,& magnitudine me-
diocres,præſidiis elidi abſtergentibus,qualia aſpritudini idonea ſunt , & albugi-
nibus. Similem ſententiam ſcriptam reliquit Aëtius , dum dixit , Cæterùm ex
pterygiis ea manu curare oportet,quæ aucta ad nigrum ſe extendunt ; quæ ve-
rò parua , & in albo ſunt,ea conandum eſt,vt pharmacis comprimamus. Simi-
liter quòd neque craſſa pterygia curanda ſunt,& euerſa, & eminentia , ac indu-
rata,& quæ tempora per conſenſum afficiunt. Sunt enim , vt ipſe aſſerit, mali-
gna,& cancerata. Vniuerſa victus ratio talis præcipienda erit , quæ craſſos , ac
Victus ratio. lentos humores extenuet , atque incidat : particulatim autem ex præcedenti-
bus petas , præſertim cap.de dolore capitis ex pituita , ac de lethargo. Quare-
Medicamen- nus autem ad medicamentorum rationem attinet , relictis magnis, & inuetera-
torum ratio. tis vnguibus , qui ſolam manum expoſtulant , Paulo teſte , ac ab eodem cura-
tionis modum diſces libro ſexto cap.18.ſimiliter & à Celſo cap.7.lib. 7. recen-
tiores , & magnitudine mediocres curare docebimus , qui abſtergentibus me-
dicamentis , vt eidem Paulo viſum eſt , ac iis quibus cicatrices in oculis exte-
Purgatio. nuantur , curari poſſunt, Celſo auctore. Priùs tamen vniuerſum corpus à craſ-
ſis, lentiſque humoribus purgandum erit, & non niſi primùm aſſumptis iis me-
dicamentis,quæ craſſos,& viſcidos humores extenuandi, & incidendi vim ha-
beant : craſsi nanque & lenti ſucci purgari non debent , niſi præparati priùs
fuerint. Horum autem præparatio ex iam dictis medicamentis fieri debet , &
demum iidem purgandi ; quorum purgantium medicamẽtorum materias ite-
rum ex præcedentibus capitibus ſtudioſi petant : neque enim decens eſt ſem-
Topica. per eadem repetere. Ab hinc fouendus erit vnguis , aut ex aqua temperatè ca-
lida,

lida, aut ex hordei, maluarum, althææ, & chamæmeli, ſeminis lini, ſeu fœnigræci decocto, quoad oculus calfiat. deinde quæ abſtergunt medicamenta admoueantur, ac repurgant. Inter quæ tanquam modicam habens abſtergendi vim, eſt thus ipſum in tenuiſsimum puluerem redactum. Item & ſepiæ teſta vſta cum ſale ammoniaco (vt Aëtio placuit) aut ſi cum pumice torrefacto, vinóque leuigato illinatur. Vehementem autem abſterſoriam facultatem habet æs vſtum: itemque ſquama eius, & flos, ac chalcitis quoque vſta, Galeno auctore quarto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. quarto. Verùm ſi talia pharmaca lauentur, exterſoria quidem adhuc manent, ſed tantò efficacia imbecilliora, quantò mordacitatis magis expertia fiunt, vt eidem Galeno viſum eſt. Non abſque ratione itaque eiſdem primò vſtis, ac lotis vtere, deinceps ſi eis malum non cedat, non lotis: pariter & ſi opus fuerit, chalcantho, ſeu atramento ſutorio vtare: nam vſtum primùm, & lotum adhiberem, & ſi non ſuffecerit, vſtum duntaxat. Interea verò, quæ citra mordacitatem extergunt ex ſententia eiuſdem Galeni eodem loco connumerantur ceruí cornu vſtum, & etiam caprarum: qua de re circa initia eiſdem vti poſſumus, ac cum thure mixtis. Nec erit abſonum, cum eiſdem medicamentis, præſertim generoſè abſtergentibus portionem quandam miſcere tragacanthi, ſeu gummi: ſunt enim mordacitatis, ac acrimoniæ expertia pharmaca, velut fœnigræci decoctum, tenuis ouorum liquor, & lac, vt planè conſtat, eodem quarto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 4. Paulus verò æs combuſtum, vel atramentum ſutorium ſimiliter combuſtum, cum gummi parte quadam, ac porcino, ſeu caprillo felle mixtum, tanquam efficax medicamẽtum approbat. Aëtius autem æs vſtum cum pueri incorrupti vrina commendat: & Trallianus ſepiæ teſtam crematam, leuigatámque ſimul cum ſale foſsili. Et hęc commemoraſſe ſufficiat medicamenta pro pterygij citra chirurgiam curatione: nam ſi ea indigeat, curationis modum ſcriptum reperias non modò à Paulo & Celſo (vt diximus) verumetiam ab Aëtio libro ſeptimo cap. ſexageſimo.

Lib. 7. c. 59

cap. 4

Trall. lib. 2. cap. 7. in fi.

Περὶ ὑπωπίων. *De ſugillatione.* Caput XXII.

EX genere effuſionum, quas Græci ἐκχυμώσεις, καὶ ἐκχυμώματα appellant, eſt affectus is, qui ab eiſdem Græcis ὑπώπιον καὶ ὑποφθάλμιον dicitur, à Paulo ὑπόσφαγμα, Latini autem oculorum ſugillationem, recentiores verò medici oculi maculam nuncupant. Nec alia ratione hoc vitium ſub oculis gignitur, velut nomen ipſum indicat, quàm in reliquis noſtri corporis partibus, cùm videlicet tenuibus circa cutem vaſis contuſis, aut quomodolibet ruptis, ſanguis ipſe effunditur per fiſſuras in ſpacia quæ circum eadem vaſa circumiacent, non vno loco aceruatim, ac ſtatim ita excretus, Galeno teſte quinto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. primo, in grumos coiens, ſed poſtquàm per ſubſultationem, hoc eſt ἀναπήδησιν, vt ipſi appellant, effuſio ipſa facta eſt: contingit ſanè aliquando, vbi ita coierit, temporis proceſſu liueſcere, ac denigrari, parum nimirum grumulis ex diſperſo in multas cutis partes ſanguine coactis. Qua de re Aëtius oculi ſugillationem dici aſſerit, cùm ex ictu, ſeu plaga quadam, potiſsimùm ruptis, aut contuſis vaſis in oculorum tunicis, ſanguis ſub tunicam ſubierit, & ſtatim quidem cruentus color oculi fuerit, poſtea verò liuidus. Quòd verò in hoc malo oculus afficiatur, nomen ipſum indicat, at quòd particulatim agnata tunica, ſeu cornea dicta, indifferenter affici poſsit, quæ exteriores quidem oculi tunicæ ſunt, modus generationis eius oſtendit: ſenſus quoque indicat, quæ earum fuerit affecta, aliis indiciis non indigens, nam ſub qua tunica cruentus ſtatim, poſtea verò liuidus color apparuerit, aut niger, eadem affecta erit. Verùm ſi ex ſugillatione videndi functio non impediatur, ſymptoma eam eſſe dicimus in genere affectus corporis, eorum ſcilicet quæ ad vi-

Lib. 7. ca. 20

Quid ſit ſugillatio.

Quæ pars oculi in ea afficiatur.

Quis affectus præter naturam ſit.

ſum

ſum pertinet. At ſi viſionem impediat per ſe primò, vtpote magna exiſtens, & ſubcornea potiſsimum, aſſerimus nõn ſymptoma eſſe, ſed morbum in numero, ſeu quantitate, ſiue autem ſymptoma ſiue morbus fuerit malum ipſum, ſtatim viſu comprehendi poterit: *Signa.* nam cruentus oculi color videbitur circa initia, progreſſu verò liueſcens, aut nigricans, putántque ægri rubra omnia quæ aſpiciunt, cuius mali immediata cauſa eſt, vaſorum ruptio, aut cõtuſio. *Cauſa.* Eorum autem ruptionis cauſa, potiſsimùm externa, ex ictu ſeu plaga eſt: quanquam licet raró, & interna eſſe poterit, vt nimia eorundem vaſorum repletio, aut ipſiuſmet ſanguinis in eiſdem venis contenti feruor exuperans, quarum cauſarum diſcretionem haud difficulter aſſequi poteris, externas videlicet ex ægri, ſeu aſtantium relatione percipies, internas verò ex teipſo perpendes: quibus perceptis confeſtim ad eius curationem, priuſquàm denigreſcat, Galeni decreto, *cap.1* eodem quinto de compoſitione medic. ſecundum. locos, feſtinare debes. *Prognoſticũ.* Nam ſi in grumos ſanguis coierit, ægerrimè diſcuti poteſt, & temporis progreſſu liueſcit oculus, atque denigratur. *Curatio.* Venæ itaque ſectione (ſi opus fuerit) aut purgatione (ſi ea ægri indiguerint) pręmiſſa, cõfeſtim pro eiuſdem affectus curatione ad topica medicamenta deueniendum erit: *Topica qualia eſſe debeant.* quæ non modò diſcutiendi vi prædita eſſe debent, verùm parum quiddam ex aſtringentibus miſcendum erit; quoniam vaſorum tunicula, ex quibus ſanguis exilit, diſrupta eſt: quare ſi ex ſola ſimplici facultate diſcuſſoria pharmacum à principio adhibeatur, non ſolùm quod effuſum eſt, diſcutiet, ſed & per fiſſuras aliquid attrahet ex ſanguine in contuſis venis contento. Poſtquàm verò in ſuam naturam redierint venulæ, ad diſcuſſoria pharmaca citra aſtringentium admiſtionem, opportunè tranſeundum, ex Galeni ſententia, eodem quinto de Compoſit. medicamentorum ſecundum locos, cap.1. quinetiam & ex ipſis diſcuſſorijs pharmacis imbecilliora primùm adhibenda eſſe idem conſulit Galenus, fortiora verò inueteratis, & denigratis admouenda. Inſtillatur itaque prædictis in oculo (Pauli decreto) ſanguis palumbi, vel columbæ, vel calidum lac muliebre, cui thuris paululum ſit adiectum, aut candidum oui tepidum infunditur, vt Aëtio viſum eſt, vel ſanguis turturis, ſeu columbæ. Celſus verò prædictis ſanguinibus tanquam optimum anteponit hirundinis ſanguinem libro ſexto cap.6. circa finem: quamuis reliquos quoque tanquam commodos approbet; ſequentibus autem diebus oculus ſæpè fouendus erit per ſpongiã cum abſynthij, aut hyſſopi decocto, iuxta eiuſdem Aëtij ſententiã, aut ſertulæ campanæ, & fœnigræci primùm, poſtea etiã ipſius tantùm fœnigræci decocto, iuxta Gale. decreta, eodem quinto de compoſ. medic. ſecund. loc. *Loco citato.* Poſt quæ braſsicæ folia decocta, & contrita ſuperimpoſita proſunt, & caſeus recẽs parumper ſalſus pari modo impoſitus, cùm & ipſe mixtam quandam habeat facultatem, quare nihil abſurdi erit, eo etiam in principio vti. Eiuſdem quoque generis ſunt roſæ, melilotum & crocus, vt eodem quinto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos liquet. *Citato loco.* Inueteratis autem ſugillationibus, & denigratis fortiora diſcutientia medicamenta admouenda erunt: inter quæ ſunt raphanus, hyſſopum, myrrha, ari radix, origanum, myricæ folia, & fructus, cardamomum, & reliqua innumera, quæ à Galeno præcitato loco connumerantur: ex quibus idonea medicamenta parari poterunt.

Περὶ ὀφθαλμῶν ἑλκῶν. — *De oculorum vlceribus.*

CAPVT XXIII.

VNum quidem genus eſt vlcerum in oculis, vt Paulus teſtatur cap.22. tertij libri, quamuis differentiæ ſpecificæ diuerſæ ſint, ac diuerſimodè nuncupentur, vt idemmet auctor aſſerit, propt diuerſæ eiuſdem oculi partes exulcerari cõtingit, non vno etiam modo. *Pars affecta.* Nanque tunica agnata interdum, interim corniformis; aut angulorum aliquis, ſeu palpebra eadem affectione laborant, quemadmodum

dum Seueri auctoritate affirmat Aëtius. Quæ verò prædictarum partium exulcerata ſit, haud difficilè dignoſci poterit: cùm & promptè ſenſu viſus diiudicetur.

Affectus.

Ipſe verò affectus morbus eſt in genere ſolutionis continui, viſionem incommodans, ſi fuerit notatu dignus, non ſolum ob id, quòd redundantem humorem coaceruat, ſed etiam quia efficit, vt criſtallinus humor ex breui ſpacio cogatur cum circumfuſo ſplendore conuerſari, Galeno auctore libro primo de Cauſis ſymptomatum, cap. ſecundo, præſertim ſi in corniformi genitum ſit vlcus, & quòd procedens quoque ad interiora vlcus verſus pupillam, aliquid aquoſi humoris foras effundit, atque hinc imminet periculum, ne ſic affectus, ad extremam perueniat cæcitatem.

Cauſæ.

Cuius exulcerationis cauſa, aliquando externa, ab aliqua videlicet re ad oculum illabente eſſe poterit, aliquando interna, puta ex acrium humorum eroſione, à qua magna ex parte fit. At ſi externa fuerit cauſa, facilè ex ægri, ſeu aſtantium loquela percipitur. Verùm ſi ex acribus humoribus, ac cauſa interna fiat vlcus, ex qualitate doloris, pruriginoſa videlicet, aut punctoria, redundantis ſucci qualitas inueſtigari poterit, ægri ætate, ac temperamento, & victu, regione, anni tempore, aëris conſtitutione, ac reliquis non prætermiſsis.

Prognoſtica.

Quantum verò ad prognoſtica attinet, ſatis ſit noſſe, quòd vulnus ſeu vlcus corniformis tunicæ periculoſius ſit, quàm reliquarum partium oculi: & ſi ea ipſius pars, quæ pupillæ obiecta eſt, fuerit vlcerata, ſi vulnus ad interiora deſcendit, magna ex parte taliter affecti obcæcantur, Galeno teſte eodem primo de Cauſis ſymptomatum, cap. ſecundo. Quæ verò vlcera in agnata tunica oborta ſunt, non adeò periculum afferunt, velut prædicta.

Curatio.

Cæterùm ſiue in corniformi, ſeu agnata tunica, ſiue palpebris, aut oculorum angulis, aut quacunque alia oculi parte vlcus fieri contingat, eandem ſecundum genus curationem requirit, quam & alia vlcera: quamuis ob partis naturã quam leniſsima adhibenda ſint medicamenta, iuxta Gale. ſententiam quarto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos cap. tertio. Nam medicamentorum ſylua, quæ propriè ad oculorum vlcera pertinet, vt idem teſtatur Galen. itidem ſcopum habet, vt vlcus mundum ſeruetur, vtpote partium natura ipſum explente, & ad cicatricem perducente, quemadmodum in aliis vlceribus videre licet, vniuerſo tamen corpori præ omnibus prouidentia adhibita, quò id quod redundat in habitu tollatur, Aëtio auctore, per venæ ſectionem corpore exiſtente pleno, humeralis, ſeu mediæ venæ eiuſdem lateris, aut per purgationem, ſi humorum aderit acrimonia ex quibus vlcus fuerit exortum, ſiue per clyſterem.

Venæ ſectio.
Purgatio.

Quòd ſi cunctis his opus fuerit, omnibus etiam vtendum erit, Aëtio teſte. Nec minus humorum defluxus auertendus erit ad inferiores partes frictionibus, vinculis, ac cucurbitulis.

Auerſiones.

Quibus autem purgantibus medicamentis vtendum ſit, vbi opus fuerit, pro ratione redundantis ſucci, eo prius concocto, ac præparato, ex ſæpius iam dictis ſtudioſi requirant, pariter & conuenientem victus rationem, abſtinendo potiſsimum à vino vſque ad declinationem, ac cauendo ea, quæ caput replent, & fluxionem irritant.

Victus.
Topica.

Quod verò ad topica medicamenta attinet, ſi vlcus ſimul cum inflammatione infeſtet, curationem ex iis, quæ inflammationem lenire poſſint, & concoquere moliemur, non neglectis iis, quæ ad vlcus propriè pertinent, ex Pauli, & Tralliani ſententia.

Pau. libro 3. cap. 22
Trall. lib. 2 cap. 5
Aetius lib. 7. cap. 22

Qua de re per initia collyrium album muliebri lacte diſſolutum immittendum erit, inſtillandumque ex oui albumine: & cataplaſma adhibendum, ex Aëtij ſententia, ex ouo ſimul cum eius vitello, cum roſaceo & vino, ita vt leniter tepefactum, & lana (vt ipſe teſtatur) exceptum imponatur: poterit etiam applicari, ſi ex linteo lineo excipiatur. Sequentibus autem diebus fomentum fiat ex roſarum decocto, aut meliloti, & infundatur lac muliebre cum ouo tepidum, adhibeanturque linimenta, maximè id quod ex capitibus papaueris, meliloto, croco & pane paratur, ex quo ſuperna duntaxat palpebra illinatur, quo aperiri poſsit oculus, & lachrymas influentes excernere, oculus quoque leniter deligetur, iuxta eiuſdem Aëtij decreta.

Loco citato.

Si autem vlcera ſordida fuerint,

mulſa mediocriter diluta, & fœnigræci decocto vtemur, Paulo teſte. At ſi multa fuerit ſordes, ad fœnigræci ſuccum, parum mellis addere conuenit. Oportet autem fœnugræcum ipſum exactiſsime purgare, ſæpè abluere, ac eo modo madefacere pura dulci aqua, quemadmodum idem Aëtius docet libro ſeptimo, cap. decimoquinto. Poſtquàm autem purum factum eſt vlcus, à fœnigræci ſucco abſtinendum erit, & collyrio ex thure quod vim glutinandi, ac incarnandi obtinet, vtendum. Eo autem vtaris, quòd ammoniacum, ſarcocollam, thus, ac crocum excipit, cum fœnigræci ſucco, & quandoque ceruſſam etiam lotam, ac amylum; nam quod aliter Græci conſcripſerunt, acrius quodammodo medicamentum eſſe videtur, præter id, quòd opium etiam excipiat, veruntamen interdum; robuſtis præſertim corporibus, & ipſo quoque vtare. Eo autem incarnato, ac explanato, aut etiam adhuc paulò profundiori exiſtente, adhibenda ſunt collyria, quæ cicatricem inducere poſſunt, præſertim id, quod Cleoni inſcribitur ab Aëtio, & Paulo: eius autem compoſitionem inuenies apud Paulum libro ſeptimo cap. decimoſexto, & apud Aëtium libro ſeptimo, cap. centeſimoſeptimo. Nam vlcera oculorum eandem ſecundum genus curationem requirunt, quam alia vlcera, vt Galenus inquit quarto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos cap. 3. quanquam ob partis naturam quàm leniſsima adhibenda ſint, vt diximus.

Περὶ οὐλῶν, καὶ λευκωμάτων. — *De cicatricibus, & albuginibus.*

CAPVT XXIIII.

CVratis oculorum vlceribus, cicatrices in eis fiunt, quæ, Paulo teſte, cap. 22. tertij libri, ſi per ſumma oculorum ſint, à Græcis interim οὐλαὶ, à quibuſdam verò νεφέλια, Latinè cicatrices, ſeu nubeculæ appellantur, à quibuſdam verò albugines tenues. At ſi altiores fuerint, à Græcis λευκώματα, à Latinis verò albugines, & ab aliquibus craſſæ albugines nuncupantur. Poſſunt autem non ab re omnes prædictæ cicatrices albugines nuncupari, cùm in oculi nigro albæ appareant. Denſata enim corniformi tunica, vt inquit Aëtius, ſubiectus ipſi cæruleus color non amplius tranſlucet, ex quibus verbis liquet, quæ oculi pars in albuginibus afficiatur, nam corniformis tunica præcipuè: connumerandæque inſuper & ipſæ ſunt inter morbos in numero, quòd ſi ſupereminentes fuerint, maximè albeſcunt, auctore Aëtio. At ſi planæ, ſeu æquales, minus ſunt albæ, quæ verò magis cauæ quodammodo concolores ſunt nigro, earum cauſa minimè inueſtiganda erit, cùm præcedentia vlcera inſequantur. Verùm ipſæ, vt teſtis eſt Cornelius Celſus libro ſexto cap. ſexto, duobus vitiis periclitantur, ne videlicet aut cauæ, aut craſſæ ſint: qua ratione dicebat Aëtius calloſas, ac diuturnas, & craſſas cicatrices curare non oportere; ſi verò ſuffuſio etiam, aut glaucedo affuerit (vt ipſe inquit) vanum eſt cicatrices extergere. Si quis autem eas extergere velit, quæ curari poſſunt, victus rationem ægro corpori accommodare debet, ex qua moderata materia, & boni ſucci, per vniuerſum corpus diffundantur, ex eiuſdem Aëtij ſententia. Itaque ab omnibus acribus, ſalſis, ac craſsi ſucci cibis abſtinere oportet, & moderatè boni ſucci edulus vti, & probæ concoctionis maximè curam gerere: nec minus & à multo vino abſtinere debet æger. Illitio autem oculis facienda erit ante cibum, non ſtatim à lecto, neque ante cœnam, priori cibo bene concocto, & vbi ventris excrementa prius depoſuerit, & capite, ac toto corpore leuis ſit æger. Securius autem erit, iuxta eiuſdem auctoris ſententiam, lenioribus extergentibus vti: nam quæ attenuari poſſunt cicatrices, moderatè pharmacis extergentibus curari poſſunt. Vitanda verò ſunt acria, & quæ excoriant medicamenta; nam ſuccedentibus ex eis fluxionibus, itemque inflammationibus, & aliquando reſolutis cicatricibus vlcera magis profunda fiunt. Interea autem medicamenta, quæ citra

Lib. 3. cap. 37. *Pars affecta.* *Aff. ſtat.* *Signa.* *Cauſæ.* *Prognoſtica.* *Curatio.* *Victus.* *Topica qualia eſſe debeant.*

omnem

omnem moleſtiam recentes cicatrices exterunt, lac equinum exiſtit, cum mo-
dico melle aſsiduè illitum, Aëtio teſte. Similiter etiam centaurij minoris ſuc- *Aëtius lib. 7. cap. 39.*
cus ex melle, vt Paulo, & Tralliano viſum eſt, nec minus & anagallidis cæru-
leum florem habentis, aut chelidonij ſuccus cum melle, ſeu menthæ ſuccus, *Paul. loc. cit.*
eodem Aëtio auctore. Extergunt quoque citra mordacitatem, cornu cerui
vſtum, velut etiam caprarum, Galeno teſte quarto de compoſitione medica-
mentorum ſecundum locos. inueteratas autem, ac altiores albugines tum ab-
ſtergentibus, tum diſcutientibus pharmacis curare tentandum, iuxta Pauli
ſententiam. Inter quæ tum Paulus ipſe, tum Trallianus ſepiæ teſtam combu- *Tral. li. 2. c. 5.*
ſtam, & cum melle in pollinem redactam, admodum probant. Aëtius buty- *Loco citato. cap. 4*
rum liquefactum ſolum illitum, necnon rumicis hortenſis, & plantaginis ſe-
men in teſta exuſtum, & in cinerem redactum, exacteque tritum approbat. Si-
militer pullorum hirundinum capita detracta, in olla exuſta, ac trita: galba-
num quoque cum melle liquefactum, ac ſimiliter tritum adhibere præcipit.
Nec minus vti poteris ære vſto, aut eiuſdem æris ſquama, ſeu flore, prius ta-
men lotis, eiſque ſolis in puluerem redactis, aut cum melle mixtis: poteritq;
inſpergi infraſcriptus puluis, qui excipit cornu cerui vſti drac. j. ſepiæ teſtę com-
buſtæ drac. s. ſarcocollæ drac. j. & s. ariſtolochiæ rotundæ ſcrup. j. ſacchari drac.
iij. fiat puluis. Et ſi fortius medicamentum reddere velis, myrrham, aut nitri ſpu-
mam addas, æs vſtum, eiuſdemque ſquamam, aut florem, quæ vt magis mor-
dacitatis fiant expertia, lauentur prius, vt diximus. Hæc pro curatione prædicti
affectus commemoraſſe ſufficiat.

Περὶ φλυκταίνων. *De puſtulis.* *Caput XXV.*

ORIVNTVR interdum in oculis, potiſsimum circa corni-
formem tunicam, quamuis & in eorum albo, & in palpebris in- *Aët. li. 7. c. 29*
terim fieri poſsint, Aëtio teſte, puſtulæ quædam: quæ à Græcis *Celſus lib. 6. cap. 6*
φλύκταιναι, à Latinis, vtpote à Celſo, puſtulæ, à barbaris veſicæ
nuncupantur. Hæ inquam, vt Paulus aſſerit, exereſcentiæ quædã *Puſtulæ quid ſint.*
ſunt corniformis membranæ, ortæ ex humore quodam ſubexcoriante ipſius cõ- *Pau. li. 3. c. 22.*
paginem: Afficitur itaq; per hunc affectum oculus, præſertim ſecundum corni- *Pars affecta.*
formem tunicam, vt ex eiuſdem deſcriptione liquet, & cùm illud ſenſu iudicari
queat, non opus eſt alia indicia afferre. Eſtque morbus in quantitate, ſeu magni *Affectus.*
tudine præſertim: quanquam & in intemperie, & in ſoluta continuitate ſimul
morbus dici poſsit, cùm de numero tumorũ præter naturã ſit, verùm cùm eadẽ
tunica corniformis ex quatuor veluti membranis denſiſsimis, ac fortiſsimis cõ-
ſtet, poſſunt interim ſub prima membrana prædictæ fieri puſtulæ, aliquando
verò ſub ſecunda, aut tertia, quapropter quædam in ſuperficie, quædam verò
in profundo eius fiunt. Quòd ſi in ſuperficie, ſub prima videlicet membrana *Signa.*
fieri contingant, colorem nigriorem præ ſe ferunt, eodem Aëtio teſte. Si au-
tem ſub ſecunda, aut tertia membrana conſiſtant, albidiore colore puſtulæ
fiunt; nam licet iam dictarum puſtularum color naturalis niger ſit, in profun-
do corniformis tunicæ cùm fiunt, occultatur, eo quòd tunica corniformis al-
ba eſt, & cornibus ſimillima. Inquantum igitur, vt idem Aëtius aſſerit, in pro-
fundo corniformis tunicæ puſtula occultatur, intantum colorem aſsimilat, &
maiorem dolorem inducit, & moleſtior eſt. Ex iis ergo interſtinguendæ ſunt *Cauſæ.*
puſtulæ, quæ in ſuperficie, ab iis, quæ in profundo fiunt. Oriuntur autem aut à *Cauſarum ſigna.*
ſanguine ob plenitudinem, aut ab acribus ſuccis, vt idem aſſerit Aëtius, quas
cauſas inter ſe diſtinguere, aut dignoſcere haud difficile erit, ſi & doloris qua-
litatem, ac magnitudinem, ipſarumque puſtularum colorem, & ægri tempe-
ramentum, habitum, ætatem, ac eiuſdem anteactam vitam, anni tempus, re-
gionem, aëris conſtitutionem, ac reliqua optimè perpendas. Verùm ex qua-
cunque cauſa orta fuerit puſtula, ſi ſuperficiaria fuerit, curatu facilis erit, diſ- *Prognoſtica.*

ficilis autem ſi profunda, etiam ſi tunica ipſa vlcerata ſit. Periculum nanque eſt ſi in profundo orta ſit, ne reliquum corniformis tenue exiſtens rumpatur, & vuiformis procidat, ac effluant oculi humores: præſertim ſi iuxta pupillam ruptio fiat, vt Aëtius aſſerit, aliudque graue conſequatur. Nam inducta etiam talibus vlceribus cicatrice, homo non videbit propter inductas cicatrices. Quomodo autem ſuperficialis orta puſtula ab vuiformis tunicæ procidentia propter corniformis rupturam, ſeu corroſionem diſtinguatur, ſequenti capite explicabimus. Cæterùm curandæ puſtulæ ſunt primùm, vt multiloquium, ſternutationes, iram, ſpiritus detentionem, ſplendorem nimium caueamus. Inhibeanturque deambulationes, & alij motus ab initio. Cibos aſſumant molles, ac concoctu faciles. A vino abſtineant toto curationis tempore, ex Aëtij ſententia: Pro potu verò aqua vtantur hordei, vel coriandrorum, ſeu cinnamomi parum in ea decocto. Vtroque autem, cibo ſcilicet & potu vtantur exiguo. Et ſi totius corporis plenitudo infeſtarit, vena eis ſecanda erit, ſi quid eorum, quæ ſæpiùs diximus, non prohibeat, non ſemel tantùm, ſed bis, & ſæpiùs, ſi opus fuerit. Secato autem humeralem, ſeu mediam: aut mediam primò, deinde humeralem, prout magis opportunum videbitur. Aluus quoque acri clyſtere exercetur, quo humorum defluxus deorſum vertatur. Pro quo etiam ſatisfaciunt frictiones, & infernarum partium vincula. Verùm ſi humorum mordacitas, ſeu acrimonia puſtularum cauſa fuerit, purgatione potius vtendum erit, eis primùm domitis, ac præparatis. Atqui vitanda ſunt ex Aëtij ſententia ea medicamenta, quæ vehementius purgant, & maximè, quæ ſtomacho ſunt magis infeſta. Quapropter manna, aut pulpa caſſiæ fiſtulæ, cum tamarindorum decocto, & antidoti diacatholicon pauco vti poteris, aut reliquis huiuſmodi, deinde ad topica deuenias medicamenta, quæ licet leniter diſcutienda eſſe debent, eodem Aëtio teſte, tamen vbi recentes puſtulæ fuerint, & adhuc inflammatæ, à leniter quoque aſtringentibus abſolui non debent: vitãdæ tamen ſunt deligationes, tanquam eis infeſtiſſimæ. Verùm cataplaſmata adhibere oportet, vbi inflammatio affuerit, maximè in principio, leuia quidem, ſed lata, vt Aëtius aſſerit. Ea verò ſunt tenuibus, ac mollibus linteolis illinienda, & ſuper totum oculum imponenda, ſupercilio, ac mala, & tempore ſimul comprehenſo: & ſinenda ſunt quandiu fuerint madida: poſtquàm verò ſiccata fuerint, tollenda ea ſunt, & alia imponenda, inter quæ commendat Aëtius ouorum albuginem, ac luteum tritum cum pauco croco, moderatoque paſſo, ac pane: additque ipſe opij modicum, id quod ipſe non auderem, ni maximus infeſtaret dolor, & in pauca quantitate: vel loco eius Recipe lycij, & croci ana ſcrup.j. ſarcocollæ ſcrup.j. & s. thuris ſcrup.ij. cum duobus vitellis, ac albuginibus ouorũ, & aqua roſacea, fiat liquidum collyrium, & cum mollibus linteolis (vt diximus) applicetur: aut guttatim in oculum inſtilletur. Procedente verò tempore ouum auferatur, poteritque addi myrrhæ parum, ac fœnigræci cremor. Verùm vitandum eſt (vt diximus) ne oculus in his diutius deligetur: eſt enim eis hoc nocentiſſimum. proficiente autem curatione adhibendum erit medicamentum, quod ex thure, myrrha, & croco paratur, Aëtio teſte; fomentiſque vtendum calfacientibus: licet ab initio tepida adhiberi debeant, quæ quod reliquum eſt, diſcutere valeant. Parentur autem ex florum chamæmeli, fœnigræci, ſeminis lini, aut meliloti decocto. At ſi ob multitudinem puſtulæ rumpantur, aut ob acrimoniam erodatur, ac vlceretur corniformis tunica, earum curatio petenda erit cap. de oculorum vlceribus. Nec alia ratione pus, quod intra corniformẽ eſt generatum, curari debet, Galeno auctore, quarto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, quàm pharmacis diſcuſſoriis, iam dictis, & propterea de eo ſeparatim tractare non libuit, prius tamen vniuerſum corpus euacuato, ſi opus fuerit. At ſi eis medicamentis malum non ceſſerit, chirurgia indiget, prout Galenus docuit in fine 14. metho. medendi.

Curatio. *Ratio victus.* *Venæ ſectio.* *Diuertentia.* *Purgatio.* *Topica qualia cõpetant.* *cap. 3.*

Περὶ πρόπτωσις. *De Procidentia oculi.*

CAPVT XXVI.

CVM propter eroſionem, aut ruptionem corniformis tunicę, po tiſſimùm cùm vlcera profunda euadunt, pars quædam vuiformis, ſeu aciniformis tunicæ procidit πρόπτωσις, à Græcis ῥαγοειδὴς χιτῶνος, à Latinis vuiformis tunicule procidentia dicitur, à quibuſdam barbaris corneæ ruptura appellatur. Deſcribitur autem à Paulo, quod procidentia eſt vuiformis tunicule, quæ eroſa, ruptáve cornea tunica accidit. Ea inſuper cùm nondum creuit à Græcis μυιοκέφαλον nominatur, eò quòd figura muſcæ capiti ſimilis exiſtit, Paulo, & Aetio teſtibus. Cùm verò amplius creuerit, & euſque, vt acinum vuæ repręſentet, σταφύλωμα à Gręcis, à Latinis vuatio dicitur. At vbi plurimum aucta ſit, vt palpebras tranſiliat, μῆλον, à Græcis, vtpote à Paulo, Latinè malum vocatur. Verùm vbi callum obducat, præter id, quod extra palpebras tranſgrediatur, ab Aetio, & Paulo ἧλος, Latinè clauus nuncupatur: quoniam per omnia claui capiti ſimilis exiſtit. Affectus hic, quamuis oculi exiſtat: non tamen ſecundum omnes eius partes, ſed in eo tum corniformis, tum vuiformis tunica oblæſa eſt, corniformis inquam eroſa, vel rupta in ſoluta continuitate morbo afficitur. Ipſius verò vuiformis tunicæ morbus in ſitu eſt, totiuſque oculi, in figura. Quapropter nec vna duntaxat pars in hoc affectu laborat, neque vno tantùm affectu. quò fit, vt pupilla ipſa in iam dicto affectu diuulſa omnino ſit, ita vt aut non appareat, aut à ſitu, & figura eius ſit immutata: quo diſcriminatur oculi procidentia ab eiuſdem phlyctæna, ſeu puſtula, tum etiam, quòd id quod prolapſum eſt nigrum, aut cæruleum apparet, in circuitu verò circa fundum eius partis, quæ procidit, labia corroſæ corniformis tunicæ alba apparent, id quod in puſtula videre non licet: quoniam ea ſuperficialis exiſtens, ſimiliter vndique nigra eſt, licet non exacta nigredine. His itaque indiciis planè diſtinguere poteris affectum hunc à phlyctæna, ſeu puſtula, iuxta Aetij decreta, cap. 29. & trigeſimotertio libri ſeptimi. Quomodo autem eius differentias, quas quatuor eſſe diximus, inter ſe diſtinguere liceat, ex ſuprà relatis liquet: licet Aetius ipſorum etiam ſtaphylomatum differentias plures conſcribat, vtpote cùm corniformis ipſa tunica fuerit eleuata, & eminentiam acino vuæ ſimilem fecerit, aut ab humoribus intra ipſam collectis, aut ex puſtula quadam ſatis profundè inter eius partes conſiſtente: quæ duæ differentiæ licet tunicam ipſam corniformem eleuent, & incuruari faciant, non tamen ipſam rumpunt, ſeu exedunt. Et propterea eiuſdem eleuatio ſola, & non ruptura exiſtit. quo fit, vt neque id, quod prolapſum eſt, cæruleum, aut nigrum appareat: quemadmodum in vero ſtaphylomate; in quo diſrupta iam eſt corniformis tunica, & magnus vuiformis tunicæ prolapſus factus eſt: cui etiam ſententiæ adhærere videtur Celſus libro 7. cap. ſeptimo, dum dixit, In ipſo autem oculo nonnunquam ſumma attollitur tunica, ſiue ruptis intus membranis aliquibus, ſiue laxatis; & ſimilis figura acino fit, vnde id σταφύλωμα Græci vocant. Verùm cùm has duas differentias non liceat (Paulo teſte) vera σταφυλώματα appellare; & inſuper earū curatio ab ea diuerſa exiſtat: cùm vna inflammationis, reliqua puſtulæ curationem ſimilem requirat; propterea eas ſilentio prætereuntes, de veri prolapſus differentiis, quas quatuor eſſe diximus, ſermonem faciemus: cuius cauſa eroſio, aut ruptio corniformis tunicæ exiſtit, vt diximus. Ex quacunque ergo cauſa oculi procidentia ad μυιοκέφαλον degenerauerit, ſi medicamenta ritè adhibeantur, curari poterit: quemadmodum etiam, licet ægrè, recentia σταφυλώματα. Verùm vbi alborem, aut callum contraxerint, nullus remediis locus eſt, ex Pauli ſententia. Ea verò procidentia, quæ curationem admittit, vtpote quæ ad μυιοκέφαλον degenerauit, aut ad recentia σταφυλώματα repellentibus, ſimul & adſtringentibus pharmacis illi opus eſt, Galeni auctoritate, quarto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos. quem ſectati ſunt Paulus, & Aetius. Eſt verò eius ſententia hæc. At verò

Quid ſit oculi procidētia. Pau. li. 3. c. 22. Pau. loco citato.

Aetius lib. 7. cap. 33 Eiuſdem differentiæ.

Quæ oculi partes oblædantur in hoc affectu. Quòd affectus compoſitus ſit.

Quibus diſcriminetur à phlyctæna.

Prognoſtica.

Curatio. cap. 3 Pau. loco citato. Aetius lib. 7. cap. 33.

vlcera quæ per eroſionem tunicæ corniformis fiunt,vt etiam ex vuiformi quid pronuat,manifeſtum eſt,quod tum propter ſeipſam, tum ob prolapſionem , repellentibus, & adſtringentibus pharmacis illis opus eſt:conandum verò , vt ex ipſis eligamus,quæ nullam aſpritudinem faciunt,ea ſunt folia roſarum,flores, & ſuccus,nardi ſpica, crocus,lycium,& hypociſtis. At vehementiorem his adſtrin- *Topica.* gendi vim habent (vt teſtatur) acacia,& omphacium, item balauſtium,cytini, & gallæ omphacitides.poterunt itaque folia , & flores roſarum in vino adſtringenti decoqui,aut aqua pluuiali, ſi adſit inflammatio , aut calor immodicus , & in eo decocto ſpongiam imbutam ſupra affectũ oculum applicare; aut ex plantagine,rubi foliis,virga paſtoris,& polygono ac roſis,vt ſuprà, parato decocto fotus fiant. Poterit inſuper ex foliis roſarum, ac cydoniis in vino adſtringenti, aut aqua pluuiali decoctis,acaciæ ſcrup.ij.croci ſcrupul.s.additis,cataplaſma fieri,ac adhiberi,aut ex plantaginis,polygoni,& rubi foliis pariter decoctis , croci gra.iij.lycij,& hypoſticidis ſingulorum ſcrupul.s.nardi ſpicæ gra.iiij. additis , itidem cataplaſma componi : nec minus collyrium ex infraſcriptis cõficiatur,quo ſalubriter vti poterit. Recipit autem aloês lotæ,pompholygis præparatæ, ſarcocollæ nutritæ ana ſcrup.s.ſpicæ nardi,croci ana gra.v.ſtimmeos,ſeu ſtibeos vſti, & abluti, quod medicorum vulgus antimonium appellat,ſcrup.j.cum cremore tragacanthi,aut fœnigræci,fiat collyrium,& vtare,aut omphacitides gallas tere; balauſtium,& cytinos,ac roſarum flores,& cum ſucco polygoni , aut virgæ paſtoris,foliorum oliuæ,aut roſarum vtitor. Verùm ſi inflammatio affuerit,mitioribus ſemper vtaris iam dictis medicamentis , ac ſimul cum ouo recenti ea infundas. Quæ verò σταφυλώματα prædictam curationem reſpuunt,chirurgia indigent, vt moderatum ægrotanti decorem conciliemus , non autem vt viſum abolitum reſtituamus:quæ quomodo adminiſtrari debeat,diſertiſsimè à Paulo libro ſexto cap.19.ſcriptum reperitur:& ab Aetio cap.35.lib.7. necnon à Celſo libro ſeptimo cap.7.quo fit,vt nos breuitati indulgentes,id præterire ex propoſito cenſuimus.Pariter victus rationem ſcribere noluimus , cùm non alia indigeant,quàm ea quam aliis oculorum affectibus laborantibus , in præcedentibus inſtituimus,præſertim cap.de vlceribus, & de puſtulis.

Περὶ μυδριάσεως. *De mydriaſi,ſeu pupillæ dilatatione.*

CAPVT XXVII.

LIcet rhagoidis , ſeu vuiformis, foramen , quod pupillam appellant,quatuor modis à naturali ſtatu immutari poſsit, Galeno teſte libro primo de Cauſis ſymptomatum cap. ſecundo , nempe vel ampliatum,vel imminutum,vel ruptum,vel in aliquam partem detortum,ſeu diuulſum,cùm eius amplitudo, ſiue à natiuitate ſit,ſiue poſtea accedat,ſemper viſui incommodat: imminutio verò , quæ à natiuitate incepit, acutiſsimi viſus occaſio eſt : quæ verò poſtea accedit , praua exiſtit. Reliquorum verò vitiorum nullum, neque ſi à natiuitate , neque ſi poſt incidit , quicquam quod æſtimatione dignum ſit, viſui officit. Propterea duabus vltimis eius mutationibus à naturali ſtatu derelictis,de eiuſdem incremento,ſeu ampliatione primò,deinceps de eius imminutione tractare decreui.

Quid ſit pupillæ dilatatio. Appellant autem μυδρίασιν Græci, pupillæ effuſionem , ſeu dilatationem Latini: cùm pupilla ipſa colore quidem nihil euariat,multo verò latior, quàm pro naturali modo efficitur,vt aliquando ad iridis circulum accedat , Aetio teſte, & Paulo. *Aetius lib. 7. cap.52 Paulus lib.3. cap.22* Ex eo autem,quòd perpetuo hic affectus viſionem lædat , ſiue ab vtero, ſiue poſtea cõtingat,Galeni auctoritate,cenſendum eſt oculum ipſum oblæſum eſſe,non tamen totum,ſed ſecundum rhagoidis foramen,hoc eſt , pupillam , ea nanque à naturali ſtatu receſsit , & pro quantitate declinationis increſcit iterum ipſius viſionis noxa,vt idem Galenus teſtatur:eſtq; morbus in genere conformationis,quoniam immodicè pupilla dilatata eſt. dicebat nanque Galenus *Quæ pars afficiatur. Quis affectus præter naturam ſit.*

lib.de

lib.de different.morborum, quòd concauitatum morbi, ſiue obſtruantur, ſiue *cap.7.*
immodicè pateant, omnes ad conformationis genus reducuntur: nam in om-
nibus his naturalis conformatio impedita videtur, cauitate videlicet ipſa à
naturali mediocritate ſecundùm exceſſum recedente. Pro cuius receſſus quan- *Signa.*
titate quandoque in totum viſus impeditur, interim verò vident ægri, verùm
obſcurè, & quæ videntur ab ipſis omnia minora, quàm ſint, putantur eſſe, Pau-
lo, & Aëtio teſtibus; neque id mirum, nam diffunditur in eis viſiuus ſpiritus.
Quapropter ſiue in prima protinus conformatione, ſiue poſtea amplior fuerit
pupilla, iuxta Galeni ſententiam, eodem 1. de cauſis ſympto. vniuerſus ipſam *cap. 2.*
ſpiritus implere non ſufficit, vnde ipſum diffundi, diſsiparique neceſſe eſt, quo
fit, vt natiua vitioſa ſit, & non naturalis vitio non careat, id quod non accidit
in eius imminutione, vt dicemus; bonæ itaque viſioni ſemper incommodat pu-
pillæ dilatatio, ſeu amplitudo, ceu ex iam dictis planè liquet. Eius autem cauſa *Cauſa.*
humor excrementitius exiſtit, ex Pauli ſententia, qui aut acervatim, aut pau-
latim affluit, ab eoque citra ſenſum, vt Aëtio viſum eſt, vuiformis tunica diſten-
ditur, & pupilla amplius dilatatur. Sunt qui velint, Arabes præſertim, & qui
eos ſectantur, communiter practicantes, ex ipſius vualis tunicæ deſiccatione *Vide Aui. lib.*
interdum pupillæ dilatationem excitari, exemplo coriorum perforatorum, *3. fen. 3. trac.*
cùm exſiccantur; dilatantur ſiquidem illorum foramina, vt ipſi aſſerunt. Qua- *4. cap. 12.*
re ſic quoque euenire putant pupillæ, ſi immodicè rhagoides tunica exſicce-
tur, neque nos illud negamus, præſertim cùm Gale. illud fateatur lib. 1. de cau- *cap. 2*
ſis ſympto. dum dixit, continentem cauſam (vt ita dicam) dilatationis pupillæ
eſſe rhagoidis tunicæ tenſionem, atque ipſam propria ipſius ratione bifariam
tendi, aut exſiccatam, vt ſimilarem, aut humectatam vt inſtrumentum; ſicci-
tatis verò curatio difficilis eſt. Verùm nos ſectantes Paulum, & Aëtium in hoc,
& tanquam ſæpius contingentem, ac curatu non ita difficilem, tantùm eam,
quam ipſi aſsignant cauſam dilatationis pupillæ admittimus modò, humorum
videlicet effluxum: qui acervatim, aut ſenſim, & paulatim ad vuiformem tu-
nicam feruntur, à quibus ipſa ampliùs dilatatur, vt diximus: quòd ſi ſuapte na-
tura pupillæ amplitudo fiat, omnino incurabilis exiſtit; ſi nō naturalis ſit, ægrè
curabilis fit: nam cùm mēbranoſa ſit tunica vuiformis, vbi ſemel diſtenta fue- *Prognoſtica.*
rit, induratur, neque facilè amplius contrahi poteſt, Aëtio teſte. Accidit autem
hæc affectio magis pueris propter tunicarum debilitatem: inſuper & his, qui
ex natura nigros habent oculos, quoniam magnas etiam pupillas habent, &
propterea facilè in hanc affectionem delabuntur. Quæ vtique curari poteſt, *Curatio.*
pro eius curatione, attenuante vtendum eſt victus ratione, atque ventri com-
moda, vt teſtatur Aëtius. A vino abſtinendum erit, donec affectio fuerit ſolu-
ta. Balnei vſus ſit rarior: deambulationibus lentis, ac plurimis, in locis vmbroſis *Victus ratio.*
vtendum erit, clyſteruſque, vt aluus humecta ſit, & materia ad infernas partes
detrahatur. Similiterque infernarum partium frictione, & (ſi nihil impedierit,
affueritque corpori plenitudo) venam ſecare oportet, in cubito humeralem
videlicet, vel mediam, aut purgantia medicamenta pro ratione redundantis
ſucci adhibenda ſunt; quanquam nec ea pluribus vicibus exhibenda erunt,
neque vehementer purgantia eſſe debent: quæ ſi fieri nequeant, Aëtij, & Pau-
li decreto venas in angulis oculorum diuidere oportet: deinde cucurbitulam
occipitio admouere, & marina aqua frontem, & oculos perfundere, hyeme te-
pida, æſtate frigida, tota etiam facies in aquam mittatur, oculis per tempus
quoddam apertis, vt Aëtius aſſerit: quòd ſi marina aqua non adſit, parum ſalis
aquæ miſceatur, aut poſca aquoſa aſſumatur. Pharmacis autem ſupra affectum
locum ſubadſtringentibus vtendum erit: nam ſi valde acria fuerint, humorum
copiam attrahunt, diſtenduntque membranas, & latiorem pupillam efficiunt:
ſi verò vehementer adſtringant, aut immodicè frigefaciant, membranas in-
durant, ampliuſque contrahent, ac coarctabunt pupillam: quod quidem incom-
modum eſt: nam hæc res pupillam ad tabem conducit. Sunt autem moderata

aſtringentia, quibus vti poteris, Aëtio teſte, roſa, crocus, ſpica nardi, cortex thuris, pompholyx, ſpodium, & acacia, &, vt ſummatim dicam, cuncta ea, quæ citra aſpritudinem adſtringunt, atque repellunt, exſiccántve quorum mentio ex Gale. ſententia, in præcedenti capite facta eſt; ex quibus quoque licebit, prout vſus exigit, medicamenta componere, eiſque ſalubriter vti.

Περὶ φθίσεως. De tabe pupillæ. Cap. XXVIII.

INTERIM quoque contingit, vt iam dictum rhagoidis foramen imminuatur, quam imminutionem Græci *φθίσιν* appellant, vt patet decimo de vſu partium; Latini verò tabem, ſeu diminutionem pupillæ vocant, medicorum vulgus pupillæ conſtrictionem. Eſt nanq; affectus is oculi, quo pupilla fit anguſtior, obſcurior, atque rugoſior, Paulo auctore. Quòd verò affectus hic ipſius pupillæ duntaxat imminutæ ſit, nihil cornea priuatim affecta, quocirca, & alteri oculorum magna ex parte accidit, patet eodem 10. de vſu partium, ita vt cognitu facilis ſit, nemineḿque Medicorum lateat, quandoquidem (vt Galenus teſtatur) ſanus oculus, qui in propinquo eſt, affecti vitium prodit. Afficitur ergo oculus in hac affectione ſecundum eius pupillam, poteritque affectus is ad conformationis genus reduci, cùm naturalis conformatio corrumpatur, in ſpecie verò in cauitate, ſeu via foramine ipſo rhagoidis, hoc eſt, pupilla in ſe ipſam concidente, & propterea minori reddita, & quáquam cognitu facilis ſit is affectus, neminemq́ue Medicorum lateat, vt diximus, Galeni auctoritate, collatione facta eiuſdem ægri, ad oculum ſanum, tamen ex eo quòd his maiora apparent, quàm pro naturali modo, quæ ab ipſis videntur propter pupillæ anguſtiam (vt Aëtio, & Paulo, viſum eſt) argui poterit. Cauſam verò huius dixit Paulus eſſe denſationem, quæ ſiccitati potius tribuenda eſt; Aëtius verò ait pleriſque hoc contingere ex periculoſis debilitatibus, aut ingenti capitis dolore. Differt autem iuxta eorundem ſententiam pupillæ tabes ab oculi macie, ſeu atrophia: quòd in tabe pupilla duntaxat anguſtior, ac minor efficitur, macies vero totum oculi bulbum minorem, ac humiliorem reddit. Galenus verò 1. de cauſis ſympt. minorem reddi pupillam morbi vitio ob geminam cauſam fatetur, quarum vna eſt, ex parte ipſius rhagoidis tunicæ tantum, altera ex parte humoris tenuis albuginei dicti, qui medio loco inter ipſam rhagoidem, & cryſtallinum humorem effuſus conſiſtit. Atqui ſolius tunicæ affectus (vt ipſe refert) extenſio quædam, relaxatioq́ue eſt: qualis vtique in externis ſubinde partibus accidit, cùm in articulis ligamenta redundanti humore ſunt perfuſa, & ne quis opinetur, quòd ab eadem cauſa, eodemq́ue affectu rhagoidis tunicæ excitari poſſint contraria vitia, pupillæ videlicet cùm dilatatio, tum diminutio, eodem lib. 1. de cauſis ſympto. dicebat ampliationis pupillæ cauſam, vt ita dicam, coniunctam eſſe tenſionem ipſius rhagoidis tunicæ: ipſius verò imminutionis, ſeu paruitatis, eiuſdem rhagoidis tunicæ eſſe relaxationem, quapropter non ad eundem prædictæ tunicæ affectum dilatatio, & imminutio pupillæ conſequuntur. Sed prima ad tenſionem, reliqua verò ad relaxationem. Tenditur autem, aut exſiccata, vt pars ſimilaris, aut humectata, aut inſtrumentalis. Qua de re quamuis ex ipſius rhagoidis tunicæ humectatione interim pupillæ dilatatio fiat, non vt ſimilaris pars, ſed vt inſtrumentalis humectata erit, eodem Galeno auctore, cùm verò propter humorem rhagoidis tunicæ minor redditur pupilla, eadem tunica non tenditur, neque vt inſtrumentalis pars afficitur, ſed ex humore relaxatur, atque humore perfuſa, vt ſimilaris pars humectatur. Si autem vitio albuginei humoris pupilla ipſa imminuta ſit, hoc vitium in eius defectu conſiſtit: cuius occaſione vuiformis tunica, euacuato interno eius loco, ac interna eius portione exſiccata, in ſe concidens contrahitur, ac rugatur, atque idcirco pupillam imminuit. Deteriùs autem ex talibus affectibus cernere contingit,

cap. 5. Tabes pupillæ quid ſit. Pau. li. 3. c. 22.

cap. 5 Quæ pars afficiatur. Quis affectus præter naturam ſit. Signa.

Cauſæ. Aet. li. 7. c. 28.

cap. 2. Duas eſſe cauſas Gale. auctoritate.

Loco citato.

non vt

non vtique propter pupillæ paruitatem, ſed quia pupillæ paruitas vitioſos iam dictos affectus ſequitur, quorum culpa neceſſariò peius cernit oculus ſic affectus,& non propter pupillæ anguſtiam,eodem Galeno teſte:nanque ſi ad extenſionem,relaxationémque rhagoidis tunicæ,pupillæ imminutio ſequatur,redundanti humore ipſa perfuſa affectus hic cauſa erit, vt oculus deterius cernat, & non pupillæ anguſtia. At ſi contracta,ac rugata eadem tunica ex albuginei humoris defectu in ſe ipſam concidat, atque pupillam imminuat, non propterea quòd pupilla imminuta ſit,ſed quoniam ſiccior efficitur cryſtallinus humor ex defectu albuginei,à quo largiter imbuebatur, & rhagoides tunica in ſe concidens,ſpatium quod inter ipſam,& cryſtallinum intereſt, anguſtius efficit:itaque fit,vt idem cryſtallinus humor cogatur paruo interſtitio cum externo ſplendore commercium habere,eúmque ſine offenſa ſuſtinere non poſſe, carens vno ex munimentis, humore videlicet tenui, qui cùm adeſſet, vna ex cauſis erat, propter quam ſine offenſa cryſtallinus humor ſplendorem ſuſtinebat:atque hęc quidem cauſa eſt,cur imminutus is,qui in pupilla eſt humor, tum deterius cernendi,tum foraminis rhagoidis tunicæ minoris reddendi ſit occaſio: quemadmodum ſi ipſa vuiformis tunica tendatur,vt corpus ſimilare ſiccata,poterit eſſe cauſa generandæ dilatationis pupillæ:eritque tunc dilatationis cauſa ipſius rhagoidis tunicæ tenſio ex ſiccitate. Parciori verò reddito humore,qui ſub eadem continetur,nec ipſa ſuapte natura ſiccata eſt, ſed per accidens, minori reddito iam dicto humore,nec propterea tenditur, ſed in ſe concidens contrahitur, ac rugatur:& idcirco pupillam imminuit,vtpote non amplius protenſa,ac diſtenta à iam dicto humore ſub ea contento:quemadmodum accidit cribrorum tunicis:quæ ſi non extendantur,ipſarum foramina concident. Id ipſum etiam euenire poterit,vt teſtatur Galen. 10. de Vſu partium, ſi ad pupillam ipſam parcior ſpiritus à principio affluat:& propterea pupilla corrugetur, velut in ſenioribus, ac annoſiſſimis videre licet: quanquam & ipſis quoque rugoſa interdum fiat propter ſenectæ imbecillitatem corniformis tunica:& propterea malè,aut prorſus non vident pupilla non immutata. Ex quibus conſtat ſpacium omne, quod eſt poſt humorem cryſtallinum,ſpiritu ſimul, & humore tenui aſsiduè repleri oportere: & quòd in cæteris partibus humor, in ipſa verò potiſsimùm pupilla ſpiritus ineſt plurimus. Nunquid verò imminutionis pupillæ cauſa tenuis humoris defectus,ſeu inopia ſit,aut ſpiritus, ſeu vuiformis tunicæ laxitas propter humiditatem,diſtinguere haud admodum difficile erit, ſi ea quæ in oculis apparent,ætatem,temperamentum ægri, ac anteactam vitam, & reliqua perpendas. Quod verò ad prognoſticum attinet, dicebat Galenus primo de Cauſis ſymptomatum,cap. ſecundo,non ſemper malam eſſe pupillæ paruitatem: quoniam ea,quæ naturalis eſt,bona exiſtit:ſiquidem in minori pupilla colligitur ſpiritus,cõſtringitur,ac denſatur:quę omnia ad ſenſus bonitatem oculo cõducunt. At ſi morbi vitio,& non naturæ,pupilla minor reddita ſit,mala quidem exiſtit, ac multò deterior efficitur,quàm mediocris:quoniam vitioſos ſequitur affectus, vt ipſe aſſerit, eoque maximè inſanabilis eſt, ſi ex tenuis humoris defectu gignatur,minùs autem innoxia eſt,ſi propter vuiformis humorem, minor reddita ſit pupilla. Nam difficilius eſt ſimilari corporis particulæ cuiuis, cùm ſiccata eſt,humiditatem reſtituere,quàm eam,cùm humectata eſt,ſiccare. Ex ſiccitate ergo ſi orta fuerit pupillæ tabes,curationem porrò contrariam mydriaſi facere oportet,vt teſtatur Aetius:nam victus optimi ſucci, & ſorbilis eſſe debet. Vinũ fuluum,atque odoratum eis adhibere oportet. Somnus præcipi,vt cibum excipiat. Balnea quoque conueniunt ex aqua dulci,& capitis ex aqua calida perfuſio. Supernas partes exerceant,humeros,ac manus cùm ſpiritus detenſione, & caput ac facies diligenter confricandę ſunt,oculíque inſuper ſummis digitis: eadémque facies aqua calida proluatur, & caput poſt confricationem vnguento, quod moderatè calfacere poteſt,illinatur,quale eſt irinum,& modico facto interſtitio,oculi rareſaciente, ac acriore medicamento humiditatem attrahente

Loco citato.

Prognoſtica.

Curatio.
Victus ratio.
Medicamentorum ratio.

ſubli

ſublinantur, cuiuſmodi eſt, quod excipit ammoniaci ſcrup.ij.aloës drach.j.crocomagmatis drach.ij. croci drach. ſ.æruginis æris ſcrupul. j. in defectu crocomagmatis,croci doſis augeatur, triturentur,& cum aqua pluuiali vtaris.At ſi ex humiditate vuiformem tunicam extendente,& relaxante tabes pupillæ fiat,curanda ea erit ex his,quæ pręcedenti cap.de pupillę ampliatione diximus, aut ex his,quę pro cura ſuffuſionis dicemus;quãuis rarò accidat. Et in ſumma ea adhibeantur medicamẽta,quę vim digerendi,ac exſiccandi citra morſum habeant.

Περὶ ὑποχύματος. *De ſuffuſione.* *Caput* XIX.

Vide Auicen. lib.3.fen 3.tract.4.cap.18

Quid ſit ſuffuſio.

IVXTA ipſam quoque pupillam affectus quidam præter naturam oriri conſueuit,qui à Græcis ὑπόχυμα, καὶ ὑπόχυσις, à Latinis ſuffuſio dicitur, Arabes aquam,medicorum vulgus cataractam appellant. Qui affectus Aëtio teſte,cap. 51.libri ſeptimi, præterfuſio, ſeu affuſio quædam humorum eſt circa pupillam congelatorum,vt vbi perfecta fuerit viſum impediat:ſub diuerſis tamen verbis idem ſentire videtur Paulus cap.22.lib.3. cùm dixit ὑπόχυμα humorum eſſe affuſionem,qui inter tunicam corniformem,& cryſtalloeidem concreſcentes viſum impediunt. Verùm idemmet Paulus libro ſexto cap.21.ſuffuſionem retulit eſſe lenti humoris in corniformi membrana iuxta pupillam conſiſtentiam, quę viſum impedit,aut certè ne perſpicuè oculus cernat,efficit. Quibus verbis,ſiquis exactè ea perpendat, videbitur Paulum diuerſimodè in prædictis locis de ſuffuſione locutum eſſe: nam tertio libro ὑπόχυμα dixit eſſe affuſionem, vſus verbo Græco παρέγχυσις: in ſexto verò dixit eſſe conſiſtentiam,vſus verbo σύστασις. Verùm idemmet auctor his ſatisfacere videtur prædicto cap. 21. libri ſexti, cùm dicebat de iis ſuffuſionibus, quæ nullam manus adminiſtrationem requirunt, quæque confirmatæ non erant, tertio libro ſe pertractaſſe, de iis autem, quæ confirmatæ ſunt,& ex toto concreuerunt, in ſexto libro verba fecere. Non mirum itaque ſi in tertio libro ſuffuſionem per affuſionem deſcripſit, cùm ipſam in via,ac in fieri conſideraſſet, in ſexto verò per conſiſtentiam, ſeu concretionem, cùm de iam confirmatis ſuffuſionibus differere propoſuiſſet.

Conciliantur Pauli verba.

Pars affecta.

Cùm autem ſuffuſio ipſam viſionem impédiat (Aëtio & Paulo teſtibus) verendum non erit oculum in ea affectum eſſe, & propriè iuxta pupillam, vt liquet ex traditis ab eiſdem deſcriptionibus,inter cryſtallinum videlicet humorem, & corniformem tunicam. Qui affectus cùm per ſe primò functionem lædat, hoc eſt; ipſum videre, morbus inquam eſt in compoſitione, & propriè in numero, non in defectu,ſed in exceſſu.connumeraturque inter eos morbos in numero, qui toto genere præter naturam ſunt, velut lib. de Differentiis morb. & 14. methodi meden.liquidò conſtat. Cuius vitij incipientis talia ſunt ſigna,vt Aëtio viſum eſt,quòd ita affectis veluti culices quidam parui, ac caliginoſa quædam óculis ſæpe obuerſari videntur:& quidam ex ipſis piliformia vident, alij velut lanarum filamenta,aut araneorum texturas: quibuſdam circa lucernas circuli apparent,augeſcente deinde affectione,augeſcunt iam dicta ſymptomata. Hæc autem vbi apparuerint, aliquando (vt idem teſtatur Aëtius) pura pupilla apparet his,qui negligentiùs conſiderant:aliquando vero colorem maris refert. Verùm vbi perfecta fuerit ſuffuſio,æger non videbit:pupillaque colorem ad albedinem mutat:& omnino non tranſlucet, quanquam plures ſint coloris ſpecies. Nam quædam ſuffuſiones aërem aſsimilant, aliquæ vitrum referunt, aliæ albicantes ſunt,aliæ ad cæruleum colorem magis mutantur,aliæ verò glauceſcũt. Omnes tamen ſuffuſione laborantes (vt inquit Paulus) lucem vident, aut multam,aut paucam, eoque diſcrimine ab hebetudine, & glaucomate affectus ſeparantur: cùm ipſi lucem omnino nullam cernant. Quòd ſi totum rhagoidis foramen à craſſo illic conſiſtente corpore obtenebratum ſit, vtique videre hominem prohibet, Gale.teſte 1.de Cauſis ſympto.cap.2. Si verò non totum foramen obte

Qui affectus ſit.

De different. morb. cap.18 14.meth.ca.13

Signa incipientis.

Augeſcentis.

Perfectæ.

Suffuſionis differentiæ plures.

men obtenebratum ſit, ſed aliqua pars eius pura ſuperſit, per illam, quæ extrinſecus ſunt, ſingula per ſe ſola, nihilo deterius, quàm antea, videbuntur: non tamen ſimiliter, vt antea vno tempore multa: eo quòd anguſtior, quàm priùs, factus ſit viſus conus. At ſi in pupillæ centro exigua ſuffuſio conſtiterit reliquis, quæ circa ſunt, partibus puris exiſtentibus, omnia iis, qui ſic ſunt affecti, veluti feneſtras habere videntur: cùm, quod in medio eſt, non cernitur, & quaſi exciſum videtur. Verùm ſi diuulſa, nec inter ſe coniuncta fuerint craſſa corpora, quæ iuxta pupillam conſiſtunt, fluitentque in tenui humore, iis qui ſic ſe habent, tanquam culices quidam foris obuerſari videntur. Sæpenumero etiam ex craſsioris quoque humoris conſiſtentia, tanquam idolum aliquod ſibi appareat, imaginantur. Eiuſmodi autem idoli apparitio plerunque incidit, poſtquam à ſomno ſurgunt, vt idem inquit Galenus, potiſsimùm pueris, & iis qui pluſculum biberunt, aut aliàs capite ſunt oppleto: quamuis prædicta quoque ſymptomata oriri poſsint ex tenuis humoris eſſentia permutata, & alia quædam, ſi à naturali colore receſſerit, vt patet ibidem. Quibus autem indiciis confirmata, & quæ iam concreuit ſuffuſio, ab ea, quæ nondum confirmata eſt, diſcriminetur, Paulus decretum reliquit, eodem vigeſimoprimo cap. lib ſexti ex Galeni doctrina. Pariter & ex eis, quæ confirmatæ ſunt, quæ ad eductionem manus adminiſtratione idonea reddantur, quæúe non: quanquam nec id intactum reliquit Galenus, qui eodem libro 1. de Cauſis ſymptomatum ſcriptum reliquit quo pacto dignoſcendi ſunt ſuffuſi, ſi compuncta ſuffuſione viſum recepturi ſint, an non. *Loco citato.* Nam quibus altero oculo conniuentibus, alterius pupillam dilatari contingit, iis, ſi compunctio adminiſtretur, recipiendi viſus fiducia eſt; quibus non dilatatur, horum nemo vnquam reuidit: neque ſi minimo cum dolore, ac commodiſsimè iis eſt adminiſtrata compunctio. Interim verò contingit, quòd ſimilia iis, quæ ſuffuſis apparent ſymptomata aduenient, oculis ipſis nulla propria affectione moleſtatis, ſed per conſenſum affectis, vbi exhalationes quædam à ventriculo aſcendant, potiſsimùm quando non probè concoxerunt. Et quibus adeò perfectus, ſyncerúſque viſus eſt, vt eum ne, vel minimum ſenſibile fugiat, quippe purior natura cùm cryſtallinus humor, tum tenuis, & aquoſus iis exiſtit, reſpondet autem magnitudo talium ſymptomatum in his ſemper pro affectus magnitudine: quemadmodum & in aliis quoque, vt patet primo de Cauſis ſymptomat. *Quomodo dignoſcenda ſint ſymptomata ſimilia ſuffuſioni, & diſtinguẽda ab his, quæ propria ſuffuſorum ſunt.* verùm diſtinguenda ſunt hæc ſymptomata, quæ à ventriculo oriuntur ſuffuſorum ſimilia, ab iis quæ in veris ſuffuſionibus apparent: nam ſi ob humorum in ventriculo contentorum vitium oborta ſint, vtrique oculo ſimiliter accidunt; quæ verò per proprium oculorum affectum, alter duntaxat oculus prædictus viſis occupatur: & neque ſimul in vtroque incipiũt, neque ſimiliter apparent, vt quarto de Locis affectis patet, *cap. 2* deinde ex tempore quoque ipſo diſtinguuntur. Si enim tribus, quatuórve, aut etiam pluribus menſibus (vt Galenus ait) *cap. 2* ſuffuſionis apparuerint ſymptomata, contemplantique tibi pupillam nihil tenebroſum videatur, ab ore ventriculi affectum procedere inuenies; ſi verò non ita multum temporis interceſsit, quærendum eſt in primis, vtrum ex quo incepit affectus, ſingulis diebus perpetuò huiuſmodi apparitio perſeuerauerit, nullo ſcilicet interueniente die, qui omni querela caruerit: an diebus quibuſdam laborans exactè videatur conualuiſſe. Nam continuitas ſuffuſionem portendit; intermiſsio verò, quòd malum à ventriculo prodierit, ſuſpicionem excitat: idque magis ſi vbi perfectè quis concoquens nullum ſibi viſum apparere fatetur: ſed multò magis, ſi cum apparuerint viſa, mordicus in ore ventriculi doluit: maximè verò ſi poſt hęc vomendo eiecta re mordente, mitigata fuerint ſymptomata. Hęc ſunt quæ primo ſtatim die, cùm videris hominem interrogando diſcere debes: quando ſecundum naturam exquiſitè ſe habuerint oculi. Vbi verò altera pupilla tenebroſior, aut turbidior, aut non exactè pura videtur, ſuffuſionis eſſe initium cenſendum eſt: & vt certius id iudicare valeas, tum ciborum, minùs tamen quàm conſueuerit, aſſumptorum,

& ni

& nihil mali ſu cci habentium, tum etiam ex aloe medicamenti, quod quidam picram, alij hieram picram appellant, aſſumptionis experientia, Galeni aucto-
Loco citato. ritate eodem quarto de Locis affectis, dignoſcere tentabis. Cerebri quoque cognatione ſimilia ſuffuſis ſymptomata accidere ſolent in quibuſdam phreniti-dis ſpeciebus, primariò ſcilicet affecto cerebro, quod ex eiuſdem phrenitidis indiciis percipi poterit. Sed quoniam tam ſi dicta ſymptomata ex ventriculi, quàm ſi ex cerebri conſenſu oriantur, veram ſuffuſionem non indicant: curabi-
Suffuſionis cauſa. túrque affectio partibus ipſis primariò affectis diligenter curatis: idcirco eis derelictis, ad veræ ſuffuſionis prognoſtica, ac curationem redire tempus erit. Nam pro dignoſcenda eius cauſa opus non eſt diu laborare, cùm ex frigidis,
Prognoſtica. & craſsis, ſeu lentis ſuccis omnibus conſentientibus ortum ducat; de hac autem ſuffuſione Galenus decimoquarto Methodi meden. in fine. talia protulit verba; quòd ſuffuſio iam incipiens digeritur, vbi verò diu conſtitit, digeri nullo pacto poteſt. Et Celſus libro ſexto cap. 6. ſic dicebat. Suffuſio quoque quàm Græci ὑπόχυσιν nominant, interdum oculi potentiæ, qua cernit, ſe opponit, quod ſi inueterauerit, manu curandum eſt, inter initia nonnunquam etiam certis obſeruationibus diſcutitur, hoc idem confirmauit libro 7. cap. 7. Paulus ὑποχύματα curari poſſe, ſed non omnia fatetur: proinde antequam conſiſtat, ſuffuſione tentatis ſuccurrendum erit. Quæ autẽ citra manus adminiſtrationem curari poſſunt, & quæ chirurgiam requirant, ab eodem Paulo libro 6. cap. 21. ſcriptum reperitur, ſimiliter quæ neutro dictorum modorum curari poſſunt, ſed omnino incurabiles fiunt. Quomodo autem id diſcernatur, Galenus primo de Cauſis ſymptoma. cap. 2. docuit, vt paulò ante diximus, inter eas verò quæ omnino in-
Quomodo ſuffuſio quæ glaucescit à vera glaucedine diſcernatur. curabiles ſunt, ab Aëtio connumerantur, quæ glaucescunt ſuffuſiones, cum eæ fiant ab humore iuxta pupillam vehementiſsimè cõgelato, ac reſiccato, vt ipſæ teſtatur. Differt verò ea ſuffuſio à glaucedine proprie dicta, quàm Græci γλαύκωμα appellant: nam ea (eodem Aëtio teſte) mutatio proprie eſt, ſiccitasque, ac
Aetius lib. 7. cap. 2 concretio cryſtallini humoris ad glaucum colorem; & ante Aëtium illud idem ſcriptum reliquit Galenus decimo de Vſu partium, cap. ſexto. quæ interdum
Curatio. cum inceperit, curari poterit, vt idem Aëtius aſſerit. Suffuſione itaque tentatis
Victus ratio. victus ratio attenuatoria vniuerſa præcipienda erit, Pauli, & Aëtij decreto: nec minùs Celſus victum optimum his eſſe, qui pituitam extenuat, fatetur. Aër propterea ad calidum, & ſiccum declinet. Somnus conſueto ſit breuior, exercitium ſit moderatum, potiſsimùm inferiorum partium; quo ſi vti non poterunt, eius loco earum frictionibus vtantur. Alui excrementa quotidie natura aut arte excernant. Ab immodicis animi affectibus caueant, mœſtitia præſertim. In eorum cibis vtantur iis, quæ extenuandi vim habent, vt hyſſopo, pulegio, ſatureia, ſampſucho, fœniculo, betonica, ſaluia, & reliquis. A vino verò abſtineant per totam curationem: cuius loco pro potu, aquam mulſam, vel ex cinnamomi decocto bibant, ab omnibúsque replentibus caput abſtineant; itemque à balneo, niſi quis alterius occaſionis cauſa ad lauandum ſe cogatur, in quo paululum inſideat, citoque exeat. A piſcibus fructibusque, ac reliquis, quæ corpus humectare poſſunt, omnino abſtinendum erit. Moxque curandi ſunt qui ea
Medicamentorum ratio. ſuffuſione tentantur, quæ nondum conſiſtentiam adepta eſt, circa initia, ſi nihil impediat, ſanguinis ex cubito detractione, vt Aëtio, & Paulo viſum eſt, incidatúrque aut media, aut externa, ſeu humeralis, prout magis expedire videbitur. Deinde nedum clyſteriis acrioribus, quorum formulas in prædictis requiras, verum etiam purgationibus vtare, priùs tamen his, quæ extenuant, ac præparant, redundantes ſuccos adhibitis, velut eſt tum oxymel ſimplex, tum ſcillinũ, ſyrupus ex ſtœchade, aut hyſſopo, aut roſaceum mel cum aqua fœniculi, ſeu eufragiæ, hyſſopi, ſampſuchi, ſiue betónicæ. Præparatis autem redundantibus ſuccis, expurgari poterunt ex catapotiis cochiis, arabicis aureis, ſine quibus, aut lucis, addito trochiſcato agarico. Aſſumas autem drac. j. vel ſcrup. iiij. ex aliquibus iam dictarum pilularum cum ſcrup. ij. aut drac. j. prædicti agarici, & cum ſucco

fœniculi, aut eufragiæ, ſeu ſyrupo ex ſtœchade pilulas formato, ac vtitor: poſt quarum aſſumptionẽ per aliquod ſpacium vnc. iij. ſyrupi ex pluribus infuſ. roſarum rubearum ac duas mannæ electæ (ſi neceſsitas vrgeat) ægroto tribuas, vtpote ne corpus calefactum, & exſiccatum nimium ex pilularum aſſumptione relinquatur. A purgatione occipitio cucurbitulæ affigendæ ſunt, cute inciſa; aut ſanguinem ex fronte, vel naribus mittere oportet, Celſo auctore. Et ex interuallis apophlegmatiſmis, ac errhinis vtendum, quorum copiam in prædictis requiras, præſertim cap. de capitis dolore ex pituita orto; necnon familiaribus quibuſdam catapotiis vti poteris, quæ ſic cõponantur. ℞. agarici trochiſcati ſcrup. ij. pulueris hieræ ſimplicis Gal. drach. s. trochiſcorũ ex myrobalanis chebulis ſcrup. j. cũ ſucco, aut aqua fœniculi, ſeu ſyrupo ex ſtœchade pilulæ formentur, ac exhibeantur. Ab hinc ad topica deueniendũ eſt medicamenta: à mitioribuſque incipiendum, cauendumque ab his, quæ impenſè ſiccant: nam licet valenter vacuent, quod reliquum eſt, ita cogunt, quòd ægrè, aut numquam reſolui poſsit: ſed eis vtendũ, quæ paulatim digerant, velut eſt mel cũ oleo vetere, & fœniculi ſucco ex Aetij, & Pauli ſententia. Similiter & Oribaſij medicamentum quod ex caucalidis ſucco, chamædryos, & coronopi, ſingulorum æquis portionibus conficitur. Adiuuat inſuper (vt Paulus teſtatur) ipſius fœniculi decoctum per initia ſuperfuſum. Trallianus ex baccis lauri excorticatis, vrina pueri venerem non experti, læuigatis, & pauco gummi ſuffuſis vtiliter inungi aſſerit. Idem quoque ex felle perdicis cum melle, & ſucco fœniculi illinitionem faciendam eſſe præcipit. Quidam fel galli ſimiliter cum melle, & fœniculi ſucco commendant: aut loco fœniculi, ſucco rutæ, vel eufragiæ, chelidonij, ſeu verbenæ vtuntur. Quidam alij puluerem conficiunt ex hyrundinum capitibus aduſtis, cum melle, eoque ſolo vtuntur. Tu autem permiſcere poteris aliquem ex prædictis ſuccis; & vtere, aut ex myrrha, & fœniculi, ſeu eufragiæ ſucco medicamentum componas: & ſi libuerit, mel quoque addas. Ipſe quoque interdum ea vti aqua conſueui, quam Neapoli pharmacopolæ parare ſolent. Socialemque appellant. Cuius deſcriptio reperitur in quodam libro, qui Roſa Anglica nuncupatur, fœliciterque ſucceſsit: cuius compoſitionem hic ſubſcribere placuit. Recipit autem fœniculi, rutæ, eufragiæ, verbenæ, tormentillæ, betonicæ, roſarum, ſylueſtris endiuiæ, callitrichi, anagallidis, pimpinellæ, chelidonij, papyri, pæoniæ, foliorum vitis, apij, agrimoniæ, & caprifolij, ſingulorum partes æquales; triturentur, & pridie ponantur tritæ in vino albo: ſecunda in vrina pueri venerem non experti: tertia in lacte mulieris, & quarta in melle optimo: quo tempore diſtillentur, & quod extrahitur vſui reſeruetur. Hæc de cura ſuffuſionis nondum concretæ, ac confirmatæ: nam ea quæ confirmata eſt (ſi curari poterit) manus adminiſtrationem requirit: quæ quomodo perficienda ſit, Paulum conſule capite 21. libri ſexti, & Celſum libro ſeptimo, cap. 7.

Topica.

Tral. lib. 2. cap. 5.

Περὶ ἀμαυρώσεως. *De obſcuritate, ſeu offuſcatione oculorum.*

CAPVT XXX.

NVLLO interdum in oculis malo apparente, contingit, vt cernendi ſenſus deperditus ſit, hunc affectum Græci ἀμαύρωσιν, Latini offuſcationem, ſeu obſcuritatem viſus appellant, recentiores practicantes guttã ſerenam nominant. Eſt autem (Paulo auctore) perfectum, vt plurimùm videndi impedimẽtum abſq; manifeſto affectu circa oculum. Aetius verò eodem ferè modo prædictum affectum deſcripſit, quod eſt perfectum, vt plurimùm videndi impedimentum citra manifeſtam circa oculum affectionem, pura videlicet apparente pupilla, vt minimùm, aut ſemel in totum non videant. Differt autem affectio hæc ab ea, quam Græci ἀμβλυωπίαν, Latini verò obtuſionem, ſeu hebetudinem viſus nuncupant: nam in hac non omnino auffertur viſio, ſed notabiliter minor redditur,

Obſcuritas ui ſui quid ſit.
Paul. lib. 3. cap. 22.
Aetius lib. 7. cap. 48.

Hebetudo uiſus quid ſit.

& proinde eſt quædam videndi obſcuratio ab aliqua cauſa immanifeſta proueniens, vt idem teſtatur Paulus. Differunt itaque affectiones hæ ſecundum magis, & minùs: increſcit nanque actionis noxa pro quantitate declinationis, ac affectus magnitudine, vt primo de cauſis ſympto. patet, ſimilémque ferè curationem requirunt, & propterea vna derelicta, de reliqua mentionem faciemus. Verùm quoniam prædicta affectio, quibuſdam paulatim, ac ſenſim conflatur, aliis autem confertim incidit, ſi paulatim fiat, læditur in ea oculus, quamuis non manifeſtè, aut ſecundum eius viſiuum ſpiritum, dum incraſſatur, aut ſecundum tunicas, dum denſantur, & craſſefiunt, aut ſecundum humores, cùm craſſi, aut viſcoſi redduntur. Interim viſiuus ſpiritus præter iam dictas cauſas imminuitur, & debilis fit, corruganturque nerui viſiui, ac tunicæ, vt in ſenſibus accidit. At ſi confertim incidat hæc affectio, ſecundum viſiuos duntaxat neruos, oculus affectus erit, Galeno teſte quartò de locis affectis, & Aetio cap. 48. ſeptimi libri, verùm modo quouis generetur affectio hæc, perpetuò ſymptoma erit in genere noxæ functionis ſenſibilis, viſiuæ videlicet: eritque ea ablata vt plurimùm, interim autem diminuta valde, neque ex vno tantùm morborum genere pullulat, imò ex quouis gigni poterit, ex intemperie videlicet, mala compoſitione, aut vnitatis ſolutione prænominatarum oculi partium: quorum morborum cauſæ non paucæ eſſe poſſunt: cùm ſi paulatim conflectur affectio hæc, ex incraſſatu viſiuo ſpiritu, tunicis denſatis, ac craſſefactis, ſeu rugoſis effectis, aut humoribus in oculo craſſis, & viſcoſis redditis gigni poſſit; pariter ex ingenti triſtitia, præcedenti diuturno morbo, & collapſione, & velut corrugatione neruorum viſiuorum; ſpiritus etiam viſiui debilitate, & multa imminutione etiam fit: ex quibus etiam cauſis oculorum hebetudo progignitur. Repentina autem, & quæ confertim incidit cauſa (vt teſtatur Aetius) eſt nerui viſiui obturatio à craſſis, ac viſcoſis humoribus confertim in ipſum illapſis, aut eiuſdem nerui reſolutio. Dignoſces autem dictorum humorum craſſorum, & viſcoſorum copiam, ſi ab eis neruus confertim obſtruatur, quoniam, vt tradit Aetius, abſque alia cauſa neceſſe eſt capitis grauitatem conſequi, maximè in profundo, iuxta radices oculorum. At ſi ad eorundem viſiuorum neruorum reſolutionem affectio hæc conſequatur, tardè mouebitur oculus, aut omnino non mouebitur. Cùm verò ex violenta plaga in caput facta, aut ex caſu à cerebri connexu ruptus fuerit neruus, primùm quidem oculus prominentior fit: deinde cauatur & non alitur. Præcedunt autem (vt ipſemet teſtatur Aetius) viſus obſcuritatem, ſeu oculorum offuſcationem aſſiduæ cruditates, & meri potus, & inſolatio, capitis inuſtio, ac ardor, aut perfrigeratio, aſſidua lectio poſt cibum, aut ſimiliter balnea poſt cibum, vomitus intempeſtiui, immodicus ac intempeſtiuus coitus, ſpiritus detentio violenta, vt in tubicinibus contingit: quæ omnia, & his ſimilia dum modicè fiunt, viſus hebetudinem, dum verò immodicè, offuſcationem efficiunt. Fit itaque aliquando offuſcatio ob fortes capitis plagas, aut caſus ex alto reſoluto aliquando neruo viſiuo, aut rupto, aut per vehementem concuſsionem humorum copia illata, & viſiuum neruum obturante: quæ omnia, ex ægrorum, ſeu aſtantium aſſertione percipi poterunt, & vnà cum prædictis ſignis promptè diſtingui. Paulatim verò offuſcatio ſi fiat, non admodum difficulter curari poterit: quemadmodum nec hebetudo, niſi ſenioribus accidit: nam à moderatis cauſis, & non ab immodicis ortum ducit. Verùm ſi confertim ob fortes videlicet capitis plagas fiat, aut caſus ex alto, omnium mitiſsima erit, Aetio teſte, ea quæ fit ex humorum copia illata propter vehementem concuſsionem, & viſiuum neruum obturante. Pro curatione autem eius, ſiue confertim, ſiue paulatim fiat, aër moderatus eligatur: ſiue qui parum ad ſiccum vergat. Somno vtantur moderato, vitentque diurnum, curentque vt aluum facilè ſolubilem habeant: idque ſaltem per cibos facito, qui etiam præ omnibus bonæ concoctionis eſſe debent; vitandique ſunt omnes craſſefacientes: imò extenuantes potius eligantur. Vitandus

Cap. 2. Quæ oculi pars in eis afficiatur, ſi paulatim fiat.

Si confertim fiat, cauſæ. Cauſarum ſigna.

Prognoſtica.

Curatio. Victus ratio.

Vitandus eſt vini potus, tolerandaque viriliter eſt aquæ potio, aut quæ mulſæ, ſeu aquæ ex cinnamoni decocto. Exercitijs vtendum infernarum partium, & deambulationibus pluribus in vmbroſis locis, vt Aetio viſum eſt; caueant ab aſsiduo coitu, capitis inſolatione à vehementiorique motu à cibo, vt neque legant, aut ſcribant, balneus eis non conuenit, vitandæ ſunt iræ, indignationes, curæ pertinaces, & vehementes perturbationes, ac timores, præſertim poſt cibum: pariterque & aſsidui vomitus. Verùm eos, quibus oculi confertim offuſcantur curare oportet vena cubiti inciſa, ſi plenitudine grauatus ſit æger: validiſsimum enim auxilium in ipſis eſt venæ ſectio, vt teſtatur Aetius. Incidatur autem humeralis, aut media, deinde interpoſitis aliquot diebus (vt idem Aetius inquit) faſciam collo circundabimus, ac conſtringemus, & poſtquam frontis venæ eleuatæ fuerint, rurſus exoluemus: & hoc iterum, atque iterum faciemus, quò per ſpiritus motum humores obturati violenter concutiantur, poſtea eleuatas angulares venas ab vtraque naſi parte ſecare oportet, eodem Aetio, & Paulo teſtibus, poſt hæc confeſtim cucurbitula occipitio affigenda eſt cùm ſcarificatione: nam contingit plerunque (vt Aetius aſſerit) ſtatim incumbente adhuc cucurbitula, hominem reſpicere. Paulus verò hirudines temporibus admouere iuſsit, inferioréſque partes perfricare. Verùm non oportet his duntaxat auxiliis contentum eſſe, ſed viribus reparatis poſtea corpus totum purgare conuenit, priùs tamen redundantibus ſuccis præparatis: ex plebis autem ea vtraque iis, quæ cap. de ſuffuſione retulimus: nanque communis eſt huius affectionis curatio ei, quam in affuſis diximus, Paulo auctore. Perſeuerante verò adhuc affectione, etiam his quæ naribus infunduntur, medicamentis vtendum erit, ac apophlegmatiſmis ſuperiùs in capite de dolore capitis ex pituita conſcriptis. Cæterùm ſi neque his malum cedat, præſertim ſi ex multis, ac craſsis ſuccis ad viſorios neruos delatis originem ducat; poſt omnia iam dicta auxilia, caput ſinapiſmo integendum erit, & quæ adurunt medicamenta occipiti admouenda ſunt, cauteria dicta, vt idem Aetius præcipit. At ſi viſus obſcuritas ſenſim accidat, ab angularibus venis euacuatio (velut dictum eſt) facienda erit ſtatim ab initio, his potiſsimùm qui non multò ſanguine abundant, deinde cucurbita occipitio affigatur, poſtea purgatio fiat. Perſeuerante adhuc malo, per modò dicta medicamenta caput purgandum erit, reliquiſque paulò ante commemoratis medicamentis vtendum. Illitio autem oculorum in omni offuſcatione quouis modo conflata, per ſimplicia primùm fiat, veluti per mel, aut vetus oleum, aut æqua portione ſimul hæc mixta, poſtea etiam aliis compoſitis vtare, velut eſt medicamentum à Paulo ſimul, & Aetio comprobatum. Id autem recipit croci drach. j. myrrhæ tantundẽ, piperis gra. xv. ſpicæ nardi ſcrup. j. ſucci fœniculi drach. xvj. ammoniaci thymiamatis drach. j. mellis vnc. v. ad omnia leuiſsimè trita fœniculi ſuccũ affunde: deinde tere, ac ſeſicca, & admiſto melle, ænea pixide excipe, ac vtere. Verùm ante illinitionem per ſpongiam in aqua calida marina tinctam fomentum adhibendum erit: aliquando etiam tota facies in marinam tepidam immittenda eſt. Incipientem quoque offuſcationem, aut ſuffuſionem (Gale. auctore 4. de compoſi. medic. ſecund. locos, circa finem) perſanat omne fel cùm marrubij ſucco, ac mel attico. Item ſi myrrhæ, & piperis æquales partes aſſumas cum melle, aut ſi fœniculi ſuccum, & fel taurinum liquidum, paribus portionibus aſſumas, & mellis attici duplum, ac illinas, aut croci, & piperis æquas portiones felle taurino excipito, atque in collyria redigito, & illinito, quibus omnibus pro offuſcationis curatione vti poteris: nec minùs & his, quæ paulo ante ſuffuſis approbauimus.

Si confertim fiat.

Medicamentorum ratio.

Venæ ſectio.

Purgatio.

Si ſenſim fiat.

Topica vtriſque cõmunia.

Περὶ νυκτάλωπος. *De nyctalope.* Caput XXXI.

PRAETER dicta vitia quæ oculis contingunt, vnum quoddam oriri conſueuit, quòd Græci νυκτάλωπα, quidam nocturnam cæcitudinẽ, Plinius hos luſcioſos appellat. Celſus verò lib. ſexto, cap. 6. oculorũ imbecil-

Plin. libr. 21. cap. 7. & lib. 28. cap. 11. & alibi.

litatem nuncupat; ex qua (vt ipſe refert) ægri interdiu ſatis, noctu nihil cernunt:
Aetius libr. 7. cap. 46. vt verò Aetio, & Paulo placuit malum, hoc eſt, quo per diem homo cernit, oc-
cidente verò ſole obſcuriùs, deinde noctu penitus nihil. Cùm itaque videndi
Paul. libr. 3. cap. 22. functio in hac affectione læſa ſit, vt ex eius deſcriptione liquet, cuique conſtat
Quæ ſit nocturna cæcitudo. oculum affectum eſſe; neque enim fieri poteſt, vt cernendi functio oblæſa ſit
ipſo oculo nequaquam affecto, cùm actionis noxa qualiſcunque ſit, cuiuſlibet
partis proprium eſt ſymptoma, vt patet ſecundo de locis affectis. Eſt inſuper
Cap. 7. affectio hæc ſymptoma in genere noxæ functionis animalis ſenſibilis, non ſi-
Quæ pars afficiatur. quidem ablatæ, nec deprauatæ, ſed debilis. Nam vt dictum eſt, qui tali affectio-
ne detinentur, die quidem vident, verùm occidente ſole obſcuriùs, & noctu
Quæ præter naturam affectus. omnino nihil. Illud autem magis fieri videtur (vt inquit Aetius) propter ali-
quam capitis imbecillitatem, & maximè viſiui ſpiritus craſsitudinem, itémque
Cauſæ. reliquorum oculi humorum, ac tunicarum. Hoc vitium (vt Celſus refert) in
Prognoſticũ. fœminam benè reſpondentibus menſtruis non cadit. Pro cuius curatione, vi-
Curatio. ctus ratio ex toto attenuatoria præcipienda eſt, vitandáque omnia craſſefa-
Victus ratio. cientia, ab initio etiam à vino abſtinendum eſt: & ſi bono habitu præditi fue-
Venæ ſectio. rint ægri, curari debent ex venæ cubiti ſectione, humeralis videlicet, & dein-
Purgatio. de ex angulis oculorum ſanguis mittendus eſt, moxque ſi vitioſi redundarint
humores, conuenienti pharmaco purgentur: aut per clyſteres aluus inaniatur.
Quibus autem id perficiendum erit, ſæpius ſupra adnotauimus. Poſt verò vni-
uerſalem euacuationem, vtendum eſt his, quæ pituitam per os ducunt, & quæ
per nares purgant, & ſternuationes quoque ciendæ ſunt: quorum iterùm copiam
in prædictis requiras. Verùm inter ea, quæ naribus infunduntur, tanquàm
maximè commodum ab Aetio vnum conſcribitur: id autem recipit piperis,
ſtaphidis agriæ ſingulorum ſcrup. ij. ſinapis ſcrup. j. tundito, ac cribrato, & radi-
cum betæ ſuccum adiicito, vt mellis liquidi conſiſtentia fiat, & contrita naribus
infunde, ac attrahere iube, atque, vt ipſe aſſerit, hoc ad dies quinque, aut ſeptem
facito. Poteris autem eiuſdem ſtaphidis agriæ, & piperis drach. j. excipere, &
ſanapis drach. ſ. foliorum ſampſuchi pug. ſ. in aqua decoquito, cui quartam par-
tem ſucci radicum betæ adiicito, & per nares attrahere iubeto. Inſuper præcipit
idem Aetius, ac Paulus, vt ante cibum bibendum tribuatur hyſſopi decoctum,
origani, aut rutæ, & ſi his remediis affectus non aboletur, rurſus purgatio mo-
lienda erit, quam ipſi ex ſcammonio, & caſtoreo conficiunt, addit tamen Ae-
tius ſal, verùm ſi hoc medicamento vti libuerit, ſcammonij non drach. ſ. ſed
ſcrup. ſ. aut paulò plus aſſumas: nam purgatio hæc (vt idem teſtatur Ae-
tius) ſæpe è veſtigio ab affectione liberauit, aut multò meliorem diſpoſitio-
nem induxit. Et iterum poſt paucos dies dandum eſt purgatorium medica-
mentum pituitam, & bilem ducens; aut ſi paulò ante dicto medicamento vti
nolueris, vtpote in debilioribus corporibus, infraſcripto, vtaris ipſum iterati-
do, interpoſitis quibuſdã diebus, vt videbitur. Recipit autem pilularũ lucis ma-
iorum aut arabicarum ſcrup. iiij. vel cochiarũ drach. j. cũ ſcrup. ij. aut drach. j. aga-
rici trochiſcati, formẽtur catapotia ex ſucco fœniculi, aut ſyrupo ex ſtœchade,
Topica. & exhibeantur. Oculi verò illinantur melle deſpumato: quo iniecto ad ipſum
continendum oculi ipſi claudantur, aut oleo vetuſtiſsimo ſimiliter illinantur,
vel aluminis ſciſſi partes duæ, & ſalis ammoniaci pars vna trita cum melle,
aut muliebri lacte, ſublinantur: fel quoque hirci ex melle illinitum paucis die-
Alex. libr. 2. cap. 6. bus vitium tollit, vt inquit Alexander. Quidam verò (Celſo auctore) contrito
ſemine portulacæ mel adiiciunt eatenus, ne id ex ſpecillo diſtillet, eóque inun-
gunt. Verùm tum Celſus ipſe, tum Alexander, Paulus, & Aetius cum Galeno
In fine. 4. de compoſitione medic. ſecund. loc. iecoris hircini ſaniem, quæ dum aſſatur
effluit, colligere præcipiunt, atque hac oculos oblinire iubent: iecúrque ipſum
maximè hircinum aſſatum cum ſale, ſin minùs, caprillum ſi comedendũ exhi-
beatur, eis prodeſſe aſſerũt: ſimiliter ſi dum ipſum aſſatur, elatum vaporem
apertis oculis excipiant, vitandus tamen eſt perpetuò frequentior acriorum
pharma

pharmacorum vſus: ipſum quoque fel capræ, perdicis, aut hirci ex interuallis cum melle illitum idem commendauit Aetius, licet etiam, vt Celſus inquit, iiſdem medicamentis inutiliter vti, quæ vel cicatrices, vel aſpritudinem extenuant. Contingit verò quandoque, quamuis rarò quibuſdam, vt noctu quidem meliùs videant, interdiu autem deteriùs, & ſi noctu Luna appareat, nihil cernant, eodem Aetio teſte, in quibus multùm attenuari ſpiritum, aut tunicas rareſieri, & propterea ſpiritum diſsipari, ac viſum obſcurari fatetur, noctu verò craſſeſieri, colligique ac ſenſum mouere. His autem oportet (vt ipſe teſtatur) robur oculis addere, quanquam Herophilus vice verſa eos curabat, medicamentis videlicet, quæ ad eos, qui noctu non vident, magis faciebant: nam cùm ſimul multus, ac æthereus fuerit animalis ſpiritus, is res quæ diſtant, & videre, & exactè diſcernere poteſt, Galeno auctore primo de cauſis ſymptoma. cui verò paucus fuerit, ſed purus, is vt res propinqua planè diſcernit, ita diſtantes haudquaquam videt. At ſi craſsior ſimul fuerit, & multus, res diſtantes videt quidem, ſed non ad vnguem diſcernit; quemadmodum cui humidior ſimul fuerit, & exiguus, is neque exactè, neque porrò videre poteſt. Cùm itaque prædictis paucus, iſque tenuis ſpiritus fuerit, aut idem propter rarefactas tunicas diſsipatur, mirari non oportet, ſi noctu meliùs, interdiu autem deteriùs videant: cùm ſimul noctu colligatur eiſdem, ac craſſeſiat animalis ſpiritus, & propterea ſenſum moueat.

De contrario affectu oculorum. *Cap. 2.* *Cap. 2.*

Περὶ αἰγίλωπος. *De ægilope.* *Caput XXXII.*

INTER maiorem oculi angulum, & naſum quidam affectus oriri conſueuit, qui à Græcis αἰγίλωψ. dicitur. Eſt autem Galeno auctore 5. de cõpoſitione medicamentorum ſecũdum locos, paruũ quoddam abſceſſui ſimile tuberculum inter naſi os, & magnum iuxta oculi angulum ortum, & rumpitur ſanè ſæpe in angulum; quibus verbis liquet ægilopa Galenũ nominare tuberculum hoc, tam ſi diſruptum fuerit, quàm ante eruptionem. Paulus verò (vtpote Galeno iunior) diſtinctiùs (mea quidem ſententia) prædicti vitij meminit; retulit nanque ægilopa abſceſſum eſſe inter magnum oculi angulum, & naſum, qui ſi rumpatur, negligatúrque in fiſtulam vertitur vſque ad os, priuſquam verò erumpatur in vlcus, abſceſſus anchilops dicitur. Anchilopa itaque nuncupauit Paulus hoc vitium priuſquam erumpatur in vlcus: eo autem in vlcus verſo, ac rupto, ægilopa. Pars quæ afficitur cùm in eius deſcriptione, tum ad ſenſum patet. Affectus ipſe morbus eſt in compoſitione primò, in magnitudine videlicet, & propriè in exceſſu: cum quo intemperies, ac ſoluta continuitas complicatur. Verùm eo diſrupto, morbus erit in ſoluta continuitate primò, cùm de genere vlcerum ſit. Progignitur autem à vitioſis ſuccis ad prædictam partem delatis, aut à toto, vel à quibuſdam partibus tranſmiſsis. Eſt verò affectio hæc ægrè curabilis (vt Aetius teſtatur) propter corporum tenuitatem, & ſubiecti oſsis putredinem; ſeu corruptionem: ob ſitus etiam vicinitatem (vt idem inquit) ipſi quoque oculo damnum infert, aliquando per naturale paruum iuxta angulum foramen. Ipſe quoque Galenus præcitato loco, cùm jam dictum malum in angulum rumpitur ægrè curabile reddi, niſi maturè occurratur, aſſerit: non enim poteſt ab acribus medicamentis curari, cùm ex eis oculus afficiatur, atque ita affectæ etiam partis inflammatio augeatur, nec ob id ſolùm ægrè affectio ipſa curabilis eſt, ſed propterea quòd cùm multa liquida pharmaca in experimentum aſſumi poſſunt, ea non tolerat locus ipſe: neceſſariò enim ex eis in oculum aliquid influit, neque verò adhærere eiuſmodi queant citra obligationem, quæ totum oculum complectatur, quam impoſsibile eſt (eodem Galeno teſte) tot diebus aliquem perferre poſſe, quot ad mali curationem requiruntur. Quapropter Apollonius (vt ipſe refert) nulla pharmaca ad ægilopas ſcripſit.

Aegilops quid ſit. *Lib. 3. cap. 22.* *Pars affecta.* *Affectus.* *Cauſa.* *Prognoſtica.* *Lib. 7. c. 85.*

Archigenes verò paucis enumeratis, deinceps ad curationem ipſorum per chirurgiam progreditur. *Curatio.* *Venæ ſectio.* Incipiente itaque inflammatione, victus ratione probè inſtituta pro auerſione eius quod influit, eiuſdem lateris in cubito vena humeralis incidenda erit, ſi quid non prohibeat, aliiſque diuerſionibus, cucurbitulis *Purgatio.* inquam, frictionibus, ac vinculis vtendum. Ab hinc redundantes quoque vitioſi ſucci purgante medicamento vacuari debent, ne poſthac ampliùs ad affectum locum fluant, eligendáque ea ſunt, quæ leniter purgandi vim habeant, pro ratione tamen redundantis vitioſi ſucci, quo etiam tempore repellentia medicamenta iuxta affectam partem adhiberi poſſunt. Verùm ſi perſeuerauerit affectio, tentandum eſt per diſcuſſoria medicamenta, quæ citra mordacitatem operantur, eam curare, Galeno, & Aetio teſtibus. Coafficitur nanque oculus (vt diximus) ex acribus: & in ipſa affecta parte inflammatio augeſcit. In hunc ergo vſum probè facit medicamentum ex glaucio, & croco, vnà cùm perdicij herbæ ſucco, quam parietariam vocant, compoſitum ſi imponatur, iuxta Pauli, *Paul. loco citato.* & Alexandri ſententiam, crebrò autem ipſum permutare oportet, vt idem Paulus refert, etenim ſtatim immutatum vim ſuam amittit, huius medicamenti vſu *Alexan. lib. 2. cap. 8.* Trallianus teſtatur incipientes, & nondũ in pus conuerſos ægilopas prohibuiſſe, ne in ſuppurationem mutarentur: & proinde eos curaſſe. Præterea ex alica cocta in aceto, & probè trita, quam etiam commendabat Paulus, non modò incipientes ægilopas, ſed etiam inueteratos iam, & in pus conuerſos mirabiliter ſe curaſſe teſtatur idem Trallianus: præcipitque vt probè leuigata imponi debeat: quòd ſi etiam pus inhæreſcens deprehendatur, rumpit ipſum, & vſque ad os penetrat, adeò validum eſt medicamentum, vt ipſe fatetur: ruta quoque ſatiua vnà cum lixiuio, quod primùm diſtillauerit, contrita, coctáque & impoſita pulchrè admodùm ægilopas emendat, & ad vſque os permeat, per initia tamen hoc præſidiũ modice rodit, poſteà verò non item: ac mirum eſt (vt inquit Paulus) quòd ne cicatricem quidem indecoram hoc præſidium relinquat: vſu quoque probatum medicamentum quoddam Trallianus conſcripſit: Recipit autem id, internam arundinis membranam, id quod rotundum circa nodos inueniri conſueuit, acceptam melli iniicito, ac particulæ affectæ imponito, mutans quotidie quater; & vbi locum probè repurgaueris, mulſa cum ſpongia ocularia abluito; ad hæc (inquit) prædictam arundinis membranam per ſe imponito, & miraberis. Antequam verò ægilops in pus vertatur, & poſtquam ruptus fuerit abſceſſus, cochleas cùm teſtis ſuis tritas imponi præcipit Paulus, interdum aloë, vel myrrha admiſta, habet nanque medicamentum hoc deſiccandi vim: probè quoque facit thus cum columbino ſtercore recenti impoſitum, vt *Cap. 2.* Galenus Archigenis auctoritate 5. de compo. medic. ſecund. locos teſtatur: aut erui farina cum melle. Curant quoque ægilopas (ſi non profundum corruptum fuerit os) chamæmeli folia commanſa impoſita, aut maluæ folia commanſa, ſi cum ſale imponantur, priùs tamen quàm diſrumpatur: radix item lilij recens ad emplaſtri formam trita, & impoſita ægilopas curat, Aetio auctore: rumpit enim & repurgat, prout experientia cognitum eſt: & vſque ad perfectam curationem cicatrice includit. Arnogloſſa quoque herba cum modico ſale trita, & appoſita ægilopas deſtruit, vt apud Plinium ſecundum lib. primo, de re med. cap. 23. legitur: item nucis combuſtæ cinis iniectus ſanat. At in quibus affectio diuturna os corrumpit, aut ad angulum in fiſtulam abiit, nec prædicta contulerint, ad chirurgiam confugiendum, quàm à Paulo petas, libro ſexto, cap. 22. ab Aetio libro ſeptimo, cap. 86. à Celſo verò libro ſeptimo, cap. 7.

Περὶ ὠταλγίας. *De aurium dolore.* *Caput XXXIII.*

QVONIAM auriũ vſum proximum à luminibus natura nobis dedit, Celſo auctore libro ſexto, cap. ſeptimo, ſecundúmque locum obtinet auditus ſenſorium in tenuitate à viſu, velut guſtus ſenſorium *Cap. 2.* in craſsitudine ſecundum locum obtinet à tactu, vt patet 4. de locis

affectis. propterea expediti ab oculorum affectibus,ad eos, qui in auribus euenire conſueuerunt, tranſeundum eſt, ab earum dolore primùm exordientes: quoniam hoc potiſsimùm ſymptoma artem ad curationem incitat, vt teſtatur Alexander: *Alex.li 3. c.1.* quanquam & ipſæ quouis morborum genere affici poſsint, vt primo de cauſis ſymptomatum decretum reliquit Galenus, *cap. 3* earum primo inſtrumento, aut partibus quæ illi vſum aliquem præſtant, ſeu audiendi facultate laborantibus, ex quorum omnium culpa lædi hanc functionem contingit. Nomen autem ſumpſit hæc affectio,cùm ab affectu ipſo,tum à parte affecta, vt patet ſecundo method.medendi: *cap. 2* verùm cùm hic dolor in euidentibus auriculis infeſtare poſsit,nec minùs & interim affligit in profundo auditorij meatus, ad quem locum neruus auditorius peruenit, non ex longo interuallo ab ipſo cerebro,quem dolorem aurium propriè nominare conſueuerunt, vt teſtis eſt Galenus tertio prognoſticorum, *Commen. 13.* cuius audiendi meatus finis vbi neruo dilatato coniungitur, proprium ac primum eſt audiendi inſtrumentum, *Primũ audiendi inſtrumentum quod ſit.* cæteræ autem ipſarum partes eidem vſum præſtant, vt primo de cauſis ſymptomatum liquet. *cap. 3* Ea de re cùm aurium dolorem dicimus, in quacunque earum parte, ex quauis cauſa ortus fuerit, intelligere volumus; quanquam potiſsimum de eo, qui in profundo oritur. *Quid per aurium dolorem intelligatur.* Quòd verò in eo aures afficiantur ex ipſa liquet nomenclatura. At nunquid ſola circa meatum cutis, ſeu euidentes auriculæ affectæ ſint, vel ipſe auditorius meatus in profundo, ex ipſo doloris ſenſu,tum etiã ex eiuſdem vehementia diſcere licebit: *Partis aff. ctæ notitia.* vehementior nanque erit ſi in profundo fiat, vt eodem tertio prognoſticorum patet. *Aff. ctus quis ſit.* Quis autem affectus ſit dolor, hîc iterum aſſerere ſuperuacaneum eſt, cùm id fuſius diſſeruimus cap. de dolore capitis,in principio. *Commen. 15.* Inſequitur inſuper non aliter, quàm cæteri, dolor hic, interim ad earundem aurium inæqualem intemperiem, interdùm ad earum continui ſolutionem, aut ſi vtroque modo affectæ ſint pro diuerſitate cauſarum, quæ earundem aurium dolores excitare ſolent,quas omnes Galenus tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos conſcripſit: *cap. 1* docuitque ſimul modum dignoſcendi eas: à quo cæteri auctores Græci,Paulus,Aëtius, Alexander ceperunt. *Cauſæ.* Quidam nanque ex frigida intemperie ortum habent à frigidis ventris in peregrinationibus ſuſceptis, aut ex balneis frigidis; quos dignoſces, ſi tum prægreſſa, tum præſentia perconctatus fueris, antegreſſas quidem ex ægri,aut aſtantium relatione,præſentia verò ex teipſo, quoniam dolor altè infeſtabit,fixus quidem citra grauitatem,vel diſtentionem, vel ardorem. *Earundẽ cauſarum ſigna.* Verùm ſi ex calida conceptus fuerit intemperie dolor, ex prægreſſa quapiam inſolatione,ſeu æſtuatione, aut ventis calidis, ſeu medicatis aquis,in quibus quidam ob delitias ſe lauant,aut ob corporis commoditatem,id perdiſces, doloremque feruidum ſine grauitate, ſeu tenſione ſentient ægri. Quòd ſi ex frigidis glutinoſis, craſsiſque ſuccis proritetur dolor, qui obſtructione eum potius concitant,iterum artificioſa quadam coniectura deprehendes prægreſſa, & præſentia perconctatus; cùm cibi pituitoſi, & mali ſucci, ac potus frigidiores, humidioresque præceſſerint: temperamentum, ac ætas frigida, ſimiliterque anni tempus,& regio, ac aëris conſtitutio: capitiſque, ac aurium grauitatem ægri ſentiunt.Verùm ſi diſtentio quidem orta fuerit, grauitatem verò in capite, vel aure neutiquam percipiant ægri, fueritque antegreſſa frigiditas, ſpiritum flatuoſum & craſſum tranſitum non habentem, doloris cauſam eſſe manifeſtò conſtabit, qui haud aliter quàm inflammatio partes diſtendens dolorem excitat. At ſi grauitas,diſtentióque ſimul, ac calor,& dolor pulſatilis,ſimulq; etiam febricula quædam oboritur, inflammationem efficientem eſſe cauſam doloris, qui ſanguinis excalfacti influxu originem habuerit, bona ratione æſtimare licebit, quemadmodum Paulo, & Alexandro viſum eſt. *Paul.li.3.c.23. Alex. loc.cit.* Excitantur autem interdum ex ichoribus, ſeu ſanioſis humoribus in aurium corpore genitis conſimiles dolores, quemadmodum ex mordacium humorum illapſu forinſecus facto contingunt,eodem Galeno teſte tertio de compoſitione medicamento- *cap. 1.*

Prognoſtica. rum ſecundum locos. Quoniam verò maius imminet periculum in aurium affectionibus, quàm in oculorum vitiis, vt teſtatur Celſus: nam vitia oculorum intra ipſos nocent, aurium inflammationes, doloresq; interdum etiam ad dementiam, mortemque præcipitant; propterea inter initia protinus magis ſuccurrendum eſt, ne maiori periculo locus ſit, vt ipſe inquit. Non abſque itaque ratione Hippocrates tertio prognoſticorum refert, quòd aurium dolor cum febre continua ac vehementi difficilis eſt: periculum enim delirij, mortiſque imminet: nam natu minores ſeptimo die, aut citiùs ab hoc morbo interimuntur; natu verò maiores multo tardiùs. Febris enim ac delirium minùs eos infeſtãt: & aures eis ob id anteà ſuppurantur, ſed per has ætates recidiuæ euenientes morborum, plurimos interimunt: minores verò natu priuſquàm ſuppurentur aures, interimuntur. Alexander autem, ſiue meatus auris (dicebat) ſiue alia ipſius quæpiam interna particula frequenter inflammatione laboret, acutiſsima pericula vicinia regionis, & genere ſubſtantiæ inducit: redditque ipſe rationem: nam neruus qui internam auris ſuperficiem ſublinit, cùm ſit ſenſibilis, validos dolores, acutoſque excitat, vt etiam cerebrum in conſenſum perducat, ita vt febres, & deliria ſic affectis oboriantur: interim verò moriantur, nec minùs cur citiùs iuuenes, quàm ſenes ex eodem affectu intereant, aſſerit: quanquam & ante ipſum non Hippocrates modò, verumetiam & Galenus eodem tertio prognoſticorum ſcriptum reliquerant. Cùm itaq; non ex vna duntaxat cauſa aurium dolor excitetur, quò fit vt neque vna ſit eiuſdem curandi, ſeu victus ratio, ſed iuxta cauſarum diuerſitatem diuerſimodè quoque ſit inſtituenda; propterea cuiuſque cauſæ ſpeciatim victus inſtitutione prætermiſſa, quoniam ex his, quæ prius diximus, facilè percipi poterit pro cauſarum varietate cuiuſuis doloris auris curationem præcipiemus, quæ cùm multæ iam dictæ ſint, tantum numerum remediorum eſſe oportet, quantus eſt efficientium cauſarum. Dolores igitur à ſola frigiditate obortos calfacientia medicamenta quàm celerrimè curant, Galeno auctore tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, veluti eſt oleum amaracinum, nardinum, rutaceum, laurinum, aut de caſtoreo: quòd ſi maxima fuerit perfrigeratio, benefacit oleum, addito pipere exquiſitiſsimè trito, aut ſi multũ, veteri oleo exiguum omnino euphorbij admiſceas, ſtyracẽ, caſsiam, ſeu calamum odoratum: pariter quoque confert irinum oleum: & ruralibus quoque hominibus, ſi allium in oleo contundas, vel ferueſacias, atque ita infundas, aut ſi magnam cepam excauas, deinde oleo eam expleas, & in feruenti cinere moderatè calfacias: atque ita auribus infundas. At ſi ex calida intemperie aurium dolor originem duxerit, ſeu ex medicatis aquis, oui candidum in aurem demiſſum, ipſum mitigabit, ſi tepidum paulatim cum lacte muliebri infundatur. Plurimùm verò iuuantur ex ſucco perdicij cum modico roſaceo, aut ſolani, ſeu coriandri vel haſtulæ regiæ: nec minus & amygdalino oleo, vel oleo in quo lumbrici, ſeu aſelli, qui in aquoſis & humidis degunt, fuerint incocti. Coriandri item ſuccus cum lacte mulieris immixtus, & auriculæ infuſus dolorem mirificè tollit, vt Plinio ſecundo viſum eſt lib. primo de re med. cap. 10. Quòd ſi ex aqua medicata excitatus fuerit dolor circa auditorium meatum, oleum aſsiduè infundere conuenit, quo ipſum eluamus, vt teſtatur Galenus: deinde lana molli extergere, rurſuſque infundere. Iuuantur quoque plurimùm ex adipe anſerino, atque item vulpino: ſimiliter ſi oui candidum cum muliebri lacte tepido fuerit infuſum. Pro communi nanque præcepto habendum erit, vt quicquid auribus adhibeatur, mediocriter calidum eſſe oporteat, ex communi omnium Medicorum ſententia: poterit quoque per exuctionem ore aqua attrahi. Si verò quis vno pede auri affectæ proximo exiliat (vt inquit Aëtius) inclinans quodãmodo ſeipſum aquam facilè excernit. At ſi ex flatuoſo ſpiritu, aut craſſo, lentoq; humore aurium dolores fiant, eis vtendum medicamentis erit, quæ obturatione liberant, abſtergunt, atque incidunt, citra tamen vehementem roſionem, præſertim in quibus

tex.13.

Lib.3.cap.5.

tex.14

Curatio, ſi ex frigiditate oriatur aurium dolor. cap.2.

Si ex caliditate, curatio.

Si ex medicatis aquis, curatio.

Cõmune præceptũ pro aurium curatione.

Aët.li.6.c.75

Si ex flatuoſo ſpiritu, aut frigidis ſuccis fiat, curatio.

quibus dolor magnus, & copiæ ſuſpicio ſubeſt: cuius generis ſunt album,& nigrum veratrum,amygdalæ amaræ,& ex tribus ariſtolochiis, quæcunque fuerit ad manum,& iris illyrica: inicies autem & cinnamomum,ſi habueris, aut caſſiam,illo non præſente: nec minus & cucumeris ſylueſtris, ac bryoniæ radice, & centaurij magni: iterum radice,ſeu parui coma vtendum: & omnino omnia amara conferunt: nanque citra mordacitatem, & abſque moleſtia expurgant hæc meatus, diſiiciunt, & diſſecant obturata,vt eodem tertio de compoſitione medic. liquet. commendatur item à Paulo fel ouillum cum oleo communi,vel amygdalino, inſuper porri & cepæ ſuccus tepidus cum melle: aut origanum cum melle,& lacte muliebri,ſi inſtilletur. Ad vehementiores autem aurium obſtructiones fel caprillum cum ſucco porri inditum (vt ipſe inquit) confert. Alexander autem fel bubulum, aut ouillum inſtillatum, ſeu capræ vrinam continuè infuſam commendat, ſimiliter ſi felle taurino floccum imbutum, læuigatumque auri imponas. Priuatim autem Paulus ad dolorem ob flatuoſum ſpiritum, refert quòd conferat ſtrenuè cucumis ex aqua calida fota, aurique demiſſa. Conducit quoque vaporatio ex ruta, ſampſucho,caſtoreo, & milio. Verùm ſi in toto corpore,aut ſaltem in capite prædictorum craſſorum humorum adſit redundantia, priuſquàm modò dictis medicamentis vtaris, corpus totum, aut ſaltem caput purgante medicamento exonerabis, præcedente tamen eorum coctione, ac præparatione; aliàs fluxionis cauſam præbebunt, & dolor amplius irritabitur. Dolore autem auris ex inflammatione oborto, ſtatim ſanguis ex cubito mittendus eſt, media, ſeu humerali vena, velut plenitudo maior,vel minor,ac vires magis,vel minus valentiores videbuntur: deinde auxilia aggredi quæ inflammationes ſedare poſſunt,vt Alexandro, & Paulo viſum eſt: aliiſque reuulſionibus vtendum,frictionibus,vincuſis, cucurbitulis, ac clyſteriis,aut humorum fluxus inhibeatur. Si & biliofus ſanguis redundare videatur, à venæ ſectione, purgatione vtendum erit, quæ vim habeat leniter bilem educendi, hanc autem ſtudioſi ex priùs dictis requirant, demum moderata exiſtente inflammatione roſaceum cum aceto tepefactum adhibendum erit. Oleum quoque dulce, & calens per ſpecillum lana inuolutum (Paulo teſte) continuò adhiberi poteſt, aut adeps anſerinus, ſeu vulpinus cum roſaceo: extrinſecus verò ea, quæ dolorem leniunt (vt ipſe teſtatur) materiamque impactam concoquunt,ſuperaccommodare oportet. Si verò vehemens fuerit ex inflammatione dolor,mitigabit ipſum (Aëtio auctore) oui candidum tenue cum lacte muliebri tepidum infuſum. Mitigant quoque feruentes inflammationes (eodem auctore) roſaceum cum auriculæ muris, aut polygoni, vel portulacæ, ſeu ramentorum cucurbitæ ſucco, ſi tepidè inſtillentur. Item aſelli, ſub hydriis ſtabulantes, ſeu inteſtina terræ cum roſaceo cocta, ac oleum amygdalinum, quod inſuper cum aliquo prædictorum miſceri poterit. Vbi verò maximus, ac vehementiſsimus ex inflammatione dolor vrgeat, neceſſe eſt ſtupefacientibus ſenſum vti: cùm videlicet propter dolorem ad mortis diſcrimen æger tendat; vtendum iis tamen,quæ leniter ſenſum ſtupefaciunt,vt inquit Paulus:non enim mediocre periculum eſt,ne cerebrum neruo, per quem facultas audiendi erogatur vicinum, conſortij lege afficiatur: neque ſæpius eis vti oportet, ſed vbi coactus fueris ſemel duntaxat, aut iterum offerre conuenit, Alexandro auctore, præſertim ſi opio vtaris; miſcetur autem opium muliebri lacti, & oui candido: quæ ipſa & per ſe ſæpè aurium inflammationibus profuere, Galeno teſte tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. Excipiatur autem opij pars vna, caſtorij partes duæ, & cum lacte mulieris; ſeu oui albumine, aut vino dulci tepido inſtillentur, Paulo auctore: quanquam Galenus velit, quòd in vehementiſsimis doloribus pari menſura caſtoreum admiſcendum ſit, in nõ tam vehementibus dupla: verùm multò ante vſum tempore præparatum id eſſe conuenit. Porrò hoc medicamentum,quod ex caſtoreo,& papaueris ſucco conficitur,non ſolum aurium ſedat dolorem,ſed etiam oculorum, & dentium, ſi aurib

Loco citato.

Lib.3.cap.1.

Si ex inflammatione fiat, curatio.

Lib.6.c.80.

Lib.3.cap.5.

cap. 1.

cap.8. ſi auribus inſtilletur, vt 12. methodo meden. patet. Verùm eo vtendum eſt, cùm maximè neceſsitas vrgeat, cùm nonnihil (vt ipſe Galenus inquit) partes lædat, ac eas imbecilliores reddat ex refrigeratione; velut reliqua anodyna: niſi poſt in ſanitatis tempore eaſdem partes excalfeceris; liquor verò, quo hæc diluitur ex muſto ſapa ſit: multo enim magis quàm dulcia vina dolorem hæc ſedat: Loco citato. quomodo hæc miſcenda ſint à Galeno eodem tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, decretum eſt. Similiter quo pacto eadem, aut ſimilia medicamenta auribus vehementer dolentibus iniicienda ſunt, docet idem Aſclepiadis auctoritate, ſeroſum cruorem, qui à carnibus bubulis, dum torrentur, deſtillat, ſi calidus infundatur, commendat. Extrinſecus autem omni ex parte oleo calido, aut nardino, quod adipem anſerinum habeat, locus fouendus erit, aut roſaceo, ſeu amygdalino, & ſi doloris vehementia exigat, per ſpongias calente aqua imbutas, in qua chamæmeli flores, fœnumgræcum, & melilotum fuerint decocta, fomentum adhibere conuenit. Quòd ſi imponi cataplaſma aliquando ſuadebit, papauerum capitibus in aqua coctis, ac fœnigræci, vel hordei, vel lini ſeminis farina aquæ immiſſa cataplaſma conficies, ex eiuſdem Galeni cap.8 ſententia eodem 12. metho. med. Et ſi externa videantur auris inflammatione tentari, non alienum erit, farinam hordeaceam, aut triticeam ſapæ, aut vino dulci adſtrictionis experti incoctam cataplaſmatis modo inducere, Tralliani Trall. loc. cit. auctoritate. Vbi autem dolor inueterauerit, ac in pus inflammatio degenerare incipiat, Pauli medicamento vtitor, quod ex lini ſeminis ſucco conficitur, vnà cum roſaceo, aut chamæmelino; ſolutumque inſtillabis.

Περὶ ἤχυ τῶν ὠτῶν. *De aurium ſonitu.* Cap. XXXIIII.

ALIVD vitij genus aurium eſt, vbi aures intra ſeipſas ſonāt, atque ex hoc quoq; fit, ne externum ſonum accipiant, Celſo auctore, eodem cap. 7. lib. 6. quod vitium Græci ἦχον vocant, Latini (vt Celſus) aurium intra ſeipſas ſonitum: Medicorum *Aurium ſonitus quid ſit.* vulgus, aurium tum ſonitum, tum tinnitum, ſeu ſibilū appellat. Eſt autem ſenſus ſonitus quidam intra ſeipſas aures externum ſonum impediens, ne ab ipſis accipiatur, quemadmodum ex eiuſdem Cornelij *Pars affecta.* verbis percipi poteſt. In qua affectione meatum auditorium, potiſsimùm ſecundùm eius extremitatem, vbi dilatatum neruum attingit, oblæſum eſſe conſtat: *Affectus.* cùm & ipſe ſenſus audiendi, qui iam dicta parte perficitur, affectus ſit. Affectio verò ipſa ſymptoma eſt in genere noxæ functionis ſenſibilis deprauatæ: ſentit enim audiendi facultas, id quod ſentire non deberet, & propterea eius actio de- *Cauſæ* prauata dici debet. Cuius affectionis cauſa neque vna eſſe poterit; nam interim ex flatuoſo ſpiritu generatur, quandoque ob exquiſitam ſenſus audiendi ſubtilitatem, ex ore ventriculi exhalantibus vaporibus ad aures ipſas; quemadmodum in oculis ſimilia ſuffuſionis ſymptomata, Galeno teſte tertio de compoſi- cap. 2. tione medicamentorum ſecundum loc. partium etiam ex humore craſſo obſtructo, interdum ob ipſarum aurium imbecillitatem, quemadmodum in iis, qui ex morbo ſe recolligunt accidere conſueuit. fit præterea & ratione criſis Trall. li. 3. c. 6 (Tralliano teſte) vt in quibuſdam febribus euenit, quemadmodum Galeno Gal. loc. cit. etiam, & Paulo viſum eſt. Propterea non conuenit citra artem, aut cognitio- Pau. li. 3. c. 23. nem, aut curationem auſpicari; quamuis certa cognitio dictarum cauſarum in principio haberi non poſsit, artificialem tamen quandam coniecturam ex *Signa cauſarum.* cauſis forinſecus laceſſentibus (ſi quis ipſarum vires norit) facere licebit, vt ſi ex prægreſſa capitis plaga, aut tali morbo, vel ex cruditate, ſeu largo vini potu, aut violento, & multo vomitu, vel ob pharmacorum auricularium vſum aurium ſonitus fiat: ægri quoque temperaturæ, & habitus dignotio ad inueniendam cauſam conducunt, vniuerſaque præcedens victus ratio: quinetiam ſi vel paulatim congregetur, vel coaceruatim irruat ſonitus, idipſum quoque

adin

ad inuentionem affectionis confert: inſuperq; ſi per interualla repetat, vel continenter hoc ſymptoma perſeueret, vt teſtatur Galenus. Si igitur ſonitus nunc excitentur, nunc ceſſent, & ſpacio interpoſito reuertantur; intelligito ex ſpiritu flatuoſo, cui facilis non patet exitus prouenire: maximè ſi præceſſerint cibi, qui flatus generare poſsint, & multæ cruditates, vt Alexander teſtis eſt. Si verò ob flatum ventoſum, cui tranſitus interclusus ſit, ſonitus fieri ſuſpicatus quiſpiam fuerit, vt inquit Galenus, & ob hanc rem deſiccantibus, & attenuatoriis, ac diſcuſſoriis pharmacis admotis nihil profecerit, ſimulque apophlegmatiſmis vſus ſit, & toto capiti proſpexerit, tunc ſanè ob auditus ſubtilitatem ſonitum fieri coniectandum erit: præſertim ſi acuto audiendi ſenſu æger præditus appareat: & propterea certa cognitio, poſt vſum pharmacorum artificiali coniectura exhibitorum huius præſertim cauſæ tempore cōtingit.

Ex ſpiritu flatuoſo.

Ex auditus ſubtilitate.

Quòd ſi propter humores craſſos, ac viſcidos ſonitus accidat, inde cognoſces, quòd neque repentè oboriatur ſonitus, ſed paulatim increſcat. Inſuper quòd etiam grauitas percipiatur, præceſſerintque cruditates, balneorum intempeſtiuorum vſus, & alia quæ crudos humores generare ſolent. Verùm ob locorum imbecillitatem, ſi ortus fuerit ſonitus, ex his quæ præceſſerunt colligere poteris, vtpote præcedentibus morbis quibuſdam, à quibus conualeſcunt ægri: iis nanque accidere conſueuit. Si verò in febribus ſonitus fiant, aut harum criſibus promptè ex eiſdem cauſis progigni dignoſces. Ex cauſis verò externis ſi excitetur, quæ ſanè ea fuerit, ex ægri, ſeu aſtantium ſermone patebit.

Ex humoribus craſsis, & viſcidis.

Ob locorum imbecillitatē.

In criſibus.

Ex externis cauſis.

Perpetuò autem permanente ſonitu, per eſſentiam aures affectas eſſe indicium erit: velut ſi per interualla repetat, per ſympathiam, hoc eſt, per conſenſum, vt interim quieſcat, deinde excitetur, poſt videlicet repletionem, aut inanitionem, vel motum, aut vehementem calorem, ſeu frigus. Leuiſsimum quidem hoc vitium eſt, vbi ex grauedine fit, peius vbi ex morbis, capitiſve longis doloribus incidit. Peſsimum, vbi magnis morbis venientibus, maximeq́ue comitiali, prouenit, vt auctor eſt Celſus. Hippocrates verò libro primo prædictionum dicebat, in febre ardenti ſonitibus aurium accedentibus cum viſus hebetudine, & grauitate in naribus accedente, melancholico modo mente mouentur.

Prognoſtica.

1. prorrhet. text. 18.

Cuius quoque vitij curandi ratio pro cauſarum diuerſitate variari debet; propterea relicta victus ratione, quæ iterum neque vna duntaxat eſſe poterit, ſed pro cauſarum ratione inſtituenda erit: poteruntq; ſtudioſi ex his, quæ diximus in præcedentibus, haud difficulter ipſam percipere: hic pro efficientium cauſarum varietate docebimus curationem.

Curatio.

Si itaque ex flatuoſo craſſoque ſpiritu, aut humore lento, & craſſo aurium ſonitus ortus fuerit, totius corporis, aut capitis ſaltem, purgatione præmiſſa, præſertim vbi lenti, & craſsi redundarint ſucci, catapotiis arabicis, aut cochiis cum agarico, aut ſimilibus, errhinis quoque, ac apophlegmatiſmis, deſiccantia, ac attenuatoria, & diſcuſſoria pharmaca auribus ipſis admouere oportet, vt oleum amygdalarum amararum, aut oleum, in quo caſtoreum, cuminum, ſeu ruta, anethum, ſeu nardus fuerint incocta, quibus & acetum, & mel admiſcere poteris, ſi vehementiùs attenuare, ac diſcutere velis, quæ omnia affectæ auri inſtillentur: quam etiam inclinare poterunt adeò, vt per arundinem, ſeu aliud inſtrumentum vaporem intus ſuſcipiant ex aqua, in qua priùs fuerint oleo decocta, ſampſuchus, ruta, ſtœchas, abſinthium, hyſſopus, pini folia, & origanum. Saccelli item parari poſſunt ex betonica, ſampſucho, ruta, hyſſopo, chamæmeli flore, pini, lauriq́ue foliis; qui calfacti auribus imponantur. Facit inſuper ad inueteratos aurium ſonitus (Aëtio teſte, Apollonij auctoritate) caſtoreum, & ſpica nardi æquis portionibus cum aceto, & roſaceo, ſi inſtilletur. hoc idem commendant Galenus ex mente Archigenis tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos; & ad Apollonij mentem, porri ſuccum cum lacte muliebri, aut roſaceo infundendum præcipit. Similiter rutam, & cuminum pari menſura trita, & aceto diluta, admiſto melle ſi infundas: aut amygdalarum amararum oleum cum melle mixtum. Cepas quoq;, &

Si ex ſpiritu flatuoſo, & craſſo, lentoq; humore fiat, curatio.

Aet. li. 6. c. 78

cap. 1

allium,

allium,& adipem anſerinum pari menſura trita, & excolata ſi infundas, conducit.

Si ob ſenſus ſubtilitatem fiat, curatio.

Verùm ſi ob ſenſus audiendi ſubtilitatem ſonitus fiat prædictis pharmacis, ex ſtupefacientibus ſenſum quippiam admiſcendum erit; velut eſt mandragoræ, aut papaueris ſuccus, iuxta Galeni ſententiam, aut roſaceum cum pauco aceto, at pauciſsimo opio vtendum; aut oleum, in quo inteſtina terrę cocta ſunt, infundendum erit, vt Aëtius præcipit: verùm magna cum prouidentia, ea quæ ſenſum ſtupefaciunt, adhibenda erunt, minima quantitate, & à leuioribus ſemper inchoando.

Si in febribus ſonitus fiat.

At ſi in febribus ſonitus fiant, minimè interturbandi ſunt: vt plurimum enim ſtatim ſedantur, Galeno auctore, ac Paulo. Sin autem poſt morbum perſeuerauerint, abſinthij decocto foueri aures debent, vt eodem Paulo, atque Alexandro viſum eſt: & acetum, roſaceumque infundi, vel radiculæ ſuccum cum roſaceo, aut veratrum nigrum cum aceto iniicito: vel aloëm optimam cum vino mulſo, Aëtij præcepto.

Ex imbecillitate.

At ſi propter imbecillitatem accidat aurium ſonitus, vt in conualeſcentibus euenit, temperatum aliquod oleum, non nimis calidum, aut frigidum, prout neceſsitas vrgeat, infundendum erit, chamæmelinum videlicet, anethinum, vel roſaceum.

Per conſenſum ſi fiat.

Per conſenſum verò præſertim à ventriculi ore orto aurium ſonitu eidem parti, quæ primò afficitur, proſpiciendum erit. Ex quauis autem cauſa ortus fuerit aurium ſonitus, vbi inueterauerit, confert hoc medicamentum, quod excipit ſeminis porri, & caryophyllorum ana ſcrup. j. moſchu gra. v. cum ſampſuchi, & rutæ decocto (interim pauco vino dulci addito) auribus inſtilletur.

Περὶ δυσηκοΐας, καὶ κωφώσεως. *De difficili, ſeu graui auditu, & ſurditate.*

CAPVT XXXV.

CONTINGIT inſuper, vt quiſpiam difficilius, ſeu grauius, aut omnino nihil audiat. Appellant autem primum vitium Gręci δυσηκοΐαν, ἢ βαρυηκοΐαν, ἢ ὑποκώφωσιν; Latini verò (vt Celſus) auditum grauem, interim difficilem appellant, eos verò qui hac affectione laborant ſubſurdos, aut etiam ſurdaſtros, ſiue grauiter, & difficulter audientes.

Surdaſtri qui. Auditus difficilis quis dicatur.

Tales verò Græci ὑποκώφους. δυσηκόους, καὶ βαρυηκόους, nuncupant, vt teſtis eſt Galenus tertio de compoſitione medicamẽtorum ſecundum locos; vtpote qui exiguas voces penitus non audiunt, magnas autem vix percipiunt.

cap. 1

Surditas quid.

Reliquum ſiquidem vitium à Græcis κώφωσις, à Latinis ſurditas dicitur, vbi auditus in totum offenſus fuerit; adeò vt neque magnas, neque exiguas voces ægri percipiant;

Quæ pars in eis afficiatur.

his quippe affectionibus aures ipſæ perpetuò læduntur, vt ex earum oblæſa functione liquet: quanquam & ipſæ oblædi poſſunt per ſe, vt ſi earum audiendi primum inſtrumentum, aut aliqua alia pars eidem vſum præſtans afficiatur. Per accidens verò ſi earum facultas affecta ſit, neruo videlicet, per quem facultatem ſuſcipiunt, aut cerebro, à quo eiſdem facultas tranſmittitur, potiſsimùm ea parte, vnde neruus oritur, perpetientibus, poterunt nanque ex accidenti aures affectæ dici, ſi earum facultas læſa ſit, ſiue ratione nerui, ſiue cerebri: quoniam eo tempore priuantur eo, quo præſente ſecundum naturam operabantur. Hunc læſionis modum meminit Galenus, cùm primo, tum tertio de locis affectis, quanquam hoc modo affectis auribus nullum vitium nec ſenſu, nec alia ratione ortum in eis manifeſtabitur; verùm illæſo apparente aurium foramine: interim quoque & reliqui ſenſus, qui à cerebro etiam facultatem ſuſcipiunt, perpetiuntur, & in ipſo quoque cerebro aliquis læſionis ſenſus innoteſcit: quo caſu cerebrum affectum erit; aut præter audiendi facultatem nihil oblæſum eſt, & tunc neruum proprium affectum eſſe haud abſurdè concimus, Galeno auctore quarto de locis affectis.

1. de loc. affe. cap. 6.

3. de loc. affe. cap. 1.

Quis affectus præter naturam ſit.

4. de loc. affe. cap. 2

Verùm quoquomodo orta ſit affectio hæc, ſymptoma exiſtit in genere noxæ functionum animalium ſenſibilium, & propriè ſenſus auditus; quæ functio non deprauata, ſed diminuta in primo affectu, in ſecundo verò ablata

eſt. Inſe

Quos morbos ſectentur.

eſt. Inſequitur autem vtraque (vt teſtatur Galenus primo de differētiis ſymptomatum cap. 3.) aut morbum in intemperie, aut in cōpoſitione, aut in ſoluta vnitate. Verùm cùm quidam prædictorum morborum ex propriis eorum indiciis promptè dignoſcantur, ſeorſúmque propriam curationem requirant; nam non auditus duntaxat læſionem, ſed aliam quoque cum ea offenſam præſtare ſolent, veluti eſt vlcus, abſceſſus, quiuis præter naturam tumor, obortus in aure

Cauſæ.

callus, ſeu tuberculum; ea de re his prætermiſsis de ea duntaxat ſurditate, ſeu ſubſurditate loqui inſtituimus, quæ ex redundantibus ſuccis, calidis vel frigidis (media intemperie potiſsimùm) excitari conſueuit. Quamobrem dictarum cauſarum ſigna trademus, quibus rectè iudicari, & inter ſe diſtingui valeant.

Earundem ſigna.

Si ex bilioſis ſuccis ſigna.

Si enim à bilioſis humoribus ſurditas, vel ſubſurditas accidat ſurſum vergentibus; derepentè, potiſsimúmque in febribus infeſtare ſolent, natura, ætas, ac habitus bilioſi quoque erunt; ſimiliſque præceſsit victus ratio, tempus anni, regio, ac aëris conſtitutio.

Si à craßis humoribus, ſigna.

Si autem à craſsis humoribus ad aures decumbentibus oriantur, cùm aurium, tum capitis grauitas aderit, ac reliqua quæ pituroſos humores indicant: ob ſordes interim, quæ crebrò in auribus gigni conſueuerunt, prædictæ affectiones excitantur, quæ quoniam & dignotione, & curatione facilè patent, & tolluntur, propterea neque de his etiam mentionem fecimus.

Prognoſtica.

Paul. libr. 3. cap. 23.

Quæcunque autem ab origine, vel paulò pòſt, ſed longiſsimæ, & abſolutæ ſurditates conſtituuntur, nullo remedio eliduntur, Paulo teſte. Quæ verò non abſolutæ quidem ſed diuturnæ tamen, & ipſæ curationem non recipiunt, aut certè difficillimam, vt idem Paulus teſtatur.

1. Prorrhet. text. 32.

Surditas quoque (vt inquit Hippocrates libro primo prædictionum) in morbis acutis, & turbulentis conſequens mala eſt. Verùm quæ ob bilioſum humorem ad ſuperiora impetum facientem naſcuntur ſurditates, vacuationibus per medicamenta bilem ducentia ex facili abolentur. Quidam etiam ſua ſponte affectu liberantur, bile inferiùs deſcendente, quod quidem Hippocrates aphoriſ. 28. quarti lib. confirmauit, cùm dixit, Quibus bilioſæ deiectiones, ſuperueniente ſurditate ceſſant: & quibus ſurditas ſuperuenientibus bilioſis deiectionibus ceſſat: & eodem libro aphoriſ. 60. ſcriptum reliquit. Quibus in febribus aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, ſoluit morbum. Valde quoque ſuſpectum habere oportet grauem auditum, vt tertio de compoſitione medicamentorū ſecundum locos cap. 1. teſtatur Galenus: quoniam paulatim augeſcens temporis progreſſu perfectam ſurditatem inducit.

Si ex bilioſo fiant humore, curatio.

Hæ affectiones, ſi ob bilioſum humorem ſurſum vergētem ortæ ſint, ex facili aboleri poſſunt: nam quidam ſua ſponte à malo liberantur; bile inferiùs deſcendente, quemadmodum Hippocrates teſtatur; aut ſanguine ex naribus fluente. Quidam verò per medicamenta bilem ducentia eis exhibita, facilem curationem recipiunt, Alexandro, & Paulo teſtibus: quorum materias in præcedentibus ſtudioſi requirant.

Alexan. libr. 3. cap. 9.

Paul. loco citato.

Victu quoque conuenienti contemperandi erunt, eóque bilioſus humor permutandus, cuius iterum ſæpiùs in prædictis mentionem fecimus.

Curatio, ſi ex frigidis, ac craßis ſuccis fiant.

At ex crudis, craſsiſque humoribus prognatas ſurditates vel grauem auditum, vniuerſa victus ratione attenuatoria priùs inſtituta, ſi nihil prohibeat, venæ ſectione curabis; media, aut externa inciſa in cubito, vena potiſsimùm, ſi recens fuerit affectio, aut cum ſanguine permiſti ſint redundantes crudi, craſsique ſucci; diutina autem exiſtente affectione, vel à ſanguine, abſolutis redundantibus prædictis ſuccis, vel ſiquid aliud venam incidere impedierit, omnino purgatione vtendum erit, humoribus priùs tamen cōcoctis, ac præparatis:

Purgatio.

ex qua purgatione nedum totum corpus, ſed caput præcipuè ex iam dictis ſuccis inanatur: eáque non ſemel duntaxat, ſed bis, ac ſæpiùs (ſi opus fuerit) vtendum. hanc autem ex priùs dictis eligere poteris, præſertim cap. de dolore capitis orto ex frigidis, craſsiſque ſuccis. A qua purgatione, medicamentis, quæ per os, & nares pituitam eliciunt (Alexandro, & Paulo auctoribus) vtare: necnon & eis, quæ ſternutamenta cient. Item & balneis ſua ſponte ſcaturientibus; & ho-

rum inopia, marinis aquis corpus abluere confert, prout iidem auctores præcipiunt, omnique modo caput ipſum, præſertim vbi graue, ac repletum fuerit, *Cap. 1.* exſiccare ſaluberrimum erit, ſimulque corroborare, Galeni auctoritate tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, atque ex eiuſdem ſententia in ipſam aurem immittenda ſunt pharmaca, quæ craſſos, & viſcoſos humo- *Topica.* res findant, ac ſecent, attenuéntque, ex quorum numero (præter ea, quæ ad ſonitus tradita ſunt) erit abſinthium cum aqua decoctum, ac per arundinem pro fomento adhibitum, ita vt alteram arundinis partem cauitati auris adaptes, alteram verò foramini operculi ollæ inſeras; quò vapor, qui exhalat, ad audi- *Vide Galen. loco citato, & Aet. lib. 6. cap. 79.* torium meatum allabatur: vtaris autem hoc potiſsimùm (Apollonij auctoritate) ad auditus grauitatem repentinam, & ob dolorem capitis obortam: baccíſque lauri, aut folijs eiuſdem in aqua decoctis ſimiliter vtitor, aut origano: itemque hyſſopo, aqua quoque marina, & aceto vti conuenit, omnis item piſcis fel, perdicis, aut capræ infuſum prodeſt, aut erinacei terreſtris cum oleo: fel inſuper tauri cum anguis ſenecta aceto exceptum, & aurium meatui indi- *Loco citato.* tum, grauem auditum ſoluit, Aëtio teſte: aut rutæ ſuccus cum melle, ſeu caſtoreum cum oleo anethino, vt Paulo viſum eſt. Fomentis quoque vtendum, quæ per ſpongias fiunt ex aliquo prædictorum decocto: & caſtoreum cum baccis lauri, & aceto permiſtum in aurem inſtilla. Nam mirificè conducit cùm hoc, tum reliqua connumerata medicamenta, etſi valentiſsima ſint; ſuſtinet enim (vt inquit Galenus ſexto metho. med. in fine) auditorius meatus valentiſsima medicamenta: quamuis non ſolùm vſque ad cerebri duram membranam pertineat, ſed etiam neruum contingit, qui in ipſum à cerebro deſcendit, vt diximus. Plinius Secundus libro primo de re med. cap. 12. inquit, quòd ſuccus hederæ mundiſsimus cum vino inſtillatus plurimum facit: item allium, & cepulas cum adipe anſeris, ſi colas, & infundas: oua quoque formicarum (vt idem refert) contrita ſurditatem aurium, quàm vetuſtiſsima ſit, ſanabunt: caprillum item fel inſtillatur grauiter audientibus, & prodeſt; ac bubulum lac cum felle caprino mixtum, & infuſum auriculis grauiter audientibus reſtituit auditum, eodem *In principio libri.* auctore. Libro autem de medicamentis, quæ ad manum ſunt Gale. aſcripto legitur, quòd leporis fel recens cum pari mellis portione mixtum, & in cepæ corio tepefactum in aurem immiſſum ei, qui nihil audiat, auditum reſtituit.

Περὶ παρωτίδων *De parotidibus.* CAPVT XXXVI.

POST aurium affectus, deinceps opportunè viſum eſt de eo affectu agere, qui in adenibus iuxta aures adiacentibus oriri conſueuit: nominant autẽ hunc Græci παρωτίδας, à Latinis quoq; parotis nuncupatur. Sunt autem parotides ex inflãmationum genere, *Parotides quid ſint.* quæ glandulis circa aures affectis fiunt, Galeno teſte, tertio de *Cap. 2.* compoſitione medicamentorũ ſecundum locos. Ex quarũ deſcriptione liquet, quæ partes in eis afficiantur, quia adenes iuxta aures; quod abſque alio indicio, *Pars affecta.* ſola inſpectione patebit. Affectus verò (cùm è genere inflammationum ſit) erit *Affectus.* morbus in quantitate, propriè in exceſſu primò, ſicut reliquæ inflammationes, ſecundariò verò in intemperie, & ſoluta continuitate: id quod dignoſce- *Cauſæ.* re ad ſenſum licebit, abſque alia ſignorum inueſtigatione. Harum autem cauſa non vna duntaxat eſſe poterit: nam quandoque ex redundante ſanguine, eóque non immodicè craſſo gignuntur: id quod dignoſces ex tumoribus ma- *Earundem ſigna.* gnis, rubriſque exiſtentibus, ex doloribus continuis vehementibus, atque grauantibus, & temperamento, ætate, & habitu, ſanguineis exiſtentibus, præcedentéque victus ratione multum ſanguinem gignere potente, & reliquis huiuſmodi. Fiunt inſuper ex billioſo ſanguine, ac tenuiori; quod cognoſcere licebit, eo quòd tumor ſit rubicundior citra grauitatem, igneus, eryſipelati perſimilis: ægerque videbitur tanquam ardere, & tangentes manifeſtam caliditatem

tem percipiunt,vt Alexander teſtis eſt. Quæ præceſſerunt,ac comitantur pariter *Lib.3. cap.10*
bilem redundantem arguent, vt habitus, ætas, temperamentum, ratio victus,
ac reliqua. Verùm ſi à melancholico ſanguine prouenerint, neque ruborem
habebunt, neque dolorem adeò ipſæ inferunt, ſed tumorem quendam ſcir-
rhoſum, quemadmodum ſi ex pituitoſo ſanguine fiant, laxum tumorem, qui
œdema dicitur, repræſentabunt, nihil habens dolorificum, aut renitens: nec
minus & quæ præceſſerunt melancholicum ſanguinem, aut pituitoſum apta
fuerunt procreare. Conſueuerunt autem indifferenter cunctæ oriri, Galeno, *Gale.loco cit.*
& Paulo teſtibus, interim ex humoribus in capite impactis, atque ab eo ad iam *Paul.lib.3.*
dictas partes tranſmiſsis, interdum autem citra capitis affectionem in febri- *cap.23*
bus, natura ſuperfluos humores ex vaſis effundens ad regionem inter cutem,
& ſubiecta corpora deponit iudicatoriè; quo tempore & glandulæ ex effuſis
humoribus participant, prædictoque affectu laborant. At Celſo auctore libro
ſexto cap. 16. parotides oriri ſolent modò in ſecunda valetudine, ibi inflam-
matione orta, modò poſt longas febres, illuc impetu morbi conuerſo. Ac-
curatè igitur inſpici debet tum qualitas, tum quantitas materiæ influentis, &
parotidas excitantis, vt inquit Alexander: nam quædam ipſarum ratione criſis *Prognoſtica.*
concoctione apparente fiunt, quæ neque prauæ, ſed curatu faciles exiſtunt:
multoſque magnis periculis liberarunt; aliæ verò ex copia cruda contingunt,
quæ naturam grauant, ſimul, & nonnihil irritant: quare etiam procedente
tempore periclitantur,& Medicis multa tentantibus, vix ad ſuppurationem,
aut concoctionem perueniunt. Victu itaque congruo maximè, & ſubiecto *Curatio.*
affectui, cauſæque eius effectrici accommodato imprimis conſtituto, ſi ſanguis
redundare videatur, per venæ ſectionem ipſum euacuabis: præſertim ſi vires *Venæ ſectio.*
permittant, antequàm vllam curationem parti adhibeas, Galeni, Pauli, ac
Alexandri decreto: qui enim (vt inquit Alexander) nulla vacuatione præmiſſa,
ſtatim ad inducenda cataplaſmata tranſierunt, aut aliud, quod diſcutere, aut
extrahere parotidas poteſt, hi manifeſtò auctores extiterunt, cur ægri ſtran-
gularentur. Incidenda tamen erit eiuſdem lateris humeralis vena. A ſangui-
nis autem miſsione ad topica deueniendum eſt medicamenta: quæ minimè *Topica.*
repulſoria (veluti in reliquis inflammationibus vti conuenit) eſſe debent, præ-
ſertim cùm neque malignum ſit, neque multum quod influit, neque corpus
humoribus ex æquo plenum ſit; tunc nanque prima pars curatione partium in-
flammatarum à reprimentibus, ac repellentibus exordienda erit. Verùm in
parotidibus, ſiue paucum ſit quod influit, ſiue multum, benignum, aut mali-
gnum, aut corpus ex æquo plenum, aut non plenum, Galeni decreto tertio de *cap. 2*
Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, etiam præcedente totius
corporis euacuatione nunquam eis vtendum erit: & ſi Celſus eodem libro ſex-
to cap. 16. interdum ea admittat, cùm videlicet ſine morbo intumuerit; tutius
tamen erit, ſi ab eis abſtineas ſemper, ſed maturari, & quamprimùm aperiri
commodius eſt, vt ipſe inquit, præſertim ſi ex aduerſa valetudine fiant: quan-
quam conſiderandum ſit (vt ipſemet teſtatur Galenus) num vehementi impe-
tu fluxus illabatur, vel non: nam primo caſu nihil nos curioſiùs agentes, iuxta
Hippocratis ſententiam aphoriſ. 20. primi libri, omnia naturæ permittimus.
Si enim ſiue cucurbitam, ſiue aliud pharmacum humores ex alto ad cutem
attrahens admouerimus, vehemens dolor hominem apprehendit: vnde & vi-
giliæ fiunt, & febres ſuccedunt, ac vires exoluuntur, Galeno teſte,præcitato
loco. Mitigare igitur, & non humorum influxui opitulari tunc potius conue-
nit per cataplaſmatum maximè lenientium vſum: veluti eſt, quod ex frumen-
ti, aut hordei, aut ſeminis lini farina, cum aqua mulſa, aut fœnigræci, ſeu al-
thææ, ſeu chamæmeli decocto conficitur. Item quod ex lapatho, ex axungia
inſulſa conſtat, vt inquit Paulus, & quæcunque alia, quæ ad hæc commodera-
te humectam habent caliditatem; per quam mitigare dolores valent,ac influen-
tes humores concoquere, ac ſuppurare poſſunt, in eundem vſum corporibus

præſertim mollibus, eunuchorum, puerorum, mulierum, & eorum, qui tene-
ram habent carnem, eiuſdem Galeni auctoritate, butyro locum illinemus: &
ſi vehemens fuerit dolor, butyrum, & adipem ſuillum ſimul liquefaciemus, &
modica oeta adiecta, vt mollius ceratum fiat (vt inquit Aëtius) imponemus. At
Lib.6. c.89 ſi non vehementi impetu influxus irruat, humoreque adhuc alte delitéſcen-
te, parotis in tumorem non attollatur, iuuari natura debet, vt affligens humor
ex profundo ad cutem attrahatur, pharmaca attractoria, aut fomenta aſsidua
adhibendo: atque ſi hæc nihil memorabile efficiant, etiam cucurbitam affi-
gentes, vt inquit Galenus. Nam ſi in altum recurrat colluuies, periculum haud
mediocre ſubſecuturum eſt, vt Paulus teſtatur: optimum vtique hic videbitur
naturam adiuuare. Quòd ſi moderatæ fuerint parotides, ac mitiores, vtpote
quòd neque multa copia influat, neque dolor vehemens adſit, neque caliditas
cum humore, ſanare eas poterimus facile (vt inquit Galenus, & Paulus) foti-
bus ex muria vtentes, & cataplaſmata magis calefacientia, & diſcutientia ad-
hibentes, cùm neque ipſæ ad ſuppurationem feſtinant, neq; vehementem do-
lorem inducunt, veluti eſſet ceratum ex butyro, & œſypo paratum, quod oſtrea
vſta, aut buccinas, aut purpuras aſſumeret, vt inquit Aëtius: vel ex eiſdem oſtreis
vſtis, anſerinoque adipe, veteri, inſulſo, & butyro, ac cera compoſitum: quod
quidem efficaciſsimum eſt, vt ipſe inquit: quamuis hæc eadem medicamenta
cap.2 ante Aëtium Galenus conſcripſerit tertio de compoſitione medicamentorum
ſecundum locos: niſi quòd pro adipe anſerino ſuillum appoſuit veterem, in-
ſulſum. Verùm ſi non ita mitiores fuerint parotides, attractoriis pharmacis (vt
diximus) ac diſcuſſoriis vtendum erit, fomenta aſsidua adhibendo ex florum
chamæmeli, fœnigræci, ſeminis lini, & ſertulæ campanæ decocto. Quòd ſi ex
craſsiori humore, ac frigidiori excitentur, in aqua, & vino decoctum parari
debet ex prædictis, adiicique poterit hyſſopus, ſerpillum, ſampſuchus, pulegium,
& reliqua, quæ euidentiorem vim diſcutiendi habent. Poſt fotus ex oleo amy-
gdalino, chamæmelino, aut anethino locum illinemus: aut cataplaſma ex hor-
deacea farina, & ſemine lini, in iure fœnigræci, chamæmeli, aut althææ deco-
ctis adhibebimus. Frigidioribus autem, & craſsioribus, exiſtentibus ſuccis, oleo
irino, aut liliorum alborum, ſampſuchino, aut rutaceo vtar, aut cataplaſmate
ex erui, ſeminis lini, & fœnigræci farina cum ficuum ſiccarum, & chamæmeli
iure decoctis, addita mulſa, & cum his cucurbitæ quoque affigendæ ſunt, præ-
ſertim ſi nihil memorabile efficiant: bene item diſcutit parotidas iris illyrica
contuſa, cocta ex paſſo more farinæ hordeaceæ, calida bis, térve impoſita, vt
inquit Scribonius Largus. Eiuſdem iridis illiricæ puluerem cum hordei fari-
cap.44 na in mellicrato decoctum commendat Theodorus Priſcianus capite octauo
libro primo ad Timotheum. Quòd ſi ex his tumor non diſcutiatur, ſed etiam
dolor perſeueret, neceſſe eſt tandem, vt ad ea quæ ſuppurationem excitare, &
materiam poſſunt concoquere digrediamur: velut eſt frumenti farina cum
caricarum decocto, & oleo, item quod ex polline, & quod ex fermento con-
ſtat pharmacum, Galeni auctoritate: lapathum quoque, & axungia porcina,
ſi in hydrelæo coquantur, idem præſtant, ex Alexandri ſententia. Poſtquàm
vero in pus parotides tranſierint, materia mutata, id quod tibi innoteſcit ex
rigore præter rationem, & febre, quæ priùs non erant, ac maiori dolore præ-
cedentibus, tempore quo pus conficiebatur, ac demum deliteſcentibus, tunc aut
per ſectionem pus elicere oportet, aut ſanè per acre medicamentum abſceſ-
ſum rumpere, aut tentare, vt ipſum per medicamenta attractoria, & tenuium
cap.2 partium vim habentia diſcutiamus, Galeno teſte eodem tertio de compoſitio-
ne medicamentorum ſecundum locos. Verùm ſi ipſæ parotides inueteratæ
fuerint, citra omnem moleſtiam diſcuties, & emollies, ſi buccinas vſtas, &
oſtrea, omnia adipi veteri porcino liquato admiſceas, ac ſupra affectum locum
adhibeas, Aëtio teſte: hoc idem efficiet, ſi prædictorum cinerem cum melle ad-
miſceas, aut ſi ficus marinas aqua incoctas, vel marrubium cum ſale imponas,
ex Pauli

ex Pauli ſententia, ſeu meliùs Archigenis: quoniam eius eſſe hæc medicamenta fatetur Galenus tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. *Loco citato.*

Περὶ βλάβης ὀσφρήσεως, καὶ ῥινῶν παθῶν. *De læſione olfactus, & narium vitijs.*

Caput XXXVII.

CVM in ordine inſtrumentorum ſenſus, tertium locum ad dignoſcendam tenuem ſubſtantiam odoratus teneat, Galeno teſte, cùm libro de inſtrumento odoratus, *De instrumento odoratus ca.3.* tum quarto de locis affectis, *4. de loc. aff. cap.2.* & propterea in quatuor aliis ſenſorus, tanquam medium conſtituitur, ea de re abſolutis aurium affectibus, ad eos qui olfaciendi facultati, ac naribus contingunt, tranſeundum eſſe cenſui; priùs tamen de ea odoratus læſione, quæ non in meatibus naſi eſt, pertractare decreui: quæ qualiſcunque fuerit, ſiue difficilis, diminutè videlicet, ſeu ablatè oblæſa functio, ſiue deprauata, noxa non eorum meatuum, qui naribus conſpiciuntur, *Pars affecta.* erit, ſed vel anteriorum cerebri ventriculorum, aut eorum meatuum, qui ἠθμοειδεῖς Græcè, Latinè coliformes appellantur, ex Galeni ſententia tertio de locis affectis, in fine: quem ſectati ſunt Paulus, & Aëtius. *Paul. libr. 3. cap.24. Aetius lib. 6. cap.96.* Nanque (vt idem Galenus teſtatur) odoratorum ſenſus in prioribus cerebri finibus perficitur, elatis ad ipſos per iam dicta coli foramina vaporibus, cùm natura in fabricandis cuiuſque ſenſus inſtrumentis, ſimilitudinem ſenſibilium ſecuta ſit: & propterea vaporis quodammodo ſimile proprium odoratus inſtrumentum eſſe oportebat, *Odoratorum ſenſus, quo loco fiat.* vt libro de inſtrumento odoratus liquet. *Cap.5.* In ipſis itaque cerebri anterioribus ventriculis, qui etiam vaporoſum quendam ſpiritum continent, vt patet octauo de vſu partium, *Cap.6.* odoratorum ſenſus perficitur, non ab re iuxta Galeni ſententiam. Quapropter olfaciendi facultate oblæſa, ad priores cerebri ventriculos referatur affectio, *Quibus indicijs dignoſcatur, quæ pars fuerit affecta.* ſi ſimul cum ea vox non oblæſa ſit, ſed incolumis ſeruabitur: verùm ſi vox quoque mali contagium ſenſerit, laborioſior quodammodo reddita, colatoriis oſsibus oblæſis affectio tribuenda erit, quemadmodũ Paulus teſtatur. At ſi cerebri priores ventriculi affecti ſint, eorum affectio, aut ex intemperie ſola, aut etiam ex humorum copia oriri poteſt. Si vero colatorij meatus affecti ſint, *Quis præter naturam affectus ſit.* obſtructio duntaxat eorum, & non intemperies ſola in cauſa eſſe poterit; & proinde licet odoratus oblæſio perpetuò ſymptoma ſit in genere noxæ functionis ſenſibilis propriè olfaciendi, ſiue ea functio diminuta ſit, ablata, ſeu deprauata, non ad vnum tamen genus morborum ſequitur: ſed ſi colatorij meatus affecti ſint, vtpotè obſtructi (vt diximus) morbum in compoſitione, & propriè in via comitabitur, *Quos morbos ſectetur.* ipſis autem incolumibus exiſtentibus, anterioribus verò cerebri finibus affectus in intemperie morbum ſectabitur. Quibus autem indiciis olfaciendi læſio dignoſcatur, nequaquam ſcribere oportet: cùm ex ipſius ægri relatione promptè modus læſionis eius percipi poſsit. At habita notitia, quod olfaciendi facultas ex affectione anteriorum cerebri ventriculorum oblæſa ſit, cùm ipſi intemperatura quadam affecti ſint, mox qualis ſit ea ventriculorum cerebri, ac ipſius etiam cerebri intemperies inueſtigandum erit: *Cauſarum cognitio.* quæ non alia via tibi innoteſcet, quàm ex his notis, quas conſcripſimus, cùm de dolore capitis pertractauimus: ſiue ea intemperies ſit ſola, ſiue cum alicuius ſucci redundantia, propterea non eſt cur iterum de eis hîc mentionem faciamus. Verùm ſi odoratus offenſio obturatos colatorios meatus ſectetur, ex detentis præter conſuetudinem narium excrementis, muco, ac deſtillatione vt plurimùm prægreſsis, cum his quæ diximus percipi poterit: quanquam etiam ex malis quibuſdam redundantibus ſuccis prædicti meatus obſtrui poſſunt, ventriculique oppleri, ac aliena intemperie affici: qui ex propriis eorum indiciis haud difficulter comprehenduntur, potiſsimùm vbi deprauata functio fuerit. Non itaque deſpicienda hæc affectio erit, præſertim vbi anteriores cerebri ventriculi, nedum intemperie affecti, ſed humore oppleti ſint: quoniam *Prognoſtica.*

præter id quod ſpiritus animalis, qui in ventriculis continetur, ac cerebrum ipſum intemperie quadam afficiatur, hæſitandum erit de futuro caro, morbo comitiali, aut apoplexia, humoribus ipſis diu detentis, ac adeò auctis, vt pleni ventriculi ſint, non anteriores modo, ſed medius ſaltem, aut etiam poſtremus cum eis, quemadmodum euenire ſolet, ſi ipſis plenis exiſtentibus tota nocte ſu-

Cap.6. pini cubemus, Galeno teſte, libro de inſtrumento odoratus. Inſuper ſi odorandi functio deprauata ſit, magna ex parte periculoſa exiſtit, præſertim ſi in acutis morbis accidat, & odor quiſpiam putridus, ac fœtidus ſentiatur. Verùm ſi ex ſola cerebri intemperie olfaciendi facultas oblæſa ſit, contrariis duntaxat remediis curabitur, calidis, ſi frigida fuerit intemperies: & frigidis, ſi calida:

Curatio. humidis, ſi ſicca: & ſiccis, ſi humida fuerit: quemadmodum in cura doloris capitis oſtendimus. Ex humorum autem copia, ſiue cerebri ventriculos opplente, ſiue colatorios meatus obſtruente, ſi odorandi functio oblæſa ſit; ea prius, aut ſanguinis miſsione, aut purgatione vacuanda erit (vt inquit Paulus) prout ipſa humorum copia exigit: & deinde ad topica medicamenta deuenire. Sed quoniam magna ex parte, qui ventriculos opplent, ac colatorios meatus obſtruunt redundantes ſucci frigidi, ac craſsi ſunt, ea de re, ſi ita contingat, odoratum oblædi, vniuerſa victus ratio, quæ attenuatoriæ ſit facultatis inſtituenda

Victus ratio. erit. Proinde domus in qua degunt taliter affecti, moderatè calida ſit oportet, pro temporis anni ratione: in ſiccioribus locis diuerſentur: gymnaſiiſque pro viribus vtantur, ac moderato ſomno nocturno: nam diurnus, & diuturnus incommodus eis exiſtit: dum autem dormiunt ceruicalia ſublimia habeant, & in latus reclinentur, non tamen ſecundum affectam partem, præſertim ſi contingat vnum ex colatoriis meatibus eſſe obturatum, vt inquit Aëtius, Archigenis auctoritate; ex interuallis quoque acrium rerum eſus adhibeatur. Hac

Medicamentorum ratio. victus ratione inſtituta, ac totius corporis purgatione præmiſſa, non ſemel duntaxat, ſed bis, & ſæpiùs, ſi opus fuerit, præſertim ſi purgans medicamentum valentiſsimum non ſit, commodus erit vſus eorum pharmacorum, quæ pituitam per os ducunt, quorum formulas ſuprà requiras: aut ex ſtaphide ſylueſtri, maſtiche, & vua paſſa componas: nec minùs & caput ipſum per ea quæ naribus infunduntur, purgari debet, priùs eis vtendo, quæ in præcedentibus conſcripſimus: demum efficacioribus, ceu eſt elaterium cum lacte, aut cyclamini ſuccus. Ipſum quoque cyclaminum ſiccum tritum (vt inquit Aëtius) inſuffla; aut nigellam tuſam ac cribratam, & oleo vetuſtiſsimo addito probè tritam per nares infunde: & pharmacum per inſpirationem vehementiùs attrahere iube: aquam autem ægro in ore continendam exhibe; quo medicamento vſus fuit Galenus in quodam adoleſcente, qui à diuturna tum grauedine, tum deſtillatione odorandi ſenſum læſum habebat, vt patet libro de inſtrumento odoratus. Hic vbi per triduum hoc auxilio vſus fuiſſet, magnopere ab eo adiutus fuit: quarto autem die cùm eodem medicamento ſic vſus eſſet, vt ſpiritum violentiùs, quàm antea attraheret, grauem in intimo capite morſum percepit; qui tamen, vt ſenſim leniretur, poſtera die penitus conualuit: vtiliter etiam nigella aſſumitur

Cap.4. cum aceto, vt refert Aëtius. Sternuatoriiq; item vtendum, primùm ſimpliciori, deinde efficaciori, quale eſt veratrum album leuiſsimè tritum; odoramenta quoque aſsiduè adhibeantur, veluti eſt narciſſus, ſyſimbrium, aut ſerpillum odoratum, mentha, polium, & thymbra: quanquam omnium vtiliſsimum ſit caſtoreum aceto dilutum: quin & potum caſtoreum tritum cum aquæ mulſæ cyathis tribus, præ multis auxiliis proderit, eodem Aëtio teſte: verùm efficacius redditur, aceti ſcillitici cyatho dimidio addito. Vtiliſsimum quoque ipſis exiſtit acetum ſcillinum quotidie à ieiunis trium cochleariorum acceptum. Cæterùm ſi pertinacior fuerit affectio, adeò vt adhuc auxilio aliquo opus habeat, radendum eſt caput, & ſinapiſmus adhibendus vſque ad frontem: & ſi opus fuerit, nedum fronti, ſed faciei, ac naſo adhibere oportet, & poſtea lauare: quin & theriacæ ſæpè aſſumptio magno erit præſidio, Paulo auctore.

Περὶ ὀζαινῶν. *De ozænis.* *Cap.* XXXVIII.

EX genere verò vlcerum ſunt ea narium vitia, quæ Græci ὀζαί-
νας, Latini quoque non alio modo quam ozænas appellant, ex
fœdo odore quem habent, ſic dictæ. Sunt nanque ozænæ vlcera *Ozænæ quid ſint.*
circa nares, pluresque cruſtas, & odorem fœdum habentia, Cel-
ſo auctore cap. 8. libro ſexto, aut vlcera curatu difficilia, putre-
dinoſa, grauiterque olentia, vt ex Aëtio, & Alexandro colligi poteſt. In quibus
quòd nares afficiantur, nullo alio indicio opus eſt, cùm ex inſpectione patere
poterit, ac ægri narratione; ſimiliter quod morbus ſint in ſoluta continuitate:
nam in vlcerum genere continentur, vt diximus: id quod etiam viſu facilè de-
prehendi poterit. Earum autem cauſa humores acres, ac putridi ſunt, ex ipſo- *Aët. li. 6. c. 90*
rumque influxu generantur, vt Galenus teſtis eſt 3. de compoſitione medica- *Alex. lib. 3.*
mentorum ſecund. loc. Nam ſi acres ſolùm fuerint humores, ægrè curabilia *cap. 11.*
vlcera producere conſueuerunt, non tamen graueolentia, eodem Galeno au- *Pars affecta.*
ctore præcitato loco. Relinquitur ergo, vt ozænæ ex acrium, & putredinoſorum *Affectus.*
humorum influxu procreentur: & propterea differre ab his vlceribus, quæ ex *Cauſæ.*
acrium duntaxat humorum influxu fiunt, non tamen graueolentia ſunt. De *cap. 3.*
hoc malo ſciri quidem debet (vt inquit Celſus) quòd vix ei ſuccurri poſsit, ni- *Prognoſtica.*
hilominus tamen quædam tentanda ſunt; quanquam curatu ſit difficile. Cibo *Curatio.*
itaque modico, qui neque acer, neque valentiſsimus ſit, eſt vtendum, pariter *Victus ratio.*
& potu: & ſi ſuſpicio adſit copiæ humorum in toto corpore redundantium, ea
priùs aut ſanguinis miſsione, aut purgatione auferenda erit, Paulo teſte. De- *Pau li. 3. c. 24*
mum quoniam ex capite in nares acrium, ac vitiatorum humorum defluxus *Medicamen-*
prouenit, quamprimum caput ſiccetur, ac roboretur oportet, Galeno auctore *torum ratio.*
eodem tertio de compoſitio. medic. ſecund. locos, eoque ſiccato, ac roborato *cap. 3.*
ad naris purgationem progrediendum erit, ſcopo hoc in ozænis propoſito, vt
affecta pars permiſtæ facultatis pharmaca, tum repellentia, tum diſcutientia
reſiccetur: repellunt autem tum auſtera, tum acerba, quæ communem adſtrin-
gentium appellationem habent; diſcutiunt verò calida, & ſicca facultate præ-
dita. Qua de re caput ad cutem tondeatur, aſsiduéque vehementer perfricetur: *Topica capi-*
demum quæ ſiccandi, ac firmandi facultate prædita ſint ſyncipiti, ac toto ca- *ti adhibenda.*
piti præraſo (vt dictum eſt) imponantur, veluti eſt oleum myrtinum, roſaceum,
puluis corallorum, ac ſantalorum, roſarum rubearum ſiccarum, maſtiches, &
mannæ thuris, acetum, & alia huiuſmodi: quorum ſyluam ſtudioſi petant cap.
de dolore capitis. Ex Aëtij autem, & Alexandri ſententia tale medicamentum
imponi debet: excipit verò myrrhæ, thuris, ſingulorum vnc. j. cochleas integras
quinque, quibus ceram, & albumina ouorum duorum addito, commiſcetoq;,
ac medicamentum capiti cum linteo diebus 9. continuis inducito. Poſtquam
itaque per prædicta caput corroboraueris, ad naſi curationem accedes, præ-
poſitum iam ſcopum habens: in narem itaq; ipſam mel cum exiguo modo re-
ſinæ terebinthinæ coniiciatur, ex Celſi ſententia; quod ſpecillo quoque lana *Topica naſo*
inuoluto fit, attrahaturque ſpiritu is ſuccus, donec in ore guſtus eius ſentiatur: *applicanda.*
ſub his enim cruſtæ reſoluuntur, quæ tamen per ſternutamenta elidi debent.
At putris vlceribus (eodem Cornelio auctore) vapor aquæ calidæ ſubiiciendus
eſt; deinde adhibendum aut lycium ex vino dilutum, aut menthæ, ſeu marru-
bij ſuccus, ſeu omphacium, ſic vt horum cuilibet mel adiiciatur: inuoluen-
dumque lana ſpecillum eſt, & in eo medicamento intingendum, eoque vlcera
implenda ſunt; rurſuſque linamentum inuolutum, & oblongum eodem medi-
camento illinendum, dimittendumque in narem eſt, & ab inferiore parte leni-
ter deligandum, idque per hyemem, & ver, bis die, per æſtatem, & autumnum,
ter die fieri debet. Verùm Galenus (Archigenis auctoritate) calaminthæ ſuc-
cum naribus infundendum in ozænis præcipit: aut ipſammet aridam calamin-
tham per fiſtulam inſufflandam iubet, & ad naris vlcera ex malorum punico-
rum ſucco in æneo vaſe ad medietatem cocto paratum medicamentum perline;

aut malum punicum dulce, integrum, in vino coctum tertio, & forinſecus impoſito: poteritque ex ceruſa, & argenti ſpuma ſimul contritis, eiſque dum teruntur, vinum, & oleum myrteum adiiciendo, donec mellis craſsitudinem fecerit, medicamentum parari, eoque vlcus illiniri, eiuſdem Cornelij auctoritate. Interim ſi vetus fuerit vlcus præſertim, myrrham, plumbum vſtum, ac alumen prædicto vnguento permiſcere poteris, ſutorium atramentum vſtum; vel ſal ammoniacum, ſimulq; cum his mel, & acetum, ex quibus conſtat cum ozænarum, tum etiam aliorum narium vlcerum curatio. Vnum autem Aëtij medicamentum ex mente Oribaſij prætermittere nolui, excipit autem ſpumæ argenti, & ceruſæ drac. vj. plũbi vſti, & loti drac. iiij. myrrhæ, aloës, ſingulorũ drac. ij. gallarum drac. j. vino, & myrteo oleo dilutis vtere ad narium vlcera; facit etiam & ad ſedis vitia, vlcera ſcilicet, ſeu timas, eodem auctore.

Lib. 6. c. 93. *Optimũ medicamentum.*

Περὶ πολύποδος. *De polypo.* *Cap.* XXXIX.

VELVT ex vlcerum genere ozænæ, ſic quoque ex genere tumorum præter naturam affectus quidam in naribus generãtur, qui à Græcis πολύποδες, à Latinis veluti à Celſo, polypi quoque nuncupantur. Sumpſit autem hic affectus nomen à ſimilitudine ad aliquid extra poſitum, velut elephantiaſis, & cancer, ab elephante, & cancro, cùm quibus ſimilitudinem habent, vt teſtatur Galenus 2. metho. meden. propterea ab eodem Galeno 3. de compo. med. ſecund. loc. aſſeritur polypum tumorem eſſe, qui præter naturam in naribus generatur, polypodis carni aſsimilis, iuxta ſubſtantiæ proprietatem: quem etiam ſectati ſunt Paulus, & Aëtius: nam polypi marini carni proprietate eſſentiæ, & colore, & compage ſimilis exiſtit, eodem Aëtio teſte. Celſus verò cap. 8. libro ſexto, dixit, quòd polypus eſt caruncula, modò alba, modò ſubrubra, quæ narium oſsi inhæret, & modo ad labra pendens narem implet, modò retro per id foramen, quo ſpiritus à naribus ad fauces deſcendit, adeò increſcit, vti poſt vuam conſpici poſsit, ſtrangulatque hominem, maximè auſtro, aut euro flante, fereque mollis eſt, rarò dura, diſtatque polypus, iuxta eiuſdem Celſi ſententiam, à reliquis carunculis, quæ naribus naſcuntur: quoniam illæ ſimiles ſunt muliebribus mammis, ac in imis partibus narium, quæ carnoſiſsimæ ſunt inhærent, etſi eiuſdem naturæ ſint polypi, & carunculæ, quas Græci σαρκώματα appellant, Paulo auctore. Nares ergo in eiuſmodi affectionibus affectæ ſunt, vt ex iam dictis, ac oculorum inſpectione patere poteſt, ac affectus, ſeu morbus in quantitate exiſtunt, cùm è genere tumorum præter naturam ſint, Galeni, Pauli, Aëtij, & Alexandri auctoritate: ex quorum eſſentiæ proprietate manifeſtum eſt (vt inquit Galenus, & Aëtius, poſt eum) eos ex craſsis, & viſcoſis humoribus generari; quare non eſt, cur laboremus notas hîc conſcribere, quibus morbum hunc dignoſcamus, cùm ad ſenſum pateat, nec eas, quibus eiuſdem morbi cauſa dignoſci poſsit: quoniam manifeſtum eſt (inquit Galenus tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos) affectionem hanc ex craſsis, & viſcoſis humoribus generari: & proinde non ab re Celſus aſſerit morbum hunc ferè quidem ferro curari, quamuis interdum medicamentis quibuſdam inareſcat. Verùm ſi cancroſus ferè polypus fuerit: attingi non debet, vt idem teſtatur: quamuis magis ſpiritum impediat, & nares dilatet, raroq; talis polypus fiat, cùm ſæpiùs mollis ſit. Cæterùm liquet, in huiuſmodi affectibus conſiderata cuiuſque corporis natura, ſanguinem (ſi nihil impediat) mittendum eſſe: necnon medicamentum purgans offerendum (Alexandro teſte) debita priùs victus ratione inſtituta: deinde caput radi; ſiccarique, ac roborari medicamentis appoſitis debet. Nam hæc communis cura ambobus his eſt, polypo videlicet, & narium vlceribus, ſeu ozænis, auctore Galeno tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos; pituitam quoque per os educi conue

Lib. 6. cap. 8. *Quid ſit polypus.* *2. meth. ca. 2.* *3. de compoſi. medica. ſecun. loc. cap. 3.* *Pau. li. 3. c. 24* *Aët. li. 7. c. 90* *Pars affecta.* *Affectus præter naturam.* *Cauſæ.* *cap. 13.* *Prognoſtica.* *Curatio.* *cap. 3.*

couuenit, apophlegmatiſmis videlicet,in præcedentibus conſcriptis, nanque ex craſsis, & viſcoſis humoribus dictum eſt polypum generari. Qua etiam ratione fit, vt eis etiam topicis medicamentis, qui curari poſſunt polypi indigeant, quæ miſtam facultatem habeant, vt videlicet partim adſtringant, partim ſecent, & attenuent,partim etiam diſcutiant,& exſiccent, eodem Galeno auctore præcitato loco. Verùm nequaquam ea adhibenda erunt, ni priùs caput reficcetur, ac corroboretur, ſi opus fuerit. Ante omnia venam ſecare, ac purgare oportet,vt diximus:quæ caput roborant, atque exſiccant præcedenti capite requiras,eiſque vtare,poſt quæ eunuchis maximè, aut corporibus mollibus, & humidis,vtpote quæ nullius pharmaci ferre poſsint adhibitionem, ſed ab omnibus irritantur,roſis aridis contuſis, ac probè tritis, atque inditis vtitor: magnopere enim citra omnem mordacitatem iuuamentum præſtant: quoniam aut nihil nocent, aut omnino citra moleſtiam opus ſuum perficiunt, vt teſtatur Galenus.Ipſe quoque tanquam probatiſsimum reperiſſe aſſerit, nedum polypis, ſed etiam ozænis,quod ex malis punicis conſtat pharmacum:ſint autem pari numero, ac magnitudine ex tribus eorum differentiis,auſteris ſcilicet dulcibus, & acidis accepta, eaque recentia, & matura contundenda ſunt,atque integra diligenter conſtringenda, quo ſuccus ex eis exprimi poſsit, quem vbi modicè decoxeris, ſi liquidior quàm oportet, videatur, ſtanneo vaſe depoſitum aſſeruare oportet. Quod verò ab eo reliquum eſt ſolidum, & craſſum, rurſus diligenter contundendum eſt, vt à contuſione rurſus in pila atteri,ac leuigari poſsit, indéque collyriorum formæ effingi, quæ congruam ad ægri narem proportionem habeant. Induntur enim hæc in naris, quam polypus obſedit, meatum, quo citra mordacitatem, doloríſque conſenſum, qualem acria pharmaca excitare ſolent, per longiorem moram ipſum expurgent:quòd ſi humectior,& mollior tibi appareat polypus, plus ex auſteris malis punicis coniicies,ſi durior,ex acidis. Quoniam verò moleſtum eſt perpetuò collyrium ſuſtinere, licet etiam quandoque intermittere:atque interim ſuccum antea expreſſum, & in ſtanneo vaſe depoſitum, ac adſeruatum in nares infundere:atque etiam circa illas partes,iuxta quas naſus ad palatum perforatus eſt,liquidum ipſum expreſſum ſuccum illinire, vel cum penna,vel cum lana,ſpecillo duos nucleos, ſiue cuſpides habenti obuoluta, nec parum etiam confert prædictum collyrium ex malis punicis effictum,ſi vbi exaruerit, probè contundatur, cribretúrque, ac leuigetur, indéque inſuffletur, aut etiam per ſpecilli nucleum indatur. Omnia autem hæc (vt teſtatur Galenus) aſsiduè facere oportet,vt nunquam ab affecta parte pharmacum abſit, cùm facilè ab humiditate eluatur. Parari item poteſt medicamentum ex ſpumæ argenti drachmis iij.ceruſæ drach.quatuor,malicorij drachmis duabus, & aluminis ſciſsilis tantundem:quibus tuſis, & cribraris in mortarium coniectis, cum vino odorifero ad mellis craſsitudinem redigito: poſtea verò myrteo oleo affuſo conquaſſato,in pyxide plumbea ſeruato, vtitor. Poteris inſuper Pauli medicamento vti, robuſtis præſertim corporibus, aut ex eo, quod excipit atramentum ſutorium cum aceto; aut eo, quod recipit ſquamæ æris drach.viij.atramenti ſutorij drachmas ſex, ſandarachæ drachmas tres, veratri nigri drach.ij.miſceantur, & naribus inſufflentur. Ad inueteratos autem polypos maximè commendauit Alexander puluerem ex quatuor metallicis compoſitum, chalcantho videlicet,chalcitide, ære cremato, & miſy. Accipias autem hæc æquali pondere ſingula,& ſeorſum teras ex aceto,poſtea omnia ſimul miſceas ex vino ſubigens, donec glutinoſum fiat, ad mellis ſpiſsitudinem,deinde in ollam recentem coniicias,quam operculo impoſito,lutóque oblitam in furnum dimittas, vt in carbones illa redigantur, dein furno exempta cum vino teras, atque iterum ſimiliter torrefacias,redigáſque in puluerem,cúmque reponas, & cùm neceſsitas poſtulat, vtare.Prædictis etiam medicamentis vti poteris ad reliqua narium ſarcomata, nonnulláque alia reperies apud artis medicæ eximios auctores, quæ nos breuitati indulgentes ex induſtria prætermiſimus.

Qualia medicamenta conferant.

περὶ ῥινῶν αἱμοῤῥαγίας. *De ſanguinis ex naribus eruptione.*

CAPVT XL.

cap. 4
Pars affecta.
Affectus.

INter narium affectus, quæ ex ipſis ſanguinis eruptiones fiunt, à Galeno 3. de Compoſit. medicamento. ſecundum loc. connumerantur à Græcis ῥινῶν αἱμοῤῥαγίαι dictæ. Quapropter quod nares affectæ ſint, cunctis liquet, non tamen per eſſentiam ſemper afficiũtur: ſimiliter quòd affectus ipſe ſymptoma ſit in genere excretorum immodicè toto genere præter naturam. Verùm id non vnum duntaxat morborum genus ſectatur, velut etiam reliquæ ſanguinis eruptiones, ſed interim Galeno teſte 5. Meth. medendi. vaſorum diuiſionem, interdum eorum orificiorum reſerationem, quandoque earundem tunicarum rarefactionem ſequitur, quamuis non modò vaſis ipſis malè affectis, ſed etiam ipſi ſanguini, aut denique facultati interdum occaſio tribuenda ſit, ex eiuſdem Galeni ſententia tertio de Cauſis ſymptomatum. dico autem vaſa ipſa malè affecta, vt cùm molliora, vel duriora, ſeu tenuiora fuerint, à natura, ſeu aliqua ſuperueniente cauſa extra vterum vitiata: ſanguinem verò malè affectum appello, vel cùm adeò vitioſus ſit, vt vaſa, quibus cõtinetur, erodat, vel cùm adeo eſt auctus, vt à vaſis contineri non poſsit, vt interim ea diſrumpat, interdum eorum ora reſeret. Ex parte verò facultatis ſanguinis profluuium efficitur, cùm ipſamet facultas ora vaſorum aperit. Non ab re itaque ſanguinis ex naribus eruptio vni ſaltem ex prædictis cauſis tribuenda erit. Nanque aut vaſis ipſis malè affectis, venis ſcilicet aut arteriis, eorum ore, aut reſerato, aut tunica eorum diuiſa, vel rarefacta, propter quod & ſanguis, vel propter ἀναστόμωσιν, quam Græci aut διαίρεσιν, aut διαπήδησιν è vaſis profluit: vel ſanguini ipſi, etiam male affecto, aut ipſi facultati, quæ ora vaſorum aperit, tempore quo excernit ea, quæ ſibi moleſta ſunt. Hinc Galenus prædicto libro quinto Methodi medendi, cap. ſecundo, anaſtomoſin fieri aſſerit, tum propter eorum imbecillitatem, tum etiam propter ſanguinis copiam, qui impetu quodam ad os vaſorũ ruat: aut propter eiuſdem ſanguinis acrem quampiam, quæ illi extrinſecus incidat, qualitatem. Diæreſin verò, ſeu diuiſionem vaſorum, tum ex vulneratione, tum contuſione, tum ruptione fieri: aut diapedeſin ex ipſa quidem tunica rarefacta, ſanguine vero tenuato, oriri fatetur: quanquam etiam ex gracilium vaſorum ore adaperto fieri poſsit. Verùm ſi ex parte vaſorum aliquo modo affectorum ſanguinis e naribus profluuium fiat, id dignoſcere haud difficile erit, ſiue interna, ſiue externa fuerit cauſa: nam neque indicia aderunt ſanguinis redundantiæ, neque is, qui profluit ſanguis, vitioſus apparebit, nec corpus cacochymum erit, aut criſis tempore in acutis morbis is excernitur. Si autem ex aliqua externa cauſa affecta fuerint vaſa, vt caſu ab alto, ictu, exercitio vehementi, mora in ſole, ac reliquis huiuſmodi, ex ægri, aut aſtantium aſſertione id percipere poteris. Verum ſi ex nulla externa cauſa vaſa affecta ſint, interna perquirenda, nunquid molliora videlicet fuerint: id quod à redundante humiditate percipies: aut duriora, ab ariditate: aut tenuiora ab inedia reddita ſint vaſa, ſeu à natura talia conſtructa fuerint: & proinde eorum ratione fuerint rupta, reſerata, ſeu rarefacta. Si verò nullum iſtorum adſit, videndum erit nunquid adeò auctus fuerit ſanguis, vt vaſis contineri non poſsit, & propterea erumpat, aut reſeret, id quod dignoſces ex ſignis, ſanguinis redundantiam indicantibus, aut ipſemet ſanguis non valde auctus, ſed vitioſus adeò ſit, vt vaſa, quibus continetur, erodat: id verò percipies, tum ex qualitate eius, qui profluit, ſanguinis, tum ex reliquis ſignis cacochymum corpus indicantibus, & pro natura diuerſa ipſius cacochymiæ poterit etiam qualitas vitioſi ſanguinis indagari, num pituitoſus videlicet bilioſus, aut melancholicus fuerit, qua de te profluuij cauſa erit ſanguinis. Verùm ſi neque affectorum vaſorum, aut affecti ſanguinis indicia adſint, præceſſeritque acutus quiſpiam morbus, ipſi facultati, ſeu naturæ, quæ ea quæ ſibi moleſta ſunt, excernit, ora vaſorum aperienti tribuenda occaſio erit pro-

cap. 2
Quot ſectetur morbos.

cap. 2
Quod quodlibet ſanguinis profluuiũ uni ex tribus cauſis tribuatur.

Anaſtomoſis ex quibus cauſis.
Diæreſis.
Diapedeſis.

Si ratione uaſorum fiat, ſigna.

Si ſanguinis ratione, ſigna.

Si ex parte facultatis fiant, ſigna.

fluuij

fluuij ex naribus ſanguinis: quod, vt ex prædictis elicere poteris, quandoque fit cùm functionis alicuius noxa, interim verò ipſis viribus haudquaquam obleſis, ſed robuſtis exiſtentibus: quamuis hoc profluuium toto genere præter naturam ſit, reſpectu excretæ ſubſtantiæ: præter naturam tamen dici non debet, ſi in tempore expellatur, hoc eſt, ſi id quod moleſtū eſt, expurgetur, id quod perpulchrè decretum reliquit Galenus libro 1. de different. ſympto. Verùm ex quacunque fiat cauſa ſanguinis profluuium ex naribus, non deſpiciendus erit: nam cùm ſuperfluit, ſeu longo tempore perſeuerauerit, timendum erit, aut animi deliquium, aut iocinoris imbecillitas, ac infrigidatio, & demum cachexia, & hydropiſis: quamuis auctoritate Hippocratis ſexto de morbis vulgarib. iis, qui decolores mero modo ſunt, parum proſit, quibus verò colores rubicundi, non ſimiliter, & quibus capta ſunt quæ facilè tolerant, prodeſt; quibus ſecus, non: libro autem 3. prædictionum idemmet Hippocrates dicebat, Ex naribus erumpente ſanguine cum exiguis ſudoribus per frigeſcentia maligna, ac praua: item quòd poſt ſanguinis eruptionem nigrorum per aluum tranſitus, malum, praua etiam ſunt valde rubra. Eiuſdem auctoritate Aëtius libro 5. cap. 124. inquit, fluxum ſanguinis è naribus in quarta die in febribus fientem, peſſimum ſignum eſſe: multitudinem enim ſignificat in toto corpore, aut in capite: addit autem Hippocrates in coacis prænotionibus, ſi non aliud quid boni coinciderit, verùm quinta, minùs periculoſum eſſe, quanquam fortè ea ſententia potius de narium ſtillicidio veritatem habeat, id nanque prauum eſſe ſignum, præſertim in ardentiſsimis febribus idem Hippocrates cum Galeno teſtatur, cùm primo prorrheticorum, tum primo de morbis vulgarib. maximè ſi quarto fiat die, nam tunc abſoluta morbi malicia ſignificatur, vt apud eoſdem patet primo prorrheticorum: nihil enim (inquit Galenus) eorum, quæ decretoria exiſtunt, exiguè fecerint conuenit, quapropter vnum duorum indicabit, aut copiam, quæ tolerari à facultate nequit, vel imbecillitatem naturæ, quæ proponit ſuperflua excernere, ſed non valet. Et propterea velut pernicioſiſsimum eſt in ardentibus febribus nares parum ſtillare, ſicut eis familiariſsimum exiſtit largum ſanguinis profluuium, præſertim in iunioribus minoribus natu, infra trigeſimumquintum annum ætatem agentibus; cùm in hac ætate ſanguis plurimus ſit, facultas valentior, atque etiam calor exuperans, eiſdem Hippocrate, & Galeno teſtibus, tum primo, tum tertio prognoſt. Fluere quoque ſanguinem ex naribus recto itinere commendauit Hippocrates; è contrario verò culpauit, cùm eodem libro tertio prædictionum dixit. Sanguinis eruptiones ex contrario malæ ſunt, velut in ſplene magno, ſi ex dextra nare fluat. lib. 5. aphor. 33. idem inquit Hippo. Menſtruis deficientibus ſanguis ex naribus fluens, bonum. Quod autem in criſibus ſanguis ex naribus profluuium quibuſdam indiciis præcognoſci poſsit, & quibus (imò quòd magnæ imperitiæ ſit id non præcognoſcere) ſcriptum reliquit Gale. tum tertio de criſibus, tum primo de arte curatiua ad Glauco. circa finem. Si autem victus ratio vniuerſa pro eius curatione (ſi vitio vaſorum, aut ipſius ſanguinis fiat) infrigidans, & adſtringens: tenuis quoque vbi ex ſanguinis copia fiat; boniq́ue ſucci, & concoctu faciles cibi exhibeantur, potiſsimùm vbi vitioſus fuerit ſanguis, ſintq́ue contrariæ qualitatis redundantis ſucci in ſanguine. Verùm is ſanguinis fluor, qui à facultate efficitur, quoad iudicatorius ſit, nulla particulari indiget victus ratione, aut curatione. Vbi verò concitata natura mediocritatem non obtinuit, ſed immodicè ſanguis fluxerit, ita vt vires imbecilliores reddantur, ſimili victus ratione vtendum erit, ac curatione, quibus in prædictis vtimur; & propterea velut frigida, & adſtringenti victus ratione, ſic quoque frigidis, & adſtringentibus medicamentis pro eius curatione vtendum erit, Hippocratis decreto, cùm aphoriſmis 23. 5. tum 37. ſeptimi libri. Verùm nec omnino, nec ſine diſcrimine, nec omni tempore iam dicta medicamenta circa loca, vnde ſanguis profluit, ſunt adhibenda, Galeno auctore, quinto metho. meden. ſed poſtquam

In fine. Prognoſtica.

Cōmētario 3. tex. 21.

text. 34. & 35.

Paulò poſt principium.

1. prorrhet. tex. 1. & li. 3. tex. 49.

1. de morbis vulgar. commentario 2. tex. 62.

1. prorrh. tex. Loco citato.

1. prognoſt. commen. 31.

3. prognoſt. commen. 12. tex. 33.

3. de criſib. cap. ult.

1. ad Glauc. cap. ulti.

Curatio.

Victus ratio qualis competat.

Medicamentorum ratio.

cap. 6.

in alia

in alia priùs loca auerteris: auertitur autem ſanguis, atque ad alia membra cō-
Venæ ſectio. uertitur, tum ad contraria reuerſus, tum ad proxima deriuatus: propterea
ſi reſolutus adhuc æger non ſit, vena ſub eo cubito incidenda erit, qui profu-
ſioni è directo reſpondet (vt ipſe iubet) ſiquid aliud non prohibeat, & vbi pau-
lum detraxeris, mox vnam horam intermittens, rurſus detrahes: poſt iterum,
atque iterum, pro laborantis viribus. Hoc nanque auxilio reuulſorio, idemmet
Galenus fatetur, lib. de curand. ratione per venæ ſectionem, cap. 11. validam ſan-
guinis ex naribus eruptionem ſedaſſe: expedit autem non multùm, ac affatim
ſanguinem educere, ſed paulatim, ac moderatè, vt diximus. Hoc etiam tempo-
re conuenit artuum frictione, deuinctioneque vti, tum hypochondrio directè
ſuppoſito cucurbitam defigere: præter hæc, priuſquam ad topica remedia con-
fugias, iterum ad contraria reuellendum, vtendumque affixa in ſumma cer-
uice cucurbita: eſt nanque hæc ſanguinis ex naribus profuſionis auerſio, eodē
Galeno teſte: hanc verò cucurbitam cum ſanguinis detractione occipitio ag-
Pau. li. 3. c. 24 glutinari præcepit Paulus, cum Aëtio. Verùm ſi quid venę ſectionem impediat,
Aet. lib. 6. reliquis iam dictis reuulſoriis auxiliis vtare: ſcapulis etiam (ſi videbitur) cum
cap. 94. ſcarificatione cucurbitas affigens, venæ ſectione derelicta: demum ad ea, quæ
Purgatio. refrigerant, atque adſtringunt, topica medicamenta confugiās. Et ſi purgatio-
ne quoque egeant, vtpote vitioſo exiſtente ſanguine, ea quoque priùs tribuen-
da erit, pro ratione vitioſi ſucci in ſanguine redundantis, decocto videlicet
vtens myrobalanorum citrinarum, in quo ſyrupus ex pluribus infuſ. roſ. rub. aut
manna cum rhabarbaro diſſoluantur, ſi bilis redundarit: At ſi pituita, agarici,
& myrobalanorum chebularum decocto cum ſyrupo ex plurib. infuſ. roſ. rub.
aut perſicarum vtitor. Atra verò bile redundante, ſenæ, epithymi, & myroba-
lanorum indarum decoctum cum dictorum ſyruporum aliquo exhibeas: nec
minùs aſſumere poſſit ſaccharum roſaceum, aut ſyrupum myrtinum, roſaceum,
è papauere, ſeu ex nymphæa, quantitate moderata, vel e paſtillis de ſpodio,
aut de terra lemnia, aut antidoti micletæ dictæ drac. j. cùm vnc. ij. aut iij. aquæ
Topica. acetoſellæ, aut plantaginis. Extrinſecus verò, vniuerſo videlicet fronti medica-
menta imponenda ſunt infrigidantia, ac adſtringentia, vt diximus, cuiuſmodi
eſſet ſpongia ex aqua frigida, ſeu roſacea madida, ſæpiùs adhibita, aut hippu-
reos ſuccus, quam caudam equinam vocant, ſeu herba ipſa trita fronti impo-
natur, ex Aëtij ſententia: ſimiliter quoque ſaluiæ folia trita, aut gypſum oui
candido ſubactum: quibus omnibus abſonum non erit parum aceti addere,
ſeu linteum in aqua frigida, aut roſacea cum pauco aceto miſta, madefactum
iterum, atque iterum imponas. Idemmet Aëtius cochlearum carnes cum ace-
to tritas, aut cochleas vſtas, & tritas cum aceto imponi iuſsit: & Apollonij au-
ctoritate cochlearum carnes cum thure tritas naribus indito, dixit: & ſanguis
ſiſtetur, iiſdem etiam frontem intege: ex ſucco quoque polygoni, portulacæ,
ſemperuiui, ſeu ſolani, ſi vnc. s. aſſumas, boli armeniæ, ac terræ lemniæ ana drac.
ij. omphacitidis gallæ drac. j. lapidis hæmatitis drac. j. & s. cum ouorum albumi-
ne, pauco aceto, ac aqua roſacea medicamentum parabis, quod fronti impona-
tur, ex aqua etiam roſacea, ac plantaginis, ſolani, & cichorij ſucco, pauco ace-
to addito, epithemata ſupra iecur adhiberi poſſunt, potiſsimùm ſi ex dextra
nare fluat ſanguis: naribus præterea ipſis medicamenta ſanguinem ſiſtentia in-
cap. 4. denda ſunt, veluti eſt medicamentum Galeni quinto metho. meden. ſcriptum,
ex manna thuris, & aloë, candidoque oui liquore confectum per contortum
linamentum intus: extrinſecus vero leporis pilis additis, naribus admouea-
tur; aut ouorum teſtas vrito, ac terito, de quibus duas partes ſumito, & de gal-
la omphacitide partem vnam, & linamento intorto aqua, aut aceto tincto ex-
cepta, indito, vt inquit Aëtius: ipſum quoque gypſum oui candido ſubactum,
nedum fronti, ſed naribus quoque imponendum aſſerit: vel thus confringito,
& poligonij, aut porri ſucco diluito: in eoque linamentum obuolutum indito,
Galeno auctore, tertio de compoſitione med. ſecund. locos, cap. 4. ex Heraclidæ

auctori

auctoritate:ex cuius etiam ſententia menth am tritam,aut ſpongiam ſiccam immittendam præcipit. Aetius verò aſininum ſtercus vſtum inſufflandum præcipit: aut eiuſdem aſinini ſtercoris recentis ſuccum, cum porri ſucco, & aceto per linamentum inditum: commodum inſuper eis eſt per ceram, aut linteola aures obturare, & in ore aquam pluuialem frigidam continere, capútque non in ſublime leuare, ſed alias partes, quæ infra caput ſunt ſublimes facere, eiuſ-idem Galeni decreto, præcitato loco. Paulus verò cinerem combuſtorum aſellorum domeſticorum inſpirandum præcipit, vel eorum ſuccum inſtillãdum: lapidisquoque molaris aceto extinctí vaporem naribus ſuſcipiendum conſulit. Inquit Marcellus ſuo libro de med. cap. 10. quod infundere in aurem acetum acre, cuius è regione ſanguis pluit, aut in vtranque mittere, ſi ex vtraque nare manabit, confert: pariter inijcere intus in nare cochleæ [illegible] carnem per ſe, aut cum thuris polline tritam, ipſæ item cochleæ tritæ cum aceto naribus inditæ, quamuis magnos fluores ſanguinis compeſcunt, eodem auctore.

Περὶ ὀδονταλγίας. *De dentium dolore.* *Caput XLI.*

INTER dentium affectus, is præcipuus eſſe videtur, qui à Græcis ὀδονταλγία, à Latinis dentium dolor dicitur, à ſymptomate, & parte affecta nomen ſumens, vt putet ſecundo meth. med. Hic *Cap. 2.*
nanque maximis tormentis annumerari poteſt, vt inquit Celſus lib. 6. cap. 9. verùm iterim non manifeſtè in ipſis apparet affectio, quemadmodum ſi ipſius dentis corpus fuerit affectum: etſi quidam id affirmare contendant, aſſerentes, cùm dens ſit os, dolore affici nequaquam poſſe: illud tamen cum ratione ex Galeni verbis libro ſextodecimo de vſu par- *16. de uſu*
tium, & libro de oſsibus, dum aſſeruit eos inter oſſa duntaxat euidentem ſen- *part. cap. 2.*
tiendi vim habere, tum experientia in ſe ipſo, quinto de compoſitione medica- *Libr. de oßib.*
mentorum ſecundum locos confirmatur: percepit nanque manifeſte in ſemet- *cap. 5.*
ipſo non dolentem modò, ſed etiam pulſantem dentem, quemadmodum car- *Tribus modis*
noſæ partes inflammatione vexatæ conſueuerunt. Interdum verò propter af- *fieri poſſe, ut*
fectum neruum, qui ex tertia coniugatione diſtributus, omnibus dentibus ad *dens doleat.*
eorum radices ſubſternitur, dentium dolor excitatur. Non raro autem propter *5. de compoſ.*
gingiuarum inflammationem, & ipſi dentes dolere videntur: quos iterum do- *med. ſec. loc.*
lores idem Galenus tanquam in ſe ipſo expertus, fieri poſſe teſtatur, teſtimo- *cap. 8.*
niúmque præbet id aſſerentibus eodem libro 5. de compoſitione medicamen- *Loco citato.*
torum ſecundum locos. Atqui dentem in proprio eius corpore affectum perci- *Signa, ſi in*
pies, quoniam ipſe æger dicit ſe ſentire circa corpus dentis dolorem in profun- *propria ſub-*
do obortum: nec vllum apparebit in gingiuis inflammationis indicium. Ner- *ſtantia affi-*
uo autem ipſo affecto, qui ad radicem dentis ſubſtratus eſt, quanquam imagi- *ciatur.*
nationem confuſam, indiſcriminatam, & incertam pleriſque exhibeat: nanque *Si eiuſdẽ ner-*
videtur ac ſi ipſe dens doleat, in propria ſubſtantia affectus: id tamen percipe- *uus ſigna.*
re poteris ex vehementiſsimo dolore, qui in profundo valde ab ægris ſentitur: nec ipſis dentes liuidi, aut quouis alio modo in eorum ſubſtantia, ſeu qualitate mutati apparent: ſimiliter nec gingiuæ, & exempto dente, parua adhuc doloris portio remanet, leuiori tantùm dolore reddito ex dentis exemptione. At ſi *Si propter*
inflammatis gingiuis dentium dolor excitetur, ex earum inſpectione prom- *gingiuas dẽs*
ptè id percipere poteris. Cæterum quæcunque pars in dolore dentium affecta *doleat, ſigna.*
ſit, perpetuò dolor ipſe ſymptoma erit, veluti de reliquis doloribus in antedi- *Affectus.*
ctis aſſerumus: ſubſequitúrque vel continuitatem ſolutam, vel inæqualem intemperiem, aut vtrunque: quò fit, vt & ipſe dentium dolor ex quacunque cauſa ſoluente continuum, ac inæqualem intemperiem potente inducere, progi- *Cauſæ.*
gni poſsit. Nos verò exordiemur à ſimplicibus intemperiebus, modum conſcribentes, quo ſingulæ dignoſci valeant: nanque eis cognitis manifeſtæ quoque compoſitæ percipi poterunt ex prædictarum intemperierum miſtura. Ca-

lida itaque exiſtente affectione ex intenſo dolore,ſubrufa facie, calidóque to-
Diuerſarum cauſarū ſigna. tius corporis temperamento,vigente ætate,tempore anni, regionéque & aëris
ſtatu, ac anteacta vita conſimili percipies. Ex frigiditate verò,ſi dentes dolore
afficiantur, ex contrariis indiciis poterit innoteſcere, ex figuráque tum capi-
tis, tum reliqui corporis,& ex ea,quæ præceſsit diæta,itémque exercitio,ac re-
Libr. 8. c. 28. liquis, quæ ad hunc ordinem referuntur, vt inquit Aetius. At ſi ab humiditate
dolore dentes afficiantur, ex vniuerſi corporis miſtura in primis, ac capitis,
quæ ad humidiorem vergit, tibi manifeſtabitur,ſi delicatiùs vixerint, domúm-
que habuerint in humidiori loco ſitam, inſtet tempeſtas humida, & hora ver-
na, cùm afficitur, laxioréſque fiunt dentes vnà cum circumadhærentibus cor-
Libr. 8. c. 29. poribus,ac neceſſariò mobiles,vt idem teſtatur Aetius, veluti eorum corroſio,
Corroſionis dentium cauſa. ſeu perforatio ex humorum acrium, & erodentium influxu efficitur, ex Gale-
ni ſententia: quanquam multis hæc laxitas: ac dentium mobilitas ex humidi-
tate citra doloris ſenſum accidat: nam humiditas per ſe dolores inferre non
Cap. 1. conſueuit, imò ad eam nullus conſequitur dolor; Galeno auctore ſecundo de
compoſitione medicamentorum ſecundum locos,quantum ad qualitates ipſius
attinet, ob multitudinem tamen, inſtrumentalium partium morbum faciens,
dolorem interim parit. Si verò à ſicca intemperie dolore afficiantur dentes,
intolerabilis ferè eos, qui taliter afficiuntur,dolor concomitabitur: totius cor-
poris temperamentum, & maximè caput ſicca intemperie erit affectum, ſitis
aderit ſemper, niſi adſit frigiditas vnà cum ſiccitate: minimum etiam ſputi
eiciunt ſic affecti, præceſsitque autumnalis tempeſtatis conſtitutio, & vita
ærumnoſa, tenui accedente diæta: præterea regio ſicca, & ambientis nos aëris
ſtatus conſimilis. Compoſitam autem intemperiem, ſi ea quæ diximus indicia
complicabis, facilè agnoſces, quæcunque ea ſit, propter quam doleant den-
tes:nam ſi verbi gratia, calida, & humida fuerit; totius corporis temperamen-
tum ſanè calidum,& humectum erit:capútque habebit æger; quod facilè eiuſ-
modi humiditate impleatur, cuius coma plurima eſt, & ſubrufa, regio calida,
& humida, tempus anni vernum, aëris quoque ſtatus calidus, & humidus erit,
qualis eſt auſtrinus. Sic quoque,ſi calida,& ſicca, aut frigida, & ſicca, ſeu frigi-
da & humida interperies erit, ex iam dictarum ſimplicium intemperaturarum
indiciis ſimul mixtis ipſam inueſtigabis. Verùm ſi vnà cũ prædictarum qualita-
tum exceſſu & humorũ multitudo affuerit, cognoſcendus erit affligẽs humor,
cùm ex reliquis circa corpus ſignis,tum ex conſequenti dolore; flauæ nanque
bili dolor pungitiuus comes exiſtit: pituitam verò ſequitur vnà cum frigidita-
te diſtentio locorum; nigra verò bile affligente ſenſus aderit, velut ſi corpu-
ſcula quædam in profundo confringantur. Vbi autem æqualiter omnes humo-
res augeſcunt, multitudine horum in corpore conceruata, grauitas concomi-
tatur. Ex ſapore quoque ſpecies influentis humoris argui poterit: nam ſi ama-
ritudinem ſenſu perceperint ægri,bilem; ſi ſalſedinem, pituitam, ſi acedinem,
nigram bilem portendit. Cæterùm quoniam per omnem ferè animantis æta-
tem incrementum accipiunt dentes, idque non niſi ex nutrimento eis dela-
to: nam impoſsibile eſt citra nutrimentum aliquam partem incrementum
ſuſcipere: quantum autem augeſcunt, tantùm in ciborum manſu deteruntur,
Galeno teſte, id verò quòd augeſcant, euidenter ſæpenumero apparet in his
dentibus: qui exemptis oppoſiti ſunt, vtpote qui ſemper augeſcunt: propterea
duabus affectionibus in vniuerſum ipſi obnoxij ſunt, & his quidem contra-
riis, indigentiæ videlicet, & abundantiæ eius, quod defertur ad eos, alimenti.
Verùm inopia,aridiores,& macriores, alimentúmque non ſentientes, & ob id
tenuiores dentes reddit: redundantia verò conſimilem in eis affectionem ex-
citare poteſt, qualis eſt circa carnoſas partes inflammatio, iuxta eiuſdem Ga-
Cap. 8. leni ſententiam præcitato libro quinto de compoſitione medicamentorum
Prognoſtica. ſecundum locos. At fiat vtcunque dentium dolor (quoniam vt diximus Celſi
auctoritate) ipſe quoque maximis tormentis annumerari poteſt, & Galenus

libro ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, inter maximos dolores ipſum annumerauit, propterea eius curatio paruifacienda non erit. Et idem Galenus lib. 5. de compoſitione medicamentorum ſecundum loc. ſcriptum reliquit, dentium tenuitatem ob alimenti inopiam curari non poſſe, cùm laxari, tum & moueri ipſos neceſſarium ſit: compage quoque ipſorum laxiore facta, nanque non ſolùm ipſi dentes, ſed & locelli eos complectentes ſunt attenuati: quam dentium affectionem ſenibus accidere Inquit citius, aut ſerius, velut etiam magis, aut minùs. At ea dentium affectio, quæ proportionem ad inflammationem habet, præter id, quod magis iuuenes corripiat, curationem quoque recipit, qua de re ſi ex caliditate dētium dolor excitetur, victus ratione inſtituta, vt decet, præſertim in cibo, & potu quoniam ptiſana, alica, lactucis, & cucurbita, & quæcunque tandem his poteſtate ſunt propinqua veſci debent, eiſque modicis, mollibúſque vtendum, ne mandentis dentes irritent: id quod ſeruandum erit in quouis dentium dolore, ex quacunque fuerit ortus cauſa. A vino autem abſtineant, & aqua vtantur, in qua ſemina coriandrorum præparatorum fuerint decocta, aut cinnamomi minimum: frigidis quoque medicamentis pro eius curatione vtendum erit, eis tamen non immodicè, præſertim actu frigidis, niſi vehementiſsimus dolor vrgeat: nanque ex immodice frigidis lædi dentes conſueuerunt, Hippocra. & Galen. teſtibus, aphoriſ. 18. quinti libri. Illud item ſeruandum erit in cunctis adhibendis auxiliis, quod vbi gingiuæ affectæ fuerint, conuenientia ad hanc rem remedia locis affectis nudis adhibenda ſunt: quæ ſanè aut omnis mordacitatis expertia ſint, aut mediocriter acerba, & terrei temperamenti: quapropter acetum, vt acutum, & hoſtilem gladium deuita, inquit Aetius: ſuo enim acore gingiuas corrodit: propterea maximè conſolatorium eis exiſtit (vbi fortè doluerint, & inflammatæ fuerint) lac aſininum, vt ipſe teſtatur: pimpinella quoque herba trita, & apppoſita tumorem gingiuarum emendat, vt inquit Trottula. Vbi verò dentes ſolùm patiuntur, aut cum eis ſimul ſubſtratus neruus, & pelliculæ, cùm ipſis curatiuis pharmacis, ea quæ tenuium partium in ſua ſubſtantia exiſtunt, adiicimus, quo vis ipſorum in profundum perferatur: & ſiquidem calidus ſit morbus, ea quæ refrigerare poſſunt, & ſimul tenuium partium exiſtunt, commiſcemus: ſi verò frigidus, calida tenuium partium adnectimus. Hac de re calida exiſtente affectione (vt diximus) ad collutionem oris præparabimus in aceto albo decoctam radicem halicacabi, ſemperuiuum minus, portulacam, perdicium, quod parietariam vocant, & glycyrrhizam: ſi etiam cum vino violas decoxeris, & ore teneas, conducit, Q. Sereni auctoritate. Quod ſi intolerabilis exiſtat caloris ſenſus (ex Aetij ſententia) vtendum eſt hyoſcyami foliis, aut ſemine papaueris hortenſis, & ſemine lactucæ in aceto albo decoctis. Poterit quoque in ore detinendum exhiberi oleum roſaceum, ſeu myrteum cum pauco aceto albo permiſtum, quo item roſaceo cum modico aceto diluto, caput madefacere oportet, idémque auribus inſtillare, aut terrenos vermes oleo decoctos in propinquam aurem inſtilla, ex eiuſdem Aetij decreto: eodémque roſaceo, ſeu myrteo, aut nymphæa, vel papauere parato oleo, deforis partes (dolenti denti) vicinæ inungendæ ſunt. Si verò ex frigiditate dentes dolore afficiantur, vniuerſa victus ratione ad caliditatem vergente inſtituta prius, ita vt cibi ſint ptiſana cum pulegio decocta, aut cum ruta, aut cui poſt cocturam additum ſit piper: ſimiliter & alica, & inter olera petroſelinum, & reliqua ſimilia: potus autem ſit vinum, modicum tamen, ad oris tandem collutiones deuenies, eáſque præparabis ex origano, calamintha, hyſſopo, dictamno, ac ſatureia, in aceto, ſeu vino decoctis, aut tithymalli radicem, ſeu chamæleonis, eryngij, aut verbaſci, vel veratri nigri, & capparis radicem in eodem aceto, ſeu vino decoquas, vnumquodque enim eorum taliter decoctum, ac ore collutum dolores dentium ſedat, qui à frigiditate ſunt oborti, Aetio auctore. Verùm ad eos, quorum ſenſus citiùs afficitur, hæc in poſca decoquantur: pinguium quoque lignorum, veluti tedarum, ac picearum

Cap. 1.

Cap. 8.

Curatio doloris dentiū ex caliditate.

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

Animaduerſione dignum.

Lib. 8. ca. 24.

cap. 58.

Serenus capi. de uitio dentium.

Si ex frigiditate fiat dolor curatio.

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

Lib. 8. ca. 28.

decoctum ipſis prodeſſe aſſerit. Contunduntur autem hæc, ac cum caricis decoquuntur, affuſo vino, eóque dentes colluuntur. Ipſas quoque tedas in oleo decoquere licebit, idque calidum in ore continere: quin & ipſas conquaſſatas ſola circa affectum maximè dentem, ore detinere, commodum exiſtit. Caput autem chamæmelino, anethino, irino, ſeu rutaceo madefacere confert; ſimiliter extrinſecus loca dolenti denti vicina: itémque auribus caſtoreum cum nardo in oleo decoctum infundatur. Suffitum quoque (præſertim ſi omnes ex æquo doleant) ex canis mortui dente (ita vt fumus inde progreſſus ore excipiatur) commendat Aetius: deinde ipſum dentem vſtum, & modico aceto tritum, calidum in ore retinendum præbet.

Loco citato.

A totius etiam eſſentiæ proprietate ſenecta ſerpentis confert in vino, aut aceto cocta, vt patet vndecimo de ſimplicium medicamentorum facultate, eadem quoque exuſta, & trita, ac cum oleo & melli ſolidi ſpiſsitudinem redacta, dolentique impoſita denti ſuccurrit, eodem Galeno teſte (ex Archigenis auctoritate) libro quinto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos.

Cap. proprio.

Cap. 9.

Curatio doloris dentis ex humiditate orti.

Ex humiditate autem affectos dentes, eóſque vacillantes curare conuenit per victus rationem ad ſiccitatem vergentem, ac cùm diuturni ore ciborum abſtinentia.

Victus ratio.

Cibi itaque eis tribuendi ſunt ſorbiles, alica, panis ex iure pullorum madidus, ſimila, aut oriza, ſeu polenta cùm aqua mulſa: neque malè conuenit eis milium, & lenticula, volucres montanæ, & ſicciores. Ex oleribus braſsica, & ſimilia. In potu aqua eſt exhibenda, ſed non multa, aut aqua mulſa: & ſi hanc ferre nequeunt, ad aquam modicum vini addatur.

Medicamentorum ratio.

Tempore verò afflictionis fouere conuenit locum cum milio, & ſale: collutiones exhibendæ adſtringentes, & exſiccantes, aut ſalſæ, niſi gingiuæ ſimul ſint affectæ: quare gallas, quas omphacitides appellant, ex acri aceto decoctas, & alumen aceto permiſtum exhibebimus: ſimiliter malicorium, cityinos, myrti baccas, balauſtia, oliuas, & rubi folia, cupreſsi pilulas, ac rumicis ſylueſtris radicem, & quæcunque alia acerbam in ſe qualitatem complectuntur, cum aceto puro, aut poſca, ſeu vino ſi decoquas, conducunt, ſi eis colluere os præcipiamus, atque retinere adhibitum liquorem oportet ſupra locum dolentem diutius, Alexandri præcepto; parari tamen debet, vt ſenſui ægri maximè gratum, & conueniens ſit, ex Aetij ſententia: nam iudicata, & perpenſa medicamentorum potentia, plus, aut minùs exhibere oportet, iuxta etiam exuperantis humoris multitudinem: nec minùs quoque conducit, ſi oliuarum albarum, contuſarum ſuccum accipias, & cum rutæ ſucco, ac melle permiſceas, eóque dolentes dentes confricaueris: poſtea verò inſpergas puluerem nardi indicæ cum pari pondere aluminis rotundi, & ſalis duplo, ex eiuſdem Aetij teſtimonio.

Alexan. lib. 3. cap. 13.

Aetius libr. 8. cap. 29.

Nec etiam parum confert illitio ex confectione de moris, maximè ſi alumen ſciſsile habeat adiectum, & ex ea, quæ ex nucum ſucco apparatur; ſi etiam gallæ drach. ij. & ſ. myrrhæ drach. ſ. ij. & corticum mali punici tantundem accipias, & ex aceto vtare, magnopere prodeſt, Alexandro teſte; & vel alumen, & myrrham troglodyticem inſpergito: nam ſiccæ inſperſiones ſemper eis ſunt conuenientes, vt inquit Aetius, aut cum aceto, ſeu melle illinito: pentaphylli quoque radix deſiccata, & in puluerem redacta, inſperſáque confert, velut etiam eiuſdem radix ex vino, aut aceto cocta confert, ſi ex ea dentes colluantur: ſimiliter & cornu cerui in poſca decoctum: innumeráque alia reperies conferentia, tum apud Galenum libro quinto, de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 9. tum apud Aetium libro octauo, cap. vigeſimonono. Quòd ſi ob ætatem ſenilem quibuſdam dentes laxentur, ac mobiles fiant, auxilium capiunt, & quodammodo iuuantur ex pharmacis adſtringentibus, quæ gingiuas confirment, denſent, & ad arctiùs complectendum dentes adiuuent: ſi verò ex percuſsione, aut caſu dentes laxentur, maximopere his prodeſt alumen ſciſsile cùm myrrha troglodytica tritum, ac inſperſum: atque id vbertim, & continuè facere oportet, vt idem teſtatur Aetius: nam ipſos confirmat: ſtabilit quoque mobiles dentes (Pauli auctoritate) aloë

Paul. libr. 3. cap. 26.

inſper

inſperſa, vel rhus, vel alumen ſciſsile, aut galla, ſeu rubi radix per ſe, aut cum vino incocta. A ſiccitate autem dolore affectis dentibus cibus conueniens erit ſuccus ptiſanæ, micæ panis madefactæ ex gallinarum iure, cucurbitæ, maluæ, oua ſorbilia, & quæcunque iis proſunt, qui humectatione indigent. Potus ſit vinum album, aquoſum, aqua dilutum: medicamenta autem auſtera, & acerba vitent; nam maximè contraria eis exiſtunt: minimùm itaque adſtringentes, & mediocriter humectantes collutiones apparare oportet, vt aquam calidam per ſe, ex qua iterum per ſpongiam extrinſecus vapor admouendus erit: ex furfuris item decocto, aut radicis dulcis, ſeu maluæ collutio parari poterit: ſimiliter ex ptiſanæ ſucco, aut amylo cum ſapa, aqua calida diluta: lac etiam per ſe: maximè aſininum confert, & alia quæcunque his ſunt ſimilia, auctore Aetio. Hactenus ergo ſimplicium intemperierum, ex quibus dentium dolor excitatur curam oſtendimus: manifeſta verò & ex his fiet ea, quam compoſitæ requirunt, nimirum & ex iam dictorum miſtura ſignorum cognoſcibiles, & ex oſtenſorum auxiliorum temperatura curam accipientes: qui enim formam tractandi ſimplices morbos cognouerit, in promptu habebit, & circa mixtos conuenientia remedia inuenire, potiſsimùm ſi exceſſus iuxta qualitates tantùm contigerit: nam tunc ſcopus curationis ad alterationem ſolam dirigendus eſt, ita vt contrariis qualitatibus eam permutes. Eas verò intemperaturas, quæ vnà cum qualitatum exceſſu cum ſubſtantia etiam quadam conſiſtunt, ſeu humorum multitudine, palàm eſt primùm oportere corpus euacuare, aut redundantem humorem per conuenientem purgationem detrahere: deinde eas ad temperiem reducere, niſi quid impedierit: cuius rei in omni corporis intemperie memorem eſſe conducit, ex Galeni, Pauli, & Aetij ſententia. Qua de re ſi, ob humorum multitudinem, ſanguiniſque redundantiam dentium dolor excitatus fuerit, per venæ ſectionem euacuare conueniens erit: incideréque oportet venam humeralem appellatam, quæ ſi non contingat, eam, quæ media exiſtit, incidere conuenit, iuxta Aetij decreta: incidatur tamen ea quæ è directo laborantibus dentibus ſita eſt: & ſi opus fuerit, venas ſub lingua quoque ſecabis, aut cucurbitas ſcapulis affiges. At ſi quid prohibeat venæ inciſionem facere, modico, & tenui victu ſuperfluum detrahito humorem, vt idem præcipit Aetius. Euacuato autem vniuerſo corpore, dolentibus dentibus ea adhibenda ſunt, quæ reprimunt, atque repellunt, demum ea, quæ partim repellunt, partim quoque diſcutiunt; paucæ tamen ſunt affectiones quæ repulſoriis tantùm indigeant: nam hæ duntaxat, quæ minorem habent cauſam, & propterea cogimur ſæpius in principio etiam diſcutientia admiſcere, aut paulò pòſt, vt ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, teſtatur Galenus. Quanquam ſi doleant propter gingiuarum inflammationem, præſentiſsimum remedium eſt, vtpote citra moleſtiam, & abſque aſperitate repellens, diſcutiénſque citra mordacitatem, cuius rei inflammatis præcipuè, vſus exiſtit, oleum inquam lentiſcinum caliditate temperatum, ore retentum: eſto autem id recens: nam vetus tantò recenti deterius eſt, quantò calidius, Galeno auctore quinto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, quem ſectatus eſt Paulus cap. 26. libro tertio, nec minùs etiam ſi iuxta aliam partem dolor oriatur, eum ſedat lentiſcinum, vt idem teſtatur Galenus: magnopere tamen cauendum ab alterutris ipſorum intenſis, tanquam inflammatis doloroſis exiſtentibus: nanque à vehementer adſtringentibus partes ſimile quiddam contuſioni perpetiuntur, earum ſubſtantia vehementer condenſata, ab acribus verò eroſioni quid ſimile contingit. meritò igitur moderatum in vtraque facultate immoderatis præfertur, ex eiuſdem Galeni ſententia. Quapropter Aetius poſt lentiſcinum oleum, aſininum lac in ore retentum commendabat; ſimiliter & ſapam, aut palmularum ſtillamentum eodem modo calidum ore retentum. Verùm ad palmularum ſtillamentum, quo craſsities eius diluatur, aquam calidam affundendam eſſe iuſsit: valet etiam ſemperuiui minoris deco-

Curatio doloris dentiũ ex ſiccitate.
Victus ratio.
Medicamentorum ratio.
Lib. 8. cap.
Curatio doloris dentiũ ex multitudine humorũ orti.
Venæ ſectio.
Lib. 8. cap. 32.
Loco citato.
Topica quælia competant.
Cap. 3.
Cap. 9.
Aetius lib. 8. cap. 20.

ſtum per ſe, aut cum roſaceo melle, ſapa, vel palmularum ſtillamento in ore retentum. Dentibus autem ipſis in propria ſubſtantia affectis, aut ſubſtrato eis neruo, vehementiſsimis vtendum eſt medicamentis, ſiue quis repellere, ſiue diſcutere velit, & propterea (vt Galenus aſſerit) pleraq; ipſorum ex acerrimo aceto præparantur. Colluatur itaque aceto, in quo decocta ſit galla, Paulo auctore, vel halicacabi radix, alterci ſemen, ſeu folia, ac ſolanum vel myrti folia: nec minùs & eis vti poteris medicamentis ſupra conſcriptis pro cura doloris eorum orti ex calida, tum humida intemperie, ea inuicem miſcendo: poteris tamen proceſſu temporis, quæ diſcutiendi facultatem habent, admiſcere, vt hyſſopum, melilotum, fœnumgræcum, althæam, pulegium, origanum, & alia eiuſmodi. Ad ſtupefacientia autem medicamenta, niſi ſumma vrgente neceſſitate, deueniendum nequaquam erit, eíſque paulatim vtendum, & non niſi in humorum calidorum defluxu, qui ſi ex bilis redundantia fiat, ex qua interim eroduntur dentes, vniuerſi corporis; tum etiam capitis priùs ratio habenda erit, ipſum purgando medicamentis, quæ talem vim habeant: quorum mentio, tum cap. de dolore capitis ex bile, tum in pleríſque alijs locis, à nobis facta eſt. Poſtquam purgationem per reſiccationem vitiati influentis humoris ex localibus auxilijs factam, cura perficienda erit: quorum iterum ſyluam perquiras ex his, quæ diximus pro cura doloris dentium ex caliditate, tum etiam ex caliditate, & humiditate. Cæterùm ſi dentium dolor ex frigidorum humorum confluxu ortum duxerit, poſt iterum eorum à toto corpore, ac à capite inanitionem (quo caſu præſtat valde apophlegmatiſmis vti, vt 5. de compo. med. ſec. loc. c. 9. patet) quæ ſimilem habeant facultatẽ adſtringendi mediocriter, ac validiſsimè diſcutiendi medicamenta, ac calida magis adhibenda ſunt; quemadmodum eſt ruta, ſeu polium, pulegium, origanum, hyſſopum, ſeu capparis radix ſi in aceto, aut vino decoquantur, ac ex eis collutio oris fiat. Conducunt quoque ea, quæ ſupra ſcripſimus, medicamenta pro curatione doloris dentium, cum ex frigida, tum ex humida intemperie. Nec minùs & iam ſuperiùs conſcripta auxilia conferunt, quædam ad dentium foramina, ſeu ad eos liuidos redditos, cùm etiam ex humorum vitiatorum influxu id patiantur. Si verò nulli prædictorum malum ipſum cedat, & dolor vehementer perſeueret, dens ipſe tollendus erit, potiſsimùm ſi liuidus, aut perforatus, ac vacillans fuerit; ídque aut medicamentis, quæ ab artis medicæ auctoribus eximiis commendantur, aut ferro perficies: nam ſi corroſus fuerit dens, & mouetur, eximatur, inquit Hippocrates libro de affectionibus, ſi verò non corroſus eſt, neque mouetur, dolorem etiam exhibet, per vſtionem reſiccatur. Stupori autem dentium benefacit portulaca commanducata, vel oleum quod immaturæ oliuæ fuderunt infricatum, vel amurca vetuſta in æreo vaſe cocta, donec mellis ſpiſsitudinem habeat ſi perungatur, Paulo auctore, præcitato loco.

Quibus vtendũ ſit, ſi dẽtes in propria ſubſtantia, aut in ſubſtrato neruo affecti ſint.

Si ex defluxu calidorum humorum dentes doleant, curatio.

Si ex confluxu frigidorũ ſuccorum, curatio.

Ad dentiũ foramina, ac liuiditatem.

Circa principium.

Ad dentiũ ſtuporem.

Περὶ ἀφθῶν. *De aphthis.* *Caput XLII.*

IN oris ſuperficie interim vlcerationes quædam igneæ quippiam caliditatis habentes exoriuntur, has Græci ἄφθας, medicorum vulgus alcolas appellat. Summa igitur oris pars cùm ab eis occupetur, Galeno teſte ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & commento aphoriſ. 24. tertij libri, haudquaquam partem ipſam affectam inueſtigare difficile erit, cùm ægrotantis ore adaperto promptè oculis eam cernere liceat; paritérque ad tactum iudicari poterit, cùm calidiores, quàm conueniat, tumidioréſq; oris ſummæ partes ſentiantur. Affectus ipſe, cùm exulceratio quædam ſit, liquet, neque alijs indicijs indiget pro eius cognitione, quàm viſu, & tactu, velut ipſa pars affecta. Earum autem cauſa neque vna eſſe poterit: nam ſi lactentibus pueris excitentur, quibus vt plurimùm fieri conſueuerunt, Galeno auctore, aut vitioſum lac nutricis, quod

Pars affecta. 6. de comp. medic. ſecundum loc. cap. 4.

Affectus. cauſæ, ſi lactẽtibus accidãt.

non

non paruam in ſe ſeroſam contineat partem, erit in cauſa, quoniam hæc pars vim habet abſtergendi, quam ob molliciem oris ſummæ partes lactentium infantium ſuſtinere nequeunt. Quare non mirum ſi in corporibus mollibus ex tali lacte per oris ſumma fiant exulcerationes, ex Galeni ſententia in commento eiuſdem aphoriſmi 24. tertij lib. id autem percipere poteris ipſa lactis qualitate inſpecta, aut ſi lac vitioſum non fuerit, propterea quòd ipſum non probè concoquunt infantes lactantes, ea de re contingit propter hanc. cauſam, iam dictas exulcerationes oboriri, eodem Galeno teſte, libro ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos.

cap. 4.

Cauſæ, ſi non lactentibus fiant.

Iis verò, qui ad perfectam ætatem peruenerunt, ac non lactentibus pueris, nedum aphthæ fiunt propter acredinem eorum quæ bibuntur, ac comeduntur, verumetiam propter vitioſorum humorum ad os defluxum, vt libro octauo cap. 39. inquit Aëtius. Ortas autem aphthas ex eorum quę comeduntur, & bibuntur acrimonia, promptè ex ægrotantis, ſeu aſtantium ſermone, ipſis interrogatis percipere poteris:

Signa.

reliquæ verò ex earum colore diuerſo comprehenduntur, nam rubicundiores cùm fuerint, ſanguineum humorem præualere oſtendunt: flauiores autem amaram bilem: nec minùs ſi tangas, immodicam percipies in eis caliditatem: quamuis valde maiorem in flauioribus, & ex bile dependentibus. At ſi albeſcentes fuerint, pituitoſiores. Liueſcentes verò, & nigreſcentes, atræ bilis ſuccum præualere oſtendunt: quas geminas, ſi tangas, haudquaquam immodicè calidas reperies. Ex corporum inſuper temperatura, ætate, habitu, ac præcedente victus ratione, pleniùs id coniicies. Ex eis facilè curantur, quæ pueris lactentibus fiunt, Galeno auctore: iis quoque ætatis ratione maximè contingunt, vt inquit Hippocrates, præcitato aphoriſmo 24. tertij libri:

Prognoſtica.

quæ verò accidunt iis, qui ad perfectam ætatem peruenerunt, non ita facilè: potiſsimùm, vbi ob vitioſorum humorum defluxum excitentur, quamuis Celſus libro ſexto cap. 11. velit longè periculoſiſsimas aphthas eſſe in pueris: in viris autem, & mulieribus idem periculum non eſſe, cùm non ita facilè ab eis conſumantur; quibus ſuis verbis cum Galeno conciliatur,

Celſus cũ Galeno conciliatur.

qui voluit faciliùs curari eas in pueris, vtpote quia ex moderatè adſtringentibus ſedentur, id quod in adultis nequaquam fieri poteſt, aut perquam rariſsimè; mitiores etenim ſunt in pueris lactentibus, quia ex mitiori cauſa fiunt, quamuis ætatis ratione ab eiſdem faciliùs quàm viri conſumantur, vt inquit Celſus: at ſi ab affluente vitioſo humore fiant aphthæ, vt inquit Galenus, tertio de morbis vulgar. id quod ſæpiùs prouectioribus accidit, ſemper prodeunt cacoëthes.

3. de morbis vulg. commẽtario 3. comment. 12.

Harum omnium periculoſiſsimæ exiſtunt, quæ ex atra bile originem duxerunt, propter humoris malignitatem: quæ verò diuturnæ fiunt, & progreſſu temporis putredinoſum quid acquirunt, ac malignæ euadunt, ægrè ſolubiles ſunt; à medicisque nomæ appellantur, hoc eſt, depaſcentia vlcera, malo nimirùm ſemper vlteriùs ſerpente, nec medicamentis cedente: vt propterea fortioribus indigeant medicamentis, vt patet eodem lib. ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos.

cap. 4.

Curatio earũ, ſi lactentibus accident.

Quæ itaque lactentibus pueris accidunt, ex his quæ moderatè adſtringunt, ſedantur, vitioſo tamen priùs nutricis lacte conuenientibus cibis, ac potibus contemperato: aut ſi idipſum probè non concoxerint infantes, vt probè concoquant, procurabis; ſimulque proſpicies & ipſi nutrici bonam concoctionem. Quapropter cibis leuibus alenda erit, & his, qui facilè non corrumpuntur, vt præcitato loco Celſus præcipit, potio, ſi febricitat puer, aquæ, ſi ſine febre eſt, vini diluti præbenda erit: admiſcereque cibis conuenit lentem, cotonea mala, & ex pyris quippiam addere, ſorbis, meſpilis, ac cornis: quandoq; etiam in cibos, qui manduntur, de lactuca, ſeride, ſolano, & portulaca permiſcere licet. Et ſi infans quid mandere queat, ea quoque tribuenda ſunt, vt mandantur: præſertim ſi valde inflammata fuerit aphtha, eſt quoque infantis os pharmacis illinendum, præſertim ſi ſubrubras videris aphthas, in principio quidem iis, quæ moderatiſsimè adſtringunt, ac frigefaciunt: deinde verò iis, quæ citra mordacitatem diſ-

cutiunt. Si verò ſubflauas videris aphthas, iiſdem quidem vtendum, ſed magis refrigerantibus. At ſi pituitoſiores, & ſubalbidæ fuerint, adſtringentibus ſimul, & abſtergentibus vtendum erit, velut, ſi nigreſcentes fuerint, his, quæ generoſè diſcutiunt, vti licebit. In principio itaque ſi ſubrubræ fuerint aphthæ infantibus ipſis pharmaca illinenda ſunt, quæ moderatiſsimè aſtringunt, & frigefaciunt, Galeno auctore, ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum

cap. 4. loc. deinde verò, ea quæ citra mordacitatem diſcutiunt, nam moderatæ aphthæ maximè in tenellis corporibus moderatis pharmacis opus habent, vt ipſe aſſerit, cuius farinæ ſunt, ſyrupus ex ſucco roſarum, è portula, ex omphacio; aut ex plantagine, vel ex moris, ſeu rubi moris, aut ex malis punicis acidis: puluis quoque parari poſſet ex lentium farina, ex thu, roſarum floro, ac eiſdē ipſis roſis ſiccis. Collutiones inſuper moderatè adſtringentes ex rubri decocto, roſarum, aut plantaginis, balauſtiarum, & ſantalorum, admiſto aliquo ex iam dictis ſyrupis componantur, eiſdem quoque, ſi ſubflauas videris aphthas, vtitor: ſed magis refrigetantia eligas; quo caſu ſolani ſucco, aut eius decocto vti valde conducit. At ſi neque his malum cedat, adiicienda erunt prædictis, quæ citra mordacitatem diſcutiunt, vt mel roſaceum, aut vinum præſertim dulce, in quo prædictorum aliquod diſſoluatur, aut decoquatur. Albeſcentes verò, & pituitóſiores aphthas adſtringentibus ſimul, & detergentibus ſimiliter moderatis, curabis. Eiuſmodi ſunt, manna thuris, glycyrrhizæ ſuccus, nux cupreſsi, & maſtiche: hæc cum foliorum myrti, aut oleæ decocto miſceantur, & eo aphthæ illinantur: quæ iterum cum aliquo ex paulò ante commemoratis ſyrupis miſcere licebit. At ſi liuentes, & nigreſcentes fuerint aphthæ, ex vua paſſa exacinata, & aniſo tritis cum melle, ſeu melle roſaceo illinendæ erunt. Confert inſuper & florum chamæmeli, ſertulæ campanæ, anethi, ſeu fœnigræci puluis, qui pariter cum melle, ſeu roſaceo melle mixtus illiniri poterit: & ſi mitius velis parare medicamentum, puluerem ex aliquo iam dictorum cum ſyrupo myr-

Si maioribus pueris, aut ætate perfectis fiant, curatio. tino, aut ex moris, ſeu portulaca permiſcebis. Cæterùm, ſi in maioribus pueris, aut ætate perfectis aphthæ exoriantur, eiuſdem quoque generis pharmacorum facultatibus, auctis tantùm ipſorum viribus vtendum erit: verùm non æqualiter omnibus, ſed maximè eorum corporum naturas ſimul conſiderabis, num molles ſint, & humidæ, velut eunuchis, & mulieribus, ac pueris; aut duræ, & aridæ, veluti in piſcatoribus, nautis, venatoribus, atque agricolis: nanque robuſtioribus iſtis corporibus fortiora adhibenda erunt pharmaca, mollioribus

cap. ult. debiliora, ex eiuſdem Galeni ſententia, præcitato libro ſexto de compoſitio-

Victus ratio. ne medicamentorum ſecundum locos. Quod verò ad victus rationem attinet, abſtinendum erit ab acribus, ſalſis, & acidis, tum edulijs, tum potibus, ac à cunctis, quæ vitioſos ſuccos generare poſſent; quemadmodum (Apollonij auctoritate) eodem loco præcipit Galenus: victuque alendi ſunt boni ſucci, facilisq; concoctionis, cum aliquo ex prædictis oleribus, ſeu fructibus permiſto. Et ſi ſanguineus præualuerit ſuccus, priuſquàm topicis vtaris medicamentis, vena ſecanda erit, ſi nihil impediat, interna, ſeu humeralis: et ſi opus fuerit, iteranda venæ ſectio erit. Siquid verò venæ ſectionem prohibeat, vt in pueris infra de-

Sanguinis miſsio. cimumquartum annum, ſanguinis miſsio per affixas cùm ſcarificatione cucurbitas ſcapulis fiat, aut per hirudines, eodem loco, ſeu in cubito admotas, veluti Neapoli conſueuimus. At ſi hæc non ſuffecerint, ex venis ſub lingua

Purgatio. ſanguis quoque prædictis mittendus erit. Quòd ſi totius corporis plenitudo non adſit, ſed quiſpiam vitioſus redundarit in toto corpore ſuccus, is primò vacuandus erit, adhibito purgante medicamento, quod talem vim habeat, bilem ſcilicet educendi, ſi bilis; pituitam, ſi pituita, nigram bilem, ſi ſuccus melancholicus redundarit. Vacuato autem corpore, medicamenta, quibus ad-

Topica qualia adhibēda. ſtringendi facultas ineſt, admouenda ſunt à principio: conſequenter verò his, quæ vim diſcutiendi obtinent, admiſcenda erunt. Primò tamen moderatis, quæ ſuprà retulimus, vtare. Quod ſi ea non ſuffecerint, omphacio cum

vino auſtero, & ſubaſtringente vtaris, aut rhus, quod ſumac appellant, oleæ, ſeu myrti albæ folia cum prædicto vino decoquantur, quo oris collutiones fiãt: nec minus & gallarum decoctum cum vino confert, gallas inſuper contuſas, ſi in aqua decoquas, & cum præcolato decocto parem menſuram mellis permiſceas, rurſuſque decoquas, donec ad mellis craſsioris ſpiſsitudinem redigatur, maximo remedio erit, vt inquit Aëtius, præſertim pueris, & inueterato iam malo: prædictis verò deinceps, ſi malum eis non cedat, fœnumgræcum, melilotum, glycyrrhizæ radicem, myrrham, aut aniſum permiſcere poteris, aut etiam ſal ipſum, ſi robuſtiora corpora fuerint, mandendæ inſuper ſunt oliuæ muria conditæ, cùm adſtringant & diſcutiant, Apollonio teſte, nec minus portulaca melle tincta, ſi manducetur, confert. Ex erui quoque farina, & melle aphthæ extergendæ ſunt: & demum galla cum melle illinenda erit, vt auctoritate Archigenis, Galenus approbat, eodem ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum loc. ſimiliter miſy, alumen, & rhoëm cum melle. In perfectis etiam, & duris corporibus, ex propoſito idem Galenus eodem loco, miſyos vſum cum vino adſtringente per omnia commendat: poterit autem huius medicamenti vis (vt ipſe inquit) tum intendi, tum remitti, prout magis, vel minus vinum fuerit adſtringens: & prout craſsius, aut liquidius efficitur pharmacum ex miſyos, ac vini miſtura. Porrò ſi in putredinem aphthæ vertantur, quas amplius aphthas appellare non conuenit, eodem Galeno teſte, præclarè facit (vt inquit Aëtius) ex gallarum decocto, & melle præſcripto illitio: nec minus egregiè facit, centaurij minoris exuſti cinis, illinitus cum melle: priuatim verò conuenit cornu cerui tritum, aut atramentum ſutorium vſtum, cum melle etiam tritum, ſeu æris ærugo, ſiue ſquama ſimiliter cum melle: ſiccum item pharmacum, quod ex roſarum floribus, rhoë, croco, & coſto conſtat, magnopere confert, ſi cum melle illinatur, eodem Aëtio auctore, ſi verò proſerpant aphthæ, quæ nomæ appellantur, ſummè eis facit fœniculi radicis vſtæ cinis (ex monumentis Archigenis) per ſe, & cum melle illita, vt inquit Aëtius. Item amurca in æreo vaſe, donec in mellis craſsitudinem cogatur, decocta, ac illita: nec minùs confert gallarum, aluminis, & balauſtiorum puluis, æquales ſingulorum partes aſſumens, per ſe, aut cum melle illitus. *cap. ulti.*

Περὶ κατάῤῥου βράγχου, καὶ κορύζης. *De deſtillatione, raucedine, & grauedine.*

CAPVT XLIII.

CONTINGIT non rarò, vt capite malè affecto, ſuperuacaneum quoddam ex eo in ſubiecta membra confluat, promptiſsimè quidem in os, & nares impetum faciens, Galeno auctore, ſexto de ſanitate tuenda: & licet diuerſas ſuſcipiat nomenclaturas, pro partium diuerſitate, quæ excrementa ſuſcipiunt, vt dicemus, tamen quo nomine nuncupetur ea affectio, quæ communis eſt omnibus, haud admodum liquet: nam (vt Celſus inquit, libro quarto cap. ſecundo) Hippocrates κόρυζαν nominare conſueuit, nunc verò (vt ipſe aſſerit, & nos quoque obſeruauimus) apud Græcos in grauedine hoc nomen ſeruatur, velut deſtillationes κατασταγμοὺς appellant. Cùm itaque capitis fluxio ad ſubiectas partes indifferenter nullam habeat propriam nomenclaturam: nec apud Græcos, nec apud Latinos, ſeu Arabes, poterimus prout abuſus inſueuit, & Græcum nomen ſignificat κατάῤῥουν Græcè, Latinè defluxionem appellare: Cælius Aurelianus libro ſecundo capite 7. influxionem nuncupauit, communiſsimè tamen vocabulo ipſo vtens. Nam ſi communiter ſumatur pro omni defluxione, quæ ex capite ad pulmonem per aſperam arteriam fluit, aut pro omni ea quæ à capite per venas ad partes inferiores defluit, intelligi debet, Galeno teſte, commento aphoriſ. 12. tertij lib. propriè autem κατάῤῥουν Græci nominant, vt idem Galenus aſſerit lib. tertio de cauſis ſympt. cùm quod ſuperuacaneum eſt,

cap. 9.

Quot modis deſtillatio dicatur, ſeu defluxio.

Deſtillationis communiſsimè ſumptæ differentiæ plures.

3. de cauſis ſymp. cap. 4.

à cere

à cerebro in os defluat; quem etiam Latinè propriè deſtillationem nuncupare debemus: velut ſi in nares excrementum defluat, κόρυζαν Græci, grauedinem

cap. 9

Latini appellant. At ſi in fauces, vt inquit Galenus præcitato loco, aut in laryn-

Loco citato.

gem, vt ſexto de ſanitate tuenda ipſe aſſerit, ex capite excrementa decidant, βράγχος à Græcis, raucitas à Latinis nominatur affectio: nam principio vocem raucam facit, procedente verò tempore paruam. Si verò longiùs etiam procedit malum totam adimit, vt patet eodem ſexto de ſanitate tuen. quamuis Paulus velit, cap. 28. lib. 3. Quòd ſi excrementitius humor per palatum, ex capite in fauces decumbat, κατάρρους Græcè, Latinè deſtillatio nominari debeat, ſi verò in guttur, & aſperam arteriam deſtillet, vocatur tunc malum Græ-

Paulus cũ Galeno conciliatur.

cè βράγχος, vel ἀρτηριακόν: conciliari tamen cum Galeno poſſet de catarrho, quòd & ſi per palatum in fauces excrementum aliquod defluat, adhuc in ore ſuſcipitur; à quo & tum gula, tum aſpera arteria excrementi decurſum exci-

Cap. citato.

piunt, eodem Galeno auctore, ſexto de ſanitate tuenda. ſunt enim fauces ſpacium illud laxius, quod inter gulam, & guttur præiacet, vt liquet commento

3. prognoſtic. comment. 16.

aphoriſ. 34. quarti libri, & tertio prognoſticorum. quapropter & os cum his ſimul afficitur, & ore affecto, ac ſuperuacaneum excipiente, contingit, & eas quoque coaffici, vel dicas faucibus exiguum excrementum ſuſcipientibus fieri etiam catarrhum, quoniam vox nondum mutatur, & rauca redditur. Sic etiam de brancho diſſerendum erit, nam raucitas nedum gutture affecto, verumetiam & faucibus ipſis, multo tamen humore imbutis ſuperuenit, velut ex Galeni ſententia aſſeruimus: ſunt enim ambo vocis organa, vt ipſe inquit ſe-

cap. 1.

ptimo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos: præcipuè tamen fieri conſueuit, ſi in guttur, & aſperam arteriam excrementitius humor deſtillet, vt inquit Paulus. Cæterùm, ſi in alias partes capiti ſubiectas ab eo fluxio procumbat, pro partium varietate diuerſas ſuſcipit nomenclaturas, vt ſi in gurgulionem vua, aut ſi aliter in tumorem attollitur, alio nomine, ſi in glandulis, quæ in oris termino vtrinque iacent, antiades, ſi in iis, quæ proximæ eis ſunt,

De quibus differentijs tractabitur.

pariſthmiæ nuncupantur. Si in reliquas partes aliam quandam appellationem ſuſcipiunt, de quibus omnibus modò tractare non intendimus, ſed de tribus duntaxat prænominatis fluxionibus, catarrho videlicet propriè dicto, coryza, & brancho, hoc eſt, de deſtillatione propriè dicta, grauedine, & raucitate ver-

Quid ſit omnibus cõmune.

ba faciemus. Eſt autẽ tum his, tum reliquis omnibus non nominatis vitiis commune (vt inquit Paulus) deſcenſus excrementitij humoris ex capite in ſubiectas partes: quem deſcenſum, defluxionem, ſeu deſtillationem (quamuis com-

Que pars afficiatur.

muniſsimo vocabulo) nuncupare fas erit. Quod autem in hac affectione cerebrum primò oblæſum ſit, liquet ex Galeni verbis, tertio de cauſis ſymptoma-

cap. 4.

tum, cùm dixit, catarrhi, & coryzæ cauſa eſt cerebrum: & poſt pauca, iterum dicebat, ergo qualis in ventre paſsio ex mala concoctione fit, tale eſt in cerebro prædictorum vtrunque; patere inſuper illud poterit & ſexto de ſanitate

cap. 9.

tuenda: quo loco capiti in prædictis affectionibus proſpiciendum eſſe iuſsit, tanquam ipſius mali fonti. Ex ipſiuſmet quoque cerebri operationibus oblæſis, ac ex eiuſdem excrementis quantitate, & qualitate mutatis, confirmari poteſt. Quanquam cum eo in grauedine nares coafficiantur, in deſtillatione, ſeu catarrho, os ac interdum fauces: in raucitate larynx, ſeu aſpera arteria, aut ipſæ

Quis præter naturam affectus.

quoque fauces, ſi immodico humore imbutæ ſint. Affectio ipſa ſymptoma eſt in genere excretorum immodicè, vt Galenus inquit, eodem tertio de cauſis ſymptomatum, quod quidem interim ad ipſius cerebri intemperiem conſe-

cap. 4.

quitur calidam, vel frigidam, quo caſu vt ſimilaris pars ipſum afficitur. Inter-

cauſæ.

dum verò eo impleto, & velut inſtrumento oblæſo ſymptoma hoc excitatur,

Loco citato.

vt Galenus teſtis eſt præcitato libro tertio de cauſis ſymptomatum. At tibi de-

Cauſarum cognitio.

clarabunt, quænam fuerit capitis diſpoſitio ſiue calida, ſiue frigida, qualitas, & quantitas excrementorum, necnon cauſarum, quæ præceſſerunt contempla-

cap. 5.

tio, Galeno auctore, tertio de locis affectis. Cùm itaque cuiuſlibet defluxus ex

capite

capite ad iam dictas partes cauſa ſit intemperies calida, aut frigida, cerebro tamen vt parte ſimilari affecto, aut multitudo vaporum, ſeu humorum in eo contentorum, ſi vt inſtrumentalis pars, cerebrum ipſum affectum ſit: quanquam eius affectio quoquomodo fiat, ſimilis ſit affectioni ventris ex mala concoctione, vt patet eodem tertio de cauſis ſymptomatum: propterea ſingulæ diſpoſitiones propriis indiciis inueniendæ ſunt.

cap. 4.

Si ex frigida cerebri intēpe rie fiat, ſigna.

Nam ſi frigida fuerit, tum ex quantitate excrementorum, quæ maior erit, tum ex qualitate, quòd frigida, ac minimè mordacia ſunt, cognoſces, caputq́; vndique & frons iis diſtenditur, ac meatus, quos ethmoides vocant, clauduntur ne vox deorſum per nares tranſmeet, vt inquit Panlus: frigidaq́; præceſſit victus ratio, temperamentum potiſsimum cerebrì, ac ætas, tempus anni, regio, ac aëris conſtitutio aquilonia. Hæc nanque frigida cerebri intemperies cogens amplius, & comprimens quodammodo caput (velut manus ſpongiam aqua imbutam) exprimit cerebrum ipſum, quo fit, vt ad locà capite inferiora eius excrementa decidant: adhæc cùm quod ad ipſum cerebrum prouenit pro nutrimento, ſua frigiditate concoquere non poſsit, effectum ei velut excrementum, iterum ad infernas partes illud conuertitur, cùm nequaquam continere valeat: nec minùs cùm ex infernis partibus in ipſum vapores aſcendant, nequaquam digeri, ac diſcuti ab eo valent: qui iterum multiplicati, ac craſsiores redditi, vt ad ſubiectas partes delegentur opus eſt, nullam ſiquidem in parte aliqua corporis plenitudinem digerit hyems, vt inquit Galenus commento aphoriſ. 13. tertij libri. Quare nec frigiditas confert, etenim frigida intemperies dum nihil abſumit humoris quodammodo incremento confert, eodem Galeno auctore, ſexto de ſanitate tuenda, & primo de morbis vulgaribus: qua ratione etiam fit, vt ex accidenti propter frigidam intemperiem cerebrum repleatur, ac vt inſtrumentum à plenitudine infeſtetur; id quod præter iam dicta, ſi ex frigidis ſuccis fiat, dignofces ex capitis, tum diſtentione, tum grauedine, citra tamen calorem, ac mordacitatem oculorum, ſeu faciei rubedinem: præceſſeruntque nonnulla, à quibus caput facilè repleri frigidis humoribus potuit, vt nimia repletio, & præſertim frigidorum alimentorum, ac potuum, aut frequentes cruditates aſſumptorum ciborum, qui in ventre incocti perſeuerantes nequaquam infra excernuntur: iis quoque ſi febris ſuperueniat, ab ea iuuantur, Paulo auctore, præcitato loco.

1. de morbis uulgar. cōmentario 2. comment. 7.

Si ex calida intemperie ſigna.

At ſi ex æſtu grauedinem quiſpiam, deſtillationem, ſeu raucedinem concipiat, his particulæ quæ fluxionem ſuſcipiunt, incaleſcunt, acris, tenuiſque humor deſtillat, tum per nares, tum per os, facieſque rubeſcit, & naſus, vt idem inquit Paulus. Hos etiam magna ex parte febris comitatur, quamuis ab ea minimè iuuentur, tumeſcere inſuper facit naſum, & interim exulceratur tum naſus ipſe, tum reliquæ partes fluxionem ſuſcipientes, cùm ea acrior fuerit, Hippocrate auctore; libro de veteri medicina: & ſi manum fronti, capitique admoueas, immodicè calentes has partes reperies, quòd ſi ætas, temperamentum, habitus, anni tempus, regio, aëriſque conſtitutio præceſſerint, ac fuerint calidæ, certiùs id manifeſtabunt.

circa finem.

Eſt autem huius defluxus cauſa, calida cerebri intemperies, non ſiquidem cogens, ac conſtringens, veluti frigida, ſed cerebri humores extenuans, ac diſſoluens; attrahendo quoque per ſe, & ipſa caput replet, præſertim vbi vinum vltra modum potatum fuerit, aut copia ciborum, calidorumq́; præaſſumpta, aut balnea calidiora, ſeu largior perfuſio capitis ex aqua calida præceſſerint, nam & hæc ſuapte natura caput replent, quemadmodum auſtri, ac auſtrinæ pluuiæ, & cuncta, quorũ natura calida eſt, & humida: omnia nanq; talia apta ſunt caput replere, vt teſtatur Galenus commento aphoriſ. 5. tertij libri: quo caſu præter iam dicta, aderit capitis quoque leuis dolor, ac grauitas cum manifeſto caliditatis ſenſu.

Prognoſtica.

Aptiores autem ſunt, qui temperaturam calidam capitis habent, vt ab externis cauſis in deſtillationes incidant, velut frigidam habentes temperaturam paratiores ſunt, vt ab internis cauſis deſtillationibus corripiantur. Verùm ſi raucedines, & grauedines in valde ſenibus fiant;

concoct

concoctionem non admittunt, inquit Hippocrates, aphoriſ. 40. ſecundi libri, cùm ex frigidis oriantur cauſis, & facultas eorum imbecilla ſit, ita vt eas concoquere non valeat. Celſus verò ſcriptum reliquit, quòd ſi in nares ex capite deſtillat humor, leue eſt; ſi in fauces, peius; ſi verò in pulmonem, peſsimum eſt; quòd ſi in aſperam arteriam deſtillet, peius erit, quàm ſi in fauces; non tamen ita peſsimum, vt ſi in pulmonem, quemadmodum cuilibet patere poterit. Cunctæ verò deſtillationes breues, & ſi neglectæ ſint, longæ eſſe conſueuerunt, vt idem inquit Celſus, nihilque peſtiferum, niſi quod pulmonem exulcerauit, eo-

Curatio. dem teſte: quanquam neque omnino ſalubris ſit, aut curatu facilis, ſi ex deſtillatione caput aſperæ arteriæ, aut ipſa eadem exulceretur, potiſsimùm ſi ad eius

Cap. 7. cartilagineam ſubſtantiam peruaſerit, quemadmodum liquet ſeptimo de vſu partium: conſiderare itaque oportet, cuiuſq; deſtillationis præcedentem cauſam, ac præhabitam diætam, atque ita remedia contraria afferre, vt inquit

Lib. 8. c. 53. *Victus ratio.* Aëtius. In vniuerſum autem pauco cibo, & quiete vtendum eſt, vitato etiam frigore, & calore, & præſertim ſi repentiua fiat mutatio, modò ad frigus, modò ad calorem. Hæc nanque res (vt teſtatur Celſus cap. 2. libri primi) maximè grauedines, deſtillationesque concitat: protinusque abſtinendum eſſe à ſole, balneo, vino, & venere idem Celſus præcipit cap. 2. libro quarto. temperatus ergo eligatur aër, vt neque impenſè calidus, aut frigidus ſit: verùm ſi cauſa fuerit frigida, parum ad calidum inclinet; ſi calida, parum ad frigidum. Caueant ventos, cùm auſtrinos, tum aquilonios, vitentq; ſomnum longiorem, & diurnum, moderatus tamen in nocte confert; procurandumque erit, vt ſingulis diebus alui excrementa excernantur, ſi non natura, ſaltem arte, balanos, aut clyſteres adhibendo, abſtineantque ægri ab immodicis animi affectibus. Cibis vtantur concoctu facilibus, & boni ſucci cum frigidis aliquatenus, aut calfacientibus leniter permiſtis, prout diuerſa exigit diſpoſitio. Sorbitiones tamen maximè proſunt, vt inquit Paulus, aut amylum, ptiſana, oua ſorbilia, panis in aqua cum amygdalarum ſucco decoctus, aut cum pini fructibus, in cauſa frigida. Aëtius vero caſeum tenerum, ac recentem, tanquam vtilem, comeſtum commendat; & in frigida cauſa cauliculos braſsicæ, ipſamque braſsicam, coctos, & comeſtos: nec minùs ſi à ieiunis ipſimet cauliculi crudi edantur, butyrum quoque eis vtile exiſtit, & quibuſdam robuſtioribus porri quoque probè cocti, potiſsimùm in raucedine. In cauſa verò calida, lactucæ, cauliculos parumper feruefactos comedant, etiamſi in poſca ipſos intingant: poterunt quoque vti pane dulciario confecto ex amygdalis ipſis, & ſaccharo, aut ex pini fructibus, & ſaccharo confectis, ſi ex frigida cauſa ortum habeat defluxus; caueant vaporoſos cibos, vt cepas, allia, ſinapi, ac reliquos. Prædictorum autem ciborum quantitas, præterquàm quòd moderata perpetuò eſſe debeat, minor tamen in cœna, quàm in prandio ſit, & poſt cibum neque legant, neque ſcribant, Celſo authore, cap. 5. libro primo: pro potu deuitent vinum, loco cuius aqua hordei in calido defluxu, aut aqua, in qua parum radicis glycyrrhizæ, ſeu cinnamomi fuerit decoctum, in frigido vtantur, aut radicis glycyrrhizæ decocto: vel ipſammet radicem dulcem cum cinnamomo, in frigida, ſeu cum hordeo, in calida fluxione decoquas. Poterunt quoque qui ex frigiditate defluxu corripiuntur, aqua mulſa pro potu vti, aut aquoſo vino, ipſius verò potus quantitas ſit exigua, nam procurata ſitis multum confert, vt Theodorus Priſcianus inquit li-

Medicamentorum ratio. bro ſecundo ad Timotheum cap. 7. Quod verò ad medicamentorum rationem attinet, ex Galeni ſententia, ſexto de ſanitate tuenda, in quouis defluxu

Cap. 9. ex capite ad ſubiectas partes, capiti ſaltem proſpiciendum eſt, ipſumque ſanandum, veluti mali fontem, ac firmandum modo liceat, etenim origo, & principium catarrhi è capite naſcitur, eodem Theodoro Priſciano teſte. Qua de re ſi ab ipſa caliditate ſincera, aut frigiditate fluxiones contigerint, & nulla alia facultate participauerint, ſic ſanè ſedabuntur, vt inquit Hippocrates libro de

Loco citato. veteri medicina, vbi ex frigido in calidum permutatæ fuerint, & ex calido in

frigid

Si ex calida cerebri intemperie fiat, curatio.

frigidum. Vbi itaque calida præpolleat intemperies, iis pugnandum eſt præſidiis, quæ dolori capitis ex tali cauſa contracto conueniunt, præſtátque æſtatis tempore eorum caput roſaceo perungi potiſsimùm omphacino; frequentíque balneo potabilis aquæ ægros fouere oportet, quo & calidos vapores, qui in capite ſunt, euocemus, & totum capitis temperamentum melius reddamus, Galeno teſte, eodem ſexto de ſanitate tuenda, ipſúmque caput copioſiore aqua calida, moderatè tamen perfundendum erit, vt inquit Paulus: nec propterea Celſo pugnabimus, qui protinus à balneo abſtinendum præcipiebat; nanque aut ſponte naſcentes aquas interdicebat, vel in frigida intemperie circa initia ipſum prohibebat.

Cap. 9.

Si ex frigida.

At ſi frigida intemperies caput infeſtet, calefacientibus, iuxta præallegatam Hipprocratis ſententiam, fluxio ſedabitur, in calidum intemperie permutata: caput itaque nardino, rutaceóque oleo perungi debet, Paulo teſte, irinum verò non ſolùm illinitur, ſed etiam naribus inſtillatur, vel chamæmelino, ſeu anethino vtare.

Si ex calidorũ ſuccorum redũdãtia fiat, curatio.

Venæ ſectio.

Purgatio.

Verùm ſi nedum calida fuerit cerebri intemperies, ſed calidi quoque in eo redundent ſucci, ac forte febris inuaſerit, totius corporis plenitudine exiſtente, ſanguis mittendus erit ex externa cubiti vena, quæ humeralis dicitur, ſiquid eam non prohibeat, eáque iteranda erit, ſi opus fuerit, potius quàm ſemel multam quantitatem ſanguinis extrahere: at ſi quid eam prohibeat, redundantes humores aliis euacuationibus purgare, ac deorſum trahere oportet, clyſteriis videlicet, cucurbitulis, frictionibus, ac purgantibus medicamentis; priùs tamen quàm ea tribuantur, concoqui, ac temperari calidorum humorum acrimonia debet, ac eorum intemperantia: indigẽt enim hoc omnes fluxiones, quæ ex humorum acrimonia fiunt, teſte Hippocrate præcitato loco. Temperantur autem ſi ſyrupum violaceum, roſaceum, ex nymphæa, papauere, aut ex cannis tribuas cum aqua hordei, aut decocto radicis glycyrrhizæ, ſeu borraginis. Tribuas verò vnc. j. & s. vel ij. ex prædictorum ſyruporum aliquo cum vnc. iij. ex aliqua prædictarum aquarum: quibus pluries aſſumptis purgare poteris ægrum ex caſsia fiſtula, ſeu manna vnc. ij. videlicet caſsiæ fiſtulæ, aut ij. vel iij. ipſius mannæ; & ſi videbitur addere poteris vnc. s. ſeu drach. vij. antidoti diacatholicon, aut decoctũ trochiſcati agarici drach. j. vel ſcrup. iiij.

Topica.

capitiq; demũ applicentur ea topica medicamenta, quæ in capite de dolore capitis cõmemorata ſunt, balneis item dulcis aquæ, ac reliquis, quæ ſuprà in calida intemperie approbauimus, vtẽdum; & cùm ſomnum ingreditur, diacodium ore contineat, ſæpiúſque eo vtatur etiam ſi vigilet. poteríſque eum in tabellis conficere, velut Neapoli vtimur, præſertim his, qui liquidum medicamentum ipſum ſumere abhorrent; ſomnum etenim dulcem infert, & reprimit influxum, vt inquit Aëtius.

Si ex frigidorũ humorũ redundãtia fiat, curatio.

Frigido autem redundante humore, præſertim in capite, per ea quæ talem purgant, medicamenta, corpus, & caput vacuabis: in quem vſum conferunt acres clyſteres, priùs tamen quàm purgantia tribuas medicamenta, ex roſaceo melle, ſyrupo de glycyrrhiza, aut de hyſſopo, iuiubino, aut ex ſucco borraginis, præparari, ac concoqui redundans ſuccus debet, cum aqua betonicæ, aut ſampſuchi, & demum pilulis ex hiera, & agarico confectis euacuari,

Purgatio.

aut ex pilulis arabicis, aureis, & interdum cochiis, ac ſimilibus, poſt quas (ſi videbitur) vnc. ij. aut parum plus, vel minus roſcidi mellis, aut ſyrupi ex pluribus infuſionibus roſarum exhibe. Idoneum quoque erit, poſt vniuerſalem purgationem medicamen, quod pituitam per os educat, præbere, ac à capite cucurbitulis, frictionibus, ſeu vinculis humores retrahere, ipſúmque prædictis calidis oleis irrigare.

Topica.

Item ſaccelli capiti ipſi admouendi ſunt, qui taliter componantur. Recipe hyſſopi, ſampſuchi, florum chamæmeli, meliloti, ana drach. j. & s. florum ſtœchadis, ſpicæ, ſingulorum ſcrup. j. maſtiches, ligni aloës, maceris, cuiuſque drach. s. roſarum aridarum drach. iij. terantur ſingula, & in ſericum, ſeu tenuem linteum lineum immittantur, ſacculúſque formetur, & coronali ſuturæ imponatur, quo etiam loco ſinapiſmus, aut igneum cauterium (vbi diuturnior fuerit affectio) vtiliter adhiberi poterit. In vtroque item defluxu ex calida, aut

Suffitus. frigida intemperie orto, ſuffimenta adhibere conuenit, ſi ex calida intemperie fiat, paretur vt infrà. Recipe mannæ, ſeu corticis thuris, ladani, maſtiches, ſingulorum ſcrup. s. ſantalorum rubeorum, & luteorum, & corallorum rubeorũ ana drach. j. roſarum rubearum ſiccarum, incõpletarum drach. iiij. fiat puluis, & (vbi vſus exigat) carbonibus ignitis inſpergatur: frigida verò exiſtente cerebri intẽperie, hoc modo ſuffimẽtum paretur, maceris, ligni aloës, ſpicæ, maſtiches, corticum ſeu mannæ thuris, ſingulorum excipe ſcrup. s. hyſſopi, & ſampſuchi ſiccæ ana ſcrup. j. ladani drach. j. florum ſtœchadis, & caryophyllorũ drach. s. roſarum rubearum ſiccarum drach. ij. vel iij. paretur puluis; & modo iã dicto vtare. Particulatim verò (vbi ad nares fluxio decumbat, ſi calida ea fuerit) conuenit ex

Si ad nares defluat. aqua tepida per nares vaporem excipere; aut ex maluarum hordei, violarúmque, & florum chamæmeli decocto; frigida autem fluxione exiſtente, ex ſampſuchi, hyſſopi, ſerpilli, betonicæ, pulegij, ſeu betæ decocto excipiendus vapor erit. Ex eiſdem quoque caputpurgia fiant, quæ inſuper parari poterunt ex his, que cap. de dolore capitis commemorauimus: verùm nequaquam fieri debent, niſi priùs purgatum fuerit corpus, ac iam dictis medicamentis caput firmatum, aut ſaltem ipſi proſpectum; melanthij quoque, ſeu cumini vſti odorem ſuſcipere commendauit Paulus, frigida præſertim fluxione exiſtente: nec minus confert pulegium odorare; demittantur autem ſingula in ſerico, aut lineo linteo.

Si in os defluat. Si verò in os defluat calida fluxio, ex aqua hordei, violarum, aut maluarum decocto, cum glycyrrhizæ radice oris collutio fiat, frigida autem exiſtente fluxione ex hyſſopi, pulegij, ſampſuchi, ac aridarum ficuum decocto colluatur os: priuatim etiam & ipſi raucitati conferunt compoſitiones, quæ ſub lingua

Raucitati conferentia. tenentur ὑπογλωττίδας Græci appellant, quo paulatim eis liqueſcentibus, aſperæ arteriæ ſummum, id quod ipſum defluit, ſuſcipiat, paulatim etiam relaxatis muſculis ipſius gutturis. Hoc autem ex induſtria fieri oportet, ne tuſsis ex-

4. method. cap. ult. citetur, fiet autem ſi ſupinus cubet, iuxta Galeni ſententiam, quarto & quinto meth. med. ac ſeptimo de compoſitione medicamentorum ſecundum loc. Ta-

5. meth. ca. 12. 7. de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 1. lia ſunt pilulæ bechicæ dictæ, ac ea compoſitio, quam Neapoli aluſam vocamus conficitur autem ex amylo, tragacantha, amygdalis dulcibus, ſeu ipſarum oleo, & ſaccharo: poterit quoque hæc compoſitio in tabellis formari, nec minùs & id pharmacum ſub lingua tenendum erit; quod loch de papauere nominant, ſi à cauſa calida raucitas fiat; & ſi à frigida, loch, quod ſanum, aut illud, quod de pino appellant. Sæpiùs quoque veluti lambendo, diutiſsimè tamen in ore tenens ſenſim, ac paulatim degluttiendo, aſſumat ex ſyrupo de cannis, aut ex dulcibus malis punicis, ex adianto, glycyrrhiza, ſeu hyſſopo, aut ex decocto, quod ex hordeo, radice dulci, vua paſſa, caricis, adianto, & hyſſopo paratum ſit, ſaccharum addendo, aut mel, ſi frigida fuerit cauſa. Præſtat item (ex Galeni ſententia, eodem ſeptimo de compoſitione medicamentorum ſecun-

Cap. 1. dum locos) glycyrrhizæ decoctum cum ſapa admiſtum: & ſi magis diſcutere, & extergere velis, caricarum decocto vtaris per ſe, aut cum aqua hordei, vel cum in aqua radix dulcis fuerit decocta. Reliqua, quæ pro curatione raucedinis conducunt, inferius requiras, cap. de tuſsi, priuatim autem valde confert, ſi ipſa glycyrrizæ radix, aut eiuſdem ſuccus ſub lingua teneatur.

Περὶ φλεγμονῆς κιονίδος. *De inflammatione gurgulionis.*

Caput XLIIII.

INFLAMMATVR ſæpenumerò pars quædã, quæ circa os continetur carnoſa, in ſummo ſiquidẽ ore dependens, tanquam aliquod vocis plectrum exiſtens, Paulo auctore, libro ſexto cap. 31. apparebit autem ea, ſi quis aperto plurimũ ore toto, linguam deprimat: hanc ipſam carunculam veteres Græci (vt inquit Ga-

Cap. 3. lenus ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos) duobus no-

nimibus

minibus appellare conſueuerunt. Nominant nanque interim *γαργαρεῶνα*, interim verò *κίονα*, quod à Latinis gurgulio, & columna dicitur: à poſterioribus autem medicis ferè omnibus Græcis (vt ipſe aſſerit) *κιονίς*, id eſt, columelma, vocatur, quòd ſi quidam ſint, qui *σταφυλὴν*, id eſt, vuam ipſam nuncupent, eorum meminiſſe non præſtat: nam non particula ipſa, ſed vna aliqua eius affectio *σταφυλὴ*, hoc eſt, vua nominatur, cùm ſcilicet vuæ acino ſimile ſummum gurgulionis appareat, vt inquit Aëtius, cap. 40. lib. 8. hanc etiam ſolam gurgulionis inflammationis ſpeciem Hippocrates vuam appellat, vt liquet apud Galenum libro de tumor. præter naturam, in fine.

Duæ differentiæ inflammationis gurgulionis.

Fit autem vua cùm pituita de capite ad gurgulionem deſcenderit, & gurgulio præceps dependet, ac fit rubicundus, eodem Hippocrate auctore, lib. ſecundo de morb. temporis autem progreſſu nigreſcit: & eodem libro dicebat, vuam fieri, cùm ſumma gurgulionis pars aqua impletur, & rotunda fit, ac perlucida, & ſpirationem intercipit: quanquam raro (vt teſtatur Galenus præcitato libro ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum loc.) hæc affectio circa columellam contingat, ſed valde ſæpè inflammetur, quemadmodum etiam & raro alia quædam affectio, quam lorum vocant, circa gurgulionem etiam accidit, cùm videlicet nimium ignitus gurgulio ipſe gracileſcit, & loro ſimilis propendet, vt inquit Aëtius, vtrunque autem nomen (vt Paulus refert præcitato loco) à ſimilitudine factum eſt: nam ſi longior, tenuíſque fuerit, columella nuncupatur, ſi verò craſſior in rotunditatem creuerit, feratúrque deorſum, vua dicitur.

Circa principia.

Inflammato itaque gurgulione, quomodolibet aperto plurimum ore toto (vt diximus) ſiquis linguam deprimat, eam partem affectam eſſe viſu diiudicabit, nullóque alio indigebit ſigno. Quòd verò ea affectio inflammatio ſit, morbus ſiquidem in compoſitione primò (vt ſæpè diximus) ex dolore, tumore, & rubedine ipſius columellæ, cum febre, ac deglutiendi difficultate diiudicabitur.

Pars affecta.
Affectus.
Cauſæ.

Prouenit autem affectus hic, cùm ex capite ad gurgulionem ipſum fluxio defertur, quemadmodum ſexto de ſanitate tuenda, & tertio de cauſis ſymptomatum liquet: hæc inquam fluxio cùm ſanguinis, tum aliorum humorum à capite deſcendentium fieri poterit, verùm quo pacto id diſcerni queat, præcedenti cap. fuſius oſtendimus: quare vt hìc iterum repetamus, ſuperuacaneum duximus.

6. de ſanitat. tuen. c. 9. 3. de cauſis ſymp. cap. 4.
Prognoſtica.
Tex. 21.

Inflãmato gurgulione ac in tumorem aucto, vtendum erit, omnibus moliminibus, præter chirurgiam, ipſum curare, ac extenuare, Hippocrate auctore, tertio prognoſticorum. nam quoad rubidus, magnúſque fuerit gurgulio cum periculo ſecatur, & ſcarificatur: & cum talem ſcarificationem, ſeu ſectionem ſanguinis fluor, & inflammatio comitabitur, eodem Hippocrate ac Galeno auctoribus præcitato loco. Quòd ſi interdum chirurgia vti oporteat, cùm videlicet pars gurgulionis ſumma maior, ac liuida, ſeu orbiculata fuerit, ſuperior, verò tenuior, quem affectum (vt diximus) vuam appellant; vbi aluum ſubduxeris præſtabit manus admoliri, vt ipſimet teſtantur, ne æger ſtranguletur, potiſſimùm vbi alius adhibitis medicamentis malum non cedat: nam neque in prædicta affectione ad eius exciſionem feſtinandum erit: quapropter vuæ vehemens inflammatio terrere quoque debet, Celſo auctore, lib. ſexto cap. 14. quò fit, vt in hac affectione abſtinentia neceſſaria ſit, vt ipſe inquit.

Curatio.
Victus ratio.

Conuenit verò eadem ferè victus ratio, quæ in reliquis inflammationibus, potiſſimùm autem in principio, conducit quies, & inedia, vt ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, Archigenis auctoritate, teſtatur Galenus.

Cap. 3.
Medicamentorum ratio.

Quod verò ad curandi rationem attinet, vbi vniuerſum corpus humorum multitudine fuerit refertum, aut eorundem malitia vitiatum, priuſquàm ad localia remedia perueniamus, venæ ſectio, aut purgatio adminiſtranda erit: acréſque clyſteres adhibendi, vt & vniuerſum corpus euacuetur, humorúmque momentum, qui ad affectam partem feruntur, transferatur: hoc nanque & rationabile eſt, & multa experientia indicatum, ac cognitum, vt teſtis eſt Galenus, eodem libro ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum loc. qua etiam ratione Celſus dicebat, quòd

Loco citato.

Venæ ſectio. & ſanguis rectè mittitur, & ſi id aliqua res prohibeat, aluus vtiliter ducitur. Si itaque corporis plenitudo adſit, vena cubiti ſtatim ſecanda erit (ſi nihil prohibeat) media, aut externa, prout maior, aut minor fuerit corporis plenitudo: cucurbitæq; cum ſcarificatione ceruici affigendæ: & ſi his nec cedat affectio, venæ ſub lingua ſecentur, eiuſdem Archigenis decreto: *Diuerſiones.* Aluus præterea acri clyſtere, aut glande ſubducenda erit, reuulſionis nedum euacuationis gratia: in quẽ etiam vſum frictionibus, ac vinculis extremarum partium, cucurbitulíſque cùm iuxta ſcapulas, tum iuxta nates vtare. Vitiatis verò humoribus redundantibus, qualiſcunque is fuerit, purgandus erit, & ſi ſimul cum ſanguine fluxerit: nec alienum erit ante purgationem (reuulſionis ſaltem gratia) humeralem venam in cubito ſecare, paucámque ſanguinis copiam extrahere, ac demum purgationem adhibere, *Purgatio.* concoctis tamen ac præparatis redundantibus ſuccis, ſi dabitur occaſio, quo etiam tempore clyſteribus vti poteris. Sit autem purgans medicamentum non validum, ſed leniendo vacuans, veluti manna, caſsia fiſtula, ſyrupus ex pluribus infuſionibus roſarum, aut violarum, cum quibus interim antidotum diacatholicon permiſceas, præſertim ſi redundans ſuccus, aut corporis natura eius qui purgati debeat, id exigat. His autem peractis, aut ſi neutrum prædictorum adſit, ſtatim ad curationem per localia remedia peruenire debemus, *Topica quæ competant.* quæ eius naturæ eſſe debent, vt fluxionem reprimant: quemadmodum in aliis omnibus morbis, qui ex humorum influxu contingunt. Sint igitur adſtringentis facultatis, & ſiquidem moderatus ſit influxus moderatè adſtringentis, quæ auſtera priuatim dicuntur: vbi verò vehementior fuerit influxus, vehementioris adſtrictionis, quæ acerba nominantur: ambo enim adſtringunt, ſed debiliùs auſtera, vehementiùs autem acerba, vt patet quarto de ſimpl. med. facul. & ſexto de compoſitione medic. ſecundum loc. *4. de ſimplic. med. facultat. cap. 7. 6. de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 3.* Collutiones itaque moderatè, ſiquidem moderatus fuerit influxus, ex palmulis decoctis, quandoque ſola aqua, quandoque modico melle incocto, vel ex roſarum decocto, pampinorum vitis, rubi, cytinorum, ſiliquarum, radicum mori, & malorum auſterorum, ac pyrorum, ſorborum, interim cyperi parari poterunt. Fortiores verò (vbi vehementior fuerit influxus) ſunt, myrti, & baccarum eius decoctum, & ex acerbis cotoneis malis, aut virgultorum tenerorum ilicis, arbuti, ſmilacis, & vniuerſi quercini generis, ſimilitérque & glandium, meſpilorum, item, & cornorum decoctum: at generoſiſsimum eſt gallarum decoctum, rhois culinarij, ac coriarij, myricæ fructus, vtriuſque mali punici floris, & putaminis: horum itaque vnumquodque & ſingulatim, & cum aliis decoctum in aqua gargarizandum exhibere oportet, *Loco citato.* iuxta Galeni ſententiam, ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & Aëtij præcitato loco: quin iuxta eorundem decreta, aridis quoque tritis columellam contingere opus eſt, ita vt ſummiſsè, & paulatim ad ſuperiorem, & extrinſecam regionem afferantur, & per cochleare, aut ſpecilli concauum ſupra linguam immittantur: ex his ipſis moderatæ quidem ſunt roſæ, & flos ipſarum, & prædictarum plantarum germina exſiccata, ac hypociſtis, & omphacium ſiccum. Et ſi frigidior fuerit fluxio, aloë, cyperus, & iunci rotundi odorati flos, ac rheon ponticum confert: pariter ſi fortioribus indigeas, rhus obſoniorum, ſiue culinarius conducit, balauſtium, cytini, malicorium, galla, & magis exactè cùm omphacitis fuerit: nec minùs conferunt hypociſtidis, vuæ acerbæ, ac glycyrrhizæ ſucci, ad ſolem æſtiuum exſiccati, adeò vt conteri queant. Vbi verò gurgulio à nimium adſtringentibus remediis compreſſus fuerit, tragacantho, ſarcocolla, & amylo vtendum erit. At vbi generatus affectus in gurgulione maiorem habuerit cauſam, impoſsibile erit ipſum per repulſoria perfectè ſanare, vt inquit Galenus, & maximè vbi ægri corpus fuerit humoribus multis refertum, aut particula affecta natura debilis: ob id igitur cogimur, ſæpè quidem in principio, ſæpius verò paulo poſt admiſcere quippiam ex diſcuſſoriis, & ſi dolor affuerit ſimul vehemens, etiam ex mitigatoriis. itaque tunc opus eſt vnicuique prædictorum pharma-

corum aliquid ex diſcuſſoriis addere:& cùm hæc omnino multa ſint,à mollio-
ribus auſpicandum erit : ab acribus nanque inflammata exacerbantur, cuius
farinæ ſunt chamæmeli flores, ſœnumgræcum, ſertula campana, anethum, al-
thæa,radix iridis,mel, erui farina, thus, aut myrrha : & ſi mitigatoriis hoc tem-
pore indigeas ex contuſa radice dulci, melle, & dulci aqua pari menſura ſimul
coctis, medicamentum paratum cum prædictis admiſceas, aut id ſolum garga-
rizandum præbeto. Cæterùm tu perſpecta (vt Galenus inquit) inflammatio-
nis magnitudine, ac caliditate, & conſiderata influxus quantitate, ampliúſque
copiam humorum in toto corpore per coniecturam aſſecutus, pharmaco, in
quo aut adſtringentium, aut diſcutientium vis excellit, vteris. Procedente au-
tem tempore,vbi iam dictis inflammatio non ceſſerit, diſcuſſoria medicamen-
ta tuto adhiberi poſſunt, niſi ad duritiem vertatur ipſa gurgulionis inflamma-
tio: nam tunc emollientibus medicamentis vtendum eſſet, quæ cuius naturæ
eſſe debeant lib.quinto de ſimpl. medicamentorum facul. requiras : cuiuſmodi *Cap.6.7. & 8.*
ſunt, radix & folia althææ,ſemen lini,ſœnumgræcum, & alia huiuſmodi, è qui-
bus gargariſmata parari poſſunt:admiſcere eis item poteris hyſſopum, aut gly-
cyrrhizam. Verùm ſi ad ſuppurationem inflammatio vergat, mitioribus collu-
tionibus, & gargariſmis, eiſque concoquentibus vtendum erit : quo caſu præ-
ſtat decoctum ex caricis per ſe ſolum, aut aqua mulſa permiſtum, ſeu ſapa, aut
ptiſanæ ſuccus, in quo vuæ paſſæ ſint incoctæ:radicis inſuper dulcis decoctum,
aut furfurum lotura calida, id quod in reliquis omnibus ſeruandum erit medi-
camentis, vt temperatè calida ſint. Ea verò ſuppurata, poſt puris eruptionem
extergentibus, & deſiccantibus medicamentis curari debet, aqua hordei cum
melle roſaceo miſta, aut aqua mulſa, & reliquis huiuſmodi. Euenit etiam ali-
quando, vt citra inflammationem nimium humectus gurgulio laxior fiat, &
propterea linguæ radici, ac faucibus propenſus incumbat, quemadmodum in
deſtillationibus continuis contingit, Aëtio auctore; quam affectionem Græci
γαργαρεῶνος χάλασιν, Latini laxatam columellam, barbari caſum vuæ appel- *De laxata columella.*
lant, quæ affectio quoniam eandem curandi rationem poſtulat, quam eius exi-
git inflammatio, propterea ſeorſum de ea pertractare noluimus. Pro ratione
itaque confluentis ſucci venæ ſectio, aut purgatio præcipiatur, quibus corpus
totum,ac caput primò vacuetur. His tandem peractis, collutionibus, gargariſ-
mis, ac reliquis medicamentis aridis ſuperiùs deſcriptis vtaris, adſtringenti-
bus ſcilicet, & exſiccantibus. Priuatim autem (vbi ſubalbidus, & exanguior
gurgulio ſit) ex origani triti in qua & aceto decocti, ac caricarum cremore
miſto ad gargarizandum vtitor : aut loco origani, hyſſopo vtare : apium quo-
que, & lauri folia trita, & vino, aut lentis decocto diluta, gargarizato, Apollo-
nio auctore. Arida quoque medicamenta parabis ex gallæ omphacitidis, alu-
minis ſciſsi, ac ſalis ammoniaci partibus æqualibus, quibus tritis, ac ſimul mi
ſtis expleto cochleari vuam contingito : hoc autem velut validiſsimo medica-
mento vtare,repellendi,ac diſcutiendi vim habente,iuxta Galeni ſententiã eo- *Loco citato.*
dem ſexto de compoſitione medicamẽtorum ſecundũ locos.puluis autem, quo
vtimur nos,hic eſt, Recipe piperis, cinnamomi ſingulorum ſcrup. s. corticum
thuris,& gallarum ana ſcrup.j. roſarum rubearum ſiccarum drach. ij. conteran-
tur,ſimúlque,& modo quo ſuprà vtare. His,qui caſum vuulæ patiuntur ſic ſub-
uenimus, inquit Trotula, puluerem zingiberis, pyrethri, & cinnamomi deco- *Cap. 53.*
quimus in vino, & facimus gargarizare, & puluerem horum calidum vuulæ
apponimus.tu autem vtare hoc medicamento,vbi ex pituita fuerit laxatus gur-
gulio. Marcellus autem libro de medicamentis cap. 14. braſsicæ crudæ folium
leuiſsimè tritum commendat, ex eo verò ſuccum exprimito, quo vua conta-
cta potenter ſubleuatur. Cinis item teſtarum ex oſtreis, aut hirundinum exu-
ſtarum cinis tenuiſsimè contritus,cum melle miſtus, vuæ illitus prodeſt; ſimi-
liter ſi roſæ ſiccæ part. ij. & myrti part. j. cum aqua mulſa decoquas, & garga-
rizandum præbeas. Denique nonnulla medicamenta, præſertim compoſita

conſulto hic ſcribere prætermiſimus, pro cura præſertim inflammationis columellæ, quæ cap. de angina ſtudioſi requirant. Verùm vbi cunctis iam dictis auxilijs gurgulionis malum non cedat, tam ſi oblongior, tenuiſque præter naturam fuerit, quàm ſi in rotunditatem creuerit, eius ſummo vuæ acino ſimili exiſtente, ne continuo irritatu tuſsis, vigiliæ, interim etiam ſtrangulatus ſubſequatur (vt inquit Paulus cap. 31. libro ſexto.) is excidendus erit, modo quo ipſe præcipit præcitato loco, ac Aëtius cap. 41. libro octauo. neque tamen feſti-
3. prognoſtic. nandum erit ad eius exciſionem (vt diximus) Hippocratis auctoritate, libro
tex. 21. tertio prognoſticorum, & Galeni 14. meth. med. iis obſeruatis, quæ tum ipſe,
14. method. tum etiam cum eo Galenus, eodem loco præcipiunt.
cap. 13.

Περὶ ἀντιάδων φλεγμονῆς. De glandularum iuxta linguam inflammatione.

Caput XLV.

OMNIBVS hominibus carunculæ quædam exiguæ naturales ex aduerſo in oris termino vtrinque iacent, Galeno teſte, tertio
Cap. 4. de cauſis ſymptomatũ: has Græci ἀντιάδας (vt Aëtius refert capite 48. lib. octauo) Latini glandulas barbarã ſectantes medicinã amygdalas appellant: quamuis Galenus non partes ipſas, verùm cùm ipſæ è defluxu, præſertim ex capite, tumore, aut inflammatione afficiantur ἀντιάδας præcitato loco nuncupauit. Paulus autem per ἀντιάδας, tum lib. ſexto cap. 30. tum lib. tertio cap. 26. ſcirrhoſum tumorem pariſthmiorum intelligit. Si verò in contiguas his partes fluxio decumbat, ſeu inflammatio excitetur παρίσθμια, tum præcitato loco, tum commento aphoriſ. 26. tertij libri, idem Galenus appellauit dum aſſeruit παρίσθμια (quæ Latinè tonſillas vertunt) inflammationes eſſe locorum ad iſthmum attinentium: intelligit autem per iſthmum partem illam. quæ os & gulam interiacet: nominatur autem ita per metaphoram quandam ab his, qui propriè dicuntur iſthmi, qui anguſti quidam terræ tranſitus ſunt, ſitæ inter duo maria. Hæ autem inflammationes nonnunquam ſolius tunicæ ſunt, ventri, gulæ faucibus, totique ori communis: nonnunquam verò (vt idem inquit Galenus præcitato loco) & ſubiectorum ipſi muſculorum: quamuis has partes & non eorum inflammationem, tum Paulus libro tertio cap. 26. tum Aëtius libro octauo cap. 45. παρίσθμια vocant, & Latini tonſillas vertunt, Celſum fortè putantes imitari, qui libro ſexto cap. 10. poſtquam de dentium dolore caput exegiſſet, de tonſillis, ac earum cura pertractat. At nunquid per tonſillas, id quod Græci παρίσθμια dicunt, partes quaſdam intelligentes ſubaudire velit, aut quas ἀντιάδας nuncupant, ſiue vtraſque, ex eiuſdem Celſi verbis haudquaquam percipi poterit, cùm dixit. Si verò tonſillæ ſine exulceratione per inflammationem intumuerunt, &c. Nos autem cum Ga-
ἀντιάδες leno, quicquid alij ſentiant, per ἀντιάδας glandularum, quæ ſibi ex aduerſo in
quid ſint. oris termino vtrinque iacent, præter naturam tumorem, ſeu inflammationem intelligi volumus, per παρίσθμια verò, cùm contiguæ his partes tale quip-
παρίσθμια piam perpetiantur. à partibus ipſis affectis affectiones prædictæ fortaſſe ta-
quid. lem nomenclaturam ſuſcipientes. Deducto itaque ore manifeſtè (vt inquit
Lib. 8. ca. 48. Aëtius) apparent glandularum tumores maiores, citra quidem inflammationem earum ſubſtantia concolores. Vbi verò inflammatæ fuerint, rubicundæ
Partes affectæ. apparent, ac dolorem inferunt. Si verò partes eis proximæ inflammentur, accidit ita affectis difficultas tranſglutiendi, dolor, aliquando etiam & febris
Lib. 8. ca. 45. eodem Aëtio auctore, velut etiam glandulis ipſis inflammatis, nedum tranſglutitionis, verumetiam & ſpirationis difficultas aderit: ex quibuſmet indi-
Affectus. ciis, & earundem partium inflammatio percipi poterit. Quæ quiſnam morbus ſit, non ſemel duntaxat in præcedentibus diximus, nec opus erit eiuſdem in-
Cauſæ. flammationis cauſas iterum repetere, cùm ſimiles eſſe poterunt cum his, quæ
Loco citato. gurgulionis inflammationem efficiunt: priuatim autem (vt refert Aëtius) in

modò

modò dictis partibus inflammatio excitatur, παρίσθμια præſertim infantibus adhuc lactentibus, ex hauſtu lactis, pueris propterea quòd multo cibo ſe explent, reliquis autem hominibus plerunque euenit à nimia meri potione, & à multa, ac auidiore deuoratione ciborum, maximè acrium, & aſperorum; frequentiſsimè nanque (vt idem teſtatur Aëtius) παρίσθμια, quæ tonſillas vocant, cùm partes ſint calidæ, & humidæ inflammationem incurrunt, qua etiam affectione magis arripiuntur hi, qui plurimo ſanguine abundant, necnon infantes, & pueri, vtpote teneram habentes miſturam, id quod Hippocrates, præſertim in pueris confirmauit, apho. 26. 3. lib. quoniam verò tam κυνάγχη quàm παρίσθμια dictæ, eandem ferè curationem exigunt, ac ſimilem victus rationem requirunt, non ab re propterea vtrarunque inflammationum communem curationem hìc conſcripſimus. Incipiente itaque inflammatione cibum ſubtrahere oportet, vt inquit Aëtius, qui verò afferuntur, modici ſint, ſorbiles, & ventri commodi: cibus quoque in hac valetudine (Celſo auctore) lenis eſſe debet, ne exaſperet, verùm vbi tanta ſit inflammatio, vt ſpiritum impediat, à cibo (vt ipſe inquit) abſtinendum, neque abſumendum quicquam præter aquam calidam eſt, exhibendus itaque his eſt aquæ potus, præſertim febre ſimul irruente, aut aqua hordei, ſeu ea aqua in qua coriandrorum præparatorum ſemina fuerint decocta, aut etiam cinnamomi exiguum (& vt vno verbo dicam) ea victus ratio inſtituenda erit, quæ & in reliquis inflammationibus. Quòd ſi leuis fuerit inflammatio, circa initia gargariſmi adhibendi ſunt adſtringentes, & repellentes, id quod præcipiebat Celſus, cùm dicebat, gargarizandumque eſt ex reprimentibus, velut eſt roſarum, aut palmarum decoctum, mixæ, aut lenticulæ, aut ipſius etiam furfuris ac reliquorum, quæ in principio inflammati gurgulionis aſſumuntur: cauendum tamen, ne mel in principio ad gargariſmos adiciamus, ne per acrimoniam malum irritemus, vt Aëtius inquit. Remittente autem inflammatione, & decreſcente, mel in gargariſmos admiſcere conuenit, eodem Aëtio, & Paulo teſtibus: quo etiam tempore calidiores gargariſmi proſunt, quanquam etiam circa initia medicamenta actu tepida exhibenda ſunt, frigus enim non tolerant inflammata, ſicut neque plurimum calorem, vt teſtatur Aëtius. Vbi verò vehemens fuerit inflammatio, adeò vt periculum ſuffocationis ſuſpectum ſit, priuſquam adſtringentia medicamenta adhibeantur, vena cubiti incidenda eſt, præcepto Aëtij, repetita etiam ſanguinis detractione, maximè ſi iuuenis ſit æger, & multò ſanguine abundet. Vena autem incidenda erit externa, aut ſi multo ſanguine totum corpus fuerit refertum, media primum, & deinde externa. Et ſi venter non probè egerat, iniiciendus eſt clyſter, aut glande immiſſa irritare oportet: nec abſonum erit, ſi cum ſanguine calidi, ac vitioſi ſucci redundarint, præſertim ſi febris adſit, purgante medicamento vti, quod leniendo purget, quemadmodum præcedenti capite præcepimus. Poſt euacuationem reprimentibus quoque vtendum eſt medicamentis, ſuperiùs iam dictis, deinde ptiſanæ ſuccum, in quo decoctæ ſint vuæ paſſæ, gargarizent, aut calidam furfurum decoctionem, aut ſapam tepefactam; vel decoctum radicis dulcis, aut ficuum, & hyſſopi decoctum. extrinſecus autem leniter fouere conuenit ſpongiis expreſsis, ac madidis in aqua, in qua flores chamæmeli, althææ, maluarum folia, fœnumgræcum, ſeu ſertula campana fuerint decocta. Cataplaſmata quoque imponenda ſunt ex farina hordei, ſeminis lini, aut fœnigræci, aut his ſimul miſtis: verum ſi ex vſu acriorum collutionum, ſeu gargariſmorum inflammatio exaſperetur, & mordacitas inde accidat, Aëtij decreto, leniores gargariſmi colluendi ſunt, qualis eſt ſuccus ptiſanæ tepidus, aut lac etiam tepidum: permanĕte verò, ac immorante diutiùs inflammatione, atque vbi tonſillæ ipſæ ſubrubri coloris fuerint, neque meliùs à prædictorum remediorum admotione habuerint, permutationem in pus expectare opórtet: citò enim tonſillæ abſcedunt, ex Aëtij ſententia. Dignoſces autem (vt ipſe inquit) quoniam inflammationis

Prognoſtica.

Eodem loco.

Curatio.

Victus ratio. loco citato.

Medicamentorum ratio.

Animaduerſio circa topica adhibenda.

Venæ ſectio. quibus competat.

Purgatio.

Topica.

Si abſcedunt tonſillæ ſigna.

ſigna augeſcunt, & exacerbationes ad veſperam fiunt fortiores cum horrore, & inæqualitate, aliquando etiam cum febre: quare hoc tempore coadiuuare oportet, vt quàm citiſsimè ſuppuratio fiat, exhibeantur propterea gargariſmi calidiores, velut aqua mulſa calida, & decoctum caricarum, ac hyſſopi cum radice dulci. Extrinſecus verò cataplaſma imponatur, ex eiuſdem Aëtij ſententia, ex hordeacea farina, & fœnogræco cum decocto caricarum, & althææ, ac melle, aut vapor aquæ calidæ intrinſecus, ſed aliquanto diutius admouendus erit, donec ea ſuppurentur, & per ſe aperiantur, vt Celſo viſum eſt. Confecto autem pure dolores minuuntur, & inflammationis tumor mollior redditus digito cedit. Qua re tunc (vt Aëtius præcepit) acriores collutiones exhibēdę ſunt, vt abſceſſus rumpantur: cuius generis ſunt pulegium, hyſſopum, tymum, calamintha, & thymbra in ſapa, aut aqua mulſa decocta, & gargarizata. Si verò pure ſubſtante non rumpuntur, hi tumores ex Celſi decreto, incidendi ſunt, deinde ex mulſo calido ad gargarizandum per ſe, poſtea etiam admiſto lenticulæ, vel roſarum decocto, atque id faciendum, donec in totum ſoluantur, ac penitus ad cicatricem perducantur, ex Aëtij, & Pauli ſententia. Modico autem tumore exiſtente, ac exulceratione, furfurum cremori ad gargarizandum paulum mellis adiiciendum eſt, & vbi plurima vlcera ſint, eodem furfurum cremore, vel lacte gargarizandum eſt, Celſi decreto. Modus autem ſectionis, ſi non per ſe aperiantur, ac ſituationis ægri, tum ante, tum poſt diſſectionem: ac patrato opere, quæ conducāt auxilia, ab Aëtio cap. 45. & 48. libri octaui: & à Paulo cap. 30. lib. ſexti deſcribuntur. At ſi prædictis partibus cruſtoſa, peſtilentia, ac ſerpentia vlcera oboriantur, ſiue ex præcedente influxu, ſeu inflammatione, ſiue ex quauis alia cauſa fiant, nulla fluxione præcedente, ceu præcedentibus aphthis, vt in pueris euenire conſueuit, aut nonnullis virginibus, circa vigoris ætatem menſium purgationem appetentibus, totius corporis curatione præmiſſa, ac reliquis diuerſionibus, & iam dictis medicamentis adhibitis pro earū curatione, priuatim (vt Paulus inquit) exhiberi debet medicamen diamoron ex aqua calida, vel aqua mulſa, quæ roſarum inſperſarum florem obtineat, vel coſtum, vel rhus ſiccum, ſeu decoctum. Aëtius autem gargariſmos probat ex lenticulæ, myxarum, ac palmarum, ſeu furfurum decocto cum melle, & ptiſanæ ſucco: & poſt principium, hydromeliti iridem, coſtum, ac ariſtolochiam infarciendum præcipit, vel ſiccum pharmacum ex rhoe, flore roſarum, croco, & coſto adhibendum. At Paulus ex malo punico dulci cum cortice tuſo ſuccum exprimit, & eius partes ſex aſſumit, quæ vni mellis miſtæ coquuntur, donec eis mellis ſpiſsitudo ſit, quo medicamento perungi tonſillas præcipit. Similiter ſi partes duæ gallæ omphacitidis ſumantur, aluminis vna & ſalis ammoniaci toſti tantundem, & aridum medicamentum ex eis apparatum approximes. Verùm vbi poſt acria, irritantiáve medicamenta, ægri dolorem ſentiant cùm radicis dulcis decocto amylo, ſeu tragacantho lenire oportet; & vbi vlcerum depaſtiō conſtiterit, lacte gargarizandum erit, reliqua autem medicamenta à Paulo requiras, præcitato cap. 26. lib. 4. & ab Aëtio cap. 46. lib. 8.

Serpentiū ulcerum eodem loco ortorum curatio.

Περὶ κυνάγχης. *De angina.* *Cap.* XLVI.

NON procul à iam dictis partibus alterum morbi genus, ſi quod aliud quoque vitium acutiſsimum exiſtit, vt Trallianus refert libro quarto cap. primo, peſtiferum, atq; acutum, vt Celſus inquit lib. 4. cap. 4. quod quidem à veteribus Medicis, vt pote ab Hippocrate *κυνάγχη* appellatur, vt 3. prognoſt. liquet: quanquā idē affectus 4. de ratione vict. ſiue Hippocratis ſit, ſiue alterius auctoris, *συνάγχη* nominetur, *ἀπὸ κυνάγχειν ἢ συνάγχειν*, hoc eſt, à ſuffocādo dicta, à Latinis angina. Poſteriores autem Græci vt Alexander, & Paulus, ac quidam reliqui ante eos, quorum Galenus meminit, licet non nominatim, quarto de locis affectis,

Alex. loc. cit. Pau. li. 3. c. 27. 3. Prognoſt. tex. 16. 4. de rat. victus, tex. 30. 4. de loc. affe. cap. 3.

& com

& commento aphoriſ. 34. quarti libri, affectum hunc quadrifariam diuiſerunt, prout quatuor diuerſæ partes in eo affici poſſunt: nam internis gutturis muſculis inflammationem patientibus συνάγχην, externis verò παρασυνάγχην nuncupant, pari modo interioribus faucium muſculis inflammatis συνάγχη, externis verò παρασυνάγχη ab eiſdem appellatur, vt idem Galenus teſtis eſt præcitatis locis, Paulus cap. 27. lib. 3. & Trallianus præcitato loco. Verùm quoniam, vt Galenus inquit eodem quarto, de ratione victus in morbis acutis, ad curationem nominibus opus nobis non eſt: nam tum primùm homines res ipſas neglexerunt, cùm nimio ſtudio nomina quærere inciperent. Propterea ad rem ipſam deuenientes dicimus, anginam inflammationem eſſe muſculorum gutturis, aut faucium: per anginam intelligentes omnes iam dictas inflammationes, tam ad guttur, quàm ad fauces peruenientes, per fauces internum oris locum, vbi ſimul gulæ, & gutturis partes extremæ conueniunt, per guttur verò eam aſperæ arteriæ partem, quæ eſt velut caput eius, muſculos autem earundem partium voco, tam internos, quàm externos, omnium prædictarum partium indicia communia ſunt, Celſo, & Aëtio teſtibus, tranſglutiendi tum cibi, tum potus difficultas, ac ſpiritus, vt Celſus inquit, eis includitur: Iuxta Galeni verò ſententiam in cunctis ſpiratio quoquomodo deterior redditur, nullo exiſtente, vel in thorace, vel in pulmone vitio, qui in hoc, velut in reliquis, Hippocratem ſectatur. Verùm vna pars cùm afficitur, ab altera diſcerni poterit, velut magis, & minùs tranſglutiendi difficultas, ſiue ſpirationis noxa fuerit, ac reliquis indiciis, nam vbi interni muſculi gutturis fuerint affecti, nihil coloris, caloris, & mollis conſpicuum erit, nec ceruice, nec in faucibus, vt 3. prognoſt. reſtatur Hippocrat. adeòque ſpirationis difficultas augetur, vt non niſi recta ceruice trahatur aër, ſenſus quoque anguſtiæ, ac dolor plurimus in gutture erit, & febris non leuis: vox inſuper ſimul cum ſpiratione læditur, vt patet quarto de Locis affectis. Externis verò duntaxat ipſius gutturis muſculis inflammationem patientibus, prædicta omnia aderunt, remiſsè tamen: nam neque anguſtiæ ſenſus, neque dolor, licet circa guttur adſint, adeò vehementes erunt, pariter, nec ſpirandi difficultas. At ſi dolor ferè prædictus ſimilis adſit, calorque, rubor, ac moles fauces offendant, quæ omnia aperiendo os, ac linguam deorſum comprimendo, oculis cerni poſſunt, nec admodum difficulter ſpirent, fauces ipſas affectas eſſe iudicabis: interdum etiam lingua ipſa ſimiliter cum faucibus coafficitur, quemadmodum vbi non ſolùm fauces, ſed ceruicem quoque rubor occupauerit, & fortè pectus comprehẽderit: nec vehementer ægri dolore affligantur, nec ferè difficulter ſpirent, & extrinſecus partes circa fauces inflammatæ cuilibet apparebunt, exteriores earum partes affectas eſſe nemo verebitur. At quæcũque prædictarum partium affecta ſit, affectus ipſe morbus erit in compoſitione primò, & propriè in magnitudine, cùm inflammatio ſit: quem tum ex iam dictis, tum etiam ex dicendis indiciis, facilè percipere valebis: nanque æger nec cibum deuorare, nec potionem poteſt, difficulter ſpirat, potiſsimùm vbi gutturis partes afficiantur, interim ore conniuet, quandoque eo aperto aërem trahit, febriſq; ſæpius aderit: accidit etiam eis potum aſſumptum quandoque ad nares reflecti: dolore quoque afficiuntur, & excedente interdum inflammatione, & lingua, & fauces in tumorem attolluntur. Omnium autem prædictarum inflammationum ortus ex fluxione eſt, eius præcipuè, quæ ex capite defertur, quemadmodum Galenus teſtatur quarto de ratione victus in morbis acutis: & quamuis fluxio hæc magna ex parte bilioſior ſit, eodem Galeno auctore tertio prognoſt. ita vt perſpicuè eryſipelas, aut inflammationem eryſipelati ſimiliorem committat: tamen eodem 4. de ratione victus in morbis acutis, vt quarto de cauſ. pulſuum, tum ex calida, acrique ac tenuis ſubſtantiæ humoris fluxione, tum etiam ex frigida, pituitoſa, craſſa, ac glutinoſa prouenire poſſe fatetur: quod nequaquam negare viſus eſt eodem 3. prognoſt. & commento aphoriſ. 34. lib. 4. quinimo acres ipſas, ac tenues fluxiones,

Anginæ differentiæ quatuor.

4. de ratio. uict. com. 70.

Angina quid ſit.

Partes quæ afficiantur.

Communia ſigna.

Celſ. loc. cit.

Aët. li. 8. c. 47

tex. 16.

Propria ſigna cuiuſlib. partis affectæ.

cap. 3

Affectus quis ſit angina.

Signa eiuſdẽ.

Cauſæ.

comment. 30.

comment. 18.

4. de ratio. uict. com. 20.

Quod nedum ex calida, ſed ex frigida quoque fluxione fieri poſſit angina.

3. prognoſt. comment. 18.

propterea quòd per anguſtiores venas facilè penetrant: tales autem ſunt (vt ipſe refert) quæ guttura ambiunt, in ipſum potiſsimùm decumbere ait. Contrarium autem in craſsis, frigidis, ac viſcoſis contingit, quod cùm non ingrediantur vniuerſas venas quæ admodum ſtrictæ ſunt, in capacioribus detentæ, veluti eæ ſunt venæ, quæ in faucibus exiſtunt latiores, quàm eæ quæ gutturis, in ipſis ſiquidem impactæ in præter naturam tumorem eas attollunt: ex quibus Galeni verbis liquido conſtat, nedum anginas ex calidis ſuccis, verùm etiam frigidis oriri poſſe, ac potiſsimùm vbi fauces inflammantur ex frigidis ſuccis ortum habere; vbi verò gutturis partes ex calidioribus, ac tenuioribus. Verùm

Si ex ſanguine copioſo fiat, ſigna.

quo pacto fluens redundans ſuccus percipi valeat, alijs quoque notis oſtendere conabimur: nanque gutturis muſculis inflammatis ſi ex ſanguine copioſo confluente inflammatio exoriatur, ſpirandi, ac deglutiendi difficultas maxima erit, maxima quoque anguſtia, & grauitas coniuncta erit, ac febris non exigua, corpuſque totum, ac caput plenum ſanguine videbitur. Temperamentum, habitus, ætas, anni tempus, regio, ac aëris conſtitutio, præcedenſque victus ratio ſanguinis redundantiam atteſtabuntur. Binoſa verò in prædictis muſculis

Si ex bile, ſigna.

defluxione decumbente, quæ magna ex parte eſt, præter ſpirationis, & deglutitionis difficultatem, quæ non adeò vehemens, vt in prædicta aderit, velut nec anguſtia, citra fere grauitatem plurimùm dolorem, ac intolerabile quoddam incendium circa guttur ſentient ægri, morſum, ac acrimoniam, ſitim, ac oris amaritudinem; ſimulque acuta febris aderit magis: nec minùs temperamentum, ætas, & habitus, præcedenſque victus ratio, ac reliqua redundantem bilem manifeſtabunt. At ſi circa fauces prædictorum humorum fluxio fiat, ex maiori mole, calore, diuerſoque colore, præter iam dicta, vna ab altera ſecerni poterit: minor enim moles, maiorque calor, ac rubor ad flauum inclinãs in biliosa fluxione aderunt, velut maior moles, minorque calor, rubenſque color ad opacum inclinans, decumbentem ſanguinem indicabunt. Quòd ſi miſta fluxio fuerit ex vtriſque, & permiſta quoque iam dicta indicia erunt: & prout magis, & minus alter reliquum ſuperat, vincent quoque vnius, vel alterius in-

Si ex frigidio ri fiat ſanguine, ſigna.

dicia. At ſi frigidus, craſſuſque ſanguis, ad prædictas confluat partes, præſertim fauces quas potiſsimùm (vt diximus Galeni auctoritate) infeſtare ſolet, paucus aderit dolor, tumor ferè citra ruborem, aut cum exiguo, & obſcuro laxior quodammodo apparebit, licet interdum craſsiori exiſtente humore durus conſiſtet, febris nulla aderit, aut fortè exigua, & lenta. Corpus totum, ac præſertim caput pituitoſo ſanguine refertum erit, ac proinde temperamentum, ætas, habitus, tempus anni, præcedens victus ratio, ac reliqua, id promptiùs indicabunt: cùm omnia frigidi ſanguinis, ac pituitoſi redundantiam atteſten-

2. de morbis vulgar. ſect. 3. poſt mediũ. 4. de loc. affe. Cap. 3.

tur. Verùm præter iam dictas cauſas Hippocrates ſecundo de morbis vulgaribus, & Galenus quarto de locis affectis, quos ſectati ſunt Paulus, & Aëtius ex luxatis ad anteriores partes ceruicis vertebris anginam ipſam oriri poſſe fatentur. Vnde cauus apparet locus, & cùm extra attingitur, dolore afficitur, vt inquit Aëtius, atque hæc ſpecies (vt ipſe refert) propriè κυνάγχη à veteribus eſt appellata. In qua etiam lingua ex proprijs locis excedit à luxata vertebra iuxta radicem ſuam impulſa, ſuſcitatque magis difficultas circa reſpirationem. Vnde coguntur aperto ore ſemper hiare, atque aërem attrahere, & citra ſuffoca-

Loco citato. 2. de morbis vulga. ſect. 2. poſt medium. cap. 3.

tionis periculum (vt Galenus inquit quarto de locis affectis) laborantes difficulter deglutiunt, atque dolore afficiuntur, idque præcipue cùm potus eis per nares redit: hæc verò omnia, tum ex Hippocr. 2. de morb. vulga. tum ex Galeno quarto de locis affectis, tranſcripſit Aëtius, & hanc pro quarta anginæ differentia connumerauit, cùm vnam tantùm poſuerit circa fauces ortam, reliquam in internis gutturis muſculis, alteram quoque vbi tam externi, quàm in-

cap. 3.

terni gutturis muſculi affecti fuerint: de qua etiam Galenus eodem 4. de locis affect. quorundam auctoritate comeminit; licet commento aph. 34. lib. 4. vnà dixerit inter quatuor anginæ differentias ab aliquibus poſitas, eſſe eam in qua

exter

externi gutturis muſculi affecti ſunt, & non vbi gutturis partes, tum externæ, tum internæ ſimiliter affectæ ſunt, velut quarto de locis affectis aſſeruit. Verùm dicimus nos primò Aëtium non defeciſſe in narrandis anginæ differentiis cap. 47. lib. 8. nam prima differentia, quam poſuit, vbi fauces fuerint inflammatæ ſubintelligi poteſt, tam intus, quàm extra: & ſic παρασυνάγχην non dereliquit. Secundò aſſerimus Galenum ex aliorum auctoritate, vnam anginæ differentiam poſuiſſe, vbi externi gutturis muſculi fuerint affecti, aut externæ gutturis partes, vt commento aphor. 34. lib. 4. patet: nec propterea dictis ſuis pugnare videtur, cum quarto de locis affectis fatetur quartam differentiam eſſe, vbi gutturis partes tum externæ, tum internæ affectæ ſunt: nam exteriorum primò meminit, quæ primò in eadem differentia afficiuntur: deinde ſi per cōſenſum, magna ſiquidem fluxione exiſtente, interiores quoque gutturis partes afficiuntur, non propterea non eadem erit differentia cum ea, in qua minori exiſtente fluxione, externæ duntaxat gutturis partes inflammationem patiuntur. Cæterùm eorum, qui anginam ex colli vertebris in anteriorem partem luxatis fieri proferunt, propterea vltimo loco mentionem fecimus, tum quoniam rarò contingit affectio hæc, cùm etiam quod in ea (vt primo prorrheticorum teſtatur Galenus) gutturis muſculi inflammatur: nonnunquam etiam ij, qui gulam gutturi iungunt. Quare etiam inflammatis quoque muſculis oritur angina hæc, & propterea anginam omnem non immeritò diximus eſſe inflammationem, quæ in gutture, aut faucibus fit. Hæc inquam cùm acutiſsimus affectus ſit, & ſtatim mortem inducat, Tralliano auctore, neceſſe eſt etiam protinus ad eius curationem feſtinare. Inter eas verò grauiſsima eſt, ac celerrimè interimit, quæcunque nec in ceruice, nec in faucibus conſpicuum aliquid efficit: hæc enim & eadem die, & ſecunda, & tertia, & quarta ſtrangulat, vt inquit Hippocrates tertio prognoſt. nam cùm in neutro prædictorum appareat aliquid præter naturam exiſtimandum eſt intra gutturis corpora laceſſere inflammationem, ex qua ſtrangulantur, vt Galenus teſtatur, in prædicti textus Hippocratis expoſitione, de qua iterum aphor. 34. quarti libri, ſic ſcriptum reliquit. Si febrem habenti ſuffocatio repentè ſuperuenerit, nullo tumore in faucibus exiſtente, letale. At quæcunque dolorem ſimilem prædictæ anginæ infert, attollitur verò, ac ruborem in faucibus efficit, admodum quoque exitioſa eſt, ſed paulò longior quàm prædicta. Quibus verò fauces rubent, & ceruix, hæc diuturnior eſt, eodem Hippocrate auctore: maximè verò ex ea ſeruantur, ſi ceruix, ac pectus ruborem traxerit, neque ad interna reuertatur eryſipelas, gutture ſiquidem nequaquam patiente, ſed aut in ceruicem, aut in hæc vtraque decumbente. Securiſsima verò inflammatio erit, ſi rubor quàm maximè foras vertatur, id quod aphor. 37. libri ſexti comprobauit, cùm dixit, ab angina habita, ſi tumor fiat in collo bonum; & aphor. 49. libri ſeptimi aſſerens Ab angina habita, tumor, & rubor in pectore ſuperueniens bonum, extra enim vertitur morbus. Si autem in pulmonem conuerſio fiat, dementiam parit, fiuntque ex ea magna ex parte purulenti, vt eodem tertio prognoſt. liquet, de qua idem Hippocrates aphoriſmo 10. quinti libri ſic ſcriptum reliquit. Quicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt, ſi verò hos effugerint, ſuppurantur. At quæ ad cutem tranſmutantur, aut à principio ita deferuntur fluxiones, quod iis, quæ in profundum decubuerunt, multo ſalubriores exiſtant, conſtat omnibus, vt quarto de ratione victus inquit Galenus, Paulus verò inquit, pueris rarò talem affectum oboriri, niſi cùm ceruicis vertebræ affectæ loco excidunt, id quod Hippocrates innuit aphoriſ. 23. libri tertij. Verùm illis (eodem Paulo teſte) ceu curationem non recipientibus, ac deploratis manum amoliri non oportet. Iuuenibus autem ferè accidit affectus hic, Aëtio teſte. Et propterea (Archigenis auctoritate) in principio tanquam compendiarium, & præceps auxilium omnis angina (vt ipſe inquit) venæ ſectionem requirit. Qua de re optima victus ratione inſtituta, ferè velut in

Loco citato, Conciliantur Galenl. verba, & Aëtius cum eo.

Loco citato.

commen. 11.

Prognoſtica.

tex. 16.

tex. 20.

commen. 30.

curatio.

Victus ratio.

reliquis

reliquis inflammationibus, niſi quòd parciori tum cibo, tum potu in hac vtantur: nanque copioſiore periclitantur, vt Alexander teſtis eſt; ſintque humidi, molles, ac liquidi: quò fit, vt primùm omnium idem Alexander, ac Paulus mulſam aquoſam exhibendam approbent, eaque tribus diebus vtendum, à tertio die cremorem ptiſanæ offerendum commendant cùm dulci quadam potione, vt inquit Paulus. Vice autem aquæ mulſæ hoc tempore vti poterimus aqua hordei per ſe, aut eum ſaccharo, & deinde ptiſanæ cremore: moderatiore autem facta inflammatione, perliquida ouorum lutea tribuunt, non multa tamen, loco quorum (vbi vires exigant) ptiſana cum iure pulli confecta vtitor, aut optimo pane in tenues partes redacto, ac eodem pulli, ſeu gallinæ iure decocto vtaris, vel eo gallinarum, ſeu pullorum contuſorum iure, quod vulgus conſummatum brodium appellat, & in ſumma, cibi ægri viribus reſpondeant ex Pauli decreto. Protinus ergo angina infeſtatis (ex Alexandri, Pauli, & Aëtij ſententia) venæ ſectionem adhibere neceſſe eſt, ſiquid eam fieri non prohibeat, verùm ſanguis non vniuerſim, ſed pluribus interpoſitis vicibus euacuandus erit, quare etiam tertio, & quarto (vt Alexander aſſerit) ipſum detrahere oportet. Nam particulares euacuationes cauſam potius ex ipſis locis affectis elidunt: cumulata autem vniuerſimque facta euacuatio, animi defectionem excitat, ſuffocationiſque periculum propterea eis ſuperuenit, dum materia tota in affectam partem collectim prorumpit, aut perfacile à faucibus, aut gutture ad pulmonē defertur, & ineuitabile periculum infert. Venam verò cubiti incidere (vt prædictis viſum eſt) mediam, vbi corpus totum plethoricum eſt, aut humeralem è directo, vbi non ſit, vt mihi videtur, vel primò mediam, deinde humeralem incidas; pluribus etiam vicibus, ſi opus fuerit, neque tamen anguſtiorem facere venæ inciſionem conuenit, vt Aëtius aſſerit, ne ſanguis velut percoletur, & craſsior eius pars intus remaneat, potiſsimùm vbi craſsior ſanguis huius affectionis cauſa exiſtit. Confert autem in hac affectione corpus totum vacuare, ac excrementis ipſum vacare, geminam ob cauſam, vt Galenus inquit quarto de ratione victus in morbis acutis, nempe tum ob eam, quæ à vacuatione eſt, reuulſionem, tum quod vacuato corpore, cum à parte affecta, quod influit, expellimus, id facilius conſentit, nihilque (ſi calido aliquo vaporare volueris) à corpore ipſo parti calfactæ mittetur. Corpus igitur totum præcitato loco Galenus vena ſecta vacuare iuſsit, & purgatione, & clyſteribus. In mulieribus (ex Tralliani decreto) vbi detentis menſibus in hanc affectionem incidunt, tali, ſeu malleoli vena incidenda eſt, moderateque ſanguis (vt diximus) educendus: nanque ex hac venæ ſectione duplex eis commodum ſubſequi ſolet, nempe conſuetarum vacuationum reditus, & affectus liberatio. Idem etiam in viris tentandum, ſi ipſos ſanguinem per venas, in ano extantes, vacuare ſolitos, dixeris. Quòd ſi hæc parum proficiant, eas quoque venas incidere conuenit, quæ ſub lingua ſunt, neque multum differendum, ſed eodem die id facito, vt, inquit Alexander, aut ſaltem ſequenti: id quod etiam quarto de ratione victus ſcriptum reperitur, vbi habet, Sanguinem ergo ex brachiis detrahes, mox venas, quæ ſub lingua ſunt, ſceabis. Galenus verò de eis, eodem loco ſic aſſerebat. Venæ quæ ſub lingua ſunt, eam, quæ faucibus eſt, phlegmonem ſine medicamentis vacuant; & libro de curandi ratione per venæ ſubiectionē; talia protulit verba, Quocirca quæ in gutture, & arteria graui torquentur inflammatione, in principio quidem, aperta in cubito vena, poſt principium autem in ipſa lingua, magnificè prodeſt, inciſis videlicet venis, quæ in ea ſunt, ambabus. Poſt venæ ſectionem potiſsimum vbi alij humores redundarint, ſecundum erit (Celſo auctore) ducere aluum, id quod etiam præcipit Galenus prædicto libro quarto de ratione victus in morbis acutis, cùm dixit, corpus igitur totum vena ſecta, vacuare oportet, & purgatione, & clyſteribus: primùm nanque venam ſecare iuſsit, tanquam maxime neceſſarium, & deinde etiam purgatione, & clyſteribus vtendum, nam reuellitur per huiuſmodi euacuationem ab affectis

Medicamentorum ratio. *Venæ ſectio.* *Loco citato.* *tex.30. cap.9.* *Purgatio. Comment.30.*

quoque

quoque partibus. Verùm ante eos Hippocra. libro de locis in homine, illud idē decretum reliquit, dum dixit, ſic affectis (loquens de angina) à venis, quæ in brachiis ſunt ſanguinem detrahes, & ſimul aluum infernè ſubduces, quo id, quod morbum exhibet, detrahatur: ea de re etſi difficulter deglutire valeat, poſt venæ ſectionem purgans medicamentum tribuendum erit, leniendo tamen vacuas, velut eſt caſsia fiſtula, manna, ſyrupus ex pluribus infuſionibus roſarum, vel violarum, vel ipſummet ſaccharum violaceum: Ex ſi ex craſsis ſuccis fluxio facta ſit, antidotum diacatholicon, aut agarici decoctum prædictis addas: confert nanque purgatio, vt Galenus inquit ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundùm locos, gratia euacuandi vniuerſum corpus, & transferendi infra humorum momentum, qui ad affectas partes feruntur: conuenit etiam & clyſteribus vti, interdum etiam acrioribus, potiſsimùm vbi aliquid venæ ſectionem, & purgationem prohibeat, aut eis exhibitis, adhuc malum non cedat: nec minùs reuulſionis gratia conferunt extremarum partium frictiones, aut vincula, ſimiliter ſi pedes aqua calida foueantur, vt inquit Paulus. Cucurbitulæ item ſcapulis hac ratione affigendæ, citra ſcarificationem: & vbi malum longius prorogetur, poſt prædictas euacuationes, cùm iam materia influere deſierit, cucurbitam cum ſcarificatione apponere oportet ſub mento, ſi tumor circa fauces, & maxillas perſiſtet. Si verò nullus extrinſecus tumor appareat, veluti in ea angina, quæ occulta appellatur, in qua gutturis partes præſertim internæ afficiuntur, circa ceruicem cucurbitula admouenda erit iuxta primam, aut ſecundam vertebram, vel hirudines applicandæ. Quod verò ad localia medicamenta attinet, in vniuerſum id ſcire oportet, quòd neque reprimentia, ſeu adſtringentia ſola, neque diſcutientia prædictis affectibus conferunt, licet temporum ratione habita, aliàs repellentia, aliàs diſcutientia potiùs miſcenda ſunt, cen in morbi initio repellentia potiùs, in ſtatu potiore ex parte diſcutientia, in declinatione verò, ea quæ valentiùs diſcutiunt adhibere oportet, Alexandro teſte: nanque nonnulli, qui admodum aſtringentibus duntaxat, aut diſcutientibus anginam curare tentarunt, in grauiora pericula ægros duxerunt, vel ſuffocationem acutiſsimam inducentes, vel inflammationem augentes. Hoc idem aſſerebat Galenus ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cum de gurgulionis inflammatione loquebatur. Paruæ etenim ſunt (vt ipſe inquit) & affectionis nomine vix dignatæ à medicis, quæ confeſtim ſedantur; quò fit, vt rarò inueniantur, quæ vno duntaxat medicamentorum genere indigeant, ſiue repulſorium, ſiue diſcuſſorium fuerit: facultati quoque auxiliorum aduertere oportet: etenim imbecilliora, molliorâque medicamenta imbecillioribus, & mollioribus corporibus accommodanda ſunt, nempe pueris, mulieribus, & eunuchis, ac horum ſimilibus: valentiora autem durioribus, & fortioribus corporibus: ſemper enim quod adhibetur remedium, contrarium quidem ſuperanti affectui eſſe debet, familiare autem, & amicum ægrotantis habitui, vt idem Trallianus refert. Itaque vbi initium ſit cum multa inflammatione, ea, quæ leniter adſtringunt, offerenda ſunt primùm, Aetio teſte; velut eſt roſarum, lentium, myxarum, palmarúmque decoctum, aut flos roſarum ex hydromelite, ſeu rhus cum hydromelite decoctis: iis nanque per initia gargarizandum erit, vel (vt inquit Paulus) gargariſmi fiant ex eo medicamento ſimplici, quod ex moris eſt, cum rhus decocto, aut potius vtaris eo medicamento, quod ex ſylueſtribus moris conficitur: deinde eodem medicamento compoſito, quod mora recipit, vel eo, quod ex nucibus: quod medicamentum fatetur Galenus ex ſucco nucum viridium præparaſſe, nullo doctore vſus, cum ex Alexandria in patriam rediret, idque experientia comprobaſſe in quodam hortulano, ab vua, pariſthmiis, & antiadibus ferè ſuffocato quo medicamento gargarizare iuſsit hortulanum: & quoniam valde tenuis ſuccus apparebat, præcoxit ipſum, & mel commenſuratè admiſcuit: atque, vbi ad mellis compagem redactum eſſet, hortulano vtendum reliquit: & cùm celerrimam

Poſt medium.

Cap. 5.

Topica qualia eſſe debeant.

Galeni hiſtoria.

videret vtilitatem ipſi inde oboriri, præſtabile ratus fuit in multis experiri, & ex eo ſufficiente experimento accepto, ſemper ipſo vſus fuit, & eo magis optimum iudicauit quod etiam coctum cum melle cùm guſtaſſet, nihil inſuaue haberet: & propterea teſtatur eius vim ſe expertum eſſe multum aliorum ſtomaticorum facultatẽ excedentem. Sunt autem ea (vt idemmet textis eſt Galenus
Cap. 1. ſexto de compoſitione medic. ſecundum locos, id quod ex moris conſtat, & id quod ex ſucco rubi mororum præparatur: & tertium quod ex muſto, & quartum quod ex punicorum ſucco, & quintũ id, quod per adſtringentia mala componitur: quæ omnia propriè quidem ſtomatica appellantur, quoniã ad vuas, paristhmia, ac omnes quæ in ore fiunt derepentè inflammationes conueniunt. Atqui ex iam dictis vtiliter gargariſmi, quibus quotidie vtor, componi poſſunt: Mi-
6. de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 5. rum enim (inquit Galenus præcitato loco) quàm mixturæ ipſorum vtiliores ſæpe fiant ipſo ſimplici vſu, vt ſi vnc. ij. medicamenti ex moris, & tantundem medicamenti ex ſuccò nucum excipias, & cum aqua hordei libra vna, & aquæ roſarum vnc. iiij. ac aceti albi vnc. j. permiſceas, quo medicamento gargarizare iubeas: vel aquæ hordei lib. ij. recipe, in qua rhus drach. iiij. decoquantur, ac addas myrtinæ aquæ lib. s. medicamentis ex moris rubi, aut ex moris vnc. iij. medicamenti ex nucibus, aut ex malis punicis vnc. iiij. aceti albi vnc. ij. hoc etiam tempore in rotulis medicamentum paretur, quod aſsiduè teneatur in ore, ac ſenſim deglutiatur. Accipit autẽ diacodij. drac. ij. pulueris hirundinis præparatæ ſcrup. j. ſeminum coriandrorum præparatorum drach. j. ſacchari diſſoluti in aqua roſarum, quantùm ſatis ſit. Procedente verò tempore (potiſsimùm vbi frigida fuerit fluxio) addere poteris ſcrup. j. vel ij. antidoti diamoſchu dulcis, aut pliris archotici: quo etiam tempore ſæpius, paulatim tamen, ac ſenſim ex ſyrupo roſaceo, violaceo, iuiubino, de cauius, ac reliquis ſimilibus exhibere poterimus, iubentes, vt quàm diutiſsimè in ore teneant, ac paulatim eum defluere permittat. Morbo verò increſcente, vigente, ac conſiſtente, iis magis vtendum medicamentis, quibus diſcutiendi facultas ineſt, velut eſt caricarum, aut furfurum, ſeu glycyrrhizæ in aqua mulſa decoctũ, aut hyſſopum, thymum, calamintha, ſeu pulegiũ, ſimiliter in aqua mulſa decocta, vel hordei, Recipe manip. s. vuarum paſſarum vnc. j. palmularum, & caricarum, ac myxarum ana numero quinque, glycyrrhizæ drach. iiij. hyſſopi drach. iij. coquantur ſecundum artem in lib. ij. fontanæ aquæ, donec medietas abſumatur: cui decocto percolato, adiciantur mellis roſacei vnc. ij. medicamenti ex moris vnc. j. & aceti albi parum, vel vice mellis roſacei & aceti, oxymelitis ſimplicis vnc. j. & s. vel vnc. ij. commiſceas, & fiat gargariſmus: prædicto etiam decocto adiicere poteris thymum, pulegium, calamintham, origanum, fœnumgræcum, aut mentham odoratam, quam hedyoſmon vocant, potiſsimum vbi ex frigidis ac craſsis ſuccis orta fuerit inflammatio: ij nanque ſucci atrioribus indigent medicamentis, quæ ſcilicet ſecare, & in tenuia diuidere, & tum glutinoſa, tum craſſa confringere poſsint, auctore Ga-
Com. 30. Topica. leno quarto de ratione victus in morbis acutis: propterea & eodem tempore, medicamentis, quæ ad exteriorem ſuperficiem reuellere poſſunt, ac attractoria facultate polleant, ab extra vtendum erit; quæ etiam tum concoquere, tum diſcutere valeant: admouere igitur ſpongias oportet, quæ in calidum oleum demittantur, vt Celſus inquit. Nec minus conferent, ſi oleum fuerit chamæmelinum, aut anethinum, ſeu liliaceum, aut irinum, ſi materia fuerit frigidior, aut ex caſsia fiſtula, & oleo amygdalino, ſeu aliquo prædictorum cataplaſma fiat, ſeu ſeminis althææ, maluarum, & lini cremorem aſſumas, & cum fœnigræci, ac hordei farina, decoctóque chamæmeli, meliloti, & caricarum, cataplaſma formetur atque applicetur. Inungitur quoque haud inutiliter locus ex oleo chamæmelino, anethino, ſeu amygdalino cum butyro, atque anſeris pinguedine: & ſi libeat œſypum, aut dialthææam immiſceas, vel eiſdem per ſe vtare: optimum quoque cataplaſma erit ab Alexandro ſcriptum: conſtat nempe ex hordeacea farina, ſemine lini, palmulis ex aqua coctis, item croco, & mica panis ſimul incoctis,

coctis, & (ſi videbitur) adiicere poteris ficus ſiccas. Placuit tandem quæ à tota ferè ſubſtantia conferunt in fine conſcribere, quorum vnum à Galeno, Muſæ auctoritate ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & libro decimo de ſimplicium medicamentorum facultate conſcribitur: excipit autem caninum ſtercus album, quod quidem efficitur, vbi ſola oſſa cani edenda duobus continuè diebus exhibeas, minimèque fœtens prouenit, hoc igitur accipito, & reſiccato, tritúmque cribrato, & vſus tempore melle diluito, atque tunc vt deuoretur illinito quàm penitiſsimè vt tranſglutire poſsint, aut alicui alio medicamento admiſceas, quod huic affectui congruat, velut eſt medicamentum ex moris, ſeu de nucibus, ſeu mel roſaceum: hoc enim pharmaco, inquit Galenus, fortius nullum nouimus neque in angina, neque in magnis pariſthmiis, aut his quibus ex glandulis ſuffocationis periculum imminet. Præſtantiſsimum quoque remedium eſt (Paulo auctore, atque ſimiliter efficax) hirundinum vſtarum cinis: quamuis ante eum Galenus 11. de ſimplicium medicamentorum facult. ipſum cum melle commendaſſet: pariter (vt teſtatur Aetius) cochlearum in hortis repertarum citra teſtas, aut cancrorum vſtorum cinis cum melle confert. Si quis autem pullum hirundinis comederit (inquit Celſus) angina toto anno non periclitabitur; ſeruatúmque eum ex ſale (cùm is morbus vrget) comburi, carbonémque eius contritum in aquam mulſam, quæ potui datur, infricari, & prodeſſe, quod medicamentum, quamuis idoneos auctores ex populo habeat (vt ipſe refert) tamen cùm neque habere quicquam periculi poſsit, inſerendum ſuo operi credidit, etſi in monumentis medicorum non legerit, quamuis ego legerim apud Galenum ſexto de compoſitione medicamētorum ſecundum locos, quo loco Archigenis medicamenta ad gurguliones inflammatos meminit: quinetiam ſi compluribus linis, & maximè marinæ purpuræ, collo viperæ iniectis, illis viperam præfoces, eáque poſtea cuiuſpiam collo obuincias, mirificè profuerit tum pariſthmiis, tum omnibus iis, quæ in collo expullulant, Galeno auctore ſexto de ſimplicium medicamentorum facult. Vbi verò in abſceſſum angina vergat, iuuanda natura erit cum his quæ præcedenti capite diximus, ſic quoque confecto pure cum his, quæ diſruptionem proritant, ac eo diſrupto cum his, quæ detergendi vim habent, quæ omnia ibi conſcriptas reperias.

Quæ à tota ſubſtantia conferant.
6. de compoſ. med. ſec. loc. cap. 2.
10. de ſimplic. facul. ca. proprio.
Cap. proprio.
Cap. 3.
Cap. de peonia.

Περὶ βηχός. *De tuſsi.* *Caput* XLVII.

IN genere deprauatorum motuum tuſsis ipſa, quam Græci βῆχα appellant, continetur, vt 2. de cauſ. ſympt. teſtatur Galenus. At cùm deprauati motus in triplici ſint differentia, eodem auctore, in quorum numero ea reponenda ſit inueſtigabis: nam alij naturæ quidem ſunt opera, ſed vi coactæ à quapiam morboſa cauſa. Alij verò à morbo ſimul & natura efficiuntur, reliqui morboſos duntaxat comitantur affectus, natura ad eorum generationem ſuppetias minimè ferente. Intelligit autem per naturam omnem facultatem, quæ animal regit, ſiue illa à voluntatis noſtræ imperio pendeat, ſiue ſecus: quapropter in prædictis verbis totum hoc facultatum genus, cuius beneficio ſeruatur animal, ex aduerſo opponit omni cauſæ præternaturali, quæ ipſum lædere, vel corrumpere poſsit. Prædictæ itaque facultatis opera ſunt, ſternutamentum, ſingultus, ac tuſsis, vt ipſe inquit, ſolius autem morbi palpitatio, & conuulſio, ſicut amborum, morbi inquam ac facultatis coeuntium ſimul, ſunt omnes motus torpidi, ac tremor. Tuſsis igitur à Galeno (vt liquet) in numero eorum motuum deprauatorum connumerantur, vt ex iam dictis conſtat, qui opera quidem facultatis ſunt coactæ violenter mouere à morboſa quapiam cauſa: propterea in numero ſymptomatum (vt dicemus) & non naturalium operationum meritò eſſe cenſetur. Nam quandiu animal naturæ legibus gubernatur, nullus motus

Quot ſint deprauati motus differentiæ.
Cap. 3.
Sub qua differētia tuſsis cõtinetur.

facultatum eius ſymptoma exiſtit, ſed tunc duntaxat, cum ab aliqua cauſa præternaturali ad exercendas functiones, quæuis earum fuerit irritata, quò fit, vt cùm conſiſtat in corpore aliquid à natura alienum, inſurgátque ad ipſum deiiciendum facultas aliqua expultrix, aliquando inſenſibiles omnino earum motus ſunt, aliquando ſenſibiles euadunt. Verùm cùm prædicti deprauati motus non vni tantùm corporis noſtri particulæ adſcribantur, ſed diuerſis, prout eorum cauſæ in diuerſis quoque partibus conſiſtunt, propterea tuſsim ipſam

Quarum partiũ tuſsis ſit deprauatus motus.

inſtrumentorum ſpiritus deprauatum motum eſſe, cúmque non inſenſibilem, ſed ſenſibilem idem Galenus præcitato loco decretum reliquit: appello autem nunc ſpiritus inſtrumenta, pulmonem, aſperam arteriam, ac thoracem, vt neceſſe ſit aliquam, vel plures dictarum partium in tuſsi affectas eſſe: interim autem & fauces, vt quibuſdam tuſsibus patebit: quanquam igitur harum partium motus ſit tuſsis, nunquam tamen ad eum excitandum mouebitur animal, niſi à quopiam, quod præter naturam ſit, ſpiritus partes irritante fuerit impulſum, vt verò dilucidiùs percipiatur quænam pars determinatè in tuſsi afficiatur, operæpretium erit ipſius tuſsis genera, ſeu differentias enarrare: ex his nanque nedum quæ pars afficiatur, verùm & qui præter naturam affectus tuſſes ſint, ac inſuper modus generationis earum, patebit. Quòd autem duo ſint prima tuſsium genera, ex Galeni ſententia liquet, libro ſecundo de cauſis ſymptomatum, quorum vnum vehementem ſpiritus ad exteriora motionem nominat, illúdque non immeritò, nanque cùm non poſsit pulmo tam vehementi motu concitari, vt id quod moleſtum ei eſt, exploderet, natura magna quadam ſolertia aliud remedium ſibi adinuenit: quippè cùm externus aër in aſperam arteriam trahatur, quæ & cartilaginea, & dura eſt, nec contrahi propterea poſsit circa id, quod in ipſis continetur, incitatum hunc cogitauit ſpiritus exitum, vehementer ſiquidem ipſum ad exteriora mouendo: qui motus per eadem fit inſtrumenta, per quæ magnæ, & vehementes ſpiritus expulſiones fiunt, quas efflationes nominamus, ita vt tuſsis hæc nihil aliud fit (eodem Galeno auctore, præcitato loco) quàm vehementiſsima efflatio, quæ plurimus ſpiritus celerrimè foras erumpens impetu ſuo extrahit, exploditque excrementa meatus ipſius obſtruentia; adeò vt ſi prima efflatio non poſsit ea quæ moleſta ſunt, excutere, non grauetur, & iterum, & tertio in ipſa irruere. Efficiunt itaque hanc tuſsim muſculi efflationem operantes, intercoſtales maximè, quamuis ipſa naturale quoddam ſymptoma ſit, vt eodem ſecundo de cauſis ſymptomatum, & quinto de locis affectis liquet, vt autem ipſum excitaretur, opus fuit vehementer admodum thoracem ipſum omni ex parte cõprimi, quo robuſtiùs, id quod in viis ſpiritus continetur, expellatur: motionis itaque initium ex facultate mouente thoracem in tuſsientibus eſt, violenta verò contractio eius facit, vt ſpiritus feratur foras vehementer, huius autem vehementia refert ſecum materiam conditam in fiſtulis pulmonis, quæ quidem aſperæ arteriæ ſunt, Galeno auctore 2. prognoſt. cùm itaque hoc modo id genus tuſſium gignatur, haudquaquam hæſitandum erit aſſerere ſymptoma eſſe (cùm à cauſa præternaturali irritata natura ad hunc motum proritetur) functionum, non ſiquidem naturalium, expultricis videlicet, velut nauſea, & vomitus, ſed facultatis motricis voluntariæ: neque enim facultas expultrix, quæ ex naturalium numero vna eſt, hunc motum efficere poteſt: & proinde Galenus facultatis, quæ à voluntatis imperio pendet, ſymptoma eſſe fatetur eodem 2. libro de cauſis ſymptoma. quo motu perpetuò natura conatur, quicquid ſpiritum interceperit, reiicere, ſiue humor fuerit à capite defluens, vt in deſtillationibus, ſiue aliquid collectum in aſperis arteriis, vt in peripneumonia, & pleuritide, quare ſectatur hoc ſymptoma morbum in via, quia obſtructionem viarum ſpiritus: dignoſcíque facile poteſt tuſsis hæc, quoniam non exigua, ſed valida erit, vehemens, ac violenta, nec ſupprimi, ſeu prohiberi poteſt omnino ne eueniat: vehementérque in ea thorax comprimitur, vt multam, eandémque

Duo tuſsiũ genera.

Cap. 3.

Vehemẽs, ſeu magna tuſsis quid ſit.

Generationis modus.

2. de cauſis ſympt. cap. 3.

5. de loc. aff. cap. 3.

Com. 43.

5. de loc aff. cap. 3.

Quis affectus præter naturam ſit.

confer

confertam efflationem excitet, etenim ſine vehementi thoracis conſtrictione ſeu contractione, vehementer tuſsire nemo poteſt: vt liquet 4. de locis affe. inter tuſsiendum ſemper aliquid expuunt, niſi valde aquoſa, aut lenta ſint eſſentia, ea quæ ſpiritus vias obſtruunt. Cæterum veluti vomitiones nauſeæ præcedere ſolent, ita tuſsim, quod Græcè κερχνὸς, dicitur: eſt autem id non tuſsis, ſed exiguus quidam ad tuſsiendum impetus. Præterea ſicuti nonnulli nauſearunt, nec tamen vomuerunt, ita nonnullis ſymptoma modò dictum incidit, nec tamen tuſsis propter cauſæ paruitatem eſt ſecuta, quippe interim ex parua faucium aſpredine, interim verò ex tenui aliquo, exiguóque prorſus humore contingit. in prædicta itaque tuſsi perpetuò viæ ſpiritus afficiuntur. At ſi ſpiritus interceptio, ab humore à capite defluente fiat, aſpera ipſa arteria affecta erit: cuius autem naturæ fuerit humor, vias ſpiritus obſtruens, ex qualitate præcedentis deſtillationis percipere poteris, idque ſtudioſi petant cap. de catarrho, ſimul atque ex ſubſtantia, & diuerſa qualitate eius, quod per tuſsim propellitur, inueſtigandum erit. ad portionem autem eorum, quæ à capite defluunt, reſpondent ea, quæ inter bibendum, aut edendum in guttur, ac aſperas arterias delabuntur, patebit autem id ex eius, qui taliter affectus eſt, aut aſtantium relatione, præter verò hæc contingit interdum quòd in aſperis arteriis, ac thoracis cauitate excrementum aliquod collectum ſit, & proinde vehemens tuſsis excitetur; quemadmodum in pleuritide, thoracis vomica, peripneumonia, ac tabe euenit: quæ omnia interſtingui poſſunt ex propriis indiciis prædictarum affectionum: quæ verò cum titillatione partium ab vtraque palati parte contingunt tuſſes, palàm oſtendunt (vt inquit Aetius cap. 54. libri octaui) defluxum à capite ad aſperam arteriam deferri, atque ad pulmonem, quas tuſſes malignas, & contumaces appellabat Paulus cap. 28. tertij libri. Eſt inſuper (eodem Galeno auctore prædicto loco) ex inſtrumentorum reſpirationi ſeruientium intemperie ortum aliud tuſsis genus, in qua nihil inter tuſsiendum ita affecti expuunt, neque violenta tuſsis eſt, neque coacta, ſed adeò exigua, vt & ſupprimi, & ne eueniat prohiberi poſsit, idque vel in totum, vel magna ex parte: itémque ſpiritus cohibitioni non modò ea fieri prohibetur, ſed etiam ea ſanatur, modo admodum magna non ſit, vt idem Galenus teſtatur: augetur nanque (vt ipſe inquit) ſpiritus cohibitione in inſtrumentis ſpiritalibus calor, permeátque ſpiritus violenter à pectore preſſus, ac compulſus per omnes anguſtos meatus: quibus vtriſque peractis æquantur omnia, atque ad temperamenti æquabilitatem veniunt, potiſsimùm ſi refrigeratis reſpirationis inſtrumentis orta ſit. Verùm quis affectus, præter naturam ſit tuſsis hæc, ac qua ratione fiat, quæ partes in ea afficiantur, ac à quibus cauſis oriri poſsit, patebit, eo priùs dilucidato, cur videlicet per inæquales intemperaturas inſtrumentorum ſpiritus, tuſsis excitetur: nanque ex æquali intemperie cum ea omnino ſine dolore ſit, haudquaquam gigni poteſt. Eſt nanque ea veluti acquiſititia quædam natura, vt Galenus inquit. Verùm cùm inæqualis oritur intemperies in quapiam parte ſentiendi vi prædita, quanta fuerit intemperantiæ magnitudo, tanta erit moleſtia, quantóque eius cauſa, cùm mordax ſit, non quieſcat, ſed moueatur, & citiùs moueatur, tanto quieſcente, ac ea quæ tardè mouetur, & minimè mordax eſt, moleſtior exiſtit, ac citiùs ſentitur, quo ſit vt irritatæ partes ad expellendum id, quod contriſtat, feſtinent, ſeſe contrahentes, ac conſtringentes, velut in rigoribus, atque horroribus eſt videre, in quibus vniuerſæ partes ſimul ad expellendum mouentur, atque eo tempore totum corpus concuſsione, quaſſationéque vexatur, talis etiam motus & thoracis muſculis per inæquales intemperies deprehenditur: eámque ob rem tuſſis quædam leuis ei non abſimilis affectui, quem Græci κερχνὸν vocant, iis ſupervenit, concutiuntur enim muſculi, dum ſtudent ea quæ contriſtant à carne ſua (vt inquit Galenus) per pulmones, & arterias expellere. In cæteris autem tuſsibus vehementer eos pulmoni ſe iniicere, eſt monſtratum, quo multam,

Cap. 8.

Quæ morbum ſectetur.

Signa eiuſdē.

Pars affecta.

Cauſa diuerſe.

Secundum genus tuſsium.

Modus generationis eius.

eandémque confertam efflationem excitent, hæc itaque tuſsis, quæ ex ſpiritualium inſtrumentorum intemperie incidit, ex eodem eſt cum concutientibus rigoribus, horroribúſque genere, eodem Galeno teſte, præcitato

Cap. 4.

ſecundo libro de cauſis ſymptomatum, differt autem ; eo quòd celerior eius ſit

Quæ partes in ea afficiantur.

ſenſus.: nam reſpirationis inſtrumenta nunquam quieſcunt. Ex his itaque conſtat reſpirationis quoque organa in hac tuſsi affecta eſſe, præſertim thoracis

Quis affectus præter naturam ſit.

muſculos, iuxta Galeni ſententiam, eámque ſymptoma eſſe functionum non animalium, vt vehementiſsima tuſsis, ſed naturalium, atque inter eas, ipſius excretricis: nanque vt expellant ea, quæ ipſis moleſta ſunt, concutiuntur muſculi, ac tuſsim excitant, & non vehementer pulmonibus incumbunt, quò multùm ſimul, & celerem efflatum moueant, totúſque ferè motus hic, velut de rigore teſtatur Galenus; ad naturalem facultatem referendus eſt: & ſi quodammodo cauſa præter naturam irritans concurrat ipſa cogens, vt violenter moueatur. Talis igitur quoque eſt eiuſdem generationis modus, vt diximus, ad

Quem inſequatur morbum.

inæqualémque intemperiem ſequitur ipſorum organorum ſpiritus, & non ad viarum obſtructionem, vt aliud tuſsis genus, nec aliis indiget ſignis pro eius

Signa eiuſdē.

cognitione, quàm eis, quæ ſuprà narrauimus: ſiquidem in ea nihil expuitur, nec eſt omnino valida, ac violenta, ſed adeò praua, ac ſine vi, vt eam cohiberi, & generationem eius vel plurimùm, vel omnino prohiberi liceat, vt retulimus.

Cauſæ.

Cuius quidem tuſsis cauſa, licet 2. de cauſ. ſympto. refrigeratio inſtrumentorum

2. de cauſis ſympto. c. 4.

reſpirationis à Galeno dicatur eſſe, ab eodem tamen lib. 6. de morbis vulga. ab aliis quoque eorundem inſtrumentorum intemperantiis fieri poſſe non negatur: nanque cùm de non malignis tuſsibus, quas Hippocrates aridas, ac parum, ſeu leuiter irritantes, tum eodem 6. de morb. vulg. tum aphoriſ. 54. quarti libri

6. de morbis vulgar. commentario 2. comment. 24.

appellat, ſermonem faceret, eas aut ob faucium, arteriæúe aſperitatem, aut inſtrumentorum ſpirabilium intemperiem oriri aſſerit; quam intemperiem interim frigidam eſſe teſtatur vtpote in aquiloniis conſtitutionibus, in quibus

Loco citato.

Hippocrates apho. 5. lib. 3. tuſſes, ac fauces excitari aſſerebat, non propter aliud (vt Galenus fatetur commento eiuſdem aphor.) niſi propter inſtrumentorum reſpirationi obſeruientium intemperiem, & propter faucium aſperitatem: aër nanque admodum frigidus inſpiratus, interdum faucium, aſperæque arteriæ locos exaſperat, atque refrigerat, nonnunquam & toti pulmoni, pectorique intemperiem affert: ſæpiùs verò & ambo hæc contingunt: quapropter ex his arida, modicáque tuſsicula vexantur: quod autem ita ſit, ſignum eſt (vt inquit

Loco citato.

Galenus eodem 6. de morbis vulga.) ipſos, cùm ſpiritum attrahunt, ad tuſsim prouocari, potiſsimùm cùm multus ſubitò aër ipſis loquentibus, & oſcitantibus, ac ore ſpiritum ducentibus intrauerit, ſed cùm per nares attrahunt, ac aërem extrinſecum quiſpiam in ædibus ipſorum calefecerit, tunc autem omninò parum, aut nequaquam tuſsiunt. Quocirca & ob nares quidam panniculum ponentes ita inſpirant, exacerbari tuſsim experti; cùm aër externus frigidus multus ſubitò membris priùs refrigetatis, atque exaſperatis, obuius fiat: nec minùs ob vehementem æſtum, immodicámque ariditatem à circunfuſo aëre generatur tuſsis hæc, eodem Galeno auctore, intemperatis ſiquidem inſtrumentis ſpiritus, ac iam dictis partibus exaſperatis, id quod ſæpenumero in febribus accidit, vt Paulus teſtatur: qui etiam Galenum ſectatus, ex ambabus intempetantiis tuſsim hanc excitari poſſe fatetur: in hac verò tuſsi aërem frigidum reſpirare deſiderant, eóque iuuantur, faciéſque rubicunda apparet, ac ſiti moleſtantur ægri: Trallianus verò nedum ex iam dictis duabus, verùm etiam ex reliquis intemperiebus tuſsim hanc excitari poſſe teſtatur, ſicca videlicet, & humida. At nos Galenum, & veritatem ſectati, ab humida intemperie nuda tuſſim oriri poſſe nequaquam admittimus, neque enim mordax eſt, adeò vt motum hunc excitare poſsit, ac inæqualem intemperiem efficere: à ſicca tamen oriri poſſe non negamus: quanquam citra caliditatem, aut frigiditatem omnino id fieri, aut cogitari fortè minimè poſsit. Non ab re igitur ex calida, frigidáve

intemperie,interim ſolis exiſtentibus, interdum verò cum ſiccitate permiſtis,
exiguam hanc tuſsiculam proritari diximus: quomodo autem hæ interſtin-
guendæ ſint,ex his quæ cap: de catarrho conſcripſimus, ſtudioſi petant, hæc
iterum tuſsis arida,ac leuiter irritans,in qua nihil expuitur, ex puluere, fumo,
alimentis, potionibuſque exaſperantibus interim generatur, quandoque (vt
teſtatur Aëtius) ex lumbricis ſtomachum infeſtantibus, & acri humore ipſum
perturbante, ſimiliter & in his,qui ſtomachi morſum ſentiunt, euenit: nec mi-
nus & iocinore,ac liene,ſeu aliis quibuſdam partibus primò affectis, aridæ tuſ-
ſes quandoque proueniunt. Dignoſces autem eas ex propriis indiciis prædi-
ctarum partium primò affectarum. Galenus verò commento aphoriſ. 54. libri
quarti, trifariam oriri poſſe teſtatur tuſsim aridam leuiter irritantem, nempe
aut ab intemperie inſtrumentorum, quæ obſeruiunt reſpirationi, aut ex fau-
cium aſpredine, vel aliquo tenui, & pauco humore deſtillante. At ſi propterea
quod craſsi, lentiq́ue ſucci firmiter infixi bronchiis ſint, vel quòd humor qui
à capite ad aſperas arterias defluit, non aliter atque aqua ſit tenuis,arida tuſ-
ſis fiat, non amplius exigua, ac leuis ea erit, imò valida, ac vehementiſsima,
quemadmodum quarto de locis affectis, ſecundo prognoſticorum, primo de — *4. de loc. affe. cap. 8.*
morbis vulgaribus, ac ſecundo de cauſis ſymptomatum, & reliquis pleriſque — *2. prognoſt. com. 41.*
locis decretum reliquit Galenus. Si quis autem velit omnes enumeratas iam — *1. de morbis vulgar. commentario 1. commēt. 12.*
tuſſes in duas redigere differentias humidas videlicet, & ſiccas non aberrabit — *2. de cauſis ſymp. cap. 4.*
Celſum imitatus,qui de tuſsi ſic dicebat cap. 4. lib. 4. Ac modo arida eſt,modo
pituitam citat; nobis autem ſatis ſit hæc annotaſſe pro diuerſarum tuſsium di-
gnotione,& earum generatione diuerſa, ac cauſarum ex quibus fiunt, notitia:
reliquum eſt de ipſarum prognoſtico differere,ac curatione. Sit autem primum — *Prognoſtica.*
earundem prognoſticum, quòd quæcunque tuſſes ex deſtillante humore à ca-
pite oriuntur, ſiue ex alicuius ſpirabilium viſcerum vlcere, aut ex aliquo in iiſ-
dem orto abſceſſu, ſiue ob ea,quæ vocantur empyemata, quæ ab Hippocrate
ferinæ appellantur libro ſexto de morbis vulgar. omnes malignæ ſunt, vt Ga- — *commenta. 2.*
lenus eodem loco reſtatur, maleficæ,ac contumaces, vt inquit Paulus; & pro- — *comment. 24.*
pterea periculoſæ, nec paruifaciendæ ſunt, reliquæ verò tuſſes, quæ malignæ
non ſunt,ab his ſiquidem diuerſæ,ac exiguæ dictæ,periculum, quantum in ipſis
eſt,nominantur,ſuntq́ue curatu faciles. Quòd verò tuſſes in aquilonia conſti-
tutione, ac hyeme generari magis aptæ ſunt, decretum reliquit Hippocrates
aphoriſ. 5. & 23. libri tertij: id quoque non prætereundum erit, quod ad validas,
vehementiſsimaſque tuſſes, vbi diu protelentur propter vehementem thora-
cis motum,ſputum ſanguinis ſuperuenire cõſueuit. Celſus autem tuſsim pro-
pter faucium exulcerationem ferè moleſtam eſſe aſſeruit: ſolent tamen(vt ipſe
inquit) interdum per ſe quoque malè habere, & vix cùm vetus facta eſt,elidi-
tur. Quoniam verò neque vnum duntaxat habent tuſſes ipſæ generationis mo
dum,nec cauſam vnam,propterea pro cauſarum diuerſitate earum quoque cu-
rationem variari contingit: quapropter ſi ex peripneumonia, pleuritide, em-
pyemate, tabe,aut ſimili aliquo affectu in ſpiritalibus inſtrumentis orto, veluti
etiam dyſpnœa, ſeu aſthmate tuſsis fiat, ex eorum affectuum curatione, vt in — *Curatio tuſsis ex inæquali intēperie frigida ortæ.*
ſequentibus patebit. curabitur & ipſa. Si verò ex inæquali duntaxat intempe-
rie ortum ducat, frigida ea exiſtente per calefacientia emendamus, vt inquit
Aëtius: hæc inquam tuſsis (modo non valde magna fuerit) ex ſpiritus cohibi-
tione,iuxta Galeni ſententiam,ſecundo dè cauſis ſympt. curari poterit, quem- — *cap. 4.*
admodum ſuperiùs dictum eſt. Caueant igitur taliter affecti frigidam inſpira-
tionem, frigidum quoque cibum,ac potum, quinimò in calidis locis verſentur,
calidis quoque cibis, ac potibus vtantur; eorumq́ue pectora calidis vnguentis
vngantur, vt chamæmelino,anethino,amygdalarum dulcium,butyro, ac anſe-
ris,ſeu gallinæ pinguedine; & (vt ſummatim dicam) totum ſtudium ſit,vt tho- — *Si ex calida intemperie oriatur, curatio.*
racis partes à frigidis defendantur,ac calidæ ſeruentur. At ſi ex calida intem-
perie, arida, ac exigua tuſsis proritetur, quemadmodum in febribus euenire

contingit, contraria tum victus ratione, tum etiam medicamentorum vti oportet, ita vt cuncta ad frigidum vergant, atque humidum, ſi cum ſiccitate ea permiſta ſit. Quæ verò ab aſperitate tuſſes fiunt, per lenientia, & mordacitatem arcentia ſanantur, Aëtio teſte, qualia ſunt ex arteriacis compoſitionibus ſimpliciora: nonnullorum huiuſmodi medicamentorum cap. de catarrho; à nobis mentio facta eſt, cùm raucedinis curam præcepimus. Reliquum eſt itaque, vt eius tuſsis, quæ ex deſtillante humore à capite originē ducit, curationem præcipiamus, qui ſi acris fuerit, ac tenuis, proba victus ratione inſtituta, modo, quo cap. de catarrho conſcripſimus (quamuis ſpeciatim in omni tuſsi vtilis ſit, ex Celſi auctoritate, peregrinatio, nauigatio longa, loca maritima, & natationes) per ea medicamenta quæ vim refrigerandi, ſpiſſandi, acrimoniamque obtundendi habeant, ſanabitur; aut (vt inquit Aëtius) per cuiuſdam pharmaci dolorem leuantis vſum, & per cibos boni ſucci: ſyrupo igitur violaceo, è papauere, de cannis, aut è ſucco borraginis vtare: vel, Recipe ſyrupi violacei vnc. j. de cannis vnc. s. aquæ hordei, & borraginis vnc. iij. aut aquæ hordei vnc. iiij. v. vel vj. exhibeas cū pauco ſaccharo. quibus ſyrupis ſæpiùs aſſumptis vnc. ij. vel iij. mellis roridi, ſiue ij. caſsiæ fiſtulæ, aut iij. ſacchari violacei, ſeu ſyrupi ex pluribus infuſionibus violarū cum infraſcripto decocto exhibeas. Excipe hordei decorticati pug. j. florū violarū, & borraginis ana drac. iij. iuiubarum numero quatuor, vuarū paſſarū mundatarū vnc. s. glycyrrhizæ drac. j. & s. in aqua fontana fiat decoctū ſecundum artem, in quo mannam, caſsiam fiſtulam, ſaccharum, aut ſyrupum violaceum diſſoluas. Conuenit quoque in hunc vſum exhibere antidotum de papauere, diatragacanthæ, vel diapenidij ſine ſpeciebus, quæ ſub lingua diu teneantur, quo paulatim liqueſcentibus, aſperæ arteriæ ſummum, id quod in ipſum defluit, ſenſim ſuſcipiat, renitaturque ipſi oborienti tuſsi. Conducunt inſuper & bechicæ pilulæ, ac reliqua medicamenta arteriaca, quæ cap. de catarrho conſcripſimus. Inter alia verò potiſsimùm confert infraſcriptum eclegma. Excipit autem ſacchari violacei, ac è borragine, ſingulorum vnc. j. ſucci glycyrrhizæ drac. ij, diatragacanthæ frigidæ, & eclegmatis è papauere ana drac. j. & s. eius antidoti, quam electuarium regum nominant, ſine tamen ſpeciebus drac. ij. ſyrupi violacei, de papauere, ac de cannis ſingulorum vnc. j. omnibus ſimul permiſtis fiat eclegma. Nec parum etiam confert, ſi vnc. j. vel ij. recētis olei amygd. dulcium tepidi cum pauco ſaccharo, mane, vel veſperi, longe à cibo tribuas, eodèmque oleo, ac inſuper violaceo, vel ambobus ſimul miſtis thorax totus inungi poterit. Si verò craſſus, & viſcidus fuerit affligens humor, qui cauſa tuſſis exiſtat, per ea quæ extenuant, diſcindunt, medebimur ex Aëtij ſententia: qua de re ſimiliter eodem victu vtentes, quæ cap. de catarrho ex frigida cauſa orto inſtituimus, exhibenda ægrotantibus erunt: inter ſimplicia glycyrrhizæ, caricarum pinguium, adianti, aut hyſſopi decoctum in aqua fontana, cui parum mellis adiici poterit: aut ſi craſsior pituita fuerit, marrubij, ſcabioſæ, radicis iridis, ſeu enulæ campanæ decocto, ſimiliter adiecto pauco melle vtare. At ſi compoſitis vti libeat, ſyrupum ex glycyrrhiza, ex iuiubis, adianto, hyſſopo, aut marrubio tribuas, mel etiam roſaceū, interim verò oxymel, cùm ſimplex, tum ſcillinum. Quibus ſæpiùs propinatis ægrotantis corpus (ſi videbitur opus eſſe) per ea quæ craſſos, ac lentos ſuccos purgant, euacuabis; inter quæ ſummopere confert agaricum, ex cuius drac. j. & s. ſeu ij. parato decocto, ac cum vnc. ij. caſſiæ fiſtulæ cōpoſitū medicamentū exhibe, vel vnc. j. & s. prædictæ caſsiæ fiſtulæ excipe, ac drac. j. & s. trochiſcati agarici, & bolū conficito: ex eodē item agarico, & puluere hieræ ſimplicis Galeni pilulæ formari poſſunt, ac ægrotantibus exhiberi: poſt quæ, aut mellis roridi vnc. j. & s. aut caſsiæ fiſtulæ tantundem: poſt aliquod ſpaciū, cum infraſcripto decocto præbebis. Recipe hyſſopi, adianti ana drach. iij. caricarū, & iuiubarum ana numero iiij. radicis glycyrrhizæ drac. ij. vuarum paſſarum detractis vinaceis vnc. j. fiat decoctum. Si verò craſsior, ac tenacior fuerit pituitoſus ſuccus, radicis iridis, ac helenij, ſingularum drac. j. & s. radicis

Tuſsis ex deſtillatione ortæ, curatio.

Si acris fuerit & tenuis deſtillatio.

Purgatio.

Quæ ori tenēda ſint.

Si ex frigidis, ac craſsis ſuccis defluentibus tuſsis fiat, curatio.

Preparātia.

Purgatio.

dicis fœniculi drac.j.marrubij drac.ij.prædicto decocto addere poteris : nec mi-
nùs loco prædictarum pilularum , licebit pilulis ex agarico compoſitis Meſuæ,
ſeu maſtichinis dictis,vti : poſt quas ſimili ratione præſcriptam potionẽ tribues:
nam qui ob pituitę craſsitudinem nihil educere poſſunt,vt inquit Aëtius,ab hu-
mectantibus plus emolumenti ſentiunt,maximè eo quòd quodãmodo, ſi ſimul
extenuatoria participant facultate : prodeſt quoque iis ouum ſorbile aſſumere,
pauco ſulphure adiecto , Celſo auctore, aut eclegma , quod officinis loch nun- *Eclegmata.*
cupatur , ore tenendum, ſenſimq; deuorandum erit,ſanum videlicet & exper-
tum,aut id quod è pino nominatur,vel diapenidion cum ſpeciebus , ſeu diatra-
gacantha calida , aut diahyſſopum Nicolai : quæ omnia cum ſaccharo in aqua
adianti diſſoluto , ad tabellæ formam redigi poterunt , quò ægrotis gratiora
fiant , & maiorem contrahant in ore moram , vel Recipe diahyſſopi Nicolai,
diapenidion cum ſpeciebus,& eclegmatis è pino ana drac.ij.pulueris glycyrrhi-
zæ,amyli,gummi tragacanthi ana drac.j.ſyrupi ex adianto , & vua paſſa , ac de
hyſſopo ſingulorum vnc.j.omnia ſimul miſta ſępiùs,paulatim , & ſenſim deuo-
randa præbeas.Aduerſus diuturnam tuſsim ficus aridę coquuntur cum hyſſopo, *Ad diuturnam tuſsim.*
& aqua,& ex ea aqua tuſsientibus propinatur , ex Plinio Secundo libro primo
de re medica cap.58.thorax præterea extrinſecus inungatur ex oleo amygda-
larum dulciũ,liliaceo,irino,ſeu chamæmelino , adiectis pinguedinibus anſeris,
ſeu gallinæ,ac butyro ; vel in hunc modum vnguentum conficias,Excipe buty-
ri recentis,pinguedinis anſeris ana drac.ij.olei irini,& amygdalarum dulciũ ana
vnc.ij.farinæ fœnigræci,ſeminis lini,& althææ ana drac.s.radicis althææ , hele-
nij,& glycyrrhizæ,ſingularum drac.j.cum cera fiat vnguentum: nanque per ca-
lefacientia (vt inquit Aëtius) inſtrumentorum reſpirandi frigiditatem emenda-
mus.Illud tamẽ in cura tuſsis ſummopere inſpiciendum (vt inquit Paulus)num
& aliæ particulæ condoleſcant,verbi gratia,an caput, vel gurgulio deſtillet , aut
aliis morbis conflictentur : nanq; vbi his quàm fieri poteſt , optimè erit proſpe-
ctum,curationem moliere.Aëtius quoque remedia quædam, quæ tuſſes ſedant
præſertim à frigida cauſa ortas conſcripſit , inter quæ ſimplicia præcipua eſt
ſtyrax,ſi nucis auellanæ magnitudine fuerit deuoratus:ficus quoque ſiccas pin-
gues in vino dulci meraco madefactas vnà cum vino deuorandas exhibet ad
mitigandas tuſſes : amplius terebinthinam , & mel coctum delingenda præbet,
& vinum dulce dilutum inſuper ad ſorbendum ; hoc nanque (vt ipſe aſſerit)at-
tenuat,& educit.Ad eas autem tuſſes noctu moleſtiam inferentes , tanquã val-
de vtile , menthæ ramulos tres tritos affuſo aceti cochleari , ante ſomnum ad
ſorbendum præbet : adiuuat enim concoctionem,ſtomacho vtile eſt, & craſsi-
tiem diſcindit,vt ipſe inquit : complura etiam alia cõpoſita medicamenta , quæ
tuſſes ſedant,eodem loco conſcripſit,cap.videlicet 54. lib. 8. quæ ſtudioſis faci-
lè patere poterunt : vnum tamen hìc prætermittere nolui, tanquam magnope-
re conducens,ad mitigandas tuſſes potiſsimùm inueteratas,& ex frigidis , craſ-
ſis,ac lentis ſuccis ortas.Excipit autem nucum pinearum torrefactarum,amyli,
radicis dulcis,ſeminis vrticæ , ſeminis lini , cuiuſque ſextantem , iridis, piperis,
hyſſopi,ſeminis naſturtij,amygd.amararum ſingulorum vnc.j.vt ipſe inquit:ve-
rùm ego vnc.s.acciperem.Excipe melle probè deſpumato, & præbè ex eo co-
chlearium mediocre,ex eiuſdẽ auctoris ſententia. ſuffitus quoque ad eius ſentẽ-
tiam,admodum tuſsibus conducens , tanquam per experientiam ab eo inuen-
tus ex ſtyrace , terebinthina,ſandaraca , ac maſtiche æqualibus partibus parari
poterit , & vtare : caſtorij inſuper ſuffimen in carbonibus excitatum , & per in-
ſpirationem attractum maximè iuuat frigidos , & humidos pulmonis, thoracis
cerebriq; affectus,Alexandro teſte : idem quoq; teſtatur,ſpectaſſe virum quen-
dam longo tempore tuſsi valida vexatum , nec ab ea vnquam liberari potuit,
quouſq; calculum exquiſitè figuratum,non aſperum,ſed valde leue, durum , &
renitentem expuiſſet.Ad tuſsim verò acerrimam puerorum ſic ſubuenimus,in- *Ad tuſsim puerorum. cap. 25.*
quit Trotula,accipe hyſſopum,ſerpillũ,& in vino decoque,& da ad bibendum,

vel

vel grana iuniperi diſtemperamus cum vino,& damus ad bibendum : tu verò poteris eiſdem in aqua,vel aqua mulſa decoctis tutiùs vti.

περὶ δυσπνοίας. *De difficultate ſpirandi.* Cap. XLVIII.

SAEPENVMERO reſpirationi læſio quædam euenit, quæ à Græcis *Δύσπνοια*, à Latinis ſpirandi difficultas nuncupatur, id autem (vt teſtatur Galenus libro primo de difficultate reſpira-
cap. 1. tionis) nomen ipſum ſufficienter demonſtrat. Verùm ex hac ap-
Quot modis ſumatur ſpirandi difficultas. pellatione, læſionis eius differentias diſcere non licet, quinimò Galenum ipſum de affectione hac diuerſis in locis variè loquutum eſſe reperio: nanque prædicto libro primo de difficult. reſpirat. quamlibet reſpirationis of-
cap. 2. & ſequentibus. fenſam ſimplicem, aut compoſitam, ſiue exigua, ſiue magna fuerit, ſeu imbecilla, aut deprauata reſpiratio ſit, *Δύσπνοιαν*, hoc eſt, difficultatem ſpirandi appel-
cap. 7. lauit. Idem quoque confirmauit libro quarto de locis affectis, vbi *ἄπνοιαν*, quaſi non ſpirationem dixeris, duntaxat à quauis alia reſpirationis oblæſione ſeiunxit : hanc nanque dicebat, alium eſſe à dyſpnœa ſpirationis affectum : id ve-
cap. 3. & 4. rò non ab re, nam lib. de differentiis ſymptomatum, demonſtrauit quamlibet functionem bifariam lædi poſſe : nanque aut ea non fit, aut malè fit, ſi non fit, eſt vnum genus læſionis, vocaturque ablata functio. At ſi malè fiat, adhuc bifariam eſſe poterit, quia vel ipſa facultas debiliter, vel deprauatè operatur: quo fit, vt vna debilis, reliqua verò deprauata actio dicatur, quanquam ambæ ſub vno (vt diximus) contineantur genere, eo ſcilicet, quòd malè functio fiat: & proinde Galenus cunctas reſpirationis læſiones, propter quas imbecillior, aut deprauata ipſa redditur ſub nomine dyſpnœæ, ſeu ſpirandi difficultatis, in prædictis locis comprehendi voluit, tantùm apnœam, id eſt, non ſpirationem, à qualibet reſpirationis offenſa ſeiungens, quem ſectatus Paulus cap. 29. libro tertio, cùm de quibuſdam differentiis particularibus læſionis reſpirationis, aſthmate videlicet, & orthopnœa verba feciſſet, in hæc prorupit verba, *Δύσπνοια*, hoc eſt, ſpirandi difficultas communiter & his, & aliis compluribus af-
3. de difficul. reſpi. cap. ult. 6. de morbis vulgar. commentario 3. text. 9. Commenta. 4. commē. 4. & alibi. fectibus ſuperuenit : verùm ipſemet Galenus cùm libro tertio de difficultate reſpirationis, tum etiam ſexto de morbis vulgaribus, ſimul cum Hippocrate, *Δύσπνοιαν*, hoc eſt, difficilem reſpirationem, eam reſpirationis oblæſionem nominat, in qua denſus ſpiritus redditur: quapropter de vna quadam ſpecie ipſius difficilis reſpirationis, in qua videlicet ſpiritus denſatur, crebeterque efficitur, licet non valde, ipſam intelligi voluit, à reliquis ſeiunctam, aſthmate videlicet, & orthopnœa. Poterunt autem ne in his tempus teramus, Galeni verba
Concilliantur Galeni verba de dyſpnœa. conciliari, ſiquis dixerit, in vno loco cōmuniter hoc vocabulo dyſpnœæ vſum fuiſſe, in reliquo verò propriè, prout vna quædam ſpecies eſt, generis nomen aſſumens; quam propriè more Hippocratis denſum ſpiritum nuncupare fas eſt, & prout ſe intendit læſio, aliud atque aliud nomen habet : omne tamen ma-
Difficultatis ſpirandi differentiæ tres. lum in difficultate ſpirandi conſiſtit, vt libro quarto cap. 4. Celſus teſtatur. ſed hæc (vt ipſe inquit) dum modica eſt, neque ex toto ſtrangulat, *Δύσπνοια* appellatur. Cùm vehementior eſt vt ſpirare æger ſine ſono, & anhelatione non poſſit, *ἆσθμα* ; cùm acceſſit id quoque, ne niſi recta ceruice ſpiritus trahatur, *ὀρθόπνοια*. Idem quoque confirmauit Galenus prædictis locis, dum dixit, denſum ſpiritum difficilem ſignificare reſpirationem ; & ſi magis increbuerit, hæc dif-
In quibus conueniant, & differant. ficilis anhelitus ſpecies *ἆσθμα*, ſi verò maximè, *ὀρθόπνοια* nuncupatur. De his itaque tribus læſionis reſpirationis differentiis pertractare intendimus : quas omnes ſub dyſpnœæ nomine contineri promptè aſſerimus, ſub vno tamen læſionis modo ſecundum magis, & minùs differentes, vtpote ſub denſo ſeu crebro ſpiritu : nanque ſi is exiguè denſus ſit, nomine generis dyſpnœa appellari poterit, vt ſupra ad Galeni, & Cornelij mentem demonſtrauimus : at ſi maior crebritas fuerit, *ἆσθμα*, ſi maxima, ita vt iacentes ægri ſuffocentur, *ὀρθόπνοια*

nuncu

nuncupatur. Quapropter idem Galenus ἄσθμα, hoc eſt, anhelationem denſam, ſeu crebram quandam reſpirationem eſſe fatetur, tum ſeptimo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, tum commento aphor. 26. libri tertij, citra febrem, qualis currentibus accidit, aut quouis alio modo ad vehementem ductis motionem à tali euentu nomen aſſumens, vt liquet tertio de morbis vulgarib. Verùm in his quidem fit ob exercitium, quòd multa indiget animal reſpiratione: vbi autem non adeſt exercitium, ob anguſtiam earum, quæ ſunt in pulmone cauitatum. Eos verò, qui hac affectione laborant, conſueuerunt Medici aſthmaticos, anheloſos, ſeu ſuſpirioſos nominare, Aëtio, & Paulo teſtibus. Hos autem eſſe (Galeno auctore tertio de difficultate reſpirationis) qui denſum ſpiritum habent, & ſimul thoracem multum diſtendunt, planè conſtat. Orthopnœa verò, quæ recta ſpiratio à Latinis dicitur, ab hoc ſymptomate iterum nomen aſſumens, difficultatis ſpirandi quædam ſpecies eſt, in qua iacentes ſuffocantur, & vix recto thorace ſufficiunt, nihil dilatato dorſo, vt liquet ſecundo prorrheticorum: nec ab re cùm iacent, ſeu decumbunt laborantes ſuffocari videntur; tunc nanque totus thorax (vt idem Galenus inquit, ſecundo de locis affectis) ſupra ſpinam ipſam concidit: quo fit, vt arctior reddatur via ſpiritus: cùm verò ſe erigunt extenſo thorace, ac collo rectè arteriam ipſam aſperam dilatari contingit, principium quidem habens à gutture, & in pulmone diuiſa: atque etiam quæ ex ea in pulmonem diſtribuuntur propagines omnes, atque interim regionem augeri eis internam, eos verò, qui hac affectione laborant, Galenus eodem ſeptimo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, orthopnoicos vocat, ſimiliter etiam Paulus, & Aëtius: propterea quòd ad thoracis proportionem omnino totum corpus rectum habere coguntur ob timorem ſuffocationis, quin & ſtratum circa ſupernas partes, ad quas thorax ipſe reclinatur, ſibiipſis erectius faciunt, ne dormientes ſtrangulentur: minus eſt enim quòd inſpirant, quàm pro vſu reſpirationis, quamuis thorax plurimum ipſis dilatetur, vt idem Galenus inquit; cuius cauſam infrà aſsignabimus: cùm verò citra ſonum, & anhelationem ſimiliter ſine febre denſus afficiatur ſpiritus, hæc inquam affectio dyſpnœa propriè dicta appellari poterit, quæ nihil aliud erit, quàm crebra, ſeu denſa quædam reſpiratio citra ſonum, ac anhelationem, & febrem: in hoc nanq; omnes prænominatæ ſpecies, ſeu differentiæ tres, communicant quòd videlicet febre careant, vt patet tertio de morbis vulgaribus, & ſexto eiuſdem: nanque de his ſermo noſter erit, & non de eis, quæ cum febre fiunt, ad alias videlicet affectiones, ſeu inflammationes ſpiritalium, ſeu reliquarum partium ſubſequentes. in quibus etiam non facultas ipſa reſpirationem efficiens, neque vſus per ſe afficiuntur, ſed inſtrumenta ipſa, & inter ea aſpera ipſa arteria, quæ in collo, & thorace continentur, ſeu eius propagines, quæ in pulmones diſtribuuntur; id quod ſæpiùs accidit; ſunt etenim ſtrictiores, & propterea promptiùs obſtruuntur, ac conſtringuntur, ſeu anguſtiores redduntur; quemadmodum liquet quarto de locis affectis, ſeptimo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & commento prædicti aphoriſmi 26. lib. tertij. Quod verò in huiuſmodi affectionibus tribus aſpera arteria afficiatur, ex eo patere poterit, quod quanquam thorax maximè dilatatur, & proinde magna fiat reſpiratio, quantitas tamen inſpirati aëris, magnitudini diſtentionis haudquaquam proportione reſpondet: parua ſiquidem eſt eius, qui inſpiratur quantitas, vt proinde cogantur laborantes crebro, & celeriter ſpirare. Qua de re magnæ reſpirationis geminas eſſe differentias, ex Galeni ſententia liquet, quarto de locis affectis, ac primo de difficultate reſpirationis, quarum vna penes magnitudinem diſtentionis, ſeu dilatationis à thorace procedentis attenditur: reliqua verò penes copiam eius ſubſtantiæ quæ inſpiratur, aëris videlicet. Semper itaque quantitas ſpiritus diſtentionibus thoracis ſimilis eſt, cùm eiuſdem ſpiritus organa ſecundum naturam habent: cùm verò præter naturam fuerint affecta, vt in prædictis affectionibus,

Anhelatio quid ſit.
cap. 6.
comment. 4.
Anheloſi qui dicantur.
Aët. li. 8. c. 57.
Pau. loc. cit. cap. 11
Orthopnœa quid ſit.
Com. 53. cap.
cap. 6.
Orthopnoici qui dicantur.
Dyſpnœa propriè dicta quid ſit.
3. de morbis vulga. com. 2. comment. 4.
6. de morbis vulga. com. 4.
Quæ pars in eiſd. afficiatur.
4. de loc. affe. Cap. 7.
4. de compoſi. medic. ſecun. loc. cap. 6.
Signa.
Magnæ reſpirationis duæ differentiæ.
.. de loc. affe. cap. 7.
1. de diffic. reſpi. cap. 13.

ac reliquis quibuſdam, poſsibile eſt aliquando plurimum diſtendi thoracem, ſed parum externi aëris inſpirari, verùm non ad omnium affectionum reſpirandi organorum proportionem, ſed ſolùm aſperarum arteriarum inſpirationes fiunt, vt Galenus inquit, eodem libro primo de difficult. reſpirationis: id verò ſenſu aliquo dignoſcere non licet, ſed ſufficit ipſum ſolùm aërem inſpicere quantus inſpiratur, & quantus rurſus expiratur. Sed quoniam quempiam difficulter ſpirare, præſertim vbi in ea ſpiratione omnes thoracis muſculi mouentur, aut virium imbecillitate, aut vehementi in corde & pulmone calore, aut viarum ſpiritus anguſtia euenire poteſt, eodem Galeno teſte, quarto de locis affectis, quamuis interdum duæ, aut tres, licet rarò, ex iam dictis cauſis concurrere poſsint. Propterea quomodo id diſtinguere liceat, ipſemet Galenus eodem loco ſcriptum reliquit: nam ſi ob virium imbecillitatem duntaxat id fiat, licet omnes thoracis muſculi, ac phrenes quoque moueantur, motum tamen ſenſim efficiunt, ſed neque frequens, neque rara omnino erit eorum actio, thoraciſque dilatatio haudquaquam magna erit, nulla ab ore efficitur exſufflatio, & ſpiritus ex ſolis naribus emitti ſolet, & ſi per inſpirationem, narium pinnæ manifeſtè contrahi videantur, id proſtrati roboris efficax indicium erit. Aucto verò in corde & pulmone calore omnibus quidem thoracis muſculis agit animal, ſed velox, frequens, & vehemens eſt eorum actio: & propterea vbi plurimum calorem ſpiratio difficilis eſt, præter magnitudinem, frequentiam, & celeritatem hoc quoque accedit, quòd calidus frequenſque exſufflando producitur ſpiritus. At qui ob ſpiritalium inſtrumentorum anguſtiam difficulter ſpirant, totus quidem thorax magna ex parte eis, & celeriter, & frequenter dilatatur, ſed exſufflare omnino non conſueuerunt, neque calidum ſpiritum emittere: id enim aucti caloris proprium eſt. Ex his itaque indiciis difficilem ſpirationem ob ſpiritalium inſtrumentorum anguſtiam à reliquis diſtinguere poteris, de qua præſens ſermo habetur: & cùm tres ſint eius differentiæ (vt diximus) cunctæ inter ſymptomata dinumerantur, functionis voluntariæ, reſpirationis inquam: eſt nanque ea in omnibus oblæſa, non ablatè, vt in apnœa, ſed debiliter ſeu imbecillè, aut interim quoque deprauatè, vt in orthopnœa, licet rarò. Separatur autem vna ab alia quibuſdam propriis indiciis, nanque in ea, quam dyſpnœam nomine generis appellari diximus, ſpiritus duntaxat denſus, iſque modicè citra ſonum, & anhelationem apparet. In aſthmate verò, ſeu anhelatione, præter ſpiritus denſitatem maiorem, æger ſine ſono, & anhelatione, vt inquit Celſus, ſpirare non poteſt. At in orthopnœa nedum ſpiritus crebritas maior percipitur, ſed ita affecti non niſi recta ceruice ſpiritum trahere valent, & cùm decumbunt, ſeu iacent, ſuffocari, ſeu ſtrangulari videntur. Cæterùm his id commune exiſtit, quòd aſperæ arteriæ anguſtiam ſequantur, vt quarto de locis affectis, & ſeptimo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos patet: manifeſtum nanque eſt (inquit Galenus) intrinſecùs ipſis anguſtiam, ſeu coarctationem locorum factam eſſe præter naturam, quam etiam ægri ipſi non obſcuro ſenſu percipiant. Illud etiam approbauit prædicto commento aphoriſ. 26. libri tertij, quamuis etiam ſuppuratis, ob coaceruatum inter thoracem, & pulmonem humorem, ſeu pus, fiat locorum coarctatio, ſeu anguſtia, eodem Galeno teſte in prædictis locis, & commento aphoriſ. 34. libri quarti, de qua non eſt ad præſens ſermo. Ad morbum ergo in via ſuccedunt ſymptomata hæc, quamuis interdum viæ ipſæ obſtruantur, per quas aër inſpiratur, interim conſtringantur, ac coarctentur pro cauſarum diuerſitate, quæ (iuxta eiuſdem Galeni doctrinam, quarto de locis affectis) plures eſſe poſſunt, licet à Paulo vna tantùm aſsignetur cauſa, quæ quidem potiſsima exiſtit. Poteſt nanque anguſtia hæc citra febrem excitari, aut à tuberculo quopiam iuxta aſperam arteriam orto, eamque coarctante, aut à lentis, craſsiſve, ſeu multis ſuccis in bronchiis ipſis exiſtentibus, aut eiſdem ab aliis partibus ad eadem delatis, ipſamque aſperam arteriam obſtruentibus.

Cap. 13. — *Quod quiſpiã difficulter ſpiret, ex una triũ cauſarum prouenit.* — *cap. 7.* — *Ex viriũ imbecillitate ſigna.* — *Ex vehementi cordis, aut pulmonis calore, ſigna.* — *Ex ſpiritaliũ inſtrumẽtorũ anguſtia ſigna.* — *Quibus ſignis una differẽtia ab altera ſecernatur.* — *Quis affectus præter naturam ſit.* — *4. de loc. affe. c. 7. de comp. medic. ſecun. loc. cap. 6.* — *Quem morbũ ſectentur.* — *cap. 7.* — *cauſe.*

Quæ

Quæ omnia (vt Galenus inquit) per præterita accidentia diſcernere licebit: nanque ſi quis per bonam valetudinem, cum ſolitas actiones facere poteſt, ſic difficulter ſpirare inceperit, augeatúrque ſymptoma, neque inter reſpirandum ſtertere videatur, ad hæc nihil expuit, crudi tuberculi ortum ſuſpicari oportet: quandoque verò iuxta leues pulmonis arterias ipſum oriri contingit, grauitatem ſentientes hi, veluti Antipatro medico contigit, demum temporis diuturnitate aſperas pulmonis arterias coarctans, ſpirandi difficultatem efficit. Si verò ſtertendo ſtrepitum fecerit reſpiratio, lentorum, craſſorúmque humorum pertinaciter impactorum multitudinem, pulmonis bronchia moleſtare indicium eſt, cùm & ipſa ſpirandi inſtrumenta non rarò (vt inquit Galenus, commento aphoriſmi vltimi libri tertij) proprium ſui algoris principium habeant: & propterea in ipſis multæ, ac craſſæ ſuperfluitates generentur. Verùm ſi illico ab anguſtiæ ſenſu quis difficulter ſpirauerit, fluxionem vel à cerebro, vel à vicinis ſedibus in pulmonem irruentem portendit, idque ſæpe ex manifeſta cauſa repente accidit, propriis deſtillationis ſignis exiſtentibus: pingui etenim (vt inquit Theodorus Priſcianus libro ſecundo ad Timotheum cap. duodecimo.) & frigido phlegmate pulmonibus adhærente, cauernæ, vel meatus, quibus naturaliter ſpiritus redditur, & accipitur, concluduntur, & ex hoc impedimento ſuſpirium, vel anhelitus moleſtiſsimus naſcitur, vt ſedendo magis, quàm iacendo reſpirent. Verùm ſi prædictæ affectiones ex aliis quibuſdam præter iam dictas cauſas, interdum oriantur, vtpote ex angina, peripneumonia, pleuritide, empyemate, aut ex tumore aliquo abſceſſui ſimili in pulmone genito, ſeu aliis huiuſmodi, licet de his non ſit præſens ſermo, ex propriis tamen prædictorum affectuum notis interſtinguendæ ſunt, potiſsimùm autem, quòd non citra febrem erunt. Nos verò de eis, quæ ſine febre excitantur, nec quippiam purulentum in eis per ſputum reiectant ægri, verba facientes ad prognoſticum, ac curationem accedemus: nanque eos propriè dyſpnoicos, hoc eſt, ægrè ſpirantes vocare conſueuerunt medici, vt teſtatur Galenus ſeptimo, de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. ſexto, quibus bronchia pulmonis, craſsis, & viſcoſis humoribus ſunt obfarta: horum denique & nos prognoſtica enunciabimus, ac curationem inſtituemus, & cum Celſo aſſerimus quam primam diximus eſſe differentiam, poſſe diutius trahi, duæ verò inſequentes, aſthma, & orthopnœa videlicet acutæ eſſe conſueuerunt: ob vehementiſsimas etenim acceſsiones ægros interim ſtrangulare ſolent, id quod diſpnœa propriè dicta nequaquam efficere valet, cùm modica in ea cõſiſtat ſpirandi difficultas. De aſthmate autem Galenus commento aphoriſ. 40. libri ſecundi, ſcriptum reliquit: velut de quibuſdam aliis morbis, qui ex frigidis humoribus ortum habent, ſi valde ſenibus excitetur, quod eos comitatur ad mortem. At Hippocrates aphoriſ. 46. libri ſexti dicebat, Quibus gibbi ex aſthmate, aut tuſsi ſiunt, ante pubertatem moriuntur. Cælius verò Aurelianus libro tertio cap. 1. ſic ait, Grauat autem, atque premit hæc paſsio magis mulieribus viros, & iuuenibus ſenes, atque pueros, & durioribus natura corporibus teneriora, hyberno, atque noꝺte magis, quàm die, vel æſtate. Ceterùm communis prædictarum affectionum curatio eſt per ea, quæ craſsitudinem & viſcoſitatem humorum ſecant, atque attenuant, vt tùm hæc ſiue pharmaca fuerint, ſiue victus, humiditatem quandam habere oporteat, Galeno auctore, eodem ſeptimo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 6. Aër igitur eligatur ad calidum, & ſiccum parum vergens, vitandúſque eſt frigidus, ac valde humidus. Somno vtatur moderato præcipuè nocturno, capútque in lecto ſublime habeant, Celſo auctore; vitentque diurnum. Idem Celſus, prædicto loco, iacere ægrotantes altioribus ſtramentis, thorace, atque capite ſubleuato, loco lucido, atque calido iuſsit. Clyſteribus quoque aluus ducenda, præſertim vbi natura eadem humectã non ſit: prodeſt quoque nihil magis (vt inquit Celſus) quàm ambulatio lenta penè vſque ad laſsitudinem; frictio multa præcipuè inferiorum partium, vel in ſole, vel ad ignem, & per

Earum cognitio.

Prognoſtica.

Curatio.

Victus ratio.

ſeipſum,& per alios vſque ad ſudorem.exercitio autem vtantur ante cibum.ani
mi perturbationes immodicæ omnes fugiẽdæ ſunt;cibis verò lenibus (vt idem
Celſus aſſerit) & ſorbitionibus vtendum eſt,interdúmq; vino tenui auſtero:car
nibus quoque gallinarum, pullorum,phaſianorum, perdicum,ſtarnarum,capo-
num,paruarúmq; auicularum montanarum vti poterunt, aſsis, aut elixis, cum
pauco hyſſopo, oreoſelino,thymo, calamintha, aut fœniculo, aut reliquis hu-
iuſmodi extenuantibus. Piſces vitent,fructus, ac omnia quæ craſſos,& lentos
humores procreare poſſunt. Vini potus (Galeno teſte) eis conuenit, ſubſtan-
tia tenuis,nec exiguus eis tribuendus potus erit,imo multus,vt ipſe inquit:nam
humectatione multa opus habent, quo facilè efferatur per tuſsim, id quod in
bronchiis continetur. Exhibenda quoque pro potu aqua mulſa erit, Celſo au-
ctore,cum qua vel parum hyſſopi,ſeu praſsij, vel contrita capparis radix ſit,aut
quò ſuauior aqua mulſa fiat glycyrrhizæ radix decoquatur,eáque largiter vtan
Venæ ſectio. tur. Quòd ſi neceſsitas vrgeat (vt inquit Paulus) nihílque prohibeat (vt ait
Celſus) ante omnia vena incidenda erit: auxilium nanque eſt in ſanguinis de-
tractione,& præſertim in orthopnœa ſicca ſine ſputis,vel tuſsi citra puris colle-
Comment. 12 ctionem,vt Galeno viſum eſt.quarto de Ratione victus in morbis acut. Verùm
Cęlius Aurelianus dicebat,At ſi præfocatio coëgerit,& vires permiſerint ægro-
tantis,adhibenda phlebotomia eſt:& Theodorus Priſcianus, cõtingit aliquan-
do etiam mediis ætatibus, adhuc calidis hoc vitium afferebat, quos phleboto-
Medicamentorum ratio. mo liberari neceſſe eſt: incidatur autem media, aut interna in cubito vena, nec
multa ſanguinis copia detrahatur,ſed quantum vires patiuntur. At ſi neceſsitas
non vrgeat venam ſecare, ea tribuenda medicamenta ſunt, quæ vim habeant
humorum craſsitudinem,ac viſcoſitatem attenuandi,atque incidendi,& deter-
gendi.Sed quoniam eiuſmodi pharmaca neceſſariò quidem tuſſes mouent, vt
ſeptimo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap.6.& quinto
de ſimplicium medicamen. facultatib.cap.19.liquet:quanquam,& bechica quo-
que ea dicantur in calidis,& tenuium partium ſubſtantiis contenta, quæ exte-
nuandi vim habent,quo ab aliis bechicis diſcriminantur,quæ tuſsim ſedãt, quo-
rum natura incraſſandi exiſtit,& propterea in frigidis,& craſſarum partium eſ-
ſentiis inſunt:cùm itaque neceſſariò tuſſes moueãt pharmaca,quæ eiuſmodi af-
fectiones exigunt,nec facilè per ſputum reiiciatur quod abſterſum eſt ob craſsi
tudinem,non immeritò iuxta Galeni ſententiam,humectatione multa opus ha
bent,quo facilè efferantur horum excremẽta,propterea non ipſis duntaxat per
ſe vtendũ quæ incidunt,& extenuant,vt idem Galenus præcipit,quinto de ſim-
plic.medic.facult.cap.11.ſed mixtis mellicrato,ptiſanæ,oxymeliti, aut dulciũ vi-
norum cuipiam.Ad hæc eadem pharmaca eligi debent,quę citra vehementem
calfactionem extenuẽt,atque incidant, Galeno,& Aëtio teſtibus: craſsi etenim,
& tenaces humores à vehementi calore viſcoſiores redduntur,glutinoſiq;,& vt
difficulter auelli poſsint, & inſuper quemadmodum cauendum eſt ab his, quæ
vehementer calfaciunt (propterea quòd viſcoſi,& craſsi humores nõ ſolùm ni-
hil ab his auxilij ſentiunt,ſed etiam offenduntur) eodem modò (vt inquit Gale
nus loco citato) etiã quæ valde refrigerant vitanda ſunt: omnia enim craſſefa-
ciunt,& cogunt,ac coaugent humores,eóſque ægrè eluibiles reddunt, nec mi-
nus ab adſtringẽtibus pharmacis (eodemmet Galeno teſte) abſtinendum erit:
maximè enim contraria ſunt eiuſmodi affectionibus; & ob id maximè eos iu-
uat acetum ſcillinum, & acetum mulſum ex eiuſmodi aceto confectum, atque
ipſa adeò ſcilla aſſa cum melle,trita, & delincta, vt eidem Galeno viſum eſt, &
poſt eum Paulo, & Aëtio. ſyrupi item ex hyſſopo, glycyrrhiza,è marrubio,ro-
ſaceum mel, ac ipſummet oxymel ſimplex conferunt, pro extenuandis, ac de-
tergendis prędictis craſsis, ac frigidis ſuccis, ac ad euacuationẽ parandis. Qui-
bus ſæpius aſſumptis, ac humoribus præparatis, ea propinanda erunt medica-
menta, quæ craſſos, ac lentos humores vacuare valeant,atque inter ea quæ va
lidiſsima ſunt, quemadmodum Archigenis auctoritate, Aëtius cap.57.lib.8.&

Paulus

Paulus cap.29.lib.3.teſtantur:quæ,non ſemel tantùm,ſed frequenter adhibenda erunt,vt eiſdem viſum eſt. Exhiberem autem primò vnc.j. & ſ.caſsiæ fiſtulæ, diaphœnicon drach.ij.agarici trochiſcati,& pulueris hieræ ſimplicis Galeni ana drach.j.ex quibus paretur bolus:vel ex agarici trochiſcati ſcrup.iiij. & eiuſdem pulueris hieræ drach.j.cum oxymelite formentur catapotia, ægroque tribuantur:poſt quæ per aliquod tempus vnc.ij.mellis roridi, ſeu vnc.j.& ſ.caſsiæ fiſtulæ in aqua hordei diſſolutas aſſumant: aut ſi mauis pilulas ex Agarico à Meſue deſcriptas exhibe,per interualla autẽ (vbi vſus expoſtulat) pilulas præbe ex drac. j.trochiſcati agarici,& ſcrup.ij.pulueris hieræ ex oxymelite confectas,à quarum aſſumptione,poſt tamen perfectam euacuationem, gallinę,aut caponis cum ptiſanæ cremore ius tribue. Aluus prætereà clyſteribus validioribus nõ rarò eluenda:interim quoque exhibenda medicamenta ſunt, quæ valde ægrè ſpirantibus auxiliantur,quemadmodum eſt ariſtolochiæ rotundæ decoctum, aut centaurij maioris radix,& minoris ſuccus,item ſtœchadis tritæ decoctum,radicis, ſeu fructuum ſpondylij,calaminthæ,hyſſopi,iridis,ac melanthij:quanquã prędictorum decoctum in aqua mulſa,magis quàm aquam cõmendarem:eiuſque vnc.iij.aut iiij.exhiberem:in quem vſum ex caricis radice glycyrrhizæ,& fœnogręco, vua paſſa,adianto,ac hyſſopo decoctum in aqua,ſeu aqua mulſa parare poteris, interim marrubium quoque addas: Vulpinus quoque pulmo ſi reſiccatus bibatur, aſthmaticos iuuat,Galeno teſte, vndecimo de ſimplicium medicament. facult. eundem item pulmonem quàm recentiſsimũ aſſum, ſed ſine ferro coctũ edendum præbet Celſus,qui & vulpinum quoque iecur vbi ſiccum, & aridum factũ eſt cõmendat:poterit autem prędicti iocinoris,ſeu pulmonis vulpini aridi drac. j.exhiberi cum aqua mulſa,aut ptiſana,quemadmodum & ipſe vtor, nõ ſemel tantùm,ſed ſæpiùs.Conducunt inſuper ea medicamenta, quæ ore teneantur, ac ſenſim,& paulatim degluriuntur,vim habentia attenuandi, ac detergendi craſſos,frigidos,ac lentos ſuccos,quorum præcedenti capite de tuſsi meminimus: priuatim autem hoc modo parare poteris.Excipe diapenidij,& diahyſſopi Nicolai,ſingulorum drach.ij.diaireos Salamonis eiuſdem Nicolai drac.j.diatragacãthi calidi drac.j.& ſ.ſyrupi ex glycyrrhiza,& iuiubini ana vnc.ij.& ſ.mellis roſacei vnc.j.miſceantur omnia,& vtare.licebit autẽ quandoque vno, vel duobus ex iam dictis antidotis,& non omnibus cum pręnominatis ſyrupis,aut aliis quibuſdam ad eundem vſum facientibus vti.Confert item potio theriacæ antidoti,ex Cælij Aureliani ſententia,& aquarum naturalium vſus: inſuper confert,ex decreto Theodori Priſciani,abrotoni puluis cum mellicrato, ſeu oxymelle, & caſtorij puluis,vt ipſe inquit,cõmodiùs operatur,ſi ſimiliter propinetur. Extrinſecus autem thoraci cataplaſmata imponenda ſunt, vt Paulo, & Aëtio viſum eſt,ex ficubus,& hordeacea farina,magis verò ex loliacea,habente reſinã, mel, & ceram admiſta:infarciri etiam poteſt ei iris, & manna: aut ex hordei farina cum reſina,cera, iride,& manna, ac aqua mulſa cataplaſma fiat. Poſt quæ, vnguenta etiam thoraci ſuperimponi poſſunt,quæ excalfaciant,vt irinum,anethinum,& rutaceum,ex Pauli ſententia,in quem vſum tale vnguentum cõfici poterit.Excipe ſeminis lini,fœnigræci,& althææ ana drach.ij.radicis iridis drach.j. & ſ.olei irini,chamęmelini,& rutacei ana vnc.j.butyri recentis,& adipis anſeris, ſeu gallinæ,vtriuſque drach.tres,ceræ quod ſatis ſit,fiat vnguentum, priùs tamẽ quàm thorax hoc vel alio vnguento illinatur, aſpero linteo fricandus erit, quò reſeratis meatibus,medicamentorum vis promptiùs ad profunda penetrare valeat:eſt nanque pectus,vt eidem Theodoro Priſciano viſum eſt,calidis vnguentis, & vaporibus defricandum. Cæterùm inueterato malo, & omni medicina fruſtra adhibita,ad vſtionem confugiendum erit modo quò prædicto loco Aëtius præcipit.Verùm ſi contingat ex crudo tuberculo prædictarum aliquam affectionem oriri (modo curari valeat) eadem, & ſimilia medicamẽta propinanda ſunt,ex Galeni doctrina, quarto de Locis affectis, cap.7.qui non modò Antipatri medico ſimilem iuſsit victus rationem,atque medicamẽta adhiberi, ve-

Quæ poſt purgationẽ medicamenta exhibenda ſunt.

Cap. de pulmone.

Topica.

rumetiam ei,qui paruo grandinis grano fruſtum quoddam haud abſimile excreuerat,medicamentum in potu dedit,quod aſthmaticis auxiliatur, & ſi tandem,velut etiam & Antipater medicus mortuus fuerit.

Περὶ αἵματος πτύσεως. *De cruenta ſpuitione.* Cap. XLIX.

QVamuis quælibet ſanguinis eruptio toto genere præter naturam eſſe cenſeatur,eo excepto ſanguinis fluore, qui mulieribus ab vtero defluit, cùm videlicet modum in quantitate non excesserit,vt tertio de Cauſis ſymptomatum, cap. 2.teſtatur Galenus,tamen hæc ſanguinis excretio, quæ à Græcis αἱμοπτοὴ, καὶ αἱμόπτυσις, ἢ αἵματος πτύσις nuncupatur,à Latinis verò ſanguinis expuitio,ſeu reiectatio,ſeu cruenta ſpuitio non modo inter alias ſanguinis expulſiones, verumetiam inter alios præter naturam affectus difficilior exiſtit: nam peſſimorum,longorúmque morborum magna ex parte cauſa redditur, Alexandro teſte,cap.1.lib.7.

Cruenta ſpuitio quid ſit.

Eſt autem affectus hic ex ore quælibet ſanguinis excretio: cæterùm cùm per os à nonnullis corporis partibus ſanguis excerni poſsit, quæ omnes propriis indiciis interſtinguũtur: eapropter modum quo ſingulæ dignoſcantur,ac à reliquis ſecernantur, primùm docere tentabimus à Galeno inſtructi, quarto de Locis affectis cap.5.quem reliqui Græci quos vidi, Arabes, ac Latini ſectati ſunt: inquit enim ipſe quòd conuenit inter medicos ſanguinem,aut è gula,& vẽtriculo,aut ex ſpiritalibus partibus,thorace videlicet, pulmone,ſeu aſpera arteria,aut ex faucibus,& gurgulione, vel ex ipſo proprio ore, ſeu ex gingiuis expelli.

Ex quibus partibus prouenire poßit.
In quo differat fluor à ſputo ſanguinis.

Illud tamen animaduertendum, vt inquit Cælius Aurelianus cap. nono,libro ſecundo,quòd differt fluor ſanguinis à ſputo,quòd neque fluor ſanguinis ſputus dici poteſt,paruam etenim materiæ ſignificationem ſputus refert, fluor plurimæ,neque ſputus ſanguinis fluor,ſupradicta ratione: paruam etenim materiam ſanguinis ex gingiuis,aut vua,aut faucibus emiſſam, ſputum magis quàm fluorem rectè nuncupamus. differt ergo fluor à ſanguinis ſputo ratione plurimæ,aut exiguæ quantitatis ſanguinis,ac partium diuerſarũ ex quibus profluit. Verùm ſingulis iam dictis partibus proprius eſt reiectationis modus: nanque ſi ex gula,ventriculóque proueniat, vomitione expellitur, ex ſpiritalibus partibus, tuſsi, ex faucibus & gurgulione,ſcreatu. Si verò ex aliquo loco oris, aut gingiuarum: ſimplici expuitione expuitur: quamuis ipſemet Galenus teſtatur ſæpenumero conſpexiſſe ſanguinem à cerebro, & gurgulionis partibus internis ad fauces affatim deſcendentem tuſsiendo educi,vtpote qui ſubito gutturi irruens tuſsim mouere poterat. Quare diligenter animaduertere oportet, ne aliquando huiuſmodi ſanguinem ex ſpiritalibus inſtrumentis aſcendiſſe putemus, credamúſque hanc ſanguinis eruptionem eſſe quàm periculoſiſſimam, tanquam à pulmone vehementer affecto prouenientem. Verùm ex dicendis patebit, qua via id interſtingui valeat, quamuis nonnunquam etiam accidat,vt pluribus ex ordine diebus quiſpiam ſanguinem excreet, & emungat, idque citra capitis vel dolorem, vel grauitatem præſentem, ſiue præteritam, neque aliquo præcedente ictu, propter deuoratam hirudinem, in ea oris parte adhærentem,qua ad nares foramen tendit.

Quibus indiciis diſtinguantur partes,ex quibus cruenta ſpuitio prouenit.
4.de locis aff. loco citato.
Ex hirudine.

Quare hanc partem, & totum per nares meatum accuratè & ſæpiùs conſiderare oportet; præterita quoque ſemper interrogando: nanque ex his rei ipſius veritatem facilè conicies: eadem ratione ex ventriculo quoque epota hirudine cruor euomitur, verùm is ſiue ex ventriculo,ſiue naribus, ſiue ore feratur, tenuis erit, ſanieíque ſpeciem refert,eodem Galeno teſte. Atqui relicta hirudine,ad dignoſcendas partes, ex quibus ex aliis cauſis ſanguis perfluit,accedamus, nam ſi è ſtomacho eductio fiat,præter quàm quod vomitione excernitur, vt diximus, non magna erit ſanguinis eruptio; graciles etenim ſunt ſtomachi venæ, vt inquit Aëtius; & cum nauſea quoque ſanguis effertur, ac in deglutiendo mordacitas percipitur, maximè

Loco citato.
Si ex ſtomacho proueniat ſigna.
Lib.8.cap.59

ximè ſi adſtringentia, aut acria deglutiantur. Si verò ex ventriculo educatur, nauſeæ plurimæ comitantur, & vomitus; & ſi à cibo ſumpto eductio cõtingat, ſanguis cibis permiſtus, aliquando etiam pituita, & bile efferetur. At ſi ex hepate, vel ſplene ſanguis in ventrem deferatur, & ex eo demum vomitione expellatur, in alterutro viſcere aderit tumor, ac dolor, ipſéque ſanguis grumoſus, ac niger erit; & magis ſi à ſplene in ventrem delatus fuerit. Ex ſpiritalibus autem partibus licet tuſsi eiiciatur ſanguis, inueſtigandum erit, num ex thorace, pulmone, aut aſpera arteria eductio fiat: nanque ſi thorax affectus erit, neque multus, neque ruber ſanguis erit, ſed nigrans, ac grumoſus ac minus calens, ceu è longinquo veniens. Dolores inſuper circa eum intenſiores ſunt, cùm ad ipſum multi adueniãt nerui, quibus facilè dolores percipi poſſunt, muſculis præstereà, oſsibúsque thorax abundat, vt inquit Galenus: interim ſanguis qui ex thorace effertur, fœtidum odorem de ſe præbet, & aliquando purè admiſtus eſt. Si verò ſpumans, & ſubalbidus, floridus, feruens, confertim, multúsque citra dolorem, aut eo multo remiſsiore exiſtente cum tuſsi ſanguis reiiciatur, pulmonem affectum eſſe notum eſt, ex eiuſdem Galeni ſententia, tum quarto de locis affectis, tum quinto method. meden. eſt nanque pulmo laxus, & ab affectione tutus à ſexto, duntaxat neruorum cerebri coniugatione duos perquàm tenues neruos per eius membranam diſperſos excipiens, qui haudquaquam per viſceris profunditatẽ extenduntur. At ſi paucus ſit qui cum tuſsi ſanguis effertur, ægríque doloris ſenſum iuxta aliquam arteriæ partem percipiant, ſitq́ſ ſanguis hic quodammodo pure permiſtus, aderítque etiam paucitas ſputi, ac tuſsis non valida, aſpera arteria affecta erit. Sanguis verò qui ex faucibus, & gurgulione ſcreatu effertur, vel ipſis primariò affectis, aut per conſenſum à cerebro ſanguine deſcendente ad ipſas partes contingit. Verùm ſi à capite deſcendat, præter id quod nedum ſcreatu, ſed tuſsi interim eiicitur, aderit ipſius palati titillatio, ac frequens excreatio, irritantur ægri ad tuſsim, licet non valde tuſsiant, præſertim vbi quippiam ſubitò gutturi irruat, aderítque capitis grauitas, aut dolor, aurium ſonitus, faciei rubor, venæ frontis emicant, vertiginéſque accedunt, præceſsítque nimirum capitis ictus, frigiditas, aut calor, ſeu ebrietas, interim conſueta per nares ſanguinis excretio cohibita. At ſi abſque his cum ſcreatu ſanguis educatur, faucéſque ſeu gurgulionem ſanguinolenta inſpexeris, atque veluti exulcerata, eas partes per ſe affectas eſſe non dubitabis; veluti ſi ſimplici expuitione ſanguis expellatur, ex ore, ſeu gingiuis profluit, vt diximus; nec minùs ſenſus diiudicabit. Interim verò accidit vt à capite per gulam, ſeu ſtomachum ſanguis in ventrem defluat, vomitúque reiiciatur, verùm præter id quod cuncta iam dicta capitis ſymptomata præcedũt, ſanguis hic leuis, æqualis, atque immixtus erit, nec adeò craſſus, & colore nigro, & cum excreatione ſtatim ſe in linguam infert rotundus, faciléque reiicitur per ſputum, ita igitur locos affectos in ſanguinis reiectatione internoſcere licebit. Affectus verò ipſe, quod ſymptoma ſit, à quacunque parte, & quouis modo excernatur, in genere excretorum præter naturam tota ſubſtantia, ſeu toto genere à naturali habitu recedens, Galeno liquet libro de differentiis ſymptomatum, quamuis interdum cum functionum noxa, interim verò citra noxam functionum expellitur, quemadmodum ſi ab aliqua parte in ventriculum fuerit deriuatus, íſque demum vomitione reiectus fuerit: diſtingues verò id ex eo, quod expurgatur, nunquid tanquam moleſtum excernatur, ſeu in tempore, vel non, quemadmodum ſuprà declarauimus cap. de profluuio ſanguinis narium. Euenit autem, vtrouis modorum reiiciatur, aut reſerato aliquo vaſis oſculo, aut rupto, aut eroſo vaſe, eodem Galeno teſte, tum libro de differentiis ſymptomatum, tum quarto de locis affectis, quamuis quinto meth. mèden. per diapedeſin quoque ſanguinem è vaſis profluere poſſe teſtatur. At quia id fieri haudquaquam poteſt, niſi ob exiguarum venarum reſerationem, ſeu rarefactionem tunicarum, vel propter eiuſdem ſanguinis tenuitatem, ſeri ſpeciem

Ex uẽtriculo. *Si ex hepate, uel ſplene.* *Si ex ſpiritalibus partibus, ſigna.* *Ex thorace.* *Citato loco.* *Ex pulmone.* *4. de loc. affe. Cap. 5.* *5. meth. c 8.* *Ex aſpera arteria.* *Ex faucibus & gurgulione.* *Ex ore, ſeu gingiuis.* *Quis præter naturam affectus ſit, cruenta ſputio. cap. ulti.* *Lib. de differ. ſympt. c. ulti.* *4. de loc. affe. cap. 5.* *5. metho. c. 2.* *De diapedeſi nota.*

Cap. 2. referentis, propterea (vt idem Galenus aſſerit, tertio de cauſis ſymptomatum) vel ad vaſorum reſerationem, quam Græci ἀναστόμωσιν nuncupant, hic modus profluuij ſanguinis reduci debet, vel in genere cruentæ excretionis connumerari non debet, quippe cùm ſeri ſpeciem referat ſanguis, qui profluit, qualis per iocinoris, renúmque imbecillitatem ſubinde euenire ſolet; quò fit, vt nec quartum genus à iam dictis tribus, ſanguis qui per diapedeſin tranſcolatus, ſeu ſudóris modo tranſmiſſus à vaſis profluit, dici debeat:

Quot modis è vaſis ſanguis perfluat.

profluit itaque ex vaſis ſanguis, aut eorum oſculo aperto, aut ipſis ruptis, aut eroſis; atque apertio oſculorum inſtrumentalis morbus in via eſt nimis patefacta; ruptio verò, & eroſio in ſoluta continuitate continentur.

Si ex vaſorũ ruptura fiat, ſigna.

Verùm ſi ex vaſorum ruptura fiat ex multi ſanguinis fluxione, ac confertim facta deprehendes, id quod vel ex externis, vel internis cauſis prouenire poteſt, externis ſiquidem, vt cùm aliquis ex alto, vel in ludo, vel certamine ceciderit, aut cùm alter ſuper alterum cadit, vel ex

Cauſæ.

inanimatis corporibus aliquod graue, vt lapis, vel lignum hominem offenderit; item ſi ira cum exclamatione præceſſit cytharœdis quoque, ac tragœdis certantibus acuta, vehementíque voce vaſa interdum diſrumpuntur, vbi violenter clamare conantur, non præmiſſa pulmonis lenitione per præcedentes exclamationes, vt Galenus inquit eodem quarto de locis affectis: interim nulla ex prænarratis manifeſta extrinſecus adueniente cauſa, vas aliquod, tum in

cap. 8.

cæteris corporis particulis, tum in pulmone diſrumpi poteſt, ob ſanguinis abundantiam vel per ſe, vel vnà cum crudo, & frigido, & flatuoſo ſpiritu venas extendente, cum videlicet vas ipſum extenſioni reſiſtit, aut ob frigus à vicinis partibus contractum, aut ob innatam intemperiem, quemadmodum & ipſa aqua frigida Hippocratis auctoritate venas frangit, 24. aphoriſ. libri quinti, & ſexto de morbis vulgaribus, commentario tertio, tex. 14. Verùm non per ſe ruptiones facit, ſed quia venarum tunicas frigiditate ſua duras, & extendi contumaces reddit, & vt rumpantur paratiores efficit. Erit igitur ruptionis cauſa, aut externa, vt quiuis vehemens motus, aut humorum abundantia, ſeu ſanguinis copia, vt diximus; vtriſque verò commune exiſtit ſanguinis effuſio repentè, & coaceruatim facta.

Si ex vaſorũ exeſione fiat, ſigna, & cauſæ.

Si verò exeſo vaſe aliquo cruentum ſputum eiiciatur, non confertim, ſed paulatim per modica interualla ſanguis reiicitur, præcederéque ſolent ſanguinis expuitionem exigua ſputa, vt inquit Galenus, atque acres in pulmonem à capite fluxiones, ſi ab eo ſanguis profluat, temporis verò diuturnitate, multi ſanguinis inter tuſsiendum eruptio fit, vt quinto

4. de loc. affe. cap. 8.
5. metho. c. 6.
4. de loc. affe. cap. 5.

metho. & quarto de locis affectis liquet, & potiſsimùm ſi nulla præceſſerit ex prænarratis externa cauſa, quocirca diligenter conſiderare oportet, num quippiam ſpumoſum ſimul educatur: id enim efficaciſsimum erit indicium, quòd proprium pulmonis parenchyma fuerit exulceratum, haud ſecus ſi bronchi pars quædam, aut arteriæ, aut venæ tunica eiiciatur, eædem ipſius pulmonis partes exeſæ erunt quemadmodum aphoriſ. 13. libri quinti, & prædicto quarto

4. de loc. affe. cap. 5.

libro de locis affectis ſcriptum reliquit Galenus: præceſsit quoque acrium, prauorúmque ciborum vſus, vel media, Paulo auctore.

Si ex reſeratione fiat, ſigna, et cauſæ.

At ſi nullum ex prædictis, præterquàm plenitudo, interdum cruentum ſputum præceſſerit, vt inquit idem Paulus cap. 31. libri tertij, verùm victus humidior, calidiórque, balnei immoderati vſus, calidi nimis loci inhabitatio anteceſſerint, fuerítque anni tempus eiuſmodi, vt Galenus aſſerit, & vt ſummatim dicam, ſi tales calidæ diſpoſitiones præceſſerint, ex reſeratione oſculorum vaſorum, & non ex ruptione, aut exeſione proficiſci cruentam expuitionem iudicabis. At ex qua prædictarum cauſarum ſanguinis reiectatio fiat, qualiſcunque fuerit vaſorum affectus, partim ex ſeipſo, partim etiam ex ægri, ſeu aſtantium relatione haud difficulter percipere poterit Medicus. qui ſumma cura prædicti affectus curationem aggrediatur propter imminens (vt inquit Paulus) ex immodica euacuatione pe-

Prognoſtica.

riculum; ſiquidem copioſè euacuatus ſanguis quemadmodũ in his qui iugulãtur, mortem infert præſentaneã, ſi affectus remanet, in tabem tranſire minatur.

Quòd

Quòd autem cruenta expuitio periculoſa ſit, decretum reliquit Hippocrates aphor. 25. lib. 3. cùm dixit, Sanguinem quidem ſuprà ferri qualiſcunque ſit, malum; intelligens per ſupra ferri (vt Galenus exponit) eum ſanguinem qui per os excernitur. Aphor. verò 37. lib. 7. ſic ſcriptum reliquit, quicunque euomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: hoc eſt, vt inquit Galenus, curari poſſunt: ſubdit autem Hippocrates, ſi verò cum febre, malum. At ſi cum tuſsi ex pulmone emittatur ſanguis, & ſi quammaxima abſque febre fuerit, periculum imminet ne curari poſsit; & ſi durarit, omnino poſtea febres ſuccedent, Galeno teſte in commento eiuſdem aphoriſ. Verùm ſi mulier ſanguinem euomuerit, menſtruis erumpentibus (vt idem Hippocrates inquit aphoriſ. 32. lib. 5.) ſolutio fiet. A ſanguinis verò ſputo, puris ſputum malum eſſe, aphoriſ. 15. 7. libri dicebat: nanque purulentum ſputum (vt in commento ait Galenus) nō omne ſputum ſanguinis ſequitur, ſed quod malignum exiſtit, tale autem eſt omnino ex pulmone, ex quo proueniente ſanguinis reiectatione, ea quæ intra tres dies non curatur, phlegmone deinde adueniente, omnino incurabilis affectio erit, potiſsimùm ſi ex eroſione ortum ducat, eodem Galeno teſte 5. metho. med. *cap 8. 11. 13. & 14.* Nanque ſanguinis euacuatio (Paulo teſte) quæ fit exeſis vaſorum tunicis, nunquam commodè cadit, facítque valetudini, etiam ſi ex pulmone non fiat; et enim grauiſsimè nocet, vt inquit Celſus: quare difficilis eſt iudicanda curatio eorum, quibus à pulmone ſanguis profluit, ex Sorani ſententia, & non impoſsibilis omnino: velut rurſus cuilibet patere poterit, ſanguinem ex ore, & gingiuis profluentem cæteris minimùm periculoſum eſſe, quẽadmodum ſi ex faucibus, interioribúſque partibus proceſſerit, & metus maior eſt, & cura maior adhibenda, eodem Celſo auctore, lib. 4. cap. 4. At ſi ex thorace ſanguis profluat, quòd minoris ſit periculi, quàm ſi ex pulmone, Galenus quinto metho. med. & 4. de loc. affectis, ſcriptum reliquit, *5. meth. cap. 8. 5 de loc. affe. cap. 5.* quo fit (vt patet Celſo) quòd modò minùs, modò plus periculi habet ſanguinis expuitio, etenim ex capite veniens fluor, *ibidem.* generaliter eſt curatione facillimus; ex ſtomacho, vel ventre, aut faucibus curabiles fluores approbamus: vlceratione facti difficiles curatione ab iis, qui è ruptione fuerint effecti iudicantur: omniũ verò difficilis, atque grauior curatione ex pulmone fluens ſanguis accipitur, ob iuge ſpirationis officium, vt liquet apud Cælium Aurelianum lib. 2. cap. 12. *Curatio cruēti ſputi ex ruptione, ſeu vaſorum reſeratione facti.* Quoniam verò non vnam requirunt cruentæ ſpuitiones victus rationem, ac curationem, ſed quodammodo diuerſam, propterea cruenti ſputi ex diſruptione, aut vaſorum apertione orti ex quauis parte priùs victus rationem inſtituemus: nanque aut ſimilem aut pauciſsimis diſcrepantem vaſorum diſruptio, ac reſeratio rationẽ victus, ſimulátq; curationem expoſtulant, diuerſam verò ab his requirit eroſio, de qua vltimo loco pertractabimus. Sit autem eis cruentis expuitionibus, quæ ex iam dictis duobus vaſorum affectibus oriuntur, communis, ac proba victus ratio hæc. *Victus ratio.* Aër continens eligatur ad frigidum, & ſiccum parum vergens, à calido verò, ac humido abſtineant: qua ratione auſtrinos flatus vitent. Somno vtantur moderato, præſertim nocturno, fugiántque diurnum: capútque cubantis ſublime ſit, præſertim ſi ex ſpiritalibus perfluat ſanguis, nec conclaue calidum, & incluſum exiſtat, aut mobile. Alui excrementa quotidie natura, aut arte clyſteribus præſertim lenibus excernantur. Conuenit eiſdem magnopere quies, ſecuritas, ac ſilentium, Celſo auctore: vitent itaque motum, ac exercitium, præſertim vbi ex ſpiritalibus partibus ſanguis profluxerit; item & magnam, ac frequentem reſpirationem, imò ſenſim reſpirent, ſempérque ſilentium agant, ac reliquam omnem quietem eligant, vt Galeno viſum eſt 5. metho. medendi. *cap. 8.* Animi quoque affectus immodicos, iram præſertim, omnino fugiant, paritérq; & venerem. Quod verò ad cibum potionémq; attinet, eligendi ſunt qui emplaſticam vim habeant, & refrigerent, vt eodem loco teſtatur Galenus; atque ſi valentior ſit æger, omne ferè nutrimentum circuncidendum erit; ſin aliter ſorbitionis quod ſatis eſt, exhibendum, potiſsimùm vbi pulmonis vas

fuerit diſruptum. Quo fit vt Trallianus iuſſerit omnem cibum, qui prædictis exhibetur, debere vim mediocrem obturandi, ac leuiter adſtringendi habere; & neque quippiam calidum offerre, ſed omnia potiùs ſint temperata, & ad fri-
Lib. 8. c. 62. gidius declinantia, etiam actu, licet non vehementer, vt inquit Aëtius, neque nimiam humectationem inferre debeant: pauci itaque cibi mediocriter frigidi, ac potus, & naturæ quoque adſtringentis exhibeantur; velut ptiſana, & eius cremor, alica, frumentaceum amylum, ſimilago valenter decocta, aut oriza: quæ omnia longè meliora fiunt, ſi aliquod adſtringens cum eis fuerit decoctum, aut eorundem ſuccus adiectus ſit, verbi gratia, cotoneum malum, pyrúmve, aut pomum aliud auſterum, malíque punici grana, aut ſi non libeat talia cum ſorbitionibus decoquere, ſuccum alicuius eorum ſemper adiicias, nedum in prædictis ſorbitionibus, ſed in cunctis aliis eorum cibis, qui inſuper in aqua pluuia decoquantur; in qua etiam micæ panis imbutæ pro cibo conueniunt. Ex oleribus aſſumant ægri lactucam decoctam: interim ipſam in poſcá aquoſam intingentes, ſimiliter intybum; & portulacam, vel arnogloſſum, Tralliano, & Paulo teſtibus. At ſi vires requirant, ex carnibus conuenit aſſumere gallinarum pullorum, phaſianorum, perdicum, columbarum, ſtarnarum, capreolorum, turdorum, ac reliquarum montanarum auium, gallorum quoque teſticulos, potiſſimùm aſſatos, anſerúmque alas, non tamen veterum, necnon ventriculos, ouáque ipſarum abiectis albuminibus; ſimiliter & gallinarum lutea ſummopere commendauit Alexander: & vbi ſanguis expui deſierit (ex eiuſdem ſententia) pedes ſuum, & piſces ſaxatiles, aceto inter coquendum adiecto offerantur: vice quorum tum hœdi, ſeu etiam caſtrati (ita vt dixerim) pedibus vtare. Quòd ſi febris adſit, lac quoque tribuas, caprillum præſertim, aut aliquod ex prædictis cibis cum eo decoquas, potiſſimùm iis, qui etiam per ſanitatem lac aſſumere conſueuerunt. Ex fugacibus fructibus exhibeantur qui modicè adſtringant, vt mala præcipuè decocta recenti mulſo, vel torrida, pyra, ſorba, meſpila, raró autem pini fructus, & vuas paſſas aſſumant; & ſi admodum ſiticuloſi fuerint, pepones, cucumerum medulla, ac vua penſilis exhiberi poterunt, eodem Tralliano teſte: à ficubus autem, piſtaciis, maximéque amygdalis abſtineant. Si febri careant, eorum potus ſit vinum aquoſum, modicum (vt inquit Paulus) pluuiali aqua dilutum: at ſi febris adſit, eadem pluuiali aqua pro potu vtantur, aut ea, in qua chalybs ignitus extinctus fuerit: ſeu coriandrorum præparatorum ſemina decocta ſint, éaque toſta, aut palmulæ, cydonia, pyra, vel reliqua adſtringentia poma, aut vitis pampini, portulacæ, ſeu ar-
Medicamentorum ratio. nogloſſi folia. Vbi verò vires imbecilliores fuerint, ſi vinum rubrum, craſſum, auſterúmque tribueris, ex aliqua prædictarum aquarum dilutum; nihil nocebis. Quod verò ad curandi rationem attinet, ſanguinis reiectatio, quæ ex apertione oſculi eius vaſis contingit, per ea quæ dilatatum os obturant, curari de-
Cap. 4. bet, Galeno auctore ſeptimo de compoſitione medicamento. ſecundum loc. obturant autem oſculum dilatatum medicamenta, quæ vim habent adſtringendi: eius verò, quæ ex vaſis ruptura fit, curatio per eiuſdem conglutinationem perficitur, atqui conglutinatur ruptum per eadem medicamenta adſtringentia, & quacunque ipſis in compoſitione miſcentur citra mordacitatem reſiccantia, & glutinoſum quiddam habentia: quæ idcirco quòd ex lenta, craſ-
5. meth. cap. 3. 4. de ſimpli. fac. cap. 4. & lib. 5. cap. 8. & 10. ſáque ſubſtantia conſiſtunt, meatus obſtruunt, & Græci κολλητικὰ vocant, vt 5. metho. meden. & 4. & 5. de ſimpli. med. facult. liquet. Id verò in vtriſque priùs animaduertendum, nunquid cauſa ruptionem efficiens deſierit, vel adhuc maneat: nanque ſi deſierit, primum ſiſtere ſanguinem expedit, poſt verò (vt inquit Galenus eodem quinto metho. meden.) ruptum vas, aut reſeratum ſana-
Quid primo animaduertendum ſit pro curatione. re, eo conglutinato, vel obſtructo. Si autem permaneat adhuc efficiens cauſa, vtpote abundantia, ea quidem primò vacuanda erit; etenim manente ea, vas etiam plus rumpitur, aut reſeratur; ab hinc ſanguis ſupprimendus, móxque
cap. 3. vlcus ipſum vaſis, vel eius apertio curanda. Deſinente itaque effectrice cauſa,

primùm

primùm ſiſtere ſanguinem expediet, Galeni decreto: pòſt, vlcus ſanare: obtu-
rato quidem quod perruptum eſt, auerſo autem, atq; aliorſum tranſlato, quod
per id ferebatur: quando ſi id, eo quo inter initia, impetu confluat, oſculumq;
vaſis pari modo pateat, citiùs planè moriatur animans, quod profluuio labo-
rat, quàm ſanguis ceſſet effluere: ſiſtitur porro qui è vaſis profluit ſanguis, aut
propterea quod ampliùs non confluit, aut quod occluſa diuiſio ſit, ſeu conni-
ueat id quod reſeratum eſt, vel propter vtrunque, vt inquit Galenus eodem li- *cap. 5.*
bro 5. metho.meden. id quod ipſe dicit eſſe tutiſsimum. Hæ quidem ſunt com-
munes curandi indicationes cuiuſuis cruentæ expuitionis, ex diuiſione, ſeu
apertione vaſorum cuiuſlibet partis: eſt inſuper & aliud commune omnium
internarum partium affectarum, vt idem Galenus quarto metho.meden. aſſe- *Quid 2. ani-*
rit, vt ea eligantur, quæ animalis naturæ maximè ſint familiaria, ſiue ea cibi *maduertendū.*
ſint, ſiue medicamenta: fugiantur, reſpuantúrque huic contraria. Verùm quia *cap. 7.*
quæ à partibus indicatio ſumitur, ea communibus, quæ iam dictæ ſunt curan-
di indicationibus, veluti auctarium in ſingulis affectibus accedit, iuxta quam
rationem contingit & quodammodo curationem variare, ac interim cum
prædictis contraria medicamenta miſcere, vt patebit, ea de re priuatim ex
iam dictis cauſis cuiuſlibet ſanguinis reiectationis à quauis parte prouenien-
tis, curationem inſtituere decreuimus: nam ſi ex gingiuis exit, portulacam
manducaſſe ſatis eſt, Celſo auctore. Si ex ore, continuiſſe eo merum vinum, ſi *Curatio cruē-*
id parum proficit, acetum; ſi inter hæc quoque grauiter erumpit (quia conſu- *ti ſputi, ſi ex*
mere hominem poteſt) commodiſsimum eſt (vt ipſe inquit) impetum eius ad- *gingiuis pro-*
mota occipitio cucurbitula (ſic vt cutis quoque incidatur) auertere. Si id mulie- *ueniat.*
ri cui menſtrua non feruntur euenit, eandem cucurbitulam, inciſis inguinibus
eius admouere: conducit autem eiſdem oris collutio ex plantaginis, polygo-
ni, ac portulacæ decocto in aqua pluuia, pauco addito aceto, vel vino rubeo
adſtringenti, aut ſucci eiuſdem portulacæ, polygoni, aut arnogloſsi aſſum-
ptis vnc.iiij. cum roſaceæ, ſeu myrtinæ aquæ libra vna, permiſce, & vtare: ad-
das (ſi lubet) aceti parum. Quòd ſi adhibitis his adhuc grauiter erumpat ſan- *Sanguinis*
guis, quo is auertatur, ſanguinem mittere, expedit, loco cucurbitulæ humera- *miſsio.*
lem, aut mediam incidens: aut ſi mulier ſit, quæ laborat, cui menſtrua non fe-
runtur, in talo venam ſecare expedit, pari ratione, vt ſanguis auertatur. Si ve- *Si ex fauci-*
rò ex locis circa fauces, aut gurgulionem ſanguis feratur, au per palatum, gar- *bus proueni-*
garizare oportet ex adſtringentibus, frontíque & capiti admouenda ſunt quæ *at, curatio.*
ex naribus ſanguinem fundentibus accommodantur, Paulo teſte: quare ſuf- *Lib. 8. c. 59.*
ficiunt adſtringentia per collutiones, aut gargariſmata adhibita frigida; nam
à calidis, & rarefacientibus collutionibus plus ſanguinis erumpit, vt inquit
Aëtius, vel ea, quæ modò ſcripſimus, vel ex his, quæ dicemus, componantur:
aut ea quæ capite de angina ſcripſimus, & de gurgulionis inflammatione huc
transferas. Verùm ſi à capite ſanguis feratur, multúſque ſit, qui defertur, eua-
cuatione opus erit, ex eiuſdem Aëtij ſententia: quare citiùs (vt ipſe ait) per *Loco citato.*
nares, aut per venæ alicuius inciſionem euacuare oportet, inferens ex eius ver- *Si ex capite*
bis, aut ad propinqua deriuandum, aut ad longinquas partes diuertendum eſ- *proueniat, cu-*
ſe, ne per negligentiam conſuetudo fiat ſanguini in hos locos delabendi. Sin *ratio.*
verò plurimus fuerit fluoris lapſus, acacia ex aceto frontis, atque temporum
partes illiniendæ ſunt, & perſeuerante fluore, cucurbita quoque apponenda
(ſubiecta flamma plurima) occipitio, ex Cælij Aureliani ſententia. At ſi ob
deſtillationem, ſanguinem reiecerint, ad quamcunque partem feratur, aut *Si ob deſtilla-*
quocunque modo excernatur, his venam incidere protinus in principio de- *tionē ſputio*
bes, vt Paulo, & Aëtio viſum eſt: ſecato autem humeralem, aut mediam, niſi *cruenta fiat,*
vehementer actis humor deſtillauerit: nanque huius curatio patebit, cùm de *curatio.*
eroſione tractabimus: ac pro viriū modo ſanguis detrahatur. Acres quoq; cly- *Pau. li 3. c. 31.*
ſteres adhibeantur, frictionibus multis, manibus, brachiis, ac cruribus vtan- *Aët. li. 8. c. 60*
tur: ac vinculis extremæ partes colligentur, poſtea raſo capiti pharmacum

ex ſter

ex ſtercore ſyluestrium columbarum impone, quemadmodum Romæ in ſplendida muliere peregit Galenus, vt patet 5. metho. meden. *cap. 13.* quem demum ſectati Aëtius, & Paulus, *Locis citatis.* & ipſi quoque id ſcriptum reliquerunt: vel aliud ſimile, calidum medicamentum capiti imponas; vel candenti ferro inuſtio in capite fiat, ex Tralliani decreto: & velut idem Galenus interpoſitis tribus horis, in balneum demum mulierem duxit, ac lauit, deinde caput idoneo pilo contexit, nutriuitque eam ſola ſorbitione, fructuſque quoſdam auſteros dedit; deinde cùm dormitura eſſet, recentem theriacam circiter quatuor menſes ante confectam tribuit, ad fabæque magnitudinem veſperi rurſus eam dedit, quamuis pridie hoc longè ampliùs accepiſſet, & tertio die mane mel coctum copioſè exhibuit, ac reliqua probè miniſtrauit, vt præcitato loco patet; pariter & tu ſimiliter affectos curabis. Quod ſi malum in vetuſtatem incidit, cucurbitula quoque occipitio defigenda erit, iuxta Pauli ſententiam. At ſi neque his malum cedat, reliqua, quæ ab eodem Galeno citato loco, ac Aëtio, & Paulo conſcribuntur, commodiſsimè adhibeantur, quoad curatio perficiatur. His verò qui ſanguinem euomunt (ex Archigenis ſententia) vena quoque ſtatim incidenda eſt, in cubito ſuperior, humeralis appellata, etiam ſi ex hepate in ipſum ventrem deferatur. *Vomitus ſanguinis curatio.* Si verò à ſplene ſanguis feratur ad ventrem ipſum, incidenda vena erit, quæ inter paruum & annularem digitum in ſiniſtra manu eſt, ſic nanque probè, ac propriè auxiliaberis. Cæterùm tum cibos, tum potus quodammodo magis adſtringentes, pariter & medicamenta, his qui ex ventre ſanguinem reiectant, non tamen vehementer adſtringentes, neque vehementer actu frigidos præbe. Qua de re vbi exiguum vas eſt, quod perruptum eſt, vel modicè recluſum, ſic vt non multus ſit, qui ex eo profluit ſanguis, Galeni auctoritate, eodem 5. metho. meden. *cap. 5.* ex vino nigro auſtero, vtilia medicamenta ſunt (præcedente tamen venæ ſectione non ſemel duntaxat, ſed bis, aut ter ſi opus fuerit) aloë, manna thuris, pini cortex, lemnium ſigillum, ac lapis hæmatites: quòd ſi nec genus id vini præſto ſit, coquenda in aqua ſunt (vt ipſe inquit) pluuia, addo ego, aut in qua chalybs ignitus fuerit extinctus, rubi germina, aut canirubi, myrti, lentiſci, ſeu hederæ; fructus quoque, ſiue cortex, ſiue germen, maximè cotoneorum, itemque myrtorum, & meſpilorum, ibi decoquantur, & (vt ſummatim dicam) omnium quibus adſtrictoria vis ineſt, idonea præſidia ſunt. Sin autem perruptum vas magnum eſt, aut vehementer recluſum hiat, vt propterea multus profluat ſanguis, vtique adſtringentibus magis medicamentis eſt opus. veluti balauſtio, hypociſtide, rhoë, omphacio, acacia; gallis immaturis, & malicorio. *Lib. 8. c. 63.* Ex Aëtij verò ſententia eis, qui ob apertionem oris venarum, aut rupturam ſanguinem reiectant, ac non tuſsiunt, optimè conducunt acetum, & portulaca comeſta: efficacior quoque exiſtit eiuſdem portulacæ ſuccus bibitus, aut plantaginis, vel ſanguinariæ; poterunt verò cuiuſque ſucci vnc. iiij. v. vel vj. exhiberi. Decoctum inſuper radicis ſymphiti, atque ipſam quoque ſiccam *Loco citato.* tritam, potuique inſperſam commendat Aëtius; item centaurij radicis drac. ij. aut lapidis hæmatitis drac. j. aut radicis equiſeti tantundem ſummopere approbat. Centaurij radicem cum aqua febricitantibus, cum vino febre carẽtibus exhibet, lapidem hæmatitem cum ſucco mali punici; & (vt ſummatim dicam) curare eos oportet adſtringentibus, & refrigerantibus, prout decretum reliquit Hippoc. aphor. 37. lib. 7. *Si ſanguis in ventriculo inſtar grumi cõcreſcat, curatio.* At ſanguine in ventriculo grumi inſtar concreto, iuſſit Paulus coagulum potandum eſſe, maximè leporinum, aut thymũ, vel thymbram cum aceto, vel etiam vacuari debent ex lacte ſciſsili, aut ex aloë, vt ipſe inquit; in quem vſum ſi poſcam tepidam ſorbeant, non parùm confert. Poſſunt quoque extrinſecus profluenti particulæ, ventriculo videlicet, iocinori, aut spleni admoueri tum adſtringentia, tum citra adſtrictionem frigida: verùm nec omnino, nec ſine diſcrimine, nec omni tempore loca, quæ circa particulam, vnde ſanguis profluit ſunt poſita, refrigeranda ſunt, ex Galeni ſententia, eodem quinto metho. meden. *cap. 6.* imò poſteaquam in alia priùs loca auerteris, non ſemel

tantùm, ſed ſecundò, & tertiò: ſi opus fuerit, nec ad vnam duntaxat partem ſed ad plures, nec vno auerſionis modo, ſed compluribus vſus fueris: ſanguinis videlicet miſſione, artuum frictione, deuinctioneque: tunc nanque circa afflictam partem tum adſtringentia, tum frigida admoueri poſſunt, alias manifeſtè læſos ægrotantes videbis, cùm ſanguinem ipſum intro compellant, ac venas, quæ in alto ſunt, implere videantur, nec minùs quo medicamentorum vis ad interna magis penetrare valeat, acetum cum eis permiſceri debet. Quare ventriculi partes ab extra illinias ex roſaceo, & melino, aut myrteo cum aceti modico, aut vino auſtero: immutentur autem crebriùs, ne ſi excalfiant, rurſus ab eis ſanguinis commotio, ac irritatio quæpiam oriatur: poterunt inſuper epithemata in hunc modum parari. Excipe ſucci plantaginis, & portulacæ, ſeu ſanguinariæ, aut omphacij ana libram j. aquæ plantaginis, & roſarum vnc. viij. aceti vnc. ij. omnibus ſimul mixtis, fiant epithemata: quæ non minùs conferũt, ſi ſupra iocinoris, aut lienis partes admoueantur, vbi ex his ſanguinis profluuiũ ortum ducat. Ex iocinore inſuper ſi fiat, nedum prædictis, ſed ſolani quoque, aut lactucæ ſucco vti poteris: nam in his frigido eſt vtendum, vt inquit Hippocrates aphoriſ. 23. lib. 5. vnde fluit ſanguis, aut fluxurus eſt, non ad ipſas, ſed circa ea, vnde influit. Si verò ex refrigeratis ſpiritus inſtrumentis ſanguinem reiecerint, his è veſtigio venam ſecare conuenit, ac bis eodem die, & deinde rurſus poſtridie bis, Galeni decreto 5. metho. meden. ſi tamen ætas, aut vires non prohibeant, paulatim tamen euacuatio facienda erit, vt ad contrarium diuerſio fiat: eius enim gratia venæ ſectio adhibetur, vt inquit Aëtius: nec minùs tempore intermedio, artuum, ac extremarum partium frictione, & ligatione vtare iuxta eorundem ſententiam; toti autem pectori ceratum, quod ex tapſia conficitur, poſt alteram ſanguinis detractionem, ſecundo die imponendum, mox veſperi, ne ſupra modum calfaciat, id auferendum præcipiebat idem Galenus, ac rurſus tertio die, ad tres horas imponendum. Cùm verò ſpiritui delegatæ partes in naturali temperamento eſſent, & totum corpus vacuatum, diaſpermaton ad veſperam exhibebat, non ſemel duntaxat, eo quod ſomnum conciliabat, ſenſum doloris leuabat, & ſiccandi vim habebat, poſtremo Tabias ægrum dimittebat: loco autem cerati ex tapſia, ac medicamenti, quod diaſpermaton appellatur, aliis vtare ſimilem vim habentibus calfaciendi, & exſiccandi, ac ſomnum conciliandi, non tamen ſupra modum, quo naturale temperamentum ſpiritus inſtrumenta ſibi ipſis vendicent: mittas quoque & tu ægrum Tabias, in loca videlicet iuxta poſita, ſi Neapoli, vel aliis in locis non valde remotis fuerit æger. At qui ſpiritus vaſis diſruptis, aut eorum oris patefactis, ex quauis alia cauſa ſanguinem reiiciunt, incidere iis ſtatim venam conuenit, cubiti internam, vt Galenus præcipit eodem lib. 5. metho. med. & poſt eum Paulus, & Aëtius: à qua bis, terque poſtea ſanguis eſt detrahendus, paulatim tamen, gratia diuertendi: non enim euacuatione indigent tales, nimirum ab affectione ipſa euacuati, vt inquit Aëtius. Quod ſi cubiti venæ in conſpectum non venerint, etiam ex venis in talo ſanguinem mittere expedit, imò multò magis proficere teſtatur Alexander: nam ad longinquiores partes diuerſio fit. Cuius etiam cauſa artus omnes fricandi, vinciendique ſunt, poſteà verò quàm hæc facta fuerint, primùm poſca, tum diluta, tum tepida potui eſt offerenda, quo ſi quis in viſcere trombus, id eſt, cruor concretus latitet, reſolutus expuatur, atque hoc nihil vetat, bis, térve, ternis horis facere, vt idem Galenus aſſerit: poteris autem eiuſdem poſcæ vnc. iij. vel iiij. aut ſaltem ij. qualibet vice exhibere. Ab iis verò aliquod eorum, quæ tum emplaſticam vim habeant, tum adſtringant, medicamentùm exhibendum; idque aut ex poſca diluta primùm, aut ex malorum, myrtorúmve, vel alicuius eiuſmodi mox dictorum adſtringentium decocto: inter omnia verò puluis radicis ſymphyti, althææ, vel equiſeti, aut earum decoctum confert: ſimiliter terra lemnia, bolus armena, lapis hæmatites cũ alicuius (ex prædictis adſtringẽtibus) decocto magnopere conducunt.

Si cruenta ſputio fiat, refrigeratis inſtrumentis ſpiritus, curatio.
cap. 12.
Lib. 8. cap. 61.
Loco citato.

Si ex aliis cauſis eadem vaſa rumpãtur, aut reſerentur, curatio.
cap. 8.
Lib. 8. ca. 62.
Loco citato.

Trallia

Tralliano auctore : nec minùs & cunctis prędictis adſtringentibus medicamentis commodè vti poteris : illud tamen perpetuò ſeruari debet ex Galeni decreto tum 4. metho. meden. tum 7. de compoſitione medicamentorum ſecund. locos, quod congruenti menſura prædictis medicamentis, in his qui ex pulmone, aut thorace, aut aſpera arteria ſanguinem reiectant, miſceantur tum calida, tum tenuium partium exiſtentia ; quamuis vaſorum rupturæ, ac reſerationi ſint infeſtiſsima, gratia ſcilicet diſtributionis ipſorum medicamentorum : etenim adſtringentia, & viſcoſa, ac tenacia ſibiipſis vias præcludunt, quare opus habent facultate ipſis viam ſtruente, ac præparante. Quapropter omnibus medicamentis, quæ thoracis, & pulmonum vlceribus ſunt deſtinata, mel admiſcendum erit : eſt nanque ipſum veluti inſtrumentum quoddam digeſtionis eorum in corpus, ac celeris tranſitus, veluti vehiculum, vt patet eodem 4. lib metho. meden. in huncmet vſum poſt venæ ſectionem, & poſcæ aſſumptionem, puluerem ex rhabarbaro ſine ſpica drac. j. vel ſcrup. iiij. aſſumentes, mumia gra. v. (ſi ea haberi poterit) vel vj. rubeæque tinctorum gra. iij. vel iiij. cum adſtringenti vino rubeo, aut plantaginis aqua, exiguo aceto iniecto exhibemus : ex hoc nanque medicamento nedum concretus ſanguis reſoluitur, ſed foras propellitur, atque expurgatur, ruptumque vas, ſeu reſeratum ſanatur. Ex compoſitis medicamentis vtimur trochiſcis è ſpodio, aut terra lemnia, ſeu è ſuccino : ſimiliter & ſyrupis, myrtino, è portulaca, roſaceo, ſaccharoque roſaceo, roſaceoque melle, è quibus in commodiorem vſum compoſitum quoddam medicamentum parari poterit, vt Recipe ſyrupi myrtini, & è portulaca, ſingulorum vnc. ij. ſacchari, mellisq; roſacei ana vnc. j. tragacanthi, amyli vtriuſq; drac. j. & s. pulueris radicis ſymphiti, terræ lemniæ, boli armeniæ & lapidis hæmatitis ana ſcrup. ij. fiat in modum eclegmatis, iubeasque ſæpiùs id in ore contineri, paulatimq; æger ſupinus cubans permittat in aſperam arteriam defluere, quomodo (vt inquit Galenus) nedum vis, ſed medicamenti ſubſtantia ſenſim, & paulatim per ipſam aſperam arteriam influit, vt 4. & quinto metho. meden. liquet : prædicto quoque medicamento addere poteris (ſi videbitur) drac. j. vel ſcrup. ij. alicuius ex prædictis trochiſcis, vel ſi malit æger in forma ſolida potiùs medicamentũ ore continere, hoc modo paretur, Excipe diacodij drac. ij. boli armeniæ, corallorũ rubeorũ, lapidis hæmatitis ana ſcrup. j. pulueris radicis ſymphiti, & terræ lẽniæ, vtriuſq; ſcrup. s. tragacanthi, amyli, & gummi arabici ana drac. s. ſyrupi myrtini, aut de portulaca, & ſacchari roſacei ana drac. iij. cũ ſaccharo diſſoluto in aqua roſacea, aut myrtillorũ, quantùm ſatis ſit, fiat medicamentũ in tabellis. Rurſus licet in prædictis infeſtiſsimum ſit illud genus pharmacorum, quod in tantùm refrigerat, vt affectio ſtupefiat, Galeno auctore 7. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, tamen etiam hæc quandoque admiſcẽtur medicamentis ad hæmoptoicos conuenienter paratis, vt quæ altiorem ſomnum, ac ſoporem inducant, & commodiſsima ſunt his, qui à tuſsi lancinantur, ſiſtentia nimirum ſanguinem, qui ad effectum vas defertur, atque hoc per ſuam frigiditatem, in quẽ vſum ſcrup. ij. vel drac. j. philonij perſici, aut romani cum aſtringenti vino, aut plantaginis aqua exhibere ægris conſueuimus, non ſemel duntaxat, ſed bis, & ter, vbi opus fuerit, vrgente videlicet ſanguinis profluuio, nec prædictis medicamentis cedente : vireſque non imbecilliores fuerint. Forinſecus autem pectori irrigatio adhibenda erit ex vino adſtringente ; cum oleo roſaceo, aut myrteo, ex Aëtij ſententia, aut ſupra id, quod dolet imponenda extrinſecus ſpongia eſt, ex tepente poſca, vt inquit Paulus, & à ſeptimo die irrigatio fiat cum roſaceo, vel myrteo, vel lentiſcinio : cui interim vinum auſterum ſit additum, interim acetum potiſsimùm vbi multa ſanguinis fiat eruptio, & in æſtate, robuſto, & carnoſo exiſtente ægro, nec tuſsis adſit, præſertim valida : aut huiuſmodi cataplaſma admoueatur, quod ex palmis, acacia, alumine, malicorio, ſymphyto, hordei, & lentium farina apparatur, vt Aëtio viſum eſt, vel iuxta Pauli auctoritatem, ex farinæ pollinæ, & mãna thuris cum aceto ac-

Margin notes: 4 metho. c. 7. — Documentum Galeni 7. de compo. medic. ſec. loc. c. 4. — cap. ulti. — cap. 4. — Lib. 8, cap. 6.

commodentur; vel alumen, acaciam, vel malicorium, vel gallam cum aceto, vel palmulas cum polentis, & malis cydoniis in vino auſtero decoctis adhibeto: aut foliorum plantaginis, portulacæ, & ſanguinariæ manip. j. contundito, additóque mannæ, thuris, aluminis, malicorij ac radicis ſymphiti, ſingulorũ drac j. hordeaceæque farinæ drach. ij. palmularum, & cydoniorũ in vino auſtero decoctorum ana drach. iij. fiat cataplaſma cum poſca, aut vino auſtero; aliquando autem acaciam, aloëm, aut omphacium cum his permiſcere conuenit. At Galenus eodem lib. 5. metho. med. ex melino, roſoceóve pectus madefieri (ſi æſtas ſit) vndique, ſin hyems, nardino vnguento præcipit: dátque veniam, vt aliis quoq; emplaſticis medicamentis vti poſsit, ſi placet: aſſerítque nonnullos hac affectione laborantes curaſſe, ad quos ſtatim vt malum ſenſerunt, acceſsit, quo cruentum adhuc vulnus fuerit, priuſquam phlegmonem excitet, nam ſi ea ſemel inuaſerit, exigua ſpes eſt, vt ipſe inquit, eius poſtea glutinandi, in longiùs tamen trahere poteſt tempus, potiſsimùm pulmonis vaſis diſruptis. Quòd ſi reiectionem ſanguinis vaſe exeſo, ex quibuſcunque tandem partibus fieri contingat, per renutritionem eroſorum curabitur, Galeno teſte 7. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos: renutriuntur autem corroſa (vt ipſe inquit) per cibos boni ſucci, & pharmaca carnem gignentia (ſarcotica à Græcis appellata) ea de re (vt teſtatur Alexander) non ampliùs medicamentis, aut cibis admodum adſtringentibus, aut acidis, ſed potiùs iis, qui contemperare, mutare, & alterare humoris; qui eroſionem excitarit, acrimoniam poſſunt, vti oportet, niſi profuſior hæmorrhagia fuerit: nam tunc iis, quæ vehementiſsimè adſtringunt, vtendum medicamentis eſt, quoad vehemens eius impetus frangatur, vt teſtatur Galenus v. meth. med. Quapropter ptiſana ægros alere conuenit, aut alica ſeu reliquis cibis, quibus nihil adſit, aut ſalſum, aut acidum, imò nulla alia tenuis qualitas, ſed è contrario, quæ magis implentem, obturantémque ipſam reddere queant, ex mente Alexandri; velut eſt amylum frumentaceum. Ex oleribus competunt intybum, cichorium, bugloſſum, lactuca: procedente verò tempore, vbi vires infirmas habeant, citra ſalem offerre expedit carnes gallinarum, pullorum, caponum, perdicum, phaſianorum, ſtarnarum, turdorum, ac reliquarum montanarum auium; interim hœdorum, ſeu caſtratorum, vt ita dixerim, aut ſuum pedes cum ptiſana decoctos aſſumant; & (vt ſummatim dicam) cibis vtantur boni ſucci, vt diximus, qui etiam humoris influentis acrimoniam obtundere, & craſsiorem reddere poſsint, potiſsimùm vbi ex acri deſtillatione, pulmoni, ſeu thoraci eroſio fiat; ab acidis, ſalſis, potiſſimùm veteri caſeo abſtinentes, licet molli, atque recenti caſeo, præſertim caprillo, aut bubulo (vt Alexander inquit) commodè vti poſsint, tanquam vtili exiſtente. Pro potu aqua vtantur decocta cum ſemine coriandrorum præparatorum, pauco cinnamomo, aut glycyrrhizæ radice; vino quoque (vbi aſſueti fuerint) eo vti aquoſo, aut parum rubeo, ſubadſtringenti, conuenit. Deſtillante autem acri humore, præſertim ad pulmonem, aut pectus, toti corpori, conſulendum erit, quo ſiſtatur eroſio, Galeni auctoritate, eodem 5. metho. med. & quãuis Paulus, & Alexander præcipiant caueri debere ſanguinis miſsionem, præſertim vbi admodum acris fuerit deſtillatio, nam magna ex parte corpus eorum, qui ex eroſione ſanguinem reddunt, gracile, atque perſiccum eſt, tamen Galeni auctoritate freti præcitato lib. 5. meth. med. vbi validi fuerint, multíque ſanguinis, iis ſtatim à principio ſanguis detrahendus erit, id quod nec Alexander nec Paulus negarunt. Atſi parum habere ſanguinis videbuntur, ij ad quendam ſuccum probiorem, proba victus ratione reduci debent, deinde ſanguinem detrahere poteris: & ſi res ſuaſerit, denuò ſanguinem mittere expedit, potiſsimum quibus veluti limus quidam vitioſus, & craſſus totus fuerit ſanguis: hoc itaque ſeruandum in venæ ſectione erit; vtriſque tamen id commune exiſtat, ne multa copia ſanguinis ſemel extrahatur, potiſsimùm iis qui parum habere ſanguinis videbuntur, eúmque vitioſum. Sanguine verò detracto tum reficiendi

Cap. 8. *Cruenti ſputi ex vaſorum exeſione, curatio.*

Cap. 4.

Cap. 6. *Victus ratio.*

Medicamentorum ratio. *Venæ ſectio.*

cap. 13. & 14.

cap. 13. & 14.

ægri ſunt, tum purgandi, ac rurſus poſt purgationem reficiendi, & potiſsimùm vbi ceu ſalſilaginem ſputum ſuum ſentire ſe aiunt, quamuis longo tempore *5. meth. c. 14* omnino opus ſit, vt Galenus inquit, quo ſucci huiuſmodi corrigatur vitium. At vbi congeſtus fuerit vitioſus eiuſmodi, etſi etiamnum ſanguinem non reiiciant, vt ab eo præſeruentur, quæ acres humores purgare poſſunt, medicamēta propinanda ſunt: priùs tamen ipſis alteratis, ac contemperatis quodammodo, ex ſyrupi, videlicet violacei, roſacei, ex nymphæa, ſeu papauere, myrtini, aut de cannis exhibitione cum hordei, bugloſsi; ſeu borraginis aqua; quorum medicamentorum copiam, tum capite de deſtillatione, tum cap. de tuſsi, conſcripſimus. Illud autem perpetuò in eorum exhibitione ſeruabis; vt quæ magis familiaria, ac lenia ſunt eligas, vitéſque acriora, calidiora, ac ſicciora; quæ inſuper non ſemel tantùm præbeas, quinimo bis, & ſæpiùs, vbi oporteat: nam longo tempore (vt diximus) ex Galeni auctoritate, omnino opus eſt, vt ſucci corrigatur vitium, potiſsimùm ſi ex eo in pulmone eroſio facta fuerit: Quapropter Galenus eos, qui planè deplorati non ſunt, omnes ſeruari fatetur per hæc tria, per ſanguinis videlicet miſsionem, purgationem, ea quæ caput roborant: non enim in huiuſmodi affectibus à paruis auxiliis incipiendum eſt, veluti Eraſiſtrato viſum fuit: nam in morbis, in quibus periculum non imminet, à paruis incipiendum auxilus eſt, quòd ſi nihil profecerint, aggredienda maiora ſunt: at vbi periculum maximum impendet, à maximis quoque auxiliis exordiendum eſt: nam ad vltimos morbos vltima prorſus remedia maximè valere Hippocrates decretum reliquit: ea de re non immeritò ſtatim circa initia venæ ſectione (ſi nihil prohibeat) ac purgatione vtendum: nec minùs & capiti confeſtim proſpiciendum, ne ex eo in pulmonem, aut pectus aliquid defluat, in quem vſum conducit ſi drach. j. infraſcripti pulueris ſumatur. Excipit autem ſeminis hyoſcyami, & papaueris albi, ſingulorum ſcrup. s. ſeminũ coriandrorum præparatorum drac. j. corticum rhuris, gra. ij. maſtiches gra. iiij. pulueris hirũdinis præparatę drach. s. ſacchari vnc. iiij. tēpus autem ſumendi eſt poſt duas, vel tres horas à cœna ante ſomnum, vel pilulas duas deuorent ex pilulis de cynogloſſa. Nicolai loco medicaminis, quod diaſpermaton appellatur. Ex cerati quoque vſu, quod fit ex thapſia, capiti prouidebitur vt teſtatur Galenus in acri hac deſtillatione, vice cuius eo loco quo ſagittalis ſutura coronali cōmittitur, aut ſinapiſmo, aut ignito cauterio vtare, vel ſi tutiùs eo vti volueris, quamuis minùs quodammodo conferat, inter primam & ſecundam ceruicis vertebram locum inuras. Atque hæc quidem Galeno auctore, eodem quinto methodi medendi cap. 14. in principio peragenda ſunt: aduerſus quem acerrimè Alexander inſurgit: aſſerens capiti adhibenda non eſſe acriora medicamenta, quæ ex thapſia, aut columbarum ſtercore, aut ſinapi parantur, cùm magis intemperatum caput reddant, & quæ ab eo in thoracem, aut pulmonem confluunt, acriora efficiunt: qua ratione humectantibus potiùs, refrigerantibúſque caput ipſum ſtatim inter initia vti debere præcipit, ac cauenda eſſe acria, ſiccantia, & calfacientia, vt quæ intemperiem capitis adaugeant, & eroſionem magis intendant, quàm curent: fieri enim nequit (vt idem Trallianus aſſerit) vt tuſsis deſinat, aut affectæ particulæ non exedantur, niſi acris, tenuiſque ex capite influxus ceſſauerit, id quod probè fiet, ſi quæ refrigerare, & humectare poſſunt, capiti admouerimus; propterea roſaceum & per ſe, & cum frigida aqua modica admouendum præcipit: ad balneumque ægros ducendos eſſe; & cùm hoc fiat, roſaceum, vel oxyrhodinũ frigidum ſuperinfundendum. At pace Tralliani dixerim, Galenũ mox circa initia in acri deſtillatione, acria quoque medicamenta capiti adhibere, nō quo ipſius intemperiem, quæ calida quoque eſt, curaret, verùm vt excrementum, ſeu ſuperflua humiditas, licet acris, quæ à capite defluit, partim exſiccaretur, partim etiam ex intro foras traheretur, atque per cutim vacuaretur: de eo nanque in principio valde ſollicitum eſſe oportet, vt idemmet teſtis eſt Gale. præcitato libro quinto methodi medendi, vt neque tuſsiant ęgri, neque ex capi-

te ali

5. meth. c. 14

Acris deſtillationis curatio.

5. meth. c. 15

1. aphoriſ. 6

5. meth. c. 14

Alexādri aduerſus Gale. rationes.

Gal. defenſio.

te aliquid in pulmonem defluat: nam ſi fluat, & tuſsiant, neceſſe eſt & affectæ partes magis extendantur, atque ira temporis ſpacio omnino inſanabiles fieri, præſertim ſi pulmo affectus fuerit. Maius itaque commodum comparatur ægro ex deſtillationis inhibitione, tum propter eius exſiccationem, tum etiam reuulſionem, quàm incommodum ex eo quod calidam intemperiem prædicta medicamenta adaugeant, quæ poſtea alterantibus, contemperantibúſque, ac lenientibus quibuſdam medicamentis adhibitis curari poterit: cùm priùs quæ redundant ſuperflua in quauis parte vacuanda ſint, & deinde partis intemperies corrigenda, vt apud omnes conuenit medicos, & non econtra, præſertim vbi ea ad partes confluant, in quibus niſi defluxus inhibeatur, omnino inſanabiles affectus pariunt, veluti in hac, de qua loquimur fluxione, contingeret. Vbi verò hæc non impenderent pericula, in calida fluxione poſt redundantium humorum vacuationem, ea quæ infrigidant, pro eius alteratione, capiti admouere hæſitaret nemo, & non calida, cùm ſi caput ex calida intemperie male habet, talia medicamenta noceant: vt igitur eius temperamentum melius reddamus, præſtat ipſum roſaceo perungere, atque æſtatis tempore præſtantius erit, eo quod ex crudo oleo, quod omphacinum vocant, componitur, vti: quemadmodum idẽmet Galenus præcipit ſexto de Sanitate tuenda, cap. nono, damnans medicamẽtum, quod ex thapſia, & ſinapi componitur, cùm ex calida capitis intemperie fluxio fiat, eóſque balneari iubet, frequenti balneo potabilis aquæ, quo & calidos vapores, qui in capite ſunt, euocemus, & totum capitis temperamentum meliùs reddamus: nec minùs balneum ipſum prædictis libro quinto methodi meden. commendauit. prædicti quoque ſunt (eodem Galeno teſte) qui maximè lac requirunt, neglectóque eo omnium maximè ſunt inſanabiles, præcipuè vbi ex capite aliquid in pulmonem defluat, de quo Alexander, Galenum in hoc ſectatus talia protulit verba, Omnes autem lacte vtantur, molli recentique caſeo, præſertim caprillo, aut bubulo: neque enim medicamentum, aut cibus, aut aliud quippiam adeo accommodum ipſis eſt, aut vtile, atque lac, & qui per initia ſolo ipſo conſtanter longiori tempore vſi ſunt, omnes in totum conſanuerunt: aſſumant autem ipſum à balneo aquæ dulcis ad vnguem temperatè calidæ, vtpote iucundiſsima cùm ſit, non modò acres contemperat humores, vt diximus, verùm etiam naturam ad explicandam ſe, atque ad dulcedinem, quam præſtat, quoquo verſus extendendam prouocat, contraria videlicet ratione iis, quæ ſunt iniucunda; ab iis enim recedit, fugitque ad profundum: inducta itaque capra, in ipſam, in qua æger iacet, domum expedit, vt quam minimo tempore extractum ab vberibus lac in aëre ambiente moretur: propterea quòd (vt inquit Galenus ſeptimo methodi medendi cap. ſexto,) celerrimè mutari ſit aptum, ita vt calens adhuc ex mammillis in ægri ventriculum quàm ocyſsimè transferatur: erit inſuper mellis tepidi pauxillum miſcendum, ex eiuſdem Galeni decreto, potiſsimùm ſi cui cogi in ventriculo ſolet, erit quoque & ipſum mel, velut inſtrumentum quoddam digeſtionis ipſius lactis ac celeris tranſitus velut vehiculum, cum eo, quod nec vlceri nocebit, ex eiuſdem Galeni ſententia quarto Methodi medendi, vt paulò ante dictum eſt. Sit autem lactis quantitas ab vnc. iij. vſque ad vj. pro diuerſa corporum natura, ætate, & conſuetudine, ac reliquis: mellis autem, vel roſacei mellis, quo ipſe potiùs vtor, quarta pars, aut medietas vnciæ vnius. Si verò profuſior ex eroſione hæmorrhagia accidat, iis, quæ vehementiſsimè adſtringunt (vt diximus) vtendum medicamentis eſt, quorum copiam etiam paulò ante conſcripſimus, quoad vehemens eius impetus frangatur. reliquo verò tempore iis quæ celerrimè eroſionem lenire poſſunt, modicè ſiccantibus, & ad cicatricem ducentibus vti licet, ex Tralliani ſententia, inter quę principatum obtinet lapis hæmatites cum ſucco polygoni, aut etiam ex aqua ſola tepida, pauco vino, aut lacte exhibeatur. Tribuas verò eiuſdem lapidis hęmatitis in tenuiſsimum pollinem detriti ſcrupul. j. aut ij. paulò ampliùs, minúſve, non ſemel duntaxat, ſed ſæpius. In eundem vſum conferunt bolus arme-

cap. 14

Loco citato.

Libro 5. metho. c. 12 & 7 Metho. ca. 6. & alibi.

Cap. ultimo.

nia,aut terra lemnia,ſi ſimili modo præbeãtur. Sunt quoque & alia medicamenta ſimplicia,& compoſita,quibus ij curioſè vti debent, quæ ſiccam, & acrem qualitatem ſuſtinent,vbi malum prędictis non cedat,& phlegmone ſuperuenerit:quæ tametſi non adeò opitulari poſsint,vt prædicta,eroſionem tamen adhuc latiùs ſerpere non permittunt,quæ porrò exhibenda etiam ægris ſunt,vt lõgiori tempore viuere poſsint:nanque ij ſaltem ex huiuſmodi medicamentis id lucri faciunt,ne (vt diximus) exulceratio vltra progrediatur,ac maior fiat,ſed ſiccata, ac veluti callo durata,longiori vita frui hominem permittat, quanquàm omninò inſanabilis ſit,vt ex eiuſdem Galeni ſententia liquet, præcitato libro quinto metho.meden.cap.14.& nos dicemus ſequenti capite de tabe.

Περὶ πλευρίτιδος. De laterali dolore ſeu morbo. Caput L.

INter eos affectus præter naturam, quibus à læſa particula nomen eſt inditum,vt patet 2.methodi meden.cap.2.connumeratur is,qui à Græcis πλευρῖτις, à Latinis verò lateralis morbus nuncupatur,quamuis,ſi verbum verbo reddatur,non minus lateralis,quàm coſtalis dolor,ſeu morbus appellari deberet: nam quod à Græcis πλευρὰ dicitur,Latinè nedum latus,verùm etiam coſtas ſignificat. Qua ratione πλευρῖτις quoque non magis affectum lateralem,quàm coſtalem ſignificare poterit,verùm quoniam impropriè coſtalis diceretur,cùm coſtę ipſæ haud quaquam in hoc vitio afficiantur, ea de re potiùs à Latinis lateralis, quàm coſtalis morbus, ſeu dolor appellatur, etſi coſtæ ipſæ tam veræ ſcilicet, quàm nothæ eas partes,quas Latini medici latera appellant, occupent. Quòd verò has partes Latini latera nuncupent,teſtis eſt Celſus cap.6.libri 4. cùm dixit,ſtomachus lateribus cingitur, intelligens per ſtomachum gulam ipſam, id

Lib.3.cap.6 quod etiam ſignificauit cap.5.eiuſdem 4.cùm dixit,Faucibus ſubeſt ſtomachus: & cap.1.eiuſdem dicebat, Stomachus interior ad ventriculum fertur. Latera itaque eas duntaxat partes (Celſo auctore) appellare debemus, quæ coſtis ipſis circunſcribuntur, & non eas quas Græci λαγόνας, καὶ κενεῶνας, καὶ λαπάρας, velut quidam intelligi volunt: harum nanque partium Latini nullum habent peculiare nomen,præterquàm ſi illa dicant, vulgò fianchi. Verùm quoniam, non de quolibet laterum dolore hîc pertractare intendimus,ſed de eo duntaxat, qui acutus morbus eſt,ac propriè πλευριτικὸς à Græcis nominatur, vt inquit Celſus:

Cap.3. propterea licebit, hunc non dolorem,ſed morbum lateralem appellare, quo ab

Quid per morbum lateralem intelligendum ſit. aliis laterum doloribus ſecernatur. Sunt nanque laterum complures partes, præter coſtas, & cutim: nempe thoracis, & intercoſtales muſculi, cùm interni, tum externi: nam duo ſunt huiuſmodi muſculorum genera, vt Galenus inquit

Lateralis morbus quid ſit. quinto de Locis affectis,& præter has,ea exiſtit membrana, quæ coſtas cingit, à Græcis ὑμὴν ὑπεζωκὼς, καὶ περιζωκὼς, à Latinis ſubcingens, ſeu circumcingens

Citato cap.3 membrana dicta. Quare cùm morbum lateralem dicimus, non omnes aut plures laterum partes affectas eſſe intelligi volumus, ſed prædicta ſubcingentem coſtas membranam: quamuis vbi ipſa primario affectu infeſtatur, aliquando intercoſtalium muſculorum,internorum præſertim partes ei cõſentiunt, quemadmodum & ipſis primò affectis contingit interdum membranam ipſam ſimiliter eis conſentire. Verùm exquiſita pleuritis, de qua modo ſermonem facimus, erit, vbi cingens coſtas membrana primario affectu laborat, eodem Ga-

2.de locis affect.cap.9 leno auctore,præcitato 5.de Locis affectis. Hæc (inquam) cùm laterum pars vna ſit,non immeritò à parte nomen ſumpſit; quæ nihil aliud eſt, quàm inflamma-

5.de locis aff. cap.3 tio eiuſdem ſubcingentis coſtas membranæ,vt libro de conſtitut.artis medicæ. cap.15,2.& 5.de locis affect.4.de ca. τῶν pulſuum,cap.8.ſecundo de criſib. cap 10.

Pau.li.3.ca.33 & ſexcentis aliis in locis teſtatur Galenus,quē etiam ſectati ſunt Paulus, Alexan

Alex.li.8.ca.1 der,ac Aëtius in propriis cap.Cùm autem inflãmationem dicimus, non ſiccam,

Aetius lib.8 cap.68 ſed humidam intelligi volumus,nec vt ortam à ſanguine optimo, ac mediocrē

crafsit

craſsitudinem obtinente,aut bile duntaxat,ſed ex quouis affluente ſanguine, ſiue optimus fuerit,ſiue biliofus,ſiue pituitoſus,ſiue melancholicus:nãque inflammatio vnaquæque ex alicuius humoris fit ſuperabundantia,Galeno teſte commento aphoriſ.33. 6.lib. Appellat itaque Galenus interdum inflammationem, ex quouis redundante fiat humore,ſiue ſanguis fuerit,ſiue alius quiſpiã, quemadmodum eodem commento, 2.& 5.de locis affect.lib.de conſtitut.artis medi. cap.15.ac ſecundo de differ.febr.cap.9.& ferè innumeris aliis in locis patet. Hoc itaque modo cum eodem Galeno, cùm morbum lateralem, inflammationem ſubcingentis membranæ dicimus eſſe,inflammationem ipſam ſignificari volumus:ex quibus etiam liquet,quòd pars illa lateris,quæ patitur in exquiſito morbo laterali,eſt membrana modò dicta,quæ coſtis ſubtenditur, quemadmodum ſecundo lib.de criſibus,cap.10.quinto de locis affect. cap.3.libro de conſtit. artis medic.cap.15.& pleriſque aliis in locis ſcriptum reliquit Galenus:id quod etiam ex nonnullis indiciis patebit:nam cùm eadem membrana vnum ſit ex ſpirandi inſtrumentis,neceſſariò ea oblæſa,animal difficilem habebit reſpirationẽ. Item ex proprio ſymptomate ipſorum etiam inſtrumẽtorum ſpiritus, tuſsi videlicet, quæ confeſtim ea affecta excitatur,tanquã naturale quoddam accidens, nedum ipſius verùm etiam,& reliquarum partium reſpirationi ſeruientium. Inſuper ex dolore eam poſitu eam affectam eſſe,manifeſtabitur: ſed potiſsimùm ex doloris ſpecie; quoniã pungens erit:nanque hic dolor circa membranas potiſsimùm conſiſtit,ſentientes ſiquidem,vt patet ſecundo de locis affectis, cap. 5. Quapropter ſubcingens membrana,quoniam neruoſa eſt,& partis affectæ ſubſtantia firmatur ad coſtam; quoniam in hac ſitus eſt perpeſſus locus, vt inquit Galen.lib. de conſtitut.artis medic.propterea dolorem inuehit neceſſariò punctoriũ, cùm inflammata ea fit,longéque extenditur, & latiſsimè quoque diffunditur dolor ipſe:quia quæ patitur pars,membrana eſt,ac ad plurimùm ſpacij extenta. Quoniam verò nonnulla alia ſubcingentis membranæ affectæ indicia ſunt, quæ ſimul & affectum indicant:ea de re ipſius affectus dignotionem aggredientes,ſingulas communes notas examinabimus,ac ipſius affectus quoque proprias, qui cum phlegmone ſit,vt diximus,morbuſque in magnitudine,intemperie,ac ſoluta continuitate,ea ratione ex neceſsitate ſymptomata habebit,tumorem præter naturam,ruborem,ac dolorem:quorum duo,tumor.videlicet, & rubor nũc ſub ſermonem non cadunt:relinquitur ergo dolor ſolus,qui ad coſtas firmatur, pungénſquè fit,vt diximus. Verùm dolet homo,quoniam affectus phlegmone eſt: atqui ſpecies doloris punctoria exiſtit,propter aſsignatas cauſas:pulſatorius autem dolor in laterali morbo euenire non poteſt, vt Galenus inquit eodem ſecundo de Locis affectis,cap.3.nanque is dolor per affectus inflammatorios fit,in corporibus ſenſibilibus,propriè & primario affectu exiſtente in ipſis arteriis,aut ſaltem per conſenſum affectis,eo quòd vicinorum contactu premantur. Verùm ſubcingentem coſtas tunicam haudquaquam attingunt arteriæ, & ſi ſenſu prædita ſit; neque ea inflammata per contactum eædem premi poſſunt,ſed vbi coſtis vicina ſit,neceſſario ea ab ipſis comprimitur:arteriæ verò quæ per intercoſtalia vocata ſpacia,& per craſſas,laxaſque laterum partes extenduntur, ac in profundo magis deliteſcunt, premi ab inflammata membrana haudquaquam poſſunt. Conſequitur item inflammationem hanc non modò difficultas reſpirationis in genere,ſed in ſpecie,frequens erit,& exigua, Galeno teſte, tum quinto de locis affectis,cap.3.tum libro de conſtitut.artis medicæ, cap. 15. nam licet inflammationis ratione magna eſſe deberet,vrgente vſu; prohibet tamen dolor, quominus reſpirationis inſtrumenta plurimùm attollantur:quo fit,vt reſpirationis actiones deſinant vſu nondum completo;vnde ad ſecundam reſpirationem pergere citò coguntur:itaque ſpiritus fiat paruus,ac creber neceſſe eſt: non autem multò tardus:etenim dolor non ita grauiter vexat thoracem, vt ex Galeno liquet libro 1.de diff.reſp.cap.9. ob motus velocitatem, ſicut ob dilatationis magnitudinem. Velocitas enim (quamuis circa ipſam actionem ſit doloroſa,ta-

2.de locis aff. cap. 9
5.de locis aff. cap.3

Pars quæ in eo affecta eſt.

Signa.

cap.15.

Quis affectus præter naturam ſit.

Signa eiuſdẽ.

men quia breui tempore omnem motum efficit) minùs thoracem offendit: nanque feſtinat ad quietem, eámque quamcelerrimè aſſequi cupit, tanquã quæ ſola dolorem ex inflammatione lenire poſsit. At dilatationis magnitudo penitus moleſta eſt, tum propter violentiam motus, tum quod comprimit, & diſtendit inflammata, & omnibus modis thoracem dolore affligit: ob id igitur plus de magnitudine, quàm de velocitate reſpiratio adimit. Verùm pro ipſa (ob vrgentem vtilitatem) crebritas generatur: erit igitur in morbo laterali ſpiratio frequens, parua, non admodum tarda, ſed quodammodo celer propter iam dictas cauſas. Comitatur item lateralem morbum neceſſariò febris, tum ob affectum, tum ob ſitum offenſæ particulæ: quippe quæ vicina ſit cordi, quorũ ſi abſit alterum (vt Galenus aſſerit lib. de conſtit. artis medi. cap. 15.) non ex neceſsitate conſequetur febris: neque enim ſi phlegmone digitus doleat omnino febricitant: quoniam à corde longè abeſt, nec cum ſubcingentem membranam ſcirrhus, vel œdema occupauerit. Omni itaque parti, quæ inflammata ſit, hæc neceſſariò duo accidunt, calor immodicus, & tenſio, eodem Galeno teſte, lib. 4. de cauſis pulſuum, cap. 7. Morbus nanque exiſtit in quantitate primo, & ſecundo in intemperie ipſa inflammatio, quæ (vbi pars nobilis ſit, ſeu cordi vicina, vel inſigni prædita inflammatione) vniuerſo corpori impartit ambo: calorem ſcilicet immodicum, ac tenſionem: atqui immodicus calor (ex ſententia eiuſdem Galeni) qui vniuerſum corpus occupat, febris eſt. Non ab re igitur propter aſsignatas cauſas, lateralem morbum neceſſariò febris conſequitur: itaque pleuriticis ipſis (eodem Galeno auctore) neceſſariò accidit reſpirandi difficultas, & lateralis dolor, atque hic cum febre & tuſsi, neque poſsibile eſt pleuriticum eſſe, cui non omnia hæc adſint, vt libro ſecundo de difficult. reſp. cap. octauo liquet. Atqui cùm febris adſit, vſum pulſus alterabit dilucidè, & partis inflammatę tenſio peruadet etiam arterias, quo fit, vt pleuritici pulſum habeant celerem vrgente vſu: & quia neruoſa eſt pars ipſa affecta, inſigniter erit, nedum ratione inflammationis, ſed ipſius etiam partis affectæ: nanque neruoſæ partes præter cæteras in inflammationibus tenduntur, vt quæ ſint ſua ſponte etiam tenſæ, & quia fortiores ſunt, vnà ſecum partes vicinas intendunt, atque ipſas arterias: quo fit, vt propter tenſionem duriores fiant, propter duritiem verò minor erit, quàm febri conueniat pulſus: quare vt & creber fiat par eſt, quòd magnos pulſus calor poſtulet, refragetur autem durities, quantum enim ab vſu abſit magnitudo pulſus, reſarcit crebritas id quod vſui deficit. Habent igitur rectè omnes quos ex inflammatione febris corripuit, pulſum durum: item & ob intemperiem arteriarum, inæqualem in vno occurſu: quæ ſi ambo coniuncta ſint, exiſtet dubio procul ſpecies illa pulſus, quæ veluti ſerrat tactum, vt alia pars arteriæ attolli videatur, alia non: eam enim imaginem concipit, qui tangit, vbi inæqualiter inſtrumentum durum occurrat, quæ inæqualitatis pulſus ſpecies, morbi lateralis proprium ſignum eſt, Galeno auctore libro de pulſibus ad tyrones, cap. vndecimo, & quarto de cauſis pulſuum, cap. octauo. Quamuis omni inflammationi communis fuerit, huic autem non ratione inflammationis modo, ſed pro loci affecti natura peculiaris magis exiſtit, ſiquidem partes neruoſiores duriores edunt pulſus, magíſque ſerrantes, & minores, vt patet præcitatis locis, atque hæ quoque pulſuum differentiæ ex neceſsitate ſubcingentis membranæ phlegmonem conſequuntur. Cæterùm quamuis tuſsis ab affectu ipſo ſeparari non poſsit; ſcreatio tamen poſt tuſsim inſeparabilis quidem minimè eſt, ſed magna ex parte fit. Verùm ſi excreent, colorabitur ſputum neceſſariò, licet nõ ſemper eodem colore inficietur, ſed pro diuerſa natura excrementi in inflammata parte contenti, diuerſus excreationi aderit color, vt dicemus in cauſarum dignotione. Nam cùm in inflammata parte multa ſimul, ac tenuis fuerit humiditas, & ipſa pars rara plurimùm ex ea foras effluit, cùm verò contrà fluxus, paucus, craſſúſque, & ſpiſſum corpus fuerit, minimè ad tuſsim irritat, & nihil ſpuũt, veluti & cùm prouenit copioſiſsimus, tuſsiunt plurimùm, nec pauca expuunt,

Qualis ſit ſpiratio in morbo laterali.

Duo ab inflãmatione inſeparabilia.

Qualis ſit pleuriticorum pulſus.

vt patet eodem libro de conſtit.art.med. Quòd verò dolor quandoque ad hypochondria,interim verò ad clauiculam perueniat,cauſa eſt, tum læſæ naturæ particulæ,tum inflammatio,quæ dolorem efficit extenſiuum. Si nanque ſupernæ partes ſubcingentis membranæ phlegmone confli̇ctentur, ad clauiculam perueniet dolor,vt ipſa trahi deorſum videatur, ſi infernæ, dolor in hypochondrium erumpit. Verùm hæc inter aſsidentia morbi lateralis ſigna connumerantur; fieri (inquam)poterit admodum parua inflammatio ad medium coſtarum,vt neutram ad partem efferatur: quandoque verò magna,in qua ad vtrāque perueniet, neceſſariò tamen vnum quodpiam ex prædictis conſequetur.

Lib. de cõſti. artis medici, cap.15.

Cur dolor ad clauiculã perueniat, & interdũ ad hypochondria.

Ad idem quoq; genus aſsidentium attinet, quòd æger faciliùs in latus patiens, quàm in alterum decumbat: nam euenit interdum, quòd minùs dolore afficiatur,ſi in non affectum latus decumbat,interim verò in vtrunque ſimiliter dolor excitatur; licet vnum ipſorum neceſſariò pleuriticos comitetur, vt eodem libro de conſtit.art. med. Galenus fatetur. Nanque cùm duplex ſit ſubcingens membrana,ſi pars eius exterior circa oſſa valentius phlegmone infeſtetur, faciliùs in oppoſitum declinantur ægri: opprimuntur enim ſi ſuper affecta cubent parte. Quòd ſi pars altera,quæ intus eſt (id quod magna ex parte accidere conſueuit) in oppoſitum magis decumbentes dolebunt: ſuſpenſa enim ipſius eſt pars phlegmone vitiata, ſin in latus perpeſſum,minùs. Non enim ad oſſa comprimitur, nec pendet, ſed ab horum vtroque libera euaſit, ac ſuper inoffenſa parte altera firmata eſt. At affectis ambabus ſuccingentis coſtas membranæ partibus,ſuper latere vtroque ſimiliter decumbunt. Non ab re igitur inter aſſidentia ſigna hæc à Galeno connumerantur, quorum natura eſt, non eſſe à morbo inſeparabilia, ſed aliquando ſimul inuadunt, aliquando ſuperueniunt, nonnunquam autem neque omnino veniunt, vt patet commento aphoriſ. 12. libri primi, & libro de conſtit. artis med. quoniam ex his ſunt, quæ ſæpè morbis accidunt, vt idem Galenus inquit tertio de morbis vulgaribus. Ex eiſdem verò his omnibus magnitudo, ſeu paruitas prædicti morbi lateralis deſumitur, magnitudo videlicet, ſeu paruitas in ſpecie ſua potiſsimùm: nam velut ſi ingens fuerit dolor, iſque punctorius valde, maxima anhelitus difficultas, valida febris,ac ingens quoque tuſsis,aſcenderitq; ſimul dolor ad iugulum, ac ad hypochondrium pertineat, decumbantq; laborantes ſuper vtroque latere difficulter,nihilque cum tuſsi expuant,maximam fore inflammationem indicant: ſic ſi exigua prædicta fuerint, dolor videlicet, febris, anhelitus difficultas, ac tuſsis,cum qua aliquid expuant coloratum, ac promptè ſtatim, ad neutramq; partem dolor efferatur,ac non ægrè ſub vtroque latere decumbant, exiguam fore pleuritidem manifeſtabunt: nam ſpecies quidem morbi ex proprijs accidentibus dignoſcitur,magnitudo verò ex eorundem quantitate, Galeno teſte tertio de criſibus.

Lib. de cõſti. art.med. c.15.

3. de morbis vulg. cõmen.3. commen.24.

Ex quibus magnitudo, ſeu paruitas morbi lateralis arguitur.

Sunt præterea alij laterum cum febre dolores, per quos ſpirationem exiguam reddi neceſſe eſt, ſed nullum redditur ſputum, vt in ea re nihil à pleuritide ſine ſputo differre videantur. Verùm hi facilè (vt inquit Galenus libro quinto de locis affectis) ab illis diſcerni poſſunt: nanque in his nulla omnino tuſsis eſt,aut fortè exigua valde,illi verò,qui ſine ſputo morbo laterali laborant,ſicca tuſsi valde moleſtantur: præter hæc neque tenſionem, neque duritiem vllam refert pulſus; item non æquè acuta febre laborant, neque adeò difficulter ſpirant, preſſoque nonnullis eorum extrinſecus inflammato loco dolere ſeſe fatentur, atque hi per ſputum non purgantur: quia ab initio nihil eius ſucci, qui inflammationem excitauit, ad thoracis ſpacium peruenire ſolet: verùm concocta inflammatione (vt idem Galenus teſtatur) niſi pus prius diſcutiatur,ad cutem vſque attollitur, atque inciditur. Interim quoque laborantes pulſatorium ſentiunt dolorem,vt patet ſecundo de loc.affect. vocantque iuniores Medici pleuritidem hanc non veram,cùm in externis intercoſtalibus muſculis, & non in ſubcingenti membrana,ac muſculis internis illi continuus inflammatio fiat; quemadmodum etiam Aëtij auctoritate,cap. vltimo lib. 8. ex

cap. 4.

Aliorum lateraliũ dolorum ſigna.

Cap. 3.

Loco citato.

cap. 3.

cruditatibus plurimis,cibiſque craſsis, ac pituitoſis, velut ſunt bulbi, ac fungi, & conſimiles crudi humores, viſcoſique,& tenaces in corpore generantur, qui aliquando repentè ſe in vacuum thoracis locum ingerunt, aut in ipſum etiam pulmonem: qui ſua multitudine ſubcingentem coſtas intrinſecus membranam diſtendentes, inferunt dolores, quin etiam viam ſpiritus intercipientes vehementem ſpirandi difficultatem induunt, vt imaginatio genitæ inflammationis inexpertis exhibeatur, quem etiam dolorem lateralem conſueuerunt recentiores Medici, non veram pleuritidem nuncupare; & velut priùs dicta notha pleuritis dicitur ratione partis affectæ, hæc quoque ratione cauſæ non vera nuncupari poſſet, quæ quomodo dignoſcenda erit, ac ab exquiſita pleuritide interſtinguenda, idem Aëtius præcitato loco fuſiſsimè ſcriptum reliquit: nanque exquiſitæ pleuritidis cauſa (Galeno auctore,libro de conſtitu. art. med. ſecundo de criſibus,ac ſecundo de locis affectis,ſecundo de differ. febr. ac pleriſque aliis in locis) affluens ſanguis eſt,aut optimus, mediocremque craſsitudinem habens, aut bilioſus, aut pituitoſus, aut melancholicus, quamuis ſæpenumerò magis bilioſus ſit:percipies autem horum quodlibet potiſsimùm ſi expuant,ex diuerſo ſputitionis colore; nanque coloratur ſputum pro humoris ratione,qui in parte inflammata continetur.Quapropter rubrum quidem fit; vbi ſanguis in ſubcingentem membranam fluxerit, flauum, aut pallidum, ſi bilioſus fuerit ſanguis; ſpumans, & candidum,ſi pituitoſus; nigrum,aut liuidum, ſi melancholicus. Ex corporis item temperatura, ætate, ac habitu, conſuetudine,ac præcedente victus ratione,necnon anni tempore,regione, aërisque conſtitutione,diuerſis,haud ægrè qualis fuerit redundans ſanguis, qui morbum lateralem excitauerit, ſimul cum prædictis ſputis percipere valebis. Cæterùm fieri quoque poteſt, vt ob hepatis inflammationem in notharum coſtarum loco quiſpiam doleat, intentis videlicet internis vinculis, quibus nonnullorum iecur coſtis alligatur,vt Galenus aſſerit ſecundo de locis affect. c.9.atq; ſic dolor ad ſubcingentem coſtas membranam perueniat: ita vt pleuriticus eſſe videatur. Verùm nonnullis notis diſcernetur, eodem Galeno, ac Paulo teſtibus: Nam neque in iocinoris inflammatione punctorius aderit dolor, neque pulſus adeò durus, qui & ſerræ modo tactum ſecet, velut in morbo laterali, & ſi affectus qui propriè iecorarius nominatur, cum iocinoris inflammatione aderit, erunt alui ſedimenta ſimilia aquæ,in qua nuper mactata caro fuerit abluta, id quod haudquaquàm in pleuritide euenit, ab exigua quoq; tuſsi irritantur qui hepatis inflammatione laborant, eaque perpetuo ſicca erit. At thorace affecto tuſsis increſcit, & eo tempore omnino apparent ea, quæ tuſsiendo expuuntur, Galeno teſte,ſecundo de locis affectis, necnon lingua, facies, & vniuerſi corporis color alteratur,iecore affecto,ac pallidi fiunt, decoremque amittunt, Paulo,& Tralliano teſtibus; aderitque dolor ad nothas coſtas in dextro laborantis latere, grauatiuus magis, vt interim ægri iugulum ad infernas partes detrahi ſentiant. Hiſce notis iocinoris inflammationem à laterali morbo interſtinguere valebis,quemadmodum Galenus à Glaucone philoſopho ductus ad Siculum Medicum iocinoris inflammatione laborantem cognouit, quem priùs tãquam pleuriticum curauerant Medici,velut quinto de locis affect. ſcriptum reliquit. Reliquum eſt, vt ad prognoſtica deueniamus, quorum primum Hippocrates aphoriſ.8. quinti lib. ſcriptum reliquit,dum dixit, Quicunque morbo laterali laborantes,in quatuordecim diebus non repurgantur,ij ad ſuppurationem vertuntur: præfiniuit ergo tempus purgationis morbi lateralis in hoc aphor. Hippocrates,in quo ſi non fiat,in ſuppurationem ait verti: & aphor. 12. libri primi dicebat,Si circa initia ſtatim in morbo laterali ſputum appareat,morbum breuiat: ſi verò poſteà appareat,producit: intelligens per principium non ſtantaneum,& citra latitudinem, nec prout eſt vnum de quatuor morbi temporibus, ſed prout extenditur vſque ad tertium diem: triplici nanque modo iam dicto principium ipſum intelligi poteſt,ex Galeni ſententia,tum commen. prædicti aphor.

Exquiſitæ pleuritidis cauſa.

Lib. de conſtit. artis medic. cap. 15.
2. de criſib. cap 10.
2. de loc. affe. Cap. 9.
2. de differen. febr. cap 9.
Signa cauſarum.

Quibus indicijs diſcernatur lateralis morbus ab hepatis inflammatione.

cap. 9.

Cap. 7.
Prognoſtica.

aphoriſ.12.libri primi,tum primo de criſibus. Quapropter crudiſsimum eſſe lateralem morbum, in quo nihil omnino expuitur, Galenus aſſerit, quem incoctam pleuritidem nominant, ita vt vel celeriter hominē rapiat, vel longo temporis ſpacio finiatur,vt quinto de locis affect. liquet. Secundum ordinem obtinet ille morbus lateralis, in quo ſanies tenuis expuitur. Tertium, in quo craſſior; & quartū,in quo perfectam habet concoctionem. Quòd ſi apparuerit circa tertium,vel quartum diem,non contingit morbum tranſcendere ſeptimum: in aliis verò ſingulis neceſſe eſt, vt pro concoctionis modo menſura temporis conſequatur: quamuis magna ex parte (vt diximus) lateralis morbus terminū ſuę iudicationis habeat quartumdecimum, & ſi non hunc, ſaltem omnino vigeſimum,vt eodem commento aphoriſ. 12. lib. 1. patet: idq; verificauit etiam in Anaxione,de quo Hippo.3. de morb.vulg.ſcriptum reliquit: quamuis ad trigeſimumquartum diem extentus fuerit morbus,quoniam ab initio non expuebat,ſed & octauo die adhuc tuſſes ſiccæ ſubſequebantur; vt Hippoc. inquit eodem loco.Cæterùm ſi in pleuritide pulſus fuerit magnoperè durus, paruus etiā atque creberrimus, indicium erit lethale, ita vt pleuriticus cum tali pulſu nemo fuerit ſeruatus,ex Galeni decreto 4. de præſag.ex pulſ. Maximum quoque ſignum prognoſticum ipſius pleuritidis præbet pulſus ſerenitas: nam ſi ea remiſſa ſit,mollem,& probè maturandam inflammationem indicat; ſi verò magna,difficilem,& admodum crudam,quæ ſi cum imbecilli facultate coniuncta fuerit, periculum, ſi cum firma,aut tardè concoquetur,aut ad ſuppurationem deflectet,aut tabidus eam excipiet marcor, ex Gale. decreto lib.de pulſ. ad Tyrones,& quarto de cauſis pulſ. Screatio verò ſine dolore, citò, prompteq; facta mitiſsimum quidem eſt pleur.ſignum,potiſsimùm vbi permixta appareat cum ſcreatione admodum flaua bilis,Hippocr.auctore,ſecundo prognoſt.At ſi quod expuitur, concoctum fuerit,adhuc magis mitiſsima erit,Galeno teſte, libro de conſtit.art.med.nihil verò expuere exitiale eſt, partim quòd fluxum declaret à phlegmone deuinctū,partim quòd totus (propterea quoniam intus maneat) corrumpetur.Ex diuerſo item excreationis colore, prout diuerſam indicat inflammationis cauſam,poſſumus indicia prognoſtica aſſumere: nam pernicioſiſsimus eſt melancholicus humor præpollens,id quod indicabit ſputum nigrū, aut liuidū: tum quòd & prædictus ipſe ſit morbus peſsimus, & maximè erodat, concoquaturq; ægrè,nec facilè expurgetur, vt Galenus inquit, eodem lib. de conſtit.art.med.tum quòd plurimæ ſit caliditatis index, à qua aſſatus, genitus eſt.At æquiſsimus omnium eſt ſanguis per cruentum ſputum, ac rubrum indicatus: vtpote qui dulciſsimus exiſtat,& concoctu facillimus. Reliqui verò duo humores inter hos medij ſunt,quod ad ſimplicitatem, malignitatemq; attinet, Morbo verò laterali, ſi pulmonis inflammatio ſuperueniat, malum eſt, ex dictis Hippocr.aphor.11.lib.7.cauſam reddit Galenus in commento; quo etiam loco aſſerit,quòd non admodum conſequi ſolet morbus lateralis ad inflammationem pulmonis. Cæterùm ex quacunque cauſa morbus lateralis ortus fuerit, pro eius curatione talis inſtituatur victus ratio. Aër eligatur temperatus,parum tamen ad calidum inclinans: nam frigidum neruoſis partibus, eiſq; affectis eſt inimicum,Hipp.auctore,apho. 18: lib.5.dolorem quoque inſuppurabilem facit. Somno vtantur longiori, quàm vigilia, à motu omnino abſtineant, iniungendaq; quies erit.Aluus quoque aſsiduè ſubducatur, lenioribus præſertim clyſteribus,cauēdum tamen ab acrioribus. Immodicas animi perturbationes vitent, iram potiſsimùm, metum,ac mœſtitiam. Cibus ſit quāmaximè tenuis, & lenis, præcipueq; ſorbitio,vt placuit Celſo,eodem cap.6.lib.4. Sorbitio autem ex ptiſana potiſsimùm, nihil verò detur (vt ipſe inquit) quod aut refrigeret corpus, aut fauces aſperet: qua ratione acria,acida ſalſa,& adſtringentia vitanda ſunt. Verùm Alex,ptiſanæ cremorem largiter decoctum, donec id quod flatuoſum eſt,depoſuerit,pro cibo commendat: quòd ſi humor ægrè ducatur, amygdala purgata,leuigataq; ptiſanæ incoquenda commiſceto,vt ipſe inquit, quo humor

1. de criſib. cap.6. & 7.
1. aphoriſm. com.men.12.
5.de loc. affe cap. 3.
comment.3. tex.79.
Lib.de pulſi. ad Tyr. c. 11. & 4. de cauſis pulſ.c.8.
2. prognoſt. text.43. & 44.
Lib.de conſtit. art. med.c.16.
cap.16.
Morbi lateralis curatio.
Lib.6.cap.1.

magis eductioni paretur. Cremor item amygdalarum per ſe exhiberi poterit, eiuſdem præcepto, paulum ei mellis adiiciens, præcipuè ſi ex pituitoſo ſanguine pleuritis ortum ducat; commodiùs tamen erit, eiuſdem Tralliani ſententia, mane ptiſanæ cremorem, veſperi amygdalarum ſuccum offerre. Noſtris verò temporibus expurgatis, ac contuſis amygdalis, cum eis & aqua panem decoctum pro cibo exhibemus, aut cum eiſdem amygdalis ptiſanam paramus: & ſi vires imbecilliores fuerint, in gallinarum iuſculo panis micas decoctas pro cibo exhibemus, potiſsimùm vbi alios cibos æger faſtidiat; ex amygdalis quoque & ſaccharo panes quidam dulciarij efficiuntur, quos prædictis pro cibo offerimus. Olera vitanda ſunt, niſi lingua ſcabra ſiticuloſaque, & febris ingens appareant: tunc enim abſurdum non erit (vt idem Alexander inquit) aut maluæ, aut intybi decoctú exhibere: ſimiliter cunctis pleuriticis dulcia mala decocta potiſsimum dari poſſunt, ea præſertim quæ apia nominamus. Potus ſit aqua hordei, vel radicem glycyrrizæ, ſeu paucum cinnamomum in

Loco citato. ea decoquas: ipſa quoque aqua tepida per ſe exhiberi poterit, Alexandro auctore; interim & aqua mulſa, potiſsimùm vbi ex pituitoſo ſanguine ortum ducat pleuritis. Vbi verò paulum morbus ſe remiſit, alimenta pleniora, & vini quoque aliquid dari poteſt, ex Celſi ſententia: ſic etiam vbi vires admodum imbecillæ videantur inſtituta autem modo dicta victus ratione pleuriticis, diſſerendum primò erit, nunquid pro eiuſdem morbi lateralis curatione, perpe-

Quòd nõ perpetuò inſigni uacuatione morbus lateralis curari debeat. tuò vtendum ſit inſigni, ſeu notatu digna vacuatione, quæ aut per ventrem, aut per venæ ſectionem fiat? hæ nanque in morbis acutis inſignes erunt vacuationes, Galeno teſte, primo de ratione vict. cui reſponſum volo, quòd non perpetuò prædictis vacuationibus vtendum erit pro cuiuſuis pleuritidis curatione: nam cùm laborantis phlegmone partis momentum omne conſiſtat, vt Galenus inquit libro de conſtitutione artis med. & 13. metho. meden. in redundan-

comment. 1. li. de conſti. art. med. cap. 17. et 13. metho. c. 9. tis in ipſa ſanguinis euacuatione: vacuatio autem in his affectibus excogitatá eſt duplex, aut tranſlato ad alias partes, qui in ægra continebatur, ſanguine, aut foris à corpore expulſo: at qui extra corpus educitur, aut ſenſibili effluxu, aut ratione tantùm contemplabili perficitur. Si igitur fieri poterit, vt qui continetur in ſubcingentis membranæ phlegmone ſanguis per halitum digeſtus, extra corpus educatur, & proinde pleuritis curetur, fruſtra quiſpiam tentabit validiora auxilia afferre, venæ inquam ſectionem, aut purgationem: cùm abſque iis curari ea poſsit. Probè autem id perficies, vbi exigua pleuritis fuerit, ac mitiſsima, & in toto corpore humorum non aderit redundantia, id quod ma-

text. 1. gnus Hippocrates nos docuit libro ſecundo de ratione victus in morbis acut. cùm dixit, lateris dolorem, ſiue is per exordia fuerit, ſiue poſtea obortus ſit, tentare calidis fomentis diſſoluere, non ab re exiſtit; nempe fomenta calida (vt Gale. in commento inquit) cutim ipſam ad reſpirationem rariorem efficiunt, inflammationiſque ſanguinem tum tenuare, tum per halitum digerere conſueuerunt; quæ ſi facta fuerint, non ſolùm ſanguinis aliquid euacuabitur, verùm quoque & affectæ, quæ minùs diſtenduntur partes mitiùs exinde, & manſuetiùs dolebunt: id autem proueniet ſemper, vbi non adſit in toto corpore humorum redundantia, ac morbus lateralis mitis ſit: qua curationis ratione ipſemet Galenus teſtatur quendam ægrotum citra venæ ſectionem curaſſe, aliis congruentibus remediis vtens, qui morbo laterali, eoque miti laborabat, vt

Comment. 3. patet ſexto de morbis vulgarib. ſimilis ſententiæ eſt Celſus, qui ſuperuacuum

cõment. ulti. eſſe auxilium ſanguinis miſsionem teſtatur, ſi leuior fuerit pleuritis, quemadmodum ſerum, vbi vetuſtior caſus ſit: Alexander quoq; hanc ſententiam ſcriptam reliquit, cùm dixit, Ne igitur temerè ſanguinem dimittas, neque purges, vt vulgò faciunt, niſi exquiſitè didiceris humorem qui inflammationem peperit copioſum eſſe, & in toto corpore ſuperare. Relinquo Paulum qui (vbi vires non patiantur) neutrum facere oportere iuſsit tanquam cuilibet Medico notum, & Aëtium, qui de notha pleuritide verba faciens, ſic aſſerebat, Quòd ſi

medioc

mediocris infeſtet dolor, & non pungitiuus, neque adſit tuſsis, neq; febris acuta, non eſt opus magna remedia adhibere. Verùm citra controuerſiam in vera pleuritide, viribus valentibus, cum Hippocrate, Galeno, ac Tralliano firmiter concludimus (modò mitior ſit pleuritis, citra humorum in toto corpore redundantiam) nec venæ ſectione, nec purgatione vtendum eſſe, verùm eam curari debere calidis fomentis, ac reliquis medicamentis, quæ digerendi per halitum, cutimque rarefaciendi vim habeant: quomodo autẽ ea parari debeant, infrà patebit. Sed mox quæret quiſpiam nunquid non habita adhuc notitia diſtincta, quòd in toto corpore humorum redundantia non adſit, poſſumus indifferenter calidis fomentis rectè vti, nulla præcedente ſanguinis miſsione, aut purgatione? Cui reſponſum ſit, quòd & calidis fomentis vti poteris; nam & ea maximè tibi copiam manifeſtabunt, vt inquit Alexander, vtpote ſi fomentis dolor non mitigetur, vt idem Hippocrates ſimul cum Gale. eodem ſecundo de ratione victus in morbis acutis tex. 2. ſcriptũ reliquerunt: & proinde periculum faciendum eſſe iubent calfactionibus, fomentiſque calidis; deinde ſi iis minimè fuerit ſolutus morbus, quinimò dolorem augeri cõtingat (propterea quòd pars quæ calore afficitur, plus trahit, quàm euaporet) abſtinere ab eis oportet: nam quæ calfaciunt ſuaptè natura, hæc vt quod vicinis continetur partibus, digerunt, ſic & quod redundat, ex propinquis trahunt. Quare non diutiùs calfaciendum erit, vbi fomenta dolorem non ſoluerint; quoniam in toto corpore humorum redundantiam adeſſe indicant: & propterea corpus totum inſigni aliqua euacuatione præuacuabis, vt Galenus inquit, quemadmodum ſi fomentorum, & ſacculorum vſu (vt ait Alexander) dolor moderatior euadit, vt etiam æger manifeſtò recreationem ſentiat, copiam non eſſe intelligito, ac cum fiducia fomentis vtitor, & auxilia parti inducito, diſcuties enim id quod offendit, quodque inflammationem excitarit. Quapropter ſecuriſsimum erit in omni pleuritide fomentum adhibere, tanquam omnino aliquam afferens vtilitatem, vel vt cauſa ſanitatis, & auxilium corpore non exiſtente pleno, vel tanquam ſignum ad dignotionem, nec minùs & eo tempore aliquod afferens mediocre leuamen, ex quo nos diſpoſitionem comprehendentes, ad totius corporis vacuationem peruenimus, quemadmodum pro curatione doloris oculorum commento aphoriſ. 31. ſexti libri, Galenus decretum reliquit. Cùm itaque anceps fueris, ac nondum exactè noueris, num lateralis morbus exiguus, ſeu mitis fuerit necne, ac non omnino perceperis corpus totum plenum eſſe, aut in eo humorum redundantiam non adeſſe; tutò calidis fomentis primò vtare: nam vel ipſum ſanabis, aut ex eiſdem nedum dolor mitigabitur, ſed augeri eum videbis, & tunc redundantiam humorum in toto corpore indicantibus corpus totum inſigni aliqua vacuatione præuacuabis, vt diximus ex Galeni ſententia. Hac quoq; curandi via vſus fuit Hippocrates in Anaxione pleuritico, cui adhibitis fotibus primò, cùm dolor nihil remittebatur, & febris intenderetur, ac grauiùs in ſeptimo ſe haberet, octaua die venam ſecuit, vt patet eodem tertio de morbis vulgarib. Lateris igitur dolorem, ſiue is per exordia fuerit, ſiue poſtea obortus ſit, tentare calidis fomentis diſſoluere, non ab re exiſtit, inquit Hippocrates: in qua Hippocratis ſententia nonnulli allucinantur, opinantes eum talia adhibere medicamenta, non vt eiſdem pleuritis curetur, ſi totum corpus humorum redundantia vacabit, ſed vt dignoſcatur duntaxat, ac manifeſta affectio ſit: verùm qui talia effutiunt, non animaduertunt ignorantiæ notam Hippocrati tribuere, qui non nouiſſet exactè morbum lateralem, priuſquàm fomenta calida adhibuiſſet, id quod de tanto viro haudquaquam aſſerẽdum erit: ſimulatq; patefaciunt eorum inſcitiam in curandis inflammationibus; in quibus momentum omne (vt dictum eſt ex Galeni mente) conſiſtit in vacuatione ſanguinis, qui in ipſa inflammata parte continetur: atqui vnum, ac præcipuum vacuantium auxiliorum genus, per iam dicta fomenta calida perficitur, quæ extra corpus educunt ſanguinem tenuantia, ac per halitum digerentia:

Nunquid indifferenter in omni morbo laterali, nulla præcedente inſigni uacuatione, poſſumus calidis fomentis uti.

Cur Anaxioni fuerit octaua die ſecta uena.

comment. 3. tex. 79.

Allucinatio quorundam in dictis Hippocratis.

tentat itaque Hippocrates prædictis calidis fomentis dolorem diſſoluere primò, vt qui non ignorauerit hac via inflammationes curari poſſe, ac debere. id

Cap. 3.

quòd Galenus confirmauit, libro de inæquali intemperie, dum dixit, verùm digeſtio optanda maximè curatio eſt: de inflammatione loquens. Verùm vbi ex humorum in toto corpore redundantia hic curationis modus impeditus fuerit, vtpote ſi ex iis dolorem augeri contingat, immutandus tunc erit curationis modus, ex eiuſdem Hippocratis, ac Galeni ſententia, id auferens primò quòd talem curationem interpellat, aliquo inſigni auxilio, venæ inquam ſectione, aut purgatione, vel vtriſque: deinde iterum ad calida fomenta rediens, ſiquid inflammationis relictum ſit, eiſdem curabis: nam vehementes dolores à corporis vacuatione leniendos eſſe, præcipit Paulus prædictis fotibus, ac ſacculis calidis, cùm videlicet exactè noueris in toto corpore humorum adeſſe redundantiam. At ſi id non exquiſitè cognoueris, ſtatim à principio eis vtare, ex Hippocr. Galeni, ac Alexandri monumentis, ſimul atque & rationibus priùs

Num exiſtẽte humorum redundantia in toto, ſemper exordiẽda ſit curatio à venæ ſectione.

dictis inſtructus. Cæterùm, vbi in toto corpore aderit humorum redundantia, vt inſigni aliqua ipſum totum corpus euacuatione indigeat, cùm bifariam ea fieri poſsit, venæ inquam ſectione, aut purgatione, diuiniſsimus Hippocrates, vtpote qui pro vacuatione per conferentia loca facienda, humorum propenſionem, partiſque affectæ naturam ſemper conſpexerit, vt aphoriſ. 21.1. & 9.4. lib. liquet, cùm dolor ad clauiculam pertigerit, interdum cubiti venam ſecari iuſsit. Si verò eas, quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt partes, dolor infeſtauerit, nullumque ad clauiculam ſignum fecerit, inflammatis videlicet thoracis inferioribus partibus, prope ſeptum tranſuerſum, per inferiorem ventrem purgare

2. de rat. vict. tex. 10. & 11. 4. de rat. vict. text. 73. 74. 75. & 76.

præcipit, quemadmodum ſecundo de ratione vict. ab eo decretum eſt, & quarto eiuſdem ſcriptum reperitur. Hanc quoque ſententiam poſt Hippocratem ſectati ſunt Paulus, Aëtius, & Alexander, idque perpetuò ſeruandum eſſe cenſerem, duobus duntaxat priùs conſideratis; quorum primum eſt eiuſdem Hippocra. lib. de med. purg. quòd laborantes videlicet validiſsimis febribus correpti non fuerint, nam iis medicamenta purgatoria dare non oportet, donec re-

Quòd ſeruanda ſit Hippoc. ſentẽ. in cura morbi lateralis.

miſerit febris, vt ipſe inquit: qua ratione in acutis morbis raro, & in principiis purgantibus medicamentis vtendum eſt, eodem Hippocrate auctore, aphoriſ. 24. libri primi. Secundum, quòd magnoperè animaduertere oportet; eſt ipſius laborantis natura, quæ niſi exactè cognita fuerit, eamque expertus fueris, quomodo in medicamentis purgantibus ſe gerat, metus erit, ne eo exhibito plus iuſto vacues, vel nullo pacto vacuationem moueas, aut ſi moueris, non tamen ſufficienter vacues: quæ omnia (vt inquit Galenus eodem ſecundo libro de ra-

commen. 11.

tione victus in morbis acutis) magnas in morbis acutis pariunt offenſas, præſertim ſi cum febre fuerint, neque facile emendantur. Cùm itaque febris in pleuritide vehemens non fuerit, hominiſque naturam noueris, atque expertus fueris, ſi dolor inferiores thoracis partes prope ſeptum tranſuerſum infeſtauerit, ad hypochondriumque ſe extenderit, ad medicamenti purgantis potum te conferes, iuxta Hippocratis atque Galeni decreta. Verùm quoniam ſæpiùs, imò ſæpiſsimè pleuritum febris vehementiſsima comitatur, etiam ſi dolor ad inferiores partes finiatur, laborantiumque natura magna ex parte incognita eſt, qualiſnam ſit, quinimò adamuſsim ipſam nouiſſe non liceat, vt li-

cap. 14. 3. meth. cap. 7.

Quòd tutius ſit ſemper venam ſecare ex Gal. decreto.

bro de curan. ration. per venæ ſectionem, liquet, nam ſi cuiuſque priuatim naturam explorare ad vnguem ſcirem (vt Galenus aſſerit tertio method. med.) vtique qualem fuiſſe Aeſculapium mente concipio, talem me eſſe putarem: ea propter etiam ſi ad hypochondrium dolor peruenerit, tutius multò exiſtit per venæ ſectionem, quàm purgationem vacuare; & ſi minus auxilium ſequatur: nullum nanque ex eo quod per venæ ſectionem fit, periculum impendet, eo diſcrimen maximum ſubeunte, quod per purgationem tentatur, potiſsimùm ſi (vt diximus) laborantis naturam expertus non fueris: nanque alij difficulter natura purgantur, alij modico aſſumpto medicamento purgantur copioſè, ex

eiuſdem

eiuſdem Galeni ſententia, eodem ſecũdo libro de Ratione victus in morbis acut. nec propterea ipſum ab Hippocr. ſententia receſsiſſe opinandum erit, vt quidam temerè autumati ſunt, nempe idem Hippocrates primo de Morbis vulgari. dicebat, Te ad hoc exerceto, morbis vt proſis, aut ne quid noceas. At proderit pleuritico cuilibet (ſi humorum adſit redundantia in toto) venam ſecare, ídque ſecurius multo exiſtit, Galeno teſte, ſi febris vehemens fuerit, incognitáque ac inexperta laborantis natura, nullúmque per venæ ſectionem, veluti per purgationem, periculum impendet. Igitur venam audacter ſecabis, dolore etiam ad inferna deſcendentes quamuis ex ea minus conſequatur auxilium, ſic nanque tutò curabis: nam vt tutò cures, tria propria ſunt, quibus intentus ſis, oportet, Galeno auctore decimoquarto methodi medendi. quorum vnum, primúmque eſt, vt omnino abſolutionem operis conſequaris: alterũ, vt ſicubi non conſequaris, ſaltem cubantem non lædas, tertium, vt vitium non facilè reuertatur: præcipit nanque Hippocrates in ea duntaxat pleuritide, in qua dolor ad iugulum vſque peruenerit, venam ſecare; in ea verò in qua ad imas partes dolor ſe extenderit, purgationem dummodò febris vehementiſsima non ſit, aliàs ſibiipſi pugnaret, vt qui in præcitatis locis contrarium aſſeruit. Atqui nec ipſe negaſſet (vtpote cùm periculoſum ſit eiſdem purgans medicamentum) cognitam priùs, atque expertam debere eſſe ægrotantis naturam, vt Galenus inquit: Verùm vbi hæc non adſint, cùm tutiùs per venæ ſectionem curare poteris, ea indifferenter vti, ſi virtus, aut ætas, ac reliqua non prohibeant, neque ipſe inficiaretur, potiſsimùm cùm morbis prodeſſe, aut ſaltem nequit nocere, nos exercendos eſſe doceat, vt diximus, id quod nec Celſus negaſſe videtur, cùm dixerit, Remedium verò eſt magni, & recentis doloris ſanguis miſſus. At cùm decretum ſit tutius eſſe ſemper venam ſecare in his, qui euacuatione totius corporis egent, quàm purgante medicamento vti, mox venit in dubium, ex qua vena ſanguis mittendus erit, ídque nõ ab re, nam in hoc nedum Arabes cum Græcis, ac ipſimet Græci auctores inter ſe, verumetiam iuniores medici, etiam hi, qui Galeni doctrinam profitentur, magnopere digladiantur. Verùm nos quibuſdam priùs prælibatis, id quod cum Hippocrate, & Galeno ſentiendum ſit, de hac re breuiter enuntiabimus, quorum primum, ac præcipuum eſt, iuxta Galeni ſententiam, cùm libro de curandi ratione per venæ ſectionem, tum nono methodi meden. cap. 11. quòd venæ ſectio interim ſanguinis vacuandi cauſa adhibetur, ceu vacuantiũ præſidiorum vna; probè autem hanc adminiſtrari conuenit, cùm ſanguis ipſe fiat naturæ inutilis; atqui bifariam contingit eum naturę inutilem fieri, vel cùm propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, vt nec amplius nutrire poſsit, ſicut priùs cùm vtilis erat, vel cùm ita multitudine creuerit, vt aut vires premat, plethoram quoad vires generans, aut tum venas, tum arterias, vel diſtendat, vel findat, vel obſtruat, quoad vaſa eo tempore plethora genita. interim verò ceu reuulſorium auxilium ſit, ea vtimur, vt humorũ vehementiorem impetum ad diuerſam partem reuocet, vel per propinqua deriuet. Nam non contemnenda venæ ſectio eſt, tanquam non ſit auxilium reuulſorium, vt Galenus inquit eodem libro de curan. rat. per venæ ſectionem, cap. 11. cùm per eam auertatur ſanguis, atque ad alia membra conuertatur; ídque bifariam fieri poterit, vel ad proxima deriuatus, vel ad cõtraria reuulſus, vt diximus, illud παροχέτευσιν, hoc ἀντίσπασιν, Græci vocant, vt idemmet libro quinto meth. med. cap. 3. teſtatur Galen. verùm perpetuò memoriæ tenendum, ex eiuſdem Galeni decreto, quòd ſiue vt vna vacuantium præſidiorum venæ ſectione vtaris, ſiue pro reuulſorio auxilio, ſemper poſtulat valentes vires, quæ modo vacuationis ejus reſpondeant, ad hęc nanque reſpiciẽtes ſanguinem detrahimus, aliàs ſemel, aliàs bis, vel ter, vel ſæpiùs, vt ipſe inquit eodem nono meth. meden. cap. 11. Accedit ad hæc, quòd licet deriuatio ſemper ad vicina loca fiat, reuulſio tamen ad contraria efficitur, non vno duntaxat modo, ſed humoribus ſurſum fluentibus, deorſum reuulſio molienda erit; deorſum verò ſi ſurſum: ſin ad dextram incli-

Quòd Gal. in hoc nõ cõtradicat Hippoc. comment. 11 1. de mor. vulga. cõment. 2. tex. 49

Gal 2. de rat. vict. cõmen. 13

cap. 1

Ex qua vena ſanguis mittendus ſit.

Lib. de curan. rat. per venæ ſect. per totũ, præcipuè c. 19

Primum ſuppoſitum.

Secundũ ſuppoſitum.

Tertium ſuppoſitum.

nent,ad ſiniſtram,ad ſiniſtram verò abeuntibus,in aduerſam partem; intro autem vergentibus,foras; ac rurſus foras ruẽtibus,intro:ſic quæ retrorſum fluxiones fiunt,reuocabis antrorſum:quę verò antrorſum,contra retrorſum,quemadmodum cap.de reuulſ.Galenus ſcriptum reliquit,quinto metho.meden.cap.3.& aphoriſ.68.libri quinti,fit itaque ad contraria auerſio, vel ſecundum longitudinem,vel ſecundum latitudinem,aut ſecundum profundum, in qua duæ continentur differentiæ,tum ea,quæ eſt ante, & retro, tum ea, quæ eſt intus extra:& propterea libro quinto metho.meden.cap.3.eius meminit, quæ intus extra, & è contra habetur, & commento præcitati aphoriſmi eius duntaxat, quæ eſt ante, & retro,& è contra:cùm in vniuerſum,ſecundum tres dimenſiones ad cõtraria auerſio fieri poſsit.Ea verò quæ fit ſecundum profundum, ſub diuerſa ratione bifariam conſiderari valeat:& ne quis temerè pro ſanguinis auerſione indiſcri-

Quartum ſuppoſitum. minatim diuerſione,aut deriuatione vtatur, idem Galenus (Hippocratis auctoritate,nám & hæc quoque Hippocra.inuenta ſunt) tum libro de curan. ratione per venæ ſectionem,cap.19.tum quarto metho.meden.cap.9. & ſecundo de arte curat.ad Glauconem,cap.2.docuit nos eiſdem vtiliter vti:nam incipientibus fluxionibus,ac toto tempore quo etiamnum fluxio valenter irruit, ad contraria reuellere ſtudendum erit:in inueteratis autem,ac vbi fluxio ferè iam reſtitit,ex-

Quintũ ſuppoſitum. pedit magis per vicina deriuare. Neque illud ſatis admodum eſſe putes pro reuulſione,aut deriuatione perficiẽda,niſi & hoc potiſsimùm animaduertas,quod eiſdem geminam ob cauſam vti poteris,aut pro auerſione duntaxat, ac inhibitione impetus fluentium humorum,ipſum ad diuerſam partem reuocando, vel per propinqua deriuando,quo caſu id,quod influit, aut fluxurum eſt,tantum reuulſione,aut deriuatione prohibemus,nominabimusq́ue eas diuerſiones ſimpliciter,ſi ad longinqua,atque contraria,& ſimpliciter deriuationes, ſi ad proxima ſanguis,ſeu fluxionis impetus per eas conuertatur; de qua ſimpliciter diuerſione,ac deriuatione,meminit Galenus præcitato libro nono metho. meden.cap. 11.quo loco cùm tractaſſet de venæ ſectione tanquam vna vacuantium præſidiorum,confeſtim de ea mentionem fecit,qua vtimur pro reuulſione dũtaxat, aut deriuatione fluentium humorum; de eiſdem quoque quinto meth.meden. cap.3.verba fecit,cùm dixit,eas eſſe omnis immodicæ euacuationis communia remedia,ac propterea ab Hippocrate inuenta : & libro de curandi rat.per venæ ſectionem,cap.15.in immodicis ſanguinis eruptionibus,reuulſionis cauſa venam ſecare iuſsit:nam citiſsimè ex ea conſpicuam videbis vtilitatem, ſi in directum

Comment. 53 adhibeatur; & tertio prorrheticorum,dicebat, Nempe & nos ſæpiùs auxilium experti ſumus,venæ inquam ſectionem, perſpicuè per eam immoderatam ſanguinis lationem ſiſtentes:neque enim per eam (vt ipſe inquit) vacuationis, ſed reuulſionis gratia ſectionẽ facimus. Quapropter & recto tramite eam fieri pręcipit,quod ab Hippocrate κατ' ἴξιν, dictum eſt:id inſuper exequendum iuſsit in inflammationibus ipſis,pręſertim circa initia,vbi totum corpus plenum ſanguine appareat,ſecundo de arte curat.ad Glauconem, cap.2.dum aſſeruit, Semper enim fluxionis motum ad contrarium trahere expedit.& 13. meth. meden.cap. 6.indicationem curationis phlegmonarũ,quæ adhuc in generatione ſunt, priorem vacuatione eſſe inhibitionem confluentis ad affectum locum ſanguinis aſſerebat:nam quæ phlegmonæ adhuc in generatione ſunt, earũ cauſas prius abſcindere oportet,vt eodem loco pateti & paulò pòſt dicebat præceptum in contrarium auerſionis eſſe in omnibus talibus cõmune, potiſsimùm ſi totum corpus male ſit affectum:nãque in his ad partes,quæ maximè longinquæ ſunt,ſemper auerſionem facies, ſiquidem longiſsimè à tentata fluxione parte auellere, nequaquã ad eam trahere conuenit.hoc idem confirmauit lib.art.med.cap.95. inquiẽs,Si igitur vniuerſum corpus plus ęquo plenũ fuerit,per patiẽtem locum minimè vacuandum,neque elaborãdum,vt quod influxit,retrocedat, cum corpus plenum nõ admittat,ſed priùs totum corpus euacuare oportet,aut omnino ad contraria loca retrahere,quod patienti particulæ influit, quo perfecto opere

à parte

à parte priùs repellendum, mox diſpergendum. Poteris inſuper & ſecundo reuulſione, ſeu deriuatione vti non ſimpliciter, & exquiſitè, pro ſcopo habẽs auerſionem duntaxat fluentium humorum, aut eorum, qui fluxuri ſunt, ſeu immodicæ euacuationis curationem, ſed eum qui in parte affectæ continetur, qui inſimul cum diuerſione, aut deriuatione euacuatur. Sed quoniam in huiuſmodi diuerſione, ſeu deriuatione duo perficiuntur, euacuatio videlicet humoris in parte affecta contenti (& cum is non per eandem partem euacuetur, verùm per remotas, aut propinquas prædictæ partis affectæ) inſimul cum iam dicta euacuatione, reuulſio quoque ſeu deriuatio fit; vnde cum mixtum quoddam opus ſit, ex vacuatione, & auerſione, interim Galenus reuulſiones cum euacuatione, aut vacuationes cum reuulſione nominat; & iam ex mente Hippocra. & vt patet commento aphoriſ. 69. libri quinti, cùm ait; Non ſolùm ſtudet Hippocrates vbi opus ſit, euacuare, ſed etiã reuulſoriè euacuare, ſeu cum reuulſione; ſic quoque libro de curandi ratio. per venæ ſectionem, cap. 19. aſſerebat, incipientes phlegmonas reuulſoriè euacuare oportere: & paulò infrà inquit, Quippe reuulſiones cum euacuatione adhiberi magis debent in fluxionibus incipientibus, & libro ſecundo de ratione victus in morb. acut. Cùm igitur (dicebat) ſuperiorum con dolentia ſignum fecerit, venam in cubito ſecare eam oportet, quæ ſanguinem ab affecta parte, & magis, & velociùs tum reuellere, tum vacuare poſsit. 13. quoque metho. meden. cap. 11. de curatione inflammati iocinoris verba faciens, hęc protulit verba. Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit ſanguis eſt, interna in dextro cubito ſecta vena: interim verò euacuationes eas duntaxat appellat, aut reuulſiones, aut deriuationes; iuxta etiam Hippocra. ſententiam, quãuis impropriè ſic dicantur, quemadmodum liquet ſecundo de arte curatiua ad Glauconem, cap. 2. cùm dixit, At ex poſitu indicatio neque ipſa negligenda eſt: nam per quæ euacuare oporteat, atque quomodo, ipſa præcipuè demonſtrat: fluentium igitur humorum retractio (ſic enim Hippocrates nominat) eorum autem qui iam membrum obſederunt, deriuatio medela eſt: & demum ſubdit; vtrunque autem euacuationis genus per cõmunes venas fieri pręcipit: nam proximarum (vt ipſemet Galenus inquit, libro de Conſtitu. artis medicæ, cap. 17. (communiúmque affectæ particulæ venarum euacuatio optima eſt, atque facillima. Neque id mirum videri debet: nam cùm mixtum quoddam opus ex huiuſmodi reuulſionibus, ac deriuationibus fiat, quod quidem proprio nomine carere videatur: idcirco aliàs alia Galenus cum Hippocrate vtitur appellatione, quemadmodum cùm morbos fientes curamus, quę curatio miſta eſt ex præſeruatione, & curatione, proprio carentes nomine, interim præſeruationem, nonnunquam verò curationem, quandoque verò curationem cùm præſeruatione nuncupamus, vt commento aphoriſmi 22. libri ſecundi liquet, & 11. & 13. methodi medendi. Cùm igitur non per patientem particulam ipſam, humorem qui in ea continetur, euacuent prædictæ reuulſiones, ac deriuationes, ſed per alias partes ipſi coniunctas, ac per proximas, ſeu communes venas, poſſent haud obſcurè abuacuationes appellari, Grçcè verò non κενώσεις, ſed ἀποκενώσεις dici; quo etiam vocabulo vtitur Galenus libro de arte meden. cap. 95. de cura inflammationis loquens, vniuerſo præſertim corpore plus æquo pleno exiſtente: quamuis repellentia quoque medicamenta ex numero eorum ſint, quæ per patientem locum minimè euacuant, ſed per translationem ad alias partes: nam quamuis momentum omne laborantis phlegmone partis (vt priùs diximus ex Galeni ſententia decimotertio metho. medendi cap. 9.) in redundantis in ipſa ſanguinis vacuatione conſiſtat, vacuatio tamẽ hęc duplex excogitata eſt, vt ipſe eodem loco inquit, aut translato ad alias partes, qui in ęgra cõtinebatur, ſanguine, aut foras à corpore expulſo; gemina autem eſt dictarum vacuationum vtraque: quò fit, vt quadruplex in vniuerſum oriatur vacuãtium auxiliorum genus: nam translationis ad alias partes ſanguinis alterum genus eſt, vbi ipſa pars, quæ phlegmone laborat, ſanguinem abigit, id quod ex adſtringentium, ac infrigi-

comment. 10

11. meth. cap. 2
13. meth. cap. 2

dantium medicamentorum appoſitione perficitur. Alterum genus eſt, cum hæ quæ integræ ſunt, ad ſe trahunt, ipſis tamen priùs exinanitis, aut quomodolibet aliter eiſdem ad ſe trahentibus. Eius tamen quæ extra corpus educit, alterum ſenſibili effluxu, alterum verò ratione tantum contemplabili perficitur. Hiſce itaque duobus modis tam reuulſione, quàm deriuatione iuxta Hippocratis, & Galeni ſententiam, commodè vti poteris. Verùm id neutiquam prætereundum eſt, ex eorundem decreto, quòd velut natura ſanguinis eruptione criſim efficiens rectitudinem quandam ſeruat, talisque eruptio ſummum commodum laborantibus affert, quibus verò contra euenit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet, quòd vires ſcilicet citra morbi leuamen deiiciat, atque exoluat. Non enim (vt Galenus inquit libro de Curandi ratione per venæ ſectionem, cap. decimoquinto) in liene turgente, ex dextra nare erumpens ſanguis, nec in iecore ex ſiniſtra, vllam fert vtilitatem, ſed ſi recto fiat tramite: hoc nanque vnum eſt ex his, quæ requiruntur in perfecta, & indeficiente indicatione, vt patet commento aphoriſmi 20. libri primi. Sic, inquam, nos in diuerſionibus ac deriuationibus ſeruare debemus, velut Hippocrates diligenter obſeruatus, memoriæ prodidit, ſcilicet κατ' ἴξιν, hoc eſt, in rectum, ſeu ſecundum rectitudinem ipſas efficientes: nam reuulſio quibus in directum adhibetur, euidentem vtilitatem celeriter oſtendit, quibus contrà, haud etiam: à membris igitur, quæ è directo ſunt affectis partibus, propterea quòd viciniores venæ ſunt, atque magis è directo, ac plus inter ſeſe communicant, vena ſecanda erit, id enim per κατ' ἴξιν, ſecundo de arte curat. ad Glauconē, cap. 2. Galenus intelligi voluit, reddítque rationem 14. de Vſu partium, cap. 7. ex Hippocratis ſententia: quoniā partes, quæ ſecundum rectitudinem ſunt ſitæ, neceſſariò plus inter ſeſe communicant, ac fruūtur. Quapropter proximarum, communiúmque affectæ particulæ venarum euacuationem optimam eſſe, atque facillimam idem Galenus aſſerebat, libro de Conſtitut. artis medic. cap. 17. vt paulò antè diximus: & lib. de palpit. trem. rig. & conuulſ. cap. 5. ſcriptum ab eo eſt, ſemper à communibus venis ſectionem faciendam eſſe, cùm ſi alias ſecueris, neque ſanabis affectū, perpetuò verò quod eſt ſanum, lædes; id autem potiſsimùm ſeruandum erit in reuulſionibus, quæ pro compeſcendis immodicis ſanguinis eruptionibus adhibentur, quemadmodum lib. de curandi ratione per venæ ſectio. cap. 15. liquet: nec minùs & in diuerſionibus, ſeu deriuationibus cum euacuatione, cum diuerſione, aut deriuatione, vt patet eodem libro de curandi ratio. per venæ ſectio. cap. 15. 16. & 19. 13. meth. cap. 11. & ſecundo de Arte curatiua ad Glauconem cap. 2. quo loco tam de diuerſione, quàm de deriuatione cum euacuatione loquitur; ait enim, Vtrunque autem euacuationis genus per communes venas fieri præcipit Hippocrates, veluti in locis muliebribus in contrarium trahes, ſi eas, quæ in cubito ſunt, ſecueris venas, aut mammillis cucurbitas appoſueris, vel manus concaleſeceris, & fricueris, atque alligaueris. Deriuabis autem, ſi eas, quę in genibus, aut talis, venas diuiſeris, & cucurbitas coxis applicueris, & crura caleféceris, ac perfricueris, atque alligaueris: & ſiquidem in parte dextra locorū paſsio fuerit, à dextra manu, aut crure detraxeris ſanguinē: ſi verò in ſiniſtra, à membris, quæ illi è directo ſunt. hoc ipſum nanque eſt, quod ab Hippocrate κατ' ἴξιν dicitur, perpetuò in omnibus, quæ phlegmone afficiuntur partibus obſeruandum, tam pro euacuatione reuulſoria, quàm cum deriuatione, prout idem Galenus præcitato libro 13. methodi meden. cap. 11. decretum reliquit. In his denique diuerſionibus, ac deriuationibus, nedum κατ' ἴξιν, id eſt, rectitudinem ſeruandam eſſe cenſemus, verùm & maiorem rectitudinem, hoc eſt, venarum maiorem cōmunionem ac propinquitatē, propter iam dictas cauſas. In reliquis verò reuulſionibus, quę pro inhibitione duntaxat fluētium humorum adhibentur, ſat erit rectitudinem ſeruare, adeò, vt obliquitas vitetur, appello autem obliquitatē, eam quæ ſecundum duas differētias, aut plures iam dictas affectæ parti opponeretur: vt ſi iocinore inflammato, ex ſiniſtro crure ſanguinē detraxeris: liene verò, ex dextro: aut ſi dexter

Sextum ſuppoſitum.

Septimū ſuppoſitum.

oculus

oculus inflammatus eſſet, ex ſiniſtra manu, aut crure: & ſi ſiniſter, in dextra manu, aut crure. Nam cùm venarum diſtributio obliquè non fiat, ſed rectè magna ex parte, aut ægrè confluentis ad affectum locum ſanguinis fieret inhibitio, aut fortè nequaquam fieret. Quapropter cùm opus fuerit huiuſmodi reuulſione vti pro inhibitione duntaxat confluentis ſucci, ea ſeruanda rectitudo erit, quæ è regione, ſeu diametro parti affectæ ſit, non ſecundum duas, aut plures reuulſionis differentias, ſed ſecundum vnam tantum, vtputa ex ſurſum deorſum, vel econtrà, aut à dextris ad ſiniſtra, contráque ex ſiniſtris ad dextra: ſic quoque in reliquis ſeruandum erit reuulſionis differentiis, quæ ſcilicet fiunt foris intro, ac retrorſum ad antrorſum: & econtrà: non enim per has reuulſiones, ſanguinem in inflammata parte contentum euacuare intendimus, nec immodicum ſanguinis profluuium cohibere, ſed tantum fluxionis impetum coërcere, ac ad contrarias, longiſsimáſque partes auertere, id quod in inflammationibus, quæ in generatione adhuc ſunt, ex Galeni decreto decimotertio methodi medendi, cap. 6. priùs exequendum erit, præſertim vbi ex toto corpore, aut àliis quibuſdam partibus ſuperfluum alicui particulæ tranſmittatur, vt in ea phlegmone excitetur, quo fit, vt per quamlibet vnam reuulſionis ſpeciem, ex iam dictis, ſeruata etiam rectitudine, fieri poſsit; aliàs ſuperfluè à Galeno proprio cap. de reuulſione, libro quinto methodi medendi, cap. 3. & commento aphoriſmi 68. libri quinti, conſcriptæ fuiſſent. Idem quoque eodem decimotertio methodi medendi, cap. 5. corpore exiſtente pleno, in cura phlegmones, quæ ad vlcera conſequitur, manu laborante, ex cruribus ſanguinem mittere præcipit, & altero crurum malè habente, ex reliquo ſanguinem mittere: quo loco tum de ea, quæ ſecundum longitudinem, tum etiam de ea, quæ ſecundum latitudinem fit, diuerſione (vt liquet) mentionem fecit. Nec quicquam valet, ſi dixeris, in membris extremis id duntaxat veritatem habere, vt quidam ſentiunt; nam hoc eidem Galeno pugnat, qui ſecundo de Arte curatiua ad Glauconem, cap. 2. decretum reliquit, Patientibus membris extremis, de phlegmone loquens, à coniunctis euacuationem faciendam eſſe, ſiue retrahere velis, ſiue deriuare, quemadmodum paulò ſuprà de inflammato iocinore, & liene ſimiliter concluſerat. Hoc inſuper confirmauit Hippocrates libro ſecundo de natura homi. ac libro de oſsium natur. cùm dixit, Operam dare oportet, vt quàm longiſsimè à locis, vbi dolores fieri ſolent, ſanguiſque colligi, ſanguinem mittamus, idque pro reuulſione duntaxat perficienda, vt ex eius verbis liquet. Nec obſtat, ſi dixeris Hippocratis dicta veritatem habere in ea præſeruatione, cùm ſcilicet periculum imminet ne in futurum inflammatio procreetur, & non in ea, quæ iam orta eſt, ac in generatione exiſtit: nam pari ratione quia per reuulſionem prohibetur phlegmones generatio in his corporibus, in quibus nondum oriri cœperit inflammatio, ea præſeruando à futura inflammatione: ſimiliter, & in his in quibus in generatione adhuc eſt, necdum abſolutionem nacta ſit, per reuulſionem duntaxat, ne augeatur, prohibetur: idque medicinæ artis parti ſimiliter, quæ futurũ morbum præcauet, ſubiicitur, velut in prædictis, atque ſimiliter prophylactice dicitur: quamuis ea purè, ſynceréque prophylactice dicatur, cùm nondum ſenſibiliter morbus ex cauſa gignatur, ſed futurus eſt: in hac verò cùm ſenſibiliter generetur, licet nondum abſolutionem nactus ſit, prophylactice dici poterit, quamuis non purè, ac ſyncere: Nam quod generatum ex ea eſt, id medicinæ artis parti quæ morbos curat, ſubiicitur, quod verò in generatione adhuc eſt, parti, quæ futurum morbum præcauet, vt liquet apud Galenum eodem vndecimo & 13. methodi medendi. Vnica igitur indicatio in vtriſque eſt: aſsimilis quoque eſt, ſcopus, nempe inhibitio ſanguinis, ne ad locum qui affici conſueuit, aut afficitur, confluat; prophylactice quoque vtraque eſt, & propterea rectitudine ſeruata quoad poſsit, vt diximus, quarumuis vna ex modo dictis reuulſionis differentiis, pro ea perficienda vti poteris, æſtimata tamen tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius ſtatu, poſitionéque partis affectæ, cum qua ſocietas

2. de natura homi. tex. 9. De oſsium natur. paulò ante medium.

11. meth. ca. 2
13. meth. cap. 2

quoque comprehenditur,quàm cum aliis partibus habet,vt patet lib. de Conſtitut.artis medicæ, cap.16. Ex his itaque conſtat quid intelligendum ſit pro eo quod ab Hippocrate κατ' ἴξιν dicitur,hoc eſt,ſecundum rectitudinem: nanque partium è directo poſitionem; propter quam & neceſſariò plus communicant inter ſeſe per eorum vaſa, ac propinquiores ſunt inflammatis partibus, quàm hæ quæ non è directo ſunt poſitæ, & non intelligendum eſſe rectitudinẽ fibrarum,quæ in venis ſunt,prout quibuſdam viſum fuit,id quod nec ad Hippocratis,nec ad Galeni ſententiam veritatem habere poteſt,cùm eam indicationem, quæ à partium poſitione ſumitur,earúmque figuratione,laborantes partes, non qua ſimilares ſunt,ſed quà inſtrumẽtales indicent,vt decimotertio metho. medendi,cap.7.ac nonnullis aliis in locis teſtatur Galenus; & propterea de inſtrumentalium partium poſitione verificatur rectitudo:& nòn fibrarum,quæ in venis exiſtunt:nam auerſionis in contrarium, quæ ab Hippocrate antiſpaſis dicitur,non à ſubſtantia, ſed à curandi membri poſitu inuentio præſtatur, vt idem Galenus inquit 14.methodi meden.cap.8.Ad hæc cùm prædicti auctores nouerint fibras in venis contineri, cùm non earum rectitudinem ſeruandam eſſe in venæ ſectione pro diuerſione,aut deriuatione ſtatuerint, potiſsimùm Galen. libro de curandi ratione per venæ ſectionem,cap.15.& ſecundo de arte curat. ad Glauconem,cap.2.ac reliquis in locis,in quibus hoc Hippocratis verbum declarat,de inſufficientia proculdubio notari poſſent. Amplius cùm multis medicis liqueat,ſanguinis vacuationem ſecta vena, eiúſque attractionem conſecutione ad vacuum fieri,nullum propterea præſtabunt vſum rectæ venarum fibræ pro eius vacuatione,potiſsimùm cùm cõſueuerint,qui venas incidunt,iuxta inciſionem,partem ipſam,in qua vena ſecãda eſt,doloroſis vinculis alligare, multiſque frictionibus,interim etiam balneis aquæ calidæ,quo maior fiat attractio ad ſectam venam vti,vt propterea minimè opus ſit venarum fibris, etiam rectis, in hunc vſum,quinimò nec etiam tranſuerſis,quanquam vſum præſtent venarum fibræ pro ſanguinis per vniuerſum corpus diſtributione, quò promptiùs ſingulæ partes nutriri valeant: ſunt etenim communia totius corporis inſtrumenta, vt liquet 16.de Vſu partium. His denique iactis fundamentis firmis pro venæ ſectione adhibenda,ad propalandam noſtram opinionem,ac veritatem, quam de venæ ſectione in pleuritide efficienda ſentimus, accedere tempeſtiuum eſt. Pro qua audacter,ac citra controuerſiam,cum Hippocrate libro ſecundo de ratione victus,ſimul atque Galeno tum eodem loco,tum quarto eiuſdem,& libro de Curandi ratione per venæ ſectionem, cap.16.in pleuritide venam cubiti internam ſecandam eſſe cenſemus recto à latere dolente tramite. Quòd & ſi ab Hippocrate apertè præcitato libro ſecundo de ratione victus,non dicatur, ſubintelligendum erit nedum ad Galeni,ſed omnium medicorũ ſententiam,idque manifeſtò ſcriptum reperitur libro quarto de Ratione victus, modò Hippocratis fuerit. Expedit enim iam dictam venam ſecare,quoniam,vt inquit Galenus, partẽ eam quæ phlegmone obſidetur,tum celeriter, tum quàm cæteras partes magis in acutis præſertim morbis vacuare contendimus.At ſectio prædictæ venę (vt idem met teſtis eſt) ſanguinem ab affecta parte,& magis,& velociùs,tum reuellere,tum vacuare poteſt. Vt igitur optima ſit, atque facillima inflammatæ partis euacuatio,à proximis,atque communibus venis ea perficienda erit: atqui prædicta interna cubiti vena è directo laborantis lateris,& maiorem communitatem,atque propinquitatem cum affecta parte habet,quàm reliquę,per quas poſſet ſanguis ab affecta parte tum reuelli,tum vacuari.Non ab re igitur ſi cum reuulſione ſanguinem qui in inflammata parte continetur, vacuare contendimus,eam incidas venam oportet: eritque ſanguinis vacuandi terminus coloris mutatio,vt ex eodem Hippoc.ſcriptum eſt,aſſerente.Neque vt copioſè ſanguis detrahatur eſt cunctandum,ſed eouſque auferendus,donec rubidior multò,vel pro puro,rubidóque liuidus fluxerit:redditque Gale.rationem dictorum Hippoc.tum eodem 2.de rat.vict.tum lib.de cur.rat.per venæ ſect.cap.6.nã alius eſt

Quid per κατ' ἴξιν intelligendum ſit.

cap.1

De ſecãda vena quid ſentiendum.

2.de rat.uict. tex.10.

4.de rat.uict. tex.73

2.de rat.uict. tex.10

4.de rat.uict. tex.73

2. de rat.uict. cõment.10

Quando è directo laborantis lateris facienda ſit.

Terminus euacuationis à quo iudicabitur.

2.de rat.uict. tex.citato.

2.de rat.uict. cõmen.citato.

qui in phlegmone continetur ſanguis, quàm qui ſecundum naturam, vtpote
plus excalfactus. Quapropter ſi antea crudior erat, rubrior modò, & flauior
efficitur: ſin eiuſmodi priùs fuerat, liuidior erit, aut ad atredinem vergit pro
maiori, minoríve aſſatione, ſeu aduſtione. Coloris igitur mutatio, ſanguinis
ex particula inflammata tranſlationem ſufficienter commonſtrat: & proptera
hic erit modus vacuationis, atque menſura, quæ affectui peculiaris exiſtit, ſi-
quidem ſignum conſtituit Hippocr. aſſumpti in ſectam venam ex phlegmone
ſanguinis mutationem in eo apparere; quem ſectatus Galenus, pari ratione pro
reuulſione ſimul cum vacuatione perficienda in pleuritide lib. de cur. rat. per ve-
næ ſectionem, cap. 16. dicebat. Quin & pleuriticis, quæ è directo laborantis la-
teris adhibita fuit ſanguinis miſsio, clariſsimam ſæpe vtilitatem attulit; quæ
verò ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis in-
teruallum. Nemo itaque vereatur vbi ſimul vnica venæ ſectione, tum reuelle-
re, tum vacuare velit, ac poſsit in morbo laterali venam cubiti internam ſeca-
re, quæ è directo laborantis lateris ſita eſt: ea verò non apparente, eiuſdem cu-
biti mediam: quod ſi nec ea apparuerit, humeralis incidatur, prout Galeno vi- *cõmen. 10.*
ſum eſt, eodem ſecundo libro de ratione victus in morbis acutis, eritque huius
venæ ſectionis vacuandi ſanguinis terminus, eiuſdem (vt diximus) coloris mu-
tatio. Cæterùm quoniam non omni ex parte coloris ſanguinis mutatio expe-
ctanda eſt, ſecta vena in pleuritide, vt Galenus inquit, eodem lib. de curan. rat. *Non ſemper*
per venæ ſection. cap. 14. imò verum eſt, vbi antequam exiſtat, ceſſare conue- *ex eodẽ late-*
niat, idq; duplici nomine, vt ipſe aſſerit; ob infirmas videlicet vires, quæ tantam *re facienda ſit*
copiam vacuare prohibent, aut ob phlegmones prauitatem: nanque interdum *uenæ ſectio.*
nihil ab ea emittitur, ſed inibi ſanguis fortiter conſtrictus eſt, per quam venæ ſe-
ctionem reuulſio duntaxat, & non reuulſio, & euacuatio ſimul fieret: propterea
non ab re in dubium venit, num perpetuò ſeruandum erit in cura pleuritidis,
quòd ea incidatur interna cubiti vena, quæ è directo laborantis lateris ſita eſt?
vel liceat interdum à reliquis partibus ſanguinem mittere, etiam pro reuulſio-
ne duntaxat perficienda? Pro quo animaduertendum, quòd præter iam dictas
duas præcipuas cauſas de pleuritide traditas, nonnulla alia ſunt, quæ multam
ſimul copiam ſanguinis euacuari prohibent, etiam ſi affectus id indicabit, ve-
lut ſcriptum reperitur apud Galenum tum lib. de cur. rat. per venæ ſectionem,
cap. 14. tum quarto de ratione victus in morbis acutis: primo de arte curan. ad
Glauconem & reliquis plerisque locis. Ea ſunt, laborantis temperies cùm calida *commen. 19.*
ſcilicet, & humida fuerit: nam ſuapte natura corpora hæc promptè diſſlantur, *1. ad Glauc.* *cap. 14.*
qua etiam ratione, & pueris ipſis cùm videlicet pubertatem attigerint, quod ad
ætates attinet, minùs detrahimus, quàm plenitudo, ſeu affectus commonet: dixi
autem non inconſultò, cùm pubertatem attigerint, ne quis opinetur admiſiſſe
Galenum veris pueris venæ ſectionem vſque ad 14. annum, interdicit enim eis
vbique locorum eam: & proinde cùm dicit libro de cur. rat. per venæ ſectio-
nem. cap. 13. Quod minùs detrahimus, quod ad ætates quidem attinet in pue-
ris, de eis intelligendum erit qui pubertatem attigerint, ſic nanque & eodem li-
bro parum antè præſcripta verba eos nominauerat: etiam poſt decimumquar-
tum annum. Quod verò ad corporis habitus, in candidis, & quibus mollis, te-
neráque eſt caro, minùs etiam detrahimus. Similiter in regionibus, anni tem-
poribus, ac aëris conſtitutionibus immodicè calidis, aut frigidis largam vacua-
tionem fugimus, licet cuncta hæc ſub virium imbecillitate ferè contineantur.
tur. Cùm itaque tot ſint, quæ exquiſitam venæ ſectionem fieri impediant:
audacter aſſerimus eandem internam cubiti venam è directo laborantis la-
teris incidi debere, eáque non bis duntaxat, ſed ter, & ſæpiùs, vbi opus fuerit,
etiam reuulſionis tantùm gratia, cùm aliquod ex prædictis vſq; ad coloris mu-
tationem fieri prohibeat: quãuis ex ea (vt Galenus inquit) parti quæ phlegmo- *2. de rat. uict.*
ne obſeſſa eſt, minùs futurum ſit auxilium: modò fluxio non valerer irruat, ve- *commen. 10.*
lut conſueuit in primis morbi diebus, aut corpus totũ non ſit ex æquo plenum.

Verùm vbi ea vehementer irruat, aut in corpore toto humorum adſit redundantia, cum debilitate virium, nullo pacto pro reuulſione duntaxat eiuſdem lateris venam primò in cubito ſecandam eſſe putamus, ſed ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt, diuertere priùs oportet, atq; magis in aduerſum trahere, ſeruata tamen perpetuò Hippocratis rectitudine, quæ in reuulſione duntaxat efficienda ſeruari poteſt, ac debet; vtpote quæ non ſecundum duas, vel plures, ſed vnam tantùm reuulſionis,ſeu oppoſitionis,differentiam fiat. Nam quamuis ex ea minùs ſequatur auxilium laboranti particulæ, multò tamen ſecuriùs exiſtit; cùm non ad ipſam per hanc venæ ſectionem fluxio magis proritetur, ac trahatur,quemadmodum ſi ex eodem latere venæ ſectio fieret; imò ipſa per eam inhibetur, cùm ad partes,quæ maximè longinquæ ſunt, attractio fiat. Id nanque perpetuò ſeruari oportere in cunctis venæ ſectionibus, quæ tantum pró reuulſione adhibentur, ac fluxionum inhibitione, ex paulò ſuprà conſcriptis auctoritatibus Hippocr. ac Galeni conſtat: & Aëtius lib. 5. cap. 100. Illud confirmauit, cùm de doloris curatione verba fecit, inquiens, Si quidem igitur multitudo fuerit quæ diſtendit, viribus fortibus exiſtentibus, vena ſecetur, & ex magna vena, inflammatæ autem dolenti parti propinqua, ſanguis auferatur.Si verò debiles fuerint vires, reuulſio fiat, & deriuatio ſurſum, aut deorſum,aut vtrinque,aut per frictiones.Nec vtique Galenus illud negauit in morbo laterali,cum lib.de cur.rat.per venæ,ſect.cap. 16. dixit, Quin & pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit ſanguinis miſsio, clariſsimam ſæpe vtilitatem attulit,quæ verò ex brachio oppoſito,aut omnino obſcuram,aut certè poſt temporis interuallum. Nunquid aliud voluit per hæc verba ſignificare? niſi quòd clariſsimam vtilitatem affert venæ ſectio è directo laborantis lateris adhibita? nanque per eam celeriter clariſsima vtilitas ægrotanti affertur. Sed quoniam nouerat iam id obſeruari perpetuò haudquaquam poſſe, propter eas quas priùs tradiderat cauſas, quas etiam modò narrauimus, ſæpe id dixit obſeruari debere, & non ſemper, vſus verbo πολλάκις, & non ἀεὶ; ſubditq; demum cùm id obſeruari non potuerit perpetuò, quod licet non tantam afferat vtilitatem,nec ita celerem,nec ex brachio oppoſito fieri deber,cùm dixit:Quæ verò ex brachio oppoſito,aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis interuallum: Fruſtra nanque appoſuiſſet verba hæc, niſi quandoque ea vti deberemus: præſertim cùm prius ſecta vena ex eodem latere, ſæpe,& non ſemper clariſsimam vtilitatem attuliſſe dixiſſet. Accedit ad hæc, quod & conferre confitetur venæ ſectionem ex oppoſito brachio; quamuis obſcura ſit conferentia, aut poſt temporis interuallum; idque non præter rationem. Nam cùm per hanc venæ ſectionem reuulſio tantùm fiat confluentis ſucci ad affectam partem, & non euacuetur ſanguis, qui in ea continetur, nec propterea dolor confeſtim ſedetur: ea de re rectè Galenus inquit, per hanc venæ inciſionem obſcuram fieri, aut poſt temporis interuallum ægrotantibus vtilitatem, relatione ad eam, quæ è directo laborantis lateris efficitur, pro reuulſione ſimul, ac euacuatione.Hoc idem confirmauit Aëtius,qui lib. tertio, cap. 12. ex Galeni ſententia pro reuulſione, ſimul ac euacuatione perficienda venam è directo affectu lateris ſecandam præcipit: lib.verò 8. cap.68. (ex Archigenis monumẽtis) venam incidere oportet,inquit,vt dictum eſt, in brachio, non eo quod rectà ab inflammato latere procedit, ſed oppoſito. Sanguinis autem multitudo non vſque ad animi deliquium extrahatur, ſed modicum extrahere oportet, & poſt ſufficientem temporis intercapedinem, rurſus repetita inciſione modicum auferre. Quo loco venæ ſectionem adhibendam eſſe pro reuulſione duntaxat perficienda,putandum eſt,cùm non liceat tantum virum ſibimet pugnantia conſcripſiſſe, vt quidam volunt: quamuis in vtriſque locis ſecundum mentem aliorum loquutus fuerit,Galeni ſcilicet in vno, Archigenis in alio. Ex oppoſito itaque brachio venam interdum ſecandam eſſe reuulſionis tantum gratia in morbo laterali,cùm in generatione adhuc ſit, fluxio valenter irruat, aut eor

Quòd nõ perpetuo è directo laborantis lateris venæ ſectio. ſit facienda.

Loco citato.

aut corpus totum humoribus plenum fuerit, ex Galeni, ac Aëtij ſententia liquet; cùm videlicet laborantes vnicam venæ ſectionem, quæ vſque ad coloris ſanguinis mutationem fieret, pro reuulſione ſimul, ac euacuatione, propter aliquam ex prædictis cauſis, ferre non valeant: nanque in his inflammationibus, quæ in generatione adhuc ſunt, prior vacuatione inhibitio facienda eſt confluentis ad affectum locum ſanguinis. Quapropter longiſsimè à tentata fluxione parte auellere, & nequaquam ad eam trahere conuenit: id autem potiſsimùm ſeruari debet, vbi à toto, vel reliquis eiuſdem partibus, ſuperflua affectæ parti tranſmittuntur. Semper etenim fluxionis motum ad contrariũ trahere expedit, dicebat idem Galenus 2. de arte curat. ad Glaucon. Si verò fluxionis cauſa ex ipſa parte quam phlegmone vexat, oriatur, vtpote quæ calidior fit facta, aut dolore vrgetur, quippe ſatis conſtat eiuſdem Galeni præcepto 13. metho. meden. affectum illum principio tibi eſſe ſanandum, & mox quicquid iam phlegmones factum eſt: nam ſemper quæ phlegmonæ adhuc in generatione ſunt, earum cauſã priùs abſcindere oportet, vt eodem libro patet. Quapropter toto (vt inquiunt) cœlo, (vt mea fert opinio) errarũt, qui iuxta Galeni doctrinam voluerunt perpetuò pro cura pleuritidis eiuſdem lateris venam incidendam eſſe, freti ex paulò ante dicta auctoritate ipſius, in qua (vt cuilibet patere poterit) à Galeno perpetuò id ſeruandum eſſe non præcipitur: quamuis ſæpius dixerit, vtilitatem clariſsimam eam afferre; imò, propterea quòd ſæpiùs dixit, id ſemper obſeruari noluit, ac ſi dixiſſet, quandoque ex ea vtilitatem non prouenire, imò potiùs laboranti incommodum, veluti ſi fieret, redundantia in toto corpore exiſtente, circa morbi initia, fluxionéque valida irruente, & vires, aut quodpiam aliud ex prædictis vſque ad coloris mutationem eam fieri prohiberent: quo caſu, ſatius, imò tutius erit, iuxta eiuſdem Galeni decreta ex oppoſito brachio ſanguinem mittere reuulſionis tantùm gratia, quamuis ex ea inflammatæ parti minùs futurum ſit auxilium, quæ ad contrarium iuxta latitudinem fieret, vt ſi iuxta tali venas, è directo tamen laborantis lateris venam incidas, per quam reuulſio duntaxat fiat, ſecundum longitudinis oppoſitionem, iis potiſsimùm, quibus hæmorrhoides, aut menſes detenti fuerint, à qua confeſtim eadem die, ſi vires permiſerint, aut in ſequenti eam incidas venam in cubito, quæ è directo eſt laborãtis lateris, etiam ſi per eam reuulſio tantùm fiat: nam quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tantò reuulſionem efficaciorem effeceris, vt Galenus inquit eodem libro de cur. rat. per venæ ſectionem. Et propterea facta prima venæ ſectione ex oppoſito cubito, aut eiuſdem lateris crure, ſtatim ad ſecandam (vt diximus) eiuſdem affecti lateris in cubito venam deuenias, eámque non ſemel incidas, imò bis, ter, ac ſæpiùs, vbi opus fuerit, repetas, ſi quid nõ prohibeat; quoad ſanguis qui in obſeſſa phlegmone parte continebatur, per eam vacuetur; id quod dignoſces præcipuè, ex eiuſdem ſanguinis coloris mutatione, ac doloris ſedatione. At mox non deerit, qui noſtram hanc opinionem impugnabit, aſſerens, quòd ſi ſectio venæ è directo laborantis lateris pro reuulſione duntaxat interdum adhibeatur, & ea ab affecta parte reuellit, vt palàm conſtat, cùm ipſa à nobis non prohibeatur, etiam exiſtente in toto corpore plenitudine, ac valenter fluentibus ſuccis ad affectam partem, præcedente tamen oppoſiti cubiti, aut eiuſdem lateris circa talum ſanguinis miſsione; cur pari ratione etiam à principio nulla facta in reliquis partibus remotioribus venæ ſectione, pro eadem duntaxat reuulſione perficienda ipſa non incidenda erit? Cui reſponſum, volo, quòd licet per ſectionem venæ in cubito è directò laborantis lateris interdum reuulſio tantùm perficiatur, vt priùs dictum eſt, tamen ſi tempore quo fluxio valenter irruit: ſeu corpus multis humoribus refertum ſit, vt ſæpe contingit, pro reuulſione dũtaxat ea incidatur, maius affert ægrotanti incommodum, quàm commodum: nam manitis per venæ ſectionem venis brachij eiuſdem lateris, cùm viciniores ſint affectæ parti, quàm

reliqu

cap. 2.

cap. 6.

Quorundam Galenicorum hallucinatio. Loco citato.

cap. 11.

Dubium.

Reſponſio.

reliquæ, quæ in oppoſito brachio, aut eiuſdẽ lateris crure exiſtunt, irritatur quidem per eam ad affectam partem humorum defluxus conſecutione ad vacuum ipſis attrahentibus. Nec quicquam valet, ſi dixeris eas potius à parte phlegmone obſeſſa trahere, quàm reliquis partibus: nam præter reliqua, quæ dici poſſent, illud tantùm ſatis eſſe puto, quod apud Galenum legitur 3. de natur. facul.
cap. 14. quod in ſucceſsione ad id quod vacuatur, quod leuiſsimum, tenuiſsimúmque, priùs ei quod vacuatur ſuccedit, quàm id quod grauius eſt, & craſsius. Atqui craſsior eſt qui in parte phlegmone obſeſſa ſanguis continetur, inibíque fortiter conſtrictus, nec leuiter in eiuſdem ſpaciis inanibus impactus, ac ex vaſis ad eadem effuſus, & proinde ægriùs, quàm à cæteris corporis partibus ab inanitis venis trahitur: quod ſi velis ſaltem à naturali facultate vaſorum eum ſanguinem trahi, quid ſtultius, cùm id quod familiare eſt, & non alienum (velut ſanguis, qui in inflammata parte conſiſtit) ab attractrice facultate promptiùs trahatur? Potiùs itaq; attrahit venæ ſectio hæc ad inflammatam partem quam reuellit, ſi in principio nulla facta à iam dictis remotioribus partibus venæ ſectione adhibeatur: & propterea magnopere vitanda erit, niſi pro reuulſione ſimul, ac euacuatione adhibeatur, aut pro reuulſione duntaxat vbi corpus totum plenum non fuerit, ſeu poſt primos morbi dies, cùm fluxio non vehementer irruat, quemadmodum ex his, quæ ſuprà diximus, liquet: tunc etenim nec fluxio irritabitur, & promptiùs ſanguis in affecta phlegmone parte contentus, per eadem vaſa, per quæ erat effuſus, remeabit, ſi eum quoque euacuare tentabis cum reuulſione per iteratam venæ ſectionem, modò nullum eorum quæ diximus, eum euacuari prohibeat. Verùm vbi corpus totum vitioſis quoque ſcateat ſuccis, ac recrementis plenum appareat, & circa imas potiſſimùm thoracis partes dolor excruciet, nec dolor per venæ ſectionem adhuc conquieuerit, à venæ ſectione, aluus nedum clyſteriis, verùm etiam purganti-
Purgatio. bus medicamentis ſubducenda erit, ex Tralliani ſententia cap. 1. lib. 6. modo vires valeant: nam ſi imbecilliores fuerint, nedum leuibus clyſteriis, verùm etiam acribus vtendum, Paulo auctore. Et ſi paulò ante cum Galeno medicamenta purgantia nulla præcedente venæ ſectione quodammodo propter traditas cauſas, vitauimus: nam tutiùs eſſe fatemur ſemper in morbo laterali, qui euacuatione totius corporis indiget, venæ ſectione primò vti, non negauimus tamen poſt venæ ſectionem, interdum purgans medicamentum poſſe conferre, cùm ſcilicet adſint ea, quæ modò diximus. Verùm ea eligenda ſunt, ex quibus prænarrata à Galeno pericula non impendeant: & non ea pharmaca quæ fortiter ſoluunt, de quibus Aëtius lib. 8. cap. 68. ſic ſcriptum reliquit, Aluus autem aſsiduè ſubducatur, in maximis præſertim doloribus, ſed tamen cauendum ne fortiora ſolutiua exhibeantur. Hæc inquam purgantia medicamenta tempore, quo Galenus vixit, vſui erant, quæ cane peius & angue fugienda ſunt pro cura morbi lateralis, propter cauſas ſuperiùs aſsignatas. Verùm eis potiſsimùm vtendum erit, quæ leniendo purgant, aut per tuſsim repurgationi opitulantur, aut ſaltem non aduerſentur. Ea ſunt hoc noſtro æuo, caſsia fiſtula, manna, ſaccharum violaceum, aut ſyrupus ex pluribus infuſionibus violarum. Diaprunum non laxatiuum Nicolai: quibus etiam interdum pro ratione redundantis ſucci admiſcere poteris, aut diacatholicon, aut rhabarbarum, vel agaricum: quantitas autem iſtorum lenientium iam dictorum ratione, exigua ſit, oportet. Nec Galenus illud negaſſe videtur, quamuis ante venæ ſectionem
tex. 21. cum prædicta non concurrant, purgans medicamentum vitauerit; ſimul etenim cum Hippocrate 4. de ratione victus in morb. acut. venã primò ſecãdam eſſe, & deinde purgans medicamentum exhibendum in internis inflammationibus, & non è contrariò decretum reliquit, ídque ſecurè, & mediocriter porrigendum inquit Hipp. vbi vtroq; indigeant auxilio. Redundante itaq; bile, ex caſsiæ fiſtulæ vnc. j. & s. & diapruni lenitiui vnc. s. bolus confici poterit: poſt cuius aſſumptionem vnc. ij. vel vnc. ij. & s. mannæ diſſolutæ in infraſcripto decocto

tribue

tribuere poteris, quod recipit hordei mundi drac.iij.florum borraginis,& violarum,ſingulorum drac. ij.radicis glycyrrhizæ drac.j.vuarum paſſarũ mundatarũ drac.iiij.adianti drac.j.& s.iuiubarũ,num.4.bulliant ſecundũ artem in aqua fontana: deinde vnc.iij.vel iiij.eiuſdem decocti aſſume,in quibus iam dictam mannam diſſoluas. Si autem æger (vt plerique ſolent) caſsiam fiſtulam aſſumere abhorreat,cum eadem manna diapru.lenitiui vnc.s.ac rhabarbari optimi vigorati infuſi in parte prædicti decocti,ac per lineum linteũ transfuſi drac. j.miſceãtur.At ſi pituitoſus fuerit redundãs,in vicem diapru.lenit.cum caſsia fiſtula vnc. s.diacatholicon,& agar.trochiſ.drac.j.addas,ſicque bolum conficias: aut ſi potionem potiùs aſſumere eligat, prædicto decocto ficus aridas ac palmulas ij. vel iij.& hyſſopi drac.ij.adijcias: in cuius decocti quantitate,quæ ſatis ſit, agarici trochiſ.drac.j.vel ſcrup.iiij.leuiter decoquantur; in quo iure vnc. j. & s.caſsiæ fiſtulæ,aut ij.mellis roridi diſſoluãtur,cum vnc.s.diacath.Pari ratione ſi atra bilis redundabit,decocto addendũ erit ſenæ,& epithymi,vtriuſque drac.ij. in quo demũ diſſoluas drac.j.& s.aut ij.caſsiæ fiſtulæ cum vnc.s.aut drac.vij. diacatho. aut loco caſsiæ fiſtulæ,manna vtare,potiſsimùm ſi eam abhorreant laborantes. Nec minùs loco mannæ, præſertim pauperibus; aut in locis vbi ea deſit, ſaccharo violaceo,aut ſyrupo ex pluribus infuſ.viol.vti poteris: quemadmodũ in robuſtioribus etiam corporibus,vice diapru.lenitiui,etiam laxatiua vtare,& vice diacath.confectione de dact.potiſsimùm pituita redundante, id tamẽ perpetuò ſeruandum erit,vt ex eis,quæ fortiter purgant, etiam robuſtis corporibus multa quantitas non tribuatur,ſempérque mixta ſint cum multo maiori copia prædictorum lenientium medicamentorum, ita vt eorum quantitas drac. ij. non excedat.Interim autem Medici exhibere non negligant ea medicamenta, quæ ad facilem excreationem, ac thoracis expurgationem conducunt, diuerſa tamen, prout diuerſitas humoris gignentis inflammationem requirit: nam ſi ſanguis,aut bilis fuerit, violaceum ſyrupum,aut è cannis, ſeu vua paſſa, vel ex adianto tribuas,interdum verò iuiubinum ſimplicem: compoſitum verò,aut eum qui ex glycyrrhiza, ſeu hyſſopo conficitur, ſeu etiam è marrubio exhibere poteris,ſi morbus lateralis ex craſsioribus ſuccis fuerit ortus. Quòd ſi æger maluerit àquis permixtos potiùs abſorbere eos, aquam borraginis, aut hordei, ſeu adianti permiſceas, vel aquam in qua glycyrrhizæ radix fuerit decocta. Nonnulla item ecligmata hypoglottidáſque in hunc vſum parari poſſunt, quæ ſtudioſi iuuenes requirant,cap. tum de catarrh. tum de tuſsi. Sed quoniam Hippocrates præcipiebat à principio lateris dolores tentare calidis fotibus diſſoluere, tempeſtiuum videtur, ad eos deſcribendos deuenire: eos

Fotus.

namque conſcribere diſtulimus vſque in hunc locum, ne interceptus fuiſſet ſermo de venæ ſectione ac purgatione adhibenda.Erit itaque (eodem Hippoc. teſte ſecundo de ratione victus in morbis acutis) inter omnia fomenta calida probatiſsimum (nam à frigidis nemo veretur abſtinendum eſſe) id quod ex aqua calida in vtre, vel veſica,aut alio vaſculo poſita, fit: quamuis vtilis etiam

2. de rat. uictus, tex.1. tex.2.

ſit, vt ipſe inquit, & ſpongiæ mollis, magnæque atque ex aqua calida expreſſæ applicatio: verùm fomentum linteo veſtiendum erit, propter eas quas ipſe præcitato loco reddit cauſas: hi ſiquidem humidi potus inflammationibus quæ àillioſo ſucco factæ ſunt,opitulantur,ex Gal.ſentẽtia eodem 2.lib. de rat.vict. in morb.acut.velut ſicci iis,quæ à tenui,aquoſóque ſanguine exortæ ſunt, cum perpetuò contraria contrariorum ſint remedia. Loco autem prædicti fotus in eundẽ vſum parari poſſent,ſi priùs in qua radicem, & folia althææ, flores chamæmeli,fœnumgræcum,ſertulã campanam,ac ſemen lini decoquas,ac demum aliquo prædictorũ modorũ fotus applices: ex eiſdem quoq; ſacelli parari poſſent,qui etiã calidi,veluti fotus,extrinſecus adhibeãtur. Si verò ab aquoſo, tenuíq; ſanguine exorta fuerit inflammatio,tertio fotuum genere ab Hippo. conſcripto vtare.Eſt autem fomentum ipſum ſiccum ex ſale,milióq; frictis,torrefactis,atq; in ſacculis concluſis paratum: beneuolum ſiquidem,leue, atque iucun-

Eodem lib. tex.4.

Si inflammationis cauſa ſit bilioſus ſanguis.

commento. 2.

Si aquoſus ſanguis.

dum eſt

Eodem lib. text. 6. dum eſt milium, vt ipſe inquit Hippocrates. Poteris inſuper & in hunc eundem
vſum, ex chamæmeli floribus, furfure, ac milio ſaccellos componere: vel ex mi-
Si craſsior & viſcoſior fuerit ſanguis. lio, ſale, ſemine lini, ac fœnogræco, modò ſicci ſemper applicentur. At ſi ſuſpi-
tio fuerit, craſſos, viſcoſóſque humores, in ea quæ phlegmone obſidetur parte
collectos eſſe, ſecundo ab Hippo. fotus genere conſcripto, vtare. Conſtat autem
ex hordeo, ac eruo, priùs tamen eis conciſis, comminutíſque, & demum ex ace-
to, & aqua excoctis: ita diluto aceto ex aqua, vt paulo acidius ſit, quàm vt quis
bibere poſsit. Hæc itaque ſemina madefacta perfuſaque, & feruefacta in ſaccu-
los coniectà lateridolenti apponantur: in hunc etiam vſum confert furfur ap-
Lib. citato. tex. 5. poſitum: eodem Hippo. teſte, & in hunc quoq; vſum ſaccellis vtare ex hordeo
conciſo, ac furfure, addito hyſſopo, ac pulegio, ſimiliter madefactis ex diluto
aceto: nempe hoc pacto tum blandior, tum efficacior erit fotus. Trallianus ve-
rò (vbi melancholicus abundat humor) fomentum potiùs ex furfuribus in iu-
re chamæmeli decoctis commendat, tanquam excellentiſsimum, & propè ad
omnem dolorem conueniens: perpetuò tamen conſilo, vt ab eo incipias fotu,
qui periculo omni vacat. Is autem eſt, qui minimè mordet, humidúſq; exiſtit:
Lib. citato. commen. 2. ſic nanque & Hippocrates cœpit. Nempe (vt inquit Galenus) tametſi nihil ad-
uerſus malum fecerit, non tamen magnum, & inſigne affert detrimentum, ve-
luti hi qui ex aceto, vel orobo, aut ſale fiunt: qui niſi propitiam, conuenien-
témque conſequantur affectionem, non ſolùm non ſalutares erunt, verùm
quoque & malum augebunt. Propterea ab eis te inchoare non oportet, niſi
exactam habueris notitiam eius, qui in inflammata parte euincit, humoris.
Hanc verò dignotionem, cùm ſcientificam habere nequeas, ſed coniectura-
lem: propterea (vt diximus) tutius erit, ab his inchoare fomentis, quæ quàm
Vnguenta. cætera magis auxilio eſſe tibi videbũtur. Quòd ſi nihil præſidij tuleris, ad alia
etiam te transferre conuenier: quin etiam poſt fotus vtiliter admoueri poſ-
ſunt vnguenta eiuſdem rationis calfacientia, vt ℞. olei amygd. dulc. vnc. j. butyri
recentis vnc. s. vel loco olei amygd. dulc. chamæmelino, aut anethino vtare: &
in vicem butyri, anſeris ſeu gallinæ pinguedo accipiatur; potiſsimũ vbi ex fri-
gidiori ſucco inflammatio orta fuerit: in quem etiã vſum, hordei, fœnigræci,
& ſeminis lini farinam addere poteris, vel œſypum, & dialthæam compoſitam
Nicolai, aut eiuſdem ſimplicem: aut ex foliis, & radicibus maluarum, & al-
thææ contuſis, atque in aqua decoctis, adiectíſque olei anethini, vel chamæ-
melini, & amygd. dulc. vtriuſque vnc. j. ſeminis lini, fœnigræci, ac hordei farinã,
fiat cataplaſma. Ad curandum ſummopere eſt, ſi cataplaſma imponatur, vt
calidum permaneat: permanebit autem, ſi oleo calido veſicam ſemiplenam
Lib. 8. c. 68. frequenter cataplaſmati admoueas, ex Aëtij præcepto. Poſt ſeptimum autem
Cucurbitula. diem (vt idem inquit Aëtius) ſi eodem modo dolor perſiſtat, cucurbita lateri
affigenda eſt, & cutis ſcarificanda: manifeſtiſsima enim in pleuriticis (vt ipſe
refert) vtilitas ex cucurbitulæ appoſitione apparet. Celſus verò (vbi lenior,
Lib. 4. cap. 6. ſiue vetuſtior fuerit lateris dolor) ad cucurbitulas confugiendum eſſe (ante
ſumma cute inciſa) præcipit. Verùm ne in errorem incidas in cucurbitularum
Lib. 6. cap. 1. adhibitione, ſeruanda erit Alexandri ſententia; qui dixit, commodius & tu-
tius eſſe hac vti curatione in quibus parua copia eſt vacuandum. Nam per
eam quod in affecta parte continetur, ex alto extrahitur, atque hoc facto mi-
rari licet, quomodo inde etiam dolor, qualiſcunque fuerit, licet vehementiſ-
ſimus conquieuerit, vt neque fomento, neque alio præſidio indiguerit. At ſi
inflammatio membranæ coſtas ſubcingentis ex iam dictis diſcuti non valeat,
ſed in ſuppurationem permutetur, hanc permutationem coadiuuare oportet:
cùm quibus verò fiat, ſequenti capite de ſuppuratione parebit: quicunque
tex. 52. enim dolor (inquit Hippocrates ſecundo prognoſt.) in his affligit ſedibus, hoc
eſt, thorace, & pulmone non deſinens, neque ſcreationis purgatione, ventris
ſubductione, neque venæ ſectione, ac medicamento, & victus ratione in ſup-
purationem verti ſciendum eſt.

Περὶ πνευμονίας. *De pneumonia.* *Caput LI.*

ET hic quoque affectus, quem περιπνευμονίαν, ſeu πνευμονίαν, vel (vt Celſo viſum eſt cap.7.lib.4.) περιπνευμονικὸν Greci vocāt, Latini verò & περιπνευμονίαν quoque, interim verò pulmoniā appellant, inter eos morbos cōnumeratur à Gal.2.meth.med.cap.2. quibus à læſa particula nomen fuit inditū. Eſt nanque (vt Celſus inquit) vehemens, & acutus pulmonis morbus. Paulus verò cap.30.lib.3. peripneumoniam, pulmonis inflāmationem eſſe teſtatur. Ac Aëtius cap.66.lib.8. eandem dixit pulmonis eſſe inflammationem cum febre acuta. Cuncti verò, licet ſub diuerſis verbis in eandemmet videntur ferè coincidere ſententiā; quòd ſcilicet peripneumonia pulmonis inflammatio ſit: quam etiam ſententiam ſcriptam reliquit Galenus 2. & 4. de locis affect. lib. de pulſ. ad tyrones, cap.11. & 14. de cauſis pulſ. cap. 12. Nec alio modo per inflammationem hîc intelligendum erit, quàm præcedenti cap. de pleuritide intelleximus: poterit nanque inflammatio hæc, (vt in ſequentibus diſſeremus) nedum ex ſanguine optimo, ac laudabili, mediocrémque craſsitudinem habente initium ſumere, verùm etiam & ex eodem pituitoſo, aut bilioſo, aut melancholico exiſtente, vt patet apud eundem Galenum præcitato lib.2. de locis affect. cap.9. & commento aphor.33. lib.6. cùm dicebat, pulmonem aptum natura eſſe, cùm raræ, ac laxæ ſubſtantiæ particeps ſit, ad omnes humores ſuſcipiendos. Sed mox aduerſus ea quæ diximus, non abre inſtabit quiſpiam aſſerens Galenum 4. de cauſ. pulſ. cùm de peripneumonicorum pulſibus pertractat, fateri pulmonem, cùm laxus ſit, & mollis, fiſtuliſque inanibus vndique infinitis cauus, à pituitoſiore, atque craſsiori ſanguine inflammari, cùm ſubtilis, bilioſúſque fluat ferè, nec cum viſcere vlla ratione cohæreſcere poteſt: Cui reſponſum ſit, Galenum præcitato loco, tum etiam 2. de locis affect. propter viſceris laxitatem, ac mollitiem, & raritatem aſſeruiſſe pulmonem promptiùs ex pituitoſo ſanguine inflammari, ac etiam magis, quemadmodum & ſubcingentem membranam ex bilioſo magis, non tamen negaſſe vtraſque partes ab vtriſque etiam inflammari poſſe, cùm 4. de cauſis pulſ. ſic dicebat: Siquidem bilioſioris munus eſt cogere, ſiccare, tendere, indurare: quæ quandò minùs ſæpe pulmonem infeſtat, ſanè erit rara quoque pulſus durities: & 2. de locis affect. dicebat: Quin etiam in laterali morbo ſępenumero magis bilioſum, in peripneumonia verò magis pituitoſum ſequi conſueuit. Non itaque negauit Galenus omnino pulmonem inflammari poſſe ex bilioſiori ſanguine: ſed id rarò contingere: ſæpius verò, ac magis à pituitoſiore ſanguine inflammationem in ipſo oriri propter iam dictas cauſas, vbique confirmauit. Afficitur autem in hoc affectu pulmo ex quouis humore originem ducat, vt ex eius deſcriptione liquet, inſuper ex ſpirandi difficultate, quæ neceſſariò comitatur, eo quod affecta particula ſpiritus eſt inſtrumentum, ſic etiam ex tuſsi, quæ neceſſariò eis accidit. Quare ex ſpirandi difficultate, ac tuſsi ipſum affectum eſſe conicere poterimus: ſed quoniam maxima pars ſignorum huius affectionis, communis eſt tum parti ipſi affectæ, tum etiam affectui: propterea ne eadem bis repetamus, cuncta narrabimus, quæ affectum ipſum ac partem affectam indicant, pro comperto habentes, quod cùm vitium hoc ſit inflammatio, morbus vtique erit in quantitate primo, & ſecundo in intemper. indicant autem inflammatum pulmonem immodica ſpirandi difficultas, atque anguſtia, adeò vt ſuffocari laborantes videantur, ac recti ſedere conentur: nam hoc pacto faciliùs ſentiunt totum thoracem dilatari: quippe qui decumbentibus in ſe ſe concidit; eo quod pectoris partes ad ſpinam declinant, qua erecta thorax etiam ſimul fertur, non amplius ſe ipſum grauans, vt patet 2. & 4. de locis affect. quin etiam calidam ſentiunt eandem reſpirationem, maximè ſi eryſipelatis particeps fuerit inflammatio. Quocirca (vbi plurimum efflant) iuuari videntur; ac multum aërem frigidum attrahere concupiſcunt. Inſuper grauitatis cuiuſdam thoraci incumbentis ſenſum ſæpenumero percipiunt, ac dolorem ex imo ad ipſum peruenire, &

Peripneumonia quid ſit.

2. de locis aff. cap.9

4 de locis aff. cap.8

Dubium.

cap.12

Loco citato.

Citato cap.12

Citato cap. 9

Pars affecta.

Quis affectus præter naturam ſit.

Signa.

2. de locis aff. cap.9

4. de locis aff. cap.7. & 8.

ad ſpinam:ibi enim & membranæ ipſum ambientes ſuſpenduntur. Vehementi autem dolore pulmo nunquam cruciatur, verùm propter iam dictas membranas,& grauitatis ſenſum,& aliquando extenſionem quandam,vel ad pectus,vel ad ſpinam percipere poteſt,vt iam diximus ex Galeni ſentētia quarto de locis affectis,cap.8.præterea acuta quoque febris incidit pulmone inflāmato:at ſi intolerabile fuerit incendium,vt Galenus inquit eodem 4.de locis affectis, cap.8 anguſtiæ vero grauitatiſque ſenſus minor, eryſipelas ipſum vexare cenſendum eſt.Quibus ſic definitis,ſi eryſipelas phlegmonodes, aut phlegmone eryſipelatodes ſit,haud difficulter deprehendetur.Si verò inter tuſsiendum ſputum expuunt,id veluti in pleuritide,modo hoc, aliàs, alio colore infectum videbitur, pro ratione diuerſi humoris inflammationem excitantis.Proprium item in peripneumonicis ſignum eſt,Galeno teſte 2.de locis affectis,cap.3.quòd maxillę rubræ appareant, pulſus verò magnus,languidus,molliſque atque inæqualis,& vndoſus eſt,interim quoque dicrotus: & cùm acutè omnes febricitent peripneumonici,nonnihilque corhatis habeant, vtrum horum excellat, maximè ratione crebritatis pulſus inuenitur:nam vbi ardentior febris fuerit,pulſus abundè creber erit.Si verò comatoſior ſit,minùs creber,vt patet lib. de pulſibus ad tyrones,cap.11.& quarto de cauſis pulſuum,cap.12. quo loco ſtudioſi requirant cauſas,propter quas prædictæ pulſuum differentiæ in peripneumonicis fiant. Nonnulla quoque alia ſymptomata peripneumoniam comitantur,vt anxietas,impotentia,iactatio,lingua flaua,licet temporis progreſſu nigreſcat,Hippocrate libro 3.de morbis,& libro de diebus iudicat.auctore:interdum etiam delirium, oculi intumeſcunt, vt inquit Paulus,naſus in ſumma fit ſimus,& venæ temporū eleuantur,vt Aëtio viſum eſt, ac proſtratus eſt appetitus. Simili autem via ex quo humore ortum duxerit,indagabis, quam de pleuritide docuimus:nam licet ſæpenumero ex pituitoſiori ſanguine gignatur, ex aliis quoque humoribus fieri poterit,vt priùs dictum eſt; idque potiſsimùm percipies, ſi cùm expuant quicquam,ex eiuſdem ſputi colore diuerſo: nanque ſi rubrum fuerit, ſanguinem; ſi flauum,aut rufum,ſeu pallidum,bilioſum ſanguinem; ſi ſpumoſum,& cādidum, pituitoſum; ſi verò nigrum,aut liuidum apparuerit,melancholicum ſanguinem inflammationis cauſam eſſe ſignificabit,quemadmodum ſecundo de locis affectis,cap.2.& ſecundo prognoſticorum comment.47.à Galeno ſcriptum reperitur. At ſi nihil expuant,ex aliis id coniectari licebit,ex maiori ſcilicet, vel minori calore,ſeu incendio,quod in thorace percipitur,ex maiori, minoríve anguſtia,reſpirationis difficultate,ac grauitatis ſenſu,temperamēto, ætate,habitúque diuerſo,regione,aëris conſtitutione,annique tempore,ac præcedente victus ratione. Verùm ex quouis redundante fiat ſucco pulmonis inflammatio, ea affectus origo eſt.Id verò genus morbi (vt inquit Celſus) plus periculi, quàm doloris habet. Iudicatur (Hippocrat.auctore ſecundo,& tertio libro de morbis,ac lib. affect.) breuiſsimus quidem in diebus ſeptem, aut quatuordecim: longiſsimus verò in duobus de viginti; pauci autem hunc morbum effugiunt: verùm poſtquam vigeſimum diem tranſgreſſus fuerit, non ampliùs moritur: ſed pus ſpuit,pectus dolet,& tuſsis: nam ex hoc morbo fiunt etiam pectore ſuppurati, ſi non in iudicatoriis diebus pulmo fuerit purgatus. At ſi ſcreatio flaua nō multo permiſta ſanguine inter initia excernatur, ſalutaris admodum pulmonis inflammatio eſt,ſi ſeptimo die, pigriúſve,minùs ſecura eſt,eodem Hippocrate auctore ſecundo prognoſticorum. Quæ verò peripneumonia cùm virtutis imbecillitate fit,pernicioſa eſt,Galeno teſte tertio prorrheticorum, cōment.4. & decimo methodi medendi, cap.5.nanque vna ſalus tum pleuriticis (vt ipſe refert) tum peripneumonicis, adde etiam & ſynanchicis: ipſum virium robur. Harum etenim partium inflammationes, veluti etiam ventriculi,& iocinoris, non modo iis qui tam imbecillis ſunt viribus, ſed etiam iis qui valentiores ipſis ſunt, mortiferæ eſſe ſolent; ſi verò quid per tuſsim efferatur in peripneumonia, ſpumoſum,ac bilioſum eſt,& aliquando cruentū,& floridum vehementer,vt Aëtio

3. de morb. uerſus mediū. De diebus iudicat. in fine. Pau. libro 3. cap. 30 Cauſe. Aët. libro 8. cap. 66 Signa cauſarum.

Lib.8.cap.7 Prognoſtica. 2. de morbis. in medio. 3. de morbis. loco citato. De affect. in princ.

Tex.50

placuit,

dicamentum compoſitum ex cera,reſina terebinthina,medulla ceruina,butyro, œſypo liquida,iride ſicca tenuiſsimè trita,& etiam nardino vnguento,vt inquit Paulus:ſint autem horum partes æquales,vt ait Aëtius.

Περὶ ἐμπυήματος. *De empyemate, ſeu ſuppuratione.*

CAPVT L.II.

Quot modis dicatur ſuppuratio.

Vide 1.progno. cõm.40. & 2.progno. cõment. 60

2.prognoſt. comment.60

MOrbus qui à Græcis ἐμπύημα, à Latinis ſuppuratio, ſeu purulentia dicitur: & propterea qui hoc morbo laborant ἐμπυικοὶ ἢ ἔμπυοι Græcè,Latinè verò ſuppurati, & purulenti appellantur,non vno duntaxat modo in Hippocr.& Galeni doctrina intelligi conſueuit.Nanque interdum omnem tranſmutationem quæ fit ad pus,in quacunque parte fiat,per ſuppurationem intelligunt, vt patet aphoriſmo 8.5. & 45. ſeptimi libri,& libro prognoſticor. præſertim primo, & ſecundo: interim verò ſolos eos,qui in thorace,ac pulmone vniuerſum pus contentum habent,priùs tamen prædictis partibus inflammatione affectis,purulentos nominant: vt dicatur ſuppuratio hoc modo tranſmutatio, ſeu alteratio prędictarum inflammationum ad pus, vt liquet, tum commento citati aphoriſmi octaui,quinti libri,tum etiam ſecundo prognoſticorum. Tertio modo per ſuppurationem propriè,ac præcipuè intelligunt; non ſiquidem conuerſionem inflammationis lateris,ſeu pulmonis ad pus,ſed collectionem, ſeu effuſionem puris in ſpacio thoracis,atque pulmonis intermedio, poſt prædictæ ſuppurationis diſruptionem.Sic quoque pręcipuè ſuppuratos nuncupant eos,quibus inter thoracem,atque pulmonem aceruatum pus eſt,vt cõmento aphoriſmi 45.6.& 27. & 8.& 15.quinti libri patet,ac etiam ſecundo prognoſticorum.Cùm itaque hiſce tribus modis ſuppuratio,ſeu purulentia in Hippocratis & Galeni doctrina intelligi poſsit,de ea quæ primo modo ſumitur, nequaquàm pertractare propoſuimus,cùm de thoracis,ac pulmonis affectibus,& non de his qui indifferenter in ſingulis corporis partibus prouenire poſſunt,hîc verba facimus.Et cum magna ex parte,ac præcipuè ſuppuràtos nominent Hippocrates & Galenus eos, qui pus habent in ſpacio inter thoracem, atque pulmonem, vt præcitatis locis liquet,propterea de hac ſuppuratione potiſsimùm pertractare intendimus:quãuis affinitate ſermonis nonnulla quoque dicemus de conuerſione,ſeu tranſmutatione inflammationis lateris,ſeu pulmonis in pus, quod quidem adhuc in parte inflammatione affecta vniuerſum continetur: &ſi hic affectus non præcipuè ſuppuratio, aut purulentia dici poſsit, vt dictum eſt.

De qua ſuppuratione tractabitur.

2. prognoſtic. Loco citato.

Pars affecta.

Afficitur verò perpetuò in verè purulentis thorax,præſertim ſecundum eius cauitatem,hoc eſt, intermediam regionem quæ inter thoracem atque pulmonem eſt: quapropter anguſtiam ſentiunt laborantes loci illius pure repleta intermedia ea regione: accidítque eis anhelitus difficultas ac tuſsis, & in imo thoracis grauitas quædam ſentitur. Verùm ſi nondum pus in idem ſpacium effuſum ſit, ſed vniuerſum conſtiterit in parte priùs inflammatione affecta, pulmonem, aut ſubcingentem membranam affectam eſſe dignoſces, ex præcedente peripneumonia aut pleuritide, quæ haudquaquam adhibitis ſubſidiis diſcuſſæ fuerunt. Præter hæc,ſi in pulmone pus contineatur,& in vtraque parte potiùs, quàm in altera, dextra ſcilicet, & ſiniſtra pus colligitur, in vtriſque incidens veluti quoddam onus perſentiſcit æger, & æquè calidiores ambæ partes ſentiuntur, neque ægriùs, aut promptiùs in vno latere, quàm in alio cubabit. Si verò ſuppuratio in altero latere tantummodo fuerit, in altera quoque parte thoracis, dextra ſcilicet,aut ſiniſtra potiùs quàm in vtraque pus collectum erit, neque in dextra parte exiſtens,in ſiniſtram,neque è contrario in ſiniſtra, tranſmeare in dextram poteſt. Cæterùm pars affecta cognoſcitur, quia calidior eſt, quàm reliqua,& in eadem quoque duntaxat dolorem, ſeu grauitatem ſentiet æger: & eo in incolume latus cubante,veluti onus deſuper aliquod illi pendere videtur;

tentat itaque Hippocrates prædictis calidis fomentis dolorem diſſoluere primò, vt qui non ignorauerit hac via inflammationes curari poſſe, ac debere. id

Cap. 3.

quod Galenus confirmauit, libro de inæquali intemperie, dum dixit, verùm digeſtio optanda maximè curatio eſt: de inflammatione loquens. Verùm vbi ex humorum in toto corpore redundantia hic curationis modus impeditus fuerit, vtpote ſi ex iis dolorem augeri contingat, immutandus tunc erit curationis modus, ex eiuſdem Hippocratis, ac Galeni ſententia, id auferens primò quòd talem curationem interpellat, aliquo inſigni auxilio, venæ inquam ſectione, aut purgatione, vel vtriſque: deinde iterum ad calida fomenta rediens, ſiquid inflammationis relictum ſit, eiſdem curabis: nam vehementes dolores à corporis vacuatione leniendos eſſe, præcipit Paulus prædictis fotibus, ac ſacculis calidis, cùm videlicet exactè noueris in toto corpore humorum adeſſe redundantiam. At ſi id non exquiſitè cognoueris, ſtatim à principio eis vtare, ex Hippocr. Galeni, ac Alexandri monumentis, ſimul atque & rationibus priùs

Num exiſtēte humorum redundantia in toto, ſemper exordiēda ſit curatio à venæ ſectione.

dictis inſtructus. Cæterùm, vbi in toto corpore aderit humorum redundantia, vt inſigni aliqua ipſum totum corpus euacuatione indigeat, cùm bifariam ea fieri poſsit, venæ inquam ſectione, aut purgatione, diuiniſsimus Hippocrates, vtpote qui pro vacuatione per conferentia loca facienda, humorum propenſionem, partiſque affectæ naturam ſemper conſpexerit, vt aphoriſ. 21. 1. & 9. 4. lib. liquet, cùm dolor ad clauiculam pertigerit, interdum cubiti venam ſecari iuſsit. Si verò eas, quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt partes, dolor infeſtauerit, nullumque ad clauiculam ſignum fecerit, inflammatis videlicet thoracis inferioribus partibus, prope ſeptum tranſuerſum, per inferiorem ventrem purgare

2. de rat. vict. tex. 10. & 11. 4. de rat. vict. text. 73. 74. 75. & 76.

præcipit, quemadmodum ſecundo de ratione vict. ab eo decretum eſt, & quarto eiuſdem ſcriptum reperitur. Hanc quoque ſententiam poſt Hippocratem ſectati ſunt Paulus, Aëtius, & Alexander, idque perpetuò ſeruandum eſſe cenſerem, duobus duntaxat priùs conſideratis; quorum primum eſt eiuſdem Hippocra. lib. de med. purg. quòd laborantes videlicet validiſsimis febribus correpti non fuerint, nam iis medicamenta purgatoria dare non oportet, donec re-

Quòd ſeruanda ſit Hippoc. ſentē. in cura morbi lateralis.

miſerit febris, vt ipſe inquit: qua ratione in acutis morbis raro, & in principiis purgantibus medicamentis vtendum eſt, eodem Hippocrate auctore, aphoriſ. 24. libri primi. Secundum, quòd magnoperè animaduertere oportet; eſt ipſius laborantis natura, quæ niſi exactè cognita fuerit, eamque expertus fueris, quomodo in medicamentis purgantibus ſe gerat, metus erit, ne eo exhibito plus iuſto vacues, vel nullo pacto vacuationem moueas, aut ſi moueris, non tamen ſufficienter vacues: quæ omnia (vt inquit Galenus eodem ſecundo libro de ra-

commen. 11.

tione victus in morbis acutis) magnas in morbis acutis pariunt offenſas, præſertim ſi cum febre fuerint, neque facile emendantur. Cùm itaque febris in pleuritide vehemens non fuerit, hominiſque naturam noueris, atque expertus fueris, ſi dolor inferiores thoracis partes prope ſeptum tranſuerſum infeſtauerit, ad hypochondriumque ſe extenderit, ad medicamenti purgantis potum te conferes, iuxta Hippocratis atque Galeni decreta. Verùm quoniam ſæpiùs, imò ſæpiſsime pleuritim febris vehementiſsima comitatur, etiam ſi dolor ad inferiores partes finiatur, laborantiumque natura magna ex parte incognita eſt, qualiſnam ſit, quinimò adamuſsim ipſam nouiſſe non liceat, vt li-

cap. 14. 3. meth. cap. 7.

bro de curan. ration. per venæ ſectionem, liquet, nam ſi cuiuſque priuatim naturam explorare ad vnguem ſcirem (vt Galenus aſſerit tertio method. med.)

Quòd tutius ſit ſemper venam ſecare ex Gal. decreto.

vtique qualem fuiſſe Aeſculapium mente concipio, talem me eſſe putarem: eâ propter etiam ſi ad hypochondrium dolor peruenerit, tutius multò exiſtit per venæ ſectionem, quàm purgationem vacuare; & ſi minus auxilium ſequatur: nullum nanque ex eo quod per venæ ſectionem fit, periculum impendet, eo diſcrimen maximum ſubeunte, quod per purgationem tentatur, potiſsimùm ſi (vt diximus) laborantis naturam expertus non fueris: nanque alij difficulter natura purgantur, alij modico aſſumpto medicamento purgantur copioſè, ex

eiuſdem

Quòd Gal. in hoc nõ cõtradicat Hippoc. commen. 11 1. de mor. vulga. cõmen. 2. tex. 49

Gal 2. de rat. uict. cõmen. 13

eiuſdem Galeni ſententia, eodem ſecũdo libro de Ratione victus in morbis acut. nec propterea ipſum ab Hippocr. ſententia receſsiſſe opinandum erit, vt quidam temerè autumati ſunt, nempe idem Hippocrates primo de Morbis vulgari. dicebat, Te ad hoc exerceto, morbis vt proſis, aut ne quid noceas. At proderit pleuritico cuilibet (ſi humorum adſit redundantia in toto) venam ſecare, ídque ſecurius multo exiſtit, Galeno teſte, ſi febris vehemens fuerit, incognitáque ac inexperta laborantis natura, nullúmque per venæ ſectionem, veluti per purgationem, periculum impendet. Igitur venam audacter ſecabis, dolore etiam ad inferna deſcendentes quamuis ex ea minus conſequatur auxilium, ſic nanque tutò curabis: nam vt tutò cures, tria propria ſunt, quibus intentus ſis, oportet, Galeno auctore decimoquarto methodi medendi. quorum vnum, primúmque eſt, vt omnino abſolutionem operis conſequaris: alterũ, vt ſicubi non conſequaris, ſaltem cubantem non lædas, tertium, vt vitium non facilè reuertatur: præcipit nanque Hippocrates in ea duntaxat pleuritide, in qua dolor ad iugulum vſque peruenerit, venam ſecare; in ea verò in qua ad imas partes dolor ſe extenderit, purgationem dummodò febris vehementiſsima non ſit, aliàs ſibipſi pugnaret, vt qui in præcitatis locis contrarium aſſeruit. Atqui nec ipſe negaſſet (vtpote cùm periculoſum ſit eiſdem purgans medicamentum) cognitam priùs, atque expertam debere eſſe ægrotantis naturam, vt Galenus inquit: Verùm vbi hæc non adſint, cùm tutiùs per venæ ſectionem curare poteris, ea indifferenter vti, ſi virtus, aut ætas, ac reliqua non prohibeant, neque ipſe inficiaretur, potiſsimùm cùm morbis prodeſſe, aut ſaltem nequit nocere, nos exercendos eſſe doceat, vt diximus, id quod nec Celſus negaſſe videtur, cùm dixerit, Remedium verò eſt magni, & recentis doloris ſanguis miſſus. At cùm decretum ſit tutius eſſe ſemper venam ſecare in his, qui euacuatione totius corporis egent, quàm purgante medicamento vti, mox venit in dubium, ex qua vena ſanguis mittendus erit, ídque nõ ab re, nam in hoc nedum Arabes cum Græcis, ac ipſimet Græci auctores inter ſe, verumetiam iuniores medici, etiam hi, qui Galeni doctrinam profitentur, magnopere digladiantur. Verùm nos quibuſdam priùs prælibatis, id quod cum Hippocrate, & Galeno ſentiendum ſit, de hac re breuiter enuntiabimus, quorum primum, ac præcipuum eſt, iuxta Galeni ſententiam, cùm libro de curandi ratione per venæ ſectionem, tum nono methodi meden. cap. 11. quòd venæ ſectio interim ſanguinis vacuandi cauſa adhibetur, ceu vacuantiũ præſidiorum vna; probè autem hanc adminiſtrari conuenit, cùm ſanguis ipſe fiat naturæ inutilis; atqui bifariam contingit cum naturę inutilem fieri, vel cùm propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, vt nec amplius nutrire poſsit, ſicut priùs cùm vtilis erat, vel cùm ita multitudine creuerit, vt aut vires premat, plethoram quoad vires generans, aut tum venas, tum arterias, vel diſtendat, vel findat, vel obſtruat, quoad vaſa eo tempore plethora genita. interim verò ceu reuulſorium auxilium ſit, ea vtimur, vt humorũ vehementiorem impetum ad diuerſam partem reuocet, vel per propinqua deriuet. Nam non contemnenda venæ ſectio eſt, tanquam non ſit auxilium reuulſorium, vt Galenus inquit eodem libro de curan. rat. per venæ ſectionem, cap. 11. cùm per eam auertatur ſanguis, atque ad alia membra conuertatur; ídque bifariam fieri poterit, vel ad proxima deriuatus, vel ad cõtraria reuulſus, vt diximus, illud παροχέτευσιν, hoc ἀντίσπασιν, Græci vocant, vt idemmet libro quinto meth. med. cap. 3. teſtatur Galen. verùm perpetuò memoriæ tenendum, ex eiuſdem Galeni decreto, quòd ſiue vt vna vacuantium præſidiorum venæ ſectione vtaris, ſiue pro reuulſorio auxilio, ſemper poſtulat valentes vires, quæ modo vacuationis eius reſpondeant, ad hęc nanque reſpiciẽtes ſanguinem detrahimus, aliàs ſemel, aliàs bis, vel ter, vel ſæpiùs, vt ipſe inquit eodem nono meth. meden. cap. 11. Accedit ad hæc, quòd licet deriuatio ſemper ad vicina loca fiat, reuulſio tamen ad contraria efficitur, non vno duntaxat modo, ſed humoribus ſurſum fluentibus, deorſum reuulſio molienda erit; deorſum verò ſi ſurſum: ſin ad dextram incli-

cap. 1

Ex qua vena ſanguis mittendus ſit.

Lib. de curan. rat. per venæ ſect. per totũ, præcipuè c. 19

Primum ſuppoſitum.

Secundũ ſuppoſitum.

Tertium ſuppoſitum.

nent,ad ſiniſtram,ad ſiniſtram verò abeuntibus,in aduerſam partem; intro autem vergentibus,foras; ac rurſus foras ruẽtibus,intro:ſic quæ retrorſum fluxiones fiunt,reuocabis antrorſum:quę verò antrorſum,contra retrorſum,quemadmodum cap.de reuulſ.Galenus ſcriptum reliquit,quinto metho.meden.cap.3.& aphoriſ.68.libri quinti,fit itaque ad contraria auerſio, vel ſecundum longitudinem,vel ſecundum latitudinem,aut ſecundum profundum , in qua duæ continentur differentiæ,tum ea,quæ eſt ante, & retro, tum ea, quæ eſt intus extra:& propterea libro quinto metho.meden.cap.3.eius meminit, quæ intus extra, & è contra habetur, & commento præcitati aphoriſmi eius duntaxat, quæ eſt ante, & retro,& è contra:cùm in vniuerſum,ſecundum tres dimenſiones ad cõtraria auerſio fieri poſsit. Ea verò quæ fit ſecundum profundum , ſub diuerſa ratione bifariam conſiderari valeat:& ne quis temerè pro ſanguinis auerſione indiſcriminatim diuerſione,aut deriuatione vtatur, idem Galenus (Hippocratis auctoritate,nàm & hæc quoque Hippocra.inuenta ſunt) tum libro de curan. ratione per venæ ſectionem,cap.19.tum quarto metho.meden.cap.9. & ſecundo de arte curat.ad Glauconem,cap.2.docuit nos eiſdem vtiliter vti:nam incipientibus fluxionibus,ac toto tempòre quo etiamnum fluxio valenter irruit, ad contraria reuellere ſtudendum erit:in inueteratis autem,ac vbi fluxio ferè iam reſtitit,expedit magis per vicina deriuare. Neque illud ſatis admodum eſſe putes pro reuulſione,aut deriuatione perficiẽda,niſi & hoc potiſsimùm animaduertas,quod eiſdem geminam ob cauſam vti poteris,aut pro auerſione duntaxat , ac inhibitione impetus fluentium humorum,ipſum ad diuerſam partem reuocando, vel per propinqua deriuando,quo caſu id,quod influit, aut fluxurum eſt,tantum reuulſione,aut deriuatione prohibemus,nominabimusque eas diuerſiones ſimpliciter,ſi ad longinqua,atque contraria,& ſimpliciter deriuationes, ſi ad proxima ſanguis,ſeu fluxionis impetus per eas conuertatur; de qua ſimpliciter diuerſione,ac deriuatione,meminit Galenus præcitato libro nono metho. meden.cap. 11.quo loco cùm tractaſſet de venæ ſectione tanquam vna vacuantium præſidiorum,confeſtim de ea mentionem fecit,qua vtimur pro reuulſione dũtaxat, aut deriuatione fluentium humorum; de eiſdem quoque quinto meth.meden. cap.3.verba fecit,cùm dixit,eas eſſe omnis immodicæ euacuationis communia remedia,ac propterea ab Hippocrate inuenta : & libro de curandi rat.per venæ ſectionem,cap.15.in immodicis ſanguinis eruptionibus,reuulſionis cauſa venam ſecare iuſsit:nam citiſsimè ex ea conſpicuam videbis vtilitatem, ſi in directum adhibeatur; & tertio prorrheticorum,dicebat , Nempe & nos ſæpiùs auxilium experti ſumus,venæ inquam ſectionem, perſpicuè per eam immoderatam ſanguinis lationem ſiſtentes:neque enim per eam (vt ipſe inquit) vacuationis , ſed reuulſionis gratia ſectionẽ facimus. Quapropter & recto tramite eam fieri pręcipit,quod ab Hippocrate κατ' ἴξιν, dictum eſt:id inſuper exequendum iuſsit in inflammationibus ipſis,pręſertim circa initia,vbi totum corpus plenum ſanguine appareat,ſecundo de arte curat.ad Glauconem, cap.2.dum aſſeruit , Semper enim fluxionis motum ad contrarium trahere expedit.& 13. meth. meden.cap. 6.indicationem curationis phlegmonarũ,quæ adhuc in generatione ſunt, priorem vacuatione eſſe inhibitionem confluentis ad affectum locum ſanguinis aſſerebat:nam quæ phlegmonæ adhuc in generatione ſunt , earũ cauſas prius abſcindere oportet,vt eodem loco patet; & paulò pòſt dicebat præceptum in contrarium auerſionis eſſe in omnibus talibus cõmune , potiſsimùm ſi totum corpus male ſit affectum:nãque in his ad partes,quæ maximè longinquæ ſunt,ſemper auerſionem facies , ſiquidem longiſsimè à tentata fluxione parte auellere, nequaquã ad eam trahere conuenit.hoc idem confirmauit lib.art.med.cap.95. inquiẽs,Si igitur vniuerſum corpus plus ęquo plenũ fuerit,per patiẽtem locum minimè vacuandum,neque elaborãdum,vt quod influxit,retrocedat, cum corpus plenum nõ admittat,ſed priùs totum corpus euacuare oportet,aut omnino ad contraria loca retrahere,quod patienti particulæ influit, quo perfecto opere

Quartum ſuppoſitum.

Quintũ ſuppoſitum.

Comment. 53

à parte

à parte priùs repellendum, mox diſpergendum. Poteris inſuper & ſecundo reuulſione, ſeu deriuatione vti non ſimpliciter, & exquiſitè, pro ſcopo habēs auerſionem duntaxat fluentium humorum, aut eorum, qui fluxuri ſunt, ſeu immodicæ euacuationis curationem, ſed eum qui in parte affectæ continetur, qui inſimul cum diuerſione, aut deriuatione euacuatur. Sed quoniam in huiuſmodi diuerſione, ſeu deriuatione duo perficiuntur, euacuatio videlicet humoris in parte affecta contenti (& cum is non per eandem partem euacuetur, verùm per remotas, aut propinquas prædictæ partis affectæ) inſimul cum iam dicta euacuatione, reuulſio quoque ſeu deriuatio fit; vnde cum mixtum quoddam opus ſit, ex vacuatione, & auerſione, interim Galenus reuulſiones cum euacuatione, aut vacuationes cum reuulſione nominat; & iam ex mente Hippocra. & vt patet commento aphoriſ. 69. libri quinti, cùm ait; Non ſolùm ſtudet Hippocrates vbi opus ſit, euacuare, ſed etiā reuulſoriè euacuare, ſeu cum reuulſione: ſic quoque libro de curandi ratio. per venæ ſectionem, cap. 19. aſſerebat, incipientes phlegmonas reuulſoriè euacuare oportere: & paulò infrà inquit, Quippe reuulſiones cum euacuatione adhiberi magis debent in fluxionibus incipientibus, & libro ſecundo de ratione victus in morb. acut. Cùm igitur (dicebat) ſuperiorum condolentia ſignum fecerit, venam in cubito ſecare eam oportet, quæ ſanguinem ab affecta parte, & magis, & velociùs tum reuellere, tum vacuare poſsit. 13. quoque metho. meden. cap. 11. de curatione inflammati iocinoris verba faciens, hęc protulit verba. Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit ſanguis eſt, interna in dextro cubito ſecta vena: interim verò euacuationes eas duntaxat appellat, aut reuulſiones, aut deriuationes; iuxta etiam Hippocra. ſententiam, quāuis impropriè ſic dicantur, quemadmodum liquet ſecundo de arte curatiua ad Glauconem, cap. 2. cùm dixit, At ex poſitu indicatio neque ipſa negligenda eſt: nam per quæ euacuare oporteat, atque quomodo, ipſa præcipuè demonſtrat: fluentium igitur humorum retractio (ſic enim Hippocrates nominat) eorum autem qui iam membrum obſederunt, deriuatio medela eſt: & demum ſubdit; vtrunque autem euacuationis genus per cōmunes venas fieri pręcipit: nam proximarum (vt ipſemet Galenus inquit, libro de Conſtitu. artis medicæ, cap. 17. (communiúmque affectæ particulæ venarum euacuatio optima eſt, atque facillima. Neque id mirum videri debet: nam cùm mixtum quoddam opus ex huiuſmodi reuulſionibus, ac deriuationibus fiat, quod quidem proprio nomine carere videatur: idcirco aliàs alia Galenus cum Hippocrate vtitur appellatione, quemadmodum cùm morbos fientes curamus, quę curatio mista eſt ex præſeruatione, & curatione, proprio carentes nomine, interim præſeruationem, nonnunquam verò curationem, quandoque verò curationem cùm præſeruatione nuncupamus, vt commento aphoriſmi 22. libri ſecundi liquet, & 11. & 13. methodi medendi. Cùm igitur non per patientem particulam ipſam, humorem qui in ea continetur, euacuent prædictæ reuulſiones, ac deriuationes, ſed per alias partes ipſi coniunctas, ac per proximas, ſeu communes venas, poſſent haud obſcurè abuacuationes appellari, Gręcè verò non κενώσεις, ſed ἀποκενώσεις dici: quo etiam vocabulo vtitur Galenus libro de arte meden. cap. 95. de cura inflammationis loquens, vniuerſo præſertim corpore plus æquo pleno exiſtente: quamuis repellentia quoque medicamenta ex numero eorum ſint, quæ per patientem locum minimè euacuant, ſed per translationem ad alias partes: nam quamuis momentum omne laborantis phlegmone partis (vt priùs diximus ex Galeni ſententia decimotertio metho. medendi cap. 9.) in redundantis in ipſa ſanguinis vacuatione conſiſtat, vacuatio tamē hęc duplex excogitata eſt, vt ipſe eodem loco inquit, aut translato ad alias partes, qui in ęgra cōtinebatur, ſanguine, aut foras à corpore expulſo; gemina autem eſt dictarum vacuationum vtraque: quò fit, vt quadruplex in vniuerſum oriatur vacuātium auxiliorum genus: nam tranſlationis ad alias partes ſanguinis alterum genus eſt, vbi ipſa pars, quæ phlegmone laborat, ſanguinem abigit, id quod ex adſtringentium, ac infrigi-

comment. 10

11. meth. cap. 2
13. meth. cap. 2

dantium medicamentorum appoſitione perficitur. Alterum genus eſt, cum hæ quæ integræ ſunt, ad ſe trahunt, ipſis tamen priùs exinanitis, aut quomodolibet aliter eiſdem ad ſe trahentibus. Eius tamen quæ extra corpus educit, alterum ſenſibili effluxu, alterum verò ratione tantum contemplabili perficitur. Hiſce itaque duobus modis tam reuulſione, quàm deriuatione iuxta Hippocratis, & Galeni ſententiam, commodè vti poteris.

Sextum ſuppoſitum. Verùm id neutiquam prætereundum eſt, ex eorundem decreto, quòd velut natura ſanguinis eruptione criſim efficiens rectitudinem quandam ſeruat, taliſque eruptio ſummum commodum laborantibus affert, quibus verò contra euenit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet, quòd vires ſcilicet citra morbi leuamen deiiciat, atque exoluat. Non enim (vt Galenus inquit libro de Curandi ratione per venæ ſectionem, cap. decimoquinto) in liene turgente, ex dextra nare erumpens ſanguis, nec in iecore ex ſiniſtra, vllam fert vtilitatem, ſed ſi recto fiat tramite: hoc nanque vnum eſt ex his, quæ requiruntur in perfecta, & indeficiente iudicatione, vt patet commento aphoriſmi 20. libri primi. Sic, inquam, nos in diuerſionibus ac deriuationibus ſeruare debemus, velut Hippocrates diligenter obſeruatus, memoriæ prodidit, ſcilicet κατ' ἴξιν, hoc eſt, in rectum, ſeu ſecundum rectitudinem ipſas efficientes: nam reuulſio quibus in directum adhibetur, euidentem vtilitatem celeriter oſtendit, quibus contrà, haud etiam: à membris igitur, quæ è directo ſunt affectis partibus, propterea quòd viciniores venæ ſunt, atque magis è directo, ac plus inter ſeſe communicant, vena ſecanda erit, id enim per κατ' ἴξιν, ſecundo de arte curat. ad Glauconē, cap. 2. Galenus intelligi voluit, redditque rationem 14. de Vſu partium, cap. 7. ex Hippocratis ſententia: quoniā partes, quæ ſecundum rectitudinem ſunt ſitæ, neceſſariò plus inter ſeſe communicant, ac fruūtur. Quapropter proximarum, communiúmque affectæ particulæ venarum euacuationem optimam eſſe, atque facillimam idem Galenus aſſerebat, libro de Conſtitut. artis medic. cap. 17. vt paulò antè diximus: & lib. de palpit. trem. rig. & conuulſ. cap. 5. ſcriptum ab eo eſt, ſemper à communibus venis ſectionem faciendam eſſe, cùm ſi alias ſecueris, neque ſanabis affectū, perpetuò verò quod eſt ſanum, lædes; id autem potiſsimùm ſeruandum erit in reuulſionibus, quæ pro compeſcendis immodicis ſanguinis eruptionibus adhibentur, quemadmodum lib. de curandi ratione per venæ ſectio. cap. 15. liquet: nec minùs & in diuerſionibus, ſeu deriuationibus cum euacuatione, cum diuerſione, aut deriuatione, vt patet eodem libro de curandi ratio. per venæ ſectio. cap. 15. 16. & 19. 13. meth. cap. 11. & ſecundo de Arte curatiua ad Glauconem cap. 2. quo loco tam de diuerſione, quàm de deriuatione cum euacuatione loquitur; ait enim, Vtrunque autem euacuationis genus per communes venas fieri præcipit Hippocrates, veluti in locis muliebribus in contrarium trahes, ſi eas, quæ in cubito ſunt, ſecueris venas, aut mammillis cucurbitas appoſueris, vel manus concalefeceris, & fricueris, atque alligaueris. Deriuabis autem, ſi eas, quę in genibus, aut talis, venas diuiſeris, & cucurbitas coxis applicueris, & crura calefeceris, ac perfricueris, atque alligaueris: & ſiquidem in parte dextra locorū paſsio fuerit, à dextra manu, aut crure detraxeris ſanguinē: ſi verò in ſiniſtra, à membris, quæ illi è directo ſunt. hoc ipſum nanque eſt, quod ab Hippocrate κατ' ἴξιν dicitur, perpetuò in omnibus, quæ phlegmone afficiuntur partibus obſeruandum, tam pro euacuatione reuulſoria, quàm cum deriuatione, prout idem Galenus præcitato libro 13. methodi meden. cap. 11. decretum reliquit. In his denique diuerſionibus, ac deriuationibus, nedum κατ' ἴξιν, id eſt, rectitudinem ſeruandam eſſe cenſemus, verùm & maiorem rectitudinem, hoc eſt, venarum maiorem cōmunionem ac propinquitatē, propter iam dictas cauſas. In reliquis verò reuulſionibus, quę pro inhibitione duntaxat fluctium humorum adhibentur, ſat erit rectitudinem ſeruare,

Septimū ſuppoſitum. adeò, vt obliquitas vitetur, appello autem obliquitatē, eam quæ ſecundum duas differētias, aut plures iam dictas affectæ parti opponeretur: vt ſi iocinore inflammato, ex ſiniſtro crure ſanguinē detraxeris: liene verò, ex dextro: aut ſi dexter

oculus

oculus inflammatus eſſet, ex ſiniſtra manu, aut crure: & ſi ſiniſter, in dextra manu, aut crure. Nam cùm venarum diſtributio obliquè non fiat, ſed rectè magna ex parte, aut ægrè confluentis ad affectum locum ſanguinis fieret inhibitio, aut fortè nequaquam fieret. Quapropter cùm opus fuerit huiuſmodi reuulſione vti pro inhibitione duntaxat confluentis ſucci, ea ſeruanda rectitudo erit, quæ è regione, ſeu diametro parti affectæ ſit, non ſecundum duas, aut plures reuulſionis differentias, ſed ſecundum vnam tantum, vtputa ex ſurſum deorſum, vel econtrà, aut à dextris ad ſiniſtra, contráque ex ſiniſtris ad dextra: ſic quoque in reliquis ſeruandum erit reuulſiones differentiis, quæ ſcilicet fiunt foris intro, ac retrorſum ad antrorſum: & econtrà: non enim per has reuulſiones, ſanguinem in inflammata parte contentum euacuare intendimus, nec immodicum ſanguinis profluuium cohibere; ſed tantum fluxionis impetum coërcere, ac ad contrarias, longiſsimáſque partes auertere, id quod in inflammationibus, quæ in generatione adhuc ſunt, ex Galeni decreto decimotertio methodi medendi, cap. 6. priùs exequendum erit, præſertim vbi ex toto corpore, aut aliis quibuſdam partibus ſuperfluum alicui particulæ tranſmittatur, vt in ea phlegmone excitetur, quo fit, vt per quamlibet vnam reuulſionis ſpeciem, ex iam dictis, ſeruata etiam rectitudine, fieri poſsit; aliàs ſuperfluè à Galeno proprio cap. de reuulſione, libro quinto methodi medendi, cap. 3. & commento aphoriſmi 68. libri quinti, conſcriptæ fuiſſent. Idem quoque eodem decimotertio methodi medendi, cap. 5. corpore exiſtente pleno, in cura phlegmones, quæ ad vlcera conſequitur, manu laborante, ex cruribus ſanguinem mittere præcipit, & altero crurum malè habente, ex reliquo ſanguinem mittere: quo loco tum de ea, quæ ſecundum longitudinem, tum etiam de ea, quæ ſecundum latitudinem fit, diuerſione (vt liquet) mentionem fecit. Nec quicquam valet, ſi dixeris, in membris extremis id duntaxat veritatem habere, vt quidam ſentiunt; nam hoc eidem Galeno pugnat, qui ſecundo de Arte curatiua ad Glauconem, cap. 2. decretum reliquit, Patientibus membris extremis, de phlegmonè loquens, à coniunctis euacuationem faciendam eſſe, ſiue retrahere velis, ſiue deriuare, quemadmodum paulo ſuprà de inflammato iocinore, & liene ſimiliter concluſerat. Hoc inſuper confirmauit Hippocrates libro ſecundo de natura homi. ac libro de oſsium natur. cùm dixit, Operam dare oportet, vt quàm longiſsimè à locis, vbi dolores fieri ſolent, ſanguiſque colligi, ſanguinem mittamus, idque pro reuulſione duntaxat perficienda, vt ex eius verbis liquet. Nec obſtat, ſi dixeris Hippocratis dicta veritatem habere in ea præſeruatione, cùm ſcilicet periculum imminet ne in futurum inflammatio procreetur, & non in ea, quæ iam orta eſt, ac in generatione exiſtit: nam pari ratione qua per reuulſionem prohibetur phlegmones generatio in his corporibus, in quibus nondum oriri cœperit inflammatio, ea præſeruando à futura inflammatione: ſimiliter, & in his in quibus in generatione adhuc eſt, necdum abſolutionem nacta ſit, per reuulſionem duntaxat, ne augeatur, prohibetur: idque medicinæ artis parti ſimiliter, quæ futurū morbum præcauet, ſubiicitur, velut in prædictis, atque ſimiliter prophylactice dicitur: quamuis ea purè, ſyncereque prophylactice dicatur, cùm nondum ſenſibiliter morbus ex cauſa gignatur, ſed futurus eſt: in hac verò cùm ſenſibiliter generetur, licet uondum abſolutionem nactus ſit, prophylactice dici poterit, quamuis non purè, ac ſyncere: Nam quod generatum ex ea eſt, id medicinæ artis parti quæ morbos curat, ſubiicitur, quod verò in generatione adhuc eſt, parti, quæ futurum morbum præcauet, vt liquet apud Galenum eodem vndecimo & 13. methodi medendi. Vnica igitur indicatio in vtriſque eſt: aſsimilis quoque eſt ſcopus, nempe inhibitio ſanguinis, ne ad locum qui affici conſueuit, aut afficitur, confluat; prophylactice quoque vtraque eſt, & propterea rectitudine ſeruata quoad poſsit, vt diximus, quarumuis vna ex modo dictis reuulſionis differentiis, pro ea perficienda vti poteris, æſtimata tamen tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius ſtatu, poſitionéque partis affectæ, cum qua ſocietas

2. de natura homi. tex. 9.
De oſsium natur. paulò ante medium.

11. meth. ca. 2
13. meth. cap. 2

quoque comprehenditur,quàm cum aliis partibus habet,vt patet lib. de Conſtitut.artis medicæ, cap.16. Ex his itaque conſtat quid intelligendum ſit pro eo quod ab Hippocrate κατ' ἶξιν dicitur,hoc eſt,ſecundum rectitudinem: nanque partium è directo poſitionem; propter quam & neceſſariò plus communicant inter ſeſe per eorum vaſa, ac propinquiores ſunt inflammatis partibus, quàm hæ quæ non è directo ſunt poſitæ, & non intelligendum eſſe rectitudinẽ fibrarum,quæ in venis ſunt,prout quibuſdam viſum fuit,id quod nec ad Hippocratis,nec ad Galeni ſententiam veritatem habere poteſt,cùm eam indicationem, quæ à partium poſitione ſumitur,earúmque figuratione,laborantes partes, non qua ſimilares ſunt,ſed qua inſtrumẽtales indicent,vt decimotertio metho. medendi,cap.7.ac nonnullis aliis in locis teſtatur Galenus: & propterea de inſtrumentalium partium poſitione verificatur rectitudo:& nõ fibrarum,quæ in venis exiſtunt:nam auerſionis in contrarium, quæ ab Hippocrate antiſpaſis dicitur,non à ſubſtantia, ſed à curandi membri poſitu inuentio præſtatur, vt idem Galenus inquit 14.methodi meden.cap.8.Ad hæc cùm prædicti auctores nouerint fibras in venis contineri, cùm non earum rectitudinem ſeruandam eſſe in venæ ſectione pro diuerſione,aut deriuatione ſtatuerint, potiſsimùm Galen. libro de curandi ratione per venæ ſectionem,cap.15.& ſecundo de arte curat. ad Glauconem,cap.2.ac reliquis in locis,in quibus hoc Hippocratis verbum declarat,de inſufficientia proculdubio notari poſſent. Amplius cùm multis medicis liqueat,ſanguinis vacuationem ſecta vena, eiúſque attractionem conſecutione ad vacuum fieri,nullum propterea præſtabunt vſum rectæ venarum fibræ pro eius vacuatione,potiſsimùm cùm cõſueuerint,qui venas incidunt,iuxta inciſionem,partem ipſam,in qua vena ſecãda eſt,doloroſis vinculis alligare, multiſque frictionibus,interim etiam balneis aquæ calidæ,quo maior fiat attractio ad ſectam venam vti,vt propterea minimè opus ſit venarum fibris, etiam rectis, in hunc vſum,quinimò nec etiam tranſuerſis,quanquam vſum præſtent venarum fibræ pro ſanguinis per vniuerſum corpus diſtributione, quò promptiùs ſingulæ partes nutriri valeant: ſunt etenim communia totius corporis inſtrumenta, vt liquet 16.de Vſu partium. His denique iactis fundamentis firmis pro venæ ſectione adhibenda,ad propalandam noſtram opinionem,ac veritatem, quam de venæ ſectione in pleuritide efficienda ſentimus, accedere tempeſtiuum eſt. Pro qua audacter,ac citra controuerſiam,cum Hippocrate libro ſecundo de ratione victus,ſimul atque Galeno tum eodem loco,tum quarto eiuſdem,& libro de Curandi ratione per venæ ſectionem, cap.16.in pleuritide venam cubiti interoàm ſecandam eſſe cenſemus recto à latere dolente tramite. Quòd & ſi ab Hippocrate apertè præcitato libro ſecundo de ratione victus,non dicatur, ſubintelligendum erit nedum ad Galeni,ſed omnium medicorũ ſententiam,ídque manifeſtò ſcriptum reperitur libro quarto de Ratione victus, modò Hippocratis fuerit. Expedit enim iam dictam venam ſecare,quoniam,vt inquit Galenus, partẽ eam quæ phlegmone obſidetur,tum celeriter, tum quàm cæteras partes magis in acutis præſertim morbis vacuare contendimus.At ſectio prædictæ venæ (vt idem met teſtis eſt) ſanguinem ab affecta parte,& magis,& velociùs,tum reuellere,tum vacuare poteſt. Vt igitur optima ſit, atque facillima inflammatæ partis euacuatio,à proximis,atque communibus venis ea perficienda erit; atqui prædicta interna cubiti vena è directo laborantis lateris,& maiorem communitatem,atque propinquitatem cum affecta parte habet,quàm reliquæ,per quas poſſet ſanguis ab affecta parte tum reuelli,tum vacuari.Non ab re igitur ſi cum reuulſione ſanguinem qui in inflammata parte continetur, vacuare contendimus,eam incidas venam oportet: eritque ſanguinis vacuandi terminus coloris mutatio,vt ex eodem Hippoc.ſcriptum eſt,aſſerente.Neque vt copioſè ſanguis detrahatur eſt cunctandum,ſed eouſque auferendus,donec rubidior multò,vel pro puro,rubidóque liuidus fluxerit:redditque Gale.rationem dictorum Hippoc.tum eodem 2.de rat.vict.tum lib.de cur.rat.per venæ ſect.cap.6.nã alius eſt

Quid per κατ' ἶξιν intelligendum ſit.

cap.1

De ſecãda vena quid ſentiendum.

2.de rat.vict. tex.10.

4.de rat.vict. tex.73

2.de rat.vict. tex. 10

4.de rat.vict. tex.73

2. de rat.vict. cõment.10

Quando è directo laborantis lateris facienda ſit.

Terminus euacuationis à quo indicabitur.

2.de rat. vict. tex. citato.

2.de rat.vict. cõmen.citato.

qui in phlegmone continetur ſanguis, quàm qui ſecundum naturam, vtpote plus excalfactus. Quapropter ſi antea crudior erat, rubrior modò, & flauior efficitur: ſin eiuſmodi priùs fuerat, liuidior erit, aut ad atredinem vergit pro maiori, minoríve aſſatione, ſeu aduſtione. Coloris igitur mutatio, ſanguinis ex particula inflammata tranſlationem ſufficienter commonſtrat: & propterea hic erit modus vacuationis, atque menſura, quæ affectui peculiaris exiſtit, ſiquidem ſignum conſtituit Hippocr. aſſumpti in ſectam venam ex phlegmone ſanguinis mutationem in eo apparere; quem ſectatus Galenus, pari ratione pro reuulſione ſimul cum vacuatione perficienda in pleuritide lib. de cur. rat. per venæ ſectionem, cap. 16. dicebat. Quin & pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit ſanguinis miſsio, clariſsimam ſæpe vtilitatem attulit; quæ verò ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis interuallum. Nemo itaque vereatur vbi ſimul vnica venæ ſectione, tum reuellere, tum vacuare velit, ac poſsit in morbo laterali venam cubiti internam ſecare, quæ è directo laborantis lateris ſita eſt: ea verò non apparente, eiuſdem cubiti mediam: quod ſi nec ea apparuerit, humeralis incidatur, prout Galeno viſum eſt, eodem ſecundo libro de ratione victus in morbis acutis, eritque huius venæ ſectionis vacuandi ſanguinis terminus, eiuſdem (vt diximus) coloris mutatio.

cōmen. 10.

Cæterùm quoniam non omni ex parte coloris ſanguinis mutatio expectanda eſt, ſecta vena in pleuritide, vt Galenus inquit, eodem lib. de curan. rat. per venæ ſection. cap. 14. imò verum eſt, vbi antequam exiſtat, ceſſare conueniat, idq; duplici nomine, vt ipſe aſſerit, ob infirmas videlicet vires, quæ tantam copiam vacuare prohibent, aut ob phlegmones prauitatem: nanque interdum nihil ab ea emittitur, ſed inibi ſanguis fortiter conſtrictus eſt, per quam venæ ſectionem reuulſio duntaxat, & non reuulſio, & euacuatio ſimul fieret: propterea non ab re in dubium venit, num perpetuò ſeruandum erit in cura pleuritidis, quòd ea incidatur interna cubiti vena, quæ è directo laborantis lateris ſita eſt? vel liceat interdum à reliquis partibus ſanguinem mittere, etiam pro reuulſione duntaxat perficienda? Pro quo animaduertendum, quòd præter iam dictas duas præcipuas cauſas de pleuritide traditas, nonnulla alia ſunt, quæ multam ſimul copiam ſanguinis euacuari prohibent, etiam ſi affectus id indicabit, velut ſcriptum reperitur apud Galenum tum lib. de cur. rat. per venæ ſectionem, cap. 14. tum quarto de ratione victus in morbis acutis. primo de arte curan. ad Glauconem & reliquis pleriſque locis.

Num ſemper ex eodē latere facienda ſit vena ſectio.

Ea ſunt, laborantis temperies cùm calida ſcilicet, & humida fuerit: nam ſuapte natura corpora hæc promptè difflantur, qua etiam ratione, & pueris ipſis cùm videlicet pubertatem attigerint, quod ad ætates attinet, minùs detrahimus, quàm plenitudo, ſeu affectus commonet: dixi autem non inconſultò, cùm pubertatem attigerint, ne quis opinetur admiſiſſe Galenum veris pueris venæ ſectionem vſque ad 14. annum, interdicit enim eis vbique locorum eam: & proinde cùm dicit libro de cur. rat. per venæ ſectionem. cap. 13. Quod minùs detrahimus, quod ad ætates quidem attinet in pueris, de eis intelligendum erit qui pubertatem attigerint, ſic nanque & eodem libro parum antè præſcripta verba eos nominauerat: etiam poſt decimumquartum annum.

commen. 19. 1. ad Glauc. cap. 14.

Quod verò ad corporis habitus, in candidis, & quibus mollis, teneráque eſt caro, minùs etiam detrahimus. Similiter in regionibus, anni temporibus, ac aëris conſtitutionibus immodicè calidis, aut frigidis largam vacuationem fugimus, licet cuncta hæc ſub virium imbecillitate ferè contineantur. Cùm itaque tot ſint, quæ exquiſitam venæ ſectionem fieri impediant, audacter aſſerimus eandem internam cubiti venam è directo laborantis lateris incidi debere, eáque non bis duntaxat, ſed ter, & ſæpiùs, vbi opus fuerit, etiam reuulſionis tantùm gratia, cùm aliquod ex prædictis vſq; ad coloris mutationem fieri prohibeat: quãuis ex ea (vt Galenus inquit) parti quæ phlegmone obſeſſa eſt, minùs futurum ſit auxilium: modò fluxio non valenter irruat, velut conſueuit in primis morbi diebus, aut corpus totũ non ſit ex æquo plenum,

2. de rat. vict. commen. 10.

Verùm vbi ea vehementer irruat, aut in corpore toto humorum adſit redundantia, cum debilitate virium, nullo pacto pro reuulſione duntaxat eiuſdem lateris venam primò in cubito ſecandam eſſe putamus, ſed ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt, diuertere priùs oportet, atq; magis in aduerſum trahere, ſeruata tamen perpetuò Hippocratis rectitudine, quæ in reuulſione duntaxat efficienda ſeruari poteſt, ac debet; vtpote quæ non ſecundum duas, vel plures, ſed vnam tantùm reuulſionis, ſeu oppoſitionis, differentiam fiat. Nam quamuis ex ea minùs ſequatur auxilium laboranti particulæ, multò tamen ſecuriùs exiſtit; cùm non ad ipſam per hanc venæ ſectionem fluxio magis proritetur, ac trahatur, quemadmodum ſi ex eodem latere venæ ſectio fieret: imò ipſa per eam inhibetur, cùm ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt, attractio fiat. Id nanque perpetuò ſeruari oportere in cunctis venæ ſectionibus, quæ tantum pro reuulſione adhibentur, ac fluxionum inhibitione, ex paulò ſuprà conſcriptis auctoritatibus Hippocr. ac Galeni conſtat: & Aëtius lib. 5. cap. 100. Illud confirmauit, cùm de doloris curatione verba fecit, inquiens, Si quidem igitur multitudo fuerit quæ diſtendit, viribus fortibus exiſtentibus, vena ſecetur, & ex magna vena, inflammatæ autem dolenti parti propinqua, ſanguis auferatur. Si verò debiles fuerint vires, reuulſio fiat, & deriuatio ſurſum, aut deorſum, aut vtrinque, aut per frictiones. Nec vtique Galenus illud negauit in morbo laterali, cum lib. de cur. rat. per venæ ſect. cap. 16. dixit, Quin & pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit ſanguinis miſsio, clariſsimam ſæpe vtilitatem attulit, quæ verò ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis interuallum. Nunquid aliud voluit per hæc verba ſignificare? niſi quòd clariſsimam vtilitatem affert venæ ſectio è directo laborantis lateris adhibita? nanque per eam celeriter clariſsima vtilitas ægrotanti affertur. Sed quoniam nouerat iam id obſeruari perpetuò haudquaquam poſſe, propter eas quas priùs tradiderat cauſas, quas etiam modò narrauimus, ſæpe id dixit obſeruari debere, & non ſemper, vſus verbo πολλάκις, & non ἀεὶ: ſubditq; demum cùm id obſeruari non potuerit perpetuò, quod licet non tantam afferat vtilitatem, nec ita celerem, nec ex brachio oppoſito fieri debet, cùm dixit: Quæ verò ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis interuallum: Fruſtra nanque appoſuiſſet verba hæc, niſi quandoque ea vti deberemus: præſertim cùm priùs ſecta vena ex eodem latere, ſæpe, & non ſemper clariſsimam vtilitatem attuliſſe dixiſſet. Accedit ad hæc, quod & conferre confitetur venæ ſectionem ex oppoſito brachio, quamuis obſcura ſit conferentia, aut poſt temporis interuallum; idque non præter rationem. Nam cùm per hanc venæ ſectionem reuulſio tantùm fiat confluentis ſucci ad affectam partem, & non euacuetur ſanguis, qui in ea continetur, nec propterea dolor confeſtim ſedetur: ea de re rectè Galenus inquit, per hanc venæ inciſionem obſcuram fieri, aut poſt temporis interuallum ægrotantibus vtilitatem, relatione ad eam, quæ è directo laborantis lateris efficitur, pro reuulſione ſimul, ac euacuatione. Hoc idem confirmauit Aëtius, qui lib. tertio, cap. 12. ex Galeni ſententia pro reuulſione, ſimul ac euacuatione perficienda, venam è directo affecti lateris ſecandam præcipit: lib. verò 8. cap. 68. (ex Archigenis monumentis) venam incidere oportet, inquit, vt dictum eſt, in brachio, non eo quod rectà ab inflammato latere procedit, ſed oppoſito. Sanguinis autem multitudo non vſque ad animi deliquium extrahatur, ſed modicum extrahere oportet; & poſt ſufficientem temporis intercapedinem, rurſus repetita inciſione modicum auferre. Quo loco venæ ſectionem adhibendam eſſe pro reuulſione duntaxat perficienda, putandum eſt, cùm non liceat tantum virum ſibimet pugnantia conſcripſiſſe, vt quidam volunt: quamuis in vtriſque locis ſecundum mentem aliorum loquutus fuerit, Galeni ſcilicet in vno, Archigenis in alio. Ex oppoſito itaque brachio venam interdum ſecandam eſſe reuulſionis tantum gratia in morbo laterali, cùm in generatione adhuc ſit, fluxio valenter irruat,

Quòd nõ perpetuo è directo laborantis lateris venæ ſectio ſit facienda.

Loco citato.

aut corpus totum humoribus plenum fuerit, ex Galeni, ac Aëtij ſententia li-
quet; cùm videlicet laborantes vnicam venæ ſectionem, quæ vſque ad coloris
ſanguinis mutationem fieret, pro reuulſione ſimul, ac euacuatione, propter
aliquam ex prædictis cauſis, ferre non valeant: nanque in his inflammationi-
bus, quæ in generatione adhuc ſunt, prior vacuatione inhibitio facienda eſt
confluentis ad affectum locum ſanguinis. Quapropter longiſsimè à tentata
fluxione parte auellere, & nequaquam ad eam trahere conuenit: id autem po-
tiſsimùm ſeruari debet, vbi à toto, vel reliquis eiuſdem partibus, ſuperflua af-
fectæ parti tranſmittuntur. Semper etenim fluxionis motum ad contrariũ tra-
here expedit, dicebat idem Galenus 2. de arte curat. ad Glaucon. Si verò flu- *cap. 2.*
xionis cauſa ex ipſa parte quam phlegmone vexat, oriatur, vtpote quæ cali-
dior ſit facta, aut dolore vrgetur, quippe ſatis conſtat eiuſdem Galeni præce-
pto 13. metho. meden. affectum illum principio tibi eſſe ſanandum, & mox *cap. 6.*
quicquid iam phlegmones factum eſt: nam ſemper quæ phlegmonæ adhuc in
generatione ſunt, earum cauſã priùs abſcindere oportet, vt eodem libro pa-
tet. Quapropter toto (vt inquiunt) cœlo, (vt mea fert opinio) errarũt, qui iuxta *Quorundam*
Galeni doctrinam voluerunt perpetuò pro cura pleuritidis eiuſdem lateris *Galenicorum*
venam incidendam eſſe, freti ex paulò ante dicta auctoritate ipſius, in qua (vt *hallucinatio.*
cuilibet patere poterit) à Galeno perpetuò id ſeruandum eſſe non præcipitur: *Loco citato.*
quamuis ſæpius dixerit, vtilitatem clariſsimam eam afferre; imò, propterea
quòd ſæpiùs dixit, id ſemper obſeruari noluit, ac ſi dixiſſet, quandoque ex ea
vtilitatem non prouenire, imò potiùs laboranti incommodum, veluti ſi fieret,
redundantia in toto corpore exiſtente, circa morbi initia, fluxionéque vali-
da irruente, & vires, aut quodpiam aliud ex prædictis vſque ad coloris muta-
tionem eam fieri prohiberent: quo caſu, ſatius, imò tutius erit, iuxta eiuſdem
Galeni decreta ex oppoſito brachio ſanguinem mittere reuulſionis tantùm
gratia, quamuis ex ea inflammatæ parti minùs futurum ſit auxilium, quæ ad
contrarium iuxta latitudinem fieret, vt ſi iuxta tali venas, è directo tamen la-
borantis lateris venam incidas, per quam reuulſio duntaxat fiat, ſecundum
longitudinis oppoſitionem, iis potiſsimùm, quibus hæmorrhoides, aut men-
ſes detenti fuerint, à qua confeſtim eadem die, ſi vires permiſerint, aut in ſe-
quenti eam incidas venam in cubito, quæ è directo eſt laborãtis lateris, etiam ſi
per eam reuulſio tantùm fiat: nam quanto maiorem in numerum particula-
res auxeris detractiones, tantò reuulſionem efficaciorem effeceris, vt Gale-
nus inquit eodem libro de cur. rat. per venæ ſectionem. Et propterea facta pri- *cap. 12.*
ma venæ ſectione ex oppoſito cubito, aut eiuſdem lateris crure, ſtatim ad ſe-
candam (vt diximus) eiuſdem affecti lateris in cubito venam deuenias, eám-
que non ſemel incidas, imò bis, ter, ac ſæpiùs, vbi opus fuerit, repetas, ſi quid nõ
prohibeat; quoad ſanguis qui in obſeſſa phlegmone parte continebatur, per
eam vacuetur; id quod dignoſces præcipuè, ex eiuſdem ſanguinis coloris mu-
tatione, ac doloris ſedatione. At mox non deerit, qui noſtram hanc opinio- *Dubium.*
nem impugnabit, aſſerens, quòd ſi ſectio venæ è directo laborantis lateris pro
reuulſione duntaxat interdum adhibeatur, & ea ab affecta parte reuellit, vt
palàm conſtat, cùm ipſa à nobis non prohibeatur, etiam exiſtente in toto cor-
pore plenitudine, ac valenter fluentibus ſuccis ad affectam partem, præce-
dente tamen oppoſiti cubiti, aut eiuſdem lateris circa talum ſanguinis miſſio-
ne; cur pari ratione etiam à principio nulla facta in reliquis partibus remotio-
ribus venæ ſectione, pro eadem duntaxat reuulſione perficienda ipſa non in-
cidenda erit? Cui reſponſum volo, quòd licet per ſectionem venæ in cubito *Reſponſio.*
è directò laborantis lateris interdum reuulſio tantùm perficiatur, vt priùs di-
ctum eſt, tamen ſi tempore quo fluxio valenter irruit: ſeu corpus multis humo-
ribus refertum ſit, vt ſæpe contingit, pro reuulſione dũtaxat ea incidatur, maius
affert ægrotanti incommodum, quàm commodum: nam inanitis per venæ ſe-
ctionem venis brachij eiuſdem lateris, cùm viciniores ſint affectæ parti, quàm

reliqu

reliquæ, quæ in oppoſito brachio, aut eiuſdẽ lateris crure exiſtunt, irritatur quidem per eam ad affectam partem humorum defluxus conſecutione ad vacuum ipſis attrahentibus. Nec quicquam valet, ſi dixeris eas potius à parte phlegmone obſeſſa trahere, quàm reliquis partibus: nam præter reliqua, quæ dici poſſent, illud tantùm ſatis eſſe puto, quod apud Galenum legitur 3. de natur. facul.
cap. 14. quod in ſucceſsione ad id quod vacuatur, quod leuiſsimum, tenuiſsimúmque, priùs ei quod vacuatur ſuccedit, quàm id quod grauius eſt, & craſsius. Atqui craſsior eſt qui in parte phlegmone obſeſſa ſanguis continetur, inibíque fortiter conſtrictus, nec leuiter in eiuſdem ſpaciis inanibus impactus, ac ex vaſis ad eadem effuſus, & proinde ægriùs, quàm à cæteris corporis partibus ab inanitis venis trahitur: quod ſi velis ſaltem à naturali facultate vaſorum eum ſanguinem trahi, quid ſtultius, cùm id quod familiare eſt, & non alienum (velut ſanguis, qui in inflammata parte conſiſtit) ab attractrice facultate promptiùs trahatur? Potiùs itaq; attrahit venæ ſectio hæc ad inflammatam partem quam reuellit, ſi in principio nulla facta à iam dictis remotioribus partibus venæ ſectione adhibeatur: & propterea magnopere vitanda erit, niſi pro reuulſione ſimul, ac euacuatione adhibeatur, aut pro reuulſione duntaxat vbi corpus totum plenum non fuerit, ſeu poſt primos morbi dies, cùm fluxio non vehementer irruat, quemadmodum ex his, quæ ſuprà diximus, liquet: tunc etenim nec fluxio irritabitur, & promptiùs ſanguis in affecta phlegmone parte contentus, per eadem vaſa, per quæ erat effuſus, remeabit, ſi eum quoque euacuare tentabis cum reuulſione per iteratam venæ ſectionem, modò nullum eorum quæ diximus, eum euacuari prohibeat. Verùm vbi corpus totum vitioſis quoque ſcateat ſuccis, ac recrementis plenum appareat, & circa imas potiſſimùm thoracis partes dolor excruciet, nec dolor per venæ ſectionem adhuc conquieuerit, à venæ ſectione, aluus nedum clyſteris, verùm etiam purganti-
Purgatio. bus medicamentis ſubducenda erit, ex Tralliani ſententia cap. 1. lib. 6. modo vires valeant: nam ſi imbecilliores fuerint, nedum leuibus clyſteris, verùm etiam acribus vtendum, Paulo auctore. Et ſi paulò ante cum Galeno medicamenta purgantia nulla præcedente venæ ſectione quodammodo propter traditas cauſas, vitauimus: nam tutiùs eſſe fatemur ſemper in morbo laterali, qui euacuatione totius corporis indiget, venæ ſectione primò vti, non negauimus tamen poſt venæ ſectionem, interdum purgans medicamentum poſſe conferre, cùm ſcilicet adſint ea, quæ modò diximus. Verùm ea eligenda ſunt, ex quibus prænarrata à Galeno pericula non impendeant: & non ea pharmaca quæ fortiter ſoluunt, de quibus Aëtius lib. 8. cap. 68. ſic ſcriptum reliquit, Aluus autem aſsiduè ſubducatur, in maximis præſertim doloribus, ſed tamen cauendum ne fortiora ſolutiua exhibeantur. Hæc inquam purgantia medicamenta tempore, quo Galenus vixit, vſui erant, quæ cane peius & angue fugienda ſunt pro cura morbi lateralis, propter cauſas ſuperiùs aſsignatas. Verùm eis potiſsimùm vtendum erit, quæ leniendo purgant, aut per tuſsim repurgationi opitulantur, aut ſaltem non aduerſentur. Ea ſunt hoc noſtro æuo, caſsia fiſtula, manna, ſaccharum violaceum, aut ſyrupus ex pluribus infuſionibus violarum. Diaprunum non laxatiuum Nicolai: quibus etiam interdum pro ratione redundantis ſucci admiſcere poteris, aut diacatholicon, aut rhabarbarum, vel agaricum: quantitas autem iſtorum lenientium iam dictorum ratione, exigua ſit, oportet. Nec Galenus illud negaſſe videtur, quamuis ante venæ ſectionem
tex. 21. cum prædicta non concurrant, purgans medicamentum vitauerit; ſimul etenim cum Hippocrate 4. de ratione victus in morb. acut. venã primò ſecãdam eſſe, & deinde purgans medicamentum exhibendum, in internis inflammationibus, & non è contrariò decretum reliquit, ídque ſecurè, & mediocriter porrigendum inquit Hipp. vbi vtroq; indigeant auxilio. Redundante itaq; bile, ex caſsiæ fiſtulæ vnc. j. & s. & diapruni lenitiui vnc. s. bolus confici poterit: poſt cuius aſſumptionem vnc. ij. vel vnc. ij. & s. mannæ diſſolutæ in infraſcripto decocto

tribue

tribuere poteris, quod recipit hordei mundi drac.iij.florum borraginis,& violarum,ſingulorum drac. ij.radicis glycyrrhizæ drac.j.vuarum paſſarũ mundararũ drac.iiij.adianti drac.j.& s.iuiubarũ,num. 4. bulliant ſecundũ artem in aqua fontana : deinde vnc.iij.vel iiij.eiuſdem decocti aſſume,in quibus iam dictam mannam diſſoluas. Si autem æger (vt plerique ſolent) caſsiam fiſtulam aſſumere abhorreat,cum eadem manna diapru.lenitiui vnc.s.ac rhabarbari optimi vigorati infuſi in parte prædicti decocti,ac per lineum linteũ transfuſi drac. j.miſceãtur.At ſi pituitoſus fuerit redundãs,in vicem diapru.lenit.cum caſsia fiſtula vnc. s.diacatholicon,& agar.trochiſ.drac.j.addas,ſicque bolum conficias: aut ſi potionem potiùs aſſumere eligat, prædicto decocto ficus aridas ac palmulas ij. vel iij.& hyſſopi drac.ij.adiicias : in cuius decocti quantitate,quæ ſatis ſit, agarici trochiſ.drac.j.vel ſcrup.iiij.leuiter decoquantur ; in quo iure vnc. j. & s.caſsiæ fiſtulæ,aut ij.mellis roridi diſſoluãtur,cum vnc.s.diacath.Pari ratione ſi atra bilis redundabit,decocto addendũ erit ſenæ,& epithymi,vtriuſque drac.ij. in quo demũ diſſoluas drac.j.& s.aut ij.caſsiæ fiſtulæ cum vnc.s.aut drac.vij. diacatho. aut loco caſsiæ fiſtulæ,manna vtare,potiſsimùm ſi eam abhorreant laborantes. Nec minùs loco mannæ, præſertim pauperibus ; aut in locis vbi ea deſit, ſaccharo violaceo,aut ſyrupo ex pluribus infuſ.viol.vti poteris: quemadmodũ in robuſtioribus etiam corporibus,vice diapru.lenitiui,etiam laxatiua vtare,& vice diacath.confectione de dact.potiſsimùm pituita redundante, id tamẽ perpetuò ſeruandum erit,vt ex eis,quæ fortiter purgant, etiam robuſtis corporibus multa quantitas non tribuatur,ſempérque mixta ſint cum multo maiori copia prædictorum lenientium medicamentorum, ita vt eorum quantitas drac. ij. non excedat. Interim autem Medici exhibere non negligant ea medicamenta, quæ ad facilem excreationem, ac thoracis expurgationem conducunt, diuerſa tamen, prout diuerſitas humoris gignentis inflammationem requirit: nam ſi ſanguis,aut bilis fuerit, violaceum ſyrupum,aut è cannis, ſeu vua paſſa, vel ex adianto tribuas,interdum verò iuiubinum ſimplicem : compoſitum verò,aut eum qui ex glycyrrhiza, ſeu hyſſopo conficitur, ſeu etiam è marrubio exhibere poteris,ſi morbus lateralis ex craſsioribus ſuccis fuerit ortus. Quòd ſi æger maluerit aquis permixtos potiùs abſorbere eos, aquam borraginis, aut hordei, ſeu adianti permiſceas, vel aquam in qua glycyrrhizæ radix fuerit decocta. Nonnulla item ecligmata hypoglottidáſque in hunc vſum parari poſſunt, quæ ſtudioſi iuuenes requirant,cap. tum de catarrh. tum de tuſsi. Sed quoniam Hippocrates præcipiebat à principio lateris dolores tentare calidis fotibus diſſoluere, tempeſtiuum videtur, ad eos deſcribendos deuenire : eos *Fotus.* nanque conſcribere distulimus vſque in hunc locum, ne interceptus fuiſſet ſermo de venæ ſectione ac purgatione adhibenda. Erit itaque (eodem Hippoc. *2. de rat. victus, tex. 1.* teſte ſecundo de ratione victus in morbis acutis) inter omnia fomenta calida *tex. 2.* probatiſsimum (nam à frigidis nemo veretur abſtinendum eſſe) id quod ex aqua calida in vtre, vel veſica,aut alio vaſculo poſita, fit: quamuis vtilis etiam ſit, vt ipſe inquit, & ſpongiæ mollis, magnæque atque ex aqua calida expreſſæ applicatio: verùm fomentum linteo veſtiendum erit, propter eas quas ipſe *Eodem lib. tex. 4.* præcitato loco reddit cauſas : hi ſiquidem humidi potus inflammationibus quæ à bilioſo ſucco factæ ſunt,opitulantur,ex Gal.ſentẽtia eodem 2.lib. de rat.vict. *Si inflammationis cauſa ſit bilioſus ſanguis.* in morb.acut.velut ſicci iis,quæ à tenui,aquoſóque ſanguine exortæ ſunt, cum perpetuò contraria contrariorum ſint remedia. Loco autem prædicti fotus in eundẽ vſum parari poſſent,ſi priùs in qua radicem, & folia althææ, flores cha- *commento. 2.* mæmeli,fœnumgræcum,ſertulã campanam,ac ſemen lini decoquas,ac demum aliquo prædictorũ modorũ fotus applices: ex eiſdem quoq; ſaccelli parari poſſent,qui etiã calidi,veluti fotus,extrinſecus adhibeãtur. Si verò ab aquoſo, tenuiq; ſanguine exorta fuerit inflammatio,tertio fotuum genere ab Hippo. conſcripto vtare. Eſt autem fomentum ipſum ſiccum ex ſale,milióq; frictis,torrefa- *Si aquoſus ſanguis.* ctis,atq; in ſacculis concluſis paratum : beneuolum ſiquidem,leue, atque iucun-

dum eſt

Eodem lib. text. 6.

dum eſt milium, vt ipſe inquit Hippocrates. Poteris inſuper & in hunc eundem vſum, ex chamæmeli floribus, furfure, ac milio ſaccellos componere: vel ex milio, ſale, ſemine lini, ac fœnogræco, modò ſicci ſemper applicentur. At ſi ſuſpitio fuerit, craſſos, viſcoſóſque humores, in ea quæ phlegmone obſidetur parte collectos eſſe, ſecundo ab Hippo. fotus genere conſcripto, vtare. Conſtat autem ex hordeo, ac eruo, priùs tamen eis conciſis, comminutíſque, & demum ex aceto, & aqua excoctis: ita diluto aceto ex aqua, vt paulo acidius ſit, quàm vt quis bibere poſsit. Hæc itaque ſemina madefacta perfuſaque, & feruefacta in ſacculos coniecta lateridolenti apponantur: in hunc etiam vſum confert furfur appoſitum: eodem Hippo. teſte, & in hunc quoq; vſum ſaccellis vtare ex hordeo conciſo, ac furfure, addito hyſſopo, ac pulegio, ſimiliter madefactis ex diluto aceto: nempe hoc pacto tum blandior, tum efficacior erit fotus. Trallianus verò (vbi melancholicus abundat humor) fomentum potiùs ex furfuribus in iure chamæmeli decoctis commendat, tanquam excellentiſsimum, & propè ad omnem dolorem conueniens: perpetuò tamen conſulo, vt ab eo incipias fotu, qui periculo omni vacat. Is autem eſt, qui minimè mordet, humidúſq; exiſtit: ſic nanque & Hippocrates cœpit. Nempe (vt inquit Galenus) tametſi nihil aduerſus malum fecerit, non tamen magnum, & inſigne affert detrimentum, veluti hi qui ex aceto, vel orobo, aut ſale fiunt: qui niſi propitiam, conuenientémque conſequantur affectionem, non ſolùm non ſalutares erunt, verùm quoque & malum augebunt. Propterea ab eis te inchoare non oportet, niſi exactam habueris notitiam eius, qui in inflammata parte euincit, humoris. Hanc verò dignotionem, cùm ſcientificam habere nequeas, ſed coniecturalem: propterea (vt diximus) tutius erit, ab his inchoare fomentis, quæ quàm cætera magis auxilio eſſe tibi videbūtur. Quòd ſi nihil præſidij tuleris, ad alia etiam te transferre conueniet: quin etiam poſt fotus vtiliter admoueri poſſunt vnguenta eiuſdem rationis calfacientia, vt R. olei amygd. dulc. vnc. j. butyri recentis vnc. s. vel loco olei amygd. dulc. chamæmelino, aut anethino vtare; & in vicem butyri, anſeris ſeu gallinæ pinguedo accipiatur; potiſsimū vbi ex frigidiori ſucco inflammatio orta fuerit: in quem etiā vſum, hordei, fœnigræci, & ſeminis lini farinam addere poteris, vel œſypum, & dialthæam compoſitam Nicolai, aut eiuſdem ſimplicem: aut ex folijs, & radicibus maluarum, & althææ contuſis, atque in aqua decoctis, adiectíſque olei anethini, vel chamæmelini, & amygd. dulc. vtriuſque vnc. j. ſeminis lini, fœnigræci, ac hordei farina, fiat cataplaſma. Ad curandum ſummopere eſt, ſi cataplaſma imponatur, vt calidum permaneat: permanebit autem, ſi oleo calido veſicam ſemiplenam frequenter cataplaſmati admoueas, ex Aëtij præcepto. Poſt ſeptimum autem diem (vt idem inquit Aëtius) ſi eodem modo dolor perſiſtat, cucurbita lateri affigenda eſt, & cutis ſcarificanda: manifeſtiſsima enim in pleuriticis vt ipſe refert) vtilitas ex cucurbitulæ appoſitione apparet. Celſus verò (vbi lenior, ſiue vetuſtior fuerit lateris dolor) ad cucurbitulas confugiendum eſſe (ante ſumma cute inciſa) præcipit. Verùm ne in errorem incidas in cucurbitularum adhibitione, ſeruanda erit Alexandri ſententia: qui dixit, commodius & tutius eſſe hac vti curatione in quibus parua copia eſt vacuandum. Nam per eam quod in affecta parte continetur, ex alto extrahitur, atque hoc facto mitari licet, quomodo inde etiam dolor, qualiſcunque fuerit, licet vehementiſſimus conquieuerit, vt neque fomento, neque alio præſidio indiguerit. At ſi inflammatio membranæ coſtas ſubcingentis ex iam dictis diſcuti non valeat, ſed in ſuppurationem permutetur, hanc permutationem coadiuuare oportet: cùm quibus verò fiat, ſequenti capite de ſuppuratione patebit: quicunque enim dolor (inquit Hippocrates ſecundo prognoſt.) in his affligit ſedibus, hoc eſt, thorace, & pulmone non deſinens, neque ſcreationis purgatione, ventris ſubductione, neque venæ ſectione, ac medicamento, & victus ratione in ſuppurationem verti ſciendum eſt.

Si craßior & viſcoſior fuerit ſanguis.

Lib. citato. tex. 5.

Lib. citato. commen. 2.

Vnguenta.

Lib. 8. c. 68.

Cucurbitula.

Lib. 4. cap. 6.

Lib. 6. cap. 1.

tex. 52.

Περὶ

Περὶ περιπνευμονίας. *De pneumonia.* *Caput L I.*

ET hic quoque affectus, quem περιπνευμονίαν, ſeu πνευμονίαν, vel (vt Celſo viſum eſt cap.7.lib.4.) περιπνευμονικὸν Græci vocãt, Latini verò & περιπνευμονίαν quoque, interim verò pulmoniã appellant, inter eos morbos cõnumeratur à Gal.2.meth.med.cap.2. quibus à læſa particula nomen fuit inditũ. Eſt nanque (vt Celſus inquit) vehemens, & acutus pulmonis morbus. Paulus verò cap.30.lib.3. peripneumoniam, pulmonis inflãmationem eſſe teſtatur. At Aëtius cap.66.lib.8. eandem dixit pulmonis eſſe inflammationem cum febre acuta. Cuncti verò, licet ſub diuerſis verbis in eandemmet videntur ferè coincidere ſententiã, quòd ſcilicet peripneumonia pulmonis inflammatio ſit: quam etiam ſententiam ſcriptam reliquit Galenus 2. & 4. de locis affect. lib. de pulſ. ad tyrones, cap.11. & 4. de cauſis pulſ. cap. 12. Nec alio modo per inflammationem hic intelligendum erit, quàm præcedenti cap. de pleuritide intelleximus: poterit nanque inflammatio hæc (vt in ſequentibus differemus) nedum ex ſanguine optimo, ac laudabili, mediocrémque craſsitudinem habente initium ſumere, verùm etiam & ex eodem pituitoſo, aut bilioſo, aut melancholico exiſtente, vt patet apud eundem Galenum præcitato lib. 2. de locis affect. cap. 9. & commento aphor.33.lib.6. cùm dicebat, pulmonem aptum natura eſſe, cùm raræ, ac laxæ ſubſtantiæ particeps ſit, ad omnes humores ſuſcipiendos. Sed mox aduerſus ea quæ diximus, non abre inſtabit quiſpiam aſſerens Galenum 4. de cauſ. pulſ. cùm de peripneumonicorum pulſibus pertractat, fateri pulmonem, cùm laxus ſit, & mollis, fiſtulíſque inanibus vndique infinitis cauus, à pituitoſiore, atque craſsiori ſanguine inflammari, cùm ſubtilis, bilioſúſque fluat ferè, nec cum viſcere vlla ratione cohæreſcere poteſt: Cui reſponſum ſit, Galenum præcitato loco, tum etiam 2. de locis affect. propter viſceris laxitatem, ac mollitiem, & raritatem aſſeruiſſe pulmonem promptiùs ex pituitoſo ſanguine inflammari, ac etiam magis, quemadmodum & ſubcingentem membranam ex bilioſo magis, non tamen negaſſe vtraſque partes ab vtriſque etiam inflammari poſſe, cùm 4. de cauſis pulſ. ſic dicebat: Siquidem bilioſioris munus eſt cogere, ſiccare, tendere, indurare: quæ quandò minùs ſæpe pulmonem infeſtat, ſanè erit rata quoque pulſus durities: & 2. de locis affect. dicebat: Quin etiam in laterali morbo ſępenumero magis bilioſum, in peripneumonia verò magis pituitoſum ſequi conſueuit. Non itaque negauit Galenus omnino pulmonem inflammari poſſe ex bilioſiori ſanguine: ſed id raro contingere: ſæpius verò, ac magis à pituitoſiore ſanguine inflammationem in ipſo oriri propter iam dictas cauſas, vbique confirmauit. Afficitur autem in hoc affectu pulmo ex quouis humore originem ducat, vt ex eius deſcriptione liquet, inſuper ex ſpirandi difficultate, quæ neceſſariò comitatur, eo quod affecta particula ſpiritus eſt inſtrumentum, ſic etiam ex tuſsi, quæ neceſſariò eis accidit. Quare ex ſpirandi difficultate, ac tuſsi ipſum affectum eſſe conijcere poterimus. ſed quoniam maxima pars ſignorum huius affectionis, communis eſt tum parti ipſi affectæ, tum etiam affectui: propterea ne eadem bis repetamus, cuncta narrabimus, quæ affectum ipſum ac partem affectam indicant, pro comperto habentes, quod cùm vitium hoc ſit inflammatio, morbus vtique erit in quantitate primo, & ſecundo in intemper. indicant autem inflammatum pulmonem immodica ſpirandi difficultas, atque anguſtia, adeò vt ſuffocari laborantes videantur, ac recti ſedere conentur: nam hoc pacto faciliùs ſentiunt totum thoracem dilatari: quippe qui decumbentibus in ſe ſe concidit; eo quod pectoris partes ad ſpinam declinant, qua erecta thorax etiam ſimul fertur, non amplius ſe ipſum grauans, vt patet 2. & 4. de locis affect. quin etiam calidam ſentiunt eandem reſpirationem, maximè ſi eryſipelatis particeps fuerit inflammatio. Quocirca (vbi plurimum efflant) iuuari videntur; ac multum aërem frigidum attrahere concupiſcunt. Inſuper grauitatis cuiuſdam thoraci incumbentis ſenſum ſæpenumero percipiunt, ac dolorem ex imo ad ipſum peruenire, &

Peripneumonia quid ſit.

2. de locis aff. cap. 9

4. de locis aff. cap. 8

Dubium. cap. 12

Loco citato.

Citato cap. 12

Citato cap. 9

Pars affecta.

Quis affectus præter naturam ſit.

Signa.

2. de locis aff. cap. 9

4. de locis aff. cap. 7. & 8.

dicamentum compoſitum ex cera, reſina terebinthina, medulla ceruina, butyro, œſypo liquida, inde ſicca tenuiſsimè trita, & etiam nardino vnguento, vt inquit Paulus: ſint autem horum partes æquales, vt ait Aëtius.

Περὶ ἐμπυήματος. *De empyemate, ſeu ſuppuratione.*

CAPVT L.II.

Quot modis dicatur ſuppuratio.

Vide 1. progno. cōm. 40. & 2. progno. cōment. 60

2. prognoſt. comment. 60

MOrbus qui à Græcis ἐμπύημα, à Latinis ſuppuratio, ſeu purulentia dicitur: & propterea qui hoc morbo laborant ἐμπυικοὶ καὶ ἔμπυοι Græcè, Latinè verò ſuppurati, & purulenti appellantur, non vno duntaxat modo in Hippocr. & Galeni doctrina intelligi conſueuit. Nanque interdum omnem tranſmutationem quæ fit ad pus, in quacunque parte fiat, per ſuppurationem intelligunt, vt patet aphoriſmo 8. 5. & 45. ſeptimi libri, & libro prognoſticor. præſertim primo, & ſecundo: interim verò ſolos eos, qui in thorace, ac pulmone vniuerſum pus contentum habent, priùs tamen prædictis partibus inflammatione affectis, purulentos nominant: vt dicatur ſuppuratio hoc modo tranſmutatio, ſeu alteratio prędictarum inflammationum ad pus, vt liquet, tum commento citati aphoriſmi octaui, quinti libri, tum etiam ſecundo prognoſticorum. Tertio modo per ſuppurationem propriè, ac præcipuè intelligunt, non ſiquidem conuerſionem inflammationis lateris, ſeu pulmonis ad pus, ſed collectionem, ſeu effuſionem puris in ſpacio thoracis, atque pulmonis intermedio, poſt prædictæ ſuppurationis diſruptionem. Sic quoque pręcipuè ſuppuratos nuncupant eos, quibus inter thoracem, atque pulmonem aceruatum pus eſt, vt cōmento aphoriſmi 45. 6. & 27. & 8. & 15. quinti libri patet, ac etiam ſecundo prognoſticorum. Cùm itaque hiſce tribus modis ſuppuratio, ſeu purulentia in Hippocratis & Galeni doctrina intelligi poſsit, de ea quæ primo modo ſumitur, nequaquàm pertractare propoſuimus, cùm de thoracis, ac pulmonis affectibus, & non de his qui indifferenter in ſingulis corporis partibus prouenire poſſunt, hîc verba facimus. Et cum magna ex parte, ac præcipuè ſuppuratos nominent Hippocrates & Galenus eos, qui pus habent in ſpacio inter thoracem, atque pulmonem, vt præcitatis locis liquet, propterea de hac ſuppuratione potiſsimùm pertractare intendimus: quàuis affinitate ſermonis nonnulla quoque dicemus de conuerſione, ſeu tranſmutatione inflammationis lateris, ſeu pulmonis in pus, quod quidem adhuc in parte inflammatione affecta vniuerſum continetur: & ſi hic affectus non præcipuè ſuppuratio, aut purulentia dici poſsit, vt dictum eſt. Afficitur verò perpetuò in verè purulentis thorax, præſertim ſecundum eius cauitatem, hoc eſt, intermediam regionem quæ inter thoracem atque pulmonem eſt: quapropter anguſtiam ſentiunt laborantes loci illius pure repleta intermedia ea regione: accidítque eis anhelitus difficultas ac tuſsis, & in imo thoracis grauitas quædam ſentitur. Verùm ſi nondum pus in idem ſpacium effuſum ſit, ſed vniuerſum conſtiterit in parte priùs inflammatione affecta, pulmonem, aut ſubcingentem membranam affectam eſſe dignoſces, ex præcedente peripneumonia aut pleuritide; quæ haudquaquam adhibitis ſubſidiis diſcuſſæ fuerunt. Præter hæc, ſi in pulmone pus contineatur, & in vtraque parte potiùs, quàm in altera, dextra ſcilicet, & ſiniſtra pus colligitur, in vtriſque incidens veluti quoddam onus perſentiſcit æger, & æquè calidiores ambæ partes ſentiuntur, neque ægriùs, aut promptiùs in vno latere, quàm in alio cubabit. Si verò ſuppuratio in altero latere tantummodo fuerit, in altera quoque parte thoracis, dextra ſcilicet, aut ſiniſtra potiùs quàm in vtraque pus collectum erit, neque in dextra parte exiſtens, in ſiniſtram, neque è contrario in ſiniſtra, tranſmeare in dextram poteſt. Cæterùm pars affecta cognoſcitur, quia calidior eſt, quàm reliqua, & in eadem quoque duntaxat dolorem, ſeu grauitatem ſentiet æger: & eo in incolume latus cubante, veluti onus deſuper aliquod illi pendere videtur,

De qua ſuppuratione tractabitur.

2. prognoſtic. Loco citato.

Pars affecta.

Tex. & comment. 59
Suppuratio propriè dicta quid ſit.
Quis affectus præter naturam eſt.

vt apud Hippocr. atque Gale. legitur ſecundo prognoſt. Suppuratio itaque præcipue dicta, quæ nihil aliud eſt, quàm collectio puris inter thoracem & pulmonem, vt priùs diximus, morbus eſt in numero toto genere præter naturam, ac in exceſſu, vt lib. de different. morb. cap. 8. patet. At ea ſuppuratio, quæ tranſmutatio eſt, ſeu conuerſio inflammationis lateris, aut pulmonis ad pus, cum eodem tempore fiat abſceſſus dictarum partiũ, mòrbus poſſet dici in magnitudine, velut quoduis aliud genus abſceſſuum, ex Galeni ſententia 14. meth. meden. cap. 12. Vtraque tamen morborum genera in numero ſcilicet, & magnitudine, ſub vno prædicamentorum genere continentur, vtpote ſub quantitate, velut patet eodem libro de differentiis morbor. cap. 8. Verùm vt clarior fiat prædictarum ſuppurationum dignotio, eas ſeparatim diſtinguere voluimus, ac pro earum diſtincta notitia, primò indicia trademus ipſius ſuppurationis, quam abſceſſum nuncupauimus, ſecundò diſruptionis ipſius abſceſſus, & tertiò effuſionis, ſeu collectionis puris inter thoracem, atque pulmonem, quæ propriè, ac præcipuè ſuppuratio dicitur.

Signa inflammationis cum in abſceſſum vertitur.

Dignoſces autem inflammationis trãſmutationem ad pus, cùm adhibitis opportunis ſubſidiis, ac proba inſtituta victus ratione in præcedenti inflammatione dolor non deſinat, adhuc rigor laborantem prehendit propter puris acrimoniam, ac mordacitatem, quod quidem adiuncta corpora erodit, talémque rigorem febris comitabitur vehementior admodum, quàm ea, quæ præceſſerat: euenitque ægrotis ponderis cuiuſdam (in loco quo dolore afficiebantur) ſenſus. Ex pondere itaque, rigore, ac febre multò vehementiùs affligente, quàm anterior, ſuppurationis initium percipitur, vt liquet apud Hippocr. & Gale. 2. prognoſt. & apud Alexandrum cap. de purulentis: nam dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis, quàm iam confecto ex eiuſdem Hippocratis ſententia aphoriſ. 47. libri 2. aderitque grauitas pectoris, tuſsis valida, & ſicca cum dolore, aliquando etiam cum humiditate, ob quam releuari quoque videntur, vt inquit Paulus.

Tex. & comment. 58
Alex. lib. 7. cap. 2
Paul. libro 3. cap. 32.
Signa diſruptionis abſceſſus.
Loco citato.
Suppurationis propriè dictæ ſigna.

Verùm licet confecto pure, & dolor, & febris mitiores fiant, tamen inſtante tempore diſruptionis ipſius, vehementiùs cum horrore quodam iterum febricitabunt, ac in ſermonis proprietate conturbantur, offenduntúrque ſpiritu, adeò vt difficiliùs, quàm antea ſpirent, ex eiuſdem Pauli teſtimonio. Rupto autem abſceſſu, ac effuſo pure inter thoracem, ac pulmonem, vehementes febres quieſcunt, & magna ex parte dolor quoque, licet indeſinenter febricitent habituali quadam febre: grauitatis autem ſenſus remanet intus in profundo thoracis: ſimúlque transfluere aliquid apparet iuxta multiplices reclinationis permutationes, & maximè cùm ab vno latere in alterum decumbunt, tunc ſanè multitudo puris manifeſtatur, & fluctuationis cuiuſdam ſonitus ſæpe ſenſibiliter in reclinationibus ipſorum auditur, prout legitur apud Galenum libro quarto, de locis affectis, cap. 8. & apud Aëtium libro 8. cap. 65. totúſque thorax iiſdem attollitur, etſi neque calidus ſit ipſorum ſpiritus, neque etiam exſufflando emittatur, niſi adurens fortaſſe febris acceſſerit, vt idem teſtatur Galenus, potiſsimùm vbi magna puris quantitas collecta ſit.

4. de locis aff. cap. 7.
Quales ſint ſuppuratorũ pulſus.

Educitur quoque eiſdem pus nunc purum, nunc fœculentum, vt inquit Paulus: ex pulſu item poterit diuerſa ſuppurationis tempora interſtinguere: nam initio ſuppurationis ſtatim ſuppurati pulſum habebunt, qualem habere ſolent in vigore inflammationis: nam hoc tempore initium eſt ſuppurationum: erit itaque pulſus durior, quàm antea, & vibratus magis, ſed minor, quàm dudum, non tamen languidior, quin etiam crebrior, ac celer: nonnunquam etiam erit inæqualis, & inordinatus: verùm omnibus erit hecticus: quoniam perpetuò eſt illa in motu arteriarum agitatio, donec fiat eruptio: licet cùm pus propè maturum ſit, æqualior fit pulſus, cùm verò eruptio fiat, languidior, latior, tardior, & rarior pulſus redditur, vt libro de pulſib. ad Tyrones, cap. 11. & quarto de cauſis pulſuum, ſcriptum eſt.

cap. 9
2. prognoſtic. tex. 60

Hippocrates verò eodem 2. lib. Prognoſtic. omnes purulentos dignoſci his indiciis fatetur, nam principio febris non dimittet, ſed interdiu tenuior, noctu verò vehemẽtior eſt. Copia ſudoris elicitur, ac tuſsiendi cupiditas adeſt:

quam

placuit,quod etiam peſsimæ ſignificationis exiſtit: & ſi mortale quidem ma- *Loco citato.*
lum fuerit,vigiliæ ampliùs aderunt, aut ſomni breues, ſtuporem ac delirium
inducentes,& imaginatione mentem viciſsim perturbante, non ſentiunt valde
præſentia mala; extremitates frigidæ, vngues liuidi incuruantur; quarta, aut
ad ſummum ſeptima die hi moriuntur. Verùm ſi ad ſalutem permutetur mor-
bus (vt idem fatetur Aëtius) ſanguinis eruptio ex naribus abundanter ſequitur,
aut alui exturbatio,multis exeuntibus bilioſis, & ſpumoſis humoribus:aliquan-
do autem inflammatione in pus commutata, per ventrem, aut vrinam,pus ex-
cernitur, ſtatimque ab omni moleſtia liberantur: at ſi in pulmonem irruperit
aceruatim, aut ſuffocat, aut cùm grauibus acceſsionibus in tabem permuta-
tur. A pulmonis autem inflammatione phrenitis,malum eſt, vt inquit Hippo- *Paulò poſt*
crates aphoriſ. duodecimo libri ſeptimi, & in coacis prænotionibus legitur, *medium.*
quòd peripneumoniæ ex pleuritide tranſmutatæ ſecuriores ſunt his quæ ab ini
tio fiunt, licet ſi ſuperuenerint, ſint malæ, vt patet vndecimo aphoriſmo eiuſ-
dem libri ſeptimi. Quantum verò ad victus rationem attinet, pro eius curatio-
ne,eadem ferè,quæ pleuriticis inſtituta fuit,vtantur, niſi quod magis extenuato *Curatio.*
ria opus habent:Dicebat etenim Aëtius, cibus ſit extenuatorius: verùm quod
ad ipſum attinet cibum (vt teſtatur Celſus) neque ſalſis opus erit, neque acri-
bus,neque amaris,neque aluum adſtringentibus, ſed paulò leuioribus. Quare
primis diebus danda erit ſorbitio ptiſanæ,aut etiam ipſa ptiſana cum melle:re-
ctè quoque ſumeretur,& recens butyrum (vt Paulus inquit) vel ipſum etiam
cum ptiſana,cum aqua iterum recens adeps coqui poteſt; ex Celſi auctoritate;
ea verò ſit gallinarum,aut anſerum.Nam primis diebus ſorbitiones dulciores
eſſe oportet,iuxta Hippocratis ſententiam libro tertio de Morbis,ſic enim (vt *Loco citato.*
ipſe inquit) id quod conſedit,ac compactum eſt, potiſsimùm elueris, ac com-
moueris:quarta autem die,& quinta,& ſexta non ampliùs dulces, ſed pingues:
nam ad ſputum ſurſum excreandum conducunt. Poteris inſuper in ptiſana de-
coquere (iuxta Aëtij ſententiam) parum hyſſopi, aut origani, potiſsimùm vbi
à frigidioribus ſuccis inflammatio fuerit orta:& poſt quartum,quintum, aut ſe-
xtum diem, cùm pinguia admittat Hippocr. prædictam ptiſanam cum pullo-
rum,aut gallinarum iure pingui pararem:vel macerato in iam dicto iure pane,
in quo parum etiam, aut hyſſopi, aut origani fuiſſet decoctum vtare; tribuen-
dáque ſunt ſorbilia oua,vt refert Celſus; panis ex aqua mulſa, & nuclei pinei
ex melle, aut (ſi libeat) etiam ex ſaccharo. Potus autem quod ad quantitatem
attinet,ſit exiguus;humiditas enim noxia pulmoni exiſtit,vt Aëtius inquit:qua-
re primis diebus vinũ dare conuenit dulce,album,aquoſum,paulatim frequen-
ter bibendum,vt Hippocrati viſum eſt,libro ſecundo de Morbis,eóque præſer *Loco citato.*
tim vtendum, vbi inflammatio ex frigidiori ſanguine ortum habeat, ac labo-
rantes admodum elegantes, delitioſique fuerint: reliquis verò pro potu aqua
hordei (præcipuè non decorticati) tribuenda erit,vel aqua, in qua glycyrrhizæ
radix fuerit decocta, aut vua paſſa vinaceis detractis, vel aqua mulſa, in qua
etiam parum hyſſopi decoctum ſit:propinari item poterit pro potu ficuũ cum
pauco hyſſopo decoctum,ex Pauli ſententia. At virtutis tuendæ gratia (vt ipſe
inquit) crebriùs potui aſſumetur aqua mulſa per ſe,aut cum nucleis pineis. Re-
liqua quæ ad victus rationem attinent, præcedenti capite ſtudioſi requirant. *Venæ ſectio.*
Oportet autem (ſi ſatis validæ vires ſunt,) ſanguinem mittere, ex Celſi ſenten-
tia:quam etiam confirmauit Aëtius, cùm dixit, Itaque (ſi nihil obſtiterit) ſta-
tim vena ſecanda erit in cubito,ex quacunque cauſa, ac quouis modo genita
ſit peripneumonia:quamuis Paulus velit in iis, qui ex aliis morbis in hunc de-
cidunt,ſanguinis detractionem vitandam eſſe, maximè ſi diu hoc in ſtatu fue-
rint: vel ſi per initia ſanguinem miſerint. Sin autem peripneumonia ſtatim ab
initio inuaſerit (vt ipſe fatetur) ſanguinem mittere, ſi vires id permittant, ex
vſu eſt. Quibus verbis pugnare videtur Paulus Aëtij, ac Celſi ſententiæ:quam-
uis nedum non pugnant verba eius prædictorum ſententiæ, ſed ipſam confir-

cem,& pulmonem collectam totus thorax in reſpiratione attollitur, celerrimè ſuffocantur,ex Galeni teſtimonio quarto de locis affect.cap.7.tum ob affectum ipſum, vt ipſe refert,tum quod vires omnibus ſuppuratis defeſſæ,ſiquidem propter pugnam ex neceſsitate imbecilliores redduntur. Verùm quinto de locis affectis,cap.3.de ſuppuratis aduerſus Eraſiſtratum ſic dicebat, quòd velut non paucos perire;ita & alios complures ſeruari viderat: quorum ſiquis per ſingulos dies reiecti puris quantitatem collegerit,interdum ſex,aut octo heminas,interim quindecim, atque interdum plures totam ſummam æquare inueniet. Quis autem ſit ſuppuratorum per expuitiones purgationis modus, habetur à Galeno eodem quinto de locis affect. nanque expirationis tempore vniuerſo thorace vehementer conſtricto per validam tuſsim (ſine qua fieri nequit) pus, quod inter ipſum & pulmonem continetur comprimendo cogit, atque ad pulmonem ipſum impellit concedente pulmonis membrana eiuſdem puris, ac ſimiliter cuiuſuis alterius excrementi penetrationem: etenim thorax vehementer admodum hoc tempore pulmonem omni ex parte comprimit; & demum, cùm & maiores ſint in earum extremitate aſperæ arteriæ partes, quàm venæ, & arteriæ leues, ac multo ampliora habeant ora, nec ita concidant, neque omnifariam concludantur, propterea quòd cartilagineæ ſint, in aſperas ipſius pulmonis arterias recipitur, & non in leues, ac venas, ac deinceps expuitur.

Loco citato.

Qui autem ſuppuratione laborant aërem inhabitent ſiccum, in calido, & frigido temperatum,vel paulo ad calidum vergentem, ac in quiete diligenter cuſtodiendi ſunt,à motu,ſeu exercitio cauentes: ſomno quoque temperato vtantur,& ſi rupturæ tempus inſtauerit,ſuper ſanum latus decumbant, Paulo auctore: ſingulis diebus alui excrementa excernant, ſi non ſponte, ſaltem clyſteribus, præſertim lenibus: nanque exonerata natura ab eiuſmodi excrementis, promptiùs ſuppurationi vacabit, ipſam maturando,aut rumpendo, aut expurgando.Immodicæ animi affectiones vitandæ erunt, præſertim metus, & mœſtitia:nutriẽdi verò ſunt ex ptiſanæ ſucco,& aqua mulſa, vt inquit Aëtius: nam mulſa quouis tempore exhibita,nihil ægrum offendit, Tralliano teſte: quãuis nec ipſa vniuerſim,ſed paulatim exhiberi debeat: nam omnis potus modicus eſſe debet, in iis qui alicubi abſceſſum habent, vt Galenus teſtatur ſeptimo de compoſitione medic.ſecundum loc. cap.6. Verùm (vbi infirmæ vires fuerint) maior cura ipſarum habenda eſt: & propterea cibis boni ſucci,& concoctu facilibus vti debent,ptiſanæ cremorem parantes,aut ipſammet totam ptiſanã decoquentes in gallinarum,ſeu pullorum gallinaceorum,phaſianorum, aut perdicum,ſeu columbarum iure: quorum etiam carnes edant,veluti etiam & turdos, aliáſque aues montanas, ac gallorum teſtes.Et quia iura (vt inquit Alexander) vlcera magis detergunt,ventrémq; humidiorem efficiunt, propterea modo dictarum carnium iure vtantur,thymo,hyſſopo, oreoſelino, aut fœniculo adiecto; braſsica, aut aſparago, vel malua, vbi bilioſum corpus fuerit, aut ſalſum quid expuant,& febris valida. Interim verò vti poterunt piſtaciis, amygdalis, vua paſſa, ac nucleis pineis, verùm non copioſiùs ex eis aſſumant, & ſi abſtergere poſsint: nam ægrè concoquuntur,& propter oleoſam ipſorum partẽ alios cibos in ventriculo interim corrumpunt, vt apud eundem Alexandrum legitur.Potus verò (vt diximus) ſit aqua mulſa, aut aqua hordei, vel vinum tenuis ſubſtantiæ,vt Galenus præcipit,eodem libro ſeptimo de compoſi. med. ſecun. loc. cap. 6.ſit autem vinum (vbi eo ægri indigeant) paucum, ad dulcedinẽ declinans, vt inquit Aëtius: poterit quoq; & aqua probe cocta offerri, iuxta eiuſdem ſententiã: ab aceto autem,& omni alio vinoſo genere, & ab aqua quoque frigida abſtineant,vt ipſe præcipit.Cùm autem ſuppuratio fieri incipit,puris cõfectio,ſeu concoctio iuuanda erit,vt Paulus refert: nanque vnum ex naturalibus operibus,quod quidem concoctio quædam exiſtit,eſt ea quæ in pus fit conuerſio,vt apud Gal.legitur quinto de ſimpl med.facult. & primo de differ. febr. Qua de re quod ad mouendum pus adhibetur medicamentum,tale eſſe debet, qualis

Curatio.

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

5.de ſimpli. fac.cap.5.

1.de diffe.feb. cap.6.

Quæ medica-

dantium medicamentorum appoſitione perficitur. Alterum genus eſt, cum hæ quæ integræ ſunt, ad ſe trahunt, ipſis tamen priùs exinanitis, aut quomodolibet aliter eiſdem ad ſe trahentibus. Eius tamen quæ extra corpus educit, alterum ſenſibili effluxu, alterum verò ratione tantum contemplabili perficitur. Hiſce itaque duobus modis tam reuulſione, quàm deriuatione iuxta Hippocratis, &

Sextum ſuppoſitum.

Galeni ſententiam, commodè vti poteris. Verùm id neutiquam prætereundum eſt, ex eorundem decreto, quòd velut natura ſanguinis eruptione criſim efficiens rectitudinem quandam ſeruat, taliſque eruptio ſummum commodum laborantibus affert, quibus verò contra euenit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet, quòd vires ſcilicet citra morbi leuamen deiiciat, atque exoluat. Non enim (vt Galenus inquit libro de Curandi ratione per venæ ſectionem, cap. decimoquinto) in liene turgente, ex dextra nare erumpens ſanguis, nec in iecore ex ſiniſtra, vllam fert vtilitatem, ſed ſi recto fiat tramite: hoc nanque vnum eſt ex his, quæ requiruntur in perfecta, & indeficiente iudicatione, vt patet commento aphoriſmi 20. libri primi. Sic, inquam, nos in diuerſionibus ac deriuationibus ſeruare debemus, velut Hippocrates diligenter obſeruatus, memoriæ prodidit, ſcilicet κατ' ἴξιν, hoc eſt, in rectum, ſeu ſecundum rectitudinem ipſas efficientes: nam reuulſio quibus in directum adhibetur, euidentem vtilitatem celeriter oſtendit, quibus contrà, haud etiam: à membris igitur, quæ è directo ſunt affectis partibus, propterea quòd viciniores venæ ſunt, atque magis è directo, ac plus inter ſeſe communicant, vena ſecanda erit, id enim per κατ' ἴξιν, ſecundo de arte curat. ad Glauconẽ, cap. 2. Galenus intelligi voluit, redditque rationem 14. de Vſu partium, cap. 7. ex Hippocratis ſententia: quoniã partes, quæ ſecundum rectitudinem ſunt ſitæ, neceſſariò plus inter ſeſe communicant, ac fruũtur. Quapropter proximarum, communiúmque affectæ particulæ venarum euacuationem optimam eſſe, atque facillimam idem Galenus aſſerebat, libro de Conſtitut. artis medic. cap. 17. vt paulò antè diximus: & lib. de palpit. trem. rig. & conuulſ. cap. 5. ſcriptum ab eo eſt, ſemper à communibus venis ſectionem faciendam eſſe, cùm ſi alias ſecueris, neque ſanabis affectũ, perpetuò verò quod eſt ſanum, lædes: id autem potiſsimùm ſeruandum erit in reuulſionibus, quæ pro compeſcendis immodicis ſanguinis eruptionibus adhibentur, quemadmodum lib. de curandi ratione per venæ ſectio. cap. 15. liquet: nec minùs & in diuerſionibus, ſeu deriuationibus cum euacuatione, cum diuerſione, aut deriuatione, vt patet eodem libro de curandi ratio. per venæ ſectio. cap. 15. 16. & 19. 13. meth. cap. 11. & ſecundo de Arte curatiua ad Glauconem cap. 2. quo loco tam de diuerſione, quàm de deriuatione cum euacuatione loquitur; ait enim, Vtrunque autem euacuationis genus per communes venas fieri præcipit Hippocrates, veluti in locis muliebribus in contrarium trahes, ſi eas, quæ in cubito ſunt, ſecueris venas, aut mammillis cucurbitas appoſueris, vel manus concalefeceris, & fricueris, atque alligaueris. Deriuabis autem, ſi eas, quę in genibus, aut talis, venas diuiſeris, & cucurbitas coxis applicueris, & crura calefeceris, ac perfricueris, atque alligaueris: & ſiquidem in parte dextra locorũ paſsio fuerit, à dextra manu, aut crure detraxeris ſanguinẽ: ſi verò in ſiniſtra, à membris, quæ illi è directo ſunt. hoc ipſum nanque eſt, quod ab Hippocrate κατ' ἴξιν dicitur, perpetuò in omnibus, quæ phlegmone afficiuntur partibus obſeruandum, tam pro euacuatione reuulſoria, quàm cum deriuatione, prout idem Galenus præcitato libro 13. methodi meden. cap. 11. decretum reliquit. In his denique diuerſionibus, ac deriuationibus, nedum κατ' ἴξιν, id eſt, rectitudinem ſeruandam eſſe cenſemus, verùm & maiorem rectitudinem, hoc eſt, venarum maiorem cõmunionem ac propinquitatẽ, propter iam dictas cauſas. In reliquis verò reuulſionibus, quę pro inhi-

Septimũ ſuppoſitum.

bitione duntaxat fluctium humorum adhibentur, ſat erit rectitudinem ſeruare, adeò, vt obliquitas vitetur, appello autem obliquitatẽ, eam quæ ſecundum duas differẽtias, aut plures iam dictas affectæ parti opponeretur: vt ſi iocinore inflammato, ex ſiniſtro crure ſanguinẽ detraxeris: liene verò, ex dextro: aut ſi dexter

oculus inflammatus eſſet, ex ſiniſtra manu, aut crure: & ſi ſiniſter, in dextra manu, aut crure. Nam cùm venarum diſtributio obliquè non fiat, ſed rectè magna ex parte, aut ægrè confluentis ad affectum locum ſanguinis fieret inhibitio, aut fortè nequaquam fieret. Quapropter cùm opus fuerit huiuſmodi reuulſione vti pro inhibitione duntaxat confluentis ſucci, ea ſeruanda rectitudo erit, quæ è regione, ſeu diametro parti affectæ ſit, non ſecundum duas, aut plures reuulſionis differentias, ſed ſecundum vnam tantum, vtputa ex ſurſum deorſum, vel econtrà, aut à dextris ad ſiniſtra, contràque ex ſiniſtris ad dextra: ſic quoque in reliquis ſeruandum erit reuulſionis differentiis, quæ ſcilicet fiunt foris intro, ac retrorſum ad antrorſum: & econtrà: non enim per has reuulſiones, ſanguinem in inflammata parte contentum euacuare intendimus, nec immodicum ſanguinis profluuium cohibere, ſed tantum fluxionis impetum coërcere, ac ad contrarias, longiſsimáſque partes auertere, id quod in inflammationibus, quæ in generatione adhuc ſunt, ex Galeni decreto decimotertio methodi medendi, cap. 6. prius exequendum erit, præſertim vbi ex toto corpore, aut aliis quibuſdam partibus ſuperfluum alicui particulæ tranſmittatur, vt in ea phlegmone excitetur, quo fit, vt per quamlibet vnam reuulſionis ſpeciem, ex iam dictis, ſeruata etiam rectitudine, fieri poſsit; aliàs ſuperfluè à Galeno proprio cap. de reuulſione, libro quinto methodi medendi, cap. 3. & commento aphoriſmi 68. libri quinti, conſcriptæ fuiſſent. Idem quoque eodem decimotertio methodi medendi, cap. 5. corpore exiſtente pleno, in cura phlegmones, quæ ad vlcera conſequitur, manu laborante, ex cruribus ſanguinem mittere præcipit, & altero crurum malè habente, ex reliquo ſanguinem mittere: quo loco tum de ea, quæ ſecundum longitudinem, tum etiam de ea, quæ ſecundum latitudinem fit, diuerſione (vt liquet) mentionem fecit. Nec quicquam valet, ſi dixeris, in membris extremis id duntaxat veritatem habere, vt quidam ſentiunt; nam hoc eidem Galeno pugnat, qui ſecundo de Arte curatiua ad Glauconem, cap. 2. decretum reliquit, Patientibus membris extremis, de phlegmone loquens, à coniunctis euacuationem faciendam eſſe, ſiue retrahere velis, ſiue deriuare, quemadmodum paulo ſuprà de inflammato iecinore, & liene ſimiliter concluſerat. Hoc inſuper confirmauit Hippocrates libro ſecundo de natura homi. ac libro de oſsium natur. cùm dixit, Operam dare oportet, vt quàm longiſsimè à locis, vbi dolores fieri ſolent, ſanguiſque colligi, ſanguinem mittamus, idque pro reuulſione duntaxat perficienda, vt ex eius verbis liquet. Nec obſtat, ſi dixeris Hippocratis dicta veritatem habere in ea præſeruatione, cùm ſcilicet periculum imminet ne in futurum inflammatio procreetur, & non in ea, quæ iam orta eſt, ac in generatione exiſtit: nam pari ratione qua per reuulſionem prohibetur phlegmones generatio in his corporibus, in quibus nondum oriri cœperit inflammatio, ea præſeruando à futura inflammatione: ſimiliter, & in his in quibus in generatione adhuc eſt, necdum abſolutionem nacta ſit, per reuulſionem duntaxat, ne augeatur, prohibetur: idque medicinæ artis parti ſimiliter, quæ futurũ morbum præcauet, ſubiicitur, velut in prædictis, atque ſimiliter prophylacticе dicitur: quamuis ea purè, ſyncereque prophylacticе dicatur, cùm nondum ſenſibiliter morbus ex cauſa gignatur, ſed futurus eſt: in hac verò cùm ſenſibiliter generetur, licet nondum abſolutionem nactus ſit, prophylacticе dici poterit, quamuis non purè, ac ſyncere: Nam quod generatum ex ea eſt, id medicinæ artis parti quæ morbos curat, ſubiicitur, quod verò in generatione adhuc eſt, parti, quæ futurum morbum præcauet, vt liquet apud Galenum eodem vndecimo & 13. methodi medendi. Vnica igitur indicatio in vtriſque eſt: aſsimilis quoque eſt ſcopus, nempe inhibitio ſanguinis, ne ad locum qui affici conſueuit, aut afficitur, confluat: prophylacticе quoque vtraque eſt, & propterea rectitudine ſeruata quoad poſsit, vt diximus, quarumuis vna ex modo dictis reuulſionis differentiis, pro ea perficienda vti poteris, æſtimata tamen tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius ſtatu, poſitionéque partis affectæ, cum qua ſocietas

2. de natura homi. tex. 9. De oſsium natur. paulò ante medium.

11. meth. ca. 2. 13. meth. cap. 2.

quoque comprehenditur, quàm cum aliis partibus habet, vt patet lib. de Conſtitut. artis medicæ, cap. 16. Ex his itaque conſtat quid intelligendum ſit pro eo quod ab Hippocrate κατ' ἴξιν dicitur, hoc eſt, ſecundum rectitudinem: nanque *Quid per κατ' ἴξιν intelligendum ſit.* partium è directo poſitionem; propter quam & neceſſariò plus communicant inter ſeſe per eorum vaſa, ac propinquiores ſunt inflammatis partibus, quàm hæ quæ non è directo ſunt poſitæ, & non intelligendum eſſe rectitudinẽ fibrarum, quæ in venis ſunt, prout quibuſdam viſum fuit, id quod néc ad Hippocratis, nec ad Galeni ſententiam veritatem habere poteſt, cùm eam indicationem, quæ à partium poſitione ſumitur, earúmque figuratione, laborantes partes, non qua ſimilares ſunt, ſed qua inſtrumẽtales indicent, vt decimotertio metho. medendi, cap. 7. ac nonnullis aliis in locis teſtatur Galenus: & propterea de inſtrumentalium partium poſitione verificatur rectitudo: & non fibrarum, quæ in venis exiſtunt: nam auerſionis in contrarium, quæ ab Hippocrate antiſpaſis dicitur, non à ſubſtantia, ſed à curandi membri poſitu inuentio præſtatur, vt idem Galenus inquit 14. methodi meden. cap. 8. Ad hæc cùm prædicti auctores nouerint fibras in venis contineri, cùm non earum rectitudinem ſeruandam eſſe in venæ ſectione pro diuerſione, aut deriuatione ſtatuerint, potiſſimùm Galen. libro de curandi ratione per venæ ſectionem, cap. 15. & ſecundo de arte curat. ad Glauconem, cap. 2. ac reliquis in locis, in quibus hoc Hippocratis verbum declarat, de inſufficientia proculdubio notari poſſent. Amplius cùm multis medicis liqueat, ſanguinis vacuationem ſecta vena, eiúſque attractionem conſecutione ad vacuum fieri, nullum propterea præſtabunt vſum rectæ venarum fibræ pro eius vacuatione, potiſimùm cùm cõſueuerint, qui venas incidunt, iuxta inciſionem, partem ipſam, in qua vena ſecãda eſt, doloroſis vinculis alligare, multíſque frictionibus, interim etiam balneis aquæ calidæ, quo maior fiat attractio ad ſectam venam vti, vt propterea minimè opus ſit venarum fibris, etiam rectis, in hunc vſum, quinimò nec etiam tranſuerſis, quanquam vſum preſtent venarum fibræ pro ſanguinis per vniuerſum corpus diſtributione, quò promptiùs ſingulæ partes nutriri valeant: ſunt etenim communia totius corporis inſtrumenta, *cap. 1* vt liquet 16. de Vſu partium. His denique iactis fundamentis firmis pro venæ *De ſecãda venæ quid ſentiendum.* ſectione adhibenda, ad propalandam noſtram opinionem, ac veritatem, quam de venæ ſectione in pleuritide efficienda ſentimus, accedere tempeſtiuum eſt. *2. de rat. uict. tex. 10.* Pro qua audacter, ac citra controuerſiam, cum Hippocrate libro ſecundo de ratione victus, ſimul atque Galeno tum eodem loco, tum quarto eiuſdem, & libro *4. de rat. uict. tex. 73* de Curandi ratione per venæ ſectionem, cap. 16. in pleuritide venam cubiti internam ſecandam eſſe cenſemus recto à latere dolente tramite. Quòd & ſi ab *2. de rat. uict. tex. 10* Hippocrate apertè præcitato libro ſecundo de ratione victus, non dicatur, ſubintelligendum erit nedum ad Galeni, ſed omnium medicorũ ſententiam, idque *4. de rat. uict. tex. 73* manifeſtò ſcriptum reperitur libro quarto de Ratione victus, modò Hippocratis fuerit. *2. de rat. uict. cõment. 10* Expedit enim iam dictam venam ſecare, quoniam, vt inquit Galenus, partẽ eam quæ phlegmone obſidetur, tum celeriter, tum quàm cæteras partes *Quando è directo laborantis lateris facienda ſit.* magis in acutis præſertim morbis vacuare contendimus. At ſectio prædictæ venæ (vt idemmet teſtis eſt) ſanguinem ab affecta parte, & magis, & velociùs, tum reuellere, tum vacuare poteſt. Vt igitur optima ſit, atque facillima inflammatæ partis euacuatio, à proximis, atque communibus venis ea perficienda erit: atqui *Terminus euacuationis à quo indicabitur.* prædicta interna cubiti vena è directo laborantis lateris, & maiorem communitatem, atque propinquitatem cum affecta parte habet, quàm reliquę, per quas poſſet ſanguis ab affecta parte tum reuelli, tum vacuari. Non ab re igitur ſi cum *2. de rat. uict. tex. citato.* repulſione ſanguinem qui in inflammata parte continetur, vacuare contendimus, eam incidas venam oportet: eritque ſanguinis vacuandi terminus coloris mutatio, vt ex eodem Hippoc. ſcriptum eſt, aſſerente. Neque vt copioſè ſanguis detrahatur eſt cunctandum, ſed euſque auferendus, donec rubidior multò, vel *2. de rat. uict. cõmen. citato.* pro puro, rubidóque liuidus fluxerit: redditque Gale. rationem dictorum Hippoc. tum eodem 2. de rat. vict. tum lib. de cur. rat. per venæ ſect. cap. 6. nã alius eſt

qui

qui in phlegmone continetur ſanguis, quàm qui ſecundum naturam, vtpote plus excalfactus. Quapropter ſi antea crudior erat, rubrior modò, & flauior efficitur: ſin eiuſmodi priùs fuerat, liuidior erit, aut ad atredinem vergit pro maiori, minoríve aſſatione, ſeu aduſtione. Coloris igitur mutatio, ſanguinis ex particula inflammata tranſlationem ſufficienter commonſtrat: & propterea hic erit modus vacuationis, atque menſura, quæ affectui peculiaris exiſtit, ſiquidem ſignum conſtituit Hippocr. aſſumpti in ſectam venam ex phlegmone ſanguinis mutationem in eo apparere; quem ſectatus Galenus, pari ratione pro reuulſione ſimul cum vacuatione perficienda in pleuritide lib. de cur. rat. per venæ ſectionem, cap. 16. dicebat. Quin & pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit ſanguinis miſsio, clariſsimam ſæpe vtilitatem attulit; quæ verò ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis interuallum. Nemo itaque vereatur vbi ſimul vnica venæ ſectione, tum reuellere, tum vacuare velit, ac poſsit in morbo laterali venam cubiti internam ſecare, quæ è directo laborantis lateris ſita eſt: ea verò non apparente, eiuſdem cubiti mediam: quod ſi nec ea apparuerit, humeralis incidatur, prout Galeno viſum eſt, eodem ſecundo libro de ratione victus in morbis acutis, eritque huius venæ ſectionis vacuandi ſanguinis terminus, eiuſdem (vt diximus) coloris mutatio. Cæterùm quoniam non omni ex parte coloris ſanguinis mutatio expectanda eſt, ſecta vena in pleuritide, vt Galenus inquit, eodem lib. de curan. rat. per venæ ſection. cap. 14. imò verum eſt, vbi antequam exiſtat, ceſſare conueniat, idq; duplici nomine, vt ipſe aſſerit; ob infirmas videlicet vires, quæ tantam copiam vacuare prohibent, aut ob phlegmones prauitatem: nanque interdum nihil ab ea emittitur, ſed inibi ſanguis fortiter conſtrictus eſt, per quam venæ ſectionem reuulſio duntaxat, & non reuulſio, & euacuatio ſimul fieret: propterea non ab re in dubium venit, num perpetuò ſeruandum erit in cura pleuritidis, quòd ea incidatur interna cubiti vena, quæ è directo laborantis lateris ſita eſt: vel liceat interdum à reliquis partibus ſanguinem mittere, etiam pro reuulſione duntaxat perficienda? Pro quo animaduertendum, quòd præter iam dictas duas præcipuas cauſas de pleuritide traditas, nonnulla alia ſunt, quæ multam ſimul copiam ſanguinis euacuari prohibent, etiam ſi affectus id indicabit, velut ſcriptum reperitur apud Galenum tum lib. de cur. rat. per venæ ſectionem, cap. 14. tum quarto de ratione victus in morbis acutis: primo de arte curan. ad Glauconem & reliquis pleriſque locis. Ea ſunt, laborantis temperies cùm calida ſcilicet, & humida fuerit: nam ſuapte natura corpora hæc promptè difflantur, qua etiam ratione, & pueris ipſis cùm videlicet pubertatem attigerint, quod ad ætates attinet, minùs detrahimus, quàm plenitudo, ſeu affectus commonet: dixi autem non inconſultò, cùm pubertatem attigerint, ne quis opinetur admiſiſſe Galenum veris pueris venæ ſectionem vſque ad 14. annum, interdicit enim eis vbique locorum eam: & proinde cùm dicit libro de cur. rat. per venæ ſectionem. cap. 13. Quod minùs detrahimus, quod ad ætates quidem attinet in pueris, de eis intelligendum erit qui pubertatem attigerint, ſic nanque & eodem libro parum antè præſcripta verba eos nominauerat: etiam poſt decimumquartum annum. Quod verò ad corporis habitus, in candidis, & quibus mollis, teneráque eſt caro, minùs etiam detrahimus. Similiter in regionibus, anni temporibus, ac aëris conſtitutionibus immodicè calidis, aut frigidis largam vacuationem fugimus, licet cuncta hæc ſub virium imbecillitate ferè contineantur. Cùm itaque tot ſint, quæ exquiſitam venæ ſectionem fieri impediant: audacter aſſerimus eandem internam cubiti venam è directo laborantis lateris incidi debere, eáque non bis duntaxat, ſed ter, & ſæpiùs, vbi opus fuerit, etiam reuulſionis tantùm gratia, cùm aliquod ex prædictis vſq; ad coloris mutationem fieri prohibeat: quãuis ex ea (vt Galenus inquit) parti quæ phlegmone obſeſſa eſt, minùs futurum ſit auxilium: modò fluxio non valenter irruat, velut conſueuit in primis morbi diebus, aut corpus totũ non ſit ex æquo plenum,

cõmen. 10.

Num ſemper ex eodẽ latere facienda ſit venæ ſectio.

commen. 19. 1. ad Glauc. cap. 14.

2. de rat. vict. commen. 10.

Quòd nõ perpetuo è directo laborantis lateris venæ ſectio ſit facienda.

Verùm vbi ea vehementer irruat, aut in corpore toto humorum adſit redundantia, cum debilitate virium, nullo pacto pro reuulſione duntaxat eiuſdem lateris venam primò in cubito ſecandam eſſe putamus, ſed ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt, diuertere priùs oportet, atq; magis in aduerſum trahere, ſeruata tamen perpetuò Hippocratis rectitudine, quæ in reuulſione duntaxat efficienda ſeruari poteſt, ac debet; vtpote quæ non ſecundum duas, vel plures, ſed vnam tantùm reuulſionis, ſeu oppoſitionis, differentiam fiat. Nam quamuis ex ea minùs ſequatur auxilium laboranti particulæ, multò tamen ſecuriùs exiſtit; cùm non ad ipſam per hanc venæ ſectionem fluxio magis proritetur, ac trahatur, quemadmodum ſi ex eodem latere venæ ſectio fieret; imò ipſa per eam inhibetur, cùm ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt, attractio fiat. Id nanque perpetuò ſeruari oportere in cunctis venæ ſectionibus, quæ tantum pro reuulſione adhibentur, ac fluxionum inhibitione, ex paulò ſuprà conſcriptis auctoritatibus Hippocr. ac Galeni conſtat: & Aëtius lib. 5. cap. 100. Illud confirmauit, cùm de doloris curatione verba fecit, inquiens, Si quidem igitur multitudo fuerit quæ diſtendit, viribus fortibus exiſtentibus, vena ſecetur, & ex magna vena, inflammatæ autem dolenti parti propinqua, ſanguis auferatur. Si verò debiles fuerint vires, reuulſio fiat, & deriuatio ſurſum, aut deorſum, aut vtrinque, aut per frictiones. Nec vtique Galenus illud negauit in morbo laterali, cum lib. de cur. rat. per venæ ſect. cap. 16. dixit, Quin & pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit ſanguinis miſsio, clariſsimam ſæpe vtilitatem attulit, quæ verò ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis interuallum. Nunquid aliud voluit per hæc verba ſignificare? niſi quòd clariſsimam vtilitatem affert venæ ſectio è directo laborantis lateris adhibita? nanque per eam celeriter clariſsima vtilitas ægrotanti affertur. Sed quoniam nouerat iam id obſeruari perpetuò haudquaquam poſſe, propter eas quas priùs tradiderat cauſas, quas etiam modò narrauimus, ſæpe id dixit obſeruari debere, & non ſemper, vſus verbo πολλάκις, & non ἀεὶ; ſubditq; demum cùm id obſeruari non potuerit perpetuò, quod licet non tantam afferat vtilitatem, nec ita celerem, nec ex brachio oppoſito fieri debet, cùm dixit: Quæ verò ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis interuallum: Fruſtra nanque appoſuiſſet verba hæc, niſi quandoque ea vti deberemus: præſertim cùm priùs ſecta vena ex eodem latere, ſæpe, & non ſemper clariſsimam vtilitatem attuliſſe dixiſſet. Accedit ad hæc, quod & conferre confitetur venæ ſectionem ex oppoſito brachio; quamuis obſcura ſit conferentia, aut poſt temporis interuallum; idque non præter rationem. Nam cùm per hanc venæ ſectionem reuulſio tantùm fiat confluentis ſucci ad affectam partem, & non euacuetur ſanguis, qui in ea continetur, nec propterea dolor confeſtim ſedetur: ea de re rectè Galenus inquit, per hanc venæ inciſionem obſcuram fieri, aut poſt temporis interuallum ægrotantibus vtilitatem, relatione ad eam, quæ è directo laborantis lateris efficitur, pro reuulſione ſimul, ac euacuatione. Hoc idem confirmauit Aëtius, qui lib. tertio, cap. 12. ex Galeni ſententia pro reuulſione, ſimul ac euacuatione perficienda, venam è directo affecti lateris ſecandam præcipit: lib. verò 8. cap. 68. (ex Archigenis monumẽtis) venam incidere oportet, inquit, vt dictum eſt, in brachio, non eo quod rectà ab inflammato latere procedit, ſed oppoſito. Sanguinis autem multitudo non vſque ad animi deliquium extrahatur, ſed modicum extrahere oportet; & poſt ſufficientem temporis intercapedinem, rurſus repetita inciſione modicum auferre. Quo loco venæ ſectionem adhibendam eſſe pro reuulſione duntaxat perficienda, putandum eſt, cùm non liceat tantum virum ſibimet pugnantia conſcripſiſſe, vt quidam volunt: quamuis in vtriſque locis ſecundum mentem aliorum loquutus fuerit, Galeni ſcilicet in vno, Archigenis in alio. Ex oppoſito itaque brachio venam interdum ſecandam eſſe reuulſionis tantum gratia in morbo laterali, cùm in generatione adhuc ſit, fluxio valenter irruat,

Loco citato.

aut cor

aut corpus totum humoribus plenum fuerit, ex Galeni, ac Aëtij ſententia li-
quet; cùm videlicet laborantes vnicam venæ ſectionem, quæ vſque ad coloris
ſanguinis mutationem fieret, pro reuulſione ſimul, ac euacuatione, propter
aliquam ex prædictis cauſis, ferre non valeant: nanque in his inflammationi-
bus, quæ in generatione adhuc ſunt, prior vacuatione inhibitio facienda eſt
confluentis ad affectum locum ſanguinis. Quapropter longiſsimè à tentata
fluxione parte auellere, & nequaquam ad eam trahere conuenit: id autem po-
tiſsimùm ſeruari debet, vbi à toto, vel reliquis eiuſdem partibus, ſuperflua af-
fectæ parti tranſmittuntur. Semper etenim fluxionis motum ad contrariũ tra-
here expedit, dicebat idem Galenus 2. de arte curat. ad Glaucon. Si verò flu- *cap. 2.*
xionis cauſa ex ipſa parte quam phlegmone vexat, oriatur, vtpote quæ cali-
dior ſit facta, aut dolore vrgetur, quippe ſatis conſtat eiuſdem Galeni præce-
pto 13. metho. meden. affectum illum principio tibi eſſe ſanandum, & mox *cap. 6.*
quicquid iam phlegmones factum eſt: nam ſemper quæ phlegmonæ adhuc in
generatione ſunt, earum cauſã priùs abſcindere oportet, vt eodem libro pa-
tet. Quapropter toto (vt inquiunt) cœlo, (vt mea fert opinio) errarũt, qui iuxta *Quorundam*
Galeni doctrinam voluerunt perpetuò pro cura pleuritidis eiuſdem lateris *Galenicorum*
venam incidendam eſſe, freti ex paulò ante dicta auctoritate ipſius, in qua (vt *hallucinatio.*
cuilibet patere poterit) à Galeno perpetuò id ſeruandum eſſe non præcipitur: *Loco citato.*
quamuis ſæpius dixerit, vtilitatem clariſsimam eam afferre; imò, propterea
quòd ſæpiùs dixit, id ſemper obſeruari noluit, ac ſi dixiſſet, quandoque ex ea
vtilitatem non prouenire, imò potiùs laboranti incommodum, veluti ſi fieret,
redundantia in toto corpore exiſtente, circa morbi initia, fluxionéque vali-
da irruente, & vires, aut quodpiam aliud ex prædictis vſque ad coloris muta-
tionem eam fieri prohiberent: quo caſu, ſatius, imò tutius erit, iuxta eiuſdem
Galeni decreta ex oppoſito brachio ſanguinem mittere reuulſionis tantùm
gratia, quamuis ex ea inflammatæ parti minùs futurum ſit auxilium, quæ ad
contrarium iuxta latitudinem fieret, vt ſi iuxta tali venas, è directo tamen la-
borantis lateris venam incidas, per quam reuulſio duntaxat fiat, ſecundum
longitudinis oppoſitionem, iis potiſsimùm, quibus hæmorrhoides, aut men-
ſes detenti fuerint, à qua confeſtim eadem die, ſi vires permiſerint, aut in ſe-
quenti eam incidas venam in cubito, quæ è directo eſt laborãtis lateris, etiam ſi
per eam reuulſio tantùm fiat: nam quanto maiorem in numerum particula-
res auxeris detractiones, tantò reuulſionem efficaciorem effeceris, vt Gale-
nus inquit eodem libro de cur. rat. per venæ ſectionem. Et propterea facta pri- *cap. 12.*
ma venæ ſectione ex oppoſito cubito, aut eiuſdem lateris crure, ſtatim ad ſe-
candam (vt diximus) eiuſdem affecti lateris in cubito venam deuenias, eám-
que non ſemel incidas, imò bis, ter, ac ſæpiùs, vbi opus fuerit, repetas, ſi quid nõ
prohibeat; quoad ſanguis qui in obſeſſa phlegmone parte continebatur, per
eam vacuetur; id quod dignoſces præcipuè, ex eiuſdem ſanguinis coloris mu-
tatione, ac doloris ſedatione. At mox non deerit, qui noſtram hanc opinio- *Dubium.*
nem impugnabit, aſſerens, quòd ſi ſectio venæ è directo laborantis lateris pro
reuulſione duntaxat interdum adhibeatur, & ea ab affecta parte reuellit, vt
palàm conſtat, cùm ipſa à nobis non prohibeatur, etiam exiſtente in toto cor-
pore plenitudine, ac valenter fluentibus ſuccis ad affectam partem, præce-
dente tamen oppoſiti cubiti, aut eiuſdem lateris circa talum ſanguinis miſsio-
ne; cur pari ratione etiam à principio nulla facta in reliquis partibus remotio-
ribus venæ ſectione, pro eadem duntaxat reuulſione perficienda ipſa non in-
cidenda erit? Cui reſponſum volo, quòd licet per ſectionem venæ in cubito *Reſponſio.*
è directò laborantis lateris interdum reuulſio tantùm perficiatur, vt priùs di-
ctum eſt, tamen ſi tempore quo fluxio valenter irruit: ſeu corpus multis humo-
ribus refertum ſit, vt ſæpe contingit, pro reuulſione dũtaxat ea incidatur, maius
affert ægrotanti incommodum, quàm commodum: nam inanitis per venæ ſe-
ctionem venis brachij eiuſdem lateris, cùm viciniores ſint affectæ parti, quàm

reliquæ, quæ in oppoſito brachio, aut eiuſdẽ lateris crure exiſtunt, irritatur quidem per eam ad affectam partem humorum defluxus conſecutione ad vacuum ipſis attrahentibus. Nec quicquam valet, ſi dixeris eas potius à parte phlegmone obſeſſa trahere, quàm reliquis partibus: nam præter reliqua, quæ dici poſſent, illud tantùm ſatis eſſe puto, quod apud Galenum legitur 3. de natur. facul.
cap. 14. quod in ſucceſsione ad id quod vacuatur, quod leuiſsimum, tenuiſsimúmque, priùs ei quod vacuatur ſuccedit, quàm id quod grauius eſt, & craſsius. Atqui craſsior eſt qui in parte phlegmone obſeſſa ſanguis continetur, inibíque fortiter conſtrictus, nec leuiter in eiuſdem ſpaciis inanibus impactus, ac ex vaſis ad eadem effuſus, & proinde ægriùs, quàm à cæteris corporis partibus ab inanitis venis trahitur: quod ſi velis ſaltem à naturali facultate vaſorum eum ſanguinem trahi, quid ſtultius, cùm id quod familiare eſt, & non alienum (velut ſanguis, qui in inflammata parte conſiſtit) ab attractrice facultate promptius trahatur? Potiùs itaq; attrahit venæ ſectio hæc ad inflammatam partem quam reuellit, ſi in principio nulla facta à iam dictis remotioribus partibus venæ ſectione adhibeatur: & propterea magnopere vitanda erit, niſi pro reuulſione ſimul, ac euacuatione adhibeatur, aut pro reuulſione duntaxat vbi corpus totum plenum non fuerit, ſeu poſt primos morbi dies, cùm fluxio non vehementer irruat, quemadmodum ex his, quæ ſuprà diximus, liquet: tunc etenim nec fluxio irritabitur, & promptiùs ſanguis in affecta phlegmone parte contentus, per eadem vaſa, per quæ erat effuſus, remeabit, ſi eum quoque euacuare tentabis cum reuulſione per iteratam venæ ſectionem, modò nullum eorum quæ diximus, eum euacuari prohibeat. Verùm vbi corpus totum vitioſis quoque ſcateat ſuccis, ac recrementis plenum appareat, & circa imas potiſſimùm thoracis partes dolor excruciet, nec dolor per venæ ſectionem adhuc conquieuerit, à venæ ſectione, aluus nedum clyſteriis, verùm etiam purganti-
Purgatio. bus medicamentis ſubducenda erit, ex Tralliani ſententia cap. 1. lib. 6. modo vires valeant: nam ſi imbecilliores fuerint, nedum leuibus clyſteriis, verùm etiam acribus vtendum, Paulo auctore. Et ſi paulò ante cum Galeno medicamenta purgantia nulla præcedente venæ ſectione quodammodo propter traditas cauſas, vitauimus: nam tutiùs eſſe fatemur ſemper in morbo laterali, qui euacuatione totius corporis indiget, venæ ſectione primò vti, non negauimus tamen poſt venæ ſectionem, interdum purgans medicamentum poſſe conferre, cùm ſcilicet adſint ea, quæ modò diximus. Verùm ea eligenda ſunt, ex quibus prænarrata à Galeno pericula non impendeant: & non ea pharmaca quæ fortiter ſoluunt, de quibus Aëtius lib. 8. cap. 68. ſic ſcriptum reliquit, Aluus autem aſsiduè ſubducatur, in maximis præſertim doloribus, ſed tamen cauendum ne fortiora ſolutiua exhibeantur. Hæc inquam purgantia medicamenta tempore, quo Galenus vixit, vſui erant, quæ cane peius & angue fugienda ſunt pro cura morbi lateralis, propter cauſas ſuperiùs aſsignatas. Verùm eis potiſsimùm vtendum erit, quæ leniendo purgant, aut per tuſsim repurgationi opitulantur, aut ſaltem non aduerſentur. Ea ſunt hoc noſtro æuo, caſsia fiſtula, manna, ſaccharum violaceum, aut ſyrupus ex pluribus infuſionibus violarum. Diaprunum non laxatiuum Nicolai: quibus etiam interdum pro ratione redundantis ſucci admiſcere poteris, aut diacatholicon, aut rhabarbarum, vel agaricum: quantitas autem iſtorum lenientium iam dictorum ratione, exigua ſit, oportet. Nec Galenus illud negaſſe videtur, quamuis ante venæ ſectionem
tex. 21. cum prædicta non concurrant, purgans medicamentum vitauerit; ſimul etenim cum Hippocrate 4. de ratione victus in morb. acut. venã primò ſecãdam eſſe, & deinde purgans medicamentum exhibendum, in internis inflammationibus, & non è contrariò decretum reliquit, ídque ſecutè, & mediocriter porrigendum inquit Hipp. vbi vtroq; indigeant auxilio. Redundante itaq; bile, ex caſsiæ fiſtulæ vnc. j. & s. & diapruni lenitiui vnc. s. bolus confici poterit: poſt cuius aſſumptionem vnc. ij. vel vnc. ij. & s. mannæ diſſolutæ in infraſcripto decocto

tribuere poteris, quod recipit hordei mundi drac.iij.florum borraginis,& viola-
rum,ſingulorum drac. ij.radicis glycyrrhizæ drac.j.vuarum paſſarũ mundatarũ
drac.iiij.adianti drac.j.& s.iuiubarũ,num. 4. bulliant ſecundũ artem in aqua ſon-
tana: deinde vnc.iij.vel iiij.eiuſdem decocti aſſume,in quibus iam dictam man-
nam diſſoluas. Si autem æger (vt plerique ſolent) caſsiam fiſtulam aſſumere
abhorreat,cum eadem manna diapru.lenitiui vnc.s.ac rhabarbari optimi vigo-
rati infuſi in parte prædicti decocti,ac per lineum linteũ transfuſi drac. j.miſceã-
tur.At ſi pituitoſus fuerit redundãs,in vicem diapru.lenit.cum caſsia fiſtula vnc.
s.diacatholicon,& agar.trochiſ.drac.j.addas,ſicque bolum conficias: aut ſi po-
tionem potiùs aſſumere eligat, prædicto decocto ficus aridas ac palmulas ij.
vel iij.& hyſſopi drac.ij.adiicias: in cuius decocti quantitate,quæ ſatis ſit, agari-
ci trochiſ.drac.j.vel ſcrup.iiij.leuiter decoquantur; in quo iure vnc. j. & s.caſsiæ
fiſtulæ,aut ij.mellis roridi diſſoluãtur,cum vnc.s.diacath.Pari ratione ſi atra bi-
lis redundabit,decocto addendũ erit ſenæ,& epithymi,vtriuſque drac.ij. in quo
demũ diſſoluas drac.j.& s.aut ij.caſsiæ fiſtulæ cum vnc.s.aut drac.vij. diacatho.
aut loco caſsiæ fiſtulæ,manna vtare,potiſsimùm ſi eam abhorreant laborantes.
Nec minùs loco mannæ, præſertim pauperibus; aut in locis vbi ea deſit, ſac-
charo violaceo,aut ſyrupo ex pluribus infuſ.viol.vti poteris: quemadmodũ in
robuſtioribus etiam corporibus,vice diapru.lenitiui,etiam laxatiua vtare,& vi-
ce diacath.confectione de dact.potiſsimùm pituita redundante, id tamẽ perpe-
tuò ſeruandum erit,vt ex eis,quæ fortiter purgant, etiam robuſtis corporibus
multa quantitas non tribuatur,ſempérque mixta ſint cum multo maiori copia
prædictorum lenientium medicamentorum, ita vt eorum quantitas drac. ij.
non excedat. Interim autem Medici exhibere non negligant ea medicamen-
ta, quæ ad facilem excreationem, ac thoracis expurgationem conducunt, di-
uerſa tamen, prout diuerſitas humoris gignentis inflammationem requirit:
nam ſi ſanguis,aut bilis fuerit, violaceum ſyrupum,aut è cannis, ſeu vua paſſa,
vel ex adianto tribuas,interdum verò iuiubinum ſimplicem: compoſitum ve-
rò,aut eum qui ex glycyrrhiza, ſeu hyſſopo conficitur, ſeu etiam è marrubio
exhibere poteris,ſi morbus lateralis ex craſsioribus ſuccis fuerit ortus. Quòd
ſi æger maluerit aquis permixtos potiùs abſorbere eos, aquam borraginis,
aut hordei, ſeu adianti permiſceas, vel aquam in qua glycyrrhizæ radix fuerit
decocta. Nonnulla item ecligmata hypoglottidáſque in hunc vſum parari
poſſunt, quæ ſtudioſi iuuenes requirant,cap. tum de catarrh. tum de tuſsi. Sed
quoniam Hippocrates præcipiebat à principio lateris dolores tentare calidis
fotibus diſſoluere, tempeſtiuum videtur, ad eos deſcribendos deuenire: eos *[Fotus.]*
nanque conſcribere diſtulimus vſque in hunc locum, ne interceptus fuiſſet
ſermo de venæ ſectione ac purgatione adhibenda. Erit itaque (eodem Hippoc. *[2. de rat. vi-]*
teſte ſecundo de ratione victus in morbis acutis) inter omnia ſomenta calida *[ctus, tex.1.]*
probatiſsimum (nam à frigidis nemo veretur abſtinendum eſſe) id quod ex *[tex.2.]*
aqua calida in vtre, vel veſica,aut alio vaſculo poſita, fit: quamuis vtilis etiam
ſit, vt ipſe inquit, & ſpongiæ mollis, magnæque atque ex aqua calida expreſ- *[Eodem lib.]*
ſæ applicatio: verùm fomentum linteo veſtiendum erit, propter eas quas ipſe *[tex. 4.]*
præcitato loco reddit cauſas: hi ſiquidem humidi potus inflammationibus quæ
à bilioſo ſucco factæ ſunt,opitulantur,ex Gal.ſentẽtia eodem 2.lib. de rat.vict. *[Si inflamma-]*
in morb.acut.velut ſicci iis,quæ à tenui,aquoſóque ſanguine exortæ ſunt, cum *[tionis cauſa]*
perpetuò contraria contrariorum ſint remedia. Loco. autem prædicti ſotus in *[ſit bilioſus ſan-]*
eundẽ vſum parari poſſent,ſi priùs in qua radicem, & folia althææ, flores cha- *[guis.]*
mæmeli,ſœnumgræcum,ſertulã campanam,ac ſemen lini decoquas,ac demum *[commento. 2.]*
aliquo prædictorũ modorũ fotus applices: ex eiſdem quoq; ſacculi parari poſ-
ſent,qui etiã calidi,veluti fotus,extrinſecus adhibeãtur. Si verò ab aquoſo, te-
nuiq; ſanguine exorta fuerit inflammatio,tertio fotuum genere ab Hippo. con-
ſcripto vtare. Eſt autem fomentum ipſum ſiccum ex ſale,milióq; frictis,torrefa- *[Si aquoſus]*
ctis,atq; in ſacculis concluſis paratum: beneuolum ſiquidem, leue, atque iucun- *[ſanguis.]*

Eodem lib. text.6. dum eſt milium, vt ipſe inquit Hippocrates. Poteris inſuper & in hunc eundem vſum, ex chamæmeli floribus, furfure, ac milio ſaccellos componere: vel ex milio, ſale, ſemine lini, ac fœnogræco, modò ſicci ſemper applicentur. *Si craſſior & viſcoſior fuerit ſanguis.* At ſi ſuſpitio fuerit, craſſos, viſcoſóſque humores, in ea quæ phlegmone obſidetur parte collectos eſſe, ſecundo ab Hippo. fotus genere conſcripto, vtare. Conſtat autem ex hordeo, ac eruo, priùs tamen eis conciſis, comminutíſque, & demum ex aceto, & aqua excoctis: ita diluto aceto ex aqua, vt paulo acidius ſit, quàm vt quis bibere poſsit. Hæc itaque ſemina madefacta perfuſaque, & feruefacta in ſacculos conie ctà lateridolenti apponantur: in hunc etiam vſum confert furfur appoſitum: eodem Hippo. teſte, *Lib. citato. tex. 5.* & in hunc quoq; vſum ſaccellis vtare ex hordeo conciſo, ac furfure, addito hyſſopo, ac pulegio, ſimiliter madefactis ex diluto aceto: nempe hoc pacto tum blandior, tum efficacior erit fotus. Trallianus verò (vbi melancholicus abundat humor) fomentum potiùs ex furfuribus in iure chamæmeli decoctis commendat, tanquam excellentiſsimum, & propè ad omnem dolorem conueniens: perpetuò tamen conſulo, vt ab eo incipias fotu, qui periculo omni vacat. Is autem eſt, qui minimè mordet, humidúſq; exiſtit: *Lib. citato. commen. 2.* ſic nanque & Hippocrates cœpit. Nempe (vt inquit Galenus) tametſi nihil aduerſus malum fecerit, non tamen magnum, & inſigne affert detrimentum, veluti hi qui ex aceto, vel orobo, aut ſale fiunt: qui niſi propitiam, conuenientémque conſequantur affectionem, non ſolùm non ſalutares erunt, verùm quoque & malum augebunt. Propterea ab eis te inchoare non oportet, niſi exactam habueris notitiam eius, qui in inflammata parte euincit, humoris. Hanc verò dignotionem, cùm ſcientificam habere nequeas, ſed coniecturalem: propterea (vt diximus) tutius erit, ab his inchoare fomentis, quæ quàm cætera magis auxilio eſſe tibi videbũtur. *Vnguenta.* Quòd ſi nihil præſidij tuleris, ad alia etiam te transferre conueniet: quin etiam poſt fotus vtiliter admoueri poſſunt vnguenta eiuſdem rationis calfacientia, vt R. olei amygd. dulc. vnc. j. butyri recentis vnc. s. vel loco olei amygd. dulc. chamæmelino, aut anethino vtare; & in vicem butyri, anſeris ſeu gallinæ pinguedo accipiatur; potiſsimũ vbi ex frigidiori ſucco inflammatio orta fuerit: in quem etiã vſum, hordei, fœnigræci, & ſeminis lini farinam addere poteris, vel œſypum, & dialthæam compoſitam Nicolai, aut eiuſdem ſimplicem: aut ex folijs, & radicibus maluarum, & althææ contuſis, atque in aqua decoctis, adiectíſque olei anethini, vel chamæmelini, & amygd. dulc. vtriuſque vnc. j. ſeminis lini, fœnigræci, ac hordei farina, fiat cataplaſma. Ad curandum ſummopere eſt, ſi cataplaſma imponatur, vt calidum permaneat: permanebit autem, ſi oleo calido veſicam ſemiplenam *Lib. 8. c. 68.* frequenter cataplaſmati admoueas, ex Aëtij præcepto. *Cucurbitula.* Poſt ſeptimum autem diem (vt idem inquit Aëtius) ſi eodem modo dolor perſiſtat, cucurbita lateri affigenda eſt, & cutis ſcarificanda: manifeſtiſsima enim in pleuriticis vt ipſe refert) vtilitas ex cucurbitulæ appoſitione apparet. Celſus verò (vbi lenior, *Lib. 4. cap. 6.* ſiue vetuſtior fuerit lateris dolor) ad cucurbitulas confugiendum eſſe (ante ſumma cute inciſa) præcipit. Verùm ne in errorem incidas in cucurbitularum *Lib. 6. cap. 1.* adhibitione, ſeruanda erit Alexandri ſententia; qui dixit, commodius & tutius eſſe hac vti curatione in quibus parua copia eſt vacuandum. Nam per eam quod in affecta parte continetur, ex alto extrahitur, atque hoc facto mitari licet, quomodo inde etiam dolor, qualiſcunque fuerit, licet vehementiſſimus conquieuerit, vt neque fomento, neque alio præſidio indiguerit. At ſi inflammatio membranæ coſtas ſubcingentis ex iam dictis diſcuti non valeat, ſed in ſuppurationem permutetur, hanc permutationem coadiuuare oportet: cùm quibus verò fiat, ſequenti capite de ſuppuratione patebit: quicunque *tex. 52.* enim dolor (inquit Hippocrates ſecundo prognoſt.) in his affligit ſedibus, hoc eſt, thorace, & pulmone non deſinens, neque ſcreationis purgatione, ventris ſubductione, neque venæ ſectione, ac medicamento, & victus ratione in ſuppurationem verti ſciendum eſt.

Περὶ πνευμονίας. De pneumonia. Capvt LI.

ET hic quoque affectus, quem περιπνευμονίαν, ſeu πνευμονίαν, vel (vt Celſo viſum eſt cap. 7. lib. 4.) περιπνευμόνικον Græci vocãt, Latini verò & περιπνευμονίαν quoque, interim verò pulmoniã appellant, inter eos morbos cõnumeratur à Gal. 2. meth. med. cap. 2. quibus à læſa particula nomen fuit inditũ. Eſt nanque (vt Celſus inquit) vehemens, & acutus pulmonis morbus. Paulus verò cap. 30. lib. 3. peripneumoniam, pulmonis inflãmationem eſſe teſtatur. *Peripneumonia quid ſit.* Ac Aëtius cap. 66. lib. 8. eandem dixit pulmonis eſſe inflammationem cum febre acuta. Cuncti verò, licet ſub diuerſis verbis in eandemmet videntur ferè coincidere ſententiã, quòd ſcilicet peripneumonia pulmonis inflammatio ſit: quam etiam ſententiam ſcriptam reliquit Galenus 2. & 4. de locis affect. lib. de pulſ. ad tyrones, cap. 11. & 4. *2. de locis aff. cap. 9* de cauſis pulſ. cap. 12. Nec alio modo per inflammationem hic intelligendum erit, quàm præcedenti cap. de pleuritide intelleximus: poterit nanque inflammatio hæc (vt in ſequentibus differemus) nedum ex ſanguine optimo, ac laudabili, mediocrémque craſsitudinem habente initium ſumere, verùm etiam & ex *4 de locis aff. cap. 8* eodem pituitoſo, aut bilioſo, aut melancholico exiſtente, vt patet apud eundem Galenum præcitato lib. 2. de locis affect. cap. 9. & commento aphor. 33. lib. 6. cùm dicebat, pulmonem aptum natura eſſe, cùm raræ, ac laxæ ſubſtantiæ particeps ſit, ad omnes humores ſuſcipiendos. Sed mox aduerſus ea quæ diximus, non ab re inſtabit quiſpiam aſſerens Galenum 4. de cauſ. pulſ. cùm de peripneumonicorum pulſibus pertractat, fateri pulmonem, cùm laxus ſit, & mollis, fiſtulíſque inanibus vndique infinitis cauus, à pituitoſiore, atque craſsiori ſanguine inflammari, cùm ſubtilis, bilioſúſque fluat ferè, nec cum viſcere vlla ratione cohæreſcere poteſt: *Dubium. cap. 12* Cui reſponſum ſit, Galenum præcitato loco, tum etiam 2. de locis affect. propter viſceris laxitatem, ac mollitiem, & raritatem aſſeruiſſe pulmonem promptiùs ex pituitoſo ſanguine inflammari, ac etiam magis, quemadmodum & ſubcingentem membranam ex bilioſo magis, non tamen negaſſe vtraſque partes ab vtriſque etiam inflammari poſſe, cùm 4. de cauſis pulſ. ſic dicebat: *Loco citato.* Siquidem bilioſioris munus eſt cogere, ſiccare, tendere, indurare: quæ quando minùs ſæpe pulmonem infeſtat, ſanè erit rata quoque pulſus durities: & 2. de *Citato cap. 12* locis affect. dicebat: Quin etiam in laterali morbo ſępenumero magis bilioſum, in peripneumonia verò magis pituitoſum ſequi conſueuit. *Citato cap. 9* Non itaque negauit Galenus omnino pulmonem inflammari poſſe ex bilioſiori ſanguine: ſed id raro contingere: ſæpius verò, ac magis à pituitoſiore ſanguine inflammationem in ipſo oriri propter iam dictas cauſas, vbique confirmauit. Afficitur autem in *Pars affecta.* hoc affectu pulmo ex quouis humore originem ducat, vt ex eius deſcriptione liquet, inſuper ex ſpirandi difficultate, quæ neceſſariò comitatur, eo quod affecta particula ſpiritus eſt inſtrumentum, ſic etiam ex tuſsi, quæ neceſſariò eis accidit. Quare ex ſpirandi difficultate, ac tuſsi ipſum affectum eſſe conicere poterimus. ſed quoniam maxima pars ſignorum huius affectionis, communis eſt tum parti ipſi affectæ, tum etiam affectui: propterea ne eadem bis repetamus, cuncta narrabimus, quæ affectum ipſum ac partem affectam indicant, pro comperto habentes, quod cùm vitium hoc ſit inflammatio, morbus vtique erit in quantitate primo, & ſecundo in intemper. indicant autem inflammatum pulmonem immodica ſpirandi difficultas, atque anguſtia, adeò vt ſuffocari laborantes videantur, ac recti ſedere conentur: *Quis affectus præter naturam ſit.* nam hoc pacto faciliùs ſentiunt totum thoracem dilatari: quippe qui decumbentibus in ſe ſe concidit; eo quod pectoris partes ad ſpinam declinant, qua erecta thorax etiam ſimul fertur, non amplius ſe ipſum grauans, *Signa.* vt patet 2. & 4. de locis affect. quin etiam calidam ſentiunt eandem reſpirationem, maximè ſi eryſipelatis particeps fuerit inflammatio. *2. de locis aff. cap. 9* Quocirca (vbi plurimum efflant) iuuari videntur; ac multum aërem frigidum attrahere concupiſcunt. *4. de locis aff. cap. 7. & 8.* Inſuper grauitatis cuiuſdam thoraci incumbentis ſenſum ſæpenumero percipiunt, ac dolorem ex imo ad ipſum peruenire, &

dicamentum compoſitum ex cera, reſina terebinthina, medulla ceruina, butyro, œſypo liquida, iride ſicca tenuiſsimè trita, & etiam nardino vnguento, vt inquit Paulus: ſint autem horum partes æquales, vt ait Aëtius.

Περὶ ἐμπυήματος. *De empyemate, ſeu ſuppuratione.*

CAPVT LII.

Morbus qui à Græcis ἐμπύημα, à Latinis ſuppuratio, ſeu purulentia dicitur: & propterea qui hoc morbo laborant ἐμπυικοὶ ἢ ἔμπυοι Græcè, Latinè verò ſuppurati, & purulenti appellantur, non vno duntaxat modo in Hippocr. & Galeni doctrina intelligi conſueuit. Nanque interdum omnem tranſmutationem quæ fit ad pus, in quacunque parte fiat, per ſuppurationem intelligunt, vt patet aphoriſmo 8.5. & 45. ſeptimi libri, & libro prognoſticor. præſertim primo, & ſecundo: interim verò ſolos eos, qui in thorace, ac pulmone vniuerſum pus contentum habent, priùs tamen prædictis partibus inflammatione affectis, purulentos nominant: vt dicatur ſuppuratio hoc modo tranſmutatio, ſeu alteratio prędictarum inflammationum ad pus, vt liquet, tum commento citati aphoriſmi octaui, quinti libri, tum etiam ſecundo prognoſticorum. Tertio modo per ſuppurationem propriè, ac præcipuè intelligunt, non ſiquidem conuerſionem inflammationis lateris, ſeu pulmonis ad pus, ſed collectionem, ſeu effuſionem puris in ſpacio thoracis, atque pulmonis intermedio, poſt prædictæ ſuppurationis diſruptionem. Sic quoque pręcipuè ſuppuratos nuncupant eos, quibus inter thoracem, atque pulmonem aceruatum pus eſt, vt cōmento aphoriſmi 45.6. & 27. & 8. & 15. quinti libri patet, ac etiam ſecundo prognoſticorum. Cùm itaque hiſce tribus modis ſuppuratio, ſeu purulentia in Hippocratis & Galeni doctrina intelligi poſsit, de ea quæ primo modo ſumitur, nequaquàm pertractare propoſuimus, cùm de thoracis, ac pulmonis affectibus, & non de his qui indifferenter in ſingulis corporis partibus prouenire poſſunt, hic verba facimus. Et cum magna ex parte, ac præcipuè ſuppuratos nominent Hippocrates & Galenus eos, qui pus habent in ſpacio inter thoracem, atque pulmonem, vt præcitatis locis liquet, propterea de hac ſuppuratione potiſsimùm pertractare intendimus: quamuis affinitate ſermonis nonnulla quoque dicemus de conuerſione, ſeu tranſmutatione inflammationis lateris, ſeu pulmonis in pus, quod quidem adhuc in parte inflammatione affecta vniuerſum continetur: & ſi hic affectus non præcipuè ſuppuratio, aut purulentia dici poſsit, vt dictum eſt. Afficitur verò perpetuò in verè purulentis thorax, præſertim ſecundum eius cauitatem, hoc eſt, intermediam regionem quæ inter thoracem atque pulmonem eſt: quapropter anguſtiam ſentiunt laborantes loci illius pure repleta intermedia ea regione: accidítque eis anhelitus difficultas ac tuſsis, & in imo thoracis grauitas quædam ſentitur. Verùm ſi nondum pus in idem ſpacium effuſum ſit, ſed vniuerſum conſtiterit in parte priùs inflammatione affecta, pulmonem, aut ſubcingentem membranam affectam eſſe dignoſces, ex præcedente peripneumonia aut pleuritide, quæ haudquaquam adhibitis ſubſidiis diſcuſſæ fuerunt. Præterhæc, ſi in pulmone pus contineatur, & in vtraque parte potiùs, quàm in altera, dextra ſcilicet, & ſiniſtra pus colligitur, in vtriſque incidens veluti quoddam onus perſentiſcit æger, & æquè calidiores ambæ partes ſentiuntur, neque ægriùs, aut promptiùs in vno latere, quàm in alio cubabit. Si verò ſuppuratio in altero latere tantummodo fuerit, in altera quoque parte thoracis, dextra ſcilicet, aut ſiniſtra potiùs quàm in vtraque pus collectum erit, neque in dextra parte exiſtens, in ſiniſtram, neque è contrario in ſiniſtra, tranſmeare in dextram poteſt. Cæterùm pars affecta cognoſcitur, quia calidior eſt, quàm reliqua, & in eadem quoque duntaxat dolorem, ſeu grauitatem ſentiet æger: & eo in incolume latus cubante, veluti onus deſuper aliquod illi pendere videtur,

Quot modis dicatur ſuppuratio.

Vide 1. prog. cōm. 40. & 2. prognō. cōment. 60

2. prognoſt. comment. 60

De qua ſuppuratione tractabitur.

2. prognoſtic. Loco citato.

Pars affecta.

Tex. & comment. 59
Suppuratio propriè dicta quid ſit.
Quis affectus præter naturam eſt.

vt apud Hippocr. atque Gale. legitur ſecundo prognoſt. Suppuratio itaque præcipue dicta, quæ nihil aliud eſt, quàm collectio puris inter thoracem & pulmonem, vt priùs diximus, morbus eſt in numero toto genere præter naturam, ac in exceſſu, vt lib. de different. morb. cap. 8. patet. At ea ſuppuratio, quæ tranſmutatio eſt, ſeu conuerſio inflammationis lateris, aut pulmonis ad pus, cum eodem tempore fiat abſceſſus dictarum partiũ, morbus poſſet dici in magnitudine, velut quoduis aliud genus abſceſſuum, ex Galeni ſententia 14. meth. meden. cap. 12. Vtraque tamen morborum genera in numero ſcilicet, & magnitudine, ſub vno prædicamentorum genere continentur, vtpote ſub quantitate, velut patet eodem libro de differentiis morbor. cap. 8. Verùm vt clarior fiat prædictarum ſuppurationum dignotio, eas ſeparatim diſtinguere volumus, ac pro earum diſtincta notitia, primò indicia trademus ipſius ſuppurationis, quam abſceſſum nuncupauimus, ſecundò diſruptionis ipſius abſceſſus, & tertiò effuſionis, ſeu collectionis puris inter thoracem, atque pulmonem, quæ propriè, ac præcipuè ſuppuratio dicitur.

Signa inflammationis cum in abſceſſum vertitur.

Dignoſces autem inflammationis trãſmutationem ad pus, cùm adhibitis opportunis ſubſidiis, ac proba inſtituta victus ratione in præcedenti inflammatione dolor non deſinat, adhuc rigor laborantem prehendit propter puris acrimoniam, ac mordacitatem, quod quidem adiuncta corpora erodit, talémque rigorem febris comitabitur vehementior admodum, quàm ea, quæ præceſſerat: eueniétque ægrotis ponderis cuiuſdam (in loco quo dolore afficiebantur) ſenſus. Ex pondere itaque, rigore, ac febre multò vehementiùs affligente, quàm anterior, ſuppurationis initium percipitur, vt liquet apud Hippocr. & Gale. 2. prognoſt. & apud Alexandrum cap. de purulentis: nam dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis, quam iam confecto ex eiuſdem Hippocratis ſententia aphoriſ. 47. libri 2. aderítque grauitas pectoris, tuſsis valida, & ſicca cum dolore, aliquando etiam cum humiditate, ob quam releuari quoque videntur, vt inquit Paulus.

Tex. & comment. 58
Alex. lib. 7. cap. 2
Paul. libro 3. cap. 32.
Signa diſruptionis abſceſſus.
Loco citato.
Suppurationis propriè dictæ ſigna.

Verùm licet confecto pure, & dolor, & febris mitiores fiant, tamen inſtante tempore diſruptionis ipſius, vehementiùs cum horrore quodam iterum febricitabunt, ac in ſermonis proprietate conturbantur, offenduntúrque ſpiritu, adeò vt difficiliùs, quàm antea ſpirent, ex eiuſdem Pauli teſtimonio. Rupto autem abſceſſu, ac effuſo pure inter thoracem, ac pulmonem, vehementes febres quieſcunt, & magna ex parte dolor quoque, licet indeſinenter febricitent habituali quadam febre: grauitatis autem ſenſus remanet intus in profundo thoracis: ſimúlque transfluere aliquid apparet iuxta multiplices reclinationis permutationes, & maximè cùm ab vno latere in alterum decumbunt, tunc ſanè multitudo puris manifeſtatur, & fluctuationis cuiuſdam ſonitus ſæpe ſenſibiliter in reclinationibus ipſorum auditur, prout legitur apud Galenum libro quarto, de locis affectis, cap. 8. & apud Aëtium libro 8. cap. 65. totúſque thorax iiſdem attollitur, etſi neque calidus ſit ipſorum ſpiritus, neque etiam exſufflando emittatur, niſi adurens fortaſſe febris acceſſerit, vt idem teſtatur Galenus, potiſsimùm vbi magna puris quantitas collecta ſit.

4. de locis aff. cap. 7.
Quales ſint ſuppuratorũ pulſus.

Educitur quoque eiſdem pus nunc purum, nunc fœculentum, vt inquit Paulus: ex pulſu item poteris diuerſa ſuppurationis tempora interſtinguere: nam initio ſuppurationis ſtatim ſuppurati pulſum habebunt, qualem habere ſolent in vigore inflammationis: nam hoc tempore initium eſt ſuppurationum: erit itaque pulſus durior, quàm antea, & vibratus magis, ſed minor, quàm dudum, non tamen languidior, quin etiam crebrior, ac celer: nonnunquam etiam erit inæqualis, & inordinatus: verùm omnibus erit hecticus: quoniam perpetuò eſt illa in motu arteriarum agitatio, donec fiat eruptio: licet cùm pus prope maturum ſit, æqualior fit pulſus, cùm verò eruptio fiat, languidior, latior, tardior, & rarior pulſus redditur, vt libro de pulſib. ad Tyrones, cap. 11. & quarto de cauſis pulſuum, ſcriptum eſt.

cap. 9
2. prognoſtic. tex. 60

Hippocrates verò eodem 2. lib. Prognoſtic. omnes purulentos dignoſci his indiciis fatetur, nam principio febris non dimittet, ſed interdiu tenuior, noctu verò vehemẽtior eſt. Copia ſudoris elicitur, ac tuſsiendi cupiditas adeſt:

quam

placuit,quod etiam peſsimæ ſignificationis exiſtit: & ſi mortale quidem malum fuerit,vigiliæ ampliùs aderunt, aut ſomni breues, ſtuporem ac delirium inducentes,& imaginatione mentem vicißim perturbante, non ſentiunt valde præſentia mala; extremitates frigidæ, vngues liuidi incuruantur; quarta, aut ad ſummum ſeptima die hi moriuntur. Verùm ſi ad ſalutem permutetur morbus (vt idem fatetur Aëtius) ſanguinis eruptio ex naribus abundanter ſequitur, aut alui exturbatio,multis exeuntibus bilioſis, & ſpumoſis humoribus:aliquando autem inflammatione in pus commutata, per ventrem, aut vrinam,pus excernitur, ſtatímque ab omni moleſtia liberantur: at ſi in pulmonem irruperit aceruatim, aut ſuffocat, aut cùm grauibus acceſsionibus in tabem permutatur. A pulmonis autem inflammatione phrenitis,malum eſt, vt inquit Hippocrates aphoriſ. duodecimo libri ſeptimi, & in coacis prænotionibus legitur, quòd peripneumoniæ ex pleuritide tranſmutatæ ſecuriores ſunt his quæ ab initio fiunt, licet ſi ſuperuenerint, ſint malæ, vt patet vndecimo aphoriſmo eiuſdem libri ſeptimi. Quantum verò ad victus rationem attinet, pro eius curatione,eadem ferè,quæ pleuriticis inſtituta fuit,vtantur, niſi quod magis extenuatoria opus habent:Dicebat etenim Aëtius, cibus ſit extenuatorius: verùm quod ad ipſum attinet cibum (vt teſtatur Celſus) neque ſalſis opus erit, neque acribus,neque amaris,neque aluum adſtringentibus, ſed paulò leuioribus. Quare primis diebus danda erit ſorbitio ptiſanæ,aut etiam ipſa ptiſana cum melle:rectè quoque ſumeretur,& recens butyrum (vt Paulus inquit) vel ipſum etiam cum ptiſana,cum aqua iterum recens adeps coqui poteſt, ex Celſi auctoritate; ea verò ſit gallinarum,aut anſerum.Nam primis diebus ſorbitiones dulciores eſſe oportet,iuxta Hippocratis ſententiam libro tertio de Morbis,ſic enim (vt ipſe inquit) id quod conſedit,ac compactum eſt, potiſsimùm elueris, ac commoueris:quarta autem die,& quinta,& ſexta non ampliùs dulces, ſed pingues: nam ad ſputum ſurſum excreandum conducunt. Poteris inſuper in ptiſana decoquere (iuxta Aëtij ſententiam) parum hyſſopi, aut origani, potiſsimùm vbi à frigidioribus ſuccis inflammatio fuerit orta:& poſt quartum,quintum, aut ſextum diem, cùm pinguia admittat Hippocr. prædictam ptiſanam cum pullorum,aut gallinarum iure pingui pararem:vel macerato in iam dicto iure pane, in quo parum etiam, aut hyſſopi, aut origani fuiſſet decoctum vtare; tribuendáque ſunt ſorbilia oua,vt refert Celſus; panis ex aqua mulſa, & nuclei pinei ex melle, aut (ſi libeat) etiam ex ſaccharo. Potus autem quod ad quantitatem attinet,ſit exiguus:humiditas enim noxia pulmoni exiſtit,vt Aëtius inquit:quare primis diebus vinũ dare conuenit dulce,album,aquoſum,paulatim frequenter bibendum,vt Hippocrati viſum eſt,libro ſecundo de Morbis,eóque præſertim vtendum, vbi inflammatio ex frigidiori ſanguine ortum habeat, ac laborantes admodum elegantes, delitioſique fuerint: reliquis verò pro potu aqua hordei (præcipuè non decorticati) tribuenda erit,vel aqua, in qua glycyrrhizæ radix fuerit decocta, aut vua paſſa vinaceis detractis, vel aqua mulſa, in qua etiam parum hyſſopi decoctum ſit:propinari item poterit pro potu ficuũ cum pauco hyſſopo decoctum,ex Pauli ſententia.At virtutis tuendæ gratia (vt ipſe inquit) crebriùs potui aſſumetur aqua mulſa per ſe,aut cum nucleis pineis. Reliqua quæ ad victus rationem attinent, præcedenti capite ſtudioſi requirant. Oportet autem (ſi ſatis validæ vires ſunt,) ſanguinem mittere, ex Celſi ſententia:quam etiam confirmauit Aëtius, cùm dixit, Itaque (ſi nihil obſtiterit) ſtatim vena ſecanda erit in cubito,ex quacunque cauſa, ac quouis modo genita ſit peripneumonia:quamuis Paulus velit in iis, qui ex aliis morbis in hunc decidunt,ſanguinis detractionem vitandam eſſe, maximè ſi diu hoc in ſtatu fuerint: vel ſi per initia ſanguinem miſerint. Sin autem peripneumonia ſtatim ab initio inuaſerit (vt ipſe fatetur) ſanguinem mittere, ſi vires id permittant, ex vſu eſt. Quibus verbis pugnare videtur Paulus Aëtij, ac Celſi ſententiæ:quamuis nedum non pugnant verba eius prædictorum ſententiæ, ſed ipſam confir-

Loco citato.

Paulò poſt medium.

Curatio.

Loco citato.

Loco citato.

Venæ ſectio.

cem,& pulmonem collectam totus thorax in reſpiratione attollitur, celerrimè ſuffocantur,ex Galeni teſtimonio quarto de locis affect.cap.7.tum ob affectum ipſum, vt ipſe refert,tum quod vires omnibus ſuppuratis defeſſæ,ſiquidem propter pugnam ex neceſsitate imbecilliores redduntur. Verùm quinto de locis affectis,cap.3.de ſuppuratis aduerſus Eraſiſtratum ſic dicebat, quòd velut non paucos perire,ita & alios complures ſeruari videat: quorum ſiquis per ſingulos dies reiecti puris quantitatem collegerit,interdum ſex,aut octo heminas,interim quindecim, atque interdum plures totam ſummam æquare inueniet. Quis autem ſit ſuppuratorum per expuitiones purgationis modus, habetur à Galeno eodem quinto de locis affect. nanque expirationis tempore vniuerſo thorace vehementer constricto per validam tuſsim (ſine qua fieri nequit) pus, quod inter ipſum & pulmonem continetur comprimendo cogit, atque ad pulmonem ipſum impellit concedente pulmonis membrana eiuſdem puris, ac ſimiliter cuiuſuis alterius excrementi penetrationem: etenim thorax vehementer admodum hoc tempore pulmonem omni ex parte comprimit; & demum, cùm & maiores ſint in earum extremitate aſperæ arteriæ partes, quàm venæ, & arteriæ leues, ac multo ampliora habeant ora, nec ita concidant, neque omnifariam concludantur, propterea quòd cartilagineæ ſint, in aſperas ipſius pulmonis arteriàs recipitur, & non in leues, ac venas, ac deinceps expuitur. *Loco citato.*

Qui autem ſuppuratione laborant aërem inhabitent ſiccum, in calido, & frigido temperatum,vel paulo ad calidum vergentem, ac in quiete diligenter cuſtodiendi ſunt,à motu,ſeu exercitio cauentes: ſomno quoque temperato vtantur,& ſi rupturæ tempus inſtauerit,ſuper ſanum latus decumbant, Paulo auctore: ſingulis diebus alui excrementa excernant, ſi non ſponte, ſaltem clyſteribus, præſertim lenibus: nanque exonerata natura ab eiuſmodi excrementis, promptiùs ſuppurationi vacabit, ipſam maturando,aut rumpendo, aut expurgando. Immodicæ animi affectiones vitandæ erunt, præſertim metus, & mœſtitia: nutriēdi verò ſunt ex ptiſanæ ſucco,& aqua mulſa, vt inquit Aëtius: nam mulſa quouis tempore exhibita,nihil ægrum offendit, Tralliano teſte: quāuis nec ipſa vniuerſim,ſed paulatim exhiberi debeat: nam omnis potus modicus eſſe debet, in iis qui alicubi abſceſſum habent, vt Galenus teſtatur ſeptimo de compoſitione medic.ſecundum loc. cap.6. Verùm (vbi infirmæ vires fuerint) maior cura ipſarum habenda eſt: & propterea cibis boni ſucci,& concoctu facilibus vti debent,ptiſanæ cremorem parantes,aut ipſammet totam ptiſanā decoquentes in gallinarum,ſeu pullorum gallinaceorum,phaſianorum, aut perdicum,ſeu columbarum iure: quorum etiam carnes edant,veluti etiam & turdos, aliáſque aues montanas, ac gallorum teſtes. Et quia iurà (vt inquit Alexander) vlcera magis detergunt,ventrémq; humidiorem efficiunt, propterea modo dictarum carnium iure vtantur,thymo,hyſſopo, oreoſelino, aut fœniculo adiecto; braſsica, aut aſparago, vel malua, vbi bilioſum corpus fuerit, aut ſalſum quid expuant,& febris valida. Interim verò vti poterunt piſtaciis, amygdalis, vua paſſa, ac nucleis pineis, verùm non copioſiùs ex eis aſſumant, & ſi abſtergere poſsint: nam ægrè concoquuntur,& propter oleoſam ipſorum partē alios cibos in ventriculo interim corrumpunt, vt apud eundem Alexandrum legitur. Potus verò (vt diximus) ſit aqua mulſa, aut aqua hordei, vel vinum tenuis ſubſtantiæ,vt Galenus præcipit,eodem libro ſeptimo de compoſi. med. ſecun. loc. cap. 6. ſit autem vinum (vbi eo ægri indigeant) paucum, ad dulcedinē declinans, vt inquit Aëtius: poterit quoq; & aqua probe cocta offerri, iuxta eiuſdem ſententiā: ab aceto autem,& omni alio vinoſo genere, & ab aqua quoque frigida abſtineant,vt ipſe præcipit. Cùm autem ſuppuratio fieri incipit,puris cōfectio,ſeu concoctio iuuanda erit,vt Paulus refert: nanque vinum ex naturalibus operibus,quod quidem concoctio quædam exiſtit,eſt ea quæ in pus fit conuerſio, vt apud Gal. legitur quinto de ſimpl. med. facult. & primo de differ. febr. Qua de re quod ad mouendum pus adhibetur medicamentum,tale eſſe debet, quale

Curatio.

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.
5. de ſimpli. fac.cap.5.
1. de diffe. feb. cap.6.
Quæ medica-

menta puris generationi opitulentur.

qualis eſt in naturis temperatis calor natiuus, modicè ſiquidem humectans, & excalfaciens, vt neque excellat, neque inferius ſit temperatura corporis ipſum immutantis, ſed quoad fieri poſsit ſimillimum, quemadmodum eodem quinto libro de ſimp. med. facult. cap. 5. liquet. itidem quod emplaſticum ſit oportet, quo tenaciter corporis poris, ſiue meatibus illitum inhæreat, vt ibidem patet. Primùm itaque cùm ſuppuratio ſit, fomentis per ſpongias natura adiuuanda erit, vt Paulus aſſerit: nec illud citra rationem fieri iuſsit: nam inter omnia, quæ ad puris generationem conferunt, aptiſsima eſt perfuſio aquæ temperatè calidæ, aut cui additum ſit oleũ, quod hydrelæon Græci vocant; & ex iis, quæ irrigantur, oleum temperatum, iuxta eiuſdem Galeni decreta, præcitato libro quinto de ſimpl. med. facult. cap. 8. Farina quoque triticea pura, aut panis purus modicè coctus cum hydrelæo confert: inſuper & adeps ſuillus, vitulinus, gallinaceus, ſeu anſerum, cum maluæ, ſeu althææ radice permiſtus: vel cataplaſma fiat, præſertim tardantibus ſuppurationibus ex caricis decoctis, hordeacea farina, althææ radice, columbino ſtercore, & modica reſina terebinthina, ex Pauli, & Aëtij ſententia. Ceratum quoque conficere poteris ex butyro, ruta, iride, baccis lauri, vt Aëtius inquit, cui radicem maluæ, aut althææ, adipem ex prædictis, farinam hordeaceam, aut triticeam, oleum commune, amygdalarum dulcium, aut chamæmelinum, ſimulátque ceram addere poteris. Quo item tempore ius ex contuſis carnibus gallinarum, aut gallinaceorum pullorum, perdicum, phaſianorum, aut ſtarnarum paratum, etiam cum ptiſana permiſtum aſſumere ægri poterunt, præſertim vbi imbecilliores vires fuerint, cùm non parum eis conducat pro puris generatione. Pure autem genito, quæ abſceſſum rumpunt adhibenda erunt, velut eſt mulſæ ſorbitio interpoſito tempore, & ptiſanæ cremoris cum melle: & ſi valentiores ægri fuerint (vt Paulus refert) decoctum hyſſopi, & thymi cum melle: item ſalſorum eſum commendat, & catapotia ex hiera diacolocynthide, à quibus abſtinere conſulo, niſi valde robuſta ſint corpora, quibus hæc tribuantur: potius verò ſyrupum ex hyſſopo, aut è marrubio crebrius ad hunc vſum præberem. Conducit quoque non parum ad abſceſſus rupturam, ſuper ſanum latus decubitus: legitur etiam apud Hippocratem libro de locis in homine, quod purulentis, cum excreationem facere oportet, pluribus cibis, & ſalſis, ac pinguibus vtendum eſt, & vino auſtero, & cum ſic habet tuſsis inducenda. Ab extra verò vtile eſt (vt Aëtius inquit) cataplaſma ex ſolo ſtercore caprino, præſertim vbi ruptura tardauerit. Verùm rupto abſceſſu adiuuare oportet puris excreationem, quocunque repere cognoſcatur, ex decreto eiuſdem Aëtij. Nam ſi ad aluum proreptet, magis emollientia offerenda ſunt: ſi ad veſicam ſerpat, ea quæ vrinam magis cient adhibenda: ſi verò per tuſsim puris repurgatio fiat, nihil conuenientius, aut familiarius exhiberi poterit, quàm ptiſana optimo melle permiſta: item dari poterit (vt Paulo viſum eſt) hyſſopi, iridis, aut dulcis radicis decoctum in mulſa diluta; cui quoque ſententiæ adſtipulatur Aëtius: item & radicis dulcis ſuccus commanducatus confert. Et ſi pus, quod expuitur, fœdi odoris, ac ſordidum fuerit, fœnigræci cremorẽ cum palmulis pinguibus decoctum dare confert, horum inopia, ficus quoque ſiccas modicas incoquere. Præſtat etiam, ſi mellis paulum admiſceas, vbi cremorem exhibiturus es, vt Alexander ſcriptum reliquit: per aliquod tamen tempus ante cibum potius ipſum dato. Benefaciunt quoque (eodem auctore) hyſſopum, thymum, aut iris cõtuſa, ſeu pulegium, ſeorſum aſſumpta, aut cum melle mixta: nam generosè (vt ipſe inquit) repurgant. Idem quoque medicamentum commendat, quod recipit nucem pineam, quæ copioſam reſinam peculiarem ſibi circundatam habeat, cum marrubio recenti decoctam, deinde mellis modicum decocto miſceto, & rurſus hoc vſque ad melleam craſsitiem incoquito, & vtitor; in quem etiam vſum conducunt, mel roſaceum, ſyrupus ex adianto, è glycyrrhiza, de hyſſopo & marrubio. Vtilis quoque ad puris repurgationem exiſtit alliorum præcipuè coctorũ comeſtio, robuſtis præſertim, vt Aëtius fatetur.

Quæ competant pure genito.

In medio.

Quæ competant medicamenta ſuppurationi propriè dictæ.

Intercà

quamuis nec quicquam commendatione dignum expuant. Oculi caui redduntur, genæ rubent, vngues curuantur: digiti verò potiſsimùm ſummi caleſcunt, atque in pedibus tumores conſiſtunt, procedente videlicet tempore, neque cibum appetunt; ac puſtulæ circa corpus erumpunt: quorum omnium Galenus eodem loco cauſam reddit. At quoniam ſuppuratio non ex vna duntaxat cauſa oriri poteſt, eas propterea inueſtigare conabimur: interim nanque ex inflammatione in pus verſa, & demum diſrupta, ſiue ſubcingentis, aut alterius thoracis membranæ, ſiue pulmonis fieri poterit: velut ex iam dictis liquet, ac etiam Paulus, & Aëtius teſtantur. Quandoq; verò propter ſanguinis eruptionem, vlcere ad cicatricem non perducto oriri poterit, vt idem Paulus inquit. Ex angina quoque cùm ab ea ægri liberantur, & ad pulmonem vertitur, ſi non in ſeptem diebus pereant, ſed eos effugerint, ſuppuratio fit, quemadmodum aphoriſmo decimo libri quinti, ab Hippocrate & Galeno ſcriptum eſt. Quæcunque verò prædictarum cauſarum ſuppurationem excitauerit, haud ægrè dignoſci poterit, ex propriis eorundem affectuum ſignis, vt ſi pleuritis, aut peripneumonia, aut ſanguinis eruptio, ſeu angina præceſſerit. Ex confluxu etiam è capite ad thoracem manante (vt Paulus aſſerit) ortum ducit quandoque ſuppuratio, ſeu (vt inquit Aëtius) ex feroſo, aut pituitoſo humore, ex reliquo corpore in vacuum thoracis delapſo, iſthícque putrefacto: id quod confirmari videtur ab Hippocrate, ſimul atque Galeno aphoriſ. 38. ſeptimi libri, cùm dixit Hippocrates, Deſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra viginti dies: & libro primo de morbis, ab eodem Hippocrate, dum aſſeruit ſuppuratos interim fieri, cùm pituita de capite copioſa, & aceruatim in ſuperiorem ventrem fluxerit, putreſcit, & in pus vertitur. Nec minùs & huius cauſæ notitiam habebis, ſi præcedentem deſtillationem conſiderabis, ac eiuſdem ſigna pernotabis. Verùm quî fiat, vt ex deſtillatione, ſeu ex delapſu pituitoſi præſertim, & feroſi humoris ex reliquo corpore in vacuum thoracis ſuppuratio gignatur, non ab re dubitabit quiſpiam, cùm ſuppuratio (vt ſuperiùs definitum eſt) aut mutatio ſit inflammationis ad pus, aut effuſio quædam, ſeu collectio puris inter thoracem, & pulmonem: quod verò pus generationem habeat, aut vbi contuſa caro fuerit, aut ex humore, qui phlegmonem produxit, apud Galenum legitur quinto de ſimpli. med. facult. cap. 5. inſuper (vt idemmet Galenus teſtatur primo de differen. febr.) pus generationem habet per inflammationes, & phymatoſos tumores omnes, ſuper ante quidem natura, quemadmodum in humoribus intra vaſa putreſcentibus, id quod ſubſidet in vrina, proportione puri correſpondet. Qua de re quocunque modo ſuppuratione ſumpta, cùm ſemper pus contineat, ſiue collectum in parte priùs inflammata, ſiue effuſum inter pulmonem, & thoracem, oriri nequaquam poterit propter confluxum humorum à capite, aut ex reliquo corpore ad thoracis partes manantem, vt Paulus, & Aëtius aſſerunt, ſeu ex deſtillatione, vt inquit Hippocrates, & Galenus præcitato aphoriſmo 38. ſeptimi libri, cùm neceſſum ſit ipſum fieri, aut ex carne contuſa (id quod in ſuppuratione iam dicta minimè contingit) vel ex præcedenti phlegmone non diſcuſſa, ſeu tuberculo, ad pus tranſmutatis: non igitur generari poterit ex deſtillatione, ſeu delapſu humorum ex reliquo corpore in vacuum thoracis ſuppuratio. Verùm ſiquis Hippocratis, ac reliquorum iam dictorum verba ſanè intelligere velit, ipſos promptè à calumnia liberabit: nam deſtillationes in ventrem ſuperiorem intra viginti dies ſuppurari, hoc eſt, concoqui, ſuperari, & euinci, ac ſimiles puri reddi, & non verè in pus verti docuit Hippocrates, id quod Galenus diſertiſsimè declarauit, commento aphoriſ. 30. eiuſdem ſeptimi libri, cùm dicebat, loquens de his, quibus fiunt à capite ad pulmonem fluxiones manifeſtæ, Verùm hi neque ſpumoſa per ſedem excernunt, neque cum tuſsi expuunt, & tamen ſæpiùs manifeſtè quæ ſunt in viſcere, hoc eſt, pulmone aſperæ arteriæ ſunt eo oppletæ, quod defluxit à capite; quod iam concoctū eſt puri ſimile, ſed ſpumoſum minimè: concoctæ itaq; deſtillationes

Cauſæ ſuppurationis.

1. de morbis, uerſu mediū.

Dubium.

1. de differen. febr. cap. 6.

Reſponſio.

Intereà ex hyſſopi puluere, vel abrotoni, mixtis ſeminibus in decoctione pinguium caricatum medicamentum paratur. Similiter etiam terebinthina munda in menſura vnius cochlearis, ieiunis quàm maximè, & viribus reparatis datur, ex Theodori Priſciani ſententia libro ſecundo ad Timoth. part. 2. cap. 10. Cæterùm vndecunq; puris excretio contingat, eodem Aëtio teſte, ea quæ vrinam cient, cibis commodè admiſcentur: quamuis hoc pugnare videtur Galeni verbis libro quinto de ſimpl. med. facul. cùm aſſeruit medicamenta vrinam cientia acriora eſſe, & valde excalfacientia; quæ omnia aduerſa ſunt puris ex thorace expuitioni. *cap. 12.* *Dubium.* Quippe cùm natura eorum ſit, tum excalfactoria, exſiccatoriáque, tum etiam ſecretoria, & coactoria. Quod verò coactum eſt atque exſiccatum, haud etiam facilè expuitur: proinde huiuſmodi medicamenta, quæ expuitioni ex thorace puris opitulantur, incidendi, atque extenuandi, & detergendi vim habeant oportet, ſed non tamen inſigniter calidam, ne videlicet validè deſiccent, veluti ea, quæ vrinam valenter ciunt. Atqui nodus hic bifariam *Reſponſio.* ſolui poterit, primò quòd Galenus acriora medicamenta dixit plurimam mouere vrinam (cùm nonnulla alia eam ciere poſsint, quæ acriora non ſunt) quæ inſuper puris ex thorace expuitioni aduerſa eſſe fatetur: cùm ſimul cum caliditate valenter deſiccent: & propterea ab eo peculiariter hæc dicuntur vretica, ſiue vrinam mouentia, non quia hæc ſolum vrinas moueant (quoniam & alia quoque medicamenta, quæ non adeò calida ſunt, neque deſiccant, vrinam prouocant) ſed quia iam dicta medicamenta ſolas vrinas mouent, propterea peculiariter vretica nuncupantur, à quibus abſtinendum eſſe pro puris ex thorace expurgatione, eodem loco præcipit, & non ab his, quæ non adeò calida, & ſicca ſeu acria ſunt, & ab Aëtio cõmendantur. At ſiquis velit, cuncta quæ vrinam ciunt ab eodem Aëtio commendari, dicimus nos, quòd eiſdem etiam vti poſſumus, modo quo præcipit Aëtius, ea ſcilicet cibis admiſcentes, quæ ſuapte natura humidiora ſint, vtpote ptiſanæ, aut cuipiam iuri ex prænominatis; id quod neque Galenus ipſe negauit, cùm præcitato libro quinto de ſimpli. med. facult. *cap. 12.* dixerit eadem medicamenta vretica, acria, plurimum mouentia vrinam commoditatis gratia, pro expurgando ex thorace pure, cum ſorbitiunculis, potionibúſque humectantibus exhiberi poſſe: obtunditur etenim prædictorum medicamentorum caliditas, ac ſiccitas immodica ex admiſtione ſorbitionum, ac aliorum ciborum, ſeu potionum humectantium. Quòd ſi diuturnior affectus fuerit, imbecillæ vires, ac febrilis calor moderatior euaſerit, neque thorax multum puris contineat, lac (vt inquit Alexander) dari debet, aſininum præcipuè, vbi ſordidum ac fœdi odoris pus expurgatione indigens exiſtat; hoc enim omnibus aliis antecellit, vt ipſe inquit: poſt ipſum equinum propinandum erit, quod aſinino ad omnia ſit perſimile. At ſi horum animantium ægri lac nolint aſſumere, dabitur ipſis ſecundo loco bubulũ, aut caprillum: nam & ſi non adeò purgantem vim obtineat horum lac, nutriendo tamen amplius quiddam aliis præſtare poteſt: & ſi timor abſit, ne ægri ventriculum lactis corrumpat potio, ſatius erit ipſum incoquere: nam decoctio bonam ſeroſi partem auferet, vt etiam ipſum efficax euadet ad ventrem retinendum. Commodiùs quoque adhuc, & vtile efficies, ſi calculos fluuiales candentes, excuſſóſque iniicias, aut ferramenta eodem modo ignita. Vſus denique lactis vlcus purgare, carne obducere, & totum corpus, pluſquàm vniuerſa nutrire poterit, vt idem Alexander inquit: verùm de hoc in ſequenti capite fuſiùs pertractabimus.

Περὶ τῆς φθίσεως. *De tabe.* *Cap. LIII.*

QVAMVIS diutiùs, ſæpè & periculoſiùs tabes eos malè habeat, quos inuaſit, vt legitur apud Celſum cap. 22. lib. 3. tamẽ plures ſunt eius ſpecies, vt ipſe inquit; quarũ vna eſt, qua corpus nõ alitur, & naturaliter ſemper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum loco ſubeuntibus ſumma macies oritur, & niſi occurritur, *Tabis ſpecies tres.*

ritur, tollit: hanc tabis ſpeciem ἀτροφίαν, Græci vocant. Altera ſpecies eſt, quam Græci καχεξίαν appellant, vbi malus corporis habitus eſt, ideóque omnia alimenta corrumpuntur. Tertia eſt, longéque periculoſiſsima ſpecies, quam Græci (vt ipſe inquit) φθίσιν nominauerunt, quemadmodum Hippocrates nonnullis in locis, præſertim aphoriſmo 16. ſeptimi libri, nominauit: licet hanc etiam Græci potiſsimùm Athenienſes (vt Galenus in commento refert) φθόην appellant. De hac itaq; tertia ſpecie, quam Græci φθίσιν, aut φθόην, nuncupare conſueuerunt, Latini tabem, reliquis duabus poſthabitis, pertractare intendimus: quamuis & hæc quoque φθίσις, ſeu tabes, non vno modo in Galeni doctrina intelligatur: nam tabidos interim nominat eos omnes, quomodocunque extrema macie confectos quocunque extenuentur modo: Interdum verò illos ſolum, quibus pulmo eſt exulceratus: quandoq; autem eos, qui natura proni, ſeu apti ſunt ad hunc morbum, veluti videre licet commento aphoriſmi 10. & 13. tertij lib. & 8. 4. ac primo de morbis vulgaribus, & ſexcentis alijs in locis. Nos verò per tabidos audiri volumus non eos, qui extremè emaciati ſunt quomodocunque, nec eos qui parati ſunt ad hunc morbum, vtpote anguſto, & reſtricto thorace exiſtentes, vt à tergo in morem alarum promineant operta ſcoptula, quos propriè Græci πτερυγώδεις, quaſi alatos vocant, & quibus à capite ad pulmonem fluxio defertur: nanque hi quoque facilè tabeſcunt, cùm caput facilè impleatur, ſpiritúſque organis multas deſtillationes demittat: Galeno teſte, eodem primo libro de morbis vulgaribus. Verùm eos duntaxat, quibus pulmo exulceratus eſt: veluti per tabem intelligi volumus vlceroſam diſpoſitionem in pulmone exiſtentem, quam idem Galenus deſcribens commento præcitati aphoriſmi 16. ſeptimi lib. totius corporis extenuationem eſſe dixit, cum febre tenui, ſeu exigua, conſequentem ad inſanabilia pulmonis vlcera. Voluit quoque Hippocrates libro ſecundo de morbis, ac libro de internis affectionibus, tres item eſſe tabis ſpecies, quarum prima à pituita fit è capite ad pulmonem confluente; ſecũda à labore; tertia à ſpinali, ſeu dorſali medulla, quæ maximè corripit recentes ſponſos, & veneri deditos. Nos verò (vt diximus) reliquis omnibus poſthabitis tabis ſpeciebus, ſeu differẽtijs, de ea verba faciemus, quæ totius corporis extenuatio eſt, cum febre lenta, conſequens ad inſanabilia pulmonis vlcera, Galenum ſectati; aut ſiquis vellet breuiorem afferre definitionem, eam nominabit tabem, de qua ſermo habendus erit, quæ vlceroſa pulmonis diſpoſitio eſt, quemadmodum Galenus eam nuncupauit aphoriſ. 11. libri quinti, & decimo libri tertij, & poſt eum Aëtius cap. 67. lib. 8. & Paulus cap. 32. libri tertij, quamuis auctor libri de definitionibus medicis, per tabem propriè dictam, nedum pulmonis vlcerationem, verumetiam thoracis, vel faucium ſubintelligi voluit, quam & tuſsicula, & debiles comitantur febres, atque in eis corpus conficitur. Exquiſita itaque tabes (ex Hippocratis & Galeni monumentis) erit corporis conſumptio, ſeu colliquatio cum febre lenta, ex pulmonis vlcere: quamuis impropriè, ac non exquiſitè tabes nuncupari poſsit ea quoque totius corporis demolitio, ſeu extenuatio, quæ thoracis, aut faucium, ſeu aſperæ arteriæ vlcera comitatur, præſertim vbi non exactum adeò ſermonem occaſio requirat: licet reuera, qui hoc modo laborant tabidi non ſint, eandem tamen curationem exigunt: tabeſcit ſiquidem, & in his temporis progreſſu corpus totum veluti in propriè dictis tabidis, præſertim ſi in thorace, aut aſpera arteria exulceratio fiat: propterea quòd cor ipſum ſimiliter eiſdem ſiccari oporteat: abſque enim principis membri paſsione fieri non poteſt, vt animal in toto afficiatur, vt libro de maraſmo, decretum reliquit Galenus, quamuis non æqualiter ſingulæ corporis partes tabeſcant. Verùm cor, & iecur, minùs quàm partes aliæ attenuantur in tabidis: cor ſiquidem, quoniam facultate trahendi vehementi pollet, quapropter ſanguinem valentiſsimè attrahit, & non priuſquàm vltima ſit membris omnibus inopia, ipſum alimento caret: iecur verò, quòd ſanguis totus inde initium habuerit, vt apud Galenum legitur

præcit

Tabes, quæ phthiſis appellatur tribus etiam modis dicitur.

1. de morbis vulgar. commentario 1. commen. 18.

Comment. 1. commen. 18.

De qua tabe hic tractetur. Quid ſit.

2. de morbis, paulo poſt medium.

De internis affect. circa princip.

Quòd hæc etiam tabes bifariã dicatur.

De definit. medicis, in medio.

cap. 1.

præcitato libro de maraſmo, cap. 5. Id verò quòd in ſingulis partibus, & præcipuè in corde (vt diximus) per tabem primò demolitur, humor eſt in eiſdem inſitus, ac per loca media partiũ ſimilarium diſperſus, ex quo membra primùm aluntur, verùm quouſque in corpore cordis aliquid ipſius ſeruatur, licet propius veram tabem accedant, tabidi re vera appellandi non ſunt. Cum verò ad carnoſum genus conſumptio pertranſit, aut ad fibroſam, ſeu membranoſam ſubſtantiam, omnimoda facta conſumptione ob ebullitionem iam dicti humoris inſiti, exquiſitus tunc marcor exiſtit, vt legitur apud Galenum ſeptimo & decimo metho. medendi, ac primo de different. febr. cap. 9. Nos verò qui adeò exacto ſermone de extenuatione loqui non intendimus, & ſi de ea loquamur, quæ vlcera pulmonis, aſperæ arteriæ, aut thoracis cõſequitur, quoniam exſiccato hũmore duntaxat, diſperſo per loca media partium ſimilarium, cordis præcipuè, ac totius corporis, eiuſdem corporis exſiccatio quædam, ac extenuatio fit, adhuc tabem eam eſſe dicimus: nam licet perpetuò exulceratio præcedat, non tamen ex ea confeſtim carnoſarum partium, aut fibroſarum, ſeu membranoſarũ conſumptio ſequitur, ſed priùs nuper dictus humor cõſumitur.

7. meth cap. 6
10. metho. cap. ult.

Ex tuſsi autem, ac anhelitus difficultate aliquam prædictarum partium affectam eſſe coniicere poteris: quæ autem earum ſit, ex aliis quibuſdam ſignis comprehendas: nam pulmo ſi fuerit, plurimum erit quod per ſputum reiicitur, dolor non aderit, ſiquidem pulmonis vlcera dolor non comitatur, Galeno teſte, quarto de locis affectis, cap. 8.

Partis affectæ ſigna.

Et ſi in eius parenchymate exulceratio ſit, ex eiuſdem pulmonis eſſentiæ proprietate percipies, cùm ipſius pulmonis caruncula per tuſsim reiiciatur: haud ſecus ſi bronchij pars quædam tuſsiendo reiiciatur, ſecũdum aſperam arteriam pulmonem exulceratum eſſe exiſtimamus: quin potius totũ bronchion reiici neceſſe eſt. Similiter ſi arteriæ quæpiam, aut vena in eo exulcerata fuerit, ipſarùm quoque portionẽ aliquam, præſertim vbi fruſtum vaſis haud paruum fuerit, tuſsiendo expui oportet.

Pulmonis exulcerati ſigna.

orto verò in aſpera arteria vlcere, præter hoc quòd ſputum purulentum apparet, dolorem quoque in loco affecto laborans ſentire conſueuit: ipſum verò per ea, quæ ſcreantur, quia exigua ſunt, ab vlcere quod in pulmone natum eſt, diſcerni poteſt: quippe ab vlceribus pulmonis plurimum reiicitur. Ita quoque videmus interdum per exulcerationem excreari ex gutture corpuſculum aliquod à ligula (Græci ἀντιγλωττίδα vocãt) cùm pars ipſa afficitur: id verò non ſolùm hoc indicio deprehenditur, verumetiam ex eo, quòd in vlcerato loco doloris ſenſu laborans infeſtatur, veluti de aſpera arteria iam dictum eſt.

Aſperæ arteriæ exulceratæ ſigna.

At ſi nullus in prædictis partibus dolor ſentiatur, nec aliquod iam dictorum ſignorum adſit, verùm cùm purulento ſputo in thoracis parte aliqua manifeſtè ſenſus doloris adſit, thoracem affectum eſſe cenſeto. Affectus hic cum exulceratio ſit, morbus planè erit in ſoluta continuitate. Dignoſcitur autem ex frequenti tuſsi, per quam pus excreatur, interdum cruentum aliquid, vt inquit Celſus, quòd ſi in ignem impoſitum ſit, mali odoris erit. Comitatur autem neceſſariò affectum hunc totius corporis extenuatio, ac carnium conſumptio, & febris quædam lenta, ſeu exigua, vt patet cõmento aphoriſmi 16. ſeptimi libri, potiſsimùm vbi pulmo exulceratus fuerit. Vt verò Celſo viſum eſt, febricula leuis fit, quæ etiam cùm quieuit, tamen & repetit: verùm proprium exulcerationis indicium eſt (vt ipſe Galenus inquit, primo, & ſexto de locis affectis) vocatum ramentum, ſeu cruſtula quædam eius particulæ, à qua excernitur, Græcè ephelcis dicta: ſpiritalium inſtrumentorum, ſi tuſsiendo excernatur: proprietas verò eſſentiæ eiuſdem affectæ partis proprium indicium eſt.

Signa exulcerati thoracis.
Quis affectus præter naturam ſit.
Signa.
1. de locis aff. cap. 1
6. de loc. aff. cap. 3

Diſcernunt præterea plurimi purulentum liquorem, vt ex Cælio Aureliano liquet, libro ſecundo, cap. decimoquarto, phlegmata carbonibus imponentes quò exuſta probentur. nam tetri odoris eſſe neceſſe eſt, omne quod natura fuerit mutatum, velut ex defluxione carnis veniens: item in aquam mittunt ægrotantium ſputamina, etenim naturalia facilè ſoluuntur, vitiata verò, atque mutata perſeuerãt, quadam tenuitate coacta, & ſubſidunt, ſiquidem ſint grauia,

& contra naturam ex defluxione carnis venientia: verùm cùm confirmata tabes fuerit, præter carnium conſumptionem, genæ luceſcunt, vngues curuantur, exalbidi, vel pallidi apparent: & malo iam vincente, capilli de capite defluunt, *5. aphoriſ. 11. & 12.* aluique profluuium ſuperuenit Hippocrate auctore: præcordia ſurſum conuelluntur, ſitis ipſos magis conficit, cibique faſtidium vrget; & id quod ſurſum vergit, ac per ſputum reiicitur, vehementer fœdi odoris eſt, vt inquit Paulus. At tabidorum pulſus languidus eſt, ac paruus propter facultatis imbecillitatem, non nimium celer, vt plerique febricitantes habent, quòd non detineantur vrente febre: Habent item tabidi pulſum hecticum, hoc eſt, vndequaque ſimilem, quoniam & febrem habent hecticam: ſic enim à febre, quæ vniuerſum corporis habitum occupauit, appellatur pulſus, vt libro quarto de cauſis pulſuum, cap. vndecimo, ſcriptum reliquit Galenus. *Cauſa.* Oritur fere à capite tabes, inde in pulmonem deſtillat, huicque exulceratio accedit, ex Celſi decreto: etenim quæ capitis deſtillationes tuſsim primo concitant hominibus, & raucedinem, neque tandem conſiſtunt, tabem generant, Galeno teſte, primo de Morbis vulgaribus, *Comment. 1. comment. 17* cuius duæ ſunt maximæ differentiæ, vt ipſe refert; vna ex illis, quos caput demittit, fluxibus conſtat; altera, quæ ab ipſius pulmonis malis proficiſcitur, omninóque poſtquàm expuitur ſanguis, potiſsimùm vaſe rupto: ſæpenumerò etiam fluxione impleto viſcere hoc, alia de cauſa ex partibus aliis, non ex capite. Aëtius verò pulmonis exulcerationem ad ſanguinis ſputiones præcitato loco conſequi fatetur: cùm videlicet ſanguinis eruptione ſuppreſſa, vlcus non fuerit conglutinatum, neque cicatrix inducta: conſequitur etiam in ſuppuratis, & peripneumonicis, item aliquando in affectionibus pleuriticis. Quo autem modo interſtinguendæ ſunt prædictæ tabis cauſæ, facilè patere poterit, ſiquis eas, quæ præceſſerunt deſtillationes, ſanguinis reiectationes, ſuppurationes, peripneumonias, ac pleuritides, ex his, quæ in propriis earum affectionum capitibus retulimus, conſiderauerit: reliquum eſt, vt prognoſtica aggrediamur. *Prognoſtica.* Sit autem primùm, quòd licet vlcera creberrimè in pulmone fieri poſsint, curationem tamen (vt quibuſdam viſum fuit) nequaquam admittunt: aut (vt aliqui putant) difficulter admodum ſanantur, quemadmodum liquet, tum quarto de locis affectis; cap. 5. tum quinto methodi medendi, cap. 8. & vndecimo. Ipſe verò Galenus difficillima ſanatu eſſe pulmonis vlcera fatetur, vt quæ ne citra tuſsim expurgari poſſint: & ſi tuſsim excites, laceraueris: itaque quaſi per mutuas operas malum iis *Cur pulmonis ulcera ſint ſanatu difficillima.* in orbem redit: tum etiam quòd ea, quæ idonea vlceribus medicamenta ſunt, contingere vlcus, ſicuti in ventriculo, non poſſunt: vt quòd per medium interuallum, ferè vim ſuam amittunt. Et præterea, quod præter id, quod tuſsiendo lacerantur, reſpirando etiam mouentur: & proinde concludebat eodem quinto methodi medendi, cap. 11. quòd cùm in pulmone ruptum vas eſt, ſcire apertè licet, (niſi protinus antequàm phlegmone excitetur, glutinatum ſit) id poſteà inſanabile fore. Quòd ſi aliquando curetur, relinquitur tamen in ipſo res quędam calloſa, fiſtuloſaque, quæ tractu temporis à leui occaſione expelli ſolet, vt quarto de locis affectis, cap. 5. liquet: quamuis ſi exanthemata quædam in pulmone ſint orta propter vlcerum ſiccitatem, ſanari poſsint, præſertim vbi aſpera, & ſcabioſa fuerint, vt idem Galenus teſtatur libro quinto methodi medendi, cap. 12. & 14. quemadmodum & omnino inſanabiles ſunt, qui ex ſucci vitioſi eroſione vlcus *Cur non omnino curationi reſiſtãt thoracis ulcera.* in pulmone habent, cùm longo tempore omnino opus ſit vt ſucci corrigatur vitium. At quæ in thorace vlcera fiunt, non omnino veluti iam dicta, curationi reſiſtunt, etiam ſi diuturna fuerint, vt eodem quarto de locis affectis, cap. 5. liquet: etenim quæ ex pectore educũtur, triplex compendium præ iis, quæ ex pulmone vacuantur, habent: nam & vaſa ipſa multò ſunt minora, & ſanies in ſpacium interius effluit, & in ſumma magis carnoſum eſt pectus quàm pulmo, vt patet eodem quinto metho. medendi, cap. 8. Cæterùm vlcera, quæ in aſperæ arteriæ interiore ſunt tunica, & potiſsimùm, quæ ſummæ eius parti, quam λάρυγγα vocant, ſunt vicina, aut etiam in ipſa, hæc & curationem recipiunt, & nos non pau-

cos (vt Galenus præcitato loco inquit) eorum, qui ita fuêre afflicti, ſanauimus; quorundam autem eorum hiſtoriam ibidem conſcripſit, potiſsimùm vbi interna eiuſdem aſperæ arteriæ tunica exulcerata fuerit: nanque ea ſanatu eſt facillima; ac omnis, qui in ea ortus fuerit affectus, facilè ſedatur, niſi fortè aliquando à putredine aliqua magna ipſius portio quædam corroſa cartilaginem nudam penitus deſtituerit. Verùm ſi ipſius cartilagines exulceratæ ſint, aut inſanabiles, aut ſanatu difficillimæ erunt: nanque cartilaginum affectus (vt Galenus teſtis eſt, libro ſeptimo de vſu partium cap. 7.) omnino inſanabiles ſunt, aut ſanatu quàm difficillimi. Qua de re priuſquàm malum ad cartilaginem peruaſerit, aſperæ arteriæ exulceratio protinus etiam vt ſanetur, laborandum erit. In tabem verò incidunt, maximè iuuenes, Hippocrate auctore, aphoriſmo 29. tertij libri, in eam tamen potiſsimùm (vt Galenus in comment. inquit) quæ ad ſputum ſanguinis conſequitur. Illum verò non ob ætatis imbecillitatem, ſed ob incontinentiam, ſeu intemperatum victum. Hoc idem confirmauit Hippocrates aphoriſmo nono quinti libri, cùm dixit, tabes fiunt præcipuè ætatibus à decimooctauo vſque ad trigeſimumquintum annum, & Celſus morbum hunc ætate firmiſſima maximè oriri cenſuit, id eſt, ab anno duodecimo ad annum quintum & trigeſimum. At qui tabe moleſtantur, ſi ſputum quod extuſsiunt, grauè oleat iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale: quibuſcunque etiam tabe laborantibus, capilli à capite defluunt, iis alui profluuio ſuperueniente moriuntur. Tabe item laboranti profluuium alui ſuperueniens, lethale, vt aphoriſmo 11. 12. & 14. quinti libri, patet. Verùm idem Hippocrates de tabidis ſic ſcriptum reliquit; aphoriſmo decimoſexto ſeptimi libri, à puris ſputo phthiſis, & fluxus: cùm verò ſputum retinetur, moriuntur: modum ſiquidem oſtendens in hiſce verbis, vt Galenus in comment. refert, illorum qui ex tabe moriuntur; euſque enim extenuati viuunt, donec per ea quæ expuunt, poſſunt pulmonem expurgare: cùm verò intus manent, obſerantur quidem viæ ſpiritus, patientes verò ſtrangulantur. Quòd autem autumnus tabidis malus ſit, aphoriſmo decimo tertij libri, patet: ſimiliter quòd nec per ſuperiora, ſed per inferiora medicandi ſunt, propter inſtrumentorum, quæ reſpirationi obſeruiunt, imbecillitatem, liquet aphoriſmo octauo quarti libri. Cæterùm idem Hippocrates libro ſecundo prædictionum, hæc de tabidis ſcripta reliquit. oportet enim eum, qui probè liberari volet, facilè ſputum per tuſsim reiicere; & id eſſe album; & æquale, & eiuſdem coloris, ac ab inflammatione alienum: quod verò à capite defluit, ad nares conuerti, febrem autem non inuadere, vt ne à cœnis prohibeatur, neque ſitiat: venter autem egerat quotidie; & id quod egerit ſit durum, copia pro ratione ciborum ingeſtorum. Hominem verò quàm minimè tenuem eſſe oportet, pectus autem laudare conuenit quadrangulum & hirſutum, & os ipſius paruum ſit, & robuſtè carnoſum. quicunque enim hæc omnia habuerit, maximè ſuperſtes erit: qui verò nihil horum habet, interitui proximus eſt. Huic malo inter initia protinus occurrere neceſſe eſt, ex Celſi decreto: neque enim (vt ipſe inquit) facilè is morbus cùm inueterauerit euincitur. Atqui nos cùm de ſputo ſanguinis verba fecimus, cruentorum adhuc vulnerum, tum pulmonis, tum aliorum inſtrumentorum reſpirationi deſeruientium, curandi modum inſtituimus. Reliquum erit, vt reliquorum vlcerum in eiſdem partibus ortorum curationem conſcribamus, & ſi ea, quæ in pulmone hæſerunt, vel difficiliora ad curandum ſint, vel eorum curatio perfici omnino nequeat, propter iam dictas cauſas; ne tamen tanquam deplorati deſtituantur, quomodo hi tractandi erunt, ac reliqui, qui in aliis partibus iam dictis ab vlcere oblæſi ſunt curandi, docebimus: id tamen priùs commonefacientes, quòd & ſi nonnullæ traditæ ſint pulmonis, thoracis, ſeu aſperæ arteriæ vlcerum cauſæ, de ipſis haudquaquam ſermo faciendus erit, cùm in præcedentibus ſingularum cauſarum curationem præſcripſerimus. Quare ſi qua earum adhuc permanſerit, ex iam dictis curationem petas: modò autem de tabe duntaxat, quatenus vlcera pul-

5 meth. cap. 1x

Non multò poſt principium.

Curatio.

monis,thoracis, ſeu aſperæ arteriæ conſequitur , déque ipſis vlceribus agemus.
Victus ratio. Initio itaque aër eligendus ad ſiccum parum vergens: in calore verò, & frigo-
re temperatus,quemadmodum Galeni tempore in Tabiis habebatur locus ſi-
quidem inter Surrentum,& Neapolim,mediocris altitudinis, velut ipſe quinto
methodi medendi,cap.12.deſcribit , & nos propriis oculis non ſemel duntaxat
vidimus.Sol item & frigus propterea vitandi ſunt: verùm (vbi vires patiantur)
opus eſt longa nauigatione,cæli mutatione ,ſic vt denſius, quàm id eſt, ex quo
diſcedit æger,petatur,ideóque aptiſsimè Alexandriam ex Italia itur, vt ait Cel-
ſus,potiſsimùm vbi à deſtillatione tabidi fiant, ſomno indulgendum: nocturno
tamen ac moderato vtantur. Exercitia immodica vitent , aut modica exercita-
tione,ſeu ambulatione potius,præſertim vbi remiſerit febris,vtâtur; vel lenibus
frictionibus ante cibum. Aluus lenis, licet conferat,non tamen immodicè cien-
da erit.Abſtineant ab ira, triſtitia, aliíſque immodicis animi affectibus , tum à
negotiis, omnibúſque rebus, quæ ſolicitare animum poſſunt,necnon à venere,
cruditatémque omnino vitent. Cibi eorum ſint ſorbitiones ex ptiſana , alica,
amylo,vel oryza, lacte adiecto,vt inquit idem Celſus:vel parentur huiuſmodi
ſorbitiones cum lacte amygdalarum,gallinarum,ſeu pullorum iure, caponum,
perdicum,ſeu phaſianorum : aut ſimul cum pedibus vitulorum , hœdorum, aut
caſtratorum decoquantur : Exhibeantur item prædictæ carnes contuſæ , aut
earum ſuccus, quem conſummatum ius appellant:adiecta ptiſana,aut eius cre-
more exiguo. Aëtius verò amygdalas amaras cum ptiſana decoquere bonum
eſſe dixit. Conferunt item cancri fluuiatiles, crudi, triti, cum lacte potati , aut
cocti in cibo ſumpti,aſsiduè iure eorum inſuper abſorpto , vt idem inquit Aë-
tius : hœdi quoque lactantis, capreolorum, ſeu vitulorum carnes interdum gu-
ſtare poterunt : turdorum quoque, ac aliarum paruarum auium. Verùm licet,
qui ita ſe habent, non pauco indigeant nutrimento:quoniam verò tum inuali-
dæ partes ad attrahendum ſunt , tum etiam ad concoquendum: vt nequeant
propterea,quòd mediocre eſt,concoquere : ea de re paulatim hos, & ſæpiùs ci-
bare oportet,ita vt ſemel,aut bis eos cibaſſe ſatis non ſit;qua de re ter eos ciba-
re conuenit,quemadmodum in refectoria vocata victus ratione, quoad gracil-
lima corpora ſint , obſeruari iuſsit Galenus ſeptimo methodi medendi , cap.6.
Sitque alimentum in vniuerſum quod ſine negotio & trahatur,ac promptiùs a-
lendis partibus aſsimiletur : nam non aliud eſt , quod nutrimentum deſiderat,
& aliud quod ipſum conficit: ſed quod nutriendum eſt, ipſum ſibi & nutrimen-
tum attrahit,& mutat,& concoquit, & adiungit,& aſsimilat, vt eodem ſeptimo
methodi medendi, cap.6.liquet.Cuius rei gratia non ab re nihil lacte præſtan-
tius eſſe videtur,quemadmodum Galenus libro de maraſmo, cap. vlt. de cibis
5. meth. ca.12 boni,& mali ſucci,cap.3.& quinto,& ſeptimo methodi meden.& ſexcentis aliis
7. meth. cap.6 in locis ſcriptum reliquit,& ante ipſum Hippocrates, aphoriſmo 64. quinti lib.
& poſt eum vno ore medici omnes:eò quòd omnium ferè, quæ mandimus, lac
optimum,optimi eſt ſucci,ac multi alimenti,vt tertio de aliment.facult. cap.15,
patet ac medicorum omnium auctoritate,lib. de cibis boni,& mali ſucci, cap.3.
confirmauit Galenus,promptéque concoquitur,ac diſtribuitur. Erit autem opti
mum,vbi nullam externã qualitatem,odore,guſtúve pre ſe ferat,ſed eſto quàm
dulciſsimum,& ſibiipſi continuum: & prout lacti conuenit, ſplendens:ſuper om-
nia quoad eius fieri poteſt,ſimiles habeto partes. Quo verò tale fiat lac,ea ſer-
uanda ſunt,quæ Galenus docuit ſeptimo methodi meden.cap.6. idem quóque
optimum lac,nedum vt alimentum,verumetiam vt medicamentũ ſummopere
conducit:náque thoracis ac pulmonis partibus lac omne eſt vtile:necnon & iis,
qui quauis ex cauſa tabe laborant,aut vlcus habent in pulmone,vt tertio de ali-
ment.facult.cap.15.& 16.apud Galenum legitur:detergit etenim,ac vlcera repur
gat ſeroſa eius ſubſtantia, & cõſolidat caſeoſa,febríque aduerſatur. Quapropter
nonnulli (vt idem auctor teſtatur lib. de cibis bonis & mali ſucci cap.3.) pulmo-
nis vlceribus affectos potione tantùm lactis curari putant:anteà ſcilicet , quàm
ea ipſa

ea ipſa vlcera amplientur, calloſaque fiant: ſed præ cæteris lac muliebre, tãquam
naturæ eiuſdem, nobiſque cognatum, ac accommodatum ab aliis medicis, præ-
cipuéque ab Herodoto, Euryphone, & Prodico celebratur. Vbera quidem mo-
re infantium, illorum iudicio ab ita affectis ſugenda ſunt: quemadmodum eo-
dem lib. de cibis boni, & mali ſucci, cap. 3. ſeptimo methodi meden. cap. 6. & lib.
de maraſmo, cap. vlt. ſcriptum reliquit Galenus, verùm cùm hoc plurimis non
placeat, melius eſt calens adhuc ex mammillis id in ægri ventriculum, quàm o-
cyſsimè transferri, propterea quòd celerrimè mutari ſit aptum: & proinde aſtan-
te animali ſtatim mulctum ipſum bibant, oportet. Quòd ſi muliebre lac ſibi ex-
hiberi recuſent, aſininum ipſis dare conueniet: id enim reliquis omnibus vtilius
eſt, quippe cùm tenuiſsimũ ſit, ac ſeroſum valde, & minimè coaguletur, & quo-
quouerſus ocyſsimè in corpus digeritur: quod etiamſi non adſit (licet omnium
cõuenientiſsimum phthiſicis ſit) bubulum, aut caprillum exhibendum erit, Aë-
tio auctore: nam caprinum inter cætera lactis genera moderatè ſe habet: cùm
non admodum pingue, craſsiúmve ſit, ob idque medium quoque eſſe cenſetur,
quod in corporibus noſtris præſtat. igitur lac ipſum per ſe eſt his dandum, tum
etiam mellis tepidi pauxillulũ immiſcendum, ſi cui cogi in ventriculo ſolet, aut
ſacchari, ſeu roſacei mellis, prout ego vtor, potiſsimùm vbi caprinũ ſit lac: nam
id ſine melle ſumptum periculoſum eſt, vt conſtat præcitato lib. de cibis boni,
& mali ſucci, cap. 3. Quantitas verò eius quod aſſumitur, moderata ſit, ita vt nõ
excedat, potiſsimùm circa initia vnc. iij. vel iiij. procedente verò tẽpore (ſi opus
fuerit) quantitatem adaugeas, inſpecta tamen natura, ætate, ac ægrotantis con-
ſuetudine, ſi lacte delectatur. Poſt cuius aſſumptionẽ, & quieſcant ægri, nec dor-
miant, aut alium cibum, potiſsimùm vinum, ſumãt, ne ipſum in ventriculo cor-
rumpatur, aut ad caput vaporet: cauendus tamen lactis vſus erit, vbi valida tabi-
di febre corripiuntur: cùm eis duntaxat dare conueniat, qui non valde multùm
febricitant, ex Hippocr. ſententia aphoriſ. 64. quinti libri, quo caſu ptiſana, eiúſ-
que cremore vtare, modo priùs dicto paratis. Inter fructus conducunt vuæ paſ-
ſæ, ficus, nuces pineæ, & amygdala, ac palmulæ. Eorum verò potus ſit aqua cœ-
leſtis, vt inquit Paulus, aut mulſa inde confecta: ipſam quoque aquam mulſam
per ſe, & cum amylo, aut iride, & radice dulci in ea decoctis commendat Aë-
tius. Vice cuius aqua hordei ex hordeo non decorticato, ac toſto, ſola, aut gly-
cyrrhizæ radice etiã decocta vti poterunt: poteriſque in ea cancros quoque flu-
uiales decoquere, aut ſaltem eos cum ptiſana decoctos, aut lacte, vt diximus) tri-
buas. Vino quoque interdum pro potu vtantur leni & auſtero, vt Celſo viſum
eſt, mediocri tamen valde menſura, vt ait Aëtius, vbi præſertim vires indica-
bunt, & febris remiſſa fuerit. At cùm mel calidis maraſmis, ac hecticæ febri ad-
uerſiſsimum ſit, vt libro de maraſmo, cap. 9. & decimò methodi meden. cap. 11. *Dubium.*
liquet, quippe cùm protinus vertatur in bilem, & ſicciores, acrioríſque caloris fe-
bres reddat, non ab re hæſitabit quiſpiam in Aëtium, & Paulum, propter quid
tabidis aquam mulſam bibendam admittant? Atqui dices non abſolutum mel, *Reſponſio prima.*
id quod auerſatur Galenus, eoſdem admittere, ſed aquam mulſam, in qua mel-
lis caliditas permixtione aquæ obtunditur; præſertim vbi dilutior fiat. Verùm *Impugnatio.*
niſi Galenus, eodem decimo methodi meden. nedum mel, ſed etiam aquã mul-
ſam in hecticis febribus vitaſſet, ex iam dictis fortè liberari à calumnia poſſent
Aëtius, & Paulus; ſed cùm ab ea etiam quoad fieri poſsit, abſtinendum eſſe iuſ-
ſerit, nullius momenti nuper data reſponſio eſſe videtur; ſed aliter, & rectiùs di-
cendum erit. Quod hecticæ febri, ſeu maraſmo exurenti duntaxat aduerſiſsima
eſt aqua mulſa, potiſsimùm quę non admodum diluta eſt propter traditas à Ga- *Reſponſio vera.*
leno cauſas; quo caſu neque eam prædicti auctores tribuerent; verùm tabidis
ipſam commendarunt, vtpote quibus pręcipuus morbus, vlcus eſt, licet & febris
hectica, & mæror ipſum ſequantur. Mel autem non modo quia detergẽdi vim
habet vlceri non nocebit, verùm digeſtionis aliorum medicamẽtorum in cor-
pus inſtrumentum erit, ac celeris tranſitus veluti vehiculum: qua de re omni-

bus medicamentis, quæ thoracis, & pulmonis vlceribus ſunt deſtinata, ipſum admiſcendum eſſe præcepit Galenus quarto methodi medendi, cap.7. Maius itaque ex vſu aquæ mulſæ commodum conſequitur ipſis tabidis ex absterſione (cùm princeps eorum morbus vlcus ſit) quàm incommodum; propterea quòd marcori, & hecticæ febti, qui ſecundarij eorum affectus ſunt, vtpote vlcus ipſum conſequentes, aduerſetur, præſertum vbi dilutior fuerit, vt diximus. Et quoniam Paulus tanquam optimum auxilium boli armeniæ potionem commendauit, propterea ipſa cum eadem aqua mulſa exhibita conducet, aut inſperſum in ptiſana, ſeu eius cremore, quantitate ſcrup.j. aut drach.s. pro qualibet vice. Aëtius verò eiuſdem boli armeniæ drach.j. ex vino tenui albo, tanquam efficax medicamentum commendat: nec minùs confert ſaccharum roſaceum ſæpiùs exhibitum per ſe, aut cum ptiſanæ cremore: interdum etiam & herbam ſanguinalem ex aceto, vel plantaginem eſſe, vtile eſt, vt apud Celſum legitur: item plantaginis ſuccus per ſe, vel marrubium ex melle coctum, ita vt illius cyathus forbeatur, huius cochleare plenum paulatim delingatur: vel inter ſe mixta, & cocta reſinæ terebinthinæ pars dimidia, butyri, & mellis pars altera, ab eodem auctore cõmendatur. Et vt ſummatim dicam, medicari pulmonis vlceribus oportet (vt Aëtius refert) eo apparatu, quo facilè ſurſum efferantur humores, cura ſimul adhibita, ne alij congregentur: excogitata autem à medicis proinde ſunt, vbi expurgandum ex pectore, & pulmone pus eſt, fortiſsima, vt inquit Galenus quinto methodi medendi, cap.11. (quæque maximè diſſecant) pharmaca: in quem vſum ſummopere conducit, præter iam dicta aqua mulſa per ſe, & cum amylo, aut iride & radice dulci in ea decoctis, vel hyſſopo, ſeu marrubio, aut toſtum hordeum non decorticatum, ſi in ea coquatur, ſimiliter ſyrupus è glycyrrhiza, ex adianto, de hyſſopo, aut marrubio, quibus mellis roſacei pauxillum miſcere poteris, interim & myrtinum ſyrupum: & (ſi febris obſtiterit) aquam hordei prædictis ſyrupis permiſceas. Poterit inſuper & tale parari medicamentum inſtar ecligmatis, de quo paulatim delingatur, modo quo docuimus capite de ſpuitione ſanguinis cum tuſsi, id autem excipit ecligmatis è pulmone vulpis, & è pino, amborum drach.j. ſyrupi myrtini, de hyſſopo, mellis roſacei, ac ſyrupi è glycyrrhiza ana vnc.j.s. boli armeniæ, terræ lemniæ, & lapidis hæmatitis ana ſcrupul.j. radicis ſymphyti drach.ij. diatragacanthæ drach.ij. miſceantur, & formetur ecligma: & vbi medicamentum è pulmone vulpis haberi non poterit, tantundem eiuſdem pulmonis vulpis arte præparati adiicias, aut ex adianto, glycyrrhiza, & eodem pulmone vulpis, ſemine fœniculi, amylo, ac tragacantho puluis paretur, de quo quotidie drach.j. cum ſaccharo roſaceo, aut ſyrupo ex adianto, ſeu marrubio, ptiſana, vel aqua mulſa tribuatur. Quòd ſi vnc.ij. carnium gallinarum, vel caponum aſſumas, amyli, & tragacanthæ, ſingulorum ſcrupul.j. diapenidon, vel confectionis regum ſine ſpeciebus drach.ij. margaritarũ drach.j. ſeminum melonum drach.iiij. & cum ſaccharo diluto in aqua roſatum morſulos formare iuſſeris, non parum adiumenti afferes, præſertim ſi cum ptiſana, aut aqua mulſa quotidie mane, vnum, vel duos ipſorũ dabis. Pro vlceris autem exſiccatione, quæ quidem eorum communis finis eſt, valida non exiſtẽte febre, proderit tabidis per interualla exhibita Mithridatis antidotus, aut Theriaca, Aëtij, & Pauli decreto: nechon Ambroſia, & Athanaſia, quibus omnibus pro forti pulmonis exſiccatione, vſus fuit Galenus, vt patet quarto de Locis affectis, cap.8. qua via tabidi id ſaltem lucrifaciunt, vt vlcus nec vltra progrediatur, nec maius fiat, ſed ſiccatum, ac ceu callo duratum longiori vita frui eos ſinat, ſi omnia præſidia fuerint ritè adminiſtrata, vt capite de cruenta ſpuitione, dictum eſt. Extrinſecus verò per initia, vbi conquieuerit malum, cataplaſmata applicentur, ex althææ foliis tritis, ſemine lini, ac tenuiſsimo polline, quæ cum decoctione fœnigræci, & althææ, vel maluæ, oleo, ac melle admiſceantur, ex Pauli, & Aëtij ſententia. Deinde poſt temporis intercapedinem (vt ipſimet inquiunt) ad cerata tranſeundum, ex butyro, oleo laurino, ac cera apparata ac tem

Curatio tabidorum cũ exſiccantibus.

Topica.

at tempore repurgationis epithemate vtendum eſt, vt ait Aëtius, ex terebinthina, & oleo cyprino, butyro, & medulla ceruina, adipe taurino, iridiſque farina, & œſypo, æqualibus omnibus partibus commiſtis, loco autem cyprini olei, irinum, laurinum, aut rutaceũ aſſumas. Tempore autẽ quo cicatrix obducitur, oleum myrtinum, aut roſaceum extrinſecus thoraci inungendum, interim adiectis alumine, acacia, malicorio, hypociſtide, galla, & rhoë obſoniorum: addendo etiam (vbi opus fuerit) ammoniacum, viſcum quercinum, picem, ac ceram, apiíque ſemen, ex eiuſdem Aëtij ſententia. Quòd ſi tuſsis moleſta grauiter affligat, thymus tritus; & hyſſopum cum ſucco radicis dulcis, ac melle cocto excepta, formatáque ſub lingua tenenda dentur, vt iidem auctores ſentiunt. Verùm tum medicamentum hoc, tum & quod vis aliud humidum, quod ad eiuſmodi curanda vlcera faceret, ægro ſupino cubanti exhiberi debent, iubentes id in ore continere, paulatímque permittere in aſperam arteriam defluere ex Galeni decreto (vt diximus) quarto & quinto metho. meden. Qua ratione nedum pulmonis vlcera, ſed & thoracis, aſperæ arteriæ, ac gutturis curari debent: influit enim ſic ſenſim, & paulatim de medicamento aliquid ſenſibiliter, & manifeſtè in ipſam aſperam arteriam, & per eam ad pulmonem, ac pectus. Cauterium verò nec ex his, quæ actu, neque ex his, quæ potentia inurendi vim habent, tabidorum capiti vllum adhiberi debet, pro tabis curatione, niſi malum à fluxu acrium humorum ex capite factum ſit, ac fiat, aut, nondum tabidi ſint, ſed morbo tabifico opportuni, vtpote quibus caput facile impletur, ac ipſum ſpiritus organis multas deſtillationes dimittat: hi nanque ex cauterio capiti adhibito, præſertim qua parte ſagittalis ſutura coronali committitur, aut occipitio inter primam, & ſecundam vertebram, quo loco tutius fiet, non exiguum commodum ſuſcipiunt: quemadmodum Galenus docuit quinto meth. meden. in eiſdem obſeruari: licet nec de his, quæ igne fiunt cauteriis, nec de determinata capitis parte loquatur. Reliquis verò maximum affert incommodum, cum altera cauſa ſit extenuationis eorum, nec quicquam eis auxilietur, ex quacunque alia cauſa tabidi facti fuerint: & proinde cum neque vnus reperiatur auctor artis medicæ, qui ipſum commendarit, abſtinendum propterea ab eo erit.

4. methica. 7. / *5 meth. [illegible]*

Cauterium.

cap. 14.

Περὶ παλμοῦ καρδίας. *De palpitione cordis.* *Cap.* *LIIII.*

EVENIVNT quoque non rarò & ipſi cordi (quod veluti innati caloris fons eſt) ſiue ipſo primariè affecto, ſiue cæteris quibuſdam partibus conſentiente, affectus præter naturam quidam non pauci, inter quos is exiſtit, qui à Græcis *παλμὸς καρδίας*, Latinè cordis palpitatio dicitur, à ſymptomate, & parte affecta ſimul nomen aſſumens. Quamuis interim quidam non cordis palpitationem, ſed tremorem appellent; licet perperam, vt dicemus. Quidam alij recentiores medici cardiacã, ſed temerè nuncupant: cũ tam *καρδιακὴ*, quàm *καρδιαλγία*, quàm etiam *καρδιωγμὸς* non ipſius viſceris, quod in thorace continetur; cordis (inquam) affectiones ſint, ſed ipſius oris ventriculi, quod mos erat Græcis, veluti & iam dictum viſcus *καρδίαν*, hoc eſt, cor appellare, vt ſecundo de Hippocrat. & Platonis decretis, aphor. 17. & 65. quarti libri, cap. 8. notauit Galenus ac nonnullis aliis in locis. Verùm de his paulò pòſt, cùm de ventriculi vitiis loquemur, verba faciemus. Nunc autem ſatis ſit monſtraſſe, haud rectè recentiores medicos cordis palpitationem cardiacam nominare: cùm cordis palpitatio ipſius principis viſceris, quod in media thoracis ſede collocatum eſt, affectio ſit; cardiaca verò non huius viſceris affectus eſt, ſed oris ventriculi, vt in ſequentibus patebit. Vt verò pateat quid ſit cordis palpitatio, ac quomodo cordis tremor appellari haudquaquam poſsit, differendum primo erit quid ſit palpitatio, & ſecundo quibus diſcriminetur à tremore. Quod palpitatio dilatatio

Palpitatio quid ſit.

quædam præter naturam in particula fit, ſignificauit Gal. 2. de cauſis ſymp. cap. 2. quod verò eadem partium eleuatio quædam præter naturam ſit, atque depreſſio idem Galenus docuit lib. de palpit. trem. rig. & conuulſ. cap. 5. quo fit, vt omnibus corporibus, quæ dilatari poſſunt, affectio hæc incidat: ſunt porrò ea omnia quæ naturaliter ſunt mollia, ita vt tum dilatationem ſui tolerare, tum rurſus in ſe ſidere poſsint: & propterea in cute ſæpe incidit: nonnunquam in ſubiectis muſculis, non in poſtremis autem ventriculo, veſica, vtero, inteſtinis iocinore, liene, ſepto tranſuerſo, corde, ac arteriis: & proinde affectio hæc neque voluntariæ virtutis propria eſt, nec inſtrumentorum ad hanc ſpectantium, ſed indifferenter cunctarum partium quæ diſtendi, dilatarique poſſunt: qua etiam ratione fit, vt neque os, neque membrana, cartilagóve vnquam palpitent, neque neruus, quòd cauo vacent, & propterea dilatari non poſſunt, vt eodem lib. 2. de cauſ. ſympt. & lib. de palpit. trem. rig. &c. Galenus decretum reliquit. Verùm cùm partes ipſas, quæ palpitant, ex ſeipſis non dilatari liqueat, quia neque vis aliqua naturalis eis ineſt, quæ id efficiat: nam ſemper iis ineſſet, & cùm ſanæ eſſent præcipuè, modo autem cùm neque ſemper, neque bene habentibus inſit: conſtat talem dilatationem, ſeu diſtentionem, eleuationem, ac depreſsionem in palpitatione præter naturam eſſe, vterium, necnon fabrorum follium ritu: impletæ nanque partes dilatantur, & cùm dilatantur ſeſe implent, veluti arteriæ. Eſt itaque motus hic palpitationis non ſponte factus elatis palpitantium, atque delatis partibus: verùm quæ in palpitantibus membris eleuationes corporum cernuntur, & depreſsius, ab implentibus quaſi extenſiones ſunt, & elationes: è contrario inanitorum ſunt depreſsiones. Quapropter dilatationes tales, cùm præter naturam ſint, opus eſt (vt Galenus inquit præcitato libro ſecundo de cauſis ſympto.) ab aliqua, quæ in ipſas influat ſubſtantia fiant, & hanc vnam è duabus eſſe credibile eſt, vel ſiccum quempiam, vel aëriam aliquam naturam. At quo minùs ſuccus ſit, repugnat palpitationis tum motus, tum ſolutionis celeritas, vt quæ & illico fiat, & ſtatim deſinat. Succus autem nullus, aut ita celeriter influit, aut refluit: itaque neceſſe eſt, cauſam vnde palpitatio exoritur, aëream eſſe ſubſtantiam: verùm ſi hæc tum exigua, tum ſubtilium eſſet partium, facilè per corpus transflueret. Non alienum igitur à ratione eſt, ſubſtantiam quandam craſſarum partium halituoſamque eſſe tum quantitate, relatione ad locum in quo conſiſtit, ſemper ſatis magnam: dilatat ergo, vt veriſimile eſt, attollítque, ac inflat partem, quoad truſa, & compulſa ad ſui generis perſpiret ſubſtantiam: & ſi corpus cauitatem habuerit, hanc implet, & quæ completa eſt, extollit, ac diſtendit, ſi autem non, inter corpora duo congeſta, ſibi ventrem acquiſititium molitur, & vnum ab altero diſtans reddit. Quapropter rationabiliter iis, quibus perfrigerata eſt aliqua particula, palpitationes accidunt; vt apud eundem Galenum legitur eodem libro ſecundo de cauſis ſymptomatum, quippe quòd ab ea ſub naturali ipſius ſtatu attenuatum, omninóque per naturalem animalis calorem concoctum effinxit, id nunc vbi eadem propter frigus reddita eſt imbecilla; & halituoſius, & craſſarum partium efficitur: ita vt neque facilè ſicut priùs perſpirat: interim anguſtia quoque viarum accedente: quoniam autem nebuloſus ſpiritus, & ater, flatuoſúſve, vt diximus eſt palpitationis cauſa, idcirco totus motus præter naturam eſt, à cauſa præternaturali duntaxat ortus, vt eodem libro ſecundo de cauſis ſymptomatum liquet. Et propter iam dictas cauſas generationis eius, frigidiores ætates, natura corporis frigidior, regio frigida, tempus anni frigidum, otioſa vita, ſacietas, & temulentiæ, cibi frigidi, atque flatuoſi: & ad ſummum quotquot corpora infrigidant palpitationes facilè generant. Horum autẽ contraria illas illico extinguunt; quæ enim calfaciunt, ſpiritus tenuant, corpora tranſpirabilia, laxáq; efficiunt: denſant è contrario frigida, cogunt, & corporum meatus arctiores reddunt, ſpiritus craſsiores, glutinoſos, atque atros faciunt: vt facilè propria craſsitie, & ambientium corporum anguſtia

Quarum partium ſit affectio, palpitatio.

cap. 2.

Lib. de palpit. cap. 5.

Palpitationis eiuſque cauſa immediata. cap. citato.

Loco citato.

Quis motus præter naturã ſit palpitatio. cap. citato.

Reliquæ remotæ palpitationis cauſæ.

anguſtia tranſitu carentes detineantur. Palpitationum itaque ortus ex frigore eſt: & proinde veteres medici remedia palpitationibus, quæ calfacere, & tenuare poſsint, repererunt, quemadmodum ab eodem Galeno ſcriptum eſt libro de palpitatio.tremo. & conuulſ. Is verò affectus, qui à Græcis τρόμος à Latinis tremor dicitur, inuoluntarius ſurſum, & deorſum motus eſt, motarum partium ab inuicem, vt patet apud Galenum præcitato loco: quo fit, vt à palpitatione diſcrepet, quoniam non idem eſt ſurſum ferri, & eleuari, neque deorſum ferri, & deprimi. Nam quæ ſurſum feruntur, & deorſum, cum alio priorem locum mutant, vt in tremore videre licet; eleuata autem, & depreſſa ſeruantia antiquam ſedem, (vt in palpitationibus inſpicitur) ambientis nunc aliquid aſſumunt, nunc deperdunt: moueri itaque non ſponte, ſed inuoluntariè, & præter naturam vtriſque commune eſt.

cap. 5.
Tremor quid ſit.
Tremoris & palpitationis cõuenientia, & differentia.

Verùm palpitationibus proprium eſt, maiorem, & minorem locum, non relicto primo occupare; tremoribus autem adeò loca commutare, ne in eadem ſede maneant: qui licet præter naturã motus ſit, non tamen totus ex cauſa præternaturali fit, ſicuti in palpitatione, & conuulſione, ſed mixtus quodammodo eſt ex cauſa, quæ præter naturam ſit, & animali virtute: etenim tremit, qui non decreuerit mouere membra nemo, ex Galeni decreto libro de palpita. tremo.rigo.&c.

Quis motus præter naturã ſit tremor.
cap. 4.

eſt itaque tremoris motus compoſitus, qualis eſt, arteriarum pulſus, & præſertim formicantis pulſus non abſimilis. Non tanquam in hoc pulſu arteriæ motus in minima ſpacij intercapedine agitur, ſic in tremore animalis particula, quæcunque ab imbecilla virtute mouetur: viciſsitudo autem motus non ab vna perficitur natura, ſicut in arteriis, ſed ex pugna virtutis, & ponderis corporis, & ſi omnino huius ſymptomatis generatio cum conatu ſit mouendj, eſt tamen cum virtutis infirmitate.

Modus generationis tremoris.

Quare inuicem vincente, victáque potentia, mutuóque ſemper contrariis ſuccedentibus motibus tremor efficitur: licebitque liquidò cerni eorum pugnam, nec virtute membrum decidere ſinente, veluti in paralyſi, nec pondere permittente virtutem id ſublatum ſeruare, ita vt cùm valens erat, ſed ineunte motione vna, alteram hunc aduerſam, quaſi adiunctam dici etiam reperias, vt quæ ſurſum verſus latio fit, quæ ad inferius excipiat, ab ea ſubinde præpedita, imperfecta ſemper vtraque remanente: quo ſæpius affecto, & ſurſum verſus delationem, ea quæ fit deorſum inſequente, & huic quæ ſurſum verſus fiat, iterum adiuncta, vt diximus, partibus locum continuè mutantibus, motus duplex fit, & compoſitus, quæ affectio tremor nuncupatur, motu deorſum grauitate facto, & viribus ſurſum verſus itidem mouentibus. Ex quibus clara luce patet, quàm diſsimilis ſit affectio hæc à palpitatione, ac quo pacto prædictis ſymptomatis ab inuicem differant: neque inſuper idem, qui afficitur locus in trementibus, ac palpitantibus exiſtit: nam tremor inualidæ virtutis actio eſt: & propterea mouentis virtutis affectus, & non inſtrumentorum, vt patet eodem libro de palpitatione tremore rigore, &c. & tertio de morbis vulgaribus, impediri nanque ſolent operationes non ab inſtrumentis ſolis, ſed à viribus.

Cuius facultatis ſit affectus tremor.
comment. 1.
comment. 2.

In ipſa verò palpitatione facultas haudquaquam læditur, ſed inſtrumenta, ſeu partes ipſæ, quæcunque præter naturam dilatari poſſunt, vt priùs dictum eſt: & propterea partibus alioquin penitus immotis accidit. Tremor verò ſemper inualidi, atque impotentis eſt ſymproma, cùm imbecillitas ſit virtutis motiuæ corporis, neque vna cauſæ ſpecies, quæ tremores efficiat, reperitur, veluti palpitationum; quarum ortus ex frigore ſemper eſt, ac nebuloſo, craſſo, vaporeóque ſpiritu, vt paulò ante demonſtrauimus. Neque remediorum vnum genus tremoribus, vt palpitationibus exiſtit, quemadmodum eodem lib.de palp.trem.& rig. ſcriptum reliquit Gale. quo itẽ loco, ac lib.2.de cau.ſymp.& 3.de morb.vul. diuerſas tremoris cauſas cõſcriptas diſcere poteris. Differt itaq; palpitatio à tremore ex Gale. ſententia; tum quia non idem affectus præter naturam eſt vterque, neque accidentia eadem; nec qui afficitur locus idem exiſtit; neque cauſa etiam, ſi quæ diximus

cap. 5.
cap. 2.
3. de morb.
comment. 1.
cõmẽ. 2. & 4.
Quibus differat palpitatio à tremore, cõcluditur.

diligenter attendas. Errarunt propterea toto (vt inquiunt) cœlo, qui cordis palpitationem cùm tremore confuderunt, cum neque in vno palpitatio cum tremore conueniat, vt ex ſuperiùs relatis liquet. Accedit ad hæc; quod & ſi quodammodo conuenire poſſent, adhuc falsò aſſererent tremorem poſſe in corde excitari, cùm affectio hæc perpetuò conſequatur facultatis motricis voluntariæ imbecillitatem: nec tremor fieri poteſt nullum aggredienti motum voluntarium: agit etenim in tremoribus voluntas ſemper, ab eiſque inſeparabilis eſt, quemadmodum à Galeno ſcriptum eſt, cum libro 2. de cauſis ſympto. tum libro de palpit. trem. rigo. & conuul. in corde verò talis facultas haudquaquam reperitur: neque enim nerui ad ipſum pertingunt, vt delatores prædictæ facultatis, ſed quodammodo ſenſus duntaxat (vtpote vt dignoſceret ea, quæ ſibi laborem afferrent) quemadmodum natura etiam diſtribuit hepati, lieni, ac renibus: nam eadem omnino inſertionis horum neruorum eſt ratio, quemadmodum 5. 6. & 14. de vſu partium liquet, ne ſcilicet ſenſu omni carerent, neve plantæ penitus eſſent. Quapropter neque ad ipſum propriè, veluti ad ſenſus inſtrumenta nerui perueniunt, nec etiam velut ad motus voluntarij inſtrumenta: nam quamuis cor caro ſit dura, & ægrè patibilis, ex fibris multiplicibus conflata; & propterea quodammodo muſculis videri poſsit per ſimile; diſcrepat tamen ab ipſis perſpicuè, non vna duntaxat ratione, vt ab eodem Galeno ſcriptum eſt præcitato libro ſexto de vſu partium, & exinde etiam factum eſt, vt quod actionis animalis inſtrumentum non eſſet, nullam actionem animalem habens, ſed naturalem, vt paucisſimis etiam ei opus fuerit neruis: tremere itaque cor propter iam dictas cauſas haudquaquam poteſt; licet ſæpenumero palpitare compertum ſit.

Error eorum qui non noue-rũt prædicta.
2. de cau. ſym. cap. 2.
cap. 3. & 5.
5. de uſu part. cap. 13.
5. de uſu part. cap. 9. & 10.
6. de uſu par. cap. 18.
14. de uſu par. cap. 13.
cap. 8.

Quid ſit cordis palpitatio. *Quo differat cordis palpitatio, à pulſu.*

Verùm affectionem hanc neutiquam tremorem appellare poteris, ſed palpitationem, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſius cordis eleuatio quædam præter naturam, atque depreſsio, vel ipſiuſmet cordis dilatatio quædam præter naturam: neque enim ex ſe ipſo cor in palpitationibus dilatatur, velut in pulſu, licet motio, quæ ex palpitatione fit, ex corde etiam fiat, non tamen ſecundum naturam: & propterea motis cordis, qui in pulſibus fit, eſt operatio, qui verò in palpitationibus eſt affectio, vt à Galeno decretum eſt libro ſexto, de Hippocrat. & Platon. decretis: verùm affectio appellatur in ſecundo ſignificato, ſecundum quod affectionem intelligebat motum contra naturam, oppoſitum ei, qui ſecundum naturam erat, atque operatio dicebatur. *cap. 8.*

Quis affectus præter naturam ſit Palpitatio.

Eſt nanque ſymptoma in genere deprauati motus toto genere præter naturam, ita vt totus motus præter naturam ſit, paucus ſimul, tardúſque, & rarus, Galeno teſte 2. de cauſis ſympto. cap. 2.

Signa.

Dignoſcitur autem facilè cordis palpitatio ex ægri relatione: nanque cor ipſum præter pulſum palpitare ſentiunt, tanquam diuerſam exiſtentem motionem à pulſu, quem proprium cordis motum appellamus: inſuper & Medici ipſi manu adhibita cùm ſupra thoracem, loco quo cor ipſum ſitum eſt, tum tangendo arterias ipſas, ſentient liquido in vtriſque locis hunc palpitationis motum longè diuerſum, ab eo qui ſecundum naturam eſt, ac pulſus appellatur: eritque ſpiratio eorum exigua, & rara; nec minùs & vniuerſas ferè ipſius pulſus inæqualitatis differẽtias, ex eo quod cor ipſum affectum ſit, percipient: atque id commune ſignum, tum partis affectæ, hoc eſt, ipſius cordis, tum affectus erit.

Quem cordis morbum ſectetur.

At quoniam palpitationem ortus ex frigore eſt, vt diximus: non ab re intemperiem frigidam ipſius cordis palpitationem ſectari, fatendum erit: & quoniam ſi cauitatem habet pars quę palpitatione afficitur, extollitur ea, ac diſtenditur à cauſa faciente eam; ſi autem non, inter duo corpora congeſta ventrem acquiſititium ſibi molitur, vnúmque ab altero diſtantem reddit, vt patet libro de palpi. trem. rigo & conuulſ. propterea ad vnitatis quodammodo ſolutionem etiam conſequi palpitationem aſſerere non erit abſonum. *cap. 5.*

Cauſa. *Lib. de palpi. cap 5.* *2. de cau. ſym. cap. 2.*

Cuius affectionis cauſa in vniuerſum vnicam eſſe aſſeritur à Galeno tum præcitato loco, tum etiam ſecundo de cauſis. ſympto. Ea autem eſt craſſus, nebuloſus, aër, flatuoſúſve ſpiritus,

vel quo

vel quomodocunque aliter ipſum appelles: & ideirco (vt ipſe aſſerit) frigidiores corporis naturæ, ætates, regiones, anni tempora, ocioſa vita, ſacietas, & temulentiæ, cibi frigidi, ac flatuoſi, & quotquot corpora infrigidant, à palpitationibus facilè prehenduntur, & horum contraria illas illico extinguunt. Verùm hæc affectio (vt idem Galenus inquit libro 5. de locis affectis, cap. 2.) aut per ſe euenit ipſi cordi, aut cum ſuſpitione quadam, quod in humore cor ipſum moueatur: neque enim mirum videri debet tantam humoris multitudinem cumulari aliquando in ambiente cor tunica, περικάρδιος dicta, vt ipſum, ne attollatur, impediri poſsit. Ex aliquo item tumore præter naturam in eadem ambiēte cor tunica, duro ſiquidem, aut humorem in ſe continente, qualem puſtulæ, quas Græci hydatidas vocant, emittere ſolent, oriri poterit cordis palpitatio, quemadmodum experientia comprobauit in gallo, ac ſimia, quæ emaciari in dies videtur, Galenus. Pluribus etiam integra valetudine degentibus, tum adoleſcentibus, tum adultis ſubitò, ſine alio manifeſto ſymptomate, palpitatio viſceris huius euenire viſa eſt: cunctis tamen ſiue per ſe, corde ipſo affectos ſiue per conſenſum à frigidis cauſis prouenire putandum eſt; cùm ex frigore palpitationum ſit ortus, vt diximus eiuſdem Galeni ſententia; calfacientibúſque, ac tenuantibus remédiis curentur, prout veteres Medici innuerunt; ac attenuante victu, vt dicemus. Quo fit, vt nedum Arabes, verùm & iuniores Medici quidam, etiam qui Galeni doctrinam profitentur, longè ab eius ſententia aberrent, dum aſſerunt, ex calida cordis intemperie eius palpitationem oriri poſſe; quod omnino eiuſdem Galeni doctrinæ pugnare videtur, quemadmodum clara luce patet in præcitatis locis, libro videlicet ſecundo de cauſis ſympto. & libro de palpita. tremo. rigo. &c. Nec minùs temerè audent frigidis medicamentis cordis palpitationem curare, cùm perpetuò calidis (vt dicemus) curanda ſit. Quod ſi pro eorundem opinionis confirmatione putent eſſe Galeni verba in commento aphor. 65. quarti libri, quo loco aſſerere videtur ex maximo incendio vitalis facultatis, quæ in corde conſiſtit, palpitationem oriri poſſe, non minùs quàm in prædictis cæcutiunt. Nam ibi Galenus ponderans verbum καρδιωγμὸν, ab Hip. in apho. poſitum, dicebat ipſum biſariam intelligi poſſe, vno modo, vt idem ſignificet, quod καρδιαλγία, ſecundo modo, vt nonnullis viſum eſt, motum quendā cordis, palpitationi ſimilē per καρδιωγμὸν intelligentes, hoc eſt crebrum, & velocem cordis motum, & præcipuè ſimilem palpitationi. Hic nanque affectus extremum malum portendit, vim ſcilicet vitalem, vt Galenus inquit, maximo incendio laborare ſignificans: oriri itaque poteſt, vt ex Galeni verbis liquet, affectus καρδιωγμὸς dictus, ex immodico cordis incendio, in quo crebrò, & velociter ipſum cor moueri neceſſe eſt, attamen nequaquam motus hic palpitatio rectè nuncupabitur, licet ei ſimilis exiſtat; etenim à facultate ipſa motio huiuſcemodi fiet, licet fuerit immodica, ac irritata facultas ipſa, & non omnino à cauſa præternaturali; craſſo videlicet, ac nebuloſo ſpiritu, vt palpitatio. Verùm fortè dicent ſaltem ex Pauli ſententia, illud verùm eſſe, quod ſcilicet ex calida cordis intemperie palpitatio excitari poſsit: nam cap. trigeſimoquarto, libri tertij dicebat, itidem valentes cordis palpitationes ſæpe ex ſanguinis in eo concepti copia, aut feruore contrahuntur. Atqui dicimus nos de forti cordis palpitatione Paulum verba facere, per quàm non aliud intelligere voluiſſe putandum eſt, quàm crebrum & velocem cordis motum, ſimilem palpitationi exiſtentem, quemadmodum per καρδιωγμὸν Gale. intellexit, & non de vera palpitatione; quæ eſt partium præter naturam quædam dilatatio: nam hæc cùm non niſi à flatuoſo ſpiritu oriri poſsit, vt Galenus inquit, à cordis feruore haudquaquam gigni poteſt, vt luce clarius patet ex his, quæ diximus. Quantùm verò ad eius prognoſticum attinet, non negligenda circa initia eius curatio erit: nam ſi augeatur, aut diutius perdurauerit, ad ſyncopem permutabitur, & demum ad mortē, eámque repentinam, ob conſequentem virtutis videlicet vitalis imbecillitatem; veluti ille

Vide Auic. lib. 3. fen. 11. tract. cap. 1. Rhazē in 9. ad Manſorem ca. proprio et alios Arabes. Arabum, & iuniorū Galenicorū error notatur.

2. de cauſis ſymp. cap. 2. Lib. de palpit. cap. 5.

Prognoſtica.

cuius

cuius meminit Galenus aphor. 41. ſecundi libri, cui dum exolueretur, cor for-
titer palpitabat, de repente mortuus eſt, non aliter quàm illi, qui acutiſsimis cor-
dis affectibus, quos ſyncopas vocant, arrepti ſubitò intereunt. Quinto autem li-
bro de locis affectis, cap. 2. aſſeruit Galenus cordis palpitationẽ, licet tum ado-
leſcentibus, tum adultis euenire ea poſsit, magna tamen ex parte iis accidit,
qui ætatem agunt quinquaginta quidem annis inferiorem, ſed quæ quadra-
ginta annos excedat. Cæterùm quamuis nonnulli ab hoc ſymptomate planè
liberati ſint per venæ ſectionem, victúmque extenuantem, ac medicamenta ſi-
milia, vt ipſe inquit, nihilominus omnes ante ſenectutem morte præuenti ſunt.
Verùm alij quidem per acutas febres, alij verò cùm ſani degerent, affatim ſyn-
cope intercepti interierunt, quamuis vnus, vel duo citra ſyncopem alia qua-
curatio. dam mortis ſpecie perierint. Cæterùm pro palpitationis curatione, aër eliga-
tur ad caliditatem, & ſiccitatem declinans, ſitque grauis odoris expers; quin-
Victus ratio. imò vt ſuauiter oleat, arte paretur: ſunt nanque odorata omnia cordi familia-
ria, ſomnus ſit moderatus: viténtque vigilias, immodicas præſertim: motu etiã,
& exercitio temperato vtantur: aluus ſeruetur lenis: & ſi id natura non fiat,
arte ſuppleatur, clyſteribus ſcilicet, aut balanis. Immodicos etiam animi affe-
ctus vitare debent, præcipuè mœſtitiam, & metum, atque etiam lætitiam im-
citato cap. 2. modicam. Et quia vniuerſa victus ratio (Galeno teſte 5. de locis affectis) atte-
nuatoria eſſe debet. Propterea tales eligantur cibi immodicæ humiditatis, ac
flatus expertes, ſintque boni nutrimenti, ac facilis concoctionis: quapropter
carnes pullorum gallinaceorum gallinarum, ſtarnarum, phaſianorum, perdicũ,
merularum, turdorum, ac aliarum paruarum auium montanarum eligantur:
necnon interdũ hædorum, vitulorũ, leporum, ac capreolorum: eis autem vtan-
tur aſsis, interim elixis, hyſſopo, fœniculo, aut ſerpyllo, ſatureia, vel melliſ-
ſophyllo, ſampſucho, ſeu pulegio, interim etiam boragine, ſeu pimpinella: nec
minùs in prædictarum carnium iure piper, cinnamomum, macer, aut cario-
phylli in puluerem priùs redacti inijciantur. Potus ſit vinum dulce, ſubſtantia
tenui, colore flauum, ſeu fuluum, vetus potiùs quàm nouellum, vel mediæ æta-
tis, dilutum aqua, in qua borago, melliſſophyllon, vel pimpinella fuerit deco-
cta. Et quoniam omnes palpitatione affectos ſanguinis detractio iuuat, vt te-
Loco citato. ſtis eſt Galenus eodem libro quinto de locis affectis, propterea ſtatim circa
Venæ ſectio. initia (ſi virtus, aut ætas, ſeu aliud quippiam non prohibeat) vena ſecanda erit,
interna dextri cubiti, ſi totius corporis plenitudo adſit, aut ſiniſtri, ea non exi-
ſtente. Eſt nanque morbus hic magnus, ſaltem ratione partis affectæ, quapro-
pter & ſi intemperatum ad frigidum in hoc affectu ſit cor, quia tamen prin-
ceps viſcus eſt, aut ſaltem reuulſionis gratia venæ ſectio confert, prohibens ne
ad ipſum excrementa confluant, tum quòd imbecillum ſit, tum etiam ne pro-
pter hunc præter naturam palpitationis motum excrementa quoque trahat.
Qua ratione Galenus non curare eos venæ ſectionem dixit, ſed iuuare, eos
Medicamentorum ratio. verò liberatos eſſe, qui poſt ſanguinis miſsionem tenuante victu medicamen-
tíſque ſimilibus vſi ſunt: hæc (inquam ſunt) quæ palpitationem curant, victus
ſcilicet extenuans, ac extenuantia medicamenta, quamuis ipſa venæ ſectio
iuuet. Nec mirum id eſt, nam ea reuellit: victus autem, & medicamenta cùm
extenuent, diſsipent, atque diſcutiant; palpitationis cauſam, quæ ſpiritus fla-
tuoſus & craſſus eſt, omnino adimunt, intemperantiámque ipſius cordis frigi-
dam corrigunt, ſimulátque ipſum corroborant. Qua de re neque multa ſan-
guinis copia per venæ ſectionem vacuanda eſt; ſed potiùs (ſi opus fuerit) itè-
randa ea erit: nam quantò maiorem in numerum particulares auxeris detra-
ctiones, tantò reuulſionem efficaciorem effeceris, vt à Galeno decretum eſt,
libro de cur. rat. cap. 12. per venæ ſectionẽ, & nos in præcedẽtibus annotauimus.
A venæ ſectione, quæ extenuant medicamenta, ac calfaciunt, tribuenda ſunt: in
quem vſum conducunt, diambra, diamoſchus, cùm dulcis, tum amarus; con-
fectio de cinnamomo, de xyloaloë, diacalamenthum, dianiſum; aromaticum
roſac

roſaceum,theriaca,aut mithridatum,qualibet vice drach.j. exhibens cum vnc.ij.prædicti vini,aut vnc.iij.aquæ melliſſophylli, boraginis, aut florum citrangulorum.Poterunt inſuper prædicta in morſulis formari,excipiens diambræ, vel diamoſchu drach.j.ſimiliter confectionis de xyloaloë,aut de cinnamomo:adiicias autem ſeminum melonum vnc.s.& cum ſaccharo diluto in aqua roſacea, aut melliſſophylli, morſuli formentur: ſit autem quilibet ponderis vnc.j:quorum vnum pro qualibet vice dato,ex ſyrupo item de pomis,corticibus citri, ac roſaceo ſimul mixtis, aliquo ex prædictis antidotis addito, liquidum medicamentum fieri poterit,ex quo paulatim ſæpius aſſumat æger.Ex Plinio Secundo libro 2.de re medica habetur cap. 14. quod ſi coſtum ad cordis pulſum, panacem,& fœnumgræcum æquis ponderibus in puluerem rediges, & cum melle attico repones commixtum,& (cùm opus fuerit) cochlear plenum ieiunus cum aqua calida bibas,per triduum confert:ariſtolochiam item rotundam in puluerem rediges, vt idem inquit, & ex eo denarios tres ex vino per triduum bibes: Item rhaponticum ex vino veteri tritum, ieiuno potui dabis. Exterius inſuper epithemata imponantur, quæ in hunc modum fiant, Recipe aquæ melliſſophylli,florum citrangulorum ana lib. s. aquæ roſaceæ, & boraginis, cuiuſlibet vnc.iij.maceris,caryophyllorum,cinnamomi ana drach.j.ligni aloës, corticum citri,ſemini ozimi ana drach. ij. ambræ, moſchu, ana gra.5.croci grana iiij.vini odoriferi vnc.iij.commixtis omnibus fiant cordi epithemata. Ex oleo quoque coſtino,ac nardino, amygdalino,& roſaceo,puluere ligni aloës, cinnamomi ac maceris,exiguóque croco,& galla moſchata, ceræ quod ſatis ſit,ac pauco vino albo odorifero, fiat vnguentum,quo vtare. Sacculorum etiam vſus non minùs cõducit,qui ſic parentur,Recipe florum boraginis,roriſmarini, citrangulorum, ſampſuchi,melliſſophylli,& ſerpylli ana drach.ij.ligni aloës,corticum citri, maceris ana drach.j.cinnamomi,caryophyllorum,ac ſeminis ozimi, ana ſcrupul.ij. roſarum rubearum drach.iiij.croci ſcrupul.s.oſsis de corde cerui num.j.contuſis omnibus fiat ſacculus ex ſerico,cordíque imponatur.

Topica.

At ſi cũ frigida cordis intemperie,frigidorum quoque adſit humorum redundantia,priuſquam prędicta medicamenta adhibeantur,à venæ ſectione,ea quæ iam dictos ſuccos concoquendi,præparandíque vim habent,tribuenda ſunt:& dein quæ purgant, quinis fuerit redundans ſuccus,ſiue pituitoſus,ſiue melancholicus: pituitoſo autẽ exiſtente mel roſaceum,oxymel ſimplex,compoſitum,aut ſcillinum cum ſyrupo è corticibus citri,aut de hyſſopo,& aqua,in qua betonicę,ſampſuchi, pulegij, origani,aut melliſſophylli folia fuerint decocta,tribue:quibus ſæpiùs aſſumptis, ac parato proinde,& cõcocto redundante pituitoſo ſucco,purgetur, vt infra. Recipe agarici trochiſcati drac.j.vel ſcru.iiij.corticũ myrobalanorũ chebularũ drac. ij.florum boraginis,& lupulorum,ſingulorum drach.iij.fiat decoctũ in aqua fontana; ſecundum artem,in quo drach.vj.diacatholicon,aut iij.cõfectionis de dactylis cum vnc.ij.vel iiij.ſyrupi ex pluribus infuſ.roſ.rub.aut vnc.ij.ſyrupi ex tribus infuſ.roſ.perſ.potui dato:vel catapotia formato ex drac.j.pulueris hierę ſimplicis,& altera drac.ſeu ſcrup.iiij.trochiſcati agarici, cum oxymelite & prębeantur.Poſt quæ per aliquod tempus duas ſcilicet,vel tres horas vnc.iij.vel iiij.ſyrupi ex pluribus infuſionibus roſ.rub.aut D.Auguſtini tribue. A purgatione verò (prout vſus requiret) ſupradictis medicamentis vtare.

Si pituitoſus redundarit humor præparatio,ac purgatio.

Si verò melancholicus redundarit ſuccus,vt ſæpiùs contingit, ſimiliter præparandus, ac concoquendus primò erit,ex ſyrupo de pomis, è corticibus citri,de ſucco boraginis,ſeu fumariæ, lupulorum, aut de epithymo cum melliſſophylli, boraginis,aut lupulorum aqua: quo deinde cocto, ac præparato, purgans medicamentum exhibendum erit, vt Recipe ſenæ,epithymi ana drach.ij.corticum myrobalanorum indarum drach.iij.florum boraginis,fumariæ,lupulorum,ſingulorum drac.j.fiat decoctũ in aqua fontana,in quo diſſolue diaſenæ drach.iiij. aut diacatholicon drach.vij. & actri mellis vnc.ij.& s.aut ſyrupi D.Auguſtini vnc.iij.ſeu ſyrupi ex pluribus infuſ. roſ.rub.tantundem. At ſi magis expediet catapotia exhibere ea ex drach.j.

Si melancholicus redũdarit humor, præparatio, & purgatio.

pilularum de lapide lazuli,aut de lapide armenio,& ſcrupul.ij.agarici trochiſcati,aut drach.j.pulueris hierę ſimplicis formato.Poſt quorum aſſumptionem modo, quo ſupra diximus vnc.ij.ſacchari boraginati,aut tantundem mannæ electę cum aqua boraginis,aut lupulorũ præbeto:& deinde (prout vrgeat vſus) prędictis alterantibus medicamentis vtare. Id tamen prætereundum non erit, quod dum purgante medicamento redundantem ſuccum vacuas, perpetuò ea, quæ cor ipſum roborant, permiſcenda erunt. Quomodo autem dignoſcas pituitoſum,aut melancholicum redundantem ſuccum, cùm ſæpiùs in præcedentibus dictum ſit,fruſtra putauimus hoc loco iterum repetere:nam præter ſymptomata diuerſa,diuerſa quoque victus ratio pręceſsit,temperamentum,habitus, ętas, tempus anni,regio, aëris conſtitutio, ac reliqua.

Excuſatio.

Περὶ συγκοπῆς. *De ſyncope.* *Cap. LV.*

ACutiſsimus cordis affectus, quem Græci συγκοπὴν vocant, vt patet commento aphoriſ.41.ſecundi libri. Latini verò (cùm proprio careant nomine) ſyncopem etiam appellant: quamuis magna ex parte cum ea affectione, quæ λειποθυμία dicitur, Latinè animi defectus, communicet, tamen non omnino idem ſignificare videtur, ſed ab ea diſcrepat, quinimmo & res ipſa diuerſa eſt: Nam λειποθυμία nomen compoſitum à verbo Græco λείπω, quod Latinè ſonat, linquo, ſeu deficio, & θυμὸς, Latinè animus, deliquium, ſeu defectionem animi ſignificat: qua ratione quidam putarunt aliud eſſe λειποθυμίαν, à λειποψυχία, cum λειποθυμία, animi defectum, λειποψυχία autem non animi, ſed animæ defectionem ſignificet: compoſitum etenim nomen eſt à verbo λείπω, & ψυχὴ, quę non animus, ſed anima Latinè dicitur. Verùm quamuis nominum ſignificata inſpicienti diſſentire videantur, reperitur tamen apud Hippocratem, interdum vno, quandoque altero vſum fuiſſe, volens in re idem intelligere, vt patet aphoriſ.23.primi, & octauo, ſeptimi libri. Nec minùs & in Galeni doctrina confundi, pro confeſſo habetur, tum præcitatis locis, tum etiam primo de Arte curatiua ad Glauco.cap.14.& 12.methodi meden.nam in primo præcitato loco, verbo λειποθυμία vtitur, libro autem duodecimo methodi meden. λειποψυχία idem per vtranque intelligens, quapropter audacter dicimus re ipſa prædicta nomina haudquaquam diſſentire, ſed confundi inuicem ex Hippocr. & Galeni ſententia: nam eadem eſt pars quæ afficitur in vtriſque, idem ſymptoma, ac ad eadem diſpoſitiones, ſeu cauſas cõſequuntur: quamuis etiam ſint, qui velint neque ipſam λειποθυμίαν ab eo affectu, quem Græci ἔκλυσιν nuncupãt, Latini exolutionem, diſſentire, auctoritate quadam freti ipſius Galeni præcitato libro primo de arte curat.ad Glauco.cap.14.& ſi eo loco aliorũ medicorum auctoritate loquatur. Nam quod inter ſe diſcrepent, ab Hippocrate decretum eſt eodem aphoriſ. 8. 7.libri cùm dixit, ἐπὶ φύματος ἔσω ῥαγέντος ἔκλυσις ἔμετος καὶ λειποψυχίη γίνεται; Similiter à Paulo cap.34.libro 3. qui inter ſyncopes indicia cùm exolutionem, tum animi defectum connumerauit. Verùm quicquid ſit de eclyſi, hoc eſt, exolutione, ſatis ſit nunc demonſtraſſe λειποθυμίαν, à λειποψυχία re ipſa non differre, ita vt quicquid de vno dicitur, de reliquo quoque dictum putetur. Nam nihil aliud per ea ſignificare volumus, quàm animi defectum, per animum intelligentes, animam ipſam animoſam, quæ ex Galeni decreto ſedem in corde habet: cùm itaque deficit animoſitas, tenor, ac promptitudo hæc animæ ex quacunque cauſa ortum habeat, λειποθυμία, aut λειποψυχία appellatur. At quod à Græcis συγκοπὴ nominatur à verbo συγκόπτω, Latinè ferio, verbero, ſeu concido deriuatum eſt, ita vt etiam animi conciſionem Latinè ſignificare poſsit: licet affectus quodammodo ſimilis ſit animi deliquio, ab eo tamen diſcrepat. Nam (vt Galenus inquit) defectus animi præcedere conſueuit ſyncopem ipſam, vt patet eodem primo de arte curat.ad Glauco.cap.14.& idemmet

12. meth. med. cap. 5
λειποθυμία.
λειποψυχία.

ἔκλυσις.

Syncope quid ſignificet.

prædict

prædicto libro duodecimo meth.meden.cap.5.inter lipopſychiam, & ſyncopen differentiam tradit,cùm maiorem cauſam ſyncope requirat,quàm lipopſychia, & ſi eadem poſsit vtriuſque eſſe,tamen prout maior,aut minor exiſtit, vnã, vel alteram affectionem efficit.Hoc idem confirmauit Aëtius lib. 5.cap. 96. quamuis cap. 101. eiuſdem libri, ſub nomine λειποθυμίας communiter ſumptæ; quod comprehendi poſsit & ſyncope,teſtetur,propriè tamen, quòd inter ſe differãt, oſtendit:nam animi deliquium (vt ipſe inquit) derepentè incidit, ſenſu,& motu hominem priuans, & omnino non ſudant: ſyncope verò & vigilantes, & dormientes inuadit, & omnino cum ſudoribus qui συγκοπτικοὶ appellari ſolent. Ex his itaque conſtat, qua ratione ſyncope ab animi defectu diſſentit; nanque non idem ſignificat,nec idem eſt defectus animi, & conciſio; maiorem etenim læſionem, ac virium calamitatem portendit conciſio, quam defectus, licet ex eadem cauſa fieri poſsint,& non alia ratione curentur: quapropter de ſyncope verba facientes, patebit quoque & defectus animi curatio. Eſt denique ſyncope, Galeno teſte duodecimo methodi meden.præceps virium lapſus:quem ſectatus Paulus cap.34.lib.3. eam dixit eſſe confertum,ſeu ſimul totum virium collapſum.Dixit autem non ab re confertum, & Galenus præcipitem: nam ſi ſenſim paulatímque fieret virium collapſus, non vtique ſyncope diceretur: verùm cùm eſſentia virium, quibus regitur corpus, tum in ſpiritu, in ſolidorum corporum temperamento conſiſtat; & propterea hæc integra ſeruari debent, vt qualitate, tum quantitate, quoad fieri licet,naturaliter ſe habeant, vt liquet eodem duodecimo methodi meden.cõſonum erit,vt cùm vires labuntur,aut ſpiritus,vel ſolida corpora non naturaliter ſe habeãt,qualitate, vel quantitate ipſorum immutata,potiſsimùm ipſa corpora ſolida, in quibus vtique vel maximè conſiſtere virium ſubſtantia videtur: nam ad robur virtutis conſeruandum, & ad ſyncopalem acceſsionem, quominus derepentè incidat cauendam, ſingulare præſidium eſt temperamenti cuſtodia: ante omnia quidem trium principiorum,mox verò reliquarum partium,quæcunque in conſortium affectus principia ſecum ex facili trahunt,cuiuſmodi eſt ventriculi os, propter exquiſitum eius ſenſum. Si itaque in ſyncope vires collabuntur; ſpiritus, aut ſolida corpora offendi opus erit,cùm in his vires conſiſtant,vt diximus. Verùm cùm vires,quę animal gubernant, tres diuerſi inter ſe generis ſint, vt legitur apud Galenum quinto de locis affectis,cap.1.nono metho.medendi,cap.10.& ſexto de Hippoc. & Plato.decretis,& ſexcentis aliis in locis,cùm ſyncopen dixerimus pręcipitem eſſe virium lapſum,quarum virium intelligendum ſit, non ab re quæret quiſpiam,nunquid videlicet naturalium,aut animalium, aut vitalium? Et quoniam ſenſu,& motu priuatur homo cum ſyncope afficitur, non abſque ratione animales vires offenſas eſſe diceret quiſpiam:verùm quamuis animales functiones ſint ſenſus,& motus,offendantúrque ipſæ in ſyncope; non propterea facultatem animalem duntaxat,ac primò oblæſam in ea eſſe fatendum erit, quinimò omnes eſſe aſſerimus,ſed primò vitalem:& ſi non perpetuò in ſyncopes generatione facultas ipſa,aut cor ipſum primò lædantur; dicimus tamen ſyncopen haudquaquam gigni poſſe,niſi facultas ipſa vitalis, ſeu cor ipſum afficiatur, quo offenſo, & reliquas vires,ſeu principes partes in quibus conſiſtunt, neceſſariò offendi oportet. Simul etenim cum ipſo omnes vitiantur partes,nedum principes ipſæ, vt inquit Galenus quinto de locis affectis,cap.1.cùm & ipſæ peculiari cordis temperie actiones ſuas perficiant, hac denique pereunte actiones quoque ipſarum perire neceſſe eſt, ſimulátque cerebri, & iecoris. Horum verò temperie deperdita,non oportet cordis ſimul actionem perire:ſeruatur etenim caloris ſymmetria in ſingulis partibus ab ipſo corde, tanquam innati caloris fonte, ac principio,mediis arteriis,quamuis per venas etiam, & alia vniuerſa confluat à corde calor,longè tamen minor quàm per arterias, vt Galenus aſſerit libro de vſu pulſu. cúmque illi à nullo calor confluat, ſed aliis ab illo, conſentaneum erit, vt cùm à naturali ſtatu receſſerit, ac non ampliùs in peculiari, ac propria

Quibus ſyncope à lipothymia, ſeu lipopſychia differat.

Cap.5
Syncope quid ſit.

5.de Plato & Hippocr.decret.cap.4. & ſeq.
lib.6.cap.1. & ſequentib.

Quarum virium lapſus ſit ſyncope.

Cap.2.& 3

temperie perſiſtat, quod reliquæ partes omnes detrimentum patiantur, ac actiones earum pereant, priuatæ ſiquidem eo qui priùs confluebat calore, quo ſeruatæ in proprio temperamento actiones perficiebant. Propterea igitur ſyncope præceps eſt omnium virium lapſus: nam in ea cor ipſum afficitur, ad cuius oblæſionem, nedum cerebri, & iecoris, tanquam principum partium functiones, atque vires offenduntur, ſed reliquarum omnium. Nec propterea negamus interdum ſyncopen oriri poſſe corde ipſo non primariò affecto, ſed reliquis quibuſdam partibus conſentiente; quinimò (veluti cæteræ corporis partes) cor ipſum primario affectu laborare poteſt, interim verò cæteris partibus conſentiẽs, quemadmodum in ſtomachica ſyncope, de qua Galenus mentionem fecit, tum quinto de locis affectis, cap. 6. tum 12. methodi meden. cap. 2. & 3. liquidò videre licet: Aſſerimus tamen, quod ni cor afficiatur, quomodocunque affectum ſit, progigni ſyncope haudquaquam poſſit: quamuis cerebrum, iecur ventriculus, aut quæuis alia corporis pars etiam vehementer, vel diutiùs affecta ſit: cùm ex nullo prædictarum partium affectu poſſint derepentè, affatim, ſeu ſimul totæ vires collabi; quemadmodum neque animal omnino perire poteſt, niſi cor afficiatur, cùm ſemper mors ad immodicas ſequatur cordis intemperantias, Galeno teſte eodem quinto de locis affectis, cap. primo. Ex quo virium præcipiti collapſu patebit liquidò cor ipſum in ſyncope affectum eſſe, neque ipſum ſtrenuè munus ſuum obire poteſt, cùm oblæſum ſit: quapropter, & pulſuum paruitas, ac imbecillitas, frigidáque extrema conſequuntur. Affectus ipſe ſymptoma eſt in genere noxæ functionum omnium, primò tamen vitalium: læduntur autem vires non modò diminutè, vt in λειποθυμίᾳ, ſed magis, & quaſi ablatè interdum, ſaltem quoad ſenſum. Eius verò ſigna ſunt (vt inquit Paulus) reſolutio, ac animi defectus, pulſuum paruitas extrema frigida, & in ſudorem prorumpentia: apparet autem ſudor, præſertim circa caput, vultum, ac ceruicem, ex Hippocratis ac Galeni auctoritate, libro primo Prognoſticorum, qui ſudores ſyncoptici appellari ſolent; quæ omnia innati calidi ſuffocationem, aut extinctionem portendunt: vtroque enim modo pro ratione diuerſarum cauſarum in ſyncope innatum calidum offendi ſolet. Propter quid autem in ſyncope ſudores, & hi quidem frigidi appareant, in lipothymia autem non, adhuc non liquet. Dicimus autem nos propterea id euenire: quia cùm in ſyncope vires magnopere oblæſæ ſint, confugiátque calor innatus ad cor, tanquam ad propriam arcem, derelinquénſque partes externas: id quod in eis, præſertim in partibus ſolidis, continetur, humidum retineri neutiquã valet, quinimò tanquam deſtitutũm ab innato calido, facultatéque retentrice haudquaquam eum continere potente, ad externas cutis partes confluit, ac ſudor propterea gignitur, non ſiquidem ex excrementitia duntaxat humiditate, ſed propria etiam ſolidarum partium. Frigidi verò ſunt tales ſudores, quoniam ea, quæ ſolida corpora regit natura, quæ ſecundum Hippocratem eſt calor naturalis, vel omnino extinguitur, vel proxima eſt extinctioni; qua de re infrigidatis partibus ſolidis propter iam dictãm cauſam, quicquid ex eis profluit, quod frigidum ſit oportet. Et propterea qui profluunt ſudores in ſyncope neceſſariò frigidi ſunt; quoniam (vt dictum eſt) in ſyncope innatum calidum aut extinguitur, aut extinctioni proximum eſt: & non ab re ſyncoptici nuncupantur; quia cum ſyncope proueniunt, non autem cum lipothymia: quoniam in ea non adeò vires labũtur; nec ad hoc deuenit calidum innatum (licet afficiatur) vt ferè extinguatur, aut extinctioni proximum ſit, neque ſolidæ partes in lipothymia, velut in ſyncope à natura quæ eas regit, ita deſtituuntur; cùm minor ſit cordis affectio in lipothymia, quàm in ſyncope: & propterea neque ſudores, neque frigidi in lipothymia apparent, imò qui ita affecti ſunt, omnino non ſudant, vt inquit Aëtius. Cæterùm quoniam cor in ſyncope interdum proprio affectu, interim verò per conſenſum laborare ſolet, dignoſces quando ipſum cæteris partibus conſentit ex propriis indiciis earum partium primò affectarum

Quæ pars in ſyncope afficiatur.

Quis affectus præter naturam ſit.

Lib. 3. c. 34

Tex. & comment. 26

Propter quid in ſyncope ſudores frigidi eueniunt, & in lipothymia nequaquam.

Lib. 8. ca. 101

Quibus diſcernatur indiciis.

Si per eſſentiam, aut per conſenſum in ſyncope cor afficiatur.

rum,ac ſymptomatis quibuſdam, quæ quidem ſyncopen antecedunt, quemadmodum ſi affecto ore ventriculi ſyncope conſequatur, quæ ſtomachica dicitur, vomitus, nauſea, aut dolor eiuſdem partis,ſeu morſus quidam præceſsit:ſic quoque affectis primò reliquis partibus, corde verò conſentiente, dicendum erit. Verùm ſi nullum præceſſerit ſignum alicuius partis affectæ, & ſyncope oriatur,nullúſque alius affectus ipſam anteceſſerit,præterquam ſi immodica fuerit aliqua animi excandeſcentia,ſeu affectio, cor primariò affectum eſſe iudicabis. Vtcunque autem fiat ſyncope, aut ſortem duntaxat conſequitur cordis intemperiem, vel cum vitioſo, ſeu venenoſo humore, nonnunquam verò eryſipelas, aut inflammationem, aut alium quempiam præter naturam tumorem ipſius ſectatur. Verùm ſi ob inflammationem, vel eryſipelas excitetur ſyncope, antequàm augeantur huiuſmodi affectus, animal corrumpitur: non ſic autem ſi ob ſimplicem cordis intemperiem ſyncope excitetur, ſiue æqualis, ſiue inæqualis ea fuerit, vt patet libro quinto de locis affectis, cap.ſecundo. Ex hoc itaque diſtinguere poteris,cùm ſyncope genita ſit per proprias ſimilarium partium intemperies: nam ea ſubitam mortem non inducit, quemadmodum ea, quæ ad inſtrumentales partes pertinet,quæ ſubitò enecare poteſt, priùs tamen præcedentibus quandoque ſignis quibuſdam:quorum vnum ſcriptũ eſt ab Hippocrate præcitato aphoriſmo 41.2. libri, cùm dixit, Qui ſæpe, & multum exoluuntur ſine cauſa manifeſta:ij repentè moriũtur.Syncopes verò cauſæ quamuis nonnullæ eſſe poſſint, cunctæ tamen, aut cordis ſpiritus, vel ſolidum eius corpus offendunt:vtraque verò ſubſtantia bifariam lædi poteſt, quantitate ſcilicet,vel qualitate mutata (nam nedum eorum ſubſtantia certa eſſe quantitate deſiderat:verùm etiam & qualitate.) Quæcunque itaque cauſa ſyncopen excitat,aut prædictorum corporum ſolidorum,aut ſpirituum eſſentiam corrumpit, vel ſaltem eorum temperiem mutat; quemadmodum apud Galenum legitur duodecimo methodi medendi, cap.5. nanque in his duabus ſubſtantiis virium eſſentia conſiſtit; quæ inſuper ſic cuſtodiendæ ſunt,vt tum qualitate,tum quantitate (quoad fieri licet) naturaliter ſe habeant. Alterantur autem ſpiritus, tum ex vitioſis redundantibus ſuccis,tum ex ambientis malitia,qui aliàs alia de cauſa in hanc eſt mutatus,vtpote ex metallis,caminis, aut baratris; aut ex leguminum putredine, olerum,vel animalium,aut ſi halitum ex ſtagnis,vel paludibus, vel fluminibus recipiat: item ex venenatis facultatibus, aut animalium quę virus reiectant, venenis. Nec mirum ſi ſpiritus ex ambientis malitia, ac vitioſis ſuccis alterentur: nanque ex tenuiori, ac puriori ſanguine, ſimúlque ex aëre, qui optima temperie ſit, atque ab omni inquinamento puriſſimus, per inſpirationem attracto nutriuntur. At ipſius ſpiritus corruptio, tum ex ingenti dolore, ac crebris motibus,cuius generis & vigiliæ ſunt, tum ex immodica eius tenuitate, & continente eum corporis raritudine prouenire poteſt, tum verò ante hæc omnia ex ipſo reſpirato prohibito, & nutrimenti defectu. Item ex animi affectibus, veluti eſt timor ſubitus,& vehemens, & quæ contraria huic timori eſt, voluptas maxima,hoc eſt,gaudij exceſſu:triſtitia etiam,anxietas, ira, & cura eo genere ſunt noxiæ, quo frequentes vigiliæ, ſpiritúſque corrumpendo vires reſoluunt. Ex his itaque cauſis aliàs ſpiritus alterantur, vt diximus; aliàs corrumpuntur: aliquando ex parte digeruntur; non rarò autem hæc vtraque perpetiuntur. Virium verò lapſus, qui ad ſolidorum corporum digeſtam ſubſtantiam ſuccedit, cauſam habere poterit, longiſsimos præcedentes morbos, extenuato ægro ex atrophia, id eſt, nutrimenti defectu; præterea ex febribus acutis, quæ corpus liquant, excitari contingit. Eorum verò corporum temperies mutata prouenire poteſt, vel ex immodico calore, vel frigore, vel humiditate, vel ſiccitate, aut horum aliquibus copulatis: ſuccedunt autem & ſyncopæ immodicæ ventris inanitioni, vel principiorum intemperiei, aut in his qui aliena loquuntur, etiam propter motum; & (vt ſummatim iterum dicam) quæcunque ſpiritus, aut corpora ſolida mutant, aut corrumpere poſſint, ſyn-

Ad quos cordis affectus conſequatur ſyncope.

Syncopes cauſæ.

Quæ in vniuerſum ſint ſyncopes cauſæ.

Ex quibus cauſis ſpiritus alterentur.

Ex quibus cauſis ſpiritus corrũpantur.

Ex quibus cauſis digeratur ſolidorum corporũ ſubſtantia.

Ex quibus alteretur.

copen generare valent. Quarum cauſarum cognitio magna ex parte ex aſtantium ſermone patebit, quaſdam verò ex te ipſo cognoſcere poteris. Nos verò earum,quæ non ita facilè patere poſſunt, ſigna conſcribemus, vtpote ſi ex magna crudorum humorũ copia,ex cruditatibus,vel alia quapiam occaſione congeſta ſyncope excitetur,vnà cum oris ventris (quod ſtomachum vocant) offenſione:his nanque,& præcordia inflata, & totum corpus ampliori mole, quàm pro naturæ modo,cernitur:tum color aliis ad albidius,quàm pro naturali habitu,& aqua intercute laborantium magis ſimile eſt mutatus:nonnullis etiam ad nigrius,aut liuidius, quos medici plumbei palloris appellant.Omnibus verò pulſus minores ſunt,quàm pro caloris ratione, ſi febricitauerint; præterea obſcuri,omninóque inæquales, ſæpe ea inæqualitate, quam ſiſtematicem Græci vocant:ſemper verò ea,quæ in vno eſt ictu, vt legitur apud Galenum duodecimo methodi medendi,cap.3. & Aëtium cap.nonageſimoſexto, libro quinto,ac Paulum,cap.trigeſimo ſexto,libro ſecundo. Eos verò,quibus ex flaua bile,quæ os ventriculi infeſtet ſyncope incidit, cùm ex reliquis, tum etiam ex aſsidua oris ventriculi mordicatione, anxietate, vellicatione, ac dolore cognoſces. At ſi quis adeò prætenues ſuccos,ac ſpiritus habeat, vt ocyſsimè exhalent; adeóque imbecillam habeat per vniuerſam corporis molem retentricem facultatem:expultricem autem immoderatiùs concitatam:vt propterea in ſyncopen incidat,in eiuſmodi affectibus, mortifera illa ſpecies in facie celeriter apparet: naſus videlicet acutus, oculi caui, adſtricta tempora,& reliqua,quæ deinceps ab Hippocrate,primo Prognoſticorum ſunt conſcripta: quamuis aluus non multùm excreuerit,neque vigilauerint,aut triſtes fuerint,aut fame affecti ægri ipſis ex his nanque minùs malum eſt, quàm ſi abſque his emaciati fuerint, eodem Hippocrate auctore:& Galenus cùm primo prognoſticorum, tum 12. methodi medendi,cap.6.quem ſectati ſunt Aëtius cap.98.libro quinto, & Paulus cap.37. libro ſecundo.Verùm ſi ſyncope valida fuerit, medicinæ locus non eſt,vt idem inquit Paulus cap.34.libro tertio.At ſi vires adhuc tantillum conſtant, aliquando ad ſanitatem recurſus eſt, vt ipſe refert. Cæterùm vbi cor proprio affectu laborauerit in ſyncope, valido exiſtente animæ robore; ex quibuſuis animi affectibus ipſa excitetur, nunquam æger ſuccumbet, Galeno teſte quinto de locis affectis cap.1.Si verò propter eius intemperiẽ ſyncope eueniat, pernicioſior erit,quàm ex cerebri intemperiei quemadmodum hæc periculoſior eſt, quàm ſi iecur primò affectum fuerit,vt teſtatur Paulus cap.38.lib.2.& Aëtius cap. 99. lib.5.quamuis non ita ſubitò ſyncopæ necare poſsint,quæ ex cordis intemperie oriuntur,quàm illæ,quæ inſtrumentales eius morbos ſectantur,vt patet eodem libro quinto de locis affectis,cap.2.Peſtifera autem eſt ſyncope illa,quæ extenuaro ſpiritu ac ſanguine originem trahit,potiſsimùm vbi imbecillitas adſit retentricis facultatis totius corporis,ac expultrix immoderatiùs cõcitata fuerit.Prorſus autem exitioſa ſyncope erit, ſi corpore crudis ſuccis referto generetur, aut ex redundante flaua bile os ventriculi infeſtante:ſiue ex extenuatis ſuccis, vbi iecur,vel ventriculum phlegmone obſederit,quemadmodum ſcriptum reliquit Galenus eodem 12.methodi medendi,cap.6. Verùm ſi citra phlegmonem ſtomachicæ ſyncopę fiant ventriculi ore affecto primò,ac conſentiente corde, curationem magna ex parte admittunt:nam minùs periculoſæ ſunt, quàm ſi excitatæ fuerint ex aliquo trium principiorum, quemadmodum colligi poteſt ex Galeni verbis,præcitato libro 12.methodi medendi,cap.3. Quoniam verò quæ habentur indicationes ex ſymptomatibus,& morbis,non ſimpliciter, ſed ſecundum cauſam, à qua ſingulæ fiunt, conſiderare oportet, vt liquet primo de arte curat.ad Glauconem,cap.14.propterea non vnus modus curationis,cuiuſuis ſyncopes erit,ſed ſingulæ earum propriam curam deſiderant pro diuerſitate cauſarum; ex quibus excitantur: in vno tamen omnes communicant; quod ſi deprehenſus ſyncope cubans eſt omnis ſolicitudo medentis ad ſymptoma vertitur; ſi nedum ea premitur,vtriuſque curã habebit,& vt ſymptoma non incidat:

Si ſyncopes cauſa fuerit cruditatis humorum maxima copia, ſigna.

Signa ſyncopes ortæ ex flaua bile os ventriculi infeſtante.

Si ex ſuccorũ tenuitate, & corporis raritate fiat, ſigna.

Tex.6. & 7. 1.prognoſtic. tex. & cõm.8 Prognoſtica.

Curatio.

& vt

& vt morbus paulatim diſcutiatur, vt patet apud Galenum eodem libro duodecimo metho.medendi.cap.6. Nec minùs & in alio quoque conueniunt, quòd ſiue per eſſentiam fuerit orta ſyncope, ſiue per conſenſum affecto corde, ſemper ipſi proſpiciendum erit, cùm & principaliſsimum viſcus ſit, ſaltem quoad vitam: & propterea robur eius perpetuò ſeruandum erit, nec ſyncope aliqua gigni poteſt (vt priùs diximus) niſi & ipſum cor afficiatur. Si itaque ex ambientis malitia ſyncope fiat, proſpiciendum erit, vt is ad optimam temperiem mutetur, atq; arte odoratus fiat. Si verò ex venenatis facultatibus, aut ex animalium quæ virus reiectant, venenis excitata fuerit ſyncope, eis vtendum erit, quæ ἀλεξιφάρμακα, Græci nuncupant, vtriſque propriis: ex ingenti dolore, curanda cauſa doloris erit: ex crebris, & inordinatis motibus, quies iniungēda: ex reſpiratione prohibita, reſpiratio procuranda, ſublata cauſa quæ ipſam prohibebat: ex animi affectibus, ſtatim ab eo affectu reuocandi: poſtmodum verò conueniens paſsioni cura eſt afferēda. Si verò ex aliqua trium principiorum intemperie fuerit excitata; per cōtrariam intemperiem; moderatè tamen vindicatam, ſyncope curabitur. Sic ſi ob inflammationis magnitudinem, aut vehementis febris malignitatem, ſyncopæ generentur, propriis curationibus, inflammationis ſcilicet, aut febris, curandæ ſunt, tempore quo ſyncope deprehenſi cubantes non ſint. Verùm quoniam ſæpiùs accidit, vt ex immodica quapiam euacuatione nec animi defectus, ſed ſyncope eueniat, & ſimiliter ferè ſuccurrendum erit cuilibet repentè ſyncope ingruenti, velut huic: propterea curationis eius, cùm iam inuaſerit, mentionem primò faciemus, relicta eius curatione, ſi ea ægri non laborent: quoniam pro diuerſitate affectuum, ad quos ſequitur immodica euacuatio, curari eo tempore debet, quemadmodum & reliquę omnes ex quibuſuis cauſis fuerint ortæ. Occurrendum eſt igitur, cùm repentè eius acceſsio ingruat, frigida faciem aſpergendo, & nares apprehendendo: conuenit etiam & os ventriculi perfricare, ac iubere, vt euomant, ſtomachum irritando, digiti, vel pennæ immiſsione. Conducit item manus, vel pedes alligare: verū oportet nexus fieri plures, ac fortiores circa manus, quando per inferiores partes fiunt euacuationes, quemadmodum quando per hæmorrhoidas ſanguis profluit, aut ventris profluuia adſunt, vel per vterum exeunt in mulieribus menſes. Contrà autem fit in fluxibus ſanguinis factis per nares, atque vomitibus, in quibus crura ſunt vehementiùs alliganda: in vniuerſum autem (vt Galenus inquit primo de art. curat. ad Glauconem) aut ad communia membris patiētibus in aduerſum trahere oportet, aut ad ea in quibus eſt euacuationis origo. Atque ideò quæ ex vteris fiunt immodicæ euacuationes, cucurbitulæ mammillis appoſitæ ſtatim ſedant; quæ verò ex naribus, hepati, ac ſpleni ſecundum narem patientem. At ſi ex vtriſque naribus multus ſanguis effluat, vtrique viſceri ſunt adiiciendæ: talibus etiam auxiliatur vinum aquoſum, vetus, frigida dilutum, & præſertim quando ad ventriculum fluunt humores, niſi aliquid vini exhibitionem prohibeat eorum, quæ à Galeno primo de arte curatiua ad Glauconem, conſcribuntur. Ex variis quoque odoramentis eos reuocare conuenit: nam humida, & potus, necnon odorata, præſertim ad recuperandas vires citiſsimè optima ſunt, Hippocrate auctore, libro de aliment. & aphoriſmo vndecimo ſecundi libri, ſimul cum Galeno. In vini autem exhibitione num frigidum, vel calidum exhibendum ſit, ægrotantis natura, conſuetudo, ætas, & ambientis aëris temperatura conſideranda ſunt: atque hæc reſpiciens diſtinguere oportet, num calidum, vel frigidum exhibendum ſit: ipſis verò locis, ex quibus profluuium prouenit, imponere oportet ea, quæ corroborandi vim habeant. Verùm ſi ob ſudoris multitudinem animi defectus, vel ſyncope excitetur, eis quæ adſtringunt, ac cutem refrigerant, vtendum erit. Vinum prætereà frigida dilutum, velut dictum eſt, etiam his commodum exiſtit: nihil autem omnino calidum offerre conuenit, neque crura, nec manus ligare oportet, neque cogere ad vomitū, aut vllo modo mouere. Aërem

In quibus conueniāt omnes ſyncopes pro earum curatione.

Ingruentis ſyncopes curatio.

Loco citato.

Lib. de alimē. in fine.

quoque domus alterare opus eſt, eis quæ frigida, atque adſtringenti qualitate, participant; vt myrtorum foliis, roſis, ac pampinis vitis, pauimentum conſternentes, frigidóſque ventorum flatus ventilabris etiam inducentes. Verùm nihil horum, vbi ad ventrem fluxiones fiant, confert: nam quo magis cutem denſaueris, tanto ipſæ magis augentur: eis verò balneæ aptiſsimæ ſunt. confert etiam immodico ſudore ſudantibus partibus illinire myrtinum, roſaceum, aut cotoneorum oleum: quæ omnia à Galeno primo de art.curat.ad Glauconem,
1. ad Glauc. cap. 14. & ab Aëtio cap.102.libri quinti.ſcripta reperies. Quomodo autem vindicandi ſint ægri à quauis particulari ingruenti ſyncope, ſeu animi defectu, apud eoſdem auctores præcitatis locis ſtudioſi requirant, quamuis ab vtriſque de animi defectu verba fiant: idem tamen de ſyncope intelligendum erit, ſi ab eiſdem cauſis excitetur: neque enim alio diſcrepant, quàm maioris minoríſve ratione, vt diximus. Nos verò eius ſyncopes curam aggrediemur, quæ ob magnam
Curatio ſyncopes ex crudorum ſuccorum copia ortæ. crudorum ſuccorum copiam vnà cum oris ventris offenſione excitatur, & primò eorum curam præcipiemus, qui nondum ea premuntur, vtriuſque curam habentes, vt & ipſa non incidat, & vt morbus paulatim diſcutiatur, quamuis celeriùs hunc diſcuteremus, ſi nullus ſymptomatis ſubeſſet metus. Nanque, qui multitudine crudi ſucci grauatur, hunc (ſi modo iuſtam ſemel vacuationem ferre poſſet, nec metus aliquis ſyncopes impenderet) ſemel arbitror, vacuatum à morbo explicaremus, vt duodecimo metho.medendi, cap.6. Galenus inquit, Quapropter licet vacuationem deſiderent, nulli tamen ſanguis mitti ſine maximo diſpendio ſolet: quo fit, vt nec ſanguinis miſsionem, nec purgationẽ ſuſtineant, vtpote quod ſine his ſyncope ſubitò adoritur. Degant itaque tales in domo puræ lucis, nec madente: aër eligatur calidus media temperie: quapropter
Victus ratio. reclinandi in domo ſunt; æſtate quidem, quæ frigeat, hyeme, quæ caleat; cùm aduerſiſsimus eis ſit aër ambiens, quoties vel nimium calidus eſt, vel nimium frigidus. Ex calido etenim crudi humores diffunduntur, & per totum corpus diffluunt, vt liquati propterea metuendum ſit, ne ad pulmones, & cor ferantur, aliquando etiam, ne ad cerebrum ſubeant: cùm longè præſtet, vt circa iecur, & primas venas ſubſiſtant.. Qua ratione iterum aduerſiſsima his balnea ſunt. Ab aëre verò, & in domibus immodice frigidis, ſucci, qui crudi ſunt & inepti ad concoquendum, manent, & obturationes hepatis augent, ſi paruæ fuerint, ſi verò non fuerint, generant propter craſsitiẽ detenti, & impacti. Somno vtantur, atque vigiliis moderatis: nanque vberior ſomnus, neque his eſt ſalutaris, cùm nec crudos ſuccos digeri ſinat, & viſcera grauiora reddat, ſed ſiquis aliis
12. metho. c. 3. affectus eſt (vt Galenus teſtatur) qui ſomnum & vigilias modicas deſideret, hic profecto in his eſt, quippe ſomnus concoquit, vigiliæ digerunt. Pari ratione motus vitandus erit, quies verò præcipienda: ſeruandúmque inuiolabiliter eſt, ne vel cibum, vel ſorbitionem, vel aquam exhibeas, vel omnino liberaliter bibere ſinas, niſi mulſa tribus primis diebus duntaxat vtantur, in qua hyſſopum coctum fuerit: & ſi nullum occurrat incommodum, eadem aqua mulſa duntaxat, in qua incoctum hyſſopum ſit, vſque ad ſeptimum vtare; ſiquidem longiſ-
Loco citato. ſimam (vt Galenus aſſerit) qui ita ſunt affecti, cibi abſtinentiam ferunt, corpore ſcilicet ex crudis ipſis, quos continet ſuccis, concoquendis, alito: quare nec eadem aqua mulſa copioſe ſemel exhibenda erit. Si tamen vehementer non febricitent, his & aquoſum vinum idoneum ab initio ſtatim eſt; & in eo diluto panem quoq; exhibere conuenit, modo in aliquo viſcere phlegmone non adſit. Et ſi non ſolùm crudi ſucci ſint, ſed etiam eo corruptionis peruenerint, vt concoqui ad perfectionem non queant, ſi fortè horum deſperata ſalus non ſit, ægro mulſam faſtidiente, vel aluo fluente, ad ptiſanæ cremorem eſt tranſeundum: & ſicubi crudos affatim ſuccos eſſe animaduerteris, oxymel pro mulſa exhibere aſsiduè debebis. Quòd ſi huius aſsiduus vſus tædio eſſe cœperit, tranſire inſimul ad mulſam, & ptiſanam conueniet: dein rurſus ad oxymel reuerti: & ſi æſtas ſit, atque æger frigidæ potioni aſſuetus, frigidum huic oxymel dabis;

ſin

ſin hyems ſit, omnibus calidum: tum his, qui calidæ, tum his qui frigidæ inſueuerunt, offeres; æquè, vt ſi immodicus æſtatis tempore æſtus ſit, etiam qui calidæ aſſueti ſunt, frigidum, ſi nullum ſit his viſcus ad iniuriam opportunum.

Medicamentorum ratio. 12.meth.c.3.

At quoniam hi cùm vacuari poſtulent, vacuantia præſidia non ferunt: ea de re nulla alia idonea vacuatio inuenta eſt, à Galeno præſertim, eodem duodecimo metho.medendi, ab Aëtio confirmata cap.96.libri quinti, & Paulo capite trigeſimoſexto libri ſecundi, præter eam, quæ ex frictione paratur. Incipere verò in principio ſtatim morbi oportet frictiones, linteis non admodùm mollibus, ſed aſpredinis mediocre quid habentibus, ac primum à cruribus ſupernè deorſum, dehinc tota brachia ab humeris vſque ſupernè deorſum ſimili modo ſunt fricanda: poſtulat enim ægrotus ſimul per eas frictiones, & calefieri, & aliquid digeri: licet conducant etiam vberiores frictiones ad ſomnum alliciendum. At vbi artus omnes abundè calere videantur, & metus eſt, ne quis ex multitudine frictionis contuſa iam carne, laſsitudinis ſenſus ſuperueniat, oleo relaxante vtendum eſt, quale eſt, quod dulciſsimum eſt: & ſi hyems fuerit, nihilo deterius erit ad digerentium aliquod oleum tranſire, quale eſt chamæmelinum, aut anethinum, quo oleo vngere artus, & fricare quàm plurimum debebis, poſteà oleum detergere, atque ad ſpinam dorſi tranſire, hánceque totam fricare primùm ſicca frictione, poſteà oleo. Ab hac rurſus ad crura te conferes, ab his ad brachia, exinde denuò ad ſpinam, ita totum agens diem. Conſiderare item oportet in his, quæ ad aluum ſpectant; & ſi ſua ſponte commodè non deiiciat: pulſus verò robore mediocri ſit, ac magnitudine, & æqualis, præterea minimè interciſus, audacter per inferius aliquid infundes. Cataplaſmatis autem, & perfuſionibus minimè vtendum eſt, prius quàm ſuperuacua magna ex parte partim vacuata ſint, partim concocta: nanque hi, qui aſsiduè prædictis medicamentis præcordia vexant, potius in eiuſmodi affectibus phlegmones excitant: licebit verò eis vti tempore quo diximus. non tamen duntaxat relaxantibus, ſed eos plurimum fouere oportet oleò, in quo abſynthium ebullierit: vel emplaſtrum adhibere ipſi ventriculo, quod fit ex palmulis, vino, farina hordei, croco, aloë, & maſtiche, ac madefacere etiam maſtichino, ſeu nardino; poſtea verò hyſſopum in mellicrato decoctum, aut diatriompipereon, aut diaſpoliticon medicamen exhibere non inconuenit: & ad eundem modum medicamenta quæcunque offerenda ſunt extenuantia, calfacientiáque ſaltem ea, quæ ſumere febricitans homo poterit, ſi febricitauerit. Qua ratione, & propter eam etiam, quam ſuprà aſsignauimus, nimium calida medicamenta vitanda ſunt: & ſi qui laborant, ſenes ſint; poſt quanque cibationem aquoſum vinum præbendum erit, magíſque etiam ſi interpoſita quietis ſpacia mediocria ſint. Qui ſane ex eiuſmodi ſuccis laborant, hos quotidie acceſsiones exercent, præcipuéque ad veſperam, & noctu, non mane, nec vſque ad meridiem.

Curatio prædictæ syncopes ingruentis.

Si verò ad hos (cùm ſyncope eos iam premit) ſis accitus; ſi ea quæ retulimus loca phlegmone vacent, panem exhibebis non multum, vino fuluo madefactum, quod celerem in corpus digeſtionem adiuuet, ſtatímque ad frictiones venies; quas etiam pro tradito iam modo adminiſtrabis: ac ſiquidem æſtas ſit, aut regio naturaliter calens, & æſtuans, vel ſtatus cœli vehementer calidus, cum frigida vinum dabis, ſi nihil eiuſmodi ſit, iam calida; quæ tamen ſecundo, & tertio dabitur potio, omnino calidam exhibendam curábis, quippe ad vniuerſam eam curationem (cuius gratia frictiones adhibitæ ſunt) calor præſtat, vtpote crudorum ſuccorum concoctionem adiuuans, Galeno & Aëtio teſtibus, in præcitatis locis. Nec parum conducit ſi prædictis diamoſchu dulcis, aut confectionis diambræ parum cum pauco vino exhibeas: odoramentis quoque animum reuocare conuenit; parentur autem hoc modo, Recipe aquæ roſarum, florum citrangulorum, & melliſſoph. ana vnc. ij. corticum citri, ligni aloës, ſingulorum drac. j. moſchu, & ambar vtriuſq; gra. iij. aceti vnc. j. Interim autem neq; cor ipſum negligẽdum erit, ne ei ſuccurratur ab

extra

extra adhibitis medicamentis, epithematibus ſcilicet, vel ſacculis, vt infrà. Recipe aquæ melliſſoph. florum citrangulorum, & roriſmarini ana lib. s. aquæ roſaceæ vnc. iiij. ligni aloës, corticum citri, ſingulorum drac. ij. cinnamomi, caryophyllorum, vtriuſq; drac. s. croci gra. v. oſsis de corde cerui nu. ij. moſchu & ambar, ſingulorū gran. iiij. vini fului odoriferi veteris vnc. iiij. miſceantur, & ſupra cor epithemata fiant. Item ex floribus melliſſoph. roriſmarini, & citrāgulorum, ſampſuchi, & ſerpylli cum cinnamomo, croco, caryophyllis, corticibus citri, roſis ſiccis, ac ligno aloës ſimul mixtis, & contuſis, additis gra. ij. moſchu, & totidem ambar, cum ſerico ſacculi fiant.

Syncopes ex flaua bile curatio.

Qui verò ex vitioſis calidis ſuccis redundantibus, ſeu flaua bile, quæ os ventriculi infeſtet, ſyncope vexantur, tempore; quo ea non premuntur, contraria quàm prædicti curatione curandi ſunt.

Victus ratio

Nam in aëre ad frigidum vergente degere debent; ſomno longiori vti, ac cibis, & potibus frigidioribus, vt ptiſanæ cremore, aut panę non multo, ſed modico, húncque ex vino aquoſo frigida diluto, tribuas: confeſtímque tentandum erit, vt bilis ipſa expurgetur, quæ ſua acrimonia, ac mordicatione os ventriculi infeſtat, per vomitum ſi fieri poterit, quem digitos aut pennas demittendo irritare oportet, aut aquæ calidæ, ſeu hydrelæi potu, vel tantillum aceti aquæ

Medicamentorum ratio.

calidæ imponas, aut ſyrupi acetoſi ſimplicis. Quòd ſi neque ſic euomere poſſunt, aluus cienda erit, ex tamarindorum decocto, ac manna; quandoque etiam rhabarbari parum adiiciendo: illud tamen animaduertas, quòd neque hi immodicè ſemel vacuandi ſunt, cū exquiſitas euacuationes non ferant. Ad hunc etiam vſum clyſteriis, eíſq; lenibus vti conueñit; poſteà verò cùm maior pars redundantis ſucci fuerit expurgata, omnibus modis membra ipſa, ventriculum præſertim, corroborare oportet, oxyſaccharum, ſyrupúmque granatorum acidorum, aut ex acetoſitate citri, è pomis, aut de corticibus citri cum iam dictis permiſtum, ante, & poſt purgationem indeſinenter tribuas. A purgatione

Eiuſdē ſyncopes imprimētis curatio.

verò abſinthij decoctum præbere conuenit. At ſi in ſyncopen prædicti inciderint, his exhibendus eſt frigidus potus: ſit tamen tunc vinum, quod & calidum natura ſit, vt deductionem in corpus promoueat: id verò ſeruādum erit omnibus, quos ſyncope male habet: diſtribui nanq; per corpus nutrimentum, quod ſumptum eſt, non in ventre manere volumus: propterea ex vinis ea deligenda ſunt, quæ & flauo ſint colore: & ſubſtantia tenui, & ætate vetera, ac boni odoris;

12. method. cap. 4.

licet talia (vt Galenus refert) & boni odoris continuò ſint: igitur commodiſsima his vina erunt, quæ cùm naturaliter auſtera ſint, ſenilem iam adſtringendi vim propter vetuſtatem non exhibent, calorem tamen admodum habent. Quandoquidem hæc omnia quæ requirimus in iis, quorum ſtomachus amara bile vexatur, efficient: cùm & iucundè ſumantur, & tum concoctionem, tum digeſtionem in corpus promoueant, & ſucci vitium mitigent, & corporis habitum excalfaciant, & ſtomachum ipſum firment: in prædicti verò vini penuria; aut vbi caput fuerit imbecillum, vel oblæſum, vina deligenda ſunt aquoſa, & antiqua: talia nanque, tametſi non valenter excalfaciant, tamen facilè in omne corpus deducuntur, capútque minimè tentant, velut fulua: omnia autem auſtera vina, tum noua, itémque craſſa fugere oportet, vt idem Galenus præcipit eodem duodecimo meth. medendi. cap. 4. Nec etiam inconuenit, ſi eiſdem diamarg. frigidi exiguum quippiā cum pauco vino, vel ſyrupo de pomis, ſeu oxyſaccharo tribuas: odoramentúmq; naribus adhibeas; quod recipit aquę roſaceæ, myrtillorū, ac nymphææ ana vnc. iij. ſantalorum, ac corallorum rubeorum, cuiuſlibet drac. j. & s. corticum citri ſcrup. j. ambar, ſeu moſchu gra. ij. aceti albi vnc. j. omnibus ſimul mixtis fiat odoramentū. Cordi item epithemata imponere cōuenit, quæ ſic parentur, Recipe aquæ boraginis, acetoſellæ roſaceæ, & melliſſoph. ana vnc. iiij. ſantalorum omnium, & corallorum rubeorum, ſingulorum drac. ij. corticū citri, ligni aloës, cuiuſlibet drac. s. croci gran. iij. moſchu gra. ij. oſsis de corde cerui num. j. vini fului odoriferi vnc. ij. miſceātur, & fiāt epithemata. Saccellos item componas ex floribus boraginis, violarū, nymphææ, melliſſoph.

liſſoph. ac roſis, quibus parum croci, ligni aloës, ac corticum citri, & ambar quoque gran. ij. addas: necnon ſantalorum, & corallorum rubeorum ana drac. iij. & cum ſerico fiant ſacculi. Qui verò ob prætenues ſuccos ſyncope opprimuntur, ſic vt ocyſsimè exhalent, accedente quoque corporis raritudine; diuerſa ratione curandi ſunt, quàm illi, qui ob crudorum humorum copiam ſyncope laborant, cum eos paulatim, & aſsiduè vacuare iuſsimus: propterea quòd ſimul multam euacuationem ferre non poterant: hos verò paulatim, & aſsiduè nutrire oportet, ex omnium medicorum ſententia: quamuis ſi à principio viribus adhuc valentibus curandos ſuſcepetimus, nec paulatim eos cibabimus: poſſunt nanque hi, vel quod liberiùs ſemel datum eſt, nutrimentum ſuperare: nutrire itaque hos oportet, ſicut etiam corporis ſumma denſare, non ſecus quàm priorum rarefacere; cùm etenim maximè hi affectus diſsideant, etiam præſidiorũ ſpeciem diuerſiſsimam requirunt; frigidum ergo his aërem, adſtringentémq; comprobauimus, roſis, aut myrti folijs, ſeu vitium pampinis in domo ſubſtratis: vngendi quoque ſunt adſtringentibus vnguentis, omphacino videlicet, aut roſaceo, melino, aut myrtino: & ſi exurantur; miſcere oportet aliquid ex refrigerantibus, veluti portulacæ, ſolani, aut vuæ acerbæ ſuccum; præcordijs verò, & ſtomacho cataplaſma admouebitur ex palmulis, roſis, œnanthe, acacia, hypociſtide, & alumine; capiti autem, atque fronti omphacinum, vel roſaceum imponatur per ſe, aut cum gũmi. Cibi his dandi ſunt, qui non admodum promptè diffluant, quemadmodum Galenus, Paulus, & Aëtius ſentiunt, vt panis, & ſorbitio ex alica, fructus auſteri, qui non facilè corrumpantur, tum ipſi per ſe, tum verò & cum pane; velut ſunt cydonia, mala punica acida, & auſtera, amarenæ, pyra quædam, & hi, quos vulgus azarolas vocat. Dabis etiam aliquando & oua, præcipuéque & horum vitellos: album nanque eorum ægrè concoquitur, vt patet 12. meth. med. cap. 6. præterea gallinaceorum qui lacte ſint aliti teſtes, itémq; ſuillum cerebrum, probè tamen aſſum tribuendum, vt ipſe inquit, vel in albo iure legitimè elixum; porrò, & anetho iniectis. Vinum autem his aquoſum neceſſarium inter initia eſt, ſumptum poſt cibum. Denique omni ratione agendum, vt & ſuccorum materiam craſsiorem reddas, & cutim denſes, & exhalationem inhibeas: quòd ſi ex ſententia omnia nobis reſponderint, etiam carnei his aliquid nutrimenti poſt alia dabimus, potiſsimùm poſt quartũ diem, Galeni decreto, eodem 12. metho. medendi. Ex his itaque conſtat qualiter ſyncope ſuccurrendum erit: paucæ etenim ſunt, vel fortè neque vna, quæ ex his quæ hìc conſcripſimus, curari non valeat, modo curari poſsit.

Syncopes ex tenuibus humoribus curatio.

Loco citato.

De lactis defectu. Cap. LVI.

QVAMVIS affectio hæc infantibus magis, quàm mulieribus grauis ſit, ex Aëtij teſtimonio, cap. 33. lib. 16. & propterea conuenientiùs fuiſſet alio loco de ea pertractare; tamen quia hìc de affectibus in ſpiritus inſtrumentis ortis ſermo nobis inſtitutus eſt, in quibus certè thorax, & cor exiſtit; ob id quoq; & mãmillarum affectuum non ab re quoq; meminimus; vt quæ incumbant thoraci, & cor contegant, Galeno teſte ſeptimo de vſu partium, poſtquàm de reliquis inſtrumentorum ſpiritus, ac cordis affectionibus verba fecimus. Meritò autem pectori homini mammæ inhærẽt: nam aptiſsimus omnium hic ipſis locus eſt, tum propter alios vſus, quos Galenus eodem ſeptimo de vſu partium, cõnumerauit, tum etiam quod in eo loco in mulieribus copioſiſsimum benigni alimenti ſuperfluum colligi poteſt, lac videlicet, cuius cauſa extiterunt: nam hanc primã, ac maximam animalibus (vt ipſe inquit) præbent vtilitatẽ: quod quidem cùm vtilis alimenti ſuperfluum ſit, cibus exactè confectus, in eo potiſsimùm loco conſtituere eas conueniebat, vbi facillimè ſimul, & citiſsimè elaborati lactis copia perfectè conſiſtere poterat. Nam cùm tenera adhuc ſunt, atq; imbecilla

Cap. 22. in fine.

Cur homini mammæ pectori inhæreant.

Eodẽ cap. 22.

Quid ſit lac.

recens

recens nata animalia, edulia ſolida nondum poſſunt conficere: & ob eam certè cauſam natura, perinde ac ſi vtero adhuc gererentur, alimentum ex matre ipſis comparauit pro conceptus nutritione, vt 14. de vſu partium, cap. 8. decretum reliquit Galenus. Hoc ſiquidem alimentum nihil aliud eſt, quàm quædam veluti ſuperfluitas nutrimenti partis ipſum generantis, ſimul quidem naturæ ipſius exiſtens. Qua de re cùm quidam in mammis adenes exiſtant, vim habentes, id quod ad eos influit alimentum alterandi, ac ſibi ipſis aſsimilandi, quoniam exangues, & albi hi ſunt proprium efficiunt humorem talem qualis eſt lac, & plus talis efficiunt, quando plus alimenti defertur ad ipſos, ex Galeni ſententia commento aphoriſ. 39. quinti libri. Cùm itaque humor hic, qui veluti ſuperfluitas alimenti eſt ipſarum mammillarum generantium ipſum, quo conceptus ex eo nutriatur, vt retulimus, vel admodum exiguus exiſtat, vel omnino deficiat, lactis defectum appellamus. Quòd verò in hac affectione mammillæ afficiantur, ex his quæ diximus, liquet, cùm principem ipſæ vſum, cuius gratia generationis lactis exiſtit, vt paulo ante dictum eſt, non præſtent, potiſsimùm tempore, quo præſtare debent, de quo modò loquimur. Eſt autem id à partu, quando iam fœtus natus fuerit, totóque lactationis tempore: etenim mirabili quadam arte natura fecit, vt mammæ maximum habeant cum matricibus conſenſum. Nanque cùm partes vtraſque ad vnum opus obeundum comparaſſet, ipſas per vaſa coniunxit, modo quo Galenus declarauit libro ſeptimo, & 14. de vſu partium, ac libro de ven. diſſect. partim quidem ex partibus, quæ ſunt ſupra phrenas ad inferna deducendo, partim ex inferioribus ſurſum. Neceſſe nanque erat has particulas per vaſa coniungi, vt quando in matricibus fœtus augeretur, ac conformaretur, illi ſoli venæ communes ex vtriſque alimentum affundant: quando verò natus fuerit, mammis rurſum alimentum totum affluat. Quò fit, vt lac menſtruo germanum eſſe inquiat Hippocrates, & quòd eodem tempore menſtrua belle procedere nequeant, & fœmina lactare, vt Galenus aſſerit. Ad hæc libro quinto de ſimpli. med. facult. cap. 21. dicebat, Proinde quibus menſes mediocriter feruntur, iis lac in mammillis non colligitur; quibus verò hoc largè ſuppetit, iis plane menſes ſupprimuntur. Hoc itaque tempore, ac reliquo toto quo mulier lactauerit, ſi lac deficiat, mammillas affectas eſſe non ab re fatemur, ſiue per eſſentiam, ſiue per conſenſum affectæ ſint. Earum verò affectus ſymptoma eſt in genere retentorum immodicè: nam (vt inquit Galenus) commento prædicti aphoriſmi 39. quinti libri, hoc commune eſt omnibus animalis partibus, quæ aptæ ſunt humores aliquos vtiles generare, aut partibus aliis, aut ad generis propagationem, aut ad conceptus nutritionem, eſſe humorem illum quandam veluti ſuperfluitatem alimenti partis ipſum generantis. Nam quantum alimenti ab ipſa parte alterati fuerit nutrito corpori exquiſitè aſsimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eam: ſuperfluum verò derelictum ſimilis quidem naturæ partis humor exiſtit; verùm eiuſdem partis veluti excrementum eſt: cùm autem hoc excrementum deficit, non ab re dicimus affectionem hāc contineri in genere excrementorum retentorum immodicè. At quoniam lactis materia ſanguis eſt in venis contentus, quantitate, ac qualitate contemperatus, tum ab aliis partibus tranſmiſſus, tum etiam à mammis ipſis attractus, vt quinto de ſimplic. med. facult. eſt videre: propterea non ab re ipſum ſanguinem contemplari, eodem loco præcipit Galenus, quo promptè inueniatur cauſa paucitatis, aut omnino defectus lactis. Nanque inuenies quod aut paucior eſt quàm conueniat, aut deterior, vt ipſe inquit; paucior autem eſſe poterit, vel quod in toto corpore exiguus affuerit ſanguis; vel quod licet exiguus in toto non fuerit, parcior à mammillis attrahitur: id autem interſtinguere poteris ex totius corporis temperamento, ac habitu ſicciore exiſtente: ex immodicis item ſanguinis, aut aliorum humorum euacuationibus præcedentibus, vehementibus exercitiis, laboribus, vigiliis, fame, mœrore, vel ſolicitudine, aut arida, æſtuantéque febri, vel id genus aliis: quæcunque pluſquàm expediat, corpus deſiccaue

Quid intelligēdum ſit per lactis defectū.

Quæ pars afficiatur.

Lib. 7. de uſu part. cap. 12. 14. de uſu par. cap. 5. De uenarum diſſect. cap. 5. & 8.

Quis affectus præter naturā ſit defectus lactis.

Qua uia inueſtigāda ſit cauſa defectus lactis. cap. 21. Eodem lib. 5. cap. 20.

Signa ſi ex ſanguinis defectu proueniat.

ſiccauerint, ac calfecerint: hæc enim ſunt, quæ inter alia lac lædunt, ipſúmque prouenire prohibent, vt legitur apud Galenum eodem libro quinto de ſimplic. medic. facult. cap. 20. nedum ſanguinem ipſum minorem reddentia, ſed partim etiam qualitatem ipſius vitiantia: quamuis & immodicè refrigerantia huiuſmodi quoque naturæ ſint. Si verò hæc non adſint, inſpexeris autem aridas, macilentas, ac graciles mammillas ipſas, ob propriam earum imbecillitatem, ac aridam intemperiem prouenire lactis defectum conijcere poteris, vtpote quæ non valeant tantam, quanta indigent pro lactis generatione, ſanguinis copiam attrahere. At ſi propterea quòd ſanguis deterior, ſeu vitioſus fuerit, lac ipſum deficiat, vtpote bilioſus, aut pituitoſus, vel melancholicus exiſtens, id tum ex lactis colore, tum ſubſtantia, & ſapore potiſsimùm interſtinguere poteris, præſertim ſi non omnino defecerit, non tamen poſthabita cognitione temperamenti, habitúſque totius corporis, & ætatis. Nanque ſi bilioſus fuerit; præter eius tenuitatem, ac flauitiam, amari quodammodo ſaporis lac erit, aderítque temperamentum bilioſum, habitus gracilis, ac ætas florens. Si verò pituitoſus ſanguis fuerit, craſsioris ſubſtantiæ, albi, aut pallidi coloris, acidi ſaporis, odoríſque lac exiſtit, lactantíſque temperies, habitus, ac ætas pituitoſi quoque erunt, quemadmodum ſi vehementioris fuerit ſpiſsitudinis, ac paucitatis, obſcurioríſque, ac quodammodo nigri coloris lac ipſum, & reliqua quæ diximus melancholica, fuerint, melancholicum quoque ſanguinem adeſſe ſignificabunt. Hæc tamen affectio quamuis infantibus magis, quam mulieribus grauis ſit, vt diximus, non propterea deſpicienda erit, cùm abſque aliquo eiuſdem mulieris præter naturam affectu etiam gigni non poſsit. Quapropter vbi imminuitur lac, aut omnino extinguitur, vel corrumpitur, aut ſpiſſatur, vel attenuatur; præſtat quidem alterius nutricis lac præbere, quemadmodum Aëtius præcipit lib. quarto, cap. ſexto. Sin autem id non permittat res aliqua inſtans, victu nutrix curanda eſt, vt ne in morbum incidat infans, vt ipſe inquit; ac ipſa ſibi quoque meliorem vindicet ſanitatem. Itaque ſi lactis defectus ex ſanguinis paucitate proueniat, vniuerſam victus rationem mulier expoſcit humectantem, & excalfacientem, Galeno teſte, quinto de ſimplicium medicament. facultatib. cap. 20. Similia item & medicamenta, ſiquidem quæ non deſiccant, & modicè excalfaciunt, lacti generando vtilia ſunt: ac meritò dicta ſunt lactis procreatricem habere facultatem; quamuis ea numero ſint perquàm exigua, vt idem Galen. inquit. Nam lactis, velut etiam ſeminis effectrices facultates partim in medicamentis duntaxat, partim in alimentis conſiſtunt: in medicamentis, cum ſuccos pituitoſos excalfacientes in ſanguinem vertimus: in alimentis autem, ſecundum totius ſubſtantiæ ſimilitudinem; vbi videlicet boni ſint ſucci, & humida, ac tepide calida, ceu eſt ipſum lac medium habens temperamentum, quod ad calorem attinet, pituitæ, & ſanguinis: licet non æquè ab vtroque abſit, ſed longius abeſt à pituita, propius autem accedit ad ſanguinem, vt eodem quinto de ſimplicium medicamen. facult. cap. 20. liquet; id quod etiam patebit, ſi eiuſdem triplicem diuerſam ſubſtantiam, ex qua componitur, cōſiderabis, primam quidem craſſam, ex qua caſeus conficitur; alteram pinguem, ex qua butyrum; & tertiam aqueã, quam ſerum nuncupamus: nam ex hiſce, pinguis maximè temperata eſt; craſſa verò paulum ab ea declinat, aquea autem frigida, & humida eſt, vt idem Galenus teſtatur, quarto de ſimplic. medica. facultat. cap. 16. Quapropter alimentum augere, & melioris ſucci cibos dare oportet; panem videlicet optimum, gallinarum, pullorum gallinaceorum, ac columbarum iuuenum, perdicum, & phaſianorum carnem, hœdorum, vitulorum, & caſtratorum, inſuper & oua recentia, præſertim ſorbilia. Ex fructibus vuas paſſas, amygdaláſque dulces. Pro potu vinum, aut aquoſum, aut flauum, tenue, moderatè aqua dilutum, vel vinum dulce potui tribuatur, ac ſorbitionibus vtantur, vt Paulus iubet, libro 1. cap. 4. Caueant exercitium immoderatum: verùm ſupernarum partiũ exercitiis vti poſſunt, vbe rúmque frictione moderata, ac fomentis per ſpongias, Aëtio teſte. Vitent animi

Si vitioſus ſanguis cauſa fuerit, ſigna.

Prognoſtica.

Curatio, ſi ex defectu ſanguinis proueniat.

Loco citato.

Lactis temperamentum.

Victus ratio.

Citato lib. 4. cap. 6

affectus immodicos,mœſtitiam præſertim. Medicamenta verò & ſi lacti generando proficere aliquid poſsint, non tamen frequenter ipſis vti, præcitato loco præcipit Paulus; eorum tamen quibus vti poterunt, in fine mentio fiet.

Si ex deteriori ſanguine proueniat lactis defectus, curatio.

Si verò quia deterior ſanguis ſit,propterea lac deficiat,ſiquidem bilioſus fuerit ſanguis, primum purgationem deſiderat,mox victum,quem modo dicebamus, vt eodem libro quinto de ſimplicium medicament.facult.cap.20.docet Galenus. Eligatur autem purgans medicamentum,quod leuiter bilem expurgat,ac non exſiccet; veluti eſt,mãna,caſsia fiſtula,ſyrupus ex pluribus infuſionibus violarum, aut roſarum, tum rubearum, tum perſicarum; priùs tamen ſyrupum exhibens ex ſucco intybi,aut boraginis, vel ex infuſionibus roſarum, vt faciliùs bilis expurgetur. Pari quoque ratione nigra bilis, ſi ea cauſa vitioſi ſanguinis fuerit, ac defectus lactis,expurganda erit medicamento,quod talem vim habeat, nec tamen exſiccet, veluti eſt diacatholicon, ſeu ſyrupus domini Auguſtini, ſi cum manna,aut caſsia fiſtula ea permiſceas.

Qualia medicamenta facultatem habent generãdi lac. Loco citato.

Verùm ſi pituitoſus fuerit ſanguis, medicamenta requirit,Galeno teſte,excalfacientia aut primo aut ſecundo ordine,nõ tamen deſiccantia: nam hæc pituitoſos humores excalfacientia, in ſanguinem vertunt; & non ipſius ſanguinis humorem depaſcũt,ac ipſum craſsiorem,ſimúlque pauciorem efficiunt,vt ea quæ deſiccant. Verùm inter ea potiora ſunt,quæ non tantùm ſunt medicamenta, ſed & nutrimenta, vt ipſe inquit; velut eruca, fœniculum,anethum,cùm etiamnum virentes, & humidæ fuerint: nam ſiccæ pluſquàm oportet excalfaciunt, & deſiccant. In hunc etiam vſum conferunt, ſmyrnium,apium,ſyon,& polium; eáque virentia,priuſquàm ſiccentur; ex eiuſdem Galeni ſententia.

Loco citato. Præcitato loco. Præcitato loco. Lib.4.cap.6

Similiter etiam confert fœniculi radix, & ſemen,ptiſanæ incocta,ex Pauli teſtimonio; item cytiſi folia ex vino nigro, aut ptiſana, melanthium dulce,& anethum,paſtinacæ radix,atque ſemen, quæ calida priùs irrorata admouenda ſunt,vt ipſe Paulus refert. Cõfert quoque lini ſemen cum melle delingere,vt inquit Aëtius,aut ſeſamum crudum cum vino dulci: item naturaliter facit lapis galactites dictus pro amuleto alligatus,& aqua diſſolutus, ac potatus,vt ipſemet fatetur Aëtius lib.16.cap.33.inteſtina quoque terræ, ſi quinque, aut ſeptem teras,aut plures,ac cum duobus,vel tribus recentibus gallinarũ ouis decoquas,pauco fœniculo, aut anetho addito, atque ex his ferculum parabis, non parum ad multitudinem,ac bonitatem lactis comparandum conferet.

Paulo ante medium.

Similiter etiam ſi ea priùs vino albo abluta in puluerem redigantur: & cum vino dulci drach.j.vel ij.prædicti pulueris exhibeas. Ex Hippocr.lib. primo de morbis muliebribus,habetur, quòd ſi lac fuerit extinctum,porrum tritum, & aqua dilutum bibendum dandum erit; calida mulier lauetur, & braſsicam edat, ſed & cytiſi folia ſimul coquat,& ſuccum ſorbeat; bibat etiam fœniculi ſuccum,ſeu ſemen,& de radicibus fœniculi,& hordeum molitum,ac butyrum ſimul coquito,frigefacito, ac bibenda præbeto: bonum eſt & hippomarathrum, & hippoſelinum,& cytiſus: hæc omnia (vt ipſe inquit) ſimul multum lac faciunt, & augẽt: viticis item fructus in vino bibendum dato; & betæ ſuccus potatus,multum lac facit; & naſturtium in vino potum commodum eſt,eodem auctore: hęc eadem ferè confirmauit libro de natura muliebri.

Prope finem.

De lactis redundantia. *Caput LVII.*

CVM lac velut ſuperfluitas quædam alimenti vberũ ſit, vt paulo ante aſſeruimus,non ab re contingit interdum, quando plus alimenti ad ea defertur,adeò hoc ipſum redundare, vt ex eius ampliori plenitudine mulier grauetur, ac doleat,ita, vt copiam eius ferre nequeat,præſertim cum è mammis nõ effluat, & propterea intus detinetur. Cõtingit autem hoc ſæpiùs puerperis, non rarò autem & reliquis lactantibus. Talis autem mammillarum affectus facilè percipi poterit,tum viſu, & tactu, tum etiam ipſius mulieris ſermone.

Affectæ partes. Affectus qualitas.

Qualitas verò affe-

ctus cauſa morbi eſt, in quantitate videlicet, & propriè in exceſſu, qui ex ipſa prouenit lactis copia,ſi in mammis detineatur; etenim lactis copia velut quælibet alia plenitudo,cauſa morbi erit,cuius iterum cauſa eſt boni. ſanguinis multitudo,quemadmodum è diuerſo eiuſdem lactis defectus ex parciori,aut vitioſo ſanguine originem ducit,vt præcedenti cap.diximus.Potiſsimùm verò plurimum colligitur lac,oppletis ſanguine communibus venis,quæ à mammis pertingunt ad vteros. Euenit autem,& id mulieribus vtero gerentibus, ob conceptus imbecillitatem interdum:interim verò cùm neque grauida eſt,neque peperit,ſed ei menſtrua defecerunt,Hippocrate auctore,aphoriſmo 39. & 52. quinti libri, de quibus modo noſter ſermo non erit, cùm de his duntaxat verba faciemus, quibus à partu,aut reliquo lactationis tempore,adeò creuerit in mammillis lac,vt propterea mulieres grauentur, ac doleant; ita, vt metus ſit, ne vbera inflammatione corripiantur. Si verò lac multum è mammis effluat, non amplius cauſa morbi, ſed ſymptoma erit,ſub genere excretorum immodicè contentum; nec formidandum erit ex eo quempiam præter naturam affectum in mammis ipſis futurum eſſe aut fieri: & propterea nec de hac etiam lactis abundantia hic loqui intendimus. Verùm huic affectui, de quo modo verba facimus,ſtatim ſuccurrendum erit, alioquin metuendum eſt,ne mammillarum inflammationem pariat,vel inſtar caſei lac cogatur, ſeu in grumos vertatur:& ſi vitiatum quoque lac fuerit,mammarum vaſa exulcerat,ſcabiem, panos, & papularum eruptiones quoque producit,vt inquit Aëtius.Quapropter vbi imminuere ipſum voles, cibos minus alentes & pauciſsimos dato, vt ipſemet refert Aëtius. Exiguum quoque potum tribuas, aquã videlicet,& non vinum; cauendum nanque ab eo erit. Frictiones, vincula, ad infernarum partium exercitia præcipienda ſunt. Cæterùm (vt Soranus inquit) vbi mammæ aſsiduè doleant, neque à mulieribus neque ab infantibus exugi oportere (nam ſuctione plus materiæ attrahi aſſerit) id quod confirmauit Paulus cap.35.libri tertij.Nos verò ex Aëtij ſententia cap.34.libri 16.ab adultis,ac peritis mulieribus, quòd puerperarum mammæ leniter exugantur,non negamus, præſertim vbi non immodicè doleant,ſeu inflammatæ ſint:effertur nanque foras leni hac exuctione, quòd in mammillis lac continetur, neque plus materiæ ad eas trahitur. Et propterea inflammationem per eam fieri prohibetur,potiúſque proritatur:in vniuerſum autem prohibenda ſunt ea,quæ multum, ac optimum ſanguinem procreare poſſunt: & proinde nil præſtantius,quàm circa initia, ſi quid non impedierit, poplitis,ſeu tali venam ſecare, copioſúmque ſanguinem ex ea vacuare permittas, vbi vires ferant, eáque iteranda,ſi opus fuerit. Et ſi altera mammillarum magis oblæſa ſit, è directo vena ſecanda erit; potiſsimùm autem id ſeruandum erit puerperis, vbi menſes detineantur,totiſque viribus præter venæ ſectionem eos prouocare conandum:nam quibus menſes mediocriter feruntur, vt priùs diximus ex Galeni ſententia, iis lac in mammillis multum præſertim non colligitur. At ſi non propterea quòd menſes præter naturam detenti ſint, ſed quia in toto corpore ſanguinis redundantia adſit, lactis quoque copia immodica oriatur,media, quæ in cubito eſt vena, aut interna primò ſecanda erit; & prout vires ferunt, ſanguis extrahendus:deinde taliquoque vena incidatur, & eis quæ modicè repellunt vtare; potiſsimum vbi lactis redundantia non fuerit à partu. Quapropter ſpongia pura, molli poſca è gelida imbuta, expreſſaque ſuper mammas faſciis accommodanda erit, vel palmulæ cum pane, ac poſca tritæ, deinde vincire eas,ac moderatè conſtringere oportet,iuxta Aëtij,& Pauli ſententiam; vel ouo toto cum roſaceo vtendum erit, aut linteum aceto imbutum imponito, & aſsiduè humectato; vel lentes aqua marina coquito, & cum decocto quidem mammas abluito; ipſas autem lentes contuſas imponito; aut myrti etiam decocto ipſas perfundito. Quòd ſi lac omnino reſtinguere malueris, alumen, & pſyllium cum aceto,& coriandri ſucco,ac roſaceo adhibeto, ex Aëtii teſtimonio. Poterit quoque portulacæ ſuccus cum fabacea,ac lentium fa-

Cauſe.

Prognoſtica.

Curatio.
Lib.16. ca.36
Lib.4. cap.6.
Victus ratio.

Venæ ſectio.

Lib.5. de ſimplic. medic. facult.cap.21

Localiũ medicamentorum ratio.
Aët.li.16.c.35
Pau.li.3.ca.35

Citat.q.lib.16. cap.35

rina adiici, vel ex cremore fœnigræci, ſeminis lini, & althææ cum ſucco coriandri, aut portulacæ, farina hordei, ac lentium, adiectis oleo roſaceo, aceto, ac cera medicamentum paretur, quo mammæ illiniantur. Cuminum quoque cum
Lib. 4. cap. 6 aceto illinitum lac imminuit, eodem Aetio teſte: ſimiliter eius decoctum cum modico croco oblinitum, aut fœnigræci ſuccus cum apio viridi, mentha, aut ruta, farina lentium, roſaceo, ac poſca imponatur. Quòd ſi neque his lac imminuatur, vel reſtinguatur, aut ſi à partu lac omnino reſtinguere malueris (id quod aſſiduè huius ciuitatis mulieres, nobiles præſertim, ac diuites expetunt, cùm lactare nolint, ac nequeant) non amplius eis, quæ repellunt, ac reprimunt, ſed quę ipſum exſiccant, ac digerunt medicamentis, tanquam tutioribus exiſtentibus vtendum erit; adhibitis tamen priùs per vincula, cucurbitulas, frictiones, ſeu venæ tali ſectionem, diuerſionibus, prout poſtulabit vſus. Huius autem generis medicamenta, quibus vti conſueui, hîc conſcribam; quibus veluti miraculo quodam cunctas, quæ ad manus meas peruenerunt, puerperas adeò feliciter curaui, vt lac omnino è mammis extinxiſſem, illud cogi, & caſeari non permittens, ac à futura inflammatione penitus mammas liberaui. Excipio autem fœniculi, apij, oreoſelini, maluarum, & althææ cum radicibus, cuiuſlibet p.j. foliorum lauri, & florum chamæmeli, ſingulorum m.s. quibus in aqua arte decoctis, ac in largiori vaſe proiectis, tectis deſuper panno lineo mammillis, eas fouere præcipio; dein eodem decocto mammas abluere, ac poſt ablutionem roſacco omphacino illinire, quo tempore, vt leniter quoque exugantur permitto, vt reliquum quod in mammis continetur lac fuſum, ac liquatum promptiùs foras effluat, nec materia aliqua ad eas trahatur. Reſinæ terebinthinæ deinceps quantitatem, quæ ſatis ſit, aſſumens, vino albo, & odoriſero, ac aqua roſacea ſæpiùs abluere iubeo, cui duo, aut tria oua tota, ac croci ſcrup.j. adiicere permitto, & in emplaſtri formam, ſeu cerati, cera addita redigi; quod ſuper lineo linteo, eóque craſſo extenſum, perforato tamen in duabus partibus, ex quibus mãmillarum papillæ extra prominere poſſint, imponi, ac faſciis circumligari, moderatéque conſtringi præcipio. Singula autẽ dicta iterari facio bis ſaltem in die, mane videlicet, & veſperi, ante cibum; ita vt priùs mammæ foueantur, abluantur deinceps, & illinantur, exugantúrque leniter, & demum emplaſtrum prædictum imponatur, & faſciis moderatè conſtringantur, ac ligentur.

De lacte in caſei ſpeciem, ſeu grumos conuerſo. Cap. LVIII.

Lib. 5. cap. 35 ACcidit etiam plerunque à partu præſertim, Paulo teſte, vt lac in mammillis caſei modo coaguletur, ſeu in grumos concreſcat; neque enim idem eſt, vt nonnulli ſentiunt, lac in caſei ſpeciem coagulari, & idem in grumos coire; neque omnino in cauſis generationis iidemmet affectus conueniunt, vt
Affectus. dicemus. Ambo autem morbi in numero, ſeu magnitudine dici poſſunt, cùm in quantitate comprehendantur, atque in exceſſu eiuſdem: vtrunque quoque vitium cum facile tactu, ac ęgrotantis ſermonibus cõprehendi poſſit, haud aliis pro eius dignotione indiget notis: Ex lactis itẽ copia, vel eiuſdem craſſitie, tanquam ex materia originem ducunt affectus ambo. Vtrum au-
Cauſa. tem eorũ cauſa ſit, promptè dignoſcere valebis ex indiciis abundantiæ lactis, ſi ea cauſa extiterit; aut ex eiuſdem lactis craſſitie, modo ex ea excitentur. Itaque ſiue craſſum fuerit lac, ſiuę multum indifferẽter in caſei formam redigi poteſt,
Si in grumos cõcreſcat, cauſa efficiens. aut in grumos conuerti, tum ex immodica mãmillarum caliditate, tum ex immoderata earundem frigiditate velut efficiẽti cauſa, prima ſiquidem exſiccando, ac ſecernendo id quod tenue, ac ſeroſum in ipſo cõſiſtit: reliqua verò adſtrin-
Si inſtar caſei coaguletur, cauſa efficiẽs. gendo, ac cogendo vniuerſam eius ſubſtantiam; in grumos tamen concreſcere ipſum nequaquam à caliditate valet, ſed à frigiditate duntaxat, quemadmodum extrauaſatus ſanguis, veluti nec inſtar caſei coagulari, niſi à caliditate poterit, vt

Gale.

Gal.auctoritate mox probabimus: & ſi plerique etiam,qui Galē. doctrinā profitentur aliter ſentiant:cuius nanque conſtat,lac non alio modo, quàm ſanguinem in grumos conuerti:at is non niſi vbi extrauaſatus,frigefactus fuerit, in grumos vertitur:& propterea ęger frigore exoluitur,ac penè exanimatur, pulſusq; imminuitur,ac frequens apparet,& denique malè ſe habet,ex eiuſdem Gal. teſtimonio 6.de loc.affect.cap.3.& lib.de cibis boni & mali ſucci,cap.3.ac cōmen. aphor.20.6.lib. Quòd verò lac coagulari nequeat,niſi à valido calore,apud eundem liquet 5.de ſimpl.med.facul.cap.12.:indiget nanque vt coaguletur,quòd ſeroſum eius ac tenue ſeorſum fuſum ſegregetur,quòd verò craſſum in eo eſt, in ſeſe coëat:id autē (vt ipſe inquit) abſque valido calore peragi nequit:cuius quoque naturæ eſſe debent ea,quę vrinam ciunt:nempe excalfactoria,exſiccatoriáque; tum etiam ſecretoria,ac coactoria. Illud idem confirmarunt Paulus, & Aëtius,diuerſam inſtituentes curationem,ac alia medicamenta,pro lactis caſeatione,& pro eiuſdem in grumos conuerſione: à frigore itaque lac grumeſcit, & à calore caſei modo cogitur,vt patet ex dictis. Quomodo autem interſtinguere valeas concretum,ac grumeſcens lac à frigida intemperie,aut ipſummet caſei modo coactum ab intemperie calida,non opus eſt,vt hic conſcribam, cùm quiuis promptè ex earundem temperierum propriis ſignis coniicere poterit. Id verò haudquaquam prætereundum eſt,quòd niſi quàmprimum grumeſcens, ſeu caſeatum lac curetur,aut inflammationem pariet,aut mammarum exulcerationem,pręſertim ſi vitiatum lac fuerit. Quade re vbi ipſum ab immodico calore caſeatum ſit,victus ratione ad frigidum inclinante inſtituta, eiſdem ferè medicamentis,præſertim circa initia vtendum erit; quę in præcedenti cap. cōſcripſimus,Pauli,& Aëtij auctoritate. Priuatim autem deinceps (eodem Aëtio teſte) conferunt furfures in aceto cocti cum rutæ decocto ſuprà mammas impoſiti: idem facit mētha polentæ admiſta,& iuglans cum ruta,ac melle,vt ipſe inquit. Cuminū item priuatim,vel cum polenta,& crocus cum lacte ac muriæ fomentum,& apium viride impoſitum (quod etiā grumos lactis diſſoluit) magnopere conducunt,vt apud eundem Aëtium legitur,cap.35.lib.16. Folia item ſolani, ſeu halicacabi cùm braſſicę foliis,ſi contundantur,pauca myrrha,ac croco adiectis, & exiguo aceto non minùs conducunt:ſimiliter ſi ex fœnigræci,ſeminis lini, & althææ decocto cum oleo violaceo,& exiguo aceto epithemata fiant: Proderit quoque ſi mentham contundas,& cum hordei,ac fœnigræci, althææ, & ſeminis lini farina,oleo roſaceo,ac pauco aceto permiſceas,& ſuperimponas. At vbi in grumos conuerſum lac fuerit,victus ratione vtendum extenuante eſt, ac ad calidum inclinante:ſimilibus quoque medicamētis; in quem vſum lentes aqua marina,aut muria decoctæ,ſi eiſdem vtaris, quemadmodum præcedenti cap. dictum eſt; aut etiam cumini decocto cum modico croco,haud exiguam afferent vtilitatem. Paulus verò cap.35.lib.3.pane ex hydrelæo,aut mulſo, aut cum perdicio herba viridi vti conſuluit: Similiter ſuperfuſione calentis olei dulcis, aut fotu calidæ aquæ,vel decocto fœnigræci,althææ,ſeu apij mammillas fouere iuſſit:In talem item vſum,chamæmelum,fœnumgræcum, althæam, ac anethum eligas. Delinire verò mammillas conuenit (vt ipſe inquit) polline farinaceo cum ſemine lini,aut fœnogræco cum hydromelite,aut etiam ſeſamo, quod cum melle, aut butyro ſit leuigatum. Poteris inſuper tritici farinam cum furfure eiſdem permiſcere:oleis quoque amygdal.dulcium,chamæmelino, aut anethino mammillæ inungendæ ſunt. Coagulum quoque leporinum, præſertim ſi cum pauco aceto,butyro,aut aliquo prædictorum oleorum illinatur,in grumos conuerſum lac ſummopere diſſoluit:nam & in ventre concretum lac curat, Galeno auctore lib.de med.paratu facilibus,in fine:potum cum vino coagulum, & cum aceto ſimili modo epotum,nedùm lac, ſed & ſanguinem in ventre concretum diſſoluit,vt patet decimo de ſimpli.medic.facult. Betæ item folia ſi tandiu oleo fuerint incocta,quoad intabuerint,cum pane, & fabarum farina, paucóque oleo ſeſamino,ac cera permiſta, & impoſita conferunt.

Paulus lib.3. cap.35

Aëtius lib.16. cap.34.& 35

Prognoſtica.

Curatio caſeati lactis.

Lib.16.cap.35

Lactis in grumos conuerſi, curatio.

Cap.de coagulo.

De mammarum inflammatione. *Caput* LIX.

SIcut cæterę corporis partes,ita quoque vbera interdum inflammari ſolent,illud tamē prętet reliquas peculiariter habent, quod nedum ex confluente ad ea ſanguine, verumetiam ob lactis copiam,aut eiuſdem caſei inſtar coagulationem inflāmatione affici cōſueuerunt. Quibus inflammatis non admodum laborare

Partis affectæ & affectus cognitio. oportet in tradendis ſignis,pro eiuſdem affectus , ac partis affectæ cognitione: nam facilè ad ſenſum patebunt. Verùm cùm eiuſdem inflammationis gemina

Cauſa. cauſa eſſe poterit,ſanguis inquam,aut coagulatum lac,prima cauſa,quouis tempore ipſam excitare valet, & propriis indicus promptè dignoſci; reliqua verò non niſi puerperis,aut vtero gerentibus,ſeu quibus menſes detenti fuerint, præter naturam: vno etenim iam trium dictorum modorum mulieres lac in mammillis habent,ac abundantiùs habent; interſtingues autem id, tum ex præcedenti lactis abundantia,tum etiam ex eiuſdem coagulatione. Ex quacūque verò cauſa mammillarum inflammatio fuerit excitata,non ſpernenda erit eius cu-

Prognoſtica. ratio:nam cùm laxior,ac adenoſa earum ſubſtantia ſit , nec multum obtineant innatum calidum, metus erit,ne in ſcirrhoſum tumorem, & demum in canceroſum vergat,aut ea ſuppurata , ac ad abſceſſum progrediente , exedens vlcus

Curatio. conſequatur.In curandi autem ratione,priùs recta victus ratione inſtituta , obſeruandum primò erit,vt ſi ex confluente ſanguine , aut etiam ex lactis coagulatione,menſibus præter naturam detentis inflammatio fuerit excitata, ſanguis mittatur,ex eiuſdem lateris vena tali; potiſsimùm ſi detenti menſes fuerint,aut

Venæ ſectio. ex interna, vel media ſimiliter eiuſdem cubiti vena: & (ſi opus fuerit) non ſemel duntaxat,ſed bis,& ter vena ſecanda erit.Inſuper à venæ ſectione,purgante

Purgatio. medicamento vtare,eo tamen quod leniendo purgat,velut manna, caſsia fiſtula,ſaccharum violaceum: & interdum prædictis antidotum diacatholicon addere poteris. Poſt hæc ad ea, quæ reprimunt, ſeu repellunt medicamenta,non

Topica qualia eſſe debeant. tamen valida confugiendum. Tutiùs autem eis vti poteris, ſi quę digerendi vim habent medicamenta, cum eis permiſceas,in quem vſum maximè conuenit, ſi madefacti lintei ex aceto vini albi cum gelida aqua mammis imponantur,ac pluries iterentur:Aut paretur decoctum ex floribus chamæmeli , cui æqualis portio olei roſacei,& pauca quantitas aceti albi admiſceatur, & ſimiliter vtare. Vel excipe ſucci ſolani,& olei roſacei ſingulorū vnc.ij.aquæ,in qua fœnigræci,florum chamæmeli,& ſeminis lini,ana drac.iij.fuerint decoctæ, vnc.iij. aceti,vnc.j.s.miſceantur,& mammillis (modo iam dicto) impone.Vbi verò inſpexeris prędicta medicamenta parū admodum conferre,potiſsimùm tranſacto inflammationis initio,ad ea quæ magis digerunt,ac diſcutiunt, progrediendum erit:quapropter hoc medicamento vtitor.Recipe florum chamæmeli , meliloti,fœnigræci,althææ, ſeminis lini, & anethi,ſingulorum manipul.j. ebulliant in iuſtæ quantitatis aqua; deinde adde olei roſacei , & chamæmelini, aut anethini , vtriuſque vncias ij. aceti albi vnc.j. & madefactis in eo ſpongiis , aut linteis lineis , mammis ſæpius imponantur. Ex farina item fabarum , fœnigræci, & ſeminis lini, ac hordei, & pane contrito, in aqua decoctis cum oleo ſeſamino,& anethino, additis duobus vitellis ouorum , & croci,ac myrrhæ ana ſcrupul.j. emplaſtrum formari poterit, ac mammis ſuperimponi. Vel ex radicibus, ac foliis althææ decoctis,ſeminis lini,ac fœnigræci farina , cum oxymelite medicamentum paretur,ac vtitor.Seſamum quoque tritum,butyro admiſto , mo-

Lib.16.ca.37 derateque tepefactum quotidie bis impoſitum commendauit Aëtius. Similiter ſi medullæ panis aqua madefactæ,ac tritæ partes duas aſſumpſeris , & perdicij herbæ tuſæ partem vnam,ac cerati liquidi partem vnam, & dimidiā, ſimúlque permiſceas,& bis in die imponas,auctoritate eiuſdem conducet. Si verò diſcuti inflammatio haudquaquam valeat,prædictis medicamentis,ac reliquis ſimiliter diſcutientibus ſæpiùs adhibitis : pro eiuſdem ſuppuratione auxiliari conuenit, calida, ac humida temperatè medicamenta adhibens, quæ emplaſticam

quoque

quoque vim habeant; hæc nanque maturationi, ac ſuppurationi opitulantur, Galeno teſte 5.de ſimpli.med.facult.cap.8. quo loco vberem eorum materiam reperies. Inflammatione autem in pus tranſmutata, ad eius diſruptionem deueniendum erit, ferro, aut medicamentis acrioribus. Verùm ſi ad duritiem inflammatio vergat, ea, quæ molliendi vim habent, adhibere conuenit; in quem vſum laudauit Aëtius cap.38. lib. 16. ſemen lini, aut fœnigræci, aceto mulſo coctum, & impoſitum: aut ſeſamum illotum modicè toſtum cum melle tritum, & calidum appoſitum: vel ſtercus caninum album terebinthina exceptum ſuperimpoſitum. Cæterùm ſi ex coagulato lacte inflammatio fuerit excitata, eiuſdem circa initia vtendum medicamentis erit, quæ paulò ante, coagulato lacti conferre diximus. Verùm ſi neque eis inflammatio cedat, ad ea, quæ modo commemorauimus, medicamenta progrediendum erit.

Περὶ καρδιακῆς, ἢ καρδιακῆ, καὶ καρδιαλγίας. *Id eſt, de cardiaco morbo, & cardialgia, ſeu cordis dolore.* *Cap. I. X.*

CVM iam tempeſtiuum ſit de ventriculi affectibus pertractare, non ab re fuerit ipſum primò in duas, eáſque maximas, ac præcipuas partes ſecare, quemadmodum mos eſt apud omnes medicos præſertim Galenum libro 5.& 6. de locis affectis, quarum vna, quæ ſuperior eſt, gulæque continua ex multis neruis ſenſificis eſt contexta: altera verò quæ huic continuatur, ad inteſtinorum vſque exortum extenditur. Vtraque autem earum in animalibus proprio fungitur munere, ac pro vtilitatis differentia, cum earum quælibet læditur, diuerſa eis euenire conſueuerunt ſymptomata, quanquam interdum ſimilibus quibuſdam afficiantur affectibus. Cæterùm proprium munus primæ partis (quam os, ſeu ventriculi oſtium nuncupant) eſt ciborum appetentia, quemadmodum reliquæ (quam eiuſdem ventriculi ſpatium, ſeu cauitatem appellare ſolent) eorundem ciborum concoctio. Prioris itaque partis nos primò præter naturam affectus conſcribemus, deinceps autem & alterius, hoc eſt cauitatis eius, quam primam partem Græci diuerſimodè appellare ſolent, nam interdum καρδίαν, hoc eſt cor, propter ſymptomatum vehementiam, quæ inducere videntur ſimilia eis, quæ proueniunt ex eo viſcere, quod ſua natura pulſat, ac in thorace continetur, dum afficitur, & propriè cor appellatur, nominant, veteres præſertim, vt liquet quinto de locis affectis. 1. de cauſis ſymptomatum. 2. de Hippo.& Plato.decretis, & commen.aphoriſ. 17. & 65. quarti libri. Interim verò non καρδίαν ſed στόμαχον: conſueto nomine, non vetuſtis duntaxat Philoſophis, ſeu medicis etiam nominatur, eodemmet Galeno teſte præcitato primo libro de cauſis ſymptomat.& 8.de compoſitione medicamentorum ſecũdum locos. Quanquam στόμαχον propriè eam partem quæ inter fauces, & os ventriculi media eſt, quam etiam veteres Græci vſque ad Ariſtotelis ſeculum οἰσοφάγον nuncupabant, poſt eum appellare conſueuerunt, Latinè autem gula dicitur, vt patet eodem 5.de locis affectis, nonnunquam tamen os ventris ita vocant, vt 13. metho.meden.legitur, non ſolum medici, vt idem Gale.inquit 3.de loc.affect. verùm etiam & homines vniuerſi vulgò ſic nominant, vt eodem 1.de cauſis ſympt. liquet. Celſus verò per ſtomachum quandoque intellexit gulam, interim quoque ventriculi inferiorem partem ſic nominat, vt videre licet apud eundem libro 4. cap. 1. verùm quicquid ſit de huius particulæ nomenclatura, quam nos ventriculi os, ſeu oſtium appellauimus, nonnullis præter naturam affectibus conflictari ea ſolet, vt patet citato lib.5.de loc.affe. innumeráq; & varia ſymptomata hominibus, vbi offenſionem acceperit, inferre conſueuit ex Tralliani ſententia cap.5. libri ſeptimi. At cùm in ipſo quidam oriatur affectus conſentientibus ei quibuſdam alijs partibus, præſertim principibus, corde videlicet, aut cerebro, corde ſiquidem propter exactam, quam habet ſentiendi vim,

5.de loc.affe. cap.6.
6.de loc. affe. cap.1.
5 de loc. affe. cap.6.
1. de cauſis pulſ.cap.7.
2.de Hippoc. decre.cap 8.
1 de cau.ſym. cap.7.
8.de compoſ. medi ſec. loc. cap.5.
5.de loc. affe. cap.5.
13.metho.c.7.
1.de cau. ſym. cap. 7.
5.de loc. affe. cap.1.

ac eius cum corde vicinitatem. cerebro verò propter magnos, quos ſuſcipit
molleis neruos per ſextam coniugationem ab eodem cerebro ortam, ob quam
etiam cauſam os ventriculi ſenſu acutiſsimo præditum eſt, ac deficientis ali-
menti præter cæteras quaſque partes exactiſsimam ſentiendi facultatem ha-
bet, ita vt nullum membrorum, aut ita exactum habeat ſenſum, aut ita vtrun-
que principium vnà ſecum afficiat, ſicut os ventriculi, vt patet 1. de cau. ſympt.
quidam verò ipſi peculiares ſunt, ac ad propriam eius rationem pertinent, vt
cap. 7. eodem libro 1. de cau. ſympt. & 5. de locis affect. ſcriptum eſt. Nos primis dere-
1. de cau. ſym. lictis, ex quibus os ventriculi cum affectum ſit aliarum particularum actioni-
Loco citato. bus nocere conſueuit (vt diximus) eos aggrediemur eiuſdem oris ventriculi
5. de loc. affe. cap. 6. præter naturam affectus, qui eidem proprij ſunt, & peculiares, ab eóque no-
ſtram exordiemur orationem, qui valde moleſtus eſſe videtur, adeò, vt cum
augetur etiam propter eius (vt diximus) exactiſsimum quem habet ſenſum,
cor ad conſenſum trahat, ac eidem noxam tranſmittere videatur, etſi tunc ſto-
machicæ ſyncopæ fieri debeant, & non is affectus, de quo modo mentionem
facimus, qui ab altera eius appellatione nomen ſortitus eſt; vt liquet primo
1. de cau. ſym. de cauſis ſymptomat. cuius affectus adhuc apud Græcos treis diuerſas reperiò
Loco citato. denominationes; nam interdum καρδιαλγία, interdum καρδιωγμὸς, quando-
καρδιαλγία. καρδιωγμὸς. καρδιακὴ. que καρδιακὴ dicitur: pro quo animaduertere dignum eſt, quod hæc tria ne-
dum nomine diſcrepant (vt cuiq; patet) verùm etiam & re ipſa, vt oſtendemus,
Quomodo inter ſe differant. cap. 2. (quamuis quidam aliter ſentiant.) Nam καρδιαλγία nomen aſſumens (vt Ga-
lenus inquit 2. metho. meden.) à parte affecta, & affectu ipſo ex καρδίας inquam
tanquam parte, & ἀλγία tanquam affectu, cordis dolorem ſignificat: verumta-
καρδιαλγία quid ſit. men ne quis decipiatur, cordis cùm dicimus, non illius cordis quod in thora-
cap. 8. ce continetur ſubintelligi volumus, ſed oris ventriculi, quemadmodum paſ-
ſim liquet ex Galeni doctrina, & potiſsimùm in præcitatis locis, nanque huius
cordis, hoc eſt, oris ventriculi affectio eſt καρδιαλγία, vt ab eodem Galeno de-
cretum eſt 2. de Hippoc. & Plato. decretis, & non alterius neque alterum om-
nem oris ventriculi dolorem καρδιαλγίαν, ſeu cordis dolorem appellamus (vt
quibuſdam falsò viſum eſt) ſed illum tantùm (vt ipſe inquit) qui fit, cum acri-
cap. 4. monia humorum proritat, ac ipſum mordet, & proinde 5. de vſu partium καρ-
διαλγίαν eſſe dicebat, mordacitatem oris ventriculi. Accidit verò (vt eodem
cap. 8. 2. de Hippocr. & Plato. decretis patet) affectio hæc nedum ægritudine vexatis,
verùm etiam iis, qui diutiùs paulò ieiunium tolerarint, præſertim cùm ve-
hementi exercitatione fatigati cibum nullum aſſumpſerint, quemadmodum
etiam & morſus hic in mœroribus ſentitur, efficit nanque mœtor veluti ve-
hementior exercitatio, vt flaua bilis in ventriculum confluat, à qua poſtea ir-
καρδιωγμὸς quid ſit. ritati, & morſi homines cordis dolore laborant. καρδιωγμὸς verò ex καρδία, &
ὠγμὸς compoſitum à Galeno com. aphor. 17. quarti libri, ſic deſcribitur: καρ-
διωγμὸς eſt morſus cordis, hoc eſt oris vētriculi, quare ſi hoc modo καρδιωγμὸς
intelligatur, cum καρδιαλγία coincidet: verùm commento aphoriſ. 65. eiuſdem
quarti libri quorundam auctoritate per καρδιωγμὸν non cordis, hoc eſt oris
ventriculi dolorem intelligi aſſerit, ſed motum quendam ipſius viſceris, cor-
dis inquam, palpitationi ſimilem. Qua de re ſic ipſum interpretando ſatis ad-
modum à καρδιαλγίᾳ diſsideret, cùm non ampliùs oris ventriculi, ſed ipſius
cordis propriè affectus eſſet, etenim crebrum eſſe, & velocem cordis motum,
& præcipuè palpitationi ſimilem καρδιωγμὸν aſſerit. At καρδιακὴ Græcè, af-
καρδιακὴ quid ſit. fectus ſeu morbus cardiacus Latinè dictus ex Alexand. ſententia cap. 11. lib. 7.
& Celſi cap. 19. lib. 3. ſtomachi quoque vitium eſt, vt idem Trallianus fatetur,
quod quidē accidit, vbi humores praui erodentes, & virulenti in ore ventriculi
collecti fuerint, aut eò confluxerint. Is autem affectus nihil aliud eſt (vt Celſus
inquit) quàm nimia imbecillitas corporis, quod ſtomacho languente immodico
ſudore digeritur: lib. verò de definitionibus medicis ſcribitur, quòd cardiaca
diſpoſitio eſt innati caloris labefactatio, & languor fit plerunque conflictante

ore ven

ore ventriculi, & ſtomacho cum ſudorum immodica vi. Verùm quod os ventris primum ſit quod in ipſis cardiacis afficiatur, per conſenſum tamen vehementer oblædens cor ipſum, propter vicinitatem ab Aëtio ſcriptum eſt libro nono, cap. primo, non tamen adeò vt ſyncope oriatur.

Quæ pars in eis afficiatur.

Ex his itaque conſtat hos treis affectus quamuis in parte affecta, ac cauſa quodammodo inter ſe communicent, tamen inter ſe ipſos nedum nomine, ſed re ipſa quoque diſſidere. Nam καρδιαλγία perpetuò affectus eſt oris ventriculi, eiúſque infeſtum eſt ſymptoma, & ad ſenſum tactus refertur, à ſuccis mordentibus proueniens, vt patet primo de cauſis ſymptomatum, καρδιωγμὸς verò interim non oris ventriculi, ſed eius viſceris, quod in thorace continetur, affectum quendam apud quoſdam (vt diximus) ſignificat, qua iterum ratione à cardiaco morbo diſtat: qui etiam ipſe perpetuò eſt oris ventriculi affectus, veluti paulò ante demonſtrauimus ex Aëtij, Celſi, & Tralliani ſententia.

Cõcluditur eorum differentia.
cap. 7.

Verùm enimuerò morbus ipſe cardiacus à καρδιαλγίᾳ maximopere diſſidere videtur, nam cum acuta, & æſtuoſa febri euenit (vt Aëtius teſtatur) ac nedum à mordentibus, & erodentibus ſuccis ortum ducit, ſed eis venenoſis, ſeu virulentis exiſtentibus, vt Tralliano viſum eſt. Acciditque in eo nimia (vt dicemus) corporis imbecillitas, quod immodico ſudore digeritur, qui ſudor ſupra conſuetudinem ex toto thorace, facie, ceruice, atque capite etiam prorumpit, glutinoſus: extremis tantummodo partibus ſicciorıbus, atque frigentibus (Aëtio, & Celſo teſtibus) adeò vt propè in ſyncopen incidant taliter affecti. At καρδιαλγία ex acrimonia duntaxat humorum proritante, ac mordente os ventriculi, cum videlicet ſummè biliosi fuerint, & non ex eorum quoque venenoſitate, ſeu virulentia efficitur, ſentiunt quoque hunc ventriculi morſum (quem καρδιαλγίαν appellamus) non tantum ægritudine vexati, verum etiam ij, qui diutiùs paulo ieiunium tolerarint, præſertim ſi aliqua vehementi exercitatione fuerint fatigati, pariter etiam & mœrore confecti (vt Galeno viſum eſt) neque adeò immodico ſudore digeruntur, aut imbecilliores ſunt toto corpore cardialgici, velut cardiaci, fit etiam καρδιαλγία citra febrem, eámque acutam interdum, id quod nequaquam fieri poteſt in cardiaco morbo, vt diximus.

Aduerſus eos qui dictos affectus non diſſidere putant.

Quantũ igitur delirarint, ac à Galeni doctrina, & à veritate receſſerint qui καρδιαλγίαν cum cardiaco affectu confundi putarũt, ex iam dictis luce clarius liquet, ſed toto (vt inquiunt) cœlo à veritate lapſi ſunt, qui eaſdem affectiones non ori ventriculi, ſed cordi tribuerunt, cum perpetuò in vtriſque affectibus ventriculi oſtium afficiatur (vt oſtenſum eſt ex Galeni, Aëtij, & Tralliani ſententia) ſimiliter quoque dicendum & de καρδιωγμῷ iuxta Galeni decreta præcitatis aphoriſ. 17. & 65. quarti libri, quamuis interdum quidam velint (vt diximus) per καρδιωγμὸν cordis affectionem intelligere, de qua non eſt modo ſermo faciendus.

Contra eos, qui cordis eſſe affectus putarunt.

Quod os ventriculi afficiatur, ſigna.
cap. 8.

Quòd verò os ventriculi in eis afficiatur, patere poterit ex nonnullis indicus. Nam in καρδιαλγίᾳ angor quidam, ac dolor cum quodam morſu, ac roſione ſentitur in inferioribus thoracis partibus propriè ſub pectoris chartilagine (vt Gale. inquit eodem 2. lib. de Hipp. & Plat. decretis) quare ex dolore cum poſitu, os ventriculi affectum eſſe coniiciendum. Nec minùs, quinimò magis circa eundem locum dolor cum morſu & eroſione ſentitur in cardiaco morbo cùm vehementiùs ventriculi afficiatur oſtium, adeò vt accedat deſperatio quædam, angor animi, & corporis iactatio (vt Aëtius refert.)

Qui affectum præter naturam ſint.

Quod verò vtrique affectus ſymptomata ſint maioris, minoriſque duntaxat ratione diſſidentia in genere noxę functionum animalium ſenſitiuarũ, ac propriè ſenſus tactus cuiuis patere poterit. Nam in dolorum genere continentur, cùm vtrique affectus dolores ſint cum eroſione, & morſu, licet in cardiaco morbo maior ſit offenſio, nam languor, labefactatio, ac exolutio innati caloris, ac totius corporis ſequitur, adeo vt quidam (Tralliano auctore) qui valde ſenſibile os ventriculi habent, ſtatim intereant, cum immodicam humorum eroſionem ſuſtinere nequeant: præter autem angorem, eroſionem, ac morſum, qui in καρδιαλγίᾳ ſentiuntur in ore ventriculi, conſu

Eorundem ſigna.
Lib. 7. cap. 11.

conſueuit quibuſdam bilis exactæ vomitus euenire, interim verò deſcendit idem humor, & ex aluo ſummè biliosa egeruntur, vt teſtis eſt Galenus eodem
cap. 8. 2. lib. de Hippocra. & Plat. decretis. Quod autem febris non neceſſariò accidat in καρδιαλγία oſtendunt eiuſdem Galeni verba eodem loco dum dixit, neque ægritudine vexatis tantùm, verùm etiam iis, qui diutiùs paulò ieiunium tolerarint, accidit, vt morſus hos ventriculi ſentiant. At in cardiaco morbo præter id quod ipſe cum acuta febre & maximè æſtuoſa euenit (vt Aëtio, & Theodoro Priſciano viſum eſt) pulſus aderit denſus, & obſcurus iis qui eo morbo affliguntur, extremarum partium frigiditas, ſudores circa faciẽ, & ad pectus vſque glutinoſi; inueniéſque odorem corporis eorum terreſtrem nares percellentem, & pulſus circa ipſum cor vehementiores, ac magnos. Accedunt ad hæc deſperatio, angor animi, & corporis iactatio. Licebit autem protinus ſcire morbum cardiacum eſſe, (vt Celſus inquit) vbi venarum exigui, imbecilliique pulſus ſunt. Sudor autem ſupra conſuetudinem, & modo, & tempore ex toto thorace, & ceruicibus, atque etiam capite prorumpit, pedibus tantummodo, & cruribus ſiccioribus atque frigentibus, ex his denique indiciis dignoſces cum καρ-
Cauſæ. διαλγίαν, tum cardiacum morbum. Quæ vitia ambo conſequuntur, nedum calidam oris ventriculi intemperiem, verum etiam & eiuſdem eroſionem, ac morſum, que eroſio ſolutio continui eſt, vt patet quarto de ſimplic. medica.
cap. 1. faculta. Horum autem affectuum cauſa humor eſt acris & mordens quomodocunque in ore ventriculi contineatur, ſeu ad ipſum confluat, quamuis præter acrimoniam, & morſum, virulentus, ſeu venenoſus, ac malæ qualitatis particeps ſit oportet in cardiaco morbo (vt Tralliano viſum eſt) & proinde non mirum ſi ex lumbricis etiam ſurſum ad os ventriculi aſcendentibus, ac eidem roſionem, ac morſum inferentibus (vt idem Alexander inquit) poſſit interdum cardiacus oriri morbus. Verùm vbi humores praui rodentes hunc excitent morbum, ex propriis indiciis redundantiæ talis ſucci, ætate, temperamento, anni tempore, victus ratione præcedente, ac reliquis prompte dignoſces, ſi verò ex lumbricis ad os ventriculi aſcendentibus exoriatur cardiacus morbus, ex propriis lumbricorum indiciis illud percipies, ſimul cum victus ratione præcedente, ac aliis modo dictis, nec aliter percipies vbi ex inflammatione oriatur, quàm ex propriis ſignis inflammationis, ſimiliter ſi καρδιαλγία ex præcedenti ieiunio, cum vehementi aliqua exercitatione, aut ex mœrore immodico fuerit orta, non magno negocio ex ægri, aut aſtantium ſer-
Prognoſtica. monibus id percipies. De καρδιωγμῷ autem; quantum ad prognoſticum ſpectat ſcriptum reliquit Hippocrates aphoriſ. 65. quarti libri. Quòd ſi febrientibus accidat malum eſt. Propterea quòd ventriculi mordetur os, atque ob id malus eſt caſus, vt inquit Galenus in comment. modo cordis morſum ſignificet, qua etiam ratione & καρδιαλγία in febribus iudicanda eſt mala. Si verò ſine febre, aut aliis minimè ægritudine vexatis incidat, non adeò mala erit, neque periculoſa. At cardiacus morbus cum in acuta febri & maximè æſtuoſa fiat, perpetuò periculum minatur, confirmat id eius cauſa, cum à rodentibus, ac venenoſis ſuccis fiat, ſeu ab alicuius viſceris inflammatione, adeo vt quidam os ventriculi valde ſenſile habentes, cum immodicam humorum eroſionem ſuſtinere nequeant, ſtatim ex eo intereant (vt Alexander inquit.) Nec minùs periculoſus erit cardiacus morbus à lumbricis aſcendentibus ad ipſum os ventriculi ortus, nam hæ beſtiæ (vt ipſe refert Alexander) adeò repentinam mortem, & ſyncopas non minùs quàm pernicioſi humores inferunt, vt nonnulli ſtatim cùm à lumbricis roduntur, intereant. Hæc autem paſſio (vt Theodorus Priſcianus ait libro ſecundo ad Timotheum capite 12.) frequentiùs iuuenibus, quàm cæteris ætatibus euenire conſueuit, in augmento ægritudinis, hoc eſt circa diem ſextum, & quàm maximè eo tempore quo æſtas calidior incanduerit. Quantùm verò ad curationem ſpectat, cum prædicti affe-
Curatio. ctus ratione maioris, minoriſque (vt diximus) differant, propterea nos com-

munem

munem eorum tum victus, tum medicamentorum rationem inſtituemus, qua de re aër frigidus eligi debet, ita vt ſolem domus, in qua decumbit æger, non admittat, ſitque minimè alta, ſed depreſsior, nec valde lucida, feneſtris tamen patentibus ſit, vt perflatus quoque aliquis accedat, vt Aëtio, ac Celſo viſum eſt, leuíque veſte, ac molli, & vſu priore detrita contegantur ægri, potiſsimùm in cardiaco morbo, pauimentúmque irroretur, ac ſoliis conſternatur myrti, quercus maximè verò vitis, atque ipſis etiam roſis. Somnus eis competit moderatus, vigiliæ tamen immodicæ vitandæ ſunt, quies præcipienda eſt, ita vt omnis ferè motus quamuis exiguus interdicatur. Aluus vt ſit lenis magnopere confert, quare ſi non natura, arte ſaltem cum glandibus, aut clyſteribus lenibus ſic ſeruanda erit. Immodici animi affectus vitandi ſunt præſertim mœror, quoniam hic ex ſe ipſo cardialgiam excitat, vt priùs ex Galeni mente diximus. Cibus autem eſſe debet ex infirmiſsima materia, & ſtomacho aptus (vt Celſo viſum eſt.) Vt verò Alexander inquit, qui præterquam quod refrigeret, etiam particulam reſolutam poſsit confirmare, non multus quidem, ſed ſæpe tamen nocte, ac die dandus eſt, vt nutriat neque oneret. Qua de re panis ex aqua frigida, aut ex vino albo, & tenui, frigidóque, ac diluto tribuendus eſt, ex Aëtij teſtimonio, interim verò paulatim ipſis offerri debent quæ ægrè concoquuntur, & noxiorum humorum roſioni, ac acrimoniæ reſiſtunt, veluti ſunt ventriculi anſerum, pedes ſuilli, & ex volucribus macræ & non fœtidæ, in piſanæ decoctione eliquatæ aut etiam per ſe, quæ etiam frigida exhibentur, ſi caloris ſenſus circa ſtomachum ſit, & æger inflammatione non vexetur, aliis calida exhibenda ſunt (vt idem Aëtius inquit.) Atqui probè refrigerant, corroborántque tum mali punici grana comeſta, tum ſuccus eorum, ad hæc mala non admodum dulcia, ſed mediocriter adſtringentia, pira perſica, & vuæ, quæ auſterum frigidúmque ſuccum obtinent. Conueniunt inſuper lactucæ cum aceto, pulli gallinacei, perdices, phaſiani, turdi, merulæ, ac reliquæ aues montanæ cum omphacio, vel mali medici, ſeu limoncelij acido conditi. Hippoc. verò lib. 2. de morbis vulgaribus mulieri cui os ventriculi dolebat, & nihil remittebat dolor, polentæ pollinem in mali punici ſucco inſperſum ſemel in die in cibo tribuens ipſam curauit, & non reuomebat, vt ipſe inquit. Potus ſit aqua hordei, aut ſeminum coriandrorum præparatorum decoctum, ſeu aqua, in qua exigua cinnamomi quantitas fuerit decocta, & niſi neceſſe ſit, ad vinum feſtinare non oportet, vt inquit Celſus. Si autem verendum ſit ne deficiat æger, vinum tenue, album, dilutum tribuendum eſt, frigidum vbi æger inflammatione non vexetur, & immodici caloris ſenſus circa ſtomachum ſit, aliis verò calidus potus tribuendus erit. Quod ſi ſtomachus reſolutus parum continet, & ante cibum, & poſt eum, ſponte vomere oportet, rurſúſque poſt vomitum cibum ſumat, Celſo auctore. Si verò (vt inquit Aëtius) nulla ſtercora inteſtino recto ſubſideant, neque aliàs etiam excrementorum multitudo inſit inteſtinis, ægri autem cibum non ſentiant, & tabeſcant, ptiſanæ ſuccum, aut alicæ, per clyſterem infundere oportet tepefactum, conquaſſato cum eo ouo crudo. Vltra hoc enim quod ea quæ ſtomachum infernè moleſtia afficiunt, euocat, & educit, etiam alimentum optimè corpori ſufficit, ex languore ob non acceptum cibum viſcere affecto, ſiquidem id quoque (vt Celſus inquit) vires tuetur, hoc item potu vtantur, qui reliquos cibos continere non valent. Excipiantur micæ panis mediocriter torrefactæ, macerentur in vino auſtero, tenui, & albo, & demum fortiter exprimantur, & ex eodem vino ſingulis tribus, vel quatuor horis exhibeantur vnc. iij. vel iiij. donec pulſus robuſtior fiat, ſitque vinum frigidum, vbi immodicus fuerit circa ſtomachum caloris ſenſus, & inflammatio non adſit. Aliis verò tribuatur dilutum & calidum, ídque potiſsimùm cardiacis, confeſtim verò circa initia proritandus vomitus erit, leuioribus quibuſdam vt egelida aqua cum pauco aceto, acetoſo ſyrupo, aut oxyſaccharo, præſertim iis, qui natura ad vomitum proni ſunt. Quod ſi mordaces

Victus ratio.

Alex. lib. 7. cap. 11.

Sectio. 2. in principio.

ſucci

ſucci in ventriculi ore contenti vomitu excerni nequeāt, per inferiorem aluum protinus purgandi ſunt eo medicamento, qoud cum hoc quòd vim habeat prędictos expurgandi ſuccos, etiam ventriculum ipſum roboret, nec admodum calidum ſit. *Purgatio.* Qua de re tamarindorũ excipiens vnc.j. factóq; ex eis decocto in fontana aqua, in ipſo diſſoluens mellis aërij vnc.iij. rhab. infuſ. in vnc. ij. ſucci roſarũ drac.j. vel ſcrup.iiij. ſpicæ grana iij. vel iiij. pro potu tribuas, vel loco mellis aërij tantundẽ ſyrup. ex pluribus infuſ. roſ. rubearũ, vel vnc.iiij. permiſceas, poſt hęc ea quæ os vẽtriculi roborare valent intus, & extra adhibenda ſunt, intus ſiquidem ſyr. ex oxyſaccharo, ex infuſione, vel ſucco roſarum, aut ex malis punicis, ſeu de pomis, vel de acido mali medici: extra verò auxiliantur (vt inquit Aëtius) folia *Topica.* rubi cum pane, aut myrti folia, ipſæque myrti baccæ, aut pampini vitis, aut plantago cum pane, aut mala cotonea, & palmæ ſtomacho, ac ſiniſtræ mammæ impoſitæ, vt ipſe inquit. At imbecillioribus ſufficiat polentam cum palmis imponere: aut palmas in vino madefactas excipe, & adiectis aloë, & maſtiche ſimul tere, deinde affuſa cera & oleo roſaceo, ſeu melino ſimul miſce, & vtere eodem modo. Quod ſi ex palmis, œnathe, acacia, roſis, alumine, hypociſtide, & rhoë cataplaſma conficias, atque imponas, vt ſiniſtram mammam, & ventrem ipſum complectatur, ſudores reprimit (vt idem inquit Aëtius) ſtomachúmque & cor ipſum firmitatis auctorem placat, & cohibet. Exſudantibus verò partibus, ſudorem prohibere oportet, id autem præſtat oleum acerbum, vel roſaceum (vt inquit Celſus) vel melinum, aut myrteum, quorum aliquo corpus leuiter perungendum eſt, vel myrtus trita ſicca inſpergatur (ex Aëtij decreto) vel œnanthe, aut hordeum in primis quidem collo, & thoraci, & locis ſub alis, ac inguinibus ea ſunt adhibenda. Eodem modo auxiliatur malicorium cum manna inſperſum, aut galla per ſe. Illinuntur etiam ad coërcendos ſudores (vt idem auctor inquit) oleum myrteum, œnanthinum, roſaceum, melinum, & lentiſcinum: circumlita etiam ſudores cohibenr manna, & amylum candido oui excepta. Extremæ verò corporis partes refrigeratæ concalefaciendæ ſunt cum multa frictione ipſarum partium, linteiſque calidis adhibitis, aut aliis calefacientibus. Quòd ſi ex viſceribus quoddam inflammatum ſit, & propterea cardialgia, aut cardiacus morbus fiat, eadem inflammatio curanda erit. Si ex aſcendentibus lumbricis, ea medicamenta tribuenda erunt, quæ ipſos tum interficere, tum etiam è corpore expellere valeant, expelles autem; ſi priùs enecaueris, necabis autem amaris medicamentis, vt Galenus inquit *cap. 19.* 14. meth. med. & nos infra docebimus. Si verò cardialgia iis, qui diutiùs paulò ieiunium tolerarunt, accidat, iis conſulendum eſt, vt non tardè, ſed citiùs cibum capiant, viténtque ieiunium. Similiter ſi ex mœrore flaua bilis in ventriculum confluat, aut ex vehementiori exercitatione, vitandi & mœror, & vehe- *Odoramenta.* mentior exercitatio erunt. Cunctis verò varia odoramenta offerri debẽt, præſertim roſæ, & vinum (vt Celſo viſum eſt) aut aquæ roſaceæ, & myrtillorum excipe vnc.iij. vini odoriferi vnc.ij. ſantalorum drac.ij. & fiat odoramentum.

Περὶ κυνώδους ὀρέξεως. Id eſt, De canina appetentia.
Caput LXI.

QVEMADMODVM ſtirpibus, vtpote terrę affixis terram, ſic quoque hominibus, cæteriſque animantibus natura pro nutrimenti veluti penu, ventrem fabricauit, vt liquet apud Hippoc. *Lib. de humoribus in medio.* libro de humoribus, & apud Galenum lib. 1. de cauſis ſympto. Tribuit autem animalibus ipſis & penuriæ ſenſum, quo ſcilicet *1. de cau. ſym. cap. 7.* ad cibum, potionémque proritata tempore expleantur, vocatúrque huiuſmodi implendi deſiderium appetentia, quæ ex penuriæ quidem ſenſu fit, cùm ſecundum naturam exiſtit, quando ſcilicet venæ ex ipſo ventriculo veluti emulgentes, ſugentéſque aliquid trahunt, non ferens autem eum ſuctum ventriculus,

culus, ſed veluti diuulſus offenſæ eius medelam cibum comparat. Verùm ſuctus quidem ipſius ſenſus, fames eſt: atqui ſuctionem naturalis omnium partium appetentia præcedit, tamen ea naturale quidem opus eſt, non animale, vt quæ modo dicta eſt. Talem autem appetentiam vacuatio præcedit. Qua de re neceſſum eſt ex Galeni decreto præcitato loco, ad hoc, vt ſecundum naturam excitetur hæc animalis appetentia, quatuor ordine quodam ſympromata ſeſe deinceps ſequentia præcedant. Primùm nanque omnium totius corporis inanitio, ſeu vacuatio eſt, ſecundum naturalis euacuatarum partium appetentia, tertium ventriculi ſuctus, quartum ipſius ſuctus ſenſus. Quintum verò iam dicta ventriculi animalis appetentia. Verùm cùm præter naturam ſit appetentia hæc animalis, vitioſaque redditur, propterea quod in quantitate modum excedit, à quibuſdam (vt Galenus teſtatur tum præcitato primo de cauſis ſymptomatum, tum commento aphoriſ. 21. ſecundi libri.) κυνώδης ὄρεξις Græcè, dicitur Latinè canina appetentia, non ab re ſic nuncupata, quoniam in hac affectione ægri vomunt pituitam, & cibum cùm aſſumunt, retinere nequeũt, ac poſt vomitum ſtatim alium appetunt, quemadmodum canes (vt Alexandro viſum eſt cap. 5. libri ſeptimi.) In his enim qui canina vocata appetentia vexantur (vt inquit Galenus 6. de locis, cap. 2.) videmus quod affatim impleti paulò poſt aut euomunt, aut fluore deiiciunt. Nam non potens ipſe ventriculus deuoratorũ pondus ſuſtinere, multa impetuosè ingerere, atque ea celeriter excernere cogitur. Id quod etiam & animalibus quibuſdam integra valetudine degentibus accidere ſolet (vt ipſe inquit) in quibuſdam ſcilicet auiculis, quas ſeleucidas in Aſia vocant, quippe quæ iugiter locuſtas edunt, eáſque celeriter excernunt. Eſtque (vt eidem Galeno placuit præcitato commento aphoriſ. 21. libri ſecundi.) vehemens & inſedabilis ciborum appetentia: quam non neceſſe eſt, vt quatuor iam dicta ſymptomata naturalia ordine præcedant, vt dicemus: ſed affectio quædam præter naturam eſt ipſius oris ventriculi, vt liquet tum 1. de cauſis ſymptoma. cap. 7. tum etiam 5. de locis affectis, cap. 6. Nam eius proprium munus eſt ipſa animalis appetentia, cuius gratia ad ipſum par neruorum, haud mediocre à cerebro, ex ſexta ſcilicet eius coniugatione defertur, & diſſeminatur, & ob eam cauſam pars hæc ventriculi ſenſu acutiſsimo prædita eſt, vt liquet tum quarto, tum nono de vſu partium, & licet hoc neruorum par in alias etiam ventriculi partes vſque ad fundum ipſius protendatur, tamen quia maxima ſui parte os ventriculi contexit, minor verò in alias partes vſque ad fundum diſſeminatur, propterea non toti ventriculo ſenſus alimenti deficientis, ad quem ſequitur animalis appetentia, (quamuis prædictis neruis participet) donata eſt facultas hæc, ſed ipſi ori duntaxat, vtpote quod exactioris, ac acutioris ſenſus exiſtit, cùm maiorem prædictorum neruorum participet portionem. Pari ratione nec læſio prædictæ appetentiæ animalis quomodocunque fuerit, toti ventriculo tribuenda erit, ſed potiſsimùm eius primæ parti, quæ eſt circa os, nam quamuis ſimilibus diſpoſitionibus, quales ſunt illæ, quæ in ore ventriculi fiunt, interdum afficiatur ventriculi ſpacium, atque ſimilia quoque ei adueniant ſymptomata, quoniam longè maiorem inferunt violentiam ea, quæ in ipſius ore contingunt (vt Galenus teſtatur quinto de locis affectis, cap. ſexto.) Idcirco medici ea quæ in parte ventriculi inferiori eueniunt, perinde, ac ſi omnino non fiant, & deſpicere, & contemnere ſolent. Non ab re itaque in ipſa canina appetentia inſtrumentum appetentiæ læſum eſſe, hoc eſt os ventriculi cum Galeno quinto de locis affectis, cap. ſexto decernimus: & quamuis exigua quædam non magnopere modum excedens reliquis ventriculi partibus affectus gigni poſsit, eam tamen perinde, ac ſi omnino non fieret, deſpicimus, ac contemnimus. Neque alio indicio indigemus pro notitia iam dictæ partis affectæ, oris inquam ventriculi, cùm ex eius propriæ facultatis oblæſione iam pateat. Ipſa verò affectio ſymptoma eſt in genere noxæ functionum animalium, atque ipſius ſenſus tactus, nanque offenſus ventriculus ipſe, & veluti diuulſus ab aliqua cauſa præterna-

Quatuor accidentia ordine quodam ſeſe conſequentia, quæ uẽtriculi appetentiam præcedũt, cùm ſecundum naturã appetit.

Loco citato.

Canina appetentia cur nũcupetur.

Quid ſit.

Quæ pars in ea afficiatur.

4. de uſu par. cap 7
9. de uſu part. cap. 11

Quis affectus præter naturam ſit.

turali,non ferens talem diuulſionem,quę per immodicam ſuctionem fit, ad iam dictam excitatur vitioſam appetentiam in quantitate modum excedentem, & propterea vitioſa dicitur,& ipſa functio deprauata eſt, non diminuta, nec abla-
Signa. ta.In hac affectione ęgri plures cibos appetunt,& cum appetitum cohibere nequeant (vt inquit Aëtius cap.21.lib.9.) in ingerendis nimiis cibis modum excedunt, deinde multitudine eorum aggrauati, & abſumptos citra nocumentum ferre non potentes ad vomitum diuertunt, deinde rurſus cibo ſe explentes ite-
Cauſæ. rum ad vomitum reuertuntur,quemadmodum canes.Hoc autem immodicum implendi deſiderium naturalis affectus ſimilitudine ex morſu oris ventriculi conſimili exiſtente ſuctu naturaliter effecto, perpetuò generationem habet, & propterea ex tactorio genere ſymptoma eſt, veluti quodlibet aliud, quod circa os ventris contingit, vt liquet primo, de cauſis ſymptomatum, cap. 7. Verùm hic morſus non ex vnica duntaxat cauſa proritatur; nam quandoque propter ſolam intemperaturam oris ventriculi frigidiorem exiſtentem fit, interim verò propter humores acidos vitioſos,ac frigidos,quos exorbuit os ventriculi,vt
Cauſarũ cognitio. patet apud Galenum commento præcitati aphoriſ.21.ſecundi libri. At ſi ex frigida intemperie fiat,egeſtiones multæ ex ipſorum ventribus procedent, crudis exiſtentibus nimirum cibis,aut ſemicoctis. Si verò adfuerint acidi quoque ſucci,aderũt ſimul cum his acidi quoque ructus,nec mirum ſi frigida intemperies, frigidíque vitioſi ſucci in ore ventriculi redundantes propter frigus,alimenti,& non potus deſiderium excitent.Nam frigiditas tunicas ipſius ventriculi cùm vacuat,tum etiam cogendo,ac conſtringendo ad maiorem appetentiam irritat, vt Galenus inquit primo de cauſis ſympto.cap.7.Qua ratione fit,vt non parum ad eſuriem frigiditas eorum quæ in ventre habentur,conferat, etſi libro primo de cauſis ſympto. cap.7.frigidæ duntaxat intemperiei non meminerit; velut commento aphoriſ.21.2.libri.voluit tamen eam contineri ſub frigidis ſuccis,namque ipſi non alio modo,quàm propter frigus caninam excitant appetentiam,vt ipſe inquit,poterit inſuper & morſus hic ſimilis ſuctui ex immodica totius corporis digeſtione,ac vacuatione cum inops reddatur,alimenti originem trahere,ita vt altera ſit ex Galeni ſententia cauſa caninæ appetentiæ, verùm hæc immodica vacuatio duplicem habere poterit cauſam, quia aut ex caloris robore, vel ex retentricis facultatis imbecillitate fieri poteſt,vt ipſe inquit eodem libro primo de cauſis ſymptoma.cap.7.Interſtinguas autem ſi à caloris robore fiat euacua-
Alexan.lib. 7 cap. 5 tio,& per conſequens canina appetentia,quoniam (vt inquit Alexander) neque ſiti carent ægri,neque acidum humorem vomũt, veluti ſupradicti, nam immoderata caliditas tale quid accidere non permittit,vt quæ omnia facilè in vaporem diſſoluat,& lateuti perſpiratu extenuet,atque digerat, vnde etiam pus his magis adſtricta eſt, quàm citata, imò ventris egeſtiones longè pauciores procedunt, quàm pro eorum quæ ingeruntur, modo, ac proportione, & ſtercora
Loco citato. quæ egeruntur ægri,exiſtunt ſicciora (auctore Aëtio cap.22.præcitati libri) verùm iis qui ob retentricis in vniuerſo corpore facultatis infirmitatem laborant (vt idem inquit Alexander) cibi minime cocti, & ſubinde alterationem non experti excernuntur: quare etiam tales continuus illorum corruptionibus laborant. Breuibus autem verbis ſic has duas cauſas interſtinguere docebat Galenus primo de cauſis ſymptomatum,cap.ſeptimo, quoniam in hac plurima ſumptorum incidit deiectio,alia verò ceu conflata ex totius habitus vacuatione alimentum in corpus deduci:quapropter longè pauciores aderunt ventris egeſtiones:Hippocrat. verò,& Galenus in præcitato aphoriſmo 21. ſecundi libri hanc cauſam, ſcilicet totius corporis vacuationem, non tetigerunt. Nam de ea duntaxat mentionem fecerunt, quæ vini potione curatur, à qua inſuper cauſa potiſsimùm affectus hic conſtituitur, vt Paulo viſum eſt cap.51.libro ſecundo, ex hoc autem affectu aliquando & ad vomendi conſuetudinem delabuntur, (vt
Aëtius lib. 9. cap. 21 inquit Aëtius) ſæpe etiam & aliis affectionibus obnoxij fiunt, cœliacis videli-
Prognoſtica. cet, & dyſentericis,atque aquæ intercutem. Propterea quod priuſquam prio-

res cibi

res cibi ſint concocti alios ingerant. Quidam etiam volunt quod vbi diu perdurauerit canina appetentia, quandoque permutatur in βούλιμον, interim in ſoporem, & interdum ad mortem. Ea verò canina appetentia, quæ ex immodica diſsipatione ortum ducit, ſi priuſquam ad ſummum peruenerit, eam cognoueris (vt Galenus teſtatur ſexto, de locis affectis cap. 2.) non difficulter curabitur. Nam vbi quis duplum conſuetorum alimentorum aſſumpſerit, neque corpus ali videatur, idque citra alui fluorem, hunc affectum non ſolùm priuati, verùm & medici paruipēdunt. Cùm verò triplum ingerit idoneis auxiliis liberari poteſt, priuſquam ſcilicet ad quadruplum, vel ad quintuplum perueniat. Qua de re non omnino paruifacienda erit affectio hæc, ſed mox pro eius curatione ſi ex frigida intemperie, aut frigidis ſuccis excitetur, aër eligatur ad calidum, & ſiccum inclinans. Vitandæ ſunt vigiliæ immodicæ, ac ſomnus omni conatu, alliciendus erit. Exercitium moderatum confert, priùs tamen alui excrementa natura, vel arte ducantur. Inter animi affectus vitandi potiſsimùm ſunt timor, & mœſtitia. Quod verò ad cibum, & potum attinet, inquit Galenus præcitato aphoriſmo 21. ſecundi libri, quòd qui famem caninam patiuntur, iis vini potus, non cibi multitudo remedium eſt, & ſubdit, equidem multos ipſe ſanaui, qui indeſinenter fameſcebant, vinum ipſis abundanter exhibens, ex eorum genere quæ multum calefaciunt, quæ colorem flauum habent, vel rubeum abſque adſtrictione; ſiquidem oportet cùm ad prandium accedunt, primum illis afferre pinguia edulia, atque (vt ita dixerim) oleagina, & quæcunque alia ex multo parantur oleo. Poſtea verò vnum aliquod ex vinis quæ diximus etiam ſi nōdum ſitiant, ad potandum dare oportet, ſtatim enim ſedatur ipſis fames, & talem longo tempore victum exhibendo, ceſſat omnino. hæc Galen. Alexand. verò ferè eadem aſſerens dixit vtendum eſſe calidioribus, præſertim vino mero, cibis pinguibus, & omnibus oleoſis, ac carnibus ſuillis, hæc enim comeſta (vt ipſe inquit) priùs exſaturant ipſos, & immodicam eorum appetentiam obtundunt, vt in poſterum copioſiorem cibum nolint aſſumere. Potum etiam (vt inquit Aëtius) præbebimus ante cibum, multum, ac aceruatim bibendum calidum ſanè, aut certè tepidiorem. Item ſorbitiones appetitum deſtruentes exhibendæ erunt, veluti ſunt pultes cum melle multo, & oleo plurimo, aut adipe anſerino, gallinaceo, aut ſuillo. cerebella item, & pinguiores volucrum partes, ac piſcium, eodem modo, & ex oleribus, malua, conueniunt & omnino quæ appetitum auertunt, ac ſatietatem inducunt, & magno cumulo accepta modicè alunt. Admiſcere etiam conuenit panibus (dum fermentantur) acriora, & vrinam cientia: ſimiliter & vino quòd in potu ſumunt, vt idem inquit Aëtius, veluti eſt cuminum, aniſum, petroſelinum, & quæ eius generis exiſtunt. Ad vinum etiam, & piper, & mel, & ſpica nardi vltra ea, quæ dicta ſunt, adiiciantur. Abſtinere verò oportet ab omnibus acidis, ac adſtringentibus cibis, & potibus, maximè verò à fructibus. Eorum autem bellaria ſint piſtachia, amygdalæ, nuces pineæ, colymbades etiam oliuæ ex melle exhibendæ ſunt, etſi neque his cedat affectio, ea quæ diſſecare, ac repurgare, calefacereque poſſunt in cibis quoque annectemus, veluti ſunt allia, porrum, thymus, ſatureia, origanum, pulegium, & quæ his ſimilia exiſtunt, pariter & oxymel ſimplex, aut ſcillinum, aut ipſummet roſaceum mel cum aliquo ex iam dictis decocto præbebimus, & vbi cognouerimus quòd humores pituitoſi, & acidi in ipſo ventris ore fuerint impacti, ac veluti aqua in ſpongiam imbibiti, eos quoque purgabimus ex hiera. Nanque hæc non tantum calefacere poteſt, vt inquit Aëtius, ſed diſſecare, ac repurgare, extrahere ex profundo oris ventris imbibitum humorem, & per aluum infernè euacuare: quin & robur ventri addit, vt ne facilè nociuum humorem ſuſcipiat. Poteris autem drach. ij. exhibere ex vino cum aqua calida, diluto, vel drac. j. & s. eiuſdem excipiens & ſcrupul. ij. trochiſcati agarici. Addens, catapotia formato, ac præbeto nedum ſemel, ſed bis, & ter, vbi opus fuerit. Si verò ex immodica totius corporis diſsipatione canina appetentia excitetur, abſtinendum

Curatio.

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

Si fiat ex immodica corporis diſsipatione, curatio.

erit à continenti calido,ac vini potu,& ab omnibus,.quæ tum extrinſecus, tum intrinſecus calefacere poſſunt,Aëtio teſte,Qua de re aër frigidus eligatur,quies iniungatur, ſomnúſque mediocris, omninóque immodicæ vigiliæ vitentur. Et ſi ex immodico calore diſsipatio fiat, clyſteriis vtendum eſt lenibus, cauéántque ægri ab immodicis animi affectibus,præſertim ira.Cibi eis exhibendi ſunt ſtabiles, & ægrè corruptibiles. Vinum (vt diximus) omnino ipſis dandum non eſt, ſed aquæ potu vtantur,vel ſeminum coriandrorum præparatorum decocto. Cutem autem ipſorum condenſare, ac ſpiſsiorem reddere oportet cum oleo quopiam adſtringenti,vtpote omphacino,myrteo, áut roſaceo, interim eis admixto alumine ſciſſo in aceto acerrimo priùs trito. Conferunt item & lauacra frigida,ſi nihil id fieri prohibeat. A balneis verò calidis abſtineant,illinire quoque conuenit eorum cutem ex infraſcripto vnguento, Quod R. ſucci plantaginis,& ſemperuiui ana vnc.s.ſantalorum rubeorum, ſanguinis draconis, & boli armeniæ,ſingul.drach.iij.olei myrtini, cytoniorum, & roſacei omphacini ana vnc.j.farinę hordei drach.iij.ouorum albuminis vnc.s.aceti parũ,& cerę quantum ſufficiens ſit,fiat vnguentum.

Περὶ κίττης, ἢ μαλακίας. *Id eſt de citta, ſiue pica.*

CAPVT LXII.

ACcidit nonnunquam nedum mulieribus vtero gerẽtibus,verùm etiam & viris deprauata quædam appetentia, non quidem in quantitate modum excedens,ſed in qualitate: prauas etenim qualitates appetunt (Galeno auctore libro primo de Cauſis ſympto.cap.7. & Aëtio lib.9. cap. 23.) quæ affectio à Græcis *κίττα* & *μαλακία* dicitur,à Latinis pica,quæ ſecũdum quoſdam à pica auicula nomen accepit, ſecundum alios ab hederæ ſimilitudine,quæ *κιττὸς* Græcis vocatur,nam ſicuti illa varijs plantis (prout occurrũt) ſe implicare ſolet,ita mulieres ex pica laborantes varia edulia appetunt, atque ea contraria,quę tum voluptatem,tum inſuauitatem guſtanti exhibent (eodẽ Aëtio teſte cap.10.lib.16.) Eſt autem affectio *hæc* (vt idem auctor aſſerit) ſtomachi languor cum nauſea,& auerſione ciborum, bilis, ac pituitæ vomitum inducens,vel vt teſtatur cap.23.libro 9.Concupiſcentia quædam eſt vitioſarum qualitatum ciborum.Nam acida,& acerba interdum,nonnunquam acria quoque, interim verò vel cimoliam terrã,vel teſtas,vel extinctos carbones,aut alios huiuſmodi cibos abſurdos appetunt,vt Galen.inquit eodem primo de cauſis ſymptoma.cap.7. Quod verò in hac affectione ventriculi oſtium conflictetur ab eodem Galeno liquet præcitato loco,& 5.de locis affectis cap.6.patet, inſúper & eius propria functionis offenſa, quæ appetentia eſt. Quod autem ſymptoma ſit,ac noxa eiuſdem appetentiæ,quæ deprauata eſt,in qualitate tamen, & non in quantitate,velut canina appetentia excedens,liquet ex eodem Galeno,præcitato lib.1.de cauſis ſympto.cap.7.Aberrat enim facultas hæc appetendi,cùm non cibos,quinimo prauas appetat qualitates,vtpote (vt diximus) acida, acerba, acria, cimoliã terram; vel teſtas,ſeu extinctos carbones, aut alios huiuſmodi abſurdos cibos.Apparent etiam taliter affectis aſsiduę expuitiones,oris vẽtris morſus,ac anxietates.Inſequitur autem prauam eiuſdem oris ventriculi intemperiẽ, cum eius tunicæ prauo aliquo excremento fuerint imbutæ, quo fit,vt mulierculis vitioſo humore repletis euenire ſoleat affectio hæc,maximè cùm vterum ferunt. Pro varietate autem vitioſi humoris prædicta varia, ac peregrina edulia appetunt,& propterea alio ſigno non indigent pro eorum dignotione,quanquam etiam & per vomitum iidem manifeſtari conſueuerint. Aſſolet affectio hæc (Aëtio auctore) vtero gerentibus fieri ferè circa quadrageſimum diem à conceptu,& ſæpe vſque ad quartum menſem durat.At Galenus complures,ait, vtero gerentes huiuſmodi vitio laborant vſque ad ſecundum,ac tertium menſem,

Pica unde dicta ſit.

Quid ea ſit.

Quæ pars in ea afficiatur.

Quis affectus præter naturam ſit pica.

Picæ ſigna.

Cauſæ.

Prognoſtica.

ſem,in quarto verò quieſcunt,partim quòd vomitione vitiati humore expurgantur,partim quòd concoquuntur,vtpote exiguum cibi tum ſumente muliere ob faſtidium, partim etiam quòd multitudo vacuatione ſit diminuta, quippe primis duobus menſibus fœtus paucum ad ſe ſanguinem attrahit, eò quòd parum adhuc auctus ſit. Vbi verò iam creuit, tunc plurimo indiget alimento, atque tunc non id,quod optimum eſt è venis allicit, verùm etiam quia maiorem alimenti copiam requirit,aliquid vitioſi ſimul attrahit, & ita fit, vt vniuerſum corpus plenum eſſe deſinat,& minori humorum vitio crucietur. Idem quoque affectus nonnunquam & viris ipſis accidit, cum humor quiſpiam vitiatus, ad os ventris fuerit delapſus,vt diximus, qui neque deſpiciendus eſt. Pro curatione autem affectionis huius victus ratio prius inſtituenda erit diuerſa pro varietate vitioſi,& praui redundantis humoris. *Curatio. Victus ratio.* Verùm cunctis commune eſt,vt cibis vtantur moderatis,qui neque facile corrumpantur. Quapropter panis ſucco cotoneorum, aut malorum punicorum maceratus confert, ſimiliter cichorium. Ex auibus deligendæ ſunt,quæ neque pingues, neque viroſæ ſint. Conueniunt item pedes,ac roſtra,& ventriculi porcorum, & erinacei marini recentes. Sint tamen omnia (vt diximus) quantitate moderata, & ſi cibos auerſentur, obſoniorum varietate,ac iucunditate illectentur. Abſtineant tamen à dulcibus obſoniis, verùm iis, qui terram appetunt nihil ita prodeſt veluti amylum recens. Cunctis verò confert ante cibum oliuas albas,muria conditas,cum pane molli exhibere,aut quinque,vel ſeptem amygdalas amaras. Poſt cibum autem vuæ paſſæ,mala punica, ac pyra exhibeantur. Sit etiam potus moderatus,ne alimenta ventriculo innatent, ac vinum fuluum,odoratum,antiquum, & ſubadſtringẽs bibant. Quòd ſi vinum auerſentur, aquam ex cinnamomi decocto potabunt. Si verò ſtomachus ab acri, acidóve, aut ſalſo humore mordetur, ad excitandum vomitum,tepidam aquam bibere poterunt, vt humor affligens reuomatur. *Medicamentorum ratio.* Nec quicquam erit incommodi, ſi difficilior fiat vomitus,addere parum aceti, aut acetoſi ſyrupi, & ſi craſsius fuerit quod euomunt, & ob viſcoſitatem difficulter excernatur, raphani etiam decoctum cum aceto mulſo exhibebimus. *Vomitus.* Nam omni ſtudio conandum eſt, vt infeſtus humor citra moleſtiam per vomitum educatur, præſertim ipſis vtero gerentibus,quibus in hoc caſu purgans medicamentum exhibendum non eſt,vtpote cùm affectus hic in primis menſibus oriatur. In quibus omnino vitauit Hippocrates aphoriſ. primo quarti libri,purgantia medicamenta exhibere,ea præſertim,quæ huic affectioni commoda eſſent. *Purgans medicamentum.* Verùm viris ipſis ſi accidat hæc affectio, & per vomitum ſedari nequeat, purgans medicamentum exhibebis, priùs tamen quibuſdam ſyrupis adhibitis pro ratione redundantiæ praui ſucci, veluti eſt ſyrupus ex oxyſaccharo acetoſus,oxymel ſimplex,atque ipſum ſcillinum, ſi opus fuerit. Sit autem purgans medicamentum ex picra Galeni compoſitum, atque ipſo rhabarbaro, ſeu agarico,prout redundans prauus ſuccus requirit. Euacuato autem plurimo vitioſo humore exhibendus eſt eis, (vt inquit Aëtius præcitato cap. 23. libro nono.) mali punici dulcis ſuccus, mentha ſicca inſperſa, item portulacæ cremor, & ipſa quoque in cibo ſumpta confert, polygoni decoctum potum, ſimiliter etiam anethi,& rhapontici,ac ſpicę nardi cremor,item intybi ſuccus,vel ipſa herba cruda,aut cocta aſsiduè comeſta: forinſecus autem adhibita languido ſtomacho conferunt (vt idem Aëtius aſſerit,cap. decimo, libro 16.) œnanthe, balauſtium,roſæ,cytini,myrtus,ſmyrnij coma,fœniculi ſemen cum vino cataplaſmatis modo adhibita,addita etiam galla,aut cumino, aut abſynthio, palmularum item carnes vino coctas,aut maceratas,tritas pro emplaſtro imponere prodeſt, *Topica.* aut mala cotonea cum poſca trita, roſaceo, vel nardino cerato excepta, addito croco,aut lanã ſuccidam,vel linteolum vino,& oleo,aut aceto & oleo, vel roſaceo & aceto,aut nardino & vino imbuito,& ſtomacho adhibeto, morſus enim enim (vt ipſe inquit) & ſtomachi puncturas mitigant.

Περὶ βυλίμου. *Id eſt de bulimo, ſeu ingenti eſuritione.*

CAPVT LXIII.

βύλιμος quid.

CVM ventriculi oſtium indigentia, ſimul ac refrigeratione, & imbecillitate virium laborauerit, ſymptoma quoddam in eo excitatur, quod à Græcis βύλιμος, à Latinis autem ingens fames, ſeu vehemens eſuritio dicitur, Galeno auctore, libro primo de cauſis ſymptoma. cap. 7. βοῦ etenim dictio græca aliis adiecta vocibus vim habet augendi ſignificationes earũ. Quæ affectio ab eodem Galeno commento aphoriſ. 21. libri 2. ſic deſcribitur, quòd eſt labefactatio facultatis à frigore externo, quæ à fame quidem inchoauit, ſed non habet eam amplius adiunctam.

Quæ pars in ea afficiatur.

Quòd verò in hac affectione os ventriculi affectum ſit, liquet eodem libro primo de cauſis ſympto. cap. 7. Nam ipſe Galenus eam connumerat inter affectiones, quę ori ventriculi contingunt, cùm dixit, quod βύλιμος eſt ſymptoma ex indigentia ſimul imbecillitatéque, & refrigeratione huius loci, hoc eſt oris ventris ortum.

Quis affectus præter naturam ſit.

Patet inſuper quod hæc affectio ſympto. ſit in genere noxiæ functionum propriæ ipſius appetentiæ deprauatæ. Verùm quamuis in hoc communicet cum canina appetentia, differt tamen ab ea, quoniam licet à fame quidem & ea ingenti βύλιμος inchoet, velut & appetẽtia canina, propter virtutis tamen concidentiam, quoniam in animi deliquium ſtatim incidunt qui βυλίμῳ laborant, immò ipſe βύλιμος (vt idem Galenus inquit lib. 1. de arte curat. ad Glauconem) nihil aliud eſt, quàm animi defectus, propterea eam famem non habet amplius adiunctam βύλιμος, veluti canina appetentia.

Quibus differat à canina appetentia, βύλιμος.

Præterea (vt ipſemet Galenus inquit eodem commen. aphoriſ. 21. 2. libri. c. 14.) vniuerſalior eſt canina appetentia, ipſe verò βύλιμος affectus magis ſpecialis, atque particularis, præter quod in cauſa etiam differant, vt dicemus. Nam à frigore externo perpetuò ferè βύλιμος exoritur, ipſa autem canina appetentia ex reliquis nonnullis aliis cauſis (vt diximus)

Eiuſdem affectus ſigna.

Dignoſcitur autem affectio hæc, quoniam in principio fames multa adeſt, quæ tamen non vſquequaque perdurat. Nam poſtea repentè animo linquuntur cum extremarum partium refrigeratione, & ſpiritus defectione, vt Aëtius inquit cap. 6. libro nono.

Modus generationis eius.

Cùm itaque tria neceſſario concurrant in huius ſympto. generatione, indigentia ſcilicet, imbecillitas, & refrigeratio ipſius oris ventriculi, non ab re videndum eſt, quomodo hæc tria ordine ſe conſequantur. Atqui dicendum ex Galeni, atque Aëtij ſententia frigiditatem oris ventriculi primo neceſſariam eſſe, qua demum fames excitetur, eáque valida, ingens, ac vehemens propter duas cauſas cap. de canina appetentia traditas, quę non niſi à valida ipſius oris ventriculi refrigeratione ortum habet. Verùm cùm ipſa quoq; immodicè creuerit, neceſſariò imbecillitas ipſius facultatis, ac ex conſequenti virium ſequitur labefactatio geminam ob cauſam, tum quia omnis immodica intemperies vires exoluit, vt liquet commento aphoriſ. 20. 2. lib. & tertio de cauſis ſymptoma. cap. 1. & propterea licet frigiditas oris ventriculi appetentiam augeat, in tantum tamen eam augeri contingit, vt appetitus deficiat, quemadmodum ipſis ſenibus accidit, licet nedum os ventriculi, ſed totum corpus frigidum habeant, eodem Galeno teſte præcitato aphor. Tum etiã quoniam aucta eiuſdem oris ventriculi refrigeratione immodicè, propter eius exactum ſenſum, ac ratione vicinię, eam ipſi cordi impartitur, ipſúmq; valde refrigerans, non ab re cauſa exiſtit, vt animi deliquium accidat, immò propterea Gale. hanc affectionem dixit nihil aliud eſſe, quàm animi defectũ,

Cauſæ.

vt ipſe Aëtius pręcitato loco de βυλίμῳ ſic ſcriptum reliquit, βύλιμος ex ſtomachi frigiditate oboritur, indigentiáque, ac viriũ imbecillitate, & ab externo frigore fere in totum initium capit.

Prognoſtica.

Oritur nanque hæc ingens fames ſimul cum viriũ imbecillitate ex refrigeratione oris ventriculi, quæ ſemper ferè ab externo frigore ortũ ducit, & propterea peregrinationes (vt inquit Aëtius) & itinera longa, maximè per niuẽ facta per affectionem hanc inducunt, proinde quidem in locis deſertis,

aut in

aut in balneo in hoc malum collapſi ex inſtanti perierunt auxilij facultate deſtituti. Quapropter auxilia confeſtim pro eius curatione adhibebis. Nanque aſsidui etiam βούλιμοι & exoluunt, & in animi deliquia incidunt, quibus ægrè auxilium reperitur ex eiuſdem Aëtij auctoritate. Et quoniam affectio hæc frigiditas eſt iuncta ſiccitati (vt Galenus inquit quinto de ſimplicium medicamentorum facult.) propterea eius ſanatio per contraria perficitur, vt ipſe aſſerit, calidis ſiquidem, & humidis tum cibis, tum medicamentis. Idcirco ſi in vus quidam ex ingenti fame animo linquantur, eos reuocabimus (vt octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, idem Gale. Archigenis auctoritate ſcriptum reliquit) odoramentis aceti; aut pulegij, aut quæ forte obtingit, terra aceto macerata, aut malis, ſeu pyris, aut alijs ſimilibus fructibus, qui ad manus ſunt. Inſuper panem odorandum dabimus, præſertim ſi recens fuerit, & ingerere ipſum quoque cogemus, necnon caſeum boni odoris, præterea & ſuillam carnem aſſatam, ac coctam, & in vniuerſum omne, quod valde nutrit, & potiſsimùm ea, quæ odorem nidoroſum, ac probe conditum habet. Per huiuſmodi enim odores (vt idem Galenus aſſerit prædicato loco) vt plurimum tales reuocantur. Hoc etiam tempore & extremę ipſorum partes conſtringendæ ſunt, manuum, ac pedum ſummitates calidæ aquæ feruentiori imponendę ſunt, ipſiq; excitandi, tum maxillarum punctura, tum capillorum, ac aurium diſtentione. Ipſis verò ab exolutione, & animi deliquio reuocatis, panem in vino dilutum, aut etiam aliud quidpiam ex iis, quæ aceruatim reficere vires poſſunt, exhibebis, veluti ſunt oua ſorbilia. Compendioſiſsimum enim auxilium (vt inquit Aëtius) ex cibo ſperare poſſunt, quem etiam ſi oblatum acceptare non poſſunt, ori indere oportet violenter, cogeréque vt ipſum tranſglutiant, e veſtigio enim, & à fame & ab animi deliquio liberantur, & celeriter excitantur. Vitabimus autem omnino in his, qui hac affectione ſunt apprehenſi, longiorem cibi dilatationem, ac inediam, & ne alternis tantùm diebus cibum offeramus. Verùm ſolerti ratiocinatione facta ſingulis horis ſimpliciſsimum, modicúmque cibum dabimus. At ſi in febribus contingat hanc affectionem oriri, nam ſic quoque excitari poteſt, vt Aëtio viſum eſt prædicato loco, & Paulo cap. quinquageſimo libri ſecundi: licet tamen ea rarò accidat, inſpiciendum eſt quo acceſsionis tempore contingat, nam ſi in remiſsione, ſeu declinatione febrilium exacerbationum irruat, intrepide eis cibi ſunt offerendi, quos diximus. Si verò in principio eueniat, aut in vigore apparuerit, per prædicta odoramenta conabimur eos primò reuocare, potiſsimùm pane calido vaporem adhuc mittente, vel polenta, aqua, ſeu poſca madefacta. Frictio quoque tunc temporis extremarum partium adhibeatur, & cataplaſma ex palmis, aut malis cotoneis in vino diluto decoctis ventriculo applicetur, atque hæc vſque ad remiſsionem facere oportet, vt opportunè cibum offeramus. Quòd ſi ex his nihilo melius habeant, audêdum eſt per ciborum ingeſtionem auxilium offerre vnam, atque alteram in vino madefactam buccellam panis tribuentes, vt exinde refocillati vſque ad remiſsionis tempus perueniant, in quo tum corporis curatio, tum ſufficiens cibus ordinetur. Nam neq; Galenus ipſe veritus eſt in principio, incremento, ac ſummo vigore exacerbationum febrilium, potiſſimùm calidis, & ſiccis corporibus, quibus etiam ſtomachus fuerit imbecillus cibum offerre, non vni duntaxat, aut alteri, ſed pluribus, vbi vſus poſtularet, præſertim panem ex vino dilutū, vt liquidò conſtat apud eundem lib. 10. meth. med. Nouit etiam Alex. (vt ipſe inquit cap. 6. lib. 7.) mulierem quandam, quæ adeò ingenti fame laborabat, vt nunquam ſaturari ſe diceret, verùm & roſionem in ſtomacho ſentiebat, & capite dolebat, cui exhibita hiera pro purgante medicamento vermem euacuatione proiecit longitudine (vt ipſe refert) duodecim cubitorum, atque tunc immoderata, & furioſa appetentia conquieuit. Propter quod innotuit eam beſtiam fuiſſe cauſam, quæ ad cibum ſumendum ægram compelleret, atque omnia conſumeret, & non affectio βούλιμος dicta.

Curatio.

5. de ſimpl. facult. cap. 4.

cap. 4.

Curatio, ſi in febribus accidat.

10. meth. cap. 3. 4. 5. & 6.

Alexandri hiſtoria de muliere quadam.

Si verò à frigidis in ore ventriculi, & ſiccis redundantibus ſuccis hæc affectio excitetur, iidem priùs concoquẽdi, præparandi, ac expurgandi ſunt. Nanq; iam dictis commodè vtare acceſsionis tempore, vt ab animi deliquio reuocentur.

Περὶ ἀνορεξίας, ϗ ἀσιτίας, ϗ ἀποσιτίης. *Hoc eſt: De cibi faſtidio, ſeu inappetentia.* Cap. LXIIII.

cap. 7. CONTINGIT non rarò (vt Galenus inquit, primo de cauſis ſymptomatum) vt ſuctionis ſenſus in ore ventriculi pereat, vel ſuctio non fiat, aut corpus ipſum non inaniatur, & propterea affectio quædam excitetur, quæ à Græcis communiter ἀνορεξία dicitur, à Galeno interdum ἀσιτία, vt patet commento aphoriſ. 17. quarti libri: ab Hippocrate autem cùm præcitato aphoriſmo, tum etiam aphoriſmo tertio ſexti libri, ἀποσιτίη nuncupatur, & aphoriſ. 61. quinti lib. ἄσιν, cibi faſtidium ab Hippocrate & Galeno appellatur, à Latinis modò cibi faſtidiũ, interim inappetentia dicitur, quanquã inter ἀσίτους, & ἀποσίτους, hæc differentia tradatur à Galeno primo de morbis vulgar. quòd illi appetentia carentes
Commẽtario 1. commen. 28. cibum non ſumunt, reliqui oblatos faſtidiunt, quæ quidem affectio contraria exiſtit caninæ appetentiæ. Nanque in illa immodicè appetunt, in hac nullo modo, ac nihil appetunt ægrotantes. In qua affectione, quòd os ventriculi læſum ſit, patet à Galeno præcitato primo libro de cauſis ſymptomatum, & comment.
1. de cau. ſym. cap. 7. aphoriſ. 3. ſexti libri. Inſuper & ab eius propriæ functionis oblæſione. Nanque
In cibi faſtidio, ſeu inappetentia, quæ pars afficiatur. ipſa appetentia nedum oblæſa eſt, ſed omnino abolita, vt eodem primo de cauſ. ſymptom. liquet, & propterea ſymptoma eſt in genere noxæ functionis animalis, & propriè ipſius appetentiæ ablatæ, neceſſariò conſequens aut ad deperditionem ſenſus ſuctionis venarum, quem famem naturalem ipſius ventriculi appellauit Galenus eodem primo de cauſis ſymptomatum, aut quòd exuctio non
Loco citato. fiat, aut quòd corpus non euacuetur, vt diximus, quinimò (vt idem Galenus te-
Quis præter naturam affectus ſit. ſtatur eodem loco) ex eiſdem etiam affectionibus non quidem pereuntibus, ſed propius ad abolitionem accedentibus, imbecilla, ſeu exigua oritur appe-
Citato loco. tentia, & propterea quæ de inappetentiæ curatione dicemus, deſeruire etiam
Cauſæ. poterunt pro ipſius exiguæ, ſeu imbecillæ correctione. Dictarum verò affectionum, ſeu inappetẽtiæ (vt Alexander inquit cap. 7. lib. 7.) aut intemperies quædam, aut humores in ſtomacho contenti cauſæ ſunt, ſimiliter (vt Paulus aſſerit cap. 37. tertij lib.) duæ faſtidij cauſæ eſſe poterunt, aut vitioſa ſtomachi intem-
Cauſæ magis particulares. peries, aut humorum redundantia. Nanque ſi humorum adſit redundantia vtique inanitio non fiet, potiſsimùm ſi nedum in ore ventriculi, ſed in vniuerſo corpore fuerit. Si verò vitioſa quapiam intemperie ſtomachus laborauerit, ſiue cum humore, ſiue abſque eo, vnum duorum neceſſariò conſequitur, quoniam aut non ſentiet ſuctionem ventriculus, aut eadem non fiet. Etenim ſi talis fuerit intemperies, vt omnino ſenſus ipſius oris ventriculi deſtruatur, vtique ſuctionem non ſentit, idque fieri poteſt, aut eo primariò affecto, aut per conſenſum cerebri, ſeu ſextæ coniugationis neruorum, ſimiliter & ſuctio non fiet, aut cùm non adſit diſsipatio, ſeu inanitio, aut quòd reliquæ corporis partes propter earum imbecillitatem non ſugant, etiam ſi inanitio fiat. Qua de re dicebat Gale-
Loco citato. nus præcitato primo libro de cauſis ſymptomatum, quòd velut ad excitandam famem frigus in ventriculo non parum confert. Nam & vacua reddit corpora (vt cap. de canina appetentia, diximus) ac ipſorum tunicam cogens, conſtringénſque famem ſuſcitat, ita inter potiſsimas, continentéſque cauſas, quibus fames impeditur, calor numeratur. Quippe qui ſolida corpora laxando diſſoluit, atque ad attractionis functionem reddit imbecilliora, humida verò fundendo ac liquando ſupramodum extendit. Quamuis interdum frigida quoq; oris ventriculi intemperies immodica ipſam excitare poſsit, vt liquet commento aphoriſmi 20. ſecundi libri. Hæc nanque vires corporis emortuas reddit, & deiicit,

vnde

vnde etiam cibi faſtidij cauſa efficitur, Alexandro auctore, præcitato loco. Teſtantur autem calidam ventriculi intemperiem (Paulo teſte) ſitis, oleoſique ructus, ſi cibus præter voluntatem ſit aſſumptus; item ſi frigidiora potius, & elaboratu peruicacia hac detenti queant cõcoquere. Frigidam verò intemperiem contraria indicant, neque enim in hac ægri ſitiunt, neque frigida ſuſtinent, & acida nonnunquam eructant. Si verò vnà cùm calida intemperie bilioſorum adſit redundantia humorũm, roſionem, ac morſum ventriculi ſentiunt laborantes, nauſeâque magis & ſiti conficiuntur, & ſi humores computruerint, hi etiam interdum febricitabunt, vt Paulus aſſerit. Pariter ſi cùm frigida intemperie craſſi, viſcoſiq; ſucci redundarint, ij nec roſionem ventriculi, nec ſitim experiuntur omninò. Communiter autem omnibus ſuperuenit nauſea, etſi in ventriculi ſinus humores ſe receperint, etiam ex his ipſis vomitus erumpit. Si verò infarcti tunicis adhæreſcunt, etiam eo quod ingeſſerant ſurſum educto, nauſea ſolum, non vomitu premuntur ægrotantes, præterquàm cùm cibos aſſumpſerint. Immodica autem corporis plenitudo præſertim humorum crudorum inanitionem prohibens, ſi inappetentiæ cauſa fuerit, quemadmodum vrſis, & quibuſdam latentibus aliis animalibus euenit, quæ per multum tempus à cibo abſtinent, maximè hyberno tempore, haud difficulter dignoſci poterit. Similiter etiam ſi propter quampiam aliam cauſam, vtpote cutis denſitatem, aut otioſam vitam impedita fuerit inanitio, & per conſequens excitata inappetentia. At ſi calidi fuerint vitioſi ſucci totum corpus occupantes, præter alia ſigna, rigor aderit, & febris cum cibi faſtidio, ſeu inappetentia. Quæ haud negligenda erit, cùm opus ſit ad vitam neceſſarium ipſa appetentia, Galeno teſte, aphoriſ. 3. 6. libri. Quamuis ſi iuxta principium morborum acceſſerit, aut iuxta vigorem cùm vires adhuc ſuſtinere poſſunt, nihil moleſtiarum infert, Aëtio auctore, cap. 20. lib. 9. Modico enim alimento ægri opus habent, vt ipſe inquit. Si verò in declinatione totius morbi appetitus perditio accedat, aut in diuturna imbecillitate, aut viribus debilitatis, aut ex immodica euacuatione, periculo non vacat, ex eiuſdem auctoris ſententia. Augetur etiam affectio hæc & ab ætate. Incommodè enim hoc malo pueri afficiuntur, vtpote qui voraces natura ſunt, & aſſiduo fomite opus habent. Quare magnus præter naturam exceſſus ſignificatur, ſi pueri appetitus perditione fuerint affecti. *Prognoſtica.* Calida itaque intemperies os ventriculi infeſtans, ac cibi faſtidium excitans, refrigerante victu curari debet (Paulo & Alex. teſtib.) Quapropter frigidus aër eligendus erit, moderatus ſomnus, atque vigilia, & quies magis præcipiendæ ſunt. Alui excrementa ſingulis diebus educenda ſaltem arte clyſteriis lenibus, ſi natura defecerit. Iram vitent, anxietates, ac reliquas animi perturbationes immodicas. Cibi quoq; refrigerantes exhibeantur, præcipuè qui ex aceto parantur. Qua de re panis poſcâ imbutus eſui, ipſaq; poſca potui detur (vt inquit Paulus) conueniunt quoque lactuca, & cichorium ex aceto, vel poſca, & quæcunq; alia è contrario intemperiei calidæ ſuperãti reſiſtũt. Similiter & aqua per ſe frigida, ſi moderatè bibatur, confert. Nam immoderatus infrigidantiũ vſus non modò non iuuat, ſed etiam ſæpè inſanabilem morbum efficit, vt Paulus refert. Præterea cibi apparentur plures, & varij, ac optimo apparatu, & vltra dulcedine etiã allicientes, & appetitum irritantes, ac multi alimenti, & omnia, quæ exhibentur (vt Aëtius inquit) eiuſmodi eſſe conuenit, vt facilè deuorari poſſint. Quæ enim multa commanducatione indigent, iniucunditatem quandam afferunt, & appetentiam euertunt. Quapropter oua ſorbilia interdũ, & gallorum teſtes, & ex volucribus non graueolentes, & montanæ exhibeantur, quò ſufficiens alimentũ corpori offeratur. Necnon pedes ſuilli in decoctione plurimum eliquati, idq; commune ſit cibi faſtidio ex quacunq; cauſa orto. Conandũ eſt etiam vt per odoramenta appetitũ reuocemus ex poſca aut vino diluto, aut malorũ cotoneorũ, ſeu odoratorũ pyrorũ decocto, vel aquæ roſatę excipe vnc. iiij. aceti, vini albi vnc. j. ſantalorũ omniũ drac. ij. miſceãtur & fiat odoramẽtũ. Extrinſecus verò eis, quę fouere ſtoma-

Curatio, ſi ex calida oritur intemperie.

chum

chum & corroborare queant, ac calidam intemperiem alterare, vtendum, veluti eſt oleum roſaceum, omphacinum, ac cytoniorum, vel dictis oleis additis ſucci lactucæ, cichorij, portulacæ, vel ſolani vnc. j. ſantalorum, & corallorum rubeorum ſcrup. j. cum pauco aceto, ac exigua cera fiat vnguētum, quo vtare. Vel cytonium accipias & in poſca decoquito; contundito, ac ſtomacho imponito. Quo etiam tempore moderata corporis frictione, atque etiam pedum, ac manuum palpatione, ac contrectatione accuratiore vti conuenit, eodem Aëtio teſte. Saccellos item parare poteris ex roſis, violis, corallis, ac ſantalis, qui parum poſca inſperſi ſtomacho applicentur. Si verò nedum ex calida intemperie, ſed etiam ex mordacium bilioſorum humorum redundātia cibi faſtidium proritetur, priuſquam alia adhibeatur curatio, prædictos humores, aut vomitu, aut per aluum reiiciendos curabimus. Per vomitum quidem vbi faciliùs æger vomat, quibus etiam facilior reddi poteſt, copioſa aqua tepida exhibita ſola, aut pauco aceto, ſeu ſyrupo acetoſo addito. Satiùs etiam fuerit (vt Paulus & Alexander teſtantur) ſi priuſquam tepidam exhibueris, humectantia ægro exhibeas alimenta, veluti ptiſanæ cremorem, vel ouorum lutea, deinde exiguo tempore interpoſito, vomitum prouocaueris. Nanque his ſine noxa erit & vtiliſſimus, vt Alexander inquit. At ſi difficiliùs æger vomuerit melius erit materiam ad ventrem prouocare copioſiore, temperatóque alimento priùs humectatam. Ita nanque ea purgantibus medicamentis promptè obedire poterit, vt refert idem Alexander. qua etiam ratione aquam hordei pauco ſaccharo addito exhibere poteris, aut ſyrupum violaceum, vel ex infuſione roſarum, ſeu de ſucco cichorij cum eadem aqua hordei, aut cichorij, vel lactucæ, vt humores alterentur, ac contemperentur, quibus aliquot vicibus aſſumptis, purgans medicamentum propinabis: eſto autem id quod ſtomachum non offendat, aut calidam intemperiem augeat. In quem vſum vnc. iij. mellis aërij, aut vnc. iiij. ſyr. ex pluribus infuſionibus roſarum rubearum cum tamarindorū decocto exhibebis, vel loco prædictorum caſſia fiſtula vtare, & interim ſi videbitur drac. j. rhab. vigorati in aqua hordei, aut cichorij macerati, & per colū transfuſi prædictis adiicere poteris. Deinde ad ea, quæ ſtomachū ipſum intus, & extra alterant, ac roborant, modò à nobis conſcripta redeas, quo etiam tempore miua cytoniorū ſimplici, ac ſyrupo ex citri acido vti poteris per ſe, aut cū aqua hordei, vel cichorij. Item cytonium ipſum ſacchato conditum confert, vel eorundem cytoniorum ſuccus cum aceto & melle permixtus modo quo Gale. docet, ſexto de ſanitate tuen. tribuatur. Qui autem ob frigiditatem cibos faſtidiunt, contrariis etiam medendi ſunt tum cibis, tum medicamentis, ac reliquis, quæ in victus ratione continentur. Inter cibos verò magnopere commendauit Alexander ius columbæ, & vuas paſſas, etenim ipſæ ſtomacho ſunt gratæ, contemperántque maligna, & cruda concoquunt, & præter id quod non ſubitò corrumpuntur, nutriunt. Pro potu quoque vinum vetus, & conditum confert. Item decoctum rutæ, aniſi, & petroſelini. Inſuper allia his & alimenti, & medicamenti nomine conueniunt, Paulo & Alexandro teſtibus. Decoctum etiam cinnamomi, aut piperis ex aqua calida communi conducit, vel etiam ipſum medicamentum, quod inſcribitur diatrionpipereon præbebis, aut diacalaminthes dictum. Iis enim ſi quotidie vtatur is, quem frigidus venter infeſtat, nihil incommodi ſentiet, Galeno auctore, ſexto de ſanitate tuenda, cap. 10. veluti quibus venter, aut frigidus eſt, aut etiā temperatus. Cæterùm, ſi ad frigus propenſior (vt ipſe refert) ius aptum medicamentum eſt, quod diaſpoliticon vocant. Ex horum quoq; numero eſt theriaca, quæ cùm ſtomacho ſit idonea, maligna quoque contemperat. Vnde etiam iis (vt Alexander inquit) quos humida recrementa maligna, & praua infeſtant, rectè hoc antidotum exhibetur, vt vna quoque vice datum appetitum abolitum frequenter reuocauerit. Conducit præthereà non parum ſucci abſynthij potio, ſeu ſyrup. ex eo confectus. Cæterùm quibus ſtomachus nimium refrigeratus eſt (vt idem fatetur Alexander)

Si ſimul cum calida intēperie uitioſi ſucci redūdarint, curatio.

In fine. Si ex frigida intēperie inappetentia fiat, curatio.

etiam medicamenta ex pipere, & gingibere confecta porrigere neceſſe eſt,
quorum numero etiam id habetur, quod ex malis cotoneis paratur adiectum
habens piper, myrrham, aut liguſticum, aut coſtum, aut pulegium, vel ſatius iu-
xta Galeni ſententiam (eodem ſexto de ſanitate tuenda) ſic componas, Acci- *In fine.*
pies (vt ipſe inquit) ſucci malorum cotoneorum, quæ dulciora, maioráq; ſunt,
ac minus acerba, Strutia in Aſia vocata, ſextarios Romanos duos, quibus mel-
lis optimi tantundem miſcebis, aceti ſextarium vnum, & ſemiſſem, & cùm ſu-
per prunas modicè coxeris, & ſpumam detraxeris, immittes vnc.iij. gingiberis,
piperis albi vnc.ij. deinde rurſus in ſimili igne recoques, donec mellis craſsitu-
do exiſtat, qua vtique craſsitudine ſtomachica medicamenta præparari ſolent,
idque maximè dandum eſt ieiunis mediocris myſtri modo, quanquam nec ſi
à cibo ſit ſumptum, quicquam lædit. Commodè quoque dabitur etiam ſi priùs
pranſus quiſpiam ante cœnam id ſumpſerit, maximè tamen tempeſtiuè id dua-
bus horis, aut tribus ante cibum obtuleris. Verùm ſi medio temperamẽto ven-
tres habeant, ita vt nec bilioſum excrementum, nec pituitoſum congerant; iis
piperis, & gingiberis dimidium eius, qui prædictus eſt modi, ſat erit. Vt ſit pipe-
ris vnc.j. gingiberis vnc.ij. quemadmodum ſi immoderata frigiditas temperiem
vitiat, iis quatuor gingiberis, piperis tres, aut duas & ſemis vncias inicias. Hoc
nanque medicamentum tum ad appetentiam excitandam iis, quibus ea lan-
guet, tum ad concoctionem iis, qui parum feliciter cibos concoquunt, vtile eſt,
& in ſumma ventri robur conciliat. In quauis tamen intemperie dicta, poteris
medietatem piperis, ac gingiberis aſſumere, aliàs erit medicamentum admo-
dum acre, vt ipſe expertus fui. Quandoque prætereà ex cittio quod conficiunt
medicamentum, non parum prodeſt cum melle præſertim. Extrinſecus verò
vtendum eis quæ fouere ſtomachum, & corroborare queunt, veluti oleum eſt
maſtichinum, de abſynthio, nardinum. Poteris item hunc in modum inunctio-
nem parare, Recipe menthæ ſiccæ, ligni aloës, ſingul. ſcrup.j. maſtiches drac. iij.
aloës drac.ij. ſucci abſynthij drac. iiij. olei nardini & maſtichini ana vnc.ſ. ceræ
quod ſatis ſit, fiat vnguentum. Vel ſacculos componas excipiens menthæ vtriuſ-
que, ac abſynthij cuiuſlibet p.vnum, corticum citri, ligni aloës, maſtiches, cinna-
momi ana drac.ij. maceris, galangæ ana drac.j. roſarum ſiccatum p. ij. omnibus
ritè contuſis, ſaccelli figurentur ad formam ſcuti, qui per ſe, vel in vino græco,
ſeu guarneto macerati priùs, applicentur, ac pluries iterentur. Emplaſtrũ quoq;
conficere poteris ex palmulis, aloë, maſtiche, vino, & hordei farina, ac croco,
adiectis oleo nardino, ac abſynthij ſucco, necnon ceræ & terebinthinæ parum.
Sin autem nedum ex frigida intemperie, ſed ex viſcoſis humoribus cibi faſtidiũ
ortum fuerit, ipſos extenuando, incidendo, ac abſtergendo medeberis, ea ad-
hibendo, quæ ex oxymelite, ſeu muria componuntur, vt ſunt cappares ex oxy-
melite parati, oliuæ, quæ ex muria, aut oxymelite condiuntur, ac ſinapi cum
oxymelite, & aceto comeſtum, etſi largiùs detergere volueris, etiam oxymelite
Iuliano dicto vtere; Paulo & Alexand. auctoribus, in quem etiam vſum ſi hæc
non ſuffecerint, ea compoſitio, quam picram vocant, accommodãda eſt. Nam
acrimonia ac calore eorum, quæ in ſe habet, craſſos, ac lentos ſuccos diſſecat,
ac detergit, Galeno auctore, eodem ſexto de ſanitate tuenda. Verùm aſsiduè *cap. 10.*
vti hoc medicamento non licet (vt ipſe inquit) ſed ſingulis ſeptem, vel decem
diebus eam exhibere poteris pondere drac.j.ſ. aut drac.ij. exhibitis etiam priùs,
quę iam dictos humores præparare valent, vt mel roſaceum, aut ipſum oxymel,
etiam ſcillinum ſi opus fuerit, aut id medicamentum, quod ex malis cotoneis pa-
ratur, quod mox ex Galeni mente conſcripſimus, dabis. Verùm eiuſdẽ nedum
drac.j. ſed ij. vel iij. exhibere poteris, & quandoque plus, & demum ea condonã-
da ſunt, quorum ſuprà meminimus, potiſsimùm diatrion pipereon, diacalamin-
thes, aut theriacæ drac.j. eorum pro qualibet vice tribuẽs cum pauco vino odo-
rifero, aut aqua mulſa. Hiſque conducit (ſi non difficulter vomant) vomitus, qui
cum aqua tepida, & oxymelite proritetur. Inſuper & aliis medicamentis con-

ſcrip

ſcriptis extrinſecus vtare, ac exercitiis, & frictionibus valentiſsimis, quin etiam & digitorum in os immiſsione ſtomachus turbatus ſæpè ad excipiendos cibos eſt conuerſus ex Pauli, & Aëtij auctoritate. Quare hoc ipſum tum ante curationem, tum poſt eam eſt faciendum. Euomuntur enim aliquando bilioſa, aut pituitoſa quædam, quæ perditi appetitus in quibuſdam ſunt cauſa, atque ita ab hac acceſsione eos liberabis. Si verò ex virium imbecillitate appetitus perditio contingat, conſiderare oportet qualis intemperies vires exoluat & per contraria eam ipſam corrigere. At ſi propterea quòd ſuctio non ſentitur, cibi faſtidium accidat, cerebro, aut neruis ab eodem ipſi ſtomacho diſtributis, proſpiciendum erit, & cognita eiuſdem cauſa, eam priùs auferre neceſſe eſt. Si autem propterea quòd totum corpus plenum exiſtat, eiuſdem corporis inanitione non peracta inappetentia fiat, idem vacuandum eſt, diuerſimodè tamen pro varietate redundantis ſucci, quo caſu etiam valentiores exercitationes conferunt, vt etiam quæ cutem rarefaciunt, vtpote balneis, ac frictionibus vti oportet, vbi ex cutis denſitate eadem inanitio non fiat. Cæterùm, ſi ob alicuius viſceris inflammationem, aut obturationem appetentia deperdatur, illius etiam habere curam conuenit, vt inquit Aëtius. At ſi ex vlcere in ſtomacho, aut ventriculo exiſtente ortum ducat inappetentia, ab omnibus acribus & cibis, & potionibus abſtinere oportet, ac vti medicamentis, quæ leniunt, puta ſorbitionibus ex oleo, tum iis quæ ex amylo, lemnia terra, & lacte, vel quæ melle pauciſſimo conficiuntur, vt quæ purgent citra roſionem ex Pauli decreto. Extra verò ex palmulis, & cydoniorum carne, & polenta epithema facies, & ceratum ex melino, vel roſaceo cum ammoniaco, & thure.

Περὶ δίψης σφοδρᾶς. *id eſt, De immoderata ſiti.* *Cap. LXV.*

IN POTIONIS appetentia totidem quoque fiunt ſymptomata, quot accidunt circa cibi appetentiam, atque iis etiam ſimilia Galeno auctore, primo de cauſis ſymptomatum. cap. 7. Nanque interim abolitum omnino eſt deſiderium potus, quandoque verò diminutum, quæ quidem ex eiſdem cauſis ortum habent, exceſſu, defectúque duntaxat differentibus, de quibus ſymptomatibus modò tractare non intendimus, verùm de ea potionis appetentia mentionem faciemus, quæ vitioſa eſt, & ad portionem ſe habet cum ea, quæ circa alimentum eſt praua, aliquando quidem immodicum poſtulans potum, interim verò alieni per eam deſiderantur, perinde ac cibi. Hoc ſymptoma ſiue ingentem, ſiue immoderatam, ſiue vehementem ſitim appellabis, perpetuò in eo venter, & præſertim eius os affectum erit, vt liquet ex Gale. cùm primo de cauſis ſymptomatum, tum ſexto de locis affectis. Quanquam non ſemper primariò ipſum afficiatur, ſed quandoq; per conſenſum, vel iocinore, & maximè ſima eius parte, vel pulmone; vel meſenterij venis, ſeu ieiuno inflammatis ex ſententia eiuſdē Gal. præcitato libro ſexto de locis affectis, & Alex. cap. 8. lib. 7. Dignoſces autem cùm per conſenſum ab aliqua prædictarum partium inflammatione os ventriculi fuerit affectum, ex propriis ſignis inflammationem earundem partium. At ſi primariò oblæſum ſit, nullum tale apparebit indicium inflammationis prædictarum partium. Quòd verò os ventriculi in hac affectione oblęſum ſit, ex eius etiam proprij muneris offenſione (quod quidem appetentia cùm cibi, tum potus eſt) cuilibet patere poterit. At quòd ingens ſitis ſympt. ſit in genere noxæ functionum, atque ipſius appetentiæ deprauatæ, luce clarius eſt. Nec pro eius ſymptomatis notitia alia conſcribenda ſunt indicia, cùm res ipſa ex laborantium relatione pateſiat. Quanquam non ſemper vnum ſectetur oris ventriculi morbum. Nanque aut ventriculus calida, aut ſicca, aut vtraque intemperie affectus eſt, & maximè os ipſius, vt idem Galenus inquit præcitato ſexto de locis affectis. Et propterea tum ipſe lib. primo de cauſis ſymptomatum, & primo de ſimpl.

Quæ pars afficiatur in immoderata ſiti.
1. de cau. ſym. cap. 7.
6. de loc. affe. cap. 2.
6. de loc. affe.
Loco citato.

Quis affectus præter naturam ſit.
Ingentis ſitis cauſæ.

6 de loc. affe. cap. 2.
1. de cau. ſym. cap. 7.

de ſimplic. medicament. facult. cap. 30. tum etiam Aëtius libro quinto cap. 119. & libro 9. cap. 4. ac Paulus libro ſecundo, cap. 52. & Alexander eodem cap. 8. libro 7. ſitim oriri teſtati ſunt aut ob penuriam humiditatis, aut ob abundantiam caliditatis. Verùm nedum ex nudis hiſce intemperiebus, ſed cum vitioſis quibuſdam coniunctis humoribus, qui ſalſi, aut bilioſi ſint, ventrem mordentibus excitari poterit quandoque, teſtante Galeno, primo de cauſis ſymptomatum. Nec mirum ſi ab eis potio magis, quàm cibus appetitur. Nam præter quàm quod ab iis calefiat, ſiccetúrque ventriculus (vt ipſe refert) quæ vtique ſitis cauſæ ſunt, etiam liquari, fundíque tum in eo, tum venis ſuccos contingit. Fundendorum autem ſuccorum ſymptoma, ea quibus continentur, implet: quemadmodum contrà frigiditas vacuat. Deſiderantur etiam prædictis ſuccis in ventris tunicis redundantibus alieni potus quandoque, perinde vtique ac cibi, pro dominantis vitioſi ſucci ratione. Atque hoc quidem in longo tempore iis, qui vitioſa victus ratione ſunt vſi, ſuperuenit. Aliquando autem & immodica ſitis ex naturali humido ipſius oris ventriculi in eo veluti feruente oritur, vt patet eodem primo de cauſis ſymptomatum, id quòd etiam fieri nequit, niſi ab excedente eiuſdem oris ventriculi caliditate. Et propterea non ab re decretum eſt à iam dictis auctoribus præcitatis locis, necnon & à Galeno iterum aphoriſmo 19. quarti libri, ingentem ſitim aut ob humoris inopiam, aut ob caloris copiam, aut propter vtrunque excitari. Nec admodum difficile erit dictas cauſas interſtinguere. Nam ſi ob humoris inopiam excitetur, tum ex infirmi loquela, tum ex iis quæ præceſſerunt facilè percipies, vtpote ſi ex defectu potus ſitis aduenerit, aut ab ea affectione, quam diabetem nuncupant, ſeu ex aliqua copioſa euacuatione præcedente orta fuerit. Poterunt & eiuſdem eſſe cauſa ij, qui pertinaciter ſibi ſuſtinere ſitim imperauerint, aut in nauigio ex aquæ dulcis defectu marinam biberint. Verùm ſi ob caloris copiam ea fiet citra acrium humorum redundantiam, præter immodicam ſitim excedentem, in ventriculo ſentient laborantes caliditatem. Id autem contingit interdum ex alicuius medicamenti aſſumptione, quod calidum, acre, ac mordax fuerit. At ſi ex caliditate, & ſiccitate ſimul copulatis quidam ſiti premantur in febribus ardentibus, & adurentibus omnibus, ac æſtate, & graui æſtu laborabunt. Etenim in his præſertim febrientibus caliditas multa eſt, & ſiccitas ſuccedit, multa humiditate per violentiam febris conſumpta (Aëtio teſte eodem cap. 119. libri quinti.) Si autem ſimul cum caliditate vitioſi adſint ſucci redundantes ſalſi, aut bilioſi, haud difficulter ex iis, quæ præcedenti cap. diximus, interſtinguere poteris, præſertim ex oris ſapore diuerſo, ſalſo, aut amaro. Quanquam ſi ſalſi humoris copia in ventre fuerit congeſta (quemadmodum accidit in aquæ intercutem affuſionibus) aut pituita ſalſa ventri illita inhæſerit (vt Galenus fatetur primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus cap. 30.) ex caliditate ſimul cum humiditate coniuncta ſitis orta erit. Si autem bilioſi redundarint ſucci, à calida & ſicca ventriculi diſpoſitione ſitis proueniet, cùm talis fuerit naturæ is ſuccus. Fiunt quoque nonnulli ſitibundi ex immodico vini meracioris potu, præſertim veteris, ac ciborum calidorum eſu, & qui quandoque viperas deuorarunt, aut qui vinum, in quo talis ſerpens fuerit merſa, biberunt, non ob aliam cauſam, quàm earum aliquam, quas ſuprà diximus. Verùm ne quis decipiatur, animaduertendum nos ingenus ſitis, quæ in ægris excitatur corporibus, & non exiguæ, modicæ, ſeu ſuperficialis, quæ in ſanis quandoque corporibus oriri conſueuit, verba feciſſe. Nanque licet ea ob ſiccitatem etiam, aut caliditatem fiat, tamen neque à toto corpore, neque ex magno ventriculi partium affectu excitatur, Galeno auctore ſexto de morbis vulgaribus. Sed (vt ipſe inquit Eraſiſtrati auctoritate) areſcentibus, aut incalentibus locis illis, per quos ab ore ad ventriculum humor delabitur, fieri conſueuit. Et propterea ſi areſcentibus locis illis fiat, ſomnus remedio eſt, corporis penitioribus, atque iam dictis locis madefactis, vtpote per ſomnum ſanguine ad inferiora delapſo (vt ipſe inquit Gale.) vel quia idem ſomnus

Loco citato.

Citato cap.

Comment. 4. comment. 23

Citato lib. 5. cap. 119 humores concoquit, vt teſtatur Aëtius. Verùm ſi ob caliditatem iam dictarum partium ſuperficialis ſitis aderit, atque à ſomno expergeſactis, vigilantibus facilè ſedabitur. Caleſcunt enim dum in ſtomacho cibi concoquuntur, calido quodam halitu ad eas partes delato, quæ caliditas cùm in vigiliis circa ſuperficiem expanditur, à tali ſiti facilè liberantur, euaneſcēte ſiquidem e aleſactarum partium caliditate. Verùm ſi ob comeſtorum, epotorúmque calorem ventriculo excalfacto, à ſomno ſiticuloſi fiant, abſque externo ſubſidio per vigilias ſitis nō ſedabitur, & propterea Hippocrates eodem ſexto de morbis vulgaribus, *Loco citato.* dicebat, ſiti ſuperficiali ſomnus medela eſt. Siti verò ex ſomno, vigilia quibuſdam, & aphoriſmo 27. quinti libri, qui noctu bibere appetunt (inquit) iis admodum ſitientibus ſi ſuperdormierint bonum. Neque enim omnibus à ſomno excitatis ab eodem affectu ſitis oboritur. Verùm ingentis ſitis, de qua modò ſer*Prognoſtica.* mo habetur, non paruifacienda curatio eſt, cùm ſi nimium inualeſcat, ex ea ęgri perire poterunt, quemadmodum Galenus nonnullos vidit immodicè ſitientes perire ex diuerſis cauſis, ac modis quoque diuerſis, vt patet apud eundem præcitato libro primo de cauſis ſymptomatum. At pro eius curatione nō ſemper re*Cap. citato. Curatio.* frigerantibus, humectātibúſque vtendum erit, ſed vbi cauſam accuratè diſtinxeris, atque internoueris, ita tandem congrua adhibenda curatio eſt, Alexandro teſte præcitato cap. 8. lib. 7. & proinde iis, qui ex ſiccitate ſitiunt, humectantia conueniunt, ita vt aër humidior conſueto eligatur, temperatus tamen in calore, & frigore. Somnus ſolito longior conuenit, nanque hoc duntaxat curari hæc ſitis conſueuit. Quies etiam præcipienda erit. Nam & ipſa ex accidenti humectat, ſaltem ſeruans humiditatem, eam ſcilicet, quæ ex cibo prouenit, nō exſiccans, vt patet apud Galenum commento aphoriſmi 13. quarti lib. cibi quoque, & potus humidiores ſint. Et ſi ex immodica euacuatione fuerit ſiccitas orta; erunt cibi eligendi nedum humidiores, ſed qui multum, ac promptè nutriāt optimíque alimenti, & qui faciliùs concoquantur, veluti contuſa, ſeu iura ex carnibus gallinarum, aut pullorū, ptiſana, ſeu eius cremore adiecto. Potus ſit aqua, aut vinum album, tenue, ſubaſtringens multa aqua permixtum. Si verò ex defectu potus fuerit excitata, abundanter iis tribuendus erit, viribus conſentientibus. At ſi ex diabetica diſpoſitione, ea curanda erit. Verùm vbi ex caloris copia orta ſit ſitis, ſi ob caliditatem edulioꝛum, aut ob multum vini meracioris potum excitata fuerit, medela eſt, frigidæ potus, Galeno teſte ſexto de morbis vulgari*Loco citato.* bus, & Aëtio præcitato cap. 119. libri quinti. Similiter & ex eiuſdem Aëtij auctoritate, vbi longo iam tempore ſtomachus æſtuat, radicis dulcis ſuccus potatus auxiliatur, atque ipſa etiam radix ex aqua item pampinorum vitis, cremor, & portulacæ ſuccus, vt apud eundem patet cap. quarto libri noni. eodem pacto cucumeris ſatiui ſemen commanducatum, vel decorticatum, & tritum, & ex aqua potatum. Nec minùs prodeſt tum lactucæ, tum portulacæ ſemen manducatum, & ex aqua potatum. Vniuerſa autem victus ratio in his ad frigidum vergat. Vbi verò cum caliditate coëat humiditas, & propterea ſitis fiat, optima eius medela acetum eſt, vt Galenus inquit, primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, cap. 30. Poterit inſuper & eiſdem exhiberi mali medici, ſeu limoncelij ſuccus cum aqua frigida, item malorum cytoniorum, vel pampinorum vitis, vel mali punici ſuccus ſorbitioni per ſe; aut cum aqua datus confert. At vbi ex calore ſimul, ac ſiccitate ſitis fuerit orta, optima medela eſt (Galeno teſte ibidem) acetum vt quod ſtrenue refrigeret; & quouis expeditè permeet, & aqua, quæ ſuprà quàm quod refrigeret, omnium ſit vel humidiſsima. Nihil enim eſt aqua humidius (vt ipſe inquit.) Componi autem inter ſe debent, vt facilè potari poſsint, dico acetum & aqua. Id quod ex ſumentis guſtu, & non noſtro iudiciū facere oportet, rati tunc fore conuenientiſsimum, & proinde etiam vtile, cùm eidem fuerit iucundum. Ab extra verò conducit ſanguinariæ, intybi, ſonchi, pampinorum vitis, ſeu portulacæ ſuccus cum aqua roſacea, ac pauco aceto permixtus, ſi frigidus ſtomacho adhibeatur. Vniuerſa verò victus ratio frigi-

da, &

da,& humida præcipiatur. Verùm ſi in febrientibus ſitis accidat,lenimenta quę-
dam ſitis excogitanda ſunt, ex Aëtij ſententia,quandoquidem & menſuram, &
tempora potus decernere oportet. Nam ſi ſine detrimento bibere poſſent ęgri
quando vellent,hanc ſane ſitis medelam ſtatim amplecterentur , ſed quoniam
intempeſtiuè ſumptus potus non ſolùm ſitim non extinguit, ſed etiam contra
auget, propterea non ab re, eadem (vt diximus) lenimenta ſitis excogitanda
ſunt,quibus oportet vti in principiis,ac exacerbationum augmẽtis,quo tempo-
re potus prohiberi debet.In vigoribus autem primùm per gargariſmos, & col-
lutiones oris ſquallorem corporis mitigare oportet. Deinde declinatione inci-
piente potum date. In remiſsione verò etiam nolentes aliquãdo cogendi ſunt,
vt potum aſſumant. Mitigare itaque oportet hanc ſitim per irrigationem ca-
pitis ex oleo frigidiſsimo,vel roſaceo, Paulo & Aëtio teſtibus, optimè etiam fa-
cit (vt inquit Paulus) nigræ lactucæ ſemen commanducatum. Ad hæc cucume-
ris ſemen in ore retentum,vel portulacę viridis ſeminis,ſimiliter & peponis,ſuc-
cíque radicis dulcis,& tragacanthi ſingulas partes æqualeis aſſume, & cum ſac-
charo ad fabæ magnitudinem reducito, ac vtere. Aut ſeminis cucumeris ſatiui
excipe drach.iiij.tragacanthi drach.ij.tragacanthum contundito,& cribrato,ſe-
men vero cõterito,& cum crudorum ouorum recentium albumine,ac ſaccha-
ro catapotia formato,& ex his vnum ſub lingua tenendum exhibeatur, vt pau-
latim diſſolutum deglutiatur. Adieci autem ſaccharum his medicamentis quo
iucundiora fiant,quod in aqua roſacea diſſoluatur.Conducit etiam melonis in-
di ſemen,aut eiuſdem parua fruſtula,eius ſubſtantiæ, quæ eſt inter externũ cor-
ticem,& internam medullam,ſi in ore detineantur. Ex ſucco etiam malorum
punicorum,vel pampinorum vitis,aut cytoniorum cum aqua permixtis , in ac-
ceſsionum vigore,gargariſmi,& oris collutiones faciendæ ſunt.Pariter & ex vi-
no albo aquoſo multa aqua permixto.At in declinatione exacerbationum vbi
incœperit,ac in earum remiſsione potum dare conuenit aquæ frigidæ vbi om-
nia conſentiant,ſeu pauco aceto adiecto,vt diximus,ex Gale.ſententia,vel vnc.
iij.ſyrupi acetoſi ſimplicis; aut ex oxyſaccharo.aſſumas,ac frigidæ permiſceas,
vel vt tutiùs exequaris non aquæ frigidæ,ſed aquæ hordei miſcebis. Verùm vbi
vitioſus quiſpiam humor in ventriculo contineatur, billoſus ſi fuerit, ac prædi-
cta refrigerantia,& humectantia non ſuffecerint, ita vt ex eiſdem alteretur , ac
contemperetur,per vomitum vacuari procurandum eſt , cum his, quæ præce-
denti cap.diximus,modo laborans non difficulter vomat. Nam ſi difficulter vo
muerit,per inferiora purgandus erit lenientibus duntaxat medicamẽtis, vtputa
caſsia fiſtula,melle aëreo,ſaccharo violaceo , aut ſyrupo ex pluribus infuſioni-
bus violarum,vel roſarum cum tamarindorũ decocto. Deinceps, quæ diximus
medicamenta intus,& extra ſitim arcentia,propinentur.Pariter ſi pituitoſus , ac
ſalſus fuerit is qui redundat ſuccus,quæ abſtergunt,ac repurgant eundem humo
rem,offerre conuenit,veluti eſt ptiſana ac eius cremor,radicis glycyrrhizæ de-
coctum ex aqua,ac ipſummet roſaceum mel,ſeu diluta aqua mulſa, & vbi hæc
detergere non valuerint,quæ purgant adhibeto,caſsiam videlicet fiſtulam cum
trochiſcato agarico,aut diacat.& deinde ad ea, quæ ſitim arcent , præſertim ex
calida,& humida affectione ortam, præbenda te conuertas. Huiuſmodi ſitim à
ſalſa pituita ortam nouit Alexander per ſalſos cibos (vt ipſe inquit) finitam
fuiſſe, Quæ verò ſitis ex inflammatione oritur, cuiuſuis prædictarum partium
curata inflammatione ſedabitur.

Sitis curatio in febrientibus.

Lib. 5. ca.119

Περὶ λυγμοῦ. *Id eſt, De ſingultu.* *Caput LXVI.*

ORitur interim veluti conuulſiua oris ventriculi affectio , ſiue ſto-
machi conuulſio quædam,quæ à Græcis λυγμὸς , quandoque au-
tem ab Hippocrate λύγξ dicitur, à Latinis autem ſingultus nun-
cupatur,qui motus quidam eſt vehemens, ac violentus ſtomachi,

Singultus quid ſit.

quo rem infeſtantem expellere conatur,vt ex Galeni ſententia liquet, cùm tertio de cauſis ſymptomatum,cap.2.tum commento aphoriſmi 39.ſexti libri.Hic quidem motus (licet eiuſdem generis ſit cum vomitibus) fortior tamen illis,ac vehementior eſt,cùm per eum ſtomachus appetat, ac conetur eorum aliquid expellere,quæ in ipſo continentur. Non ſiquidem in eius latiori ſpatio, ſed in ipſo ventris corpore,atque ea,quæ ſunt in ipſius ore penitiora,at quòd ea quæ veluti abſorpſerit ſtomachus,ſeu ventriculi os, quæ quidem per ſingultum excernere tentat ventriculus ipſe, vehementiori motu indigeant,vt expellantur, quàm ea,quæ in capacitate ventris continentur,& per vomitum expelluntur, omnibus ferè clare patet,mediocris itaque in vomitibus erit ſtomachi motus, ſiquidem per vomitum ea duntaxat appetit expellere , quæ in ventriculi ſpacio latiori continentur,fortior autem,& vehementior in ſingultu, cum ea, quæ ſunt in ipſius ore penitiore , atque in ipſo ventris corpore infarcta, expellere tentat ventriculus, vt liquidò conſtat apud Galenum præcitato libro tertio de cauſis ſymptoma.cap.2.& commento aphoriſ.39.ſexti libri. Valeant ergo Arabes,& eorum doctrinam ſectantes, qui contrarium ſentiunt. In hac affectione quòd os ventriculi affectum ſit præcipuè,patet apud Galenum tum præcitatis locis,tum etiam tertio,& quinto de locis affectis,cùm pars hæc , vt ſæpiùs diximus,exactioris ſit ſenſus , quandoque ex eiuſdem Galeni ſententia commento aphoriſmi tertij libri ſeptimi, nedum os ventriculi , verumetiam totus ventriculus ipſe.Nonnunquam etiam & pars ea , quæ propriè ſtomachus appellatur, gulam nominant,affici poteſt,licet non adeò exactioris ſit ſenſus. Affectio hæc cùm contineatur ſub communi genere motuum illegitimorum,ſeu deprauatorum,vt liquet ex Galeni libro ſecundo de cauſis ſymptomatum,cap.1. & maxime eorum qui à facultate fiunt,à cauſa tamen præternaturali irritata. Propterea nulli in dubium venit,quòd ſymptoma ſit,in genere noxæ functionum naturalium ipſius ſtomachi deprauatarum. Nanque non vnius duntaxat facultatis opus,ſeu deprauatus motus eſt,ſed duarum ex eiuſdem Galeni decreto præcitato libro tertio,de cauſis ſymptomatum,cap.2.nempe expultricis, & retentricis.Miſcentur etenim tum morbi,tum ſymptomata interdum tam expultricis, quàm retentricis facultatis,vt ipſe refert. Verùm primùm quidem expultricis motus eſt non legitimus, ſecundo loco retentricis , ac complectentis facultatis eiuſdem ventriculi,vt ipſe Gale.inquit.Qua ratione nemo inficias ibit nos ipſum dixiſſe illegitimum eſſe motum expultricis ventriculi facultatis, cùm eiuſdem primò noxa ſit,ſecundariò verò ipſius retentricis. Primò nanque per hunc prauum cupit ventriculus, media expultrice facultate,id quod contriſtat reijcere, Secundariò verò cùm praue venter ſingultit,retentrix quoque facultas offenditur,cùm prauè,& non naturaliter cibos complectatur : propter eundem illegitimum ſeu conuulſiuum ventriculi motum, (ſiquidem conuulſio in totum non eſt,ſed veluti conuulſio quædam & ambarum virtutum commune ſymptoma) vt eidem Galeno placuit, idque non ab re, nanque conuulſio ſolis accidit muſculis,ventriculus autem nec ſtomachus muſculus eſt. Sed in hac affectione ſimili tum affectu,tum motu mouentur, eis quibus inſtrumenta reſpirationi ſeruientia per tuſſim ex intemperie ortam,omnibus nimirum ventriculi partibus, quod contriſtat expellentibus. Quòd verò ob geminam cauſam excitari poſſit,ab Hippocrate decretum eſt aphoriſmo 39.ſexti libri.Inanitionem, inquam, vel repletionem, veluti & ipſa conuulſio propriè dicta. Illud idem confirmauit Galenus commento aphoriſmi 13.eiuſdem ſexti libri. Quanquam magna ex parte à plenitudine, rarò autem ex inanitione fiat ſingultus, vt ipſe inquit. Hos ſectati ſunt Paulus,libro ſecundo,cap.56.Alexander cap.15.libri ſeptimi , & Aëtius libro nono, cap.5.Verùm circa hanc Hippocratis ſententiam hæſitare videtur Galenus libro octauo, de compoſitione medicamento.ſecundum locos cap.3.aſſerens quòd ipſe in conuulſione tertiam aliquam cauſam ſupra euacuationem,& repletionem nondum reperit, ſingultum autem ſine his fieri vi-

dir,

Quibus ſingultus à vomitu differat.

Vide Auic.li. 3.fen.13.tract. 5.cap. 9
3.de locis aff. cap.7
5.de locis aff. cap.6

Quæ pars in ſingultu afficiatur.

Quis affectus præter naturam ſit ſingultus.

Bifariã poſſe ſingultus generari.

Dubium aduerſus Hipp.

dit,vtpote ex acribus humoribus,aut ſeroſis,& medicatis ſtomachum mordentibus, quos vbi vomitu reiecerint,ſtatim ſingultu liberãtur. Quinetiam ex deuorato pharmaco ex tribus piperis generibus conſtante,vel ipſomet pipere tenuiter cribrato,ſi ſtatim vinum poſteà biberint,& præſertim calida aqua temperatum,omnino ſingultiunt, calore quidem potus piper ad interiora deuehente, ſua verò acrimonia ipſo ventriculum moleſtante vt ipſe Gal. refert prçcitato cõmento aphoriſ.39.ſexti libri,ex quorum numero ipſe erat, vt patet tum præcitato libro octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap.3. tum tertio de locis affectis, cap.7. Amplius & à cibo in mordacem qualitatem corrupto,quinetiam ex rigore,ſeu frigiditate oris ventris ſingultus excitatur, vt ipſe refert, quanquam etiam aſſerat dignum conſideratione eſſe, num ob nimiam euacuationem fiat ſingultus,veluti & conuulſio. Id tamen admittendum erit,ex Hippocratis auctoritate,quamuis rarò accidat. Ex quibus liquet non ſolùm ex repletione,& inanitione ſingultum fieri poſſe, verumetiam ex nonnullis aliis cauſis morſum ipſi ventriculo inferentibus, ob immodicam videlicet caliditatem,vel frigiditatem. Quod verò vehemens caliditas,atque frigiditas morſum inferant,ac media continui ſolutione,dolorem proritent, liquet ex Galeni 4. de ſimplicium medica.facultat.cap.1. quamuis vna erodendo,reliqua verò diluendo id efficiat. Quòd etiam præter inanitionem, & repletionem iam dictæ cauſæ ſingultum excitare valeant,confirmatum eſt à Paulo, Aëtio,& Alex. prçcitatis locis,verùm ne calumnia Hippocr. aliqua tribuatur, ac de inſufficientia damnetur,nec Gale.& reliqui iam dicti auctores vt ſuperflui condemnentur, dicere poſſumus primò Hippocr. præcipuas vniuerſaleis,ac maximas tantùm cauſas recenſuiſſe ipſius ſingultus,quæ ſunt inanitio,& repletio, reliquas verò particulares tanquam manifeſtas omiſiſſe,quas demum Galenus, & reliqui particulatim enarrarunt. Vel rectiùs dicamus,quòd quamuis plures eſſe poſsint particulares ſingultus cauſæ præter repletionem & inanitionem,cunctæ tamen ad eas reduci poſſunt. Nanque cùm omnes morſus ratione,vt diximus, ipſum efficiãt, aut calfacientes cauſæ erunt,ac humores calidi,acres, & mordaces, & ſic quiſnam vereatur quòd vim habentes exiccandi, dicere poterimus, ex inanitione ſingultum fieri ex talibus cauſis? Quemadmodum ipſemet Galenus decretum reliquit aphoriſmo primo quinti libri, vel non calfacientes, ſed infrigidantes ventriculum ipſum immodicè,propterea ſingultum excitabunt, quo caſu quis etiam verebitur quòd ſingultus hic reducetur ad eum, qui ex plenitudine oritur? Nam cùm rigor,& frigiditas omnia neruoſa corpora efficiant ad diſſlandum difficilia, ſunt cauſa vt hæc repleantur,atque ideò ſingultus inde exiſtant, vt teſtis eſt Galenus commento aphoriſ.13. ſexti libri. Non itaque defecit Hippocrates in narrandis cauſis ſingultus, nam conſiderata rei natura, duæ duntaxat vniuerſales (quas ipſe refert) erunt, Nec de ſuperfluo Galen.& reliqui condemnari poſſunt,vt qui ſpeciatim magis, ac manifeſtas cauſas præter inanitionem,& repletionem conſcripſerint,licet ad eaſdem reduci poſsint cunctæ, quæ dictæ ſunt,vt reliquæ,quæ ab aliis narrantur: quemadmodum ſi in febribus ſingultus fiat,ſtomacho præſertim, aut aliquo alio viſcere inflammato. Tot itaque ſingultus cauſæ eſſe poſſunt particulares,licet vniuerſales tantum duæ ſint. Quæ omnes particulatim facilè dignoſci queunt. Nam ſi ab inanitione excitetur, ex præcedentibus cauſis inanientibus, vt immodico ſanguinis fluore, aut alui profluuio,ſeu reliquis huiuſmodi dignoſcere valebis. Si ex repletione, aderunt & plenitudinis ſigna, ſic ſi ex acribus humoribus, & mèdicata qualitate præditis,eorum ſigna aderunt, & vbi vomitu eos reiecerint,ſtatim à ſingultu liberantur, veluti etiam ſi ex cibo corrupto in mordacem qualitatem aliqui ſingultiant,hi quoque à vomitu ſtatim liberantur. Similiter ex rigore oris ventris,aut ob eiuſdem partis frigiditatem,vel ex deuorato pharmaco ex tribus piperis generibus ſingultire contingat, ex relatione ægri facilè percipi poterit. Quamuis pueris maximè ob corruptionem alimenti in ventre,aut ob eiuſdem partis fri-

Reſolutio.

giditatem ſingultus accidat, Galeno teſte, octauo de compoſit. medic. ſecundum locos, cap. 3.

Prognoſtica.

Fruſtra itaque conterendum tempus erit in narrãdis aliis ſignis cauſarum ſingultus, cùm promptè quælibet earum percipi poterit, tum ex ægroti ſermone, tum etiam ex iis, quæ ſuprà diximus.

Curatio, ſi fiat ex inanitione.

Verùm ſingultus ex inanitione ſi fiat, ſiue ex immodico ſanguinis fluore, aut ex nimia purgatione, ſemper malum erit, Hippocrate auctore, aphoriſmo tertio & quarto quinti libri. Nec minùs & malum erit vbi à vomitu ſingultus excitetur. Indicat enim vel cerebrũ neruorum principium, vel ventriculum pati non mediocrem inflammationem, ex ſententia Hippocratis & Galeni aphoriſ. 3. ſeptimi libri. Similiter & malum erit ſi ab ileo ſingultus fiat, vt liquet apud eundem Hippocr. aphoriſ. 10. præcitati libri ſeptimi. At ſi ſingultus in altiore ſopore, aut animi deliquio, aut tetanis obortus fuerit, mortem non longe abeſſe præſagit, vt inquit Aëtius: & ſingultu tamen correptum ſternutatio ſuperueniens liberat, inquit Hippocrates, aphoriſmo 13. libri ſexti, quando ſcilicet ex plenitudine fiat, vt Galenus exponit. Vbi autem ex euacuatione ortus fuerit ſingultus, curabitur per alimenti conuenientis aſſumptionem, & per ea quæ defectum explent, eodem Aëtio teſte. & ſi perſeuerauerit adhuc immodicus ſanguinis fluor, aut alui profluuium eiſdem proſpiciendum erit, iis maximè conducit oleum amygdalarum dulcium potum per ſe, aut cum aqua tepida, pariter & ptiſanæ cremor per ſe, vel cum contuſa pullorum carne.

Si ex frigiditate.

Si verò ex frigiditate, calfacientibus curari debet (Galeno & Aëtio teſtibus) tum cibis, tum medicamentis. Quapropter in potu ruta cum vino exhibenda eſt, aut apium, cuminum, calamintha, aſarum, pulegium, dictamum, aut nardus celtica, quodlibet eorum per ſe, aut ſimul mixta in aqua mulſa decocta, vel etiam ſeſeli, & daucus, ſeu caſtorium ex Galeni Aëtij, & Pauli ſententia, vel ſyrup. de mentha, ſeu è corticibus citri paratum exhibe. Interim quoque drach. j. diacalaminthes, aromatici roſati, aut diarhodon, ſeu diacinnamomi cum exiguo vino, aut aqua mulſa præbebis. Foueri etiam extrinſecus debet ſtomachus oleo, in quo ruta, cuminum, & abſynthium ſint decocta, vt idem Aëtius inquit. Inſuper oleo maſtichino, nardino, coſtino ab extra vti poteris, ſimiliter & ſacculi parentur ex vtraque mentha, abſynthio, calamintha, ac pulegio ana p. j. macere, caryophyllis, cinnamomo ana drach. ij. corticibus citri, ligno aloës, & chia maſtiche ana drach. j. contuſis omnibus ſaccelli formentur, ac calidi per ſe, ſeu parum inſperſi vino albo odorifero applicentur.

Si ex frigidorum humorũ copia.

Quòd ſi ſimul cum frigiditate, frigidorum, viſcoſorúmque humorum copia adſit, extenuantibus, & incidentibus vtendum eſt, Alexandro auctore, inter quæ ſummoperè acetum ſcillinum approbat, ac ipſum oxymel ſcillinum. Paulus verò, ac Aëtius eis, qui integræ ſunt ætatis drach. j. caſtorij ex poſca potui tribuunt, quinetiam & ipſum forinſecus (vt aiunt) impoſitum cum oleo ſicyonio, aut antiquo commodum exiſtit. Denique (vt Paulus refert) ſpiritus retentio potẽs eſt remedium. Ab extra verò vſus (vt inquit Trallianus) fuit caſtorio, ſtyrace, & maſtiche, oleo ipſa incoquens, agitabátque inter coquendum oleum ruta, & ex eo ſtomachum vehementer fouebat, & vbi hæc non ſuffecerint, per vomitum modo dicti ſucci vacuandi ſunt, præſertim ſi facilè vomant, qui etiam iuuari poterit, ex potu aquæ tepidæ cum oxymelite, etiam ſcillino ſi opus fuerit. Et ſi ægrè euomant, per inferna ex hiera, & agarico (niſi quid prohibeat) vel tutiùs per clyſteres purgabis, qui ex eodem agarico, & hiera, roſaceóque melle diacatho. aut medicamento ex dactylis parati poterunt, oleo, & ſale adiectis cum mercurialis, caricarum, florum chamæmeli, foliorum betæ, ac maluarum decocto. Curat item ſternutatio ſingultum à plenitudine ortum, Hippocrate, & Galeno teſtibus præcitato aphoriſ. 13. ſexti libri. Nam violento opus eſt motu, vt veluti concuſſæ ipſum efficientes humiditates diſſlentur, atque euacuentur, hoc autem facit ſternutatio (vt Galenus inquit) pariter & vomitus ſufficiens erit ipſius medela, vt liquet eodem octauo de compoſitione medicamento. ſecundum loc. cap. 3. Qua ratione etiam ex Aëtij decreto, confert extremarum partium adſtrictio, compreſsio

ſpiritus,

ſpiritus, vociferatio concinna cum plurimo clamore, deambulatio longa, & concitata, geſtatio, atque adhuc magis equitatio, & cucurbitulæ cum plurima flamma pectori, ſtomacho, & dorſo affixæ. Vbi verò ob caliditatem, mordacémque acrimoniam ſingultus fiat, primum vomitum reperiemus ſufficientem medelam, Gale. & Aëtio teſtibus. Quod ſi excrementa rodentia, & corrupta fuerint, iis vtendum eſſe conſtat (vt inquit Trallianus) quæ contemperant, & ſimul id quod rodit, abſtergere poſſunt. Quapropter temperata aqua, & pane ea imbuto, ac copioſa piſana vtendum, item piſciculo aliquo, qui aceti paulum habeat, & pullis columbarum. Obtunditur etiam dictorum excrementorum mordacitas, ſi intybi ſuccus fuerit potatus, item cucumeris ſemen decorticatum, tritúmque bibitum, & lactucæ ſemen, eodem modo: adhæc portulacæ ſuccus potatus, ipſaque portulaca in cibo ſumpta, & myxarum decoctum in potu acceptum, maximéque omnium tamen præſtat (vt inquit Aëtius) lac recens mulctum, potatum, id verò ſit aſininum, aut caprillum: adhuc exhiberi poterit vtiliter ſyr. violaceus, ex nymphæa, de papauere, ac de infuſ. roſarum, ſeu de ſucco cichorij. Conducunt etiam pariter & hæc, ſi ex cibis in mordacem qualitatem corruptis aliquis ſingultiat, prius tamen præcedente vomitu, vt diximus. Sic etiam ſi ſingultus fiat ex ſeroſis quibuſcunque, & medicatis humoribus, ſtomachum mordentibus. Verùm vbi mordacitas ex iis non alteretur, abſtergatur, ac diſcutiatur iis quæ ſenſus ſtupefactionem inducunt, vti opus erit ex eiuſdem Galeni, & Aëtij decreto. In quem vſum drac. j. medicamenti Philonij Perſici, aut Romani exhiberi poterit. Quanquam ipſi pharmacum quoddam mixtam quandam facultatem habens alterandi, diſcutiendi, attenuandi, ac reſiccandi, & ſenſum obtundendi conſcribant, quo etiam, ſi videbitur, vti poteris. Nam Galenus præcitato libro 8. de comp. medic. ſecundum locos, nedum idem medicamentũ Aſclepiadis auctoritate cõſcripſit, ſed particulatim quodlibet medicamentum ſimplex, quod in ipſo ingreditur, expoſuit, ac eius vires examinauit. Ab extra verò oleum roſaceum, citoniorum, de papauere, ac ex nymphæa applicari poterunt quodlibet eorum per ſe, aut cum aliquo aliorum permixtum, adiiciens ſolani, aut portulacæ, lactucæ, ſeu intybi ſuccum, nec non aceti parum. Verùm ſi ob ipſius ventriculi, aut alterius viſceris inflammationem ſingultus fiat, ex eiuſdem inflammationis curatione ſedabitur. Id verò ex iis quæ paulò pòſt dicemus, patebit. Similiter ſi fiat ex ſpiritu flatuoſo, eis quæ ipſum diſcutiunt intus, ac extra adhibitis ſoluitur. Conſultò etiam prætermiſimus particularem victus rationem ſingultus, prout diuerſa exigebat eius cauſa, ne nimiùm prolixi eſſemus, tum quoniam ſtudioſi ex iis, quæ diximus in aliis ſtomachi affectionibus pro cauſarum diuerſitate petere poterunt.

Curatio ſingultus à caliditate orti.

Cap. 3.

Περὶ ὑπτιασμοῦ, ἀνατροπῆς, ναυτίας, ἢ ναυτιώσεως καὶ ἐμέτου. *Id eſt, de ſupinitate, ſtomachi ſubuerſione, nauſea, & vomitu.* *Cap. LXVII.*

QVAMVIS venter cum pro naturæ lege ſe habeat, trahat quidem ad ſe supernè per ſtomachum, deorſum verò excernat, tamen cum ab aliquo, quod morſu, ponderéve contriſtet, vexatur, eiicere id ſtatim cupit, & quocunque vergit, id quod offendit, eo abutitur ad expulſionem, & interdum ſi toti ipſi ventriculo talis affectus contingat, vtroque etiam eius ore vtitur ad expellendum, Galeno teſte tertio de cauſis ſymptomatum. cap. 2. Non ab re itaque in hoc expulſionis conatu, in eo plures excitari poſſunt deprauati motus, ac ſymptomata expultricis eiuſdem ventriculi facultatis. Verùm nos poſthabitis his, quæ proueniunt, cùm venter eiicere cupit per infernum os in pyloro exiſtens, quoniam de his infra pertractabimus, de eis mentionem faciemus deprauatis motibus expultricis facultatis ventriculi, qui (præter iam dictos) ipſi accidunt, cùm cupiat id, quod contriſtat, excernere per ſupernum os in gula exiſtens.

Ij autem plures ſunt, prout diuerſimode offenſus ventriculus ipſe à diuerſis fuerit. Nam quidam eſt, qui à nonnullis Græcis ὑπτιασμὸς τοῦ στομάχου Latinè verò ſupinitas ſtomachi appellatur, qui affectus contingit quandoque iuxta intemperiem quamcunque ipſius ſtomachi, citra tamen vitiatos humores. Fit etiam per humiditatem multam quidem, non tamen malignæ qualitatis, vt liquet ex Galeno 8. de compo. medic. ſecundum locos.

cap. 3.

Irriguus enim ſtomachus (vt ipſe inquit) per largam humectationem ſimiliter vt ligamenta neruorum, laſſatur. Quidam verò à Græcis ἀνατροπὴ, à Latinis ſubuerſio dicitur. Quanquam hæc vox indifferenter duo ſignificare poterit ex eiuſdem Galeni auctoritate. Nam quãdoque appetitus perditionem ſic appellare poſſumus: interim verò nauſeoſas affectiones ab accepto cibo fientes: contingit etenim quandoque hoc vnum ſolum ſymptoma accepto cibo, vt ſi paulo fortiori motu moueantur, ſtatim vomant. Appellant aliqui etiam taleis ſtomachicos. Verùm hæc affectio quandoque ad ſolam oris ventris debilitatem ſequitur, quod cibos amplecti, eiſque obuolui non poteſt, velut tota ventris amplitudo ſolet. Quãdoque verò & cum vitiatæ alicuius, modicæ tamen humiditatis, complexu. Nam multa quemadmodum & valde vitiata citra cibum nauſeam efficit (vt poſteriùs dicemus) quam nauſeam Græci cum ναυτίαν, tum ναυτίασιν appellare ſolent. Quandoque ipſa ventriculi vis ad alium deprauatum excitatur motum, vt quæ ipſum contriſtant, detrudat, qui licet non idem ſit cum ſingultu, eiuſdem tamen generis eſt, vt eidem Gale. liquet comment. aphoriſ. 39. 6. lib. maioris, ac minoris ratione differentes. Nam vehementior ille, mediocris autem hic ſtomachi motus exiſtit (vt præcedenti capite dictum eſt.) Appellatur verò à Græcis ἔμετος, à Latinis vomitus. Verùm quanquam quatuor hi affectus nominati paulò inter ſe diſsideant, tamen nos quoniam primus, qui ſtomachi ſupinitas appellatur, facillimè curabilis eſt, quia aut adſtringentibus ſolis, aut quæ ſiccare humiditatem poſſunt, ac conſtringere laxatum corpus, curabitur, aut alterantibus, vel eiſdem ſimul mixtis, de quibus in cura nauſeæ, & vomitus mentio fiet, ampliùs verba de eo non faciemus, velut neque de ea, quam Græci ἀνατροπὴν, Latini ſubuerſionem nuncupant. Nam ſi ea ἀνορεξίαν hoc eſt appetitus perditionem ſignificabit, iam eius curam cõſcripſimus. Si verò per eam intelligatur id ſymptoma, quod accedit ſumpto cibo, vt ſi paulò fortiori motu moueantur, ſtatim vomant, ex iis etiam, quæ nauſeæ, & vomitus curabuntur, curari poterit, potiſsimùm cum parum à nauſea diſcrepet, quando à modicè vitiata humiditate exoritur. Verùm ſi ob oris ventriculi ſolum fiat imbecillitatem curabitur vt ſupinitas. Reliquum eſt vt conſuetum morem ſeruando, de nauſea, & vomitu à nobis ſermo fiat. Ij nanque maximam inter ſe cognationem habent, ac vnus reliquum præcedit.

Nauſeæ cũ vomitu cõueniẽtia & differẽtia.

2. de cau. ſym. cap. 4.

Nam nauſea vomitionem præcedit, licet non perpetuò ad nauſeam vomitus conſequatur, cùm nonnulli nauſearunt, nec tamen vomuerunt, vt Galenus inquit 2. de cauſ. ſympto. ſimiliter Paulus cap. 155. lib. 2. dicebat, nonnulli verò turbantur, ſed nihil euomunt, humore ipſis tunicis imbibito.

Nauſea quid ſit.

Quæ nauſea deprauatus eſt quidam expultricis facultatis ventriculi motus, quo venter ipſe ea quæ eius corpus contriſtant, quàm citiſsimè per ſtomachum vacuare appetit, vel breuiùs, irritus quidam eſt conatus ad vomendum; vt quidam volunt, ſeu inanis quędam vomendi irritatio, hæc interdum ad vomitum impellit (vt diximus.) Interim verò & citra vomitionem fit, vt ex Galeni mente declaratum eſt.

Vomitus quid ſit. cap. 3.

At vomitus prauus quoque eſt eiuſdem expultricis facultatis ventriculi motus, quo ea quæ in eius capacitate, ſeu latiori ſpacio exiſtunt, ac ipſum contriſtant, & in ſe fluitant, reiiciat quãcitiſsimè per ſtomachũ, vt ex eiuſdem Gale. verbis colligi poteſt præcitato lib. 2. de cauſ. ſympt.

Quæ pars in eis afficiatur.

Ex quibus facilè quiſpiã colligere poterit tum conuenientiam, tum etiam & differentiam inter nauſeam & vomitum. Quod vero in ambabus hiſce affectionibus os ventris potiſsimùm afficiatur, liquet apud Gale. cum 2. de cau. ſymp. tum etiam 5. de loc. affe.

2. de cau. ſym. cap. 3.

5. de loc. affe. cap. 6.

Dixi autem non ab re potiſsimùm, quon

quoniam & totius ventriculi affectiones eſſe poſſunt, quemadmodum & reliquæ iam dictæ, vt apud eundem Gal. liquet præcitato lib. 5. de loc. affect. & cùm nemo ſit qui vereatur ventriculum in hiſce affectionibus oblædi, eáſque eſſe proprias eiuſdem affectiones, citra quæ ſymptomata nihil è ventre per os efferri poteſt, ex ſententia eiuſdem Galeni commẽ. aphor. 43. 2. lib. propterea in hoc ſermo protelandus, & tempus conterendum non eſt, etſi ventriculus per ſe quandoque per conſenſum, maximè in vomitu afficiatur, vt ex cauſarum enarratione patebit. Verùm qui affectus præter naturam ſint, non admodum liquet, cùm Gale. quandoque naturalis expultricis facultatis ſymptomata appellet. Interim verò eiuſmodi motus licet praui ſint, naturæ opera nuncuper, vt eodem 2. lib. de cauſ. ſympt. ſcriptum eſt. At ſi quis eiuſdem verba probè intellexerit, pro comperto habebit, vtrunque verum exiſtere. Nam cùm nullum animal nauſeare, aut vomere ab aliquo doceatur, imò à ſeipſo, ac à propria eius natura, (ſeu vt ita dixerim) à principio intrinſeco, & per conſequens naturaliter hos exerceat motus, cui in dubium venerit motus hos naturæ eſſe opera? At quoniam nunquam natura ipſa taleis exorditur motus, niſi grauata, aut ſtimulata à quapiam præter naturam cauſa, quæ naturam ſic violenter moueri cogit, propterea inter ſymptomata, quæ præter naturam ſunt, annumerantur, ex illo ſiquidem ſympto. genere ſunt, in quibus cauſa aliqua quæ præter naturam eſt, ad taleis actiones naturam ſtimulat. Hinc fit, vt ſymptomata potiùs, quàm naturæ opera appellari mereantur, cùm nunquàm ex ſe ipſa natura taleis exordiretur motus, niſi à cauſa aliqua præternaturali fuiſſet ſtimulata. Et propterea non motus ſecundum naturam, ſeu actiones, ſed affectiones potiùs appellari merentur, quia quodammodo ab alio, & non omnino à ſe natura in hoc opere motum habet, irritata ſcilicet, ac coacta à præternaturali (vt diximus) cauſa. Contrahit etiam ſeipſum ventriculus circum ea, quæ ab ipſo excernuntur ad eum modum id quod in ſe continet, extrudens, quo manus noſtræ aliquid exprimunt, vt Galenus inquit. Facultas autem, quæ motum ei præſtat, vna è quatuor naturalibus eſt, expultrix ſcilicet appellata, cuius propriæ facultatis ſymptomata ſunt nauſea, & vomitus, ex Galeni decreto eodem 2. libro de cauſis ſympto. Eiuſdem nanque praui motus ſunt, vt diximus. Verùm licet vomitus toto genere præter naturam ſit, tamen ſi tempeſtiuè fiat, hoc eſt cùm id quod contriſtat, expellitur, ad animalis commodum per eum, non erit ſymptoma in genere læſionis actionum, ſed alteri generi ſympt. ſubiicitur, quod ſcilicet eſt affectuum præter naturam, ex Galeni decreto lib. de differen. ſympto. in fine. Sic quoque de nauſea ſentiendum erit, ſi ad eam talis conſequatur vomitus. Semper etenim præter naturam quempiam affectuum conſequuntur. Dignoſcitur autem nauſea quando ipſa in illa inani vomendi irritatione lancinat tantum ventriculum ipſum & nullum humorem educit, Aëtio teſte. Diſtinguitur etiam à ſubuerſione, quoniam ea non niſi cibo aſſumpto, hæc autem ſine cibo aſſumpto fit, ex Pauli ſententia eodem cap. 54. lib. 2. Quãuis Gal. aliam præter hanc afferat diuerſitatis cauſam, quoniam ea aut propter ſolam ventris debilitatem, aut cum vitiatæ alicuius, modicæ tamen, humiditatis complexu fit, hæc verò ex multa, & etiam valde vitiata, citra quoque cibum afficitur. Vomitus autem ſigna fruſtra quiſpiam conſcribere tentauerit. Verùm à nauſea ipſe differt, quia per vomitum perpetuò aliquid extra excernitur, per nauſeam autem nequaquam, quãuis ad eam (vt diximus) vomitiones interim conſequantur, interim verò non. Hæc ſymptomata non nullos ſectantur ventriculi morbos, qui diuerſimode à diuerſis quoque cauſis oriri poſſunt, ea propter vt manifeſtior fiat eorum morborũ cùm dignotio, tum curatio; ad dignoſcendas eorum cauſas me conuertam, quoniam, & in his quoque non exiguam inueniemus inter dicta ſymptomata differentiam. Sunt verò in vniuerſum duæ præcipuè prædictorum ſymptomatum cauſæ, nempe copia, vel humorum vitium, ſeu prauitas. Copia ſiquidem ventriculum grauando, prauitas autem,

Loco citato.

Qui affectus præter naturam ſint. cap. 3.

Loco citato.

Nauſeæ ſigna.

Aët. lib 9. cap. 10.

Nauſea, & vomitus cauſa.

2. de cau. ſym. cap. 3. 3. de cau. ſym. cap. 2. 8. de compoſi. medica. ſecun. loc. cap. 3.

ſeu vitium morſum inferendo affligens, vt patet apud Galenum cum 2. & 3. de ſympto. cauſ. tum 8. de compo. medic. ſecundum locos, & apud Alexan. cap. 13. lib. 7. Atqui copia humorum ex pondere, ac tenſione, quæ in ventriculo ſentiuntur, percipi poterit, ita vt cùm eos ferre nón poteſt ventriculus, ad nauſeam ſeu vomitum excitetur. Verùm ſi ciborum fuerit hæc copia, facilè ex ægri, vel adſtantium ſermone percipi poterit, quemadmodum. ſi ſine cibis tenſio, ſeu pondus ſentiatur, humorum eſſe copiam coniectandum erit. At ſi non multi, ſed praui humores fuerint, qui ventriculum obſederunt, ſi bilioſi fuerint, oris amaritudo, ſitis, atque ardor ſimul cum morſu in ore ventriculi & inappentia aderit, & abſumpti cibi in amaram, ſeu nidoroſam qualitatem vertuntur: quemadmodum ſi frigidi fuerint neque ſiticuloſus erit æger, neque ardorem in ore ventris ſentiet, ſed econtrà frigus; & quandoque immodicè appetet, percipiétque in ore acidam qualitatem, aceſcéntque in ventre cibi aſſumpti, & ſi dulcis fuerit pituita, eandem ſentiet in ore qualitatem, verùm ſi ſalſa ſit, ſitis quoque in his augebitur, minuetúrque appetentia, ac fortaſſe abolebitur, præter id quod ſimilem quoque ſentiet in ore qualitatem. Quod ſi vomitus ad has cauſas conſequatur, faciliùs per vomitionem redundans ſuccus dignoſci poterit, tum viſu à medico, tum guſtu à laborante. Verùm vbi ſanioſi, ſeroſive, ac tenues fuerint redundantes humores, non ſolùm ante cibos, ſed & poſt acceptum cibum vomitum inducunt, perpetuò nimirum motu verſati ex Aëtij ſententia cap. 10. lib. 9. Ex vitioſis autem cibis deuoratis, aut vbi in ventriculo fuerint corrupti, ſi vomitus fiat, facilè quoque ex laborantis, aut adſtantium relatione ſimul cum vomitionum qualitate percipitur. Atqui neque hoc ſatis erit pro cauſarum dignotione, ſed diligenter conſiderare oportet, num in ventrem duntaxat tales redundent ſucci, an ex aliqua quadam parte, ſeu ex vniuerſo corpore humores in ventrem confluant. Ad hæc num in lato ventriculi ſpacio contineantur, eóque fluitent, innaténtque, an in eius corpore infarcti, aut infixi fuerint? ſeu eius tunicis adhæreſcant, qui generantur in ventriculo humores, aut ab aliis partibus tranſmittantur? Hæc nanque cognitu perquam neceſſaria ſunt, viróque indigent exercitatæ conſiderationis. Nam ſi vniuerſum corpus fuerit affectum, plethoricum quidem ex plethoræ ſignis id iudicabis. Si ex vitioſis humoribus repletum, id ipſum ex colore, & eruptionibus papularum circa cutem cognoſcitur, atque ex ipſa adeò vrina (vt inquit Aëtius.) Quòd ſi non ab vniuerſo corpore, ſed ab aliqua eius parte vt capite, ſplene ſeu hepate humor ad ventriculum fuerit tranſmiſſus, æger ipſe primùm affecti membri læſionem ſentiet. Aut enim caloris ſenſus iuxta affectum membrum ipſi contingit, aut frigoris, aut grauitatis, aut etiam tactui noſtro durum ſuccumbit. Nec nauſea intenſa & crebrior, ſi ipſa excitetur, aut vomitus, ſi is quoque fiat, crebrior, & intentus erit, ſed leuior & inſigni aliquo ſpacio interpoſito vrgebit, totiúſque præter hæc corporis habitus perpetuò conſiderandus erit. Ab iis illud exiſtimandum erit, quanam victus ratione ſit vſus, vtrum ne frequenti cruditati, aut ſatietati inciderit, idque in otioſa vita, ac præcipuè præter conſuetudinem, an contrà. Illud deinde perpendendum an aliud membrum corporis certo temporum circuitu vexari ſolitum nunc non vexetur, vel aliqua conſueta excretio iis retenta ſit. Verùm ſi nihil horum adſit, & crebrè, intenſéque, nullóque inſigni ſpacio interpoſito vrgebunt prædictæ affectiones, certum eſt ventrem ipſum per ſe, ac primariò affectum eſſe, redundantéſque humores in eo eſſe genitos. Num verò in latiori eius ſpacio contineantur, ac fluitent redundantes ſucci, vel in eius corpore adhæreſcant, ſeu infixi ſint, hoc modo interſtingues. Etenim ſi vomitus ſtatim poſt nauſeam obortam, etiam citra violentiam comitetur, humorem noxium in lato ventriculi ſpacio eſſe non dubiè cenſendum. Sin autem nauſea quidem excitata fuerit, verùm nihil notatu dignum per vomitiones efferatur, humores noxios, ſi bilioſi ſint, vel ſeroſi, in ore ventriculi abſorptos eſſe, vel ſi viſcoſi ſunt, ipſi ori

vent

ventriculi infixos eſſe, intelligito ex Tralliani decreto. Nam cùm humor quiſpiam in ipſis ventriculi tunicis contineatur, nauſea quidem vexabit; ſed manis, & ſine vomitu, & quæ irritat duntaxat, nullum humorem euacuans, Galeno auctore 1. de locis affectis cap. 4. Quamuis humores craſsi, ac viſcidi, qui ſuperficiei ventris infarcti adhærent, ante cibum etiam magis nauſeas, atque inanes vomitiones moueant, & propterea nil mirum ſi ex talibus oriatur ſuccis nauſea, quod vomitus eam non ſequatur; potiſsimùm ſi expultricis facultatis quoque adſit imbecillitas, veluti etiam non rarò euenit, quod ea robuſta exiſtente, humoribúſque tenuibus in ventriculi tunicis exiſtentibus, exigua quædam eorum portio ex nauſea violenta in ventriculi capacitatem effundatur, ac proinde excitato vomitu per os eiiciatur, & hæc eſſe in cauſa mihi videtur, quod interim vomitus nauſeam comitetur, quandoque verò citra vomitum nauſea fiat. Quanquam ſuccis etiam in ventriculi ſpacio conſiſtentibus; nauſea illa exigua quæ vomitum præcedit, excitetur ſimilis ei affectui, quem Græci κέρχνον dicunt; qui tuſsim præcedere ſolet ex Galeno auctore eodem 2. lib. de cauſis ſympto. id quod etiam Aëtius confirmauit, licet à quibuſdam prauè eius verba fuerint intellecta.

2. de cau. ſym. cap. 4.

Dubium.

At ſi quiſpiam ſcire cupiat cur abſorpti, ſeu infarcti in tunicis ventriculi humores ipſius corpus moleſtantes, præſertim qui morſum inferant calidi, vel frigidi exiſtentes ſingultum potius quàm nauſeam efficiant?

Ratio.

Reſpondebimus nos eos cùm non adeò morſum inferant, nauſeam excitare; cùm verò mordacitatem validam efficiunt, ſingultum promouere, & propterea non ſemper humores etiam mordaces in ventriculi corpore impacti ſingultum efficiunt. Neque etiam nauſeam, ſed quandoque vnum, interim alterum ſymptoma excitant propter iam dictam cauſam.

Prognoſtica.

Verùm à vomitu ſingultus, & oculorum rubor malum eſſe inquit Hippocrates aphoriſ. 3. 7. libri, quemadmodum etiam à tuberculi introrſum ruptione vomitiones ſi fiant, malæ ſunt, eodem auctore aphoriſ. 8. eiuſdem libri, & iterum ab ileo malus eſt vomitus, vt idem inquit, quoniam is non ſemper adeſt, ſed quando exitiales ilei ſunt (Galeno auctore com. aphor. 10. lib. 7. Nauſea verò quandoque (vt quidam volunt) ſignum criſium exiſtit, interim verò ſignum malum, vt in febribus peſtilentibus; quando in conualeſcentibus multiplicatur, indicat recidiuam.

Aphor. 10. lib. 7.

At vomitio vtiliſsima eſt, ſi pituita ac bile permixta quammaximè fuerit, ſi non multa nec craſſa ſit. Sincerior enim deterior eſt, ſiue fuerit porracea, aut liuida, aut nigra, quicunque ex his fuerit color, malum eſſe cenſendum eſt, auctore Hippocrate 2. prognoſt. Exitiale quoq; admodum eſt, ſi idem homo omnes vomit colores. Et ſi vomitio liuida graue oleat ocyſsimam indicat mortem, & (vt ſummatim dicam) omnis ſubputris, ac ſubfœtidus odor in omni vomitione malus eſt, Hippocrate auctore præcitato loco.

Text. 38. & ſequentibus.

Quod autem interdum vomitus valetudinis cauſa rectè fiat, experimentis credens Celſus approbauit: Commonet tamen, ne quis qui valere, & ſeneſcere volet hoc quotidianum habeat, vt liquet lib. 1. cap. 3.

Curatio.

Pro dictarum autem affectionum curatione illud primum animaduertendum eſt, quod vbi ex immodica humiditate citra vitiatos humores fiant, quæ velut mador quiſpiam circa affectam partem exiſtens ſolà quantitate, & copia affligat, & veluti irriguum os ventris reddat, aut totum ventrem ob eandem multam humiditatem exolutum, ac laxum habeant laborantes, vtiliſsimus adſtringentium eduliorum, potuum, ac pharmacorum vſus exiſtit, languido nimirum, exolutóque tunc reddito ventriculo ipſo admodum laxatorum articulorum; vt liquet apud Galenum 8. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos.

cap. 2.

Quemadmodum vbi vitiati fuerint redundantes circa ventrem, & ſtomachum humores, in maximum perueniunt detrimentum ægri, ex adſtringentium eduliorum, potuum, ac pharmacorum vſu, ex ſententia eiuſdem Galeni præcitato loco, & Pauli cap. 54. lib. 2. Verùm ſi iam dicti ſucci præter id quod vitioſi non ſint, frigiditatem permixtam habeant, calfacientia prædictis adſtringentibus miſcere debent ex eorundem auctorum

decreto

decreto: humida nanque intemperies ſiue ſola conſiſtat, ſine cum calore, fri-
De odoratis nota. gorève coniuncta ſit, omnium facillimè curatur, vt patet 7. metho. medendi,
cap. 9. Ad hæc ſciendum quòd veluti graueolentia omnia ſtomachum ſubuer-
tere ſolent, ſic odorata corroborare. Quapropter cùm ea multipliciter auxilien
tur ſtomacho, ob vitiatos ſeroſos humores ſubuerſo, nedum in medicamentis
ipſis, verumetiam in cibis permiſcenda erunt. Et quoniam diximus per conſen-
ſum quandoq; à toto, vel a quapiam corporis parte affectiones has gigni poſſe,
quæ quidem curari haudquaquam poſſunt, niſi prius totum corpus, aut prima-
riò affecta pars curetur, ita tamen, vt neque eodem tempore ventrem ipſum
7. meth. c. 11. negligamus Galeno eodem auctore præcitato loco. Propterea de iis à nobis ſer
Victus ratio. mo non fiet, ſed eius duntaxat nauſeæ, & vomitus curationem aggrediemur,
qui cauſam habent nedum in ventriculo contentam, ſed in ipſo etiam genitam,
quo fit vt propterea etiam de nauſea, & vomitu ex bile ortis verba non facia-
mus, cùm neque ipſa in ventriculo oriri poſsit, niſi ab aliis partibus, iocinore
præſertim, aut eiuſdem bilis veſica ad ipſum tranſmittatur. Aër itaque eligatur,
ad calidum vergens, item ſomnus, quies, ac etiam moderata inedia competunt
Alexandro & Paulo teſtibus. Hoc enim victu (vt inquit Alexander) pituita non
ſolum alteratur, extenuatúrque, ſed etiam in ſanguinem benignum, probúm-
que conuertitur, vt eiuſmodi quoque humor per inopiam alimenti nutrire poſ-
ſit, præſertim vbi dulcis fuerit. Quanquam in vomitionibus frequenter, & pau-
latim cibus offerendus eſt (vt inquit Paulus) præſertim vbi biliosi fuerint. De-
cubitus autem ſurſum vergens in omnibus quomodocunque nauſeantibus, &
vomentibus adornetur in conuenienti, & affectioni contraria domo, Aëtio au-
ctore præcitato loco. Vbi autem vires inediam etiam moderatam non ferant,
contuſæ carnes, ac iura pullorum, ſeu gallinarum tribui poterunt pro cibis,
modò eorum quantitas modica fuerit, eum quibuſdam odoratis paratæ, vt cin-
namomo, caryophyllis, ſeu aniſo, cotoneis etiam, aut mali punici granis ſimul
incoctis, aut exiguo omphacio, & aqua roſacea adiectis. Quòd ſi contuſas car-
nes, ſeu iura aſſumere noluerint, poterunt ipſas quoque carnes gallinarum, pul-
lorum gallinaceorum, columbarum iuuenum, phaſianorum, perdicum, turtu-
rum, turdorum merularum, leporum, ac capreolorum iuuenum, commodè pro
cibis capere, & interim eaſdem aſſas adiectis prædictis odoratis, interdum etiam
elixas, & præter iam dicta odorata decoqui cum eis poſſunt hyſſopum, pule-
gium, ſerpillum, ſampſuchus, fœniculum, oreoſelinum, thymus, & reliqua hu-
ius claſsis, potiſsimùm vbi craſſa, & tenax pituita in cauſa fuerit, & tunicis ad-
hæreſcens, atque impacta. Pro potu vinum exhibeatur ruffum, ſubadſtringens,
& vetuſtius, vt inquit Aëtius, vel aqua mulſa. Vinum nanque adeò calefacit
ventriculum, vt in qualitate eius calorem non intendat, licet eiuſdem ſubſtan-
tiam augeat, & mel deſpumatū ipſum per ſe optimum nutrimētum frigido ven-
triculo eſt, vt liquet 6. meth. med. cap. 7. A cibis autem ſemper cotonea mala,
meſpila, corna, ſorba eos fructus quos azarolas vocant, aut alia pyra adſtringen-
tia, ſeu mala punica guſtare poterunt. Exiguam autem quantitatem de eis ca-
piant, vt cibum duntaxat continere valeant. At quod natura, vel arte alui excre-
menta ſubducere quotidie conferat, ac vitare immodicos animi affectus, cuili-
bet patere poterit. Cæterùm vbi tenues, ac ſeroſi fuerint vitiati humores, qui
ſtomacho impacti nauſeam efficiunt, confeſtim vomitu eiiciendi ſunt, qui digi-
tis, aut pennis immiſsis proritari debet, vel liberaliori tepidæ potu, ſeu tenuiſsi-
mo piſanæ ſucco exhibito, vt Alex. & Aëtio viſum eſt, vel etiam mulſa ex Ga-
Medicamento rum ratio. leni & Pauli ſententia. Verùm eo caſu tam piſanæ cremoris, quàm aquæ mulſæ
ſumendum plus eſt ex eiuſdem Galeni decreto 7. meth. med. quàm vel nutri-
7. meth. c. 11. menti, vel etiam deiectionis cauſa ſumeretur. Idoneum quoque eſt (eodem au-
ctore ibidem) ſi mulſa, in qua incoctum abſynthium ſit, bibatur. Nam id quoq;
(vt ipſe inquit) tenues ſuccos, quicunque videlicet in ipſius ventriculi ore con-
tinentur, commodè deorſum impellit. At ſi difficulter vomant, nedum prædi-

cta mul-

cta mulſa,in qua incoctum abſynthium ſit,vti poterunt, verùm & aliis quoque purgantibus medicamentis,quibus prædicti redundantes ſeroſi ſucci deorſum impellantur. Sunt autem ad eiuſmodi affectus,vbi ſcilicet vitioſi ſucci in ventriculi tunicis fuerunt recepti, idonea pharmaca,ex genere eorum quæ modicè purgent,ſicut eorum vis ſuper ventriculi,& inteſtinorum loca non aſcendat, aut ſi quid vltra vaſa quoque in meſenterio contingat, ſpeciatim verò quæ ex aloë componuntur,ſunt aptiſsima,& ſi illa præſto non ſint,aloë ipſa per ſe, vt liquet eodem ſeptimo metho.meden.cap.11. Nam vbi humiditas vitiata tunicas ventris,perrigat picra ex aloë vtilis eſt expurgans humiditatem,eodem Galeno auctore octauo de compoſitione medica.ſecundum locos,cap.2. Exhibeantur itaque ipſius medicamenti ex aloë,& potiſsimùm ea elota drac.ij.aut ipſiuſmet aloës (vbi ipſius medicamentum haberi nequit) drach.j.vel drac.j.s.formatis ex ea ſeu iam dicto medicamento compoſito,catapotiis,póſtque per aliquod tempus vnc.ij.vel iij.ſyr.ex pluribus infuſ.roſarum rubearum,vel perſicarum exhibere conuenit,vel drach.s.prædicti medicamenti ex aloë aſſumẽs diacath.drac. iiij.cum vnc.j.pulpæ caſsiæ fiſtulæ bolus figuretur,ac tribuatur. Poteris quoque vice prędicti medicamenti drac.j.elotæ aloës admiſcere,nanque ea licet purget minùs,roborat tamen vẽtriculum magis,vt eidem Gale.viſum eſt. Verùm quibus lenta pituita ventriculo eſt infixa,iis priùs exhibenda ſunt quęcunque hanc diſſecent,poſtea purgandum. Quòd ſi ad vomẽdum ſunt idonei,non inutile erit per radiculam ex oxymelite euomere,eodem Gal.auctore præcitato lib.7. metho.meden.cap.11. Si verò inepti ad vomendum ſint,nedum ipſum oxymel tribuendum erit,quo frigidi,craſsi,& glutinoſi humores attenuẽtur,ac diſſecẽtur, verùm etiam & ipſum oxymel ſcyllinum cum aliquorum incidentiũ, repurgantium,calefacientiúmque decocto,veluti eſt hyposſum,ſerpyllum, pulegium, abſynthium,fœniculi,& oreoſelini,ac capparorum radix,quibus ſæpius aſſumptis, prædictum quoque pharmacum ex aloë præberi poterit,& ſi videbitur,robuſtis potiſsimum corporibus trochiſcatum addas agaricum,ex eo drach.j. aſſumẽs. Verùm vbi pituitoſi ſucci acidi,aut dulces fuerint, eos concoquere tentandum eſt,ipſi naturæ in hoc opem ferendo,quiete,inedia,& ſomno (vt diximus) ac aliis,quæ concoctioni tum intus,tum extra opitulantur. His quoque peractis ad ea,quæ ſtomachum,ac ventriculum ipſum roborant,ipſorúmque intemperiem alterant intus, ac extra adhibita confugiendum eſt. Quapropter medicamentum,quod ex calamintha conſtat,ſeu pharmacum ex tribus piperis generibus, aut aliud quoddam conſimile eõmodum exiſtit,ex vino tenui, aut aqua potatum ſi drach.j.eorum exhibeas,in quem vſum confert diacinnamomum, aromaticum roſaceum,dianiſum,ac medicamentum ex xyloaloë confectum, inſuper diarhodon,ſi ſimili pondere eodem modo exhibeantur. Forinſecus autem (vt inquit Aetius) ſtomacho maſtichen chiam vnguento nardino dilutam, & tritam,purpureáque lana exceptam imponito. Vel recipe chiæ maſtiches, & aloës ana vnc.j.diluantur,& diſſoluantur in oleo de abſynthio,ac nardino, & ſimiliter cum purpurea lana ventriculo imponantur,aut olei maſtichini,& de abſynthio,ac nardini,ſingul.vnc.j.excipe,& menthæ ſiccæ,cinnamomi,maceris, & galangæ ana drach.j.chiæ maſtiches drac.iiij.permiſce,& cum pauca cera vnguentum facito,ac imponito. Item vtriuſque mẽthæ,& abſynthij ana p.j.excipe, cinnamomi,chiæ,maſtiches,& ligni aloës ana drach.ij.corticum citri, maceris, calami odorati ana drach.s.caryophyllorum ſcrup.j.roſarum rubearum ſiccarũ manip.s. Omnia contundito, ſimúlque miſceto, & ſacellos in ſcutiformi figura formato,ac ſtomacho imponito,qui inſuper macerari in vino græco,aut guarneto poterunt,in quo abſynthij parum fuerit decoctũ, & ſæpius iterati calidi applicentur. Verùm vbi emplaſtris magis vti volueris, chiam maſtichen aſſume, quæ in oleo nardino,ac de abſynthio diluatur, ac maceretur quantum ſatis ſit, ac dimidiam quantitatem eius,ipſius aloës adiice,adeò vt in emplaſtri formam redigantur,in corióque ſcuti formam obtinente extendas,& vtere, & ſi mauis

cinnamomi, maceris, caryophyllorum, ac calami odorati exiguum puluerē addere poteris, ex torrido item pane, vino grȩeo, aut guarneto macerato, & vtraque mentha, ac abſynthio contuſis, ac cinnamomi aloës, & chiæ maſtiches puluere optimum medicamentum ad frigidum, ac laxatum ſtomachum parabis. Sæpe tamen accidit, vt in ipſo ventriculi ſinu contentus humor vomitum excitet, qui humor per vomitum etiam expurgatus cauſa eſt, vt prior vomitus facilè quieſcat, & propterea non ab re prouocari etiam debet cum aliquo ex prædictis vomitus. Pari etiam ratione vbi multa, aut corrupta alimenta in eo taliter contineantur. Nanque vtilis eſt vomitus plenis, & biliofis omnibus, ſi vel nimium ſe repleuerunt, vel parum concoxerunt. Nam ſiue plus eſt quàm quod concoqui poſſit, periclitari ne corrumpatur non oportet. Si verò corruptum eſt, nihil cōmodius eſt, quàm id qua via prædictum expelli poteſt, eiicere, Celſo auctore eodem cap. 3. libri primi. Id quod dicere ſolent medici, Vomitus vomitu curatur. Quanquam non propterea euertunt Hippoc. ſempiternæ veritatis axioma, quod videlicet contrariorum contraria ſunt remedia, & quod curatio perpetuò à contrariis fiat, cùm per vomitum humores euacuantur, qui nauſeam, & vomitum ſtomacho inferebant; & propterea per cōtrarium fit curatio. Nam prorſus euacuare alienum, naturæque inimicum humorem, eiuſdem retentioni
Comment. 2 cōtrarium eſt, Galeno auctore ſexto de Morbis vulgar. reſcindit etenim vomi-
Comment. 9 tus eum affectum, ob quem priùs & nauſeabundi ægri erant, & vomebant cauſa per eum abſciſſa. Verùm vſque adeo iuuari à medico vomitus debet, quo ad naturæ commodum fiat, ac per eum id quod contriſtat, expellatur: vbi autem immodicus fuerit, nec ad animalis commodum fiat, ſed per eum id quod non deberet expelli, excernitur, & propterea non conferat, is reprimi debet Hippoc. auctore aphor. 2. primi, & ſecundo quarti libri. Quo caſu (vt inquit Aetius) extremæ corporis partes fricentur, manibúſque calefactis palpentur, & violentiùs adſtringantur, deinde pedes, & manus in aquam ſolito calidiorem demittantur. Stomachus quoque abſynthij cremore irrigetur, apio inſuper, cumino, aut petroſelino adiuncto, vtraque mentha, ac ſpica, necnon cinnamomo, & chia maſtiche, ſeu calamo odorato, macere, & galanga, pauco vino adſtringente odorifero addito. Ex iis quoque epithemata fiant, vbi prædicti fuerint redundantes ſucci frigidi. Nam ſi calidi fuerint à toto, vel ab aliis partibus tranſmiſſi, ſantalum, roſa, corallum, ac alia infrigidantia abſynthij cremori adiungenda ſunt. Odoramenta etiam, vbi immodicus fuerit vomitus, naribus olfacienda admoueantur, ex eiuſdem Aetij decreto, velut ſunt roſæ, mala cotonea, pulegium, mentha, ſpica nardi, vel ex aqua roſacea, myrtina, ac florum citrangulorum cum pauco aceto roſaceo odoramentum fiat. Poteris inſuper addere ſantalos, citri corticis, ambræ, ſeu moſchi parum. Cæterùm affectione diutiùs permanēte, & cibis præ morbo non retentis, cucurbita ad os ventris cum plurima flamma affigatur, donec locus rubefiat, atque ipſa adhuc affixa, cibus præbeatur, ex eiuſdem Aëtij monumentis, ac Pauli cap. 55. lib. 2. Cibus autem frequenter, & paulatim dari debet, vt dictum eſt antea, poſt quem ſemper aliquod adſtringēs præbeas. Ex palmulis quoque, malicorio, & galla, vino adſtringenti incoctis, & pane toſto ſimul contrito, puluereque chiæ maſtiches, ac cinnamomi cataplaſma applicandum parari poterit. Et ſi bilioſi fuerint ſucci, ac calida ventriculi intemperies acacia, hypociſtis, balauſtium, rhu cataplaſmati adiungantur, ac prædicta in poſca decoquantur. Ad quotidianas autem nauſeas, & aceſcentem cibum, ac vomitus, coriandri ſemen tenuiſſimè tritum cochleari menſura veluti farinam aquæ inſperſum bibendum præbet Aëtius, aut maſtiches cochleare ex frigida aqua, vel lactucæ albæ ſemen cochleari menſura ex aqua iis qui ſtomacho exuruntur. Ad vomitum reſtinguendum confert ex Plinij Secundi ſententia libro ſecundo, cap. 11. ſi maſtiches vnc. j. cumini denarium vnum accipias ſeparatim trita, poſtea vua paſſa enucleata permiſceas, & linteo inductum ſtomacho ſuppones, ſimiliter mēthæ cacumina cum ſucco mali granati trita, &

potui

potui data,& ad eos,qui cibum continere non poſſunt,& eiiciunt, betonicæ denarios duos accipe,mellis decocti,quod ſufficiat paſtillos facito , & ex his paſtillum vnum glutiat,ex aquæ calidæ cyathis duobus,vt ipſe inquit. Sanguinis autem vomitus cap.de cruenta ſpuitione ſtudioſi remedia petant.

Περὶ φλεγμονῆς τοῦ στομάχου ἢ κοιλίας. Id eſt, De inflammatione ſtomachi,vel ventriculi. Caput LXVIII.

VEluti cæteræ corporis partes, ſic quoque ſtomachus inflammatione tentari poteſt , quæ licet variis modis in Galeni doctrina intelligi poſsit, hic ea duntaxat , quæ ex calidis redundantibus ſuccis oriri conſueuit, per φλεγμονὴν hoc eſt inflammationem intelligi volumus ſiue ſanguis fuerit, ſiue bilis, aut vterque quomodocunque permixtus.Cùm itaque ea oritur ſiue in ore , ſiue in alia quauis ventriculi parte,ex dolore ſimul cùm poſitu pars ipſa affecta facilè dignoſcitur; ſimiliter & ex proprij eiuſdem partis muneris oblæſione,appetentiæ ſiquidem, ſi in ore ventriculi, concoctionis autem, ſi in eius cauitate excitetur. At quòd ipſa morbus compoſitus ſit in magnitudine primò,& ſecundò in intemperie, & tertiò in ſoluta continuitate,luce clariùs patet apud Galenum cùm lib.de different.morborum,cap.12.tùm 3.de temper.cap.5.lib. de inæquali intemper.cap.3. ac reliquis pleriſque locis.Quapropter non ab re eàm inſequuntur tumor præter naturam,grauitatis,ac multi caloris ſenſus , & dolor circa partem affectam, accedunt ad hæc ſitis valida,& febris ardens,tumor autem & calor etiam tactu à medico iudicari queunt.Nauſea quoque conſequetur,propterea quòd inflammationis cauſa in ventriculi tunicis contineatur. Verùm vbi bilioſus magis redundet ſuccus; ita vt inflammatio eryſipelatis naturam referat , vehementer erit ardor,ſitis immoderatior,ac ardentiſsima febris,ſed minor tumor, ac grauitas.Ex quibus etiam ſignis interſtingui poterit diuerſa cauſa eiuſdem inflammationis,præcedente victus ratione,ætate,temperamento,anni tempore,ac reliquis non prætermiſsis. At vbi ſtomachus inflammationem ſuſtinuerit, magna opus eſt diligentia, vt inquit Alexander cap.14. libro 7. Quoniam maximum morbum, & neceſsitatem corpori affert.Quòd ſi imbecillis fuerint viribus,qui ea laborant,mortifera vt plurimum eſſe ſolet. Quamuis nedum ii , ſed etiam qui valentiores ipſis ſunt, ab ea interimi conſueuerunt. Nam quibus vel iecur, vel ventriculum phlegmone obſidet, veluti pleuriticis peripneumonicis, ac ſynanchicis vna ſalus eſt, videlicet ipſum virium robur , ex Galeni decreto decimo methodi medendi,cap.5:Pro eius itaque curatione aër temperatus, ſeu parum ad frigidum vergens eligatur.Somnus item moderatus,aut paulò breuior. Nam ſi longior fiat quàm oportet, potiùs ipſa inflammatio augeretur, detento inſimul in tali ſomno intus,nedum præter naturam calido innato,ſed alieno, & eo qui præter naturam eſt ; ad quorum detentionem non immeritò inflammatio ipſa (vt diximus) augeretur.Similiter quies iniungenda eſt, motúſque vitandus, nam prima ſunt (vt inquit Celſus cap. 5.libro quarto) quies, & abſtinentia.Et ſi aluus ſuapte natura humecta non ſit , lenibus clyſteribus lenienda erit. Immodici animi affectus non parum nocent , & propterea vitandi ſunt. Quantum verò ad cibum, & potum attinet, dicebat Galen. decimotertio methodi medendi,cap.13.quòd in inflammatione cùm iocinoris,tum vĕtriculi exquiſitiſsimo victu eſt opus, quippe cùm munus eorum toti animali commune ſit,accedítque omnibus animalis partibus maximum incommodum , ſiue non probè concoctum alimentum ſit,ſiue non ritè in ſanguinem cõuerſum. Quanquam commune ſit in qualibet partium internarum inflammatione tenuiſsimo vti victu,modò vires valeant. Speciatim autem vti poſſunt , qui ſtomachi, aut ventriculi inflammatione laborant,pro cibo,ptiſana,ſeu eius cremore , & ſi eryſipelatis magis naturam referat,vti poterunt lactuca , cichorio, ſeu endiuia,

Partis affectæ dignotio.

Quis affectus præter naturam ſit inflammatio.

Eiuſdem inflammationis ſigna.

Cauſæ.

Prognoſtica.

Curatio.

Victus ratio.

quam vulgus ſcariolam vocat, in aqua hordei decoctis, aut in paruorum pullorum gallinaceorum iure. Pro potu aqua hordei vtantur, aut ea, in qua ſemina coriandrorum præparatorum fuerint decocta, ſeu exiguum cinnamomum, cui iterum adiicere poteris ſucci malorum punicorum acidorum parum. A vino autem, & carnibus quibuſcunque omnino abſtinendum, quoad vires valeant. Confeſtim autem, modo nihil prohibeat, vena ſecanda erit, eáque interna, præſertim vbi totius corporis plenitudo adſit omnium humorum ex æquo, aut ipſius ſanguinis, & prout vires ferunt, ſanguinis quantitas extrahatur, etſi opus fuerit denuò repetatur. Vbi verò bilis redũdauerit magis, eadem quoque vena ſecanda erit, minor tamen ſanguinis quantitas educenda. Vtendúmque pariter in vtriſque frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, ac reliquis diuerſionibus, præſertim circa initia, ac omnino à medicamine, quod aluum deiiciat, abſtinendum eo tempore eſt, quo phlegmone ventriculum, aut inteſtina occupare cœperit, ſiquidem longiſsimè à tentata fluxione parte quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit, ex eiuſdem Galeni ſententia præcitato libro 13. methodi medendi, cap. vndecimo. Poſt hæc ad ea, quæ extrinſecus applicantur, confugiendum eſt, quæ mixtæ facultatis eſſe debent, quemadmodum in inflammatione iecinoris diximus, idque non in generatione phlegmones modo (vt Galenus inquit) nam id omnium inflammationum commune eſt, quando etiam ſi quis repellentibus tantum illo tempore vtatur, non peccet, ſed etiam cùm nec affluat amplius quicquam, nec repelli poſsit, id quod in laborante particula continetur, propterea quod tunc multus in ea ſanguis contineatur, iſque craſsior, atque vehementer impactus, & virtus partis iam debilior eſt, vtpote cùm in ſuo vigore cõſiſtat, quo tempore vna duntaxat quæ à phlegmone ſumitur, agendorum eſt indicatio, hanc διαφόρησιν Græci vocant, huic tamen ea, quę à parte affecta ſumitur indicatio eodem etiam tempore copulanda erit. Quæ quoniam ex numero earum eſt, quarum munus toti corpori eſt ex vſu, ſiue os eius, ſiue cauitas afficiatur, propterea robur eiuſdem ſeruari debet. Non ab re itaque coëuntibus contrariis indicationibus, compoſitum quoque eſſe medicamentum oportet, eodem Galeno teſte præcitato libro 13. metho. meden. cap. 16. Id quod commune exiſtit omnibus partibus, quarum functiones vtiles toti corpori exiſtunt, vt ipſe inquit. Ob hanc igitur cauſam à principio ad finem vſque mixta curatio eſſe debet ex adſtringentibus, ac laxantibus. Attendendum autem, (vt inquit Alexander) qua re magis opus ſit, atque cuius copia magis intendi debeat: quamuis circa initia ſemper adſtringentia intendi debeant. Nam etſi eis duntaxat vtaris eo tempore non peccabis, ex Galeni auctoritate, vt diximus eodem decimotertio methodi meden cap. 16. Qua de re oleum omphacinum, roſaceum, aut citoniorum adhiberi poterit, vel etiam de abſynthio potiſsimum vbi non valida fuerit inflammatio, aut feruor ingens: vel ex roſis, & abſynthio parte vna, floribus chamæmelini, radicibus, ac foliis althęę parte media in aqua pluuiali decoctum fiat, & pauco aceto, aut vino albo aquoſo addito epithemata fiant. Inſuper ex oleo roſaceo omphacino, maſtichino, ac de abſynt. ana vnc. j. chamæmelino, & amygdalarum dulcium ana vnc. v. puluere ſantalorum, & corallorum rubeorum, ac roſarum rubearũ ſing. ij. drac. ceræ quod ſatis ſit, modicóque vino albo, aut aceto addito vnguentum fiat, & vtere. Quòd ſi majora adſtringentia requirat affectus, œnanthen, hypociſtin, balauſtium, rhu obſoniorũ, flores roſarum, ac reliqua huiuſmodi adiicere poteris, quæ ventriculo tum refrigerando, tum verò firmando ſunt idonea. Quemadmodum vbi laxantibus magis indigeas, vtpote in incremento, aut ſummo vigore inflammatione exiſtẽte, prędictis, quę laxant miſcenda, ac augenda ſunt, veluti chamęmelum, althæa, ſemen lini, melilotum, fœnumgræcũ, adeps anſerinus, ſeu gallinaceus, oleũ chamæmelinum, anethinũ, liliaceũ, maſtichinũ, ac vtriuſq; amygdalę, quibus omnibus, aut quibuſdã ſimul permixtis varia medicamẽta, prout vſus expoſtulabit componere valebis, cum epithemata, tum cataplaſmata, tum etiã vnguenta. Aëtius

Medicamentorum ratio.

Venæ ſectio.

Purgatio nũ exhibẽda ſit.

Topica.

vero

verò cataplaſmata huiuſmodi inflammationibus maximè conuenientia fieri præcipit ex hordeo,ſemine lini,melle,vnguento nardino,modicóque vino, adiecta maſtiche,& abſynthij coma. Verùm vbi moderata fuerit inflammatio etiam Gale.ceratum ſufficiens eſt, cuius deſcriptio habetur 8.meth. meden.cap. 5.Et vbi ſtomachus magis corroborari poſtulet,aloen augere conuenit, admiſceréque cum eo aut ſuccum abſynthij,aut œnanthen,aut ſuccum capreolorum vitis.Cæterùm vbi phlegmone prorſus inclinauerit,deiiciẽdi ventris cauſa,qui prorſus non deiecerit,nihil lędes,ſi vnc.iij.mellis aerei cum decocto vnc.j.tamarindorum exhibeas,aut vnc.iiij.ſyrup.ex pluribus infuſionibus roſarum,vel violarum vbi vehementior ſentiatur ardor.Amplius ſi vnc.j.aut vnc.j.& s.caſsiæ fiſtulæ cum cichorij decocto,aut aqua hordei præbeas,nedum nihil nocebis, ſed ſummopere proficies.Nam neque veretur Gale.hoc tempore etiam in iocinoris inflammatione (vt dicemus) vbi cauum eius afficiatur, purgantia medicamenta,modò valentiora non ſint,exhibere.Immo etiam & valentiora cum ptiſana permixta approbat,vt patet eodem 13.metho.med.cap.15.verbi gratia, filiculam,& corticem nigri veratri,quãuis ab hiſce adeò valentibus medicamentis abſtinere perpetuò,potiſsimùm in internis inflãmationibus,conſulerem.Si quid verò ſcirrhoſum relictum è phlegmone eſt,ita vt emollientia requirat, etiã corroborãtia,ac adſtringentia cum eis permiſceri debẽt,ex Tralliani decreto,quorum medicamẽtorum magna copia apud eundem reperitur, necnon apud Aëtium, & Paulum,& propterea vt ea conſcribam ſuperfluum fore putaui.

Lib.9. cap.16

Quo tempore purgatio præberi poßit.

Loco citato. Aëtio loco citato. Paulus lib.3. cap.36

Περὶ ἀπεψίας. *Id eſt, De cruditate.* *Cap. LXIX.*

IN alteratrice ventriculi facultate (quam concoctricem appellant,veluti & ipſam actionem,ſeu alterationem,concoctionem, quæ nihil aliud eſt quàm ciborum in conuenientẽ animali qualitatem alteratio,ex Galeni ſententia lib.de different.ſymptom. cap.4.Fit autem ea à ventriculo cibum ſibi aſsimilante, propter certam quandam elemẽtorum temperiem,quę proprietatem corporis eiuſdem efficit) accidit quandoque fruſtratio,quæ quidem ipſius alterationis, ſeu concoctionis ſymptoma eſt,eodem Galeno teſte 3.de cauſis ſymptoma.cap.1. Verùm cùm fruſtratur,propterea quòd nulla omnino alteratio fiat,id ſymptoma pręcipuè à Gręcis ἀπεψία,à Latinis cruditas nominatur,modo quo in animi functionibus immobilitas, & inſenſibilitas dicitur,ſignificantibus his vocibus actionis amiſsionem,ac priuationem.Quãdoque vitioſa alteratio fit,quæ iterum à Græcis ἀπεψία,à Latinis quoque cruditas nuncupatur,ſignificatur tamen non ſicut priùs priuatio,ſeu deprauatio duntaxat ipſius alterationis. Cùm autem deprauatio hæc duplex eſſe poſsit,vel quod tardè, & nondum conuenientem mutationem cibus ſuſcipiat,vel quod corrumpatur omnino,ita vt naturę gratiã prorſus recipere nequeat,priorem quidem Græci βραδυπεψίαν, Latini tardam concoctionem nominare ſolent,ſecunda verò nomen proprium non inuenit, vt patet eodem tertio de cauſis ſymptoma.Sed quoniam diximus ἀπεψίαν nominari poſſe tam priuationem concoctionis,quàm etiam eius deprauationem,tamẽ quia æquiuocè quæ vitioſa facta eſt, cum ea quæ omnino non fit, ſic nominamus.Propterea clarioris doctrinæ gratia,priuationem alterationis ἀπεψίαν,eius verò vitium δυσπεψίαν,ſicuti tarditatem ſeu imbecillam alterationem βραδυπεψίαν nominabimus.Erit nanque βραδυπεψία,ſiue cõcoctionis tarditas mutatio quædam in conuenientem qualitatem,ſed ægrè,& ſpacio lõgiore,nam velut inchoata,& deficiens in ea actio eſt.ἀπεψία omnimoda priuatio eiuſdem actionis. δυσπεψία verò alteratio in alteram qualitatem,non tamen in eam, quæ ſecundum naturam eſt,vt liquet apud eundem Galenum præcitato libro tertio de cauſis ſymptoma.cap.1. Et quanquam cruditas propriè nuncupetur ea concoctionis fruſtratio,in qua omnimodò priuata eſt actio, ita quòd alteratio non

ἀπεψία. δυσπεψία. βραδυπεψία.

Quid per cruditatem intelligendum ſit.

fiat; nam concoquendi tarditas (vt diximus) βραδυπεψία & eiuſdem operis prauitas δυσπεψία propriè nominari poterunt, omnes tamen nos vniuerſali vocabulo vtentes cruditates nominabimus, cùm in qualibet earum concoctio ipſa fruſtretur, vt diximus, & ex eiſdem ferè cauſis oriantur, maioris duntaxat, & minoris ratione diſsidentibus. At quia concoctionis opus in partibus ab ipſius ven-

Quæ pars in cruditate afficiatur.

triculi ore inferioribus fieri nemo negat, neceſſe eſt (vt Galenus inquit quinto de locis affectis cap. ſexto.) hanc ipſam partem cùm non bene diſpoſita fuerit, cruditatum eſſe cauſam. Non ab re igitur ventriculus ipſe ſecundum eius ſpacium ſeu cauitatem oblæſus eſt, cum & ipſum coctionis inſtrumentum ſit à natura fabricatum, quomodocunque concoctio vitiata fuerit, modò vitia eiuſdem à quopiam externo errore non proueniant. Fieri nanque poterit cruditas

Quis affectus præter naturam ſit cruditas.

1. de locis aff. cap. 3

5. de locis aff. cap. 6

aliqua (vt dicemus) abſque hoc quod ventriculus afficiatur, vt apud eundem Galenum liquet, cùm primo & quinto de locis affectis, tum tertio de cauſis ſymptomatum, cap. primo. Quapropter licet prædicta tria concoctionis ſymptomata dixerimus, eiuſdem functionis fruſtrationem inſequi, non tamen ſemper intelligendum erit, quòd facultas ipſa fuerit læſa. Nam cùm ab aliquo errore externo aliquod prædictorum efficiatur, nequaquam ipſa facultas læſionem patitur. Erunt itaque facultate ipſa oblæſa prædicta ſymptomata in genere noxæ functionum naturalium alteratricis videlicet. Verùm in vno ſymptomate, vtpu-ta in βραδυπεψία ipſa actio erit diminuta, in ἀπεψία ablata, & in δυσπεψία de-

Signa.

prauata. Duo autem priora ſymptomata facilè dignoſcuntur. Nam ciborum aſſumptorum qualitas ſiue ructare velint, ſiue vomere, planè ſeruatur, licet in βραδυπεψία acidi quandoque ructus fiant, interim ventriculus halituoſo impletur ſpiritu. Verùm deprauatam cõcoctionem ructus iniucundus proueniens manifeſtè indicabit, qui modo vnum, modo alterum vitioſum ſaporem præ ſe fert. Et ſi per aluum corrupti cibi deiiciantur, neceſſariò aderit deiectionum

Cauſæ.

graueolentia. Cauſa autem eorum ſymptomatum communis, alteratricis facultatis fruſtratio eſt, vt ſæpe diximus. Prima verò eiuſdem fruſtrationis cauſarum genera duo ſunt, vt idem Galenus inquit præcitato libro tertio de cauſis ſymptomatum, cap. primo. Alterum ex facultate ipſa læſa, alterum ab externo quopiam errore proueniens. Virtutis autem læſio adhuc bifariam eſſe poteſt, aut culpa propriæ ſubſtantiæ ex aliqua primarum qualitatum intemperie, vtpote cùm præter naturam calfacta, infrigidata, humectata, aut exiccata fuerit. Vel læditur virtus ipſa ab aliquo inſtrumentali morbo, vt eryſipelate, phlegmone, œdemate, ſcirrho, abſceſſu, & aliis huiuſmodi, quorum omnium occaſione venter facultate eius concoctrice oblæſa malè concoquit. Verùm in eiuſdem ventriculi temperamenti vitiis propria eius ſubſtantia labefactata concoctio læditur, in cæteris morbis, qui tantum ſunt inſtrumentales duntaxat impedita. Qui verò ex intemperie ſimul, & inſtrumentali morbo compoſiti affectus ſunt, vtroque modo ſunt noxii, ex ſententia eiuſdem Galeni præcitato loco. Ex tot itaque internis cauſis affectus ventriculus malè concoquit. Verùm ipſo minimè affecto, à nonnullis etiam cauſis concoctio impediri poteſt, vt propter cibi, ac potionis immodicam copiam, vel propter eorum qualitatem alienam, aut propter intempeſtiuitatem, intelligo autem per intempeſtiuitatem, acceptionem ciborum antequam prior cibus probè ſubierit, ac etiam præter conſuetam horam, ſimiliter propter incõgruum ordinem, vel ſomnum exiguum, aut vitioſum excrementũ. Quanquam ſi ex eo concoctionem fruſtrari contingat (etiam ventriculo ipſo minime affecto) inter internas cauſas connumerari debet. Cùm denique tot poſsint eſſe fruſtratæ concoctionis cauſæ, qua via ipſæ ſecernendæ, ac dignoſcendæ ſint, non ab re differendum putaui. Verùm ſi ex immodica cibi, ac potionis copia, vel praua eorundem qualitate, ſeu intempeſtiuitate, vel incongruo ordine, aut exiguo ſomno prędicta ſymptomata excitentur, haud ægrè ex laborante ipſo, ſeu adſtante percipi poterit. Interim verò vbi corruptela aſſumptorum ſequatur, ex ipſa corruptionis

differ

differentia, alimentorum qualitas præaſſumpta argui poterit. Nam ſi in fumoſam qualitatem corruptela vergat, argumentum eſt ex calidioribus, magíſque biliosis cibis prouenire. Si verò ad acidam, ex iis qui frigidiores natura ſunt, magíſque pituitoſi. At ſi in ventriculo cibi non ſuapte natura in fumum tranſmutentur, & quiſpiam fumoſum ructum emittat, efficientem huius cauſam calidam ipſius ventriculi intemperiem eſſe coniiciendum erit. Si verò ſaporem acidum referunt, eam frigidam eſſe neceſſe eſt, quamuis ſimiliter in excrementis fiat, cùm in ipſo ventriculo contineantur: nam acidas qualitates quidem creant, quæ pituitoſa ſunt & frigida. Fumoſa verò quæ calida, & bilioſa, vt liquet eodem libro tertio de cauſis ſymptomatum. Vt verò diſtinguas vtrum intemperies aliqua duntaxat calida, vel frigida, an vitioſus quiſpiam humor ventrem infeſtet, dare oportet cibos, qui ſuapte natura modo corruptionis quàm maximè aduerſentur, ex Galeni auctoritate, primo de locis affectis, cap. 4: vt panem illis, qui in fumum tranſmutare cibum conſueuerunt, mel autem iis, qui acidum à cibo ſaporem percipiunt, deinde conſiderare excrementa tum ea, quę euomuntur, tum quæ per aluum deiiciuntur, num humor aliquis cum illis quidem bilioſus, ac calidus, cum iis autem pituitoſus ac frigidus excernatur, an nullo vacuato humore ipſa exiguam quandam mutationem habeant. Nam ſi ſine humore perquàm exigua in ipſis facta mutatione, deiici videbis, intemperie duntaxat ventriculum laborare percipies. Si verò humor quoque deiiciatur, qui cibum corrumpere poſſit, videbis cibos huiuſmodi humore ſubmerſos, & ab ipſius ventriculi actione manifeſtiùs alteratos. Verùm vbi in tunicis ventriculi impactum contineatur excrementum, id quod ex inani nauſea, ſiue vomitu, quæ irritat duntaxat, & nullum humorem euacuat; dignoſces. Si calidum fuerit, præter nauſeam ſitis vehemens aderit, & interdum febris. Si frigidum, maior ciborum cupiditas excitabitur, nec ſiti, nec febri affligentur. Sed quoniã in eiuſmodi intemperies, calidam videlicet, & frigidam breui perducitur ventriculus, in humiditate verò, & ſiccitate, adeò intemperatus venter eſſe, vt actionem amittat, non poteſt ſine prolixo temporis ſpatio, vt inquit Galenus præcitato libro tertio de cauſis ſymptomatum: propterea humidæ, & ſiccæ eius intemperantiæ ſigna conſcribere prætermiſimus. Quamuis humidam intemperiem præceſſiſſe debet hydrops, ſiccam verò vel ſenium, vel maraſmus, vt idem Galenus inquit, & propterea ex eiſdem dignoſci poſſent. Similiter ex affectibus dictarum intemperierum, nam ſicuti frigido ſuperante, frigidi affectus excitari ſolent, & calido contrarij, eodem modo ex ſicco ſicci, ex humido contrarij affectus fiunt. Si verò ab inſtrumentalibus quibuſdam morbis prædicta ſymptomata oriantur, ex eorundem inſtrumentalium morborum propriis indiciis dignoſci queunt, quorum partim in præcedentibus tradita eſt notitia, partim etiam ex dicendis præſtabitur. Nunc autem tempeſtiuum erit, cùm valde ex vſu ſit, inueſtigare, ex qua prædictarum cauſarum parata ſit excitari βραδυπεψία, ſeu ἀπεψία, vel δυσπεψία. Pro quo dicimus quòd promptiùs βραδυπεψία, oritur ex exiguo ſomno, ex cibis, qui difficulter corrumpuntur, & ſi vltra quàm vires tolerant, ſumantur, ex eiuſdem Galeni auctoritate pręcitato loco, & Aëtij cap. 24. libri noni. Quemadmodum vbi citra corruptelam concoctionis omnino priuatio ſit, ita vt quales accepti ſunt cibi, tales permaneant iuxta omnem eorum qualitatem, quæ propriè ἀπεψία dicitur, ſcire licet prorſus ſuperatum eſſe ventriculum, aut ab immodica ciborum multitudine, vt ad virtutis imbecillitatem, vel à valido frigore, ſeu ob vehementem inſiti caloris refrigerationem, vt apud eoſdem liquet. Adeò enim in tali ſtatu venter non concoquit, vt etiam concoquere prorſus non tentet. Circa mediocres etiam, & conſuetos cibos ſi nihil in totum effecerit ventriculus, maximam eiuſdem eſſe intemperiem prodit. Cæterùm ſi cum corruptione cruditas oboritur; quæ propriè δυσπεψία dicitur, ex calida, vel frigida intemperie, præſertímque ex calida excitatur, cùm nullum eſculentum vehementer calfactum durare im-

Si ob calidã, aut frigidam intemperiem ventriculi fit cruditas, ſigna.

Loco citato.

Citato loco.

Si ob ſiccam, vel humidam.

putre poſsit, vt liquet apud eundem Galenum. Similiter ex recrementis calidis, aut frigidis, aut vitioſis ciborum qualitatibus iuxta ventrem conſiſtentibus. Aliquando etiam ex inordinata ſumptione ciborum, aut potuum, aut intempeſtiuitate fit, vt apud eundem Aëtium patet. Ex quibus itaque cauſis quodlibet prædictorum ſymptomatum oriri paratum ſit, ex his liquidò conſtat. Quare ad eorum prognoſtica veniamus, ac curationem. Etenim vitanda maximè cruditas aſsidua eſt, cùm ex ea vitioſi humores, morbique gignantur, ſiue ex boni, ſiue ex mali ſucci cibis fuerit orta, quanquam ea deterior ſit, quam vitioſi ſucci cibaria effecerunt, vt liquet à Gale. lib. de cibis boni, & mali ſucci. cap. 11. Quodcunque tamen prædictorum ſymptomatum ex cibis oritur, ex facili corrigetur. Quòd autem ex vltimo virtutis collapſu in lienteriam, aut tympaniam hydropem finitur, Galeno teſte eodem tertio de cauſis ſymptomatum, cap. 1. omnes quoq; magnæ ventriculi intemperies, veluti & aliarum partium virtutē deiiciunt, vt ibidem patet, & commento aphoriſ. 20. ſecundi libri. Et propterea cùm circa mediocres, & conſuetos cibos nihil in totum effecerit, maximam oſtendit ventris intemperiem, vt dictum eſt. Peſsima autem in amara bili abundantibus naturis cruditas eſt, citiſsiméque febrem accendit, in qua cibi in nidorulentam, & fumoſam qualitatem corrumpuntur, quando ea, quæ in acidam vertit, vt rarò talibus naturis contingit, ita minùs nocet, eodem Galeno auctore octauo metho. meden. cap. 5. Nidoroſa etiam, ac fumoſa cruditas minùs eiſdem noxia eſt, ſi aluus lubrica fuerit, ſin aſtringitur, grauis eſt, ſiquidem ex adſtrictione eius vitioſæ naturæ in febres promptè incidunt, præſertim ſi ad ſolita conuertantur opera, eodem Galeno auctore ibidem. Omnium etiam prædictorum trium ſymptomatū peſsimum eſt ἀπεψία., ſi vitio facultatis fiat, ſicuti βραδυπεψία, minùs affert periculi. Cauſa verò ex prædictis colligi poterit.

Prognoſtica.

Curatio. Nequis autem in cruditatem incidat, inquit Aëtius, cautione in omnibus prædictis eſt vtendum, vt neque in multitudine eorum, quæ in cibo accipiuntur, neque in qualitate, neque in acceptionis opportunitate, neque in ordine delinquant, & vt quæcunque concoquere valeant, ea tantùm ingerant, & non quæ appetitus expoſtulat. Menſuræ enim maximè omnium diligentem reſpectum habere oportet, appetitúmque refrenare, & neque pluſquam vires tolerent, accipere, neque quæ natura difficulter concoquuntur iuxta etiam tempus accipiendi cibi, neque impetuoſè, neque aceruatim, neq; ſolidis partibus, aut abſque commanducatione eos ingerere oportet, neque etiam potus cibum interpellet, id enim vnionem ciborum impedit, ſingulóſque ventri innatare facit, vt idem Aëtius refert. Somnus autem, & quies conferunt. Hæc communiter pro victus ratione ſeruanda in cunctis prædictis ſymptomatibus dicta ſatis. Nam ſi ſeparatim cuiuſlibet victus rationem conſcribere tentaremus, diuerſa quidem inſtituenda eſſet pro cauſarum diuerſitate, vtpura ſi ex intemperie calida, aut excrementis calidis excitarentur, contraria victus ratio præcipienda eſſet, pariter ſi ex frigida intemperie, aut excrementis frigidis, ad calidum vergentem victum inſtituere oporteret. Quas victus rationes diuerſas poterunt etiam ſtudioſi ex iis, quæ in præcedentibus ventriculi affectibus præcepimus, petere. Nec ſecus & medicamentorum rationem reperient, tam ſi calida fuerit, quàm frigida ventriculi intemperies citra humores, vel cum humorum redundantia, potiſsimùm cap. de nauſea, & vomitu. Ibi etenim & quæ alterant, purgant, ac roborant pro vtraque intemperie, ac vtriſque excrementis corrigendis abundanter conſcripta reperient. At ſi ex aliquo inſtrumentali morbo prædicta excitentur ſymptomata, nemini in dubium venit, quòd in eorum curatione, & ipſa quoque delentur. Verùm vbi ex alimentorum multitudine, quæ concoqui nequit, aut eorum vitioſa qualitate cruditas fiat, confeſtim procurandum erit vomitu, aut purgatione per infernas partes ipſos expurgari: eiciendus etenim eſt cibus ſi coactus intus, aut computruit, ex Celſi auctoritate libro quarto capite quinto. Dico vomitu ſi laborantes facilè vomant

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

mant ſuapte natura,nam cogere eum,qui vomere non poteſt,abſurdum eſt, ex Galeni decreto primo de locis affectus.cap.4. Erit quoque iis qui ſuapte natura facilè euomere poſſunt,vomitus proritandus, quo promptiùs euomant potu aquæ tepidæ multæ,pauco aceto aut ſyrupo acetoſo permixto, ſeu oxymelite. At ſi vomere haudquaquam valeāt,præſertim vbi multum, aut corruptum nutrimentum notabiliter ad inferiora ventris ſit motum,adiuuandum eſt,vt citiùs deſcendat,aut glande ſubdita,aut leui per inferius infuſione,per clyſteres videlicet,vt octauo metho.medendi,cap.5.à Galeno ſcriptum eſt, veluti etiam ſi crudum, aut diminutè concoctum in ſuperiori ventriculi parte alimentum adhuc conſiſtat,modo concoqui poſsit, aliquid diatrionpipereon dabis ſimpliciſsimi quidem,modo quo ab eodem Galeno libro quarto de ſanitate tuen.cap. 5. ſcriptum eſt.Vel ſi id haberi nequit,tantundem piperis longi,aut albi, ſi hoc adſit, aut nigri exhibere conuenit.Similiter extrinſecus adhibitis concoctio iuuanda erit, vt ſi expanſa manu os ventris apprehendatur, aut puerulus carnoſus admoueatur, vt Aëtius refert. Nam quid æquè concoctioni ventris conferre nouimus atque corpus humanum illi impoſitum, Galeno auctore, quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, & ſeptimo metho. medendi. Proinde quidam puellos boni habitus noctu admouentes per quietem longe euidentiſſimum adiumentum ſentiunt, eiuſdem quoq; vtilitatis gratia quidam paruos catellos per quietem ventri imponunt,vt apud eundem liquet præcitatis locis. Verùm ſeruandum ante omnia eſt,ne puellus humecta ſit cute, qui enim noctu ſudore profunduntur,refrigerant potius,quàm calfaciant,vt ipſe Gal. inquit,neque iis duntaxat,ſed reliquis quoque medicamentis moderatè calidis ab extra adhibitis concoctio iuuari poterit. Quorum ſyluam habes in præcedentibus conſcriptam,& à Galeno octauo meth.meden.cap.5.Quòd ſi non ex alimentorum praua qualitate,ſed intempeſtiuitate,aut inordinata eorum ſumptione,ſeu exiguo ſomno,cum corruptela cruditas generetur, non alia ratione curari debet,quàm ſi ex prædicta alimentorum vitioſa qualitate, aut multitudine fuiſſet excitata.Illud tamen particulatim attendendum erit, quòd quibus ob flauę bilis copiam,in ventriculo contentam,vel calidam admodum eiuſdem intemperiem δυσκρασίᾳ, ſeu cruditas cum corruptela accidit,cibos corruptu difficiles difficiléſq; concoctu offerre conuenit.Nam quæ concoctu difficilia ſunt,non facilè alterantur,ac corrumpuntur, ſed ſi in multum calorem inciderint, concoquuntur magis,quàm ſi moderato occurrerint ex Gal.decreto primo de alimē. facult.cap.1.quod etiam confirmauit Celſus eodem cap.5. lib.4.

6. de ſimplic. med facult. cap.6.
7.meth. c.7.

Περὶ πνευματώσεως, καὶ ἐμφυσήματος γαστρός. Id eſt, De inflatione ventriculi. Cap. LXX.

PRAETER iam dictos affectus accidit quandoq; ipſi ventriculo vt inſtrumento coctionis,retentrice,ſeu complectēte ipſius facultate imbecilla exiſtente,affectus quidā,qui à Græcis,præſertim à Paulo cap.38.lib.tertij,& à Galeno tertio de cau. ſympto. cap.2. πνευμάτωσις γαστρὸς dicitur, quāuis quandoq; ab eodem Galeno (vt patet 14.meth.med.cap.7.) ἐμφύσημα nuncupetur,à Latinis autem inflatio ventriculi appellatur. qui affectus nihil aliud eſt,quàm eiuſdē ventriculi diſtētio,& dolor ex flatuoſo ſpiritu.Nam cùm flatuoſus ſpiritus in eo gignitur, aut per os excernitur,& ſic ructū creat aut per ſedē,quo caſu ſonorū,ſilentémve flatum gignit,vel ipſe neutra parte emittitur, & ſic affectum creat, qui inflatio vocatur ex Galeni auctoritate tertio de cauſis ſymptomatum,cap.2.Ventre ſcilicet impotente ad excremētoſum,nebuloſúmq; excernendum ſpiritum, quos omneis Hippocr.ſimul cum Galeno vlt.aphoriſ. 5. lib. πνευματώδεις, hoc eſt, ventoſos appellat.Inflationis verò generatio vitio retentricis, & complectentis facultatis prouenit,nam eius probitas in duobus conſiſtit,cùm videlicet tempus

Quid ſit inflatio ventriculi.

comple

complectendi cibi cum tempore concoquendi exæquat, ac cum cibos prorſus vndique conſtringit, ita vt nullum locum relinquat inter ventrem,& cibos vacuum, ex eiuſdem Galeni ſententia. Verùm iniuſtum complectendi tempus excretio celer,& ciborum in inferiori ventre corruptela conſequuntur. Imbecillum verò ciborum complexum modo clydones, hoc eſt, fluctuationes cum ſonitu ſuccedunt, modo verò inflationes. Differũt autem hi duo affectus, quamuis ambo imbecillam retentricem facultatem conſequantur, ſeu eam prorſus non complectentem, tum ratione materiæ, tum etiam ratione cauſæ efficien-
Loco citato. tis, vt apud eundem Galenum liquet præcitato libro tertio de cauſis ſymptomatum. Verùm relicta fluctuatione cum ſonitu, quam Græci κλυδῶνα appellant, quæ citra potionem fieri non poteſt, ſed ventre valenter perfrigerato, vel
Quæ pars in inflatione afficiatur. eùm in eo nihil contineatur, quod verti in flatum poſsit, efficitur, ad inflationis tractationem deueniamus; aſſerentes primò quòd in ea venter vt coctionis inſtrumentum afficitur, vt eodem libro de differentiis ſymptoma. cap. 4. liquet. Id verò liquidò patere poterit ex fruſtrata eiuſdem propria ventriculi coctione, propterea quòd retentrix, ſeu complectens facultas non vndique prorſus cibos conſtringit propter eius imbecillitatem, ſed locum quendam vacuum derelinquit inter ventrem, & cibos. Accedit ad hæc eiuſdem ventriculi diſtentio, ac circa eundem tumor. Hic affectus à Galeno 14. metho. medendi, cap. 7.
Quis præter naturam affectus ſit. inter morbos reponitur in quantitate, ſeu magnitudine. Verùm ab œdemate diſcrepat, quoniam œdema prementibus nobis cedit, digitíque admodum altè
Quomodo ab œdemate differat. in ipſum deſcendunt. Inflatio verò digitis preſſa veſtigium non retinet, ac ſonitum veluti tympanum reddit, ex eiuſdem Galeni decretis eodem 14. meth. me-
Loco citato. dendi. Grauitas quoque,& diſtentio nedum circa ventrem ipſum, ſed iuxta totum pectus. Aliquando verò retro iuxta collum, ac dorſum, atque ipſa vertibula irruit. ſæpè autem & vtrinque occupatos tenet. Aliquando & tumorem circa os ventris efficit, ructúſque inanes hinc fiunt modicè alleuantes, & inhibitio flatuum, qui per aluum excerni conſueuerunt. Quibuſdam eorum dolores accidunt, & appetitus perditiones, ac capitis dolor, vt patet ex Aëtio Archigenis auctoritate, cap. 27. libri noni. Si verò ante perfectam reſtitutionem cibum accipiant, amplius membra ipſa inflantur, & cum dolore diſtenduntur, leuantur autem alimento infernè ſubeunte, & flatibus, ſiue per ructus, ſiue per inteſtina excluſis, vt idem Aëtius inquit. Vbi verò flatuoſus ſpiritus per inteſtina mouetur, multiformes edit ſonitus, quorum non omnes nomina ſunt ſortiti. Verùm prudenti viro ex diuerſis ſonitus differentiis quale, quantúmq; excrementum ſit, ac quo maximè loco voluatur indicare poteſt (vt eodem tertio de cau. ſym-
Cauſæ. ptomatum, cap. 2. apud Galenum legitur.) Ipſius itaque inflationis cauſa ſpiri-
Loco citato. tus flatuoſus exiſtit (vt eodem 14. meth. meden. à Galeno ſcriptum eſt.) Verùm
Modus generationis. quoniam oportet medicum non ſolùm ſympto. agnoſcendorum facultatem habere, ac generationis eorum inueniendæ peritum eſſe, ſed etiam modi quo generentur, qui inter effectricium cauſarum differentias numeratur ex eiuſdem
Flatuoſi ſpiritus generatio, ex quibus fiat. Galeni ſententia præcitato lib. tertio de cauſis ſymptomatum. cap. 1. Propterea non ab re fuerit modum generationis eiuſdem flatuoſi ſpiritus, ac inflationis diſſerere. Fit nanque (vt Galenus inquit) halituoſorum ſpirituum, ſeu flatuum generatio in ipſis, quæ in ventre ſunt locis, ſuccis quibuſdam pituitoſis, vel cibis ubi à deficiente calore in halitum ſolutis, ſyncera enim frigiditas prorſum halitum non facit, quòd ſcilicet ea nec attenuat omnino, nec conficit, nec alimentum diſſoluit. Fortis autem calor cum longo interuallo nutrimentum ſuperet, ampliùs quàm pro halitu generando id attenuat, niſi tamen flatuoſum ſit natura. Nam tunc gignitur quidem ſpiritus turbidus, ac (vt ſic dicam) nebuloſus, exiguus tamen, & breuis temporis, ita vt vno, vel altero ructu vacuetur. Verum calor mediocris, qui in cibos agit quidem ſed diminutè, & eos quodammodo diſſoluit, non tamen prorſus conficit minoris efficaciæ exiſtens, atque hunc oritur flatuoſus ſpiritus. Nam tanquam extrinſecus tum frigidiſsimi ſtatus ſunt.

ſunt ſereni, ſolentque magis flante borea fieri, tum calidiſsimi, qui æſtatis tempore incidunt ambientem aërem purum reddunt: qui verò inter hos ſunt, nebulam gignunt. Itidem in animalibus, neque in caloris ſumma imbecillitate, nec cùm idem nimium eſt vehemens, ſed in iis (qui inter hos ſunt) ſtatibus flatuoſum excrementum gignitur, quemadmodum decretum reliquit Galenus præcitato libro tertio de cau. ſymptomatum. cap. 2. Patet igitur ex iis flatuoſi ſpiritus generationis modus, quoniam ex humoribus, vel cibis languida caliditate in vapores diſſolutis, in ventriculo generatur, vt liquet apud eoſdẽ Paulum, & Aëtium præcitatis locis, & cùm ipſe expelli nequeat, eodem ventre impotente ad excernendum, intus detentum prædictum affectũ (quem inflationem ventriculi vocamus) creat.

Concluditur modus generationis inflationis.

Verùm ſi ex flatuoſis cibis inflatio oriatur, ex exiguo, & breuis temporis ſpiritu flatuoſo orto, qui vno, vel altero ructu vacuatur, comprehendi poterit. At ſi ex eiſdem cibis natura ſiquidem non flatuoſis, ſed in vapores per mediocrem caliditatem reſolutis, inflatio fiat, ab aſſumptione eorundem paulo poſt tempore inflatio generabitur, & proinde ex laborantium, ſeu aſtantium ſermone id promptè percipies. Verùm ſi neque aſſumptio ciborum præceſſerit, neque eorundem natura flatuoſorum, pituitoſos humores in ventriculo contentos, ac in halitum ſolutos, inflationis cauſam eſſe exiſtimabis. Nam ſi ex atræ bilis in eundem ventriculum effuſione flatus quidam generetur, quam affectionem hypochondriacam, ac flatuoſam nominant, præter reliqua peculiariter metus, & mœſtitia aderũt, quemadmodum cap. de melancholia, diſſeruimus, & propterea non eſt cur hìc iterum de ea mentionem faciamus.

Cauſarum diverſarum notitia.

Quantùm verò ad prognoſticã ſpectat, non omnino deſpiciẽda eius curatio eſt. Nam vbi diu perdurauerit, metus erit ne in hydropem ſiccam præcipuè terminetur, & ſi multiplicetur ventriculi inflatio in conualeſcentibus recidiuam ſignificabit, nanque qui à morbis immodicè ſe ſatiant, flatuoſi, ac toto corporis habitu turgidi redduntur, vt eodem tertio de cau. ſymptomatum, cap. 1. à Galeno decretum eſt. Quòd verò qui morbo regio laborãt non multũ ventoſi ſunt, ab Hippocrate aphoriſ. 72. quinti lib. ſcriptum eſt.

Prognoſtica.

Indicatio verò curationis omnium inflationum communis eſt, Galeno auctore 14. metho. meden. cap. 7. Vt quòd præter naturam eſt vacuetur, in quocunque id cõtineatur loco. Propria verò poſt hanc communem eſt, vt tenuiſsimis, & calidis poteſtate medicamentis id perficiatur.

Curatio.

Qua de re aër eligendus erit ad calidum vergens, ſomnus ſolito longior concilietur, nam vbi ſomnus acceſſerit, inquit Paulus, etiam ex toto leuat affectos, mirificè etenim concoctionem iuuat, vt patet 12. meth. med. cap. 3. Exercitatio primò leuis, deinde maior adhibenda eſt, maximèq; ea, quæ ſuperiores partes moueat, quod genus (vt Celſus refert cap. 5. libri 4.) in omnibus ſtomachi vitiis aptiſsimum eſt. Frictiones item extremarum corporis partium ſi adhibeantur, conferunt. Aluus omnino ſit lenis, & vbi fuerit adſtricta citra dilationem clyſter infundendus (ex Aëtij ſententia.) Interponenda quoque abſtinentia eſt, ex decreto eiuſdem Celſi. Nam inedia actioni huic neceſſaria exiſtit, Aëtio teſte, præſertim vbi ex diſſolutis in vaporem cibis orta fuerit inflatio. At ſi eam ferre non poſsint, cibi exhibendi ſunt calidi, minimèque inflantes: eodem modo calidæ potiones, ſintq; concoctu faciles, & boni ſucci, quantitate exigui, diuidantur autem ex ſententia eiuſdem Aëtij, ita vt in prandio tertiam, in cœna verò reliquas duas accipiant partes. Fructuũ verò, ac olerum humidorum eſum ſemper habeant ſuſpectũ. Potus cibum non interpellet, per omnem tamen cibum vinum meracius exhibeatur, at non multum. Nam multum potum tanquam infeſtiſsimum hoſtem deuitent, vt liquet apud eundem Aëtium,

Victus ratio.

& ſi non ita diu ante cibum ſumpſerit, aut cibus fuerit natura flatuoſus præaſſumptus, primùm vomere præcipe, cui auxiliari poteris potione aliqua earum, quas præcedente cap. commemorauimus. Poſt verò vomitum eos fouere oportet ex oleo, quod tenuium ſit partium, quandoq; rutam habeat incoctam, aut aliquod calidorum ſeminum, cuiuſmodi ſunt cumini,

Medicamentorum ratio.

apij,

Loco citato. apij,& petroſelini,ex Gale.decre.eodem 14. metho. medendi. Quandoque verò diutius perſeuerante affectione, maiorique exiſtente frigiditate præter iam dicta,daucus,baccæ lauri,nigellæ,& rutæ ſemen oleo incoquantur,ac ex eo irrigationes fiant. Interim etiam proſunt calida, & ſicca fomenta, quæ ex milio, aut etiam milio & furfure parari poſſunt, præſertim ſi mediocris fuerit dolor. Vel ex ſemine lini, hordeacea, & loliacea farina cumino, & ſemine anethi, aut apij,aut fœniculi, oleo rutaceo, aut hydromelite cataplaſma conficiatur. Quandoque verò admiſcendum eſt oleum laurinum, vel tragoriganum, centaurij coma,aut eryngij ſemen, vel radix,baccæ lauri, aut melanthium. Cucurbitulæ etiam cum multa flamma admotæ bonæ magnitudinis vmbilicum vndique comprehendentes toto ſymptomate frequenter vniuerſum liberant, vt Loco citato. Paulo viſum eſt,licet ante eum Galenus præcitato libro 14.meth.meden. de ea ſic ſcriptum reliquerit. Aliquando verò & cucurbita magna bis, térve ſine inciſione medio ventri affixa, tanta verò ac taliter applicata étiam totum vmbilicum comprehendet, & 12. lib. eiuſdem pro curatione doloris ex ſpiritu flacap.ulti. tuoſo orti propriam quandam curationem ex cucurbita cum flamma copioſa ſubinde admota moliri teſtatur,videbitúrque tibi (vt ipſe inquit) præſidiũ hoc in huiuſmodi affectibus incantamenti cuiuſquam ſimile quid efficere, ſiue in inteſtinis, ſiue in quauis corporis particula talis dolor fuerit excitatus, illico enim cucurbita admota, qui ſpiritu flatuoſo cruciantur tum à dolore liberi, tum omnino ſani redduntur.Glandes quoque interim confidenter, & citra dilationem ſupponendæ ſunt ex rebus flatum diſcutientibus formatæ, velut eſt rutæ ſemen, & cuminum æquali pondere cum melle cocto, aut ex rutæ foliis contuſis,cumino,pauco ſale, & caricis ſimul inuolutis balanos confice. Poteris inſuper clyſteribus vti,quos ſic parabis, Recipe foliorum rutæ, florum chamæmeli,pulegij,& calaminthæ an.manip.s.ſeminis aniſi,fœniculi, dauci, & cumini ana drac.iij.furfuris p.j.caricarum num.iiij.fiat decoctum ſecundũ artem, de quo libram vnam aſſumito,adiicitóque vnc.iiij.olei anethini, chamæmelini, vel rutacei,mellis roſacei vnc.ij.confectionis de dactylis drac. ij. diacath. drac. vij.vel benedictæ drac.iij.miſce,& fiat clyſter pauco ſale addito.Vtilis quoq; eis exiſtit in ieiunio potio abſinthij,aut hyſſopi,aut rutæ,vt Celſus refert, ariſtolochia inſuper longa,ſiue rotunda drac.pondere potata flatum diſſoluit, & tardè concoquentes iuuat,quod & calaminthæ decoctum, aut etiam poliũ cum melle modico,& pauciſsimo pipere tenuiſsimè trito facit ex Aëtij teſtimonio.Similiter ouillus talus,aut ſuis,vt Paulo viſum eſt,vſtus,& potatus,torminibus,ac inflationibus medetur.Vtile etiã eſt caſtorium ex poſca bibitum drac. j. pondere acceptum,& acetum ſcillinum,tum ante,tum poſt cibum, aut ante ſomnum, ſi ipſum abſorbeat,vt patet apud eundem Aëtium. Nec minùs confert ſi drac.j. exhibeatur confectionis de cinnamomo,aut de xyloaloë,dianiſi,aut diacumini, diacalaminthæ,aut diatrionpipereon cum exiguo vino diluto. At ſi ex pituitoſis humoribus in halitum diſſolutis cùm in ventre contineantur, inflatio fiat, priuſquàm tales euacuentur ſucci, nullũ prædictorũ medicamentorũ exhibendum erit, euacuabuntur porrò aut vomitu, ſi laborantes natura proni ad vomitum ſint (exhibito quandoque aliquo ex ſupraſcriptis medicamentis, quæ vomitum facilem reddunt,etenim eis neceſſarius modò in ieiunio, modò poſt cibum vomitus eſt,vt apud Celſum liquet) aut per inferiorem ventrem, eis tamen priùs concoctis,ac præparatis,vel per clyſteres,& eos quidem acres ſi fieri poterit: mirificè etenim ij ex acrium iniectione leuantur, vt Galenus refert, aut per aliquod purgans medicamentum eorum, quæ cap.de vomitu, & nauſea, commemorauimus.Nam indigent interdum, qui inflationem patiuntur, alui ductione, ex Celſi ſententia. Poterit tamen & ante purgationem, vbi ex flatuoſo ſpiritu genito ex prædictis humoribus pituitoſis ingens dolor vrgeat, admoueri cum flamma copioſa cucurbita, quo ventoſus priùs digeratur ſpiricap. 8. tus.Poſt id euacuandus humor eſt,ex Galeni decre.12.metho.meden.quoniam

iis illico ad tempus cucurbitula dolor ſedabitur, quamuis redeat (vt ipſe Galen. inquit,) vel ſequente nocte, vel poſtridie, vel etiam tertio die ſimilis dolor. Cùm verò per vomitum, aut aluum expurgatus fuerit redundans in ventriculo pituitoſus ſuccus, omnibus prædictis medicamentis intus, & extra vti poteris, prout magis videbitur expedire. Illud quoque (ex eiuſdem Cornelij Celſi decreto) in omnibus ſtomachi vitiis recipiendum eſt, vt quomodo ſe quiſque æger refecerit, eo vt ſanus vtatur. Nam redit huic imbecillitas ſua, niſi eiuſdem defendatur bona valetudo, quibus reddita eſt. Redit autem bona valetudo, vt vno verbo dicam, iis qui ex flatuoſo ſpiritu dolorem, ſeu digerentibus adhibitis, & extenuãtibus tum cibis, tum per ſedem iniectionibus, tum cataplaſmatis, tum humidis ſiccíſque fomentis, vt ex Galeni patet eodem 12. metho. meden. cap. 8.

Περὶ λειεντερίας, καὶ κοιλιακῆς διαθέσεως. *Id eſt, De leuitate inteſtinorum, & cœliaca, ſeu ventrali affectione.* *Cap. LXXI.*

CVM eadem retentrix, ſeu cõplectens ventriculi facultas tempus retinendi, ac complectendi cibos cum concoquendi tempore haud exæquat, ſi prorſus eos non complectatur, affectus quidam oritur, qui à Græcis λειεντερία, à Latinis ventriculi, ac inteſtinorum læuitas dicitur. Quòd ſi eadem non vſque ad conſummatam concoctionem retineat, & complectatur, alter excitari ſolet affectus, qui à Græcis κοιλιακὴ, à Latinis cœliaca, ſeu ventralis affectio dicitur. Iniuſtũ nanque complectendi tempus (vt Galenus inquit libro de Differentiis ſymptomatum, cap. 4.) omnino diminuta ciborum concoctio excipit. Deinceps verò, vel celer ciborum exitus, vel eorum in ventre corruptela. At celeris ciborum exitus inſeparabilia ſymptomata ſunt deiectionis humiditas, & digeſtio in corpus diminuta. Verùm prima affectio, quam λειεντερίαν Græci nominant (vt quibuſdam eorum antiquioribus viſum eſt) tale nomen ſortita eſt: quoniam qui priùs talem ei indiderunt appellationem, fieri ipſam putabant propter intrinſecæ ſuperficiei inteſtinorum læuitatem, ob quam cibos in eís contentos non amplius retinent, quemadmodum retinebant cùm ſuam ſeruarent ſibi à natura inditam aſperitatem. Cuius etiam ſententiæ videtur eſſe Aëtius, cap. quinquageſimoprimo libri noni. Cùm dixit, lienteria quemadmodum ipſum nomẽ indicat, læuor quiſpiam inteſtinorum eſt. Quam opinionem tanquam erroneam Gale. commento aphoriſmi 1. libri ſexti, reprobauit, aſſerens quod in pluribus aliis, qui primi rebus nomina impoſuerunt, ſunt collaudandi; non tamen in læuitate inteſtinorum. Cauſam autem erroris eorum aſſeruit eſſe ignorantiam cauſarum, propter quas aliqua excrementa intẽpeſtiuè excernantur, ſicuti in ventriculo veloces ciborum exitus, neque enim inteſtinorũ læuitas eſt, vt ipſi opinabantur, ſed aliæ cauſæ, prout infrà dicemus. Nec minùs ignorant quòd ipſius ventriculi proprium eſt cibos amplecti, ac circunſtringendo certo tempore retinere, & poſtea ad inferiora demittere, ídque proprio eius temperamento perficere, & non cùm ſuam ſeruat à natura inditam aſperitatem. Maxima autem affectionis huius proprietas in cita ponitur deiectione, propter quòd cibi omnino incocti permanent. Quo fit, vt inteſtinorum læuitas nil aliud ſit (vt eodem Galeno auctore præcitato commento aphoriſmi primi ſexti libri, ac 22. tertij, & 12. quarti libri) quàm velox exitus eorum quæ comeduntur, atque bibuntur, quæ talia deiiciuntur, qualia fuere deuorata, cùm neque ſecundum conſiſtentiam, neque ſecundum colorem, vel odorem, vel vllam omnino qualitatem in ventriculo facta fuerit mutatio ciborum. Quare ſi quis veller breuiorem huius affectionis afferre definitionem, diceret eam eſſe carentiam coctionis, vt idem Galenus inquit. Altera verò affectio, quam cœliacam nominauimus, ab ea quæ afficitur parte, nomen aſſumens, ex Aëtij ſententia cap. 37. lib. 9. velox quidam eſt exitus eorum quæ per os aſſumuntur, verùm non omnino crudorum, & incoctorum.

Læuitas inteſtinorum unde nomen ſumpſerit ſecundum quoſdam.

Impugnat Galen. prædictorũ opinionẽ.

Quid ſit inteſtinorum læuitas.

Cœliaca unde nomen ſumpſerit.

Cœliaca. Nam in ea affectione ſolùm læuia, & humecta excrementa egeruntur, ventre pro imbecillitate ea digerere nequeunte, vt ipſe inquit, quapropter nec concoquuntur omnino, nec digeruntur alimenta, ſed humentia, imperfectéque cocta redduntur, neque ita celeriter, ea quæ aſſumpta ſunt in cœliacis egeruntur, quemadmodum in lientericis. Sunt verò ambo hi affectus cùm ventriculi, tum inteſtinorum ſimul communes, quemadmodum Galenus teſtatur ſexto de locis affectis, cap. 1. neque enim abſurdum eſt ſymptomata quædam inteſtinis & ventriculo ſimul affectis euenire, vt ipſe inquit. Idem confirmauit præcitato aphoriſmo duodecimo quarti libri. Cùm dixit inteſtinorum læuitatem conſequi ad omnium quæ ad aluum pertinent, inſtrumentorum intemperaturas, hoc eſt, ipſius ventriculi, in quem cibos deuoramus, & eorum quæ illos ex hoc ſuſcipiunt, atque tranſmittunt, inteſtinorum. Inſuper & ex excrementis illud argui poterit. Ambo etiam ſymptomata ſunt in genere noxæ functionum naturalium, retentricis videlicet, & non concoctricis, vt quidam putarunt. Neque enim (vt Galenus inquit eodem cõmento aphoriſmi primi ſexti libri,) quia omnino incocti permanent cibi, ideò citò deiiciuntur, ſed quia citò deiiciuntur, idcirco nullam habent coctionem. Quibus verbis liquet propterea cibos non concoqui in prædictis affectibus, quoniam citiùs deiiciuntur. Id autem prouenit ex offenſa (vt diximus) retentricis facultatis, impotentis ſiquidem tanto tempore cibos detinere, quanto indigeret concoctrix facultas pro eorum concoctione, & deprauato motu expultricis intempeſtiuè priuſquam abſoluta concoctio ſit, expellentis. Verùm quanquam ambæ (vt diximus) affectiones eiuſdem facultatis ſymptomata ſint, vtputa retentricis, in vna tamen eadem diminuta eſt, vt in cœliaca, in qua cibos non complectitur vſque ad conſummatam concoctionem: in altera verò abolita eſt. Quòd verò in inteſtinorum læuitate prorſus retentrix facultas cibos non cõplectatur, ſed omnimoda fiat eius actionis priuatio apud Galenum liquet, eodem libro de differentiis ſymptomatum, cap. quarto. At quod in cœliaca affectione non omnino ablata ſit prædictæ facultatis actio, liquet ex Aëtio præcitato loco, & Paulo cap. 40. libri tertij. Et quoniam læuitas inteſtinorum ſubitò euenire non poteſt, vt patet ſexto de locis affectis, cap. 2. propterea cœliaca præcedere eam ſolet: nam ab initio paruo quodam tempore cibi in ventriculo retinentur, procedente autem, atque aucta paſſione, ne hoc quidem (vt eodem commento aphoriſmi primi ſexti lib.) liquet, præſertim vbi ventriculus frigidior fuerit, læuia autem & humecta excrementa egeruntur ventre præ imbecillitate ea digerere nequeunte, & non cibi crudi, & incocti infernè prodeunt in cœliaca affectione, vt Aëtio viſum eſt; ſequitur autem cœliacos aſsidua egeſtio, aliquando fœtida cum animi deliquij ſenſu, cibúmque auerſantur, ac decolores, & vehementer graciles fiunt, vt etiam Paulus teſtatur. Languida cùm ſit, & imbecilla ventriculi facultas in cœliacis, nec concoquuntur, nec digeruntur alimenta, ſed cruda humentia, imperfectáque redduntur aluo continenter fluida, quanquam quæ aſſumpta ſunt non ita celeriùs, veluti in inteſtinorum læuitate egerantur, verùm in inteſtinorum læuitate (vt Hippocrates teſtatur libro de affectis.) cibi ſecedunt non putrefacti liquidi. dolor autem nõ adeſt, & corpus attenuatur. Vt verò Aëtio viſum eſt cap. quinquageſimoprimo libri noni. Cibi crudi in ea, & nihil immutati excernuntur, imò talia deiiciuntur, qualia fuere deuorata ex Galeni ſentẽtia. Aegri quoque cibum non ſentiunt, & malum corporis habitum acquirunt, quod vtrũque malum incorrigibile exiſtit. Succedit enim (vt idem Aëtius inquit) aſsidua excretio cibi colore ſubalbida, inæqualis, & aquoſiſsima citra ſanguinis, ac bilis complexum atque intenſa eſt cruditas in lientericis (vt Paulus refert) vt alimenti aſſumpti genus ex iis, quæ egeruntur, apertè cognoſcatur, atque hæc nota potiſsimum à cœliacis diſcernitur. Quapropter Galenus præcitato cõmento aphoriſmi primi ſexti libri, paucisſimis verbis læuitatis inteſtinorum ſigna perſtrinxit, cùm dixit, Atque ideò nos, & alij medici plurimi citam ciborum nullam habentium

Quæ pars in eis afficiatur.

Qui affectus præter naturam ſint.

Quomodo inter ſe cõmunicent & differant.

Cœliacæ ſigna.

Signa læuitatis inteſtinorum.

Ante mediũ.

habentium coctionem, deiectionem dicimus eſſe læuitatem inteſtinorum. Id autem quod in vtriſque affectionibus excernitur, ſymptoma eſt in genere excretorum immodicè, vt in tertio de cauſis ſymptomatum, cap. 2. liquet. Nam tum multitudine, tum qualitate præter naturam eſt noxam, vt diximus, perpetuò retentricis facultatis ventriculi, ac inteſtinorum inſequẽs. Ex his itaque liquet in quo conueniant, ac quibus diſcriminentur inter ſe cœliaca affectio, & læuitas inteſtinorum. Verùm cùm eædem cauſæ, maioris duntaxat, ac minoris ratione differentes, vtriuſque affectionis eſſe poſsint, quas trademus cauſas læuitatis inteſtinorum, eædem intelligendæ ſunt de ventrali affectione. Et quoniam (vt ſæpenumerò dictum eſt ex Galeni ſententia libro de differentiis ſymptoma. cap. 4.) ſemper quodlibet ſymptoma à morbo aliquo ortum habet, non ab re iam dicta ſymptomata aliquem conſequuntur ventriculi morbum. Isque genere duplex eſſe poteſt, vt ex Galeni liquet præcitatis aphoriſmis, aut intemperies aliqua, propter quam imbecilla redditur retentrix facultas tam ventriculi, quàm inteſtinorum, vel exulceratio occupans ſuperficiem earundem partium ſimilis illis quæ in ore fiunt, quas Græci ἄφθας nominant. Verùm vnam ab alia hoc modo diſcernes ex eiuſdem Galeni ſententia: nam in illa quæ accidit propter ventriculi, atque inteſtinorum imbecillitatem, abſque vllo doloris ſenſu fiunt deiectiones: in ea verò quæ ex exulceratione proficiſcitur, ineſt quidam morſus ſenſus cùm deiectiones fiunt. Hæc autem exulceratio à quorundam humorum mordacitate, ac acritudine, totius ventriculi, ac inteſtinorum abraſa ſuperficie ortum habet. Et quamuis ipſæ vires non multùm patiantur, ſi hac ratione fiat læuitas inteſtinorum, neceſſarium tamen eſt, vt permeantibus cibis partes exulceratæ dolorem ſentiant, & ideò illos propellant, atque ex ipſis citiſsimè emittant. Hoc verò in omnibus partibus facto, velox ciborum exitus conſequetur, & nullum fiet initium coctionis. Oboritur autem frequenter dyſenteria magna præcedente, & ex profunda vlceratione cicatrice denſa, & leui ſuccedente ex Aëtij auctoritate. Idem fermè confirmauit Celſus cap. decimoſexto lib. quarti. Cùm dixit ex torminibus interdum inteſtinorum læuitas oritur, quæ continere nihil poſſunt, & quicquid aſſumptum eſt, imperfectum protinus reddunt. Quade re faciliter percipi poterit lienteria, ſi ex acribus, ac mordentibus ſuccis ventriculi, ac inteſtinorum ſuperficiem exulcerantibus originem trahat. At ea læuitas inteſtinorum, quæ potentiæ retentricis ſequitur imbecillitatem, omnino quidem fit (vt diximus) ex intemperatura. Verùm ea nonnunquam habitualis eſt, ſic nanque nominant illam, quæ ipſo corporis habitu læſo fit, vel propter humorem aliquem qui in ventriculo, atque inteſtinis continetur, euenit ex ſententia eiuſdem Galeni precitatis aphoriſmis, & velut eadem ventriculi intemperatura calida, vel frigida eſſe poterit, licet ſæpiùs frigida, vt liquet apud omnes artis medicæ auctores, rarò autem calida: pariter ſi eædem cum humore fuerint, idem humor aut calidus, aut frigidus erit, rarò tamen calidus, cùm & ipſe præterquam quod cum deiectionibus excerneretur, fortè etiam exulceratiõe pareret. Propterea diſtinguenda eſt primò vna ab altera temperatura, & ſecundò vnus ab altero humore. Verùm ne longiores ſimus, ac eadem ſępiùs repetamus, qui exactè hæc velint interſtinguere cap. de nauſea, & vomitu, ac etiam cap. de cruditate propria ſigna reperient. Interim nos ad prognoſtica deueniamus. Erit itaque primùm ipſius cœliacæ affectionis, quòd ſi diutiùs duret, ad magnam omnino deſperationem res deuenit, ægris ad conuenientem diætam pigreſcentibus. Et ſi affectus autumno incipiens ad hyemem vſque ſe extendat, difficilius omnino curatur, ex Aëtii ſententia præcitato loco. Cùm verò inſeparabilia ſymptomata ſint celeris exitus ciborum, qui ad diminutam concoctionẽ conſequetur, propter iniuſtum complectendi tempus, deiectionis humiditas, & digeſtio in corpus diminuta (vt diximus ex Galeni ſententia libro de differentiis ſymptoma. cap. 4.) ſi eadem cœliaca prorogabitur, neceſſariò atrophia conſequetur, propter diminutam in corpus alimentorum digeſtionem. Alexãder au-

Quos morbos comitentur hæc ſymptomata.

Quomodo unum genus morborum ab altero ſecernatur.

Cauſæ.

Aëtius lib. 9. cap. ult.

Prognoſtica.

Lib. 9. cap. 37

tem de cœliaca cap.8.libri 8.ſic retulit,Hic morbus curatione initio adhibitâ facilè tollitur,poſtea verò difficiliùs. Vbi autem inueterauerit, tardè remouetur. De lienteria verò ſic ſcriptum reliquit Galenus commento aphoriſmi primi ſexti libri. Quòd quæ fit humorum acritudine totius ventriculi atque inteſtinorum abrasa ſuperficie, ceſſante humorum malignitate, ſtatim ſanatur cibis ac potibus qui vim denſandi habent. Quòd ſi longiori tempore perſeueret, in alteram paſsionem tranſmutatur, quæ dyſenteria, hoc eſt difficultas inteſtinorum nominatur. In longis autem læuitatibus inteſtinorum ſi ructus acidus ſuperuenerit,quod priùs non erat,ſignum bonum eſt,inquit Hippocrates præcitato aphoriſmo.Indicat enim (vt Aëtius refert) eodem cap.51. libri noni. Ructus acidus iucundi quidpiam factum eſſe, & ventrem, ac inteſtina non velut inania,cibum ſinere pertranſire. Verùm non ſimpliciter dixit Hippocrates bonum eſſe ſignum acidos ructus in læuitatibus inteſtinorum, ſed primùm quidem in longis adiecit,deinde addidit,Vbi priùs non fuerit,pro veritate eiuſdem ſententiæ,quæ omnia à Galeno præcitato aphoriſmo primo ſexti libri, diligenter expoſita ſunt. Etenim illis læuitatibus inteſtinorum, quæ neque adhuc incipiunt, neque ex pituita fiunt,non inſunt acidi ructus.Quòd ſi aliquando fiant,vt idem Galenus inquit,ſignificant tantiſper cibum in ventriculo retineri, donec principium mutationis accipiat, & naturam ſuorum operum reminiſci. Ipſæ iterum inteſtinorum læuitates cum ſpirandi difficultate, & lateris punctura, in tabem deſinunt, ex eiuſdem Hippocratis ſententia in coacis prænotionibus. Et quoniam eodem medicationis ductu vtendum eſt in læuitate inteſtinorum, quoad cœliacos, & dyſentericos (vt Aëtius refert) propterea quæ dicemus de vnius curatione,etiam alterius ſubintelligenda erunt. Commune itaque vtriſque erit (vt idem auctor refert) quòd vim retentiuam,ac cōcoctoriam facultatem tum ventris, tum inteſtinorum omni modo refocillare oportet. Quòd ſanè per ciborum conuenientium exhibitionem fieri poteſt, pérque diætam refocillandis ac reſtituendis viribus aptam. Nam ſi ab exulceratione ſuperficiei ventriculi, atque inteſtinorum propter humorum acritudinem inteſtinorum læuitas fiat, modus curationis eius patebit in cura dyſenteriæ. Particulatim etiam nos præcipiemus curationis viam, primò lienteriæ ex calida intemperie, ſeu calidis etiam ſuccis, adhuc non exulcerantibus ſi redundarint, ortæ, ſecundò eius quæ ex intemperie frigida, ac frigidis etiam ſuccis redundantibus. Et cùm vna tutiſsima,& compendioſiſsima via ad affectionis extirpationem diæta exiſtat, eodem Aëtio teſte,propterea more ſolito,de ea primò mentionem faciemus. Eligatur itaque aër ad frigidum vergens. Somni ſolito longiores præcipiantur, potiſsimùm nocte, nam diurni nocentiſsimi ſunt, niſi laſſationis ſenſus adſit, aut nox vigilata præceſſerit. Veſpere autem à cœna dormiendum, maximè vbi à ſomno ſurrexerit, ad deambulationem prodibit, ita vt pro viribus aggrediatur,deinde frictionem ſimplicem adhibeas,parcè videlicet,& minimè confricando,maximè ventrem. Cæterùm à prandio etiam deambulationibus indulgendum eſt,& animi aliqua laxamenta adhibenda,vt idem Aëtius inquit.Nam exercitationes,& frictiones huic morbo neceſſariæ ſunt,eodem Celſo auctore præcitato loco. Vitet immodicos animi affectus,præſertim iram. Cibi eis conueniunt,qui non nimis adſtringunt, & reprimunt, ſed qui adſtringentes facilè cōcoqui,& in totum corpus diſtribui poſſunt,vt placuit eidem Alexandro præcitato loco. Quapropter cibi ex chondro,oryza,& alica, & ſimilibus, cum quibus adſtringens aliquod decoquatur, pyrum ſcilicet, malum cydonium, meſpilum,& id genus alia exhibeantur ex Pauli, & Aëtij teſtimonio. Panis item bene elaboratus tribuatur, ac etiam ſimilago cum eiſdem adſtringentibus in pullorum iure decocta, ſimiliter intybus, & cichorium, carnes etiam exhibendæ ex gallinis iuuenibus, columbis, perdicibus, phaſianis, & montanis paſſerculis,& ex alijs quoque auibus, quæ non ſunt pingues,præter paluſtres. Ex pedeſtribus etiam tenerrimæ,& friabiliores competunt, præſertim leporum, & capreo

Verſus finem libri. — *Curandi methodus.* — *Si ex calida intēperie fuerit orta, curatio.* — *Lib. 9. cap. 37* — *Victus ratio.* — *Aetius loco citato.*

capreolorum, concoctis ſimul quibuſdam fructibus adſtringentibus, vt cydoniis, pomis, aut myrti baccis. Quæ interim aſſæ exhibeantur, in quorum ventre aliquod prædictorum adſtringentium reponatur, & inter aſſandum aſsiduè aqua roſacea, ac omphacio, & germinibus myrti irrorentur, vitella item ouorum aſſa & aceto intincta commendantur ab Alexandro. Ex fructibus etiam conueniunt vua modica penſilis, citonia poma, ac pyra, ſorba, meſpila, & cotna, ac reliqui adſtringentes ſimiles. Verùm mediocritas in illis ſeruanda erit, atque hi ipſi (vt inquit Aëtius) cum pane exhibendi ſunt, ac etiã ante reliquos cibos. Verùm ſi fieri poterit duobus, tribúsve diebus à cibo abſtinere oportet, vt Alexandro viſum eſt. Nam adſeruandi in inedia ſunt ſi ferre queant, aut certè omnino modico cibi vſu, ex eiuſdem Aëtij ſententia. At ſi id ferre non poſsint, proſpiciendum eſt, ſi quicquam aliud vt cibum diuidamus. Duas itaque tertias partes cibi in cœnam reſeruantes, atque ipſum etiam (qui in prandio exhibetur) panem dimidiatum per ſe ſumat, reliquum verò cum obſonio ſimplici (vt ex eodem Aëtio liquet) Verùm non inſalubriter poteris duarum cibationum quantitatem tribus vicibus impartiri, ſeruetúrque eadem ratio cibandi, vt in cœna maior exhibeatur quantitas. Potus erit vinum aquoſum, tenue, ſubadſtringens, quantitate autem exhibeatur paucum, & nec cibum interpellet, ſed poſt omnem cibum præbeatur: multus enim potus (vt inquit Aëtius) ventris fluxionibus infeſtiſsimus exiſtit. Satis item iis proderit lactis potus, ita vt principio calidum, & recens mulctum detur, poſtea verò ad medietatem decoctum, aut etiam ad tertias, hoc enim modo exhibitum ſimul ſiſtit, ac temperat fluxiones, id autem ſit caprillum, vel ouillum. In omni autem fluore ventris, tum in hoc præcipuè (vt Celſo viſum eſt) ſeruandum, vt cùm pleraque vtilia ſint, qualis eſt plantago, & rubi, & quicquid malicorio mixtum eſt, ea potiſsimùm ex his dentur, quæ maximè æger volet, deinde ſi omnia iſta faſtidiet, ad excitandam cibi cupiditatem, interponatur aliquid minùs vtile, ſed magis gratum. Parum etenim deterior potus, aut cibus, ſuauior autem, melioribus quidem, ſed minùs ſuauibus eſt præferendus, vt patet aphoriſmo 38. ſecundi libri. At vbi nedum calida intemperies, ſed acres, & mordaces ſucci in inteſtinis, & ventriculo redundantes læuitatis inteſtinorum cauſæ ſint, priuſquàm vires extremè deficiant, conuenienti purgatione vtendum erit, priùs tamen ſi occaſio dabitur, concoquendi, ac præparandi ipſi ſunt ſyrupo ex inſuſ. ſeu ſucco roſac. videlicet ex ſucco cichorij, myrtino, ſeu oxyſaccharo, ſucco cytoniorum, quem miuam appellant, aut oxalidis, ſeu citri acido cum aqua plantaginis, aut oxalidis ſimul permixtis, deinde ſequens tribuatur purgans medicamentum, quod recipit corticum myrobalanorum citrinarum drac. iij. tamarindorum drac. vij. paretur arte decoctum in aqua cichorij, & acetoſellæ, in cuius quantitate ſufficienti diſſolue mellis aërij vnc. j. s. vel ſyrup. ex pluribus infuſionibus roſarum rubearum vnc. iij. rhabarbari optimi in parte prędicti decocti macerati drac. j. fiat potus. Quòd verò purgatio talibus competat, patet apud Aëtium cap. præcitato ſcilicet 37. libri noni. A purgatione verò per adſtringentes potus operæpretium eſt eis opem ferre, veluti eſt plantaginis ſemẽ tritum, ſiccum, ac potatum. Proderit etiam & lapathi, ſeu oxylapathi ſemen tritum. Cancri etiam marini, vel fluuiatilis teſtam vſtam cochlearij menſura, ſi præbeas cum aqua cõfert, calycum item papaueris torrefactorum drac. j. ante ſomnum cum vino diluto potata. Quinetiam ſemen capitis papaueris tritum exhibitum egregiè auxiliatur, mirabiliter autem acerba, & immatura mora proſunt ſicca, trita in potu exhita. Eodem modo & rubi mora immatura, & acerba, ex eiuſdem Aëtij decreto, aut quinquefolij radicis decoctũ potui dato. Item rubi radicis ſimiliter, vt Alexandro viſum eſt. In hunc etiam vſum ſyrup. de ribes, aut qui ex incompletis, & acidis roſis conficitur, conferunt. Et ſi cum eis drac. j. cornu cerui vſti, aut ſeminis plantaginis, vel oxalidis præbeas, conducunt magis. Similiter etiam confert ſi drac. j. trochiſc. de ſpodio, vel de terra lemnia tribuatur, bonum eſt etiã corticis

Medicamentorum ratio.

Purgatio.

Quæ poſt purgationẽ præbenda ſint.

quercinæ glandis decoctum,itémque pelliculę decoctum,quæ ſub cortice quercus reperitur,vt etiam Aëtio placuit.Quidam quoque (vt ab eodem Aëtio,& Paulo ſcribitur) gallinarum ventriculis vtuntur deſiccatis,ac tritis potui inſperſis.Nec minùs eis commoda ſunt,quæ vrinam cient, cùm deriuationem moliantur,fluxionémque ſæpè transferant,veluti eſt apium,fœniculum,aniſum, adiantum,acorum ex prędictorum auctorum decreto,in quem vſum ſyrupo ex duabus,vel tribus radicibus, aut de byzantiis, permixto cum eo qui ex abſynthio conficitur,aut myrtino, vel ex infuſione roſarum cum aliquo prædictorum decocto vti conuenit,nequaquam enim negligendum eſt ventriculi, aut inteſtinorum robur. Eo etiam tempore quo vrinam cientia tribuuntur, eorum etiam quantitas minor eſſe debet,licet cauendum ſit, ne nimium largus etiam fiat eorundem vſus. *Vomitus.* Mirabiliter quoque vomitus efficaces ſunt,tum à cœna,tum ieiuno facti,maximè ſi humores in ventre collectos percipiemus. Nam ſi in inteſtinis contineantur,non poſſunt per vomitus euacuari ;ex Galeni ſententia commento aphoriſ.12.quarti libri.Iuuandus quoque eiſdem erit vomitus ex aliquo eorum quæ ſæpiùs in pręcedentibus adnotauimus.Perpetuò tamen animaduertas,vt proni ſint laborantes natura ad vomendum, nam ſi difficulter euomant, nequaquam his proritandus erit Ab extra inſuper ventriculo,& inteſtinis auxiliari oportet. *Topica.* Quapropter illinantur oleo citoniorum,myrtino,vel roſaceo , aut de abſynthio,vel olei citoniorum,& roſacei,ſingulorum drac.j. Recipe olei de abſynthio vnc.s.ſantalorum,& corallorum rubeorum ana drac. ij. hypociſtidis, balauſtiorum,& acaciæ ana drac.j.chiæ maſtiches drac.s.& cum pauca cera, ac vino adſtringenti vnguentum ſeu ceratum conficito,& vtere:citonium item in vino adſtringenti decoctum,ac contuſum ſi accipias, adiiciáſque hypociſtidis, & boli armenij drac.j.corallorum,& ſantalorum rubeorum ana drac.ij.chię maſtiches drach.s.magnopere proderit,ſi eo venter illinatur. Saccellos item parabis in eundem vſum ex purpureis roſis ſiccis,ſantalis,corallis,balauſtio, hypociſtide,corticũ citri,cinnamomi,ac chiæ maſtiches pauca quãtitate addita:iidem etiam ſi in ſucco citoniorum,& aqua roſacea præmacerẽtur,& pluribus vicibus ventri applicentur modicè calidi,magnopere proderunt. Verùm ſi ex intemperie duntaxat calida citra acrium humorum redundantiam cœliaca,aut lienteria orta fuerit,eiſdem quoque medicamentis vtendum erit intus, ac extra exhibitis,relictis tamen eis,quæ purgationem moliuntur,ac vrinã ciunt, quibus etiam nec vomitus promoueri debet,ſed tantùm alterantibus , atque adſtringentibus modò dictis medicamentis vtare. *Si ex frigida intemperie dicta ſymptomata excitentur, curatio.* Sin autem ex frigida intemperie,aut pituitoſis ſuccis inteſtinorum læuitas, ſeu cœliaca fiat; aër eligatur ad calidum vergẽs, contrarij quoque cibi adhibeantur ad calidum ſcilicet vergentes, cum quibus etiam nõnulla calida, ac ventriculo ipſi grata admiſceantur, veluti eſt aniſum, cuminum,cinnamomũ, galanga,calamus odoratus, & caryophylli, ac reliqua ſimilia. *Victus ratio.* Competunt adhuc & braſsicæ bis coctionem expertæ,ex Pauli,& Aetij ſententia.Vinum autem eiſ tribuatur calidius,ac vetuſtius modicè dilutum cum pluuiali aqua.Reliqua pro victus ratione ſeruanda ſunt, vt præcepimus ſuprà. *Medicamentorum ratio.* Verùm ſi cum frigida intemperie pituitoſa adſint excrementa, ea priùs concoquendã,ac præparanda ſunt cum ſyrupo ex abſynthio,ex mentha,& corticibus citri,aut myrtino cum melle roſaceo, aut oxymelite ſimplici. *Vomitus.* Demum aut vomitu expurganda ſunt (præſertim ſi in ventriculo conſiſtant,iſque iuuandus erit cum iis quæ ſæpiùs in præcedentibus adnotauimus,modò proni ad vomendum laborantes ſint) aut purgans medicamentum præbendum eſt, ita vt per aluum expurgentur. *Medicamentum purgans.* In quem vſum infraſcripto vtare, Recipe corticum myrobalanorum chebularum drach.iiij.infundantur in aqua meliſſæ,& boraginis, & facta forti expreſsione in ea diſſolue ſyr.è pluribus infuſionibus roſarũ perſicarum vnc.ij.agarici drac.j.fiat potio,vel dr.j.aut ſcrup.iiij.pulueris hierę ſimplicis Gale.& ſcrup.ij.prædicti agarici excipe, & catapotia formato, ac præbeto,poſt quę iterũ aſſumant mane,& veſperi ante cibum per duas ſaltem,vel treis horas *Quę à purgatione exhibenda ſint.*

vnc.s.

vnc.ſ.ſyr.aut ex abſynthio,aut ex mentha cum pauco puluere cinnamomi, galangæ,aut calami odorati,aut cum aliquo prædictorum adſtringẽtium medicamentorum eadẽ permiſceas,ac præbeas.Cõfert etiã ſi thuris granum ſabæ magnitudine in vini nigri cyatho vnò diſſolutum ſanguinariæ ſucco pari menſura admixtum præbeas,aut radicis pæoniæ decoctum , atque ipſa etiam radix ſicca trita potui inſperſa,vt inquit Aëtius. Similiter ſi chiæ maſtiches tantundem ac eodem modo exhibeas,nec minùs antidoti theriacæ,aut mithridati , aut micletæ ſi drac.j.cuiuſlibet dabis,proderit,præſertim cum pauco vino adſtringẽti. cõmodè quoque in iis vti poteris prædictis vrinam cientibus,& calidioribus , atq; acrioribus.Extrinſecus verò oleum maſtichinum,de abſynthio , myrtinum,ac nardinum adhiberi conuenit,aut vnguentum ſic cõficito,Recipe olei maſtichini,& mirtini ana vnc.j.de abſynthio vnc.ſ.cinnamomi, galangæ, & maceris ana drac.ſ.ſpicæ ſcrup.ij.chiæ maſtiches drac.j.cũ cera, & viuo odorato fiat vnguẽtum.Sin autẽ mauis ſacellis vti,vtriuſq; menthæ,& abſynthij,ſingulorũ p.j. aſſume chiæ maſtiches,cinnamomi,ligni aloës,& corticum citri,cuiſlibet.drac.ij. caryophyllorum,maceris,galangę,& calami odorati ana drac.j.roſar.rubear.ſiccarum manip.j.ſ.figurentur ſacculi ſcutiformes , qui pauco vino odorato calido inſperſi ſæpiùs iterentur,vel in vino Græco,aut guarneto, & pauco cydoniorum ſucco macerati calidi applicentur,ac iterentur ſæpiùs. Eorum etiam vnus ſemper ſupra ventrem adhibitus ; ac alligatus confert. Emplaſtrum quoque ex chia maſtiche diſſoluta in oleo nardino, & de abſynthio adhiberi poterit , quẽadmodum etiam & Gale.ceratum ſtomachicum dictum,aut emplaſtrum ex galla,quæ omnia præter tamen purgationem,ac vomitum , & ea quæ vrinã ciunt, conducunt,ſi prædictæ affectiones ex intemperie duntaxat frigida ventriculi, vel inteſtinorum fuerint ortæ.Et cum in omni fluore ventris , tum in hoc præcipuè neceſſarium eſt (vt Celſus refert) non quoties libet deſidere , ſed quoties neceſſe eſt,vt hæc ipſa mora in conſuetudinem ferendi oneris inteſtina deducat.Propterea id prætermittere nolui, nam non parum conducet , ſi illud laborantibus præcipiatur,quemadmodum etiam,& medicamentum noſtrum , quo vti conſueuimus.Id autem recipit vtriuſque menthæ contuſæ , & abſynthij ana manip.j.micæ panis torrefacti vnc.j.cinnamomi, aloës, maſtiches,galangæ ana ſcrup.ij.vini odorati,ſeu aceti,& aquæ roſaceæ quantum ſatis ſit, miſceantur , & ventri applicetur abunde calens : nam tale eſſe conuenit cùm primùm imponitur,talium vnumquodque : quippe quæ tepida ſunt omnia ventriculi firmitudinem diſſoluunt,Galeno teſte 8. metho.med.cap.5.

Topica.

Περὶ τῆς χολέρας. *Id eſt, De cholera.* *Cap.* LXXII.

CVM totus ventriculus ab aliquo,quod morſu,ponderéve contriſtet vexatur,idq; ſtatim eiicere cupiat,ſuperno, infernóq; ore ad excernendum vtens,affectus quidam gignitur,qui à Græcis χολέρα , vt patet 3.de cau.ſympt.cap.2. à Latinis ſimiliter cholera dicitur,quamuis barbarã ſectantes medicinã cholericam,ſeu cholericam paſsionem nuncupent,nómen ſumens,vt idem Galenus fatetur 2. meth.med.cap.2.à cauſa putata,quamuis id non ex propria ſententia fateatur, ſed medicorum auctoritate,qui ſunt à Cnido,Huius quoque ſententiæ videtur eſſe Celſus libro quarto, cap.11. cùm dixit, Ergo eo nomine morbum hunc χολέραν Græci nominarunt,cùm priùs bilem eſſe eius cauſam aſſeruiſſet. Huius autem contrarium ſentit Alexan. qui cap. 16. libro ſeptimo, de hac affectione verba faciens dicebat, Ne autem quis affectum hunc ideo χολέραν vocari putet , quòd à bile omnino fieri conſueuerit , ſed quia materia quæ per ventrem effertur , ex inteſtinis videtur excerni. inteſtina verò χολάδας. veteres appellabant,vt etiam Homerus teſtatur his verbis,κὺχυντο χαμαὶ χολάδες , quod eſt,fuſa erant humi inteſtina. Qua de re huius gratia affectum hunc (vt idem Alex.

Cholera vnde nomen ſumpſerit.

inquit) veteres χολέραν nuncuparunt,eo magis cùm non ab vna duntaxat cauſa,bile videlicet (vt ipſe teſtatur) affectio hæc excitari ſoleat. Sed quicquid velint de eius nomenclatura,nihil aliud eſt affectio hæc (vt apud eundem Alexandrum præcitato loco patet) quàm immoderata perturbatio, quæ per aluum , & vomitum propter ſtomachi ſubuerſionem, offenſionémque prouenit. Paulus verò cap. 39. libro tertio,dixit,quòd cholera eſt immodica ventriculi perturbatio ſupra,infráque erumpens , & auctor libri , qui inſcribitur de definitionibus medicis , in ſecunda deſcriptione eiuſdem affectus ait, quod cholera eſt acutus affectus cum vomitibus biliosis multis , aluique deiectionibus. Verùm quænam pars in hoc affectu oblæſa ſit, non admodum liquet,nam Celſus præcitato loco circa principium capitis aſſeruit , choleram commune ſtomachi, atque inteſtinorum vitium videri poſſe, nam ſimul & deiectio, & vomitus adeſt.In calce verò eiuſdem capitis dicebat, ſed hic quidem morbus & acutus eſt ; & inter inteſtina,ſtomachúmque verſatur , ſic , vt cuius potiſsimùm partis ſit non facilè dici poſsit. At cùm totus ventriculus per eius ſuperiores partes ſtomacho,hoc eſt gulę continuus ſit,per inferiores verò ad inteſtinorum vſque exortum extendatur,Gale. auctoritate ſexto de locis affectis, cap. 1. non ab re hæſitauit Celſus cùm inſpexiſſet bilem in hac affectione ſupra, infráque erumpere , cuius potiſsimùm partis affectus eſſet, quanquam ex præcitata Galeni auctoritate,tum ex verbis eiuſdem lib tertiò de cauſis ſymptomatum, cap. 2. cùm de hac affectione verba facit,facilè patere poterit , ventriculum ipſum in hoc vitio affici,non tamen ſecundum ſuperiorem duntaxat,aut inferiorem eius partem ſed ſecundum totum , cùm dixit , quod ſi toti illi talis affectus aliquando contingat,etiam vtroque ore ſimul vtitur ad expulſionem , veluti in vocatis choleris.Ipſe itaque ventriculus totus primo afficitur , coafficiuntur autem cum eo tum ſtomachus , tum inteſtina ipſa , cùm id quod eum contriſtat vtroque oſculo expellere tentet , per ſupernum quidem quod in gula , ſeu ſtomacho exiſtit , per infernum verò , quod in pyloro. Quod verò hæ partes ſimul affectæ ſint,oſtēdunt (eodem Celſo auctore) plura indicia inter quæ vnum eſt, quod ſimul & deiectio, & vomitus accidunt.Et præter hæc inflatio eſt, ac inteſtina torquentur.Verùm ſicut nauſea,& vomitus expultricis facultatis ventriculi praui motus ſint,pari ratione,& cholera ipſa, vt patet 3. de cauſ.ſympt.cap.2. Quare ſymptoma eſt in genere noxæ facultatum naturalium , & propriè expultricis deprauatæ (quæ propriè cholera dicitur.) Nam quandoque citra eiuſdem facultatis noxam fit,licet perpetuò aliquem præter naturam affectũ conſequatur,veluti ſuprà de vomitu dictum eſt,quanquã eam non propriè choleram nominant , vt ſi fiat propter ciborum quantitatem Alexand. auctore. Eius autem indicia ſunt (vt inquit Aëtius cap.12. libro 9.) Vomitus biliosus, & nidoroſus , & acidus ad plures horas continuè perſeuerans , & venter infernè eadem excernit,ſequitúrque ſitis,& exudatio, impeditus pulſus, muſculorúmque , manuum,ac pedum,maximè verò ſurarum contractio, & tenſio,& (vt refert Celſus) nedum bilis ſupra,infráque erumpit , ſed primum aquæ ſimilis, deinde vt in ea recens caro lota eſſe videatur, interdum alba,nonnunquam nigra, vel varia. Verùm (vt Paulus teſtatur) ciborum cruditas apparet , quæ nonnunquam ex magna alimentorum prauitate,interim ex vitioſorum humorum ſuperfluo trahit originem.Nam neque ex vna duntaxat cauſa excitatur , ſed etiam multis,vt Alex.viſum eſt.Nempe ob copioſiorem cibum aſſumptum , ac corruptũ, quia concoqui non potuerit.Item ob prauorum humorum,ac ciborum, ſeu potionum (ſtomachum præſertim offendentium) qualitatem , qualis eſt (vt ipſe inquit) pepo,& pingues,dulcéſque & oleoſi cibi. Gignitur etiam ex copia bilis naturam ſurſum ac deorſum ad excernendum irritantis. Necnon ob nonnulla frigida applicata.Aut frigidarum aquarum vſum, ſi eas bibant , aut in eis diu natauerint. Nonnullæ etiam aliæ particulares cibi , & potus , cholericæ bilis ſurſum , ac deorſum eruptionis eſſe poterunt cauſæ,vt 7.de morbis vulg. liquet.

Quid ſit cholera.

Quæ pars in ea affecta ſit.

Quis affectus præter naturã ſit cholera.

Eiuſdem affectus ſigna.

Cauſa.

Verſus finem libri.

Quæ cauſæ omnes facilè interſtingui poterunt. Nempe alimentorum aſſumptorum copiam, aut eorundem (ac etiam potionum) prauam qualitatem ex laborantis, ſeu adſtantium loquela percipies, veluti etiam ſi præceſſerit vſus frigidarum aquarum, aut frigidorum medicamentorum ab extra adhibitorum. Verùm vbi ex copia bilis, ſeu aliorum prauorum ſuccorum redundantia cholera fuerit excitata, ex propriis eorundem humorum ſignis, ac ſæpiùs iam dictis eos diſcernes. Quod verò cholera acutiſsimus ſit affectus, ſyncopem inſignem, immodicámque virium reſolutionem inducens, omnibus in confeſſo eſt, vt inquit Alexander. Ideirco accuratè internoſci, & celerrimè curari meritò poſtulat, etenim dilatio in omnibus acutis morbis nociua eſt. In hoc autem affectu, etiam exigua, ac leuis curandi mora, haud ſimplicem offenſam, ſed etiã abſolutam ſubinde tabem (quæ phthiſis dicitur) conciliat. Idque ferè confirmauit Celſus, cùm dixit. Neque tamen vlli morbo minori momento ſuccurritur. Colericæ verò affectiones magis in æſtate fiunt, & febres intermittentes, & quibus errores accidunt, eæ quandoque malignæ fiunt, & ad morbos acutos perueniunt, vt eodem 7. de morbis vulgar. Hippocra. ſcriptum reliquit. Quoniam verò nulli morbo (vt diximus) minori, quàm huic, momento ſuccurritur, propterea relicta victus ratione, quæ ferè eadem eſt cum ea, quam inſtituimus præcedenti capite de læuitate inteſtinorum, niſi quod leuiter adſtringentia, nedum in cibis ipſis permiſceri debent, aut parum ante aſſumi, ſed etiam poſt eos cùm ſimul ingruat vomitus, & alui fluor, quanquam & ea quoque moderata eſſe debent, nec à principio, nam ſi quis in principio, aut coaceruatim ea quæ efferuntur cohibere aggrediatur, is maioris mali auctor erit, ex Aëtij ſententia præcitato capite duodecimo libri noni, inutilia enim cùm ſint (vt ipſe inquit) euacuatione opus habent, qua de re conuenit, ſi ea non ſponte ferantur, opportunè potiùs irritare, nos reliquam aggrediemur curationem. Corruptis itaque in ventriculo cibis ſiue propter eorum copiam, ſiue prauam qualitatem, aqua tepida exhibita ægrum vomere iubeto, potiſsimùm, vbi purum ſit quod per ventrem, aut vomitum excernatur; ſed nauſeent, vellicentúrque ægri. Quo caſu etiam aqua mulſa vtendum erit, vt quæ aluum, & vomitum ſine noxa irritare poteſt, vt Alexander refert. Verùm ſi eam non libenter ſumant, modò dicta tepida aqua ipſis liberalior dari debet, atque vomitus ſollicitari, aut digitis, aut pennis, donec corrupta abundè euacuata tibi eſſe videantur. Per vomitus etenim opportunam prouocationem vomitus ipſe ſoluitur, & ceſſat (eodem Aëtio teſte.) Quòd ſi poſt aquæ tepidæ potum vomitus incidat, miſcuiſſe tamen nouam materiam corruptæ prodeſt, párſq; ſanitatis eſt vomitum eſſe ſuppreſſum, ex Celſi ſententia. Quo tempore etiam ſomnum ægris percipere oportet, ac quietem, & præcordiorum fotum (vt idem Alexander aſſerit.) A ſomno vero paulatim cibo reficiantur, ita vt cruditas tantum vitetur. Niſi enim quid impedimenti fuerit, celerrimè rurſus ad naturalem ſtatum reuertuntur, potiſsimùm, ſi corruptio ob copiam ciborum fuerit oborta, quanquam neque huiuſmodi affectum propriè choleram nominant. Nec minùs vbi procliuiora fuerint corrupta alimenta, vt per aluum excernantur, eadémque via natura expellere tentet, conuenit iuuare excretionem per ſedem, purgantibus tamen medicamentis leuioribus vtendo, diuerſis, pro natura corruptorum alimentorum, præſertim eis quorum mentionem fecimus præcedenti capite. Quæ iterum in pauca exhibeantur quantitate, ne in grauiora pericula ægri ex immodica vacuatione ducantur. Id quoque ſeruandum erit vbi bilis, ſeu quiuis alui ſuccus vitioſus, ac corruptus ad excretionem procliuis naturam irritare videatur, nihil autem mentione dignum, vel per aluum deſcendat, vel per vomitum erumpat. Verùm vomitus per ſolam aquam tepidã irritetur; derelicta aqua mulſa. Aluus verò ducatur aliquo prædictorum cap. præcedenti annotatorũ, prout diuerſus requirit redundans humor. Cùm verò humorum excretio quieuerit, venter oleo maſtichino, de abſynthio, vel nard

Prognoſtica.

Loco citato.

Curatio.

Vomitus.

Medicamentum purgans.

Topica.

vel nardino cum vino exiguo fouendus, & probi ſucci cibo vtendum erit. At ſi immodica fiat inanitio, ita quod vehementer, & vomitus,& deiectio vexēt, cauendum penitus ne quicquam tribuatur,quod vomitum, vel aluum ciat, ſed imbecillus ventriculus refici iis deuoratis debet, ſi fieri poteſt, quæ corroborant, & recreare queant, nempe victu,& medicina (vt liquet ex eodem Alex.) Exhibendi itaque ſunt in cibo pulli tum gallinacei, tum columbini, perdices, phaſiani, turdi, & reliquæ montanæ auiculæ. Inſuper poterit parari iuſculum ex aliquo prædictorum, præſertim pullorum gallinaceorum cum omphacio, & pauca aqua roſacea,aut eorundem carnes contuſæ cum eiſdem ſimul mixtæ: hoc etiam tempore & ante,& poſt cibum maiora adſtringentia adhiberi poterunt,veluti meſpila,& ſorba,citonia,& corna,& hi fructus, quas vulgùs azarolas vocat,mala punica, & reliqua pyra adſtringentia. Et vbi bilis adſit copia, ptiſanæ cremor erit idoneus refrigeratus.Item lactuca refrigerata, pauco aceto adiecto, ſimiliter etiam intybus, vt Alex.refert. Nec erit abſonum offerre mediocriter aquæ frigidæ potum cyathi menſura. Cauendum tamen erit ne nimium frigida exiſtat, aut aceruatim exhibeatur, cui pampinorum vitis, aut mali punici acidi ſuccus modicus inſtilletur, vel in eadē aqua capreolorum vitis decoctum fiat,aut roſarum,aut œnanthes, ſeu rhu, cui etiam menthæ pauxillum ſit adiectum. Item eiuſdem acidi mali punici ſuccus cum menthæ ſucco abſorbendus detur, multa tamen quantitate ſuccus mali punici, menthæ ſuccum excedat.In quem etiam vſum ſyr.ex omphacio, è ribes, ex citri acido, ac ſucco malorum punicorum acidorum, item myrtinum, & ex infuſione roſarum ſiccarum,& incompletarum cum pauca quantitate eius qui ex mentha conficitur, tribuere poteris,nec minùs cataplaſmata, vnguenta, ac alia topica medicamenta ventri imponenda ſunt, quæ vim adſtringendi, ac ventriculum roborandi vim habeant, quorum copiam requiras præcedenti cap. Particulatim autem ex palmulis,œnanthe,hypociſtide,acacia rhu, & malicorio, ſuccóque eiuſdem cataplaſma confici poterit, & ventriculo adhiberi ex Aëtij,& Pauli ſententia, vel ſemperuiuum, & lactuca cum mica panis, roſaceóque excepta imponatur.Quandoque verò capreolorum vitis,aut vuæ acerbæ,aut poligonij ſuccus cum cerato probè confecto miſcebitur, & maximè iuuabit, vt inquit Alexan.At vbi intolerabilis effuſio exiſtat, adeò vt fluxio ſiſti nequeat, vires vrgeant,& extremorum refrigeratione, conuulſionéſque, & animi defectio oriantur,ad vinum tranſeundum eſt mediocriter adſtringens, neque viribus validum,& quod dulce quidem ſit, non autem odorum, idque cum mica panis exhibeatur,aut in ipſo eadem maceretur, exprimatúrque, atque ita paulatim, & per interualla cochleare abſorbeant. Nam vinum omnium maximè ſubitò,& celeriter vires collapſas refocillare poteſt. Ac multos noui (vt inquit Alex.) ex ſola illius potione præter ſpem mortis periculum euaſiſſe. Salutare quoque erit,ſi eidem vino menthæ decoctum admiſceatur.Nam ſaluberrimum medicamentum erit,vt idem auctor aſſerit,præſertim vbi vomitus diutius perſeueret: omníque modo eiſdem ſomnus procurandus eſt, & quies. At ſi ne his quidem auxiliis cibum retineant,magnopere conducit cucurbitulas admouere,ſtatim cùm æger illum aſſumpſerit contra ventriculum ipſum. Nam validè retrahendo vomitum fieri prohibent.Præterea ſi diutius adhærent, concoctionem iuuant & ventrem,ne ampliùs profluat,cohibent,eodem Alex.teſte. Aluo autem adhuc egerente (vt inquit Aëtius) amylum cum decoctione capitum papaueris per clyſterem infundatur. Simul etenim cohibet, & refrigerat ſomnúmque inducit, vt ipſe refert.Frictiones quoque per manus adhibitæ quietæ, & mites, præterea extremorum deligaturæ, eiſdem conducunt,& ſi quidem, aluus vrget,plures brachiis,& iuncturis,quibus illa cum manibus cōmittuntur, cum frictione,tum vincula iniicienda ſunt. Sin autem vomitus, tum femora, tum talos conſtringi, & paululum ipſa diſſoluendo rurſus deligare oportet, vt patet ex eodem Tralliano, quò materiam ſemper in contrarium reuellamus,

Animaduerſio.

Quæ deuoranda ſint, vbi bilis adſit copia.

Cataplaſmata.

Vbi intolerabilis exiſtat effuſio.

Cucurbitula.

Frictiones, et vincula.

Si vigiliæ torqueant. *Si extremæ partes frigeant.*

odoramenta quoque naribus admoueantur, ac illitiones ſoporiferæ circa frontem, vbi vigiliæ torqueant. At ſi extremæ corporis partes frigent, vngendæ ſunt calido oleo, cui ceræ paululum ſit adiectum, calidíſque fomentis nutriendæ (ex Celſi auctoritate) & ad conuulſorias contractiones in muſculis factas calida liniměta ex oleo modico imbuta circumponere oportet, tum cerata liquida, quibus adiectum ſit aliquid caſtorij, & irini olei, ex Pauli, & Aëtij ſententia, quo etiam tempore interponenda potio abſynthij eſt, vt idem Celſus fatetur.

Περὶ τῆς διαῤῥοίας, ἢ ῥοώδους. Id eſt, De alui profluuio, ſeu ventris fluxu. Cap. LXXIII.

Comment. 2. Tex. & commě. 7. & 35. *Alui profluuium quid ſit.* *Lib. definit. medic. poſt medium.* *Comment. 2.* *Comment. 35.*

VBI & liquida áluus, & ſæpiùs quàm ex conſuetudine fertur, affectus quidam exoritur, qui à Græcis διάῤῥοια communiter, ſimulatq; ab Hippocrate 25. & 30. 3. lib. ac 32. 6. aliíſque pleriſq; locis appellari conſueuit. Quanquam ab eodem Hippocrate & Galeno quandoque ῥοώδης nuncupetur, vt patet primo de morbis vulgaribus, à Latinis autem diarrhœa, ſeu alui profluuium, quamuis à Celſo cap. 19. lib. 4. ventris fluxus nominatur, qui copioſior fluxio eſt alui, diuturna, ſine phlegmone, & exulceratione, vt lib. de definitio. medicis, ſcriptum eſt, vel (vt liquet apud Galenum, eodem primo de morbis vulgaribus) deiectio eſt, & ſemper & aſsiduè humidorum excrementorum, ſine dictis affectibus, (vt ipſe inquit) qui affectus priùs ab eo deſcripti erant, dyſenteria videlicet, lienteria, & teneſmus. Cùm itaque aluus fluxione laborat, ſeu humidior efficitur citra cruentas deiectiones, tenſionem, ac incoctorum ciborum excretionem, alui profluuium eſt, & dicitur. In quo quænam pars primò afficiatur, non admodum patet, nam licet deiectio optima, quæ mollis, conſtánſque eſt, & eo tempore ſecreta, quo ſecunda valetudine aſſueuit, quantitátéque eſt pro ratione cibi aſſumpti, colore ſubrufa, nec admodum graueolens, non ſolum inferiorem ventrem bene valere oſtendit, ſed etiam nihil in eum decumbere ex aliis viſceribus præter naturam, ex Hippocra. & Galeni ſententia 3. prognoſt. intelligendo per inferiorem ventrem ventriculum ipſum, & item ieiunum ſimul cum inteſtino omni, vt Galenus aſſerit. non tamen contraria deiectio (vt patet ex Galeno ibidem; & primo de criſibus) confeſtim indicabit eundem inferiorem ventrem præter naturam ſe habere. Nam quandoque permutabitur tum in ſubſtantia, & colore, tum etiam copia, ex permixtione alicuius confluentis humoris. Neque etiam ſeruabitur tempus ſecretionis aſſuetum, & tamen venter inferior bene valebit. Sed à iecore, aut liene, aut aliqua quauis alia parte, ſeu corpore toto, vel duabus, ſeu pluribus in eundem ventrem confluere contingit excrementa aliqua. Qua de re alui deiectiones, vbi præter naturam ſe habeant, ventrem interdum ſolum eſſe affectum ſignificant. Sæpe verò decumbentis aliunde materiæ in eum indicia habent. Atque hæc multiplicia ſunt, prout multæ quoque partes, vel corpus totum (vt diximus) eandem materiam, ſeu humores in iam dictum ventrem demittunt. Idq́ue aut criticè eſſe poterit, veputa cùm per eos totum corpus, aut iecur, vel quæpiam alia pars expurgatur, interim verò ſymptomaticè. Quo caſu affectionem aut corporis omnis, aut partis alicuius, (vt diximus) aut aliquarum indicabunt. Ex quibus liquidò conſtat in diarrhœa non perpetuò vnam affectam eſſe partem, neque etiam ventriculum, aut inteſtina duntaxat, ſed interim iecur, aut lienem, ſeu cerebrum, aut corpus totum affectum eſſe citra ventriculi, aut inteſtinorum oblæſionem. Interdum verò contingit quòd ventriculus ipſe, aut inteſtinorum aliquod afficiatur corpore toto, aut reliquis eiuſdem corporis partibus bene valentibus. Et quoniam tum pro prognoſtico, tum etiam pro curatione huius affectionis magnopere conducit determinatæ partis primariò affectæ cognitio, veluti in cunctis aliis præter naturam affectibus neceſſarium eſſe monſtra-

Dubia eſt pars affecta. *Tex. & commen. 13.* *1. de criſib. cap. 11.* *Quòd nō una dūtaxat pars in diarrhœa aſſiciatur.*

uimus,

Quibus indicijs dignoſcenda ſit pars affecta in diarrhœa.
Lib. de plenitu. cap. 11.
4. de ſanita. tuen. cap. 4.

uimus, ea de re id docere conabimur. Interſtingues nanque ſi à toto corpore diarrhœa fiat, quoniam aderunt alicuius redundantis ſucci in toto ſigna, ſiue in toto habitu fuerint, aut in vniuerſis vaſis, qualiſcunque etiam fuerit redundans ſuccus. Particulariter autem ea conſcripta reperies apud Galenum cùm lib. de plenitudine, tum etiam 4. de ſanit. tuenda. ac aliis pleriſque locis. Præter id quod ocioſa quoque vita præceſsit, cõſueti exercitij dimiſsio, ac ingeſtorum ciborum, & potuum copia, aut conſuetæ alicuius excretionis retentio, neque vllum aderit ſignum particularis partis affectæ. Verùm ſi à toto fiat propter eiuſdem corporis liquationem, cùm portio carnis, quæ colligatur in ventrem defluit, tunc per aluum excernitur deiectio exigua, glutinoſa, opima, admodum graueolens. Pariter ſi propter vniuerſi corporis retentricis facultatis imbecillitatem ex totius corporis extenuatione præcedente, ardentiſsimáque febre, ſeu hectica, ſeu etiam tabe, id coniicere poteris, quemadmodum Hippocr. ſcriptum reliquit aphoriſ. 11. 12. & 14. 5. lib. Cerebro autem affecto ſpumoſa aderunt excrementa, vt idem inquit Hippocra. aphoriſ. 30. 7. lib. nec minùs & imbecillitatis eius apparebunt indicia, ac deſtillationes, & quandoque dolor. Quæ omnia ſcripta reperies cap. de dolore capitis, ac deſtillatione. Conſueuit quoque vitio cerebri orta diarrhœa in ſomno potiſsimùm longiori magis, quàm in vigiliis generari. A iecinore verò vbi ortũ fuerit alui profluuium, vt plurimùm chiloſæ erunt alui deiectiones, probè tamen ventriculi coctione celebrata, potiſsimùm ſi attractrix iocinoris facultas oblæſa fuerit, ídque non ob aliud (vt dicemus) quàm propter diſtributionis imbecillitatem, niſi plus cibi fuerit aſſumptum, quàm hepar indigeat, aut citiùs fuerit deiectus propter ventriculi, & inteſtinorum retentricis facultatis imbecillitatem. Id quod dignoſcere valebis ex iis, quæ diximus cap. de læuitate inteſtinorum. Interim quoque bilis multitudo in deiectionibus apparebit, ac ſigna aderunt, aut inflammationis, aut immodicæ caliditatis eiuſdem, quemadmodum ſi ab eius obſtructione proueniat, obſtructionis quoque aderunt ſigna. Sic ſi alius quiſpiam affectus iocinoris præter iam dictos affuerit, ex propriis eius notis id manifeſtabitur. Nos verò de eis in ſequentibus fuſiſsimè pertractabimus. Sed quoniam idem iecur non ſolum ſua ipſius excrementa, ſaniémque, & humores præter naturam demittit in ventrem, ſed etiam corporis totius, quandoquidem venter per id omnibus corporis partibus copulatur, ac per illud recipit excrementa earum, vt liquet ex Galeni 2. prognoſtic. Propterea id diſtingueris poteris ex ſignis iam traditis. Si totum corpus fuerit affectum aut ſi aliæ partes quædam, ex earundem partium affectarum propriis indiciis. Verùm ſi à ſplene diarrhœa proueniat, vt plurimùm deiectiones ad nigrum vergentes, aut etiam nigræ erunt, patebúntque particulares eius ægritudines ex propriis earum indiciis, de quibus à nobis loco proprio mentio fiet. Accidit interim ab oris, ſeu linguæ affectione alui profluuium, ab oris ſiquidem, vt in pueris cùm dentire incipiunt, maximè cùm caninos ædunt dentes. Quoniam alimentum non bene concoquitur, neque diſtribuitur, vt patet aphor. 25. 3. lib. A lingua verò, vt in blæſis, quemadmodum liquet aphoriſ. 32. 6. lib. Quoniam iis qui balbi natura ſunt contingit aut cerebrum habere humidum, aut linguam, aut vtrunque, atque inde fluentes humiditates in ventrem ſuſcipi, vnde & longis profluuiis capiuntur, quemadmodum Gale. ſcriptum reliquit com. iam dicti apho.

Si ventriculus, aut inteſtina afficiãtur, ſigna.

At ſi nullum aderit vniuerſi corporis affecti, aut prædictarum partium affectarum ſignum, ventriculum, ſeu inteſtina affici putandum eſt. Alimenta quoque interim non probè concocta cùm humidioribus deiectionibus, admodúmque aquoſis apparebunt. Neque tale alui profluuium determinatas habebit periodos, deiectiones tamen aderunt crebræ, & exiguæ, vt plurimum albæ, & pituitoſæ. Interdum nauſea, & vomitus infeſtabunt, ac alia quædam ſymptomata, quæ imbecillitatem retentricis ventriculi, & inteſtinorum ſignificabunt. Quæ omnia cap. de lienteria, & vomitu oſtendimus. Verùm inter reliqua, vbi

ter reliqua, vbi diuturnum fuerit alui profluuium, propriam ventriculi paſſionem indicat ex Galeni decreto commento præcitati aphoriſmi 32. ſexti libri. Quod verò quodlibet alui profluuium ſymptoma ſit in genere excretorũ immodicè, nemo vetetur, nam quæ in eo excernuntur, aut tota ſubſtãtia, aut quantitate, aut qualitate à naturali recedunt. Item quod (veluti reliqua ſymptomata) omnino morbis ſuccedat, vel continenter, vel alus ſymptomatibus intercedentibus, cuiuis patet. Etenim ſemper cauſam aliquam habet præter naturam, quæ ad talem motum, ſeu actionem naturam ſtimulat, ex Galeni ſententia ſecundo de cauſis ſymptomatum, cap. 3. Ad hæc etiam quod ex neceſſitate ventris profluuia eueniant, vel coctione, vel diſtributione fruſtrata (niſi ad inteſtinorum exulcerationem conſequantur) liquet apud eundem Galenum commento aphoriſ. 25. & 30. 3. lib. Non tamen neceſſariò aut retentrix, aut expultrix facultas in eis oblæſa eſt, ex eiuſdem Galeni auctoritate libro de differentiis ſymptomatum, cap. 4. Nam licet tum alimentum non benè concoquitur, neque diſtribuitur, conſueuit alui profluuium euenire, immo abſque iis fieri non poteſt, tamen cùm ipſum, aut non probè concoctum ſit, aut non diſtributum, vt decet, interim ſymptomaticè, hoc eſt non ad animalis commodum, neque tempeſtiuè excernitur. Interdum autem tempeſtiuè, & ad animalis commodum, cum prouidentia ſcilicet de eius ſalute, & cum virtutis robore. Id quod maximè in hac affectione attendendum eſt pro eius curatione. At quomodolibet fiat alui profluuium, crebriores, ac liquidiores deiectiones adſunt, cum leuiori, ac tolerabili interdum dolore, interim autem grauiſsimo, vt Celſus fatetur, cap. decimonono libro quarto. Verùm nunquid ea, quæ deiiciuntur bonæ ſint ſecretionis indicia, aut ſecus, ſic interſtingues. Nam ſi madens, ſeu aquoſa deiectio crebrò, & paulatim, aut vniuerſim, & ſæpè deiiciatur, ac cum ſtridore, grauiſsimóque dolore, ſymptomatis rationem obtinebit, ac ſymptomatica erit, natura non per ſe expurgante, ſed ex aliquo irritamento ſtimulata, neque inde vtilitas vlla prouenit, immo talis euacuatio prauæ diſpoſitionis erit ſignum, vt liquet commento aphoriſ. 2. quarti libri. Idque potiſsimum, vbi in principio apparuerit, nulla concoctione præcedente, & in febribus. At ſi multo interpoſito tempore, ac vniuerſim, citra ſtridorem, cum exiguo aut nullo dolore excernatur, præceſſerintque coctionis ſigna, ac proportionata corporis diſpoſitioni fuerit alui deiectio, ægérque facilè toleret, & iuuetur ex tali euacuatione, leuius ſe habens, virtúsque robuſtior euadat, tunc bonæ ſecretionis indicium erit, quia natura expellit per ſe, atque expurgat noxios redundantes ſuccos, qui corpus infeſtabant. Vtcunque verò fiat diarrhœa, eius cauſa erit, aut malè concoctus, aut malè diſtributus cibus in inferiori ventre, vel humor quiſpiam ad eum confluens à toto vel aliqua corporis parte criticè, aut ſymptomaticè diductione à finibus concidente, & propterea vel iocinoris, vel reliquarum corporis partium concoctione, ſeu diſtributione oblæſa tale quoque fit alui profluuium, cùm & quælibet madens deiectio fiat, vt teſtis eſt Galenus eodem ſecundo prognoſticorum, propterea quòd non fuerit ex ventriculo deductio ad iecur, vel quia de iecore, vel liene aliquid defluxerit in eum. Cùm nanque humorum ſuperabundantia per aluum expurgatur, alui profluuia fiunt, ex eiuſdem Galeni teſtimonio commento aphoriſmi decimiſexti, tertij libri. Ex quorum permixtione cùm alui deiectionibus (vt diximus) variari contingit, non ſolùm deiectionum color, verumetiam conſiſtentia, atque odor, item & copia, neque etiam ſeruabitur tempus ſecretionis aſſuetum, verùm ſi quis velit non propriè, ſed vniuerſaliori vocabulo hanc affectionem alui profluuium nuncupare, cùm in ea nec concoctio ventriculi, ſeu inteſtinorum, nec diſtributio ex eodem ventre inferiori ad iecur fuerint per ſe læſæ, vel fateri in hac quoque affectione concoctionem, aut diſtributionem ventriculi, vel inteſtinorum oblæſam eſſe (& propterea alui profluuium dici) licet non per ſe, & primò, non reclamabimus. Nos verò diarrhœam, ſeu alui profluuium dicimus quancunque humidorum excremento-

Quis affectus præter naturam ſit.

Modus dignoſcendi num criticè, vel ſymptomaticè per alui profluuiũ excernantur.

Comment. 14

Comment. 2 rum crebram deiectionem, iuxta Galeni ſententiam, primo de morbis vulgaribus, (vt ſuperiùs adnotauimus.) At vbi admodum aquoſa deiectio fuerit, miniméque graueolens ad candidum potiùs vergens, quàm croceum, ſeu nigrum, & interim ſpumoſa, alimenti non probam concoctionem, ſeu eiuſdem imperfectam diſtributionem indicabit, aderúntque nonnulla ſigna eorum, quæ ventrem ipſum affectum oſtendebant. Verùm ſi ex alimentorum copia, aut eorundem mala qualitate talia fiant excrementa, ex ægro, ſeu aſsiſtentibus id percipere valebis, quo caſu, nec coctio, nec diſtributio per ſe oblæſa erunt. Vbi verò ruffa, ſeu admodum crocea alui deiectio fuerit, bilem eſſe cauſam iudica, potiſſimùm ſi ætas, temperamentum, habitus bilioſi fuerint, ac tempus anni, regio, & aëris conſtitutio ad calidum vergent, ſimiliter & anteacta vita. Sic ſi pituitoſæ, aut melancholicæ deiectiones fuerint, ac modo dicto ad pituitam, vel ad melancholiam vergant, pituitam, aut melancholiam alui profluuij cauſam eſſe putabis. Quòd ſi ſyntectica fuerint alui excrementa, id quod in calidiſsimis, ac peſtiferis febribus contingit, ſi in corporibus generentur humidis, ac mollibus, & pinguibus, vt liquet decimo methodi medendi, cap. vltimo. colliquationem tum carnis, tum adipis ſignificabunt, habebúntq; diuerſum curationis modum: cum iis videlicet, quæ refrigerant, & humectant corpus, nutrientes nos, ac quamprimum frigidam exhibentes, vt fuſiùs dicetur, cùm de febribus ſermo habebitur. Vno autem die fluere aluum (vt inquit Celſus præcitato loco) ſæpè pro valetudine eſt, atque etiam pluribus dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat. Purgatur enim corpus, vt ipſe inquit, & quod intus læſurum erat, vtiliter effunditur. Verùm ſpacium periculoſum eſt, interdum enim tormina, ac febriculas excitat, viréſque conſumit. Alexander verò cap. 5. lib. 8. dicebat alui profluuij in febribus difficiliorem eſſe curationem, animaduerſionémque, & coniecturam requirere. Quod verò balbi à diuturno alui profluuio capiantur, liquet apud Hippocratem aphoriſ. 32. ſexti libri, ſimiliter quòd longo alui laboranti profluuio ſpontaneus vomitus ſuperueniēs morbum ſoluit, aphoriſmo 15. eiuſdem libri ſcriptum eſt, quemadmodum quod exigua deiectio glutinoſa, candida & ſubcrocea mala ſit, potiſsimùm vbi leuis fuerit: exitioſior verò ſi nigra, aut liuida, aut opima, aut fœtida, diuturnior, ſi verſicolor ſit, ſed nihilominus etiam exitialis, idemmet Hippocr. ſcriptum reliquit ſecundo prognoſticorum. Quantum ad curationem ſpectat, animaduertendum, quod licet alui profluuium tum in febribus, tum citra febres eueniat, & in febribus difficilior ſit eius curatio, ex Alexandri & Aëtij ſententia, tamen ſi citra febrem cōtingat, neque facilis eadem erit, cum & ipſa diarrhœa (vt diximus) aut per viam ſymptomatis, ac vacuationem ſymptomaticam, vel per modum iudicationis prouenire poſsit. Et propterea non ſemper eodem modo curanda erit. Facta nāque per modum criſis, ita quod per eam totum corpus, aut aliqua eiuſdem corporis pars expurgetur, ac vtiliter ea excernantur quæ ſint corporis commodo, minimè reprimere, ſeu inhibere conuenit, ne materia in aliam conuerſa partem, prauos alios affectus generet, veluti phrenitim, aut lethargum, ſeu pernicioſas parotidas, vt eidem Alexandro ac Aëtio viſum eſt. Sed cùm ſalubriter à natura aliena euacuantur, aut vſque quo eadem omnem curam ſuam impenderit, expectare oportet, aut ipſius etiam motus adiuuare, nam (vt idem Alexander fatetur) vidit quandoque ventrem initio affectus ad quartum, quintúmve diem profluxiſſe, & poſtea fluorem, aut per ſe, aut medici auxilio ſubſtitiſſe, vnde ægri in magnum periculum inciderunt, vtpote in aliquem prædictorum affectuum. Quid plura? Hippocr. aphoriſ. 20. primi libri decretum reliquit, quæ iudicantur, & iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere oportet, & Galen. in cōment. dicebat, Nos Hippoc. docere, quando ſit totum ipſi naturę permittendum, quod ad curam pertinet ægrotantis, nihil aliud nobis agentibus, niſi victum conuenientem inſtituentibus, quando etiam non ſit totum ipſi naturę permittendum,

Comment. 35

Cauſarum cognitio.

Prognoſtica.

2. prognoſtic. tex. 21. 22. & 23

Quæ attendenda ſint circa eius curationem.

Aëtius lib. 9. cap. 35

ſed ali

ſed aliquid nos oportet operari,& proinde cùm integra iudicatio facta iam eſt, vel adhuc fit,totum naturæ permittere,& nihil nos nouare oportet. Vbi verò non integrè iudicatur,aut iudicatum eſt,id quod deficit, ſupplere nos conuenit, id quod etiam confirmauit nono metho.meden.cap.5.& libro primo de arte curatiua, ad Glauco.cap.14.cùm dixit,Sed neq; ſi fuerit febris cum profluuio ventris, alia eſt opus euacuatione.Verùm hæc ſola ſufficit,quamuis non ſit pro multitudinis ratione,quicunque enim his plus adimere fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere,aut ventrem mouere tentarunt,in grauiora pericula duxerunt.Redeuntes itaque ad ea, vnde oratio diuerſa eſt, dicimus cum Hippocrate & Galeno,ac reliquis præcitatis auctoribus, quod cùm integrè iudicatio facta iam eſt per alui profluuium,vel adhuc fit,totum naturæ permittendum erit, nihil aliud nobis agentibus,niſi victum conuenientem inſtituentibus. Erit autem conueniens victus,quod ad eius quantitatem, prout vires requirunt, ac reliqua,quod ad qualitatem ſpectat, diuerſus pro diuerſo redundante humore, & vt ſummatim dicam,ſimilis ei, quem inſtituimus,cap.de cruditate, de lienteria,aut cholera,donec ipſa ſe natura componat ,& ad integram perueniat ſanitatem. At ſi non integrè videatur iudicare,ac ſegnis natura in euacuãdo fuerit, motum eius adiuuare oportet, & ſi criticè euacuet, vt prædictis Alexandro & Aëtio viſum eſt; ſeu id quod deficit ſupplere nos conuenit, vt Galeno placuit præcitato commento aphoriſ.20.primi libri,quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod poſtules,ex eiuſdem Galeni auctoritate præcitato libro 9. methodi meden.cap.5.Sed mox quiſpiam inficias ibit,aſſerens pugnare hoc eiuſdem Galeni ſententiæ nunc citatæ, primo de arte curati. ad Glaucon. cap.14. vbi præcipit, quòd quamuis euacuatio non fit pro multitudinis ratione, tamen ea ſola ſufficit quæ à natura fit,nec alia opus eſt euacuatione.Cui reſponſum ſit, Galen.non ſibiipſi pugnantia conſcripſiſſe, ſi quis ea, quæ præcitato commen. ac primo de arte curat.ſcripta reliquit,rectè inſpexerit,nam licet quo tempore natura corpus expurgat,id quod excernit, non ſit pro multitudinis redundantis humoris ratione eo tempore:cõfidendum autem ei ſit,quod in futurum valeat ipſum integrè expurgare,cui in dubium venerit totum naturæ eſſe permittendum,& nihil innouandum vt diximus.Id quod conſulere voluit idem Galenus præcitato libro primo de arte curat.ad Glaucon. cap.14. At ſi quæ iudicantur, tempore,quo iudicantur,neque integrè à natura iudicentur, neque omnino fidendum,quod ab ea in futurum perfectè,& integrè iudicari valeant,tunc oportet (vt idem Galenus præcipit præcitati aphoriſ.commen.) id quod deficit nos ſupplere,& hanc ſententiam ſectati ſunt Aëtius, & Alexander vt ſuperiùs dictum eſt. Iuuanda itaque ipſa natura erit pro curatione diarrhœæ cùm non integrè,perfectè,ac indeficienter ipſa iudicauerit,aut iudicat,neque fides habetur eam poſſe in futurum integrè iudicare,& corpus perfectè expurgare, per eandem ſiquidem viam,per quam natura expellere tentauerit. Nanque ducere oportet quò maximè natura vergit per loca conferentia,eò ducere iuſsit Hippo. aphoriſmo 21.primi libri.Quo loco ſubdebat Galenus,quòd quæ videlicet, neque iudicantur,neque integrè ſunt iudicata, illa ſunt, quæ ducere oportet per locum,ad quem ex conferentibus natura vergit. Corruptis igitur cibis in cauſa diarrhœæ exiſtentibus, pro natura corruptelæ eorundem aſſumptorum ciborum purgandi erunt.Nam ſi ad frigidum corruptela vergat,medicamentis,quę frigidos expurgant ſuccos,vti oportet.Si ad calidum, quæ calidos humores expurgant propinanda ſunt,quemadmodum cap.de vomitu,& lienteria ſcriptum eſt. Deinceps verò eis quæ ventrem roborant eodem loco conſcriptis vtẽdum. Verùm vbi biliosæ fuerint alui deiectiones, bile ad inferiorem ventrem confluente,eadem priùs contemperata,domata,eucta,ac præparata ex oxyſaccharo,ſeu ſyrup.ex infuſ.roſarum, aut cichorij ſucco, tale purgans medicamentum exhiberi poterit,Recipe tamarindo.vnc.j.fiat decoctum in aqua cichorij,& acetoſellæ,in cuius expreſsione diſſoluas rhabar.drach.j.vel ſcrup.iiij.cui exiguum

Concluditur curandi via.

Qualis victus competat.

Dubium.

Reſponſio.

Si ex corruptis cibis, fiat medicamentorum ratio.

Si ex bile fiat curatio per medicamenta.

quid ſpicæ fuerit additum, maceretur autem per aliquod ſpacium, aut in vnc.j. s. ſit ſucci roſarum, aut in parte prædicti decocti, & abſque hoc, quod per colum transfuſum, miſceantur ei mellis aërei vnc.ij. aut vnc. j.s. & exhibeatur. Poteris etiam prædicto decocto addere corticum myrobalanorum citrinarum drach.j. vel drach.ij. Perpetuò autem tam in hoc, quàm in quolibet alio alui profluuio, vbi purgans medicamentum præbetur, moderatum ſit oportet, ne ex immodica euacuatione vires proſternantur. Pari ratione adſtringentia magis, vel minùs admiſcenda erunt cum purgantibus medicamentis, prout magis, vel minùs aluus profluuio laborat, ac vires ipſæ magis, vel minùs euacuare permittũt, ac plus, vel minùs ventris partes fuerint imbecillæ. Vbi verò pituitoſus fuerit redundans ſuccus, eodem priùs concocto, ac præparato ex melle roſaceo, ſeu ex oxymellite, ſyrup. è ſucco boraginis, vel è corticibus citri, aut reliquis ſimilibus, idem expurgandus erit, aut ex agarici decocto cum ſyrupo è pluribus infuſionibus roſarum vel rubearum, vel perſicarum, & diacatho. vel loco prædictorum ſyruporum vnc.j. mellis aërei adiecto, aut ex eodem agarico ſimul cum rhabarbaro, ac pauca ſpica formato catapotia, & vtare. Poſt quæ aliquod leniens medicamentum exhiberi poterit, & ſi videbitur, prædictis medicamentis drach.j. aut drach.ij. myrobalanorum chebularum adiicere poteris. Quanquam noſtris temporibus cane peius, & angue Medici quidam theſſalici pro curatione alui profluuij agaricum vitent, quadam Ioannis Meſues auctoritate (ab eiſdem praue intellecta) freti, quod videlicet læſionem aliquam imbecillis viſceribus imprimat, ea debilitans, vt propterea indigeat permixtione abſtergentium cum ipſo, velut ipſe inquit. Verùm cum agaricum ipſum primo guſtu dulce ſit, ſed paulò pòſt ſubamarum, ac acrimoniæ quandam ſpeciem temporis ſpacio inducens, leuiculæque adſtrictionis ſit particeps, & propterea digerendi vim habeat, incidendi, ac expurgandi infarctus viſcerum, ex Galeni auctoritate ſexto, de ſimplicium medicament. facultatib. cap. de agarico. Ad hæc cùm omnibus in vniuerſum interioribus vitiis accommodatum ſit, vt liquet apud Dioſcoridem cap. primo, libro tertio. miror Ioannem Meſuem talia proferentem & à quo ſapiente (vt ipſe inquit) ea tranſcripſerit. At ſi & illud quoque admittatur, per cundemmet liquet permixtione abſtergentium cum ipſo id vitari poſſe, quod ſcilicet læſionem non imprimat in viſceribus, ea debilitãs. Ipſe verò cùm ſæpiùs eo vſus fuerim & in decocto, & in ſubſtantia, vbi vſus expoſtulauit, ingentem ſemper vtilitatem ex eo prouenire conſpexi, nullúmque incommodum. ægris ex eius aſſumptione exortum fuit, nedum pro curatione alui profluuij, verùm etiam dyſenteriæ propriè dictæ, ac hepaticæ, veluti nuper in Ferdinando de Capua primogenito filio Illuſtris Ducis Termularum, expertus ſum, qui cùm bis in catapotiis ſimul cum rhab. ipſum exhibuiſſem, præter aliorum medicorum votum, ex eo perfectè curatus fuit, tum ex alui profluuio, tum etiam ex hepatico affectu, quibus decem ferè menſibus laborauerat. Erat autem affectio hepatica ex frigida iocinoris intemperie orta, aluíque profluuiũ pituitoſum. Tutò itaque, ac cum ratione agarici diluto, ſeu decocto, aut etiam eo in catapotiis redacto cum pauco rhab. ac chebulis pro cura alui profluuij pituitoſi vtare. Et vt Ioanni Meſuæ ſatisfacias, ac empiricis iſtis hodiernis medicis, qui vires medicamentorũ ignorant, & quod ex eis proueniant diuerſæ operationes, cùm diuerſarum, ac inæqualium ſint ſubſtantiarum neſciunt, aliquod abſtergentium ei permiſceto. Etenim quauis ætate non deerunt ſemper noui Theſſali, veluti huc vſque adeò non defuerunt. Si verò ex ſucco melancholico fuerit excitata diarrhœa, idem è fumariæ ſucco parato ſyr. aut boraginis, ſeu lupulorum cum eo, qui ex infuſione fit roſarum, aut è corticibus citri cum aquis melliſſophylli, lupulorum, & oxalidis priùs concoctus, ac præparatus, expurgandus quoque erit ex infraſcripto medicamento, quod recipit ſenæ, epithymi ana drac.iij. corticum myrobalanorum indarum drac.ij. fiat decoctum in aqua cæleſti, vel acetoſellæ, & boraginis, in quo vnc.ij. aërei mellis, aut vnc.iij. ſyr. ex pluribus

Si ex pituita oriatur, curatio.

De Agarico nota. Cap. proprio.

Aduerſus Meſuem.

Si ex atra bile fiat, curatio.

bus infuſionibus roſarum rubearum, cum vnc. s. diacathol. diſſoluas. Interim quoque qualiſcũque fuerit redundans humor, clyſteribus vtendum erit, ex hordei non decorticati, ac torrefacti decocto, gallinarum, ſeu pullorum gallinaceorum iure, ſaccharo rubeo vocato, ac oleo roſaceo paratis, præſertim vbi bilis redundarit. Pituita autem redundante in vicem olei roſacei chamæmelino, aut anethino vtendum, & loco ſacchari rubei, roſaceo melle. Similiter etiam vbi nigra bilis deiiciatur, eiſdem, vel ſimilibus vtare. A purgatione verò, vel vbi alui profluuium diutius perſeuerauerit vires conſumens, ac habitum colliquãs, tunc ſanè ſiſtere ei oportet, tum per ea, quæ per os ſumuntur, tum quæ per anum infunduntur, atque ea, quæ forinſecus imponuntur, ex Aëtij decreto, & etiam Alexand. Nam cùm euacuatio modum excedit (vt inquit Paulus cap. 58. libro 2.) cohibenda aluus eſt. Verùm vbi bilioſa, & pura recrementa fuerint, non ſtatim admodum adſtringentibus medicamentis cohibere oportet, ſed in magis ſalubria ea permutanda ſunt, ac contemperanda, iuxta eiuſdem Alexandri & Aëtij ſententiam, velut ſunt cibi bonum, atque paulò craſsiorem ſuccum generantes, cuiuſmodi ptiſana eſt, & eius cremor, ex Pauli auctoritate. Poterit autem ea parari ex torrefacto hordeo propè contuſo, ſeu extenuato, & aquæ pluuiali, adiectis mali punici acidi granis, ac oxalidis foliis, aut in iure gallinarum, ſeu pullorum gallinaceorum, eiſdem quoque adiectis, hordeum ſic paratum decoquatur. Bilioſus nanque humor cibis lenientibus magis, vt deſcendat, quam in corpore retineatur, eſt ſollicitandus, vt inquit Alexan. aliàs totum morbum grauiorem efficit, & nonnulla alia ſymptomata gignit, vt ipſe refert. Verùm ad taleis bilioſas fluxiones nullum compendioſius remedium reperitur, vt prædictis Alexandro & Aëtio viſum eſt, quàm laç bubulum, aut caprillum. Qua de re ſi febris non vrgeat, tepidum, recénſque mulctum, ac potatum magnopere auxiliatur, aut ad ignem decoctum, & aſsiduè agitatum, donec ad tertias ſit redactum, ſimiliter etiam, ſi per ſilices fluuiales ignitos, & candentes ferri laminas in ipſo extinctas coctum fuerit, potui datum iuuat. Spuma verò dum lac coquitur penna, aut cochleari auferri debet. Hoc nanque nullum præſentius remedium, vt Alexander inquit, ad bilioſas fluxiones inuenire licet. Si verò ſimul cùm alui profluuio bilioſo, febris quoque vrgeat, lac ipſum purum aſſumptum plus noxæ, quàm commodi afferre ſolet, quare ipſum exhibere vitabimus. Verùm ſi quarta pars aquæ lacti miſceatur, coquatúrque vnà, donec dimidium totius conſumatur, ipſum exhiberi poterit abſque periculo, vt eiſdem Aëtio, & Alexandro viſum eſt. Sed mox obiiciet quiſpiam afferens hoc repugnare Hippocra. atque Galeni ſententiæ aphoriſ. 64. libri quinti, quo loco malum eſſe lac, quibus in febribus acutis bilioſæ ſunt deiectiones ſcriptũ eſt, quoniam, in nidorem celerrimè verteretur. Cui reſpondebimus nos primò Hippocr. ac Galeni decretum veritatem habere, cùm nulla præceſſerit corporis euacuatio, ſed multa adhuc adſit in corpore bilis copia, & febris acuta ſit valida. Nos verò poſt purgationem ipſum probauimus, ac febre non adeò valida exiſtente. Secundò, & meliùs, quod cùm ſimul aderunt bilioſæ deiectiones, & febris, aut lac ipſum non competit, vt Hippocra. & Galeno viſum eſt, aut ſi exhibetur, id affuſa aquæ quarta parte, & decoctum (vt diximus) donec dimidium totius conſumatur, exhibendum erit, quo modo exhibitum approbarunt Aëtius, & Alexan. nec Hippocr. & Gale. illud negarunt. Etenim vitarunt, purum ipſum lac, & non prædicto modo præparatum. Verùm adhuc Gale. verba præcitato commento aphoriſ. 64. quinti libri, præbent dubitandi anſam, nam non ſolùm vtriſque ſimul iunctis, bilioſis ſcilicet deiectionibus, & acuta febre noxium eſſe lac ipſe ex intentione Hippoc. ſtatuit, ſed etiam ſeorſum in alterutro aduer ſatur, vt ipſe inquit. Qua de re nec ſi abſque febre acuta fuerit alui profluuium, tribuendum eſſet ex Galeni ſententia. Nam in vniuerſum, eo auctore celerrimè ab omnibus cauſis calidis in nidorem conuertitur, niſi eſſet quod ex iis quæ diximus prima reſponſione primi dubij, facilè nodus hic diſſoluitur, neque enim

Clyſteres.

Vbi diutius perſeuerauerit alui profluuium.

De lacte nota.

magna exiſtente ſyncerę bilis copia, nullâque præcedente, aut exigua euacuatione lac probamus. Nec probarunt eo caſu Alexander & Aëtius, ſed eo tempore ipſum exhiberi præcipiunt, quo diutiùs perſeuerauerint fluxiones biliosæ adeò vt & habitum veluti colliquent, ac vires conſumant, quo tempore lac ipſum euinci, ac mutari, à bilioſo excremento, cùm exiguum ſit, in nidorem non valeat; citiúſque diſtribuitur, cùm partes refectione indigeant. Vel dicas ex prædictorum ſententia, vbi hæſitabis ne in nidorem conuertatur lac, quod ipſum ad ignem decoctum, aut per fluuiales ſilices, ſeu ferri laminas ignitas paratum, tutò exhiberi poterit; & ſic ſententiæ Galeni non repugnabit. Tale ſiquidem lac ſi præparatum, non adeò promptè in nidorem vertetur, veluti ſi purum exhiberetur, & cùm hoc quod aluum non ſubducit, contrarium etiam efficit, eodem Galeno auctore tertio, de aliment. facultatib. cap. 15. & decimo de ſimplicium medicamentorum facultatib. cap. de lacte. Quò fit, vt optimum ſit remedium dyſenteriæ, & omnium ventris acrium fluxionum, vt ipſe inquit. Et vbi affectio adhuc non ceſſerit, viréſque admodum ex bilioſis deiectionibus immodicis imbecillæ redditæ ſint, adſtringentibus quoque ſiſtere oportet ſyrup. ex citri acido, aut è ribes paratum exhibens, pariter, & myrtinum, & eum qui ex infuſione roſarum ſiccarum, ac cydoniorum ſucco conficitur, & ſi videbitur, puluerem margaritarum, cornu cerui vſti, & ſeminum oxalidis, ac plantaginis adiicere poteris, eiuſdem pulueris aſſumens ſcrup. j. vel ij. cum vnc. j. vel vnc. ij. alicuius ex prædictis ſyrupis. Nec minùs confert, & roſaceum ſaccharum vetuſtum cum aqua oxalidis, vel plantaginis exhibitum, & vbi hæc non ſuffecerint, ad trochiſcos de ſpodio, ſeu è ſuccino deueniendum erit, ſeu de terra lemnia. Similiter per ea, quæ per aluum infunduntur auxiliari oportet, ex decocto videlicet plantaginis, rhu obſoniorum, balauſtiorum, hypociſtidis, ac hordei non decorticati, ac torrefacti, cuius decocti aſſumpta ſufficienti quantitate vnc. ij. vel vncias iij. olei roſacei omphacini, & tantundem ſacchari rubei, & vnc. ij. vel vnc. iij. ſucci plantaginis, aut portulacæ, duóſque ouorum vitellos adiicias, & vtare. Extrinſecus verò irrigationes adhibeantur ex oleo omphacino, roſaceo, myrteo, ſeu citoniorum cum vino, quarta videlicet, vini parte ei admixta, ſit autem vinum album, & ſubadſtringens. Poteris inſuper malicorium, gallas, cupreſſi pilulas, balauſtium, hypociſtim, & reliqua quoque adſtringentia in ipſa irrigatione incoquere, ſimiliter ceratis, vnguentis, emplaſtris, ac reliquis medicamentis, cap. de lienteria, & vomitu conſcriptis vtare. Ad alias quoque alui fluxiones, vbi ſufficiens iam euacuatio ſit facta, fluxióque ipſa adhuc perſeueret, adſtringentibus etiam medicamẽtis eis reſiſtere oportet, quomodocunque adhibitis, ſiue per os ſumantur, ſiue per aluum infundantur, aut extrinſecus imponantur, vt diximus. Qua de re ſyr. ex abſynthio, è corticibus citri, myrtynum, & eum, qui ex mentha conficitur, præbeto, aut diacotoneon cum ſpeciebus, potiſsimùm autem eo medicamento, quod à Galeno ſexto de ſanitate tuenda ex ſucco cotoneorum, zinzibere, ac pipere albo, aceto, & melle conficitur, vtare. Minui autem poterit, & piper, & zinziber, prout vẽter magis, & minùs frigida intemperie laborat. Cum prædictis item ſyr. ſcrup. j. aut drac. s. infraſcripti pulueris exhibe, qui recipit vtriuſque menthæ ſiccæ drac. ij. cinnamomi, maceris, galangæ ſingul. ſcrup. j. ſeminis plantaginis, cornu cerui vſti, & ſeminis oxalidis ana drac. ij. fiat puluis, in quem etiam vſum ſi recenti theriaca, aut mithridato vtaris, non parum cõfert. Nec minùs & drac. j. vel ſcrup. ij. trochiſcorum è ſpodio, ſeu è terra lemnia, ſi tribuantur cùm iam dictorũ ſyrup. aliquo conducit, mora etiam immatura, & adhuc acerba ad ſolem pluribus diebus deſiccata, deinde trita, & repoſita, vſúque expetente bibita magnum pharmacum alui reſtrictiuum fiunt, vt ad diuturnas etiam cœliacas affectiones cõmode exhibeantur, aliáſque omnes, quæ fluidæ exiſtunt, atque etiam dyſenterias, ex Aëtij auctoritate. Contunduntur quoque eadem mora, & obſoniis admiſcentur quemadmodum etiam rhus culinarius conſueuit. Magis tamen aluum cohibent rubi mora

Quo tẽpore adſtringentibus utendum ſit, bile redundante.

Quæ per os exhibẽda ſint.

Quæ per aluum infundenda.

Topica.

Pituita, aut atra bile redundante.

Sumenda per os.

In fine.

Infuſa per aluum.

immatura

immatura, & acerba eodem modo exſiccata, & in potu exhibita, vt idem inquit Aëtius. Decoctum inſuper ex foliis, & corticibus pini, pilulis cupreſsi, furfure, gallis ac foliorum plantaginis cum oleo myrtino, aut maſtichino per anum infundas. Nec minùs extrinſecus ex oleo maſtichiuo, myrtino, de abſynthio cum tertia, aut quarta vim odorati parte admixta, irrigationes competunt. Similiter ex oleo nardino, aut coſtino, & ſi mauis vnguentum, hoc modo parabis, Recipe chiæ maſtiches, corticũ thuris ana drac.ij. pulueris menthæ, & cinnamomi ana drac.j.s. olei nardini vnc.s. olei maſtichini, & de abſynthio, ſingulorum vnc.j. vini odorati, & ceræ quantum ſatis ſit, fiat vnguentum. In oleo quoq; nardino, ac de abſynthio ſi vnc.j.s. chiæ maſtiches diſſoluas, & in emplaſtri formam redigas, atq; ventri ſuperimponas, magnopere confert. Pariter & emplaſtrum è galia, aut id, quod à Galeno deſcribitur primo de arte curatiua ad Glauconem. Cõſtat autem ex palmulis, vino, farina hordei, croco, aloë, ac maſtiche. Adhibebis etiam ventri ſacculos ex milio, ſale, aut panico factos, aut etiam ex furfure, & hordeo torrefacto. Nam hi quoque fluxiones deſiccant, vt Alexandro viſum eſt, nec minùs & ex cumino, & apij ſemine. Nam & ij vrinam quoque cient, cùm & hoc etiam tempore conferat ea exhibere quæ vrinam ciunt, fluxionéſque ad inteſtina eò diuertunt, vt eiſdem Alexandro & Aëtio viſum eſt. Diuerſa ſiquidem pro redundantis humoris diuerſitate, nam quibus ſupramodum humida aluus deprehenditur, iis potum minorẽ exhibebimus, ac præterea illi viam ad veſicam parabimus, Galeno teſte commento aphoriſmi vltimi, quarti libri. Cæterùm extremæ corporis partes nempe brachia, & crura, cùm deligari debent, tum etiam fricari, nam & hæ quoque alui fluxiones diuertunt. quo etiam tempore & reliquis partibus ad ventrem fluxionem mittẽtibus, ſi ita fieri contingat alui profluuium proſpiciendum erit, prout affectæ partis diſpoſitio exigit. Vbi verò alui profluuium ortum fuerit, natura non per ſe corpus expurgante, ſed propter aliquod irritamentum, aut quia præ multitudine à vaſis redundantes non contineantur ſucci, ita vt quicquid excernatur, ſymptomatis ratione ſit, neque inde vlla proueniat vtilitas, imò talis euacuatio prauæ diſpoſitionis ſit ſignum, potiſsimùm ſi cum febre copulatur, ſiue ſimul cum ea inuadens, ſiue ad eam ſequatur (circa initia tamen ſiue ipſum alui profluuium febrem præcedat, & deinceps ipſa conſequatur, tunc neque totum naturæ permittendum erit, nec ipſam iuuare oportet. Quinimò ipſum alui profluuium cohibere neceſſarium erit, iuxta Hippocratis decretum aphoriſ.2. quarti libri, cùm dixit, In medicationibus talia educere è corpore, qualia ſponte prodeunt, vtile. Quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet. neq; enim in hoc imitari naturam debemus, cùm ex eius euacuatione nulla proueniat corpori vtilitas. Qua de re vbi vires, aut ætas non prohibeant, in hoc alui profluuio audacter vena ſecanda erit, vt & ipſum alui profluuium cohibeatur, ac qui confluunt ad ventrem redundantes ſucci, cum quo non oportet, vergant, reuellantur, ex eiuſdem Hippocratis ſententia, ſexto de morbis vulgaribus, cùm dixit reuellere, ſi quo non oportet, vergant: & ſi ex toto confluant ſucci, media vena ſecanda erit. Si ex iocinore, interna dextri cubiti, ſi ex liene, ſiniſtra. Si ex capite, externa cubiti vena incidatur. Verùm non tanta ſanguinis copia exhaurienda erit, quantam exigit diſpoſitio, ſed minor, & potiùs, ſi oportuerit, iterari debet, quàm ſimul multam ſanguinis copiam educere. Et ſi quiſpiam obiiceret aſſerens id aduerſari Galeni ſententiæ, quarto de ratione victus in morbis acutis, cùm dicebat, fluente aluo, ſanguinem non detrahes, nam ſi poſt detractionem perſeuerat fluor, virtutem proſternet, reſpondebimus nos Galeni verba veritatem habere aluo criticè fluente, & non ſymptomaticè, id quod nos etiam cum eo aſſerimus. Verùm ſi ſymptomaticè fluxerit, venæ ſectionem eum non prohibere, quemadmodum nos admittimus. Quanquam etiã & de immodica ſanguinis miſsione, immodicóq; alui fluore, coctione, vel diſtributione ceſſante etiam orto, ibi loquatur, id quod oſtendunt

Topica.

Loco citato.

Si quod excernitur per alui profluuiũ fuerit ſymptomatis ratione, curatio.

Victus ratio.

Commentario 2. tex. 29.

Commen. 116.

Conciliantur Galeni ſententiæ in diuerſis locis.

eius verba, cùm dixit, nam ſi poſt detractionem perſeueret fluor, virtutem proſternit. Quo caſu neque nos talem conſuleremus ſanguinis miſsionem. Similiter eiuſdem Galeni verba intelligenda ſunt, conſcripta primo de arte curatiua ad Glauconem, cùm dixit, Quicunque enim iis (loquens de alui profluuio cum febre) plus adimere fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere, aut ventrem vomere tentarunt, in grauiora pericula duxerunt. Neque enim aluo fluente ſanguinem mittere oportet, ſi id quod excernitur, fuerit naturæ ratione, ac exinde iuuetur animal: velut etiam neque ſecanda vena erit, ſi alui profluuium adeò modum exceſſerit, vt vires proſternat, vires etenim tunc eam prohibebunt, & eò magis, ſi eadem copioſa fieret. Verùm vbi circa initia alui profluuij, præſertim cum febre coniuncti, exactè noueris naturam ex irritamento aliquo, aut ex multitudine grauatam, per aluum excernere, neque exinde vtilitas proueniat animali (vt diximus) venam ſecabis, iam dictis Hippocratis auctoritatibus fretus, ac etiam Galeni commento aphoriſmi 22. quarti libri, cùm dixit, Quando aliquis incipit morbus, ſi quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, ſed ſunt omnia ſymptomata earum, quæ præter naturam ſunt diſpoſitionum. Quo enim in tempore à cauſis morbum facientibus natura grauatur, & adeſt cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter euacuari eſt impoſsibile, ſiquidem oportet coctionem præire, ſubſequi verò diſcretionem, & poſtea euacuationem, vt bona ſit criſis. Nec illud ratio, & auctoritas duntaxat affirmant, verumetiam experientia ipſa comprobat. Nam cùm ferè annis vigintiquinque in curandis ægris vacuauerim, ſæpiùſque mihi talia occurrerint præ manibus alui profluuia, cùm venam ſecari iuſsiſſem, ſemper ægris bene ſucceſsiſſe cōſpeximus, nec vnquam quidpiam mali ſuperuenit. Hac item ratione frictionibus, vinculis, ac aliis extremarum partium reuulſionibus ſalubriter vtendum eſſe conſulo, & vbi iam dictis reuulſionibus tale alui profluuium etiam non ceſſerit, prædictis quoque tum medicamentis, tum cibis adſtringentibus intus, extráque adhibitis, ac per ſedem iniectis vtare. Nam omnino quibuſuis modis cohibere tale alui profluuium oportet, cùm ex eo nullum animali paretur commodum. Nec illud obliuioni vnquam tradas rogo. Nam qui aliter curare tentarunt, nedum in grauiora pericula ægros duxerunt, ſed exitij cauſa fuere. Si verò ob retentricis facultatis imbecillitatem orta fuerit diarrhœa, ea exhibenda ſunt medicamenta, quæ ad alias immodicas alui fluxiones approbauimus, intus vel extra, prout requirit intemperies, quæ imbecillitatis cauſa exiſtit.

Cap. citato.

Περὶ δυσεντερίας. *Id eſt, De dyſenteria, ſeu torminibus.*

Cap. LXXIIII.

INTER inteſtinorum mala, tormina eſſe conſueuerunt, δυσεντερίαν Græci vocant, Celſo auctore, cap. 15. libri quarti. Idq; nomen ipſum indicat, Nam ex numero eorū affectuum qui nomen à læſa particula ſumpſerunt, exiſtit, vt liquet ſecūdo meth. medendi. Inteſtina etenim à Græcis ἔντερα nuncupātur. Cęlius Aurelianus libro quarto cap. 6. dicebat à difficultate officij paſsio nomen accepit dyſenteria. Sunt qui difficultatem inteſtinorum eam appellant. Nos verò quandoq; dyſenteriam, interim tormina affectum hunc nominabimus. Neque mirum, ſi Celſus, cæteriq; Latini tormina affectum hunc nuncupent, nanque exulceratione inteſtina ipſa dolore torquentur in prædicto affectu. Verùm in præſentiarum nomen dyſenteriæ propriè audire oportet. Vtpote quod ex appellatione ipſa inteſtinorum vlcus ſignificatur, vt liquet apud Galenum 6. de locis affectis. cap. 1. Nam quamuis tum recentiores medici, tum antiquorum non pauci hanc ſolam dyſenteriam nuncupant, vt idem Galenus teſtatur ſecundo lib. de locis affect. eorum tamen nonnulli non ſolum hanc, ſed aliam quoque, quæ

cap. 2.

cap. 5.

quæ cruenta ob excretorum ſpeciem nominatur, dyſenteriam appellant, vt ipſe inquit, inter quos Hippocrates eſt, quòd libro quarto de articulis, vocabulo dyſenteriæ vſus eſt, non pro vlceratione inteſtinorum, ſed pro cruenta ex inteſtinis proluuie, vt Galenus teſtatur in expoſitione eorundem verborum Hippocratis. Sunt etenim ſanguinolentæ excretionis (in vniuerſum) differentiæ quatuor, prout idem Galenus ſcriptum reliquit tertio de cauſ. ſymptomatum, quatuor ſuccedentes affectibus. Vna quidem ipſius ſanguinis (in iis quibus aliquis artuum eſt abſciſſus, vel qui exercitationem dimiſerunt) per circuitum repetens, & hæc quoque ſolet mulieribus, retentis menſtruis accidere, vt apud eundem Galenum liquet quinto de locis affectis. Altera, cùm ex imbecillitate iocinoris aquoſus ſanguis deiicitur, quem vtique loturæ carnis ſimilem dicunt. Tertia eſt, cùm melancholici, ſplendentiſque ſanguinis deiectio fit. Quarta, & vltima eſt, cùm & minutim & exiguo tempore expulſio facta viſitur, aliàs quidem veri ſanguinis, aliàs concreti, in hac & puris non rarò exiguum aliquid excernitur, etiam vlcerum cruſtulæ, quæ Græcè ἐφελκίδες dicuntur. Prætereà membranoſa quædam corpora, quæ inteſtinorum ſunt particulæ, ſed & ſtercus ſuper his collectum ſæpenumerò excernitur, ſanguinis in ſe guttas habens. De qua nos duntaxat pertractare intendimus, cùm ipſa propriè dyſenteriæ nomine appellari mereatur, imò nonnulli ſolam ipſam dyſenteriam nominandam eſſe cenſent, vt apud Galenum liquet, nedum in præcitatis locis, ſed etiam tertio de cauſis ſymptomatum, cap. 2. & apud Alexandrum cap 7. libri octaui. De reliquis verò tribus iam dictis cruentis excretionibus pertractare fuſiùs diſtulimus, cùm de iocinoris affectibus verba faciemus. Hæc autem nihil aliud eſt, quàm eorundem inteſtinorum exulceratio, vt eodem tertio de cau. ſymptomatum, ſecundo & ſexto de locis affectis, apud Galenum liquet, & quarto de articulis, ac ſexcentis aliis in locis. Cælius Aurelianus eam dixit eſſe inteſtinorum rheumatiſmum cum vlceratione. Ab Aëtio verò cap. 43. lib. noni, ſic deſcribitur, Dyſenteria propriè exulceratio eſt inteſtinorum ſerpendo depaſcens. Nam ſiue dyſenteria ipſa adhuc fiat, vtpote mordaci humore inteſtina abradente, atque abſtergente (quamuis id quod factum eſt nondum videatur) ſiue facta, atque conſtructa ſit, ſemper inteſtina ipſa exulcerata eſſe dicimus, ac affectum ipſum dyſenteriam nuncupabimus, vt apud eundem Galenum liquet, cùm primo de locis affectis, tum etiam commento aphoriſmi 24. & 26. quarti libri. Et ſi libro primo de locis affectis, cùm mordax humor ab initio inteſtina abſtergit, atque abradit, priuſquàm ea exulceret, fateatur affectum ipſum nondum dyſenteriam dici, tamen eodem libro paucis interpoſitis verbis, diſpoſitionem hanc ſub dyſenteriæ ſpecie comprehendi aſſerit. Id quod etiam confirmauit commento præcitati aphoriſmi 24. & 26. quarti libri. Et ne videatur pugnantia aſſerere, ambiguitas facilè ſoluitur ex iis, quæ paulò ante diximus ex eius decretis in præcitatis locis. Nam cùm primùm ex mordaci ſucco abſterguntur, ac vt ita dixerim, abraduntur inteſtina, antequàm vlcus in eis induxerit, quoniam id quod factum eſt, ferè non ſentitur, tamen dyſenteria eſt, & appellatur, nondum tamen facta, atque conſtructa, ſed quæ adhuc fit, & propterea tum Galenus in expoſitione prædictorum aphoriſmorum, ac etiam ſexto de locis affectis, cap. 1. tum etiam Aëtius, tres poſuerunt dyſenteriæ gradus, ſiue differentias, quorum vnus gradus eſt, cum quædam corpora pinguia excernũtur, poſt hæc vbi ramenta quædam inteſtinorum abraſa eorum ſuperficie interiori, quæ membranoſa exiſtit, ſuccedit. Et tertia differentia cùm aliquid ex ipſa abraditur ſubſtantia inteſtinorum, quo tempore non adhuc fieri dyſenteriam, ſed iam factam, atque conſtructam eſſe dicimus, vt ipſe Galenus inquit. Quòd verò in hoc affectu inteſtina oblæſa ſint, communi conſenſu Græci omnes, & Latini fatentur. Poterit etiam id patere ex dolore cum poſitu, atque ex ipſis excrementis, ſimulátque impedita ipſorum inteſtinorum functione, diſtributione inquam. Verùm nunquid in ſuperioribus inteſtinis, ac tenuioribus,

vel in

Text. 40.

Sanguinolẽtæ excretiõis differentiæ quatuor.

Prima.

3 de cau. ſym. cap. 2

5 de loc. affe. cap. 7.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

De qua ſermo habebitur.

Loco citato.

2. de loc. affe. cap. 5.

6. de loc. affe. cap. 1.

4. de artic. commẽ. 40.

Dyſenteria propriè dicta quid ſit.

1. de loc. affe. cap. 2.

1. de loc. affe.

Loco citato.

Soluitur contradictio in dictis Galeni de dyſenteria.

Tres gradus dyſenteriæ propriè dictæ.

Pars affecta in dyſenteria propriè dicta.

vel in humilioribus ac craſsioribus vlcus conſiſtat, cùm non mediocriter ad eius curationem hoc noſſe conducat, iſto modo diſcernas. Nam vbi abraſiones ſolæ excernuntur, conſiderandum eſt, vt idem Galenus inquit præcitato libro ſexto de loc. affect. num pingue quidpiam ſimul cum ipſis deiiciatur. Quoniam ſi ita euenerit, in craſsis inteſtinis vlcus conſiſtere credendum eſt. Si verò cruor excernatur intueri oportet, vtrum is reliquis excrementis ita ſit admixtus, vt vniuerſus miſceatur vniuerſis, an pars eius aliqua reliquis ſupernatet. Etenim ſi admixtus eſt, in ſuperioribus, ſi verò ſupernatet, in humilioribus inteſtinis vlcus eſſe portendit. Verùm vbi neque deiectiones iis quæ ab vlcere emanant admodum permixtæ, neque omnino diſcretæ apparent, coniiciendum eſt in mediis potius inteſtinis affectum exiſtere, Tralliano auctore libro octauo cap. 7. Id quod etiam in abraſis excrementis videre eſt, licet non ita manifeſtè, vt in cruore. Similis quoque ratio eſt de cruſtulis. Nam & ipſæ quodnam inteſtinum fuerit oblæſum, declarant, tum ab eſſentia propria, tum etiam modo quo vel commiſceri reliquis excrementis, vel vni eorum parti ſupernatare videantur. Etenim ſi latitudine, & craſsitudine fuerint multò maiores, quàm tenuia inteſtina exigerent, vlcerationem in craſsis inteſtinis conſiſtere indicant, vt patet eodem primo de loc. affect. cap. 2. Aëtius verò cùm circa inteſtina craſſa vlceratio contingit, ſtercora ait quæ egeruntur, multa eſſe, & coaceruata cum flatibus, & aliquando etiam ſpumoſa, pinguia quoque cruenta recrementis admixta apparent, inexplebiliſque edendi appetitus oboritur. Tenuibus autem inteſtinis vlceratis dolores circa vmbilicum conſiſtunt, bilioſaque, & porri colorem habentia, atque omnino variegata, ſtercori commixta plurimum excernuntur, citra tamen ramentorum complexum cum torminibus, & mordacitate, deſperationéque, ac exolutione, vt non procul ab animi deliquio ægri abſint: à ſitique infeſtantur, & febricitant, ſtercus quoque crudius ab eis prodit, & ſi ieiunum inteſtinum exulceratum ſit (quod raro accidit) egeſtiones crudiores apparent, nigriorem ſanguinem vehementer implicatum habentes, bilémq; abundè flauam, ſitis multa, itémque nauſea affligunt. Vomunt etiam aliquando, ac cibos aduerſantur, dolor vehemens ſupra vmbilicum conſidet, & quandoque febres malignæ oriuntur, fiúntque ita affecti decolores, & ad animi deliquium vſque ſudant. Vires etiam ipſorum citò deficiunt, neque procul ab interitu abſunt, roſione etiam infeſtante non ſtatim, ſed poſt aliquod tempus æger ad excernendum vrgetur, vt inquit Alexander, & (vt ſummatim dicam) ex raſura ipſa, & exitus tempore, & ex miſtione cum ſtercore, vtrum in craſsis, an in tenuibus inteſtinis vlcus ſit, coniiciendum erit, Galeno teſte, eodem primo de locis affectis, cap. 4. Affectus hic in quacunque inteſtinorum parte oboritur, ſemper morbus eſt in ſoluta continuitate, vt ex eius deſcriptione liquet, facilé q; ex eius indiciis deprehendi poteſt, vt Galenus teſtatur cùm ſexto de locis affectis, tum etiam 12. metho. meden. quo loco, cùm pleuritidis, tum etiam dyſenteriæ agnitionem ſcientificam eſſe certis videlicet definitíſque notis comparatam, & non coniecturalem inquit. Verùm priùs ea diſcernẽda erit ab iis, quæ ab hepate profluunt cruentis, iam dictis dyſenteriis, nam in hepaticis excretionibus nihil abraſum expellitur, atque interdum duorum, aut trium dierum interuallo ſupprimitur euacuatio, deindè rurſus redit malum, excernuntúrque excrementa prioribus multò peiora, id verò per inteſtinorum vlcera haudquaquam apparet, quoniam in iis, neque affatim, neque ex longis temporum interuallis laborantes deiicere conſueuerunt, eodem Galeno teſte, lib. ſexto de locis affectis. Ab hepate item ab initio tenuis ſanguinis ſanies deiicitur, deinde aucto malo craſſus humor fæcibus vini haud abſimilis, vt idem Galenus inquit. Ex iis itaque interſtingues dyſenteriam hanc propriè dictam ab iis quę ab hepate procedunt. Quarum diſtinctam dignotionem, cùm de iocinoris affectibus verba fient, conſcribemus. Reliquum eſt modò ipſius dyſenteriæ notas conſcribere, tum vniuerſalis, tum etiam particularis cuiuſlibet dictarum

trium

Loco citato.

Nũ craſſa, aut tenuia inteſtina fuerint affecta, ſigna diſtinctiua.

Quis affectum præter naturã ſit dyſenteria propriè dicta.

6. de loc. affe. cap. 2.

12. meth. c. 7.

Quibus differat ab hepaticis cruẽtis deiectionibus.

6. de loc. affe.

Loco citato.

Propriæ dyſenteriæ notæ.

trium differentiarum. Primum etenim commune cuiuſlibet dyſenteriæ ſignum eſt, quòd ſemper etiam præcedunt mordaces quidam inteſtinorum dolores, vt liquet ſecundo de locis affect. cap. 5. cùm & ipſa à mordaci (vt diximus) humore inteſtinum erodente, fieri ſolet, protinus etiam ab ipſius initio & ipſe mordax humor excernitur, quem deinde interaneorum abraſiones ſequuntur, poſtea parum cruoris ſimul excerni videtur, vt ſexto de locis affectis, ſcriptum eſt, minutim, & exiguo tempore, aliàs veri ſanguinis, aliàs concreti, eodem Galeno teſte tertio de cau. ſymptomatum. cap. 2. Non rarò etiam & puris exiguum aliquod excernitur, & vlcerum cruſtulæ Græcè ἐφελκίδες dicuntur. Præterea & membranoſa quædam corpora, quæ inteſtinorum ſunt particulæ, ſed & ſtercus ſuper iis collectum ſæpenumerò excernitur ſanguinis in ſe guttas habens, vt ipſe inquit, vt autē Celſo viſum eſt; quoniam in dyſenteria intus inteſtina exulcerantur, ex iis cruor manat, vt ipſe refert, modò cum ſtercore aliquo ſemper liquido, modò cum quibuſdam, quaſi mucoſis excernitur, interdum ſimul quædam carnoſa deſcendunt, frequens deiiciendi cupiditas, dolórque in ano eſt, cum eodem dolore exiguum aliquid demittitur. Atque eò quoque tormentum intenditur, ídque poſt tempus aliquod leuatur, exiguáque requies eſt, ſomnus interpellatur, febriculáque oritur. Hippocrates verò libro de affect. ait, quòd in dyſenteria dolor adeſt per totum ventrem, & tormina, & egerit bilem, ac pituitam, & ſanguinem combuſtum. Hiſce itaque notis tormina diſcernes. Eius verò gradus, quos treis eſſe animaduertimus, ſic diſtingues. Primùm etenim egeſtio malum auſpicabitur (vt Aëtius fatetur) cum ramentis ſubpinguibus, ac bilioſis, pinguedine nimirum, quæ intrinſecus inteſtinis adhæret paulatim circumliquefacta, & quibuſdam quidem cum torminibus, quibuſdam abſque iis excretiones contingunt. Breuibus autem verbis Gal. commen. citati aphoriſmi 26. quarti lib. dicebat quòd cùm dyſenteria adhuc conſtituitur, quædam corpora pinguia primùm excernuntur, poſthæc niſi finire anticipauerint, quædam ramenta ipſorum inteſtinorum, abraſa eorum ſuperficie interiore, quæ membranoſa exiſtit, & denſa: hæc ſecundum dyſenteriæ gradum ſignificabunt, licet adhuc etiam fientem dyſenteriam hanc nominabimus. Hoc quoque tempore ſimul cum ipſis abraſionibus cruor ſimul excerni videbitur. At vbi altiùs exulceratio penetrauerit, ac aliquid ex ipſa ſubſtantia inteſtinorum abradatur, adeò magnæ inteſtinorum partes excernuntur, vt poſſimus eas carnes nominare, quo tempore adhuc fieri dyſenteriam, ſed iam factam atque conſtructam eſſe dicimus, atque hic tertius eſt dyſenteriæ gradus. Aëtius verò aſſerit hoc tempore ſordes pelliculas admixtas habentes expelli, & ſi non celeriter cohibeatur, compendio vicinos locos depaſcitur. Anioſa verò quædam excernuntur, qualia ab occiſorum corporibus defluere conſueuêrunt. Id etiam confirmauit Paulus cùm dixit, excernũtur primùm bilioſa varia, deinde ſubcruenta, poſtremò ſaniei ſimilia, cuiuſmodi à mortuorum cadaueribus ſolent profluere. Oritur autem dyſenteria interdum ab externis cauſis, interim verò ab internis. Externis quidem, vt à nimio frigore, ardore, venenatorum pharmacorum potu, peregrinorúmque, & acrium ciborum acceptione. Iam etiam & à cruditatibus, & quæ iis ſimilia exiſtunt, quorum ſingula abſque labore, vel aſtantium relatione percipies. At internæ cauſæ cuncti humores acres, atque mordaces eſſe poterunt, ſiue à toto, ſiue ab aliqua corporis parte ad inteſtina confluant, ſiue in ipſis fuerint geniti. Hi verò ſunt, aut flaua bilis, à qua magna ex parte incipit dyſenteria, vt liquet commento aphoriſmi 24. quarti lib. aut atra, vt ibidem apud Hippocratem & Galenum legitur, vel etiam ipſa ſalſa pituita, eodem Galeno teſte, commento aphoriſmi 12. tertij lib. Verùm quiſnam eorum dyſenteriam efficiat, diſtingues ex qualitate eorum quæ excernuntur, ſimul cum ætate, ac temperamento ægrotantis, tempore anni, vita anteacta, ac reliquis ſimilibus. Quòd verò pleroſque dyſentericos teneſmus præcedere ſoleat, apud Aëtium, & Paulum, atque Alexandrum præcitatis locis liquet.

Citato loco.

Ante medium libri.

Tres gradus dyſenteriæ propriè dictæ, quomodo diſtinguantur.

Lib. 3. c. 42.

Cauſæ.

Externæ.

Internæ.

Poterit quoque ex inflammatione dyſenteria fieri, quam ex eiuſdem inflammationis ſignis facilè percipies. At quantum ad prognoſtica ſpectat.

Prognoſtica.

Dyſenteria quæ adhuc fit mordaci humore abradente, ac abſtergente inteſtina, ita vt quædam corpora pinguia duntaxat excernantur, facilè curari poterit ablata cauſa ipſam faciente. Natura videlicet ipſam ſanante etiam abſque externo auxilio, velut reliquos ſimiles conſueuit exiguos affectus ſanare, Galeni auctoritate primo de locis affectis.cap.2. Verùm vbi iam facta eſt, atq; constructa, ita vt veluti carunculæ, hoc eſt magnæ inteſtinorum partes excernantur, letalis ſiquidem eſt talis dyſenteria, & eiuſdem Galeni atque Hippocratis ſententia aphoriſ.26.quarti libri. Nam, vt inquit Galenus, neque caro concreſcere, neque cicatrix obduci in tali poteſt exulceratione. At ſi in dyſenteria non adeò magnæ inteſtinorum partes excernantur, nec corpora duntaxat pinguia, ſed veluti ramenta quædam ipſorum inteſtinorum, eorum ſuperficie interiore abraſa, quæ membranoſa exiſtit, & denſa, epidermidi quæ extimam cutis corporis ambit, ſimilis, nec adeò promptè curabitur, vt ea, de qua primò mentionem fecimus; nec adeò ægrè, vel letalis erit, ſicuti ea, in qua veluti carunculæ deiiciuntur, cùm media quodammodo exiſtat inter vnam, & reliquam, vt ex Galeni verbis elicitur præcitato commento aphoriſ. 26. quarti libri. In longis quoque dyſenteriis cibi faſtidium malum eſſe ſignum, inquit Hippocr. aphoriſmo tertio ſexti lib. & cum febre peius. Graues quoque ſunt dyſenteriæ, quæ cum vehementi inflammatione oboriuntur, quæq; cum febri, ac deperditione appetitus, vt inquit Aëtius. Peſſimæ verò ſunt, in quibus quæ excernuntur, porri aſpectum habent, ſuntq; nigra plurima, varia, graueolentia, & quæ vnà cum excrementis ſordes pelliculis magnis commixtas excernunt. Mulieres item, quàm viri, ſenes, & pueri, quàm iuuenes, & in ſtatus vigore conſiſtentes difficiliùs curam accipiunt, vt idem Aëtius refert. Cæterùm in inteſtino recto, atq; colo conſiſtens dyſenteria facilè curabilis exiſtit. Quæ verò in tenuibus inteſtinis, difficulter curatur, maximè verò in ieiuno, ex eiuſdem Aëtij decreto. verùm vbi longo tempore id malum inueterauerit, aut tollit hominem, vt Celſus refert, aut etiam ſi finitur, excruciat. Orta autem dyſenteria à flaua bile ſæpè curari poterit, quemadmodum ſi ab atra bile fiat, inſanabilis omnino exiſtit, cùm nihil differat à cancro vlcerato, Galeno teſte commento aphoriſ. 24. quarti libri, in quo aphoriſmo dyſenteriam, ſi ab atra bile inceperit, letalem eſſe decretum reliquit Hippocrates. Idem confirmauit Aëtius, hanc Hippocratis & Galeni ſententiam dilucidiùs ſcribens, cùm dixit, ſi igitur ab acribus cibis, aut à flaua bile dyſenteria oboriatur, ferè in totum ipſam curamus. Si verò ab atra bile initium ſumat, ſiquidem ratione iudicationis febrilium morborum atra bilis excernatur, tranſituque ſuo inteſtinum diſtendat, etiam hanc curare non deſperamus. Si verò ſua ſponte nullo præcedente febrili morbo, neque concoctione bona apparente, atra bilis excernatur, immedicabilis dyſenteria ex ea oborta exiſtit, nihilque à cancro exulcerato differt, eſtque omnino letalis, nanque morbis quibuſlibet incipientibus, ſi atra bilis, vel supernè, vel infernè exierit, letale eſt inquit Hippocrates aphoriſmo 22. quarti libri, etſi lib. de atra bile, Galenus velit ſemper exactæ bilis atræ humorem letaliter excerni, experientia id comprobans in illa peſtilentia prolixiore æſtate orta, in qua, qui puram, exactámque atram bilem deiecerunt, omnes periere, non propterea ſibiipſi commento præcitati aphoriſmi 22. quarti libri, nec Aëtio pugnat, nam vbi exacta fuerit atra bilis abſque ſignis coctionis, ſemper letaliter excernitur, ac exitialis caſus eſt, præcedentibus autem coctionis ſignis, vbi ea excernatur, neque pura, neque exacta atra bilis erit, ſed bonam ſignificabit euacuationem, cùm à natura corpus expurgetur, vt idem Galenus inquit præcitato aphoriſmo. Quinimò à qualibet deiectione ſyncera, hoc eſt, impermixta aquoſæ humiditati, ſiue humor, qui eiicitur, flaua ſit bilis, ſiue atra, dyſenteria malum, vt inquit aphoriſ. 23. ſeptimi lib. Lienoſis etiam ſuperuenient dyſenteria

Conciliantur Gal. ſententiæ diuerſæ de atra bile. Lib. de atra bile, c.3. & 4.

bonum

bonum inquit Hippocrates aphoriſmo 48.ſexti libri, quando humores craſsi, ac melancholici, qui lieni erant infarcti,tranſponuntur, ac euacuantur. Neque hæc ſententia aduerſatur aphoriſmo 24. quarti libri. Nam ibi de atra bile,hîc de ſucco melancholico loquitur,ex quo etiam dyſenteria oriri poteſt. Quòd ſi eadem immoderata,ac diuturnior fiat,malum eſt,vt liquet aphoriſmo 43.eiuſdem libri ſexti. At vbi à pituita ſalſa longiori tempore mordente, atque abradente inteſtina,orta fuerit dyſenteria, crudeliſsima ea exiſtit, eodem Galeno auctore commento aphoriſmi duodecimi,tertij libri,& propterea periculoſior, quàm ſi fiat ex bilioſo humore,nam bilioſus humor tranſeundo affligit, hic autem cùm ſit lentus moram trahit,& ſua cunctatione amplius exulcerat, ſuóque lentore,& tranſitu per inteſtina inhæret,ac tardans ſemper aliquid deterit, vt idem Galenus inquit.Non autem ita exitialis erit, vt ea, quæ ex atra bile oritur.Dyſentericus (inquit Soranus Epheſius) ſi poſt aurem ſiniſtram papula in modum orobi innata fuerit,cum ſiti admodum frequenti,vigeſimo die morietur.

Curatio.

Cæterùm pro dyſenteriæ curatione aër primò ad ſiccum porrò vergens eligendus erit,in æſtiuis tamen temperatus, aut modicè ad calidum, vel frigidum declinans,prout diuerſa exigit cauſa,à qua dyſenteria oritur.

Victus ratio.

Quies quoque præcipienda erit,ac motus omnino vitandus:oportet etenim imprimis cõquieſcere,vt inquit Celſus: ſiquidem omnis agitatio exulcerat, & Aëtius principium curationis dyſentericorum à quiete, & modico cibo fieri dixit.

Aëtius lib.9. cap. 45

Somnus item procurandus,vitandæque vigiliæ ſunt, cùm optimum remedium dyſentericis ſomnus ſit,eodem Aëtio auctore.

Loco citato.

Si alui excrementa præter naturam detineantur,nulli in dubium venit ea excerni debere per ea quæ per aluum infunduntur,& hoc eſt per lenes clyſteres, cùm ab eorum retentione non parum inteſtinorum exulceratio augeatur. Similiter vitandi ſunt omnes immodici animi affectus. Quod ad cibum attinet, circa initia tenui victu, ac modico cibo vtendum eſt, etenim dyſentericus propter inteſtinorum, & ventris imbecillitatem, vt Alexander inquit, haud multum poteſt concoquere, præſertim cùm febricitat,quamuis quantum exhiberi debeat, ex ægri viribus maximè exiſtimandum ſit.Qua de re cibi,qui non multum nutriant,nec tardè concoquantur, exhibendi, quantitatéque (vt diximus) modica, & ſi vires permiſerint,primis ſaltem duobus diebus abſtinentiam indicimus, eodem Alexandro auctore. Nam iis tenuiſsimo victu opus eſt, Galeni decreto libro quarto de articulis, præſertim vbi,& iocinoris quoque adſit imbecillitas, ac plenitudinis affectio.

Comment. 40

De lacte nota.

Tribus autem diebus exactis, lac propinamus, præſertim vbi febris permiſerit, communi Alexandri & Aëtij ſententia, eſt nanque id temperatus cibus, cum hoc quod depurgat, ſimúlque ea, quæ in corpore ſunt, contemperat,& poſtremò aluum ſiſtit, vt Aëtio viſum eſt, & (vt ſummatim dicam) ex Galeni ſententia decimo,de ſimplicium medicamẽtorum facultatibus, cap.de lacte,ac tertio,de alimentorum facultatibus, cap.15.optimum eſt remedium dyſenteriæ, & omnium ventris acrium fluxionum,præſertim vbi aliam quampiam deſiccantem facultatem habuerit adiunctam,eam (vt ipſe inquit) à lapidibus, qui prædecocto ipſi iniiciuntur igniti,accipit.eò vſque autem lac decoqui debet, dum pleraque ſeroſi in eo humoris abſumpta pars fuerit,nec minùs, ſi ferreos in ipſum cylindros candentes iniicies,eandem,aut etiam facultatem meliorem lacti adiicies, nam ferrum adſtringentis quoque facultatis eſt particeps.Facilè tamen lac ſic paratum in ventriculo in caſeum cogitur, vt idem Galenus teſtatur præcitato libro tertio de alimentorum facultatibus,cap.15.ob id mel illi admiſcemus, quin & aquam etiam,præſertim pluuialem,vt plerique medicorum factitant,affundere ſecuriùs fuerit,quartæ nimirum lactis parti affuſam, deinde cùm paululum fuerit decoctum exhibeatur:nam & citra noxam etiam febricitantibus tale lac exhiberi poterit, Alexandro teſte. Verùm ſi huic lacti ſic præparato parum ſtercoris canis, ſola oſſa per duos dies comedentis,deſiccati, ac in puluerem redacti permiſceas, mirabile etiam dyſenteriæ medicamentum, à Ga-

Cap. de lacte.

leno expertum (vt liquet eodem decimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus) exiſtit. Procedente verò tempore, prædictum lac poterit ad dimidium decoqui, & deinde etiam ad tertiam (vt Aëtius inquit.) Quouis autem morbi tempore lac caprillum eligi debet, & huius penuria vaccinum, vt eidem Alexandro viſum eſt. Nec propterea Galeni ac Hippocratis ſententiæ pugnabis aphoriſmo ſexageſimoquarto quinti libri, vt præcedenti cap. de diarrhœa, diſſeruimus. A lactis acceptione, panem madefactum offerri oportet, vt idem Aëtius inquit. Præbebunt etiam, nedum nutrimentũ, ſed medicamentum optimum, pultes ex lacte apparatæ, veluti oryza, amylum, ſimilago, aut ipſa etiam ptiſana torrefacta cum aqua pluuiali parata, ſimiliter & oua lacti commiſta. Poterunt etiam & ex milio, ac panico prædictæ pultes cum lacte parari, aut ex ſiccis, & contritis panibus, & vbi adhuc fluxus perſeuerauerit, ea quæ adſtringunt, ac aluum ſiſtunt pultibus admiſcere oportet, veluti ſunt mali punici acidi grana, mala cytonia, ſorba, præſertim ſicca, aut pyra, meſpila, corna, ſeu hi fructus, quos amarenas, quóſque azarolas vulgus appellat. Præſtabit item prædictorum aliquod in aqua, vnde pultes fiunt incoquere: ſit autem ea pluuialis, vel in gallinarum, ſeu gallinaceorum pullorum iure prædictæ pultes fiant, & pariter aliquod prædictorum adſtringentium admiſcebis, præſertim vbi quomodolibet paratum lac, in acidam, vel nidoroſam qualitatem eis commutetur. Nec minùs oxalis, plantago, portulaca, cichorium, intubus ſatiua, aut etiam braſsica quandoque, modò fuerit biſcocta, in iam dicto iure decoqui poterit, & quamuis olera non valde probentur in dyſenteria, prædicta tamen modicè deguſtare poterunt, Aëtio, & Alexandro teſtibus. Danda ſunt inſuper ouorum aſſatorum lutea, modò in aceto per aliquod ſpatium fuerint præmacerata. Carnes autem, eo quòd multum nutriunt, & tardè concoquantur, dyſentericis non valde commodè exiſtunt, vt eiſdem Aëtio, & Alexandro viſum eſt, tamen eis qui diuturno malo vexantur, dandæ ſunt, maximè verò volucrum eligendæ primò, deinceps ſylueſtrium ferarum: proinde turdi, perdices, turtures, merulæ, gregalium columbarum pulli, ſtarnæ, phaſiani, ac ſimiles exhiberi poterunt, ebulliant autem primùm in poſca myrti baccis cum eis incoctis, vt idem Aëtius fatetur, & deinde aſſentur. Præſtabit etiam ~~ſi ipſis euiſceratis~~ iniiciantur myrti baccæ, ſorba ſicca, corna, meſpila, pyra adſtringentia, aut mala cotonea, deinceps conſuantur, & aſſentur. Nec minùs ſi elixentur, & eadem adſtringentia cum eiſdem carnibus decoqui poſſunt, parúmque oxalidis, intybi, aut plantaginis adiiciendum, fiátque elixatio in pluuiali aqua, & vbi vires imbecilliores fuerint, ex prædictarum auium carnibus contuſum, aut ius, quod conſummatum appellant, parari poterit pauco omphacio, & ſtillatitia aqua roſacea, myrtina, aut oxalidis adiectis. Id quod etiam fieri poterit ex caponum, gallinarum, aut gallinaceorum pullorum carnibus. Nec minùs proderit; ſi eiſdem aſſatis modo quo diximus, ac demum fortiter expreſsis, qui prouenit ſuccus dyſentericis exhibeatur. Ex pedeſtribus verò interdum carnes exhiberi poterunt leporum, capreolorum, ac hœdorum priùs in poſca decoctis, & deinde ſimiliter aſſatis. Fructus quoque adſtringentes guſtare poterunt, quamuis parcè eis vtendum ſit, veluti ſorba, corna, meſpila, mala cotonea, ac viridia pyra cocta, necnon & malum punicum, præſertim auſterum, aut acidum; cum eis tamen panis mandi debet, eo quòd facile (vt inquit Alexander) corrumpantur. Nec minùs & amarenis, ac azarolis dictis vti poterunt. Pro potu à principio aqua pluuia vtendum eſt, ex Pauli, & Aëtij decreto, & ſi ea haberi nequit, fontana vtendum, in qua prædicti adſtringentes fructus fuerint decocti, præſertim rhus obſoniorum, aut oxalis, vel plantago. Poſtea verò, vbi vires fuerint deiectæ, aut ſtomachus laborauerit, vinum quoque propinandum eſt, ex eorundem ſententia. Sit autem adſtringens, & non valde vetuſtum, ac pluuiali aqua dilutum, ſeu fontana, in qua oxalidis, plantaginiſve folia fuerint decocta. Cæterùm vbi ad exulcerata inteſtina adhuc à toto, aut ab aliis corporis partibus

vitioſus

vitioſus ſuccus confluxit, priuſquàm vlceri ſuccurratur, fluxionem ipſam auertere ſtudebimus,ac eum qui redundat ſuccum vacuare,& ſi auerſio hęc non ſit vlceris, quatenus vlcus eſt,curatio,ex Galeni decreto quarto methodi medendi,quanquam illud quoque excerpſerit, vt ipſemet fatetur ex Hippocratis doctrina,illúdque præſertim ſeruandum erit, vbi non vtilia ab ipſa natura ſponte ferantur, ſeu criticè euacuantur, ſed ſymptomaticè. Qua de re qualiſcunque fuerit vitioſus ſuccus, qui ad inteſtina cum ſanguine confluit, ipſa exulcerans, ſiue à toto, ſiue ab aliqua confluat parte, modo critica non fiat expulſio, viribus,ac aliis conſentientibus,venæ ſectio in brachio adhibenda erit, præſertim circa primos morbi dies,& ſi febris adſit,ac totius corporis plenitudo,tutiùs ſanguis mittendus erit, ex Alexandri ſententia,cap.ſexto, libri octaui. Id quod etiam confirmauit cap.ſeptimo eiuſdem libri. Verùm dicta venæ ſectio paulatim adminiſtrari debet,vt ipſe inquit,ita vt neq; vniuerſum,neq; copioſum educatur, ne ægri vires imbecilliores hinc reddantur. Aëtius quoq; cap. quadrageſimoquinto libri noni, vbi ſanguinis impetus vehementer in dyſenteria vrgeat,aut etiam,ſi maxima ſubeſt inflammatio,præſertim in iis qui plurimo ſanguine abundant,venam incidendam eſſe præcipit,ſi vires non reſiſtant, & maximè in quibus conſueta ſanguinis excretio cohibetur. Auferre autem ſanguinem oportet (vt idem met Aëtius teſtatur) neque multum,neque coaceruatim, quemadmodum præcipiebat Alexander.Nam ab vtroque venter cõturbatur, quanquam ipſe Aëtius in dextro cubito venam humeralem appellatam ſecare iuſsit,cùm non ſimiliter vena hac inciſa, vires labefactentur, vt ipſe inquit, & inſenſibiliter quodammodo,furtímque ſanguis auferatur. Quòd ſi hæc non appareat, neceſſariò media ſecanda erit. Cæterùm ſiſſura omnino tenuis eſſe debet. Nam non ob multitudinem ſanguinis vacuandam ſectionem facimus, ſed vt materiam quaſi per riuos transferamus,vt ipſe refert. Paucus autem ſanguis etiam multo tempore miſſus inflammationem mitigat,& ſanguinis ad inteſtina confluxum reuellit,innatúmque calorem ſenſim refrigerans, ſomnum magis quàm animi deliquium inducit, eſt quippe optimum remedium dyſentericis ſomnus. At ſi malè admodum affecto iocinore flauæ bili admixtus ſanguis ab eo ad inteſtina deferatur, ita vt ſtrigmenta quoque inteſtinorum deiiciantur, ſumma inteſtinorum tunica humoris acrimonia deraſa, quiſnam verebitur internam in dextro cubito venam ſecare, nedum reuulſionis gratia, verumetiam ipſiuſmet iocinoris alterationis? Cùm plerique medici in hoc caſu, qui ſolam inteſtinorum exulcerationem, neglecto iocinore curare conſueuerunt, in cauſa ſunt, vt ægri moriantur ex Galeni ſententia libro quarto de articulis. Rurſus vbi vehementiſsimus infeſtauerit dolor, propter rodentium humorum acrimoniam ad inteſtina à toto,ſeu ab aliqua corporis parte confluentium,& propterea verenda ſit phlegmonis generatio, aut virium defectus, cui abſonum videbitur venam ſecari debere?cùm & idem Galenus in maximis doloribus nullum maius inuenerit remedium,quàm vſque ad animi defectum venam ſecare,aut purgare,vt patet commento aphoriſmi vigeſimitertij primi lib. Quanquam nos venam ſecandam dicimus,vbi cuncta eam admiſerint, nec vſque ad animi defectum, ſed paulatim,ac ſenſim,ne vires imbecilliores reddantur,ipſam probamus,prout Aëtius,& Alexander probarunt. Valeant itaque barbaram ſectantes medicinam,ac theſſalici noſtri temporis medici,qui nunquam pro dyſenteriæ curatione venæ ſectionem admittunt, nec admittendam eſſe cenſent nulla auctoritate,ac ratione fulciti,niſi quòd ſic longo tempore in ægrorum necem malè obſeruarunt. Nam viribus, ætate, ac aliis conſentientibus circa initia,reuulſionis gratia, vbi magna adſit humorũ copia potiſsimùm, aut ſanguinis impetus vehementer vrgeat,ſeu maxima adſit inflammatio, aut dolor vehemens, ſiue iecur fuerit, modo quo diximus malè affectum, ſemper exordienda curatio erit à iam dicta venæ ſectione. Id quod longa experientia, & diebus non longe elapſis etiam comprobauimus. Nam cùm duo magni-

Medicamentorum ratio. cap. 5. & 6

Vena ſectio.

Loco citato.

Quibus ab initio uena ſecanda ſit, concluditur.

fici Ioannis Ferdinandi Rocchi filij dyſenteria affecti eſſent eodem tempore, ac ex ſimili cauſa, quanquam vnus per tres, aut quatuor dies priùs in dyſenteriam incidiſſet, is (quoniam à præcedente medico non fuit ſanguis ei miſſus, quamuis alia fuiſſent debita adhibita medicamenta) tandem interiit. Alteri verò, cui nos fuimus accerſiti, licet grauior fuiſſet in eo ortu dyſenteria, vires, ac ætas, & habitus imbecilles, non tamen adeò, vt ſanguinis miſsionem prohiberent, priori medico inuito me præcipiente fuit ſanguis miſſus: ſanguine miſſo, ſtatim melius ſe habuit, ac deinceps debitis aliis medicamentis adhibitis, liber euaſit, vixit, & adhuc viuit. Et tamē (quoniam ætas reluctabatur, cùm nondum vndecimum ageret annum) non fuit vena ſecta, ſed hirudines in cubito adhibitæ (id quod ſeruandum eſſe cenſemus in cunctis infrà decimumquartum annum.) Nam licet eis ſanguis mittendus ſit, ſi ea adſint, quæ ſuprà notauimus, tamen iis non per venæ ſectionem, ſed per hirudines, aut cucurbitulas, extrahi debet. Nonnullos etiam alios dyſentericos à venæ ſectione liberatos & nos vidimus, & qui mecum affuerunt, aſſeclæ teſtes ſunt, quemadmodum etiam Deum teſtor me veritatem fateri, & firmiter tenere, quòd liberatus fuiſſet quondam excellens Don Gutterius de Cardines filius Don Leonardi, ſi ei iterata fuiſſet venæ ſectio. Is nanque ætate adoleſcens, cùm ex malè affecto iecinore, ex confluente bilioſo ſanguine ab eo ad inteſtina, in grauiſsimam incidiſſet dyſenteriam, cum vehementiſsimo inteſtinorum dolore, ſeu potius inflammatione, ac febre, fuit à me accerſito ei vena ſecta interna dextri cubiti, duæque vel tres ad ſummum extractæ ſanguinis vnciæ, ſecunda ægritudinis die, & cum adhuc dyſenteria perſeueraſſet, & dolor, & febris valida, iterum venam ſecare mihi viſum fuit, viribus iam conſentientibus, verùm altero ſuperueniente medico barbaram ſectante medicinam, ac Eraſiſtrateo circa venæ ſectionem exiſtēte penitus aſſentiri noluit, quinimò nec auctoritatibus, nec rationibus conquieſcens, primam quoque venæ ſectionem condemnauit, potiſsimùm cum reliquis adhibitis medicamentis adſtringentibus, reſiccantibus, ac mordacitatem obtundentibus infrà decimumquartum inualeſcente ſemper dyſenteria, dolore ac febre morte præuentus fuerit. Hic ex numero fuit eorum, qui à Galeno damnantur libro quarto de articulis. Nam neglecto iecinore ſolam inteſtinorum exulcerationem curare tentabat, & propterea cauſa fuit vt æger moreretur, adeò vt de eius morte coram Deo rationem reddere debeat. Nuper quoque dum hæc conſcriberem excellens Aſcanius Caracciolus, cùm dyſenteria, teneſmo, ac febre laboraſſet, ex venæ ſectione internæ dextri cubiti, incunctanter abſque alio auxilio liberatus fuit. At ſi quid ſanguinis miſsionem fieri prohibeat, aut poſt eam adhuc vitioſi redundabunt ſucci, ita vt inteſtinorum vlcera adhuc efficiant, aut augeant, purgationem adhibere non erit alienum, quam iterum velut venæ ſectionem nō vniuerſam, ſed per vicem tentabimus, eodem Alexādro teſte. Etenim fieri nequit, vt inteſtinorum vlcera curentur manente adhuc ea, quæ ipſa efficit, aut auget, cauſa. Quanquam ſi iidem humores promptè per vomitum euacuari poſſent, id potius tentandum eſſe cenſerem, cùm per eum, nedum eorum euacuatio fieret, verumetiam & diuerſio. Id quod vbi fluxio valenter irruat, exequendum eſſe iuſsit pro vlcerum curatione, Galenus quarto methodi medendi, cap. ſexto, dum dixit, Vtique ſi in ſuperioribus vlcus conſiſtat, per inferna purgantes, ſin autem in inferioribus ſit, ſuperiorem ventrem vacuantes. At ſi per vomitum facilè, qui redundant ſucci purgari nequeant, per aluum eos vacuare non erit alienum. Nam etſi per exulceratas partes pertranſeant, extra tamen educuntur per conſerentia, ac communia loca. Neque id per vehementia pharmaca tentandum erit, ſed per mitiora, ac familiaria, quæ inſuper vlceri nocumentum non inferant. Quorum copiam noſtris temporibus inuenire haud difficile erit. Iis itaque medicamentis purgantibus leuem quandam adſtrictionem etiam habentibus, ſiue vlcus in ſuperioribus conſiſtat inteſtinis, vel inferioribus, aut mediis,

Comment. 40

Medicamentum purgans.

Vomitus.

tutè vtare, cùm neque hæc medicamenta purgantia ſint vlceris, quatenus vlcus eſt, curatiua, etenim quæ propriè prædicta vlcera curant, pro locorum diuerſitate, diuerſimodè etiam adhiberi debent, vt infrà dicemus. Quare ſi ex redundante bile dyſenteria fiat, adhibitis priùs (ſi occaſio dabitur) quibuſdam ſyrupis, veluti is eſt, qui ex infuſione roſarum, cichorii, aut oxalidis ſucco, aut omphacio paratur, cum eiuſdem intubi, oxalidis, aut plantaginis aqua permixtis, hoc purgans medicamentum dato, Recipe tamarindorum vnc.j. corticum myrobalanorum citrinarum drac.ij. fiat decoctum in aqua oxalidis, aut plantaginis, & cichorij, in quo mellis aërei vnc.j. aut vnc.ij. rhabar. in prædicto decocto macerati, & non colo trāsfuſi drac.j. aut ſcrup.iiij. & ſyrup. de infuſione roſarum vnc.ij. diſſolue, & præbeto.

Curatio dyſenteriæ ex redundante bile ortæ.

Quòd ſi nec iam dicto medicamento redundans bilis ceſſerit, prædictis, aut aliis magis adſtringentibus ſyrupis priùs adhibitis, veluti is eſt, qui ribes, myrto, aut citri acetoſitate paratur, iterum medicamentum purgās dari debet, quod quidem maiorem adſtringendi vim habeat, ac minorem purgandi. Quapropter in plantaginis, & oxalidis aqua drac.iiij. aut vnc.s. corticum myrobalanorum citrinarum decoquito, atque in ea mellis aërei vnc.j. aut vnc.s. & rhab. parum torrefacti ſcrup.ij. vel ſcrup.j. cum ſyrupo de infuſione roſarum vnc.j. adiicito, & ſi opus fuerit, tam dictas myrobalanos, quàm rhab. plus torrefacito. Vbi verò qui redundat ſuccus, ſalſa pituita fuerit, ſyrup. ex ſucco boraginis, & myrtino, de infuſione roſarum, aut etiam roſacco melle, cum plantaginis, aut oxalidis aqua, aut etiā abſynthij decocto, adhibitis priùs, quibus iam dicta pituita purgationi paratior fiat, ex chebularum myrobalanorum decocto, aut etiam agarico ſi opus fuerit (Nanque & ipſum dyſentericis confert, ex Dioſcoridis auctoritate; leuiculæque adſtrictionis eſt particeps, vt Galeno viſum eſt, & nos longo tempore eo vſi fuimus, nullúmque incommodum vnquam conſecutum fuiſſe obſeruauimus) ac prædictis aëreo melle, & ſyrup. de infuſione roſarum, ſeu myrtino, rhabarbaróque, modo quo diximus parato, medicamentum purgans tribue, & vbi vſus expoſtulauerit, idipſum iterare conuenit.

Si ex ſalſa pituita, curatio.

Dioſco. lib.3. cap.1.

Gal.6. ſimpli. cap. proprio.

Nec minùs, vbi dyſenteriæ cauſa atra bilis fuerit, ea priùs parata ex ſucci fumariæ, boraginis, aut oxalidis, infuſionis roſarum, aut pomorū ſyrupo, quod bilem atram purgare valeat medicamentum dato, quod recipit ſenę, epithymi ana drac.ij. corticum myrobalanorum indarum drac.iij. aut drac.iiij. fiat arte decoctum in aqua oxalidis, aut plantaginis, & boraginis, ſeu lupulorum, in quo iterum mellis aërei vnc.j.s. aut drach.ij. rhabar. (vt priùs dictum eſt) macerati drach.j. & ſyrup. de infuſione roſarum vnc.ij. adiicito. Idque etiam iterare conuenit, ſi redundans prædictus perſeuerauerit ſuccus, myrobalanóſque, & rhabar. torrefacere ſi opus erit.

Si ex atra bile fiat, curatio.

Nam quæ ſecundo, aut tertio loco exhibentur medicamenta purgantia, minorem purgandi vim, ac maiorem adſtringendi habere debent, & propterea à purgatione, qualiſcumque redundauerit ſuccus, quamuis amplius exulcerationem non pariat, aut augeat, perſeuerante tamen adhuc dyſenteria, adſtringentia medicamenta, necnon exſiccantia, ac obtundentia exhiberi debent, quemadmodum vniuerſo medicorum cœtui viſum eſt, quanquam etiam poſt purgationem, præſertim vbi adhuc quiſpiam reliquus fuerit redundans ſuccus, ea quæ vrinam ciunt ab Aëtio, & Celſo commendētur: quibus etiam & ipſe vtor, aliquot adſtringentibus permixtis. Proſunt etenim ea, quæ vrinam mouent (vt inquit Celſus) in aliam partem humorem auertendo, ſi ea conſequuta ſunt, ſi non ſunt conſequuta, noxam augent, ita quòd, vt ipſe refert, niſi in quibus promptè id facere conſueuerunt, non ſunt adhibenda.

A purgatione qualia competant medicamenta.

Quæ vrinam ciunt, quibus conueniant.

Verùm ad ea quæ modò diximus medicamenta accedendum erit, ea etenim ſunt, quæ aluum ſiſtunt; quoniam corpora plus iuſto laxata adſtringunt, vel influentes humores obducentia, ac inſpiſſantia, vel reſiccantia inteſtinorum vlcera ſunt, quanquam eamet, neque indifferenter via eadem approximari debeant, nam ſi in craſſis inteſtinis vlcera fiant, iis quæ per ſedem iniiciuntur remediis magis egent, quippe cui magis ſunt propinqua, quæ verò in tenuibus habentur ab epotis medicamentis

Quibus infuſa magis, & quibus epota medicamenta conferant.

præſidium magis ſuſcipiunt, vt patet apud Galenum tum quinto methodi medendi, tum ſexto de locis affectis. Quamuis quæ in tenuibus habentur vlcera quæ ve medio ſitu poſita ſunt, ambo etiam requirunt, & quæ ſupernè ſumuntur, & quæ per ſedem infunduntur, eodem Galeno teſte libro quarto meth. meden. cap. 7. Verùm quæ vicina ventriculo ſunt inteſtina, ſi exulcerata ſint, iis per comeſta & bibita ſuccurritur. Quæ verò inferiùs ſunt ſita, per ea quæ iniiciuntur, quando neque ad ea quæ vicina ventriculo ſunt, ſubire poteſt, quod per ſedem infunditur, nec integris viribus ad inferiora pertingere, quod per os ſit ingeſtū.

Quæ per os ingerẽda ſint. Supponatur igitur in ſuperioribus, atque gracilibus inteſtinis vlcus haberi, & propterea magis iuuari per ea, quę per os aſſumuntur, ſyrup. è myrto, è ribes, aut omphacio, vel è ſucco oxalidis, ſeu ex infuſione roſarum, ac earundem incompletarum, & interim quoque aridarum paratus tribuatur. Similiter is qui ex plantaginis ſucco, portulacæ, aut etiam polygoni paratur, cum quibus ſcrup. j. adiici poterit infraſcripti pulueris, quo ipſe vtor. Hîc recipit ſeminum roſarum, oxalidis, plantaginis, ac. portulacæ, ſingulorum ſcrup. j. corallorum rubeorum, & cornu cerui vſti, cuiuſlibet drach. j. amyli, draganti ana drach. s. Hîc etiam exhiberi poterit cum vetuſto ſaccharo roſaceo, aut cum eo medicamento, quod conficitur ex tota ſubſtantia, ſeu ſucco citoniorum aut eorum fructuum, quos amarenas, aut etiam, quos corna vocant, & ſaccharo. Quòd ſi nec is ſufficiat ex paſtillis de ſpodio, ſuccino, ſeu terra lemnia ſcrup. j. vel drach. s. cum prædictorum ſyruporum aliquo tribuatur, aut drach. j. micletæ Nicolai. In hunc etiam vſum conferunt mora acerba in ſole deſiccata, & trita, aut etiam mora rubi ſimiliter deſiccata, & trita cum aliquo liquore, aut obſoniis inſperſa, Paulo, & Aëtio teſtibus, althææ radicis, aut rubi, ſeu hippuris decoctum ex aqua (vt eiſdem viſum eſt) potiſsimùm pluuiali, aut etiam radicis foliorum, ſeu ſeminis ſymphyti decoctum in eadem aqua, aut vino auſtero conducit. Nec minùs cortex thuris tritus, ac potatus, aut etiam maceris cortex, & mali punici flores conferunt, ex Aëtij teſtimonio, potiſsimùm vbi ex ſalſa pituita genitum fuit vlcus corporibus, ac naturis pituitoſis, & præter alia ſanguinis eruptiones ſiſtunt. Similiter, ſi coaguli leporis drach. j. potui detur ex ſapa, vt eiſdem Aëtio, & Alexandro viſum eſt, & quo vetuſtius coagulum eſt, eo præſtantiùs, nam tale profluuio alui mederi pręcipue poteſt, atque etiam quod leporis eſt (vt iuquit Ariſtoteles tertio de natura animalium, cap. 21.) ſed laudatiſsimum eſt hinnuli, vt ipſe refert. Stercus quoque canum ſola oſſa vorantium cum chalibeato lacte magnopere conferre dyſentericis teſtatur Galenus decimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, cap. de ſtercore canum. quem ſequutus eſt Paulus cap. proprio de torminibus, erinaceorum item teſtæ vſtæ, oſtreorum, & cancrorum, tam fluuialiũ, quàm marinorum tritæ, ac etiam cornu ceruinũ vſtum reſiccatum (vt inquit Aëtius) inteſtinorum vlcera curant. Vtiliſsimus etiam exiſtit portulacæ ſuccus potus dyſentericis, aut etiam ipſa portulaca cocta, & comeſta. Nec minùs conducit plantaginis ſemen, folia, & radix, & lapathi ſilueſtris ſemen. Verùm ſi pluribus diebus nihil remedia alia iuuerunt, vetúſque iam vitium eſt, aquæ bene frigidæ potio abſumpta vlcera adſtringit, & initium ſecundæ valetudinis facit, Celſo auctore. Sed vbi venter ſuppreſſus eſt, protinus ad calidam potionem reuertẽdum eſt, vt ipſe inquit. Illud tamen memoriæ ſemper mandandum, quod communis omnium internarum partium indicatio eſt, vt ea eligantur, quæ animalis naturæ maximè ſint familiaria, ſiue ea cibi ſint, ſiue medicamenta: fugiantur, reſpuantúrque huic contraria, eodem Gale. auctore quarto metho. meden. cap. 7. Quapropter medicamenta quæ ex opio, alterco, nigro papauere, aut mãdragora cõponuntur, vitari omnino debent, niſi fortè maximè vrgeat neceſsitas, ex Trallia ni ſententia, nam licet ſomno dolorem leuare videantur, & propterea venter retineri conſpiciatur, tamen humores in vnum collecti poſtea ſine intermiſsione deuciuntur, capitéque grauato, ac viribus labefactatis ventrem reddunt deteriorem, & maius cibi faſtidium inducunt. Craſsis verò inteſtinis exulceratis,

Paulus lib. 3. cap. 42

eis

eis quæ per ſedem infunduntur, vt diximus, potiùs vtēdum erit cùm & ea quoque magis conferant. Quanquam ſi eiſdem etiam vtaris, tenuibus inteſtinis affectis, nihil nocebis, quemadmodum ſi ea, quæ per os aſſumenda conſcripſimus, eis tribuas quibus craſſa inteſtina exulcerata ſunt, nihil afferas nocumenti. Eandem tamē facultatem habere debent hæc medicamenta, vtpote adſtringendi, obtundendi, & reſiccādi, & vbi vlcera ſordida fuerint, eis vtendum etiam, quæ vim habent detergendi. Excipe igitur circa initia aquæ hordei torrefacti cum corticibus, & iuris gallinarum, ſeu pullorum gallinaceorum ſalis expertis cuiuſlibet libram ſemis, quibus adde vitellos ouorum numero duos, olei roſacei vnc.j.s.& vnc.ij.ſacchari rubei, aut mellis roſacei (ſi pituitoſi dyſenterici fuerint potiſsimùm) tantundem, & fiat clyſter, & ſi ſanguinis copia profluat, polygoni, aut arnogloſſæ ſucci vnc.ij.vel vnc.iij.adiice. Nec minùs confert aſinini ſtercoris ſuccus, maximè ſi à paſtura montana, & adſtringēte prodeat animal, vt inquit Aëtius, potiſsimùm ſi ſtercus plantaginis ſucco fuerit madefactū, deinde expreſſum, & infuſum. Quod ſi dolor vehementer vrgeat caprillum ſeuum, vt quod inter alia ſit dyſentericis vtiliſsimum, quia & faciliùs concreſcit, & inteſtinis iniungitur, plurimóque tempore inhæret, nec habet acrimoniam, vt hircinum, Galeno auctore 1.4.11.de ſimplic.medic. ſaculta. & aliis pleriſque locis. Aut ſi id haberi nequit, hircinum: vel anſerinus, ſeu gallinaceus adeps prædicto clyſteri adiiciatur, pondere vnc.j.aut vnc.ij. ſimiliter & oleū roſaceū augeatur, ſitque roſaceum omphacium. Hæc tamen, veluti etiam & ouorum vitelli, vbi dolor non vrgeat, vitari debent quoad fieri poteſt, quoniam vlceris curationem impediunt, aut exigua ſit eorum quantitas, hoc etiam tempore ſi cremoris oryzæ, tragacanthi, aut gummi, aut amyli vnc.j.aut vnc.s. permiſceas, cōferet. Quòd ſi maiori egeas adſtrictione, ac reſiccatione, in modo dicta aqua hordei, foliorum plantaginis, polygoni, ac portulacæ pugillum s.decoques, roſarum rubearum drac.iij.balauſtiorum, hypociſtidis, ana drac.ij. cui per colū trāſfuſo ſeui caprilli vnc.s.olei roſacei vnc.j.ſacchari rubei vnc.ij. aut ſacchari roſacei vetuſti tantundē, ſucci plantaginis, aut portulacæ vnc.j.s.miſceto, & fiat clyſter, & ſi magis adſtringere volueris, luti armeni, & ſanguinis draconis ana drac. j.adiice, vel tantundē paſtillorum de ſpodio, ſeu terra lemnia, aut ſuccino, quemadmodum ſi magnopere dolor vrgeat, ſtupefacientia etiam medicamenta permiſcere poteris. Nanque tutius per ſedem, quàm per os adhibētur, vtpote drac. s.aut ſcrup.ij.Philonij perſici, aut catapotiorum de cynogloſſa, ſeu eius medicamenti, quod à Nicolao Requies appellatur. Vbi verò vlcera inteſtina depaſcantur, eis quæ cruſtam inducunt, vtentur. Paulo, Alexādro & Aëtio teſtibus. (Etſi vlcera hæc paruam omnino ſalutis ſpem promittant, vt inquit Aëtius, potiſſimum ſi in tenuioribus conſiſtant inteſtinis.) Verùm nos medicamenta, quæ cruſtam inducunt per ſedem infuſa probamus, vbi vlcus ſerpendo depaſcens circa craſſa inteſtina conſiſtit. Horum autem copia apud eoſdem auctores, ac etiam apud Galenum lib.9.de compoſitione medicamen. ſecundum loc. reperitur. At ſi ex venenatorum pharmacorum potu oborta fuerit dyſenteria, iis quę in venenorum potu conueniunt, erit vtendum, vt idem Aëtius fatetur. Sunt autem remedia huiuſmodi in triplici differentia, vomitoria videlicet, obtundentia, atque extinguentia. In quorum numero etiam acria comprehenduntur, vt ipſe inquit. Cataplaſmata verò, fomenta, ac vnguenta, ſeu cerata ventri imponenda haud magnopere probamus, potiſsimùm vbi frigida, atque adſtringentia fuerint. Nam quò magis cutem denſaueris, tantò magis fluxiones augebunt, vt Galenus inquit primo de arte curat.ad Glauc.cap.14. Vbi verò cogeris vehementi vrgente dolore, eiſdē vti, perpetuò acetum permiſceas, vt medicamentorum facultas altiùs ad inteſtina penetrare valeat, aut vini albi, & tenuis modicum. Sintque ea nec facultate, nec actu admodum frigida. Horum autem medicamentorum, quoniam multa copia apud artis medicæ auctores eximios reperitur, propterea conſultò de his nos non meminimus.

Quæ per ſedem infundenda ſint.

1. de ſimplic. fac. cap. 34. Lib. 4. cap. 5. Libro 11. de ſimpli. fa ult. cap. de pinguedine.

cap. 5.

Περὶ τεινεσμοῦ. Id eſt, De teneſmo, ſeu tineſmo.

Caput LXXV.

Plinius lib. 28 cap. 14.
Commenta. 2. 1. de morbis vulga. com. 2. text. 7. & 35. 3. de morbis vulg. cõmen. 3. tex. 53.

EX eodem (quo iam dicta dyſenteria) genere eſt, & qui à Gręcis τεινεσμὸς, à Latinis quibuſdã teneſmus, à Plinio verò tenaſmus appellatur, quanquam apud eoſdem Græcos interim τενεσμός, cùm ε, vt patet cùm primo, & tertio de morb. vulg. tum etiam alijs pleriſque locis in Hippocrat. & Galeni doctrina, quandoque verò cum η, ſcriptum reperitur, vt videre licet apud Celſum cap. 18. libro 4. Id verò non ab re. Nam conſueuerunt Doricam ſectantes linguam pro, ε, η, vſurpare, nec minùs & apud Hippocratem, vt liquet aphoriſ. 27. ſeptimi libri non τεινεσμὸς, ſed τηνασμὸς nuncupari ſolet pro, ε, etiam dorice, α, vſurpãs: quo fit vt etiam Latinè nedum tineſmus, ſeu teneſmus, ſed etiam tenaſmus appellari valeat, quemadmodum Plinius affectum hunc appellare conſueuit. Nec quoque talis appellatio barbara dici poterit propter iam traditas rationes. Nam proprio, & Latino nomine nos carentes, nomenclaturam à Græcis vſurpamus, & indifferenter prædictis nominibus vti poterimus. Nomen verò ſumpſit ab ipſo ſymptomate, vt apud Galenum conſtat ſecundo meth. meden. cap. 2. & comment. prædicti aphoriſ. 27. ſeptimi libri, quoniam in eo tenſio quædam circa inteſtinum rectum ſit, ob quam, cùm cacare vehementer appetãt ægri, continuò exurgunt, vt idem ſit, quod deſidendi quædam cupiditas aſsidua, aut inanis quædam egerendi voluntas, ſeu (vt inquit Paulus cap. 41. libro tertio) continua, & implacabilis deſidendi cupiditas, qua nihil præter modica cruenta, vel mucoſa egeritur. Id quod etiam Aëtius confirmauit cap. 44. libro nono, cùm dixit, eſt autem affectio hæc ad excernendum promptitudo, quæ differri, ac deuitari non poteſt, nihil tamen, præterquam pauca cruentum aſpectum habentia propellens; & poſtea quædam mucoſa. Qui quidem affectus ſymptomata infert dyſenteriæ ſimilia, nixus tamen multò vehementiores habet, vt eodem libro tertio de cauſis ſymptomatum, cap 2. liquet, eandem quoque habens cauſam ac diſpoſitionem, vt patet comment. præcitati aphoriſmi. Conuenit itaque cum propriè dicta dyſenteria teneſmus in diſpoſitione, cauſa, & ſympto. niſi quod ea fiunt vehementiora, præſertim nixus, ex Galeni ſententia. Differunt autem loco, ſeu parte affecta, nam dyſenteria propriè dicta indifferenter in cunctis inteſtinis excitari poteſt, præterquam in inteſtino recto, teneſmus verò non niſi in eodem inteſtino recto oriri conſueuit, vt liquet apud Galenum, cum præcitato libro tertio de cauſis ſymptomatum, cap. 2. tum etiam ſexto de locis affectis, commen. præcitati aphoriſmi, & alijs pleriſque locis. Id etiam confirmauit Alexander, cap. 9. libro octauo, cùm dixit, teneſmus recti inteſtini affectus eſt, indicant etiam ipſum affectum eſſe vehemens tenſio, ac dolor cum poſitu, ac prompta deiiciendi cupiditas, paucis admodum ſequentibus excrementis, & quòd per totum morbi ſpacium iis quæ à ſupernis deſcendunt, haudquaquam miſceri videntur. Affectus hic, velut & dyſenteria, morbus eſt in ſoluta continuitate, quoniam prædicti inteſtini recti exulceratio eſt, vt liquet apud Galenum præcitatis locis. Et propterea licet ab initio excrementa pituitoſa, & pinguia ſint, progreſſu tamen temporis, vt liquet eodem ſexto de locis affectis, etiam ramenti ſpecie deiiciuntur. Comitantur etiam affectum hunc conatus, & implacabilis deſidendi cupiditas cum flatibus. Deſcendunt autem per aluum mucoſa cum graui diſtentionis ſenſu, necnon aquoſa, & interdum poſt recrementa ſanguis deſtillat, eodem Alexandro auctore. Celſus verò ſic de eo ſcriptum reliquit. In hoc æquè, ac in torminibus frequens deſidendi cupiditas eſt, æquè dolor, vbi aliquid excernitur. Deſcendunt autem pituitæ, muciſque ſimilia, interdum etiam leuiter ſubcruenta, ſed iis interponuntur nonnunquam ex cibo quoque rectè coacta. At Hippocrat. libro de affectio. ait, Quod vbi teneſmus apprehenderit, ſecedit ſanguis, ac mucus, & dolor fit in ventre inferiore, maximè vbi ad ſeceſſum deuenerit. Scribunt

Teneſmus vnde nomẽ ſumpſerit.
Quid ſit.
Quibus cũ dyſenteria conueniat.
Quibus differat.
Quę pars in eo afficiatur.
6. de loc. affe. cap. 2.
Quis affectus præter naturam ſit.
Loco citato.
Signa.
Ante medium libri.

bunt tamen nonnulli (vt Galenus aſſerit eodem ſexto de locis affectis) quod à forti excernendi conatu præcedente dolore vehementi aliqui lapides calloſos deiecerunt, iis qui in veſica naſcuntur haud abſimiles. Id quod neque ipſe vidit, neque alium qui viderit, vnquam audiuit. Affectus hic cùm eiuſdem ſit generis cum dyſenteria (vt diximus) haud quoque circa eiuſdem cauſas ab ea diſcrepabit, Galeno teſte comment.aphoriſ. 27. ſeptimi libri, modo ipſæ circa rectum inteſtinum exulcerationem pariant, nam citra eam teneſmus dici non poterit. Quanquam ſint, qui velint, quod à iam dictis dyſenteriæ cauſis, tum externis, tum internis citra exulcerationem fieri poſsit teneſmus, necnon & à quibuſdam aliis. Verùm hunc teneſmum mendoſum, ſeu non verum appellant præcipuè Arabes, & qui eos ſectantur. Nos verò cum Galeno aſſerimus teneſmum nec dici, nec appellari poſſe, etiam ſi quiſpiam dolorificus affectus à quapiam cauſa in inteſtino recto fuerit ortus, niſi adſit eiuſdem abraſio, ſeu exulceratio. Quomodo autem diſtinguendæ ſunt, ac dignoſcendæ teneſmi cauſæ diuerſæ, à præcedenti cap. petas. Quanquam ſi propter ſtercorum multitudinem eueniat grauis diſtentionis ſenſus, circa imum ventrem aderit, erúntque alui excrementa præter naturam detenta. Hæc autem multitudo non in cæco inteſtino, vt quibuſdam viſum eſt (pace tantorum virorum dixerim) cùm hoc in hominibus inteſtinum adeò exiguum ſit, vt nullum ferè habeat vſum, neque intra ipſum fæces excipi poſſunt, velut in noſtris anatomis ſæpiùs inſpeximus. Verùm in eodemmet aderit inteſtino recto, vel cùm primo colo alligatum eſt, vel in alia eius parte. Quod verò teneſmus neque acutis, neque longis morbis annumerari debeat, cùm & facilè tollatur, neque vnquam per ſe iugulet, liquet apud Celſum præcitato loco. Quod ſi vtero gerenti ſuperuenerit, faciat abortum, aphoriſ. 27. ſeptimi libri, ab Hippocrate ſcriptum eſt, id autem non ab re. Quoniam (vt inquit Galenus 3. de morb. vulg.) dolorificus, & moleſtus affectus eſt, dolorificus quidem propter tenſionem, moleſtus autem, quòd aſsiduè deſidendum ſit. Quare & propter vehementes, atque frequentes exurrectiones, conceptus abortitur, quando etiam ex omnibus aliis fortibus motibus, atque doloribus mulieres grauidæ ſolent abortire. Pro cuius curatione proprior ratio victus talis ſit, qualem in tormina ſuprà præcepimus, Celſo auctore, cibos quidem (vt inquit Alexander) boni ſucci, concoctu faciles, & leuiter adſtringentes exhibentes. Quod verò ad medicamentorum rationem attinet, id primò animaduertendum erit, num à cauſa quapiam teneſmus adhuc fiat, vel augeatur, vel ipſe iam factus deſinente eius cauſa ampliùs non fiat. Nam ſi adhuc fiat, pro cauſarum diuerſitate, curandi ratio variari debet, quemadmodum de dyſenteria decretum eſt. Et propterea ea priùs auferri debet, vel venæ ſectione, ſi plethoricum fuerit corpus, ſeu ab inflammatione teneſmus originem ducat, vel purgatione, ſi ab acribus, mordacibúſque ſuccis in toto corpore redundantibus fuerit ortus, & licet id à iunioribus etiam Galenicis medicis cane peius, & angue vitandum eſſe conſultum fuerit, tamen præter rationes, quæ hîc afferri poſſent, Actuarij auctoritas capite 6. libro quarto ſufficiens eſſe debet. Ea autem talis eſt, Cæterùm quia teneſmi ex mordacibus, ſalsíſque humoribus inteſtino recto impactis oriuntur, num ij in toto corpore abundent expendemus, ac mediocriter purgantibus educentes, ægrum ab aſsidua exurgendi moleſtia liberabimus. Nemo igitur vereatur vbi plethoricum fuerit corpus, & alia non prohibeant, ſeu ab inflammatione fuerit ortus teneſmus venam ſecare, non ſemel duntaxat, ſed ſæpius, ſi opus fuerit, cùm pro euacuatione, tum etiam pro reuulſione perficienda priuſquam ad ea ſe conuertat medicamenta, quæ teneſmum ipſum curant. Haud quoque diſsimili ratione, ſi vitioſi fuerint in toto redundantes ſucci ad inteſtinum rectum confluentes, audacter medicamento purgante, pro redundantis ſucci ratione, vti debemus, quemadmodum præcedenti cap. de dyſenteria docuimus, vtputa ſi flaua bilis redundauerit, medicamento eam purgante vtare,

Cauſæ.

Prognoſtica.

Commenta. 3.

Comment. 53.

Curatio.

Venæ ſectio.

Purgatio.

ſi ſalſa pituita, aut atra bilis, medicamentis quæ eoſdem ſuccos purgandi vim habent, vti oportet, priùs tamen eis concoctis, ac præparatis, ſi eadem occaſio dabitur. Quanquam nec eadem medicamenta magnopere acria, ac quæ vehementem purgandi vim habeant, eſſe debent, cùm quibus perpetuò, quæ leuiter adſtringunt permiſcenda ſunt, quemadmodum præcedenti cap. monuimus. Verùm ſi ex ſtercorum multitudine teneſmus excitetur, tentandum primò eſt leuibus clyſteribus, aut etiam aliquanto acrioribus eandem moliri, & vbi non ſuffecerint, ad lenientia medicamenta purgantia tranſeundum erit, veluti eſt manna, caſsia fiſtula, ſaccharum violaceum, ſyru. ex pluribus infuſionibus roſarum rubearum, aut perſicarum, & ſi opus fuerit aliquid diacath. addendum. Nam & Paulus medicamentum, quod emolliat per os aſſumptum hoc in caſu probat. Cùm verò teneſmi cauſa fuerit abſciſſa, aut idem non ampliùs à cauſa dependeat, aut eadem exigua ſit, cùm diſcutientibus, tum modicè adſtringentibus laborans ſedes moueri debet, cùm ex eiſdem quoque ægro opem feramus, eodem Actuario auctore, totíſque viribus, clyſteribus, aliíſque topicis medicamentis ipſum curare nitendum erit, eiſdémque adhuc diuerſis, prout diuerſæ fuerint cauſæ, quæ ipſum effecerunt. Nam ſi inflammatio fuerit, facta venæ ſectione, & adhuc eadem perſeuerante, ptiſanæ ſuccus cum paucis toſis, ſimul cum eo decoctis infundi debet (Aëtio teſte) vel decoctum paretur ex hordeo non decorticato, & torrefacto, ac plantaginis foliis, cuius vnc. viij. aut librã vnam aſſumens, adiectis olei roſacei vnc. iij. & recentibus ouis totis ſine corticibus numero ij. ſimúlque permixtis fiat clyſter. Ad eundem vſum iniici debet lac recenter mulctum caprillum, potiſsimùm cum oleo roſaceo. Cæterùm lumbis præcipuè circa os ſacrum, ſedi, ac pubi, & interfœmineo, perineon Græci appellant, fotus, ac illinitiones adhiberi debent oleo myrteo, roſaceo, ipſóque omphacino, pauco vino albo adiecto. Quòd ſi dolor intendatur, fotus ex fœnugræci, maluarum, roſarum rubearum althææque, ac ſeminis lini decoctum fiant. Vel in eorundem iure inſeſsiones faciant ægri, cum efficaciſſima in teneſmi affectione fomenta ſint ſedi admota, eodem Aëtio auctore. Procedente verò tempore reiectis roſis, ex reliquis, adhibitis chamæmeli floribus, ac meliloto fomentum paretur, & oleo roſaceo, ſeu myrtino camæmelinum, ac anethinum permiſcere oportet, & temporis proceſſu eiſdem ſolis vti. A biliosis autem humoribus, ſi teneſmus fuerit ortus, clyſteres fiant ex hordei, & foliorum plantaginis decocto, in pullorum gallinaceorum iure, ſacchari rubei, & olei roſacei, omphacini, ſingulorum vnc. ij. adiectis, & vitellis ouorum numero duobus, aut ex caprillo lacte, ſaccharo rubeo, & oleo roſaceo: paritérque fotus, inſeſsiones, ac illinitiones ex maluarum, althææ, roſarum, violarum, ac hordei decocto, & ex oleo roſaceo omphacino, myrteo, & amygdalarum dulcium fiant, vel ex oleo roſaceo, recenti butyro, & adipe anſerino cum modica cera ſolutis, interius anus vngatur, vt Tralliano viſum eſt, potiſsimùm vbi vehementiùs dolor vrgeat. Poſſunt inſuper verbenæ decocto inferiores partes foueri, aut in aqua calida ægri deſidere, Celſo auctore. Poſthæc ea quæ adſtringunt, ſimulátque contemperant iniicienda ſunt, vt decoctum ex rubi, myrthi, ſeu plantaginis foliis, roſis, cytinis, hypociſtide, balauſtio, ac hordeo, cui olei roſacei omphacini, ac ſacchari rubei vnc. ij. addas, ac vitellos duos ouorum, vbi ingens dolor adſit. At ſi dolor abſit, aut is exiguus fuerit, oleum roſaceum, ac ouorum vitelli auferantur. Si verò pituita ſit, quæ ægrum infeſtauerit, ac teneſmum excitauerit, fueríque adhuc exigua quantitas in recto inteſtino eiuſdem impacta, detergentibus huiuſmodi clyſteribus vtare primò, ac leuiter adſtringentibus, deinde adſtringentia magis, ac exiccantia medicamenta adhibeas, quę etiam ad calidum vergant, vt Recipe hordei cum corticibus, ac cicerum rubeorum ana P. j. furfuris P. s. corticum pini, foliorum lauri, & florum camæmeli ana manip. s. pilularum cupreſsi numero iiij. fiat decoctum in aqua pluuiali, aut iure pullorum gallinaceorum, è quo excipe lib. j. & adde olei

Si ex ſtercorum multitudine fiat teneſmus, curatio.

Quæ per ſedẽ infundenda ſint.

Topica.

Si à bile, curatio.

Si ex pituita, curatio.

olei anethini, chamæmelini vnc. ij. ſi dolor vrgeat, vitellos ouorum numero ij. mellis roſacei vnc. ij. miſceantur, & fiat clyſter. Pariter circa pectinem, ſedem, & fœmen calida fomenta, ac etiam olea adhibere oportet, fiant autem fotus, ſeu inſeſsiones ex floribus chamæmeli, meliloto, fœnogræco, anetho, corticibus pini, lauri, ac cupreſsi foliis, malicorio, ac myrti baccis, parato decocto ex tribus partibus aquæ pluuialis, & vna vini adſtringentis. Illinitio autem ex iam dicto oleo anethino, aut chamæmelino fiat, liliaceo, irino, aut rutaceo. In hunc etiam vſum conferunt ſacculi ex furfure in vino adſtringenti decocto parati, ſi ſedi admoueantur. Per propriam quoque experientiam ab Aëtio commendatur later perquam vetuſtus, & à fumo denigratus vnà cum contentis in eo paleis, ſi tundatur, deinde feruenti aceto ſubactus, linteolóque alligatus ſubdatur ſedi. Id verò ſtatim ab excretione admoueri debet, & maximè ſi dolor infeſtet. demum prædicto hordei, ac cicerum decocto malicorium, lentes, myrti baccæ, ac gallæ adiici debent, corticem pini, cupreſsi pilulas non prætermittendo. Idque infundi debet per ſedem, mellis roſacei vnc. ij. adiectis. Quod ſi vigiliæ vnà cum dolore perſeuerante conſequantur, neque prædictis cedat affectio, ſedi aliquod ſoporiferum collyrium ſubdetur, vt inquit Aëtius. Aut alicui ex prædictis clyſteribus ſolani, hyoſciami, aut mandragoræ decoctum adiiciatur. Eorundem autem quantitas exigua ſit, neque ea adhibeantur, niſi maxima vrgente neceſsitate. At ſi teneſmum frigus præceſſerit, eiſdem calidis, diſcutientibúſque fotibus, inſeſsionibus, ſacculis, ac vnguentis vti licebit, & ſimilibus, prout vſus expoſtulabit.

Anodyna quando competant.

Περὶ τῶν αἱμοῤῥοΐδων. Id eſt, De hæmorrhoidibus. Cap. LXXVI.

IN ſanguine generando quicquid admodùm craſſum, ac terreum ex ciborum natura in nutrimentum fertur, nec commodè à naturali calore alteratur, ſed prorſus eam quæ in iocinore fit, mutationem ſubterfugit, id lien ad ſe trahit: quod verò mediocri eſt craſsitudine, ac planè à iocinore abſolutum, ſimul cum ſanguine in omnem partem diffunditur: requirit etenim ſanguis in non paucis animalis partibus craſsitudinem quandam, vt liquet ſecundo de natur. facult. ac ſeponitur quidem tanta taliſque iam dicti ſucci portio, quanta, qualiſque, ſi in totum ferretur corpus, noxam aliquam inferret. Cùm igitur naturalis temperatura hunc humorem paucum generauerit, & ratio victus adhibita confert, & ſplen ſatis attrahit ex eo qui generatur, haudquaquam huiuſmodi excrementi copia in venis generatur: at vbi contraria eueniunt: dicó autem contraria, vt ſcilicet hepar ad generandam huiuſmodi ſuperfluitatem ſit aptum, ſit etiam ratio victus per tales cibos adhibita, qui craſſum & fæculentum humorem naturà apti ſint procreare, ſplen verò ſit naturà imbecillior, & quicquid de ea ſuperfluitate generatur ad ſe minimè trahere potens, in hoc inquam corpore turbidus fit, ac craſſeſcit, qui in venis generatur ſanguis, & nonnunquam à venis eiſdem habentibus (ſicut alia omnia) vim excernendi id quod extraneum eſt, ad ſedis vaſa, quædam reponitur, interímque propter multitudinem, & craſsitudinem eiuſdem ſanguinis; eorundem vaſorum ora aperiuntur, atque per eadem vaſa excernitur: quam affectionem Græci αἱμοῤῥοΐδας, appellant, vt liquet ſecundò de arte curatiua ad Glauconem, ſexto de morbis vulgaribus, & commen. aphoriſ. 12. ſexti libri, nam αἱμοῤῥοῒς nil aliud ſignificare videtur, quàm ſanguinis profluuium per venas ſedis, idem confirmatur auctoritate eiuſdem Galeni libro de atra bile, cùm dixit, ſæpenumero autem natura recludens venam vaſorum quæ ſunt in ſede, talem permixtum ſanguini humorem excreuit, loquens de melanchólico ſucco, quo & nomen ſymptomati impoſuit αἱμοῤῥοΐδας, Latini quoque alio proprio nomine carentes eodem modo affectionem hanc hæmorrhoida, ſiue hæmorrhoidas appellant.

cap. ult.

Quid ſint hæmorrhoides.

2. ad Glauc. cap. 10.
6. de morb. vulg. cõmẽ. 3. text. 37. & comment. 5. tex. 25. cap. 1.

Sumpſit

Vnde nomen ſumpſerit.

Sumpſit itaque appellationis originem hæmorrhois à ſanguinis fluxu, vt liquet ex præcitatis Galeni ſententiis, & ab Aëtio cap. 5. libro 14. qui etiam affe-ctum hunc aſſeruit eſſe velut dilatationem quandam locorum in ſede factam vaſis quibuſdam iſthic apertis, & progreſſu temporis calloſioribus factis. Verùm quamuis ſæpiùs accidat, quod dilatatis, ac admodum impletis iam dictis venis ob copiam ſanguinis fæculenti, ac craſsi, vt diximus, quod per eas ſanguis excernatur: & propterea tale ſortitus ſit nomen affectus hic; tamen non ideò ſi is non excernatur, modo dilatatæ, impletæ, ac inflatæ eædem ſint venæ ex iam dicto craſsiore ſanguine, hæmorrhoides quoque appellari non debent.

Hæmorrhoidum duæ differentiæ.

Quapropter Aëtius præcitato loco duas hæmorrhoidum dicebat eſſe differentias: quoniam aliæ ſunt cæcæ, aliæ ſunt apertæ: cæcæ, quæ omni tempore inflatæ ſunt, & nihil excernunt: apertæ verò ſunt, quæ per tempora ſanguinem effundunt, idem confirmauit Paulus capite 59. libro tertio.

Pars quæ afficitur.

Pars quæ afficitur in ambabus differentiis, adeò oculis conſpicua eſt, vt nullo alio ſigno opus habeat, quoniam ſemper venæ ſedis affectæ ſint: quanquam non adeò conſpicuum ſit, neque mihi ita certum, num dictæ ſedis venæ progerminationes ſint venæ portæ dictæ, vt quibuſdam viſum eſt, vel venæ magnæ chyli, ſeu cauæ appellatæ, vel vtriuſque, cùm ex vtriſque rami ad eandem partem pertineant, & ex porta venæ maiores: quamuis Hippocratis & Galeni doctrinæ magis conſentiat eas ramos eſſe venæ cauæ propter ipſius Galeni verba, tum ſecundo de nat. facul. tum 2. de arte curatiua ad Glauconem, cap. de cancris, & 6. de locis affectis, & Hipp. aphor. 11. & 21. & ſexti libri. Nam ſi perpetuò vbi minùs quàm iuſtum eſt atrum ſuccum ad ſe trahit lien, vt ſanguis impurior, craſſior, ac nigrior; ſic vniuerſum corpus redditur decolor, non propter aliud, niſi quod eius facultate attrahente imbecilliori reddita, ſanguis in vniuerſum corpus impurus tranſmittitur vt liquet tertio de natu. facult. & 6. de locis affectis, & deinceps ab ipſis venis vim excernendi habentibus ad venas ſedis quandoque delegatur: vt patet 2. de arte curatiua ad Glauconem, & per eaſdem excernitur: neceſſariò ſequitur eas venæ cauæ dictæ, & non portæ eſſe ramos, cùm non priùs excernatur quàm per vniuerſa totius corporis vaſa fuerit diffuſus, tam ſi ad vniuerſam cutim, quàm ſi ad varices, aut ad iam dicta ſedis vaſa decumbat, aut ad quampiam aliam partem, quæ imbecillior fuerit. Ad hæc ſi propterea melancholia, & nephritide laborantibus hæmorrhoides conferunt non ſolùm ratione euacuationis, ſed qualitate humoris euacuati: quoniam pellit natura ad partes ignobiliores eos, qui tales affectus efficiunt humores, præſertim cùm melancholici, ac craſsi fuerint, vt liquet citatis aphoriſmis, cui in dubium venerit tales humores per ramos cauæ, & non portæ venæ ad dicta ſedis vaſa permutari, atque transferri tanquam per conuenientiora loca, per quæ promptiùs, ac faciliùs talis fiat permutatio. nulli inquam. Audacter itaque cum Hippo. & Galeno, tenemus (quicquid alij ſentiant) hæmorrhoidas ramos eſſe venæ cauæ potiùs quàm portæ, quamuis ex porta maiores fortè progerminationes, quàm ex caua ad eundem pertineant locum.

cap. 9.
2. ad Glauc. cap. 10.
6. de loc. affe. in principio.
Locis citatis.
Cap. citato.

Affectus præter naturam.

Cæterùm, licet huic affectui nomen inditum ſit hæmorrhois, propter ſanguinem, qui magna ex parte cum ſucco melancholico à natura recludente horum vaſorum ora excerni conſueuit, & propterea dici poſſet eſſe ſymptoma in genere excretorum immodicè toto genere præter naturam, quemadmodum & reliquæ hæmorrhagiæ, præter menſium profluuium: tamen illud non ita facilè aſſererem, cum nonnullæ ſint hæmorrhoides cæcæ, vt diximus ex Aëtij & Pauli auctoritate, & nos indies crebrò obſeruamus, ex quibus ne tantillum quidem ſanguinis profluit. Quà ratione nec hæmorrhoides nuncupari deberent, neque ſymptomata eſſe in genere excretorum immodicè, niſi quiſpiam diceret id raro euenire, cùm etiam ex eiſdem cæcis ſemper aliquid profluat ſanguinis, licet minimum ſit. quòd ſi nec omnino quippiam excernatur, non propterea hæmorrhoides nominari non debent; cùm omnes ſic appellatæ ſint, propterea

quòd

quòd ſæpenumerò,& non ſemper,vt inquit Galenus citato libro de atra bile,
cap.4.natura ſanguini permixtum humorem melancholicum recludens dicto-
rum vaſorum ora,per eadem excernit.Quod item confirmari poſſet Celſi au-
ctoritate cap.18.libro ſexto,cùm dixit tertium vitium eſt ora venarum tãquam
ex capitulis quibuſdam ſurgentia, quòd ſæpe ſanguinem fundunt αἱμοῤῥοΐδας
Græci vocant.At ſi quis propterea aſſereret hæmorrhoidas non ſymptoma eſ-
ſe,ſed morbum,non ſimilarium,ſed inſtrumentalium partium, & propriè in ca-
uitate,eadem non adſtricta,aut conſtipata,ſed dilatata,aut patefacta, non recla-
marem. Nam Aëtius dicebat,quod hæmorrhois eſt dilatatio venarum ſedis,
ad quam dilatationem ſi earum orta reſerabantur, ſanguinis fluor conſequeba-
tur,& ſic apertæ dicebãtur hæmorrhoides,ſi verò vaſorum ora haudquaquam
aperiuntur,nihil excernitur, etiam ſi ipſæ venæ admodum dilatatæ ſint, & im-
pletæ,& propterea cæcæ appellantur, communis eſt itaque vaſorum dilatatio
cunctis hæmorrhoidibus,& non ſanguinis per ea excretio.Quare morbum po-
tiùs quàm ſymptoma aſſerendum erit.Illud quoque cum Galeno affirmari po-
terit. Nam cum ex eodem humore melancholico varices, & hæmorrhoides
fiant,vt liquet ſecundo de arte curatiua ad Glauconem, cap. 10. & aphoriſ.21.
ſexti libri, & libro de atra bile, cap.4.quemadmodum varices fiunt, cùm fœ-
morum & crurum venæ latiores fiunt: ita quoque & hęmorrhoides,cùm ſedis
venæ dilatantur, quinimo omnes dilatatas venas antiqui medici κιρσοὺς appel-
lant, vt ipſe inquit libro de tumore præter naturam, cap. decimonono. Quare
cum diſtentis,ampliatis, ac dilatatis venis ſedis hæmorrhoides cunctæ fiant, &
non cum ex eis ſanguis profluit (id enim ſymptoma eſt earum, quod ſæpe eis
aduenit, non autem ſemper) propterea morbum potiùs, quàm ſymptoma eſſe
non ab re quiſpiam dixerit, quamuis à ſymptomate nomen ſumpſerit, quod
magna ex parte ei ſuperuenire ſolet.Nam illa venarum ſedis ampliatio, ſeu di-
latatio propriè hæmorrhois eſt, non autem illud ſanguinis profluuium, quod
non ſolùm ipſis venis dilatatis,ſed etiam patefactis orificiis earundem conſe-
quitur,potiſsimùm cùm non perpetuò id omnibus ſuperuenire contingat,vt di-
ctum eſt. Cognoſces autem eas non difficulter:oculis enim conſpicuæ ſunt, in- *Affectus ſigna.*
terna quoque ſedis pars intumeſcit,& capita venarum ſupereminent, & in in-
ternam inteſtini recti partem velut vuæ acini lucidæ apparent: cæcæ dolorem
vehementem excitant, potiſsimùm dum à ſtercore exeunte comprimuntur,
quamuis cæcæ plus doloris, quàm apertæ afferant, teſte Oribaſio libro nono
ſui compendii cap. 42.nihilque cruenti excernunt.Apertæ verò ſanguinem eia-
culantur,maximè quidem vnà cum ſtercore,aliquando etiam ſine ſtercore, vt
inquit Hippocr.lib.de hæmorrho. plurimis quoque habentibus hæmorrhoidas
adeſt dolor vniuerſi corporis proprius eis,vtpote citrinus ad viriditatem decli-
nans, vt quibuſdam viſum eſt.Si verò accidat quòd hæmorrhoides magis inte- *Vide Auicen. lib.3.fen 17. cap.2.*
rius fiant,ſi vehementer exprimatur æger,ſedéſque priùs aqua calida foueatur,
conſpicuæ fient tam ſi cæcæ,quàm ſi apertæ ſint. Verùm quòd hæmorrhoides
originem habeant ex copia melancholici ſucci, ſeu fæcis ſanguinis aut ex eo-
dem ſanguine multo fæculento,& craſsiori exiſtente:cum videlicet iecur ac v- *Cauſæ.*
niuerſæ venæ eundem humorem à ſe ipſis excernentes,in dictas ſedis venas re-
ponunt,liquet apud Galenum libro de atra bile,cap.4. & 2.de arte curatiua ad
Glaucon.cap.10.ac luce clarius comment.aphoriſ.12. 6.lib.cùm dicebat hęmor
rhoidas fieri impoſsibile eſt abſque hoc,quòd propter multitudinem, & craſsi-
tudinem ſanguinis,ora quarundam venarum aperiantur, hepate ad ipſas repo-
nente fæcem,& quãdoque ſanguinem melancholicum.Atqui iam diximus nos
circa initia huius ſermonis,quibus corporibus,& à quibus cauſis talis coaceruen
tur ſucci ſeu ſanguinis melancholici copia:quæ vbi non adeò multa fuerit,& di
ctorum vaſorum ſedis expultrix facultas non vehementer irritata,ac retentrix
non admodum imbecilla,cæcæ fiunt hæmorrhoides:quemadmodum vbi con-
trarium euenerit,apertæ:ex quibus ſanguis profluit craſſus,niger, & fæculentus

magna ex parte, dico magna ex parte: nam quandoque contingit, quòd ſanguis per eaſdem venas profluat, natura duntaxat multitudinem ſanguinis euacuante: quemadmodum accidit ſanguinem per nares effundentibus: nonnunquam patefactis eiſdem venis ex ſanguinis impetu ad eas irruentis, id natura haudquaquam tempeſtiuè ad animalis commodum efficiente: quò fit, vt effuſus ſanguis interdum niger non ſit, interim quoque accidit vt natura atri ſanguinis, ſeu ſucci euacuandi cauſa venam aperiat, quo malo ſanguine euacuato, bonus etiam ſubſequatur, vbi diutiùs patefactum remaneat os eiuſdem venæ, neque priùs fuerit occluſum. Quare audacter cum Galeno tenemus, quòd licet magna ex parte per has venas ater ſanguis, ac ſuccus melancholicus per modum fæcis genitus expurgari conſueuit, tamen non omnis hæmorrhois talem melancholi-

Comment. 5 cam bilem, aut melancholicum ſanguinem euacuat: vt liquet ſexto de morbis vulgaribus. Neque propterea Galenus ſibi ipſi pugnantia ſcripſit. cum cōment.

Comment. 25 præcitato aphoriſmo 12. ſexti libri, dixerit hæmorrhoidas fieri impoſsibile eſſe,

Contradictio. præter multitudinem, & craſsitudinem ſanguinis, hepate ad eas venas reponente ſanguinem quandoque melancholicum, & ipſius fæcem: nam de veris lo-

Conciliatio. quebatur hęmorrhoidibus eo loco, quæ ex huiuſmodi humoribus verè, & pro-

Loco citato. priè, vt plurimùm ortum habent. At libro ſexto de morbis vulgaribus, omnes connumerauit cauſas, ex quibus per ſedis venas ſanguis profluere conſueuit, tanquam neceſſarium pro faciliori intelligentia textus Hippocrat. ac veritate ſententiæ eiuſdem textus: quam opinionem teſtari videtur Actuarius in ſua medendi methodo libro primo, cap. 20. quo loco præter melancholici ſucci redundantiam alias quoque nonnullas meminit cauſas, ex quibus per ſedis venas ſanguinem profluere accidit, vtpote iis qui ſolita exercitia omiſerunt, aut pleniore victu vti cœperunt quàm antea, vel quibus conſuetæ è nare, aut vtero (ceu in mulieribus) excretiones ſupprimuntur, aut quibus mos erat venam tundere, aliáve quapiam ratione ſanguinem euacuare, & conſuetudinem mutarunt: vt iam quia corpus vniuerſum peruadat, copia imbecillitáſque adſit, iis inquam hæmorrhoides oboriuntur. At vbi melancholicus ſuccus, ſiue ater

Signa cauſarum. ſanguis ex eiſdem profluit venis, haud ægrè ex eius colore, ac ſubſtantia dignoſcitur. Si verò alterius ſit coloris ſuam ſeruans naturam, ſi propter eius multitudinem natura ipſum excernat, ex quibuſdam, aut omnibus modò iam dictis cauſis præcedentibus illud percipere poteris: ſimiliter ex natura, habitu, & ætate ægrotantis, ac ex eo quod ſequitur, vtputa conferentia. Quemadmo-

Prognoſtica. dum vbi idem ſanguis immodicè profluat, vel poſt nigri ſanguinis excretionem, natura haudquaquam potente propter eius imbecillitatem, ac conceptaculorum diutinam reſerationem bonum ſanguinem retinere, vt eodem ſanguine impetu quodam ad eadem vaſa irruente oris eorundem patefactis, aut ſi propter multitudinem, ſanguinis copiam priùs vacuare renuiſſet, & demum propter eorundem vaſorum apertionem, ac retentricis imbecillitatem, eundem reprimere non valeret, ex contrario iudicari poterit. Neque enim ægri facilè tolerabunt: quinimo decolores, ac omnino in dies imbecilliores redduntur. Quapropter quemadmodum hæc affectio à multis morbis tutos reddit, quando videlicet melancholici ſucci copia per has venas vacuatur, aut non immodi-

Comment. 3 cè ſanguis profluit, vt liquet ex Hippocrate ſexto de morbis vulgarib. cùm di-

Tex. 37 xit hæmorrhoidibus laborantes, neque morbo laterali, neque pulmonis inflammatione, neque phagedæna, neque furunculis, neque terminthis, neque lepra, neque aliis fortaſſe ſimilibus morbis (ſupplendum eſt) capiuntur, inquit Galenus. Ita quoque cùm contrarium euenerit, nonnullorū malorum cauſa hominibus exiſtit: nam & deformitatem, & miſeram vitam hæmorrhoides inducunt: multos etiam vita priuant, & deformitatem quidem propter coloris totius corporis vitium ex euacuatione ſuccedens: miſeram verò vitam propter corporis debilitatem, quandoque etiam de vita periclitantur ſic affecti, cum ob excedentem euacuationem perfrigeratum hepar aquam intercutem opera-

t ur A&c

tur Aëtio teſte præcitato cap.5.libri 14. Quæ omnia idem Hippocr.in aphoriſ. ſcribere haudquaquam oblitus,nam quod ſuperuenie͂tes hęmorrhoides à nonnullis aliis malis liberent laborantes,decretum reliquit aphoriſ.11.ſexti lib.cùm dixit. Melancholia & nephritide laborantibus hæmorrhoides ſuperuenientes bonum. Neque enim ſolum ratione euacuationis,vt inquit Galenus in co͂men. ſed etiam ipſa qualitate humoris euacuati hæmorrhoides iam dictas affectiones ſanant. Hæ enim ſanguinem craſſum conſueuerunt euacuare humore plenum melancholico,& aphoriſ.21.eiuſdem 6. dicebat,in inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio fit, propter eandem cauſam. Quemadmodum, quod ſi quis tentauerit iter intercludere his,quibus conſueuit per hæmorrhoidas longo tempore talis ſuccus euacuari, quod periculum eſt ne in tabem,aut aquam intercutem incidant,idem Hippocrates aphoriſ.12. eiuſdem libri, ſub his verbis docuit, à diuturnis ſanato hæmorrhoidibus ſi vna non ſeruatur, periculum eſt aquam intercutem, aut tabem aduenire. Hinc eſt quod non ab re decreuerit aphoriſ.25. 4.libri,quod vbi ſanguis infra deiiciatur (hoc eſt per hæmorrhoidas vt inquit Galenus in comment.) bonum eſt, quando videlicet hominis natura multum talem accumulauerit ſanguinem. Nam aliter vt Galenus teſtatur,non eſt aſſuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas euacuationi,quæ periculoſam habet vtranque immoderantiam, quo vel ſupra modum ſanguis excernatur,vel ex toto ſupprimitur,ex quibus liquet quantum aberrent nonnulli hac noſtra tempeſtate medici, qui ferè indifferenter cunctis laborantibus, hirudines ſedis venis adhibere iubent, etiam ſi non conſueuerit talis ex eiſdem venis ſuccus,ſeu ſanguis confluere, neque hominis natura multum talem cumulauerit. Hæmorrhoidas item inquit Soranus Epheſius cap. 18. habentes ſi in plantis puſtulæ multæ nigro colore affuſæ ſuboriantur vigeſimooctauo die moriuntur. Paulus verò de eiſdem ſic ſcriptum reliquit pręcitato loco, venulis,quæ in ano extant iuſto largiùs inanitis, habitum in aquam ſubtercute reſolui contingit,& affectos infeliciter cibos ſentire, ac contabeſcere, periculum quoque eſt ne largum etiam ſanguinis profluuium accidat,quemadmodum,ne idem in totum ſupprimatur,vnde laborioſa eſt curatio. Quod quidem ad curandi rationem attinet, vbi cæcæ fuerint hæmorrhoides, aut modicæ ex eis ſanguis fluxerit,ea vtendum eſt victus ratione,quam cap.de melancholia inſtituimus,adeò vt per eam inhibeatur, ne multa copia talis melancholici ſucci generetur, ſed quoad fieri poſſit exigua, vt quæ à liene facilè expurgari valeat. Verùm vbi magnos circa ſedem dolores excitauerint cęcę,qua͂do ex arido ſtercore exeunte comprimuntur,& propterea vehementes fiant dolores,aluus non ſemel duntaxat,ſed ſæpe mollienda erit. Solet enim oriri inflammatio, maximè vbi dura aluus eum locum læſit,vt inquit Celſus præcitato loco, qua de re mollibus,ac lenibus clyſteribus aluus ſubducenda erit,ex decocto foliorum maluarum,violarum ac betæ in gallinarum iure,additis vnc.iij.vel iiij.olei violac.aut amygdalarum dulc.vnc.ij.ſacchari,& vnc.j.adipis anſeris,aut renum capraru͂,in quem etiam vſum confert vnc.j.vel j.s.caſsiæ fiſtulę per horam ante cibum deuoratas confeſtímque malleoli vena incidenda non ſemel duntaxat,ſed bis,vbi opus fuerit,& vires conſentiant,ac corpus ſanguine potiſsimùm craſſo, & melancholico plenum fuerit: nam in cruribus ſectæ venæ hæmorrhoides prouocant Galeni auctoritate libro de curandi ratione per venæ ſectionem, cap.19. præter id quod per deriuationem ſanguis qui in eis continetur,vacuatur, ac dolor ſedatur:apponenda quoque vbi vehemens perſeuerauerit dolor, quæ illum mitigare poſſunt. Quare in aqua dulci modicè calida deſidendum eſt,aut decoctis in ea maluarum,althææ,& violarum foliis, interim meliloto, fœnugræco, chamæmelo,lini ſemine,& anetho:item & vbi hæc non ſuffecerint hyoſcyami, ac lactucæ folia,& papaueris,tum albi,tum nigri cortices adiici poterunt,& vbi deſidere æger in ea non potuerit, ſpongiæ in iam dicto decocto irrigatæ, & madefactæ dolenti loco adhibeantur, fouendus inſuper locus erit ex ouorum

Ratio curandi cæcas hemorrhoidas.

Victus ratio.

Venæ ſectio.

Medicamenta topica.

vitellis, roſarum foliis, oleo roſaceo, & cera parato medicamento: quandoque miſceri poterit mica panis in aqua dulci mediocriter decocta: idque ſi intus fuerint hæmorrhoides digito illinendum, ſi extra ſuper illitum lineum pāniculum imponendum eſt. Poteris inſuper, vbi iam dictum medicamentum dolorē non ſedauerit, infraſcripto vti, quod recipit foliorum althææ, meliloti ana manip. s. adipis anſeris vnc. ij. vitelli ouorum numero iij. olei roſacei & de ſem. lini ana drach. ceræ albę parum miſce, & fiat vnguentum, & in vehementiſsimo dolore, infraſcripto quoque vtaris: ex foliorum hyoſciami manip. s. violarum, & lactucæ tantundem bulliant in aqua, & exprimantur, deinde in dicta aqua maceretur mica panis, cui adde vitelli ouorum num. ij. cremoris ſeminis lini & fœnugræci ana drach. ij. olei roſacei vnc. ij. miſceantur, & vtare modo iam dicto. Vbi verò prædicta non contulerint, ſanguinem ab iis vacuare oportet hoc adhibito medicamento, ex olei de chryſomelis, de ſem. lini, amygdalar. amararum, ac nuclei perſicorum ana drach. ſucci cæpæ, & cielaminis ana drach. ij. ſtercoris columbini vnc. iiij. medullæ, ſeu ſepi ceruini vnc. ij. cum pauca cera fiat vnguentum. Vel fricentur dictæ hæmorrhoides cum fici foliis, aut lineis linteis aſperis, & craſſis: & vbi hæc non contulerint, aut ęgri ferre nequeant, hirudines imponantur eiſdem hęmorrhoidibus: nam ex eis aperiri abſque dolore conſueuerūt, prout indies obſeruamus: & vbi opus fuerit, iterari debent: nam magnopere conferunt, vbi cautè adhibeantur, aperiunt item eas perdiciij herbæ folia viridia aſsiduè affricta, inſuper & mercurialis trita & velut glans immiſſa, & fel bubulum per lanæ tomentum inditum Aëtio teſte eodem libro 4. cap. 6. Vbi verò apertæ fuerint hæmorrhoides, ſi modicè ex eis profluat ſanguis, adeò vt vires nequaquàm imbecilliores reddantur, eadem victus ratione vtendum, potiſsimùm ſi ſanguis niger, & craſſus fuerit, ac per certa interualla fluere conſueuerit: neque aliter eas ſupprimere tentandum, tum quoniam à multis liberant vitiis, vt ſuprà annotauimus Hippocra. auctore, tum etiam quòd ſi quis eas curare tentauerit, quidam cùm ſanguinis exitum non haberent, inclinata in præcordia, ac viſcera materia, ſubitis, & grauiſsimis morbis correpti ſunt, vt inquit Celſus præcitato loco, illi inquā, qui ſanguinis profluuio imbecilliores non fiunt. Quod inſuper idem Hippocrat. decretum reliquit aphoriſ. 12. ſexti libri, cùm dixit, à diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi vna non ſeruatur, periculum eſt aquam inter cutem, vel tabem aduenire, conſuluit itaque Hippocrates in hac ſententia iuxta Galeni expoſitionem, vnam ſaltem ſeruare hæmorrhoidem, vt per hanc vacuetur fæculentia, ac vitioſa materia hepatis: præſertim in quibus ſolita eſt tempore longo per tales venas excerni, ſi quis eas ſanare tentauerit, aliàs prædicta ab Hippocrate vitia ſuperuenire periculum eſt. Aëtius verò illa Hippocr. verba (Si vna non ſeruatur) aliter exponit. Ait enim Hippocra. noluiſſe quòd vna hæmorrhois ſeruari debeat ad ſanguinis excretionem, vt Galenus ſentit, ſed dixit, ſi vnà non ſeruatur, hoc eſt, ſi non adſeruetur, id eſt, ſi non conuenienti diæta vtetur poſt earum ſanationem. Probat ex eiuſdem Hippocr. verbis in eodem aphoriſ. nam dixit hæmorrhoidas inueteratas ſananti: eſt autem ſanatio perfecta liberatio, & legitima curatio. Quare concludit ipſe cum Hippoc. quòd non oporteat aliquam hęmorrhoidem relinquere, ſed omnes excindere, & poſt perfectam curationem ipſarum, per conuenientem diætam ad naturalem ſtatum corpus curatum reducere, inciderêque cubiti venam tempore opportuno, quo videlicet coaceruatus in corpore ſanguis euacuatur. Hoc itaque modo poſsibile eſt incolumes euadere, nulla penitus hęmorrhoide relicta. Atqui vera erit perpetuò Hippoc. ſententia quomodolibet fuerit intellecta: ſi quis enim hęmorrhoidas inueteratas ſanare tentauerit, aut vnam ipſarum relinquere debet, aut ſi nullam penitus dereliquerit, pręſeruare eo modo detentos oportet, conuenienti victus ratione, ne talis ſucci copia gignatur, etſi qua fuerit genita, venę ſectione ſtatis quibuſdam temporibus vacuare, pręcipuè ineunte vere. At ſi immodicè ſanguinem fundāt, quoniam ex immodica profuſione ad extremam

Curatio hæmorrhoidum apertarum.

Victus ratio.

Aëtius Galenum carpit.

Venæ ſectio.

Concordia.

Curatio hæmorrhoidum nimis profluentium.

frigid

ſrigiditatem hominem ducunt, ac ſæpe aquam inter cutem accerſiuerunt, vt liquet 2. de natur. facult. cap. 8. confeſtim vbi robur virium deiiciatur, ſupprimendæ ſunt, ſimuli propterea victus ratione inſtituta, quam cap. de cruenta ſpuitione præcepimus (niſi quod vbi vires plurimum proſternantur facilis concoctionis, ac multi, & boni nutrimenti cibi ſemper exhibeantur, cum quibuſdam adſtringentibus permiſti: ſimiliter & in potu vinum adſtringens) ſi vires ferant, interna cubiti dextri vena incidenda erit reuulſionis gratia. Nam vbi cohibere voles hæmorrhoidas, quæ in brachio ſunt venas ſecare conuenit Galeno auctore lib. de curandi ratio. per venæ ſectionem, cap. 19. quando videlicet veremur ne in tantam immoderationem hæmorrhoidum euacuatio euadat, vt hominem vel protinus interimat, vel aquæ intercutem obnoxium, aut cachecticum, hoc eſt mali habitus reddat. Quod ſi vires venæ ſectionem non ferant, hypochondriis cucurbitulæ affigendę ſunt, manus item, ac brachia vincienda, & frictiones aſperæ eiſdem partibus adhibendæ. Intra corpus interim quæ adſtringunt ſumenda, vt ſyrup. ex infuſione roſarum, præſertim aridarum, & incompletarum, myrtinus, miua citoniorum, è rhibes, aut ex oxalidis ſucco, ſeu plantaginis, paratus cum eiuſdem plantaginis, aut oxalidis aqua: etſi non adeò extremę imbecillitatis vires fuerint, ſed mediocrem ferre poſſunt purgationem, redundantibus vitioſis ſuccis in ſanguine, (vt magna ex parte prouenire proſpeximus immodicum ſanguinis per hæmorrhoidas profluuium) purgans aliquod medic. propinandum erit, ex eis quæ præterquam quòd leuem habeant vim purgandi talem vitioſum ſuccum redundantem (quiuis is fuerit) facultatem inſuper habeãt adſtringendi, quemadmodum ſunt myrobalanorum tria genera, rhabarb. agarici, & ſyr. ex pluribus infuſ. roſarum rubearum: inſuper & ſyrup. domini Auguſtini, ex his poteris purgans medicamentum diuerſimodè componere pro diuerſa ratione redundantis ſucci. Sit autem eius quãtitas virium robori potius, quàm quantitati humoris redundantis accommodata, deinceps ad alia adſtringentia confugiendum, tam intus, quàm foris adhibita. Intus ſumenda cap. de ſpuitione cruenta requiras. Cõducunt item ſi ſcrup. ij. lapidis hæmatitis tribuas cum vnc. iij. aut iiij. poſcæ. Aut R. lapidis hæmatites ſcrup. j. radicis ſymphiti, & althææ, ana vnc. s. boli armeniæ ſcrup. s. chię maſtiches gra. iiij. fiat puluis, qui cum vnc. ij. vini adſtringentis aut vnc. iij. decoctionis aquæ ſanguinarię prębeatur, nec minùs confert ſi drach. j. tryphęrę ſaracenicę, aut tryphęrę Fœnonis dictę, aut theriacę corporibus, maxime frigidioribus ac pituitoſis, & melancholicis exhibeas cum vnc. ij. aut iij. vini adſtringẽtis, aut ſi drac. j. trochiſcorum de ſpodio, aut de terra lemnia, aut de ſuccino, calidioribus pręſertim corporibus cum vnc. ij. aut iij. aquæ plantaginis, aut acetoſellę propinabis, extrinſecus quoque ea adhibenda ſunt, quę ſanguinem reprimere valent, vt inſeſſus in aqua ex verbenis, Celſo auctore: aut in aqua pluuiali fiat decoctum roſarum aridarum, foliorum plãtaginis, & myrtillorum, & in eo deſideat ęger, interim malicorium, gallæ, cytini, balauſtium, & magna imminente neceſsitate, hyoſcyamus, alumen, papauer album, & nigrum quoque, ſi opus fuerit, pędicto decocto adiiciatur. In corporibus verò frigidioribus in vino adſtringenti prędicta decoquantur, aut ſaltẽ, permixto eo cum dicta aqua pluuiali, folia inſuper, ac flores verbaſci admiſceantur. Quòd ſi quis in eo deſidere non poterit, ſpongię in dicto decocto madefactę, affectę parti adhibeantur, ex iam dictis etiam ſacculi parari poterunt, qui in vino adſtringenti priùs irrigati admoueantur: vel infraſcriptus puluis inſpergatur, ac ligetur, qui recipit aloës drac. ij. corticum thuris drac. j. balauſtiorum, ſanguinis draconis, terrę lemnię ana ſcrup. j. gallarum, malicorii & ſeminis roſarum ana drac. j. fiat puluis tenuiſsimus. Hoc inſuper medicameto vti poteris, R. ſucci plantaginis, ſanguinarię, & ſolani ana drac. ij. aloës, corticum thuris, terrę lemnię ana drac. ij. s. olei myrtini, maſtichini, & roſacei ana drac. j. albuminis ouorum drac. vij. cęrę, & aceti, ſeu vini adſtringentis parum, fiat vnguentum. Aëtius pręcitato loco, tãquam mirum in modum ſanguinem ſiſtentia cõmendant aloen,

Victus ratio.

Venæ ſectio.

Quæ per os exhibenda.

Purgatio.

Quæ extrinſecus adhibẽda.

ſquamam ferri, aut plumbum vſtum cum poſca impoſitum. Inter cætera verò medicamenta, illud præſtātiſsimum, ac vnicum exiſtit, quod à Galeno deſcribitur 5. methodi meden. cap. 4. ex aloë, & thure, ouique candido compoſitum, adeò vt ad mellis craſsitudinem deueniat: dein leporis molliſsimis pilis excipitur, & vaſis ipſis vnde ſanguis profluit liberaliter, imponitur, quinimo, & toti vlceri, vbi ipſum circa vaſa fuerit: alligatúrque forinſecus faſcia ex tenui linteo. Modum autem adminiſtrandi, ac ipſum diuerſimodè componendi, ex eodem loco ſtudioſi petant. Illud tamen non prætermittant, quod in duris corporibus plus aloës immiſcendum erit, in mollibus verò plus thuris, vt ipſe inquit. Oribaſius cap. 18. libro 19. hæmorrhoidas nimium apertas ſiſtere inquit aloën illitam, aut diſſolutam, & impoſitam, ſiſtit etiam perfuſio ex poſca, in qua ferri ſquama, plumbúmque vſtum ſit, vt ipſe refert.

περὶ ῥαγάδων. Id eſt, De rhagadiis. Cap. LXXVII.

INter alia quoque multa, tædiique plena mala, quę ſedes recipit: quod primùm ſæpe & pluribus locis in ea fit, cutis exciditur. Quod malum Græci *ῥαγάδια καὶ ῥαγάδας* vocant, Latini fiſſuras, ſeu rimas. Quæ quidem fiſſuræ, ſeu rimæ, non perpetuò ſunt cum calloſis labris, vt quidam recentiores ſentiunt, ſed tantummodo, cum diuturniores fiunt, tunc etenim indurantur, & calloſa earum labia redduntur, vt inquit Aëtius cap. 3. lib. 14. Paulus quoque cap. 75. libro 3. Rimas, tum recentes, tum diuturnas, & quæ callum contraxerint meminit: quanquam de his quæ in vulua, non autem in ano fiunt loquatur. Quare cutis ſedis ſciſſurę ſunt rimæ, interim quoque cùm calloſis labris morbus in ſolutione continui exiſtentes: fiunt verò quandoque in extrema ipſius inteſtini recti parte quam anum nuncupant: interim autem in muſculo eundem anum adſtringente, ac claudente, quem *σφιγκτῆρα* Græci nuncupant eodem Aëtio auctore. Hoc malum adeò oculis conſpicuum eſt, vt aliis haudquaquam indigeat notis pro eius cognitione tam ſi recens fuerit, & citra labiorum duritiem, ſeu callum, quàm ſi diuturnum, adeò vt labra intumuerint & obcalluerint, ſeu callum contraxerint. Nec minùs promptè pars, quæ afficitur oculis obuiam fit, ſiue anus, ſiue muſculus ipſum adſtringens, ſeu claudens fuerit. Habent autem rimæ non vnam duntaxat generationis cauſam: nam aliquando ex influentium humorum mordacitate, ac acrimonia conſiſtunt: interim ob inflãmationem, aut condylomatum diſtentionem, circumſitæ partes fiſſuram ſuſtinent. Si ex confluentibus mordacibus ſuccis fiant, indicia eorundem aderunt citra condylomatum præſentiam: quinimo cùm non aderunt condylomata, citra alia indicia, humores acres eſſe cauſam iudicabis. Quòd ſi circa ſedem aliquod aderit cõdyloma, adeò intumeſcens, ac circumſitas partes diſtendens, vt cutis findatur, ipſum rimæ cauſam eſſe non dubitabis. Eſt autem condyloma, vt inquit Celſus cap. 14. libro 6. tuberculum, quod ex quadam inflammatione naſci ſolet; quanquã Paulus cap. 18. libro ſexto, non quodlibet tuberculum inſequens harum partium inflammationem, ſed ipſum obcalleſcens condyloma appellauerit, vt qui manu ipſum curare intendebat: & propterea recens tuberculum, non condyloma, ſed abſolutè tuberculum nuncupabat: cùm verò contraxerit callum, tunc condyloma appellari aſſerebat, tam ſi inflammatio; quàm ſi rimæ ipſum præceſſerint. Qua etiam ratione rimas ipſum præcedere fatetur, cùm per rimas, eas ſedis fiſſuras intelligat, quæ calloſa habent labra, & manus curationem deſiderant. Celſus verò tuberculum quodlibet ex inflammatione ortum, ſiue recens fuerit, & nondum callum contraxerit, ſiue diuturnum & obcalleſcens condylomatis nomine nuncupauit, nec minùs & Aëtius cap. 3. libro 14. per condylomata, quodlibet circa ſedem ortum tuberculum, tàm molle, quàm durũ, & calloſum, tàm recens, quàm diuturnum ſignificari voluit, vt liquet ex eius verbis.

Quid ſint rimæ. *Quis affectus.* *Pars affecta.* *Cauſæ rimarum.* *Cauſarum ſigna.* *Condyloma quid ſit.*

Præter

Condylomata unde dicta. *Quibus differant à thymis.* *Thymi unde dicti.* *Ficus quid.*

Præterea ipſum fieri, cùm ruga aliqua corporum in ano reduplicatorum inſurgit, ac præter naturam intumeſcit, ſcriptũ reliquit: nam cùm ſinuoſus ſit anus, coagmentatas habet rugas: vbi verò earum aliqua præter naturam intumuerit, tunc ſanè fit condyloma, aliquando extra inflammationem exiſtens, & molle: interim verò cum inflammatione durum, ac doloroſum: à ſimilitudine fortè extremorum in pugno clauſo in quatuor digitis nodorum appellat condylomata. Quo fit vt à thymis, qui in eadem parte oriri conſueuerunt, condylomata differant: nam thymi tuberculoſæ quædam eminentiæ ſunt doloris expertes, præter naturam auctæ, aſperæ, oblongæ, ſubrubræ, interim albicantis coloris, præſertim vbi manſueti fuerint, à cacuminibus eiuſdem nominis herbæ in montibus naſcentis ſic appellati: quæ eminentiæ vbi paruæ fuerint, thymi, vbi verò magnitudine excedunt, ficus appellantur, eodem Aëtio auctore cap. 4. eiuſdem libri. Quòd autem rimæ multi tædij plena ſint mala, ex Celſo patet, eodem cap. 18. libri ſexti, propterea vbi recentes fuerint, confeſtim eas curare tentandum eſt, vtpote quæ medicamentis cedant, nam cùm protelatur earum cura, indurãtur, & earum labra calloſa fiunt: quo tempore non amplius medicamenta, ſed chirurgiam adhibere oportet, vt inquit Aëtius præcitato loco. Cæterùm, quòd ſedis vitia omnia ob multas cauſas difficilem curationem accipiunt, ſcriptum reliquit Galenus nono de compoſitione medicamentorum ſecundum loc. cap. 6. quoniam & multo ſenſu particula hæc prædicta eſt, & propterea per acriora & auſteriora pharmaca facilè irritatur. præterea & ipſe excrementorum alimenti trãſitus per ſe mordax eſt & magis vbi erupterit bilis ipſa, & ſeroſi quidam humores. Item quoniam neque ſtatum tempus habent medici ad imponenda medicamenta, cùm plerunque minimè conuenienti tempore ægri ad excernendum concitentur, quia etiam humiditas, & caliditas eiuſdem loci ſiccantibus, ſimúlque frigefacientibus opus habent, non parum confert ad hoc, vt ægrè curabilis ani affectio exiſtat, ſiquidem mordent adſtringentia, locus verò ſubtili ſenſu præditus acrimoniam ferre non poteſt: quod etiam confirmauit ſub eiſdem verbis Aëtius cap. 1. lib. 14.

Prognoſtica.

Curatio.

Pro earum itaque curatione vniuerſa victus ratio ad humidum inclinans inſtitui debet, & propterea, nec acribus cibis vtendum, neque aſperis, nec aluum comprimentibus, nec aridum quidem quicquam ſatis vtile eſt, niſi admodum paulum vt Celſus teſtatur. Quapropter liquida, læuia, pinguia, glutinoſa meliora ſunt; vt ipſe inquit. Vino etiam leni vti nihil prohibet, talis autem victus non propterea ita inſtituitur, quia talem exigat affectus: nam contrarium potius deſideraret: ſed quoniam acria, aſpera, mordacia, adſtringentia, & ſicca, aut mordaces ſuccos generant, ex quibus rimæ, & earum dolor magis irritarentur ex eorum cùm alui excrementis tranſitu, aut eadem ſaltim alui excrementa ob ea aridiora reddita ſuo tranſitu curationem ſeu conglutinationem impedirent: idcirco tali victu vtendum eſſe omnes præcipiunt. Huius generis cibi ſunt gallinarum, pullorum, phaſianorum, vitulinæ, hœdinæ, & veruecinæ carnes elixæ, & præcipuè earum iura pinguia: maluæ item ſpinachia, borago, endiuia, cichorium, & ptiſana, ſi in eiſdem iuſculis decoquantur, conferunt, ſimiliter ſi oua recentia ſorbilia tribuantur, & reliqui cibi cũ butyro, & adipe anſeris, aut gallinæ, aut lacte amygdalarum dulcium parati, & huius generis reliqui: nec minùs quies præcipienda erit, eodem Celſo auctore, ſomnus concilietur, animi perturbationes vitent, præcipuè immodicas, aluus mollis ſeruetur, quæ ſi non natura, arte ſaltim mollienda clyſteribus lenibus, & pinguibus: interim per ea quæ ore ſumuntur lenientia, vt pruna, vel caſsia fiſtula in parua quantitate, paulò ante cibum ſumpta.

Victus ratio.

Medicamentorum ratio. *Purgatio.*

Quòd verò ad reliquam medicamentorum rationem attinet, ſi rimæ ob confluentes acres, ac mordaces ſuccos fuerint ortæ, eiſdẽ proſpiciendum eſt, deinde ad topica confugiendum medicamenta. Quare eiſdem præparatis, contemperatis, ac concoctis purgans medicamentum adhibeas, quod ſuapte natura tale ſit, vt tales humores ducat citra acrimoniam, ac mordacitatem,

quin id & quoniam cibis,ac etiam medicamentis ſemper vitare oportet, huius generis ſunt mel aëreum,manna appellant, caſsia fiſtula, ſaccharum viol. ſyr. è pluribus infuſionibus roſarum rubearum,vel viol.& interim ſyr.domini Auguſtini,aut diacat.cum dictorum aliquo permixtum. Si verò propter condylomata acciderint rimæ,non minùs inter initia eiſdem purgantibus medicamentis vtendum erit,& vbi eadem inflammata fuerint, vena priùs ſecanda erit in cubito reuulſionis cauſa, & deinceps purgans medicamentum adhibendum, necnon ſi opus fuerit vena in talo etiam incidatur, pro deriuatione ſimulátque euacuatione ſanguinis in inflammatione contenti. Cæterùm rimæ abſque inflammatione,quemadmodum & reliqua ſedis vitia, ea medicamenta deſiderant,quę citra morſum,ac aſpritudinem adſtringunt,vt liquet ex Galeni eodem nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 6. cuius generis eſt infraſcriptum vnguentũ,quod recipit ceruſſæ, argenti ſpumæ ana drac.j. pomphol.lotæ drac.j.ſem.roſ.drac.ij.ſucci plantaginis drac.j.vnc.ij. oui aſſati vitellum vnum,adipis anſeris drac.ij.excipiantur omnia cum roſaceo,& vtare,vel raſuram linteolorum vrito,eiúsq; cinerem cum pari amylo tritum ſucco foliorum oleæ admixto,illinito,vt ſcriptum reliquit Galenus Aſclepiadis auctoritate,eodem libro nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos: in vicem verò ſucci foliorum oleæ,plantaginis ſucco vti poteris. idem quoq; Galenus lib.primo eiuſdem Apollonij aucto. tanquam optimum medicamentum approbauit infraſcriptum ad ani rugas intumeſcentes,rimáſq;, ac fiſſuras ſedis, ad vlceráq; dolentia,& omnia alia, quæ ex fortiorum pharmacorum vſu exacerbata ſunt: etenim egregiè ea lenit etiamſi ſerpendo exedentia, aut etiã canceroſa,aut quomodocunque maligna exiſtunt: quo etiam medicamento cùm ſæpiùs vſus fuerim perpetuò ingentem ex eo vtilitatem prouenire obſeruaui. Componitur autem ex olei roſacei,aut myrtei, vt ipſe inquit, hæmina, hoc eſt vnc.ix.in pilam plumbeam infuſa,& plumbeo piſtillo tãdiu agitata, donec craſſum,& ſubnigrum oleum reddatur,deinde ſeorſum ſpumæ argenti librã vnam, & ceruſſæ tantundem terito,oleóque admiſceto, & vtere, prius tamen affecto loco eloto,& ſiccato,id quod fieri poſſet ex roſarum,gallarum, foliorum plantaginis,& radicis ſymphyti decocto in tribus partibus aquæ pluuialis,& vna vini dulcis albi,& odoriferi,& vbi ingens, & ardens fuerit ſedis dolor oui aſſati vitellum,vino albo terito,& cerato roſaceo exceptum illinito ex eiuſdem Galeni auctoritate eodem nono de compoſitione medicament. ſecundum locos. cap.7.Aëtius verò cap.3.eiuſdem lib.14.magnopere commendauit hoc medicamentum videlicet,Reſinam pinus ſiccam cum roſaceo terito,donec ſtrigmẽtoſa fiat,& oui aſſati vitellum admiſceto, ac illinito, ex cuius auctoritate hoc etiam vti poteris, Recipe pompholygis lotæ,& plumbi vſti loti an. drac. ij. ceruſſæ,& ſpumæ argenti an.drac.j.amyli,gummi tragacanthi an.drac.j. thuris & radicis ſymphyti an.drac.ij.omnia probe terito,& ad ceratum roſaceũ admiſceto,ac affectum locum illinito,huic etiam medicamẽto quandoq; adiici poterit ſucci plantaginis, vel centaurij minoris drac. j. ſeu halicacabi corticis radicis drac.ij.interim aluminis ſciſsi,& gallarum an.drac.j. Interim ex eo aliquod minuere licebit,prout magis,vel minùs ſiccæ aut humidę,doloroſæ,vel citra dolorem magis,minúsve profundæ fuerint iam dictæ ſedis rimæ.Cuncta nanq; prędicta medicamẽta ſeparatim,& cõiunctim ab eodẽ Aëtio cõmendãtur,quæ itẽ nõ minùs cõdylomatis vbi recentia fuerint,conferunt; nam vt ipſe dicebat in ſumma,perfuſiones in cõdylomatis adſtringentes eſſe oportet,& medicamenta ipſorum adſtrictione quadã participare debẽt: cùm verò nedum condylomata ipſa,ſed & rimæ diuturniores fiunt,indurãtur,ac calloſæ fiunt,& proinde prędictis medicamẽtis haudquaquam cedunt,chirurgiam deſiderant,tam earundem rimarũ labra calloſa reddita,quàm iam dicta condylomata (niſi medicamento ex charta vſta Gal.roſaceo potiſsimùm diluto priùs diſiiciantur) quẽ curationis modũ hìc ſcribere non intendimus,ſtudioſi verò petant ex Aëtij præcitato loco,

Vena ſectio.

Topica.

cap. 7.

cap. 8.

loco,& Paul.cap.80.lib.6.quemadmodum & thymorũ, tam ſi manſueti quàm ſi maligni fuerint,ac ficuum, & verrucarum, ſeu acrochordonum curationem cap.4.citati lib.14.apud Aët.reperient,non admodum à prædicta diſsidentem.

Περὶ τοῦ προπίπτοντος, ἢ τῆς προπτώσεως ἀρχοῦ.
Id eſt. De procidente ano,vel de procidentia ani. *Cap. LXXVIII.*

PRAETER iam dictum muſculum anum adſtringentem, ac claudentem,quem Græci *σφιγκτῆρα* nuncupant, qui etiam eiuſdem ſedi tranſuerſus circũiectus eſt,reliqui duo muſculi à natura fabricati ſunt obliqui,quorũ munus exiſtit ſedẽ ipſam ſurſum attollere,vtrinq; vnus,inſerti eidẽ ſedi, ne in crebris,ac violentis alui deiectionibus,aliíſq; conatibus promptè ſedes ipſa extra prolaberetur: quibus aliquãdo affectis cõtingit quandoq;,vt & ſedes foras procidat: quẽ affectũ ani procidẽtiã Latini appellant,Celſo auctore cap.18.lib.6. Græci verò *πρόπτωσιν ἀρχοῦ, ἢ προπίπτοντα ἀρχόν*, morbus ſiquidẽ in cõpoſitione exiſtens, & propriè in ſitu,relicta enim ſua propria ſede anus foras prolabitur,adeò patens oculis,vt aliis non indigeat indiciis pro ſui cognitione,nec minùs & pars quæ affecta eſt,quoniam anus ipſe,licet quandoque per ſe, interim per conſenſum afficiatur,affectis primò muſculis ipſum ſurſum attollentibus: at afficitur per ſe & primò anus cum inflammatione tentatur, & adeò magna, vt ſua grauitate cogat muſculos ipſum attollentes cùm contrahuntur,violenter diſtendi:quo fit,vt ipſi quoque muſculi ſaltem per conſenſum affecti ſint, ſi ob hanc cauſam anus extra prolabatur, cùm præter voluntatem ipſi diſtendantur, ob inflammationis tumorem,ac grauitatem coacti.Interim nullo proprio affectu laborans anus procidit ob reſolutionem eorundem muſculorum,aut ob quampiam aliam cauſam illos imbecillos reddentem,ita vt ſurſum retrahere ipſum iam foras prolapſum nequeant: quo caſu dicimus non propter aliud anum affectum eſſe, niſi quòd à propria exciderit ſede ob muſculorum aliquod vitium. Cæterùm,ſi ob inflammationem anus procidat,haud ægrè dignoſci poterit, per indicia eiuſdẽ inflammationis,dolorem inquam,tumorem,tenſionem,ac ruborẽ. Verùm vbi citra inflammationem à proprio loco exciderit anus ob reſolutionem, ſeu ſtuporem, aut imbecillitatem muſculorum prouenire putandum eſt, quæ licet ex nonnullis cauſis externis & internis prouenire poſſunt, quarũ facilis eſt dignotio,magna ex parte ex eorundẽ muſculorũ frigida & humida intemperie cum humorum præſentia,vel abſque ea reſolutionem,aut imbecillitatem patiuntur. Cæterùm medici omnes conueniunt,faciliùs curari poſſe hunc affectum, ſi ſine inflammatione,quàm ſi cum inflammatione fiat: item quòd & iam ſi ſine inflãmatione generetur,vt quamprimùm introducatur anus, ac curetur affectio conandum ſit,ne temporis diuturnitate, ſtructura mali inueterata iam ad vſtionẽ peruenire oporteat: quanquam hanc partem inurere haud magnopere periculoſum exiſtat,cùm extremitas hæc inteſtini recti pars principalis non ſit; quinimò dum oritur,& ſecatur,nullum periculũ inducit vt inquit Aët. cap.8. lib.14. Cùm primùm itaq; anus procidit,conſiderari debet,purum ne id ſit,quod prouolutum,an humore mucoſo circundatũ ex Celſi auctoritatẽ præcitato loco: præterea cùm dixerimus,& cum inflammatione, & citra eam contingere, id quoque exactè dignoſcendum erit: nam ſi anus nulla tentatur inflammatione, nec humore mucoſo fuerit circundatus, illico intro reponendus erit,ac in priſtinum locum reſtituendus,id quod digitis leniter,ac ſenſim ipſum retrudendo, fieri poteſt,priùs tamen in aqua deſidere homo debet,aut ſalſa, aut cum verbenis,vel malicorio incocta, decreto eiuſdem Celſi; aut abluatur anus ex decocto foliorum myrti, malicorij rhu obſoniorum,roſarum, gallarum, balauſtiorum,acaciæ,& hypociſtidis in aqua,vel vino adſtringenti, vbi potiſsimũ humidior fuerit anus, deinde aridus inſpergatur puluis, ne repoſitus iterum excidat,

Quid ſit Ani procidentia.

Quis affectus præter naturam.

Pars affecta.

Cauſæ.

Cauſarum ſigna.

Prognoſtica.

Curandi ratio.

Curatio procidentiæ ſine inflãmatione. Topica remedia.

Recipe

Recipe foliorum roſarum, & mirtillorum vtriuſque drac. iij. ſem. roſ. & cornu cerui vſti ſingulorũ drac. j. rhu obſoniorum drac. j. thuris drac. j. s. fiat puluis. Vbi verò multo mucoſo humore anus circundatus fuerit, tunc potiſsimùm in aqua ſalſa æger deſidere debet, aut vino auſtero abluẽdus, ac detergẽdus anus erit, in quo etiã ſi opus fuerit, gallæ, myrrha, cupreſsi pilulæ, ac pinus cortex incoquẽda ſunt, deinde infraſcriptum aridum medicamentum inſpergere licebit, ex myrrhæ, thuris an. drac. ij. pilularũ cupreſsi, aluminis, gallarũ an. drac. j. s. ceruſſæ, ſeminis roſarũ, rhu obſoniorũ an. drac. j. fiat puluis. poteris & medicamento Galeni auctoritate Aſclepiadis vti. Recipe gallæ omphacinæ, malicorij ſicci, rhois coriarij ſingulorũ drac. ij. plumbi vſti drac. iiij. ſpumæ argenti drac. viij. trita inſpergito, vel hoc alio eiuſdẽ. Recipe corticis pinus, ſpumæ argenti, mãnæ ſingulorũ drac. ij. pilularũ cupreſsi aridarũ drac. ij. plumbaginis drac. ij. trita inſperge, vbi prælaueris vino acerbo: itidẽ & hoc etiam vtare ex eiuſdẽ auctoritate. Recipe balauſtiorũ drac. j. malicorij drac. ij. ſeminis hyoſcyami drac. ij. ceruſſę drac. viij. myrrhæ drac. ij. plũbi loti drac. ij. tritis vtitor, nec minùs & reliquis ibidẽ nono de cõpoſitione medicamentorũ ſecundũ locos, deſcriptis medicamentis vti *cap. 6.* poteris. Iuuat item, vt inquit Paulus cap. 60. libri tertij, vrina ipſius ægri calens adhuc ſuperfuſa. Aëtius, tanquam proprium ipſius medicamẽtum commendat præcitato loco, infraſcriptum, quòd recipit fructus ericæ, gallarum, acaciæ, cæruſſæ, ſucci hypociſtidis, corticis pini, myrrhæ, thuris æquales partes, ſiccas inſperge inquit, vbi vino auſtero ſedem priùs laueris, licet à Galeno eodem nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, priùs Aſclepiadis au- *Citato loco.* ctoritate fuerit deſcriptum, & à Paulo ſimiliter loco citato. Subinde verò cùm taliter repoſitus fuerit anus, ne denuò excidat, probè deligandus erit, cruribus, *De pueris notæ.* etiam inter ſe deuinctis, vt inquit Celſus. Id tamen animaduertere oportet, quòd in pueris ſi contingat hic affectus, adſtringentium vſum remittere oportet, & mitiora adhibere ex Aëtij decreto. Ad hæc quòd vbi res vrgeat, ita vt iam dictis medicamentis non cedat affectio, etiam lumbis adſtringentia cataplaſmata imponenda ſunt ex palmulis, malis cotoneis, & ſimilibus eiuſdem Aëtij auctoritate, & ſedi etiam ſimilia: At ſi propter inflammationem prolapſus anus intro reponi non valeat, eadem priùs curanda erit, venæ ſectione priùs *Curatio procidentiũ inflãmatione. Venæ ſectio. Topica.* adhibita in cubito, & ſi opus fuerit etiam in talo, præſertim vbi in generatione fuerit, ac plenitudo adſit. Sedi quoque potiſsimùm apponenda inter initia, quæ leniter adſtringunt, vt oleum roſaceum tepidum, deinde paulatim chamæmelinum, aut anethinum adiiciatur, aliáque apponantur medicamenta leuiter digerentia, ac etiam ſedantia dolorem, in quem vſum confert, deſidere ægrum in aqua calida, in qua maluæ, & althææ folia fuerint decocta, aut flores chamæmeli, fœnumgræcum, ſertula campana, ſemen lini, & anethum. At ſi nolit in eandem aquam deſcendere, ſpongiæ madefactæ in prædicto decocto ſępiùs adhibeantur, & deinceps oleo chamæmelino, aut anethino, & roſaceo inungatur anus, atque aliquo prædictorum aridorum medicamentorum inſpergatur. Eligantur autem, quæ minùs calida, & minùs adſtringentia, ac mitiora fuerint, ligetúrque vt ſuprà, poſtquàm intus repoſitus fuerit, ne iterum procidat. Victus *Ratio victus.* ratio vbi adſit inflammatio, qualis in reliquis inflammationibus fuerit inſtituta, præcipiatur, ſi citra inflammationem contingat affectus hic, victus ſit boni ſucci, & vinum detur aquoſius, vt refert Aëtius præcitato loco.

Περὶ κωλικῆς διαθέσεως. *Id eſt, De colico affectu, ſeu coli dolore.*

Caput LXXIX.

Lib. 3. cap. 43 EST aliud vitij genus, quod in laxiori inteſtino (à Gręcis colo nuncupato) gigni conſueuit, à Paulo κωλικὴ διάθεσις nominatum, à Latinis verò colicus affectus, ſeu coli, vel colicus dolor, quanquã Celſus morbum inteſtini plenioris eum appellet cap. 14. libri quarti.

Vulgus autem medicorum colicam. Vtcunque tamen affectus hic ab ea, quæ afficitur parte denominationem aſſumpſit, inteſtino videlicet colo dicto, quod quidem in hac affectione oblæſum eſt, cuius affectio dolor exiſtit. Verùm quoniam ipſius partis affectæ, ac affectus ſigna adeò inter ſe confuſa ſunt, ac permixta, vt ne vnum ferè ſit, quod vnum tantùm ſignificare poſsit altero excepto, ſunt verò & eadem numeroſa quidem, licet nec ex eiſdem exacta haberi poſsit notitia, ſed artificioſa potius quædam coniectura, vt patet ex Galeni 12. meth. meden. cap. 7. propterea eadem enarrabimus ſigna, ſic confuſè, vt ex eiſdem, tum partis affectæ, tum ipſius affectus notitia coniectura quadam, artificioſa tamen (vt diximus) haberi poſsit. Et quoniam diximus eiuſdem laxioris inteſtini affectus dolorem eſſe, qui in quonam præter naturam affectuum genere reponatur, dictum à nobis eſt cap. de dolore capitis. Propterea percipi poteſt primò affectus hic ex vehementiſsimo dolore in intimo ventre terebro perforanti ſimili, aut per quem palus videatur in dolente loco infixus, vt ſecundo de locis affectis, cap. 5. patet, aliaq; apparebunt ſymptomata, quę ad affectum iam dictum inteſtinum pertinerit. Nam protinus inflatio quædam, & extenſio, & flatus complures, & tormina, ac excrementa, ſi ab aluo deiiciuntur flatibus plena videbuntur. Ea autem diſcernere licebit, ſi ſuper aquam natent, ac bubulo ſtercori ſimilentur. Quinetiam, vt inquit Galenus eodem ſecundo de locis affectis, cibi tum cupiditas, tum concoctio deterior euadit, & præſens, & præcedens, & quæ ſequitur. Accidit etenim in hac affectione, & ventriculum malè affici, vt qui parti primariò affectæ continenter adhæreat. Inſuper & eoſdem colicos nominatos affectus magna ex parte præcedit, & cruditas, & ſpiritus flatuoſus, & vomitus, & nauſea, quæ multo tempore inanis permanet, necnon in præcordiis mordacitas, faſtidium, & indigentia plurima, vt ibidem ex eodem Galeno patet, & quoniam ab ea parte, qua dolor ſentitur, nullum indicium ſumi poteſt, qui magis colon, quàm tenue inteſtinum dolor afficiat, licet minor ſit, qui in tenuioribus conſiſtit, propterea quo modo interſtinguendi ſunt, ſequenti cap. docebimus. Nunc autem eo quòd hæc eadem doloris ſpecies euenire poteſt cum lapis in renibus, aut vreteris fuerit impactus, quod quidem diſcerni non poteſt, niſi quis accidentia, quæ poſtea conſequuntur, expectauerit eodem Galeno auctore ſecũdo, & ſexto de locis affectis, quo fit vt nedum vulgares, verumetiam & peritiſsimi medici decipi ſoleant, adeò difficilis eſt ab initio horum affectuum diſtinctio, quemadmodum & ipſe Galenus deceptus fuit, qui credens ſe à calculo in altero vreterum impacto dolore affici, iniecto ei rutaceo oleo, ſimúlque cum eo grauiſsimo cum dolore excreto humore vitreo (à Praxagora appellato) ſtatimque dolore ſedato, cognouit, neque lapidem fuiſſe cauſam, neque in vreteris, aut renibus locum fuiſſe affectum, ſed in inteſtinis potius, præcipuè verò craſsioribus. Ea de re quibus indiciis, & quomodo hi affectus interſtingui poterunt, hic conſcribam. Quamuis ob huiuſmodi ignorantiam circa doloris potiſsimùm initium, quantum ad doloris mitigationem attinet, nullam laboranti noxam inducamus, ſi iiſdem medicamentis vtamur. Siquidem vtriuſque doloris præſidia omnia communia ſunt, & quidem calorifica imprimis, ſiue ea extrinſecus adhibeantur, ſiue iniiciantur. Tempore verò ſubſequente oportet diuerſa auxilia adhibere, vt eidem Galeno præcitatis locis viſum eſt. Sympromata itaque, quorum magna eſt in iis affectibus copia, diligenter intueri oportet. Nam in coli dolore ſæpenumerò dolor veluti circuire videtur, atque plurima loca occupare, qui modò in hac, modò in illa parte vehementior fit. Nephritici verò dolores eodem in loco ſtabiles iugiter infeſtant. Quòd ſi dolor in loco fuerit renibus altiore, manifeſtum colicæ indicium portendit. Quanquam ſi vno loco, vbi ſcilicet renes ponuntur, ſtabilis conſtiterit, nihil ad notitiam poteſt poſitus ipſe conferre, & proinde aliæ notæ conſiderandæ ſunt, nam & nauſea, & vomitus multò grauiores, & magis aſſidui aderunt dolente colo, euomúntque ita laborantes & biliosa, & pituitoſa

Quæ pars afficiatur in coli dolore.

Signa tũ affectus, tum partis affectæ.

Loco citato.

2. de loc. affe. cap. 5. 6. de loc. aff. cap. 1.

Quibus ſignis coli dolor, à renum dolore ex calculo, diſtinguatur.

quædam,atque corrupta , quibus præaſſumpti quoque cibi aliquid admixtum videtur,ac retinent etiam magis excrementa,vt nec flatum quidem , neque ructum excernere poſsint quæ omnia,vt Galenus inquit eodem ſexto de locis affectis,cap.1.colicis duntaxat euenire ſolent,ſed alia quidem magis,alia verò minùs.Inſuper & colicorum cruciatus multò magis, quàm nephriticorum lenientibus mitigantur clyſteribus,& ſi quid ab aluo deiiciatur (vt diximus) id flatuoſum quodammodo eſt,& ſæpenumerò aquæ ſupernatare conſueuit ſimilem habens bubulo ſtercori conſiſtentiam , quemadmodum ſi lapis dolorem excitauerit,ipſe interdum ſolus,interdum vnà cum cruore excernitur , maximè ſi vel aſper,vel acutus fuerit. Ac ſi poſtea vrinas inſpexeris , ſabuloſa quædam ſubſidere inuenies,licet nephritici ab initio dilutas , puráſque reddant vrinas , quo fit,vt nephritici cum vrina lapide exeunte à dolore liberentur. Verùm ſi in colo affectus conſtiterit , neque lapis,neq; cruor,neque arena , ſed humor aliquis pituitoſus,ac craſſus ſubſidere videbitur, vt eidem Galeno viſum eſt præcitato libro ſecundo de locis affect.cap.5.& licet coli dolores vehementes dextra magis parte eueniant,omnino negandum non erit in ſiniſtra quoq; parte eos gigni poſſe,cùm colon ipſum à dextris partibus,quas Græci λαγόνας nuncupant , ad ſiniſtras cincturæ modo deferatur,Paulo auctore,cap.43.libri tertij , & adeò ab infernis ſiniſtris partibus ad ſuperiores dextræ reuertitur , donec ſæpenumerò , & lienem,& iecur attingat , atque etiam ventriculo continenter adhæreat,

Locis citatis.

Galeno teſte,cùm ſecundo,tum ſexto de locis affectis. Quanquam & id ſæpiùs propriis oculis inſpexerimus in anatomicis noſtris adminiſtrationibus.

Coli doloris cauſa.

Dolor hic colicus plures ob cauſas oboritur,vehemētiſsimus quidem , licet interdum mitior fieri poſsit, quemadmodum is,qui in tenuibus conſiſtit inteſtinis , cùm videlicet à leuiori cauſa fit,veluti eodem ſecundo de locis affectis , liquet , præcipuas tamen quatuor habet internas cauſas, quemadmodum 12. meth.medēdi,à Galeno ſcriptum eſt,& à Paulo cap.43.libri tertij.

2.de loc. affe. citato loco. 12.meth. c. 7. & 8.

Hæ nanque ſunt quæ potiſsimùm vehementer calfacientes,vel refrigerantes , vel ſubſtantiam diuidentes coli dolorem excitant,citra quæ dolor,neque in vna parte generari poteſt, vt liquet eodem 12.meth.meden.cap. 7. ſunt autem hæ quatuor cauſæ,craſſus, pituitoſúsq; humor,cùm intra coli membranulas ſubſidet,ſpiritus craſſus,ac flatulentus præter naturam in colo retentus , qui nec illinc tranſmitti poteſt , vel inflammatio,cùm iam dictum inteſtinum malè habeat : aut acris mordáxque ſuccus ipſum infeſtans , ac vehementer affligens.

Si à pituita fiat coli dolor,ſigna.

Percipitur autem , ſi humor craſſus , ac pituitoſus coli dolorem excitat , quoniam ij per totum abdomen in alto excruciantur , ac inteſtinum ipſum pertundi , ſeu perforari quaſi ſentiunt, tormina quoque affligunt , ructus , nauſea , vomitio cuiuſlibet humoris,ſed pituitæ potiſsimùm.Aluus grauiter impedita nihil reddit , ac ne ſpiritum quidem tranſmittit. Stercus etiam quandoque excretum bouino ſimile videtur ,leue, & flatus plenum,ex Pauli teſtimonio præcitato loco , præceſsitque continuus ciborum quàm maximè frigidorum , craſsíque ſucci vſus , ſatietas , cruditas, ocium, & id generis ſimilia (vt ipſe inquit) grauiúsq; dolorem hunc irritabunt frigidiores cibi,ac potus aſſumpti,veluti ex contrariis ſedari percipies , aut ſaltem mitiorem fieri cognoſces.

Si ex ſpiritu flatuoſo , ſigna.

At ſi ex flatuoſo ſpiritu coli dolor fiat, tenſionem magis experiuntur laborantes,atque rugitum ſentiunt , præceſsitq; flatus generantium ciborum , ac potuum vſus, velut ſunt olera , & fructus,aqua frigida, & reliqua huiuſmodi.

Si ex inflammatione fiat, indicia.

Si verò ab inflammatione coli dolor excitetur, interdum quendam feruorem ægri ſentient,aderítque febris non ignaua , vrinæq; retentio , ſimul & ſtercoris , pulſus iuxta ventrem moleſtabit , ſimiliter ſitis , ardor, nauſea,bilis potius vomitiones,quæ nihil leuant malum, vrgebunt.

Ex acribus, mordacibúſq; ſuccis , ſi fiat, ſigna.

At ſi acres, mordacéſque ſucci coli moueant dolorem, ſicut eos qui propter inflammationem eundem experiuntur , ſic etiam hos ardor , ſitis,& vigilia torquebunt, ſed minùs ac illos,imò & febriculæ aderunt , vrina reddetur acris , & biliosa deiicient,ac ſæpè & alui deiectio maiorem excitabit cruciatum , grauiúsq; irritant

calid

calidiores cibi,potúſque aſſumpti, ex eiuſdem Pauli ſenteotia, veluti è contrario magnopere iuuantur ex contrario tum cibo,tum potu.Id autem magnopere atteodendum eſt pro huius affectus dignotione.Nam agnitiones affectuum, quæ ex coniecturalibus ootis incipiunt,cum eorum quæ proſuot,obſuntque,cognitione ſunt cooiuoctæ,Galeno auctore eodem duodecimo methodi meden. Inter omnes verò colicas affectiones ea, quæ ex inflammatione ortum ducit, eſt grauiſsima, Paulo teſte,vt quæ in ileum tranſitionem minetur. Vehementiſsimi quoque coli dolores periculoſiores ſunt,quàm mitiores,vtpote qui à leuioribus cauſis fiant,Galeno auctore ſecundo de locis affectis, cap.5.& vbi non omnino excrementa detineantur,neque in vna ipſius coli parte fixus dolor ſentiatur, adhuc minùs periculoſus erit coli dolor. Similiter & minùs minatur periculum,cùm clyſteribus iniectis aliquod excrementum deiiciatur, aut flatuoſus quiſpiam ſpiritus, ex qua deiectione dolor leuetur, quàm ſi nec quicquam per eos excernatur, nec dolor leuetur.Alexander verò cap.primo libri decimi, ſic de colico affectu ſcriptum reliquit, Quòd grauis quidam morbus, & dolorificus ſit,ac vehementes cruciatus inducit,quia inteſtinum colum dictum denſum eſt,craſſum,& neruoſum,ac nihil,quod in illum confluit, facilè diſcuti poſſit,quemadmodum in tenuioribus inteſtinis.Huius affectionis curatio pro cauſarum diuerſitate variari debet.Nam ſi ex craſsis lentíſque ſuccis excitetur, in vniuerſum (Aëtio auctore cap.trigeſimo, libri ooni) cuncta, quæ colicis exhibentur,attenuatoriæ diætæ eſſe debent, & propterea (vt Paulus inquit) victus ratio vtilis erit calidior, ac ſiccior, talis ergo qualitatis aër eligatur. Et quanquam per initia morbi à cibo abſtioere melius ſit,nam niſi finito tormeoto,rectè,neque cibus,neque potio aſſumitur,vt Celſus præcitato loco teſtatur,deinceps tameo illi offerendi ſunt qui booi ſucci, ac concoctu faciles exiſtunt, ita vt ſatietas,cruditáſque vitentur,vt Paulus refert, cum quibus acria quoque aſſumi poſſunt,ac reliqua, quæ vim habent exteouandi, & incidendi. Sit itaque panis,neque aridus,neque calidus,vt inquit Aëtius, in clibano coctus, aut ſi is non adſit,in furno.Ex carnibus conueniuot imprimis volucrium, ſecundo loco piſcium quorundam, vt eorum qui in petris degunt, tertio ordine terreſtres caroes habeot. In quorum genere omnia inconſueta reprobanda ſunt,vt patet ex eodem Aëtio,conſueta verò eligeoda. Quare ex volucrium genere gallinæ omnibus præſtantiores ſunt, deinde perdices, turtûres, columbæ iuueoes, ac phaſiani,fugieodáque ſunt omnia,quæ in aquis degunt, tanquam graueolentia, & quæ ſuperfluitatibus multis abundent,hœdinę quoque carnes,& vitulioæ ex quadrupedum genere exhiberi poſſunt,& paucæ quædam ex ſylueſtribus feris, varietatis gratia.Inter olera, fœniculo, apio, aſparago, ac oreoſelino vti conuenit. Verùm ea noo cruda,ſed cum prædictarum carnium iure decocta, in quo inſuper decoqui poterit exigua quantitas ſampſuchi, ſerpilli, ſatureiæ,thymi,pulegij, aut origani, præſertim ſi febris abſit,quo iure duntaxat à iam dicta cauſa colicos in primis ſaltem diebus nutrire conſueui. Leguminum vſus vitari debet, ptiſana excepta,quæ cum lapatho in ea colliquato commoda exiſtit, vt Aëtius refert, aut vice lapathi, ſatureia, ſerpillo,vel hyſſopo, vel prædictorum aliquo vtare.Prædictorum autem ciborum quantitas moderata exiſtat,ne venter in multis cibis conficiendis fatigetur. caroes prætereà, ac piſces elixati potius, quàm toſti præbeantur, ne ſiccitas excrementa apprehendat, iucunditatis etiam,& gratificandi ſtomacho gratia, vua alba dulcis, præ ariditate corrugata cum pane præbeatur, Aëtio auctore, ac ficus maturæ, cuticula auulſa, porra,item,allia,ac cæpæ exhiberi poterunt,maximè iis,qui talibus non offeoduntur,vt Paulus inquit.Inter hæc verò allium, ſi cum pane comedatur, ſummopere à Galeno duodecimo methodo medendi,cap.8.commendatur, pręſertim vbi dolor inteſtinorum citra febrem fuerit,cùm ipſum ex eorum ciborum genere ſit,qui & flatum diſcutiũt,& minimè ſitim generant, & propterea ipſum agreſtium theriacam appellabat.Vinum pro potu ſit ſubaſtringens, album, te-

Loco citato.
Prognoſtica.

Curatio, ſi ex craßis ac lētis ſuccis excitetur coli dolor.

nue,perlucidum, mediocri ætate,temperatura dilutiore, modicéque bibatur, vt ex Aëtio liquet. Quòd ſi ſitis à cibo accedat,aqua calida præbeatur, inſenſiſsima enim ipſis frigida exiſtit, vt ipſe inquit, ſimiles quoque de reliquis entibus non naturalibus (quorum conſulto, vt breuitati indulgeamus, non meminimus) ratio habenda erit,vt videlicet attenuent,calfaciant,ac exſiccent. Quod verò ad medicamentorum rationem attinet,illud primùm animaduertendum, quòd licet eis vtendum ſit,quę ſimul incidere, & concoquere craſſos humores valent,id quòd attenuantia medicamenta præſtant, ea tamen vehementer calida eſſe non debent,imò quæ valenter excalfaciunt,vitare omnino oportet. Quippe cùm lenti omnes, craſsique,& frigidi humores ab iis quæ calfaciunt, niſi etiam valenter digerant,liquantur,ac in flatum mutantur. Quo fit,vt à nullo in huiuſmodi ſuccis tam ſit metuendum,quàm à calore,qui eos liquet, atque in flatum vertat,ſed digerere non valeat, Galeno auctore duodecimo metho. medendi,cap.8. Horum quoque ipſorum ea maximè deligenda ſunt,quæ magis flatum diſcutiunt,magiſque ſiccant,ſimiliter alienisſima ſunt,quæ torporem inducunt,cauendúſque magnoperè in huiuſmodi affectibus eorum vſus, vt patet à Galeno ibidem,cùm neque huiuſmodi ſuccos comitetur (modo ſoli ſint) dolor vehemens. At ſi ex accidenti aliquo coniunctus his ſit halituoſus ſpiritus, grauiſsimis omnino doloribus, qui ita ſe habent, cruciantur, ſed nec propterea quæ torporem inducunt,tribuenda ſunt. Nam licet ad tempus quidem, qui tale medicamen biberint, prorſus indolentes reddantur, affectus tamen is omnino fit maior. Nam & inteſtinorum tunicæ medicamentorum frigiditate denſiores,minúſque flatui tranſmittendo habiles redduntur,& humor ipſe tum craſsior,tum ad motum ineptior euadit.Itaque & ſpatio longiori ad ægri curationem,& medico,qui egregiè in arte ſit exercitatus,eſt opus,vt idemmet fatetur Galenus eodem loco.Niſi enim certa ratione poſtmodum curationem aggrediatur,verendum erit,ne ſucci ſecundo in flatuoſum ſpiritum verſi,eundem dolorem renouent,vnde rurſus ſtupefacientium aliquid medicamentorum exhiberi ſit opus,eadem ſcilicet neceſsitate vrgente,ac pari modo tertiò, & quartò,& ſæpè deinceps,quoad homo inſanabilis effectus in malum totius corporis habitum perueniat,& poſt longa tandem tædia pereat. Et propterea qui generoſi animi,fortéſque ſunt, ſi mediocri vtuntur victu,tutius longiori in tempore percurantur, quàm qui violenter calefacientibus,aut etiam torporem inducentibus medicamentis vtuntur, ex eiuſdem Galeni ſententia. Quanquam vbi vehementiſsimus fuerit dolor, qui aliis medicamentis mitior fieri non potuerit, iis quæ mediocriter leniunt, ac dolorem mitigant,non autem quæ valenter ſtuporem inducunt,vti licebit. Nam ea omnino vitari oportet,ex Pauli teſtimonio,id quod nec etiam negauit Galenus eodem duodecimo methodi medendi,cap.8.vbi præſertim febris quoque adſit. Verùm quæ & qualia eſſe debent hæc medicamenta,infrà docebimus. In principio itaque ſtatim cõgrui inician tur clyſteres ex communi oleo,etenim Paulo auctore, ſæpe vitream ſimul cum fæcibus pituitam expulit, ac dolorem ſubitò finiuit talis clyſter, aut ex eodem oleo,in quo priùs fuerit decocta ruta,ſeu ſemen aliquod, quod flatum diſsipet, ex Galeni ſententia ſecundo de locis affectis,cap.5.& duodecimo metho. medendi,cap.8.& Paulo præcitato loco, liquato priùs in prædicto oleo adipe anſerino,in cuius penuria gallinaceo vtendum.Curandúmque imprimis eſt, vt expers ſit ſalis,nec admodum vetus,vt patet eodem duodecimo methodi meden di,cap.8.Nec minùs & clyſteres parari poſſunt ex oleo chamæmelino, vel anethino,cum eodem adipe anſerino,ſeu gallinaceo,aut etiam recẽti butyro, quòd ſi neque ex iis dolores remittuntur,conducunt mirificè in hunc modum clyſteres parati,Recipe foliorum maluarum,althææ,mercurialis,& betæ,ana manip. vnum,anethi,rutæ,foliorum chamæmeli,fœnugræci,& ſeminis lini,ſingulorum manipulum s.aniſi,fœniculi,& cumini,ana drac.ij.fiat decoctum in aqua fontana,cuius per colum tranſfuſi, accipe lib.j.vel lib.j.s. mellis roſacei vnc.ij.olei

Medicamentorum ratio.

Clyſteres.

chamæ

chamæmelini,anethini,vel rutacei vnc.iij.ſalis communis drac.iij.diacath.drac. vij.aut confectionis de dactylis drach.iuj.vel hieræ picræ ſimplicis vnc.s. & fiat clyſter.interim hæc vbi non ſuffecerint benedictæ, vel hieræ picræ compoſitæ drach.iij.adijcere poteris.Nec minùs etiam confert,ſi vnc.1.adipis anſerini, vel gallinacei,aut recentis butyri addas. Quòd ſi ob doloris vehementiam etiam clyſteres non retinuerint,glans aluo demittenda,ex Pauli decreto.Componantur autem ex melle probè decocto,cumino, ſemine fœniculi, ruta, hiera, ſale gemmã,& agarico,hunc in modum,Mellis cocti excipe ad ſufficientiã,pulueris hieræ ex ſeptem rebus,agarici,& ſalis gemmæ,ſingulorum drach.1. foliorum rutæ drach.2.fœniculi,& cumini ana ſcrup.1.formentur glandes longiuſculæ digitorum ferè ſex,eiuſdem Pauli teſtimonio.Hoc etiam tempore fomentum ſiccum ex milio adhibendum eſt,Galeno teſte eodem duodecimo methodi medendi. Vel ex milio,furfure,chamæmeli floribus,meliloto,fœnugræco,lini ſemine , & anetho ſacculi cõponantur,& incalfactis lateribus,vinóque albo irroratis priùs calfiant,& applicentur.Fotus item mirificè conducunt, ſi ita fiant, Recipe foliorum,& radicum althææ,& maluarum ana p.j. florum chamæmeli, fœnugræci, ſeminis lini,anethi,meliloti, ſingulorum manip.s.aniſi,cumini, & ſeminis fœniculi ana drach.uj.bulliant in hydrelæo, & cum ſpongijs dolentibus partibus applicentur.Inſuper & inſeſſus valde vtiles ſunt ex decocto fœnugræci,althææ,& chamæmeli, artemiſiæ , anethi, lauri , & ſimilium (vt inquit Paulus.) Item in oleum calidum, aut hydrelæon deſcendere alienum non eſt, vt ipſe refert. A balneo verò bibant abſynthij, & cumini æqua proportione decoctum, quo etiam tempore vinum abſynthites conuenientiſsimum ad colicos pharmacum exiſtit,ſi prælibatione,à balneo,ſeu exercitio opus habeant, éſtque eis non ſitientibus valde commodum,ſi cyathi temperati menſura ante aridorum ciborum comeſtionem accipiatur,vt inquit Aëtius. Conferunt non minùs quoque cataplaſmata,& illitiones,vt:Recipe foliorum,& radicum maluarum,& althææ, ana manipulum vnum,farinæ ſeminis lini,fœnugræci, & milij cuiuſlibet vnc.s. aniſi,ſeminis fœniculi,& cumini,ſingulorum drach.2.miſceantur, & cum oleo anethino,chamæmelino,aut rutaceo,& oxymelite fiat cataplaſma.Illitiones ex eiſdem fiant oleis adiecto butyro recenti,aut adipe anſerino, ſeu gallinaceo . & interim fœnugræci,aut ſeminis lini,ſeu althææ cremore. Vomitus prætereà, ſi quis facilè vomat,ante cœnam præ omnibus auxiliatur, Aëtio teſte,& ſi dolor non conquieuerit , propinandum erit ipſis medicamentum diatrionpipereon, vel theriaca, vt inquit Paulus. Et vbi pituita fuerit extenuata (eodem Paulo auctore) purgante medicamento vtendum,hiera præſertim.Illud idem confirmauit Aëtius,dum dixit.Poſt dies verò ſeptem purgatio ex hiera Archigenis ſuſcipiatur. Poteris autem purgans medicamentum hunc in modum cõponere. Recipe pulpæ caſsiæ recenter tractæ vnc.1.s.diacat.drac.7. pulueris hieræ ſimplicis drac.1.s.fiat bolus.Vel ſic,Recipe confectionis de dactylis drac.4. pulueris hieræ ſimplicis drach.1.pulpæ caſsiæ recenter extractæ vnc.1.vel vnc.1.s.fiat bolus.Aut vnc.3.excipe ſyrup.de tribus infuſionibus roſarũ (quas damaſcenas vocant) & drach.4.diaphœnicon, aut drach.7. diacath.& cum aqua boraginis , & abſynthij fiat potio. Verùm vbi dolor adhuc vehemens fuerit,neque ex iam dictis remiſſus ſit,iterũ ij (quos ſuprà monuimus clyſteres ex oleo, & adipe confectos) iniciendi ſunt adiecta etiamnum caſtorei , & papaueris ſucci vtriuſque fabę non amplius magnitudine,ex Galeni præcepto eodem duodecimo meth. medendi. Tu autem minori quantitatẽ tutiùs vti poteris,vtpote ciceris magnitudine. Commendat etenim & eodem loco Galenus medicamentum,quod ex caſtoreo,& papaueris ſucco conficitur,ad oculorum,dentium, ac etiam aurium dolores,ſi idem auribus inſtilletur,& Paulus ex caſtoreo paſtillum approbat in coli dolore ex craſsis , ac frigidis , & lentis ſuccis orto , vbi is vehemens fuerit,nedum per inferiores partes,ac aluum inditũ,ſed etiam potũ.In quem etiam vſum in præſcriptis clyſteribus, papaueris capita , folia item ſolani , aut etiam

Glandes.

Fomenta.
Loco citato.

Sacculi.

Inſeſſus.

Balneum.

Aëtius lib.9. cap. 31

Cataplaſmata.

Illitiones.

Vomitus.
Lib.9.cap.30

Aëtius loco citato.

Medicamentum purgans.

Loco citato.

hyoſcyami ſimul cum aliis iam dictis decoqui poſſent, perpetuò tamen (vt diximus) ea quę valenter ſtuporem inducunt cauentes, propter ſuperiùs aſsignatas cauſas.

Si ex ſpiritu flatuoſo fiat, curatio.

At ſi flatulentus ſpiritus doloris auctor fuerit, eiſdem quoque medicamentis vtendum erit. Nanque ſimilis eſt eorum omnium curatio, tam ſcilicet ſi ex craſsis, glutinoſisve, aut frigidis ſuccis, quàm ſi ex flatuoſo ſpiritu dolores excitentur, vt patet eodem duodecimo methodi medendi, cap.8. Poteris tamen tam clyſteribus, quàm reliquis medicamentis extrinſecùs adhibitis ea quę magis flatum diſcutiunt, permiſcere, ac eorum quantitatem augere, vt cuminum, aniſum, ſemen fœniculi, pulegium, origanum, calaminth† am, furfur, milium, careum, daucum, anethum, & ſimilia. Inſuper drach.j. dianiſi, aut diacumini, ſeu diacalaminthæ cum pauco vino albo præbere poteris. Propriam tamen curationem quandam ſortitus eſt is dolor, qui ſpiritum flatuoſum comitatur ex

Cap. ult.

cucurbita ſcilicet cum flamma copioſa ſubinde admota, quemadmodum à Galeno eodem duodecimo methodi medendi, decretum eſt. Videbitúrque tibi (vt ipſe inquit) præſidium hoc in huiuſmodi affectibus incantamenti cuiuſpiam ſimile quid efficere, ſiue inteſtinis, ſiue in quauis corporis particula fuerit excitatus, illico enim cucurbita admota, qui ſpiritu flatuoſo cruciantur, tum à dolore liberi, tum omnino ſani redduntur. Quos verò non ſpiritus modò flatuoſus, ſed etiam humor quiſpiam, vnde is oritur, malè habet, iis illico ad tempus dolor ſedatur, redit tamen vel inſequente nocte, vel poſtridie, vel etiam tertia die ſimilis dolor, ac potiſsimùm vbi in victu aliquid deliquerint, aut importuniùs particulas excalfecerint. Tibi verò hoc quoque maximum indicium affectus erit, ac curationem pro ratione proſequeris, nec impenſe particulas excalfaciẽs, extenuatoria curationis ratione vtens, vt dictum eſt, dolore tamen priùs per cucurbitulam ſedato, cùm per eam ventoſus digeratur ſpiritus.

Coli doloris ex inflammatione orti, curatio.

Vbi autem inflammatio inteſtinum exercet, victu tenui vtendum erit, ac febricitantium proprio, quouſque inflammatio diſcutiatur (vt inquit Paulus.) Speciatim verò eo victu vti poterunt ægri, quem cap. de ventriculi inflammatione, inſtituimus,

Venæ ſectio. Loco citato.

ac protinus vbi vires ægri valentes fuerint, ſanguis mittendus erit, Galeno teſte eodem libro duodecimo methodi medendi, venáque in cubito aperienda, ex eiuſdem Pauli decreto, præſertim interna. Quòd ſi vrina etiam propter inflammationis magnitudinem retineatur, ex malleolo quoque ſanguis detrahi debet, eodem auctore. Prædicta item admoueri poſſunt præſidia, præter quàm quæ acria ſunt, & valenter purgant, magíſque lenientibus clyſteribus vtendum, cataplaſmatibus, ac irrigationibus, vbi dolor per ſanguinis miſsionem ſedatus non fuerit, ſed adhuc perſiſtet, indicat enim profectò in ægrotãte particula impactum eſſe quod contriſtat, nec minùs patet, & quòd curatio ipſa per digerentia medicamenta ſit molienda, vt liquet præcitato libro duodecimo, metho. medendi, cap.8.

Clyſteres.

Componantur itaque lenientes clyſteres. Recipe foliorum maluarum, althææ, & violarum, ſingulorum manipulum j. hordei p.j.s. fiat decoctum, cui adde olei violacei, vel amygdalarum dulcium, ſeu roſacei vnc. iiij. ſacchari rubei, aut violacei mellis vnc.ij. pulpæ caſsiæ nouiter extractæ vnc.j. adipis recentis anſeris, vel gallinæ drach.iiij. fiat clyſter. Procedente verò tempore, fœnugræcum, chamæmelum, ſemen lini, aut anethum prædicto decocto adiicies, ſimiliter in vicem olei violacei, vel amygdalarum dulcium, ſeu roſacei, chamæmelino, vel anethino vtare. Non minùs etiam confert circa initia, ſi aſininũ lac cum caſsia fiſtula, & oleo amygdalarum dulcium per ſedem infundatur. Quantum verò ad cataplaſmata, irrigationes, ſácculos, fotus, inſeſſus, balnea, ac reliqua topica medicamenta attinet, prædictis vti poteris, ea quæ minùs acria, & quæ magis lenientia ſunt eligens. Nec minùs in oleum deſcendere conuenit, vt Paulo viſum, ac cucurbitulas ipſis defigere.

Ex acribus ac mordacibus ſuccis, ſi coli dolor fiat curatio.

Sin mordens humor eſt, qui affligit, aduerſiſsima huic ſunt quæ extenuant, & calfaciunt, ex Galeni ſententia eodem duodecimo methodi meden. cap.7. & 8. Quapropter abſtinendum (vt inquit Paulus) ab acribus omnibus cùm cibis, tum medicamentis, fotúque, & irriga

riga

rigationibus,item cataplaſmatibus,& vini potione potiſsimùm veteris. Vniuerſus autem in ſumma victus ſit humidior,ac frigidior,vt idem Paulus refert. Cibi verò (ex Galeni decreto) exhibendi iis ſunt,qui etiam boni ſint ſucci,nec facilè corrumpantur (ptiſana potiſsimùm) adiectis mali punici granis. Sed quoniam (vt idem Galenus teſtatur) huius generis affectus poſtulat, ſi modò curandus eſt,vt ea quæ contriſtant , vacuentur , propterea ſtatim per ſedem iniicere conuenit,quod eluere huiuſmodi humorem ſit aptum , id autem deterſiuum omnino eſſe oportet,& cùm talium pleraque mordicent, commodiſsimè ex iis, aliquod deligitur,cui morſus abſit.Eius generis maximè eſt ptiſanæ cremor, vt liquet præcitato libro duodecimo methodi medendi,aut idem cremor ptiſanæ cum roſaceo,ſeu ſucco ſeminis lini infundatur , ex Pauli teſtimonio , vel decoctum maluarum,althææ,fœnugræci,ſeminis lini,chamæmeli,& violarum, cum recenti adipe anſeris,vel gallinæ,ac etiam roſaceo.Poteris item vitellos oui numero 2.& vnc.1.pulpæ caſsiæ nouiter tractæ adiicere , quibus omnibus ſimul commixtis fiat clyſter.Quòd ſi neque hæc ſufficiant,vt mordens humor vacuetur,propterea quòd in ipſis inteſtini tunicis imbibitus ſit, purgans medicamentum exhibendum erit.In quem vſum aptiſsimum medicamentum eſt amarum,quod ex aloë componitur,vulgò picram appellãt,ex Galeni decreto, cùm primo de locis affectis,cap.4.tum duodecimo methodi medendi, cap.7. quem ſectati ſunt Paulus & Aëtius,eiúſque aut ſemel tantum exhibere, vt hominem iuſtè purgare poſsit,viribus conſentientibus, aut in quibuſdam interuallis paulatim,& moderátè purgationem faciens.Poteris autem ipſam hieram cum rorido melle,aut caſsia fiſtula,ſaccharo violaceo,ſeu ſyrup. ex pluribus infuſionibus violarum,vel roſarum permiſcere:aut in eundem vſum vnc.ij.mellis roridi, ſeu vnc.j.s.pulpæ caſsiæ fiſtulæ cum vnc.s.diacath.aut drach. vij. eiuſdem cum aqua hordei præbeas.Si autem omnino fieri nequeat,vt ea quæ contriſtant, vacuentur,affectus hic per epicraſin, hoc eſt contemperamentum , ſanandus eſt, eodem Galeno auctore.Quapropter cùm cibis,tum medicamentis,qui temperare infeſtantem humorem poſſunt,vti oportet,vt ptiſana,intubo, cichorio, endiuia,lactuca,ſyrupo etiam violaceo,roſaceo,ſeu ex ſucco cichorij, vel endiuiæ paratis,ſimiliter & balneis ex dulci aqua vtendum, vt Paulus refert. Si verò id quoque fieri non poſsit,ea quæ torporem inferunt medicamenta, exhibeantur, vt liquet apud eundem Galenum eodem 12.methodi meden.cap.8. quæ minus hos affectus,quàm alios lędunt,licet ſint & reliquorum communia.Nam ſimul omnino refrigerant,& ſiccant talia medicamenta. Qua ratione,non ſolùm , vt ſenſui torporem inducentia ſalutaria ſunt , ſed etiam vt humorum tenuitatem cogentia,atque craſſantia,præterea vehementem calorẽ refrigerantia , in quem vſum drach.1.philonij perſici,aut romani,aut ſcrup.ij.exhibere poteris, aut tantundem eius compoſitionis,quam trypheram magnam,ſeu eius,quam requiem magnam nuncupant , tutiùs tamen erit,ea priùs cum iis quæ per ſedem infunduntur,permiſcere,& vbi non ſuffecerint , eadem deuoranda permittas. Reliquum eſt,vt ea conſcribamus , quæ indifferenter colicis exhiberi poſſunt, quorum quędam à tota ſubſtantia conducunt,ceu lupinum ſtercus ex vino albo, & tenuis conſiſtentię epotum.Interim verò ex aqua, idque non tantùm in ipſis paroxyſmis,ſed etiam in interuallis,potiſsimùm ſi phlegmone vacẽt ægri.Horum quoſdam ego vidi, inquit Galenus decimo de ſimplic. medicament.facultatib. non ampliùs inuadi,& qui erant inuaſi,non ampliùs id grauiter paſſos , ſed nec poſt paucum tẽporis.Accipiendum eſt etiam albidius potius ſtercus, quale vbi oſſa comederint,ſolent excernere,& quod in terram non delabatur , ſed in ſpinis,fruticibus,vepribus,herbiſque proceribus.Ea enim eſt luporum natura, quę canum, vt ſuſpenſo altero poſteriorum crurum,& meiant,& cacent in eminenti quopiam ex terra.Inuenitur etiam in illorum ſtercore nonnihil oſsium deuorati animalis,quod item ipſum contundens,ac conterens cum iam dicto ſtercore bibendum præbeto, vt diximus. Poterit & idem ſtercus,ex eiuſdem Galeni

Quæ per ſedẽ iniicięda ſint.

Cap. ult.

Purgans medicamentum.

Epicraſis.

Anodyna.

Quæ indifferenter colicis præberi poſſint.

Cap. proprio de ſtercore lupino.

ſententia,inſtar amuleti ægroti partibus vacuis,quas Græci λαγόνας vocant,alligari vinculo confecto ex lana ouis,quæ à lupo eſſet laniata. Quòd ſi talis non adeſſet lana, ex pelle ceruina lorum confici poſſet, quo ſtercus contineatur, ac prædicta loca præcingantur,modum autem illigationis reperies apud Galenum præcitato loco. Aëtius galeritam auem, quæ in capite veluti criſtam, ſiue galeam ex pennis ſponte naturæ enatam habet,& circa vias reperitur, hyeme præſertim, commendat,ſi in ſimplici iure decocta,aſsiduéque vnà cum iure accipiatur. Verùm ante eum ſecundo de ſimplic.medic.facultat.à Galeno eodem modo,ſi ſumatur,commendata eſt. Hanc etiam auem, quæ Alauda dicitur,ſiue ea aſſata in cibo ſumatur,ſiue cum plumis combuſta, & in cinerem redacta, ac diligentiſsimè trita,ſi ex ea,terna cochlearia ex aqua calida potui per triduum exhibeantur, ſummoperè commendat Marcellus ſuo libro de medicamentis, cap.29. Caſtorium item aſsiduè potatum totius affectionis apparatum,demolitur,omnibúsque medicamentis præſtare repertum eſt, vt Aëtius inquit. Datur eius drach.1.in tribus cyathis optimæ aquæ mulſæ. Thymi cacumina inſuper in aqua ad tertias decoquito,& ad percolatum decoctum mel deſpumatũ adiicito, bibendúmque præbeto,ex eiuſdem teſtimonio. Adhuc mentham viridem aliquãdiu decoquito,ex eodem auctore decoctúmque bibendum ad dies tres exhibeto,& nunquam dolore afficietur. Marrubium quoque in vino mulſo decoctum bibendum præbeto,à quo nedum æger (vt ipſe inquit) liberabitur,ſed neque vnquam poſteà incidet in affectionem. Plinius Secundus libro 2.de re medica,cap.30.tanquam expertum commendat cochleas tres in olla noua clauſas, & circũdatas,ac in furno combuſtas,ſi earum puluerem in vino, aut vbi volueris dabis. Alexander cap.1.libro 10.id ſcriptum reliquit. Iecur caprillum aduſtum læuigato,datóque ex vino potui,multum ipſis auxiliatur. Item vmbilicum infantis nuper nati præciſi paululum in argentum,aut aurum includito, cum modico ſale,qui geſtat hoc alligatum,dolore prorſus non corripietur.

Aëtius lib.9. cap.31

Cap.proprio.

Aet. loco citato.

Περὶ εἰλεοῦ, ἢ χορδαψοῦ. *Id eſt, De ileo ſeu volulo.* *Cap. LXXX.*

SAEPE verò,& in tenuiore inteſtino (ſimilis quodammodo ei, qui in pleniori) affectus quidam oritur, quem Græci εἰλεόν,interim χορδαψὸν appellant,Latini verò voluulum, ſeu ileum, Celſus tenuioris inteſtini morbum, Barbaram ſectãtes medicinam iliacam paſsionem nominant à ſymptomate (vt inquit Galenus ſecundo methodi meden.cap.2.) nomen ſumens:nam εἰλεῖν,verbum Græcum, Latinè verto,ſeu voluo ſignificat; inde εἰλεός,quaſi verſus, ſeu circumuolutus, quoniam ægris dolor circũuolutus accedat, Aëtio teſte cap.28.libri noni. Nec minùs ſi χόρδαψος appelletur,& nomen à ſymptomate ſumpſit. Nam χορδεύειν, verbum Græcum, idem Latinè ſignificat, quod inchordo, implico, ſeu irretio. Quare cùm in hoc affectu tumor emineat in tenuium inteſtinorum parte,vt videatur inteſtinum ad chordæ ſimilitudinem conuolutum (Galeno auctore 6.de locis affectis cap.1.) propterea non ab re ab hoc ſymptomate,ſi χόρδαψος appelletur, nomen ſumpſit. Quòd verò morbus ſit peracutus, qui grauiſsimos moueat dolores, liquet à Paulo cap.44.lib.tertij,ſeu quòd affectio ſit inteſtinorum letalem dolorem inferens,patet apud Aëtium præcitato loco. At quòd inteſtina in eo afficiantur,& inter ea,quæ ſublimia ſunt,atque gracilia,non autem craſſa, liquet apud Galenum commento aphoriſmi 44.libri ſexti, ac ſexto de locis affectis,cap.1.cùm dixit, Atque interdum alij quoque dolores, & quidem vehementiſsimi in ſublimioribus inteſtinorum partibus eueniunt; grauiter vomitionibus cruciantes,adeò vt nonnulli ſub fine ſtercus quoque euomere conſpiciantur. A quo affectu vix vnquam aliquis potuit ſanus euadere. Hunc ileon quidam, nonnulli chordapſum appellant. Ex vehementiſsimo itaque dolore in ſublimioribus inteſtinorum partibus eueniente, ac ex tumore apparente in eiſdem

Celſus lib. 4. cap. 13

Ileos,ſeu voluulus unde nomen ſumpſerit.

Pars affecta.

Signa.

eiſdem partibus,ad ſimilitudinem chordæ conuolutæ, ac vom itionibus grauiter moleſtantibus, eo quia ventriculo inteſtinum hoc vicinum eſt,pars hæc inteſtinorum, quòd affecta ſit,nobis innoteſcere poteſt. Et ſi quiſpiam oppugnabit dolorem hunc relatione ad eum qui in colo excitatur, vehementiſsimum

Dubium.

eſſe non poſſe, id quod manifeſtauit Galenus cùm 2. de locis affectis, cap. 5. vbi dixit,Igitur ex huiuſmodi doloribus ij, qui vehementiſsimi ſunt,haud ab re in craſsis inteſtinis conſiſtere putantur, qui verò mitiores ſunt, ex duobus, alterum neceſſarium eſt,aut quod in his ipſis ſunt,ſed à leuiori cauſa,aut quod in tenuibus conſiſtant inteſtinis, tum eodem ſexto de locis affectis,cap. 1. dum aſſeruit,ergo probabile eſt frigidum,eundémq; craſſum, aut viſcoſum humorẽ ſeu flatuoſum ſpiritum in corpore craſſo,denſóque genitum, ſed egredi nequeuntem dolorem excitare,vehementem quidem geminam ob cauſam, intemperantiam ſcilicet, & corporum, quibus continetur, tenſionem, longum verò, quia difficulter vacuatur, nam corpora ambientia, tum ob craſsitudinem, tum ob ſpiſsitudinem ipſum arcere poſſunt, tenuium autem inteſtinorum tunicæ raræ, tenuíque eſſentia conſtant, vt non ita diu huiuſmodi cauſas continere poſsint,neque propterea etiam tendi,& proinde dolor neque tam vehemens, neque tam perſeuerans eſſe poteſt, ſicuti in colo accidit, ex eiuſdem Galeni ſententia: non propterea tamen in ſe ipſo conſideratus dolor, qui in voluulo excitatur, vehementiſsimus non eſt,licet non adeò, vt is, qui colum cruciat. Non igitur ſibi ipſi contradicit Galenus, neque eius ſententiæ in præcitatis locis inter ſe pugnant, ſed ambæ veræ ſunt.

Reſolutio.

Symptomáque eſt voluulus in genere noxæ functionum naturalium ipſorum inteſtinorum,excretricis videlicet, & propriè ipſius ablatæ,vt libro de differ.cap.4.& 3.de cauſis ſymptomatũ, cap.2. patet.Nanque in eo (vt idem Galenus teſtatur comment. apho. 44. 6. & 10. ſeptimi libri) nihil exit inferius,ne quidem ſi quiſpiam acerrimo vtatur clyſtere, idque proprium eſt,atque inſeparabile huius paſsionis ſignum, ſeu ſymptoma, & commen.aphoriſ.22. 3. libri, dicebat, quod voluuli ſeu ilei, ſunt cibi ſuperfluitatum,quæ per aluum inferiorem excernuntur, retentiones, quæ magna ex parte fiunt ex alicuius inteſtinorum partis inflammatione.

Quis affectus præter naturam ſit ileos, ſeu voluulus. Signa.

Vomitus autem non ſemper adeſt, & ſi quando exitialis fuerit voluulus, ſtercoris quoque vomitus aduenit, dolores aderunt ad præcordia, potum continere non poſſunt, & tormina cum doloribus in ventre: quemadmodum mulieri,quæ apud Tiſamenum decumbebat,voluulóque detinebatur, euenit, Hippocrat. teſte 3. de morbis vulgar. Vt verò Aëtio viſum eſt;accidit talibus ægris dolor circumuolutus, ſtomachi nimia humectatio, exolutio,ructus inanes nihil leuantes, murmura inteſtinorum,cohibitio perfecta ſtercoris,& flatuum.

3. de morbis vulg. cõmen. 2. text. 6.

Si verò intendatur affectio (vt ipſe inquit) omnia ſurſum feruntur, ob ídque & vomitus pituitæ, ac bilis accedit, frigiditas totius corporis, dolórque, plurimis etiam ſpirandi difficultas, morituris autem ampliùs ſudor frigidus, vrinæ difficultas, podex ita adſtrictus, vt neque ſpecilli extremum ſuſcipere poſsit, aliquando & ſtercus vomitu reiicitur. Euenit autem id, quoniam inteſtina media eorum complexione,ſeu conſtrictione, quam latis, ſeu tranſuerſis eorum fibris perficiunt, cùm nec pondus,nec acrimoniam excrementorum tolerare valent, ea excernere, expelleréque,quàm longiſsimè à ſeipſis nituntur, potiſsimum id inteſtinum,in quo affectus hic oritur. Cùm verò prohibitum ſit id deorſum, & per ſe non potens ſe hac via exonerare propter factam in partibus inferioribus obſtructionem, cogitur contra naturam violenter mouere, & ad loca ſuperiora materiam noxiam extrudere,quoniam motus hic conſtringendi, complectendíque infernè incipit. Ad quem etiam modum & acer ſuccus, & crepitus quoque deſcendere prohibitus, interim ex tam violenta inteſtinorum conſtrictione ad ventrem præter naturam reuertitur,deinde ad exitum properat, quemadmodum apud Galenum conſtat commento præcitati aphoriſmi 10. ſeptimi libri, 3.de natu. facult. & tertio de cauſis ſymptomatum. Quod verò intercluſa

cap. 14. 3.de cau. ſym. cap. 2.

uia exitus iam dictorum excrementorum, hæc affectio fiat, omnium ferè medicorum conſenſu teſtatur Galenus præcitato commẽ.apho.44.6.libri. Et quoniam meatus, ſeu viæ poſſunt intercludi, ac aboleri propter coalitum, anguſtiam, obſtructionem, compreſsionem, ac ſubſidentiam, propterea quæcunque cauſæ tales poſſunt in cauitatibus, ſeu meatibus inteſtinorum affectus excitare, poſſunt etiam, & ileum, ſeu voluulum gignere. Cunctæ autem reducuntur vel ad intemperiem, vel propter collectiones aliquas non naturales ipſius inteſtini tenuioris, vel propter ipſa, quæ in eo continentur excrementa, eodem Galeno teſte 3. de cauſis ſymptomatum. Quapropter licet idem Galenus in com. præcitati apho. inflammationem, ſcyrrhum, vel abſceſſum, ac obſtructionem ſtercoris ſicci, & duri in aliquod iam dicti inteſtini volumen impacti tantam poſſe facere loci anguſtationem, vt nihil poſsit ad inferiora tranſmitti, & per conſequens ileum oriri fateatur, de reliquis verò cauſis, vtputa de humoribus craſsis, atque tenacibus dubitare videatur: tamen veniam præbet cuique ſi libeat, hanc inter cauſas ilei ponere, & etiam ſi quid aliud dicatur præter hoc: non enim negauit Galenus ex aliis cauſis, quàm ex inflammatione, vel obſtructione aridi ſtercoris poſſe voluulum excitari, ſed frequenter, ac ſæpenumero, ac magis probabiliter, & à pluribus confirmatum eſſe quòd à prædictis excitetur cauſis, ita vt 6. de locis affectis, cap. 1. ſic ſcriptum reliquerit. Itaque non ab re viſum eſt medicis antiquioribus, vel ab inflammatione, vel obſtructione aridi ſtercoris huiuſmodi tenuium inteſtinorum affectus oriri, de voluulo, ſeu chordapſo verba faciens. Concludimus itaque cum Galeno, quòd quamuis prædictæ duæ cauſæ præcipuæ ſint ipſius voluuli, inflammatio inquam, & obſtructio ſicci ſtercoris: tamen quæcunque alia valet adeò intercludere viam exitus, aut tantam facere loci anguſtationem, vt nihil poſsit ad inferiora tranſmitti, ſufficiens quoque eſt voluulum ipſum excitare, ſiue dicta interclusio fit per coalitum, ſiue per anguſtiam, ſiue per obſtructionem, ſeu compreſsionem, aut ſubſidentiam. Et propterea ab Aëtio præcitato loco nonnullæ narrantur voluuli cauſæ, vt continua ciborum corruptio, præſertim ſi multi, aut varij accipiantur, & non aſſueti, maximéque ex pinguibus carnibus, ſimiliter & ex plagis quibuſdam, frigore vehementi, & aceruata frigidæ potione, maximè ſi ab exudantibus accipiatur, affectus hic excitari poteſt. Item contingit iis quibus inteſtinum in ſcrotum vnà cum ſtercore delapſum eſt, indéque violenter retruſum, ex eóque inflammatum exiſtit. Fit etiam ob veneni potionem, & ob induratum ſtercus circa tenuia inteſtina impactum. Singulæ autem prædictæ cauſæ facilè dignoſci poterunt. Externæ quidem, ex ægroti, ſeu adſtantium loquela. Internæ autem, ex te ipſo proprus ſignis, ac eorum, quæ præceſſerunt perpenſione, & reliquis, quæ ſubſequuntur. Sic enim inflammationem ab obſtructione aridi ſtercoris propriè ſecernes, aut ſi propter eius delapſum in ſcrotum ortus ſit voluulus, vel etiam quiſpiam alius redundans, ſuccus potiſsimùm frigidus, craſſus, & lentus, licet non admodum probabile ſit, vt diximus ex Galeni ſententia, ex prædictis ſuccis adeò poſſe fieri prædicti inteſtini anguſtationem, vt nihil valeat ad inferiora tranſmitti. Quòd verò ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel conuulſio malum ſit, decretum reliquit Hippocrates præcitato aphoriſmo 10. ſeptimi libri. Nam vomitus (vt inquit Galenus eodem loco) non ſemper in ileis adeſt, ſed quando exitiales ſunt, & ſi vehementius diſtorqueantur, (vt ipſe ait) ſtercus eis ſuperiora petit, atque ſingultiunt. Quidam verò deſipiunt, & conuelluntur compatiente neruorum principio ſtomachi paſsioni, vt ipſe refert. Si vomitus autem ſtercoris contingat, exitialis erit affectus, à quo vix vnquam quis potuit ſanus euadere, vt eodem commen. aphoriſ. 44. & 6. de locis affectis. Quòd verò hic voluulus acutiſsimum ſit malum, ac quòd periculoſus ſit omnis voluulus, idem Galenus teſtatur 3. de morbis vulga. De quo Paulus ſic ſcriptum reliquit. Qui enim hoc malo ſunt oppreſsi, miſerabili tandem morte pereunt, ſtercus per os reddentes.

Cauſæ. *3. de cau. ſym.* *Loco citato.* *Prognoſtica.* *Aph. 44. li. 6.* *6. de loc. affe. cap. 1.* *3. de morbis vulg.* *Loco citato.*

Familiaris autem hæc affectio exiſtit ætati puerili, vt Aëtius inquit, euadunt tamen beneficio humiditatis. Senibus verò non valdè familiaris eſt, ſi tamen ipſi in hanc affectionem incidant, ferè nunquam conualeſcunt. Iliacorum verò paſsio acuta eſt, & ſub anguſto tempore periculoſa, Theodoto Priſciano auctore cap.9.lib.2.ad Timotheum. Eius autem curatio pro cauſarum diuerſitate variari contingit.

Curatio, ſi ex inflammatione fiat.

Quòd ſi ab inflammatione ortum ducat, aliis conſentientibus, à venæ ſectione exordienda curatio erit, vt omnes conſentiunt, & ratio dictat, eáque iteranda, ſi opus fuerit.

Venæ ſectio.

Incidatur autem interna cubiti vena, eadem victus ratione inſtituta, ac reliquis medicamentis adhibitis, quæ in cura coli doloris ex inflammatione præcepimus: id tamen ſeruantes, tam in ileo orto ab inflammatione, quàm ex quauis alia cauſa, quòd medicamenta, quæ per os voranda præbentur, magis competunt, quàm in coli dolore ſumpta à poſitu indicatione, prout capite de dyſenteria recenſuimus.

Purgatio.

Quaptopter à venæ ſectione vno, vel altero leniente clyſtere adhibito, (prout præcedente capite docuimus) confeſtim medicamentum leniendo purgans exhiberi debet, ceu eſt manna, caſsia fiſtula, ſaccharum violaceum, ſeu ſyrupus ex pluribus infuſionibus violarum, & interdum cum aliquo prædictorũ vnc.ß.vel drac.7.diacatholicon adiicere. Sæpe etenim id auxilij ſatis eſt, vt inquit Celſus, tumore præſertim in vmbilico exiſtente.

Si fiat ex ſtercorum multitudine curatio.

At ſi ex ſiccorum ſtercorum multitudine, facta obſtructione, ileos excitetur, quæ ſtercus ipſum emolliunt, atque humectant, & per aluum ſubducunt, tribuenda eſſe cenſeo, veluti eſt ius pingue gallinarũ, ſeu pullorum, aut phaſianorum, aut in eorundem iure decocta ptiſana. Pariter conueniunt lenientes clyſteres poſt prædictorum aſſumptionem, qui ſic parentur, Recipe foliorum maluarum, violarum, mercurialis, & althææ, cuiuſlibet manip.j.florum chamæmeli, fœnugræci manipu.ß.ſalis communis parum, bulliant in aliquo prædictorum iurium, cuius decocti per colum transfuſi, aſſumpta ſufficienti quantitate, adiicias olei communis, amygdalarum dulcium, aut chamæmelini, aut anethini vnc.iij.mellis roſacei vnc.ij.quibus ſimul commiſtis fiat clyſter. Interim poteris butyri recentis, aut adipis anſeris vnc.ß.addere. Nec erit alienum (potiſsimùm vbi ægri ventriculus valeat) vnc. iiij. vel librá ß. olei cõmunis dulcis, aut tantundem olei amygdalarum dulcium abſorbendum præbere, & vbi hæc non ſuffecerint, audacter aliquod medicamentum purgans, eorum, quæ modo meminimus, præbeto. Nam obſtructio quę fit à ſtercore duro, quod interſepit inteſtinum (vt Galenus teſtis eſt lib. art. medic.) primùm quidem habebit duritiei remedium ex humidis, pinguibúſque clyſteribus: demum ex acribus euacuationem expoſcet, in hunc etiam vſum (vtpote vtrunque perficiens) confert ius galli à Meſue deſcriptum.

cap.94.

Extrinſecus inſuper irrigationes, fomenta, ac cataplaſmata, quæ emolliendi vim habeant, ac leniendi, applicentur. Quorum copiam præcedenti cap.reperies.

cap. proprio.

Commodum eſt etiam in oleum calidum deſcendere, aut in balneum deſidere ex aqua, & oleo refertum. In aqua verò priùs decoqui poſſunt malua, aut althæa.

Si ex humoribus craſsis fieri cõtingat uoluulus, curatio.

Si autem contingat ab humoribus craſsis, ac tenacibus voluulum excitari, ſimili modo curari debebit, quo & curari debere præcepimus coli dolorem ortum ex eadẽ cauſa.

Si ex cruditate.

At ſi ex cruditate, ſeu ex ciborum corruptione voluulus fuerit excitatus, ſi adhuc crudus, ſeu corruptus cibus ventri inſidere videatur, confeſtim æger cogendus eſt, vt vomat, ſumpta aqua tepida cum pauco aceto, aut ſyru. acetoſo, aut etiam aqua mulſa, ſimiliter tepida. Verùm ſi nihil ciborum crudorum in ventre contineatur, omni conatu (vt inquit Aëtius) enitendum eſt, quo tum flatus, tum ſtercora infra trahantur, ídque per glandes, illitionéſque & clyſteres, vt ipſe refert, atque magna diligentia in ſingulis adhibita perficiendum. Purgans medicamentum, vbi prædicta non ſuffecerint, exhibeatur, ex hiera videlicet, & confectione de dactylis, aut diacath. cum aliquo prædictorum lenientium medicamentorum compoſitum. Eſt etiã vſitatum, & accommodatum anethi decoctum potum, ex Pauli, & Aëtij auctoritate. A potu autem panem in aquam

feruent

feruentem conijce, eiúſque fruſtra calida confeſtim edenda præbe, vt idem inquiunt Aëtius, & Paulus, idque præſertim ſi ab inflammatione voluulus ortus non fuerit. Item ſi anethum ipſum in aqua, & oleo decoquatur, atque ita bibatur, deinde fruſta panis ex aqua feruenti præbeantur mirum in modum ægri iuuantur, ex Oribaſij ſententia. Commodum eſt etiam maluæ ſemen tritum, ac potui inſperſum, eodem Aëtio teſte. Nec minùs opitulabitur chamæmeli decoctum, quod quidem, vt ſi quid aliud hypochondriis, ac reliquis viſceribus, quæ circa hypochondria ſunt, gratum exiſtit, condenſata corpora rarefaciens, indurata emolliens, ac tenſa relaxans, doloréſque ſedat, ac mitigat Galeno teſte 3. de ſimp. med. facult. cap. 9. quin & tale quoque eſſe lini ſemen, vetus ſermo prædicat (vt ipſe inquit) quamuis minùs chamæmelo ſit viſceribus gratum, minúſque calidum, & præterea eſſentiæ craſſæ, hæc inquam medicamenta præberi poſſunt voluulo ex quauis prædictarum cauſarum orto, præterquam ſi ab inflammatione fuerit excitatus. Fouendus inſuper & podex erit per ſpongias calidas indifferenter voluulis ex quauis cauſa ortis, nedum eo tempore, quo glandes fuerint appoſitæ, vt Aëtius inquit, ſed in reliquis quoque temporibus, vt ex eis qui ad imum inteſtinum poſitus eſt muſculus, relaxetur, nec ab ipſo conſtrictionis motus incipiat. Ex folijs itaque maluarum, althææ, chamæmeli, ac ſeminis lini decoctum in aqua, & oleo paretur, ac per ſpongias calidum applicetur ſæpiùs. Vel in eodem decocto inſideat æger. Doloribus verò adhuc perſeuerantibus, & maximè quibus infuſi clyſteres non infra rurſus prodeunt, etiam ea quæ dolorem leuant, exhibenda ſunt, itémque conuenientes antidoti ante ſomnum, ex decreto Aëtij, ceu ex viperis theriaca exiſtit Andromachi, poſt eam verò, quæ mithridati nomen habet. Si verò à venenoſo pharmaco quis in voluulum incidat, aquam tepidam multum bibendam dabimus, vomeréque cogemus. Deinde oleum calidum in potu dandum, aut iura pinguia, vt denuò vomant ex moderato eorum potu. Deinde ita parumper quieſcant, & poſtea theriacen accipiant cum vino diſſolutam, quemadmodum Aëtius, & Paulus præcipiunt. Et ſi adhuc perſeuerauerit, purgante medicamento vtare aliquo eorum, quæ ſupra commemorauimus. Quòd ſi ex inteſtinis in ſcrotum prolapſu voluulus contingat, confeſtim tentandum eſt, vt decubitu ſurſum verſus vergente adornato delapſum inteſtinum ad inguinum partes retrudatur, atque poſt leuiter citra violentiam, ac compreſsione ligamento adhibito contineatur, vt patet ex præcitatorum auctorum ſententia. Reſiſtit ileo diſcerpti veſpertilionis ſanguis ventri illinitus. Item ſenectus ſerpentium decocta cum roſaceo in vaſe ſtanneo, ſi ventri illiniatur, ceu apud Plinium ſecundum legitur libro ſecundo de re medica cap. 33.

Quibus podex fouendus ſit.

Curatio ſi fiat voluulus ex deuorato venenoſo pharmaco.

Περὶ τῶν ἑλμίνθων. *Id eſt, De lumbricis.* *Cap. LXXXI.*

QVEMADMODVM in magno Mundo animalia quædam non ex ſeminibus, ſed ex putredine generationem habent, ita quoque proportionabiliter in paruo mundo ex eadem putredine parua quædã animalia gigni cõſueuerunt, quæ Græci ἕλμινθας, Latini verò lumbricos appellare ſolent. Quanquã apud Græcos, præſertim Galenum quod Græci ἑλμινθας nuncupant, modo quid commune intelligitur omnium lumbricorum differentiarum, vt liquet primo de locis affectis, cap. 5. Vbi cùm à locis ipſis morborum indicia ſumere præciperet, dicebat, lumbrici in inteſtinis gignuntur, vſus verbo ἕλμινθες. Hoc nanque quod commune ſit cunctis lumbricorum differentiis infra patebit. Illud idem confirmatur Paulus cap. 57. libri quarti, cùm dixit, tres eſſe vniuerſas ἑλμίνθων, hoc eſt lumbricorum differentias, & ab Ariſtotele quoque ſic ſcriptum eſt libro 5. de natura animalium cap. 19. ἕλμινθες, hoc eſt lumbrici, quotum genera tria ſunt, & cætera. Interim verò per ἕλμινθας duas duntaxat lumbricorum differentiæ

rentias intelligere videtur idem Galenus, quemadmodum patet lib. de differ. morbor. cap. 8. quo loco dinumerans eos affectus, qui toto genere in numero ſunt præter naturam, ait, quemadmodum ſunt ἕλμινθες, καὶ ἀσκαρίδες, vbi luce clariùs liquet per ἕλμινθας, nedum teretes lumbricos intellexiſſe, verû etiã & latos, qui nec minùs toto genere præter naturam ſunt, veluti & teretes. Quàuis Hippocr. aphoriſ. 26. tertij libri, illos στρογγύλας ἕλμινθας appeller hoc eſt teretes, & idem Galenus ſimul cum Hippocrate 14. metho. meden. teretes στρογγύλας nuncupauit, latos autem πλατέας: cùm dicebat, ὅτι ἕλμινθες, αἵ τ' ἐν στρογγύλαι, τινὲς εἰσιν, ὅτι καὶ πλατέαι, hoc eſt lumbrici, ſiue hi teretes ſint, ſiue etiam lati. Sic etiam Paulus ἕλμινθας, στρογγύλας teretes, & πλατέας latos nuncupat. Quemadmodum etiam & Ariſt. præcitato loco, quamuis etiam latos alicubi κειρίας nominet idem Galenus, vt patebit. Non rarò autem Gale. per ἕλμινθα vnam duntaxat lumbricorum differentiam, eorum videlicet, qui teretes Latinè dicuntur, ſubintelligit, ceu liquidò conſtat præcitato libro 14. metho. meden. Vbi eorum, qui toto genere præter naturam ſunt affectuum meminit, poſt enarratas abſceſſuum tres differentias, nedum ſemel, ſed bis dicebat in vno loco ἕλμινθες, & ἀσκαρίδες & κειρίαι, & poſt pauca iterum ἀσκαρίδες τε, καὶ κειρίαι, καὶ ἕλμινθες, quo etiam modo Aëtius teretes lumbricos ἕλμινθας duntaxat appellat, vt liquet libro 9. cap. 39. Ex quibus omnibus liquet Galenum inconſtantem haudquaquam fuiſſe, licet diuerſis in locis diuerſimode de lumbricis verba feciſſet. Perpetuò enim in eius doctrina palam eſt tres eorum differentias conſcripſiſſe, vt præcitato libro 14. metho. eſt videre, & comment. aphoriſmi 26. tertij libri. Quarum vna ἕλμις, ſeu ἕλμις στρογγύλη altera ἕλμις πλατεῖα, ſeu κειρία reliqua, & tertia ἀσκαρὶς dicta eſt. In hiſce etenim locis particulatim, ac diſtinctè magis de eis loqui fas erat, id quod in reliquis iam dictis nequaquam neceſſarium fuiſſet. Audacter igitur cum eo, Paulo inſimul ac Aëtio tres tenemus eſſe vniuerſas lumbricorum differentias, ſeu ſpecies, teretum videlicet, latorum, ac aſcaridum, ſeu tenuium. Quòd ſi Hippocra. aphoriſ. præcitato 26. tertij libri duarum tantum meminit, teretum videlicet, & aſcaridum, non propterea tertiam negauit differentiam, quæ eſt latorum, quinimo dicens ἕλμινθες στρογγύλαι, aliam ἑλμίνθων olfecit differentiam, quæ eſt latorum, aliàs ſuffeciſſet ei dixiſſe ἕλμινθες καὶ ἀσκαρίδες, nec addidiſſet illud στρογγύλαι. Adde quòd propterea latum lumbricum ſubticuit eodem loco, quoniam (vt Galenus inquit in comment.) rarior eſt eius generatio, tum etiam quòd neque eius erat propoſitum de omnibus agere paſsionibus, quæ mortalibus accidunt, ſed de illis tantùm, quæ ſingulis ætatibus accidunt. Atqui lati lumbrici generatio ea ætate fieri nequaquam poterat. Nec propterea tibiipſi aduerſatur, etiam ſi liber de morb. ſit germanus eiuſdem Hippocrat. & non Polybi, ſeu alterius cuiuſdam: cum libro 4. eiuſdem de teretibus, ac latis duntaxat mentionem fecerit, aſcaridas ſubticens. Nam duo eodem loco diſſerere intendebat de lumbricis, vt cuiliber eius verba rectè intelligenti patere poterit, quorum vnum erat, nunquid vtraque differentia gigni potuiſſet in puero adhuc in vtero exiſtente, ſecundum propoſitum erat, nunquid lati, veluti rotundi parerent: cùm itaque tenuis lumbricus ἀσκαρὶς dictus, nec infantibus oriatur, donec vtero geruntur, vt ex eius verbis colligi poteſt, nec præ eius tenuitate parere potuiſſet, nam ex eo nihil procreari aliud poteſt, ex Ariſtotelis ſententia præcitato cap. 19. libri quinti, de natura animalium, iure aſcaridas miſſos fecit, & tantum teretum, & latorum meminit. Sed quid Celſo dicendum ſit, qui cap. 17. libri quarti, duas tantùm lumbricorum tetigit differentias, latorum videlicet, & teretum, cùm dixit, nonnunquam autem lumbrici quoque occupant aluum, iique modo ex inferioribus partibus, modò fœdius ore redduntur, atque interdum latos eos, qui peiores ſunt, interdum teretes videmus. An quia vel aſcarides non nouit, vel cum adeò exigui ſint, ac tenues, ac in infima, & ignobiliori parte orti, nullumq; ex eis prauum ſequatur ſym-

cap. ult.

cap. 17. & 18.

14. meth. c. 17. 18. & 19.

Tres eſſe lumbricorum differentias.

4. de morbis verſus finem.

Auicen. lib. 3. fen. 16. trac. 5. cap. 1. ptoma, eos paruifecit, nec in aliorum numero complexus eſt? Auicennas autem licet obſcurè, ac confuſè (vt eius mos eſt) de eis loquatur, adeò vt quatuor lumbricorum differentias admittere videatur, ſi quis eius verba intro inſpiciat, tres etiam duntaxat poſuit Paulum ſectatus, id quod argui poteſt ex diuerſitate materiæ, ex qua generantur, quam triplicem eſſe aſſerit, ex cuius diuerſitate voluit eorum quoque diuerſitatem argui poſſe. Communicarit autem diuerſę eorum differentiæ in materia generationis quodammodo. Quoniam (vt inquit Ariſtote.) in excrementis oriuntur, adhuc intra animantem contentis, & vt refert Galenus com. præcitati aphor. 26. 3. lib. ex putredine generationem habent ex corruptis cibis præſertim orta. Hoc autem excrementum, ſeu putredo (vt iſti aſſerunt) cruda, craſſa, pituitoſaque materia eſt, putrediníque accommoda, Paulo auctore. Nec propterea ab Ariſtotele diſcrepat, qui neque negauit talia debere eſſe excrementa, ſed ſatius ei fuit vniuerſaliori vocabulo vti. Eſt etenim in excrementorum numero cruda, craſſa, ac pituitoſa materia, & putredini accommoda in inteſtinis contenta, vel ſaltem alui excrementis quodammodo permixta eſt. Ex reliquis verò humoribus nullum lumbricorum genus gigni poteſt. Nam biliofus ſuccus, nedum improportionata materia eorum exiſtit. verum eos ſua amaritudine, & acrimonia perimit vt inquit Paulus. Et ſi quando flaua bilis vnà cum lumbricis infra, aut etiam vomitu eruperit, ipſos quidem inteſtina obſidere, humorem verò bilioſum ventriculi os, aut aliam quampiam particulam occupare ſcito, vt ipſe fatetur. Neque ex atra bile oriri poſſunt cum frigida, & ſicca exiſtens, longinqua ab animalis tum proportionalitate, tum vita exiſtit. Quapropter non ab re dicebat Paulus, quòd hæ duæ ſubſtantiæ alimenti naturam egreſſæ lumbricis procreandis ineptæ redduntur. Nec minùs inepta materia eorum, ſanguis exiſtit, quoniam ſubſtantiæ proprietatem, ac proportionem habet pro nutrimento partium hominis, & non pro lumbricorum generatione, intráque vaſa continetur. Quod ſi accidat præter naturam ad inteſtina effundi, aut infrigidatus in grumos vertitur, aut calfactus ſuppuratur, interim autem liueſcit, aut alio quodammodo corrumpitur, ita vt omnino impoſsibile ſit vt ſanguis permaneat, Galeno auctore commento aphoriſ. 20. ſexti libri. Quapropter ex ſanguine lumbricos procreari impoſsibile eſt. Conueniunt etiam in agente, qui calor eſt non abſolutè putridus. Etenim ſola putredo non eſt ſufficiens ad eos generandos, vt inquit Galenus, ſed & calore plurimo indiget, naturali inquam, qui materiam obtineat, idoneam ſiquidem ad talium animalium generationem. Non itaque imbecillus, ac exiguus requiritur calor innatus pro lumbricorum generatione, ſed validus, ac plurimus. Quoniam ſi talis fuerit, vt in valde tenellis exiſtit, nondum poterit tam putridam materiam obtinere, ex eiuſdem Galeni ſententia. Nam quamuis plurimum habeant ipſi inſitum calidum, vt patet 14. aphoriſ. primi libri ratione ætatis, illud tamen habent cum humiditate permixtum, quoniam plurimùm ſanguinis habent, Galeno teſte tertio prognoſticorum. Necnon propterea quia cibi copiam, aut lactis ingerunt atque inordinatam, magnam quoque crudi, ac pituitoſi ſucci copiam cumulant, quæ cùm ab eodem eorundem calore obtineri nequeat, vt qui non adeò validus exiſtat, ea de re in valde tenellis lumbrici generari non poſſunt. Corrumpit itaque, ac idoneam quodammodo efficit materiam putredinis calor, in cruda, craſſa, ac pituitoſa materia exiſtens: perficit autem inquantum poteſt, informat, ac præparat, modo quo poteſt ipſam obtiuens innatus, vt exinde lumbrici procreentur. Nihil etenim putreſcens ſed concoctum gignitur, vt inquit Ariſtot. 3. de gene. animal. cap. 11. loquens de animalibus quæ ſponte oriuntur. Neque ipſi lumbrici ea ratione, qua in vniuerſo generantur, pro eiuſdem expurgatione. Nam ſatis eſt pro inteſtinorum expurgatione, ſeu abſterſione flauæ bilis ad inteſtina effuſio, vt patet quinto de vſu partium. Sed potiùs id, quod melius, natura eligens, putredinem eam haudquaquam derelinquens, nec omnino eam obtinere valens,

Quod in materia communicent.

Quod ſimiliter in efficiente eorum cauſa conueniãt.

Commen. 28.

cap. 4.

lens,quod melius eſt eligit,ipſamque lumbricorum ſpeciebus informat.Ariſto. quoque quarto Meteor.dicebat, animalia fieri in iis quæ putreſcunt, propterea quod ſegregata caliditas naturalis exiſtens, hoc eſt ab iis quæ putreſcunt propter aduentum alienæ caliditatis:eadem caliditas naturalis relatione ad id quod ex putredine generatur animali vſque adeò materiam putreſcentem obtinet, quod conſtare facit ſegregata,hoc eſt putrida excrementa, ea concoquens, & exinde ea conſtituens, vt liquet citato loco de generatione animalium,id quod in valde tenellis perficere nequit (vt Galeno viſum eſt) Nec minus & in loco conuenienti conuenientiam habent. Quoniam ſingulæ iam dictæ tres lumbricorum differentiæ in inteſtinis generationem obtinent, quemadmodum apud Galenum libro primo de locis affectis,cap.5. vbi morborum indicia ſumens à locis ipſis, eò quòd quibuſdam locis ſolis morbus hic accidat, quibuſdam verò ſolis nunquam eueniat, dicebat, quippe ſoli oculi ſuffuſione laborant, lapis in renibus, & veſica duntaxat, naſcitur, atque (vt nonnullis placet) & in colo, ἕλμινθες,id eſt lumbrici in inteſtinis gignuntur. Ex quibus patet toto cœlo aberrare eos,qui in ventriculo lumbricos generari poſſe Gale.aſcripſerunt,malè eiuſdem verba intelligentes comment. aphoriſmi præcitati 26. tertij libri cùm dicebat, Cibus autem puerulis nonnunquam corrumpitur in ventre, & præcipuè inferiore, verùm caliditas in valde tenellis nondum materiam obtinet. Nanque ſi paucis interpoſitis verbis in eodem comment. perlegiſſent Gale. noluiſſe ventriculum intelligere in præcitatis verbis,ſed inteſtina percepiſſent; dicebat etenim idem Galenus. Aliud verò genus lumbricorum eſt rotundorum, ſeu teretum, qui in ſuperioribus magis inteſtinis generantur, adeò quòd ad ipſum quandoque ventriculum aſcendunt. Noluit itaque Galenus per ventrem, eúmque inferiorem ventriculum intelligere,ſed inteſtina, vt patet. Eſt nanque, nedum eius mos, verùm etiam & Hippocr. (quemadmodum legitur ſecundo Prognoſticorum) per inferiorem ventrem,nedum ventriculum ipſum, ſed ieiunum,atque vniuerſa inteſtina intelligere. Cæterùm conceſſo,quod etiam ventriculum ſubintelligat Galenus, cùm dixit, plerunque in ventre puerilis cibus corrumpitur, quo medio demonſtrabis lumbricos voluiſſe in eo gigni poſſe? cùm poſſit cibus in eo corrũpi? nec proprerea lumbricos in eo gigni, quoniam ab eodem ventriculi proprio calore ita corruptus cibus nequit adeo obtineri. neque corruptus fuiſſet, ſi eum euincere, ac obtinere potuiſſet, ſed cùm primùm ad inteſtina deſcenderit,ibi generantur,id confirmauit paulò infra, cùm dixit, in ſuperioribus magis inteſtinis teretes lumbricos generari, adeò quod quandoque ad ipſum ventriculum aſcendunt, & non dixit, quod in ipſo generantur.Secundo etiam de ratione victus in morbis acutis,ſub proritationis nomine morſum comprehendens, quem acris humor in inteſtinis, ſiue in ventriculo,& præſertim ipſius ore parit, & vigiliæ, (inquit Galenus) & ira, & mœror, & lumbrici, qui ab inteſtinis ad ventrem vſque aſcendunt.Cui ergo in dubium venerit hîc apertè Galen. negaſſe lumbricos in ventriculo oriri poſſe? Quoniam cùm de morſu inteſtinorum, ventriculi, & præſertim oris eius verba feciſſet, ac de eius cauſis, inter quas lumbricos connumerauit, non vtique dixiſſet, qui ab inteſtinis ad ventrem vſque aſcendunt, ſed qui in ipſo ventre generantur, aut ſaltem id addidiſſet, ſi inſufficientiam euitare voluiſſet, poſſent etenim pariter morſum ventriculi cauſare lumbrici in eo geniti, ſi generari poſſent, ceu iidem ab inteſtinis ad eundem aſcendentes. Id etiam confirmauit Ariſtotel.quarto Meteororum, cùm dixit, In coctione animalia non generantur, & cætera. Nam in ea aut Hepſeſis fit, cum cibi perfectè concoquuntur,aut Molynſis, hoc eſt cruditas ei oppoſita, ex quarum neutra lumbrici gigni poſſunt; niſi priùs excrementa, quæ hepſeſim ſubterfugiunt, fuerit ſegregata atque corrupta: quàmprimum autem fuerint ſegregata, ea inteſtina excipiunt, vbi putreſcentia vtpotè deſtituta à ventriculi calore, idonea lumbricorum materia fiunt, continentium partium calore adeò ea euincente, vt

Cap. 1. tex. 13

Quod in loco etiam conueniant.

Quod in ventriculo lumbrici non generantur.

Tex. & comment. 13.

Comment. 55

Cap. 3. tex. 28

alia generet animalia. Id enim eſt quod Ariſtot. dicebat. Digeſtum eſt enim in ſuperiori ventre, putreſcit autem in inferiori ſegregatum. Pariter & Paulus, qui de teretibus lumbricis verba faciens ait, eos in gracilibus plerunque inteſtinis conſiſtere, & ſuperiorem ventriculum ſubire, ideóque frequenter per os deiiciuntur, quibuſdam & è naribus redduntur. Celſus autem lumbricos aluum occupare dixit, quanquam fœdius interdum ore reddantur. Theodorus verò Priſcianus libro 2. ad Timotheum cap. 17. ſi lumbricos aliquando ſtomachum, aliquoties inferiora poſsidere ſcriptum reliquit, haud propterea eos in ſtomacho generari dixit: quandoquidem tum ſtomachum poſsidebunt, cùm ad ipſum aſcenderint, veluti Galenus & Paulus præcitatis locis ſcriptum reliquerunt, & non quia in eo geniti ſint. Id quod haudquáquam ipſe fatetur, qui item tres eorum eſſe differentias eodem loco aſſeruit. Cæterùm quamuis iam dictæ tres lumbricorum differentiæ in materia efficiente, ac loco communicent vniuerſaliter, ſi quis tamen magis particulariter ea ſcrutari voluerit, differre inter ſe inueniet tum materia, quoniam licet ea putredo ſit, vnam ſpeciem quam alteram à maiori, vel minori putredine ortum habere reperiet, ſic etiam ex multa, vel pauca materia putrefacta. Nec minùs diuerſitatem quandam reperiet in agente, nam quamuis eorum omnium generatio à calore plurimo fiat, tamen idem calor reſpectu diuerſarum differentiarum lumbricorum iam dictarum, quandam habebit in eius magnitudine differentiam. In loco quoque (licet vniuerſaliter, vt diximus, communicent) quoniam non niſi in inteſtinis generari poſſunt, differunt tamen: quoniam teretes in ſuperioribus magis inteſtinis generantur, aſcarides in parte maximè inferiori craſsi inteſtini. Ipſe verò lumbricus latus, qui & longiſsimus quoque eſt, ſæpe per tota extenditur inteſtina, quamuis rarior ſit eius generatio, (vt inquit Galenus præcitato cõmento aphoriſmi 26. libri tertij) licet in tenuibus præſertim oriri incipiat, Aëtio auctore, cap. 40. libri noni. Quo fit vt propterea diuerſa ſit eorum forma, ſeu figura. At quicquid tandem ſit de eorum conuenientia, ac differentia, quòd inteſtina afficiantur, qualiſcunque fuerit lumbricus genitus, ex iam dictis liquet, licet in teretibus inteſtina, gracilia præſertim, in aſcaridibus craſſum, ſeu rectum, & in latis, vbi longius extendantur, tam tenuia quàm craſſa affecta ſint. Patet inſuper eos morbos eſſe in numero, tota ſubſtantia præter naturam, quemadmodum Galenus teſtatur libro de differentiis morborum cap. octauo. & decimoquarto methodi medendi, cap. decimonono. Ex cuius ſententia eorum ruit opinio, qui volunt lumbricos in inteſtinis genitos aliquem præſtare vſum, pro eorum videlicet expurgatione, ſeu deterſione. Nam cùm tota ſubſtantia præter naturã ſint, nulla ratione fieri poteſt, vt actionẽ aliquam, aut vſum naturalem animatis corporibus præſtent: quinimò eas potius impediunt, atque vitiant, nonnullos, eóſque non ſpernendos præter naturam affectus generantes: referuntur etenim & actiones, & vſus, ſecundum naturam, ad partes ſecundum naturam noſtri corporis exiſtentes. Cùm itaque neque partes, neque ſecundum naturam ſint, ſed toto genere præter naturam (vt diximus) valeant, qui talia ad pauca reſpicientes, temerariè effutiunt. Nos verò ad eorum inditia deſcendemus, primo teretum, cùm inter alios frequentiores fiant, cum febribus, & citra febres, atque ſpeciem habeant omnibus perſpicuam, Paulo teſte, ſimiles nanque ſunt vermibus in terra ortis, quos Græci ἔντερα γῆς, hoc eſt inteſtina terræ appellant, vulgus oniſculos vocat. Secundo latorum, & tertio aſcaridum, ſeu tenuium. Conſcribuntur autem teretum non pauca ab Aëtio, & Paulo inditia, quamuis (vt Paulus inquit) non omnia in omnibus ſigna inquirere oporteat, ſed plurima, aut nonnulla eorum. Sequitur autem eos qui rotundos lumbricos continent, incredibilis morſus ſtomachi, ventris, ac inteſtinorum, tuſſes exiguæ cum ſiccitate irritantes. In ſomno tremunt, & præter rationem exurgunt nonnulli, & cum clamore expergeſiunt, & iterum ſopiuntur, quoſdam comitatur ſingultus: quidam verò, & linguam foras protendunt, oculóſque claudunt, & taci

Quibus inter ſe differũt, dictæ tres lumbricorum differentiæ.

Pars affecta quæ ſit.

Quis affectus præter naturam ſint lumbrici.

Teretum lumbricorũ ſigna.

& taciturni ſunt, excitanteſque moleſtè ferunt, ob imbecillitatem vigilare nequeuntes, & dentibus frendent, ac ſuperuacuè mandunt, præſertim ſi infantes fuerint, & quidam eorum neglecti motu pulſus deſtituuntur, ac refrigerantur, atque eorum inſtar, qui animo linquuntur, tenuem quendam, ac frigidum ſudorem exſudant, & vt plurimùm liueſcunt. Contingit autem aliquando faciem eis fieri rubicundam, maximè circa malas, verùm color hic rurſus in pallorem ſolito maiorem tranſit. Quidam etiam pulſum inæqualem habent, obſcurum, deficientem, ac recurrentem. Aliis etiam appetitus perditio accedit, & febres augeſcunt inordinatæ, quæ cùm extremorum perfrictione tertia interim quarta die, vel nocte acceſsionem ſine ratione habent. Alij inſtar delirantium peregrina in ſomnis loquuntur, interim cum clamore præter rationem exurgunt, citoque rurſus collabuntur. Alij decubitum tranſmutant continuè dormientes, angoréque vexantur, & ex loco ad locum ſeſe viciſsim proiectant, atque multi inuocales omnino perſiſtunt. Interim præter id, quod cibum auerſantur, ſi quid acceperint, illi nauſeabundi vix deglutire poſſunt. Pleriſque verò aluus deſcendit corruptos cibos egerens, & tympani modo venter eis inflatur, & quidam etiam oculos ſanguine ſuffuſos habent. Cuncta verò hæc accidunt, tum ab ipſis animalibus in inteſtinis obuolutis, ſeu cùm per eadem ſerpunt, ac rodunt, & morſum inferunt, tum ex febrili calore prauos vapores ad cerebrum tranſmittente, ex putrida in ventre collecta humiditate exhalantes, vt Paulus refert. Ex ea item, quæ præceſsit victus ratione poteris lumbricorum generationem percipere, nanque craſſorum nimirum, & quæ difficulter conficiuntur, alimentorum vſus præceſsit, ac eadem largius ingeſta fuere, & maximè frumentacea, eoſdem item competies balneis à cibo vſos fuiſſe, vt teſtatur Aëtius libro nono, cap. trigeſimo nono. Cùm verò qui latus appellatur lumbricus, mutatio ſit, (ſi ita dicere libeat) ſeu permutatio membranæ intrinſecus tenuia inteſtina ambientis in corpus quoddam viuum, ex Aëtio, vt autem Paulus inquit, mutatio eſt adnatæ in interiori inteſtino membranæ in materiam animalis modo mobilem, quæ ſæpe tota redditur longitudine incredibili, & in his, qui febre carent abundat, quandoque in longis, ac diuturnis morbis etiam cum febre accidit, propterea non ab re continuò ſtomachi morſus infert, & ad cibos incorrigibilem appetitum, nam quod animatum euaſit (vt Paulus refert) in inteſtinis obiectum alimentum rapit, vt alio ſtatim opus ſit, & niſi aſſumpſerit, inteſtina roduntur, cæterùm ea, quæ accipiuntur, non ſubcenturiata, ſeu copioſè digeruntur, ſed citò excernuntur: iis occupatos comitatur corporis gracilitas, etiam impotentia; ſeu imbecillitas cum tarditate, nam quod viuificatum eſt in inteſtinis, vbi recens exhibitum cibum conſumpſit, poſtea ex ipſo ſolido corpore rodit. At certiſsimum, & minimè fallax indicium eius erit, ſi cùm recrementis, quædam ſemini cucurbitæ, ſeu cucumeris ſimilia excernantur, auctore Hippocrate libro 4. de morb. quem ſectati ſunt Galenus primò de locis affectis, & Paulus, ac Aëtius locis præcitatis. Decipiuntur autem qui talia excrementa eiuſdem lumbrici partus eſſe dicunt, ab Ariſto. illud capientes præcitato cap. decimonono. 5. libri de natu. animal. cùm dixit, latum autem illud ſolum inteſtino adhærens parit ſimile cucumeris ſeminis, quo inditio Medici id genus lumbrici ineſſe intelligunt. Non enim intellexit Ariſto. tale excrementum ſimile cucumeris, ſeu cucurbitæ ſemini eſſe lati lumbrici partum, tanquam aliud animal, ſed veluti quoddam proprium ipſius excrementum, ſeu pars eiuſdem. Sunt etenim excrementa, ex quibus Medici in affectarum ſedium, ſeu earundem affectuum notitiam deueniant in triplici differentia, vt patet, tum primo, tum tertio de locis affectis. Nam aliquando partes ſunt ſedium affectarum, aut ipſorum affectuum, quæ eorum eſſentia ſoluta, vel diſſecta excernuntur. Interdum ea quæ in ipſis continentur, nonnunquam aliquod, quod morboſas diſpoſitiones ſequitur, excrementum excernitur. In primo itaque excrementorum genere continentur recrementa illa ſemini cucumeris, ſeu cucurbitæ ſimilia, ſi excer-

Aet. lib. 9. cap. 4
Paul. lib. 4. cap. 57
Lati lumbrici figura.
Hippocr. lib. 4 de morb. verſus finem.
1. de loc. affe. cap. 5
1. de loc. affe. cap. 1
3. de loc. affe. cap. 3

nantur, quoniam tanquam partes latorum vermium eorundem certiſsimum,
ac minimè fallax inditium ſunt, vt quàm dilucidiſsimè patet apud Galenum
cap. 5 eodem primo de locis affectis, vbi de affectuum notis, quæ ex excrementis de-
prehenduntur, verba faciens, quæ propriè ſunt ipſorum affectuum, vt ramen-
tum vlceris, inquit, ſi in vrina ſabuloſum reſidet, lapidis: cucurbitæ verò ſe-
minibus ſimilia excrementa latorum vermium inditia ſunt. Inquit itaque Ari-
ſtote. Medicos ex iam dictorum excrementorum inditio, intelligere id genus
lumbrici ineſſe, non tanquam ex fœtibus, ſeu pullis eiuſdem, cum ipſum (Hip-
pocr. auctoritate) non pariat, ſed tanquam pars ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ, ac pro-
prium excrementum eiuſdem lati vermis exiſtens. Ex hoc etenim excremen-
torum genere non in artificioſam coniecturam, ſed in exactam notitiam deue-
nimus tum affectus; tum partis affectæ, vt latius eodem primo de locis affectis eſt
videre. Huius enim lati lumbrici quandoque partes conciſæ prodeunt, quæ ſe-
mel ſanè exolutæ non ampliùs ſecundariò congregantur. Interim & ipſi inte-
gri excernuntur, vt incredibilem magnitudinis de ſe præbeant aſpectum, ex
lib. 9. cap. 40 Aëtij teſtimonio. Sunt quoque (vt diximus) aſcarides lumbricorum ſpecies
vna, circa extrema inteſtini recti, & ani fibulæ initio, *σφιγκτῆρα* à Græcis ap-
pellatum conſiſtentes (vt liquet ex Aëtio, & Paulo) vehementem pruritum iis
Aet. lib. 9. cap. 41 locis inferentes, ex quo vehementi huius loci pruritu, ac aſsidua ad egeren-
Paul. lib. 4 cap. 58 dum irritatione, & ipſi dignoſci poterunt: hi quoque vtplurimùm ab excretio-
ne melius ſe habent. Et plurimi eorum manifeſte apparent in iumentis malè
Aſcaridum ſigna. cibum concoquentibus, quorum malam coctionem fœtor indicat excremen-
torum, Galeno auctore commento præcitati aphoriſmi. Quapropter & eo-
rundem inditia (vt Aëtius aſſerit) potiſsimùm ex graueolentia excrementorum
ſumuntur: indicant enim prauos aſſumptos cibos, ac eorundem corruptiones, &
frigiditates, ex quibus ſpecies hæc lumbricorum generatur, velut eidem Aë-
Cõmunis lumbricorũ cauſa. tio, tum etiam Paulo viſum eſt. Omnium verò trium ſpecierum communis,
ac vniuerſalis cauſa (vt diximus) putredo eſt, ex Galeni teſtimonio. Paulus au-
tem crudam, craſſam pituitoſamque materiam, ac putredini accommodam
omnium generum originem, ac cauſam eſſe ſcriptum reliquit, ſeu ſuprà adno-
tauimus. Qua de re cur amplius de eorum cauſa pertractare debeamus, non
Prognoſtica. inuenio. Reliquum eſt vt ad prognoſtica veniamus. Quorum primum Hip-
pocratis eſt ſecundo prognoſticorum, cùm dixit, Lumbricos quoque teretes
tex. 18 eunte in iudicationem morbo; deſcendere idoneum eſt, magnam autem curam
habere conuenit circa eorum curationem; præſertim teretum. nam multi nul-
la lumbricorum cura habita (vt inquit Paulus libro quarto, cap. 57.) exeſi ab
ipſis ſunt, & conuulſi interierunt. Alij produnt ſe lumbricos vidiſſe, qui ex in-
guinibus ægri eruperint, vt ipſe refert. Quod autem in infantibus, & pueris, at-
que iis, qui ad pubertatem accedunt, maximè abundent teretes lumbrici, ſcri-
Lib. 9. c. 39 ptum reliquit Aëtius ex Herodoti auctoritate præcitato loco. Item quòd peio-
res ex ipſis cenſentur maiores minoribus, paucis multi, & albis rubri, viuentes
etiam mortuis deteriores ſunt. Circa initia autem morborum, præſertim fe-
brium generati ſubſtantiam ſuam ex ſubiacente corruptione capiunt, circa vigo-
rem verò ex malitia morbi: circa declinationem autem ex permutatione om-
nium in melius, qui ſanè citiùs ſeparantur. Natura etenim ipſos reliquorum re-
crementorum inſtar foras propellit, vt idem auctor, ſimul & Paulus fatentur. In-
ter omnes autem lumbricorum ſpecies minùs periculoſi eſſe cēſentur ij qui aſca-
rides nominantur, quamuis fortè ex deteriori gignantur materia, tum quia te-
nues, & exigui ſunt, tum etiā quòd in loco generentur à principibus partibus re-
motiſsimo, inteſtino inquā recto. Præterea quoniam cùm alui deiectionibus faci-
lè excernuntur, necnon adhibita medicamenta ſtatim eos attingunt, minùs verò
quàm teretes ij in pueris gignũtur. Teretes autem ipſis peculiares ſunt, vt ex Ga-
Lumbricorũ curatio. leno & Paulo liquet. Inter reliquas autē duas differentias, latos videlicet, & tere-
tes, lati peiores ſunt, quàm teretes, Celſo auctore. Pro lumbricorũ autē curatione,

primò

primò victus rationem inſtituemus vniuerſalem, ac communem cunctis iam dictis tribus ſpeciebus, deinde particularem per medicamenta curationem, prout quælibet ſpecies exigit, conſcribemus, à teretibus exorſi. Aër itaque eligatur ad calidum, & ſiccum parum vergens, potiſsimùm, vbi febris non adſit, ſomno mediocri vtantur, ac potiùs nocturno, quàm diurno, eóque non à cibo ſtatim, ſed per duas ſaltem horas. Exercitium confert, veluti vita deſidioſa, ſeu longum otium lædit. Id autem prandium præcedat. Aluus lenis eſſe debet, quod ſi id ſponte non fiat, balano, aut clyſtere citanda erit. Viténtque animi affectus omnes immodicos, veluti iram, triſtitiam, timorem, & id genus reliquas perturbationes, potiſsimùm à cibo. Quod verò ad eorum cibos attinet, probi ſucci eſſe debent, & qui facilè in membra digerantur, nec lumbricorum effectricem cauſam foueant, vel adaugeant, nec etiam vires ſuperari permittant. Quamobrem & vinum aquoſum exhibebimus pro potu, vt Paulus refert, liberalius autem ipſos nutrire ob hoc ipſum oportet, ne alimenti expertes lumbrici roſiones pariant. Dabitur autem cibus tum præcipuè, cùm non omnino inaniti fuerint (vt ipſe inquit) Quod ſi inſimul alui profluuium adſit, ex quo lumbricos magis abundare ſciendum eſt cibo non diſtributo, ſorbiles ægris cibi dari debent, admixtis quibuſdam etiam adſtringentibus, verbi gratia, pyris, ſorbis, aut malis punicis præcipuè acidis, iidem etiam ſorbiles cibi infantibus præbendi ſunt, quemadmodum iis etiam qui cibum auerſantur, eodem Paulo auctore, veluti ſunt contuſæ pullorum, aut gallinarum carnes, ſeu eorundem iura, in quibus iam dictæ carnes priùs liquatæ ſunt, brodia conſumata vulgus appellat. Reliquis, prædictorum pullorum, gallinarum, phaſianorum, ſturnarum, columbarum iuuenum, turdorum, merularum, ac aliarum paruarũ auium montanarum, carnes exhibeantur. Cappares quoque, & colymbades cum aceto conducunt. Inter olera vtrunque intubum, ſonchus, ac ſenecio competunt, præſertim ſi cum prædictis carnibus decoquantur, in quibus etiam ea quæ extenuandi vim poſsident, miſceri poſſunt, potiſsimùm ſi febris non adſit, veluti perpetuò vitari debent, quæ infrigidandi vim habent, ac craſſam, lentámque pituitam gignere poſſunt, ceu legumina ſunt, piſces, lac, caſeus, præſertim vetus, panis non fermentatus, & cuncti cibi, qui ex eo parari poſsint. Quantitas autem prædictorum ciborum multa pro vna vice non ſit, ſed ſæpius exiguo cibo vtendum. Porro cum & ipſi è genere eorum ſint, quæ tota ſubſtantia præter naturam ſint, prorſus quoque eos è corpore expelli conueniet, ex Galeni decreto decimoquarto metho. medendi. cap. vlti. Expelles autem (vt ipſe inquit) ſi priùs necaueris. Necabis verò amaris medicamentis, viuentes nanque obſiſtunt inteſtinis adhærentes. At mortui vnà cum ſtercore expelluntur, expelluntur cum hoc etiam viui, ſed ſtupefacti, & vti quiſpiam dixerit, ſemimortui facti. Verùm quoniam non ita vehementiora medicamenta deſiderant teretes, quemadmodum lati, & aſcarides, vt patet eodem 14. methodi medendi, cap 19. propterea de medicamentis, quæ teretibus competunt primo pertractabimus, quorum primum abſinthium eſt, ab eodem Galeno ibidem deſcriptum, præſertim ſi pueri non fuerint, ipſius autem cremor aſſumatur aut etiam abrotoni, vt inquit Aëtius. Pueris verò mixarum decoctum mentha admixta præbeatur, ex eodem auctore, febre non exiſtente, aut ſi eadem ſit exigua. Illud etenim animaduertendum eſt, quod ſi febris adſit, & eorum curatio, cum ea quæ febricitantibus conuenit, coincidat, mitioribus, ac ſimplicioribus ſanè remediis vti oportet, ab acribus autem febres magis exacuũtur. Potui igitur dabitur (vt Paulo viſum eſt) chamæmelorum, vel myxariorum decoctum, aut etiam ipſamet myxaria decocta eſui præbeantur, vel eorundem decoctũ chamæmelorum cum modico roſaceo, vt Aëtius aſſerit. Item ſereos ſuccus, aut coriandri ſemen cum aqua calida, vel cum poſca. Similiter & auriculæ muris decoctum, vel cornu ceruini ramentum, ac olei immaturi amariſsimi cochlearia duo abſorbeant. Nam qua amarũ eſt (vt idem Paulus fatetur) lumbricos occidit, qua lubricum,

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

Teretium lumbricorum medicamenta.

detrahens ipſos cum ſtercore reddit. Sunt etenim amara omnia nedum ad interficiendos lumbricos idonea, verùm etiam ad fœtum viuum enecandum, & mortuũ eiiciendum, quemadmodum liquet octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, cap. de filice, ac etiam de myrrha. Et propterea idem oleum omphacinum cum ptiſana decoctum præberi debet, Aëtio teſte. Cunctis verò tam infantibus, quàm adultis febrientibus, vel non febrientibus, ex eiuſdem auctoris teſtimonio confidenter exhiberi poſſunt, etiam ſi trimeſtres fuerint infantes, vermes terreni cum ſapa. Si verò ſapam non admittant cum hydromelite, aut vt libet prębeto, nihil veritus. Neque vtilitate cõtempta, ſeptem numero dato. Nos verò cum ſyrup. ex acetoſitate citri infraſcripti puluiſculi drach. j. indifferenter infantibus, ac adultis febrientibus, & non febrientibus exhibere conſueuimus. Qui recipit ſeminis, quod lumbricorum vocant, drach. ij. cornu ceruini vſti, ſeminis citri, & portulacæ ana drach. j. & s. fiat. puluis. Item eiuſdem acetoſitatis citri vnc. j. & vnc. s. ſucci menthæ aſſumentes, laborantibus ſæpe ſalubriter tribuimus. Cataplaſma inſuper (ex Aëtij teſtimonio) confici poterit ex lupinorum farina in hydromelite decocta, illúdque imponendum. Vmbilicus autem felle taurino illiniatur, aut melanthio cum lacte muliebri trito, ſeu abſynthio, aut abrotono pinguibus ficubus admixtus. Inſuper vniuerſa ſpina ex medulla ceruina inungatur. Humido etiam fotu ex oleo chamæmelino, vino, abſynthio, & aloë præcordiis accommodato (vt inquit Paulus) vtare, præſertim ſi ægrotantes inflammationem, ſeu diſtentionem in viſceribus experiantur. Atqui nos ex theriaca, terra lemnia, luto armeno, aqua roſacea, ac aceto medicamentum parantes temporibus, naribus, iugulo, ac carpis vtriſque applicari præcipimus. Ex vtraque item mentha, & abſynthio, ac perſicæ foliis inſimul contuſis adiecto aloës puluere, lupinorum farina, atque torrefactis micis panis cum aceto, & aqua roſacea medicamentum ventriculo imponendum paramus. Interim chiam maſtichen, ac cinnamomum adiicientes. Inſuper ex abſynthij, ac perſicæ foliis contuſis, felle taurino, aloë, ac farina lupinorum adiectis, cum oleo de abſynthio, & amygdalarum amararum cataplaſma ex oxymelite paramus, vmbilicóque imponimus. In quem etiam vſum Paulus ceratum probat ſumptis aloës, abſynthij, farinæ lupinorum, ſeriphij, melanthij, ſingulorum ſcrupul. vj. ceræ vnc. j. s. chamæmelini quod ſatis eſt, felle taurino arida læuigantur, & ceratum conficitur. Si autem febres non moleſtant, quinimo ad integritatem, aut totius morbi declinationem ventum eſt, acrioribus, ac efficacioribus medicamentis vtendum erit, præſertim robuſtis corporibus. In quem vſum ſeriphij decoctum, vel calaminthæ, ſeu pterœos vtendum, vel cardamonij ſemen, vel mali punici acidi radicis ius ad tertias redactum præbeto, vel ſantonicum, vel abrotonum, vel etiam ambo ſimul cum melle in catapotia cocta, vt inquit Paulus, aut braſsicæ, ſeu erucæ ſemen læuigatur, ſeu abſynthium ſolum, quod etiam frequenter abundè fuit. Similiter ſi terni lotæ aloës ſcrupul. præbeantur, remedium eſt laudatiſsimum, eodem auctore, acetum etiam ſcyllinum præſertim ætate prouectioribus confert, vt ipſe inquit, chamæpithyos, marrubij, ac etiam helenij decoctum, thymi, & pulegij. At Celſus contritum ſemen vrticæ, aut braſsicæ, aut cumini cum aqua, vel mentham cum eadem, vel abſynthium decoctum, vel hyſſopum ex aqua mulſa, vel naſturtij ſemen cum aceto contritum, & pueris dari iubet. Prodeſt inſuper ab inferioribus partibus mulſam iniicere copioſiorem, quo lumbrici mellis dulcedine illecti deorſum deſcendant, vt idem inquit Paulus. Nos verò in hunc vſum conſueuimus cum pauco ſale, aut ſaccharo lac per clyſterem iniicere aſininum, aut caprillum. Quandoque verò ex gallinarum, ſeu pullorum iure, ſaccharo, & ouorum luteis clyſterem componimus, ac iniiciendum mandamus. Si autem putrefacti lumbrici in alto corporis, aut per pharmacorum potiones enecati non excernantur, ſed potius vapores ſurſum mittant, educendi ſunt, aut aloës, (vt inquit Paulus) aut medicamenti amari ex ea confecti potione.

In quem

In quem etiam vſum, ſi febris valida infeſtet, rhabarbarum cum melle rorido in myxarum, ac tamarindorum decocto diſſolutũ præbere cõſueuimus. Quandoque etiam, febre valida non exiſtente, agaricum imponimus, ac eum prædictis commixtum exhibemus. Neque enim (vt ipſe Paulus refert) expers præſidij erit mediocris alui euacuatio: & in vniuerſum omnia, quæ lumbricos educunt, aut per acredinem occidendo, aut per amaritiem ſubducendo, aut ad excretionem irritando, aut per conſequentem ad ea quæ exhibentur, lumbricitatem efficacia cognoſcũtur, vt liquet ex Aëtio. At ſi qui ſunt, qui lumbricis cum alui profluuio infeſtentur, eos fluorem inſpiſſando, & concoctionem, tum per cibos tum per cataplaſmata in melius permutando curare oportet. Inquantum enim fluxiones inualeſcunt; tantum etiam lumbricorum generatio augetur, vt idem Aëtius teſtatur. Qua de re præpotationibus vtendum erit, inter quas plantaginis ſuccus eſt præferendus, ipſamque plantaginem aridam abſumant, nam ex æquo vtrique & fluori, & lumbricis efficax eſt. Licebit autem & in hoc caſu vermibus terrenis, quemadmodum antea dictum eſt, vti. Coniicienda item ſunt in cataplaſmata ad fluxiones ſiſtendas concinnata ea, quæ ad lumbricos ſunt prædicta, & quæ fluorem non exacerbant, velut eſt abſynthium, abrotonum, ſantonicum, malicorium, acacia, & balauſtium, galla, pteris, eíſque ſimilia cum cruda, hordeaceáque farina (vt liquet ex Aëtio, & Paulo.) Inſuper extrinſecus ventri imponatur medicamentum ex aloë, melino, & vino. Hoc etiam appetentiam excitat: ſæpiùs autem & abſynthium cum eiſdem miſceatur, vt inquit Paulus. Latorum verò lumbricorum curatio licet cum præcedenti concordet, ex Aëtij, & Pauli teſtimonio, quare iam dictis etiam vti poſſumus tamẽ vt Galeno viſum eſt 14. metho. meden. id quod etiam videtur confirmare Celſus præcitato loco, vehementiora medicamenta lati lumbrici deſiderant, quàm teretes. Huiuſmodi eſt filix (inquit Galenus eodem loco) maximè radix eius, vt idem Galenus ſcriptum reliquit octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus latum enim lumbricum interficit, ſi quis eam drac. iiij. in melicrato ebibat, vt ipſe refert. Ad quem modum mirum non eſt partum viuum enecare, & mortuum eiicere. Item centaurij decoctũ potum, & ab inferioribus partibus inditum, calaminthæ, dictamni, vel pulegij confert, vt ex Paulo liquet. Poterunt etiam & in potu vermes terreni (vt dictum eſt) exhiberi. Propriè autẽ ad ipſos facit auriculæ muris ſuccus duorum cyathorum menſura cum vno cyti cyatho potatus, celerrimè nanq; ipſos educit, vt liquet ex Aëtio. Nec minùs aqua potui dari debet, in qua lupini, aut cortex mori decoctus ſit, aut cui adiectum ſit contritum, vel hyſſopum, vel piperis acetabulum, vel ſcammoniæ paululum, vt Celſus teſtatur. Vel in hunc modum (ex Aëtio) medicamentum paretur. Recipe corticis radicis mali punicæ acidæ in ſuprema parte delibrati, piperis, cuiuſq; drac. iiij. cardamomi drac. vj. marrubij drac. ij. mellis deſpumati quantũ ſufficit, præbe ex eo cochlearium, poſt allij comeſtionem (vt ipſe præcipit.) Id quoq; medicamentum Paulus ſcriptum reliquit. Verùm vt ex toto affectus diſcutiatur, vt idem inquit, theriacen quoque exhibebis. Pari modo, & qui aſcarides nominantur, vehementiora medicamenta deſiderant, ex eiuſdem Galeni decreto, miniméque eorum curatio negligenda eſt, ſed citra dilationem perfici (vt inquit Aëtius) debet. Quare acri muria infuſa, aut abſynthij decocto oleo admixto vacuandi ſunt, vel centaurij decocto cum nitro, & melle, aut abſynthij, aut chamæleontis, aut hyſſopi, vel pulegij, ſeu calaminthæ, aut lupinorum. Infantes verò glandibus ex melle cum ſalis momento vacuari debent, vt inquit Paulus. Poteris & tu prædictis glandibus adiicere ſtercoris murium, ſalis gẽmæ, agarici, ac pulueris hieræ ſimplicis parum. Vbi verò recrementa prodierint, affectus locus illiniendus eſt ſimplicibus quibuſdam medicamentis, vt acacia, hypociſtidis, rhoiſque ſucco cum alumine liquido; aut alio eiuſdem generis adſtringenti medicamento. Coacta etenim ab adſtringentibus affecta pars corroboratur; aptitudinémque ad animalculorum generationem amittit,

Latorũ lumbricorũ curatio, per medicamenta. cap. 9. 8. de ſimpli. facult. cap. de filice.

Aſcaridũ medicamenta. 14. metho. in fine. Aet. li. 9. c. 41.

Li. 4. cap. 58.

atque aſcaridas ipſos excludit, vt liquet ex Aëtio. Eadem quoque, ac ſimilia adſtringentia in aqua maris, aut adſtringenti vino decoquantur, & eo calido aluus foueatur, ac irrigetur. Cæterùm ab eodem Aëtio medicamentum pueris & iis qui perfectæ ſunt ætatis conuenientiſsimum ſcriptum eſt, id verò eſt, Carnem veterem ſalitam pinguedine deraſa ſublongam, & rotundam formabimus, atq; ita adaptatam podici, ac adſtrictiori ani parti intrudemus, ligamentóq; adhibito, quãdiu ſuſtinere poſsint, inditam ſinemus, deinde ſoluemus, prædictáq; infundemus, atque illinemus. Idem etiam remedium ſæpiùs repetentes, in quã etiam figuram caſei, præſertim quod vulgus ſiculum nominat, portio quædam ſi redigatur, melléque illinatur, ac ſæpiùs immittatur, confert; vt nos non raro experti ſumus. Conducit quoque ad teretes educendos etiam infantibus.

Περὶ ἡπατικῶν. *Id eſt, De hepaticis, vel iis, qui iocinoris imbecillitate laborant.* Cap. LXXXII.

HVIC parti, quemadmodum & cæteris omnibus, duplex morborum genus euenire conſueuit, Galeno teſte quinto de locis affectis. cap. 7. Quorum vnum à ſola intemperie citra tumorem præter naturã ortum habet, alterũ vbi vnà cum intemperie tumor quoq; infeſtat, vt inflammatio, eryſipelas, ſcirrhus, inflatio, aut a craſsis, & viſcoſis humoribus obturatio (idque in extremis vaſorum partibus) interdum etiam abſceſſus, aut exulceratio ipſum exerceent, vt liquet ex Paulo capite 46. libri tertij. Nos verò de iis hepaticis affectibus pertractare hìc intendimus, in quibus affectus ipſe, iocinoris imbecillitas duntaxat eſt, nanque hos ſolos propriè iocinoroſos, ſeu hepaticos medici nominare conſueuerunt quando videlicet, citra aliquod manifeſtum in viſcere malum in propriis actionibus debilitatur, tunc etenim ægrum hepaticum appellant, vt liquet apud Galenum, cùm quinto de locis affectis, & octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, tum etiam tertio de cauſis ſymptomatum, quem poſtea ſectati ſunt Paulus præcitato loco, Aëtius capite primo lib. decimi, & Alexander capite tertio libri octaui, quemadmodum etiam cœliacos, & ſtomachicos vocare conſueuerunt eos, qui neque inflammationem, neque aliquem alium præter naturam tumorem in viſceribus habent, ſed tantùm imbecillitate laborat ventriculus, ſeu ſtomachus. Cùm verò viſcus hoc non vnam duntaxat, ſed plures actionum facultates habeat, contingátque ſæpè vnam ipſarum præcipuè lædi, interim duas, & tres, atque etiam omnes quatuor ſimul, vt liquet apud Galenum præcitatis locis, præſertim eodem octauo de compoſi. medicamentorum ſecundum locos, cap. 6. munus autem vnius eſt attrahere cibum, & alimentum in ſeſe, alterius verò ipſum attractum obuóluere, & continere donec permutans ipſum ſuipſius faciat partem, quæ facultas (permutans ſcilicet) principaliſsima, & ferè prima ipſius eſt, quam alteratiuam vocamus, hæc inquam concoquere, permutare, ſeu alterare, atque aſsimilare ſibipſi alimentum debet, at ea, quæ iuxta hanc alterationem remanent recrementa per aliam facultatem, quam excretiuam & expulſoriam nominamus, expelluntur, harúmque facultatum quædam omnibus corporis noſtri partibus communes eſſe dignoſcantur, ceu attractrix, retentrix, & expultrix, velut etiam reliqua, quæ generatim alteratrix nuncupatur, ſpeciatim verò huic viſceri (quam principaliſsimam eius nominauimus) ſanguifica appellari ſolet, vt eodem quinto de locis affectis, patet, ac ſexto de Hippocratis & Platonis decretis, propterea cùm iocinoris imbecillitatem dicimus, non eam, ex qua facultates illæ, quæ communes ſunt ſingulis corporis partibus, imbecilles redduntur, intelligere volumus. Nam ſi hoc modo ſubintelligeretur, non propria eſſet iocinoris affectio, ſed communis ſingulis corporis partibus, veluti & tres illæ facultates attractrix videlicet, retentrix, ac expultrix communes ſunt, ſed eiuſdem iocinoris

Hepatici, ſeu iocinoroſi qui appellentur.

5. de loc. affe. cap. 7.

8. de compoſi. medic. ſec. loc. cap. 6.

3. de cau. ſym. cap. 2.

5. de loc. affe. cap. 7.

6. de Hipp. & Plato. decret. cap. 4. & 8.

propriæ

propriæ facultatis imbecillitatem ſubintelligimus. Appellamus autem eam propriam, propterea quòd nulli alteri corporis parti communis ſit,ceu cæteræ mo do dictæ: & quamuis ea contineatur ſub alteratrice facultate generatim dictâ, ſpeciatim tamen ſanguifica vocatur, ex propria dicti iocinoris eſſentia, ſeu ſubſtantia, ac peculiari quadam eiuſdem temperie orta, ex qua ſubſtantiæ proprietate, ac ſpecie propriam quoque eſſe functionem oportet, veluti in ſingulis alijs inſtrumentarijs partibus, ex ſubſtantiæ proprietate propria quædam functio conſequitur, & propterea redditum à ventre ſuccum ſibipſi ſimilem efficit, maximè nanque rubrum & ipſum cernitur, perinde ac ſanguis,idcirco carni, ſubſtantiæque ſuæ,quæ à quibuſdam Medicis parenchyma nuncupatur, quaſi interfuſionem dixeris, prædictum ſuccum ſimilem efficit. Nam vnumquodque inſtrumentarium animalis membrum compoſitum cùm ſit ex alijs ſimplicioribus partibus, proprium quiddam in ſubſtantia ita adeptum eſt, vt nihil aliud in vniuerſo animalis corpore ſimile reperiatur. Nihil itaque mirandum eſt, ſi iecoris corpus ex propria ſua natura functionem propriam conſequutum ſit, quæ quidem ſanguinis generatio exiſtit (Galeno auctore præcitato libro ſexto de Hippocratis, & Platonis decretis, & quarto de vſu partium) cùm vnumquodque membrum ſucco ſubſtantiæ ſuæ quàm ſimillo nutriatur, cumque ſibi alterando, & immutando præparet. Sanguinis igitur generationem nihil aliud, niſi caro iecòris procurabit, quæ quidem caro, ſicut ſuprà demonſtrauimus, proprium corpus iecoris eſt. Cùm itaque hæc oblæſa eſt propter imbecillitatem duntaxat ex aliqua intemperie ortam, tum hepaticum affectum peculiariter ipſum nominabimus, ac ægrum hepaticum appellabimus. Nec quiſpiam mirari debet, quòd affecto iocinore, ac eiuſdem propria ſubſtantia oblæſa, ceu quauis alia noſtri corporis parte, vna duntaxat eiuſdem functio vitietur, reliquis illæſis permanentibus, licet omnes ex proprio temperamento, ac ſubſtantia eiuſdem oriantur, nec quòd omnes eius virtutes ſimul lædantur, aut aliæ magis, aliæ minus, aliæ illæſæ in totum ſint (vt Galenus ſcriptum reliquit tertio de cauſis ſymptomatum) non enim omnes (vt ipſe inquit) ſimilem inſtrumentis ſtatum requirunt, quo fit, vt licet tota particula ſecundum eius temperamenti proprietatem agat, tamen in quolibet inſtrumento aliàs alia facultas, vel fortior, vel imbecillior ſit, facta ad actionem relatione, vt eodem quinto de locis affectis, liquet. Verùm cùm functio hæc peculiaris ipſius iocinoris exiſtens trifariam, velut quælibet alia, lædi poſſit, neque etiamſi quomodolibet ipſa oblædatur, hepaticum nominabimus. Nam ſi ablata eſſet, aut eadem vitiata, nequaquam hepaticus affectus dici poſſet, ſed cùm ipſa duntaxat diminuta fuerit (vt liquet apud Galenum eodem octauo libro de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & tertio de cauſis ſymptomatum) quo loco ſimilem affectum iocinori incidere in hepaticis dixit, iis qui imbecillo ventri accidunt, quando is quidem appetit, ſed cibos, quos ſibi admouet, cùm non concoquat iiſdem grauatur, & ſemicoctos ad inteſtina demittat, atque is quidem ad vomitum quoque concitatur. Iecur autem, cum vomitione aliquid ad portionem facit, quòd nutrimentum per vaſa quæ in meſenterio ſunt, veluti per ora quædam attraxit, rurſus per eadem ſemicoctum ablegat. Quo fit, vt hoc ſymptoma (vt ipſe refert) ſemicoctorum ciborum vomitioni ad portionem ſe habeat. Verùm quanquam id accidat circa initia, nondum magnam debilitatem hepate habente,ſed adhuc concoquere, & alimentum alterare velut in formam ſanguinis potente, aucta tamen affectione, diſtributum alimentum diminutè concoctum ad ſanguinem in viſcere priùs exiſtentem admiſcetur, corrumpiturque temporis progreſſu etiam hic vnà cum alimento circa ipſum non concocto, vt præcitato libro 8. de compoſ. medic. ſecun. loc. c. 6. patet: exinde fit, vt nedum diminutè, ſed etiam deprauatè functio oblæſa ſit. Ex iis itaque conſtat affectionem hepaticam, de qua hic verba facimus, nihil aliud eſſe, quàm imbecillitatem actionis propriæ eiuſdem

6. de Hippoc. decre. cap. 8. 4. de uſ. part. cap. 3.

cap. 3

cap. 7.

8. de compoſ. med. ſec. loc. cap. 6 3. de cauſis ſymp. cap. 2

Quid ſit propriè hepaticus affectus, ſeu iecoris imbecillitas.

eiuſdem iocinoris ex aliqua intemperie ortam, citra aliquod aliud manifeſtum in viſcere malum. Nam omnium facultatum eſſentiam in peculiaribus partium temperaturis conſiſtere clarum eſt in Galeni doctrina, præſertim libro primo de præſagitione ex pulſibus, libro de multitudine, ac quinto de locis affectis.

Lib. 1 de præſagi. ex pulſ. cap. 4
Lib. de multitud. cap. 3
5. de loc. affe. cap. 7

Proinde non ab re, cùm iecur ad aliquam octo intemperaturarum labitur, viribus ipſius, ac propriæ eius facultati noxa accidit. Quòd verò in hac affectione iecur oblæſum ſit, ex eiuſdem propriæ facultatis noxa liquet.

Partis affectæ dignotio.

Percipitur autem ea ex ſpecie excretionis (veluti etiam aſsimilarunt, qui ante Galenum fuere) maximè ſimili carnium loturæ, præſertim cruentarum, atque recenter enectarum. Quinimò ſi quis id, quod excernitur, aquoſum ſanguinem nominet, clarè quoque illud interpretari videtur, quemadmodum ſcriptum eſt ab eodem Galeno præcitatis locis, tertio ſcilicet de cauſis ſymptomatum, octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & quinto de locis affectis.

3. de cauſis ſympt. cap. 2
8. de compo. med. ſecun. loc. cap. 6
5. de loc. affe. cap. 7.
Loco citato.

Nam ſi fæci ſanguinis ſimilia per aluum excrementa deiiciantur, ita quòd qui excernitur ſanguis & nigrior quàm pro natura, & ſplendens apparuerit, vtpote ſanguine, & nigra bile commixtis, licet iecur affectum quoque eſſe coniiciendum ſit (vt eodem quinto de locis affectis, liquet) indicium tamen eſt ipſius hepatis ſuperaſſantis ſanguinem. Quare eius affectio humidæ deiectioni ventris eſt aſsimilis, quæ ad exactam quidem perducta eſt concoctionem, non tamen diductionem eſt conſequuta. Nam ſicuti hanc quoque venter omninò ab ipſa grauatus excernere cupit, ſic iecur vbi affatim diducti in ipſum nutrimenti fructum cepit, non patitur id amplius apud ſe morari. Cùm verò id recta progredi quauis ex cauſa nequeat, neceſſe eſt retro ad ventrem recurrat, & propterea is, quem mox diximus, ſanguis in tali affectione apparet, in qua non in propria eſſentia, veluti in modo dicta affectione iecur affectum eſt, nec peculiaris eius actio oblæſa, ſed propter fruſtratam ſanguinis diductionem ab eius multitudine grauatum, cùm amplius retineri non poſsit, neceſſum eſt retro iterum ad ventrem, ac inteſtina recurrat. Deuenit autem ad dictum ſtatum, quia ex ventre in iecur deductus eſt ſuccus, cum is, propterea quòd vlterius in corpus non diducitur, inibi diutius moratur. A nonnullis autem talis excretionis ſpecies dyſenteria quoque nominatur, vt liquet tertio de cauſis ſymptomatum, ceu prædicta cruenta deiectio, quæ ex iocinoris imbecillitate prouenit, appellari conſueuit eodem Galeno teſte libro quarto de articulis.

cap. 2
4. de articu. coment. 40.
5. de loc. affe. loco citato.
Alexan. lib. 8. cap. 5

Quamuis errent (vt ipſe inquit quinto de locis affectis.) hunc affectum putantes eſſe dyſenteriam. Alexander hepaticam dyſenteriam appellat. Interim verò contingit, quòd pars aliqua cùm affecta ſit, viribus ipſius iam factis robuſtioribus, præſertim ob expultricis facultatis robur, per ipſum hepar expurgetur, etiam dum integra conſtat valetudine: ſed tantùm ratione plenitudinis affecta, & proinde excretio ſequitur ſynceri ſanguinis, ſimilis ei, qui ab hoſtia interfecta profundi conſueuit, ac per circuitum repetit. Id autem euenire ſolet, vel mutilato aliquo membro, aut vbi quis in exercitatione educatus ad otium ſe conuerterit, vel etiam mulieribus retentis menſtruis, qui etiam affectus à nonnullis cruenta dyſenteria vocatur, in qua affectione neque iecur ipſum oblæſum eſt, quamuis per ipſum partium aliqua purgetur, propter aliquam iam dictarum cauſarum.

Sanguinolentæ excretionis differentiæ quot ſint.
cap. citato.

Cùm itaq; ſanguinolentæ excretionis per ſedem (præter eam, quam in propria iam dicta dyſenteria euenire diximus) tres ſint differentiæ, vt eodem tertio de cauſis ſymptomatum, ſcriptum eſt, ea duntaxat iecur in eius propria eſſentia, ac facultate oblæſum eſſe oſtendit, in qua per aluum excernitur ſanguinolentus humor, talis conſiſtentiæ, velut ſi quis ſanguinem cum aqua confudiſſet, ſeu velut ſi quis victimæ recens mactatæ carnes aqua lauiſſet (vt diximus.) Nam in aliis duabus, aut iecur oblæſum non eſt, aut ſecundum aliam quandam facultatem noxam patitur, in qua item affectione ſenſim homo, moraque temporis læſionem in alimento, & colore contrahit, ceu ſexto de Hippocratis, & Platonis decretis ſcriptum eſt.

6. de Hippoc. decr. cap. 5

Ex quo duntaxat colore iecur affectum eſſe nouit Galenus (vt patet

Loco citato.

patet quinto de locis affectis.) Quòd verò ex eiuſdem propriæ facultatis læſionis modo qualitas affectus percipi poteſt, nulli in dubium venit. Eſt autem id ſympt. in genere noxæ functionum naturalium, alteratricis ſcilicet, ac magis ſpeciatim ſanguificæ ipſius iocinoris, quæ non ablata, neque deprauata eſt, ſed diminuta, ac imbecilla. Cuius imbecillitatis cauſa quæuis intemperies eſſe poterit, vt ex iam dictis colligitur, & licet hæc intemperies poſsit generari circa contentas in ipſo iocinore venas & arterias, & iuxta materias in ſpatiis ipſarum contentas, necnon iuxta propriam ipſius hepatis ſubſtantiam, quam Eraſiſtratus παρέγχυμα Græcè appellat, affuſionem, ſeu perfuſionem Latinè dixeris, vt eodem octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum loc. cap. 6. à Galeno ſcriptum eſt quoniam facultas hæc, quæ ſanguifica dicitur, in iocinoris proprio corpore, ſeu propria ſubſtantia conſiſtit (vt ſexto de Hippoc. & Platonis decret. cap. 8. liquet) propterea & eadem ſubſtantia, ſeu idem corpus intẽperatum reddi oportet quo affectus hic generationem habeat non negantes, quòd interim primò, interdum verò ſecundariò ipſum oblædi poſsit, tunicis videlicet vaſorum, aut humoribus in eorum cauitatibus contentis, ſiue vtriſq; primariò affectis.

Quis affectus ſit.

Cauſa.

Si ex calida intẽperie ſiat, ſigna.

Calida igitur intẽperie circa hepar exiſtente, imbecillitatẽmque iocinoris generante, colliquationes fiunt primùm humorum, deinde etiam carnis ipſius hepatis, & euacuatur per ventrem bilis craſſa, graueolens, & abundè colorata, quemadmodum in peſtilentibus febribus contingit, aſſat præterea eadem, & adurit cùm contentos in ipſo humores, tum eos, qui per meſenterij venas deferuntur. Item in ea inappetentia adeſt, ſitis vehemens, febris inſignis, ac vitioſorum humorum vomitus, Galeno teſte octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & quinto de locis affectis. Sæpè etiam æruginoſa vomunt, ac ſimiles apparẽt deiectiones. Linguam habent ſcabram, corpus ſiccum, & gracilius videtur tanquam iecore colliqueſcente, & in cruentas ſanies contabeſcente. Temporis autem ſpatio etiam ex ipſa ſubſtantia tandem particulæ longè fœtidiſsimè deferri cernuntur, Alexandro teſte præcitato capite tertio libri octaui. Cæterùm (vt ipſe inquit) ex temperamento ægri, ætate, anni tempore, & prægreſſo victu reliquum licet firmioris cognitionis gratia capere. Nam temperamento calidi ſunt, & tenues habitu, pilóſque denſos habent, curis dediti, & animo iracundi.

Locis citatis.

Si ex frigida intẽperie laborant, ſigna.

Qui verò ex frigida iocinoris intemperie laborant, eis neque aſsiduæ excretiones, neque multæ fiunt, durat tamen affectus diutiùs, & per aliquos dies profluet ipſis venter maiori copia, cuius neque fœtor ſimilis eſt iis, quæ ex calore ſunt liquefacta, neque color ſimilis, aut compages, verùm minus graueolentia ab his excernuntur, ſpeciem putrefacti ſanguinis, non colliquatæ carnis habentia, aliquando id quod excernitur, veluti ſanguis niger apparebit, verùm diligenter conſideranti neque ſanguis niger eſt, neq; grumus, ſed velut limus quidam ſanguinis craſsi, qui propè ad atram bilem accedat, & plures, ac ægre iudicabiles colores circa eiuſmodi affectionem in egeſtionibus apparent, & nonnulli eorum, non ſolùm non perdunt cibi cupiditatem, verumetiam interdum multò magis, quàm antea ſe appetere aiunt, contentos autem in iocinore humores craſſos, atque ad fluxum, & motum contumaces reddunt, id verò, quod ad ipſum fertur & pituitoſum, & crudum, & ſemicoctum efficiunt, quemadmodum Galenus præcitatis locis ſcriptum reliquit, facies in iſtis non collabitur, febris tamen languida in eis apparet, reliquum etiam corpus, temperamentúmque ad frigidius magis inclinare videtur, ad hæc præcedens victus talis deprehenditur, item vita ocioſior, balnea copioſiora, & intempeſtiua, eáque poſt cibum, vt ex Paulo, ac Alexandro liquet.

Si ex ſicca, ſigna.

Humidæ intẽperiei ſigna.

Vbi autem ſicca fuerit iecoris intemperies, recrementa ſicciora erunt, corpus ſiccius, & tenuius, ſitim magis conciliat, & deiectiones alui paucæ, & craſsiores apparebunt. Quẽmadmodum, ſi humida fuerit neque ſitim efficiet, neque ſiccitatem, ſed magis etiam linguæ humiditatem, neque vlla ſitis vrget, & vultus, totúmque corpus diu non collabitur. Poſtea autem deiectiones ven-

tris

tris plurimæ apparent, magiſq; tenues, & aquoſiores reddit humores, vt liquet ex præcitatis auctoribus. Si autem humida, vel ſicca intemperies calidæ, vel frigidæ fuerit admixta, hæcmet indicia ipſam demonſtrabunt inſimul permixta, & prout variè permiſcentur, varias indicabunt compoſitas temperaturas. Huius affectionis curatio haudquaquam deſpicienda eſt, quoniam nonnulli, propter curantium inſcitiam (vt Galenus inquit quarto de articulis) perierunt. Quomodo autem cauſa fuere medici, vt ægri morerentur, ibidem declarauit. Ex calida item intemperie, ſi iocinoris imbecillitas fiat, quamprimùm ritè curari debet. Nam temporis ſpatio colliquationes ex ea fiunt, primùm humorum, deinde etiam carnis ipſius hepatis, quinimò totum corpus abſumitur (vt ex Galeno, & Paulo liquet.) Nec minùs, ſi ex frigida intemperie ortum duxerit, paruifacienda non erit eius curatio. Nam tractu temporis, corrupto in viſcere ſanguine, febris ſuperuenire ſolet, quæ tamen ab imperitis medicis vſque adeò negligitur, vt laborantem interdum nequaquam febricitare putent, quinimò ſi vitio ea intemperies frigida augeatur, permutabitur ad aquam intercutem, quemadmodum idem Galenus quinto de locis affectis, ſcriptum reliquit. Scopus autem curationis in huiuſmodi affectionibus communis, ac primus eſt, iuxta intemperiei contrarietatem, hoc eſt, vt intemperiem ad contrarium deducamus. Peculiaris autem vnicuique per cuiuſq; contrarietatem: nam calidam diſpoſitionem ſemper refrigerare oportet, frigidam verò calefacere, ſimiliter humidam exſiccare, & ſiccam humectare, Galeno, & Aëtio teſtibus. Cæterùm pro eo ſcopo perficiendo, quæ à parte affecta ſumitur indicatio adiicienda eſt, cùm princeps membrum ſit iecur, vniuerſo corpori diſpenſans alimenti materiam. Qua de re omnibus hepaticis remediis, pro quacunque intemperie curanda, tum quæ per os ſumuntur, tum quæ forinſecus imponuntur, aliquid ex adſtringentibus admiſcere oportet, quo firmitas viſceri conſeruetur. Id quod ſcriptum reliquit Galenus 13. metho. medendi, quem poſtea ſectati ſunt Paulus, & Aëtius. Si igitur calida fuerit iocinoris intemperies, aër eligendus eſt ad frigidum vergens, ſomnus moderatus, atque nocturnus, quies præcipienda, curaréque oportet vt aluus humecta ſit. Quòd ſi natura perfici nequeat, arte perficiatur lenientibus clyſteribus. Immodicæ animi perturbationes cauendæ ſunt, ita præſertim, curæ, ac ſolicitudines. In vniuerſum autem cibi erunt, qui mediocriter refrigerant, nec obſtruant, vt inquit Paulus, atque illi magis deligendi ſunt, qui probè diſtribuuntur, & robur, temperiémque inducunt, & vim abſtergendis viſceribus, aperiendíſque efficaciam habeant, Alexand. teſte. Quapropter cremor ptiſanæ, atque etiam ipſa ptiſana magnopere conducunt. Seris item, & cichorium interim crudum, interim coctum cum coriandro aſſumptum. Item decoctum ipſius, ſuccúſque epotus, denique mulſæ iniectus & calidis, & frigidis iocinoris vitiis opitulatur, vt inquit Paulus, eiuſdem quoque generis ſunt intubus, & ſonchus, & cætera, eiuſdem Pauli, & Alexandri auctoritate. In hunc etiam vſum lactuca quoque dabitur cum apij radice, & betæ percocta, aut eadem per ſe, licèt commodior ſit, ſi acetum inter coquendum recipiat: vt idem refert Alexander. Quandoque eadem, & reliqua modò dicta oleta in gallinarum, ſeu pullorum iure decoquantur, quamuis multa iura, præſertim pinguia vitanda ſunt, eorundem etiam pullorum, ſeu gallinarum, perdicum, ſeu phaſianorum, turdorum, aut turturum, & paruarum auium carnes guſtare poterunt, cum aliquo prædictorum olerum decoctas, anſerum quoq; ventres conferunt, quemadmodum anates, ac omnia, quæ in paludibus degunt, nequaquam offerri debent. Saxatiles piſces offerri poſſunt, & ſi non admodum magna fuerit calida intemperies, aut obſtructio iocinoris, cibos validos offerre conuenit, qui ægrè conficiantur, vt patet ex eodem Alexandro. Cæterùm fructus pomacei, pepones, mala dulcia, & cotonea bene matura præberi poſſunt, item malorum punicorum grana, & ante cibum modicum, & cum pane dare conuenit, nam iecur admodum imbecille, & ſtomachum collapſum firmare

Prognoſtica.

Commen. 40.

Galen. 8. de compoſi. med. ſec. loc. cap. 6. Paul. lib. 3. cap. 46.

cap. ult. Curandi Methodus.

Gal. 8. de cōp. medic. ſec. loc. cap. 6. Aet. li. 10. c. 1.

13. meth. c. 16. & 17. Victus ratio ſi ex calida hepatis intēperie fiat hepaticus affectus.

mare poſſunt, vt idem inquit Alexander, maximè ſi æger ingenti ſiti crucietur. Præberi inſuper poſſunt ceraſia, & pyra adſtringentia, ſorba, vel meſpila, non tamen ſæpiùs adhibita. Caſtaneæ quoque tutò ſumuntur, nam boni ſucci ſunt, & non citò à calidis intemperiebus corrumpuntur, præſertim decoctæ. Verùm nihil adeò hepaticis opitulatur, vt vua paſſa, quæ licet contemptibilis videri poſſit, ob familiarem eius vſum, vt Galenus inquit octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 7. hoc ipſum tamen (vt ipſe refert) eam facit vtiliorem, nam cùm familiaris nobis ſit, intantum adſtringens eſt, quantum opus habet viſcus affectum. Habet autem & vim concoctoriam crudorum humorum, & vim coërcendi maligna, éſtque ipſa haud facilè putredini obnoxia, & vltra hæc ſecundum totam ſubſtantiam viſceri ipſi familiaris eſt, & propria. Nuces autem, piſtachia, & nuces pineas vitare oportet vt inimica (eodem Alexandro auctore.) Pro potu vinum omnino circuncidatur, niſi alteram ob cauſam (nempe ſtomachi imbecillitatem) illud requirant, tunc etenim tenue, & quod Græci ὀλιγοφόρον vocant, & dilutum aliquod exhibeatur, vt Paulus præcipit. Verùm pro eo vtantur ſucco malorum punicorum acidorum, aut aqua hordei, ſeu aqua in qua cichorium fuerit decoctum, aut ſeris, ſiue ſonchus, adiectis coriandri ſeminibus præparatis, Aſclepiadis auctoritate, Galenus octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 8. nonnulla medicamenta pro huius affectionis curatione approbauit, inter quæ primum eſt, ſi ſucci cichorij cyathum vnum cum aquæ calidæ cyathis tribus dabis, mellis attici cochleario addito, quod medicamentum Aſclepiades Antonij Muſæ eſſe dicebat, aut picridis recentis, ſeu ſeridis recentis ſucci cyathum vnum cum aquæ mulſæ calidæ cyathis tribus. Eſt nanque prædictorum olerum, præſertim cichorij, & ſeridis facultas ſubfrigida, & ſubamara, ac moderatè adſtringens, & propter has qualitates optima pharmaca calidis intemperaturis ipſius hepatis exiſtunt, vltra hoc enim quòd moderatè refrigerant, amplius & robur viſceri addunt per adſtrictoriam facultatem, inſupérque commiſſuras oſculorum venarum in ſima viſceris parte ad eas, quæ in gibba ſunt, extergunt, neque frigidas intemperies magnopere lædunt, quemadmodum quæ frigidam humiditatem abſque adſtrictione, aut amaritudine poſſident, facere ſolent. Vtilis autem non ſolum ſuccus ipſorum eſt, tum recens, tum exſiccatus, ſed & ipſa olera exſiccata, tuſaque, ac trita potui inſperſa, & eorum decoctum in potu acceptum, ſimiliter & radices ipſorum, præſertim cichorij. Eiuſdem quoque Aſclepiadis auctoritate medicamentum approbat ex radicis chamæpithyos drach. viij. radicis cichorij drach. iiij. contuſis, & melle cocto exceptis, ſi eiuſdem nucis ponticæ magnitudinem præbeas, & aquæ calidæ cyathos tres inſuper bibendos. Atqui melius fortè eſſet radicis chamæpithyos drach. iiij. radicis cichorij drach. viij. aſſumere. Ex Archigene autem trifolij acidi decoctum ad tertias, & per triduum bibendum, datum pro vice cyathum vnum commendat, aut radicis rubi corticis heminam vnam, cum aquæ congio vno in nouo vaſculo ad reſiduũ quartę partis coquito, & ad ſuccum per noctem ſub dio expoſitum mellis cyathos ſex admiſceto, & ieiunis ad triduum bibendum dato. Similiter ſenecionis decoctum, tanquam valde cõmodum approbat. Aëtius quoque pręter ſeridis, ac intubi ſuccum, ſenecionis etiam ſuccum, aut decoctum, ſeu etiam perdicij ſuccum commendabat. Quinetiam Philonis antidotus ſemel tamẽ exhibita (vt ipſe refert) omnem aliquando calidam intemperiem mirabiliter ſanauit, id quod prius ſcriptum reliquerat Galenus eodem octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 7. Nec mirum ſi ſemel tantum exhiberi debeat, quoniam (vt idem met Galenus teſtatur) nullum hepaticum pharmacum vehementer refrigerans eſſe debet. Nos verò ex cichorij ſucco, ſeu hortulanæ (quam ſcariolam vocant) ſyrup. parari præcipimus, ac prædictis exhibemus, interim oxyſaccharum, aut ſyrup. ex ſucco, vel infuſione roſarum adijcientes. Item in morſulis medicamentum componimus, quod recipit triaſantalorum drac. j. diarho-

Medicamentorum ratio.

don abbatis ſcrup.j.ſeminis cichorij ſcrup.s.vuarum paſſarum drach.iij.ſeminũ melonum drac.iiij.ſacchari diſſoluti in aqua roſarum,& cichorij quantum ſatis ſit,formentur morſuli,quorũ quilibet ſit ponderis vnc.1. exhibeatúrque cũ pauca aqua,in qua folia, & radices cichorij,vel hortulanæ endiuię fuerint decoctę.

Topica. Extrinſecus autẽ epithemata adhiberi poſſunt. Vt Recipe ſucci cichorij,& hortulanæ endiuiæ,& lactucæ,ſeu ſolani,ſingulorum vnc.iiij.aquæ roſarum rubearum,& cichorij,ſeu endiuię ana lib.j.ſantalorum,corallorum rubeorũ,cuiuſlibet drach.iiij.aceti albi vnc.2.miſceantur,& fiant epithemata,æſtate ſubfrigida,hyeme verò actu calida. Poteris inſuper hoc vnguento vti, Recipe olei roſacei,de abſynthio,myrtini,& de papauere,ſeu nymphęa ana vnc.1. ſantalorũ omnium, & corallorum rubeorum ana drach.2.ſucci cichorij, & lactucę,ſingulorũ vnc.s. aceti parum,& ceræ quantum ſufficit,fiat vnguentum. Inſuper ex folijs plantaginis, & cichorij,ac malo cotoneo in aqua,& oleo roſaceo decoctis, ac cõtuſis, adiecta hordeacea farina,& exiguo croco cum pauco aceto, fiat cataplaſma, & vtere.

Si ex frigida intemperie iecur laboret, curatio. *Victus ratio.* At vbi frigida intemperie iecur laboret,contrarijs pugnandum eſt. Quapropter vniuerſa victus ratio ad calidum vergere opus eſt. Cibi qui prõptè concoquantur,ac boni nutrimenti ſint,offerendi,hinc panis cum vino rectè aſſumitur,Alexandro,& Paulo teſtibus,ex oleribus braſsica bis, térve incocta potius conuenit in gallinarum,pullorum,ſeu perdicum iure, phaſianorum,aut ſtarnarum,item carnes prædictarum gallinarum,perdicum, phaſianorum, pullorum, ſtarnarum,aut turdorum, aliarúmque paruarum auium guſtare,atque anſerum ventriculos, vt inquit Alexander. In quarum carnium iure ſerpillum, ſatureia, hyſſopum, fœniculus, ſampſuchus, oreoſelinum, ac ſimilia decoqui poterunt, condiendáque iura ſunt,cinnamomo,aut caryophyllis,interim quoque, ſed rarò,prædictas carnes aſſas edant, præſertim cùm alios cibos ægri faſtidiant. Inter piſces maximè omnium mullus, etiamſi aſſetur,conducit. Inſuper caſtaneæ mediocriter aſſæ iuuant,ſi non admodum crebrò edantur. Conueniunt quoque & vuæ paſſæ. Piſtachia autem,& amygdalæ caueri debent,eo quod facilè corrumpantur,& oleoſa ſint,promptéque in bilem mutentur, & recrementũ aſperius reddant,vt hinc venter magis,crebriúſque irritetur, vt ex eodem Traliano libro octauo cap.4.liquet. Pro potu vino vtantur,præſertim tenui, & odorifero,nam ipſum conuenientiſsimum exiſtit,quoniam nutrit, concoquit, roborat,& putrefactioni reſiſtit,& ſi intemperies ex humiditate facta ſit, & frigiditate,eam citra omnem moleſtiam,ac ſecurè ſanat,Galeno teſte eodem octauo de compoſitione medicamẽtorum ſecundum locos,cap.7.

Medicamentorum ratio. Quod ad medicamentorum rationem attinet,calfacientia adhibeantur. Verùm magis,minúſve calfacientia,pro frigiditatis obtinentis magnitudine accõmodare oportet, vt idem inquit Trallianus,in quem vſum filicis,vel anethi ſucci cyathum vnũ cum aquę mulſæ cyathis tribus dato,ex Aſclepiadis auctoritate. *Galen. libro citato,cap.8* Item nardi celticæ partes tres,abſynthij partem vnam,tuſa,& cribrata melle cocto excipito, & myſtrum delingendum dato. Vel Recipe aniſi, ſeminis apij, aſari, amygdalarum amararum mundatarum,ſingulorum drach.4.prępara cum aqua,& reduc in paſtillos, ac exhibe drach.1.cum vini diluti cyathis tribus: febrientibus autem cum aqua mulſa,aut coſti triti cochlearium præbe cum aquæ mulſæ calidæ cyathis tribus. Inſuper fœniculi recipe drach.1.petroſelini drach.2.aniſi,amygdalarũ amararũ, abſynthij,ſingulorum drach.1.croci,myrrhę vtriuſque obolos tres,excipe aqua, ac redige in paſtillos,& dato drac.1.vt ſuprà dictum eſt. Hæc ex Aſclepiade. Verùm eorum medicamentorum quædam magis,quædam minùs excalfaciũt, vt liquet ex componẽtibus ipſa. Propterea eiſdem vtare,prout intemperies exigit. Similis quoque ratio habeatur omnium,quæ infrà conſcribentur intus, & extra adhibita. Atqui idem Galenus præcitato loco antidotum Cyphoidem, ex Andromachi auctoritate magnoperè cõmendat,ac cuncta, quę eius cõpoſitionem ingrediuntur, accuratè examinat. *8. de compoſ. medic.ſec.loc. cap.7.* Eius autem deſcriptio talis eſt, Recipe vuæ paſſę carnis drac.25.aliàs cẽtũ.croci drac.1.aliàs obolos 3.calami drac.2.s. bdellij

drach.

drach.2.s.caſsiæ ſeſqui drachmã,cinnamomi obolos 3.ſpicæ nardi drach.3.floris iunci odorati drach.2.s.myrrhæ drac.4.terebinthinæ drac.4.ramentorũ aſpalathi drac.2.mellis drac.16.vini.quod ſatis eſt.Aëtius calefacientibus, ac firmitatẽ addentibus vtẽdum eſſe pręcipit,velut eſt,nardi ſpica,capnium,ſemen pelecini, & quæ his ſimilia exiſtunt.In quem etiam vſum miro quodammodo conducit compoſitum Galeni ex malorum cotoneorum ſucco medicamentum, in fine 6.libri de ſanitate tuen.deſcriptum,non magis ſalutare (vt ipſe refert) iis quibus ventriculus imbecillus eſt, quàm iis quibus inualidum iecur exiſtit, ceu ipſe in nonnullis, pręſertim in primogenito filio illuſtris Ducis Thermularum expertus fui,qui ex iocinoris intemperie frigida,hepatica dyſenteria (vt dicunt) laborabat,quibuſdam tunc temporis medicis inuitis,corpore tamen priùs purgato, vt cap.de diarrhœa,ſcriptum eſt.Eius autem compoſitionem,ac aſſumendi modum cap.de ἀνορεξία,ſtudioſi requirant.Poteris etiam in eundem vſum præbere ſyrup.ex abſynthio,ex fumarię ſucco,aut de byzantiis cum additione,ſeu de eupatorio,ac nonnulla antidota calefacientia,ceu aromaticum roſaceũ, dianiſum, diacinnamomum,diarhodon abbatis,diacalamyntham,& reliqua huiuſcemodi, vel hoc noſtro efficaciſsimo medicamento vtare, Recipe ſeminis aniſi fœniculi,apij,& plantaginis ſingul.grana 4.coſti,glycyrrhizæ ana ſcrup.1.caſsiæ ligneæ, cinnamomi,vtriuſque ſcrupul.s.vuarum paſſarum drach.3. croci, ſpicæ, calami aromatici,& ſchœnu anthus,ana grana 2.s.cornu cerui vſti,& amygdalarum amararum cuiuſlibet drach.1.ſeminum melonum drach.4. ſacchari diſſoluti in aqua roſacea quantum ſatis ſit,formentur paſtilli, quorum vnum vice qualiber aſſumat cum exiguo vino albo odorifero. Si verò tractu temporis,ob frigidam intemperiem humor etiam pituitoſus ſanguini permixtus in viſcere putreſcat, ſeu corrumpatur,retineatúrque in ipſo iocinore,aut venis circa ipſum, ac febris ſuperueniat,ipſum euacuare oportet,his medicamentis, quæ nedum educendi pituitam facultatem habent,ſed etiam viſcus ipſum roborandi, cuius farinæ agaricum eſt (Paulo auctore) quem ſectatus eſt Arabum princeps. Id quod nedum ratio, & auctoritas, ſed experientia comprobat. Nanque prædicto ægro, reliquis medicis omnino pugnantibus audacter exhibui,exigua quantitate myrobalanorum chebularum,ac rhabarbari adiecta,nedum ſemel, ſed bis, ac feliciter ſucceſsit,ceu in nonnullis aliis & ante, & poſt eum expertus fui, quemadmodum cap.de diarrhœa,fuſiùs conſcripſimus.Nec minùs, ſi circa ipſum iecur bilioſus retineatur ſuccus,medicamento ipſum educente purgandus erit, quod vim etiam habeat ipſum corroborandi,veluti rhabarbarum eſt,ac reliqua, quæ eodem cap.de diarrhœa,ac dyſenteria,recenſuimus. Nanque in hunc vſum (vt Paulus refert) idonea medicamenta, quæ ad cœliacos, & dyſentericos ſcripta ſunt,deligi debent. Extrinſecus verò illitiones faciendæ ſunt ex oleo chamæmelino, nardino,anethino,ſampſuchino,& leotiſcino, ſeu de abſynthio. Vel in hunc modum vnguentum paretur,Recipe ſucci eupatorij,marrubij,& fumarię ana drach.3.aſari,ſpicæ nardi,& celticæ ana ſcrup.1.cinnamomi,iunci odorati,& ligni aloës ana ſcrup.s.olei roſacei,chamæmelini, & de abſynthio ana vnc.1.cęræ quod ſatis ſit,& aceti parum,miſceantur, & fiat vnguentum. Item ex fœnugræci,farina hordeacea,ſeminis lini,ac lupinorum ana drac.4. florum chamæmeli,eupatorij,abſynthij,meliloti,& iunci odorati,ſingul.ſcrup.1.myrrhę, maſtiches,& corticũ thuris,cuiuſlibet drac.s.olei anethini,nardini,roſacei, ac de abſynthio,cuiuſlibet drach.1.ceræ,.quod ſatis ſit,fiat ceratum,& vtare.Nec minùs & epithemata quoque conueniunt,quæ in hunc modum parẽtur, Recipe ſucci eupatorij,marrubij,fumariæ,ac cichorij ana lib.s. deinde Recipe radicis capparorum,filicis,& cichorij,cuiuſlibet drac.3.abſynthij,florum chamæmeli,ac foliorum plantaginis ana p.s.chamędryos,chamępityos drac.4.ſeminis dauci, aniſi, & fœniculi ana drac.1.ſpicæ,ſtœchadis drac.1.s.fiat decoctum ſecundum artẽ in aquæ pluuialis ſufficienti quantitate,de quo Recipe lib.2.miſcetóque cum prędictis ſuccis,ac aceti vnc.2.adiicito,& vtare.At quoniam humidę huius viſceris

Purgans medicamentũ quando exhibendum ſit.

Auicen. lib. 3. fen 14. tract. 2. cap. 3

Topica.

Si humida

fuerit iecino- affectiones exolutum,& imbecille ipſum facere ſolent, veluti ſunt articuli laxa-
rum intẽperies, ti,ſiue cum frigiditate,ſiue cum caliditate,ſiue ſine his laxatis ipſius ſola conſtite
curatio. rit,penitus adſtringentibus pharmacis opus habent (Galeno auctore octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap.8.) Verùm hoc (vt ipſe inquit) aut cum calfacientium mixtura, ſi frigida qualitas prędominetur, aut cum refrigerantium,ſi calida.Aëtius verò in humida intemperie, iiſdem oleis diſcutientia,ac reſiccantia incoquenda præcipiebat,veluti eſt iris, cuminum, ac ruta.Olea autem,quæ ipſe conſcripſerat,erant chamæmelinum, lentiſcinũ, nardinum,abſynthinum,ac roſaceum. Similiter vbi ſicca iecur laborauerit intem-
Siccæ intẽpe- perie,per contraria curanda erit,atque (vt inquit Aëtius) humectans victus ra-
riei curatio. tio commoda exiſtit,ac balneá ſufficiunt dulcium aquarum, quanquam cerata, epithemata,ac fomenta extra (quæ humectare poſſunt) adhibere non erit alienum.Nunquam tamen ab iis,quæ vim adſtringendi habent, abſoluenda erunt. Vnum tandẽ reſtat medicamentum conſcribendum, quod indifferenter cuilibet hepatis imbecillitati à quacunque cauſa ortę pręberi poterit.Nanque à proprietate totius ſubſtantiæ efficax exiſtit, non autem ſecundum vnam, aut alteram qualitatem,cuius abundè experimentum habuiſſe fatetur Gale. præcitato
8 de compoſ. loco,quem ſectati ſunt Aëtius,& Paulus.Id autem lupinũ iecur exiſtit,cuius dili-
medic.ſec.loc. genter triti pondere drac.1.cum vino aliquo dulci prębetur,quamuis febricitan-
cap. 8 tibus manifeſta febre,aut non obſcurè,melius ſit ex aqua calida pharmacũ prębere,aut ex aliquo prædictorum ſuccorum,veluti eſt ſeridis, aut cichorij, eiuſdem Galeni præcepto.Quanquam idemmet 11.de ſimpl.medicament. facultat. de lupino iecore,ſic ſcriptum reliquerit, Iecur lupinum ſæpenumerò in medicamen indidi hepaticum,quod ex eupatorio conficitur, nec tamen, quod mentione diguum ſit amplius præſtare comperi,ad illud videlicet comparans,quod ſine ipſo componitur,fortè quoniam per ſe ſolùm exhiberi debet, quemadmo-
8. de compoſ. dum præcitato libro octauo,& ſexto de compoſitione medicamẽtorum ſecun-
medic.ſec.loc. dum locos,cap.2.ſcriptum reliquit,& non aliis cõmixtum,quæ manifeſtis quali-
cap. 8 tatibus operantur.Nam ipſum à totius ſubſtantiæ proprietate efficax eſt, vt diximus; aut Aſclepiadis verba ſunt,dum dixit,cuius abundè experimentum habemus:cuius etiam auctoritate hoc medicamentum etiam à tota ſubſtantia efficax commendauit,videlicet:Cochlearum trium carnem valde probè terito, & affuſis vini nigri cyathis tribus calfacito, & bibendum dato.

Περὶ τοῦ ἥπατος ἐμφράξεως. *Id eſt, De hepatis obſtructione.*

Caput LXXXIII.

INter alios inſtrumentales affectus,quibus crebrò iecur laborare contingit,potiſsimùm is eſt,qui à Græcis ἔμφραξις,à Latinis obturatio,oppilatio,ſeu obſtructio dicitur, idque geminam ob cauſam,ob eius videlicet conſtitutionem,ac eiuſdem actionem (Galeno auctore lib.de conſtitutione artis medicæ, cap.17.) ob conſtitutionem inquam,nam venæ,quæ à portis in ſima prędicti viſceris vniuerſa finduntur,ac in tenuiſsimas extremitates finiuntur,quod quidem haud obſcurè apparet,oſcillis,quę in gibbo ſunt diſtributę,à caua vena ortę ſenſu obſcuro cõmittuntur,nam quomodo per ſua ora ipſæ inter ſe coniungantur, videre nequaquam poſſumus.Nemo tamen dubitat (vt liquet ex eodem Galeno quinto de locis affectis, cap.7.) ſed omnes ferè medici ex vno ore enunciant, quòd cibus vniuerſo corpori diſtributus, ex omnibus ſimarum partium venis exiens, ad gibbas partes per dictas extremitates tranſumitur.Alimentum etenim omne ſurſum ex ventriculo ad locum vnum affertur iecoris,quem ab hoc ipſo, quod nunc dictum eſt,portam nominant, cùm neque vrbes introire quis poteſt, antequàm in portas peruaſerit, neque priùs penetrare in iecur alimentum, quàm ad id loci peruenerit.Inde autem in ſima vniuerſa diſtribuitur iecoris, poſtea

per quos diximus fines in gibbum tranſmitur. Ob dictorum ergo vaſorũ anguſtiam nil mirum,ſi crebris obſtructionibus iecur laborat. Additur & ſecunda cauſa,quæ eſt eius actio αἱμάτωσις,inquam,hoc eſt,ſanguificatio,eſt nanque ſanguinis officina (vt diximus) vniuerſo corpori eum pro alimento ſuppeditans. Quo fit,vt ob copiam pērmeãtis ſubſtantiæ adhuc crebro viſcus obſtructione corripiatur,quemadmodum à Galenó eodem libro de conſtitutione artis medicæ,cap.17.ſcriptum eſt. Verùm cùm in eo non vna tantùm adſit cauitas,quæ vitiatam humiditatem ſuſcipere poſsit,veluti venter,& inteſtina,ſed tot ſint numero,quot ſunt arteriæ,& venæ.& hæ omnes anguſta oſcula habeant, qua parte ſima huius viſceris cum gibbis coëunt,ac committuntur, propterea eiſdem partibus totidem etiam obſtructiones, ſeu oppilationes generari contingit, vt ab eodem Galeno octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos,cap.6.decretũ eſt. Cæterùm cùm partium cauitates multifariam lædantur, vt propterea quandoque coaleſcant,interim conſtipentur, ſeu conſtringantur, aut in ſeſe reſideant,aut obſtruantur,quandoque verò ipſarum oſcula aperiantur, vt liquet libro de cauſis morborum, cap.7. Apertione hac relicta, ſimul & coaleſcentia,conſtipatione,reſidentia,ac conſtrictione,hoc loco nos de obſtructione earũ duntaxat verba facere intẽdimus,prout vnus duntaxat ipſius viſceris affectus exiſtit,non cum altero morbo cõpoſitus, veluti phlegmone eſt, eryſipelas,aut reliqua huiuſmodi.

Iecoris obſtructio quid ſit.

Eſt autem ea læſio, ſeu amiſsio prædictarum iocinoris cauitatum,ex infarctu alicuius ſubſtantiæ,humoris videlicet,ſeu flatuoſi ſpiritus,quemadmodum ex Galeno colligitur,quinto de locis affectis, cap.7.ac alijs pleriſque locis. Ex quibus error patet eorum, Arabum præſertim, qui volunt interim iecur ipſum in eius propria ſubſtantia,quæ παρέγχυμα, dicitur obſtructione laborare.

Vide Auicen. lib.1.ſen.14. tract.2. cap.4

Nanque perpetuò in extremis iam dictis vaſorum partibus fieri conſueuit, veluti præcitatis locis apud Galenum ſcriptum reperitur. Nec in eadem viſceris ſubſtantia cauitates,aut viæ adeò ſenſiles ſunt,vt eędem obſtrui poſsint,quanquam ſpatia quædam,tantum ratione contemplabilia, in ipſo, velut in reliquis partibus,reperiantur,iuxta quæ etiam ſi oppleta ſint præter naturam obſtructio,ſeu oppilatio non dicitur,vt libro de differentiis morb.cap.7.& de cauſis morb. cap.7. ſcriptum eſt. Afficitur itaque iecur in hoc affectu non vt ſimilaris pars,ſed vt inſtrumentum ſecundum prædictas partes,venas ſcilicet, & arterias,per quas ἀνάδοσις,ſeu diſtributio alimenti efficitur.

Pars affecta. Eiuſdem partis affectæ ſigna.

Dignoſcimus autem ipſum obſtructione laborare,vt ex Gale.percipitur ſecundo de locis affect. cap.8.& quinto de locis affect.cap.7.tum ex dolore cum poſitu, tum etiam ex qualitate prędicti doloris.Nam in dextra hypochõdriorum parte dolorem ſentiunt laborantes,cúmque grauatiuum,& pręcordia etiam veluti ſuſpenſa,quanquam dolor hic interim ſit obtuſus,aliquãdo verò vehemens (vt inquit Aëtius cap.2.lib.10.) qui iterum aſſerit quandoque abſque febre quandoque cum febre eſſe,quanquam Gale.præcitato libro 2.de locis affectis,cap.8. (quem ſectati ſunt Paulus cap.46.libri 3.& Alexander cap.2.libri 8.) velit hunc ſenſum doloris grauatiui in dextra præcordiorum parte citra febrem euenire, cùm in obſtructione (vt ipſe refert) tum etiam cum hepar dura diſpoſitione laborat.

Num ſemper iecoris obſtructionē febris ſequatur.

Verùm non propterea condemnandus venit Aëtius. Nam idemmet Galenus lib. de cõſtitutione artis medicæ, cap.17.febrem ſuperuenire iocinoris obſtructioni,cùm ea multiplex fuerit,teſtatum reliquit.Qua de re non ex propria obſtructionis natura febris conſequitur,ſed cùm ea multiplex fuerit, & propterea bene dicebat Aëtius,quandoque ſine febre eſſe,& quãdoque cum febre. In recenti nanque,ac exigua,& non multa exiſtente iocinoris obſtructione febris non excitatur,in diutina verò,ac multa non mirum,ſi ea conſequatur,magnitudinis tamen,& diuturnitatis ratione,quinimò idem Galen. octauo metho.medendi, cap.4.dicebat obſtructionis magnitudinẽ diſcerni ex ipſa magnitudine febris, vt quę ex maiore obſtructione,maior,ex minore minor fiat. Similiter ſi ea inueterata ſit,nedum in hepate, ſed in omni membro putrefactionem operatur, fe-

Quis affectus præter naturā sit obſtructio.

brémque accendit, Aëtio auctore, breui etenim tempore putrefactio conſequitur ab obſtructione ex vitioſis humoribus in frigidis intemperaturis, in calidis verò non citò, ſed tẽporis progreſſu accedit, vt liquet ex Gale. octauo de compoſitione medicament. ſecundum loc. cap. 6. & conſequenter ad putredinem febris. Affectus hic morbus exiſtit non in intemperie, ſed inſtrumentalis in via, ſeu cauitate. Nec in eo viæ, ſeu cauitates hepatis apertæ, ſeu dilatatæ ſunt (vt diximus) ſeu obſtructæ, ac infarctæ, vt propterea alimenti, ſeu ſanguinis diſtributio per totum corpus, aut non fiat, aut diminutè fiat. Hæc nanque eſt illa actio, quam per ſe primò iocinoris obſtructio lędit (Galeno auctore libro de differentiis morbor. cap. 7.) Nec per alias diuerſas notas quiſquam inueſtigare tentabit affectum hunc, quàm per eaſdem, per quas iecur ipſum hoc morbo affectũ eſſe nouimus. Quãquam de hac obſtructione non admodum certę habeantur coniecturę, vt patet eodem quinto de locis affectis, cap. 7.

Cauſæ.

Eſt verò obſtructio ex eodem genere ægritudinũ, quæ quidem ex lentis, ac craſsis humoribus fiunt (eodem Galeno teſte libro artis medicæ, cap. 94.) quanquam præcitato lib. 5. de locis affect. cap. 7. nedum à craſsis, & viſcoſis humoribus iocinoris obſtructionem fieri faſſus eſt, ſed halituoſo quoque ſpiritu ibi concluſo, cui non pateat exitus. Confirmauit idem Aëtius pręcitato loco, cùm dixit, iocinoris oppilationes fieri à flatibus nebuloſis, & concoctu difficilibus, aliquando autem & à craſsis humoribus, viſcoſiſque in finibus venarum ex ſima hepatis parte natarum, per quas ex ventre, ac inteſtinis alimenti digeſtio ad hepar cõtingit. Nec propterea quiſpiam audeat de inſufficientia Gale., condemnare, vt qui lib. artis medi. cap. 94. vnam duntaxat meminerit obſtructionis cauſam, cùm & præcipuam ſcripſerit, & reliquam ibidem non negauerit.

Si ex halituoſo ſpiritu fiat, ſigna.

Gal. 5. de locis affect. loco citato.

Dignoſcitur autem cùm vaporoſi, & craſſi flatus multitudo coaceruetur, quæ exitum non habet, quoniam non grauitatis ſolùm, ſed etiam diſtentionis ſenſum ſentiunt laborãtes, vt liquet ex eodem Galeno, & Aëtio.

Si ex craſsis, ac viſcidis humoribus.

Cùm verò obſtructiones à craſsis, viſcidiſque humoribus ortum habent, grauitatis duntaxat ſenſus percipitur circa dextrum ilium. Fiunt item & iocinoris, velut etiam reliquarum partium obſtructiones ex aliorum calidorum humorum multitudine. Nam ob copiam permeantis ſubſtantiæ ipſum crebrò obſtructione corripi, pro vna præcipua cauſa Galen. præcitato libro de conſtitutione artis medicæ, cap. 17. teſtatus eſt, octauo item methodi meden. cap. 4. Cernimus (dicebat) aliquando etiam quòd multum eſt, cùm ſimul totum confluit obſtruendo hærere, infigique non minùs, quàm ea quæ glutinoſa ſunt, & craſſa. Quòd ſi per meatus anguſtos eſt trãſitus, multò profectò magis retineri: propterea quia, quod multum eſt, quamuis tenax, & craſſum non ſit, obſtructionem parere poteſt, vt eodem 8. & 11. methodi medendi, cap. 4. ſcriptũ reperitur. Verùm quoniam nõ admodum crebrò id euenit, & ſi euenerit cum febribus copulantur obſtructiones ex humorum copia ortæ, putredine eas conſequente, quemadmodum pręcitatis locis, apud Galenum liquet. Nos verò de ea obſtructione tractare propoſuimus, quæ per ſe ſola citra alium complicatum morbum iecur exerceat. Propterea fit, quòd Græcos ſectantes auctores, Galenum inquã, Paulum, Aëtium, ac Alexandrum duarum duntaxat prædictę obſtructionis cauſarum meminerimus, ſpiritus videlicet flatuoſi, ac craſſorum, viſcoſorúmque humorum, ex hiſce nanque cauſis iocinoris obſtructio per ſe ſola, & circa initia, cùm multiplex non fuerit, etiam ſine febre excitari conſueuit. Reliquas, quæ mox à principio cum febre inuadunt, à calidorum humorum multitudine, ac putredine ortas, cùm de febribus verba faciemus poſtponentes. Nam ſi ex craſſitie prædictorum calidorum ſuccorum etiam obſtructiones iocinoris generentur, haud difficile erit eas dignoſcere.

Prognoſtica.

Nec alium requirunt curationis modum, quàm reliquæ, niſi quòd non adeò calidiora attenuantia exigunt, vt dicemus. Verùm quoniam oppilatio omnis inueterata, non tantùm in hepate, ſed in omni membro putrefactionem operatur, ac febrem accendit, vt Aëtius inquit, propterea celerrimè eas curare oportet, citiùs autem, ac breui tempore in

frigidis

frigidis conſequitur intemperaturis, in calidis verò non ita citiùs, ſed temporis progreſſu ſi ex vitioſis humoribus contingant (Galeno auctore 8. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 6.) nec minùs & aqua intercus conſequi poterit viſcoſis, frigidis, ac craſsis humoribus diu in iocinoris vaſis conſiſtentibus ex quibus vaſa ipſa primò infrigidentur, & demum ipſius iocinoris propria ſubſtantia, ad cuius infrigidationem perpetuò ſequitur aqua intercus (vt liquet 5. de loc. affe.) Quod verò totius etiã corporis extenuatio, ex eius diuturnitate neceſſariò conſequatur propter alimenti penuriam, quam Græci ἀτροφίαν dicunt, cuilibet patere poterit, nec alia indiget ratione, ſeu auctoritate. Pro huius obſtructionis curatione vnica habetur indicatio morbo contraria. Ea autem apertio eſt, Galeno teſte lib. art. medic. cap. 94. Cauſæ verò ſalubres ſunt abſtergẽtia, atque incidentia medicamina, vt ipſe inquit. Quamobrẽ erit ipſius medela priuſquam fiat obſtructio multiplex, & homo febricitet, ingeſtio tenuantium ciborum, ac medicaminum: vt apud eundem Galenum liquet libro de conſtitutione artis medicę cap. 17. Hoc idem confirmauit Aëtius, dum dixit, quare attenuantium, & oppilationem diſſoluentium quàm celerrimus requiritur vſus, & Alexan. huic ſe ſubſcripſit ſententiæ, dum aſſeruit. Cùm igitur obſtructionem eſſe animaduerteris, cum fiducia medicamentis vtitor, quæ incidunt, & extenuant. Aër itaque eligatur ad calidum vergens, ſomno vtantur moderato, ac nocturno potiùs, nam vigiliæ quoque moderatè conferunt. Quies vitanda erit, nam exercitatio maximè idonea exiſtit, vt liquet primo de ſanitate tuenda, cap. 14. eáque magis confert, quàm medicamenta diſſoluentia, & diſſecantia, propter cauſas ibi traditas. Alui excrementa, ſi non natura, arte ſaltem clyſteribus, aut lenibus glandibus expurgentur ſingulis diebus, animíque affectus immodici omnino vitandi. Cibi eiſdem dandi ſunt calidiores, & qui reſerandi facultatem habeant, ex Pauli auctoritate. Cuius farinæ ſunt aſparagus, cappares, fœniculum. Carnes item guſtari poterunt pullorum gallinarum, turdorum, merularum, phaſianorum, perdicum, ac aliarum paruarum auium montanarum, quæ item decoquantur cum fœniculo, hyſſopo, oreoſelino, ſatureia, pulegio, apio, ſampſucho, cichorio, intubo, aut reliquis huiuſmodi. Nec negligenda erit ptiſana, præſertim vbi ad calidum vergant craſsi redundantes ſucci, ipſa nanque inter omnia, quæ vt medicamenta, ſeu vt nutrimenta exhibentur, principatum obtinet, inter ea, quæ modicè attenuant, ac incidunt cum corporis madefactione, ac optima nutritione, vt à Galeno decretum eſt libro de ptiſana. Vitandáque ſunt omnia alimenta, quæ craſſum ſuccum generant; balnea crebra, & ea potiſsimùm à cibo, eodem Paulo auctore. Vinum autem tenue, & vetus vtile eſt pro potu, vt eidem Paulo viſum eſt. Præter hæc quàm celerrimus requiritur vſus attenuantium, & oppilationem diſſoluentium medicamentorum (vt diximus) ex Aëtij ſententia, inter quæ magnopere confert iecur lupi aridum, tritum, & cochleario datum ex vino dulci (Paulo teſte) Similiter Plantaginis radix, & ſemen, foliáque, ſicca, trita, ſiue per ſe vnumquodque, ſiue ſimul exhibeantur. Item anagallidis, quæ cæruleum florem habet, ſuccus, ac radicis dulcis decoctum. Pellicini item, qui in frumentis naſcitur, ſemen tritum cochlearij menſura cum vino, aut aqua mulſa in potu acceptum præclarè, & citra moleſtiam ab oppilatione liberat, ſimúlque firmitatem, tum hepati, tum ſtomacho addit. Capnium, quod fumariam appellant, ſucco eius expreſſo, & deſiccato, ſi reponatur, & in paſtillos redigatur, ſemel exhibitus, dolorem omnem adimit, ter autem præbitus in totum ab affectione liberat, vltra hoc quod & firmitatem viſceribus addit, decoctum quoque huius herbæ potatum ſimilem efficaciam habet, etiam ſi valde febricitent ægri. Aliquando autem herba ipſa exſiccatur, contuſáque, & cribrata cochlearis menſura præbetur, ex Aëtij teſtimonio. Quod ſi craſsiores glutinoſioréſque ſint humores, ex quibus obſtructio orta fuerit, præſertim in hepatis gibbo, validiora tribuenda erunt medicamenta, & propterea eupatorium tribuendum

Loco citato.

Curandi methodus.

Victus ratio.

In fine.

Medicamentorum ratio.

erit ex oxymelite. Similiter quoq; ſtœchas tum coƈta, tum trita data, ſpica nardi, ac chamæmelū, marrubiū, lauri cortex tritus, ac potatus, amygdalæ amaræ, ari, ac acori radix, & aſarum, apium, abſynthiū, caſſia lignea, rhaponticum, aniſum, fœniculi ſemen, viticis, ac dauci ſemen, ſimiliter & centaurij decoƈtum, ac lupinorum, flos iunci odorati, item Galli veteris decoƈti ius, ac etiam ciceris decoƈtum, quæ omnia tum ab Aëtio, tum à Paulo, & Alexandro commendantur. Ex quibus licebit varia medicamenta componere, & potiſſimùm decocta. In quem etiam vſum (vbi ad calidum vergant craſsi obſtruentes ſucci) ſyru. ex ſucco cichorij aut endiuiæ, quam ſcariolam vocant, oxyſaccharo, ſeu acetoſo ſimplici, ac vulgato ex tribus radicibus Gentilis cum aceto, ſeu è fumaria vti poteris. Et ſi frigidiores ſint, ac viſcoſi, qui redundant ſucci, ſyru. ex abſynthio, ex hyſſopo, marrubio, de byzantiis, de quinque radicibus Meſue de eupatorio, oxymelle, tum ſimplici, tum compoſito, ac etiam ſcillino vtare. Poteris etiam eos præbere cum aliquo prædiƈtorum medicamentorum decoƈto. Nec minùs exhibere licebit quandoque paſtillos ex medicamento, quod ex tribus generibus ſantalorum componitur, & ex ſemine melonum cum ſaccharo formatos aut ex diarhodon Abbatis, ac prædiƈtis melonum ſeminibus. Interim trochiſcis de eupatorio, de abſynthio, ſeu de rhabarbaro. Reliqua verò, quæ extrinſecus admoueri poſſent, epithemata ſcilicet, vnguenta, ac cerata ſtudioſi præcedenti capite requirant. Quo loco frigidæ iocinoris intemperiei curationem inſtituimus. Si verò multæ fuerint iocinoris obſtruƈtiones, non ſolum tenuantium ciborum, ac medicaminum ingeſtio ſufficiens erit pro earum curatione, ſed etiam euacuatio eſt neceſſaria (Galeno teſte præcitato libro de conſtitutione artis medicę, cap. 17.) Id quod nec etiam negauit Paulus vbi morbus in vetuſtatem inciderit, cùm dicebat, ſi morbus in vetuſtatem incidit, etiam venæ ſeƈtio, purgatióque adhibenda, ſi nihil prohibet. Qua de re venæ ſeƈtio fiat, vbi reliqua non prohibeant, humoribus præſertim ad calidum vergentibus, ac eorum quoque copia moleſtantibus, potiſſimùm vbi eadem obſtruƈtio adhuc quoque fiat, ex interna dextri cubiti vena. Nam curabitur quod obſtruƈtionis iam factum eſt per ea quæ obſtruƈta liberāt, propulſabitur quod futurū eſt, ſi affluxum confluentium humorum compeſcas, quemadmodum 11. meth. med. cap. 10. à Gale. ſcriptum eſt. Propulſabitur itaque quod futurum eſt ipſius obſtruƈtionis, ſaltem ex iam diƈta venæ ſeƈtione, quoniam defluxum obſtruentium ſuccorum per eam inhibebis. Vel ſi inueterata eadem ſit cùm putrefaƈtionem operetur, ac febrem accendat. Huic quoque nonnihil præſidij afferet, reliquis conſentientibus ex Pauli teſtimonio. Quomodo autem purgatio facienda ſit, ſi ea quoque fuerit neceſſaria pro multæ, ſeu diuturnæ iocinoris obſtruƈtionis curatione, cùm figura, ſeu formatio, tum etiam ſitus eiuſdem viſceris indicabit, per quæ ſcilicet loca eam facere oporteat, nam quæ in ſimus iecoris ſunt excrementa, ad inteſtinum: quæ verò in gibbis, per vrinas euacuabimus, eodem Galeno auƈtore præcitato libro de conſtit. artis medicæ. cap. 17. Quanquā etiam eadem iocinoris gibba, ſi multo vitioſo ſucco ſit referta, per deieƈtiones, & pharmaca deieƈtoria καθαρτικὰ Græci vocant, expurgari debeant, ſi verò mediocri, per vrinarios meatus, ex decreto eiuſdem Gale. 7. metho. med. Qua de re ſic intelligi debent eiuſdem Galeni verba 2. de arte curatiua ad Glauco. 13. metho. meden. ac reliquis in locis, vbi dixit, & quidem laborantibus gibbis partibus hepatis, quod per vrinam trahere oporteat, concauis autem per excretionem inferiorem, ſitus ipſe viſceris indicat, nanque quando mediocriter vitioſo ſucco ſunt referta, & non quando multo exponi debent, quoniam tunc etiam per deieƈtiones eadem gibba expurgantur, vt eodem 7. metho. meden. decretum eſt. Neque prius ad detergendas obſtruƈtiones accedere debemus, niſi vitioſi ſucci maiore parte emiſſa, alioquin metus eſt, ſi obſtruƈtionibus liberandis prius quam vacuaueris, ſtudeas, ne ipſas magis impingas, ex eiuſdem Galeni præcepto octauo metho. medendi, cap. 4. etiam lib. 11. eiuſdem ſic dicebat.

Quādo venæ ſeƈtione, & purgante medicamēto utēdum ſit.

cap. ulti. 2. ad Glauc. cap. 2. 13. meth. c. 10.

In fine.

11. meth. c. 10.

Oſten

Oſtenſum enim in prioribus libris eſt, ſi his auxiliis, quæ obſtructiones eximãt, vti, non vacuata priùs abundantia, velimus; fore vt non modo nihil proficiamus, ſed etiam affectum maiorem reddamus, pugnantibus ſcilicet inter ſe indicationibus. At ſi vacuata priùs multitudine ad curandam obſtructionem accedamus, medicamentis his quæ obſtructiones expediant, erit opus. Cùm igitur ex vitioſorum ſuccorum abundantia iocinoris obſtructiones fiunt multæ cum febre, ſeu diutinæ, priuſquam prædictis obſtructionem laborantibus vtaris, purgans medicamentum pro diuerſitate redundantis ſucci exhiberi debet, quod quidem per aluum expurget, potiſsimùm, ſi in eiuſmodi hepatis ſima ortæ fuerint, aut licet in gibbis generationem habent, eadem ſit multo vitioſo ſucco referta, nam ſi mediocri, per vrinales meatus expurgare oportet, ea quæ vrinam ciunt exhibendo. Vbi itaque ad calidum vergant obſtruentes ſucci, nec nimiam craſsitudinem habeant, hoc purgante medicamento vtare. Recipe rhabarbari optimi cum ſpica, ac ſquinãto vigorati ſcrup. 4. vel drac. j. s. maceretur per decem; vel 12. horas in aqua cichorij, ſeu intubi, demum per colum transfundatur, & adiice, vel pulpæ caſsiæ recenter extractæ vnc. 1. s. vel mellis roridi vnc. 2. diacatholi, drac. 7. miſceantur, & fiat potio cum aqua intubi, aut cichorij. Poteris item potiſsimùm vbi craſsiores fuerint redundantes ſucci, inuicem rhabarbari, agarico trochiſcato vti, vel decoctum in prædicta aqua cichorij, vel intubi drac. 1. agarici fiat, quo demũ expreſſo, ac per colum transfuſo, vnc. 2. mellis roridi adiiciãtur, ac ſcrup. 4. rhabarbari vt ſupra macerati, & drac. 4. vel vnc. s. diacath. Catapotia item formari poterunt ex eodem agarico, & rhabarbaro drac. 1. vtriuſq; accipientes, & cum ſucco cichorij, intubi, vel fumariæ, vel ſyr. ex eiſdẽ paratis formentur catapotia. Poſt quæ per aliquod tempus vnc. 2. mellis roridi, vel uj. ſyru. de cichorea Nicoli præbeantur quanquam hic mer ſyru. cum melle rorido, ac rhabarbaro vt ſupra pararo, calidis redundantibus ſuccis, commodè exhiberi poterit, quemadmodum ſi magis craſsi, ac lenti fuerint redundantes ſucci, catapotia de rhabarbaro, vel de agarico, aut pilulas aggregatiuas exhibere cõuenit, quibus ſemper adiicere poteris agaricum ſeu rhabarbarum, prout vnum magis, quàm alterum redundans ſuccus exigit drac. 1. aſſumens ex aliquo prædictorum catapotiorũ, ſeu ſcrup. 4. & ſcrup. 2. ſeu drac. 1. prædicti agarici trochiſcati, aurrhabarbari cum ſpica, ſeu ſquinanto, & cum ſyru. ex ſucco cichorij, fumariæ, aut intubi compoſito catapotia figurentur, demum corpore vacuato, quæ ſupra conſcripſimus medicamenta obſtructiones eximentia, propinari debent. Nam vitioſi ſucci maiori parte emiſſa, ad detergendas obſtructiones accedere debemus: extrinſecus quoque ea adhibeantur, quæ præcedenti capite, pro frigidæ iocinoris intemperiei curatione, annotauimus.

Περὶ φλεγμονῆς τοῦ ἥπατος. *Id eſt, De inflammatione hepatis.*

Caput LXXXIIII.

NON raró autem, & idem iecur inflammatione laborare contingit quæ haud aliter in ipſo, quàm in cæteris noſtri corporis partibus gigni conſueuit, nec etiam ab alia cauſa. Nam communis omnium phlegmonarum generatio (Galeno auctore 10. decimotertio, & decimoquarto, meth. med. lib. de tumo præter naturam, & de inæquali intemperie, ac cæteris plerifque locis) ex ſanguinis influxu eſt copioſioris, quàm pars poſtulet. Hic verò ſanguis cùm in aliquam animalis partem procubuit, maiora eius vaſa protinus diſtenduntur, vtpote abundãtiæ continendæ non ſufficientia, ab his deinceps, quæ minora ſunt, mox vbi nec in iis ſatis continetur, exudat foras in ea ampla ſpacia, quæ inter vaſa ſunt, ſic etiam vt omnia, quæ in carne habentur, loca occupet. Eſt enim viſceribus quoque ſua quædam caro, quam quidam Græcè παρέγχυμα vocant, in quam ſanguis ex refertis vaſis halitus ſpecie exudans inflammationem gignit, vt patet

10. metho. c. 3.
13. metho. c. 13.
14. meth. c. 2.
De tumor. præter nat. cap. 2.
De inæqua. intemperie. cap. 3.
Inflammatio quomodo generetur.
Cauſæ generationis eiuſdẽ.

eodem

eodem 14. metho. meden. cap.2. Influit autem copioſior hic ſanguis alia quapiam, aliiſque particulis eum aliquando mittentibus, ac ea quæ phlegmone laborate incipit recipiente, aliquando particula quæ affligitur, hunc ad ſe trahente, vtpote cum morboſo calore, aut dolore excruciatur. Partes autem quæ mittunt, aut copia, aut qualitate, aut vtroque nomine moleſtatæ tranſmittunt, vt *13. metho. c. 3.* liquet eodem 13. metho. meden. & ſexcentis aliis in locis, de qua inflammatio- *Quid per inflammationē intelligatur.* ne cùm nonnulla fuerint in præcedentibus à nobis dicta, præſertim cap. de pleuritide, hic quoque de ea protelare ſermonem non libuit, ſed tantùm de ea dixiſſe ſatis ſit: quod per inflammationem, eam quæ propriè ſic appellatur, & à copia optimi ſanguinis generationem habet, ſubintelligere volumus. Et pro- *Quibus ſignis dignoſcamus iecur inflammatione laborare.* pterea ad dignotionem affectæ partis deſcendentes dicimus, iecur ipſum deprehendi quod inflammatione laboret ex dolore cum poſitu, quoniam in dextro latere ad nothas coſtas dolor à laborantibus ſentitur, & cùm magnam trahunt ſpirationem, vehemantiùs excruciat, ſentiúntque in eadem dextra præcordiorum parte grauitatem, & interim iugulum ad infernas partes detrahi. Nam id non omnibus commune eſt, ſed iis tantum, quibus iecur coſtis alligatur, atque ſic dolor ad ſuccingentem coſtas membranam peruenit. Ex longis quoque interuallis tuſsis exigua, arida, & qua nihil expuunt, moleſtare ſolet, *2. de loc. affe. cap. 8. & 9. 5. de loc. affe. cap. 7.* atque ſpiratio parua, & crebra, quemadmodum 2. & 5. de locis affectis, à Galeno ſcriptum eſt. Quod autem inflammatio ſit quæ iecur exerceat, tum ex eiſdem quibuſdam ſignis, tum ex reliquis dicendis percipi poterit, nam & linguæ *Alia inflāmationis ſigna.* color in primis quidem ruber, deinde niger apparebit, aderítque cibi vehemens faſtidium, ſitis inexhauſta, vomitus tum ſynceræ bilis, tum eius, quæ ouorum vitellis ſimulatur, quæ poſtea æruginis aliquando colorem referre conſpicitur: aluus quoque conſtringitur, niſi vnà cum viſceri huius imbecillitate in- *Loco citato.* flammationem excitari contingat, vt liquet eodem 5. de locis affectis, à Galeno, ab Aëtio cap. 3. libri 10. & Paulo cap. 46. libri 3. Color corporis ſubuertitur in arquati morbi ſpeciem permutatus, & ſingultus quoque conſequuntur, ac acceſsionis tempore quidam delirio apprehenduntur, ac acre lotium excernunt, (vt liquet ex Aëtio,) qui etiam fatetur, quod febris adeſt acuta, inæqualis, *Quod nō ſemper iecoris inflammationē comitetur febris acuta.* quæ plerunque ad veſperam, & noctem exacerbatur. Quod verò febrem ad iocinoris inflammationem comitari neceſſe ſit, à Galeno decretum eſt eodem ſecundo de locis affectis. Verùm quod ea acuta ſit, nequaquam faſſus eſt, niſi præcitato quinto de locis affectis. Vbi de eryſipelate verba faciēs ſcriptum *2. de loc. affe. cap. 8.* reliquit, ardentes febres ac vehementiſsimas euenire, cum ipſum in iocinore, ventriculo, aut pulmone fuerit ortum, vel inflammatio eryſipelatis particeps *5. de loc. affe. Loco citato. 2. prorrheti. Commen. 20.* fuerit, quinimo libro prorrheticorum 2. phlegmone in iocinore, vel ventre orta quod non continuò, ac perpetuò maligna, nec acuta conſequatur febris, decretum reliquit, Nam inflammationum magnitudinem perpetuò febris ex proportione ſequitur. Et propterea niſi valenter iecur inflammari contingat, licet febris excitetur, quoniam princeps viſcus eſt, tamen ea acuta non erit, niſi eadem inflammatio magna ſit, pro cuius magnitudinis proportione ipſa quoque & maior, & vehementior excitabitur, de qua fortè Aëtius intelligere *Alex. lib. 8. cap. 1.* voluit, cùm dixit, febris adeſt acuta, inæqualis. Sic quoque Alexandri verba intelligi debent, cùm dixit, exiguam hepatis inflammationem non ſtatim febrem inducere, ſcilicet vehementem, & acutam, aliter falſum eſſet, nam orta inflammatione in eo, cùm princeps membrum ſit, vniuerſo corpori impertit *4. de cau. pul. cap. 7. 2. de loc. affe. cap. 8.* & tenſionem, & calorem immodicum, qui febris eſt, eodem Galeno teſte quarto de cauſis pulſuum, & propterea neceſſario (vt ipſe ſecundo de locis affectis ſcriptum reliquit) ipſam iecoris inflammationem febris comitatur. Pul- *4. de cau. pulſ. cap. 7. 4. de præſa. ex pulſ. ca. 4.* ſus, velut in cæteris inflammationibus, durus aderit, inæqualis quodammodo, ac veluti ſerrans tactum, licet non adeò, ac ſi neruoſæ partes inflammatæ eſſent, quinimò & maior erit, ac celerior, cùm & in parte conſiſtat, venis, & arteriis conſita, vt liquet eodem 4. de cauſ. pulſuum, & 4. de præſagitione ex pulſibus,

quo in

quo inditio potiſsimùm iocinoris inflammatio ab ea, quæ in ſuccingente membrana exorta eſt, ſecernitur, licet & alia quædam ſint, quæ capite de pleuritide annotauimus, quò fit, vt eadem hic tranſcribere ſuperuacaneum ſit. At quia interdum muſculis hepati incumbentibus inflammatis quidam decepti, eiuſdem viſceris eam inflammationem eſſe ſuſpicati ſunt, propterea viſum eſt, quo pacto diſtinguendæ ſint prædictæ affectiones, conſcribere. Etenim iocinore inflammato tumor ſecundum lineamenta, rotundus, figura videlicet ipſius hepatis, ſuccumbit, vt Aëtius fatetur, qui etiam ad corporis decubitum ſimul conformatur, maior enim apparet corpore ad ſiniſtrum latus reclinato, minor autem rurſus ad dextrum reuoluto, nimirum hepate ſub nothas cedente coſtas, neque viſui, neque tactui ſimiliter ſuccumbente. Amplius autem (vt idem inquit Aëtius) in hepatis inflammatione incumbens cuticula naturali modo habere conſpicitur: muſculis autem inflammatis cutis circumtenditur, vt ſi quis digitis apprehenſam attrahere velit, ea minimè ſequatur, propriiſsimè autem tactus diſcernet ſiue in alto, ſiue in ſuperficie inflammatio ipſa conſiſtat, rectorum denique muſculorum tumores præter naturam oblongi, atque per totum ventrem extenſi videntur, vmbilicum (veluti hæc quoque muſculorum coniugatio) comprehendentes. Quapropter haud obſcura eſt eorum dignotio, vtpote quos & poſitus & figura declarat, accedente adhæc, quòd ipſi à nullo exteriori muſculo conteguntur, Galeno auctore præcitato libro quinto de locis affectis. Hæc autem obliquis quoque muſculis, qui à thorace deſcendunt, ſunt communia, vt ipſe inquit, ſed multò difficilior eſt notitia muſculorum, qui iis ſubiecti ſunt, difficillima verò tranſuerſorum. Cùm ergò iecur intra hos muſculos ſub peritonæo poſitum ſit, cùm tribus contegatur muſculis, fieri non poteſt, vt tactus aliquam ipſius notitiam præſtet, niſi vel magna in ipſo oriatur inflammatio, vel incumbentes ei muſculi extenuentur, vt liquet ex Galen. eodem loco. Et propterea ſi in gibba parte conſiſtat inflammatio, præcipuè ſi ingens ea fuerit, perfacilè vel ſolo tactu dignoſci poteſt. Ea namque hanc propriam à muſculorum tumoribus ſortitur differentiam, quod moles ſub manibus ad coaceruatam circumſcriptionem definit: quippe ſoli iocinori proprium eſt, vt tumoris cumulum vniuerſum habeat circumſcriptum, ſed muſculus quilibet, cùm totus ſibi continuus ſit inflammationis ipſius moles ſenſim diminui conſueuit. Simarum autem partium inflammationes per alia potius ſymptomata, quàm per tactum inueſtigare oportet, vt liquet eodem 5. de locis affectis. Num verò in eadem ſima hepatis parte inflammatio ſit orta, an in eius gibba interſtingues. Nam quæ in ſimis eueniunt magis, quàm illæ, quæ in gibbo fiunt, faſtidium, nauſeam, vomitum bilioſum, ſitimque ingentem inducunt: quæ verò in gibba parte oriuntur, maiori quàm illæ inter ſpirandum dolore laborantem excruciant, magíſque tuſsim excitant, atque dolorem vſque ad dextræ partis iugulum, adeò vt detrahi videatur, extendunt, (vt ibidem à Galeno ſcriptum eſt.) Quamuis (vt idem teſtatur) in neutra prædictarum partium exquiſitè diſtincta inflammatio poſsit conſiſtere, nam omnium eius partium carnes inter ſeſe continuantur. Quis verò, ac quotuplex morbus ſit inflammatio, in præcedentibus ſæpius dictum eſt. Quod autem eius cauſa ſanguis optimus ſit, mediocrémque craſsitudinem obtinens, ex nullo alio inditio clarius patere poterit, quàm ex eadem morbi ſpecie, ex qua neceſſario eius cauſa arguitur, vt liquet aphor. 2. primi libri. Reliquum eſt vt ad eius prognoſtica tranſeamus, quorum primum Hippocrat. eſt aphoriſ. 17. libri 7. Cùm dixit, In hepatis inflammatione ſingultus, malum. Nam ſemper ſingultus iocinoris inflammationem comitatur, ſed quando ea in magnitudinem attollitur, ac ferueſcit, in quo feruore ſtomachus ad compaſsionem trahitur, nonnunquam propter neruorum communicationem. Quare (vt Galenus commẽ. eiuſdem apho. dicebat) tunc ſolùm compaſsio fit ſtomacho cum hepate quando inflammatio, & maxima, & peſsima fuerit, nonnunquam etiam bile multum

Quibus inditiis diſtinguatur iecoris inflammatio ab ea quæ muſculorum abdominis.

Loco citato.

Loco citato. Si inflãmatio in gibba, aut ſima iecoris parte ſit orta, quibus ſignis comprehẽdatur.

Cauſa.

Prognoſtica.

calida & multa in huius viſceris inflammationibus genita, ac confluente ad inteſtinorum principium, qua ſuperfluitante, atque ad ventriculum recurrente; contingit os eius morderi, atque ideo ſingultire. Quidam autem arbitrantur magnitudinem inflammationis ventriculum premere, ac ſingultum facere, non habente exitum ſpiritu. Verùm fiat ex quauis cauſa ſingultus propter hepatis inflammationem, ſemper malum eſt, quoniam eam maximam, atque peſsimam eſſe ſignificat, Gale. auctoritate præcitato apho. & commen. aphoriſ. 58. 5. libri. Si verò iocinoris inflammationem vehemens, atque acuta febris comitetur, malum quoque eſt. Nam valenter idem viſcus inflammatum eſſe oſtẽdit, quemadmodum ſi eadem febris exigua, & non acuta fuerit, minùs malum portendit, quia exiguam quoque eſſe inflammationem ſignificat: propterea quod inflammationum magnitudinem perpetuò febris ex proportione conſequitur, Galeno teſte 2. prorrhetic. At ſi eadem febris acutiſsima, vehementiſſimáque fuerit, ac vehementiſsima quoque ſitis laborantes excruciet, peſsimum erit indicium: quoniam inflammationem eryſipelatis participem, aut ipſummet eryſipelas in iocinore ortum ſignificabit: quæ febres magna ex parte (vt liquet 5. de locis affect.) in tabem tranſmutantur. Idemmet Galenus 10. metho. medend. de iocinoris inflammatione ſic ſcriptum reliquit. Quod ſi in abundè calido, & ſicco corpore generetur, potiſsimum ſi notatu digna fuerit, omnino æger morietur, propterea quod imbecillis ſit viribus, atque vna ſalus, tum iis, tum etiam pleuriticis, & peripneumonicis, & qui angina, ſeu ventriculi inflammatione laborant, eſt ipſum virium robur (vt ipſe inquit) & nos in præcedentibus capit. adnotauimus. Quantum ad eius curationem ſpectat, exquiſitiſsimo victu eſt opus, æque ac ſi ventriculus ſic laboret, (vt eodem capite ſcriptum eſt) quoniam munus eius viſceris toti animali eſt commune, accedítque omnibus animalis partibus maximum commodum, vbi non probè con coctum alimentum ſit, ſiue non in ſanguinem ritè fuerit conuerſum, vt ab eodem Galeno 13. metho. meden. decretum eſt: cibi propterea eligantur, qui tenui ſint conſiſtentia, recrementorum, ac mordentis qualitatis expertes: ſed tamen citra morſum detergant, huiuſmodi eſſet mulſa, niſi eſſet quod (vt Galenus eodem 13. metho. meden. cap. 14. fatetur) omnibus dulcibus tum iecur, tum lien maximè intumeſcit: ſupereſt igitur, vt quæ culpa vacet in cibo, ptiſana ſit, quippe quæ ſine morſu detergit, eodem Galeno teſte. Præterea & ipſius ptiſanæ cremor his idoneus eſt, vt qui vim habeat aperiendi, & abſtergendi, præterquã quod affectas partes non affligit, aut calefacit, vt liquet ex Alexan. Eadem quoque ptiſana in gallinaceorum pullorum iure, viribus præſertim exiſtentibus imbecillis parari poterit, ſimiliter & phaſianorum, ſtarnarum, iuuenum columbarum, perdicum, turdorũ, merularum, ac aliarum paruarum auium, quarum etiam carnes quandoque guſtare poterunt, & etiam eas contuſas, ſi vires exigunt. Nec minùs in earum carnium iure olera quoque decocta interim aſſumant, præſertim vbi inflammatio feruens fuerit, ſeu eryſipelatis particeps, veluti eſt intubum, cichorium, ſenecium, ſonchus, & reliqua huiuſmodi, quæ vim habent detergendi, & digeſtionis vias ab obturatione vindicandi cum leuicula quadam iocinoris refrigeratione, ac adſtrictione. Nam à vehementer refrigerantibus, ac adſtringentibus cauendum eſt, quoniam iocinoris phlegmonis ſunt incommoda, præſertim ſi in cauo viſceris conſiſtant, arctant enim os meatus bilis, ac bilem ipſam excerni prohibent, præter eas anguſtias, quas facit ipſa phlegmone, & (vt inquit Alexander) propterea quod conſtringunt, contrahúntque tumores, ad diſcutiendum difficiles ipſos reddunt. Ob quod neque malum punicum exhiberi debet, (vt eidem Galeno ac Alexãdro viſum eſt.) Sic etiam vinum pro potu magnopere vitandum, vt quod omni feruenti inflammationi in totum ſit aduerſarium (eodem Alexandro auctore.) Sed pro potu aqua hordei vtendum, aut aqua, in qua priùs cichorium, aut intubum fuerit decoctum, vel etiam parum radicis glycyrrhizæ. Confert item, vbi

Comment. 20.

cap. ulti.

10. meth. c. 5.

Curatio.

13. meth. c. 13.

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

eiuſdem viſceris gibba fuerint inflammata, pro cibo ptiſanam, aut eius cremorem cum apij decocto exhibere, quoniam modicè vrinam mouet. Reliqua verò, quæ ad victus rationem pertinent, ſi ad caput de ventriculi inflammatione confugias, ſcripta reperies. Cæterùm quoniam omnium phlegmonarũ primus ſcopus eſt euacuatio humoris, qui in partem phlegmone conflictatam graſſatur, vt lib. de conſtitutione artis medicæ, cap. 17. & eodem decimotertio metho. meden. cap. 2. & 9. liquet, quo pacto ipſum educere conueniat ex poſitu, ac formatione deſumitur.

Venæ ſectio.

Propterea vbi totũ corpus inanitione indigeat (ipſa inflammatione adhuc in generatione exiſtente) ſi vires tolerant, ac etiam ætas, ad ſanguinis miſsionem confeſtim cõfugiendum erit, per quam tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit, ſanguis eſt, interna dextri cubiti vena ſecta, propterea quod & è regione, ſeu directo, & ampla via cum vena, quæ caua dicitur, ſocietatem habet: hac non apparẽte, media ſecanda eſt. Quod ſi nec ea ſe oſtenderit, reliqua, ac tertia eſt incidenda, quæ humeralis dicitur, ex Galeni decreto eodem 13. methodi medendi, cap. 11. quem demum ſectati ſunt Aëtius, Paulus, & Alexander. Modum verò vacuationis, tum ex redundantiæ modo, tum ex ætate, natura, tempore anni, regione, conſuetudine, & ante hæc ipſa laborantis virtute inuenies, vt eidem Galeno viſum eſt. Quoniam ſi id ferre queunt, ſemel quãtum ſatis eſt, detrahendum. Si verò non, per vices partium, Aëtio teſte. Hęc autem venæ inciſio, opportunè in prima & ſecunda die contingit: ſi verò dolores vrgeant, & adſint vires, etiam ſeptima venæ inciſionem facimus, vt ipſe inquit. A venæ ſectione, vbi totum corpus plenum fuerit (vt ſuppoſuimus) ad topica remedia confugiendum eſt, quibus vacuari poſsit id quod in phlegmone obſeſſa parte continetur.

Topica.

Hæc nanque communis eſt indicatio curationis omnium phlegmonarum (vt diximus.) Nam antea priuſquam totum corpus à recrementis liberum fecerimus, cauendum eſt ne ea applicemus (vt Alexander inquit) In quorum adhibitione duo perpetuò ſeruanda ſunt, quorum primum eſt, ne frigida admoueas, etiam ſi inter initia adhibeantur, aliàs magis noxæ, quàm vtilitatis cauſæ erunt: ſecundum eſt, quòd eadem medicamenta nunquam abſolui debent ab his quæ mediocriter adſtringendi vim habent, indicatione ſumpta à parte affecta, propterea quòd animalibus altricis facultatis principium ſit, & venoſum ab hoc oritur genus, vt ideo eius robur ſeruãdum ſit. Quo fit, vt etiam eo tempore, quo quicquam ampliùs non influit, nec repelli quod in laborante particula continetur, poſsit, adhuc mixtæ facultatis eſſe debent medicamenta, vt ex eodem Galeno liquet pręcitato libro 13. methodi medendi, cap. decimoſexto.

Quæ animaduertenda ſint circa Topica medicamenta.

Nam coëuntibus vnà contrariis indicationibus, compoſitum quoque eſſe medicamentum oportet, quo etiam tempore clyſteres, iidémque lenes iniici debent, maximè ſi non ſponte egerat aluus. Fiat itaque illinitio extrinſecus in hepatis regione ex oleo roſaceo, aut lentiſcino, aut melino, aut œnanthino (vt ait Aetius) pariter & ex myrtino, aut eodem oleo roſaceo cum oleo amygdalarum dulcium, vel amararum permixto, ſeu abſynthite, & procedente tempore eodem oleo roſaceo, myrtino, ſeu cydoniorum cum maſtichino, chamæmelino, ſeu anethino permixto vtare. Et ſumpta à ſitu viſceris indicatione parum aceti, aut vini albi miſceto. Quod ſi libeat cataplaſmatis vti ex farina hordeacea, fœnugræci, & ſeminis lini cum palmulis, vel malis cotoneis, meliloti flore, abſynthio, & chamæmelino conficiantur (Paulo auctore) pauco etiam aceto, vel vino albo addito. Inſuper ex ſeminis lini, fœnugræci, hordeaceáque farina, aut triticea, his vel omnibus, vel vno aliquo ex eis, aut quibuſdam in aqua mulſa decoctis, admixtis abſynthio, maſtiche, ac meliloto fiat cataplaſma, ex Aëtij ſententia, cui etiam, veluti & cunctis reliquis medicamentis aceti, aut vini albi parum inijcito. Quod ſi vehementior fuerit ardor, mala cotonea, aut oleum roſaceum, vel cytoniorum adduntur, item plantaginis, cichorij, aut intubi folia contuſa. Epithemata quoque hunc in modum parabis, Recipe roſarum rubearum, foliorũ plantaginis, & cichorij,

ſeu hortulanæ endiuiæ,ana p.j.florum chamæmeli,meliloti,abſynthij, & anethi ana p.s.bulliant in aqua pluuiali,demum adde ſucci cichorij,& endiuię, ſingulo. lib.1.aceti vnc.2.miſceātur,& fiant epithemata.Poterunt item ex prædictis cum cerata,tum etiam emplaſtra formari,ac eiſdem vti, illud perpetuò animaduertens,quod quantum inflammatio ab eius principio recedit, in tantum relaxantia,ſeu digerentia vires præſidiorum adſtringentium vincere debent,licet ſemper (vt diximus) ea mixtæ facultatis eſſe neceſſum ſit. Procedente verò tempore,ſi in gibba viſceris parte phlegmone conſiſtat,vbi phlegmone iam concoquitur,nedum eis quæ modicè vrinas mouent,ſed etiam valentioribus vti licebit,aſaro inquam,nardo celtica,phu, hoc eſt valeriana, petroſelino, ſmyrnio, & meo,ex Galeni auctoritate & oxymel ipſis dandum eſt,vt Paulus refert. Item ſyrup.de byzantiis cum additione,de tribus radicibus,ac de eupatorio,nonnulla etiam decocta tum eorum,quæ diximus, tum etiam & aliorum medicamentorum,quæ vrinam ciunt,concinnari poterūt,ac eiſdem præberi.Verùm ſi cauum eiuſdem viſceris inflammatione afficiatur, procedente (vt diximus) tempore, per ventrem eos vacuare licebit,ex eiuſdem Galeni ſententia pręcitato libro 13. methodi medendi,cap.5.quem ſectatus eſt Paulus,licet eandem per aluum purgationem,cum iecur phlegmone laborare incipit,tanquam valde nocuam,cùm maximam excitaret phlegmonem,eodem loco prohibuerit, quę vacuatio cum videlicet phlegmone iam concoquitur, vel inclinauerit,partim per clyſteres fieri poteſt,partim per ea medicamenta,quæ per os ſumuntur, vt eiſdem auctoribus viſum eſt, quos primùm quidem ex aqua mulſa cum ſale fieri præcipiunt, poſtea verò in remiſsione videlicet hyſſopum,vel origanum, vel minus centaurium,aut cnicum,ſeu colocynthidem imponi iubent. Sed tutiùs hunc in modum parari poterunt, Recipe foliorum maluarum,althææ,& betæ ana p.j.mercurialis,& centaurij minoris, cuiuſlibet p.s. ſalis communis parum, fiat decoctum,cuius recipe lib.j.aut lib.s.& adiectis vnc.3.vel 4.olei communis,amygdalarum dulcium,vel chamæmelini, & vnc.2.mellis roſacei,ac vnc.1. caſsiæ fiſtulæ,necnon drach.7.diacath.fiat clyſter. Vbi verò per clyſteres phlegmone curari non valeat, purgans medicamentum audacter exhibere licebit, eo cibis admixto, quemadmodum à Galeno eodem decimotertio methodi medendi, decretum eſt, veluti vrtica eſt, mercurialis, epithymum,ac filicula,ſeu polypodium, & reliqua, quæ ipſe dicit quod modicè aluum deiiciunt. Verùm in remiſsionibus tum iis ipſis audaciùs, quàm antea vtendum, tum verò quæ iis ſunt valentiora partim ptiſana coctis, partim tuſis, ac in molliſsimum puluerem redactis,quæ vel ex ptiſana, vel ex aqua exhibeantur. Et idem quoque Galenus filiculæ aliquid in ptiſana,ac nigri veratri corticem aliquando incoxit,ac præbuit. Atqui noſtris temporibus mitiora, ac tutiora medicamènta comperiuntur, quibus vti poterimus,vt puta mel aëreum, caſsia fiſtula, ſyrup. ex pluribus infuſionibus roſarum, tum purpurearum,tum perſicarum, diacathol. tryphera perſica, ac etiam rhabarbarum: ex quibus etiam ſimul mixtis hunc in modum purgantia medicamenta parari poterunt,Recipe mellis aërei vnc.2.vel 3.aut tantundem prædictorum ſyrup.diacathol.drac.6.trypheræ perſicæ drac.4. cum aqua cichorij fiat potio. Inuicem quoque mellis aërei vnc.1.s. caſsiæ fiſtulæ,aut vnc.2.cum prædictis exhibeatur,vel rhabarbari cum ſpica,recipe drac.1. ſeu ſcrupul.4.maceretur in vnc.2.per noctem ſucci roſarum,demum per colum transfuſi vnc.2.s.mellis aërei adiectis,& vnc.s.diacath.aut drac.4.trypherę perſicæ, fiat potio cum aqua intubi,aut cichorij,& ſi mauis pro melle aëreo tantundem prędictorum ſyr.aut vnc.1.caſsiæ fiſtulę commiſceas. Verùm vbi neque eiſdem inflammatio conquieuerit,ſed ad ſuppurationem permutetur,adiuuare naturam oportet, vt quàm celerrimè puris generatio fiat. Cùm autem perfecta ſuppuratio fuerit,abſceſſus quoque rupturam adiuuare licebit, & poſt eius eruptionem per eandem viam, per quam puris tranſmutatio contingit, iuuanda quoque natura erit, ſiue per ſedem, aut vrinam, aut etiam os tranſmiſsio fiat,

Gal.13. meth. cap.15.

De purgante medicamento quid ſentiendum ſit.

Loco citato.

quibus

quibus verò medicamentis eadẽ perficere oporteat, copioſsiſsimè ab Aëtio cap. 4.lib.10.conſcripta ſunt,ac etiam à Paulo præcitato loco,& propterea nos breuitati indulgentes ea hic non tranſtulimus. Si verò in ſcirrhi naturam prædicta inflammatio vergat, eius curationem ſequenti cap.requiras. Quod ſi fluxionis ad ipſum iecur cauſa ex ipſomet oriatur, adeò vt propterea ad ipſum multum confluat ſanguinis,ac phlegmone generetur, ne amplius phlegmone increſcat, auferri hæc quoque cauſa debet primo.& quia hoc bifariã eſſe poterit, aut propter aliquem calorem præter naturam in ipſo iocinore exiſtentem, aut propter eiuſdem dolorem,inuenta quæ ipſarum cauſarum phlegmonem excitat, eam priùs pro eius curatione auferre tentabis,vt eodem 13.meth.med.cap.6.à Gale. ſcriptum eſt,& deinceps ad prædicta topica medicamenta te conuertas.

Περὶ σκίῤῥου καὶ σκληρώματος τοῦ ἥπατος. *Id eſt, De ſcirrho, ſeu tumore ſcirrhoſo hepatis.* Cap. LXXXV.

Vide 13.metho.cap.16

Quid ſit ſcirrhus.

NEC minùs & eadem iocinoris ſubſtantia,vtpote quæ naturaliter lutoſum quidpiam continet, (veluti medicus quidam Galeni tempore per iocum dicebat) maximè opportuna eſt duris tumoribus,quos Græci σκίῤῥους, καὶ σκληροὺς & quãdoque σκληρώματα appellant,nos verò ſcirrhos,ſeu tumores ſcirrhoſos nuncupamus. Eſt autem affectus hic,quem ſcirrhum nominamus,tumor durus, qui ſine dolore eſt,non tamen omnino ſine ſenſu. Quanquam ſi quis velit quod tumor ſit præter naturam durus,& omnino inſenſilis,is verò affectus, qui σκλήρωμα à Græcis dicitur, Latinè ſcirrhoſus tumor ſit non omnino durus,neque omnino inſenſilis,non reclamabimus,cùm de nominibus altercatio ſit,quemadmodum Galen.14.metho.meden.cap.6.decretum reliquit.

Scirrhi differẽtia duplex.

Illud tamen animaduertentes,quod duplex eiuſdem ſcirrhi differentia ſit,vt habetur à Galeno 2.de arte curatiua ad Glauconem,cap.4. Quarum vna exquiſitus ſcirrhus dicitur tumor præter naturam exiſtens ſenſu priuatus,durúſque. Reliqua non exquiſitus appellatur,qui non omnino inſenſibilis eſt,difficulter tamen ſentitur, vt ipſe inquit,qui dupliciter à medicis vocatur,vt patet decimoquarto methodi meden. cap.6.Nempe vel ſcirrhus,propterea quod ex ſcirrhorum genere ſit,vel ſcirrhoſus tumor.Namq́; & quod Græci σκλήρωμα vocant,ſub ſcirrhorum genere comprehenditur, Paulo auctore, cap.68.libri 3. Sunt nanque inter eos ſcirrhos quidam,qui vbi plurimum increuerint,ſimulátque indurati fuerint,non modo dolore carent (vt Galenus inquit quinto de ſimplicium medicamẽt.facult.cap.8.) verum etiam ſenſum exiguum,aut etiam nullum habent reliquũ.

Iocinoris ſcirrho laborãtis indicia.

Dignoſcitur autem cum iecur tali laborat affectu manifeſtiùs,quàm ſi inflãmatum eſſet, ac multò euidentiùs,eo quod eius moles durior ſit,& in huiuſcemodi diſpoſitione extenuata ſunt corpora,quæ ei incumbunt,verùm tractu temporis quãuis magis increſcat ſcirrhi cumulus,non tamen æquè facilè fuerit per tactum ipſum cognoſcere, intercipiente ſcilicet iudicium aqua intercutem, quæ illico ſcirrhum ſequi conſueuit (eodem Galeno auctore 5.de locis affectis,cap.7.) Multo etiam minore dolore iecur vexatur in ſcirrho,quàm in inflãmatione, Aëtio teſte cap. 6.libri 10. Color etiam vniuerſi corporis (vt ipſe refert) in nigredinem pallore permixtam permutatur, venter,& pedes intumeſcunt, ſupernæ corporis partes gracileſcunt,& corpus ipſum tepeſcit. Aliquando autem aluus multa, & tenuia excernit,propterea quod his ſufficienter anguſta ſunt ora vaſorũ,per quæ tranſmittitur cibus ex ſimis hepatis partibus in conuexas, vt Galenus refert eodem 2.libro de arte curatiua ad Glauconem,cap.5. Vrinæ verò à principio quidem multæ, verùm vbi iam ad aquam intercutem dilapſi ſunt, omnino paucæ (vt patet ex eodem Aëtio.)

Quis affectus præter naturã ſit ſcirrhus.

13.meth.ca.4 & 14.metho.cap.9

Quod verò affectus hic morbus ſit in quãtitate primò (quoniã in genere tumorum præter naturam exiſtit) ſexcentis in locis liquet in Galeni doctrina,præſertim 13.& 14.methodi meden.Secundo in intemperie,

quoniam frigidus affectus eſt,vt 5.de ſimplic. medicament. facultat. cap.6. & 8. legitur,& tertio in ſoluta continuitate,quoniã (vt diximus) ex genere eſt tumorum præter naturam.Cuius affectus indicia non alia requiras,quàm ea quæ ſupra narrauimus,pro dignotione partis affectę,præſertim ex tumore, duro quidem exiſtente cum exiguo,aut nullo dolore,interim ſenſu priuato, quandoque non omnino inſenſili.

Cauſæ.

Eius autem cauſa eſt humor lentus, & craſſus inſolubiliter partibus induratis infixus, (vt liquet eodem libro ſecundo de arte curatiua ad Glauconem,cap.4.) qui interdum ſtatim à principio congregatur, & paulatim augetur,crebrius autem medicorum imperitia paratur cùm vehemẽter eryſipelata,& inflammationes adſtringunt, & infrigidant. Id verò commune eſt omnibus ſcirrhis à quacunque cauſa ortum habeant,vt librò de tumor. præter naturam,cap.10.ſcriptum eſt.Perpetuò tamen ex humore craſſo, & frigido ortum ducunt,quales ſunt in animalium corporibus,bilis,atra, & ſuperexſiccata pituita,& proinde ſcirrhoſi tumores omnino,aut pituitoſæ ſunt ſubſtantiæ, aut atrabiliariæ, aut ex vtraque mixti,vt eodem 5.de ſimplicium medicamẽtorum facultat.cap.8.liquet, & 14.methodi medendi, cap.4. Et propterea etiam duri fiunt.Nam cum omnia dura fiant,aut reſiccatione, aut concretione, aut nimia impletione,vel harum quapiam cõiugatione,eodem Galeno teſte præcitato libro 5.de ſimplicium medicamen.facultatib.cap.4.ſcirrhi, ſeu ſcirrhoſi tumores ex frigidi humoris impletione,ſimulátque congelati,ſeu concreti à vehementi frigore generantur,propter quod aut inſenſiles omnino ſunt, aut exigui ſenſus participes,cum exiguo etiam,aut nullo dolore conſiſtentes,vt præcitato libro 5. de ſimplicium medicament.facul.cap.8.decretum eſt.

Quomodo diuerſa ſcirrhi cauſa ſit dignoſcenda.

Verùm nunquid à craſſo, & glutinoſo humore,ac pituitoſo originem ducant,an ex ea nigra bile, quę veluti fæx ſanguinis exiſtit,differens ab ea,quæ propriè atra bilis nũcupatur,à qua non ſcirrhoſi tumores,ſed cancri gignuntur, ex colore inquit Galenus præcitato libro de tumor.præter naturam,cap.10.interſtinguere valebis. Sed cùm ſcirrhoſi tumores,de quibus hic verba facimus,eorum colore dignoſci non valeãt, dicimus nos quòd ex vniuerſi corporis colore ſecerni poſſunt. Nanque ſi ex nigra bile orti fuerint,color totius corporis ad nigrius declinabit.Si verò ex craſſa,lentáque pituita originem traxerint,ad albidius:aliquando veluti plumbi colorem habent. Nam pro diuerſa natura redundantium in iocinore humorum, ex quibus prædicti affectus fuerint excitati,quod totũ corpus ſimili colore inficiatur,nemini in dubium venit:cùm viſcus ſit princeps toti corpori alimẽti materiam ſuppeditans.

Cap. ult.

Proinde Galenus falſus eſt 5.de locis affectis, ſæpenumero ſolo colore comprehendiſſe,modo iecur,modo ſplenem eſſe affectum. Inſuper ex ætate,temperamento,regione,anni tempore,ac præcedenti victus ratione illud confirmare poteris. Et vbi pr̨ædicti ſucci permixti fuerint,idem color,ac eadem quæ ſumuntur ex modo dictis,indicia permixta erunt.

Prognoſtica.

Cæterùm ex quacunque cauſa in iocinore exquiſiti ſcirrhi fuerint orti, omnino ſine ſenſu perſiſtentes,omnino quoque inſanabiles ſunt,velut in cæteris etiam partibus (vt liquet apud Galenum 14.metho.meden.cap.6.& 2.de arte curatiua ad Glauco. cap.4.) Quanquam neque is,qui difficulter ſentitur, facilè curationẽ admittat, (vt ipſe inquit) eodem quoque 2.de arte curatiua ad Glauconem, cap.5. de hepatis ſcirrho ſic ſcriptum reliquit,quod ab initio quidem ſępius ipſum ſanauerit: vbi verò ad plures dies fortè fuerit extenſus,neque ipſe potuit ſanare, neque alium vidit,qui poſſet.Nam omnibus iis, qui ita affecti ſunt ex neceſsitate ſubſequitur aqua intercus. Pereunt autem quamplurimi in tempore longo: quidam etiam breui,qui ventris profluuio laborant.Propterea Paulus præcitato loco dicebat,ſi verò iecur induratũ fuerit,parum in medicina ſpei eſt,affectu in aquam ſubtercutem decidente.Qui autem iocinoris ſcirrhoſi tumores,pręſertim circa eorum initia curari poterunt,ea curationis ratio,quæ muſculoſarũ partium ſcirrhis competit,ſanare eos conſueuit,Galeno teſte eodem ſecundo de arte curatiua ad Glauconem, cap.5. Quoniam viſcus hoc fortia medicamenta non per-

fert

Methodus curādi ſcirrhos.

fert,veluti ſplen (vt ipſe inquit.) Communis autem curandi ſcirrhum indicatio eſt,vt quod præter naturam in particula continetur,totum vacuetur vt 14. methodi medendi, cap.4.ſcriptum eſt. Id verò perficitur nedum medicamentis extrinſecus adhibitis,verùm eis,quę in potu ſumuntur vim habentibus aperiendi,atque extergendi eum,qui in viſcere continetur, humorem, ac etiam victus ratione conuenienti adhibita. Et propterea ex hís ſcirrhoſus tumor in hepate factus ſanari poterit, ex eiuſdem Galeni teſtimonio præcitato libro ſecundo de arte curatiua ad Glauconem, cap.quinto. Ea de re nos primò victus rationem conuenientem præcipiemus, ſecundò quæ in potu medicamenta ſumuntur, & tertiò, quæ foras adhibentur,conſcribemus. Verùm quantùm ad victus rationem ſpectat, cùm eadem victus ratione vtendum ſit, qua in obſtructionibus liberandis vtimur,breuiſsimis verbis eam abſoluemus. Nam cibi,qui facilè concoquuntur eis exhibendi ſunt, quíque & inciſoriam vim,& repurgantem cómplectuntur, vt inquit Aëtius. Neque etiam ineptè eis acrium rerum comeſtiones ſunt, ſi per interualla,& poſt exercitia,ac geſtationes ſumantur. Pro ratione etiam motuum, & exercitiorum tum quantitatem, tum qualitatem ciborum augere oportet. Vitanda ſunt craſſa,& viſcoſa edulia, atque ea quæ difficulter concoquuntur, ſic etiam & dulcia omnia:quoniam (vt diximus) hepati affecto nocentiſsima ſunt. Vinum pro potu competit tenue,odorum (moderata quantitate acceptum) Reliqua verò,quæ ad victus rationem ſpectant, ſuprà cap. de obſtructio.requiras.

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

In potu autem ſumantur cuncta ea quæ in renibus contentos lapides comminuere apta ſunt,quibus admiſcere oportet aliquid ex iis,quæ vrinam mouere poſſunt, Galeno auctore,præcitato libro ſecundo,de arte curatiua ad Glauconem,cap.quinto,quem ſectatus eſt Paulus,cùm dixit, Potiones expediunt, quæ anguſtias viſceris recludunt, abſtergúntque: huiuſmodi ſunt quæ vrinam citant, & calculos confringunt. Ad hæc ea quæ nuper ad iecoris obſtructionem dicta à nobis ſunt. Non eſt igitur cur hic ſpeciatim de eis mentionem facere debeamus, cùm infrà locupletiſsimè de his quæ calculum confringunt,atque vrinam citant,pertractaturi ſimus:fuſiùs verò pertractauerimus de his,quæ iecoris obſtructionem liberant,eiſdem igitur locis ſtudioſi ea requirant. Vnum tamen ex Aëtio non prætermittant,vtpote anagallidis, quæ cæruleum florem habet ſuccum,qui exiecatus,itémque liquidus ex aqua mulſa, immoderatis autem febribus ex aceto mulſo,potatus confert. Similiter etiam ſi viticis torrefacti,aut radicis eupatorij drachm.1. eodem modo exhibeatur. Cæterùm cùm affectus hic ex ſuperfluo humore ſimul cum frigiditate trahat originem,idcirco compoſitam eſſe eius medelam oportet,ob refrigerationem ſcilicet excalfacientia poſcente affectu, ob alienam verò, & ſuperuacaneam humiditatem, euacuantia. Attamen vitanda ea ſunt, quæ immodicè vim habent calfaciendi, ac validè exiccandi,nedum intus aſſumpta, verùm etiam de foris admota. Nanque (vt Galenus inquit quinto de ſimplicium medicamentorum facultatib.cap.ſexto.) nullus ſcirrhoſus tumor curari valet neque à validè exiccantibus, neque à fortiter excalfacientibus,neque ab iis,quæ vtraque hæc pręſtare poſſunt,propter cauſas ab eo ibidem traditas. Et propterea ſola ea, quæ calfaciunt,ſed non admodum, vnáque exiccant non magnopere eiuſmodi affectus ſanare poſſunt: voeantúrque Græcè μαλακτικά, Latinè emollientia,eodem ſimul tempore vtrunque agentia:nempe quod congelatum eſt fundentia, & ſenſim per halitum digerentia: peculiariter etenim medicamentum emolliens non de omnibus induratis, ex quauis cauſa dicitur,ſed de iis,quæ congelatione induruerunt,magíſque ſi in eis cōtentus ſit humor præter naturam:veluti in hiſce ſcirrhoſis tumoribus:quemadmodum idem Galen.teſtis eſt præcitato libro 5.de ſimplic. medicamentorum facultat. cap.4. Cuius farinæ ſunt ea medicamenta (vt diximus) quæ calorem habent tepidum,humiditatem verò nec multam,nec omnino minimam,& propterea modicè exiccantia. Nanque oportet induratum corpus à medicamēto,quod auxilio futurum ſit, ſimile quid pati

Emolliēs medicamentum quod dicatur.

iis,quę ſub ſole funduntur,aliàs ſi quis medicamẽta,quę vehemẽter diſſoluunt, trahunt,ac digerunt,induratis corporibus adhibuerit,eiſque vacuare tentet,nec iis vtatur,quæ excalfaciendo molliunt,ac liquant, huic licet paucis primis diebus egregie proceſsiſſe curatio videbitur,quod de affectu tamen reſtabit tãtùm inſanabile erit:ſiquidem toto, quod in eo tenuium partium erat, digeſto: quod reliquum eſt veluti lapidoſa concretio linquetur (Galeno auctore 2.de arte curatiua ad Glauconem,cap.14.& 14.methodi meden.cap.4.) Hac igitur de cauſa ad ſcirrhoſos affectus (vt diximus) nullum vehementer excalfaciens, ſiccánſque medicamentum aptum: ſed ea tantùm, quæ cùm molliendo digerere poſſunt,ex eiuſdem Galeni ſententia. Quanquam eiſdem,indicatione ſumpta à parte affecta,quæ ſemper, vt Galenus inquit eodem 14.methodi meden.cap.5. in omnibus tum morbis,tum ſymptomatibus in memoria habenda erit,ea quę adſtringendi vim habent,admiſcenda ſunt, ita tamen, vt ſemper, quæ digerendi,diſſoluendi,ac molliendi vim habent,adſtringentia ſuperent. Quapropter augere oportet ea,quæ ratione inflammationis ipſius apponuntur cum cataplaſmata,tum etiam & fomenta ex Galeni & Aëtij ſententia, & fortiora quædam annectenda ſunt. Ea autem cõſtabunt ex abſynthij coma,nardo,tum inda, tum celtica,croco,œnanthe,maſtiche, chia, nardino, ac lentiſcino vnguento, adhuc autem & maſtichino,& melino (vt ipſi inquiunt.) His igitur ammoniacum thymiama, & bdellium,althææque radicem, ceruinam, ſeu vitulinam medullam, ac anſeris, ſeu gallinæ adipem miſcere oportet. Nec minùs & aliquid eorum, quæ incidere poſſunt, admiſcendum eſt.vt eodem 2. de arte curatiua ad Glauconem,cap.5.& 14.methodi meden.cap.5.liquet. Hæc etenim incipientem in hepate ſcirrhum ſanare poterunt conuenienti ſimul adhibita diæta, ſimúlque medicamentis aperientibus,atque abſtergentibus humorem, qui in viſcere continetur. Poterunt autem hunc in modum medicamenta parari, Recipe abſynthij

Topica. p.s.foliorum,& radicũ althææ ana manip.1.bulliant in oleo communi, quo ſæpiùs per ſpongias ſupra hepar fomentum admoueatur, dein recipe olei de abſynthio, & maſtichini,ſingul.vnc.1.nardini,& cytoniorum, cuiuſlibet vnc.s.ſpicæ nardi,indicæ,vel celticæ ana drach.s.croci ſcrup.s.adipis anſeris, ſeu gallinæ, & medullæ ceruinæ,ſeu vitulinæ ana vnc.1.ceræ quantum ſatis ſit, & aceti parum,fiat vnguentum,quod mane,& veſperi applicetur, præcedentibus ſemper prædictis fotibus. Procedente verò tempore addere poteris prædicto vnguento vnc.s.vel vnc.1.ammoniaci,aut bdellij humentioris exiſtentis,ſiue ſtyracis ſimiliter humentioris,quæ priùs aceto diſſoluantur, & ſi mauis in cataplaſmatis formam redigere, folia excipe,ſimúlque radices maluarum, ac althææ,quantitate cuiuſlibet manip.1.& cum modicè priùs fuerint decocta,cõtundantur, adũcéque adipis anſeris, ſeu gallinæ vnc.2.lenti cremoris fœnugræci, ſeminis lini, & althææ ana drach.3.olei maſtichini,lentiſcini, & de abſynthio ana vnc.1.ammoniaci,ſeu bdellij in aceto diſſoluti vnc.3.miſceantur, & fiat cataplaſma cum oxymelite, quod item præcedente ſemper fomento adhibeatur. Interim addere poteris nardi ſpicam,indicam, aut celticam, cuiuſlibet drachm.1. aſſumens & croci ſcrupul.s. Illud tamen perpetuò ſeruandum erit, ne admodùm fortibus medicamentis vtare, cum ea viſcus hoc non perferat, vt diximus ex Galeni auctoritate. Et proinde non audeas quæſo ſuprà medicamenta, quæ vehementer diſcutiunt, trahunt, ac digerunt, niſi eorum exigua ſumatur quantitas, admiſceatúrque lenibus ſemper medicamentis nuper conſcriptis. Nec eadem vnquam omnino ab adſtringentibus abſoluantur; qua habita methodo, poteris ex connumeratis medicamentis varios (vt vſus requirit) potus diuerſaque cataplaſmata, ac vnguenta componere tum lenia, à quibus ſemper incipias,tum valida,tum mediocria: & proinde huic capiti finem imponimus. Illud tamen animaduertentes, quod vbi multò ſanguine abundauerint laborantes, priuſquam modo dictis medicamentis vtaris, vena ſecanda erit interna dextri cubiti. Et ſi copia adſit pituitoſi, vel melancholici ſucci, ij quoque priùs purgan

purgandi ſunt. Sæpiùs autem talia pharmaca fuerunt adnotata, præſertim capite de melancholia, & de obſtructione iocinoris.

Περὶ ἰκτέρου. Id eſt, De ictero, ſeu morbo regio. *Cap. LXXXVI.*

IN excrementorum ſeparatione, omnino ea non peracta, vel nõ ritè, ſymptomata quædam fiunt, aliqua nomine proprio vacantia, alia verò vulgo nominata, veluti ἴκτερος, à Græcis dictum, quemadmodum Galenus teſtatur libro de different. & tertio de cauſis ſymptomatum. Hunc affectum Latini quandoq; icterum, interim auriginoſum nominant. Celſus autem & arquarum, & interdum regium morbum appellat, vt liquet cap. 24. libri tertij. Medicorum vulgus icteritiam nuncupat. Cur autem morbus regius nominetur hic affectus, ab eodem Cornelio præcitato loco oſtenditur. Verùm cur Græci affectum hunc ἴκτερον nuncupent, ab Aëtio cap. 17. libri 10. declaratur. Ait enim ἴκτερος, à ſimilitudine ad animalculum, quod ἴκτις, id eſt, viuerra appellatur, nominatus eſt. Eſt autem id animalculũ muſtella ſylueſtris, quæ auricolores oculos habet: ſed quicquid ſit de eius nomine, hoc pacto ipſum deſcribit eodem loco, quòd bilioſi humoris circum corpus effuſio eſt, ob ſecernentis eum facultatis debilitatem, quæ cum ſegregare, & ad proprios excretionis locos demittere non valet. Paulus quoque cap. 50. libri tertij, dicebat, regium morbum eſſe bilis per totum corpus effuſionem, modò atræ, de qua in lienoſis dictum eſt, modò flauæ. Atqui nos de eo ictero verba facimus, qui effuſio eſt flauæ bilis per totum corpus, hæc tamen effuſio verè, & propriè icteros dicitur: nam de atræ bilis effuſione in ſequentibus pertractabimus. Et cùm dixerimus affectum hunc vitio ſegregationis excrementorum prouenire, de eo excremento intelligimus, quod flaua bilis appellatur. Hæc inquam, cùm non omnino, vel non ritè ſegregatur, ac expurgatur, per totum corpus cum ſanguine diffuſa, huius mali auctor eſt. Verùm cùm ex triplici cauſa id prouenire poſſit, vt tertio de cauſis ſymptomatum, à Galeno ſcriptum eſt, nanque vel vitio particulæ, quæ excrementum ipſum expurgat, vel ratione viarum, per quas expurgat, vel vitio ipſiuſmet exeremẽti, quo fit, vt non perpetuò in morbo regio idem locus affectus ſit, neque etiam iecur (vt à Galeno demonſtratum eſt quinto de loc. affe. cap. 7.) quamuis interdum ipſum afficiatur, item neque ipſa veſica bilis ſemper afficitur (vt eodem lib. ſcriptum eſt, ſimiliter à Paulo, & Aëtio præcitatis locis) propterea nos cùm numeroſæ ſint morbi regij differentiæ (eodem Paulo auctore) pro earum diuerſitate conabimur affectas partes inuenire, cùm aliæ partes afficiantur, ſi eiuſdem excrementi vitio morbus regius proueniat, aliæ ſi propter viarum anguſtiam, vel propter ipſius particulæ expurgantis imbecillitatem. Quòd verò bilioſum hoc excrementum veſica, quæ iocinori ſubeſt, expurget, liquet apud Galenum præcitato libro tertio de cauſ. ſymptomatum, quarto de vſu partium, ac quinto de locis affectis, & ſexcentis alijs in locis. Cùm itaque non vnus locus perpetuò in morbo regio afficiatur, errauerintque qui hepatis affectionem in omnibus ictericis adeſſe putauerunt (vt inquit Aëtius) iure indagãdum putaui, quot partes in eo affici poſſunt, ac quo modo, & quibus notis interſtingui poterunt. Atqui compertum eſt in Galeni, Pauli, atque Aëtij doctrina in quouis morbo regio aut iecur, aut veſicam bilis, vel vniuerſum corpus affectum eſſe. Quapropter vbi iecur affectum ſit, excrementa alui flaua bile vehementer colorata, ſimiliter & vrinæ videbuntur, pariter & ſudores, ſi ij quoque effundantur. Excrementorum nanque proprietatem in morbo regio conſiderare perquàm neceſſarium eſt, vt quinto de locis affectis. cap. 7. decretum eſt, præſertim ſi cum eis eorum, quæ præceſſerunt, memoriam habuerimus. Interim febris quoque aderit, ac præcordiorũ in dextra parte dolor, quandoq; verò citra dolorẽ, ac grauitatem, & febrem, feruorem ea parte ſentient, aderitq; ſitis, ac corporis exic-

Lib. de differen. ſymp. c. 4. 3. de cauſis ſympt. c. vlti.

Morbus regius quid ſit.

Quòd flaua bilis, ut non ritè expurgetur, trifariam contingit. cap. 2.

3. de cau. ſym. cap. 2. 4. de vſ. par. cap. 12. 5. de loc. affe. cap. 7.

Quot partes affici poſſunt in morbo regio.

Si iecur ſit affectum, ſigna.

catio, ac eiuſdem coloris varia mutatio, manifeſtè etenim quandoque videmus (eodem Galeno teſte præcitato loco) iocinoris ſecundum naturam temperie mutata, vniuerſum corpus herbis candenti pallore infectis ſimilari, interdum plumbeum, aut etiam magis fuſcum referre colorẽ, interdum etiam alias quaſdam ineffabiles colorum proprietates, quæ iocinore ſuo munere non rectè fungente, accidere ſolent. At vbi citra febrem morbus regius accidat, vrgente in dextra præcordiorum parte grauitatis cuiuſdam ſenſu, & alba ſint, quæ per aluum deiciuntur, ac ſtatim vrinæ biliosiſsimæ, & affatim excernantur, veſicæ bilis vitio talem morbum regium fieri haudquaquam verendum eſt.

Si veſica bilis.

Verùm ſi non vniuerſim, ſed paulatim morbus regius procreetur, ſic vt nullum ferè ex commemoratis adſit (vt Paulus teſtatur) ſintq; alui excrementa proxima conſuetis ſimiliter & vrinæ, fiátque cutis pruriginoſior, ac magis arida vitio vniuerſi corporis, ſeu ſolidis partibus nimio calore intemperatis, hunc procreari morbum regium manifeſtum erit.

Si vniuerſi corporis vitio proueniat morbus regius, ſigna.

Quis affectus præter naturam ſit morbus regius.

Cæterùm quæuis pars in eo afficiatur, perpetuò icterus ſymptoma eſt, eorũ genere quæ in corporis affectibus conſiſtunt. Et cùm primæ eorum differentiæ numero quatuor ſint; ſub viſibilibus cõprehenditur, quæ in coloribus qui præter naturam ſunt, conſiſtunt, ídque non alicuius, vel aliquarum partium, ſed vniuerſi corporis, Galeno auctore libro de differentiis ſymptomatum, cap. 5.

Signa eiuſdẽ.

Communiter autem omnibus ictericis pigrities, & tumor grauans ad motum corporis contingit, & ad dulces cibos animũ habẽt alienatum, amaros verò non admodum auerſantur, & variis imaginationibus vexantur, pruritus etiam vniuerſi corporis comitatur, ac difficulter exudant: alba oculorum, & partes faciei temporibus propinquæ, itémq; malę pallorem oſtendunt, venæ etiam ſub lingua repletæ reperiuntur, & abundantem humorem ſignificant, Aëtio auctore. At, vt inquit Celſus, color eum morbum detegit, maximè oculorum, in quibus quod album eſſe debet, fit luteum, ſoléntque accedere & ſitis, & dolor capitis, & frequens ſingultus, & præcordiorum dextra parte durities: & vbi corporis vehemens motus eſt, ſpiritus difficultas, membrorúmq; reſolutio. Atqui vbi diutiùs manet morbus, totum corpus cum pallore quodam inalbeſcit. Verùm licet morbus regius (quomodocunque fuerit ortus) perpetuò ſympt. ſub eodem genere ſit, ac billioſi excrementi ſeparatione fruſtrata fiat, vt dictum eſt, quæcunque etiam pars in eo primò affecta ſit, tamen non ſemper in eo ſegregatrix facultas oblæſa eſt, neque ad functionum noxam ſequitur, veſica bilis imbecilla exiſtente in ſeipſa, ita vt non valeat, aut ipſam bilem attrahere, vel eandem expellere, ſed interim viarum anguſtiam conſequitur: quandoque verò ex ipſiuſmet excrementi vitio fit, vt diximus. Id quod etiam fortè innuere voluit Aëtius, quamuis eius verba videantur aſſerere, ſemper icterum ob ſecernentis bilem facultatis debilitatem oriri. Nanque ſubdit demum, quæ eam ſegregare, & ad proprios excretionis locos demittere non valet, quòd nedum ob facultatis imbecillitatem, verum etiam ob viarum anguſtiam, ac excrementi vitium fieri poteſt. Propterea id perfectè dignoſcere, atque exactè interſtinguere operæpretium duxi. Ex quibus inſimul patebit eiuſdem morbi regij cauſarum diuerſitas.

Cauſæ.

Oritur itaque interdum morbus regius ex iocinoris inflammatione, propter quam ſanguis omnino à bile ipſa expurgari nequit, imò vnà cum ipſo ſanguine bilis per totum corpus defertur, & hinc morbus regius generatur, propterea quòd & eiuſdem bilis copia ob eandem cauſam in eodem viſcere gignitur, & conſtipatio quædam fit, ſeu anguſtia locorum, per quos ipſa bilis ex venis transfertur ad canales veſicæ bilem recipientis, vt Galenus inquit commento aphoriſmi 64. quarti libri.

Si ob hepatis inflãmationẽ fiat morbus regius, ſigna.

Cuius quidem morbi regij indicia ſunt præcordiorum dextra parte dolor, bilioſæ deiectiones, & febris, vt inquit Paulus. Nanque ij omnino febricitant, Galeno teſte nono de compoſitione medicamentorum ſecundũ locos. cap. 1. Similiter & vrinæ flaua bile vehementer coloratæ videbuntur.

Si ex eiuſdem iecoris intemperie calida fiat, ſigna.

At ſi citra grauitatem feruor in ipſo exiſtat, ex ſola iecoris calida intemperie vitium gigni

gignitur, vt idem Paulus teſtatur. Ex qua calida intemperie cum multa copia bilis progignatur, quæ præ multitudine expurgari nequit, eadem per totum corpus diffuſa, propter eiuſdem exeremen ti copiam, ictterus excitatur.

Si ex obſtructione, ſeu iocinoris ſcirrho fiat morbus regius, ſigna.

Nec minùs & ex obſtructione, non ſiquidem paruorum vaſorum per ſubſtantiam iocinoris diſtributorũ, per quæ alimenti, ac ſanguinis digeſtio in vniuerſum corpus fit, ſed eorum locorum per quos trãsfertur bilis ad canales ipſam recipientes ex eadem veſica bilis ortos, ac per iocinoris ſubſtantiam extentos, vt patet commento præcitati aphoriſmi, excitatur morbus regius propter viarum vitium, hoc eſt ipſarum obſtructionem: qua etiam ratione anguſtatis videlicet iam dictis viis ex eiuſdem viſceris ſcirrho, morbus regius generari poterit. Verùm ſi ſcirrhus fuerit cauſa, eiuſdem indicia præcedenti cap. de ſcirrbo, requiras. Si verò ex obſtructione ortus fuerit, ſine febre permanebunt ægri (eodem Galeno teſte præcitato libro nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. cap. 1.) Necnon & grauitas quædam in eadem dextra precordiorum parte aderit, præſertim inter vehementer reſpirandum, nullúmque aderit ſcirrhi indicium. Quòd ſi abſque febre alba deiiciantur alui excrementa; veſicæ fellis (vt diximus) malum oſtenditur. Verùm id bifariam eſſe poterit, nanque vel ob eius imbecillitatem, proprerea quia bilioſum humorem veluti conſueuit in ſe ex hepate non attrahit, & ob id impurum ſanguinem reliquit. Quanquam etiam contingat eandem nimis repleri, & propter repletionis multitudinem idem excrementum expelli ad inteſtina nequeat: & excretrice inſimul facultate exiſtente imbecilla.

Si vitio veſicæ fellis oriatur, ſigna.

Poterit & ſecundò morbus regius vitio viarum ex ipſa veſica ortarum oriri, vtpote cùm ipſæ obſtructæ fuerint: & hoc, vel cùm obſtructæ fuerint viæ per quas ex iocinore ad ipſam veſicam bilioſum excrementum trahitur: vel eæ per quas ab eadem veſica ad inteſtina propellitur: quippe omnibus prædictis modis non expurgatus à bile ſanguis in totum corpus diffunditur, ac morbus arquatus efficitur. Ex viarum vitio, ſi propter earum obſtructionem fieri contingat. Ex imbecillitate verò ſeparatricis facultatis, ſi eadem veſica bilis in attrahendo, ſeu excernendo prædictum ſuccum propter aliquam eius intemperiem fuerit debilis. Nanque fellis folliculus, cùm inter naturalia inſtrumenta connumeretur, vnicum habet veluti reliqua imbecillitatis principium à partis intemperie ortum, vt eodem quinto de locis affectis, in fine, Galeno viſum eſt. Atqui interſtingues, ſi ob meatuum ipſius obſtructionem fiat morbus regius: nanque cum albis excrementis grauitatis cuiuſdam ſenſus circa dextrum hypocbondrium vrgebit citra febrim. At ſi propter eius imbecillitatem fiat, talia excrementa citra grauitatem deiiciuntur, vtriſque tamen ſtatim vrinæ bilioſiſsimæ affatim excernuntur, vt inquit Paulus.

Signa morbi regij ex criſi.

Cæterùm, ſi boc vitium febriente ægro repentè, ac cumulatim ſuperueniẽs febrem finierit, criſim teſtatur, materia ex alto foras prorumpente, proruente nimirum ad cutem bilioſo humore ratione bonæ iudicationis, vt ex Paulo, & Galeno, liquet:

Locis citatis.

qui morbus regius, ex excrementi vitio quoque generationem habet, eo ſiquidem craſsiori exiſtente, potiùs quàm multo. Nam ſi tenuis eadem fuiſſet bilis, vtique & in eadem criſi foras propulſata fuiſſet. Id quoq; confirmabunt alui excrementa, & vrinæ, quoniam vtraque ſecundum naturam ſe habebunt, & ob eam cauſam nullum viſceris affectum declarabunt.

Si ab aliqua cauſa externa fiat, ſigna.

Contingit etiam citra febrem aliquando ſanguine in bilem exagitato, propter corruptionem aliquam peregrinam ortam ex noxij medicamenti potione, aut venenatarum beſtiarũ morſu, quòd proprerea morbus regius fiat, Aëtio & Paulo teſtibus. Quòd verò ex ferarum morſu fieri ſoleat, exemplo probat Galenus quinto de locis affectis, cap. 7. cuiuſdam imperialis ſerui, qui viperarum venationi deputatus erat, cùm à vipera morſus eſſet. Huic vniuerſi corporis color fuit mutatus, adeò vt porri colorem referret. Ex multitudine quoque bilioſi excrementi, & hic morbus regius ortus, propterea quòd ſanguis extranea quadam corruptione in bilem fuit verſus. Neque etiam difficulter is dignoſci poterit,

ſi ab

ſi ab aliqua prædictarum duarum cauſarum fuerit ortus, ægrotantis, aut aſtantium interrogatione percepta, quæ earundem præceſſerit cauſa. Si verò non vniuerſim, ſed paulatim procreetur morbus regius, nullúmque ex commemoratis adſit, ita vt neq; dolor, neque grauitas circa illa infeſtet, neque febris præceſſerit, plurimam in vniuerſo corpore procreari bilem perpendere debemus. Idq; bifariam eſſe poterit, vel propter ſolidarum partium calorem immodicũ, vel ratione alimenti, quod ipſis diſtribuitur. Ex vtraque tamen cauſa propter excrementi multitudinem ictérus oritur, quoniam cùm expurgari nequit, vnà cum ſanguine per totum corpus defertur. Vna autem ab altera cauſa diſtinguitur, interrogatione facta eorum, quæ præceſſerunt. Nam ſi multo tempore calidioribus cibis, ac potibus vſus fuerit æger, ciborum vitio tribuenda erit occaſio: vbi verò hæc non præceſſerint, ex calida vniuerſi corporis intemperie, audacter morbum regium excitari cenſeto. Tot itaque ſunt morbi regij differentiæ à diuerſis cauſis ortæ: quæ iam dictis ſignis facilè dignoſci, ac inter ſe diſtingui poterunt. Reliquum eſt, vt eiuſdem prognoſtica enunciemus: quorum primum Hippocratis eſt aphoriſ. 62. quarti libri, dum inquit, Quibus in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum. Nam cùm iudicatorius eſſe non poſsit, ſed ſymptomaticus potiùs, iocinore malè ſe habente (vt in cōment. Galenus aſſerit) nec propter aliud malum ipſius hepatis ante ſeptimum oriri poſsit morbus regius, quàm ex inflammatione, vel obſtructione eiuſdem viſceris, eùm citiùs nō poſsit iudicatoriè bilis perduci in corpus: quoduis prædictorum affectuum cōſequatur, ſemper malum eſt, nec poſt ſeptimum, ſi propter eoſdem affectus iocinoris excitetur, periculo vacabit, vt liquet ex eodem Galeno ibidem. Hoc idem confirmauit tertio de morbis vulgaribus, Galenus, cùm dixit, Reduc item ad memoriam ante concoctum morbum crebro te audiuiſſe nullum quemlibet abſceſſum proficere, nedum auriginoſum, is enim impediri ſignificat bilem, quo minùs ex viſcere expurgetur, & per ventrem effundatur, vel propter oppilationem eius, vel propter inflammationem. Verùm morbo iam concocto decretoriè interim natura ad cutem excrementum effundit, cùm quorundam aliorum humorum, tum flauæ bilis. At huius Hippocr. ſententiæ contrarium quarto de ratione victus, ſcriptum reperitur. Ait enim auctor, in biliosa febre morbus regius cum rigore ante ſeptimum diem enatus, morbum ſoluit. Si verò abſque rigore præter occaſionem ſuperuenerit, peſtiferum. Niſi eſſet quòd (vt Galenus refert in expoſitione prædictæ ſententiæ neque ante ſeptimum diem, neque poſt ſeptimum cum rigore enatus morbus regius febrem ſoluit. Sed ita diſtinguere oportet, quòd febrientibus morbus regius ſuperuenit, interdum quidem tanquã affectionis hepatis ſymptoma, quod malum eſt (vt diximus ex eius ſententia) interdum quoque, & natura poſt coctionem per cutim excernere contendente, ſed nequeunte, veluti in abſceſsibus omnibus fieri conſueuit, quod nequaquã malum eſt, imò ſi cum rigore fiat, morbum ſoluit in biliosa febre: quoniam & natura vehementiori motu mouetur ad expellendam bilem, eam, quæ mordacior, ac acrior eſt, id quod per rigorem ſignificatur. Et licet ipſa eadem bilis ante ſeptimum iudicatoriè efferri ſit impoſsibile (vt patet commento eiuſdem aphoriſmi 62. quarti libri) bene tamen decretoriè ad cutim effundi poterit (vt eodem tertio de morbis vulgaribus, inquit,) In biliosa ſcilicet febre, citra aliquem iocinoris affectum, vtputa inflammationem, ſeu obſtructionem (vt diximus) morbo iam concocto, & potiſsimùm vbi per aliam viam natura eandem poſtea bilem excernere valuit, per aluum videlicet, aut veſicam, vel largum ſanguinis profluuium, quemadmodum Hippocrates, & Galenus primo de morbis vulgaribus, ſcriptum reliquerunt. Idem quoque Hippocrates aphoriſmo 64. eiuſdem libri quarti, dicebat. Quibus in febribus morbus regius, ſeptimo, vel nono, vel vndecimo, vel decimoquarto ſuperuenerit, bonum, niſi dextrum hypochodrium obduruerit: ſi verò non, non bonum, & aphor. 42. lib. ſexti, ſic de morbo regio ſcriptum reliquit.

Marginalia: *Si uniuerſi corporis uitio fiat, ſigna.* — *Prognoſtica.* — *3. de morbis vulga. cōmē. 1. commen. 5.* — *text. 81.* — *Loco citato.* — *Comment. 1. Text. & cōment. 64.*

reliquit. Morbo regio laborantibus, ſi fiat hepar durum, malum. Celſus verò Dioclis auctoritate teſtatur, quòd ſi morbus regius poſt febrem oriatur, ex toto proderit, ſi poſt hunc febris, occidet. Quantum verò ad curationis rationem ſpectat, ſi icterici fiant ratione bonæ iudicationis in febribus, facilè hi curantur (Galeno teſte nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap.1. & Aëtio cap.18. lib.10.) ex aquarum potabilium balneis, ac olei diſcuſſorij affrictu, & omnibus cutem rarefacientibus, quale eſt anethinum oleum, & chamæmelinum, irinum, & amaracinum. Similiter, ſi (vt inquit Aëtius) roſmarinus herba oleo incocta ipſum plurimum diſcuſſorium facit: cum his prætereà victus adhibendus eſt humidior, qui humorum craſsitudinem moderatè extenuare poſsit, vt eidem Galeno viſum eſt quinto de locis affectis, cap. vlt. & Aëtio præcitato loco, quanquam idem Galenus eodem loco præceperit taliter laborantibus, vt aqua ſuaptè etiam natura calida, & cui diſcutiendi vis eſſet, vterentur. Ex his nanque quidam bonam valetudinē conſequutus fuit, vt ipſe inquit.

Curatio morbi regij, ſi criſis ratione fiat.

Si verò ex letalis veneni potione, aut ex virulentorum animaliū morſibus quiſpiam ictero corripiatur, iis vtendum erit alexipharmacis, quæ aduerſus talia ſuo loco conſcribentur: quanquam Galenus imperialem ſeruum viperarum venationi deputatum, cùm à vipera morſus eſſet, per theriacæ potionem curauerit, vt eodem quinto de locis affectis, teſtatur, & proptereà eadem vti poteris.

Si ab aliqua externa, et uenenoſa cauſa fiat, curatio. Loco citato.

At vbi ex ſolidarum partium calore immodico in regium morbum inciderint, ad ſanitatem reducentur (Paulo auctore) cibis humidis, & mediocriter refrigerantibus, ptiſana ſcilicet, intubo, ſeri, cichorio, piſcibúſque, & vino tenui aquoſo, necnon ſimplici frictione, exercitiis moderatis, vnctione, ac balneis (vt ipſe inquit) quæ ex potabili aqua tepida fiant, in qua decoquantur medicamenta frigida & humida: qua etiam ratione curabitur, ſi ratione alimenti, quòd ipſis partibus diſtribuitur, fuerit excitatus morbus regius.

Si ex immodico calore partium ſolidarū.

Verùm ſi non vniuerſo corpore primariò affecto, ſed iocinore malè ſe habente morbus regius excitetur, quiuis fuerit eius affectus, ſiue calida intemperies, ſiue inflammatio, vel obſtructio, ſeu ſcirrhus, non alia ratione indigebit, quàm ea, quæ à nobis priùs inſtituta eſt, pro eorundem affectuum curatione: quare non eſt cur iterum hîc eandem repetamus, ſed illam in hoc caput transferre oportet.

Si iocinore malè ſe habēte oriatur, curatio.

Reſtat itaque, vt eius morbi regij curationem præcipiamus, qui vitio veſicæ bilis excitatur. Hic omnino his, quæ obſtructiones aperiunt, cibis, potibus, & medicamentis extenuantibus, deinde his, quæ bilem ducere poſſunt, curari deſiderat, Galeno auctore quinto de locis affectis. Proptereà aër temperatus eligatur, aut parum ad calidum vergens, ſomno item moderato vtantur, nocturno potiſsimùm, lecto etiam, & conclaui cultiore clauſo loco, ludis, laſciuia, per quæ mens exhilaretur (vt Celſus inquit.) Conueniunt item exercitationes, & geſtationes (vt Aëtius refert.) Per omne etenim tempus vtendum eſt exercitatione, frictione, ſi hyems eſt, balneo: ſi æſtas, frigidis natationibus, ex eiuſdem Celſi ſententia. Alui excrementa quotidie expurgari debent: quæ ſi non natura excernantur, clyſteres adhiberi debent. Clyſter enim, eodem Aëtio teſte, propter ſtercorum euacuationem ſpirandi facilitatem inducit, inteſtináque irritando, ac mordendo humores ad cutis ſuperficiem delatos ad ipſa retrahit, & reuellit, præſertim vbi acrior fuerit. Animi affectus immodicos vitent, vtantur tamen animi laxamento, ac iucunditate. Nam maximum, adiutorium, & magis vtilis eſt ægrotantibus animi puriſsima laxatio, ſiue ſerenitas, Cælio Aureliano teſte capite quinto libri tertij. Cibi eligantur faciles concoctu, ſimúlque inciſorij, & attenuatorij, vt patet ex eodem Aëtio. Ex volucrum quidem genere maximè montanæ, vt ſtarnæ, phaſiani, turdi, merulæ, ac reliquæ aues paruæ. In earum verò penuria, gallinis, ac gallinaceis pullis vtantur, cum quibus olera ea decoqui poterunt, quæ vim extenuandi, ac vrinam ciendi habeant, veluti ſeris, intubum, aſparagus, oreoſelinum, fœniculum, ſerpillum, ſmyrnium, carduus, & eryngium, daucus, ac reliqua huiuſmodi. Inter quadrupedum

Si veſicæ bilis uitio ſit ortus morbus regius, curandi ratio. In fine. Ratio uictus.

etiam

etiam carnes, ferinæ manſuetis magis ſunt aptæ: quibus etiam interim vti poterunt, capreolorum præſertim, à fructibus abſtinendum eſt: amygdalæ modicè ſumi poſſunt. Pro potu vinum conuenit album, ſubadſtringens, neque valde vetuſtum, vt eidem Aëtio viſum eſt. Vbiq; tamen mediocritas optima cenſetur, vt ipſe inquit. Verùm vbi meatus veſicæ bilis vtrique ſunt obſtipati, vel alter duntaxat, vt Paulus teſtatur, conſilium eſt venam in dextro cubito ſecare, nanque duo maxima remedia in huiuſmodi ictericis principatum obtinent, (vt inquit Aëtius) ſectio videlicet venæ, & purgatio, potiſsimũ, vbi multitudo ſanguinis vnà cum bile in toto corpore abundat. In his nanque nihil venæ inciſione commodiùs fieri poterit, ſi nihil impediat. Sanguis autem particulatim, & per vices detrahendus erit, ne per coaceruatam euacuationem vires ægri proſternantur. At purgationes magis propriæ, & familiares huic morbo exiſtunt (vt idem Aëtius teſtatur Rufi auctoritate) propterea tutiùs eis vti debemus, potiſsimùm vbi ſanguinis multitudo vnà cum bile in toto corpore non redundet, neque circa iecur dolor, aut diſtentio infeſtet. Et propterea Galenus quinto de locis affectis, cap. 7. prætermiſit venæ ſectionem, & purgationem cõmendauit. Quanquam neque his vti debeamus, ni priùs humores eduliis, ac potionibus itémque pharmacis priùs fuerint attenuati, atque obturationes deoppilatæ, præcepto Galeni præcitato libro quinto de locis affectis, & Aëtij præcitato loco. Purgationes nanque in principio datæ, priuſquàm bilis fuerit attenuata, ac vaſa fuerint reſerata, maximi mali cauſam præbuerunt. Ex quibus colligi poteſt bilem interim præparatione, ac attenuatione indigere; quemadmodum in noſtra methodo. Vt verò attenuetur humor, reſerentúrque viæ, ictericis dari poterit apij, vel adianti, vel lapathi decoctum ad tertias. Vtilis quoque eſt abſynthij cremor per ſe, & cichorij ſucci cyathi bini, aut terni per ſe, aut cum vino poti. Similiter & verbenacæ rectæ, aut oxalidis decoctum, vt liquet ex Aëtio, & Paulo. Si quis autem velit eos, quibus vtimur, prædictorum loco ſyrup. adhibere pro extenuatione, & reſeratione perficienda, caput conſulat de iocinoris obſtructione: qua reſeratione, ac extenuatione peracta, medicamentum, quod bilem ducere poſsit, exhibe, iuxta Galeni ſententiam. Sit autem forte pharmacum purgatiuum, vt iubet Aëtius, nam ictericis purgationes exhibendæ fortiores ſunt. Etenim ob ventris ſiccitatem imbecilliores, inefficaces in ipſis cognoſcuntur, vt ipſe inquit. Adde & ſecundò, quòd parum quidem habemus in tali purgatione naturam adminiculantem, nanque vel attrahere, vel expellere ob copiam, ſeu obſtructionem bilem nequit ipſa veſica bilis, vt diximus, in prædictis ictericis, imbecilla ſiquidem exiſtente eius ſeparatrice, ac expultrice facultate. Vt autem noxij humoris promptè fiat euacuatio, vtriſq; indigemus, natura ſiquidem expellente, & medicamento attrahente, quemadmodum ipſe Galenus commento aphoriſmi 22. primi libri, ſcriptum reliquit. Poterit autem purgans pharmacum ex caſsia fiſtula, ſeu melle rorido, rhabarbaro, ſeu agarico, diacath. & tryphera componi hunc in modum, Recipe mellis roridi vnc. 2. ſ. vel caſsiæ fiſtulæ vnc. 1. ſ. rhabarbari cum ſpica in vnc. 1. ſ. ſucci roſarũ macerati, & per colũ transfuſi ſcru. 4. diach. drac. 7. trypheræ perſicæ drac. 4. cum aqua cichorij, vel lupulorũ, in qua priùs drac. 1. agarici, ſeu ſcrup. 4. fuerint decocti, fiat potio. At ſi neq; dicta purgatione liberari potuerint, iis rurſus valẽtioribus ad aperiendũ datis potionibus, medicamentũ quod vehementiùs purget, exhibendum erit, ita vt etiã ad finem purgationis, vnà cum vehementiſsima mordacitate bilis excernatur, quæ cærulea magis ſit, quàm flaua, vt inquit Aëtius ex Rufi auctoritate, & Galen. præcitato loco. Propterea cum cremore abſynthij nardus indica, ac iunci rotundi odorati flores adiciantur. Item conuenit pulegij, aut calaminthæ decoctum. Prodeſt etiam rumex ſatiuus, anchuſæ radix, rubeæ tinctorum radix, chamæpityos, roriſmarini, & ariſtolochiæ, item ſerpillum, hypericum, & eius generis plurima alia, ſingula in aqua ad tertias decocta cum vino dulci bibenda præbeto, aut contundito, & cribrato, ac ſingul.

Venæ ſectio.

Purgationis, ac aliorũ medicamẽtorum ratio.

Locis citatis.

ſingul.drach.1.dato,vt inquit Aëtius.Datur item valde commodè cornu ceruini ramentum cochlearij menſura,petroſelinum,aniſum,aſarum,leucanthemos, & buphthalmos. Galenus Archigenis auctoritate eodem nono de compoſitione medicamen.ſecundum locos,cap.1.coagulum leporis cõmendat,ſi cum meraco ad dies quinque,vel ſex præbeatur:quibus ſæpius adhibitis, aut vice eorum exhibitis ſyrup qui validiorem vim habent extenuandi,incidendi,ac reſerãdi, ſeu vrinam ciendi præcitato cap.adnotatis,validius,quàm nuper dictũ medicamentum purgans præbendum erit,adiiciens drac.4.eclegmatis de ſucco roſarũ, aut diaprunis ſolutiui , vel catapotia formabis, ſumens pilularum aggregatiuarum drach.1.aut ſcrup.4.cum altera drac.rhabarbari cum ſpica,ſeu agarici trochiſcati,quę oxymelite excipiantur,& catapotia formentur: poſt quæ potionem exhibebis ex mellis aërei vnc.2.aut ſacchari violacei tãtundem cum aqua cichorij, aut boraginis,& in robuſtis corporibus cum prædictis catapotiis grana 4.aut 5. diacrydij permiſcebis. Verùm vitandam probamus frequentem,& variam medicaminum potationem,qua fella deducere promittuntur, ſiue ventrilua, ſiue vrinalia fuerint (vt Celſus Aurelianus inquit) propter cauſas ab eodem ibidem traditas. Quòd ſi circa oculos,& faciem vitiatus duntaxat color relinquatur, narium infuſis vtendum erit anagallidis videlicet ſucco,aut ſucco radicis betæ, & ſi fortiori indigeant, cyclamini ſucco,aut melanthio cum aceto,ex Aëtij auctoritate. Acetum verò acerrimum , ſi naribus attrahunt in ſolio deſidens, contineátque etiam preſsis naribus pauliſper,mirificè conducit,Paulo auctore.

Περὶ μέλανος ἰκτέρου. Id eſt, De nigro ictero. Cap. LXXXVI.

CVM triplex ſit in venarum concoctione excrementum, Galeno auctore tertio de cauſis ſymptomatum,cap.2. Quorũ vnum (vt diximus) amara bilis eſt , atque ab ea veſica , quæ iocinori ſubeſt,expurgatur. Alterum nigra bilis,ſeu melancholicum excrementum appellatur,quod lien expurgat,eodem Galeno teſte præcitato loco ſecundo de naturalibus facultatib.cap.9.ac quarto de vſu part. cap.15. Tertium ſeroſum exiſtit excrementum,quod renes expurgant , nõ ab re cùm eiuſdem nigræ bilis ſeparatio,ſeu ſegregatio,vel omnino peracta non fuerit,vel non ritè,ſymptoma quoddam ſit,nomine proprio vacans,quẽadmodum idem Galenus ſcriptum reliquit lib.de different. ſympt.cap.4.& tertio de cauſis ſympto.cap.vlt. Nanque ſeparationis excrementorum à ſanguine fruſtratio neceſſariò coloris ſymptomata inducit,vt ipſe inquit. Verùm id ſympt. quod melancholico excremento ſuccedit,proprio nomine caret. A Paulo vero cap.49. libri 3. μέλας ἴκτερος, hoc eſt,niger icterus, ſeu ater morbus regius appellatur. Qui nihil aliud eſt (vt ex eodem auctore colligitur) quàm delatio quędam ſanguinis impuri inexpurgata ab eo nigra in vniuerſum corpus. Parum autẽ commodè,veluti & reliqua excremẽta iam dicta purgabitur,vel proprij inſtrumenti expurgantis imbecillitate,vel viis,per quas expurgatur , quomodocũque obſtructis,vel ratione ipſiuſmet excrementi,cùm immodica fuerit eius quantitas. Atqui cõſtat,nedum Hippocratis,& Platonis auctoritate,verumetiam tum medicorum,tum philoſophorum nonnullorum, vt liquet ex Galeno eodem 2.de naturalibus facultatib.cap.9. 4.de vſu partium, cap.15.& lib.de atra bile, cap.6. (quanquam Eraſiſtratus aliter ſenſerit) lienem vnum eſſe viſcus ex his,quæ ſanguinem purgãt,atque iecur, quoniam ad ſe quicquid in ſanguine limoſum,craſſum,ac melancholicum eſt (veluti in vino fæx, aut in oleo amurca) trahit per vas venoſum,tanquam per ſtomachũ quendam. Id autem non protinus in ventriculum per aliud vas excernit,ſed priùs,per multum otium conficit,atque immutat:ita vt quicquid in ſuccum huic viſceri maximè conuenientem fuerit elaboratum,alimentum eidem efficiatur,quòd verò ab ea quæ in ſplene fit elaboratione,excidit, tanquam omnino inutile ad nutriendum, per alium quendam

Quid ſit icterus niger, ſeu ater morbus regius.

Lienis actio.

modo dictum venoſum ſtomachum, lien ipſe ad ventriculum eructat. Verùm
quanquam plures partes inſtrumentum hoc conſtituant, facultas tamen hæc
quam habet ad ſeipſum trahendi ſuccos melancholicos, in eius proprio corpo-
re (quod nonnulli parenchyma, id eſt affuſionem vocant) conſiſtit. Quapropter
rarum admodum, ac laxum, inſtar ſpongiæ cuiuſdam effectum eſt viſcus hoc,
vt craſſos facilè attrahat, & excipiat, eodem Galeno teſte quarto de vſu partiũ,
cap. 15. Quo fit, vt præter eius quatuor facultates, quas ſuæ conſeruationis gra-
Lienis uſus uniuerſo corpore.
tia habet, veluti reliquæ omnes particulæ, ex earum genere ſit, quæ per accidens
magnopere habent totum corpus iuuare, vt nono de compoſitione medica-
mentorum ſecundum locos, cap. 2. à Galeno ſcriptum eſt, trahens in ſeipſum
ex hepate, vt diximus, veluti fæcem ſanguinis: per quam actionem vniuerſo cor
pori ad humorum bonitatem confert. Quare vbi imbecillitate affectus eſt, præ-
ſertim attrahendi facultate facta imbecilliore, vniuerſum corpus colore nigrius
euadit: quoniam ſanguis ex iecore in ipſum impurus tranſmittitur: & propter-
ea inter alia ſymptomata, quæ cum hepate communia habet (ſunt autem & ea
multa: niſi quòd quædam magis, quædam verò minùs euenire ſolent, vt ſexto
In princ.
de locis affectis habetur) id quoque ſymptoma, quod ad coloris rationem per-
tinet, cum eodem commune obtinuit. Quanquam in hoc vniuerſum corpus, vt
Quòd ſi lien afficiatur, ſigna:
ipſe Galenus inquit, magis nigricare videtur. Etenim regij morbi, qui à liene
ægrotante ortum habent, nigriores ſunt, itémque vlcerum cicatrices nigræ, vt
ſecundo de naturalibus facultatibus, cap. 9. liquet. Quòd itaque affectus præter
naturam lien, atrum morbum regium conſtituat, luce clariùs patet in Galeni,
& Pauli doctrina. At quòd idem affectus ſit præter naturam, coniectari poterit
ex eo, quòd vbi ſuo munere vitioſè fungitur, coloris vitia magis, ac magis ad ni
grum declinando toti corpori impartit, vt libro de atra bile, cap. 6. ſcriptum eſt.
Item quod manifeſtè quandoque videbitur vniuerſum corpus herbis candenti
pallore infectis ſimilari; interdum plumbeum, aut etiam magis fuſcum referre
colorem, interdum etiam alias quaſdam ineffabiles colorum proprietates: quæ
licet iocinore ſuo munere non rectè fungente, accidere ſoleant, tamen ob ſple-
nis quoque vitia huiuſmodi quoque colores eueniunt. Verùm multò nigriores,
quàm ab hepate, ex Galeni ſententia quinto de locis affectis, cap. 7. Indicat e-
tiam lienem affectum eſſe dolor ſub ſiniſtro hypochondrio (Aëtio teſte cap. 7.
lib. 10.) aut diſtẽtio, aut grauitas, ſeu tumor, qui in eadem parte ſubiacet, & dum
conuertuntur, veluti aliquid ex illis locis conuellatur, imaginatiò contingit, vt
Quis affectus præter naturã ſit icterus niger.
ipſe refert. Quòd verò affectus hic ſimiliter ſymptoma exiſtat in genere affe-
ctus corporis, & in eorum numero, quæ viſibilia dicuntur, ac totius corporis, lib.
de differentiis ſympto. cap. 5. & tertio de cauſis ſymptoma. cap. vlti. liquet. Eius
Signa eiuſdẽ.
autem indicia ſunt, nam hoc vitio affectos conſequitur triſtitia præter rationẽ,
& mordacitas eorum, quæ circa ventrẽ ſunt, difficultásque ſpirandi, cibos auer-
Cauſa.
ſantur, & nigra lotia excernunt: aliquando autem & per interualla quędam cor-
pora ipſorum tepeſcunt: ſtercora verò calcanthi colorem referunt, & aluus re-
ſiccatur, vt liquet ex Aëtio cap. 17. lib. 10. Inter omnia verò ſigna, id præcipuum
exiſtit, ater videlicet vniuerſi corporis color. Verùm non diuerſa ratione ab ea,
quam præcedenti capite conſcripſimus, fruſtratio ſeparationis huius excremen
ti à ſanguine, aut ex eiuſdem lienis imbecillitate, facultate attractrice exiſtente
infirma, vel meatus per quem illud attrahit, obſtructione prouenire poterit. At
vbi meatus obſtructio adſit, grauitas, & diſtentio, vel etiam dolor lienem exer-
cebit. Si verò nihil eorum euenerit, attrahendi potentiæ imbecillitas indica-
bitur: prout ſcriptum reliquit Paulus præcitato loco. Eius verò imbecillitatis
cauſa cunctæ intemperantiæ eſſe poterunt, cùm ſimplices, tum compoſitæ: quæ
quomodo dignoſcendæ ac inter ſe diſtinguendæ ſint, Aëtius fuſiſsimè docuit
præcitato cap. 7. lib. 10. Et inter reliqua ſigna, tanquam certum, & compendio-
ſium intemperiei ſplenis eſt id, quod ſumitur ab his, quæ eduntur, ac bibuntur,
ac ex eis quæ forinſecus cuticulæ iuxta ſiniſtrum hypochondrium accedunt,

nunquid

nunquid conferant,vel lædant,calida, ſeu frigida fuerint, quæ eduntur, ac bibuntur, aut quæ foris admouentur. Nam frigida intemperies ab omnibus cibis,ac potibus, qui efficaciter refrigerare poſſunt, augebitur, ac manifeſtè magis ſplenem lædent,ſic & ab iis,quæ foris admouentur. Eandem verò intemperiem omnia calida iuuabūt. Sic quoque de calida ſplenis intemperie, ac reliquis ſentiendum erit,vt liquet ab Aëtio ibidem. Quòd ſi fortè fortuna ex lienis inflammatione,ſeu ſcirrho ater morbus regius fuerit excitatus,ex eorūdem propriis ſignis iudicari poterit,de quibus in ſequentibus pertractabimus. Sed quoniam eiuſdem excrementi vitio, non minùs poteſt affectus hic gigni, quàm morbus regius propriè dictus,cùm ipſum fuerit multum, nullo proprio affectu liene laborante,propterea hoc quoque dignoſcere non erit inutile.Promptè autem id percipies, quoniam nullum aderit ex prædictis ſignis lienem affectum indicantibus, præterea neque idem totius corporis color adeò nigricātior erit. Cæterùm cùm hæc excrementi multitudo à geminis cauſis oriri poſſit, quarum vna eſt ipſa iocinoris intemperies,& reliqua eſt ciborum vitium, id interſtinguere poteris ex iis quæ præceſſerunt. Nunquid vſus præceſſerit eorum ciborum,ac potuum,qui melancholicæ naturæ fuerint,necne? Nam vbi talis præceſſerit victus aſſumptis cibis,ac potibus,qui craſſum,& fæculentum humorem procreare natura apti ſunt, ex vitio victus rationis prouenire atrum morbum regium iudicabis.Vbi verò talis non præceſſerit victus ratio, aderíntque ſigna frigidi,ac ſicci hepatis, à Galeno libro artis medic.cap.44. adnotata, ac reliqua quæ ipſum affectum eſſe indicabunt, vitio hepatis, quod ad generandum huiuſcemodi excrementum ſit aptum, prouenire putabis. Quandoque etiam vtroque viſcere laborāte regius morbus euenire poterit,nigriore,quàm pro conſuetudine veri morbi regij ſubſequente colore, ita vt putaretur flaua bilis fuligini eſſe permixta, vt Galenus inquit ſexto de locis affectis, aderúntque indicia alia iam dicta differenter affecti tum hepatis, tum lienis. *In princip.* Quòd verò omnino grauius afficiantur ij,in quibus atræ bilis humor vnà cum ſanguine ad cutem eſt delatus, quàm in quibus pallida, ſeu flaua bilis, ab Aëtio ſcriptum eſt cap.17. libri decimi. *Prognoſtica.* Idem quoque ater morbus regius, ſi diu perſeuerauerit, nec obſequatur medicamentis ritè adhibitis, ac cedat, malum eſt.Nam conſentiente iocinore,aqua intercus ſuccedet,vt liquet ex eodem Aëtio. Vrina verò, ſi ſuam ſeruauerit naturalem diſpoſitionem in atro morbo regio; ſalubre erit indicium; exiguam nanque indicabit lienis affectionem,nec adhuc eidem iecur conſentire. In vniuerſum autem quantum ad eius curationem ſpectat, ſi ex lienis intemperantiis ortum duxerit,eas tum per cibos ac potus,tum per ſimpliciſſima pharmaca,ac fomentorum irrigationes, quæ intemperiei contraria ſunt, corrigere oportet,Aëtio auctore. *Curandi methodus.* Et quoniam (vt inquit Paulus) lienis intemperies eandem cum iocinore curationem poſtulant, & ſi quis velit, particulatim earum curationem inueniet apud Aëtium cap.8.libri decimi.propterea breuitati indulgentes, eandem particulariter conſcribere recuſauimus. Poterunt tamen ſtudioſi caput de iocinoris imbecillitate conſulere. Vnum tamen non prætermittam; quòd vbi accidat per aliquam eiuſdem lienis intemperiem, aut viarum obſtructionem, ſeu etiam iócinoris intemperaturam; quòd per vniuerſum corpus vnà cum ſanguine multa copia nigræ bilis fuerit coaceruata, aliis conſentientibus, ſecanda primò vena erit cubiti interna ſiniſtri, liene affecto obſtructione, vel intemperie: dextri autem, ſi iecur fuerit affectum. *Venæ ſectio.* haud tamen multa copia ſanguinis extrahenda erit, ſed potiùs, ſi opus fuerit iterari debet. Nam, quòd perpetuò per venæ ſectionem ingentem conſpexerit vtilitatem in lienis affectibus, à Galeno ſcriptum eſt libro de curandi ratione per venæ ſectionem,cap.decimoſexto.multum etenim (vt ipſe inquit) iuuat affectum lienem ſanguinis ex ſiniſtro brachio detractio: nec minùs hepati opem feret, ſi ex dextro cubito ſanguis auferatur. Si verò non cum ſanguine permixta nigra bilis redundauerit per vniuerſum corpus, aut quidpiam aliud venæ

ſectionem impedierit, eadem ſucci melancholici copia, ſeu multitudo ex quacunque cauſa fuerit orta, purgatione exhaurienda erit, eodē humore priùs concocto, ac præparato. Nam in redundantia humoris melancholici ſanguinē mittere præſtat: aut certè omnino medicamento vti atram bilem expurgante, vt liquet eodem libro de curandi ratione per venæ ſectionem, cap. 10. Verùm quibus præparari, ac purgari debeat, cap. de melancholia, ſtudioſi requirant. gratia autem exempli pro neotericis ex ſyrup. ſucci fumariæ, aut de pomis cum oxymelite, & aqua lupulorum, ac ſcolopendrij, concocto, ac parato humore eiſdem ſæpiùs aſſumptis, hoc purgans medicamentum præberi poterit. Recipe ſcolopendrij, lupulorum, & boraginis ana drach. 3. vuæ paſſæ decorticatæ drach. 4. ſenæ, epithymi cuiuſlibet drac. 2. s. myrobalanorum indarum drach. 1. s. fiat decoctum in aqua fontis, & in eo per colum transfuſo diſſolue caſsiæ fiſtulæ vnc. 1. s. aut mellis roridi vnc. 2. s. diacath. drach. 7. confectionis hamech, aut eclegmatis indi drac. 2. vel diaſenæ drac. 4. fiat potio. Euacuato tandem vitioſo redundante ſucco in toto, vel in parte, ſi propter obſtructionem meatus, per quem lien ad ſe limoſum ſanguinem attrahit, excitatus fuerit ater morbus regius, eadem victus ratione extenuante, ac eiſdem quoque medicamentis vtendum erit; quibus vti præcepimus pro curatione obſtructionis iocinoris. validiora tamen inter ea eligenda, nanque lien ſine moleſtia validiora medicamenta tolerat, vt liquet apud Galenum ſecundo de arte curatiua ad Glauconem, cap. 5. Cùm eiſdem tamen ſemper aliquid ex adſtringentium genere admiſceatur. Id autem nedum in obſtructione curanda, ſed in cunctis aliis lienis affectibus ſeruandū erit, opus nanque eſt ipſius naturalem firmitatem cuſtodire, quo conueniens ipſi alimentum attrahat, quoniam per hanc actionem vniuerſo corpori ad humorum bonitatem confert (vt diximus ex Galeni auctoritate nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 1.) Ea autem potiſsimùm, quæ extenuādi vim habent pharmaca citra manifeſtam calfactionē eligantur, inter quæ magnopere, tanquam huic viſceri commoda, ſunt acetum, & acetum mulſum; præſertim vbi idem viſcus, nedum obſtructione laboret, ſed induratum fuerit, vt patet ex Galeno ibidem. Verum cùm eiſdem exhiberi poterit decoctum corticum radicum capparorum, aut ſcolopendrij, vel radicis, ſeu germinum myricæ: nam quale medicamentum iocinori eſt abſynthium, tale eſt lieni capparis cortex: & quale rurſus iocinori eupatorium, tale eſt lieni ſcolopendrium (vt liquet decimotertio methodi medendi, cap. 17.) Siquidem ſimilia genere medicamenta ambo viſcera poſtulant, cæterùm tanto valentiora lienis, quanto craſsiori vtitur alimento, vt ipſe Galenus refert. Ex quibus cùm liqueat, qua methodo curari debeant lienis tum intemperātiæ, tum obſtructiones, non eſt cur ſeorſum de eis iterum mentionem faciamus. Vbi autem ater morbus regius ex lienis inflammatione, ſeu ſcirrho fuerit excitatus, eadem inflammatione curata, ſeu ſcirrho, & ipſe quoque curationem recipiet. Nos verò in ſequentibus eorundem affectuum curationem præcipiemus. Ex intemperie autem iocinoris ortus præcedente priùs venæ ſectione, aut purgatione, vel vtriſque (vt diximus) in toto, vel in maiori parte melancholici ſucci redundantis facta euacuatione, vbi eius copia adſit, per contraria eiuſdem iocinoris intemperiem corrigere oportet tam cibos, quàm potus, quàm etiam medicamenta, eo non neglecto, quod perpetuò ea quæ adſtringunt, permiſcere oporteat: quibus autem particulatim eadem intemperies corrigenda ſit, capite de imbecillitate iocinoris, ſtudioſi reperient. Nec minùs, ſi vitio alimentorum, ac potuum vim habentium ſuccum melancholicum gignendi, ortus fuerit ater morbus regius, contraria etiam victus ratio adhibenda erit, quam locupletiſsimè conſcripſimus capite de melancholia. Ea igitur huc transferenda ſunt pro optima victus ratione prædictis inſtituenda. Si verò vtriſque ſimul viſceribus laborantibus regius morbus euenerit, ſtante redundantia vtriuſque bilis cum ſanguine, vena ſecanda erit vtriuſque cubiti interna: & pro ratione maioris redundantiæ alterius bilis, ac ma-

gnitud

gnitudine affectus alterius viſceris,maior ex vno, quàm altero cubito quantitas ſanguinis exhauriatur quanquam ſemper eadem venæ ſectio moderata eſſe debeat. Victus ratio quoque communis eſſe debet, vtriſque viſceribus conducens. Similiter & purgatio, vbi adhuc facta venæ ſectione vtrique ſucci per vniuerſum corpus redundent. In quem vſum præparatis eiſdem ſuccis ex ſyrup. ex ſucco fumariæ,& cichorij,atque oxymelite,& aqua boraginis,& lupulorum, & hortulanæ enduiæ hoc medicamentum purgans præbeatur, Recipe florum boraginis, lupulorum, fumariæ ana drach.4. vuę paſſæ decorticatæ vnciam s. ſenæ,epithymi ana drac.2.eupatorij,abſynthij,ſcolopendrij,& radicum capparorum ana drac.1.s. fiat decoctum in aqua fontis,& in eo per colum transfuſo diſſolue caſsiæ fiſtulæ vnc.1.s.aut mellis roridi vnc.2. rhabarbari optimi cum ſpica præmacerati in parte prædicti decocti per diem,aut noctem, & deinde per colum transfuſi drach.1.aut ſcrup.4.diacath.drac.6.diaſenæ,vel eclegmatis indi drach.2.vel 3.miſceantur, & fiat potus. A purgatione vtrique viſceri conſulendum,magis autem,aut minùs vni,vel alteri, prout vnus viſceris affectus, vel alter magis vrgebit,nunquam tamen altero derelicto.

Περὶ τῆς φλεγμονῆς τοῦ σπληνός. Id eſt, De inflammatione lienis.

Caput LXXXVIII.

QVAMVIS rariùs (vt Alexander inquit cap 10.lib.8.) quàm alia viſcera lien inflammatione conflictetur, interim tamen & ipſum inflammari contingit, vt liquet apud Galenum ſexto de locis affectis,13.metho.meden.cap.17.& aliis pleriſque locis. *6. de loc. aff. in princ.* Cuius inflammationes facilè ob duritiem, tangendo deprehenduntur, vt ipſe inquit. Inſuper & ex iis, quæ de iocinore diximus, facilè etiam inueniuntur notæ, quibus lienis affectus diſcernantur. Quapropter cùm nonnulla in præcedentibus nedum de iocinore, verumetiam & de ipſa inflammatione dicta ſint, non opus eſt hic eadem repetere, ſed ad tradenda indicia inflammati lienis deueniam. Sunt autem ea dolor ſiniſtri hypochondrij, ac etiam feruor, diſtentio, tumor, & multa grauitas vehementer vrgens, Paulo, & Alexandro teſtibus, *Inflāmati lienis ſigna.* *Paulus lib.3. cap. 49* qui tumor ob duritiem facilè tangendo deprehenditur, vt diximus ex Galeni ſententia, præſertim proceſſu temporis. Nanque imprimis, dum ſcilicet humor adhuc fluit, lienis tumor apparet humidior, vt teſtatur Alexander. *Alex. loco citato.* Nec mirum ſi lienis inflammationes duriores deprehendantur: nam ſanguis, qui ad eum pro nutrimento deuenit limoſus, fæculentus, ac craſſus exiſtit. *Cur lienis inflammatio durior ſit.* Ex quo cùm inflammationes fiant neceſſum eſt eas duriores fieri. Ex his itaque notis facilè quiſpiam, tum partem ipſam affectam, tum affectum ipſum dignoſcere poterit. Quis autem affectus ſit inflammatio, ſexcenties in præcedentibus dictum eſt. Verùm hic per inflammationem non propriè dictam intelligere oportet. Nanque rariùs ex ſanguine optimo, ac mediocrem craſsitudinem habente, ipſam in liene oriri contingit, ſed ſæpiùs (vt mox dicemus) ex ſanguine craſsiori excitatur. quo fit, vt neque laborandum ſit in inueſtigandis ſignis pro dignotione cauſæ eiuſdem inflammationis, *Cauſa.* cùm ſemper ferè ex iam dicto ſanguine fæculento, limoſo, ac craſſo generationem habeat, facilèque poſsit dignoſci, vbi fortè fortuna à ſanguine optimo, vel bilioſo exiſtente ipſa inflammatio fuerit excitata, præſertim ex iis quæ præceſſerunt, temperamento, ætate, habitu, anni tempore, victus ratione, ac reliquis. Cognoſces autem (vt inquit Aëtius cap.decimo, libri decimi. irruentis humoris magnitudinem ex magnitudine, & velocitate generationis ipſius inflammationis. Inflammato autem liene, ſi ex ſiniſtra nare ſanguis erumpat, magnam fert vtilitatem. Nam quibuſcunque κατ' ἴξιν, eruptio ſanguinis accidit, ſummum id commodum laborantibus affert: *Prognoſtica.* quemadmodum Hippocrates memoriæ prodidit: quibus verò contra euenit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet, quòd vires ſcilicet citra morbi

leuamen deiiciat, atque exoluat, vt libro de curandi ratione per venæ ſectio-
nem, à Galeno ſcriptum eſt. Inſuper quamuis rariùs, quàm cætera viſcera lien
inflammatione tentetur, tamen ſi in eo excitetur, magna cum diligentia curan-
da erit, aliàs nedum praua conſequentur ſymptomata, verũetiam temporis pro-
ceſſu perniciem cauſabit, potiſsimùm ſi eadem in ſcirrhum vertatur. Pro eius
Curatio. itaque curatione ratio victus ſimilis inſtituenda erit ei, quam in cæteris viſceris
inflammationibus præcepimus, ſolo piſanæ cremore ægrum nutrientes, potiſ-
ſimùm circa initia, illius verò penuria aqua, & ſolo pane, atque interim vinum
Ratio victus. tenue, albúmque exhibeatur, Alexandro teſte, præſertim vbi inflammatio diu-
tiùs proteletur, quo tempore etiam auicularum carnes montanarum, pullo-
Ordo curationis. rúmque, ac gallinarum concedendæ ſunt. Quòd verò ad reliqua attinet, pri-
mùm ſanguis detrahendus eſt, deinde purgationes adhiberi, poſtea medica-
menta extrinſecus imponi debent, vt liquet ex eodem Alexandro. Nam ſi ve-
Venæ ſectio. næ ſectio omnibus viſceribus inflammatis præſentiſsimum eſt remedium, ma-
ximè certè in lienis inflammatione adhibenda eſt, ſi nihil contra ſuadeat, nem-
pe ætas, aut vires, aut locus, aut conſuetudo, aut aëris conſtitutio, aut præcedens
ciborum cruditas, aut magnum ventris profluuium, vt ipſe inquit. Secanda au-
tem vena eſt ſiniſtri cubiti, vt liquet decimotertio methodi meden. cap. 11. Mul-
tùm nanque iuuat afflictum lienem ſanguinis ex ſiniſtro brachio detractio, vt
liquet eodem libro de curandi ratione per venæ ſectionem, cap. 16. & nos præ-
cedenti cap. adnotauimus, atque eadem interna: quòd ſi ea non appareat, media
ferienda eſt, ſi ne ipſa quidem in conſpectum proueniat, humeraria incidenda
erit. Quòd ſi nec ipſa quoque conſpiciatur, ea quæ minimo digito vicina eſt, a-
periri debet, ex decreto eiuſdem Tralliani. Quòd verò huius venæ in extrema
manu exiſtentis, ſectio conferat, pro lienis inflammati curatione, confirmauit
Paulus præcitato loco. Id quod fortè innuere voluit Galenus eodem libro de
curandi ratione per venæ ſectionem, cap. 16. Quanquam quidam negatiuè lite-
ram legant. Præſtat autem non ſemel quantum cõueniat extraxiſſe, ſed in duos
Loco citato. dies, id partiri ſatius eſt, vt idem Galenus refert. Sic nanque extrahendus ſan-
guis eſt, ne vitalis facultas deficiat, vt Alexander aſſerit. Poſt ſanguinis miſsio-
nem ea dari oportet quæ aluum ſolent ducere. Sunt tamen ea medicamenta,
quæ alui ducendæ idonea ſunt, lenia eligenda, ex eiuſdem Alexandri teſtimo-
Purgatio. nio, præſertim per initia. Lien etenim per initia purgari poteſt, tamen proceſſu
temporis validiores purgationes exhiberi poſſunt, vt ipſe refert. Hac nanque
via duntaxat lienis ſuperflua vacuari debent: nam ea quæ per renes agitur, nul-
la huic viſceri vacuando via patet: proinde vbi phlegmone premitur, deiecto-
riis id medicamentis, tum detergimus, tum laceſsimus, quo dimittat, deponát-
que ſuperuacua, atque id potiſsimùm medicamentum deiectorium ſupernè ex-
hibendum erit, à ſitu, ſocietatéque ſumpta indicatione, quemadmodum à Ga-
leno eodem decimotertio methodi medendi, cap. 17. decretum eſt, quamuis
venter etiam per clyſterem aſsiduè elui debeat, & maximè ſi venæ incidendæ
medela relinquatur, ex Aëtij ſententia, & præcipuè in morbi initio, vel incre-
mento, vt inquit Alexander. Verùm priuſquàm purgans medicamentum ex-
hibeatur, parari humor debet ex oxymelite, ſerapio ex ſucco fumariæ, ſeu bora-
ginis cum aquis meliſſæ, & lupulorum. deinde hunc in modum purgetur æger.
Primò recipe florum fumariæ, lupulorum, boraginis, violarum, & hordei, ſingul.
drach. 3. ſenæ, epithymi, ſingulorum drac. 2. vuæ paſſæ decorticatæ vnc. s. fiat de-
coctum in aqua fontis, in quo per colum transfuſo diſſolue mellis roridi vnc. 2. s.
aut caſsiæ fiſtulæ vnc. 1. s. & diacath. drac. 6. vel 7. & fiat potio. At vbi neque huic
purgationi ceſſerit inflammatio, procedente tempore, ſi opus fuerit, validiùs ex-
hibebis purgans medicamentum, quantitatem ſenæ, & epithymi in decocto ad-
augens, adiciénsque polypodium, ac cnicum, & in vicẽ diacath. eclegmatis indi
Topica, qualia eſſe debeant. drac. 4. aut diaſenæ tantundem apponens. A purgatione medicamenta extrinſe-
cus imponi debent quæ citra euidentẽ calorem extenuent, admixtis quibuſdam
etiam

etiam adſtringentibus, iuxta Pauli doctrinam. Nam ea mixtæ facultatis eſſe debent, nedum in generatione phlegmones, ſed etiam cùm nec affluat ampliùs quicquam: quanquam ſi quis in principio repellentibus tantùm vtatur, non peccet, Galeno auctore 13. metho. med. cap. 16. Communis tamen indicatio (vt ipſe inquit) omnibus his partibus, quarum munus eiuſmodi eſt, vt toti corpori ſint ex vſu, vt medicamenta exigant, quæ mixtæ facultatis ſint. Et propterea nec lienem tantum relaxantibus curare oportet, cùm hic quoque ex iocinore quicquid limoſi, & melancholici eſt, expurget, propterea ſcilicet, quòd ex eo humore nutritur, quinimò ſemper eius robori conſulendum eſt, relaxantibus, quæ adſtringunt medicamenta adiiciendo, eodem Galeno & Alexandro teſtibus. Sint autem adſtringentia medicamenta robuſta, vbi fluoris impetus fortis contingat; moderata verò vbi mediocris. Quapropter ſi moderata fuerit inflammatio ſplenis, ex vino veteri, ac auſtero, tenuiúmque partium, oleo dulci permixto fotus adhiberi debent, lana ſuccida excepto medicamento (vt inquit Aëtius) vel linteis, & vbi maior ſit caliditas, oleum ſit roſaceum, aut omphacinum. In cuius penuria eiuſdem oliuæ folia, aut rubi, aut mali arboris, atq; etiam ipſa mala in oleo decoquantur: & quædam tenuium partium addantur, velut eſt abſynthium, & pulegium, item lentiſcinum, & melinum oleum prædicto vino admixtum ſuperueniente confert, aut cum prædictis linteis lineis ſæpiùs ſiniſtrum hypochondrium fouere, vel ex olei anethini, vel chamæmelini vnc. j. & roſacei, ſeu cytoniorum, & myrtini, ſingulor. vnc. j. s. pauco vino, ac cera vnguētum parabis. Verùm vbi forti impetu fluxus feratur, acetum pro vino effundendum eſt, ſimiliter ſi nimius calor infeſtet (vt liquet ex Aëtio, & Alexandro.) Poſt fomenta autem cataplaſmata imponi debent, quorum primum ex Aëtio ex hordeacea, & loliacea farina cum poſca, & mellis, ac olei omnino paucisſima menſura, in quibus abſynthium, ac pulegium ſint decocta, formari poteſt. Vel hunc in modum ipſum componas. Farinæ fœnugræci, ſeminis lini, ac hordeaceæ excipe, cuiuſlibet vnc. j. s. caricarum aceto quàm acerrimo maceratarum vnc. j. adipis anſeris, & butyri recentis ſingulorum drac. iiij. olei anethini, chamæmelini, & roſacei, ſingulorum vnc. j. omnibus priùs tunſis, ac ſimul commixtis cum pauco oxymelite, fiat cataplaſma. Vtimur etiam aliquando, ex eiuſdem Aëtij ſententia, ob cataplaſmatum penuriam ad ſplenem inflammatum furfuribus in vino, aut poſca, & oleo decoctis: quibus etiam abſynthium, & pulegium, aut thymum, aut origanum, aut lauri folia, aut artemiſiam, & reliqua incidendi, ac attenuandi vi prædita, adiicimus, non feruente videlicet inflammatione, & corpore præuacuato. Nam ſi quiſpiam corpore non euacuato calidioribus vtatur medicamentis, ipſe ſibi ſcirrhi auctor fiet, eodem Aëtio teſte. Paulus verò ſtercus caprillum cum cruda polenta coctum, ex poſca illitum cōmendat. Tu quoque ex prædictis diuerſa etiam medicamenta parare poteris, prout vſus expoſtulabit, methodum ſemper ſeruans, vt relaxantibus, ac digerentibus medicamentis, quædam ex adſtringentibus permiſceas.

Gal. 13. metho. cap. 17.

Alexan. lib. 8. cap. 10.

Περὶ σκίῤῥου τοῦ σπληνός. *Id eſt, De ſcirrho lienis.* Cap. LXXXIX.

RARIVS quàm alia viſcera lienem inflammatione conflictari præcedenti cap. ex Alexandri teſtimonio notauimus, opportuniſsimum autem eum eſſe ad ſcirrhum, veluti & iecur, quanquam ipſe propterea quòd rarioris ſit ſubſtantię, crebriùs, quàm iecur ſcirrhoſis vitiis affligatur propter nutrimenti, quo vtitur, ſpeciem, a Galeno decretum eſt lib. 13. metho. meden. cap. 16. Nutritur etenim craſſo ſanguine, vt monſtratum eſt; qui veluti limus purioris exiſtit. Propterea de hoc affectu pertractare intendimus. Conſueuerunt autem eos, qui induratam ſplenis affectionem habent propriè medici ſplenicos appellare, vt nono de compoſitione medicamento. ſecundum locos, cap. 2. à Galeno ſcriptum eſt,

Qui propriè ſplenici appellantur.

Summatim verò de eo verba faciemus, cùm fuſiſsimè verba fecerimus cap. de iocinoris ſcyrrho, & ex iis, quæ de iocinore diximus facilè inueniantur notæ, *In princip.* (vt ſexto, de locis affectis, ſcriptum eſt) quibus lienis affectus diſcernantur, & ſplen ipſe multa etiam habet accidentia cum hepate communia. Ea de re ad tradenda eius indicia accedamus. Sunt autem tumor cum duritie ſub ſiniſtro hypochondrio; os fœtet, gingiuæ exeduntur, vlcera in cruribus cicatricem *Pau. li. 3. c. 49.* non recipiunt, vt teſtatur Paulus. Celſus verò ait cap. nono libri 4. quod lien *Scirrho. lienis ſigna.* vbi affectus eſt, intumeſcit, ſimúlque cũ eo pars ſiniſtra, eáque dura eſt, & prementi renititur; venter intentus eſt, aliquis etiam cruribus eſt tumor, vlcera aut omnino non ſaneſcunt, aut certe cicatricem vix recipiunt. In intenſa ambulatione curſúque, dolor, & quædam difficultas eſt. Idem fere confirmauit Aëtius cap. 11. lib. 10. cùm dixit, immedicabilia enim vlcera hoc modo affecti habebunt, & maximè circa crura; addidit tamen, & colorem corporis vitiatum ad nigredinem vergentem. Nec putandum eſt ab aliis cauſis oriri poſ- *Cauſa.* ſe lienis ſcirrhum, quàm ex eis, à quibus hepatis ſcirrhus generatur. Communes quoque habet cum eo, & generationis geminos modos. Nanque vel à *Si ex flatuoſo ſpiritu liẽ induretur ſigna.* principio paulatim congregatur, & augetur, ac in magnum tumorem attollitur, vel medicorum imperitia paratur. id quod crebriùs accidere conſueuit, vbi vehementer inflammationes, & eryſipelata adſtringunt, & refrigerant. Sed quoniã ex flatuoſo quoq; ſpiritu indurari quodãmodo quandoque ſplen videtur, atque renitens eſſe, propterea à vero ſcirrho interſtingues. Nanque ſi flatus cauſa fuerit, tactui tumor non pertinaciter reſiſtet, immo impoſita manu ad tactum cedit, & lien punctionem, tenſionémque experietur, citra tamen pondus, duritiem, ac grauitatem. Verùm vbi cum renitentia, tumore, ac duritie, grauitas cum pondere in ſiniſtro hypochondrio percipiatur, ex humore lento, & craſſo lieni indurato infixo, tumorem durum ortum eſſe iudicabis, quem proprie ſcirrhum, ſeu ſcirrhoſum tumorem appellamus. Ex hoc quod *Prognoſtica.* conſentiente iocinore, potiſsimùm, vbi diutinus fuerit, aqua intercutem gene- *5. de loc. affe. cap. 7.* rari poſsit, liquet apud Galenum 5. & 6. de locis affectis. At quòd ſi fuerit ex- *6. de loc. affe.* quiſitus, omnino incurabilis ſit, ab eodem Gal. ſcriptum eſt 2. de arte curat. ad *In princip.* Glauconem. Reliqua ſcirrhi prognoſtica cap. de ſcirrho iocinoris requiras. *2. ad Glauc. cap. 4.* Quantùm verò ad eius curationem attinet, pro victus ratione laborantibus *Curatio.* ipſis conuenientia nutrimenta ſunt, genere quidem eadem, quæ ſcirrho iocinoris laborantibus competunt, maioris, minoríſque duntaxat ratione diffe- *cap. 17.* rentiæ, vt idem Gale. teſtis eſt 13. metho. meden. Itaque & ſi capparis ex oxy- *Ratio uictus.* melite edatur, vtilis ſanè eſt vtrique viſceri. Cæterùm nec ipſa pari modo, nec ſimiliter mixtum habeat oxymel. Nam & ipſa copioſior, & ex minùs diluto oxymelite lieni erit vtilior, atque hæc differentia eſt, quæ ex maioris, minoríſque ratione accepta eſt, vt ipſe inquit. Cauenda tamen ſunt dulcia omnia; nam ex his tum iecur, tum lien maximè intumeſcere conſueuit. Similiter glutinoſi cibi vitandi, atque ij exhibendi ſunt, qui concoctu ſint faciles, & bonum ac tenuem ſuccum generent, ſimúlque cum iis offerant, quæ extenuant, obſtructiones eximunt, ac detergunt: acida verò maximè conueniunt, Celſo auctore. Vino autem vtantur non valde veteri, quod aquæ permiſceatur; in qua ferrum ſæpe ignitum ſit extinctum, vt refert Aëtius. Et quoniam hoc vitium quies auget, propterea exercitatione, & labore opus eſt: habita tamẽ ratione, ne febre mixta, ſi nimium proceſſerit, excitetur. Vnctiones, frictionéſque, & ſudores neceſſarij ſunt, eodem Celſo auctore. Plurimùm nanque fiduciæ in exercitiis ponendum, quibus ante cibum vti conuenit, corpore ſuperfluitatibus non abundante: ex eorum autem genere ex ſuperabundanti faciunt deambulationes, & curſus: & noui ſanè aliquos, qui ex his ſolis ab omni affectione ſint liberati, vt idem Aëtius teſtatur cap. 13. lib. 10. Reliquam victus rationem particulatim ſtudioſi cap. de ſcirrho iocinoris requirant. Cæterùm vbi la- *Vena ſectio.* borantes prædicti multo ſanguine abundant, internam in ſiniſtro cubito venam

nam ſecare commodum eſt, vt liquet ex Aëtio: neque tamen multa ſanguinis copia ferenda erit. A venæ ſectione, ſi multus redundarit craſſus, ſeu lentus ſuccus eo prius præparato ex aceto mulſo, ac ſyrup. è ſucco fumariæ, ſeu aceto ſimplici, & melle roſaceo, nanque acetum, & acetum mulſum huic viſceri commoda ſunt, vt pote ſecare, & attenuare craſſos humores potentia citra calfactionem, vt inquit Galenus, nono de compo. medic. ſecundum locos, cap. 2. purgans medicamentũ exhibendũ erit pro ratione redundantis ſucci. Nam pituita redundante, quæ eandem expurgant medicamenta, exhibeantur. Si verò melãcholicus ſuccus, quæ ipſum expurgant, præbeto; deinde potiones quaſdam, ac topica medicamenta, quæ induratum ſplenem curare valent, adhibeas. Sunt autem & potiones ipſæ fortiſsimæ: ſimiliter & quæ de foris medicamenta applicantur: nam eas ſine moleſtia ſplen tolerat, vt ſecundo de arte curatiua ad Glauconem, à Galeno decretum eſt. E quorum numero primas partes ſibi vendicant cortices radicum capparis, & ſcolopendrium, & myricæ radix, atque germina: omnibus huiuſcemodi in aceto, vel oxymelite coctis, vt ipſe inquit. Attenuantibus itaque opus habet induratus lien pharmacis citra manifeſtam caliditatem, cuius gratia valde amara medicamenta ipſi offerimus, ac quædam ipſis ex auſteris miſcemus, vt eodem nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos ſcriptum eſt. cap. 2. Potui denique ieiuno dari debet abſynthium incoctum, at poſt cibum aqua à ferrario fabro, in qua candes ferrum ſubinde extinctum ſit: hæc enim vel præcipuè lienem coërcet, quod animaduerſum eſt in his animalibus quæ apud hos fabros educata exiguos lienes habent, vt liquet ex Celſo. Hæc aqua, in qua ignitum ferrum ſæpe ſit extinctum, febricitantibus ſola, non febrientibus verò cum vino, auctoritate Archigenis, à Galeno nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos commendatur. Conuenientiſsimum etenim ſpleni in ſcirrhum indurato remedium exiſtit, ferrum, aqua, aut vino, aut poſca extinctum. Ea ipſa enim aqua, aut vinum, aut poſca in principio exhibita iucunda, & vtiliſsima exiſtit, & per plures ex ordine dies datur, Aëtio teſte. Datur autem per ſe aqua cyathis tribus, febri verò carentibus, cum vini, vel aceti cyatho vno, vt inquit Paulus. Cæterùm eis qui corpora natura habent calidiora, præſertim ſcirrho non inueterato, citra moleſtiam myricæ folia dantur, virgultáque, & radix ſcolopendrium item, & rumicis ſylueſtris, maximè verò acuti ſemen, foliáque, & radix: probè etiam facit anchuſa, ſi radicis eius drac. j. detur. Item polytricon, & capnij decoctum ad tertias redactum, folia ſalicis, & cortex, item & radix limonij, quod & cynogloſſum vocatur, hiſce vtendum eſſe præcipit Aëtius in prædictis naturis & in principio affectionis, nanque à mitioribus auſpicari oportet, vt ipſe inquit. Verùm in inueteratis ſcirrhis, & corporibus agreſtioribus, atque eis qui omnem corporis habitum habent frigidiorem, exhiberi poſſunt triſſago, genitianæ radix, calamintha, pulegium, cyclamini radix, ſcordium, trifolij bitumen olentis ſemen, hyperici coma, acori, aſari, & eringij radix, viticis ſemen torrefactum, centaurij minoris ſuccus, etiam ſi ſit exſiccatus, chamæpitys, polium, anagalidis, quæ cæruleum habet florem, ſuccus. Item dracunculi radix, tum viridis, tum ſicca. Omnia verò iam dicta medicamenta ſimplicia in principio cum poſca diluta coquantur; poſtea verò meraciores, progreſſu autem temporis, etiam ipſa contuſa, & cribrata cum aceto, aut aceto mulſo exhibentur. Certam autem vniuſcuiuſque horum menſuram definire difficile, & periculoſum eſt, cùm diuerſæ eorum, qui eã accipiunt, ſint naturæ. Quare in principio parum quid ex vnoquoque exhibendum & pro ratione deinde exhibitionis menſura augenda; iuxta ipſius pharmaci, atque etiam ægri vires, ex eiuſdem Aëtij ſententia. Licebit item, nedum ſingulis prædictis ſimplicibus pharmacis per ſe vti, verùm & duo item vel tria, aut quatuor permixta æqualiter, vel inæqualiter præbere. Præter iam dicta medicamenta, ſerpillum cum aceto, aut panacis radicem viridem cum aqua mulſa, vel ſemen,

Lib.10.ca.11.

Purgatio.

cap.5.

Qualia præbenda medicamẽta ſint poſt purgationem.

Loco citato.

Lib.10.c.11.

Loco citato.

Loco citato.

aut corticis radicis periclymenij, & ſeminis eius quantum tribus digitis apprehendi poteſt, in vino albo meraco calido ieiunis bibendum ad dies quadraginta exhibitum, aut vulpis hepar ſiccum cum aceto mulſo ſimiliter bibẽdum exhibitum commendauit Gal. 9. de comp. medic. ſecundum locos, ex Archigenis auctoritate. In adhibendis autem topicis medicamentis eadem ſeruanda methodus erit, quam ſeruari præcepimus cap. de ſcirrho iocinoris: ſemper etenim emollientem, & diſcuſſoriam medicamentorum facultatem præcellere oportet, quibus parum quiddam eorum, quæ adſtringendi vim habent admiſcendum eſt, Gal. auctore 2. de arte curat. cap. 5. ad Glauc. ac Aëtio præcitato loco, niſi quod tutior erit vſus aceti in lienis ſcirrho, etiam à principio, cùm naturaliter rarus ſit, nec eſt quod metuas, ne quis neruus eius vi lædatur, quemadmodum in tendonibus, ac neruoſi muſculi partibus, vt liquet 14. metho. med. cap. 5. In hunc vſum capparis cortex ex aceto contritus, illitúſque; item & ſalicis cortex conſimiliter illitus, necnon & centaurij ſuccus, ac ciuis fabrorum cum cruda polenta ex oxymelite illitus, aut etiam lupinorum farina magnopere conferunt, ex Pauli auctoritate; nec minùs & ammoniacum (vt ipſe inquit) cum aceto applicatum lieni ſæpè profuit. Poſſunt item & fotus hoc modo parari; Recipe centaurij minoris, & ſcolopendrij ana manip. j. corticum radicum capparorum vnc. s. radicum, & foliorum althææ ana manip. s. bulliant in aceti, & olei partibus æqualibus, & cum ſpongiis fiant fotus; quibus ſæpius admotis, infraſcriptum adhibeto vnguentum, Recipe olei amygdalarum amararum, liliacei, irini, & de capparibus, ſingulo. vnc. j. ſucci ſcolopendrij, & centaurij minoris, cuiuſlibet drac. iiij. corticum radicum capparorum, & myricæ, cuiuſlibet drac. ij. adipis anſerini, ſeu gallinacei drac. iij. medullæ ceruinæ, ſeu vitulinæ drac. ij. s. ammoniaci in aceto diſſoluti vnc. s. aceti, & ceræ quantum ſatis ſit, fiat vnguentum. Proceſſu tamen temporis inuicem vitulinæ medullæ ſeuum tum hircinum, tum taurinum, ac etiam caprillum adiici poterit, augeríque quantitas ammoniaci, ac adiiciendum bdellium, & galbanum, quæ priùs in aceto diſſoluantur; ſimiliter & ſtyrax, ſeu oppopanax, cyclamini, ac cynogloſsi ſuccus, lentus cremor, ſeu farina ſeminis lini, fœnugræci, ac althææ: ex quibus poterunt varia medicamenta componi, & prout affectus exigit, tum addere, tum adimere ea quæ emolliunt, attenuant, diſcutiunt, & robur addunt. Verùm capparis cortex (vt inquit Aëtius) admixtus vltra hocquòd diſſecat, & repurgat, etiam ſplenem corroborat, multíſque modis huic rei capparis aptus eſt. Nam & ipſum cum cibo aſſumere, & muriam eius cum aceto ſorbere commodum eſt: quinetiam extrinſecus radicem cõtritam, vel corticem eius cum furfuribus, aut ipſum capparim cum melle contritum imponere expedit, vt Celſus inquit. Quemadmodum etiam ammoniacum cum aceto ad luti craſsitudinem redactum non pauci lieni quidam imponentes, eius ſcirrhum curarunt; ídque ſolum ei curando ſæpe ſatis fuit, vt liquet ex Galeno eodem 14 metho. meden. cap. 5.

Topica qualia eſſe debeant.

Περὶ καχεξίας. *Id eſt, De malo corporis halitu.* Cap. XC.

CVM vniuerſus corporis habitus in aquoſitatem diffunditur, affectus quidam oritur, qui à Græcis *καχεξία*, à Latinis malus corporis habitus nuncupatur, principium ſiquidem exiſtens hydropicarum paſsionum, vt inquit Paulus capite 47. libri tertij. In qua affectione (Aëtio teſte capite 19. libri decimi) vniuerſa corporis mitcella laxior fit, ac emolleſcit. Ex cuius verbis liquet, quod nòn vna duntaxat pars, ſed totius corporis habitus oblæſus ſit in hac affectione. Per totius autem corporis habitum nunc intelligentes partes maximè, quæ primæ oculis ſubiiciuntur; ſunt autem cæ, muſculi, qui omnia oſſa ambiunt, Gale. teſte lib. de artis med. cap. 50. cutem quoq; ab eis non ſecludentes, nanq; & ipſa quoq; coafficitur, vt liquet, necnon & partes internæ; quæ oculis non ſubiiciuntur.

Quòd totius corporis habitus afficiatur.

Vniuerſ

Vniuerſum etenim corpus in hac affectione cum virore albicans redditur ac inualidum: ita vt crura inter eundum vacillent, vt refert Aëtius, & in principio quidem concoctiones impediuntur, manente etiamdum appetitu; poſtea verò & faſtidium accedit, & reſpiratio ipſis fit rara, ac debilis, quæ motibus, & actionibus condenſatur: aluus etiam inæqualia recrementa excernit (vt ipſe refert.) *Signa huius affectionis.* At in quo genere affectuum præter naturam reponatur, adhuc nec in Galeni doctrina, nec in aliorum Græcorum, quos legerim, reperi, niſi quod libro primo meth. med. cap. 9. aduerſus Olympicum, qui non ritè pathos, ac ſymptoma finiuerat, pathos etiam cum morbo confundens, vbi concluſerat aduerſus eum, non omnem mutationem ab eo, quod ſecundum naturam ſe habet (etiam ſi permanentia illi adſit) ad id quod præter naturam eſt, morbum eſſe, inquit, coloris vitium atque atrophiam in ſymptoma. & nequaquam morborum numero connumerari; quemadmodum etiam κακοχυμία, & καχεξία, quamuis præter naturam ſint, & permanentia ipſis accedat, adhuc inter morbos non numerabuntur, niſi illud adiiciatur, quod ab eiſdem aliqua actio lædatur. *Dubium eſt, quis affectus præter naturam ſit.* Videtur itaque in his verbis Gal. velle καχεξίαν inter ſymptomata numerari, quamuis & præter naturam ſit, & permanentia ei accedat, quoad ab ea nondum actio aliqua lædatur. Nam quod illæſæ ſeruantur omnes actiones, etiam ſi millies corpus fuerit alteratum, mutatúmque; nullus tamen eorum affectuum adhuc morbus eſt, vt ipſe Galenus inquit; quod enim curationem deſiderat, aliud planè non eſt, quàm affectus, qui vitiat actionem. Verùm vbi καχεξία, ſeu malus corporis habitus, nedum permanentiam habeat, ſed actiones vitiat, negandum non erit morbum eſſe (vt ex eiuſdem Galeni verbis patere poteſt, ac etiam liquidò conſtat ex Aëtio, qui vult, nedum naturales actiones, ſed etiam animales, motrices, videlicet, oblædi ab hoc affectu.) Concludamus itaque, aut malum corporis habitum ſymptoma eſſe in genere affectuum corporis, & propriè viſibilium, fruſtratam totius corporis coctionem, ſeu nutritionem inſequens propter frigidam, ac humidam vniuerſi habitus intemperaturam, vel eundem morbum eſſe, ſi ſumatur pro hac eadem intemperantia frigida, & humida totius corporis, quoniam ab ea, & propter eam iam dictæ actiones oblæſæ ſunt, & totius corporis color vitiatus exiſtit cum virore albicans, vt ex ſententia Aëtij dictum eſt, idque non ab re. *Concluditur, quis affectus præter naturam ſit.* Nam licet quæ in corpore animalis ſunt, omnia gubernentur calido, frigido, humido, & ſicco; quemadmodum libro ſecundo de natura. faculta. cap. 8. à Galeno omnium philoſophorum optimorum auctoritate decretum eſt, tamē calidum in iis, (vt ipſe refert) tum ad alias actiones, tum verò præcipuè ad ſuccorum generationem plurimùm valet. Vel ſi mauis, dicas hoc vitium totius habitus conſiderari, vel reſpectu coloris ipſius, & ſic erit ſymptoma. affectus corporis; vel reſpectu eſſentiæ eiuſdem, quæ in eius temperamento conſiſtit, & tunc erit morbus, quoniam hoc vitium temperamenti, erit intemperies frigida, & humida, quam neceſſariò ſequitur vitioſus color, ſeu decoloratio totius. Verùm hæc eadem totius corporis habitus immodica refrigeratio, ac mollities ex nulla alia re, quàm ex ſanguificationis defectu prouenire poterit, quæ vbi immodicè ampliùs augeatur, generandi hydropis cauſa erit, vt dicemus. Et propterea Paulus principium aquæ intercutem appellauit hanc affectionem, & Arabum princeps diſpoſitionem antecedentem hydropiſim. Quo fit, vt neque generari idem malus corporis habitus poſsit, niſi & iecur ipſum ſiue primariò, ſiue per conſenſum fuerit affectum, ac imbecillum redditum propter frigidam eius intemperaturam ob quam ſanguinem optimum generare nequit, ac pro nutrimento vniuerſo corpori eum ſuppeditare; ſed ipſum frigidiorem, ſeroſiorem, & (vt ita dixerim) magis pituitoſum generat, ac diſtribuit. Et propterea (vt inquit Aëtius) vt plurimùm hæc affectio ex longo morbo congregatur, *Lib. 10. c. 19.* aut ex viſcere quopiam in ſcirrhum indurató conſequitur, maximè hepate, & ſplene, neque raró in dyſenteria diuturna, & affectionibus cœliacis contingit:

item

item ob conſuetam aliquam cohibitam excretionem. Sæpenumero ex immodica ſanguinis profuſione, in viris præſertim per hæmorrhoides, aut in mulieribus per menſtruas purgationes; quemadmodum & aqua intercus generari conſueuit; & (vt in vniuerſum dicam) quæcunque cauſæ iecur ipſum, ac vniuerſum habitum infrigidare valent, ſiue internæ, ſiue externæ fuerint, huiuſmodi affectionem generare poterunt: quas dignoſcere haud difficilè erit, tum ex te ipſo, tum etiam ex laborantium ſeu abſtantium loquela. *Prognoſtica.* Capiuntur autem hac affectione maximè ſenes (vt inquit Aëtius) qui etiam maximè liberantur, immo & pueri, qui facilè pereunt propter vitalis firmitatis debilitatem, & quod ob cutis raritatem ſucci in eis facilè tranſpirant. At qui in vigore ſunt, raro incidunt, & facilè ſe inde extricant. Non negligenda autem erit huius affectus curatiò. Nam ſi diutiùs protelabitur, in aquam intercutem tranſit, eodem Aëtio auctore. *Curatio.* Quod verò ad eius curationem attinet, aër eligendus eſt ad calidum, & ſiccum vergens: ſomnus moderatus ſit, ac nocturnus, longus autem, atque diurnus omnino vitetur: moderatis deambulationibus, geſtationibus, vociferationibus, & frictionibus ſiccis per linteola ex lino crudo vtendum. Poſt quæ & exercitamenta moderata conducunt (eodem Aëtio teſte) *Victus ratio.* Aluus humecta ſit natura, vel arte cum clyſteribus, ac glandibus. Cibi eis offerantur ſimplices, & qui facilè concoqui poſſunt, optimúmque ſanguinem gignere: vitanda ſunt omnia bellaria, item nidoroſa, graueolentia, humoris craſsi, viſcoſa, & quæ difficulter concoquuntur. Vinum autem conuenit eis album, tenue, & odorum, vt liquet ex eodem Aëtio. At aquæ potus omnino vitandus erit, & in vniuerſum victus ſit tenuis, & ſiccus, vt inquit Paulus: verùm *Paul. lib. 3. cap. 47.* diæta vniuerſa viribus reparandis ſit apta, per quam (vt refert Aëtius) ſpes eſt, eos qui huic malo ſunt impliciti, ad reſtitutionem in integrum peruenturos. *Venæ ſectio.* Verùm ſi ex conſuetæ excretionis cohibitione affectio contingat, prouocare, *Purgatio.* ac irritare eam ipſam excretionem oportet, vt liquet ex eodem Aëtio, aut venam incidere in cubito, ſi nihil ſit, quod id fieri prohibeat, paulatim, ac partitis vicibus per triduum ſanguinem detrahendo, eodem Aëtio, ac Paulo teſtibus. At ſi venæ inciſio impediatur, aut vitioſorum humorum copia laborant ægrotantes, ipſos purgare oportet (relicta venæ ſectione, quæ eiſdem noxia eſt) non ſemel duntaxat, ſed ſæpiùs, ac paulatim, vbi vſus poſtulabit. *Quæ à purgatione cōferāt.* Purgans autem medicamentum ex hieta, rhabarbaro, agarico, ac myrobalanis parari poterit. Particulatim autem conferentia medicamenta purgantia ſequenti capite de aqua intercutem conſcripta ſtudioſi reperient: poſt quæ mirificè quoque iuuat ipſos abſynthij potio aſsidua; aut ſyru. eius ac aquarum naturalium vſus primùm aluminoſarum, nitroſarúmque, mox ſulphuroſarum, vt inquit Paulus. Hæ nanque aquæ naturales calidæ, robori ac viribus reparandis conducunt ex Aëtij ſententia. Conferunt item eis theriacæ, ac mithridati antidotus, ſimiliter diacurcuma, ſeu dialacca, ſi drac. j. ſeparatim eorum cuiuſlibet cum vino albo tenui, ac odorato tribuatur, ſeu cum abſynthij cremore, nec minùs, & eiſdem vtendum erit antidotis, theriaca videlicet, & mithridato, ſi ex immodico ſanguinis profluuio excitatus fuerit malus corporis habitus, præcipuè tamen eis confert vniuerſa victus ratio, quæ viribus reparandis ſit apta. Perpetuò autem ex quacunque cauſa ortum duxerit, hepati ſuccurrendum erit, ipſúmque roborare oportet, cùm ſanguificationis inſtrumentum ſit, ac ſanguinis officina, vt in præcedentibus dictum eſt. Vberiùs autem ſequenti capite de aqua inter cutem idonea medicamenta pro curatione mali habitus reperies, propterea huic capiti finem imponimus. Vbi autem ex ſcirrho, aut alio quopiam proprio affectu iocinoris, aut ſplenis, ſeu alterius cuiuſpiam viſceris, malus corporis habitus fuerit ortus, pro ratione affectus, medelam ipſis adhibere conuenit (prout in præcedentibus docuimus) per auxilia ad ſingulos ipſorum ſupra conſcripta.

Περὶ ὑδρωπιώντων, ὕδερωπος, καὶ ὑδέρου.

Id eſt, De aqua inter cutem, ſeu hydropico morbo. *Caput XCI.*

NON quemadmodum Eraſiſtrato viſum eſt propter viarũ anguſtiam impedita ſanguinis diſtributione per iecur ad vniuerſas corporis partes, tantùm eo qui magis tenuis, atque aquoſus eſt tranſumpto, ita vt is duntaxat per vniuerſum corpus vehatur, ſyncerus autem ſanguis in viſceris ſubſtantia permaneat, ſed ſanguificandi facultate vitiata, ex Galeni ſentẽtia non rarò is gignitur affectus, quem Græci quandoque ὑδρώπισιν, interim ὕδρωπα, ſæpius verò ὕδερον nuncupant, Latini autem aquam inter cutem, ſeu hydropicum morbum, vt liquet apud Celſum cap.21. libri tertij, à ſymptomate nomen ſumens, ſiquidem aquoſus humor hanc paſsionem neceſſariò comitatur (Cœlio Aureliano teſte cap. 8. libri tertij, ac Plinio ſecundo libro 3. cap.12.) Cuius differentiæ à quibuſdam duæ duntaxat connumerantur, quidam autem quatuor eſſe hydropum differentias affirmant, vt 4. de ratione victus ſcriptum eſt. Veruntamen nedum Galenus præcitato loco prædictorum opiniones tanquam erroneas condemnauit, ſed tres hydropum ſtatuit eſſe differentias, id quod etiam confirmauit libro 5. de locis affectis, cap.7. & 4. de cauſis pulſuum, cap.24. Eundem autem ſectati ſunt Aëtius cap.20. libri decimi. Paulus cap.48. libri tertij. Alexand. cap.1. libri noni, & Celſus præcitato loco. Nos verò cùm de earundem cauſis pertractabimus, quod neque plures, neque pauciores eſſe poterunt, demonſtrabimus. Quarum vna τυμπανίτης, altera ἀσκίτης & tertia ἀνὰ σάρκα, ἢ ὑποσάρκα, ἢ ἐπὶ σάρκα, ἢ λευκοφλεγματίας, ἢ σαρκίτης, ἢ ἐπισαρκίδιον ἢ ὑποσαρκίδιον appellatur. Tympanites quidem à tympano ſic appellata, quoniam in tali affectione imus venter percuſſus talem ſonum edit, qualem tympanum, Galeno teſte comment. aphoriſ.11. quarti libri, quo loco Hippocr. ξηρὸν ὕδρωπα nuncupauit, quemadmodum ἀσκίτης, ſic dicta eſt, quòd ἀσκοῦ, hoc eſt vtris modo in peritonæo humor continetur, vt liquet eodem loco. Et tertia differentia ſic appellata eſt, quoniam per carnem, vel ſub carne, vel iuxta carnem, ſeu ſecundum carnem, vel ſupra, ſeu infra carnem humor continetur, aut propterea ipſam λευκοφλεγματίαν nominant, vt quæ pituita liuida conſtet, vel ſui quidem ratione ſemper alba, ſed quæ propter mixtionem quorundam aliorum humorum verum muret colorem, vt liquet apud Galenum commento aphoriſ.29.7. libri. Communis autem omnium (vt inquit Celſus) eſt humoris nimia abundantia, ob quam ne vlcera quidem in his ægris facilè ſaneſcunt, vt patet etiam apud Hippocra. & Galen. aphoriſ.8. ſexti libri. At quoniam cuiuſuis aquæ inter cutem communis genitura eſt, vbi ſanguificationis officium intercidat (vt liquet apud Galenum ſecundo prognoſticorum) ea de re neceſſum eſt (quoniam iecur eius facultatis, quæ ſanguinem gignit inſtrumentum exiſtit) vt ipſum vitietur in huiuſmodi affectibus, quinimo niſi hepar afficiatur, vt quinto de locis affectis, ſcriptum eſt, haudquaquam aqua intercus fieri poteſt, & ſi non ſemper ob primariam eius affectionem excitetur, licet hoc quoque ſit quàm frequentiſsimum, ſed interim iecur ipſum per conſenſum afficitur aliarum partium, quæ aut eidem vicinæ ſunt, aut ſocietatem, ſeu conſortium quoddam eum eo habent mediis conceptaculis, venis videlicet, quemadmodum ab eodem Galeno tum 5. de locis affectis, tum 2. prognoſticorum decretum eſt. Quod autem interim primariò iecur, interim lege conſortij, quod cum aliis partibus habet, iam dictis aquæ inter cutem ſpeciebus afficiatur, ab Alexandro, & Paulo præcitatis locis confirmatum eſt. Atqui dignoſces num ipſum primò affectum ſit, ex Hippocr. & Galeni teſtimonio eodem 2. prognoſt. ex cupiditate quadam, ſeu propenſione, quam ægrotantes ad tuſsiendum obtinent. Nam incitati ipſi ad tuſsim, tanquam ad accidens, ſtatim ab hoc deſiſtunt, tantummodo tentantes initium tuſſiendi, etenim iecoris moles incidens præcordiis, facit anguſtiam in pulmone,

5. de loc. affe. cap.7.
6. de locis aff. in princ.
2. de natur. facult. cap.8
Aqua inter cutem unde nomẽ ſumpſerit.
Comment.3
Quot ſint eius differẽtiæ.
Eius differentiæ cur ſic appellentur.
Cõmunis cauſa generationis omniũ triũ differentiarũ.
Comment.1
cap.7
Quæ pars afficiatur, quare iecur ſemper.
5. de locis aff. cap.7
2. prognoſtic. comment.1
Alex. libro 9. cap.2
Paulus lib.3. cap.48
Si iecur primariò afficiatur ſigna.
Tex. & comment.5

ob quam ad tuſsim ægri veniunt fruſtra,ceu auxiliaturam affectui naturalis facultatis,nequaquam habentes miniſterium,continuò deſinunt. Ob hæc itaque propenſiores ita affecti ad tuſsim redduntur,ſed eis citò tale deficit munus,propterea quòd nihil dignum commentatione excreant. Dignoſcitur etiam ex paucitate,ac ariditate deiectionum,nam venter non deiicit niſi dura,ac pro neceſsitate imperpeſsis exiſtentibus inteſtinis, vel lactibus (vt Galenus inquit) nec vitiato alimento,neque grauatis ab eo partibus, etenim bene valent, nec alui fluor infeſtat,manéntque diutiùs inibi reliquiæ alimenti, quæ partim mittuntur ad intimam peritonæi ſedem, partim inflammatione iecoris torrentur, præſertim ſi ad acutum morbum conſequatur aqua intercus: aderunt quoque & reliqua ſigna,quæ ipſum primariò affectum indicabunt aliquo prædictorum affectuum,quorum indicia propriis eorum capitibus requiras. Vbi autem nullum tale præceſſerit ſignum primariò affecti iocinoris, ac venter magis profluuiis infeſtetur,ſitque alui fluor diuturnus, neque dolorem exoluens, neque molliens ventrem,ventriculi, vel inteſtinorum, maximéque ieiuni vitio (meſentericis venis mediis) iecur ipſum per conſenſum oblæſum erit. Nanque ex prædictis partibus affectis potiſsimùm venæ debiles fiunt, per quas iecur ad ſe trahit alimentum,ita fit,vt nequaquam deſeruiant viſceri ad diductionem,& cùm in tenuioribus inteſtinis maneat, grauata ab eo, vtpote debilia, ſtatim id omne pellunt deorſum, atque hæc alui fluoris in huiuſmodi aqua inter cutem cauſa eſt,eodem Galeno teſte præcitato ſecundo Prognoſticorum. Altera cauſa eſt, quoniam & alimentum corrumpitur, ac bilis copia in inteſtinis colligitur, &, ob eam rem eadem admodum mordentur, proindéque incitantur ad excernendum contenta ibi excrementa, idque potiſsimùm accidit, vbi inflammatione vexentur,& propterea fluor hic alui neque dolorem ſedat, neque ventrem mollit,cùm per eum aquæ inter cutis cauſa non vacuetur. At ſi indurato liene, ſeu infrigidato, aut quomodolibet aliter affecto, eíque conſentiente iocinore aqua inter cutem genita fuerit, ex prædictis ſignis indurati lienis,aut aliter affecti patebit. Sic etiam,ſi vel pulmonis,vel ſepti tranſuerſi, aut renum occaſione iecur affectum fuerit eorundem viſcerum affectorum ſigna præcedent, qualitas autem affectus ipſius iocinoris frigidà perpetuò intemperies exiſtit, nanque niſi ipſum primariò infrigidatum ſit, aut ad ipſum frigus impertiatur à reliquis iam dictis partibus primariò refrigeratis, aqua inter cutem ſubſequi poteſt minimè,vt ab eodem Galen.quinto de locis affectis,cap.ſeptimo,& ſexto eodem, in principio, decretum eſt,quæ frigida intemperies, nedum ad omnes eiuſdem iecoris venas peruenire debet,verùm quoque ad eius corpus, quod παρέγχυμα Græci dicunt,nanque ſecundum hoc propriæ eius facultatis,quę ſanguinem gignit,inſtrumentum eſt.Et propterea vbi vitiatum ſit, actionem quoque eius vitiari oportet,adeò vt non ampliùs cibos in ſanguinem, ſed in aliam qualitatem tranſmutet ſeroſam,ac tenuem inquam ſuperfluitatem, aut pituitoſum humorem,ſeu flatum,& proinde fit,vt trifariam duntaxat aqua inter cutem conſtitui poſsit.Nec obſtat ea aqua inter cutem,quæ ad acutos morbos ſequitur,nanque ab iis quoque iecur tam grauiter afficitur calida, & ſæpenumero ſicca quoque intemperie,vt cibum in ſanguinem tranſmutare nequeat,vt liquet eodem 6.de locis affectis, ita vt valeamus abſque controuerſia aſſerere, hanc etiam aquam inter cutem ex frigida iocinoris intemperatura ortum habere, priuatiue ſaltem, admodum imbecillo eius inſito calore reddito, quo medio ſanguinem gignit, ex iam dicta præter naturam eiuſdem caliditate in eo genita. Atqui frigida hæc iocinoris intemperies haud ęquè in giguendis iam dictis aquæ inter cutem ſpeciebus ſe habet.Nàque à maiore frigiditate generatur aquoſus hydrops, quem aſcitim vocant,à minore autem tympanites. Etenim humida ſubſtantia in flatuoſum aërem ſine aliquo calore tranſmutari nequit,vt inquit Galen. præcitato commento aphoriſ.11.4.lib.Sed quemadmodum aſcites à maiori frigiditate, quam tympanites excitatur (vt diximus) pari ratione & anaſarca, ſeu leuę

Si per conſenſum iecur afficiatur, ſigna.

Comment.2

Ad quē iecoris affectum aqua inter cutem conſequatur.

Quod nō niſi tres aquæ inter cutem differentiæ eſſe poſsint.

Loco citato.

leucophlegmatia à frigidiori iocinoris intemperie, quàm aſcites, ortum ducit, quoniam totum habitum pituitæ plenum habent laborantes, Galeno auctore quarto de ratione victus. quanto etenim pituitoſum excrementum ſeroſo, ac tenui humore frigidius exiſtit, tanto anaſarca, quæ ex iam dicto pituitoſo excremento excitatur, à frigidiori intemperie generationem habebit, quàm aſcites, qui ex ſeroſo excremento producitur. Accedit item, quod (vt fatetur Aëtius) talis humor tenuis, & ſeroſus, qui aſcitis cauſa exiſtit, ſalſus eſt, & putrefactus, vt propterea largiorem potum appetant, qui aſcite laborant, quàm reliqui hydropici. Eſt itaque anaſarca, ſeu leucophlegmatia pituitoſi humoris in toto corpore collectio, ſeu per omnem corporis miſcellam diſſeminatio (vt inquit Aëtius) ita vt inſtar ſpongiarum, aut papyri vniuerſa caro permadefacta appareat, atque ob id totum corpus ſimiliter, vt hypochondria, intumeſcit, ac mortuo ſimile euadit. Aſcites autem collectio aquoſi humoris exiſtit plurima inter membranam, peritonæum appellatam, & inteſtina, vt verè vtris modo membrana ipſa repleta eſſe videatur, ſpatium etenim quod inter peritonæum, & partes ei ſubiacentes eſt, aquoſo humore impletur, Galeno teſte quinto, de locis affect. cap. 7. Aliquando verò vbi peiùs habent ægri vſque ad fæmora tumor producitur, vt idem Aëtius aſſerit. Tympanites autem plurima collectio eſt ſuperflui flatus aëre repleti in iiſdem ventris incumbentibus locis, vt in principio ſola inflatio eſſe videatur, poſtea tamen flatus inſpiſſatur, & veluti nubilus redditur, atque ita vnà cum flatu, quaſi nebuloſus humor conſiſtit, atquè congregatur, vt liquet ex eodem Aëtio. Ex quibus liquet quamlibet aquæ inter cutem differentiam, ſeu ſpeciem morbum eſſe in quantitate, ſeu magnitudine. Nanque ex genere præter naturam tumorum exiſtunt, vt liquet libro de tumor. præter naturam circa finem, id quod confirmauit idem Galenus de aſcite lib. 14. methodi medendi, cap. 13. quo loco eam in numero eorum tumorum, qui præter naturam conſiſtunt, cõnumerauit, qui etiam toto genere præter naturam ſunt. Nec obſtat, quod idem Galenus lib. de differentiis ſymptom. cap. 4. inter ea ſymptomata, quæ incidunt in ſanguinis generatione fruſtrata, hydropis vitia connumerauerit, nam vel ſymptoma vniuerſaliter dictum voluit intelligere, vel per vitia aquæ intercutis, eius cauſam immediatam intellexit, quæ quidem ſymptoma eſt incidens in ſanguinis generatione (vt ipſe inquit) non peracta, vel non ritè peracta. Communiter autem omnis aqua inter cutem ſpirandi difficultatem, tumorem, & grauitatem, ac vitiatum colorem inducit, ex virore nimirum albicantibus ægris, faſtidiunt & cibum, potum autem largiorem plurimi appetũt, maximè qui ex aſcite laborant, etenim humor, qui in locis detinetur, ſalſus eſt, & putrefactus; quare, & ſitis, & febris augeſcit: ferè enim in totum plurimi ex hydropicis febriunt, vt ab eodem Aëtio ſcriptum eſt. Commune item omnis aquæ inter cutem eſt pedes intumeſcere, quippe cùm procul à calidiſsimis partibus abſint, vt liquet ex Galeni 2. prognoſticorum. Particulatim autem aſcites inde internoſci debet, quod fluctuationes excitentur ex humore, qui veluti in vtre quodam contentus circumuoluatur. Tympanites autem, quòd vbi nos ferimus vẽtrem tympani modo ſtrepitum quendam elidere videatur, vt inquit Alexander. Et propterea in huiuſmodi aquis inter cutem humor ſit, an ſpiritus, qui in regionibus ventris continetur tactu explorare non valemus, niſi cauata preſſu cute: etenim frequenter non cauari cõſpicies in ſynceris aſcitis, & aqua inter cutem, quam tympanitem vocant. Sed ad veram notitiam comparãdam pulſare cogimur abdomen, vt attendamus, ſi veluti tympanum reſonet. Secundo loco aliter componere hominem, & in latera conuertere, quo fluctuationem aliquam exaudiamus, ac nobis ſtrepitus in modum tympani ſpiritum annuntiat, fluctuatio humorem: vno verò admoto tactu diſtentum abdomen non deprehendas ex aere ſit, an ex aqua, tametſi cutis his, & quicquid carnoſum erat ſecundum peritonæum, & craſſa cute tectum contabuit, quemadmodum à Galeno lib. quarto de dignoſcendis pulſibus, cap. 3. ſcriptum eſt. Anaſarca verò

Comment. 3.
Lib. 10. c. 20.
Quid ſit anaſarca.
Loco citato.
Aſcites quid ſit.
Aëtius lib. 10. cap. 20
Tympanites quid ſit.
Quis affectus præter naturam ſit aqua inter cutem.
Lib. de tumo. cap. 20.
Aquæ inter cutem cõmunia ſigna.
Comment. 2. & 3.
Aſcites quibus ſignis dignoſcatur.
Quibus Tympanites.
Lib. 9. cap. 2.
Anaſarca ſigna.

hinc deprehenditur, quod æger carnes habeat emortuo corpori ſimiles, & totum corpus intumeſcat, ac vbi nos digito id imprimimus, cauitas oboriatur, cúmque imprimere deſierimus, non ſtatim in priſtinum reuertatur, vt apud eundem Alexandrum legitur. *Loco citato.* Cæterùm quæuis prædictarum ſpecierũ aquæ inter cutem ad iocinoris refrigerationem (vt iam dictum eſt) conſequitur: etenim citra eiuſdem refrigerationem impoſsibile eſt aliquem in hydropem incidere, Galeno & Aëtio teſtibus. *Gal. 5. de loc. affect. cap. 7. Aëtius lib. 10. cap. 20* Hæc autem refrigeratio, aut per ſe, aut per conſenſum fieri poteſt, vt diximus. *Aquæ inter cutem cauſæ.* Et propterea ex nonnullis cauſis iecur ipſum refrigerantibus aqua intercus oriri poterit, vtpote ex immodica hæmorrhoidum profuſione, aut ex eiſdem diuturnis ſuppreſsis ſimiliter ex menſtruę purgationis omnimoda ceſſatione, aut immodica vacuatione, aut ex immodico muliebri profluuio, vt liquet ex Galeno 2. de natural. facult. cap. 8. & 5. de locis affect. cap. 7. Pariter ex intempeſtiua, ac immodica aquæ frigidæ potione iecur affatim refrigerari poteſt, ac ſtatim aquam inter cutem induci, quanquam ſic affecti (vt Galenus eodem quinto de locis affectis, cap. 7. aſſerit) ob refrigeratum os ventriculi, vehementi ciborum deſiderio teneantur, oppoſito modo quàm cæteri hydropici. Similiter ſi ipſum iecur ſcirrho afficiatur, vel ipſum, ſplenę indurato, ſeu refrigerato, coafficiatur, aut ieiuno, ſeu ręliquis inteſtinis iuxta ipſum, ac mesenterio, vel pulmone, vel renibus, ſeu ſepto tranſuerſo, ſimili ratione primariò affectis. Multi autem & à podagra, & à coxendicum dolore vexati aquã inter cutem inciderunt: frequentiſsimè etiam eos, qui cibum non ſentiunt, & malo corporis habitu prędit ſunt, itémque ab arquato infeſtatos hydrops corripit, item quoſdam eorum, qui non niſi recta ceruice ſpirant, cœliaca affectione laborant, ac dyſenteria, in aquam inter cutem deduci nouimus (vt inquit Aëtius) ſæpe etiam febribus longis ſuperuenit (vt inquit Paulus) & interdum ad morbos acutos conſequitur, ex Hippocrat. ſententia ſecundo prognoſticorum, cùm *2. prognoſtic. tex. 1* ex eis ſanguificationis officium intercidit, adeò vt iecur cibum in ſanguinem tranſmutare nequeat: quæ omnia & dignoſcere, háudque ægrè interſtinguere licebit, ex prædictarum partium affectarum, ac prædictorum affectuum dignotione, per enarrata in proprĳs locis, ac capitibus ſigna, & propterea eadem breuitatis cauſa ſcribere recuſauimus: quædam autem ex infirmorum, ſeu adſtantium loquela promptè percipies. *Prognoſtica.* Huic autem affectioni non minus fœminæ quàm viri fiunt obnoxij: pueri verò vt plurimùm ab hydrope ſarcite apprehenduntur, quæ quandoque curabilis fit. Eſt tamen tympanites omnino periculoſus, minùs eo aſcites: ſarcites quoque aliquando curabilis fit, per ea quæ cuti adhibentur humorem detrahentia ac reſiccantia pharmaca (vt idem Aëtius inquit.) *2. prognoſtic. tex. 1* Omnes autem inueterati hydropes, & qui iam habitum corrumpunt, ſunt periculoſi (vt ipſe fatetur.) Sæpe verò hoc malum per ſe incipit, ſæpe alteri vetuſto morbo, maximéque quartanæ ſuperuenit. Inter initia tamen non difficillima curatio eſt: at ſi malum inueterauerit, non ſine magna moleſtia diſcutitur, Celſo auctore, faciliúſque in ſeruis, quàm in liberis tollitur, quia cùm deſideret ſamem, ſitim, mille alia tædia, longámque patientiam, promptiùs his ſuccurritur, qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas eſt. Sed ne hi quidem, qui ſub alio ſunt, ſi ex toto ſibi temperare non poſſunt, ad ſalutem perducuntur, vt idem refert Cornelius. Omnis item aqua inter cutem, ſi ex acuto morbo exiſtit, mala eſt, vt liquet apud Hippocratem, eodem ſecundo Prognoſtic. non enim ſedat febrem, ſed dolorem admodum infert, ac mortem, vt ipſe inquit. Quod verò aqua inter cutem laborantibus vlcera in corpore facta difficulter ſanentur, idem ſcriptum reliquit aphor. 8. lib. 6. & aphoriſ. 14. eiuſdem. Hydrope correpto, (inquit) ſi aqua è venis in ventrem defluxerit, ſoluitur morbus, quemadmodum, ſi eiſdem tuſsis ſuperuenerit, quod malum ſit, decretum eſt ab eo aphoriſ. 35. 6. Vel quod deſperati ſint (vt liquet aphoriſ. 47. 7.) Si quis autem leucophlegmatia detineatur, & fortis ventris fluxio ſuperuenerit, à morbo liberatur, vt patet aphoriſ. 29. 7. lib. Nanque (vt Galenus inquit)

ex fo-

ex forti, ſeu diuturno alui profluuio, ſoluitur albæ pituitæ ſuperabundantia. Verùm licet difficilis ſit aquoſæ affectionis curatio, & plurimo artis auxilio opus habeat (vt inquit Aëtius) inter initia tamen non difficillima curatio eſt, Celſo auctore, cuius prima, & principaliſsima pars ratio victus exiſtit, nedum in aqua inter cutem, verumetiam in omnibus affectibus, & potiſsimùm periculoſis (Alexandro teſte) Ea de re communem omnibus ſpeciebus aquæ inter cutem victus rationem inſtituemus, deinceps particularem aggrediemur cuiuſque curationem. Aër itaque eligatur ad calidum, & ſiccum vergens, moderata autem ſit, & probè temperata ipſa domus ſecundum anni tempus (vt inquit Aëtius) Lectus non valde mollis ſit, iis præſertim, qui anaſarca laborant) ſubſternantur etiam arundinum folia, & herbæ reſiccantes, velut eſt, vitex, pulegium, calamintha, & ſimilia, opercula etiam ipſa, quibus teguntur, apparentur duriora: nimirum eſt etenim quantum huiuſmodi per ſomnum reſiccent, vt cõſtet iam quoſdam frumenti aceruis obuolutos, & abſconditos à ſomno ſurrexiſſe firmos, ac reſiccatos, vt liquet ex eodem Aëtio, qui item ſomnus eiſdem competit moderatus aut paulò breuior conſueto: nanque vigiliæ moderatæ non minùs conferunt: digerunt etenim (vt liquet ex Galeno, duodecimo methodi medendi, cap. 3.) motus inſuper, ſi quid aliud (vt Trallianus refert) hydropicis conducit, præcipuè qui fit per mare, equum, & lecticam. Iis autem, qui viribus conſtant etiam ambulatio eſt vtiliſsima: pariter frictiones hydropicis adhiberi debent, nanque externos corporis meatus rarefaciunt, humores extenuant, ac diſcutiunt (eodem Alexandro teſte) Celſus quoque multum ambulandum, currendúmque aliquando eſſe præcipit, quanquam inter initia idem, quietem, ſitim, ac inediam, pro huius affectus curatione probauerit, Addidit etiam, quod ſuperiores maximè partes ſic perfricandæ ſunt, vt ſpiritum ipſe contineat, euocandus eſt ſudor, non exercitatione tantummodo, ſed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano, ſimilibúſque aliis, maximéque vtiles naturales, & ſiccæ ſudationes ſunt, quales ſuper Baias habemus in myrtetis (vt ipſe refert) modo autem vulgo ſudatorium Trituli fortè appellatur. Aluus quoque in ſingulis hydropicis ſeruanda lenis eſt, ſi non natura, ſaltem arte clyſteribus lenientibus, aut glandibus vtens. Cibus autem eſſe debet ex media materia, ſed tamen generis durioris (vt refert Celſus.) Sit autem vniuerſus facilis concoctu, & ſufficienter coactus, exolutus enim aptus eſt, vt in aquoſitatem commutetur (Aëtio auctore) Melius nanque ita affectis eſt dare (Galeno teſte quarto de ratione victus) quæ probè concoquere poſsint. Proſpiciendum etenim eſt, vt alimentum, quod ad iecur peruenit, facilè ſit ad diſtribuendum, & nequaquam impediatur, quò minùs in corporis partes diſpenſetur, vt fatetur Alexand. Quare optimum alimentum ipſis eſt panis fornaceus probè fermentatus, qui ſemina flatibus diſcutiendis apta contineat, vt aniſi, aut cumini, aut fœniculi. Cuius etiam copia vitari debet, vt liquet ex eodem Alexandro, vel panis ſit optimus clibanites, qui ſalem, ammium, & fœniculum habeat admixtum, vt refert Aëtius. Ex auibus conueniunt perdices, turtures, phaſiani, turdi, merulæ, & ſtarnæ, & reliqui minuti paſſerculi: qui pingues non ſint. Interim gallinæ, ac gallinacei pulli, quanquam feræ manſuetis præponi debeant, vt teſtatur idem Trallianus. Ex quadrupedum item carnibus moderatè comedant, & eas potius, quæ non ſunt pingues, præcipuè ferinas, vt ceruinas, aprinas, & caprearum, ac leporum, quarum ius cum extenuante cibo paretur, apio videlicet, petroſelino, dauco, eruca, pulegio, rapa, caucalide, coronopo, eryngio, paſtinaca, porro capitato, ac aliis, præſertim hominibus ruralibus, has eaſdem maximè aſſas, ſi gratæ ſunt, aſſumere ipſos alienum non eſt. Verùm tam aſſatis, quàm elixatis ſemper aromatica quædam redolentia adiicias, præſertim cinnamomum, aut caryophyllos. Ex piſcibus guſtari poterunt cancri, locuſtæ, & erinacei recentes. A leguminibus verò abſtineant in totum. Inter bellaria concedendæ ſunt palmulæ, nuces, amygdalæ, vua penſilis, ac vua paſſa, mala punica, pyra cocta, ac

Aëtius lib. 10 cap. 21
Alex. lib. 9. cap. 3
Victus ratio communis ſingulis aquæ inter cutem ſpeciebus.
Aetius lib. 10. in fine.
Loco citato.
Trallia. lib. 9. cap. 3
Loco citato.
Sudatorium Trituli.
Aetius lib. 10. cap. 32
4 de ratione vict. cõmen. 3.
Lib. 9. cap. citato.
Loco citato.
Loco citato.

caricæ:omnia tamen moderatè, neque omnia quotidie. In vniuerſum tamen maximam ciborum partem in cœna accipiant, quandoque etiam aſſatas cochleas, atque oua inſuper aſſata guſtare poterunt,vt Aëtio viſum eſt. Pro potu ſit vinum tenue,præſertim vetus.Item & quod vrinam ciet.Aqua in vniuerſum vitanda eſt,verùm quoniam incommodus eſt eis plurimus potus , tantum præbendum erit,quantum ad infringendam aliquo modo ſitum ſufficit,nanque potio non vltra danda eſt, quam vt vitam ſuſtineat,optimáque eſt,quæ vrinã mouet,vt à Celſo ſcriptum eſt.Si tamen intenſa ſitis inſtet,parum quid delibãdum dabimus,ſolatij tamen gratia, & leniendæ ſitis:dulcia verò vina,& vinum mulſum vitanda ſunt,nanque ex his ſitis non ſedatur, epotum tamen acetum optima eiſdem medela eſt,vt liquet primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus,cap.trigeſimo.Quòd ſi velint factitijs vinis vti,id ſit abſynthites, præcipuè quod ſpicam nardi copioſiorem recipit, vel apiatum, alijs autem abſtineât,
Comment.3 ex Alexandri teſtimonio,& vt ſummatim dicam cum Galeno quarto de ratione victus in morbis acutis, quamminimum bibere, & quamplurimum laborare prædictis confert,nempe talis viuendi modus calfacit,& ſiccat. Hæc quod ad communem victus rationem attinet,dicta ſint ſatis.Quantùm verò ad medica-
Cõmunis medicamẽtorum ratio. mentorum rationem attinet, communis etiam omnium curatio ab euacuatione incipienda eſt,Paulo,& Alexandro teſtibus: quanquam aſcites, & tympanites purgans medicamentum duntaxat quod aquam educat, requirunt : Anaſarca verò interdum venæ ſectione , vt ipſi referunt : quinimò hic ſolus hydrops,
Paulus lib.3. cap.48 Alex. libro 9. cap.2 cùm incipit,Galeno teſte quarto,de ratione victus,commen.3.interdum ſanguinis detractione indiget,cùm ſcilicet ex retentione vel hæmorrhoidarũ,vel muliebrium,vel ex quapiam,quæ ita plethorica ſit cauſa inceperit.Tympaniam verò,& aſcitem (vt ipſe inquit) nullus per ſanguinis miſsionem ſanare eſt auſus.
Anaſarca curatio propria. Venæ ſectio. Huius itaque ſpeciei aquæ inter cutem propriam medicamentorum rationem aggredientes dicimus cum Galeno,circa initia venam ſecandam eſſe , præſertim cùm ex modo dictis cauſis fuerit orta.Nam licet ex ſanguine frigidiore naſcatur, & frigiditatis ratione illa non indigeat , tamen quoniam copiæ detra-
Loco citato. ctio naturam leuat,vt hæc minorem illam effectam facilè ſuperet, nõ alienum, ſed rationi conſentaneum eſt venæ ſectione vti , Alexandro teſte. Nam propè ad extinctionem accedente naturali caliditate,vt igni contingit in hac affectione, etenim quemadmodum ignis propè extinguitur immiſsis lignis , tum humidis, tum multis, niſi quis multitudinem ſuſtulerit , ſic & in frigidiore ob copiam ſanguine , vbi calor natiuus propè extinguitur præſentiſsimum eſt remedium ſanguinis miſsio:quo tempore periculum ita prehenderit,vt liquet ex eodem Galeno præcitato libro 4.de ratione victus in morbis acutis, comment.3. Ante omnem itaque aliam curationem venæ ſectio adhibenda eſt, ſi vires, ac reliqua permiſerint,ſecandáque interna cubiti dextri vena erit. Ea nanque vena velociſsimè,& plurimùm ex iis,quæ principes ſunt, partibus corpus vacuat,
Comment.24 ex Galeni ſententia eodem 4.de ratione victus in morbis acutis. Nec vnica vice multa ſanguinis copia exhaurienda eſt,ne vires deiiciantur , ſed ſatiùs erit, vbi oporteat,ipſam iterare,ac paulatim,& tutò magis euacuare, quàm feſtinando vnà cum morbo etiam ægrum è medio tollere. Verùm vbi vires non permiſerint,ſed imbecillæ ſint, aut ex quauis alia cauſa , quàm ex iam dictis, anaſarca originem duxerit, ſanguinis miſsio vitari debet : ſed copia pituitoſi excrementi per vniuerſum corpus redundantis purgante medicamento vacuari
Purgatio. lib.9.cap.2 debet.Sic etiam vbi opus fuerit, facta venæ ſectione eadem purgatione vtare, quæ iterum per vices tentanda erit, ex ſententia eiuſdem Alexandri à lenioribus inchoando , & demum ad ea, quæ paulò valentiùs purgare queunt , tranſire,priùs tamen humore ipſo præparato , ac viis reſeratis per ea medicamenta,quæ extenuandi, incidendi , ac meatus aperiendi vim habent : ea ſunt ſyrup. ex abſynthio,eupatorio,de byzantiis,oxymel ſimplex , ac ſcillinum , ſeu ſyrup. ex hyſſopo,qui exhibeantur cum aliquo etiam extenuantium , ac aperientium

medic

medicamentorum decocto, quorum copiam cap. de iocinoris obſtructione, requiras, pariter cap. de eiuſdem iocinoris imbecillitate: quibus ſæpiùs adhibitis purgans medicamentum tribuendum erit, quod conficiatur, vt infrà. Recipe pulueris hieræ ſimplicis Gal. drac. 1. agarici trochiſcati, ac rhabarbari vigorati, ſingulorum ſcrup. 2. formentur pilulæ cum oxymelite. A quibus per aliquod tempus exhibeantur vnc. 2. vel 3. ſyr. è pluribus infuſionibus roſarum cum aqua cichorij. At vbi hæc purgatio ſatis non ſit, iterum quæ maiorem vim habent extenuandi, ac aperiendi medicamenta exhibeto (eorum, quæ modò recenſuimus) poſt quorum vſum ad ea quæ paulò valentiùs purgare queunt, tranſito: veluti ſunt catapotia ex rhabarbaro, ſeu ex agarico, idque non vna vice faciundum erit, ſed pluribus, prout vſus vrgebit. Semper tamen à mitioribus ad valentiora tranſeundum. Necnon cum eiſdem medicamentis perpetuò ea miſceri debent, quæ vim habent adiiciendi iecori robur, quemadmodum rhabarbarum eſt, ac myrobalani, præſertim chebulæ. In hunc etiam vſum conferunt paſtilli de rhabarbaro, de abſynthio, ſeu eupatorio, ſi per vices exhibeantur. Quo etiam tempore, vbi ab his purgantibus medicamẽtis ſe abſtinuerint ægri, vti poterunt aromatico roſaceo, antidoto diarhodon, dialacca, vel diacurcuma eorundem drac. 1. deuorantes cum exiguo vino albo, aut aqua ex abſynthij decocto. In quem adhuc vſum, ſi tantundem mithridati, ſeu theriacæ aſſumpſerint, non parum confert. Præbenda etiam erunt ea, quæ vrinam cient, velut eſt daucus, ſeſeli, cardamomum, radicum aſparagi, aut trifolij decoctum, aut etiam triſſaginis, ſimiliter etiam ſi drac. i. eiuſdem radicis trifolij, aut eryngij ſiccæ, vel ſeminis viticis tantundem cum vini cyathis tribus exhibeatur, commodè vrinam cient, vt liquet ex Aëtio cap. 31. libri decimi. Maximum item eiſdem auxilium præſtat vomitus, vt ex eodem Aëtio liquet. Extrinſecus verò ea adhiberi medicamenta licebit, quæ vim immodicum humorem exſiccandi habeant. Quapropter & in puluere volutationibus vtendum eſt. Aliquãdo etiam & arena probe à ſole ignita, aut pellibus ſimiliter à ſole feruefactis ægrum occulere oportet, capite tantùm velato, & facie cum ſpongia aſsiduè exterſa, eodem Aëtio auctore: fluuiatiles etenim, ac marinæ arenæ communem vim poſsident omnium lapidum, ſiquidem exſiccant tumentem ab aqua inter cutem carnem, ægroto videlicet in eis excalfactis decumbente, ex Galeni auctoritate, nono de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Poſt hæc aqua marina, aut aluminoſa, aut ſulphurea lauentur ægri, etenim aliquibus, qui ad huiuſmodi lauacra aſſueuerunt, ea ipſa, tum ad delendum morbum, tum ad habitum valentiorem reddendum ſuffecerunt. Optimè etiam conuenit & his cataplaſmatum admotio, eorum præſertim, quæ reſiccare ſimul, & viſceribus firmitatem addere poſſunt, quemadmodum ſtercus bubulum eſt conuenienter reſiccatum, non ineptè cum poſca, aut aceto mulſo impoſitum, infarcta ſulphuris quarta parte, ſimiliter & cochleæ crudæ tritæ, & impoſitæ, agglutinantur etenim, neque diſcedunt, priſquàm vniuerſus humor reſiccetur (eodẽ Aëtio teſte) quanquam ante eum Galenus 11. de ſimplicium medicamentorum facultatib. illud ſcriptum reliquerit, cùm dixit, Porrò cochleæ, quæ vſtionem non ſunt expertæ: ſi tritæ vnà cum teſtis imponantur, & toti ventri aqua inter cutem laborantium, & in arthriticis, articulorum tumoribus ægrè quidem diuelli poterunt: cæterùm impenſe deſiccant, & ſanè inhærere ſinere oportet, quoad ſponte decidant: fermentum etiam ſale multo permixtum commodè adhibetur, aut panis cum puluere hyſſopi, aut fabacea farina, aqua marina, & melle coacta, pari abſynthij modo adiecto. Vel ſic cataplaſma conficies, Recipe caricarum, & fermenti, cuiuſlibet vnc. 1. farinæ hordeaceæ, loliaceæ, fabaceæ, fœnugræci, & ſeminis lini, ana manip. s. radicum, & foliorum ebuli, & abſynthij, ana manip. j. s. hyſſopi, & origani, ana drac. 4. ſulphuris drac. 3. miſceãtur, & cum poſca, aut oxymelite fiat cataplaſma. Si vero corpora teneriora ſint, quemadmodum puerorum, & aliorum, qui mollem carnem habent: quæ reprimunt cataplaſmata

Vrinam cientia.

Vomitus.

Quæ extrinſecus admouẽda ſint.

Lib. 10. c. 28.

Cap. de pyrite.

Aet. lib. 10. cap. 29.

Galen. 11. de ſimpli. medic. facult. cap. de cochleis.

magis adhibere oportet, qualia ſunt malicorium, thus culinarius, mala cotonea, myrthi baccæ, & vitis pampini, aliquando quidem per ſe, aliquãdo inuicem permixta cum quibuſdam eorum medicamentorum reſiccantium, quorum ſuprà mẽtionem fecimus. Verùm vbi prædictus affectio non ceſſerit, efficaciùs auxilium adhibere oportet, quod chirurgia præſtat, fiſſuras inquam circa internum talum infligere oportet, in loco quatuor digitorum ſpatio ſupra talum eminente, ea profunditate, qua quis in venæ ſectione vtatur, ita vt per aliquot dies, per eaſdem humor frequens feratur, quemadmodum Celſo, & Aëtio viſum eſt. neque periculum vllum hîc verendum eſt, velut in hydropis aſcitæ percuſſione, non enim coaceruatim, quemadmodum illi euacuantur: & ſi quis velit excretione plurima facta eam cohibere, nihil vetuerit ipſas in talis fiſſuras linamentis obturare, ligamentiſq; conſtringere: atque vbi rurſus prodire quid velimus, laxatis ligamentis, & ablatis linamentis, geſtatióq; ac moto ægro excretionem irritabis, vt idem inquit Aëtius.

Celſus lib.3. cap.21.
Aetius lib.10. cap.30.

Aſcites quo modo curari debeat.

Ea autem ſpecies aquæ inter cutẽ, quæ aſcites appellatur, non minùs (vt diximus) ab euacuatione initium curationis exigit, quanquam non venæ ſectionem, ſed purgans medicamentum requirat. A tenui nanque, ac ſeroſo humore originem ducere ſuperiùs concluſum eſt, & à Galeno decretum tertio de cauſis ſymptomatum, cap.2. Is itaque primò præparari debet ſyrupus è corticibus citri, melle roſaceo, aut oxymelite, & demum infraſcripto medicamento purgãte expurgari: quod recipit pulueris hieræ ſimplicis Gal. drac.1. agarici trochiſcati, & rhabarbari vigorati ana drac.s. formentur pilulæ cum oxymelite: à quarum aſſumptione per aliquod tempus infraſcripta potio exhibeatur, quæ recipit corticum myrobalanorum chebularũ drac.3. citrinarum drac.1. fiat decoctũ in aqua cichorij, & abſynthij, in quo vnc.2. ſyru. domini Auguſtini, ac tantundem ſyrup. ex pluribus infuſionibus roſarum diſſoluas, deinceps iterum adhibitis ſyrupis magis extenuantibus, vt eo qui ex tribus radicibus conficitur, aut ex duabus, vel quinque radicibus Meſuæ, oxymelle ſimplici, aut ſcillino, ſeu ſyrup. de byzantiis, vel de eupatorio cum ſyrupo de abſynthio, & aquis fœniculi, & meliſſæ, iterum purgans medicamentum exhibeatur, quod parari poterit ex pilulis de agarico, vel de rhabarbaro eiuſdem Meſuæ cum pulueribus hieræ ſimplicis, vel pilulas noſtras tribuas, quarum ſæpiùs experientiam habuimus, & citra noxam pluries ſingulis ſeptem, vel decem diebus exhiberi poterunt; mirabiliter etenim ſeroſos purgant humores citra aliquod nocumentum notatu dignum.

Purgatio.

Dioſc. lib.4. cap.153.
Pilulæ propriè expertæ.

Conficiuntur autem hoc modo, Recipe foliorum plantæ, quam communiter ſeplaſiarij mezereon appellant, & propriè eius, quam nuncupat Dioſcorides chamælæam, vnc. 2. vel 3. infundantur per vigintiquatuor horas in ſufficienti quantitate aceti vini albi, in quo priùs mala cydonia fuerint decocta, demum in vmbra exſiccentur, & iterum parato decocto ex pomis dulcibus & acetoſis, in eodem aceto vini albi prædicta folia infundantur, vt ſuprà, ac exſiccentur. Contundantur, & eiſdem adiice hieræ picræ ſimplicis tantundem, & cum ſucco radicis iridis fiant paſtilli, & ſeruentur, quorum doſis eſt drac.1. vel ſcrup.2. pro qualibet vice. Interim verò drac. s. agarici trochiſcati, aut rhabarbari vigorati, & tantundem trochiſcorum ex myrobalanis chebulis adiicere poteris: eiſdem nanque catapotiis (Deum teſtor) me nonnullos hac ſpecie aquæ inter cutem laborãtes ſæpiùs, per interualla eis exhibitis, perfectè curaſſe. Nec etiam parum conferunt pro curatione aliarum aquæ inter cutem ſpecierum, vbi eadem purgatione indigeant: quẽadmodum hoc in anno 1557. obſeruauimus in illuſtriſsimo Petro Antonio Sanſeuerino Biſignani principe, qui cum aſcite, ſimulátque anaſarca laboraret adeò; vt ferè à cunctis pro deplorato haberetur, vbi ter, aut quater dicta catapotia per interualla deuorauit, liber euaſit, teſtes ſunt nonnulli cùm medici, tum magnates, qui ipſum aqua inter cutem laborantem, ac demum ab ea ſolutum, & liberatum inſpexerunt, quanquam non exiguam etiam huic opem tulerit ſudatoriũ Triuli hodie vocatum, cuius ſuprà meminimus. Cæterùm mirificè confert pro

educen

educenda hydropicorum aqua, ſeu humore ſeroſo decoctum radicis ſambuci, ſeu ebuli in vino. Nanque eadem vtriſque vis eſt, & cutem ſubeuntibus aquis auxiliantur, Dioſcoride auctore; licet & à Paulo, & Alexandro ſuccus corticis radicis ſambuci commendetur, ſi in vino potui exhibeatur: quidam etiam ex iunioribus ſuccum marinæ braſsicæ cum vino, aut ſapa, ſeu aqua lactis approbant: (hodie vulgus medicorum ſoldanam, ſeu ſoldanellam appellat.) Cuius vſum non valde admitto: nanque ventriculo mirificè aduerſatur, & ipſe plùries experientia vidi noxam inferre, potius quàm auxilium aliquod hydropicis præſtare, imò quoſdam eius vſu periiſſe obſeruaui. *Dioſco lib. 4. cap. 155. Paul lib. 3. cap. 48. Alex. lib. 6. cap. 2.* Verùm (vt Aëtio viſum eſt) per interualla longiora pharmacis aquam ducentibus omnibus vti conuenit. *Lib. 10. c. 29.* Nam incommodus eſt eorum vſus, vtpote qui vires ipſas diſſoluit, vt ipſe inquit. Tutiùs propterea erit per interualla, ac eadem non longiora (vt diximus) noſtris pilulis vti: quæ cum hoc, quòd aquam ducunt, vires haudquaquam diſſoluunt. His verò, quæ vrinam ciunt per modica interſtitia vtendum eſt, eodem Aëtio teſte, ea ſunt trifoliũ, bitumen olens, ſi eiuſdẽ drac. j. ex vino præbeatur, aut iunci odorati, nardi, ſeu aſari ſimiliter ex vino decoctũ: vel ſi ſeminis viticis drac. j. ex vino tribuas. *Quæ vrinam ciunt. Loco citato.* Conducit item anagallidis cæruleæ ſuccus per ſe, aut ciceꝛum decoctum, ſeu ſeminis hyperici drac. j. ex vino, ſimiliter ſi potũ, aut ſampſuchũ ex vino decoctum bibendum præbeatur. Præter etiam opinionem faciunt vermes terreni cocti, triti ex vino potati, vt liquet ex eodem Aëtio: vel erinaceum terreſtrem excoriato, eiúſque carnem in ſole exſiccato, ac drac. j. ex vino tritam præbeto. *Citato loco.* Toto itaq; curationis tempore aliquo iſtorum potuum vtendum erit, ex ſententia eiuſdem Aëtij, qui etiam non parũ approbauit ſuccum ſolani hortenſis expreſſum; ſi quotidie, donec perfectè curentur, cyathum vnum bibendum præbebis: multam etenim aquam per aluum ducit. *Ibidem.* Paulus verò ſcriptum reliquit, quòd ſtercoris bubuli vſti cochlear ex vino potũ quotidie ſtrenuè auxiliatur. Poteris inſuper, & eiſdem vti medicamentis, quæ pro curatione anaſarcæ commemorauimus. Clyſteres etiam adhibendi ſunt acres, niſi venter ſua ſponte humeſcat: tunc enim exſiccare ipſum magis cõuenit, vt inquit Paulus: *Clyſteres.* fiat itaque ex mercuriali, polypodio, floribus chamæmeli, caricis, & ebuli, tum folijs, tum radicibus decoctũ: cuius recipe lib. j. aut lib. j. s. & in eo diſſolue mellis deſpumati, aut mellis roſacei vnc. ij. olei anethini, rutacei, vel chamæmelini vnc. 4. hieræ picræ ſimplicis drac. 7. aut diacath. tantundem, vel confectionis de dactylis, ſeu antidoti indi, vel benedictæ laxatiuæ drac. 4. ſalis communis drac. iij. commiſceantur omnia & fiat clyſter. Interim quoq; agarici drac. j. aut drac. j. s. aducere poteris. Extrinſecus verò præter ea quæ pro curatione anaſarcæ cõſcripſimus, quibus etiam omnibus tutò vti poteris, cataplaſmata adhiberi poterunt circa initia ex farina hordeacea, althæa, ac caricis cum aceto mulſo compoſita. *Topica.* Poſt principium autẽ efficaciora ſunt cataplaſmata adhibenda ex farina fabacea, lupinorum, & fœnugræci, ac loliaceæ cum caricis, abſyothio, hyſſopo, origano, ac aceto mulſo, ex Aëtij auctoritate. aliúdq; admirandum, & minimè prætereundum (vt ipſe inquit) ex armentariæ bouis ſtercore, poſca, ſiue aceto mulſo quarta parte ſulphuris viui inſperſa conficiendum præcipit. *Lib. 10. c. 21.* Similiter ſi ſtercoris columbini partem vnam accipias, & caprini tãtundem, & buphthalmi, ſeu leucanthemi ſimiliter tantundem, & tuſa in acerrimo aceto, ac melle coquantur, optimum erit (vt ipſe refert) ad aſcitem medicamentum. Aliud cui teſtimonium præbet Oribaſius (vt ipſe dicit) eſt, Recipe fœnugræci trientem; farinæ hordeaceæ quadrantem, ſtercoris columbini trientem, reſinæ pinus ſiccæ lib. j. picis lib. j. ceræ lib. j. axungiæ veteris lib. ij. quæ eliquari poſſunt, eliquato, & ad alia in mortario contuſa, & cum aceto trita affundito. *Lib. 10. c. 22.* Si verò neque prædictis ceſſerit remedijs, cute compunctа (quam Græci παρακέντησιν dicunt) perniciosus humor elici debet, modo, quo Paulus ſcriptum reliquit cap. 50. libri ſexti. caueri tamen debet tanquam valde periculoſa vniuerſa eiuſdem euacuatio; quemadmodum ab Hippocrate, & Galeno decretum eſt aphoriſmo 27. ſexti libri;

Ipſa

Tympanitæ curatio propria.

Ipſa quoque aquæ inter cutem differentia, quæ tympanites vocatur purgantia medicamenta,& quæ vniuerſum corpus emaciant, atque etiam, quæ vrinam ciunt,exigit.Similiter & quæ extenuare, & digerere ſpiritus flatuoſos poſſunt, tum intrinſecus,tum extrinſecus adhibere oportet, Paulo auctore. Etenim verendum non eſt ſimul cum flatuoſo ſpiritu in hac aquæ inter cutem differentia ſeroſos quoſdam, ac tenues humores redundare, qui in flatuoſum aërem à diminuto calore tranſmutantur: quinimò vanum eſt,ac intellectu carens, ſine vllo humore ſuperfluo laborantem hydropem vocare, Cælio Aureliano teſte. Et

Purgatio.

propterea eiſdem purgantibus medicamentis pro eius curatione vtare, quæ pro aſcitis curatione præcepimus; eiſdémque redundantem humorem præparantibus,atque etiam vrinam cientibus. Perpetuò tamen prædictis adiiciantur ea, quæ flatum diſsipant, vt ſemen fœniculi,aniſi,cumini, & ammi,ſimiliter & prædictis antidotis diacuminum, aut dianiſum commiſceatur. Non temerè etiam,& conſcriptis clyſteribus,in eorum decocto cuminum,etiam aniſum,fœniculi ſemẽ,ac rutæ folia,origani,pulegij, ſeu calaminthæ permiſcebis, ac furfur.Glandes item magnoperè auxiliantur, ſi ex folijs rutæ, cumino, ac caricis, exiguóque ſale figurentur, vel in hunc modum, Recipe mellis diſputati ad ſufficientiam,ſeminis aniſi,fœniculi,& cumini ana drac.j.agarici, ſalis gemmæ, & pulueris hieræ,ſingulorum ſcrup.iij.miſceantur,& fiant balani. Capite verò de coli dolore,ſtudioſi reliquos clyſteres,ſeu balanos requirent,& pro curatione iſtius affectus vtantur.Venter etiam quotidie foueatur ex ſaccellis, qui ſic com-

Topica.

ponantur,Recipe milij,ſalis,& furfuris, ſingulorum manip.j. ſeminis aniſi, apij, fœniculi,dauci,& cumini ana drac.iij.florum chamæmeli,meliloti,& fœnugræci ana drac.4.foliorum rutæ,lauri,& pulegij, cuiuſlibet manip. ſ. contundantur contundenda,& fiant ſaccelli,qui calfacti in latere ignito,vino albo inſperſo,applicentur,ac ſæpius iterentur. Cucurbitulæ quoque leues crebrò toti ventri affigantur, Paulo auctore. Poteris item ſalubriter vti commemoratis cataplaſmatibus,potiſsimùm,ſi eiſdẽ quædam ex ſeminibus flatus diſcutientibus commiſceas, vel in hunc modum ipſum componas,Recipe farinæ fœnugræci, loliaceæ,& hordeaceæ ana manip.j.abſynthij,& foliorum rutæ, cuiuſlibet P. j. ſeminis apij,fœniculi,& cumini ana drac.4. ſeminis aniſi, ammeos, & dauci ana drac.iij.cum melle,vino,& oleo quantum ſatis ſit,fiat cataplaſma.Vel iuxta Aë-

Lib.10.c.22.

tij ſententiam hunc in modum cataplaſma componas, Stercoris caprini recipe ſextantem,tantundémque ſtercoris bubuli, & columbini, farinæ fabaceæ ſeſquiunciam,calaminthæ,ſalis nitri,ſeminis apij, ſeminis dauci, ſeminis fœniculi,& cumini,cuiuſque vnc.j.panis aridi quadrantem, mellis ſeſquiunciam, terebinthinæ quadrantem,miſce,& vtitor. At ſi cùm aqua intercutem febris quo-

Aqua inter cutẽ cũ febre, curatio.

Lib.9. cap.3.

que complicetur, admodùm calidis auxilijs vtendum non eſt, neque in viſceribus,neq; in cibis,aut potibus,aut antidotis, aut purgationibus, vt inquit Alexander.Etenim nullum valde calfaciens ipſos iuuare poteſt. Nam huiuſmodi medicamenta ſitim ipſorum augent, & febrem incendunt, & cauſas inflammantes magis adhuc exurunt, intendúntque malum, vt ipſe inquit. Cùm igitur ab aqua ſimul intercutem, & igne laborantes corripiantur, vndequaque dubia curatio eſt, ſiue calfacere, ſiue refrigerare quidpiam velis. Nanque neceſſe eſt, vt refrigerantia omnino aquam intercutem adaugeant, calfacientia rurſus febrim.Satiùs itaque eſt in huiuſmodi mixtam curationem adhibere, & ei, quod magis vrget, quatenus licet, inſiſtere,vt liquet ex eodem Alexandro.

Locò citato.

Nec metuendum eſt,vbi febres vehementiores apparuerint, refrigerantia potius tunc exhibere. Nam vbi inuicem copulentur morbi, eatenus habebunt communem curationis indicationem,quatenus copulabuntur, vel nobis ſcilicet ad id quod magis vrget obuiantibus,non tamen alterius cura omnino poſthabita, vel omnibus pari ſtudio auxiliantibus, quemadmodum Galenus commento aphoriſmi 16. primi libri (de eadem aqua intercutem cum febre complicata verba faciens) ſcriptum reliquit.Ea colliquatione item, ſeu reſolutione

ſucco

ſuccorum,qui in venis continentur,eiſdem in ſeroſam ſaniem ſolutis, vbi renes eoſdem trahere non valeant, ſubitanei hydropum ſtatus oriri conſueuerunt, venis eiuſmodi ſerum in ventrem mittentibus,aut toti corpori id partientibus, vt liquet tertio de cauſis ſymptoma.cap. 2. Verùm de hac nedum ſanguinis,ſed etiam carnis,ſeu totius corporis colliquatione aliàs pertractabimus.

Περὶ διαβήτου. *Id eſt, De diabete.* *Cap. XCII.*

QVONIAM triplex erat (vt diximus) in venarum concoctione excrementum,ac triplicia quoq; inſtrumenta,quæ ipſa expurgant à natura fabricata, cùm de duobus iam verba fecerimus, bilioſo inquam,ac melancholico,pertractauerimúsq; de cunctis vitiis,quæ circa eorum ſecretionem, ac inſtrumenta ipſa expurgantia eueniunt,reliquum eſt de eo quod adhuc ſupereſt excremento verba facere,quod quidem tenue,atque aquoſum exiſtit,Græci οὖρον,nos vrinam appellamus,cuncta ſymptomata quæ circa eius ſeparationem contingunt, ac omnia vitia, quæ inſtrumentis pro eius ſegregatione fabricatis, euenire ſolent, conſcribentes. Conſtruxit etenim natura,quo id à ſanguine ſecerneret renes, quorum vi vrinæ à ſanguine ſegregantur, atq; illinc per vreteras ad veſicam emittuntur, indéque excernuntur, quo ſcilicet tempore ratio ipſa iuſſerit (Galeno auctore quinto de vſu partium) quanquam Eraſiſtratus, Aſclepiades, ac Lycus aliter,ſed falsò ſenſerint, vt liquet primo de facult. natur. Circa quam renum facultatem nonnulli affectus præter naturam oriri poſſunt ipſam impedientes,aut deprauantes,in quorum numero (quamuis rariſsimè euenire ſoleat, vt apud eundem Galenum liquet ſexto de locis affectis,nanque non niſi bis ipſum videre potuit) vnus eſt, qui à Græcis διαβήτης, quandoque δίψακος, interim ὕδερος εἰς ἀμίδα, quandoque verò διάρροια εἰς οὖρα appellatur, Galeno teſte libro ſexto de locis affectis, primo de criſibus,& libro de differentiis ſymptom. Latini verò diabetem,vel aquam intercutem, ſeu hydropem in vas vrinale, interim verò diarrhœam in vrina vocãt: etenim prout diuerſimodè affectio hæc conſiderabitur, diuerſa quoque nomina ſortietur. Nam ſi celerem vrinæ tranſitum, ſeu traductionem,diabetem nominabimus,à verbo διαβαίνω, quod Latinè traiicio,pertranſeo,ſeu traduco ſonat, ſic nominabitur. Quidam verò ingentem,ac inexplebilem,quæ hunc affectum conſequitur, ſitim animaduertentes, διψακὸν ipſum appellarunt,à verbo δίψος, quod idem eſt quòd ſitis. Vnde διψακὸν, quaſi vehementer ſitiens dicitur. Alij magnam vrinæ copiam inſpicientes, quam intercutem ad matellam, ſeu vrinæ profluuium nominarunt. Verùm quicquid ſit de eius nomine, nam neque vt idoneum et nomen imponamus, id ſcrutari animus eſt, ſed vt curationis viam tum ex loco affecto, tum ex ipſa diſpoſitione inueniamus, vt Galenus inquit.

5. de vſ.part. cap. 5.
1.de facul.nat. c.15.16.et 17.
cap. 2.
Cur diuerſimodè affectio nuncupetur.
6.de loc. affe. cap.2.
1.de criſib. cap.12.
Lib. de diffe. ſymp.c.vlti.

Quapropter diabetes nihil aliud eſt (Aëtio teſte cap.1. lib.11.) quàm affectio diuturna circa renes conſiſtens multum potum inducens, vnà cum hoc quòd quicquid bibitur, ſimul vt acceptum eſt, per vrinas reiicitur. Vt verò Paulò viſum cap. 45. lib. 3. potionis tranſmiſsio eſt protinus qualis fuerit aſſumpta. Ex Galeni autem auctoritate eodem libro ſexto de locis affectis.cap.2. Velox exitus exiſtit per vrinam,ac exuberanter eius quod potatum eſt,eodem à ſua qualitate non mutato. Propterea tum eodem loco,tum etiam primo de criſib.cap.12. ſimilem dixit eſſe affectum hunc ventriculi,inteſtinorúmq; læuitati,quod ad tranſitus celeritatem pertinet, potiſsimùm ei, in qua vehementiſsima quoque excitatur ciborum cupiditas, ac etiam caninæ appetentiæ: nam quemadmodum in his, qui canina vocatã appetentia vexantur, in ore ventriculi cupiditate exiſtente, videmus vt affatim impleti,paulò poſt aut euomant,aut alui fluore deiiciant, non potente ventriculo ipſo deuoratorum pondus ſuſtinere, ita renibus quoque accidit ſeroſæ humiditatis cupiditas vnà cum virium imbecillitate, vnde & humiditatem af-

Lib. 6. de loc. affe.cap.2.
Diabetes quid ſit.

ſatim attrahere,ac eam deinde in veſicã impellere coguntur. Verùm non propterea quòd affatim, celeritérque ad veſicam vrina defertur, ventriculi, aut inteſtinorum præſertim tenuium imbecillitati cauſa referenda eſt, nam ſi ob id,quòd potum ſuſtinere non poſſunt ad excretionem properant, quid obſtat, quo minùs per ſedem excernatur,quemadmodum in læuitatibus inteſtinorum fieri videmus: tranſmiſsionem item à totius ventriculi partibus ad hepar, non propter hepatis,aut venarum,in lactibus aut ventre, aut earum quæ ab hepate exortæ ad renes tendunt, imbecillitatẽ fieri didicimus: quinimò iecur ex ventriculo per meſenterij venas (veluti arbores à terra per radices) cibum ad ſeſe allicit,eis veluti manibus quibuſdam vtens,quemadmodum ab eodem Galeno libro quinto de locis affectis,cap.7.& tertio de naturalibus facultatib.cap 13.ſcriptum eſt.Et propterea abſonum eſt affectum hunc referre ventriculi,inteſtinorum,hepatis,aut venarum, quæ in meſenterio ſunt, ſeu earum quæ ab hepate exortæ ad renes tendunt imbecillitati,neque etiam veſicæ: nam neque ea à renibus vrinam trahit,ſed ipſi per vreteras excernendo in veſicam mittunt, quẽadmodum neque inteſtina à ventriculo attrahunt,vt patet eodem ſexto de locis affectis.cap.2.Reliquum itaque eſt poſtquam renes ipſi, id quod aquoſum in ſanguine eſt,ad ſe alliciunt,vt in hac affectione eorum potiùs imbecillitas accuſanda ſit,& non aliarum partium,per quas potus tranſire ſolet, ex eiuſdem Galeni teſtimonio præcitato libro ſexto de locis affectis. Modus autem generationis eius eſt,quoniam imprimis renes trahunt ſanguinis ſerum ex venis, quæ cùm totum attraxerint, videatúrque ſanguis in venis huiuſmodi humiditate ſpoliatus,exſiccata tum vaſa humorem trahunt ex hepate, deinde hoc ex inteſtinis,& ventriculo. Cùm verò exſiccatæ fuerint venæ, quæ in ore ventriculi ſunt, potum deſiderat homo,deinde exhibita potione, venæ ex hepate ad ventriculum venientes, vtpote aridæ totam rapiunt, atque ex his aliæ deinceps, donec ad renes perueniat tranſſumptio per eorundem attractionem facta. Eſt itaque diabetes proprius renum affectus, qui caninæ in ore ventriculi cupiditati proportione reſpondet, accedente præterea retentricis facultatis imbecillitate, vtpote quæ continere diutiùs vrinam non valeat, quemadmodum eodem ſexto de locis affect.à Galeno decretum eſt. Atqui obiiciet quiſpiam, cùm infirmi fuerint renes, quomodo fieri poteſt, vt tam celeriter vrinam ad ſeſe attrahant? An dicere poſſumus ex Galeno, quòd quemadmodum in ventriculo quibuſdam lientericis vehementiſsima excitatur ciborum cupiditas, ita in renibus quoque cupiditatem ſimul oriri,atque hanc ob cauſam eos vrinam per concauam venam ad ſeſe trahere,ſed illico ab attractionis impetu grauari cenſendum eſt.Vnde licet infirmi fuerint renes, propter ingentem, quam habent ſeroſæ humiditatis cupiditatem,cùm affatim attrahunt,ac deinde cùm eandem continere non valeant,in veſicam impellere coguntur. Eſt itaque affectus hic ſymptoma in genere excretorum immodicè, vt liquet lib. de differentiis ſymptomatum,excedens à naturali ſtatu, nedum quantitate, ſed qualitate: idque noxam functionum conſequitur ipſorum renum. Nanque ad eos pertinere affectionem hanc, ſuprà demonſtrauimus. Verùm cuiuſnam eorundem renum facultatis læſio fuerit, inquirendum eſt.Nanque Galenus præcitato libro ſextò de locis affectis,cap.2.aſſerere videtur, tum attractricem, cùm etiam retentricem eorum facultatem oblæſam eſſe: Libro verò primo de criſib. virtutem retentricem ſimul,atq; etiam alteratricem eorundem renum extinctas, ſeu ablatas eſſe in hac affectione aſſerit,dum dixit. Verùm hæc paſsio talis eſt,qualis circa aluum læuitas inteſtinorum,extinctio,vt diceret quiſpiam vtriuſque virtutis, & retentricis,& alteratricis. Deinde poſt pauca concludit, Ideirco peſsimum eſſe affectum vrinæ profluuium, quando duplex eſt vitium. At ſi fas eſt verum fateri,vbique locorum Galenus veritatem conſcripſit, nam vt hæc generetur affectio, neceſſum eſt, vt ipſi renes affatim humiditatem ſeroſam attrahant, eorum vehementi cupiditate præcedente, aliàs nulla omninò inſignis vrinæ

Quæ pars affecta ſit in diabete.
Loco citato.
Modus generationis eius.

Loco citato.
Dubium.
Solutio.

Quis affectus præter naturã ſit diabetes.
cap. ulti.

cap. 12.
Quæ renũ facultas in diabete oblæſa ſit.

Concilientur diuerſæ Gale. ſententiæ.

copia

copia ad renes perueniret. Accedit prætereà retentricis facultatis imbecillitas, quoniam citra hanc non tanta celeritate ſequeretur vrinæ profluuium, quamuis multa copia eiuſdem ad renes perueniret, propter cuius facultatis imbecillitatem, cùm eam detinere non valeat tanto tempore, quanto indigeret alteratrix facultas pro eius alteratione, ex conſequenti ſequitur & eiuſdem alterationis ablatio: quò fit, vt id quod biberunt laborantes, exuberanter reddant, eo à ſua qualitate non mutato. Tres denique facultates offenſæ ſunt in vrinæ profluuio, attractrix videlicet, retentrix, & alteratrix ipſorum renum. Verùm attractrix primò, & deprauatè, quoniam immoderatè attrahit: & propterea ſimilat Galenus hanc renum appetentiam, propter quam attrahunt, cupiditati in ore ventriculi, cùm canina moleſtatur appetentia. Subſequitur deinceps retentricis facultatis noxa, quæ adeò imbecilla exiſtit, vt ablata dici poſsit. Hanc eandem conſequitur & alteratricis ipſorum ablatio, ſeu extinctio, cuius licet non meminerit libro ſexto de locis affectis, in eius tamen verbis comprehenditur, cùm dixit, quòd infirmi in hac affectione exuberanter id quod biberunt, reddunt, eo à ſua qualitate non mutato. Siquis autem inficias ibit, Pauli verba in medium ducens, vbi habet. Origo ipſius ex retentricis renum facultatis impotentia contrahitur, attractricis autem tanto robore, vt totum corpus ob immodicum calorem exhauriat, volens per hæc verba, quòd attractrix renum facultas non fuerit in hac affectione oblæſa, propterea quòd eam robuſtam eſſe Paulus aſſerat, dicimus non propterea inoffenſam eſſe eandem facultatem, quia immoderatè attrahat. Nec propterea facultas ſimpliciter robuſta appellanda erit, cùm immoderatè operetur, nanque ſanitas incommodè ratione cõſiſtit, nec Paulus ſimpliciter eam robuſtam, ac ſanam eſſe fatetur, imò ægram, & oblæſam eſſe, dum dixit, tanto robore, vt totum corpus ob immodicum calorem exhauriat. Id quod etiam declarauit Aetius, dum ait, Cæterùm proprius renum affectus diabetes exiſtit, qui videlicet immoderatè humorem appetunt. Nec minùs & Alexander idem confirmauit cap. octauo libri noni, inquiens, Fit autem ob retentricis renum facultatis imbecillitatem, & propter attractricis robur, quæ ob caliditatem, non humores ſolùm venarum, ſed etiam totiùs corporis immoderatiùs attrahere compellitur. Concomitatur autem eos qui prædicta affectione laborant, pertinax ſitis, adeò vt neque vlla ſatietas ex alicuius liquoris exhibitione contingat, aliquando & ſitis ſupra ſitim inexplebiliter ægros vrget; hoc eſt, vt aſsiduè potum aſſumere cogantur, neque tamen ſatiantur, propterea quòd citiſsimè per lotium expellitur potatum, vt idem inquit Aëtius. Quòd verò ſubinde bibentes ægri exuberanter quoque reddunt id quod biberunt, eo à ſua qualitate non mutato, liquet apud Galenum eodem ſexto de locis affectis, cap. ſecundo. Viſcera quoque ipſis vri videntur, anxij ſunt, ac animo dubij, & non longè poſt moriuntur: igne amplius ardere ſe putant, accedítque ſitis, & mictio feſtina, & quamuis aliquando parum per vrinam retineant, intumeſcunt lumbi, teſtes, & coxæ. Quòd ſi adhuc ampliùs mordens caliditas in viſceribus augeatur, ſuperior venter corrugatur, & venæ in ipſo eleuantur, vniuerſum habitũ gracilem habent, & tabes totius corporis grauis accedit, quemadmodum idem Aetius ex Aretæi auctoritate ſcriptum reliquit, præcitato loco. Hæc autem functionum noxa ob immodicam ipſorum renum caliditatem exoritur, quemadmodum ab Alexandro, & Paulo decretum eſt. Quapropter aduerſus hanc vtrique pugnandum eſſe ſcriptum reliquerunt. Aetius verò vitioſos humores in ipſo renum corpore imbibitos affectionem hanc inducere teſtatur. Vt verò hi concilientur, aſſerendum eſt interim abſque vitioſorum ſuccorum redundantia ob calidam renum immodicam intemperiem affectionem ipſam oriri, velut Paulus, & Alexander teſtantur: quandoque verò cum eorundem humorum præſentia, vbi in renum corpore fuerint imbibiti (vt Aetio viſum eſt) qui, aut bilioſi, aut pituitoſi falſi erunt. At ſi calida duntaxat aderit intemperies, haud ægrè dignoſci poterit, ſimiliter, ſi iam dicti humores in

Quòd tres diuerſæ renũ facultates oblædantur, in diabete concluditur.

cap. 2.

Loco citato.

Dubium.

Solutio.

Quibus indicijs diabetes dignoſcatur.

Cauſæ.

renibus, aut in vniuerſo corpore redundabunt, ex his, quæ in præcedentibus ſæpius conſcripſimus. Reliquum eſt, vt ad eiuſdem prognoſtica tranſeamus, quorum primum ex Alexandro colligitur, quod magnoperè attendendum eſt pro eiuſdem curatione, nam ob immodicam renum caliditatem, non ſolùm humores venarum, verumetiam totius corporis immoderatiùs attrahere compelluntur, vt ipſe inquit, & propterea totius corporis ſiccitas, & tabes diuturnitate temporis neceſſariò conſequitur, potiſsimùm quia hæc affectio paulatim cùm inceperit, increſcit, vt eius principium, & incrementum vix percipiantur, ſed dum ad ſtatum peruenerit, adeò vt videatur ſubitò aduenire, Galeno teſte ſexto de locis affectis, cap. 2. propterea quòd renum deſiderium non animale, veluti ventriculi eſt, ſed naturale. Quòd verò peſsimum ſit vitium vrinę profluuium, quoniam duplex eſt, ex Galeno conſtat libro primo de Criſibus, cap. 12. etenim quanto plures inſtrumentorum cuiuſque generis actiones, & vires impeditæ fuerint, aut ex toto perierint, tanto deterior eſt morbus, vt ipſe refert. Pro cuius curatione (vt liquet ex eodem Paulo, & Alexandro) aduerſus immodicum renum calorem pugnandum eſt, refrigerando quidem partem, & confirmando, contemperando autem totum corpus, & humectando, quoniam id neceſſariò ſiccum ob largam vrinarum excretionem deprehenditur. At Aëtius qui non nudam voluit eſſe calidam renum intemperiem diabetis cauſam, inquit. Scopus igitur in curationibus nobis ſit, vt humorum acrimoniam deleamus, ſanguinemque, ac eum eo permixtum ſeroſum humorem ad motum tardiorem reddamus, & renum intemperiem corrigamus. Vtcunque tamen ſit, aër eligatur ad frigidum, & humidum vergens. Somnus præcipiatur ſolito longior. Exercitium, & immodicus motus vitetur, ſed quies iniungatur. Aluus ſit lenis natura, vel arte, nam iecur calidius euadens in hac affectione, ventrem ſicciorem efficit, dum ciborum humiditatem attrahit, & exhaurit. Vitent animi affectus immoderatos, cibi eligantur, qui difficulter conficiuntur, nec liquidi ſint (vt ait Paulus) nec facilè in vrinam conuertantur, attenuentúrque, Alexandro teſte, ſintque craſsi, bonique ſucci, mordacitate carentes, & qui acrimoniam obtundere poſsint, ac frigidi, ex ſententia Aetij. In quantitate etiam neceſſariò copioſiores exhibeantur, & craſsi, vt perdurare poſsint, ex Alexandri decreto. Propterea inter carnes, ſuillæ macræ, & probè coctæ conueniunt, potiſsimùm pedes, & roſtra, item leporum, & capreolorum, pedes item vitulini, hœdorum, ac caſtratorum, caſeus recens compactus citra ſalem, & lac per ſilices, aut ferrum ignitum ſciſſum, ſeroſo humore adempto, oua etiam ſorbilia, & ex oleribus intubum, ſeris, portulaca, aut lactuca. Inter piſces ſaxatiles eligantur. Inter fructus, pyra, poma, mala punica: ſimiliter caſtaneas comedere alienum non eſt, Alexandro teſte. Vitanda ſunt ſalſa, omnia, & acria, nemóque in iuſcula iniciat aut aniſum, aut cuminum, aut huiuſmodi aliquod ſemen, vel ea quæ vrinas prouocant, ex Alexandri decreto. Potio quoque his ſolita amplior dari debet, vt neque in totum ſitum fieri permittamus, ſitque eadem frigida, eligatúrque vinum ruffum, craſſum frigida amplius dilutum: nanque vinum corporis miſcellam ad dulcorem permutat (Aetio teſte) & omnes humores optimos reddit, ex Galeni commento aphoriſmi 56. ſeptimi libri. Poterit inſuper pro potu exhiberi aqua hordei, ex toſto hordeo confecta, aut ſuccus malorum punicorum cum frigida permixtus, vel decoctum myrtillorum, pomorum, ſeu pyrorum adſtringentium, & pro ſorbitione piſanæ ſuccus frigidus, ſimilago, & alica ad ſorbitionis formam apparata probantur, ex auctoritate eiuſdem Aetij. Cæterùm mox vbi occeperit malum, nondum ad perfectionem progreſſum, optimum eſt cubiti venam ſecare, & moderatè ſanguinem auferre, ex eiuſdem Aetij, & Pauli ſententia. Et vbi in renum corpore vitioſi fuerint imbibiti humores, vtendum eſt etiam mediocriter, vrinam cientibus, quæ vitiatum in renes imbibitum humorem repurgare poſsint. Verùm ſi inueteratum ſit malum, neque venæ ſectio adhiberi debet, nec quicquam exhiberi, quod vrinam cit,

Prognoſtica. *Curandi methodus.* *Ratio victus.* *Venæ ſectio.*

eit, concidunt enim in inueteratis vires, & ex venæ inciſione totum corpus a-
erius redditur, & vrinam cientia in ipſis multiplicant malum, quemadmodum
maximum huic affectioni remedium eſt, vt ſtatim potatum reuomatur: ſit au-
tem perquam frigidus ipſe potus, vt liquet ab Aëtio, & Paulo. At vbi vitioſi in *Purgatio.*
toto redundarint ſucci, quòd purgante medicamento vtendum ſit, nemini in
dubium venit, eis priùs concoctis, ac præparatis ex ſyrup. roſaceo, myrtino, &
nymphæa, violaceo, aut eo, qui ex ſucco boraginis paratur, ſeu oxalidis. Sit au-
tem purgans medicamentum lene, quod bilem, aut ſalſam pituitam cum qua-
piam alteratione, ac adſtrictione expurgare valeat: veluti eſt mel roridum, caſ-
ſia fiſtula, tamarindi, myrobalani tum citrinæ, tum chebulæ, ſyrup. ex pluribus
infuſionibus roſarum, ſaccharum violaceum, & interim diacath. Ex his itaque
poterit purgans medicamentum parari, quibuſdam eorum ſimùl permixtis,
prout vſus poſtulabit: materia etiam ipſa ad exſudationem diuertenda eſt: opti-
ma verò erit (vt inquit Aretæus) in dolio facta euaporatio ad exſudandum, eo
modo, vt caput extra dolium promineat, frigidúmque aërem attrahat, reli-
quum verò corpus omne calefiat, in cuius vicem non parum confert naturale
balneum, quod apud Puteolos reperitur (balneolum appellatum.) Nam ex eo, *Balnea.*
nedum materia ipſa ad exſudationem diuertitur, verùm renes ipſi corroboran-
tur. Ab ipſo autem, & ante ipſum ex aliquo infraſcriptorum medicamentorum
illiniri poterunt renes. A balneo item vnc. 1. vel 1. s. ſacchari roſacei cum li. s. aut
li. 1. aquæ hordei prius torrefacti, & oxalidis tribuatur, qua curationis via huc
vſque reliquis ritè adhibitis diuerſis in temporibus duos perfectè curaui, Excel-
lentem videlicet Ioannem Franciſcum Carrafam, & magnificum Vicentium
Marcellum. At vbi hæc non ſuffecerint, aut ex calida duntaxat renum intem- *Quæ demum*
perie ortum fuerit vrinæ profluuium, ſanguinariæ ſuccus ex vino nigro aſsiduè *deuorãda ſint.*
præbeatur, ex ſententia Pauli, & Aëtij. Similiter palmularum, aut baccarũ myr-
ti dilutum, & etiam pyrorum, ac ſymphyti cremor. Nec minùs conferunt ver-
mes terreni ex aliquo prædictorum ſuccorum decocti: ſyrupo item ex ompha-
cio, è ribes, myrtinus, ex infuſione roſarum, & oxalidis ſucco; ſeu plantaginis,
vel portulacæ exhiberi poterunt. Similiter paſtilli de ſpodio, vel terra lemnia,
ſeu de ſuccino. Quòd ſi prædicta auxilia fruſtra adhibeantur, affectióque ipſa *Anodyna.*
augeſcat, non abſurdum fuerit etiam ſtuporem inducentibus vti, ex Aëtij de-
creto. In quem vſum ſcrup. 2. vel drach. 1. Philonij perſici, ſeu romani, vel no-
uellæ theriacæ cum polygoni ſucco, ſeu decocto, ac pauco vino nigro præbeto.
Extrinſecus autem ad lumbos, ſeu renes, pectinem, & hypochondrium præſer- *Topica.*
tim dextrum illitiones, vnguenta, ac cataplaſma refrigerantia adhibenda ſunt,
eodem Paulo, & Aëtio teſtibus. In quem vſum ex oleo roſaceo omphacino,
præcipuè citoniorum, & myrtino, adhuc etiam ex oleo de papauere, ſeu de
nymphæa cum pauco aceto, ac cera illinitio confert. Vel hunc in modum vn-
guentum componas iecori adhibendum. Santalorum omnium excipe drac. 2.
ſucci plantaginis & cichorij, cuiuſlibet vnc. 1. olei roſacei, & myrtini ana vnc. 1.
s. ceræ, & aceti parum, fiat vnguẽtum. Renibus autem, & pectini infraſcriptum
adhibeatur, quod recipit ſucci lactucæ, & portulacæ, ac foliorum pampinorum
vitis, ſeu ſolani, ſeu vmbilici veneris, ſingulorum vnc. 1. farinę hordei vnc. s. gum
mi tragacanthi infuſi in aqua roſacea drach. 3. cremoris ſeminum citoniorum
drach. 4. olei roſacei, myrtini, & de nymphæa ana vnc. 1. hypociſtidis, balauſtio-
rum, corallorum rubeorum, & rhu obſoniorum ana ſcrup. 2. aceti, & ceræ parũ,
fiat vnguentum. Proceſſu etiam temporis adiici poterit papaueris ſuccus, ſeu
hyoſcyami, cremor etiam ſeminum papaueris, & oleum eiuſdem. Et ſi mauis ca
taplaſmatibus magis vti, folia recipe hyoſcyami, papaueris, ſolani, ac roſarũ ſin-
gularum manip. 1. portulacæ, vmbilici veneris, cuiuſlibet manip. s. cremoris ſe-
minum papaueris, & cotoneorum ana drach. 3. farinæ hordeaceæ p. 1. s. ſantalo-
rum, & corallorum rubeorum, ac balauſtiorum ſing. drac. 1. olei roſacei, myrtini,
& citoniorũ ana vnc. 1. quę contundenda ſunt, contundantur, miſceantur, & cum

ſucco ſolani,ſeu foliorũ vitis cataplaſma fiat pauco aceto addito, quibus etiam adiicere poteris,vbi hæc non ſuffecerint,ea quę magis torporem inducunt,pariter & quę validiùs adſtringunt.Nec minùs,ſi libeat,poteris ex eiſdem emplaſtra conficere. Infunditur etiam vtiliter eiſdem oleum, in quo vermes terreni ſint decocti,aut aliquod ex ſoporiferis medicamentis,ex ſententia Aëtij.

περὶ αἱμοῤῥαγίας νεφρῶν. *Id eſt, De ſanguinis renum profluuio.* *Caput* XCIII.

cap.14 CVM trifariam ſint alimenti inſtrumẽta,vt liquet quinto de vſu partium.Nam quædam ſunt prima,& principaliſsima, quæ ſcilicet concoquunt,vtileque alimentum aliis tranſmittunt,quędam & ſecunda,quæ purgant,quæ deducunt ,& quæ excrementum excipiunt,& tertia ſunt,quæ excernendis excrementis ſunt deſtinata,adhuc genere duplicia exiſtentia , vt ibidem patet. Inter ea quæ ſecũdo loco connumerauimus, renes quòd contineantur,palam eſt.ſunt etenim inſtrumenta ſanguinem purgantia,id quod aquoſum in eo eſt,ſecernẽtes, vt diximus. Verùm cùm id non per admodum tenuia, atque prorſus anguſta vaſa,velut vtraque veſica,attrahant,ſed per duo admodum magna, ac ampla, quorum alterum oritur ab arteria, quæ ſpinæ incubat , alterum à vena caua iure putandum eſt, id excrementum non purum, atque exactè ſyncerum trahere , ſed diuerſi cuiuſdam alterius generis admixtione adulteratum , atque permixtum. Nam multum quidem bilis flauæ, ac multum ſanguinis,præſertim quod in eo humidius eſt, ac tenuius attrahunt. Verùm bilioſi excrementi quicquid non admodum craſſum fuerit,cum vrinis permeat,ſanguis verò carni ipſum renum aſpergitur, inſtar fæcis cuiuſdam. Inde iam paulatim vaporis modo in totam ipſam inſpergitur, adhæreſcit, vnitur , atque demum alimentum fit renibus. Et propterea,ne cum vrinis per aliquod foraminum, quæ in dictis renibus habentur, quemadmodum tenue bilioſum,ita & ſanguis elaberetur, præſtitit eorũ corpus denſum eſſe: licet id quoque ad facilem huius humidi attractionem conferat, quemadmodum ab eodem Galeno præcitato libro 5.de Vſu partium. cap.6. & 7.ſcriptum eſt.Accidit autem interdum ſimul cum ipſis vrinis , propter eorundem renum imbecillitatem,aut aliam quampiam cauſam , vt idemmet tenuis ſanguis elabatur,& propterea tenuis quædam ſanguinis ſanies mingatur,ſimilis excrementis,quæ in hepaticorum affectuum initio excernuntur, niſi quòd magis videtur cruenta. Hanc affectionem græci αἱμοῤῥαγίαν νεφρῶν, latini ſanguinis renum profluuium nuncupant. Quanquam vbi per circuitum quendam (quemadmodum ora venarum in ano extantium αἱμοῤῥοΐδας dicũt) renes ſanguinis profluuio laborent,ſic etiam appellent,vt patet ex Paulo cap.quadrageſimoquinto, libro 3.& Aëtio,cap.2.& 3.lib. vndecimo, quinimo ſi propter rupturam,vel eroſionem venarum in renibus conſiſtentium eueniat tale ſanguinis profluuium,haud aliter nominandus erit talis affectus, ex eiuſdem Aëtij teſtimonio,ita vt quomodolibet qualiſcunque ſanguis à renibus cum vrinis excernatur,eorundem ſanguinis profluuium nominare licebit. Quòd verò renes afficiantur,cum tenuis ſanies ſanguinis mingitur , ac ad eos attineat hæc affectio, liquet apud Galenum 6.de locis affect.cap.4.& tertio de cauſis ſympt.cap.2. Horum nanque (vt diximus) munus exiſtit,hanc tenuẽ ſanguinis ſaniem ſecernere, eáque nutriri:quòd ſi ea non nutriantur,eoſdem læſos eſſe,palam exiſtit.Nec minùs, ſi per circuitus quoſdam ſanguis profluat , manifeſtum erit, eum è renibus excerni,eo quòd ipſi ægri excreti ſanguinis tranſitum iuxta renum locum ſæpe ſenſu percipiunt,& maximè cùm vrinæ admixtus ſanguis reperitur,Aëtio teſte præcitato cap.3.lib.11. Quòd ſi contingat propter vaſorum rupturam à renibus ſanguinem mingi,ex eo quòd repente profluat, renes affectos eſſe diiudicabis, Hippocr. auctore aphoriſ. 78. 4.lib. cùm dixit, Quicunque ſponte ſanguinem mingunt,

Quòd renes in hac affectione obledantur, ſigna.

Affectus præter naturam quis ſit affectio hæc.

mingunt,iis à renibus venula rupta ſignificatur. Ab eroſione vero profluens, ex dolore cum poſitu liquidò renes affectos eſſe argui poterit. Cunctæ autem iam dictæ differentiæ quatuor ſymptomata ſunt in genere excretorum immodicè toto genere præter naturam,vt liquet lib de differ.ſympto.cap.vlt. & 3.de cauſis ſymptomat. cap.2. quanquam ad diuerſas renum diſpoſitiones conſequantur.

Si tenuis ſanies ſanguinis mingatur, cauſæ.

Nanque ſi ſanguinolentum ſerum mingatur, eius cauſa erit diſpoſitio haud abſimilis ei,qualem in iecore diximus imbecillitatem eſſe. Inſuper cum ora, aut meatus,vtcunque nominare volueris,per quos ex concaua vena in renes vrina percolatur,ſupramodum dilatãtur,Galeno auctore,eodem ſexto de locis affect. cap.2.admodum tamen tenuis, & aquoſus erit ſanguis. Si propter renum imbecillitatem excernatur, ſimilis excrementis, quæ in hepaticorum affectuum initio excernuntur,niſi quod tenuis hæc ſanies ſanguinis magis cruenta videtur, vt ſexto de locis affectis,cap.2.ſcriptum eſt. Eritque cum noxa functionis, tum retentricis,tum etiam alteratricis ipſorum renum:quæ ex aliqua intemperie ortum habebit. Ad morbum itaque in intemperie cõſequetur tale ſanguinis profluuium.At ſi propter amplitudinem oſculorum vaſorum fiat,vrinam ad renes excolantium, erit iam dicti ſymptomatis cauſa morbus in via, eáque dilatata, ídque percipies,quoniam nedum tenuis ſanies ſanguinis meietur, ſed quiddam etiam ex ſanguine venæ laxatum emittunt,& alia itidem craſſa, adeo, vt poſtquam ea quæ micta ſunt,conſtiterint, ſubſidentia quædam in vaſe reperiantur, & ſuperne quædam concreta, marinum maximè pulmonem ſimilitudine referentia, concocto:ac diſtributo cibo in venas, & nihil,aut omnino parum dolent ægri,eiectóque lotio leuati melius habent, vt Aëtio viſum eſt. *Lib.11. cap.2.* neque vniuerſim ora vaſorum aperta ſanguinem effundunt, præſertim cùm apertio parua fuerit, ſed paulatim, atque tenui ore percolatum, eodem Galeno teſte præcitàto commento aphoriſ.78. 4.libri.

Dubium.

Sed mox non ab re quæret quiſpiam. Num inter ſanguinis profluuia contineatur hæc ſeroſi ſanguinis excretio Item cùm ex vaſis ſanguis profluat, vel propter eorum rupturam, ſeu eroſionem, vel propter reſerationem, vel διαπήδησιν, quonam iſtorum modorum hæc tenuis ſanguinis ſanies profluet?An quoniam diapedeſis bifariam oriri contingit? tunica ſiquidem ipſa vaſorum rarefacta, & ſanguine tenuato, vel ex gracilium vaſorum ore adaperto,vt liquet quinto methodi medendi, cap.ſecundo.

Reſolutio.

Dicimus nos,quod vbi fiat ex exiguorum vaſorũ adapertione, tale ſeroſi ſanguinis profluuium ſub anaſtomoſi continetur. Vbi verò propter debilitatem ipſorum renum prædictum ſanguinis ſerum meitur, impropriè ſanguinis, propriè verò ſeri profluuium dicitur.Nanque ſanguinolentum ſerum eſt,quod excernitur, ex Galeni ſententia,tertio de cauſis ſymptomatum,cap.ſecundo,quo loco,propter iam dictam cauſam, ſanguinis diapedeſin,tanquam quartum genus excretionis omnino excipit,quemadmodum etiam cap.de cruenta ſpuitione adnotauimus.

Cauſæ ſi per circuitum ſanguis mingatur,& ſigna.

Sanguis verò per circuitum excretus ab ipſis renibus,non minùs ſymptoma eſt in genere excretorum immodicè,ac ad eorundem vaſorum reſerationem conſequitur,nec circa initia aderit noxa alicuius facultatis dictorum renum,ſed ab excretrice facultate (quemadmodum per hæmorrhoidas fieri contingit) ſanguis excernitur. Quapropter circa initia citra vllum aliquem dolorem expellitur,leuantur ægri propter eius excretionem, & fortiores fiunt.Vbi verò diuturnior fuerit affectio, abſque læſione retentricis eorum facultatis fieri non poterit. Dignoſces autem affectionem hanc, quoniam excreti ſanguinis ipſi ægri tranſitum iuxta renum locum ſæpe percipiunt.Item quoniam vrinæ admixtus ſanguis reperitur., præceſſitque victus ratio multum ſanguinem generans, aut conſueti alicuius exercitij omiſſio, ſeu cuiuſdam membri mutilatio, aut quæpiam alia naturalis cruenta excretio præter naturam retenta eſt, ſimiliter ſi propter rupturam in renibus ſanguinis profluuium fiat,ſymptoma erit, vt reliqua ſolutionem continui conſequens.

Si propter rupturam.

Eritque is affatim purus, & multus excretus, ac repentè, vt ſuperius dictum eſt, ſeruabitque naturalem ſanguinis co-

lorem. Cuius cauſa, & ipſius ſanguinis copia erit, aut propterea quod graue onus leuarit quiſpiam, ſeu valde ſaltarit, aut ex alto eeciderit, vel aliud quidpiam tale violentum pertulerit, vt liquet ex Galeni commen. præcitati aphor. 78. 4. lib. & Aëtio præcitato loco. Idem quoque ſymptoma erit, ſi per eroſionem vaſorum renum ſanguis excernatur, inſequitúrque dictorum vaſorum continui ſolutionem, quoniam exulcerationem, ſeu eroſionem. Is tamen ſanguis ſenſim, & paulatim excernetur, dolor renes excruciabit, aderúntque alia eroſionis, ſiue exulcerationis indicia. Cauſam habebit acres ſuccos ex ſupernis defluentes, vt fuſius declarabimus ſequenti cap. de vlcere renum. Qui autem propter renum imbecillitatem, aut eorundem vaſorum reſerationem, tenue ſanguinis ſerum mingunt, non negligenter tractandi ſunt, ſed magna cum diligentia circa initia eos curare oportet, nam temporis progreſſu extenuantur, & emaciantur omnes, & magis adhuc ij, qui plus ſanguinis mictu excernunt, Aëtio auctore. Neque etiam deſpiciendi ſunt, qui per circuitus ſanguinem è renibus excernunt. Nam licet in principio, propterea quòd citra vllum aliquem dolorem excernitur, nihil in totum mali formident ægri, vbi tamen diuturnior fuerit affectio, & aliquando cohibeatur, quod pro more excerni conſueuit, grauitatem inducit, aliorúmque peſsimorum morborum cauſa exiſtit, ſanguine nimirum ad alias particulas dilabente: qua ratione articulares affectiones in aliquibus accidunt, aut vertigines, aut deliria, & inſaniæ, aut oculorum cæcitates, vtplurimùm verò in malum corporis habitum, & hydropem delabendi aptitudo inde oboritur, eodem Aëtio teſte. Si verò ob venam ruptam ſanguis profluat, quàm celerrimè etiam præſidia adhibere oportet: nam verendum eſt, ne ob nimiam ſanguinis copiam exeretam, corpus totum inaniatur, ac infrigidetur, & propterea in lipothymiam, ſyncopen, & demum in mortem incidant, aut propter concretum ſanguinem, & in grumun verſum, ſi in veſica detineatur, timor eſt, ne omnino vrina ſupprimatur, conſequatúrque etiam animi defectio, & collor pallidus, ac reliqua praua ſympromata, quæ ad grumos vocatos ſequi ſolent, vt apud Galenum 6. de locis affectis cap. tertio. At is qui per eroſionem ſanguis meitur, quàm celerrimè circa initia curari debet. Nam temporis proceſſu difficilioris curationis exiſtet, quemadmodum cap. de renum exulceratione dicemus. Quantùm verò ad curationem ſpectat, ſimilis victus ratio inſtituenda erit, quam cap. de cruenta ſputione præcepimus. Quod verò ad medicamentorum rationem attinet, ea primò conſcribemus, quæ cruentæ excretioni per vrinam conferunt ortæ propter renum debilitatem, aut amplitudinem oſculorum vrinas ad renes excolantium, licet ex Pauli auctoritate, eis quoque medicamentis vti poſſumus, quæ ad ſanguinis ſputum inſcribuntur. Qua ratione à principio his conuenit quies, cibi adſtringentes, & vinum nigrum in potu, potiſsimùm vbi vires imbecilles fuerint. Ab iis verò quæ vrinam ciunt, & à coitu omnino abſtinendum, vt inquit Aëtius. maximè verò confert ſanguinariæ ſuccus, & radicis ſymphyti decoctum: adhæc tragacanthus in vino nigro macerata, eodem auctore. Itém cornu ceruini vſti drach. j. ex vino, aut lapidis hæmatitæ drach. I. Necnon folia ſalicis trita cum vino, ramentorum loti arboris cremor, & radicis ſpinæ albæ decoctum, vt idem Aëtio viſum eſt. Paulus verò præter ſymphyti radicem, & tragacanthum vino maceratam, polygoni, & plantaginis ſuccum cum poſca commendauit. Ex quibus item ſuccis cum ſaccharo ſyrup. parari poterunt, pauco aceto addito, ac exhiberi, vel in eorum vicem ſyrup. myrtinus, & de infuſione roſarum ſiccarum præbeantur, eiſdem inſuper addere poteris drach. I. radicis ſymphyti, cornu cerui vſti, aut lapidis hæmatitæ, ſeu boli armeniæ præparatæ pauco aceto addito, aut prædicti pulueres cùm oxyſaccharo adhibeantur, & vbi non ſuffecerint cum prædictis ſyrup. drach. I. ex paſtillis de ſpodio, ſeu terræ lemniæ vel de ſuccino addere poteris. Nec minus confert, ſi cum poſca exhibeantur. Extrinſecus autem renibus, & lumbis imponi poterunt ea, quæ ad ſanguinis per ſputum reiectiones

ſunt

Aëtius lib. 11. cap. 3.

Si per eroſionem.

Prognoſtica.

Lib. 11. cap. 2.

Loco citato. cap. 3.

Curatio ſi tenuis ſeni: ſanguinis mingatur.

Potiones. Loco citato cap. 2.

Aëtius loco citato.

Topica.

ſunt deſcripta,& quæcunque vnà cum eo quod adſtringunt & reſiccant, etiam robur addere poſſunt, vt inquit Aëtius. Cuius farinæ ſunt rubi folia, myrti, ac quercus,item myrti baccæ,malicorium,& balauſtium,& perdicij folia,& ſimilia (vt eidem Aëtio viſum eſt) cum poſca,aut vino adſtringenti impoſita. Ex quibus,ac aliis ſimilibus ſimul permixtis omnibus, vel quibuſdam poterunt etiam topica medicamenta hunc in modum parari, Recipe foliorum rubi, myrti, & quercus,ſing. manip. s. malicorij,& balauſtiorum ana drac. 3. farinæ hordei P. j. olei roſacei vnc. 2. cum poſca fiat cataplaſma. Aut recipe palmularum in vino adſtringenti,aut poſca decoctarum vnc. 3. foliorum plantaginis manip. j. gummi tragacanthæ,& ſucci ſemperuiui ana vnc. j. aluminis,acaciæ, hypociſtidis, ſingu. drac. 2. olei myrtini,& roſacei ana vnc. j. s. farinæ hordei P. s. fiat cataplaſma. Si verò per circuitus quoſdam,aut propter venæ rupturam in renibus factam ſanguis excernatur, conandum eſt ſtatim in principio, vt ſanguinis impetus cohibeatur. Itaq; venæ ſectio in cubito commoda eſt eis, quibus ob venam ruptam ſanguis promanat,ſtatim in principio. Iis verò qui per circuitum ſanguinem excernunt,paulò ante circuitum adhibita, Aëtio teſte: niſi etiam ſanguinis impetus vergat,ac cogat,vt cohibeatur. Nanque tunc etiam ipſo circuitu vena ſecãda erit. Cæterùm ſanguinis detractionem partiri melius erit, vt paulatim eius reuulſio,& diuerſio fiat,eodem Aëtio auctore. Potiones item conueniunt hæmoptoicis aptæ,& quædam ex prædictis. Loci autem circa renes ſpongiis poſca imbutis irrigentur,aut linteis cum roſaceo,& aceto,ex eiuſdem Aëtij auctoritate,poſthæc vnguentis,emplaſtris, ac medicamentis reliquis, tum supernis, tum cap. de cruenta ſputione deſcriptis vtendum erit. Et vbi ſanguinis excretio ceſſauerit,diæta vtendum eſt, vnde non multus ſanguis gignatur, maximè in his,qui per circuitum excreuerunt, ſuntque ſupernæ corporis partes aſsiduè exercendæ. In his verò qui ob venam ruptam ſanguinem mingunt, ſi exulceratio in locis relinquatur,aut eadem exulceratio ob acres defluentes humores fuerit orta,& ſic ab eroſione venarũ fuerit ortum ſanguinis profluuium, ipſam eroſionem,ſeu exulcerationem, poſt ſanguinis ſuppreſsionem curabimus, per ea quæ capite de exulceratione dicentur. Reliquum eſt, vt priuſquam huic capiti finem imponam, emplaſtrum optimum, ex Aëtio conſcribam, quod recipit ceræ vnc. j. s. vitellorum ouorum numero 11. palmarum numero 10. croci drac. j. (quanquam Aëtius plus croci appoſuerit) aceti, & roſacei quantùm ſatis eſt, miſceantur, & fiat emplaſtrum.

Locis citatis.

Si per circuitum, aut propter venæ rupturã ſanguis mingatur, curatio.

Venæ ſectio, libro citato. cap. 3.

Loco citato.

Reliqua medicamenta quæ competant.

Eodem loco.

Eodem loco.

Περὶ λιθιάσεως νεφρῶν. *Id eſt, De lapide renum. Cap. XCIIII.*

NON rarò autem accidit, vt renes ipſi, ſiue ſecundùm eorũ cauitatem,ſiue ſubſtantiã,affectu quodam laborent, quem propriè Græci νεφρῖτιν, ſiue λιθίασιν appellant,quanquã νεφρῖτιν quoq; nominare conſueuerunt,affectum omnem renum, ſiue ſimilaris ſit,ſiue inſtrumentalis,ſiue communis, propriè tamen ipſam intelligendo,nihil aliud νεφρῖτις ſignificat quàm λιθίασιν, vt patet libro de renum affectuum dignotione,ac curatione, Galeno aſcripto, Latinè autem calculi, ſiue lapidis morbum appellamus, quo morbo ex naturâ loci, præter ipſos, non niſi veſica laborare ſolet, & vt quibuſdam viſum eſt,etiam colon (Galeno auctore 1. de locis affectis,cap. 5.) Affectus verò hic nil aliud eſt,quàm corpuſculum quoddam durum toto genere præter naturam inſtar lapidis, ſeu tophi, in ſubſtantia,ſeu ſinibus ipſorum renum genitum. Percipies autem in eo renes affectos eſſe ex dolore cum poſitu,qui iugiter in renum loco fixus,ac ſtabilis infeſtabit in dextra parte,ſi dexter,in ſiniſtra verò,ſi ſiniſter fuerit affectus: ſimiliter è regione affecti renis ſtupor femoris aderit,nam ſi dextrum femur ſtupor occupauerit,dexter ren, ſi læuum, ſiniſter ægrotabit. Nec minùs affectum renem coniicere poterimus ex retracto teſte,nam ſi dexter teſticulus retrahatur,

In principio.

Quid ſit affectus hic.

Quòd renes afficiantur, ſigna.

dextrum renem, ſi ſiniſter, ſiniſtrum pati argumento eſt, idémque teſtis indolebit, Paulo auctore. Id verò non niſi propter conſenſum vaſorum dorſo incumbentium cauæ ſcilicet venæ, ac magnæ arteriæ, quibus mediis cum crura, tum teſtes renibus conſentiunt, vt in diſſectionibus videre licet, ac liquet ex Galeni 6. de morb. vulg. & libro de renum affectorum dignotione, ac curatione eidem aſcripto. Reliqua verò indicia (quoniam & affectum ipſum indicabunt) idcirco & in eiuſdem cognitione eadem narrabimus. Eſt nanque affectus hic morbus in numero, propriè in exceſſu, toto genere præter naturam, Galeno auctore libro de differ. morb. qui ex qualitate doloris primò percipi poteſt. Nam grauem in renibus laborantes dolorem, aculeíque infixi inſtar ſentiunt, vt liquet ex eodem Paulo. Hipp. verò quod in renem dolor adſit grauis potiſsimùm cùm cibo impleti ſunt, 6. de morbis vulg. ſcriptum reliquit, per quem dolorem duo intelligi poſſe Galenus aſſerit, aut grauem, tanquam alicuius grauis loco incumbentis ſenſum inferentem, aut acerbum, etenim vtrunque verum eſt in renibus fieri, diuerſis tamen temporibus. In calculorum nanque creatione, atque exitu grauiſsimè dolent, reliquo autem tempore, vt rei cuiuſpiam grauis loco incumbentis dolorem percipiunt cùm perexiguis neruis prædit i ſint, quanquam à doloris qualitate renum calculus cùm impactus fuerit à coli dolore planè diſcerni non poſsit, niſi quis accidentia, quæ poſtea conſequuntur, expectauerit, vt liquet 2. & 6. de locis affectis. Excitatur autem dolor hic in renibus, vt Hippo. viſum eſt, eo potiſsimùm tempore, quo ægri cibo replentur, quodcunque per cibum ſignificetur, cùm duo in eius doctrina ſignificare poſsit, aſſumpta videlicet cibaria, ex quibus ſanguinis multitudo creatur: & alimenti recrementa, quæ in inteſtinis colliguntur, Galeno auctore, eodem 6. de morb. vulg. Inter initia quoque pituitoſi vomitus fiunt per peritonæum ipſis copulato ventriculo, in quo huiuſmodi ſuccus creatur, potiſsimùm ſi craſsi, naturáque pituitoſiores extiterint laborantes. Verùm vbi increuerit, perſeuerauerítque affectus, ita patientibus vomitus æruginoſus ſuperuenit ob dolores, ac vigilias corrupto ſanguine (vt Gale. inquit) idque maximè cùm vnà febricitauerint, & inedia macerati fuerint. A quibus vomitibus leuiores ægri euadunt cùm ſibi euacuati ſunt, & ab acceſsionibus quidem liberantur, ſed non ab affectu, eodem Gale. teſte, arenulæque rubeæ ſubſident, & cruentum meiunt. hæc ex Hipp. Cruentum autem meiunt, nedum propterea quod cùm anguloſus ſit egrediens calculus, proximas particulas vulnerat, & cruorem euocat, verùm etiam quoniam ſi patentior fiat meatus ex vena caua in renem pertinens, vt præcedenti cap. docuimus, ſanguis autem liquidus ſit, neque multus, neque viſcidus, cruentum quoque ita lotium reddetur, vt eodem 6. de morbis vulgaribus, Galenus ſcriptum reliquit, quanquam nephritici ab initio dilutas, puráſq; reddunt vrinas, deinde ſequentibus diebus craſſum aliquid in ipſis ſubſidere videtur, demum omnino arenoſæ minguntur, vt 6. de locis affectis à Galeno ſcriptum eſt, lapide verò cum vrina exeunte, & à dolore liberantur, & ſimul locus affectus manifeſtabitur, nullúſque relinquetur quæſtioni locus, vt idem Galenus inquit, nunquid videlicet coli, vel renum partes affectæ fuerint. Vt verò Aëtio viſum eſt, in prædicto affectu accedit ægris loci dolor, tumore nuſquam foris apparente, niſi inflammatio per lapillos producatur, ſpina ægrè flecti poteſt, & totum corpus admodum pigrum eſt, crura torpent, & maximè crus reni affecto propinquum: vrinæ circa obturationis principium paucæ, aquoſæ minguntur, poſtea verò perfecta earum ſuppreſsio contingit: aluus nihil excernit: verùm promptitudines multas ad egerendum facit: excernitur etiam aliquando ſanguis propter violentiam calculorum, præſertim aſperorum. Cæterum vbi lapis e renibus fuerit emotus, & ad veſicam delatus, vrinæ multæ prodeunt arenoſam ſubſidentiam habentes, & aluus ſimiliter largè egerit. Senſum autem æger percipit veluti calculo à renibus ad veſicam transeunte. Quibus verò indiciis renum dolor à coli dolore ſecernendus ſit, à

Paul. lib. 3. cap. 45.

6. de morb. vulg. cõme. 1. comment. 5.

Lib de renum affectorum dignot. paulò poſt principium.

cap. 8.

Quis affectus præter naturã ſit, & quibus ſignis cognoſcatur calculus.

6. de morbis vulgar. loco citato.

2. de loc. affe. cap. 5.

6. de loc. affe. cap. 1.

Loco citato.

Loco citato.

cap. 1.

Lib. 11, c. 4.

Gale.præcitato lib.6.de locis affe.cap.1.decretum eſt,& nos cap.de coli dolore fuſiùs conſcripſimus. Reliquum eſt vt eiuſdem calculi cauſas,materialem potiſſimùm,ac efficientem reperiamus. A materiali exordientes, hanc craſſum, terreúmque humorem eſſe à Paulo præcitato cap.45. 3.libri decretum eſt. Quòd verò calculi originem ducant ex materia craſſa,ac tenaci,modo craſsitudinem maiorem,modo tenacitatem,ac modo vtramque paribus portionibus habente,eodem 6.de morbis vulgaribus teſtatur Galenus,& libro de renum affectorum dignotione,ac curatione: quanquam etiam ex purulento humore, aut ex purulento, pituitoſioréq; compoſito (quemadmodum & in articulorum morbis euenire conſueuit) nonnunquam tophi in animalis corpore creari poſsint, ac ſimiliter in renibus lapides concreſcere, vt idem Galenus teſtatur. Vbi autem ex ſola pituita craſſa, & viſcida calculus fuerit ortus, vrinarum ſubſidentia ſimilis colori aliorum tophorum, qui in aquis ſponte calidis, multis in regionibus, lapidibus adnaſci,accreſceréque cernuntur, cinerei erit coloris. Verùm vbi parum ſanguinis cum pituita craſſa, & lenta mixtum ſit, vrinarum ſubſidentiæ color pro ſucci maiori copia euadet: nonnunquam veluti ex pallido, albóque mixtus,aut ex rubro, & albo,aut ex flauo,& albo: nonnunquam verò & ruffus erit, pariter quoque & arenulæ, quæ in vrinis ſubſident, ipſo ſiquidem ſanguinis colore ad colorum differentias faciente, qui neque hominibus exquiſitè ruber ſemper eſt,ſed interdum quidem ad atrius, interdum ad flauius,& ruffius vergit,eodem Galeno teſte: quo fit,vt & ipſi etiam lapides inter ſe colore reperiantur differentes, ſimiliter & arenulæ in vrinis ſubſidentes ob diuerſam materiam, ex quibus fiunt: nigri enim,& ſubalbidi, & pallidi reperiuntur,vt inquit Aëtius,quandoque etiam & ruffi reuera, id quod ſæpiùs accidit: & propterea Hippocrates arenulas ruffas in vrinis ſubſidere aſſeruit, tanquam eo ſæpiùs contingente: quanquam per ruffum colorem potuit omnes iam dictos intelligere præter cinereum,vt teſtatur Galenus. Non ab re itaque Aëtius materialem cauſam generationis calculorum aſsiduas eſſe cruditates inquit,vnde materiæ incoctæ, ac crudæ multitudo congregatur, & Alexan. ſimul cum Galeno, humores craſſos, ac lentos eſſe fatetur, cap.4.libri 9. quandoque ſolos exiſtentes,interim exiguo ſanguini permixtos. Effectrix verò eorum cauſa eſt ignea renum caliditas, vt inquiunt Alexander & Paulus, ſeu ardor circa renes, vt fatetur Aëtius. A frigore autem ipſi generari non valent, nanque fieri non poteſt vt viuo corpori tantùm frigus accidat, quo concreſcere valeat in homine lapis, quemadmodum fieri in externis videmus, vt liquet eodem libro de renum affectorum dignotione,ac curatione: quanquam non ſemper ex eodem calore,ſed quandoque vehementi, interim autem non ita vehementi procreentur, prout eorum materia magis apta eſt vt induretur, ob quam etiam caliditatis diuerſitatem lapides quoque colore differunt. Locus autem generationis eorum renes ſunt,ac (vt quibuſdam viſum eſt) in eorũ duntaxat cauitatibus concreſcunt. Verùm nos cum Hippocrate & Gale. tum libro 2. de natura humana,tum 6.de morb.vulg.ac libro de renum affectorum dignotione, ac curatione,abſque controuerſia tenemus eos, nedum in renum ſinibus poſſe concreſcere, verùm etiam & in eorum carnibus procreari. Et quòd quocunque loco generationem habeant,in renem adſit grauis dolor, ſiue per grauem acerbus ſignificetur,ſiue tanquam alicuius grauis loco incumbentis ſenſum inferentem intelligamus, diuerſis tamen temporibus. Nam ſi in renum cauis fuerint orti, in ſolo per vrinarios meatus tranſitu grauiſsimè dolent laborantes. Si verò in ipſa renum carne fuerint creati,non ſolùm inter exeundum, verùm etiam creationis tempore dolorem inferunt. Pariter & quando in renum ſinus peruadũt. Modus autem generationis talis exiſtit. Nam cùm renes quicquid ſeroſi,tenuíſq; cum ſanguine in vaſis permixtum eſt,ad ſeipſos attrahant (vt ſuperiùs demonſtrauimus) meatibus id in renum vẽtriculos percolantibus latiùs patefactis, aliquid etiam ex craſsioribus ſuccis ſimul illabitur,

Quando

Materialis cauſa calculi.

Loco citato. Lib. de ren. affe. dign. in principio.

Loco citato.

Effectrix cauſa calculi.

Loco citato.

Qua parte renum calculi generentur. 2. de nat. hum. tex. 18. 6. de morbis vulg. & libr. de ren. affect. dignot. locis citatis.

Modus generationis calculi in renibus.

Quando igitur iſtud calefactum in renis cauo, ad tophi conſiſtẽtiam redactum fuerit ſi renum vis expulſoria omne id vnà cum lotio obſtruxerit, arenoſæ in ipſo ſubſidentiæ fiunt. Quòd ſi renis cauo impactum tenaciùs inhæreſcat aliquid aliud eiuſdem materiæ ex vena caua ſuſcipiens, ſibique apponens, plus augetur: ſemper enim quod recens influit, priori circuncidatur, atque ita inſigni magnitudine tophus grandeſcit, exuſto, areſactóque craſſo, & viſcido humore, atque ad tophi corpulentiam redacto. Cùm verò in renum carnibus generantur, proportione tophis in articulorum morbo genitis correſpondent, vt liquet ex Galeni Hippocratis auctoritate 2. de natura humana, & 6. de morbis vulgaribus. Nam ſi idem ſanguis, qui in renes deriuatur craſsior, ac pituitoſior ſeipſo exiſtens, ſeu etiam ad atram bilem vergens per venas, & arterias in renum ſubſtantiam feratur quantitate, vel qualitate, aut conſiſtentia excedens, adſtringitur, detentúſque concipit qualiditatem præter naturam, quæ ampliùs cum denſat, agglutinat, & aſſat, aſſatúmque ipſum in terram, & lapidem commutat, quemadmodum ſi in cauitatem eorum delatus eſſet (vtroque etenim modò lapides fieri poſſe in renibus clarú eſt) cùm ſuccus tenax, & craſſus tempore aliquo aſſatur in iis, atque exſiccatur, vt eodem lib. de renum affectorum dignotione, ac curatione ſcriptum eſt. Talis itaque eſt calculi in renibus generatio ex humoribus craſsis, & viſcoſis, tanquam ex materia, & ignea eorum caliditate tanquam efficiente, veluti etiam in externis videmus. Nam ex igne, & tali materia idonea figuli omnia vaſa conficiunt, ita vt ne ab aqua quidem vnquam diſſolui poſsint, vt inquit Alexan. Affectus hic inter initia magna cùm diligentia curari debet, nanque vbi perſeuerauerit, ac magnoperè increuerit ob dolores, ac vigilias ſanguis corrumpitur, & æruginoſus vomitus ſuperuenit (Galeno auctore) Vel magnum imminet periculum, ne vires à vigiliis, & conſtanti dolore deiciantur, vt inquit Alex. Quod verò in adultis, ac in declinante potiùs ætate magis, quàm pueris renum hic affectus contingat, idem Gale. teſtatur 6. de morbis vulga. quemadmodum veſicæ calculis pueri frequentiùs quàm ætate prouecti, vt fatetur Aëtius: idque non niſi ob diuerſitatem caloris, qui in adultis craſſos ſuccos cogit, atque inſpiſſat, in pueris verò fundit, atque diſſoluit, quemadmodum fuſiùs cap. de lapide veſicæ declarabimus. In renibus verò conſiſtunt lapides aut parui, aut maiores, & aliquando quidem pauciores, aliquando plures magnitudine, & forma, colore, & aſperitate, & multitudine inter ſe differentes. Ex eorum autem numero rotundi, & leues facilè excernuntur non item qui alia quacunque forma prædit ſunt, maximè tamen oblongi, & aſperi difficulter excernuntur, Aëtio teſte. Pro curatione aër eligatur purus, ac temperatus, ſomnus quoad fieri poteſt conciliandus parùm conſueto longior, quies vitanda: eſt enim deſidia valde noxia, deambulationes autem, & exercitia mediocria conueniunt, quæ pro ætatis, habitus, roborísque ægrotantis ratione corpus exercere valeant. Nam magnæ exercitationes non conueniunt, veluti equitationes, aut armis, aut lucta, aut pancratio certare, aut humum fodere, aut id genus aliud facere, Galeno teſte eodem ſexto de morbis vulgaribus. Sit aluus ſoluta aſsiduè, modo ne inſtet aliud quidpiam, cùm nanque hæc probè excernit, vrinæ profluent liberè. Ab immodicis animi affectibus caueant, præterquam quòd iraſcantur interdum. Moderatus autem cibus, & bonæ concoctiones præcipiantur; ſacietates enim, & cruditates non ſolùm exaſperant morbum, ſed etiam (cùm non adſit) generant, vt liquet ex eodem Aëtio: etenim non impleri cuiuſque ætatis, & corporis habitus commune documentum eſt, Galeno teſte. Cibi itaque eligantur, è quibus neque ſatietates, neque cruditates contingant. Cauendum propterea ab his, qui duram ſubſtantiam habent, ac ægrè concoquuntur, à caſeo præſertim: nam qui frequentiùs eo veſcuntur, lapides in renibus eis ſuboriuntur, Galeno auctore 6. de morbis vulga. Similiter etiam abſtinẽdum eſt & ab omnibus acribus, dulcibus, craſsis, tenacibus, ac pinguibus. Quapropter ptiſanam, vel eius cremorem adhibere conue

Locis citatis. *Paulo poſt principium.* *Prognoſtica.* *Loco citato.* *Comment. 3.* *Comment. 15.* *Aët. loco citato.* *Curatio.* *Victus ratio.* *comment. 1.* *comm. citato.* *Aët. lib. 11. cap. 6.* *Loco citato.* *Commen. 3.* *commen. 15.*

conuenit, vel gallinarum, ſeu pullorum, ſtarnarum, vel phaſianorum ius, aut in
eorum iure panis maceratus tribuatur, & vbi vires requirent, contuſa caro
gallinarum, ſeu pullorum præbeatur. Vinum autem ſit admodum tenue, & al-
bum non valde vetus: dulcia verò, & nigra vina vitanda ſunt, tanquam calcu-
loſis inepta: ſit autem aqua lympharum puriſsima, & purgata, atque decocta.
Et vbi renum hic affectus ſubitò inuadat, & qui laborat, cibo nuper refectus
ſit, cibíque adhuc ſint incocti, aut ſemicocti, aut omnem aliam curationem
pro doloris mitigatione, (niſi quicquam impedimento ſit) vomitum prouoca-
re expedit, vt eodem libro de digno. & curat. renum affectorum ſcriptum eſt.
Nam leuiores quidem à vomitibus euadunt ægrotantes, Hippocr. & Gale. te- *Vomitus.*
ſtibus præcitato libro 6. de morbis vulgaribus, quoniam ab acceſsionibus, ſed *Longe poſt*
non ab affectu liberantur, cùm cibis vacui ſunt, vt Galenus aſſerit: qua item *principium.*
ratione, ex eiuſdem Galeni ſententia, & alimenti recrementa, quæ in inteſti- *Comment. 2.*
nis colliguntur, ſub cibi nomine comprehenduntur, confeſtim euacuari de- *Comment. 5.*
bent per idoneos clyſteres, modò nihil obſtet: ídque omnibus calculoſis com- *Clyſteres.*
mune eſt, etiam ſi dolores paulatim irruant, & non repente incidant: qui ex
furfurum decocto caricarum, fœnugræci, ac ariſtolochiæ parari debent, vt in-
quit Aëtius: & ſi quidem decenter euacuêntur, ſinere, ſi verò non, etiam bis, aut *Lib. 11. cap. 5.*
ter infundere, quibus adiicere poteris olei communis vnc. 4. mellis roſacei vnc.
2. ac ſalis communis parum. Vel ex maluarum, althææ, mercurialis, ac betæ fo-
lis, caricis, ac furfure decoctum paretur pauco ſale addito. Cui adiicias olei cõ-
munis, anethini, vel chamæmelini vnc. 4. mellis roſacei vnc. 2. s. pulpæ caſsiæ no
uiter extractæ vnc. j. Et ſi ex his aluus non ſufficienter excreuerit, vnc. s. diacath.
aut hieræ picræ ſimplicis, vel drac. 3. confectionis de dactylis, ſeu electuarij inda
adiicias, nec minùs & vnc. 1. butyri recẽtis, aut adipis anſerini. Cæterùm vbi vẽ-
ter ſufficienter excreuerit, quædam infundere oportet, ex eiuſdem Aëtij præ- *Loco citato.*
cepto, quæ corpuſculorum circa lapidem ſitorum inflammationes lenire, &
laxare poſſunt: id ipſum verò oleum anethinum facere poterit adipe gallina-
ceo recenti in eo eliquato, ſeu anſerino, aut etiam butyro; quæ ſi non adſint,
etiam fœnugræcum, & althææ radicem oleo decoctam infundemus. Et vbi la-
pis in renibus adeò fuerit obturatus, vt vehementiſsimos obtulerit dolores, ſi
quid aliud non prohibeat, vena cubiti propinquæ manus in corpore ex reple-
tione affecto ſecanda eſt, ex Aëtij teſtimonio. Nanque eis qui ſanguinis multi- *Lib. 11. cap. 5.*
tudinem congregarunt, hæc venæ ſectio commoda exiſtit, vt ipſe inquit. Hip- *Venæ ſectio.*
pocrat. verò libro 6. de morbis vulgaribus, cùm opus fuerit, iuuenibus præfer- *Comment. 2.*
tim popliti venam incidere iubet, vbi ſanguis multus, aut craſſus in venis abun- *text. 5.*
det, vt Galenus inquit. Nam (vt ipſe aſſerit) membra ſupra iecur cubiti venæ *Diuerſæ ſen-*
ſectionem poſtulant, infra verò crurum in poplitibus videlicet, aut omnino *tentiæ de ve-*
ſaltem iuxta malleolos. Libro autem de renum affectorum digno. ac curat. hæ *næ ſectione*
oppoſitæ ſententiæ conciliantur. Scriptum namque ibidem eſt, quòd vbi valida *conciliantur.*
fuerit virtus, venam quæ in poplite eſt aperimus, vel quæ ad malleolos; ſin im-
becillis, venam, quæ eſt in cubito. Nam ſi virtute debili infra euacuabimus, re-
tentrix facultas, quæ eſt imbecillis non retinebit, ſed vniuerſa in præceps rapie-
tur, & partem aſsiduo defluxu impetet, ſuccis videlicet in locum imbecillem
perpetuò procumbentibus. Sed cùm perpetuò venæ ſectio in Hippocr. & Gale. *Propria opi-*
doctrina virium robur exigat, non video eiſdem imbecillis exiſtentibus cur *nio.*
vena ſecanda ſit etiam ea, quę in cubito exiſtit. Propterea cum eodem Gale. lib. *cap. 18.*
de curand. rat. per venę ſectionem, ſic de ea ſentirem, ac iam dictos auctores
conciliarem, ait nanque ambiguum eſſe num renes partibus ſuperioribus,
an inferioribus aſcribi debeant, & propterea eis affectus neque perpetuò in
cubito ſecta vena, neque etiam in poplite, aut malleolis iuuantur, ſed vbi re-
cens fuerit phlegmone, copiáque ſanguinis affuerit, vena cubiti ſecanda eſt:
quibus verò affectio ineſt, quam propriè nephritim nominant, eam quę in po-
plite eſt, ſecare expedit, aut certè quæ in malleolis ſunt. Reuulſionis itaque

grat

gratia, vbi copia ſanguinis affuerit, & timor ne ex ingenti dolore phlegmone excitetur, Aëtius venam cubiti propinquæ manus ſecari iuſsit, vt ex eius verbis patere poterit. Hippocra. verò euacuationis gratia cum reuulſione, ſeu deriuatione, vbi ſanguis multus, aut craſſus in venis abundet, cùm eundem ſurſum reuellere promptum non ſit, ſed magis expeditum per inferiores partes euacuare, ſeu per conuenientiorem regionẽ, qua maximè natura vergit (vt ſibi moris eſt) poplitis venam ſecare præcepit è directo, videlicet affecti renis, cum rectitudinem perpetuò ſeruandam eſſe iuſſerit. Verùm quæcunque vena incidatur, multò minùs euacuandum eſt, quàm ipſa repletionis copia expoſtulat, neque enim (vt inquit Aëtius) futurum ſperamus vt omnino citò è renibus excidat lapis, præſertim ſi magnus exiſtat. Quare ſeruare oportet ſanguinem in eam, quæ cùm tempore futura eſt in corpore expenſam.

Medicamentum purgans.

A venæ ſectione, vbi etiam vitioſo humore ægri abundabunt, purgans medicamentum, quod abundanti humori conueniens ſit, præbendum eſt, neque omittendum hoc eſt; niſi aliud quippiam id fieri prohibeat, notiſsimum nanque eſt (vt inquit Galenus eodẽ 6. de morbis vulg.) quòd ſi vtroque auxilio homo indigeat, à venæ ſectione incipiendum eſt, quoniam ſi per ſanguinis miſsionem corpus priùs vacuatum fuerit, purgans medicamentum exhibitum venas, & arterias, & inanes corporis regiones inuenit non oppletas, quo fit vt abſque vllo impedimento in totum corpus permeet ad attrahendum ſuccos, facillimèq; fiat eorum euacuatio per vaſorum ſpatia & fuſionem, tenuitatẽmque ſuccorum. Nam ſi vaſa ſanguine repleta ſint, & purgans medicamentum dederis, non poterit propter plenitudinem in corpus differri, vnde fit, vt ſubſtet, & nihil efficiat, aut ſi quicquã facit, malè faciat, vt liquet libro de renum affectorum dignotione, ac curatione.

Loco citato.

Loco citato.

Pariter vbi ſanguinis multitudo non affuerit, ſed vitioſi duntaxat humores redundarint, eiſdem purgatio apta eſt, citra venæ ſectionem pro ratione redundãtis ſucci. In quem vſum bile redundante, mel roridum, ſeu caſsia fiſtula præbeatur; aliis verò craſsioribus redundantibus ſuccis, vtpote bile atra, vel pituita, prædictis diacatho. aut confectionem de dactylis, & puluerem hieræ ſimplicis adiicere poteris hunc in modum. Pulpæ caſsiæ recipe vnc. 1. s. vel vnc. 2. diacatho. drac. 7. vel confectionis de dactylis drac. 4. pulueris hieræ ſimplicis, & pulueris radicis glycyrrhizæ ana drac. 1. fiat bolus: vel parato decocto ex eadẽ radice glycyrrhizæ, floribus cordialibus, vua paſſa, & ſebeſten, in eo vnc. 2. vel vnc. 2. s. roridi mellis, & drac. 6. diacath. vel drac. 3. confectionis de dactylis diſſoluas.

A purgatione, quæ medicamenta adhibenda ſint.

Toto autẽ corpore expurgatò quæ laxare meatus, ac renum corpora mollire valent, medicamenta adhibenda ſunt, fomentis vtens ex decocto foliorum maluarum, foliorum, ac radicum althææ, florum chamæmeli, fœnigræci, ſeminis lini, & radicis graminis in hydrelæo, & cum ſpongiis ſæpius ſupra affectum renem adhibeas. Ex eiſdem quoque inſeſsiones parari poterunt. At omnium (vt inquit Alexander) optimum eſt balneum, vt quod nõ ſolùm mitiget, ſed etiam curare poſsit: id verò ex dulci aqua fiat, aut ex hydrelæo dolore adhuc vehemẽtiùs infeſtante, & renum regio, ac lumborum inungatur infraſcripto vnguẽto, quod recipit olei chamæmelini, vel anethini, & amygdalarũ dulcium ana vnc. 1. s. adipis anſeris, vel gallinacei, & butyri recentis ana drac. 3. ceræ quod ſatis ſit, fiat vnguentum, interim adiiciens oleum quod ex ſcorpionibus paratur, aut ex eodem cum recenti butyro, & oleo amygdalarum dulcium, ac cera, vnguentum fiat. Poſt fomenta verò, inceſsiones, ac balnea; adhuc cataplaſmata conueniunt. Inter quæ hoc primo vtare, farinæ tritici recipe, ſeminis lini, & fœnugræci, cuiuſlibet manipulum j. olei anethini, vel chamæmelini, & amygdalarũm dulcium ana vnc. 1. s. mellis vnc. 2. reſinę terebinthinę vnc. 1. radicis althææ contuſæ drac. 4. miſceantur arte, & fiat cataplaſma, priùs prædictis farinis in modo dicta decoctione decoctis, optimum quoque cataplaſma fiet ex lupinorum farina, hordeacea, ac ſeminis lini in aqua, & oleo decoctis. In decoctione autem althææ, ac peucedani radix, ac chamæmelum admiſceatur.

tur.Bo

tur. Bonum eſt etiam (vt inquit Aëtius) panem paſſo decoctum circa lumbos & ventrem imponere, neque tamen erit abſurdum pectini, ac veſicæ eadem vnguenta, ac cataplaſmata adhibere: & ne quamprimum frigeſcant, calefactorio extra ea contegere oportet, id quod commodè fieri poteſt per ſaccellos ex milio, furfure, ac floribus camæmeli paratos, ac in latere pauco vino inſperſo calfactos. Conducunt etiam non parum cucurbitulæ abſque inciſione adhibitæ, quæ ſæpe lapidem celeriter adeò transferunt, vt ſubitam eius mali leuationem comparare poſsint, lapide nimirum in locum ampliorem translato ſupra à renibus initium facientes ad inguina per obliquam earundem partium (quas ilia appellant) poſitionem procedentes: quo loco frequenter dolores incedunt propter ſitum meatuum, qui vreteres appellantur: quemadmodum libro de renum affectorum dignotione, ac curatione, & ab Aëtio ſcriptū eſt: quanquam ea, quæ vias dilatant, ac renes laxant, non immodicè adhibere conueniet, nanque emollitio, & laxatio virium robur exoluit, ſed tantiſper eis vtendum eſt, quantiſper eis lapis in rene hæret. Cucurbitulas item iam dictas, vbi dolores vehementiùs infeſtant, adhibere non conuenit, ſed ipſis aliquantulum lenitis, & inflammatione non impediente, ex eiuſdem Aëtij ſententia, quo etiam tempore ea quæ vrinam cient, ac lapidem frangunt, exhibere tempeſtiuum eſt. Etenim transmoto lapide, & ex ſede agitato dolores quieſcunt, vt ipſemet teſtatur Aëtius. Quæ verò calculoſis auxiliantur, vnica facultate indigent quæ ſecare, & abſtergere cum manifeſta caliditate poteſt, Galeno teſte 10. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. Talia autem ſunt omnia ferè amara, vt ipſe inquit. A valde tamen calidis, ac diureticis omnino abſtinendum eſt, præſertim à longo eorum vſu. Nam effectricem calculorum cauſam adaugent dum renes intemperatos, igneóſque per caliditatem reddunt, vt promptè alios aſſare calculos poſsint, licet factos comminuant, Alexandro teſte. Admodum itaque calida, ac acria medicamenta ſtudioſè vitari debent, vnde calculoſis quæ valdè calfaciant dari nullo modo conuenit, vt liquet 6. de ſanitate tuenda. Quòd ſi neceſsitas te cogat eiſdem vti, ſemel, aut bis eis vtare, & demum deſiſtere ab eis debes ex eiuſdem Alexandri teſtimonio. Qua de re extenuantibus, ac incidentibus citra magnum calorem vtendum eſt, ſed quę tepidam (vt ita dixerim) facultatem habeant. Hæc etenim paulatim citra noxam lapidem comminuunt, nec eum duriorem reddunt. Sed hæſitaret fortè aliquis, ſi curatio quælibet per ſuum contrarium efficitur, quomodo lapidem poſsint comminuere quæ tepidam facultatem habent, cùm à calore fuerit genitus? Cui reſpondebimus nos, quòd cùm calculus ab intemperie, & valido calore ſit factus, ob id meritò exhibemus quæ tepidam facultatem obtinent, vt quæ contraria his ſint à quibus lapis eſt effectus, ſi quidem tepida ceu minùs calida ſunt valdè calidis contraria, vt liquet eodem lib. de renum affectorum dignotione atque curatione. Hæc itaque medicamenta, quæ minimùm caloris poſsident, calloſas ſeu tophaceas conſiſtentias incidere ſunt idonea, Galeno auctore 5. de ſimpl. medic. facult. veluti ſunt radices regiorum aſparagorum, & rubi, & betonica, & polium, ac acetum ſcillinum, & vitrum combuſtum, & quæ eius generis ſunt, eodem teſte. Præter hæc autem à Paulo graminis radix, adiantum, althææ ſemen, ſpongiarum calculi, cicer nigrum, ſeu eius ius, phu, meon, aſaron, carpeſion, & ſaxiphragia commendantur. Sion verò, & ſcolyini radix, atque eryſimon eſu, & potu proſunt, vt idem Paulus teſtatur. Alexand. verò cardui decoctum cum apio, ſeu etiam decoctum radicis quinque folij cum oxymelite tanquam valde efficax commendat in vicem autem quinquefolij eryngij decoctum, aut eryſimi præbet. Similiter & radices graminis, & plantaginis radix, & folia, atque ſemen, ius cicerum, viticis ſemen, & amygdala ab eodem commendantur. Præter hæc etiam peucedani radix, atque ipſa radicula, paliuri ſemen, & tribuli decoctum, radix cyperi althææ ſemen, & radix, rumicis domeſtici radix, & vermes terreni cocti approbantur,

Lib. 11. cap. 5.

Locis citatis.

Quo tēpore vrinā cientia, ac ea quæ lapidem comminuunt exhibenda ſunt.

cap. 1

cap. 11.

Dubium.

Solutio.

In medio.

cap. 11

quorum ſingula partim decocta, partim tenuiſsimè trita præbeto bibenda, vt ipſe refert. Vbi verò hæc non ſuffecerint, ad valentiora medicamenta tranſire oportet, quæ (vt Aetius fatetur) cõmunia etiam ſunt & calculoſæ veſicæ remedia, inter quæ ſunt præcipua lapis iudaicus, cicadæ ſiccæ ſine pennis ac pedibus contuſæ, ac hircinus ſanguis inareſactus, qui præexiſtentes lapides ſoluit, atque ita per lotium excerni eos facit, vt etiam alij ampliùs non gignantur, præterea dolorem ſedat, Aëtio auctore. Quomodo autem is parari debeat, ab eodem auctore cap.12.lib.11.ſcriptum eſt. Accedunt adhæc alia, quæ à tota ſubſtantia magnopere conducere videntur, inter quæ paſſerculus quidam inter ſepes & murum victũ quæritans troglodites appellatus ab Aetio, & Paulo conſcribitur, cuius deſcriptio ab eodem Paulo cap. quadrageſimoquinto, lib.3. & Aetio cap. 11.libri 11.ſcripta eſt. Hic ſale conditus, & in cibo crudus acceptus, morbum perfectè ſanat, in poſterúmque generari prohibet. Conditur autem, ac diuerſis modis præparatur, quemadmodum ab eiſdem auctoribus in præcitatis locis ſcriptum eſt. Aetius item hoc etiam medicamentum, tanquam efficaciſsimũ ſcriptum reliquit. Leporis pellem in ollulam conijce, & in furnum demitte: atque vbi vſta fuerit, vt probe conteri poſsit, acceptam tere; & ex ipſa cochlearium vnum cum vino ieiunis in ſolij aquæ calidæ inſcenſu præbe: aſplenij quoque decoctum (quod vulgus ceterach nominat) cum oxymelite non parum confert: nam & ipſum lapides frangit, Galeno teſte ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Vltimo loco noſtrum, quo vtimur, puluerem conſcribere libuit, quo perpetuò vſus ſum, & præter id, quod nullam noxam affert, mirificè lapidem comminuit: recipit autem ſeminis althææ, & violarum albarum, ſingulorum grana quinque, lithoſpermatis, & radicis glycyrrhizæ ana ſcrupul.s. lapidis iudaici, & ſpongiæ, cuiuſlibet grana tria, pulueris oſsium dactylorum, ceraſorum, & meſpilorum ana ſcrupul. ſeminum melonum drach.4. fiat puluis, cuius drac.1. pro qualibet vice cum vnc.2. vini albi aquoſi aut oxymelitis, aut 3. decocti aſplenij in aqua parati, ac exiguo aceto addito tribuatur. Interim verò corporibus, præſertim natura frigidioribus, ſeminis apij, aſparagorum, cinnamomi, ac ſaxifragiæ, cuiuſlibet grana ſeptem adijcere poteris. Vbi verò doloris vehementia, ac vigiliæ infeſtauerint, & magnum vitæ immineat periculum, viribus præſertim conſentientibus cum his, quæ torporem inducunt, ſuccurrendum erit, ex Pauli, & Aetij ſententia, præbeatúrque Philonis medicamenti, aut theriacæ nouellæ drach.1. cum vnc.2. vini albi aquoſi. Vt verò poſt exactum lapidem, alij non renaſcantur, ſi obeſa fuerint corpora, audacter exquiſite extenuans victus præcipiendus erit. Vbi autem calidiora fuerint corpora, atque gracilia, neque extenuantem victum, nec medicamenta, quæ extenuare poſſunt, requirũt, cum ea gracili corpori ſint inimiciſsima, ſed mediam eſſe conuenit inter extenuantem, impinguentémque victus eorum rationem, Galeno auctore ſexto, de ſanitate tuenda, cap. vndecimo, & Aetio cap.15. libri vndecimi. Scopus nãque eſt, ne craſsior, aut frigidior materia, quæ ad calculorum generationẽm idonea eſt, congregetur, ſed contrà ſtudendum eſt, vt bonam temperiem concilíemus, & extenuantibus citra magnum calorem vtamur, vt inquit Alexander. Qua de re in temperatis locis degant, in quibus anni tempora, & horæ nimio feruore non infeſtent, frigora tamen magis, quàm æſtus cauenda: aſſumantur etiam ocioſæ deambulationes, & exercitia moderata: etenim ſegnities, & ocium eis nocent. Cæterùm ventrem ſemper probè laxum habere oportet: ſomno vtantur moderato, neque culcitris indormiant ex anſerum plumis confectis: hæ ſiquidem renes valdè calefaciunt, eodem Alexandro auctore. Caueant cibos ſubſtantiæ duræ, & qui ægrè manducatione atteruntur: item eos qui multam ſubſtantiam habent, plurimúmque nutriunt & qui aceruatim digeruntur, antequam perfectè coquantur, & qui grauis ſunt qualitatis, ſeu difficulter comminuantur, ac ſupernatant, & ægrè per aluum ſubeunt, & inflant, item eos, qui meatus obſtruunt, aut aliàs diutiùs corporibus inſident, ex Aetij ſententia. Sit au-

Loco citato.

Cap. de aſpleno.

Preſeruatio ne alij renaſcãtur calculi.

tem cibus boni ſucci,& moderatus (vt inquit Paulus) rarúſque leguminũ omnis generis,frumentaceorúmque vſus. A caſeo,& lacte,& quæ ex ipſis præparantur,caueant:nam omne lac,præter aſininum,eis incõmodum exiſtit: propterea quod cæteris omnibus eſt tenuius,aſininum,ideo confert ex eiuſdem Galeni & Aëtij ſententia:prę omnibus verò ſatietatem vitare oportet. Vino vtantur tenui vrinam ciente,non valde veteri. Nam dulcia vina calculoſis ſunt nociua,ſimiliter & nigra, & ſummatim omnia quæ craſsi ſunt ſucci, ac nimis calida, ſeu acria nocent. Omnibus verò confert calculoſis,vt à cœna ſæpe vomant:ſimiliter ante omnem cibum bibere aquam tepidam. Nihil etenim renes adeò recrementis vacuos, temperatóſque reddit,vt non ampliùs calculos procreare poſſint: nam temporis ſpatio, igneus ipſorum calor à tepore aquæ extinguitur. Quare probè faciunt qui bibunt etiam in medio cibi aquam, aut vinum refrigeratum, aut roſaceum,aut violatum, vt idem Alexander inquit. Paulus verò à balneo ieiuno ante vinum, aquam temperatam potandam exhibet, tanquam omnium præſentiſsimum remedium ad calculos arcendos. Similiter etiam vbi inter prandendum frigidam ſuperbiberit, approbat:oxymel quoque cum quodam ſimpliciore vrinam ciente,veluti adianto, apio,graminiſque decocto commendat. Alexander verò paluſtris aſparagi decoctum,eryngij, & quinque folij herbæ approbat, pariter (vt diximus) & plantaginis, tum radicem, tum verò folia, & ſemen, ac cicerum ius. Vbi autem ſanguis abundare videatur, curioſè inſpicienda eſt temporis opportunitas, vt venam ſecemus, ex Aetij, & Pauli teſtimonio, fiat autem ea è cubiti vena interna,nec multa ſanguinis copia vice vna educatur,ſed potiùs vbi oportet, eandem iterare expedit. Quòd ſi vitioſorum humorum copiam perſentiſcant, purgationibus conuenientibus vti oportet, ex ſententia eorundem auctorum, pro ratione redundantis ſucci, quemadmodum ſupra meminimus. Per interualla quoque ea bibant, quæ vrinam ciere poſſunt, tam ſimplicia, quàm compoſita,quorum etiam ſupra mentionem fecimus: inter quæ eſt acori,graminis, nardi, calami aromatici, aſari, dauci, oreoſelini, hyperici, & roriſmarini decoctum: ex his ſingula, eiſque ſimilia, tum per ſe, tum inuicem permixta præbeto: nam vrinam manifeſtè mouent, vt inquit Aetius. Et pro cibis vtantur paſtinaca valde cocta, fœniculo,ſio, carduo, pulegio,atque calamintha. Ab eodem quoque naturalium aquarum vſus (verùm non ſæpe) tanquam conuenientiſsimus commendatur. Similiter ſi per plures dies radicis eryngij decoctum, aut triſſaginis, dictamni, ſeu radicis tribuli bibant. Semel item in hebdomada mirificè confert, aut bis in menſe præbere drach. I. prædictæ pellis leporis,vt ſuprà præparatæ cum aſplenij decocto,ſeu cicerum iure,vel pauco vino albo, & tenui, aut tantundem nuper ſcripti noſtri pulueris ſimiliter præbeto.

Περὶ φλεγμονῆς τῶν νεφρῶν. Ideſt, De inflammatione renum.

Caput XCV.

HAVD ſecus,quàm cæteras corporis partes ex copia influentis ſanguinis & renes ipſos inflammatione tentari contingit, præſertim vbi in carnoſam eorum partem confluat. Dignoſces autem quòd renes afficiuntur,ex dolore cum poſitu,qui circa primam dorſi vertebram paululum ſupra ſpurias coſtas (præſertim ſi dexter ren fuerit affectus) aderit, diſtenditúrque dolor ſurſum vſque ad hepar,& deorſum vſque ad veſicam,& pudendum, lumbóſque, & coxendices, pectinem,ac femora. Conſequitur,& ſtupor propinqui cruris, dextri inquam, Aetio auctore cap. 16. libri 11. At ſi ſiniſter ren fuerit affectus, circa eaſdem regiones dolor aderit,parte ſiniſtra,ſiniſtríque cruris conſequetur ſtupor. Quòd ſi ambo afficiantur,circa ambas partes percipietur dolor, amborúmque crurum ſtupor conſequetur. Ex nonnullis etiam aliis indiciis idem inueſtigari poſſet, *Signa renum affectorum.*

niſi eſſet, quòd eadem qualitatem quoque affectus indicāt, inflammationem inquam. Et propterea pro eius notitia eadem dinumerabimus. Quis verò affectus præter naturam ſit inflammatio, non ſemel duntaxat in præcedentibus dictum eſt. Indicant verò eam, ex Pauli teſtimonio, ardor, ac dolor cum grauitate, febricula, mentis alienatio, vomitio, bilis ſynceræ, & vrinæ reddendæ difficultas: addit Aëtius quòd neque recta erigi poſſunt ægrotantes, neque pedibus ingredi, & ſiue ſternutatio, ſiue aliqua alia concuſsio irruat, vehementi dolore lancinantur, frigent eorum extrema, & magis ſuræ, ac pedes, adeſt vrinæ emittendæ difficultas, mingúntque aſsiduè, ac laborioſè, in principio quidem tenuia, & aquoſa, in quibus nihil ſubſidet. Inflammatione verò in peius proficiente, rubicundiora, deinde etiam craſſa, & mucoſa, adſúntque febres vehementes. Quòd ſi adhuc ampliùs inflammatio augeſcat, hæc omnia fiunt vehementiora, accéditque his nauſea, morſus ſtomachi, & vomitus bilis, & quidam vſque ad animi deliquium anguntur, & exſudant. Siſtitur ipſis venter adeò, vt inflentur, & aſſiduè ructus emittant. Sequitur faſtidium vehemens, & quibuſdam continuæ fiunt exacerbationes, quibuſdam verò per interualla. In vniuerſum autem (vt eidem Aetio viſum eſt) ventris egeſtio, & vrinæ multa excretio dolores ipſos præcedunt, teſtatúrque accedere ægris dolorem pulſatilem retro, iuxta primam dorſi vertebram. Id quod pugnare videtur Paulo, qui dixit dolorem cum grauitate adeſſe, pariter & Galeno 2. de locis affectis, cap. 8. vbi aſſeruit grauem dolorem, nedum proprium hepati eſſe, ſed ſpleni quoque, ac renibus inflammatis communem. Atqui dicere poſſumus Galen. ac Paulum de inflammatione quatenus inflammatio eſt, ortáque in carnoſa renum parte verba feciſſe, Aëtium verò de magna inflammatione, magiſque in cæteris renum partibus vrgente: quod etiam confirmauit Gal. commen. aphoriſ. 5. 6. lib. cùm dixit, Quòd ſi renum pars carnoſa patiatur inflammationem, dolor eſt grauis, aliis verò partibus, quæ ſunt in rene, patientibus, velut eſt tunica, quæ renes obtegit, venter eorum interior, arteriæ, & venæ, quæ ad hunc terminantur, ac etiam productiones vaſorum vrinariorum dolor ſentitur acutus, & eodem etiam 2. de locis affectis, cap. 3. cùm dixit, Pulſum cum dolore factum ſequi inflammatorios affectus notatu dignos, & cùm maiores fuerint, ídque ſemper in ipſis arteriis, atque in continentibus ipſas partibus, quas & ob anguſtiam premunt, & cùm attolluntur veluti percutiunt, modo pars affecta ſentire nata ſit: inſeruntur itaque ad renes arterię, eædémque magnæ, vt ex anatome liquet, neque renes ſenſus expertes ſunt, propter neruum ad eos diſtributum, præſertim ad eorum membranam, ac externam ſuperficiem. Qua de re fit, vt cùm ingens fuerit in eiſdem partibus orta inflammatio, affectis, aut preſsis iam dictis arteriis, & veluti inflāmatos renes percutientibus, pulſatilis quoque dolor ſentiatur qua etiam ratione Aëtius febres vehementes in eiuſmodi inflammationibus adeſſe teſtatur notatu dignis, ac in peius proficientibus iam dictis inflammationibus. Paulus verò febriculam, cùm exigua, & circa initia fuerit inflammatio. Si autem ad ſuppurationem renum inflammationes vertantur, cuncta prædicta ſymptomata, ac acceſsiones extenduntur, & febres cum horrore irruent, atque id maximè circa veſperam, erúntque inordinatæ, & dolores cum horrore interpellato ac vario infeſtare videntur, vt liquet ex Galeno ſexto de locis affectis, cap. 2. Nam dum pus gignitur, dolores, ac febres magis eueniunt, vt inquit Hippocr. aphoriſ. 47. 2. libri. Tumor item circa ilia quodammodo apparebit, & vehementis caloris ſenſus ægrotos circa renes affligit, mingúntque ruffa, & pura (vt cap. 18. eiuſdem libri inquit Aëtius.) Quòd ſi in ſanam partem inclinat æger ex affecta, grauitatem magnam magis ſe ſentire dicit, quàm antea quàm inflammatio in abſceſſum perueniſſet, Alexandro teſte cap 5. libri 9. Nam circa renem dolentem veluti ſuſpenſi cuiuſdam ponderis ſenſum percipiet, vt ait Galen. 6. de locis affectis, cap. 2. Perfecta autem ſuppuratione, & febrium, & dolorum acceſsiones minores contingent, & grauitatis ſenſus magis circa affectum renem infeſtabit,

Lib. 3. ca. 45. Inflammationis renū ſigna.

Si ad ſuppurationem vergat inflammatio, ſigna.

ac tem

ac tempore rupturæ magis exacerbantur, ad quam etiam cum ipſis vrinis puris excretio conſequitur, & nonnulla alia, de quibus ſequenti cap. verba faciemus. Cæterùm ob plurimas cauſas renes inflammari contingit, vt liquet ex eodem Aëtio: nam plagæ, & attritiones, pharmacorum potiones, & humores corrupti inflammationem generant, & præſertim equitationes continuæ, & vehementes, vt ipſe inquit: quorum notitia facilè haberi poterit. Verùm in eiſdem inflammationibus ſi vrinæ prodeant multæ, & craſſæ, in quibus bonum eſt quod ſubſidet, quoniam ipſæ maximè indicant, ac ſecernunt morbum, propterea quòd inflammationis concoctionem indicant, bonum portendunt, quemadmodum, ſi vrinæ aquoſæ, puræ, ac perlucentes prodeant, ægrè morbum ſecerni indicabunt, eodem Aetio teſte. Cõferunt etiam renum paſsionibus hæmorrhoides ſuperuenientes, vtpote quæ velut fæcem ſanguinis vacuare ſunt natæ, ex Hippocr. & Gale. ſententia aphor. 11. 6. libri. Victus ratio pro inflammationis renum curatione ſimilis inſtituenda erit fere ei, quam in inflammatione iocinoris præcepimus, niſi quod (vt inquit Aetius) licet à primo die à cibo abſtinere debeant, non tamen in multos dies inediam extendere oportet: etenim vrinæ puriores, & acriores per inediam redditæ (vt ipſe inquit) vehementiſsimos morſus infligunt. Quapropter in principio ſorbitionibus tenuibus morſus lenientibus ægros nutrire oportet, veluti eſt ptiſanæ ſuccus, & aquæ calidæ potus. In cuius vicem aqua hordei, ſeu ea in qua coriandrorum præparatorum ſemina fuerint decocta, vti poterunt. Vitent autem aquam mulſam in principio, priùs quàm concoctæ fuerint inflammationes, ac vſum eorum, quæ vrinam ciunt: oblædunt enim mordaces humores inflammatis partibus inducendo, eodem Aetio auctore. Nam vbi in veſica, vel renibus phlegmone eſt cœpta, medicamenta quæ vrinas prouocant, bibenda haudquaquam danda ſunt. Sed ad partes quæ maximè longinquæ ſunt, ſemper reuulſio facienda erit, ex Galeni decreto decimotertiò metho. medendi, cap. 11. extimata tamen tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius ſtatu. Quapropter ſanguis detrahendus, ſtatum eſt, præſertim vbi maiori acumine renes affligantur, & vehementior exurgat dolor, ex Pauli, & Aetij ſententia, vel omnibus ſuccis ex æquo redundantibus, ſeu ipſo ſanguine exuperante, vt inquit Alexander. At quę vena ſecanda ſit, non admodum liquet. Nam Aetius venam cubiti ſecare iuſsit, Galenus verò 13. methodi meden. renibus, veſica, pudendo, & vtero phlegmone laborãtibus, eas quæ in cruribus ſunt ſitæ, venas eſſe ſecandas præcepit, potiſsimùm quæ circa poplitem ſunt, ſin minùs, eas quæ iuxta malleolum; perpetuò autem, quæ è directo ſunt poſitæ, quamuis in eodem libro paulò ante dictam ſententiam, ad partes maximè longinquas reuulſionem fieri in iam dictis inflammationibus iuſſerit: ambę tamen ſententię verę ſunt. Nam vbi reuellere duntaxat opus ſit, in contrarium ac maximè longinquas partes perficienda erit, & propterea venam cubiti, eámque internam ſecare conuenit. Si verò vacuare ſimul cum deriuatione intendat medicus, crurum venæ, quæ è directo ſunt ſitæ affecto reni ſecandæ ſunt. Nam (vt ipſe inquit) ſtatim prima vacuationis diuerſitas pro particularum diuerſitate variatur; & propterea vnde, aut quomodo vacuatio ſit faciẽda ęger ipſe docet locus. Hinc cum eodem Galeno concludamus quod vbi recens fuerit phlegmone, copiáque ſanguinis affuerit, reuulſionis potiſsimùm gratia ex cubito vena ſecanda eſt. At ſi nec recens fuerit, nec ſanguinis multitudo adſit, euacuandi pręſertim cauſa, eam ſecare expedit, quæ in poplite eſt, aut quæ in malleolis, quemadmodum idem Galenus libro de curandi ratione per venę ſectionem, cap. 18. ſcriptum reliquit. Vel ſi mauis primò eam, quæ in cubito eſt pro reuulſione ſecabis, deinceps (ſi opus fuerit) eam quę in malleolis pro euacuatione rectitudine ſeruata, nam & Aetius quoque repetitam ſanguinis detractionem cõmendauit. Verùm priuſquam ad venæ ſectionem deuenias, clyſteres adhibendi ſunt ex maluæ decocto, aut ſemine lini, & fœnugræci cum oleo, & melle, aut ex ptiſana ſucco cum oleo, & melle, ex eiuſdem Aetij ſententia.

Cauſe. *Prognoſtica.* *Victus ratio.* *Vene ſectio.* *13. methodi. loco citato.*

Cęterùm copia non multa infundenda eſt, ne repleta inteſtina comprimant renes. & vbi ſtercora prodierint oleum anethinum cum butyro quibuſdam adipibus in his eliquatis, anſerino videlicet, aut gallinaceo, inicìantur, vt ipſe inquit: *Clyſteres.* aut ex maluarum, betę, ac violarum folijs, & hordeo decoctũ paretur, cuius recipe lib. I. aut lib. I. s. & adde olei violacei vnc. 4. aut chamæmeli, vel anethini vnc. 3. mellis roſacei vnc. 2. ſalis communis parum, caſſię tractæ, aut pulpæ caſſię fiſtulæ vnc. I. butyri recentis, & adipis anſeris, ſeu gallinacei, cuiuſlibet drach. 4. vel drac. 3. s. miſceantur, & fiat clyſter. Interim (ſi videbitur) addere poteris drac. s. vel drac. 4. diacath. Cęterùm ſi vitioſus quiſpiam humor, præſertim acris, & billioſus cùm ſanguine redundarit, à venę ſectione purgationem adhibere conue- *Purgatio.* nit, quę humorem prępollentem educere poſsit. Verùm exhibenda nequaquã erit priuſquam humorem contemperaueris, ac ſolutu facilem parauęris, aut ſi craſſus fuerit, ipſum extenuaueris, ex Alex. teſtimonio, potiſsimùm vbi virtus vitioſum humorem euincere, ac ſuperare nequeat. Et propterea inter initia humoribus exiſtentibus crudis, & inflammatione ipſa ferueſcente nequaquam purgans medicamentum exhibendum eſt, vt liquet ex eodem Alexandro, id quod etiam annuere videtur Aetius, cùm dixit, neque etiam purgatiuũ pharmacum exhibendum, veluti quidam conſueuerunt: quãquam & idem Aetius vehementiora medicamenta purgantia vitauerit. Nos verò nec eadem, humore etiam contemperato, concocto, ac præparato etiam poſt initia probamus, ſed ea duntaxat, quæ vim habent redundantem humorem leniendo expurgare, veluti tamarindi, caſsia fiſtula, mel aëreum, ſaccharum violaceum, ſyrup. ex pluribus infuſionibus roſarum, aut violarum, & interim diacath. Hiſce itaque vti poteris medicamentis purgantibus ſeparatim, aut quibuſdam eorum ſimul permixtis, vbi vicioſi in corpore redundarint ſucci, eis priùs concoctis, ac præparatis, vt dictum eſt. Nam conquieſcere oportet in renum morbis, cubare molliter, ſoluere *Topica.* aluum, ſi aliter non reſpõdet, etiam ducere, vt inquit Celſus cap. 10. lib. 4. Quòd ſi poſt dicta auxilia adhuc inflammatio inualuerit, extrinſecus etiam inter initia feruente adhuc inflammatione refrigerantia admouere conuenit, potiſsimum vbi bilioſus fuerit ſanguis, qui inflammationem excitauit, renéſque ardorem igneum ſentiant, veluti eſt oleum roſaceum, & ipſum omphacinum, ſeu melinum pauco aceto addito, & ſucco polygoni, aut portulacæ. Aut ex oleo roſaceo, vel melino luteis ouorum, polygoni ſucco, aceto pauco & cera ceratũ fiat, & ſupra renes accommodetur, ex Pauli ſententia. Alex. verò ex roſaceo, pauco aceto, ſucco polygoni, aut portulacæ, & cera ceratum fieri iuſsit, quo nullum reperitur efficacius, vt ipſe inquit. In incremento autem ipſius inflammationis aliquod prædictis medicamentis admiſcendum eſt, quod digerendi, ac diſcutiendi vim habeat, veluti eſt chamæmelum, & eius oleum, fœnugræcum, ſemen lini, ſertula campana, & althęa, ac nonnulli etiam recentes adipes, vt gallinaceus, & anſerinus: declinatione autem facta, ea quæ plus diſcutiunt miſcenda ſunt, veluti eſt chamæpitys, polium, abrotonum, triſſago, aſſarum, flos iunci odorati, & reliqua huiuſmodi, & ad cataplaſmata procedendum, quæ ex farina fœnugræci, & ſeminis lini fiant, hordeacea, ac fabacea, radicibus, ac folijs althææ in iure chamæmeli decoctis, additóque oleo chamæmelino, ſeu anethino, & chamæpitys, ſeu triſſaginis, vel alterius ex prædictis pharmacis parum, cum aqua mulſa, ſeu cum ſapa, potiſsimùm vbi etiam craſsior videbitur eſſe, quæ derelicta eſt, materia. Hoc etiam tempore confert fotibus per ſpongias vti ex decocto chamæmeli, ſeminis lini, anethi, ac althææ folijs, & radicibus, pauculo calamo aromatico, ac flore iunci odorati addito, ac pauco etiam aceto. Nec minùs & calefacientibus balneis tuto vtare, eiſdem quoque in incremento inflammationis, ac ſummo vigore tutò vti poteris, vbi quæ inflammationem parit materia, craſsior fuerit, quanquam ne id prętereundum eſt, ex Alex. & Pauli auctoritate, quod admodum calida vitanda ſunt, ne materia, quæ in parte inflammata continetur, in pus conuertatur. Item quæ impendiò refrigerant

non

non minùs vitare oportet, ex eorundem ſententia, ne quamprimùm renes inflammati indurentur, potiſsimùm cùm ipſi ſuapte natura facilè ſcirrhis deprehendantur, tum propter eorum ſubſtantiæ qualitatem, tum etiam propter excrementorum naturam, quæ per ipſos dilabuntur, vt liquet 13. meth. meden. cap. 16. At vbi perfectè concoctæ fuerint inflammationes, & quieuerint dolores, tūc etiam per vrinam cientia purgandum. Quapropter tribuēda ſunt, acorum, phu, petroſelinum, gramen, caſia, chamæpitys, & polium, ex Aëtij decreto. Horum vnumquodque (vt ipſe inquit) ex aqua coquendum eſt, & cum vino, & melle bibendū, in cibiſque tribuenda ſunt fœniculum, apium, daucus, paſtinacæ probè percoctæ, crithma, ſcandix, & gingidium. Verùm ſi inflammatio ad puris permutationem vertatur, quàm celerrimè adiuuare oportet tum ſuppurationem, tum puris eruptionem, ex eiuſdem Aëtij doctrina. In quem vſum conferūt ſpongiæ fotus gratia admotæ aſsiduè imbutę aqua, & oleo: aut eædem decocto imbuantur foliorum, & radicum althææ, chamæmeli, fœnugræci, & ſeminis lini, & ſæpiùs (vt ſupra) calidæ admoueantur. Eundem vſum præbebit cataplaſma ex farina hordeacea cum ficuum & althææ ex aqua mulſa decocto. Bonum quoque eſt ipſas ficus admiſcere tritas, & abſynthij comam cōtuſam, vel ex eadem farina hordeacea, & erui oleo, & reſina terebinthina cum melle, & ficubus pinguibus cataplaſma fiat. Interim addere poteris cardamomi, vel columbæ ſtercoris parum, vt Paulo viſum eſt. Et vbi maligna fuerit inflammatio ex putreſcentibus humoribus orta, quos ex febrium acrimonia cognoſces, etiam roſæ in cataplaſmata commiſcendæ, myrtique baccæ, & erui, ac lentis farinæ: hæc etenim humorum putrefactioni reſiſtunt, vt eidem Aëtio placuit. Genito verò pure, ipſius eruptio procuranda erit, in quem vſum ea, quæ vrinam ducunt in potu exhibeantur, veluti cucumeris ſemen decorticatum ex aqua mulſa, palmulis in ipſa incoctis: danda etiam iris eſt cum melle deſpumato delingenda, eodem Aëtio teſte, aut fœniculum, glycyrrhizæ, iridiſque radicem in aqua mulſa decoquito, ac exhibeto, vel etiam chamæpityos, fœniculi, pulegij, vel origani, & aliorum ſimilium decoctum in potu præbeto, remotantem quoque rupturam iuuant cuminum cum paſſo, & ruta cum vino mulſo (vt idem fatetur Aëtius) At quæ præbenda ſint poſt abſceſſus rupturam pro puris repurgatione, ac quomodo id dignoſcendum ſit, ſequenti cap. docebimus.

Vrinā cientia quo tempore exhibēda ſint.

Puris generationi quando opitulādū ſit, & cū quibus.

Quæ tribuenda ſint pro abſceſſus ruptura.

Περὶ ἑλκώσεως τῶν νεφρῶν. Id eſt, De exulceratione renum. Caput XCVI.

QVONIAM non ſolùm poſt abſceſſus rupturam contingit renes ipſos exulcerari, ſed ab aliis quibuſdam cauſis, vt dicemus, propterea de hac exulceratione verba facere intēdimus. Appellant autem Græci affectum hunc quandoque ἕλκος, interim ἕλκωσιν, Latinè verò vlcus, & exulceratio dicitur. Nihil autem aliud eſt, quam continui ſolutio in carnoſa ſubſtantia contingens, nam ſi in aliis partibus eueniat, cùm in omnibus incidere poſsit, diuerſa quoq; nomina ſortitur, vt liquet 4. & 6. meth. meden. Qua de re renum exulcerationem appellabimus eorundem ſolutam cōtinuitatem. Ex dolore verò cum grauitate circa lumbos, ſi ambo affecti fuerint, conijcies, eos affectos eſſe; & alter, ſi dexter, in dextra parte, ſi ſiniſter, in ſiniſtra dolor ſentietur. Sunt verò nōnulla alia ſigna, ex quibus renes exulcerati dignoſcuntur, quæ cùm ſimul, & affectum, & ſedem affectam indicent, propterea nos in eiuſdem affectus dignotione cuncta dinumerabimus. Eſt porrò affectus hic ſub eo morbo, qui communis à Gal. appellatur, contentus, ſolutio continui dictus, & propriè in carnoſa parte, hoc eſt renum parenchymate eueniens: quo fit, vt præter lumborum dolorem cum grauitate ſine impedimēto vrinam reddant, cui pus mixtum reperitur carnoſis particulis innatantibus (Paulo auctore) Gal. autem 6. de loc. affect. cap. 2. ſcriptum reliquit

4. metho. c. 1.
6. metho. c. 1.

Quid intelligendū ſit per renū exulcerationem.

Signa renum affectorum.

Vlceris renū ſigna.

Pau. li. 3. c. 45.

perſeuerantis vlceris notas (ex abſceſſu potiſsimum orti) ex vrina haud obſcure deprehendi: adde quod laborans crebertime in affecto rene dolorem ſentit, atque interdum cum vrina exiguum pus, veluti ab vlcere excernitur, ſimiliter ramentum nonnunquam cum vrina expelli videtur, per partes quaſdam ipſius vrinæ inæqualiter diſperſum, mediam conditionem ſeruans in eius cōmixtione pus ipſum, ac interim ſanguis quoque cum vrina excernitur, qui eroſi iam vlceris indicium eſt. Nam ſi ſanguinem, aut pus mingat pluribus videlicet diebus, ac menſibus, aut renum, aut veſicæ exulcerationem ſignificat, Hipp. & Gal. auctoribus apho. 75. 4. lib. In qua verò earum partium euenerit, dolor diſtinguit, qui in differentibus accidit locis; & ea quæ cum vrinis excernuntur, adeo vt ſi velut carunculæ paruæ cum vrina craſſa vnà exeant, propriè renum exulcerationem ſignificabunt, vt 76. apho. 4. lib. ab Hippoc. & Gale. decretum eſt, etenim vocatum quidem ramentum vlceris; eſſentiæ verò proprietas affectæ partis proprium indicium eſt, eodem Gal. auctore 6. de loc. affe. cap. 3. Cæterùm ſi diſrupto abſceſſui exulceratio ſuccedat, carunculæ paruæ. oblongæ cum vrina excernuntur, & ſi maligna fuerint vlcera, humores fœtidi, liuidi, & mucoſi.

Cauſæ internæ.

Si verò benigna fuerint, etiam pus ipſum album, & æquale, & leue abſque odore graui, & paucum reperietur, vt inquit Aëtius, præceſſeruntque alia præcedentis abſceſſus indicia, velut præcedenti cap. adnotauimus; quemadmodum ſi diſrupto, vel exeſo vaſe aliquo renum exulceratio conſequatur, eiuſdem ruptionis, ſeu exeſionis ſigna præcedent, quæ cap. de profluuio ſanguinis renum fuſiùs demonſtrauimus. Nec minùs & lapidis ſigna pręcedent, ſi ex eo pererodente exulceratio contingat. At ſi propterea quod acres, & mordentes ſucci vrinę permixti per renes pertranſeunt, iidem exulcerentur, eorundem acrium, ac mordacium ſuccorum inditia redundantium aderunt, quæ nedum ex vrinis percipi poterunt, ſed ex temperamento, ætate, habitu, anni tempore, pręcedentique victus ratione, ac reliquis, nullúmque aderit indicium rupti, ſeu eroſi vaſis, nec ruptionis abſceſſus, aut lapidis. Ex his etenim quatuor cauſis internis renum exulceratio oritur, vt liquet ex Pauli teſtimonio. Poteſt inſuper quandoque ex externarum cauſarum aliqua excitari, vt ex

Externæ cauſæ.

aſſumptione alicuius medicamenti vim habentis renes erodendi, ac exulcerandi, aut ex illato vulnere. Id quod ex infirmi, ſeu aſtantium loquela promprè coniicies. Exacto autem ſtudio laborandum eſt, vt renum vlcus cicatrice inducatur, quod niſi illico contigerit, difficiliorem reddet curationem, Galeno

Prognoſtica.

auctore 6. de loc. affect. cap. 2. quamuis minoris malitiæ ſint renum, quàm veſicę vlcera: quoniam carnoſæ partes, quàm neruoſæ facilioris ſunt curationis. Tamen noſſe oportet omnem exulcerationem, & veſicæ, & renum ægrè curabilem eſſe, pręſertim quę eroſione ſit oborta, adeo quòd paucos nouimus, qui ab ea perfectè ſint liberati, vt liquet ex Aëtio. Licet recentia vlcera non adeo ægrè vt diutina curari poſsint, ſiue in renibus, ſiue in veſica fuerint orta. Renum quoque, & veſicę vitia in ſenioribus difficulter ſanantur, vt inquit Hippocr. aphoriſ. 6. 6. lib. quoniam & earum partium opus indeſinens eſt (quiete autem opus eſt, ſiquid ſanari debeat) & quia excrementum acre exacerbare natum eſt. Multò autem difficilius ſanantur in ſenibus renum, & veſicę paſsiones, quoniam & omnes alij morbi pręcipuè longi, vt teſtis eſt Gale. com. eiuſdem aphoriſ. Quinimo iidem diuturnis morbis correpti fere commoriuntur, vt eidem Hippoc. viſum eſt aphoriſ. 39. 2. lib. Pro cuius exulcerationis

Curatio.

curatione aër eligi debet ad ſiccum inclinans, in actiuis temperatus, aut paulo ad calidum vergens, frigidus autem vitari debet. Nam ipſum vlceribus

Victus ratio.

mordax eſt, vt liquet aphoriſ. 20. 5. lib. ſomnus moderatus, aut conſueto longior præcipiatur, cùm immodicæ vigiliæ obſint: quies iniungenda eſt, vitentque ęgri omnem delaſſationem, ac efferuentem geſtationem, maximè quæ fit in equo, & omnem vehementem concitationem, & è conuerſo perpetuum ocium, ex Aëtij decreto cap. 30. lib. 11. In vicem autem exercitij ęgrum

decum

decumbentem molliter fricare ſingulis diebus mane conuenit. Repletiones omnes vitari debent, quinimo mollienda aluus erit mollibus, ac lenientibus clyſteribus, vbi natura fæces quotidie non excernantur. Animi affectus immodici omnino inhibeantur, ſimiliter & coitus, nam omnibus renum, & veſicæ affectionibus infenſiſsimus eſt, & maximè ſenibus, ac natura imbecillioribus, vt inquit Aëtius. Cruditates autem cauendæ ſunt, & ne quid crudum in cibo accipiant, neque quod ægrè concoquitur, aut facilè corrumpitur, aut inflationem parit, ſumant. Maximè tamen vitare debent quæ facilè aceſcunt, & quæ craſsi humoris ſunt, quæ ægrè ſecernuntur, quæ vrinã cient, & quæ amplius ventrem perturbant: item omnia acria, efferuentia, & quæ accepta amplius adſtringunt, & magis reſiccant, & non nutriunt, & quæ ſtomacho inimica ſunt, & quæcunque bilem, aut pituitam præcipuè gignere poſſunt. Idoneus autẽ cibus erit ptiſanæ cremor, aut eadem met ptiſana, aut amylum, aut ſimilago lota cum lacte cocta: dandum & lac ouis permixtum, & iuſculum gallinæ pingue, ex Aëtij decretis. Item oua gallinarum tepida, & molliſsima, ſi edantur, valde proficiunt. Ego ſane noui quendam (vt inquit Alex.) qui oua, quamprimùm eſſent poſita ſorbebat citra coctionem, dicebatq; ſe plurimum adiuuari, & roſiones, ac dolores, qui circa veſicam oriebantur, mitiores fieri, vt ferre poſſet, affirmabat. Ex oleribus conueniunt malua, ſeris, rumex, portulaca, aſparagus paluſtris, cucumis, & lactuca, omnia tamen cocta, nanque hæc morſus obtundunt: nec quicquam crudum vorent, cruda etenim olera tam renum, quàm veſicæ vlceribus inimica ſunt, ex ſententia eiuſdem Aëtij. Cæterùm pane vtantur recenti decenter apparato. Carnibus gallinarum, pullorum, phaſianorum, ſtarnarum, & reliquarum volucrium montanarum teneram carnem habentium, & non antiquarum. Ex pedeſtribus autem conuenientiores ſunt hœdorum extremitates. Ex piſcibus conueniunt aſelli parui, & qui gobij appellantur, gammari, locuſtæ, & fluuiales cancri, qui velut remedium præbeantur, vt ait Aëtius. Erinaceus quoq; recens familiariter permittatur. Ex bellarijs vua paſſa non incommoda eſt. Similiter conueniunt nuces pineæ recentes duabus aquis maceratæ, piſtachia, & amygdalę virides, maturæ tamen & probè mũdatæ, ſiccæ verò non vetuſtæ, ſed præmaceratæ, & decorticatæ. Voluptatis quoque gratia acetum modicum concedendum. Eduliorum autem varietates, & ſuperflua condimenta, omniáque nidoroſa, graueolentia, & putrida inhibenda ſunt. Sint item omnia, quæ in cibo ſumuntur, mediocris multitudinis, etiam ſi vtilia eſſe ferantur. Multus etiam potus, & meracior, ac ieiunis potus omnes incommodi exiſtunt. A frigidę quoque potu in totum abſtinendum, cùm frigidũ vlceribus (vt diximus ex Hip. authoritate) fuerit inimicum. Aqua tamen pluuia non corrupta omnino alijs melior exiſtit (vt inquit Aëtius) quæ tamen actu non ſit nimis frigida. Vtantur autem pro potu tutiùs vino albo adſtringenti diluto, aut aqua, in aqua hordeum torrefactum, & radix glycyrrhizæ fuerint decocta. Confert item pro potu vti aqua mulſa, vbi vlcus non fuerit ex vitioſis ſuccis, & mordacibus ortum. Quod ſi ex iam dictis acribus, & mordacibus humoribus renum vlcus contingat, ab eorundem humorum purgatione curatio auſpicanda erit, ipſis tamen priùs concoctis, ac præparatis. Sit autem medicamentum purgans, quod leniendo ſoluat. Veluti eſt mel aëreum, ſaccharum violaceum, caſsia fiſtula, & ſyrup. ex pluribus infuſionibus roſarum. Interim modicum diacath. adijcere poteris, & vt eorum morſus obtundatur, ſyrupis vti licebit ex malua, cichorio, ſeu hortulana endiuia (quam ſcariolam vocant) confectis, item eis, qui ex portulaca, violis, nymphæa, roſis, ſeu papauere conficiuntur. Quanquam vomitu etiam eos, & forte tutiùs euacuare licebit, vbi ad eum fuerint potiſsimùm parati. Nam non ſolùm ad repletiones renum vomitus laudatur, verùm ſi quis omni menſe audacter vomat, forſan & renum vlcus, & quicquid inde mali accedere poſſet diſſoluet, Aëtio teſte. Poſt quæ ad ea quæ vlcera repurgant, præbenda te conuertas: quanquam ea (ex quacunque alia cauſa fuerint iam dicta vlcera exorta) confeſtim

Medicamentorum ratio.

Purgans medicamentum.

Quæ vlcera repurgant.

confeſtim præbenda ſunt. Inter quæ magnopere conducit lac, præſertim cum melle, aſininum potiſsimùm, aut equinum: fit autem recens mulctum, ac calidum, animali in domum, vbi æger decumbit, deducto, nanque & aliorum etiã internorum vlcerum optimum eſt pharmacum, & graui puri maximè amicum, & corpus probè nutrit, vt inquit Aëtius. Confert etiam aquæ mulſæ aquoſæ potio, necnon & cremor ptiſanæ cum modico melle (vt inquit Alexã.) aut fœnugræci decoctum cum melle, ſeu cucumeris ſemen cum paſſo (vt voluit Paulus) Vel maluarum, ſeu cucumeris, aut melonum ſemen cum eadem aqua mulſa, aut adianti, equiſeti, ſeu graminis decocto præbeas. Inſuper & decoctum parabis ex hordeo cum corticibus torrefacto, adianto, ac glycyrrhizæ radice, cuius vnc.iij. vel vnc.4. cum vnc.j.s. ſeminis melonũ, ac cucumeris exhibeas. Paſtillos quoque ex melonũ, ſeu cucumeris ſemine, ac maluarum, & halicacabi cum abraſa radice glycyrrhizæ, ac tragacantho, ac vua paſſa, & ſaccharo conficias: quorum vnum, vel duos vice qualibet cum prædicto decocto, ſeu aquoſa aqua mulſa dabis. Ex his verò quæ vrinam ducunt, ſimpliciora ſuperius iam dicta ad repurganda etiam renum vlcera bibantur. Etenim à ſitu, & figura partium indicatione ſumpta in renum, & veſicæ vitiis, nedũ mel ipſum, ſed etiam eorum, quæ vrinas mouent quidpiam vlcerum medicamentis miſceri oportebit, ex Gale. auctoritate 4. meth. med. Paulus eis qui per vrinam pus reddunt, bolum armeniam præbet, aut ferularum combuſtarum cinerem quantum tribus digitis comprehendi poteſt ex paſſo. Exhiberi autem poterit cuiuſlibet eorum drac.j. cum aqua mulſa, aut lacte, potiſsimùm vbi munda fuerint vlcera, quod inde tibi palam fiet, ſi neque tectorium etiam vlceri obductum cum vrinis excretum appareat, neq; etiam pus excretum ſit fæculentum, ſed ſubalbum, leue, & æquale, & paucum, ex Aëtij auctoritate. Hoc etenim tempore pro his

4.meth.c.7. Quæ exſiccant, ac conglutinãt quãdo competãt.

quæ vrinam ciunt, quæ exſiccant, ac cogunt, cogunt, tum alimenta, tum medicamenta, ſimul atque ea quæ conglutinant, adhiberi debent. In quem vſum hoc noſtro medicamento vtare, exſiccat etenim, conglutinat, atque adſtringit cum hoc, quod dolorem ſedat. Excipit verò vuæ paſſæ, phiſticorum, pinei fructus, & amygdalarum dulcium torrefactarum, cuiuſlibet drac.s. ſeminis althææ, & halicacabi ana ſcrup.j. ſeminis lactucæ & hyoſcyami ſcrup.s. amyli, tragacanthi ana ſcrup.j.s. radicis dulcis ſcrup.ij.s. ſeminum melonum, & cucumeris ana drac.iij. boli armeniæ, ſeu cineris ferularum combuſtarum ſcrup.ij. ſacchari diſſoluti in aqua roſarum, & capillorum veneris quantum ſatis ſit, fiant in morſulis. Ad inueterata autem renum vlcera, ea pharmaca aſſumenda ſunt, quæ ad exulceratam veſicam deſcribentur. Extrinſecus quoq; quæ renes exſiccare, ac roborare poſſunt admoueantur, vnguẽta, cerata, cataplaſma, ſeu emplaſtra, quæ ex oleo myrtino, citoniorum, roſaceo, ac maſtichino, polygoni, ſeu plantaginis ſucco, maſtiche, thuris cortice, bolo armenia, ſantalis, hordeacea, ſeu fabacea farina, ouorum albugine, cera, & aceto, ac ſimilibus conficiantur. Hæc ſtudioſi fuſiùs conſcripta cap. de veſicæ vlcere reperient.

Περὶ στραγγουρίας. *Id eſt, De ſtillicidio vrinæ.*

Caput XCVII.

NON ſatis erat (vt diximus) pro eo excremento, quod Græci οὖρον, Latini vrinam, ſeu lotium appellant, excernendo, naturam renes fabricaſſe, nam cùm eos iuxta iecur, quo promptiùs tale excrementũ à ſanguine ſecerneretur collocaſſet, nec eodem loco commodè excernere potuiſſet, iure quibuſdã prælongis meatibus, ac fortibus, à Græcis vreteris dictis, indiguerunt, quibus medijs vi renum eadem vrina ſecreta ad proprium receptaculum deueniſſet: ij etenim ſunt, qui renes veſicæ committunt, qua ratione in infernis partibus, vt commodè tale excrementum excerneretur, veſicam tanquam ciſternam quandam, ac proprium

prium eius receptaculum conſtruxit, vt proinde ipſa quoque veſica inter alimenti inſtrumenta ſecunda ratione à natura fabricata meritò connumerari mereatur, inter ea potiſsimùm, quæ excrementa excipiunt. Eius itaque munus eſt, vt ſuſceptum lotium ſtatuto tempore, cùm ſcilicet ratio iuſſerit, foras propellat, Gal. auctore 5. de vſu part. cap. 5. Propria namq; eius actio eſt (vt idem Gale. teſtatur 6. de loc. affe. cap. 3.) vrinæ excretio. Num verò tale excremẽtum veſica attrahat, an à renibus duntaxat ad ipſam excernatur, Galenum reperio diuerſis in locis aliter ſentire. Nam 6. de loc. affect. veſicam non trahere à renibus, quemadmodum neque inteſtina à ventriculo, ſed renes per vreteras excernendo in veſicam mittere, ventriculum autem in ieiunum per eam partem (quam Herophilus dodecadactylon vocat) ſcriptum reliquit. At 5. de vſu part. oppoſitum ſentire videtur, cùm dixit, Porrò veſica, non ea ſolùm quæ bilem, ſed & quæ vrinam recipit, purum vtraque, atque ab alijs ſecretum cùm attrahant excrementum proprium, iure optimo vaſa alia alimentum ſibi ipſis ſuppeditatura flagitarunt. Atqui nos vbique locorum Gale. veritatem fateri aſſerimus, nam non à renibus, priuſquam ab eis ad vreteras excreta fuerit, vrinam veſica attrahit, ſed ab vreteris ipſis poſtquam ad eas vi renum fuerit expulſa, alias non minùs veſicæ, quàm renum vitio paſsio διαβήτης appellata ortum deducere poſſet. Attrahit itaque lotium veſica ab vreteris ſuis vtens fibris rectis, quas non alia ratione à natura obtinuit, quàm vt tale excrementum attraheret, & non à renibus (vt dictum eſt.) Quòd ſi quis inficias ibit, quî fieri poſsit vt alienum, atque excrementoſum ab eadem veſica, aut quauis alia parte trahatur, cùm facultas hæc partibus inſita ſit omnibus, vt familiaria, & non aliena, ac excrementoſa attrahant? Cum eodem Gal. reſpondebimus nos, veſicam non pro ſui nutrimento lotium attrahere, ſed vt inſtrumentum à natura fabricatum ipſum recipiat, ac ſtato tempore (vt diximus) excernat, & quanquam ſuperfluum quoddam ſit vrina, ac excrementoſum, adhuc ipſa vt naturale inſtrumentum affinitatem quandam, cognationem, ac familiaritatem (vt ita dixerim) cum eo habet, ſeu ſaltem qualitatis communitatem quandam, lotio potiſsimum, ac eadem veſica ſecundum naturam ſe habentibus, alias neque trahere, huiuſmodi excrementum potuiſſet, neque innòxiè, ac citra dolorem notabili quodam tempore retinere, vt ex eodem Gal. liquet præcitato lib. 5. de vſu part. cap. 10. Quicquid tandem ſit, ſæpenumero contingit, vt eiuſdẽ veſicæ functio multifariam oblædatur, ipſa aut proprijs, aut cõmunibus affectibus præter naturam offenſa. De quibus iam tempeſtiuum eſt verba facere, ab eis exordiẽtes, qui ipſi ſoli proprij ſunt, quorum vnus, atque præcipuus is eſt, quem Græci στραγγουρίαν appellant, eodem Gal. auctore 6. de loc. affe. cap. 3. & 3. de cau. ſymp. cap. 2. Latini verò vrinæ ſtillicidium nuncupant. Quòd verò vrinæ ſtillicidium ſignificet vrinæ ſtillatim excretionem, nomen ipſum oſtendit, vt inquit Gale. com. apho. 48. 7. lib. Nam quando aliquis parum, & frequenter mingit, paſsio vrinæ ſtillicidium nominatur, eodem Gal. auctore com. aph. 58. 5. lib. Eandem ſententiam confirmauit Aëtius cap. 19. lib. 11. cùm dicit. Stranguria autem appellatur cùm paulatim, & guttatim vrinæ deſtillant, & aſsiduam ad mingendũ irritationem faciunt. At quòd ſolius veſicæ proprium ſymptoma ſit vrinæ ſtillicidium, præter id quod Gal. ſcriptum reliquerit 6. de loc. affe. ipſius propriè actionis læſio oſtendit, quæ eſt vrinæ excretio. Immoderatius etenim excretrix facultas in hac affectione mouetur. Quanquam eadem veſica non perpetuò proprio, ac primario affectu laboret, ſed interim ex accidenti, ac per conſenſum pro diuerſitate cauſarum, ex quibus tale vitium excitatur, vt dicemus. Porrò quòd affectio hæc ſymp. ſit in genere excretorum immodicè, deprauatum motum excreticis veſicæ facultatis inſequens, ex eodem Gal. liquet lib. de diffe. & 3. de cauſ. ſympt. Excitatur autem excretoria vis ad immodicum motum, quoniam retentiua facultas, vel ex multitudine excrementorum, acrimoniáve, vel ex propria imbecillitate laborat, vt eodem 3. de cauſ. ſymptom. cap. 2. ſcriptum

Veſicæ munus.

Num veſica vrinã attrahat à renibus. *cap. 2.* *cap. 7.*

Dilucidatio verborũ Gale. diuerſis in locis.

Quid per vrinæ ſtillicidiũ intelligendum ſit.

Quòd veſica in eo afficiatur. *cap. 3.*

Quis affectus præter naturam ſit vrinæ ſtillicidium.

Lib. de differ. ſymp. cap. 5.

eſt

eſt. Quapropter non ab re duas eſſe in vniuerſum cauſas ſtillicidij vrinæ cum Gal. fatemur com. apho. 16. 3. lib. 58. 5. & 48. 7. Quarũ vna eiuſdẽ vrinæ acri-
Cauſæ. tudo exiſtit, reliqua verò potentiæ retentiuæ, quæ eſt in veſica imbecillitas: aſ-
Loco citato. ſiduæ etenim excretiones fiunt, vel propter imbecillitatem, vel demorſum, eodem auctore 3. de cauſ. ſympto. cap. 2. Quamuis vbi acrimonia in cauſa ſit nedũ ex humoribus acribus, qui in venis exiſtunt, & per renes, & veſicam expurgantur, fieri poſsit vrinæ ſtillicidium, ſed interim ob renum vitium, præſertim ipſis purulentis exiſtentibus, oriri poterit, Hipp. auctore præcitato apho. 58. 5. lib. Aliquando etiam ob alias partes, quæ cum vrinis humorum ſuorum vitia, aut pus, vbi abſceſſus aliquis infeſtauerit, tranſmittere poſſunt. Id verò interſtinguere valebis. Nam ſi ex humoribus intra vaſa redundantibus acrioribus proritetur affectus hic, vrinæ ipſæ oſtendent, & totus habitus ad acriorem, bilioſiorémque erit conuerſus, Alex. teſte cap. 6. lib. 9. Si verò ob purulentos renes, aut aliud eorum vitium acriores fient vrinæ, ex his quæ in præcedentibus conſcripſimus pro renum affectorum dignotione perdiſces. Nec minus, ſi ex alia quapiam parte mordaces ſucci, aut pus cum vrina excernantur, & propterea vrina acrior fiat, promptè dignoſcere valebis ex propriis indiciis talium affectuum, ac partium affectarum. Ex quibus omnibus cauſis veſica ipſa non per proprium affectum laborabit, ſed vrinæ vitio morſum ſentiens, ad excretionem excitatur. Et propterea vrinæ ſtillicidium non eiuſdem proprius dicetur affectus, ſed ſymptoma (vt Gale. inquit eodem 6. de loc. affect. cap. 3.) Poſſunt inſuper & vrinarum acritudines fieri à quibuſdam intemperaturis, & præcipue ab ea quæ eſt ſecundum caliditatem, tum ab ea quæ eſt ſecundum caliditatem, & humiditatem, & tertia ab ea quæ eſt ſecundum caliditatem, & ſiccitatem, auctoritate Gal. com. præcitati aph. 16. 3. lib. Quo loco animaduertant ſtudioſi codicem, tum Græcum, tum Latinum eſſe deprauatum, cùm dicat, tertio ab ea quæ eſt ſecundum humiditatem, quod cùm apertè falſum ſit, caſtigandus locus erit, qui dicat, tertio ab ea quæ eſt ſecundum caliditatem, & ſiccitatem, vel ab ea, quæ eſt ſecundum ſiccitatem, à qua immodica tamen exiſtente in eodem commento dixerat fieri poſſe vrinæ ſtillicidium. Id enim Gale. phraſis ac ratio oſtendit. Verùm vbi neque vna iam dictarum cauſarum affuerit, veſicam ipſam propriè, ac primariò affectam eſſe propter eius imbecillitatem coniiciendum erit. Imbecillitas autem, aut propter eiuſdem intemperaturam aliquam, ſeu tumo-
6. de loc. affe. cap. citato. rem præter naturam, aut vlcus contingit, vt in præcitatis aphoriſ. à Gale. decretum eſt, & 6. de loc. affect. Omnis autem immodica intemperatura imbecillam reddere veſicam poteſt, præſertim autem frigida, eodem Gale. teſte præcitato
6. de loc. affe. com. apho. 48. 7. lib. & 6. de loc. affect. Tunc etenim planè grauari videtur, vel
Loco citato. pauco admodum contento in ipſa humore, vt idem Gal. inquit. Cæterùm cum ab intemperie veſica imbecillior redditur eius eſſentia oblæſa, læditur propria ipſius actio, quæ (vt diximus) eſt vrinæ excretio. Ob frigidam autem intemperiem, ſi veſica fuerit reddita imbecillior, & vrina magis alba apparebit, & ea quæ præceſſerunt frigidiora fuere, tum victus, tum balnea, ſimiliter temperamentum, & ætas, ac reliqua, id promptè indicabunt. Nec admodum difficile erit percipere, ſi ex quapiam alia immoderata intemperie (licet rarò id eueniat) eadem veſica imbecillior facta fuerit. Similiter, ſi ob inſtrumentales affectus eiuſdem veſicæ talis fuerit orta imbecillitas, cùm & ipſi imbecillitatem interdum inducere poſsint, ex ſententia eiuſdem Gale. eodem 6. de loc. affect. cap. 3. haud ægrè perdiſcere valebis, tum ex te ipſo, tum ex his, quæ infra dicemus, veluti ſi inflammatio, eryſipelas, aut abſceſſus, aliquídve tale in ea fuerint orta, aut etiam vlcus aliquod. Nec te præteribit quod interim per cõpatiendi rationẽ veſica patiente, vtero videlicet, aut recto inteſtino inflammatis, poſsit & vrinæ ſtillicidium excitari, nam vicinitatis ratione pati veſicam eſt neceſſarium, vt quæ intemperaturam participet, & inflammationem, & præter ea prematur, atque anguſtetur à tumoribus præter naturam, qui in illis exiſtunt. Hippoc.

& Gal.

& Gale.teſtibus iam citato aphoriſ.58.5.lib. Idque ex propriis indiciis dictarum partium inflammatione laborantium percipies. Cæterùm ſi ob vrinæ acrimo-

Prognoſtica.

niam vrinæ ſtillicidium exordium ſumat,ęger aſsiduè ad mictionem cogendus eſt,& plurima aqua calida dulcis exhibenda in potu.Nam ſi acre recrementum diutiùs in veſica moretur,partes ipſas corrodit,& exulcerat, Aëtio teſte. Quod ſi ſenioribus talis affectio eueniat,difficulter ſanabitur,veluti & quodlibet aliud renum,& veſicæ vitium vt Hippocr,viſum eſt aphoriſ.6.ſexti libri. Idque potiſſimum fiet, vbi ex frigida intemperie cum frigidorum humorum redundantia ortum habebit:timor etenim erit ne ad mortę vſque eos comitetur, quemadmodum & alij frigidi,ac diuturni morbi,vt liquet cômen.aphor.40.2.lib. Porrò ſi ab acribus ſuccis intra vaſa redundantibus, biliofis inquam vrinæ ſtillicidium contrahatur, eis in vniuerſum vtendum erit, quæ alterant, humectant,ac contemperant,Paulo,& Alexandro teſtibus. Quapropter aër eligendus eſt in paſsiuis ad humidum inclinans, in actiuis temperatus, ſomnus moderatus, aut conſueto parum longior, vigiliæ immodicæ vitentur ,quieſcant ægrotantes, & exercitium vitent.

Curatio ſtillicidij vrinæ, ſi ex acrimonia eiuſdem vrinæ proueniat.

Victus ratio.

Aluus ſeruetur lenis,ſi non natura, ſaltem arte lenibus clyſteribus.Animi accidentia vitanda ſunt,præſertim ira. A cibis calidis,acribus aut ſalſis omnino abſtinẽdum,& à tarda comeſtione, vt inquit Paulus.Quapropter his vtilis eſt ptiſana,eiúſque cremor per ſe, interdum etiam cum lacte, vbi magna pars acrimoniæ finierit,quoniam lac (vt inquit Alex.) corrumpitur, ſi qualitate ſicca,& acri præpollente multum exhibeatur. Poterit inſuper eadem ptiſana aut pullorum,aut gallinarum iure parari,ſeu etiam cum amygdalarum dulcium cremore. Inter piſces quoque ſaxatiles eligi poſſunt, & inter olera lactuca,bugloſſum,malua,ac portulaca.Pro potu vinum præberi non debet, niſi id dulce ſit,optiméque dilutum, & eis exhibeatur, qui alio potu vti non valent, propter eiuſdem vini conſuetudinem,aut corporis imbecillitatem.Reliquis verò pro potu aqua præbenda eſt dulcis,calida,quemadmodum Aetius, & Alex. iubent.In vicem cuius aqua etiam hordei,aut decocta aqua dulcis cum pauco ſaccharo roſaceo permixta,ſeu radicis glycyrrhizæ decoctum præberi poterit. Optimum quoque eſt & lac ipſum calidum potatum, vt inquit Aëtius,& amylum cum lacte decoctum,itémque cum palmarum decocto abſorbendum præbere.

Medicamẽtorum ratio.

Quòd ſi neque his contemperetur redundans ſuccus, ac eius acrimonia obtundatur, tunc exuperantem vitioſum humorem quàm celerrimè purgare oportet,aliíſque medicamentis contemperantibus, ac morſum obtundentibus vtendum.

Purgatio.

In quem vſum conferunt mel aëreum,caſsia fiſtula, ſaccharum violaceum,ac ſyr.ex pluribus infuſionibus violarum,aut etiam roſarum,poterúntque vnc.3.mellis aërei,aut ſacchari violacei,ſeu vnc.2.caſsiæ fiſtulæ cum myxarum, vuæ paſſæ,radicis glycyrrhizę,ac hordei decocto,ſeu aqua lactis exhiberi.A dicta purgatione, & ante eam ſyrup. etiam violaceus, ex infuſione roſarum, ex nymphæa, papauere, aut bugloſsi ſucco paratus contemperandi gratia commodè exhibeatur.

Alterãtia, & contemperantia.

In hunc etiam vſum exhibita purgatione cremor ſeminis citruli, cucumeris, vel melonis competit cum aqua hordei, aut palmularum, ſeu radicis glycyrrhizę decocto,vel paſtilli hunc in modum parati pręheantur. Recipe ſeminis melonis,citruli, & cucumeris ana drac.2.vuæ paſſæ, & ſucci radicis glycyrrhizę ana drac.1.ſeminis lactucæ,portulacę,ſing.ſcrup.s.amyli ſcrup.1.s.ſacchari in aqua roſacea diſſoluti,quantũ ſatis ſit,miſceantur,& fiant paſtilli. Clyſteres quoque interim adhibeantur parato decocto, ex hordeo, foliis maluarum, althææ, betæ, ac violarum, exiguóque ſale, cui adiicito olei violacei vnc.4.mellis violacei vnc.2.caſsiæ fiſtulæ vnc.1.miſceantur, & fiat clyſter.

Clyſteres.

His quoque apta ſunt continua aquæ dulcis balnea,vt Alex.& Paulo viſum eſt. Inſuper & continuis fomentis (vt inquit Aetius) vti oportet circa pubem adhibitis ex decocto foliorum maluarum, violarum,& althææ,roſarum,florum chamæmeli,ac fœnugræci paratis,inungendǽque partes circa veſicam ex oleo violaceo,de nymphæa,ſeu papauere,amygdalarum dulcium, ac roſaceo. Quòd ſi

Balnea.

Fotus.

acrimonia adhuc augeatur, etiam per colem lac ipſum cum amylo in veſicam iniciatur, vt inquit Aetius. Confert item in hunc vſum lac ipſum per ſe, caprillum potiſsimùm, item cremor ſeminis papaueris, melonis, ſeu cucumeris, ac etiam maluarum, & althææ cum aqua hordei, in qua etiam radix glycyrrhizæ fuerit decocta, ſi iniciatur. At ſi vrinæ ſtillicidium ob frigidam veſicæ intemperiem fieri contingat, iis quæ calfacere poſſunt, & in victu, & in medicamentis vti neceſſe eſt, Tralliano auctore. Cibis itaque, & potibus validioribus vtantur. Inter olera apio, ac dauco, fœniculo, ſeu oreoſelino. Pro potu vinum calidius his eſt idoneum. Similiter & aromatum decoctiones in potu exhibere conuenit, vt inquit Aetius, aut artemiſiæ, ſeu ſcordij decoctum, ex Alexan. auctoritate. Item conuenit theriacam præbere in potu cum paſſo, & vino mulſo, vt eidem Aetio viſum eſt. Nec minùs confert oleo rutaceo calido pectinem fouere, ac ægrum in ſampſuchi, aut rutę decoctum deſidere, imúmque ventrem cõtegere, ac calfacere. Aliquando & per ſedem oleum rutaceum infundere, ex ſententia eiuſdem Aetij. Conueniunt item quæ vrinam ciunt, tum cibi, tum medicamenta, ex eiuſdem Aetij, & Pauli auctoritate, & inſuper confert aquis naturalibus pro balneis vti, & reliquis calidis vnguentis, Alexandro teſte. quorum ſpeciatim ſyluam ſequenti capite ſtudioſi inuenient. At ſi ex alia quapiam intemperie vrinæ ſtillicidium excitari contingat (quamuis raro id eueniat) perpetuò ſuo curabitur contrario: quemadmodum ſi aliud membrum primò ſit affectum, & idipſum per veſicam expurgetur, aut vicinitatis ratione per conſenſum offendat, manifeſtum eſt illud primò curari debere, ita tamen, vt neque veſicam negligamus, vt inquit Aetius.

Si ob frigidã ueſicæ intemperiem oriatur, curatio.

Περὶ δυσουρίας. *Id eſt. De difficultate vrinæ.* *Caput XCVIII.*

NEC minùs, & inter eos præter naturam affectus, qui ſoli veſicæ proprij ſunt, connumerandus eſt is, qui à Græcis *δυσουρία*, à Latinis verò vrinæ difficultas dicitur, cùm videlicet meiere æger cupit, & cum vi vrinæ excernuntur, vt inquit Aetius cap. 19. lib. 11. Quanquam à Galeno commento aphoriſmi 48. ſeptimi libri, bifariàm mingendi difficultas interpretetur. Vno modo quando cum dolore fit mictio: alio, quando cũ difficultate aliqua, adeò quòd vix veſica operetur. Hinc Trallianus cap. 6. lib. 9. dicebat. Vrinæ difficultas partim cum dolore, partim ſine dolore oritur. Id autem (vt dicemus) euenit ob cauſarum, ex quibus oritur, varietatem. Siue itaque cum dolore, ſiue citra dolorem, ſed cum difficultate aliqua, adeò vt vix veſica operetur, fiat hæc affectio, perpetuò vrinæ difficultatem eam nominabimus, ex Galeni decreto præcitato loco. Quòd verò, nedum veſica, ſed ipſa ſola in hac affectione ſemper laboret, ex eius functione oblæſa patere poterit, quæ vrinæ excretio eſt, vt præcedenti cap. notauimus. Hæc etenim ita oblęſa eſt, vt imbecilla, & veluti torpens reddita ſit. Similiter ex dolore cum poſitu, ſi cum dolore mictio fiat. At quod ſymptoma ſit in genere retentorum, vel excretorum immodicè, libro de different. ſympt. cap. 5. & tertio de cauſis ſymptomat. cap. 2. ſcriptum eſt. Ex eius quoque excretionis modo liquere id poterit, nanque cum dolore, aut ſaltem cum difficultate fit mictio. Vbi autem cum dolore fuerit, ex inflammatione, aut abſceſſu, vlceratione, inæquali intemperatura, aut ſpiritu flatuoſo ortum habebit. Si verò motus duntaxat difficilis fuerit, aut propter potentiæ imbecillitatem, vel tumorem contra naturam (indoloroſum inquam) excitabitur, ex eiuſdem Galeni ſententia pręcitato aphoriſmo 48. ſeptimi lib. Verùm ſi dolor cum grauitatis ſenſu fuerit, quod inflammatione, aut abſceſſu veſica infeſtetur, ſuſpicandum eſt. Diſtingues autem inflammationem ab abſceſſu ex aliis proprijs eorundem morborum indicijs. At ſi cum dolore pus quoque cum vrina excernatur citra grauitatem, ſed cum vehementi roſione, vlcerationem in cauſa eſſe indicabis. Sed ſi abſque grauitate,

Quid per vrinæ difficultatem intelligendum ſit.

Pars affecta.

Quis affectus præter naturam ſit.

Cauſa.

Cauſarum ſigna.

verùm

verùm cum diſtentione ſola dolot in veſica percipiatur,ſpiritum copioſum, ac flatuoſum difficultatis vrinæ cauſam eſſe ſuſpicabimur, Alexandro teſte. Vbi autem nullum tale affuerit indicium,& cum dolore mictio fiat difficilis, ex inæquali eiuſdem veſicæ intemperatura eandem vrinæ difficultatem oriri cenſeto. Verùm quanquam ea, & calida, & frigida, & etiam ſicca quandoque eſſe poſsit,ſæpenumerò ex frigida contingit: etenim veſica exanguis, & frigida eſt, & propterea à cauſis frigidis pluſquàm aliæ partes, promptiùs afficitur, quemadmodum euenit in aquilonis flatu. Tunc nanque vrinæ difficultates oriri conſueuerunt Hippocrate & Galeno teſtibus aphoriſmo quinto tertij libri. Id autem percipere poteris, nedum ex aquilonis flatu, ſed ex reliquis quoque cauſis infrigidantibus,quæ præceſſerunt atque etiam ex ætate,temperatura, vrinæque tenuitate, & albore,ex Pauli auctoritate. At ſi ex reliquis inæqualibus intemperaturis excitari contingat cum dolore vrinæ difficultas (quanquam non ſæpiùs id contigar) ex propriis earundem indiciis, haud ægrè percipi poterit, quemadmodum interim contingit in ardentiſsimis, ac ſiccisſimis febribus, vt Aëtio, & Paulo viſum eſt.Ex eiſdem quoq; intemperaturis, licet non inæqualibus dolorem inferentibus,redditur potentiæ imbecillitas, ex qua citra dolorem cum difficultate mictio fit, licet præcipuè ex frigida, quæ haud aliter dignoſcuntur, quàm prædictæ: quanquam vbi cum frigiditate ſimul pituitoſus humor redundet, præter alborem vrina craſſa apparebit, Paulo teſte, necnon & alia aderunt indicia redundantis pituitæ: potiſsimùm ſi in toto redundarit, & demum ad veſicam demittatur,eiuſdem veſicæ ceruicem obſtruens. Ex tumore item quopiam præter naturam (eodem Galeno auctore) difficilis quandoque fit motus in vrinæ exeretione, de eo tamen intelligendum eſt,qui dolorem non parit.Nam de his iam meminerat inter eas cauſas,quę cum dolore faciebant vrinę difficultatem. Sunt verò hi, ſcirrhi, & œdematoſi tumores. qui quonam modo dignoſcendi ſunt, promptè cuilibet patere poterit, ex propriis eorundem tumorum indiciis. Quare non eſt cur hîc ea particulatim conſcribam. Porrò ſi vrinę difficultas in ardentiſsimis,ac malignis febribus fiat, mala eſt.Nam nedum veſicam affligi ſignificat, ſed indicium eſt, quòd omnes neruoſæ partes ſint aff:ctæ,ex Aëtij teſtimonio. Verùm ex aliis cauſis vbi oriatur, tanto ſalubrior erit,quanto dolore vacabit. Ex frigida tamen intemperie ſi excitetur,ſenibus periculoſiot eſt,veluti & cæteri morbi frigidi. Verùm vbi ex ea reddita fuerit imbecilla veſica,adeò vt eius actio lædatur, & mingendi difficultas iam originem traxerit, pro eius curatione aër eligatur ad calidum vergens. Somnus moderatus,ac moderatum exercitium. Cibi in quantitate modici, & boni ſucci, in qualitate verò ad calidum vergentes, qui & vrinæ quoque ciendæ facultatem habeant.Propterea cum eis vtendum eſt oreoſelino, apio, fœniculo, aſparago, dauco, & reliquis ſimilibus: qui item cum aromatibus pręparentur, cinnamomo videlicet, caryophyllis,macere, galanga, zingibere, necnon & aniſo. Vino quoque vtantur calidiori, imò etiam eo, quod cum aromatibus quibuſdam eſt compoſitum,quemadmodum id eſt,quod vulgus Neapoli hypocraſſum appellat. Competit quoque & aqua mulſa cum aromatibus quibuſdam parata.Pro medicamentis,eis vtantur,quę calfacientibus,ac vrinā ciendi vim habent,vt diximus, quemadmodum eſt ſcordij,& artemiſiæ decoctum, hyſſopi,pulegij,fœniculi,origani, vel thymi cum aqua mulſa: nec minùs interdum theriaca, aut mithridatum,diagalanga, aut diacinnamomum, aut diacalamenthum,aut dianiſum præberi poterit prædictorum ſcilicet drac.j.aſſumens cum vini albi vnc.iij.aut tantundem prædictæ aquæ mulſæ. Extrinſecus quoq; fouendę ſunt partes circa veſicam ex decocto pulegij,ſampſuchi,origani, & foliorum rutæ, calaminthę,florum chamæmeli,& fœnugræci. Fiat autem quandoque decoctum,nedum in aqua, ſed etiam in vino albo, aut in duabus partibus aquę,& vna vini, prout magis expedire videbitur. Ex quibus quoque inſeſſus parati poterunt.Item eædem partes illinendæ oleo anethino, chamæmeli-

Lib 3.cap.45.

7.aphoriſ. com 48.

Prognoſtica.

Lib.11.c.20.

Curatio, ſi ex frigida intēperie oriatur mingendi difficultas.

Victus ratio.

Medicamentorum ratio.

no,rutaceo,irino nardino,de caſtoreo ,& reliquis ſimilibus. Clyſteres quoque inijciantur ex florum chamæmeli,pulegij,furfuris,ac caricarum decocto,pauco ſale communi addito,ac vnc.4.olei rutacei,anethini, vel irini , & vnc. 2. mellis roſacei,aut mellis communis deſpumati adiectis. Vbi verò cum frigida intemperie ſimul pituitoſi ſucci redundarint , nedum in veſica , ſed in toto corpore; priuſquàm ad iam dicta medicamenta deuenias, iidem concoquendi , præparandi,ac purgandi ſunt. Præparentur autem melle roſaceo , oxymelite ſimplici,aut ſcillino cum ſyrupo è ſucco boraginis , vel è corticibus citri, & aquis fœniculi,lupulorum,meliſſæ , ſeu betonicæ. Purgentur verò agarico , pulueribus hieræ ſimplicis,caſsia fiſtula, diacatho,ſeu confectione de dactylis. Vel ſi mauis catapotiis vtare fœtidis , ſeu de ſagapeno cum agarico permixtis. At ſi in veſica duntaxat prædicti ſucci redundent , benefacit etiam compoſitum oxymel, & mulſa , decoctum radicis rhamni, ac origani , quod mirificè iuuat , vt inquit Alexander. Item vtendum eſt hyſſopi,pulegij,origani , vel thymi decoctis cum aqua mulſa,ex Pauli auctoritate , interimque vtendum prædictis medicamentis extrinſecus adhibitis Quòd ſi ex flatuoſo ſpiritu dyſuria gignatur , quæ flatum diſcutiant , medicamentis intus , & extra exhibitis vtendum erit : quorum copiam requirant ſtudioſi cap.de coli dolore. Ex cæteris item veſicæ intemperantiis,ſi excitetur,perpetuò eorum contraria medentur. Quapropter ſi in ardentibus , ac malignis febribus fiat vrinæ difficultas , fouendæ partes ſunt imi ventris , pectinis,inguinum, & coxendicum oleis , ſuperfuſionibus , fotibus , ac cataplaſmatis, quæ laxandi,ac humectandi vim habeant cum exiguo , aut nullo calore. In quem vſum conuenit oleum chamæmelinum , anethinum , oleum commune dulce , fotus, ac ſuperfuſiones ex maluarum, althææ , ac fœnugræci decocto ; ſimiliter & inſeſsiones,quę etiam ſalubriter in hydrelęo fient,ex Pauli teſtimonio. Et ſi aluus quoque adſtricta fuerit , prædictorum decoctum oleo communi,anethino, chamęmelino,aut amygdalarum dulcium addito iniiciatur. Si verò difficultatis vrinę cauſa fuerit inflammatio , abſceſſus , vlceratio, vel quiuis alius tumor pręter naturam , ex eorundem vitiorum curatione,quorum in ſequentibus mentionem faciemus,curabitur.

Si cum frigida intemperie frigidi quoque ſucci redundent , curatio.

Περὶ τῆς ἰσχουρίας. *Id eſt , De ſuppreſsione vrinæ.* Cap. XCIX.

VESICAE inſuper,velut vrinę receptaculo, ac meiendi inſtrumento id ſymptoma ſuperuenire ſolet , quòd à Græcis *ἰσχουρία*, à Latinis ſuppreſsio vrinę dicitur,quinimò ipſi ſoli proprium eſt, Galeno teſte ſexto de loc.affect.cap.3. Quòd verò iſchuria vrinæ ſuppreſſę affectionē ſignificet,ipſum nomen declarat. Aegris enim in totum in hac affectione vrina ſupprimitur , ac cohibetur , vt liquet ex Aetio cap.21.lib. 11. Quanquam nos ex Galeni ſententia, non quamlibet vrinæ ſuppreſsionem,ſeu cohibitionem *ἰσχουρίαν* appellamus,cùm dixerimus eam ſolius veſicę proprium eſſe ſymptoma,ſed illam duntaxat, in qua in veſica vrina omnino ſupprimitur. Supprimi nanque poteſt vrina ipſa veſica haudquaquam affecta,ſed renibus,vel vreteris,eodem Galeno teſte primo de locis affect.cap.1. verùm hanc vrinę detentionem , ſeu cohibitionem (licet vulgus medicorum non ſecus *ἰσχουρίαν* vocet) *ἰσχουρία* tamen non eſt,cùm videlicet vrina in veſicam omnino non venit,vt liquet ex Galeno tertio de cauſis ſymptomatū.cap.2. Permittendi tamen ſunt (vt ipſe inquit) ita nominare,cùm propriam eius affectionis appellationem non habeant. Non tamen latere debebit amborum affectuum differentia , ſiquidem alter eorum eſt cùm veſica quidem eſt plena, ſed nihil excernitur , de quo modò tractare intendimus, alter cùm vacua eſt nihil omnino in ſe continens. Ea de re diximus veram iſchuriam eſſe omnimodam vrinę cohibitionem in veſica,quæ ſola,& neceſſariò in hac affectione laborat, quoniam propria eius actio , quæ eſt vrinæ excretio , oblæſa eſt : adeò vt ab ea

Duplex iſchuria.

De qua tractetur.

Quæ pars in ea afficitur.

nihil

nihil excernatur, tumórque aliquis apparebit in pube ſatis euidenter in circunſcriptione veſicam impletam eſſe oſtendens, vt liquet ex Galeno eodem primo de locis affectis, cap. 1. Quòd verò ſymptoma ſit in genere retentorum immodicè, teſtis eſt idem Galenus libro de differen. ſymptom. cap. vlt. & tertio de cauſis ſymptomat. cap. 2. In totum etenim vrina detinetur, atque ſupprimitur. Id verò bifariam fieri poteſt, decreto eiuſdem Galeni eodem tertio de cauſis ſymptomatum, & primo ac ſexto, de locis affectis, quoniã vel occluſum eſt eius os., vel ſi hoc ſe pro lege naturæ habet, ipſa ad ſeſe adſtringendam, ac lotium foras extrudendum eſt imbecilla.

Quis affectum præter naturam ſit.

6. de loc. aff. cap. 1

Cauſæ.

Veſica bifariam in hac affectione imbecilla reddi poteſt.

Qua de re hic affectus cùm plena veſica vrinę eſt, eadémque ſupprimitur, interim noxam proprię functionis eius conſequitur, quoniam præter eius imbecillitatem non valet ſeipſam contrahere, ac vrinam foras propellere, interim verò eadem illæſa exiſtente, occluſo tamen eius ore efficitur. Redditur autem in lotio excernendo veſica ipſa imbecilla in hac affectione dupliciter, vel propter quampiam eius intemperiem, prę́ſertim frigidam, vel obtuſo eius ſenſu: ita vt laborans veſicam impletam vrina non ſentiat ob affectos eiuſdem veſicæ neruos, citra tamen expultricis eius facultatis læſionem, cùm videlicet proprij veſicæ nerui afficiuntur. Tunc etenim immodicè extenta ipſa veſica propter vrinæ multitudinem, quam in ſe continere non ſentit (inter dormiendum potiſsimùm) ſeipſam contrahere non valet, nihílque excernitur, contractrice eius facultate læſa propter immoderatam tenſionẽ. Id quod etiam interdum euenire ſolet aliis quibuſdam ſanis, cùm vrgentibus negotiis, vel in concionibus, vel ſenatu, vel foro, vel conuiuio, vel propter aliquam ſimilem cauſam longo tempore vrinam retinuerint; ſiit etenim & veſica ipſa velut quodlibet aliud naturale inſtrumentum neruorum particeps, vt quæ moleſtiam ſibi exhiberent ſenſu quoque, velut reliqua dignoſceret: quibus adeò affectis, vt torpeat veſicæ ſenſus, quod immodicè repleatur, ac immoderatè extendatur veſica accidit: quapropter & contractrix eius facultas læditur; quoniam in ſeipſam contrahi mediis tranſuerſalibus fibris, quibus in tali actione vtitur, haudquaquam poteſt. Quo fit vt vrina ſupprimatur, nec excerni quicquam eius poſsit, citra tamen expultricis facultatis læſionem: nanque ipſa expelleret vtique, ſi contractrix facultas, quæ excretionem præcedit, ſuum munus perficeret: quippe veſicę officium (vt patet eodem ſexto de locis affectis cap. 3.) vnicum eſt, contractio inquam: imbecilla itaque redditur veſica in hac affectione, aut ad ſeſe conſtringendam, aut ad lotium foras excernendum, eius corpore adeò affecto, vt quod in ea continetur, exprimere non poſsit. Verùm primi cauſa eſt immoderata extenſio propter immodicam repletionem, quinimò quantum amplitudo ipſius veſicæ expleta circuntenditur, tanto anguſtior ſeipſo fit meatus, vt inquit Aetius, reliqui verò intemperatura aliqua, ſæpiſsimè autem frigida.

Lib. 11. cap. 21

Ex quibus, & quot cauſis veſicæ os occludatur.

At ſi ex occluſo eius ore, ſeu meatu, quem vrinę fiſtulam vocant, vrinæ ſuppreſsio fiat, in vniuerſum tribus modis fieri poteſt: aut enim corpus ipſius in tantum tumorem præter naturam attollitur, vt meatus inde occupetur: quemadmodum ſi inflammatione, ſcirrho, vel abſceſſu, vel alio quouis tumore fuerit affectum. Interim & clauditur propter meatus conniuentiam ex nimia ſiccitate, aut aliquid ei præter naturam innaſcitur, velut caruncula, vel callus, aut à re quapiam obſtruitur meatus, veluti à lapide, pure, grumo, vel craſſo, lentóque humore. Qua de re hæc omnia diſtinguere oportet, non ſolùm ex præſentibus ſymptomatibus, ſed etiam iis quæ præterierunt. Præſentia ex teipſo inſpicias oportet. Præterita verò non ſolùm à laborantibus, ſed etiam ab ipſius familiaribus interrogando perdiſcere, ex Galeni auctoritate primo de locis affectis, cap. 1. Vbi autem ex veſicæ imbecillitate orta fuerit vrinæ ſuppreſsio, ſic percipies. nam ſi hominem ita figuraueris, vt declinis ſit ceruicis veſicæ poſitus, ac manibus tumorem præter naturam compreſſeris, vtique expelletur vrina: quemadmodum ſi ita nihil profeceris vrinæ fiſtulam conſtipatam eſſe cognoſces. Verùm nunquid expultrix duntaxat facultas ipſius ſue-

Si ex veſica imbecillitate oriatur ſuppreſsio vrinæ, ſigna.

rit oblæſa, vel torpidus fuerit ipſius veſicæ ſenſus propter proprios eius neruos affectos, adhuc non liquet, ſed illud hoc pacto diſtingues. Nam ſi propter excretricis facultatis læſionem originem ſumpſerit, cùm fieri non poſsit, niſi propter aliquam intemperaturam, præſertim frigidam ipſius veſicæ, ex propriis intemperaturæ indiciis, quæ præcedenti capite notauimus, haud ægrè dignoſcere valebis. Quòd ſi nullum tale affuerit indicium, præceſſerítque læſio aliqua ſpinalis medullæ, vt verbi gratia, ſi fuerint ipſius ad externas partes vertebræ luxatæ eo loco, quoad veſicam proprij nerui diſtribuuntur: ſimiliter ſi quomodolibet prædicti nerui fuerint affecti, ita vt animalis facultas ad veſicam non pertingat, ex obtuſo, ſeu reſoluto eius veſicæ ſenſu cauſari vrinæ ſuppreſsionem cenſeto, propriis veſicæ neruis affectis, atque ipſa propter immodicam repletionem immoderatè extenſa. Verùm ſi ſanis quibuſdam corporibus vrinæ ſuppreſsio accidat, propterea quòd longo tempore propter aliquam vrgentiam ipſam detinuerint, ex eorundem loquela, & quòd nullus alius præceſſerit præter naturam affectus, qui ipſam cohibere potuerit, facilè percipies. At vbi vrinæ cohibitio non ex corpore eiuſdem affecto, ſeu imbecillitate proueniet, ſed occluſo eius ore (vt diximus) figurato etiam ægro adeò vt decliuis ſit ceruicis veſicæ poſitus, ac manibus tumore præter naturam compreſſo, minimè expelletur vrina. Occluditur autem vel ab inflammatione (vt dictum eſt) vel ſcirrho, vel abſceſſu, vel alio quouis tumore præter naturam. Sed inflammatio ex propriis eiuſdem ſignis, tumore videlicet, dolore, ac febre, & reliquis dicendis cap. proprio dignoſcetur. Similiter ſcirrhus, vel abſceſſus, aut alius quiuis tumor præter naturam. Si autem ob carunculam aliquam ab vlcere innatam veſicæ ceruix obſtruatur, ex præcedentibus vlceris notis, & ex eo, quòd demiſſa ænea fiſtula, vrina vacuatur, intelligere poſſumus. Interim cum vrinæ excretione ſequuntur & cruor, & carnis fragmenta, Galeno teſte primo de locis affectis. Verùm ſi fuerit tophus, ſeu callus in ceruice veſicæ innatus, præter id, quod longo temporis ſpatio ex craſſo, lentóque humore paulatim naſci poteſt, neque fortè vlceris ſigna præcedent, neque ortæ carunculæ ſigna aderunt. Quòd ſi à lapide meatus obſtruatur, ante vrinæ cohibitionem lapidis indicia apparuerunt, vrina videlicet aquæ ſimilis, in qua ſubſident ſabuloſa quædam, inſuper quòd pudendum aſsiduè ſcalpant taliter affecti; poſtea verò vrina derepentè ſupprimitur, aliáque ſigna præceſſerunt generati lapidis, aut in renibus, quæ eodem capite conſcripſimus, aut in veſica, quæ proprio capite conſcribemus. At nulla lapidis nota retentam vrinam præcedente, ſi ſanguis effluxerit, par eſt, vt grumus vrinæ fiſtulam obturet, quocirca demiſſa per colem fiſtula, paulum vrinæ reddunt; qua deinde extracta, in ipſius ore grumi indicium apparet: quanquam fieri poſsit, vbi vlcerata fuit veſica, vt paulatim in ipſa grumus concreſcat, vel non præcedente ſanguinis fluore, ex eiuſdem Galeni ſententia primo, & ſexto de locis affectis, ad quos grumos, qui in veſica continentur, veluti etiam ad alios, qui in inteſtinis, ventriculo, atque thorace, animi defectio, & color pallidus ſequi ſolet, pulſus verò paruus, obſcurus, frequénſque apparet, & laborans ipſe cum anxietate reſoluitur, adeò vt mirari aliquis poſsit, quænam ſit huius euentus cauſa, vt eodem ſexto de locis affectis, cap. tertio, ſcriptum eſt, quam nos breuitati indulgentes omittimus potiſsimùm cùm ſtudioſi apud eundem Galenum præcitato loco, libro de cibis boni, & mali ſucci, cap. 3. ac aliis pleriſque perlegere eam poſsint. Probabiliter quoque conijcies cùm pus eundem meatum obſtruxerit, ſi renes, aut veſica, aut alia quæpiam pars, quæ per veſicam expurgari poteſt, ante affectu aliquo laborauerint, per quem talem, tantúmque pus colligi potuerit, tenuéque pus priùs cum vrina profluere viſum eſt, quemadmodum vbi ob craſſum, lentúmque humorem obſtruatur, eiuſdem humoris redundantis indicia aderunt, quæ nos cap. de difficultate vrinæ adnotauimus, ſimiliter ex præcedentium notitia in huiuſmodi coniecturam inducimur, ex præcedenti videli

Si ex obtuſo veſicæ ſenſu oriatur, ſigna.

Si ex externa cauſa aliqua.

Signa, ſi ex occluſo ore veſicæ vrina ſupprimatur.

Loco citato.

Locis citatis.

videlicet victus ratione, nam cibis craſsis, lentiſque, ac multis, & in ocio educatus eſt æger. Neque negligenda erit vniuerſi corporis diſpoſitio. Conniuente autem iam dicto meatu ex immodica ſiccitate, exſiccantes quoque cauſæ præceſſerunt, veluti contingit in ardentiſsimis, ac ſiccisſimis febribus, in quibus laborantem ſæpenumerò nec loqui poſſe videmus, niſi os madeſecerit. Porrò vrinæ ſuppreſsionem, quæ ob ſauciatam ſpinam, aut caſum, aut vertebræ luxationem, aut ob letales acceſsionum concurſus ſuborta eſt, impoſsibile eſt curare. Quare cautè remedia adhibere oportet, vt inquit Aëtius cap. 24. lib. 11. Idem quoque auctor citato loco dicebat, quod cùm ex his, qui paralyſi exolutam veſicam habent, alij præter voluntatem vrinam emittunt, alij autem lotium non excernunt, minùs periculo ſunt obnoxij, qui præter voluntatem eam emittunt, ac magis hi, quibus detinetur, nam lotio ſuppreſſo veſica, & lumbi eis diſtenduntur, ſimilitérque pecten, femora autem tumefacta habent, & cùm non eiiciant lotium, ſubiecta membra mortificantur, neque ita longè poſt moriuntur, vt ipſe inquit. Quòd verò perniciosa etiam ſit vrinæ ſuppreſsio ex concreto ſanguine, ſeu grumo, decretum reliquit Gal. 6. de loc. affect. Nam & putredo partium, & marcor ipſum ſequi ſolet, vt ipſe inquit, & licet nonnullis medicamenta exhibuiſſet pro eius curatione, nihilominus omnes perierunt, vno quodam ſeruato ſolutis grumis, quos paulò poſt cum vrina excreuit. Curandi verò ratio non vna duntaxat erit, cùm plures ſint eiuſdem cauſæ, ſed pro cauſarum diuerſitate variatur. Qua de re ſi propter veſicæ imbecillitatem generetur, citra tamen caſum, relicta victus ratione, quam cap. de ſtillicidio vrinæ reperies, primò figurandus erit æger modo, quo iuxta Galeni ſententiam diximus, ac manibus tumor præter naturam comprimi, ita vt vrina expellatur, muſculi quoque abdominis, maximè medij ægrotantis manibus, ſeu alterius comprimantur, iuxta Gale. præcepta 6. de locis affectis. Deinceps aſsidui inſeſſus, ſeu fotus in fœnugræci, ſeminis lini, althææ, rutæ, ſampſuchi, ac artemiſiæ decoctum cum oleo eis appareatur, & loci ex oleo rutaceo calido ſæpe per diem, & noctem, & maximè poſt inſeſſus irrigentur, & perfundantur. Cucurbitæ etiam locis affigantur, & cataplaſmata imponenda ex cruda hordeacea farina, ex vino dulci, & mulſo, vt teſtatur Aëtius, præſertim ſi obtuſus fuerit veſicæ ſenſus. Inſuper confert, ſi vnguento hoc irrigentur loci. Recipe olei nardini, coſtini, & rutacei ana vnc. j. olei de ſcorpionibus, & irini, ſingulorum vnc. s. maſtiches, florum ſtœchadis ana drac. 2. caſtorei drac. 1. ſagapeni, & bdellij ana drac. s. diſſoluantur gummi in vino albo, & addita cera fiat vnguentum. In hunc etiam vſum confert vnguentum, dialthæa dictum, & reliqua medicamenta conſcripta capite de difficultate vrinæ tam intus, quàm extra adhibita. Et vbi propter ægrum veſicæ ſenſum contigerit, præter inſeſſus, ac irrigationes iam dictas, excitare eius actionem oportet, nitro, aut nitri ſpuma ad meatum admotis, aut cimicibus contritis. Quòd ſi ita non procedat, ad catheterum vſum confugiendum, & per hoc ipſum inſtrumentum immiſſum vrinæ prolectandæ, Aëtio teſte. Vrinam ducentia nequaquam bibant, ne multitudine eius veſica diſtendatur: quibus etiam confert caſtoreum, itémque theriacam in potu propinare, & poſt euacuationes, ſinapiſmi tum pectini, tum lumbis optimi ſunt, vt eidem Aëtio viſum eſt: à quibus cerata, quæ partes mitigent, & malagmata odora imponantur, vt ipſe inquit. Viſcera quoque erinacei terreſtris exiccata, ac ſuffita, ægro vndequaque contecto, vrinam ſuppreſſam ſanant. Oportet autem ipſa ſale condire, ac exſiccare, quin & in potu accepta ſicca, trita quantum tribus digitis apprehendi poteſt, ex vino iuuant. Carnis item erinacei in ſole exiccati drac. 1. in vino data confert. Vermes quoque terrenos tres, aut quinque tritos ex vino mulſo, aut aqua mulſa præbeto, eiuſdem Aëtij præcepto. Item forinſecus artemiſiæ folia cum myrrha trita, pectini, & imo ventri illinantur, ſeu perdicium herbam terito, & affuſo oleo feruefacito, atque veſicæ imponito: ſed & ſedes quoque his illinenda eſt,

Prognoſtica.

Loco citato.

Curatio.

cap. 3.

Lib. 11. c. 24.

Lib. 11. ca. 21.

Lib. 11. c. 24.

Lib. 11. c. 23.

quibus obtuſus eſt veſicæ ſenſus,ex decocto origani,thymi, anethi, ac centaurij cum oleo rutaceo, pauco admixto caſtoreo. Infundimus etiam per colem oleum rutaceum,de ſcorpionibus,aut nardinum,ſeu irinum,etiam pauco caſtoreo addito,vt veſicæ actio reuocetur. Si verò craſsi humores in cauſa ſint, fomentis,inſeſsionibus,ac cataplaſmatis iam dictis, cura concredenda eſt, ac reliquis vtendum, quæ capite de difficultate vrinæ conſcripſimus. Ab his autem quæ vrinam ciunt,in totum abſtinendum. In ſanis autem, ſi accidat (vt dictum eſt) ob negociorum importunitatem, aut aliquod tale ſimile, vt lotium diutiùs retentum veſicam debilem reddat, auxiliari oportet ipſis ambabus ſupra imum ventrem admotis, ac vrina lentè expreſſa.In ardentiſsimis, ac acutiſsimis febribus ſi hoc ſymptoma accidat, in fine præcedentis cap.curationem reperies.Si verò propter inflammationem, aut alium quempiam præter naturam tumorem vrina ſupprimatur, ex propriis eorundem cap. curatio petenda erit, quemadmodum ſi ob carunculam, aut callum retenta fuerit, per emollientia, ac relaxantia remedia,ac vrinæ fiſtulam dilatantia curanda erit, & vbi ea non ſuffecerint,ænea fiſtula,ſeu argentea demittenda erit, vulgus ſyringam vocat. Vbi verò multitudo,ac craſsities puris veſicæ ceruicem obſtruxerit, per eadem medicamenta mollientia, ac relaxantia, necnon & incidentia cura tentanda erit, intus, & extra huiuſmodi medicamentis adhibitis. Quòd ſi nec his finem aſſequaris, modo dicta ænea,ſeu argentea fiſtula immittenda erit. At ſi ex lapide veſicæ ceruix fuerit obſtructa,ex proprio cap.curandi ratio petatur. Verum vt lapis ex meatu recedat,ſupino figurato ægro, vt crura reliquo corpore ſint ſublimiora,multifariam ipſum concuties,quibus peractis iube vt æger vrinam reddere tentet. Quòd ſi nihilominus vrina adhuc ſupprimatur, rurſus concutte, ſed vehementiùs, atque ſi ſic quoque permanſerit, demiſſa ænea fiſtula, ſi-
1.de loc. affe. cap. 1. mul & lapidem à ceruice repelles, & vrinam reuocabis,Galeno teſte 1. & 6.de
loc.affect.Vbi verò grumus veſicæ fiſtulam obturet,medicamentum quod lapi-
6.de loc. affe. cap. 3. dem terere poſsit,ex oxymelle,atque ipſum quoque oxymel per ſe in potu dandum erit,præcepto eiuſdem Galeni præcitato lib.6.de locis affe.cap.3.Artemiſia quoq; in potu præbenda eſt,rubi,aut betæ ſuccus, leporis coagulum,aut hœdi, vnumquodque cum aceto mulſo,ex Aëtij auctoritate cap.27. libri 11. Quòd ſi hoc modo nihil proficias,neceſsitatem induent catheteris adhibendi:per quem vbi vrinas eduxerimus,rurſus prædicta in potu exhibeantur. Si verò neque ſic grumi diſſoluantur,intercapedinem inter anum & pudendum (περίνεον Græcis
Loco citato. dictam) infernè diſſecare oportet,vt eidem Aetio viſum eſt.

Περὶ ἐνουρούντων. Id eſt, De his qui in ſeipſis mingunt, vel de his qui vrinam continere non poſſunt. Cap. C.

LICET muſculi,tanquam motus voluntarij inſtrumenta à natura fuerint fabricati, nihilominus & quidam eorum quodammodo inter alimenti inſtrumenta, quæ tertia ratione ſuperfluorum inquam gratia fuerint conſtructa,numerari poſſunt,quoniã excernendis excrementis fuerunt deſtinati, Galeno teſte 5. de
cap. 14. vſu partium,qui adhuc genere duplices ſunt: quoniam alij tempeſtiuum effluuium incitant, alij verò intempeſtiuum ipſorum cohibent. Excitant autem in tempore muſculi omnes epigaſtrij, intempeſtiuè quidem effluere non ſinunt, & muſculus qui tranſuerſus rectum inteſtinum fortiter claudit, & is qui
Muſculi veſicæ ceruicem ambientis vſus non vnus eſt. veſicæ collum ſimiliter circumambit, obliquus admodum exiſtens, quamuis ille claudendi duntaxat meatus gratia extiterit, hic autem priori quidem ratione, vt contractus vndique depellat quicquid in ipſo meatu continetur, conſtructus eſt, poſteriore autem vt ipſum claudat,eodem Gale. auctore præcitato lib.5.de vſu part.cap.16.quo loco cõcludit triplicẽ prædicti muſculi vſum, quorum primus eſt, vt nihil in meatu vrinario relinquatur, ſecundus,vt ori veſicæ

clau

claudendo opituletur, & tertius, vt excernendorum celeritatem acceleret. Quapropter mirari non oportet quomodo per bonam valetudinem, volentibus nobis, vrina excernatur, cùm videlicet muſculus iam dictus ceruicem veſicæ circundans voluntatis noſtræ imperio obtemperans ab actione quieſcit, fungente autem tum veſica ſuo munere, in excernendo naturaliter agens: & proinde Gale. 6. c. 3. de locis affe. tum eos condemnat, qui vrinarum, ac cibi excrementorum deiectionem totam ab electione procedere exiſtimarunt, tum eos qui his qui è diuerſo totum hoc corpus naturale putarunt, tanquam à veritate deuiantes. Nam alui deiectio, & vrinæ redditio vtroque inſtrumento propriis ſuis facultatibus agente perficiuntur, rectum inteſtinum, atque veſica naturali quidem vtuntur facultate, muſculi verò ea quæ & animalis, & voluntaria nominantur. Tunc verò quieſcunt ab opere muſculi hi, qui fluores cohibere ſolent, cùm abdominis muſculi munere ſuo funguntur, maximè verò medij: opus autem horum eſt, vt adeò exactè extremam recti inteſtini partẽ, atque veſicæ ceruicem ſtringant ipſas partes ambientes, vt nihil humoris ex veſica in meatum ingredi poſsit, neque per aluum ſtercus excerni, licèt hic ſecundus ſit muſculi ceruicem veſicæ ambientis vſus, vt dictum eſt. Quieſcimus itaque voluntariè ab horum actione, cùm vrinam, vel ſtercus excernere propoſitum eſt. At ſi præter voluntatem excernatur vrina, nam de hoc affectu tractare intendimus, veſica ipſam retinere nequeunte, ſymptoma oritur, quo affectos ἐνουροῦντας Paulus appellat, à Galeno verò 6. de locis affe. ἀκούσιος ἔκκρισις τοῦ οὔρου nuncupatur affectus hic. Sed à Latinis vrinæ incontinentia, ſeu præter voluntatem excretio. In quo affectu veſica vrinam retinere non poteſt, ſed præter voluntatem paucis omnino interuallis excernitur, vt liquet ex eodem Galeno ibidem. Quod verò in prædicto affectu veſica ipſa afficiatur non ſecundum propriam eius eſſentiam, ſeu corpus, ſed ſecundum iam dictum muſculum eius ceruicem ſtringentem citato loco ab eodem Galeno ſcriptum eſt, cùm dixit, quòd ſi nerui muſculi ceruicem veſicæ ambientis reſoluantur: proprium indicium, quòd muſculus hic reſolutus ſit, eſt vrinæ præter voluntatem excretio. Verùm cùm hæc actio voluntaria muſculi læditur, non perpetuò ipſo per eſſentiam affecto læſio excitatur, ſed quandoque per conſenſum, neruis ſcilicet, per quos animalis facultas ad ipſum fertur, oblæſis. Nam cùm vnica duntaxat perit actio voluntaria, ſolum muſculum, qui ipſam efficere ſolet, aut neruum ipſius affectum eſſe putandum eſt, eodem Galeno auctore 4. de locis affect. cap. 4. Verùm nunquid muſculus, aut neruus, qui ad ipſum peruenit, vel ambo ſimul affecti ſint, haud facilè percipi poterit, niſi quiſpiam copulata ſymptomata attentè deprehendat, & ea quæ præceſſerunt, optimè inueſtiget. Nanq; muſculo affecto circa ceruicem veſicæ, eius affectionis ſigna aderunt. Et ſi intemperie duntaxat laboret, frigida videlicet, ex aliqua tali procatarctica cauſa, quæ fortè præceſsit, ac reliquis ſignis percipi poterit, veluti & Gale. percepit in piſcatore quodam, cùm in flumo piſces venaretur: adeò enim hic circa ſedem, & veſicam infrigidatus erat, vt ipſo inuito effluerent & alui excrementa, & vrina, hunc curauit per calida remedia affectis muſculis adhibita, & celeriter ſanus euaſit, vt ipſe inquit eodem 4. de loc. affe. cap. 4. Quòd ſi nequaquam ſymptoma aliquod apparuerit eo loco, quo prædictus muſculus poſitus eſt, neque talis aliqua externa cauſa infrigidans præceſſerit, prios neruos eiuſdem muſculi affectos eſſe à quapiam interna cauſa conijciendum erit circa os ſacrum ortos, quem etiam affectum multo tempore per multa præſidia vix idem Galenus ſanauit, quanquã ipſis etiam neruis primariò affectis, adeò vt facultas animalis per eos ad muſculum peruenire non valeat. Muſculum quoque per conſenſum affici dicimus, cùm priuetur eo, quo præſente ſuum munus perficiebat. Id verò eſt animalis facultas: propterea hunc muſculum perpetuò in vrinæ inuoluntaria excretione per eſſentiam, aut per conſenſum affici dicimus, idque proprium eſſe ſignum quod ipſe læſus ſit. Sed mox obiiciet quiſpiam aſſerens

Quòd vrinæ redditio nõ ſit opus naturale, nec animale duntaxat, ſed mixtum ex utriſque.

Paul. lib. 3. cap. 45.

Gal. 6. de loc. affect. cap. 3.

Quid per urinæ incontinẽtiam intelligẽdum ſit.

Pars affecta.

Dubium.

falſum

falſum eſſe quòd perpetuò reſoluta veſica inuitis nobis vrina excernatur, nam ea reſoluta (vt inquit Paulus) cap.18.3.libri,& Aëtius cap.34. libri 6.interim inuoluntariè vrina excernitur,quandoq; verò omnino detinetur, niſi eſſet quod ſecus hi quàm Gale. de veſicæ reſolutione verba faciunt, nam ipſi commune caput ſcripſerunt de veſicæ reſolutione, tam ſi fiat eius eſſentia, ſeu corpore, aut proprijs neruis ad eam diſtributis oblæſis, quàm ſi muſculus eius ceruicem ambiens,aut nerui ad ipſum deuenientes reſoluti fuerint. Galenus verò particulatim vtramque pertractat,cùm vna impropriè (vt ita dixerim) reſolutio dici poſsit, quando videlicet veſicæ ſubſtantia, aut eius proprij nerui affecti fuerint,quoniam tunc non motus,ſed ſenſus duntaxat ipſius aufertur.Quapropter rectius obtuſus, ſeu ablatus eius ſenſus diceretur, quàm reſolutio. Quo caſu iſchuria generatur,vt præcedenti cap.oſtendimus.At ſi nerui qui ad muſculum diſtribuuntur, aut ipſemet muſculus, adeò afficiantur, vt eius actio omnino auferatur,tunc propriè reſolutio dicitur,& proprium indicium (vt ipſe inquit) quod muſculus hic reſolutus ſit,eſt vrinæ præter voluntatem excretio. Et propterea affectio hæc cùm ſymptoma ſit in genere excretorum immodicè, perpetuò noxam functionis conſequitur, non ſiquidem naturalis facultatis ipſius veſicæ,ſed animalis prædicti muſculi,quæ neque malè fit, diminutè, aut deprauatè oblæſa, ſed nullo modo fit, & ablata eſt: nihil etenim in retinendo veſicæ opitulatur, animali facultate motrice voluntaria omnino priuatus, ac deſtitutus. Indicium autem eius eſt, quòd veſica haudquaquam vrinam retinere poteſt, ſed inuitus, & præter voluntatem paucis omnino interuallis ipſa excernitur. Huius affectionis cauſæ plures eſſe poſſunt, cunctæ videlicet, quæ prohibere poſſunt animalis facultatis tranſitum ad prædictum muſculum, quas omnes cap. de reſolutione conſcripſimus, & propterea non eſt, cur hìc iterum eas repetamus, cùm exinde ſtudioſi petere poſsint. Quòd verò pueris maxima ex parte ſoleat affectio hæc accidere, 45. cap. 3. libri, Paulus ſcriptum reliquit. At quòd ſi ex aliqua externa cauſa generetur iam dictus affectus, muſculo infrigidato celeriùs curetur, quàm ſi citra manifeſtam cauſam proueniat, læſis eiuſdem muſculi proprijs neruis circa os ſacrum, 4.de locis affect. cap.4. à Gale.ſcriptum eſt. Eos item, qui vrinam ſine voluntate emittunt ob ceruicis veſicæ vulnus, aut caſum, aut vertebræ luxationem ſuperuenientibus, quæ mortem fatentibus notis, nulla medicina periculo ſubtrahit,vt idem Paulus teſtatur cap.18. libri 3. Cæterùm quoniam ſæpiùs ex frigida prædicti muſculi, aut neruorum ad ipſum deuenientium intemperie affectio hæc originem ducit, interim per ſe, quandoque verò cum frigidorum ſuccorum redundantia propterea curandi rationem eius cùm ex hac cauſa excitetur, conſcribere inſtituimus. Qua de re aër ad calidum vergens eligatur, ſomnúſque modicus, nam ſimiliter moderatæ vigiliæ conferunt. Ocium, ac deſidioſa vita vitentur, moderatum exercitium conferti alui deiectio ſingulis diebus procuranda erit, ſi non natura, ſaltem arte, clyſteribus, ſeu glandibus. Cuncti animi affectus vitandi præter iram, quę interim confert. Cibi facilis coctionis, ac boni nutrimenti eligantur, ad calidum etiam vergentes. Propterea pullorum,gallinarum, perdicum, phaſianorum, ac aliarum paruarum auium carnes eligendæ ſunt, quę perpetuò cum aromatibus condiendæ erunt, ſimiliter in earum iure hyſſopi parum,ſampſuchi,ſaluię, ſatureiæ, ſeu ſerpilli, fœniculi, ſeu oreoſelini incoquatur.Interim eiſdem carnibus aſſatis vtantur, nam ſicci cibi eiſdem competũt,vt inquit Paulus.Pro potu aqua mulſa exhibeatur,vel vinum ſubrubeum, adſtringens,potiſsimùm eis,qui ab eo ſe abſtinere non poſſunt, & (vt ſummatim dicam) vniuerſa victus ratio calidior, & ſiccior ſit, vt inquit Aëtius, niſi acriores,& mordaciores appareant vrinę.Quòd verò ad medicamentorum rationem attinet, quoniam communia habet auxilia hoc vitium cum iſchuria orta ex torpido veſicæ ſenſu,ſeu eius reſolutione,eodẽ Aëtio teſte cap.34. lib.6. idcirco eiuſdem commodè vtare.Et ſi reſolutionis cauſa frigidi, & craſsi ſucci redun

Solutio.

Qui affectus præter naturam ſit vrinæ incõtinentia.

Cauſa.

Prognoſtica.

Curatio.

Victus ratio.

Lib.3.cap.18.

Lib.11.c.24.

Medicamentorum ratio.

redundantes fuerint, eis quoque vtendum erit medicamentis, cũ alterantibus, tum purgantibus, quæ cap. de reſolutione probauimus. Vitanda itaque ſunt medicamenta, quæ refrigerant, potiſsimùm ea in quibus valida eſt hæc vis: & calidis fouendi ſunt ægri, ac roborantibus potiſsimùm (Paulo auctore) exempli gratia œnelæo calido, & ſimilibus. Naturaliter autem huic vitio opitulantur (eodem auctore) gallinæ guttur combuſtum, ſi ieiuno bibendum in aqua tepida præbeatur. Similiter leucanthemi flores, vel leporis teſticulus toſtus, ex vino odorato: potio item calaminthæ, & myrrhæ ante cœnam ſalutaris eſt, vt idem inquit Paulus, præſertim ſi cum vino odorato præbeatur, Aëtio auctore. Cæterùm ex Aëtij ſententia eos, qui præter voluntatem vrinam emittunt, per mordacia cataplaſmata, & malagmata, & per rubefacientia ex ſinapi apparata curare conuenit. ſimiliter ex arenæ iniectione à ſole feruefactæ, aquiſque naturalibus, & maximè ſulphurulentis, & bituminoſis, primùm quidem calidis, poſtea etiam frigidis curandi ſunt. Necnon & partes exercendæ, ac perfricandæ. Vrinam autem ducentia nequaquam exhibeantur, eodem auctore. Ad eos verò, qui ſe in ſomno permingunt, conuenit ex ſententia eiuſdem Aëtij pulmo hœdi moderatè aſſatus, & citra panem largè ad triduum in cibo acceptus. Similiter leporis cerebellum ſiccum potatum ex vino, aut teſticulum leporis ſiccum in vinum indito, & bibendum dato, vt ipſe refert. Veſica quoque porcina per ſe vſta, & in potu exhibita iuuat. Simili modo & ouilla veſica facit, cinerem itaque eius ex poſca præbeto. Item confert ſi caſtorei drac. j. in vino odorato in potu exhibebis. Eandem veſicam ouillam ſeu caprillam vſtam ex poſca Gale. 9. de compoſitione medicamentorum ſecundum loca præbet bibendam. Necnon & leporis teſticulum in vino odorato ferueſactum, oblinereque iubet pudendum cimolia terra cum perdicij ſucco. Cùm verò diuturnum, & inueteratum fiat hoc malum, velut eos qui præter voluntatem ob reſolutionem veſicæ vrinam emittunt, hos curato: differunt etenim ij ab illis, in eo quòd iis per ſomnum ſaltem hæc acceſsio contingit, illis verò, quibus ob muſculi colli veſicæ reſolutionem hoc accidit, etiam dum vigilant eodem modo afficiuntur, ex ſententia eiuſdem Aëtij cap. 25. libri 11.

Lib. 3. c. 45.

Ad eos qui ſe in ſomno permingunt. Lib. 11. c. 25.

cap. 9.

Περὶ λιθιάσεως τῆς κύστεως. *Id eſt, De lapide veſicæ ſeu calculo. Cap. CI.*

QVEMADMODVM in renibus, ita quoque in veſica, affectus quidam, qui à Græcis λιθίασις, à Latinis lapidatio, ſeu calculoſus affectus appellatur, gigni ſolet, velut à Galeno ſcriptum eſt, primo de locis affect. cap. 1. & ab Alexan. lib. 9. cap. 7. Quòd verò veſica hoc morbo laboret, hiſce notis deprehenditur, nam vrinæ crudæ, & colore ſubalbidæ conſpiciuntur, ſedimentum eſt arenoſum, & ſcabiei ſimile, præterea ægri pudendum ſcalpere, aut id violenter, & ſæpe diſtendere ſolent, atque tunc magis cùm ad vrinarum excretionem vrgentur, vt inquit Alexander. Continuè quoque in vrinam propelluntur, ac ſtillicidio vexantur, Paulo teſte capite 45. libri tertij. Interim quoque vrina derepentè eis ſupprimitur, præſertim vbi lapis in veſicæ ceruicem incidit, vt liquet ex Galeno eodem primo de locis affectis, cap. 1. Quamuis Hippo. aphoriſ. 79. lib. 4. vno duntaxat ſigno hunc affectum dignoſci ſcriptum reliquit, cùm dixit, In quorum vrinis, velut arenulæ ſubſiſtunt, his veſica laborat calculo. Verùm cùm hoc indicium commune ſit, tam veſicæ, quàm renibus calculo laborantibus, vt liquet ex Galeno eodem loco, propterea addendam eſſe alteram apho. partem præcepit, pro aphor. veritate. Prædictis itaque notis tum partem affectam, quæ veſica eſt, cùm etiam & qualitatem affectus, qui calculus ſeu lapis dicitur, dignoſcere poterimus. Quòd verò morbus ſit in numero, ac in exceſſu, cap. de renum calculo dictum eſt, toto etiã genere præter naturam, vt liquet 14. metho. meden. cap. 13. Cæterùm quòd prima, potiſsimáq; cauſa ſit vrinarum craſsitudo,

Veſicæ calculo laborantis, ſigna.

Quia affectus præter naturam ſit.

6. de morbis uulg. commentario 3. commen. 15.

6. de morbis vulgaribus à Galeno ſcriptum eſt, huiuſmodi nanque craſsitudo multa in veſica collecta, & in vnum coiens, cùm ſemel aliquando nõ apto tempore excreta intus diutiùs remanſerit, concreſcendi, coaugmentandíque initium capit, eo verò principio facto, facilè (quod iam ſupereſt) quicquid iterum craſsi in veſicam delabitur, priori adglutinatur, maiórque inde tophoſus calculus redditur, quemadmodum extra, & in calidis aquis ſponte naſcentibus, & in natis, vbi calefit aqua, quotidie lapis coaleſcere cernitur. Opitulatur autem non parum in hoc veſica ipſa, vt quæ frigida ſit, neruoſa, ac pauci ſanguinis, nec non ampliſsima interius concauitate inanis. Vbi etenim in ipſam fuerit craſsitudo tranſmiſſa, ibi cogitur, & conſpiſſatur, initium huius conſpiſſationis (vt diximus) accipiens, quando in eadem veſica diutiùs commoratur.

Materialis cauſa generationis lapidis in veſica.

Præcipua itaque, ac potiſsima cauſa generationis calculorum in veſica eſt ipſa qualitas materiæ, craſsitudo inquam vrinarum, ex Galeni teſtimonio. Id quod confirmauit Alexand. citato loco, cùm dixit, Veruntamen veſicæ calculi pueris magis, quàm vetis generantur, neque à tanta caliditate, ſed materia potiùs craſsiore, & ad generandos calculos promptéque ab inſita caliditate concreſcendos idonea.

Efficiens cauſa.

Atqui caliditas ad coaugmentandum lapidem etiam non parum operatur, licet non ipſa præcipuè, ſed materiæ qualitas ipſius compactionis cauſa exiſtat, vt diximus, ex Galeni ſententia citato libro 6. de morbis vulgaribus.

Commen. 3. comment. 15.

Et propterea quiuis calor etiam mediocris, vt in pueris reperitur, ad huiuſmodi materiam ſpiſſandam ſatis eſt, nedum aſcititius, ac igneus, nanque opus eſt, vt & ipſe aliquid faciat ad coaugmentandum lapidem, etenim ſenes

Cur ſenibus calculi nõ generantur.

humorem crudum non parum aceruant, quanquam non propter edacitatem, vt pueri, ſed propter potentiæ concoquentis imbecillitatem: quia tamen calorem adeò fortem non habent, vt ex materia craſſa vaporem reſoluẽs, lapidem generet, propterea in eis calculi non generantur, eodem Galeno auctore commen. aphoriſ. 23. 3. libri.

Cur in pueris magis, quã in adultis ueſica lapis generetur.

Requiritur ergo & caliditas etiam pro calculis in veſica generandis, etiam ſi mediocris fuerit, velut in pueris, quinimò in eis, magis quam in adultis, omnium medicorum conſenſu pro confeſſo habetur; lapides in veſica generari, propterea quòd craſsiſsimæ vrinæ à pueris redduntur, tum propter ipſorum edacitatem, tum quòd à cibo ludentes, proſilientéſque mouentur, lactentibus verò & materia ipſa occaſionem præbet, lac enim natura craſſum eſt. & ad calculos creandos aptiſsimum, vt liquet ex eodem Galeno libro citato 6. de morbis vulgaribus, etiam cibis vtcunque oblatis, & nociuis vtuntur (vt inquit Aëtius) & neque horam cibum capiendi ſeruant ordinatam; quinetiam priuſquam prior ſumptus cibus concoquatur, alium ingerunt, & cum vehementius à cibo mouеantur, crudus, & incoctus in venas diſtribuitur: cuius etiam euẽtus cauſa à Galeno primo de criſib. cap. 12. talis aſsignatur. Nam cum vna ventriculi operatio non poſsit duobus ſimiliter ſufficere, augendo ſcilicet, & alendo, propterea antequam in ipſo ſufficienter alimentum ſit coctum, ipſum ad ſe corpus trahit, atque hinc fit, vt plurimùm crudi humoris coaceruet. Neque hoc ſatis eſſet pro calculorum in veſica generatione pueris ipſis, niſi omnes naturales actiones in eis validæ eſſent, ita vt humorum craſsitudo funderetur, atque diſſolueretur: contrario modo in declinantis ætatis hominibus, in quibus cogitur, atque inſpiſſatur. Qua de re cùm multus inſitus calor ſit in pueris, & actiones firmæ, materiæ craſsitudo attenuata in renes fertur, atque ideò facilè in veſicam percolatur, haud parum (vt inquit Galenus) & actionum vi ad egreſſus celeritatem conducente, ac eorum corporum mollitie, vt teſtatur Aëtius. Exemplo ſunt & exteriora quæcunque natura craſſa per aliqua anguſta transfundere volumus: nam quaſdam eorum partes calore eliquatas facilè peruadere conſpicimus, quaſdam non fuſas, neque eliquatas tranſire non poſſe cernimus, veluti pix, reſina, ſeuum, cera, & mel: adde quòd eadem materia craſſa cũ ab inſito calido in pueris magis elaborata ſit, rationi conſentaneum, vt tenacior euadat, nam quæcunque à calore in concoquendo

Comment. 3. comment. 15. Lib. 11. cap. 9.

6. de morbis uulgar. loco citato.

mutan

mutantur, temporis proceſſu lentorem quendam acquirunt, & ſi ab initio nullum habuerint, quo circa planè magis in vnum coëunt, denſantur, atque coaugmentantur, nam inter æquè craſſa quod tenacius eſt, ad vnionem, ſpiſsitatem, & concretionem aptius habetur. Hinc non ab re cuilibet facilè patere poterit quam ob cauſam, & ſi quibuſdam adultis corporibus magna coaceruetur copia craſſorum humorum, adsitque aſcititius calor eorundem validus, in eiſdem minùs, ac perrariſsimè calculi in veſica generentur, ſed in renibus potiùs, cum eadem materia non admodum elaborata, diſſoluta, ac fuſa ad renes perueniat: & propterea non facilè in veſicam percoletur, quinimò in eiſdem magis cogitur, atque inſpiſſatur, ea etiam non ita celeriter diſtributa. Similiter cur pueris in veſica poſt mictum, adultis verò in renibus antè mictum calculi generentur. Ex his quoque patefit eorum error, qui propterea in pueris calculos gigni in veſica aſſerebant, quod itinera ob vaſculorum exiguitatem anguſta ſunt, nam ſi ita eſſet, oporteret in renibus potiùs, quàm in veſica calculos pueris creari: anguſti enim per illos tranſitus ſunt, veſicæ autem ceruix lata adeò in pueris eſt, vt cuiuſque materiæ craſsitudo per eam facilè trãſmitti poſsit. Præterea neque in illis fortè, qui iam progreſſa ætate ſunt (vt inquit Galenus) meatuum per renes anguſtia gignẽdis lapillis in cauſa eſt, ſed & actionum infirmitas, & craſſorum ſuccorũ cruditas, vt ipſe refert.

Loco citato.

Dubiũ de calculi generatione in veſica in pueris.

At ſi obiiciet quiſpiam aſſerens Hipp. aliud ſentire de calculi in veſica pueri generatione 2. de natu. hum. cùm ait. Naſcuntur etiam pueris calculi ob loci huius calorem, ac totius corporis, viris calculi ob corporis algorem non innaſcuntur.

Tex. 11

Reſolutio.

Dicimus nos Hippocr. non ſecus ſentire, ac Gale. Nam quod efficiens cauſa generationis calculi in veſica ſit puerorum calor, ambo confitentur, nec idem Gale. abnegat etiam in ipſa veſica pro calculi generatione calorem eſſe neceſſarium, quinimò illud ſcriptum reliquit præcitato commen. aphoriſ. 26. 3. lib. licet 6. de morb. vulgat. dixerit opitulari in calculi generatione veſicam, vtpote quæ frigida, neruoſa, & pauci ſanguinis ſit, & amplisſima interius concauitate inanis.

6. de morbis vulgarib. loco citato.

Nam relatione facta ad alias corporis partes, per quas humorum craſsitudo peruadit, in pueris ipſa veſica frigidior exiſtit, licet etiam ſuapte natura talis ſit, cùm hoc tamen nihil obſtat, quòd in ea pueris tantus conſiſtat calor, quantus ſatis ſit ex materia craſſa vaporem reſoluere, ac lapidem generare, quamuis minor ſit, quàm is, qui in iocinore, aut renibus conſiſtit. In viris autem, ac declinantis ætatis hominibus, quàm optimè Hippoc. ob corporis algorem in veſica calculos haud quaquam oriri fatebatur. Nam quis veretur eos puerorum relatione natiuo calore frigidiores eſſe? licet aſcititio calidiores: frigidiora nanque hoc modo redduntur corpora cùm primum eis incrementum conſiſtit, nihilque corpus augetur non ingenitus autem calor, qui in eis copioſior reperitur, cauſa eſt, vt materiæ craſsitudo cogatur, atque inſpiſſetur, & ita ad renes feratur, & propterea non facilè in veſicam percoletur. Iure itaque propter ingeniti caloris paucitatem virorum corpora relatione ad ea quæ puerorum frigida appellari poterunt, quæ iterum cauſa eſt, vt in eorundem veſicis calculi non generentur, vt dictum eſt. In veſica igitur pueris magis, quàm in ætate prouectis calculus concreſcere ſolet, ex communi ſententia Græcorum ferè omnium auctorum, quinimò hunc proprium eſſe puerorum morbum Hippocrates ſimul cum Galeno aphoriſmi 26. tertij libri, & ſecundo de natura humana, teſtati ſunt.

Tex. 11

Prognoſtica.

Si autem accidat quod genitus calculus in veſica per chirurgiam curari debeat, pueri vſque ad decimumquartum annum propter corporum mollitudinem facile curationem recipiunt, ſenes quòd corpus ipſorum contumax ſit, vix conſaneſcunt; mediæ verò horum ætates etiam in hoc medio quodam modo habent, Paulo auctore cap. 60. libri 6. & rurſus (vt ipſe inquit) facilè ſanantur, qui maiores calculos habent, propterea quòd inflammationibus aſſuerunt, qui minores difficulter ſanantur contrarias ob cauſas.

Curatio.

Quoniam verò communem habet hæc affectio curandi rationem cum calculo renum, propterea

Victus ratio. Locis citatis.

eadem victus ratione vtendum erit, quam ibi inſtituimus: potiſsimùm autem cauendum eſt à lacte ex Galeni decreto 6.de morbis vulg.necnon ab aquis impuris,& multo limo refertis,ac vehementer frigidis, vt inquit Aetius. Similiter & eiſdem auxiliis vti conuenit, niſi quod validioribus ibi conſcriptis vti oportet,indicatione ſumpta à parte affecta,& pręſertim ab eius ſitu. Nanque craſsitiei,quæ potiſsima cauſa generationis calculi in veſica exiſtit,per extenuantia occurrendum eſt,ne multa materia craſſa congregetur. Quapropter validis,atque efficacioribus medicamentis præcitato cap.conſcriptis vtare: priuatim au-

Medicamentorum ratio.

Lib.11.cap.10

tem vbi ea non ſuffecerint,ex Aëtij auctoritate., tanquam lapides veſicæ atterentia,& vrinam ducentia,pharmaca hæc competunt, fœniculi ſilueſtris radix, graminis radix,artemiſia, chamæmelum,amaracus, althææ radix,& ſemē ſion, quod circa aquas naſcitur, adiantum, ſmyrnij ſemen, rumicis radix,lapis ſpongiæ,lapis judaicus tecolithon dictum, aſplenon herba, lithoſpermon, lapis qui ab ægris per lotium eiectus eſt tritus, ac potatus, vermes terreni recentes cocti, triti cum vino, vitis lachryma. Horum vnumquodque (vt ipſe inquit) cum vino albo datur decoctum, aut ſiccum inſperſum,aut cum melle,ſeu cum quopiam ex vino, & melle potum. Danda etiam in potu ea quæ vrinam cient,veluti cucumeris ſemen, apij, petroſelini ac violæ albæ ſemen:& corporibus,quæ frigidiorem habent temperiem, meon, phu, acorum,ac reliqua calidiora præbeto. Poterunt quoque ex eiſdem varia medicamēta componi,aut prout vſus exiget, exhiberi cum vino albo,aut aqua mulſa,ſeu decocto aſplenij, & radicis

Lib.9.cap.7

graminis,aut etiam oxymelite. Ab extra Alex. tanquam efficax auxilium longo tempore, & experientia priùs inuentum, & comprobatum, caprillum ſeu hircinum ſanguinem calidum extrinſecus illinitum commendauit, ſuper veſicam impoſitum. Verùm longè optimum eſſe fatetur, ſi in calido balnei aëre ipſum illinas, atque ita deliges,id verò non modò ſemel, ſed ſæpe,& per interualla. Quòd ſi neque per hæc adhibita pharmaca lapis in veſica atteri poſsit, vbi meatum obturans vrinæ ſuppreſsionem inducat, eo modo curari debet, quem præcepimus ex Galeni auctoritate cap.de iſchuria orta ex calculo:& vbi ex multifaria concuſsione curari non valeat, catheterem immittere oportet. Sed ſi neque hæc ſuffecerint,ad ſectionem tranſeundum erit,modo quo a Paulo præcipitur præcitato cap.60.libri 6.Exacto autem lapide, & cicatrice vlceri obducta,ea victus ratio conſtituenda erit, ne eos renaſci contingat, quā Aëtius inſtituit cap.15. eiuſdem libri vndecimi.

Περὶ φλεγμονῆς τῆς κύστεως, *Id eſt, De inflammatione veſicæ.* *Cap. CII.*

VESICAE quoque interim vitia quædam ſuperueniunt quæ cæteris corporis partibus communia ſunt, veluti id eſt, quod Græci φλεγμονὴν, Latini inflammationem nuncupant. Verùm quid ſit, in quo morborum genere reponatur,& à qua cauſa generetur, ac quis ſit eius generationis modus, in præcedentibus locupletiſsime dictum eſt: neque enim quantum ad hęc ſpectat à cæteris inflammationibus veſicæ inflammatio differt. Reliquum eſt igitur vt ad eius indicia

Veſicæ inflāmatæ ſigna.

deueniamus inſimul conſcribentes quæ affectum ipſum,ac partem affectam indicant: teſtantur itaque eam communia inflammationis ſigna, & quædam propria: nam ardor,dolórque cum grauitate circa pubem,ac inguina ſentiuntur, febris aderit,mentis alienatio, vomitio bilis ſynceræ, & vrinæ reddendæ impo-

Lib.3.cap.45

tentia,vt inquit Paulus. Vigilant quoque,& delirantes aliena loquuntur, ac durus fit eis pecten & pubes vna cum vehementi dolore, & egerendi appetentiæ,velut in tineſmo fieri ſolent: quod verò egeritur,tenue eſt, & ſubſidentiam non habet: aliquando & inflationes ſequuntur, & aluus adſtricta eſt, inteſtino

Lib.11.cap.25

Prognoſtica.

recto ob inflammationem veſicæ compreſſo (Aëtio teſte.) Inter omnes autem morbos, qui circa veſicam oboriuntur, grauiſsimus, & maximè mortiferus in-

flamma

flammatio exiſtit (eodem Aëtio auctore) Hinc ſequitur quòd, vt quibuſdã viſum eſt, inter omnes inflammationes in veſica ortas, ea letalior ſit, in qua vehementior excitatur dolor, febris acuta magis; ac cùm vrinæ, tũ alui deiectionis omnimoda ſuppreſsio: & è contrà minùs letalis erit ea, in qua prædictorum ſignorum contraria apparebunt, etenim febris ex inflammatione veſicæ non abſque ratione fit: & quantò illa maior eſt, & grauior, tantum augeri febrem contingit ex Gal. auctoritate com. aph. 44. 6. lib. Quantùm verò ad eius curationẽ ſpectat, pauco cibo, ac potu aſſeruandi ſunt ægri. Potus autem ſit aqua hordei, vel aqua in qua cinnamomi parum fuerit decoctum. Reliqua victus ratio è capi. de inflammatione renum petenda eſt. Cæterùm quantùm ad medicamentorum rationem attinet, primùm omnium aluus leni infuſo clyſtere ſubluatur, & poſt ſtercorum eductionem oleum chamæmelinum, anethinum, aut in quo ſemen lini, vel althæa, fuerint incocta in inteſtinum ſolatij, & leniendi doloris gratia, iniiciatur. Et ſi nihil aliud prohibeat, confeſtim in morbi principio ſanguis detrahẽdus eſt, ex Aëtij, & Pauli decreto. Verùm quæ vena ſecari debeat, ambo ſubticuerunt. Circa quod id exequendũ eſſe cenſerem, quòd vbi multa ſanguinis copia redundarint, & vires copioſam venæ ſectionem haudquaquam ferre poſſent, potiſsimùm in morbi principio, internam cubiti venam ſecare tutius erit, reuulſionis duntaxat gratia, poſtquam eodem die, aut ſaltem ſequenti poplitis, aut tali vena, perpetuò rectitudinem ſeruando tutius ſecari poterit euacuationis gratia cum deriuatione. Nec obſtat Gale. documentum lib. de cur. ratione per venæ ſectionem, & 13. met. vbi in inflammata veſica poplitis, aut tali venam incidendam eſſe præcipit, nanque vbique locorum ſuppoſuit vires adeò eſſe robuſtas, vt per vnicam venæ ſectionem ferre valeãt, tum auerſionem, tum euacuationem, vel (vt rectiùs dicam) euacuationem cum auerſione ſimul, quo caſu neque nos aliter exequendum eſſe fatemur: ſed vbi vires (vt diximus) ferre tantam non valeant ſanguinis euacuationem, tunc tutiùs eſſe audacter aſſuerimus priùs cubiti venam è directo ſitam internam ſecare, & demum eam, quæ poplitis, aut tali. A venæ ſectione in decoctum ſeminis lini, fœnugræci, in hydrelæo pauco addito aniſo, aut dauci ſemine inſidere ægrum facito, admoneatúrque æger quò in dicto decocto deſidens mingat: & ſi imbecilla fuerit veſica ad expellendam vrinam, ægrum ipſum, aut aliquem ex aſtãtibus ſcitè, ac placidè pectinem premere oportet, neq; id vltra modum, ne dolor inde intendatur, vt inquit Aëtius. Deinceps veſicæ locos irrigaro ex oleo chamæmelino, anethino, ſeminis lini, aut eo in quo althæa fuerit incocta. Item fomenta adhibeantur per aquã & oleum in veſicis ſemiplenis admota, aut ſpongiis: & vbi hæc non ſuffecerint, cucurbitam circa pectinem, aut pubem vnà cũ ſcarificatione affigemus. Quòd ſi neque ſic medicamentis malum cedat, præſtabit papaueris calicem, ſimul cum oleo incoquere, & adipem anſerinum, & & gallinaceum in ipſo oleo eliquatum ſimul infundere, vt eidem Aëtio viſum eſt, qui etiam Rufi auctoritate, vehementioribus exiſtentibus doloribus, opiatis medicamentis vtitur ex opio, modica myrrha & croco compoſito medicamento, lanæq; illito, ac in podicem indito. Similiter cataplaſmatibus vtendum eſſe cenſet ex cruda hordeacea farina, capitibus papaueris; hyoſcyami ſoliis, ac modico mandragoræ ſucco adiectis. Si verò vrinæ ſuppreſſæ periculum vrgeat, neceſſariò ad catheteris vſum confugimus, non quòd affectionis moleſtiam tollat, ſed vt vrgentem vrinæ ſuppreſsionem corrigat, & à præcipiti periculo liberet, vt liquet ex eodem Aëtio, quanquam periculo non careat catheteris immiſsio: in viris dolorem ſiquidem exacuit, & inflammationem auget; mulieribus verò ipſum adhibere nihil abſurdum. Breuis enim in ipſis vrinæ meatus exiſtit, & recta ſitus vt citra dolorem hoc molimen admittant. At poſt vrinæ prolectationem, rurſus ad eadem mitigatiua auxilia accedendum, vſque quo inflammatio ſoluatur, aut ſuppuretur, vt eidem Aëtio viſum eſt. Verùm vbi ad ſuppurationem vergat, eadem iuuanda erit cum his, quæ in aliarum

Curatio.
Locis citatis.
Venæ ſectio.
Lib. de cur. rat. per venæ ſect. cap. 18.
13. meth. c. 11.
Topica.
Loco citato.
Loco citato.
Ibidem.

partium inflammationibus ad ſuppurationem vergentibus conſcripſimus. Et poſt maturationem, ſi non diſrumpatur abſceſſus, eiſdem quoque naturæ opitulandum erit pro eius diſruptione, quo diſrupto, quam præcipiemus in ſequenti cap. vlceris curationem conuenientem eſſe in confeſſo eſt.

Περὶ ἑλκώσεως τῆς κύστεως. *Id eſt, De exulceratione veſicæ.* Cap. CIII.

NON rarò etiam contingit veſicam ipſam exulcerari, quod quidem ſignificari poterit ex his, quæ Hip. conſcripſit aph. 81. lib. 4. cùm dixit. Si ſanguinem, aut pus minxerit, ac ſquamulas, & grauis odor adſit, veſicæ exulcerationem ſignificat. Verùm Paulus ex dolore vehementi in pube, & imo ventre, vrinæque difficultate, & ex pure, quod vbi redditum eſt, ſubſidet, ſquamuliſque fœdi odoris, vel laminis ſimilibus, veſicam exulceratam indicari ſcriptum reliquit, eodem cap.

Signa veſicæ exulceratæ.

45. lib. 3. & ſi eadem ſcabie laborat, furfuracea ſubſidentia ſignificabit, quemadmodum idem Hippo. aphor. 77. 4. lib. decretum reliquit, cùm dixit, Quibus cum vrina craſſa furfurea quædam ſimul exeunt, his veſica ſcabie laborat. Quo loco Galenus animaduertebat verbum illud, craſſa, nanque cum vrina tenui furfurea quædam ferri poſſent ex venis ipſis earum tunica affecta, vel ſanguine, qui in ipſis continetur à febre ardenti peruſto. Dignoſcitur itaque veſica exulcerata ex ea excrementorum qualitate, quæ partibus adhærentis eſſentiæ proprietatem obtinent. Cuius generis eſt id quod Græcè ἐφελκὶς Latinè cruſta ſeu ramentum dicitur, lamarum ſpeciem referens, Gal. auctore 1. de locis affect. cap. 1. Similiter à dolore cum poſitu, nam vehemens tormentũ in pube, imóque ventre ſentiunt ægrotantes, ac etiam ex actione læſa, quoniam vrgebit vrinæ difficultas, ex Pauli teſtimonio. Sed quoniam non ſatis eſt ad affectæ ſedis inuentionem ea duntaxat ſymptomata, quæ in præſentia infeſtant, intueri, vt idem Galenus fatetur 6. de locis affectis, cap. 3. ſed ex his, quæ præceſſerunt, ſubinde definimus, ea de re id quoque inueſtigari debet, vt certior dignotio fiat, num videlicet æger circa veſicæ poſitum ſimul cum horrore, ac febre dolores præſenſerit, interrogando. Cum quibus etiam indiciis nonnihil confert, ſi id quod excernitur, ſit cum ipſis vrinis confuſum, an contrà. Nam id aliquando quidem exactè commixtum videtur, aliquando mediocriter, interdum vel nullam habet mixtionem, vel quodammodo ſuperſertur, vel ſolũ excernitur. Quapropter Gal. non ab re eodem 6. de locis affectis, cap. 3. de veſicæ affectibus verba faciens, dicebat, quòd veſica ſuppurata ſolum pus ſine vrina

cap. 5.

excernitur, licet citato libro, cùm de colis affectibus loquibus, deprehendi manifeſtè, atque ſecerni vlcus penis ab eo quod in veſica ortum eſt, præceperit, quoniam in primo protinus exitu ſignum vlceris apparebit, vrinam præueniens, ſi in pene ſit ortum, quòd verò à veſica egreditur, vrinæ admixtum videbitur. Nono etiam de compoſi. med. ſecundum locos, cap. 8. diſcerni dicebat corpuſcula, quæ excernuntur ex exulcerato pudendo, ab eis quæ ex veſica feruntur, quoniam illa ſtatim circa primum exitum apparent, verùm quæ ex veſica delata ipſis vrinis admixta ſunt: quanquam ſi interea ramentum, ſeu pus vrinæ admixtum excernatur in veſicæ vlceribus, confeſtim tamen, vt inquit Paulus, vbi redditum eſt, ſubſidet, licet interim eueniat vt ſolum pus ſine vrina etiã excernatur, vel nullam habens commiſtionem cum ea, quemadmodum ſæpenumero accidit in penis vlceribus: & propterea idem Galenus addidit, vt facilius vnum ab altero diſcernatur, quinetiam aſsiduè inter meiendum mordicus dolent pudendorum vlcera, præcipuè cum vel cruſtula, vel ſordibus ſolutis pura fuerint: id quod in veſicæ vlceribus haudquaquam fit, niſi iuxta collum eiuſdem vlcera conſiſtant, vt inquit Aëtius. Tunc etenim mictionis tempore duntaxat, & maximè vbi mingere cœperint, aut ceſſauerint, dolor ſentitur, atque id ampliùs contingit, ſi vrinæ ſint acriores, vt ipſe inquit cap. 29. libri 11.

6. de loc. affe. cap. 5.

Quare

Quare licet in vlceribus,quæ in pene fiunt,etiam ſine vrinis, & pus, & ſanguis exeat,vt plurimùm (eodem Galeno teſte comment.aphor.75.4.lib.) nihilominus & ſimul cum eiſdem vrinis ſtatim circa primum exitum, quandoque pus emittitur, & ſi cum eis nullam habeat mixtionem,quemadmodum de veſicę vlceribus diximus.Sic etiam in veſicæ vlceribus euenit,interdum quòd vrinæ admixtum videatur id excrementum, quod vlcera comitari ſolet, confeſtim tamen ſubſideat,vt inquit Paulus,idque ſæpius accidit, interdum etiam, vel nullam habet mixtionem,vel quodammodo ſuperfertur, vel ſolum ſine vrina excernitur,vt idem inquit Gale.Attamen vtra potiùs iſtarum partium fuerit exulcerata,dolor,qui in differentibus accidit locis,& proprietas eorũ,quæ cum vrinis excernũtur,indicabunt,quemadmodum idem Gale.ſcriptum reliquit commen.præcitati aphor.75.4.lib.Pro diſcernenda exulceratione renũ, aut veſicæ, quod quidem indiſcriminatim Hipp.in eodem aphor.conſcripſerat ſic dicens,ſi ſanguinem,aut pus mingat,aut renum, aut veſicæ exulcerationem ſignificat, aut ſaltem ex dolore cum poſitu,illud diſcerni poterit,vel dicas aliud eſſe,ſi pus ex veſica excernatur,eadem ſuppurata, & aliud ſi ramentum ex ipſius vlcere: nam primùm relatione ad alias ſuperiores partes ſuppuratas,quæ per vrinã expurgari poſſunt,ſolùm ſine vrina excernitur,vt inquit Galen.licet non ſemper, quod in aliis ſuperioribus partibus haudquaquã euenit.At ramentum,ſi ex eiuſdem veſicæ exulceratione ſecernatur,collatione facta ad penis vlcera vrinę admixtum videbitur, præuenire autem conſueuit vrinam in penis vlceribus, ac protinus in primo exitu apparere, quamuis etiam idem ramentum in veſicæ vlceribus,relatione ad alias exulceratas partes ſeipſa ſuperiores, interdum vel nullam habeat cum vrinis mixtionem,vel quodammodo ſuperfertur, vel ſolum excernitur (eodem Gale.teſte.) Itaque relatione ad penis vlcera, vt plurimùm vrinę admixtum videbitur ramentum ex veſicæ vlceribus decidẽs,quia non protinus in primo exitu apparebit, aut vrinam præueniet, vt in penis vlceribus contingit. Verùm collatione ad alias ſuperiores partes facta, vel nullam habebit mixtionem,vel quodammodo ſuperfertur, vel ſolum excernitur, vt diximus, quia neque exactè, neque mediocriter cum vrina permixtum videbitur, ſed vel nullam, vel exiguam cum vrina mixtionem habebit. Cæterùm cùm veſicæ vlcus morbus ſit in ſoluta continuitate, tum ex iam dictis, & etiam ex his,quæ dicemus,dignoſci poterit.Propterea omni tempore dolor acutus comitatur ægros,maxime verò mictionis tempore, & excretionis puris:aſſiduè etiam decumbũt,& neque erecti ſtare poſſunt, neque reclinati quieſcunt ægri,ſiquidem dolores acuti ſunt,& vlcera iniucunda, partim quòd vrina aſſiduè ea contingat,partim quòd ea natura acris exiſtat, neque quamuis plurima excernatur, vniuerſa veſica vacuari poteſt, ſed ſemper ex vrina quidpiam in ipſa relinquitur,quod continuè vlcera contingit, vt ait Aëtius, & ſi quidem ſordida fuerint vlcera,fæculenta,vt idem fatetur,ſimul excernuntur, & mucoſa,& quæ craſſam ſubſidentiam ad modum farinæ habent,aliquando autem & pelliculæ tenues ad modum foliorum,& lamarum cum vrina excernuntur.Si verò ſerpendo depaſcant vlcera,ſubcruenta excernuntur,& ſanioſa,& fœtẽtia: adhęc accedunt vrinæ emittendæ difficultas & pudendi arrectio,& petulantia, & dolor non ſolùm cùm vrinæ meatus fuerit affectus,ſed etiam cùm tale quidpiam in profundo exiſtat.Atqui cognoſces num in profundo, ſiue iuxta vrinæ meatum ſit affectus,ex eo,quòd ſi in amplitudine ſua veſica ſit affecta, dolor circa pubem conſequitur.Si verò iuxta collum veſicę vlcera conſiſtant,tempore mictionis tantùm,& maximè vbi mingere cœperint,ac ceſſauerint, dolor ſentitur, atque id amplius contingit,ſi vrinæ ſint acriores,vt ſuperiùs dictum eſt, ex eiuſdem Aëtij teſtimonio.Cõtingit autem ipſam exulcerari,aut propter pręcedentem abſceſſum,aut ob tuberculum,quod præceſsit, aut ex ruptura, ſeu ob fluxionis roſionẽ,aut alia ſimili quapiam cauſa,ex eodem auctore.Quomodo autẽ diuerſæ iam dictæ cauſæ diſcernantur, ex propriis earundem indiciis promptè

6.de loc.aff. cap. 3.

Qbibus indiciis diſtinguendum ſit vlcus veſica à penis vlcere.

Vlceris veſicæ alia ſigna.

Loco citato.

Si in eius cauitate, ſeu ceruice fuerit exulceratio,ſigna.

percipies. Omnes autem ferè qui veſicæ vlcere laborant ab indeſinente dolore, febribus, vigiliis, & colliquatione perimuntur, alij quidem citiùs, alij tardiùs: & propter hoc ipſum, & quoniam neruoſa eſt veſica ipſa, inſanabilia vt plurimùm eius vlcera exiſtunt: periculoſiora autem ſunt, quæ ex eroſione ſunt orta & modica ſpes eſt ea reſtaurandi, vt eidem Aëtio viſum eſt. Verùm vlceribus exiſtentibus in eius ceruice, quoniam non neruoſa eatenus, & exanguis eſt, veluti eius cauitas, ſed carnoſa, haud ita periculoſiora ſunt, neque ad curationem difficillima, quemadmodum de eius diſciſsione com. aphoriſ. 18. 6. lib. Gal. ſentiebat. Qua de re tum propter hæc vlcera, tum etiam quoniam ſæpe præter expectationem quædam eueniant, cura aggredienda erit, per quam ſi nihil aliud, certè acceſſorij dolores minuentur, vt etiam apud Aëtium legitur. Primùm igitur æger, vt decumbat perſuadendus eſt, & in lecto qui etiam toleret, idque maximè ſi febres ſimul adſint: deinde remedia intermittentibus febribus adhibenda ſunt, maximum verò id fuerit lactis potus: neque ſcio, an poſt vllum aliud remedium ſecundo loco id ſit habendum, nam & aſperitates lenit, & exulcerationes eluit, aliáſque affectiones extergit, vt ex eodem Aëtio liquet. Eligatur autem lac aſininum præſertim, aut caprillum pauco adiecto melle roſaceo. Reliqua victus ratio ſeruanda erit, prout capite de vlcere renum inſtituimus, adeò vt ex ea vrina acris non fiat, & propterea mordeat, ac irritet vlcera. Quod ad medicamentorum aliorum rationem attinet, illud primò animaduertendum erit, quòd vbi ob humorum acrium fluxionem exulceratio fiat, iidem primò præparandi, ac purgandi ſunt, deinde ad vlceris curationem deueniendum. Similiter ſi cùm inflammatione, aut vehementi dolore vlcus complicetur, primò nanque eiſdem affectibus obuiandum erit, deinceps vlceris curationem aggredi. In quem vſum in veſicam mulſa dilutiſsima infundenda eſt, vel lac cum pauculo mellis, aut cum cucumeris ſemine, ſeu candido oui liquore, cum pompholyge, vel ſimilium medicaminum aliquo, ex Pauli ſententia. Sit autem lac aſininum præcipuè, aut caprillum, cum quo mellis roſacei pauxillum adiicere poteris, vel decoctum paretur ex hordeo non decorticato, plantaginis foliis, ac radice glycyrrhizæ, cui paulùlum mellis, aut mellis roſacei admiſceto: & ſi acrimonia conſequatur, optimum amylum addendum erit, aut ſeminis althææ, maluarum, cucumeris, vel fœnugræci cremor: interim etiam, & ſeminis papaueris. Et vbi eadem vlcera ſordida fuerint, magis quæ repurgandi vim habent pharmaca infundenda ſunt, augendáque mellis, aut mellis roſacei quantitas, mordacitatis etiam tempore inſtante. In inteſtinum quoque per ſedem ptiſanæ ſuccus infundendus eſt, & ſeminis lini ſuccus, & cucumeris ſemen decorticatum tritum cum lacte, roſaceo oleo ad ſingula inſtillato. At ſi exulceratio paſcendo ſerpat, ſubadſtringentibus medicamentis ab extra adhibitis vtendum eſt, atque his quidem calidis actu, vt ob calorem quidem partes circum dolitantes leniendo iuuent: ob poteſtatem autem ipſorum vicinos locos exulcerationem depaſcere prohibeât, ſunt autem hæc vua paſſa, palmæ, gallæ, malicorium, alumẽ, acacia, hypociſtis, & ſimilia. Singula autem ex his aut palmis excipiantur, aut cataplaſmatis ex loliacea farina: decoctio autem fiat in poſca, vt præcipit idem Aëtius. Similiter etiam in veſicam infundatur lac recens mulctum, per ſe, aut cum amylo, aut roſaceum optimum recens, tepefactum. Cùm verò repurgata fuerint vlcera, adiuuare oportet, quo ad cicatricem perducantur, atque id per inſeſſus adſtringentes, & eiuſdem facultatis epithemata: in quem vſum emplaſtrum ex ouis, hordeo vſto, & cadmia, tripla eorum parte cum cerato myrteo, aut roſaceo contemperata commodè ſuperponitur. Nec minùs confert ſi medicamentum ex amylo, ſarcocolla, & ceruſa, pauxillo oleo roſaceo, & cera additis, & cum lacte diſſolutum iniiciatur in veſicam, generoſiúſque euadet, ſi vſtum plumbum, ac thuris corticem adiicias. Cæterùm ſi ad multum tempus exulceratio perſeueret, quemadmodum in pleriſque fieri conſueuit, tunc ſanè exacerbationes, & interualla, ſiue remiſsiones ægros appre-

Prognoſtica.

Curatio.

Lactis potus.

Reliquorum medicamentorum ratio.

apprehendunt, quare in exacerbationibus quidem cataplaſmata, & fomenta & irrigamenta leniendi vim habentia adhibeantur. Remiſsionis verò tempore, ductu ad deſtruendum malum apto vtendum erit, quemadmodum ab eodem Aëtio decretum eſt: neq; alia ratione veſicæ ſcabies curabitur, quàm ſimili victus ratione ac medicamentis detergentibus, atq; exſiccantibus citra morſum.

Περὶ γονοῤῥοίας. *Id eſt, De ſeminis profluuio:* *Cap. CIIII.*

QVEMADMODVM omnia corporis noſtri excrementa duobus modis vacuantur, interdum enim à continentibus ipſa corporibus excernũtur, interdum ſponte profluunt, eo quòd ob imbecillitatem ab ipſis corporibus contineri non poſſunt, ita quoq; de ſemine dicendum eſt, Galeno auctore ſexto de loc. affe. cap. 2 quanquam ſemen ipſum à reliquis differat excrementis, vt quæ inutilia ſint, ipſum verò vtile, ex omnium philoſophorum, ac medicorum conſenſu. In omnibus igitur excrementis vt excernere tempeſtiuè, ita continere cùm oportet, naturę officiũ eſt. Fit autem ſecretio aperto fluxionis meatu, ac reliquo cõceptaculi ſpatio, & contracto, & ad apertum iam meatum quicquid in continente ſpatio continetur, impellente. Retentio verò fit cùm clauſus permanet meatus, & contentum à continente haudquaquam impellitur, ſed contra comprehenditur, atq; retinetur. Hoc modo in his, qui integra valetudine degunt, contenti humores in cauis inſtrumentis naturaliter, & excernuntur, & retinentur. At in illis, qui præter naturam ſe habent, retentio ob excretricis facultatis imbecillitatem, excretio verò ob retentricis infirmitatem euenit, aut ob aliquam diſpoſitionem, quæ haud ſecus quàm naturalis ipſa excretoria vis partes mouere poſsit. Hoc itaque vitium circa ſeminis excretionem ſæpenumerò contingit, quod à Græcis γονόῤῥοια, à Latinis ſeminis profluuium appellatur, nomen ſiquidem compoſitum ex γόνη, quod ſemen genitale, & ῥεῖν, quod fluere ſignificat, quaſi genitalis ſeminis profluuium dixeris: ſemen autem modò γόνη, modò γόνος, a Græcis nominari ſolet, vt liquet ex Galeno citato lib. 6. de locis affectis, cap. vlt. Eſt autem (vt ipſe inquit) affectus hic ſeminis excretio inuita, quam etiam inuoluntariã nominare licet, ſed manifeſtiùs dixeris ſeminis eſſe aſsiduam excretionem, cole haudquaquam extento, quam deſcriptionem confirmauit Aëtius cap. 33. lib. 11. cùm dixit, profluuiũ ſeminis excretio eſt eius præter voluntatem citra pudendi tenſionem. & Paulus cap. 55. lib. 3. aſſerens, quòd ſeminis profluuium eſt inuita, ac præter voluntatem excretio, quæ continuè naturalibus non intentis ex retentricis naturæ facultatis imbecillitate prouenit, quòd ſine venere, ſine nocturnis imaginibus ſic fertur, vt interpoſito ſpatio tabe hominem conſumat, Celſo auctore cap. 21 lib. 4. Cùm autem in ſpermaticis vaſis ſuccus hic ſpermaticus congeratur, & propterea flexus multos inſtar capreolorum quorundam variè implexorum retinuerunt, vt diutiſsimè, qui ad teſtes feruntur, ſanguis, & ſpiritus detineantur, ac concoquantur, idque clarè cernas eum inſpiciens, qui in primis flexibus habetur humorem adhuc ſanguineum eſſe, in ſequentibus deinceps magis, magiſque albeſcere, quoad in omnium poſtremis totus albus omnino fuerit redditus, qui flexus poſtremi in teſtes terminantur, quique iterum cùm laxi ſint, & cauernoſi, humorem, qui in vaſis cœptus erat concoqui, excipientes, & ipſi rurſus perconcoquunt, vt liquet ex Galeno 14. de vſu part. cap. 10. Propterea non ab re in hac affectione ſola vaſa ſpermatica affici manifeſtum eſt, vt citato loco legitur, & ſexto etiam de locis affectis, cùm dixit, Igitur gonorrhœa inſtrumentorum ſeminis affectio eſt, non pudendorum, quæ ſeminis genitalis via ſunt qua excernatur. Id etiam confirmauit Aëtius paulò ante citato loco: in ipſis nanque & generatur, & continetur naturaliter genitale ſemen. Quòd verò ſymptoma ſit in genere excretorum immodicè, tertio de cau. ſymptoma. cap. 4. à Galeno ſcriptum eſt. Atqui

Quomodo expulſio, & retentio naturaliter fiant eorũ, quę in cauis inſtrumentis cõtinentur. Quomodo in his, qui preter naturã ſe habent.

Seminis profluuium quid ſit.

Quę pars afficiatur in ſeminis profluuio.
6. de loc. affe. cap. 5.

Quis affectus præter natu ram ſit. dignoſcitur ex eo, quòd ſemen profluens aquoſum, ac tenue exiſtit: excernitur etiam citra appetentiam coëundi, & vt plurimùm citra ſenſum, quandoque verò cum voluptate quadam promanat, corrumpitur etiam ſenſim vniuerſum corpus, ac gracileſcit, præſertim circa lumbos, Aëtio teſte. Os quoque ventris *Loco citato.* quibuſdam reſoluitur, & toto corpore non ſolùm relaxantur, imbecillíque fiunt, ſed etiam ſicci, graciles, pallidi, cauíſque oculis cernuntur, vt colligitur ex Galeno, ſexto de ſanitate tuenda. *Cauſæ.* Conſequitur autem ſeminis profluuium ad retentricis in vaſis ſeminariis facultatis imbecillitatem, vt inquit Aëtius, *Aët. li. 11. c. 33.* ſeu potius reſolutionem eiuſdem facultatis, ex Galeni teſtimonio, quam facultatem *Gal. 6. de loc. affect. cap. 5.* imbecillam reddere poſſunt excedentes omnes intemperaturæ, præſertim humida, aut calida, ſeu quæ ex his conflatur. Id verò ex propriis earundem intemperierum ſignis diſtinguere poteris, ſimul cum totius corporis natura, ac præcedente victus ratione. Interim autem contingit quòd à copia ipſius ſeminis eandem retentricem facultatem vaſorum ſeminariorum grauante, vt ſemen ipſum retineri haudquaquam poſsit, & ſic inuoluntariè excernatur. Coarceruatur autem talis ſeminis copia eis, qui venerem exercere conſueuerunt, & crebriore vti concubitu, demum verò continentius, & purius, innocentiúſq; degant, vt refert Alexander cap. 9. lib. 9. Interdum autem ex ſeminis acrimonia, ac tenuitate, adeò vt eam continere non poſsit eadem contentrix facultas, etiam excitatur ſeminis profluuium: id quod ex ſeminis colore, ac ſubſtantia, quoniam bilioſius, atque tenuius apparebit, iudicabis. Ad hæc prægreſſæ cauſæ, tum victus, tum ſuperior vita illud manifeſtabunt, necnon mordax, atque prӕcalidum inter emittendum ſemen ſentiunt. Verùm magna ex parte ob retentricis facultatis imbecillitatem eorundem vaſorum ſeminariorum propter aliquam intemperiem gonorrhœa excitatur, eodem Alexand. auctore. At quo- *Lib. 9. cap. 9.* niam euenit interdum quòd inuitis quoque ſemen excernatur non ob retentricis facultatis infirmitatem, ſed ob aliquam diſpoſitionem, vt diximus, quæ haud ſecus quàm naturalis ipſa excretoria vis partes mouere poteſt, propterea id quoque dignoſcendum erit: *Alia differentia ſeminis profluuij.* quanquam alia quædam differentia gonorrhœæ exiſtat hæc, contrario modo eueniens, quàm ante dicta. Nam illa cole haudquaquam extento (vt diximus) prouenit, quando videlicet ad retentricis *Cauſæ.* facultatis imbecillitatem refertur, hæc verò rigido, ſeu tento quodammodo pudendo fit, & velut conuulſio quædam eſt. Gale. teſte ſecundo, de cauſis ſymptomatum, cap. 2. Excitatur verò cùm quaſi conuulſioni quid ſimile inſtrumenta patiuntur, vt ipſemet teſtatur tertio de cauſis ſympto. cap. 4. Euenit autem vbi aliquis vel comitiali morbo, vel conuulſione violẽter irruente fuerit correptus: quãuis haudquaquam abſurdum fuerit in ſeminariis vaſis, & quidem ſolis aliquando eiuſmodi diſpoſitionem excitari, quando videlicet conuulſioni aliquid ſimile patiantur, quod idem Galenus confeſſus eſt præcitato libro ſexto de loc. affe. cap. vlt. quemadmodum alias quoq; partes aliquando videmus vt manus, aut pedes, aut digitos conuelli, modò ſimul cum vniuerſi corporis conuulſione, modò ipſis ſolis affectis. Percipies autem hanc differentiam gonorrhœæ, licet *Signa.* ferè impropriè gonorrhœa dicatur (ea propriè, & verè exiſtente, in qua cole haudquaquam extento ſemen præter voluntatem emittitur, vt diximus) quoniam rigido, ſeu extento pene, licet inuoluntariè ſemen emittitur, & vbi citra morbum comitialem, aut aliam vniuerſalem conulſionẽ id fiat, nullum dictarũ adeſt affectionum indicium, ſed ipſa vaſa ſeminis duntaxat conuulſioni ſimilem diſpoſitionem patiuntur, quæ diſpoſitio non alio modo generari poterit, quàm conuulſio quæuis alia particularis, potiſsimùm autem à flatuoſo ſpiritu ortum habet. Cæterùm ſeminis profluuiũ licet in omnibus ætatibus oriri poſ- *Prognoſtica.* ſit, maximè tamen contingit pubertatem tranſgreſsis citra decimumquartum *Lib. 11. c. 33.* annum, vt inquit Aëtius: quod item non ſolùm viris, ſed & mulierculis accidit, licet in fœminis ægrè tollatur affectio, vt ipſe refert. At quòd mulieribus tale vitium excitetur, lib. ſecundo de ſemine, cap. 1. teſtatur Galen. exemplo mulieris,

quæ

quæ vteralibus morbis vexabatur, cui in vuluam priùs, deinde ex ea foras, & copioſiſsimum, & craſsiſsimum ſemen effluere viſum eſt, tale autem collectum erat, propterea quia diu vidua permanſerat, tempore autem, quo ipſum emittebat, lumborum, manuum, & pedum diſtentiones quædam eandem inuaſerant, adeò vt conuulſa eſſe videretur, vt ipſe inquit. In vniuerſum autem pro ſeminis *Curandi methodus.* profluuij curatione refrigerantibus, atque exſiccantibus, cùm cibis, tum medicamentis vtendum eſt, & potiſsimùm in quibus & ſeminis copia, & facultas retentrix infirma eſt, vt teſtatur Alex. quoniam cura huius affectionis communis *Lib. 9. cap. 9.* eſt cum ea, quę in omni fluxione adhibetur, Aëtio auctore: & propterea (vt ipſe *Loco citato.* inquit) vniuerſam victus rationem reſiccatoriam, & adſtringentem conſtituere *Victus ratio.* oportet, & ſimilibus quoque medicamentis vti. Aër itaque eligatur ad ſiccum, atq; ad frigidũ vergens; ſomnus ſit moderatus in cubili frigido, non valde molli: decubitus vt plurimùm fiat in latus dextrum, vel ſiniſtrum, vitata forma ſupina, ne lumborum arteriæ inde ſupercalfiant, quibuſdam etiam herbis arefactis ſubſtratis, quales ſunt portulaca, nymphæa, ſolanum, vmbilicus veneris, lactucæ, roſæ, ac viticis folia, & reliqua huiuſmodi: In quiete quoque circa mitia taliter affectos aſſetuare oportet, nam poſt prima morbi tempora exercitiis ægros cõmittere conuenit: quibus totum corpus, partéſq; affectæ cõfirmãtur, vt Paulus teſtatur. Alui excrementa quotidie excernantur natura, vel arte le- *Lib. 3. cap. 55.* nibus videlicet clyſteribus. Abſtineant quoq; à ſpectaculis, & lectionibus, quæ venereæ rei vſum in memoriam reuocare poſſunt, quinimò omnẽ de rebus venereis cogitationẽ excludere oportet, Aëtio teſte. Quod ad cibos attinet, pau- *Citato loco.* cis vtendum eſt, atq; eis, qui ægrè corrumpuntur, & difficulter permutantur, ac reſiccandi vim habeant, vt idem Aëtius teſtatur. Vitandi autem ſunt flatuoſi, ac etiam valde calidi, nam velut ſemen generant cibi, qui bene nutriunt, & flatuoſi ſunt, ac totis ſubſtantiis familiares, & medicamenta flatuoſa, & calida, ita extinguunt ipſum deſiccantia, & refrigerantia omnia, quæve totis ſubſtantiis ſunt contraria: etenim quæ refrigerare ſunt nata, tum edulia, tum medicamenta ſemen cogentia, incraſſantia, & ſtabile reddentia, vim habẽt ipſum ſupprimentem, non autem corrumpentem, velut eſt lactuca, blitum, atriplex, cucurbita, mora, cucumeres; quæ verò reſiccant, prorſum ne eſſe quidem ſemen permittunt, vt nymphæa: & etiam ſi calida ſunt natura, velut ruta, quẽadmodum Gal. lib. quinto de ſimpli. med. facult. cap. 21. ſcriptum reliquit. Qua de re vbi tenue, acre, ac biliosum ſemen, quod emittitur, fuerit, infrigidantibus, magis quàm reſiccantibus tum cibis, tum medicamentis vtendum erit: nam hi contemperantia, refrigerantiáq; exigunt, vt genitura ſenſim craſsior, & temperata reddita nõ ampliùs effluat, cùm prædictis autem cibis viticis, ac canabis ſemen præſertim toſtum, rutæ item ſemen, ac folia, lactucæ ſemẽ, & cauliculi, nymphææq; radix, ac ſemen præbẽda ſunt. Potus ſit aqua frigida, præſertim pluuialis, vel pro communi aqua, ea in qua ferrum ſæpè extinctum fuerit, præbeatur, auctore Aëtio. *Loco citato.* A vini potu, potiſsimùm multo, ac acriũ rerum vſu abſtinẽdum eſt. Mox quoq; *Medicamentorum ratio.* quod ad medicamentorum rationem attinet circa lumbos, & pubem medicamentum ex roſaceo, maximè ex omphacino apparato, ac pauco vino cum linteis lineis ſæpius applicari debet. Similiter ſi in melino, aut œnãthino oleo, pauco vino addito madefiant: neq; ineptæ erunt, ſi ſpongiæ poſca imbutę adhibeãtur, dein cataplaſmate vtare ex palmulis, malis, acacia, hypociſtide, œnanthe, rhoë, & ſimilibus: necnon inſeſſibus vtendum erit ex lentiſci, rubi, myrti, & id genus aliorum in vino auſtero, ſiue diluto, aut etiam ipſa aqua decoctis ex communi conſenſu Pauli, & Aëtij. Quanquam vbi ob ſeminis tenuitatẽ, atque acri- *Locis citatis.* moniam fiat tale profluuium, etiam temperatis balneis vti conuenit; vt Alex. *Citato loco.* viſum eſt: quinimò ad frigidæ lauationem confugere non inconuenit, maximè ſi medicamentaria qualitate aqua prædita ſit, velut ſunt in albulis aquæ ſapore ſubſalſo, & tactui lactei teporis, ex Aëtij teſtimonio: in quem vſum magnoperè commendo naturale balneum puteolorum, quod vulgus balneolum appellat,

modò

modo eius actualis caliditas fuerit tepida, aut infrigidetur. Per interualla etiam vnguenta adhibenda ſunt, eáque componenda ex cera, & roſaceo, ſucco aliquo adſtringente, aut refrigerante adiecto. Succi verò apti ſunt, ſuccus ſemperuiui, ſolani, vmbilici veneris, ſanguinariæ, nymphææ, portulacæ, lactucæ, & alij huiuſmodi. Verùm ab aſsiduo eorum, quæ vehementer refrigerant, vſu, tum in his quæ forinſecus apponuntur, tum etiam in his, quæ per hos exhibentur, cauere oportet. Intus quoque ſumenda ſunt quæ ſemen extinguunt, veluti viticis ſemen torridum, aut folia, ſeu flores; ſimiliter canabis quoque ſemen, aut lactucæ ſeu nymphææ ſemen, & radix, quæ cum vino nigro auſtero in potu exhiberi debent, ex Tralliani ſententia. Vel ex aqua bibenda præbeantur, præſertim in qua ferrum ſæpè fuerit extinctum, aut in qua fuerint decocta portulacæ, ſeu ſanguinariæ folia, iis potiſsimùm, in quibus ſemen bilioſum, ac acre reperitur: quibus etiam confert corticem radicis halicacabi cum eadem aqua bibendum exhibere. Valet quoque peculiariter ad hoc non ſolùm temperamento, ſed tota ipſius ſubſtantia, licet calida ſit, ruta (vt idem Alexander inquit) nanque ea comeſta ſemen coagulat, & corrumpit, vt refert Aëtius. Optimum quoque cenſetur (vt liquet ex eodem auctore) laminam plumbeam lumbis ſupponere tum eorum, qui in ſomno, tum qui aliàs ſemen profundunt, multum enim refrigerare conſueuit. In his verò, qui plumbi duritiem ferre non poſſunt, ex prædictis herbis refrigerantibus quædam areſacta ſubſternantur: quibus etiam viticis folia, rutæ, ac calaminthæ commiſceantur, maximè verò & roſæ, proſunt enim hæc citra renum læſionem, nam vehementer refrigerationes eorū, quæ lumbis ſubduntur, renes iniuria afficiunt, vt ipſe inquit: quanquam ante eum Galenus non modo hæc, ſed nonnulla alia, quæ conſcripſimus medicamenta ſexto de ſanitate tuenda, cap. 14. ſcripta reliquerit: quo loco etiā aſsiduum vſum ſeminis viticis, ac etiam rutæ pro cibo commendauit, ídque magnoperè conferre cuiuſdam experientia comprobauit. Nos verò tanquam experientia comprobata, quibus vti conſueuimus, medicamenta quædam conſcribemus, inter quæ ſyrupus eſt qui recipit ſanguinariæ, acetoſellæ, plantaginis, cuiuſlibet P. j. portulacæ, capreolorum vitis, vmbilici veneris, & rubi ana manip. j. ß. myrtillorum, ſeminum coriandrorum præparatorum, ac ſeminum papaueris albi, ſingulorum vnc. ß. foliorum lactucæ, florum nenupharis, boraginis, & violarum ana manip. ß. foliorum rutæ, viticis, menthæ, ac calaminthę ſiccorum ana drac. 4. bulliant ſecundum artem in aqua pluuiali quantum ſatis ſit, de qua recipe lib. iij. deinde ſucci roſarum rubearum, granatorum, & pomorum acidorum ana lib. ß. aducito, & cum ſaccharo, exiguóque aceto fiat ſyrupus, quo vtatur æger ſæpiùs ſingulis diebus vnc. 2. vel 3. abſorbens. Item paſtilli hoc modo confici poterunt. Recipe ſeminis rutæ, agni caſti & vrticæ ana ſcrup. ß. ſeminis lactucæ, portulacæ, plantaginis, & papaueris albi, ſingulorum ſcrup. j. ſeminum coriandrorum præparatorum, & canabis torrefactorum ana grana iiij. diacalaminthæ drac. 2. cornu cerui vſti, ſeminis roſarum, ſantalorum, & corallorum rubeorum ana grana vij. ſeminum melonum drac. 3. ſacchari diſſoluti in aqua roſarum, quantū ſatis ſit, formentur paſtilli, quorum vnum cum pauco vino rubeo adſtringenti, aut pauca aqua, in qua ſæpiùs ferrum fuerit extinctum, aut etiam eiſdem ſimul permixtis, aſſumant pro qualibet vice. Vnguentum etiam, quo vti conſueui, tale eſt, Recipe olei roſacei, omphacini, cytoniorum, de nenuphare, & myrtini ana vnc. j. cremoris ſeminis lini, & ſeminum cytoniorum extracti cum aqua roſacea ana vnc. ß. foliorum rutæ, agni caſti, & menthæ ſiccorum ana drac. 2. ſucci polygoni, portulacæ, & ſemperuiui ana vnc. j. ß. pulueris corallorum, & ſantalorū rubeorum, ſanguinis draconis, & boli armeniæ ana drac. j. ceræ quantū ſatis ſit, & aceti parum, miſceantur, & fiat vnguentum. Verùm vbi rigido, ſeu intēto pene ſeminis profluuium fiat, ſi propterea quòd morbo comitiali, aut alia vehementi conuulſione æger laboret, eueniat, his opitulandum eſt cum his medicamentis quæ prædictas affectiones curare valent, quorum copiam propriis capitibus

Aët. lib. 11. cap. 34.

ſtudioſi

ſtudioſi reperient. Neque tamen prætereundum circa lumbos, & pubem prædicta medicamenta adhibere. At ſi particularem quampiam diſpoſitionē conuulſioni ſimilem ſeminaria vaſa patiantur, & propterea ſeminis profluuium accidat, iis, quæ ſequenti cap. de priapiſmo, dicemus, vtendum erit, potiſsimùm ſi ex flatuoſo ſpiritu eadem in eis excitetur affectio, quanquam lentium decoctum in potu ſumptum, præter id, quòd ſemen extinguat, membri etiam tentiginem remittere, ac ſedare valeat, vt quidam aiunt, ex Aëtij teſtimonio. *Lib. 11. c. 34.*

περὶ πριαπισμοῦ, καὶ σατυριάσεως. Ideſt, De priapiſmo, & ſatyriaſi.

Caput CV.

INTER multa adeò, atque admiranda inſtrumenta, quæ ad generis propagationem à natura ſunt comparata, nihil minùs admirabilem conſtructionem inſpicias ipſius pudendi, ſeu colis: corpus ſiquidem neruoſum, cauum, ſeu cauernoſum & durum, ex oſſe quidem emergens, nō aliter quàm reliqua alia ligamenta, eo duntaxat ab eis diſcrepans, quòd cauum, atque cauernoſum ſit, & propterea quòd eius vtilitas ita flagitabat vt 15. de vſu part. cap. 12. & 13. à Gal. ſcriptum eſt, cùm nanq; libidinis impetu quiſpiam ſtimulatur volentibus nobis pudendum ipſum intendi debebat exacte, nedum coitus cauſa, ſed vt ſemen quam longiſsimè ab eodem iaculetur; propterea eius eſſentia talis eſt, qualis in nulla alia noſtri corporis parte eſt videre: neruoſum ſiquidem corpus exiſtens (vt diximus) ac omniquaque fiſtuloſum & durum, excepta ea parte, quam glandem vocant: diſtenditur autem protinus vbi ad coitum animal inſurgit à naturali facultate, quæ illum attollere poteſt, nam eas actiones, quarum gratia à natura partes inſtitutæ ſunt, protinus ab initio citra doctrinam aggrediuntur, cùm vſus requirit, eodem Galeno auctore ſexto de locis affectis, cap. 5. Verùm cùm ſic extenſus fuerit à vaporoſo ſpiritu ab arterijs influente, in tumorem attollitur, atqui à ſpiritu in tumorem ipſum attolli manifeſtè patet, iis qui celeritatem eius, & cùm intumeſcit, & cùm iterum reſidet, perpendunt, ſpiritu eodem modo eius extenſionem ſequente, quemadmodum pulmo thoracem, ob eam, quam habet ad motum ipſius ſequelam. Et ob hanc rem replentis fiſtuloſum neruum ſpiritus vim, cùm ad coitum irrumpit animal, non ad arterias propriè referre debemus, ſed ad eiuſdem nerui propriam actionem, quæ ex propria eiuſdem partis eſſentia proficiſcitur, vt liquet eodem ſexto de locis affectis, cap. vlt. etenim probabile eſt vniuerſi corporis arterias eandem habere actionem, quippe cum eodem tempore totius animalis omnes inter ſeſe ſimiliter producantur. Itaque haudquaquam par eſſe videtur, vt arteriæ pudendis inſertæ aliam quampiam habeant facultatem præter eam, quam antea in toto corpore habebāt, niſi quòd ampliora ſint ipſis quàm cæteris arterijs ora, & quidem iure optimo ad celeritatem ſequelæ, ad id quod euacuatur, ſic præparata: ſemper enim natura quod vnicuique actioni vtile eſt, vndiquaque explere videtur. At quoniam quandoq; euenit vt nullo præcedente ad libidinem ſtimulo, atque deſiderio, talis fiat pudendi, ſeu colis extenſio in longitudinem, atque circulo quoque totus augeatur, propterea affectus quidam excitatur, qui à Græcis πριαπισμὸς, Latinè quoque priapiſmus dicitur, deducta denominatione à priapo, quem ita finxerunt, atque pictura deſcripſerunt homines, quaſi ei ſuapte natura huiuſmodi coles eſſet, eodem Galeno auctore citato libro ſexto de locis affectis, quem ſectatus *Cap. citato.* eſt Aëtius cap. 32. lib. 11. Eſt autem affectus hic (vt eidem Aëtio viſum eſt) tenti- *Priapiſmus* go pudendi, atque auctio in longum, & ſpiſſum, citra rei venereæ appetentiam, *quid ſit.* ex caliditate quadam acquiſititia cum inflammatione quadam, & dolore locorum conſiſtens. Paulus quoque cap. 57. libri tertij, priapiſmum eſſe firmum genitalis incrementum, quod in longum, latúmque intumeſcit citra veneris appetentiam, fatetur. Galenus autem citato loco priapiſmum eſſe dixit, cùm

coles

coles & in longitudine, & circulo totus augetur nullo ſtimulante ad libidinem, aut deſiderio, aut acquiſititio calore, vt quibuſdam accidere conſueuit, qui ſupini decumbunt. Verùm breuiori compendio (vt ipſe inquit) dicere poteris, priapiſmum eſſe permanentem colis, aut auctionem, aut tumorem: & nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 9. ait, Priapiſmus eſt auctio pudendi ſtabilis in longitudinem, ac orbem tumefacti citra rei venereæ appetentiam. conſulto autem ab eo addita ſunt verba illa, aut acquiſititio calore, nam vbi ob ſupinum decubitum calfacti ſunt lumbi, adeò vt coles extendatur, etiam nullo ſtimulante ad libidinem deſiderio, haudquaquā priapiſmus dicitur, ſed par eſt (vt idem Galenus inquit) vt calfactis lumbis, & arteriæ etiam calidiores reddantur, & propterea magis pateant earum ora, quamobrem non exiguam tunc ſpiritus eſſentiam in fiſtuloſum neruum effundant, qui paulatim impletus colem extendit ſtimulante ad libidinem ipſo calore ob ſupinum decubitum acquiſito: attamen neque firmum, neque ſtabile tale incrementum erit. Quòd ſi eum eodem colis tumore, ſeu augmento eiuſdem colis palpitatio contingat, affectum non ampliùs priapiſmum, ſed ſatyriaſim appellare conſueuerunt, vt liquet ex Paulo cap. 56. lib. 3. Quòd verò priapiſmus colis, ſeu pudendi affectus ſit, ex Galeno patet ſexto de locis affect. Ipſe nanque ſiue præcipuo, & proprio affectu, ſiue ſecundario, & per conſenſum afficiatur, prout diuerſimodè affectio hæc generationem habet, vt dicemus: illúdque confirmari poterit ex eiuſdem functione læſa: erat autem eius functio, vt protinus ſtimulato ad libidinem animali, diſtenderetur naturaliter ab eius naturali facultate, cùm verò nullo præcedente deſiderio, aut libidinis impetu, neque ſupino decubitu ipſe inuitus diſtenditur, eius diſtentio præter naturam exiſtit. At ipſe affectus morbus eſt in magnitudine, ſeu quantitate, nam ex inflationum genere exiſtit, vt liquet ex eodem Galeno 14. metho. medendi. Præter autem inuitam erectionem ipſius pudendi priapiſmo laborantibus dolores contingunt, quales tetanici habent, & ij qui reliquis membris diſtenduntur, etenim inflatum, & diſtentum pudendum ipſum conuulſionis modo afficitur, vt teſtatur Aëtius. Atqui velut princeps cauſa auctionis eius, aut erectionis naturalis plenitudo exiſtit, vel nerui ipſius fiſtuloſi, vel arteriarū, aut etiam vtriuſque. cùm ex priore conditione mutantur (vt eodem ſexto de locis affectis, ſcriptum eſt) ita quoque vel ob arteriarum ora immodicè patentia, vel vaporoſum ſpiritum in fiſtuloſo neruo ortum, hic affectus excitatur. Vtrum autem potiùs pro cauſa ſit habendum inquirere oportet, præſertim ex iis quæ præceſſerunt, & ex modo curationis, inquit Galenus, & quanquam ab vtriſque ipſum fieri poſſe exiſtimauit, crebrius tamen ob arteriarum ora patentia ſequi dixit: quippe cùm faciliùs ſit ea diſtendi, quàm flatuoſum ſpiritum in neruo generari, experientia item, nedum ratione illud comprobauit, cùm ſæpenumerò fatetur ſe vidiſſe hunc affectum excitatum ob arteriarum iam dictam diſpoſitionem, ſemel autem ob ipſius nerui præcipuum, ac proprium affectum; perpetuò tamen halituoſi ſpiritus impletio affectum hunc excitat, vt 14. metho. med. tertio de cauſis ſymptomatum, cap. 4. & nono de compoſitione medicamentorum ſecundum loc. ſcriptum eſt, ex humoribus viſcoſis, ac craſsis per moderatam caliditatem, interim genito eodem halituoſo ſpiritu. Verùm vbi in eodem fiſtuloſo neruo flatuoſus ſpiritus fuerit genitus, ex continua eiuſdem, quæ præceſſit, palpitatione dignoſcitur; quemadmodum è diuerſo, vbi ſupramodum arteriarum ora, quæ ad pudendum deueniunt, fuerint patefacta, atque propterea affatim ſpiritus multitudo ad ipſum colem affluat, nullum tale ſymptoma præcedere ſolet. Incidunt autem quidam in talem affectionem cùm longo tempore præter conſuetudinem à concubitu abſtinuerint, ſi multo ſemine abundent, præſertim cùm non ſtudent, vt multa exercitatione ſanguinis abundantia diſſipetur: alij etiam, qui mali ſucci alimentis, ac acribus vſi ſunt, atque etiam quidam vbi ante nequaquam cingi conſueuiſſet, in hanc affectionem incidit cùm duobus

menſi

6. de ſanita. tuen. cap. 5.

Satyriaſis quid ſit.

cap. ulti.

Quæ pars in eo afficiatur.

Quis affectus præter naturam ſit priapiſmus.

cap. 7.

Lib. 11. c. 32.

Cauſa.

Cap. citato.

Immediata priapiſmi cauſa.

cap. 7.

9. de compo. med. ſec. loc. cap. 9.

menſibus præcinctus peregrè proficiſceretur, ex Galeni teſtimonio. Conijciendum itaque eſt iam dictis arteriarum ora nimis patefacta fuiſſe. Aliis, ob humorum copiam, ſeu vitium, & acrimoniam: aliis verò ob flatuoſum ſpiritum, & ſine ordine, & violenter vacuatum. Cæterùm ex quacunque cauſa arteriarum ora patefiant, adeò vt affectus hic generetur, colem ſecundariò, & per conſenſum, non autem proprio, ac præcipuo affectu laborare conſonum eſt, quemadmodum ſi ſpiritus flatuoſus in eo fuerit genitus, ipſum propriè, ac præcipuè affectus infeſtat. Incidit autem hoc vitiũ nō ſanè multis, ſed iuuenibus magis, quàm aliis ætatibus, vt inquit Galenus 14. methodi meden. cap. 7. Neque ipſum deſpiciendum erit, nam ex præcipiti perire ſolent, niſi confeſtim eis auxilium feratur, Aëtio teſte, cùm verò moriuntur, ventre inflantur, & frigidum exudant, id quod & eis euenit, qui aliis conuulſionis modis perimuntur. Qua de re pro eius curatione, & victus, & pharmaca exhibeantur attenuatoriæ facultatis citra manifeſtam calfactionem, vt teſtatur Galenus nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 9. Exhibendus itaque eſt victus, qui & flatui aduerſetur, & ſiccet, ex auctoritate eiuſdem, 14. meth. meden. cap. 7. abſtinendúmque à cibis calidioribus, qui materiã in ſpiritum reſoluunt, aperiúntque arterias tendentes in pudendum, nec duntaxat ab eis abſtinendum, verumetiam ab his, qui viſcoſum humorem pariunt, aut multum ſemen efficiunt, vt Alexandro viſum eſt: quinimò in primis morbi diebus vſque ad dies tres in inedia eos aſſeruare oportere, dein in cibum paucum generis frumentacei, qui leniter attenuare valeat, citra manifeſtam calfactionem, atque omnino nihil inflantem exhibere conuenit, vt liquet ex Aëtio, eóſque in aquæ potu continere, ſeu ea, in qua coriandri ſemina præparata fuerint incocta. Motu quoque, & exercitio ægri vtantur, potiſsimùm paruæ pilæ, ac frictione partium ſuperiorum. In latus item decumbant, ſubſternendáque in ſtrato ſunt ea, quæ ad ſeminis profluuium dicta ſunt. Similiter à ſpectaculis, narrationibus, turpi conſuetudine, imaginatione, ac commemoratione eorum, quæ ad venerem excitare queunt penitus ſunt arcendi: nam qui præter victum calidum, ac humidum, quo ſemen rurſus gignebatur, etiam à turpibus deſideriis non ceſſarunt, hi quoque poſt mortem rectum, intentúmque habere pudendum deprehenſi ſunt, vt idem Alexãder refert. Nulli etiam venus prodeſt, niſi quibus ex huius abſtinentia ſemen abundare conijcimus, vt inquit Paulus, quemadmodum cuidam amico Galenus conſuluit, modò poſt ſeminis excretionem, poſtea à narrationibus, ſpectaculis, ac meditationibus libidinem ſuſcitare potentibus ſummoperè caueret, vt ab eodem ſexto de locis affectis ſcriptum eſt. Quòd verò ad medicamentorem rationem attinet, priuſquàm ad iam dicta medicamenta deuenias, totum corpus vacuare oportet, modo id capax vacuationis ſit, ea tamen vtens vacuatione, quam cubans aptiſsimè ſuſtinere poſsit. Et quoniam iuuenibus magis quàm aliis ætatibus hoc excitatur vitium, vt diximus ex Gale. auctoritate, ea propter his ſanguinis miſsio præcipuè eſt ſalutaris, ceu nec ætate eorum eam recuſante, vt idem Galenus fatetur citato lib. 14. metho. meden. cap. 7. A principio itaque ſtatim propter dolores, & inflammationes ab hac affectione prehenſos venam ſecare conuenit, potiſsimùm ſi multo ſemine abundant, ac prẹter conſuetudinem à venere ſe abſtinuerint: ſecetur autem interna dextri cubiti vena, vtpote quæ celerrimè, & plurimum ex iis, quæ principes ſunt, partibus vena hæc corpus vacuat, vt quarto de ratione victus in morbis acutis, à Galeno decretum eſt: necnon & ab inferioribus eadem promptiſsimè reuellit. Verùm vbi vitioſi magis ſucci in toto corpore redundarint, purgatione vtendum erit, quamuis in priapiſmo vomitoriis medicamentis potius, quàm ſubducentibus aluum ſit vtendum, ex eiuſdem Galeni ſententia præcitato libro 14. metho. meden. cap. 8. & nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 9. Eandem quoque ſententiam ſectati ſunt Paulus, & Aëtius. Atqui licet ab efficacioribus purgantibus pharmacis in totum abſtinendum ſit, vt eidem Aetio viſum eſt, & potius vomi-

6. de loc. affe. in fine. — *Prognoſtica.* — *Loco citato.* — *Ratio victus.* — *Lib. 9. cap. 10* — *Citato loco.* — *Eodem lib. 9. cap. 10* — *Paulus lib. 3. cap. 57* — *In fine.* — *Medicamentorum ratio.* — *Venæ ſectio.* — *Comment. 24* — *Purgatio.*

toriis medicamentis vtendum, auerſionis in contrarium gratia, attamen vbi inſuetus ad vomitionem fuerit æger, aut medicamentis vomitorus vti recuſarit, leuioribus quibuſdam medicamentis aluum ſubducentibus, quæ vicinas partes fluxione haudquaquam infeſtent, vti poteris, cùm neque id etiam Galenus negauit. Ea ſunt noſtro æuo, quæ leniendo purgant, veluti mel aëreum, ſaccharum violaceum, ſyrup. ex pluribus infuſionibus roſarum, vel violarum, & reliqua huiuſmodi.

Clyſteres. Vel lenibus clyſteribus aluum ſubmollies per betæ, & maluæ decoctum pauco mercurialis ſucco admixto, vt refert Aëtius. A nimium autem acribus, atque efficacioribus, ne inflammationes exacerbentur, cauere oportet, tam clyſteribus, quàm purgantibus medicamentis.

Topica. Nec minùs cauenda ſunt, quæ vrinæ ciendæ facultatem habent, ex auctoritate eiuſdem Aetij. A ſanguinis miſsione, ſeu purgatione ceratum ex ſimplici roſaceo factum, ac cum aqua frigida ſubactum pudendo, & lumbis imponatur. Sic nanque quendam Galenus percurauit à venæ ſectione prædictis partibus ipſum imponẽs: quemadmodum & alium, qui poſt miſſum ſanguinem humido medicamento, quod ex chamæmelo conficitur, fuit vſus, vt liquet eodem 14. methodi meden. cap. 7. Hæc eadem medicamenta ſuper eaſdem partes impoſita, nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 9. comprobauit. Alexander verò idem ceratum roſaceum cum aqua frigida, & pauco aceto ſubactum commendauit. Lumbis autem, quæ euidenter refrigerant, imponenda, veluti eſt ſolanum, portulaca, hyoſcyamus, & ſemperuiuum, & neceſſariò etiam coles, & intercapedo inter anum, & pudendum ex aliquo leniter refrigerante illinitur, velut eſt argenti ſpuma, cimolia, & ceruſa, ſi aceto, aut poſca, vel aqua ſint diluta, ex Pauli, & Aetij ſententia. Verùm ipſi laboranti particulæ medicamentum, ſi ea calidior ſit effecta, quod ad portionem caloris abundantis refrigeret, imponendum, ſin aliter inter initia quidem omnino, quod modicè refrigeret, poſtea verò id neceſſum non eſt. Pari modo & quæ circa lumbos ſunt particulę, omnes eiuſdem facultatis medicamento ſunt comprehendendæ, ex eiuſdem Galeni ſententia eodem 14. methodi meden. cap. 7. Valde nanque frigida, præſertim quæ adſtringunt, & torpòrem inducunt, cauere oportet, ne affectus difficilis ad diſcutiendum reddatur, vt idem inquit Alexander, præſertim vbi hoc vitium ex flatuoſo ſpiritu in cauernoſo neruo orto fuerit excitatum. nam quæ ſiccant, ac flatũ diſcutiunt abſque valido calore hoc modo affectis adhibenda ſunt. Optimũ quoque erit tum coli, tum lumbis, & intercapedini inter anum & pudendum huiuſ-

Quæ à tota ſubſtãtia conferunt. modi medicamentum reliquis imponere, quod recipit olei roſacei vnc. 1. s. chamæmelini vnc. 1. ſucci ſolani, aut ſemperuiui, ſeu portulacæ vnc. s. argenti ſpumæ, & ceruſæ ana drach. 2. ceræ, & aceti parum, fiat vnguentum, & rurſus ea præbenda ſunt, quæ naturali efficacia prædita per experiẽtiam ſunt inuenta, veluti eſt nymphææ ſemen, ac radix, viticiſque ſemen, ac etiam rutæ: ea nãque potui exhibenda ſunt, & ruta etiam viridis obſoniis admiſceatur, ac ipſum rutæ ſemen copioſè comedatur: non tamen è principio hoc fiat: nanque multum calfacit ſed poſterius poſt aliorum extenuantium vſum, nymphææ autem ſemen,

14. met. cap. 7 & 9. de cõpo. medic. ſec. loc. cap. 9 ac radix à principio præberi poterit, ex ſententia eiuſdem Galeni pręcitatis locis: eſt nanque illud commune præceptum omnium ferme, quos vitioſus ſuccus creat, morborum, quod in fine calfacientibus, & ſiccantibus ſit vtendum: quippe hæc quod reliquum humoris eſt, prorſus abſumunt, vt ipſe inquit. Amplius ea in potu exhibenda ſunt, vbi hæc non ſuffecerint, quæ præcedenti cap. de ſeminis profluuio deſcripſimus, potiſsimùm quæ genituram infirmare poſſunt, ac extinguere. At ſi prorogatur vitium, cucurbitulæ cute ferro inciſa defigendæ ſunt, præſertim ſi ſanguinis multitudo adeſſe adhuc videatur, & hirudines adhibendæ etiam eo caſu, vt eiſdem Paulo, & Aetio viſum eſt.

Satyriaſis etiam mulieribus accidit. Mulieribus quoque hæc affectio ſatyriaſis, & tentigo dicta accidit, ad quam conſequitur ingens pudendorum pruritus cum dolore, ita vt mulier locis aſsiduè manus admoueat, atque ideò intolerabili veneris deſiderio contabeſcat, & ſalſi

humo

humoris effluentis acrimoniam,ac mordacitatem percipiat, vt liquet ex Aetio cap.82.lib.16.quanquam eis raro hoc malum accidat, vt inquit Paulus cap. 56. lib.3.Qua de re ipſis etiam à principio vena ſecanda eſt,alimentum contrahendum,& pubi,ac lumbis illinenda quæ leniter refrigerant, ac contrahunt, vt eidem auctori viſum eſt:reliqua verò ab eodem præcitato loco petenda ſunt.

Περὶ ἀπράκτων μορίων. Id eſt, De ignauis partibus genitalibus.
Capue C V I.

NON minùs ſæui,quàm impij diceremur,ſi pauperculis, qui nuper vxorem duxerunt,eíſque potiſsimùm, quibus magiſtratus, aut regni amiſsio imminet, necnon & mœſtis malè nuptis eorum vxoribus auxilia non præberemus, cùm inefficaces ipſi in venereis congreſsibus deprehenduntur contrario vitio laborantes,quàm ij qui præcedenti affectu conflictati ſunt.Quapropter pauca etiam de hoc vitio verba faciemus : éſtque affectus hic impotentia quædam ad rem veneream exercendam,quamuis ea vti cupiant,vt ex Aetio colligitur cap. 35.lib. vndecimo,propterea quòd ignaua,& impotentia genitalia membra habent.Afficitur autem in hoc vitio pudendum,cuius proprium munus eſt, vbi ad coitum inſurgit animal, media eius naturali facultate,quæ ipſum attollere poteſt, vt protinus diſtendatur,velut præcedenti cap.iuxta Galeni ſententiam annotauimus.Affectio autem ſymptoma eſt in genere noxæ functionum naturalium, ac eiuſdem pudendi propriæ ablatæ: nam neque hi in venerem ruunt, & propterea ignaui fiunt,vt inquit Paulus cap.58.libri tertij.Excitatur autem vt plurimùm,vel ex pudendorum reſolutione,quæ ob frigidam aliquam intemperiem in eis exortam,efficitur,vel ob ſeminis inopiam.Quanquam etiam ob reliquas cauſas quandoque excitari contingat,renum præſertim occaſione, aut reliquarum partium principum.Atqui nos relictis huiuſcemodi cauſis, quibus oportet conuenientem quoque curationem accommodare cùm affuerit, ſi affectus hic ob particularum reſolutionem,vel ſeminis inopiam duntaxat fuerit ortus, remedia conſcribemus. Cæterùm facilè quiſpiam percipiat, nunquid ex ſeminis inopia fuerit genita affectio, an propter colis reſolutionem, cùm ex præſentibus,tum etiam ex his quæ præceſſerunt,indicijs, corporis naturam, temperamentum,ætatem, ac præcedentem victus rationem rimatus. Nec minùs quoque & curandi rationem inueniet.Nanque tam alimenta, quàm medicamenta, quæ ipſis conueniunt,calefacientia,& inflantia,necnon & ſeminis gignendi potentia prædita eſſe debent, ex Aetij teſtimonio. etenim ſemen generant, cibi quidem,qui bene nutriunt, & flatuoſi ſunt,totíſque ſubſtantijs familiares. Medicamenta verò calida, & flatuoſa. Ipſum etiam prouocant, quæcunque calida ſunt & flatuoſa abſque deſiccatione, quoniam cùm ſeminis ſubſtantia ex bona ſuperfluitate generationem ſortiatur,ſitque etiam flatuoſa, bene nutriant & flatuoſa ſint neceſſe eſt, quæcunque ſemen, aut procreare,aut prouocare poſſunt,ex Galeni ſententia quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, cap.22. Carnes itaque pro cibo eligantur gallinarum,caponum,perdicum,phaſianorum,ſtarnarum,iuuenum columbarum,turdorum,merularum,necnon reliquarum paruarum auium montanarum; magnoperè autem perdicis oua, ac gallorum teſticuli ad coitum excitant,vt inquit Aetius. & quoniam non ſolùm quod bene nutriant cibi neceſſe eſt, ſed etiam flatuoſi ſint oportet, propterea cum eiſdem,aut per ſe ſoli bulbi conueniunt,cicer,fabæ, nux pinea, vt ex Galeno liquet citato loco.Similiter competit paſtinacæ radix, ac etiam rapa,& porri,erucæ tum folia, tum ſemen maximè agreſtis,orminum,aniſum,fœniculum, amygdalæ dulces, polypodes, & concharum genera, ex Aetij teſtimonio : vua quoque dulcis,ac recens, & erucæ ſemen tritum cum vitello oui in puluerem redactum,ac aſſumptum commendantur. Vinum bibant odoratum, rubeum,

Quid ſit affectus hic.

Quæ pars in eo afficiatur.

Quis affectus præter naturam ſit.

Cauſæ.

Curandi methodus.

Victus ratio.

aut ſubrubeũ,vitẽtque omnino aquæ potum.Infernas autem corporis partes eos exercere conuenit,in mollibus lectis dormiant, ac legant,quæ ad coitum cohortantur.Lectionibus item,ac ſpectaculis huiuſmodi aſsideant, ex eiuſdem Aetij ſententia. Quod verò ad medicamentorum rationem attinet, multi ſeminis eſſe dicuntur ſcincus,& ſatyrion, quemadmodum ſimul cibi, & medicamenta ſunt lini ſemen,& eruca, vt eodem quinto de ſimpliciũ medicament.facultatib.cap.22.liquet,teſtes vulpis ſicci,triti cochlearij menſura potati, membri tentiginem faciunt:partes etiam renes ſcinci amplectentes ad tentiginem pudendorum excitandam bibantur.Similiter & maior bulbus orchis herbæ,quæ etiam teſticuli appellationem habet,cum lacte potatus tentiginem ciet,pudendum item cerui aridum vnius drachmæ pondere cum vino meraciore præbeto,vt inquit Aëtius. Compoſitis item medicamẽtis in hunc vſum vti poteris, vt mithridato, diamoſcho dulci, diambra; ac diaſatyrion, cuiuſlibet drac.1.cum pauco vino odorato præbens. Vel in hũc modum medicamentum conficito,Recipe ſeminis erucæ,vrticæ,aniſi,ac fœniculi, & paſtinacæ,ſingulorum drac.s.nucis pineæ,amygdalarum dulcium ana drach.2. piperis,cinnamomi, cuiuſlibet vnc.s.ramenti genitalis ceruini, ac ſatyrij ana vnc.1.diambræ,ſeu diamoſchi,vel diaſatyrij drach.1 s.ſacchari diſſoluti in aqua melliſſophylli, & roſarum quantum ſatis ſit, fiant in morſulis ponderis vnc.1.& cum odorato vino fuluo,ſeu ſubrubeo præbeatur ante cœnam, vel etiam manè ante prandium.Naturalia quoque continuè oleo vngantur, cui adiectum ſit radicis narciſsi momentũ,cocci gnidij,ſeminis vrticæ, pyrethri, aut viticis,vt liquet ex Paulo,cap.36.libri 1. Priuatim autem ſtellio concrematus,in pollinémque redactus magno dextri pedis digito oleo adiecto illinitur,& venus exercetur.Vbi ceſſare voles, digitus abluitur, vt liquet ex eodem auctore cap.58.libri 3.Leporis quoque coagulum,aut leonis adipem pudendo illinito,deinde tria piperis genera cum tragacanthi ſucco teſticulis,intercapedini inter anũ & pudendum,ac lumbis illinito, ex Oribaſio. Vel olei liliacei recipe,maſtichini, de caſtoreo ana vnc.1 adipis leonis vnc. s. pyrethri, piperis,cyperi,myrrhæ,ac ſulphuris viui ana drac.1.moſchi grana 4.miſceantur,& cum cera quantum ſatis ſit,fiat vnguentum,quo pudendum, teſtes, locus inter anum,& pudendum,ac lumbi illinantur.

Περὶ τῶν τῆς μήτρας παθῶν, καὶ πρῶτον περὶ ἐποχῆς ἐμμήνων.

Id eſt,De vteri affectibus,& primò de menſium ſuppreſsione. *Cap. CVII.*

IN conſtruendis animalis partibus,eis inquam,quæ ad generis inſtaurationẽ fuerunt fabricatæ,natura non ſolem duntaxat, & teſtes,verumetiam tanquam maximè neceſſariũ vterũ machinata eſt,quẽ Græci modò μήτραν,eo quòd ex ipſa omnia animantia,velut à matre oriantur,quandoquẽ ὑστέραν,quod poſterior ſitu ſit,omnibus viſceribus appellarunt,Aetio teſte,cap.1.lib.16. Cùm itaque vterus tanquam concipiendi inſtrumentum à natura eſſet productus, non ab re ventri ipſum ſubiecit,qui locus eſt (tum ad vſum venereorũ, tum ad ſemen recipiendum,& prętetea ad fœtus incrementum,atque perfecti enixum) opportuniſsimus:nam ad coitum locum nullum accommodatiorem in toto animalis corpore inuenias,quoniam longè ab inſtrumẽtis,quæ faciei inſunt,ſit diſsitus:ad fœtus etiam augmentum opportuniſsimus, quòd eo loco poſsit ſine dolore diſtendi plurimùm, ad partum vtiliſsimus,quòd ad inferiora,& ad crura exitus fœtui ſit futurus facilior, Gal.auctore,14.de vſu par.nec mirum, ſi omnes partes,quæ ſunt in viris,in mulieribus etiam reperias, tamẽ eo duntaxat diſcrepent,quòd in mulieribus hæ partes,quæ ad generis inſtaurationem ſunt fabricatæ, intus ſunt conditæ,in viris autem ſunt extra, nam quamuis homo animal ſit omniũ perfectiſsimũ, nihilominus eo ipſo rurſus vir muliere eſt perfectior,cuius perfectionis cauſa caloris exuperãtia exiſtit, hic

Medicamentorum ratio.

Cap.3

hic enim primum eſt naturæ inſtrumentum. Quapropter in quibus parcior in-
uenitur, in his opificium ſit imperfectius eſt neceſſe, quo fit vt admirari non li-
ceat ſi fœmina mare tanto eſt imperfectior, quanto frigidior, vt eodem 14. de cap.6.
vſu partium, à Galeno ſcriptum eſt; qua etiam ratione mulier partibus genita-
libus, velut & reliquis viro eſt imperfectior: & propterea partes eædem, quæ
intus formatæ fuerunt, dum ipſa vtero adhuc geſtaretur, cùm extare, & foras
emicare præ caloris imbecillitate non potuiſſent, animal, quod conformaba-
tur imperfectius, eo quòd vndique eſt abſolutum, reddiderunt: nam quemad-
modum talpæ oculi exprimi intus incœpti foras à natura propelli non potue-
runt, ita membra genitalia fœminis intus formata in exteriorem partem ne-
quiuerunt emergere, ob imbecilliorem videlicet, ac imperfectiorem fœminæ
naturam, in eo tamen talpis perfectior fœminea natura euaſit, quod talpæ nul-
lam ex cæcitate vtilitatem conſequuntur, fœminæ verò non parum hac mem
brorum ſuorum imperfecta fabrica ad generis ſucceſsionem conferunt, vt ex
eodem Galeno liquet, lib. ſecundo de ſemine. Neque credendum eſt opificem cap.5.
partem totius generis noſtri dimidiam ſua ſponte imperfectam, ac velut man-
cam fuiſſe facturum, niſi imperfectionem hanc magna quædam vtilitas fuiſſet
ſequutura: etenim propterea quòd intus ſunt conditæ partes hæ, vterus ad ſe-
men recipiendum fœtúſque generationem, ad retentionem hac ratione fuit
appoſitus: fœtus item non modo ad primam ſui conſtitutionem, ſed ad omne
etiam deinceps incrementum materiam poſtulabat copioſam, & proinde duo-
rum alterum ipſi accidiſſe opus fuiſſet, aut vt ipſius vtero gerentis alimentum
raperet, aut vt ſuperfluũ acciperet, verùm rapere non erat melius, ſuperfluum
verò aſſumere nõ poterat, ſi fœmina fuiſſet calidiſsima, diſcuteret enim ipſum
ſic, & facilè exſiccaret: frigidiorem igitur eam eouſque fieri ſatius fuit, quoad
alimentum quod confeciſſet, totum diſcutere non poſſet: quod enim eſt frigi-
dius ne concoquere quidem poteſt, quod verò calidius vt concoquere, ita diſ-
cutere validè poteſt; quod verò non ita multum à calidiſsimo relinquitur, &
coquere ſatis, vt quod non ampliùs eſt frigidum, & relinquere aliquid ſuper-
fluum, ceu quod non vehemẽter adeò ſit calidum, poteſt. Hæc denique eſt fri-
giditatis fœminæ vtilitas, quam mox ſequutura erat partium imperfectio (vt
diximus) cùm ipſæ præ caloris imbecillitate foras prorumpere non poſſent,
quod quidem commodum maximum, ac ſecundum eſt ad generis inſtaura-
tionem. Hinc fit vt vterus inſtrumentum ſemini recipiendo, ac retinendo, fœ-
tui præterea alendo, ac perficiendo ſit aptum, quanquam non in omni ætate:
quoniam neque in imperfectis, neque in eis quæ coſenuerunt tantam habet
magnitudinem, quòd ad concipiendum ſit aptus, ſed in ſolis ætate florentibus
proportionata talis magnitudo reperitur, quemadmodum etiam & ipſum ex-
crementum, ſeù fœtus alimentum in ſolis florentibus animalibus abundare po
teſt, nam in declinantibus, cùm vires ſint imbecillæ, alimentum non ritè con-
coquitur, quo fit vt cum illis bene agatur, ſi ad ſuum proprium vſum alimen-
tum, quod ſatis ſit, poſsint comparare. In eis autem quæ augentur, licet valen-
tes ſint vires, & ob eam cauſam alimentum benignum concoquãt plurimum,
tamen cum duabus actionibus nutritioni ſcilicet, & auctioni ſufficere opor-
teat, ſuperfluum nihil relinquitur. In ſolis igitur ætate florentibus, ſeu augeri
iam deſinentibus, & viribus adhuc valentibus, magna huius benigni alimenti
eſt affluentia: & quoniam quicquid ex alimento ſiue bono, ſiue malo ſuperua-
caneum eſt, id à validioribus membris ad infirmiora depelli ſolet, propterea
effectum eſt, vt cùm in ipſis (vtpote extremis in formatione) partibus natura
defecerit, atque infirmiſsima omnium euaſerint, ea excrementa quæ in ipſis
mulieribus redundant, ſeu redundans ſanguis ad omnium infirmiſsimas par-
tes (quæ genitales ſunt) feratur. Mittuntur nanque in venas quæ vtero com-
mittuntur, menſes, & non attrahũtur: nimirum cùm vterus ad delationem eo-
rum nihil conferat, vt quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, cap. 21

teſtatur Galenus, qui qnidem ſanguis menſtruus fœminis ipſis antequàm concipiant ſingulis menſibus fit purgatio ſalubris. Vbi verò concepêre, alimẽtum fœtibus accommodatum euadit. Fluere autem incipiunt mulierum plurimis

Aetius lib.16. cap.4.
Paulus lib. 3. cap.60.

menſes circa decimumquartum annum,iuxta Aëtij, & Pauli ſententiam:paucis verò ante decimumtertium, aut duodecimum; pleriſque autem poſt decimumquartum erumpunt,ex eiuſdem Pauli teſtimonio:quo etiam tempore & pubeſcunt mulieres, & mammæ ipſis intumeſcunt. Non tamen cunctis eodem tempore, eadémq; menſura, & per totidem dies prodeũt. Nam multis ad duos, trésve dies,non paucis vſque ad quintum profluunt,alijs etiam vſque ad ſeptumum, raræ verò ad duodecimum purgatæ ſunt:pleriſque etiã minus duarum heminarum menſurã qnatuor dierum ſpatio, interpoſitis vigintiduobus diebus,aut ſummum triginta,ſingulis menſibus deferuntur. Porrò deſinũt etiam menſes alijs anno quinquageſimo,paucis verò vſque ad ſexageſimum durant, nonnullis,præſertim oblæſis, à trigeſimoquinto anno mẽſes ceſſare incipiunt, vt eiſdem auctoribus viſum eſt. Cæterùm ſanguinis,qui profluit copia paulatim vſque ad ætatis vigorem augeſcit,deinde aliquãdiu æqualitatem ſeruans, paululum penitus croſcit, aut minuitnr. At vbi ad finem tendit, paulatim rurſus minuitur, donec in totum deſinat, eodem Aetio teſte.

Loco citato.

Cùm itaq; mulieres menſtrua purgatione omnino carent: vel naturale eſt, vel præter naturã. Naturale ſiquidem, quantum ad ætatem attinet(vt diximus)vel infrà decimumquartum, vel vltra quinquageſimum annum. Prægnãtibus quoque ſecundum naturàm menſes ſupprimuntur. Similiter & cantrices, & ſaltatrices, quoniam quicquid in eis ſuperfluum eſt,nimia exercitij vehementia conſumit, non purgantur:& in ſumma(vt inquit Aetius)mulieres calidioris temperaturæ,& fortibus exercitijs vtentes, & agreſtes parum purgantur.

Lib.16.cap.51

Dignoſces autem ſi ſecundum naturam menſes ſupprimantur, quoniam mulier nulla inde moleſtia, vel totius corporis, vel vteri afficitur, vt inquit Aetius.

Lib.16.cap.51
Quæ pars afficiatur in mẽſium ſuppreſſione.

At qui non de hac, ſed de ea menſium ſuppreſſione nos propriè loqui intendimus, quæ præter naturam exiſtit ex quapiã præternaturali cauſa orta, vel totius corporis vitio, vel vteri,& partium eius proprio, vt dicemus:quãquã ſemper ipſi vtero tribuenda affectio ſit, eo vel primariè, vel ſecũdariè, & per conſenſum affecto: nanq; à toto corpore(vt diximus)tanquam ſuperfluum(veluti infirmiſsimã partem) ad vterum cùm valet mulier,eodem nihil ad eorum tranſlationem conferente,tranſmittitur: vt exinde ab eo naturaliter modo,& tempore,quo diximus, expurgetur, vbi concipiendi tempus non aderit: nam conceptionis tempore ipſæ purgationes tanquam neceſſariæ in eo detinentur, & propterea non concipiunt quæ non purgantur. Rectè itaque dicimus etiam vterum ipſum affici, cùm non perueniant ad eum ea quæ antea,cùm ſecundum naturam ſe haberet, venire ſolebant.

Quis affectus præter naturam ſit menſiũ ſuppreſsio.

Quòd verò hoc vitium ſymptoma ſit in genere retentorũ immodicè,liquet apud Galen.lib.de different.ſympt.cap.vlt.& 3.de cauſis ſymptom.cap.4. Sed quòd præter naturam menſes detenti ſint, ex pluribus indicijs dignoſcere valebis:quorum primum,ac maximum eſt Hippocr.39.aphor. 5.lib.cum dixit, Si mulier quæ neque grauida eſt,neque peperit,lac habet,huic menſtrua defecerunt. At nullo apparente in mammis lacte, vt refert Galen.6. de locis affectis,cap.4. hæc indicia aderunt:grauitas totum corpus moleſtat,faſtidia cibi incidunt,horror inæqualis cum febre quandoque,& ſi vteri os claudatur cùm quadam aderit duritie, propter quod differunt ab his, quæ conceperunt:quibuſdam dolor cum grauitate in vteri regione accidit,modò in vna, quandoque in altera parte: quinetiam in coxam dolor tranſit,ac crus ipſum, quod è regione eſt,per inceſſum claudicat:prætérea lumborum, colli,& ſyncipitis dolor,qui etiam oculorum fundamenta infeſtat, ſequi ſolet: item febres ardentes,& vrinæ nigricantes cum rubra quadam ſanie,perinde ac ſi aquæ, ex qua nuper mactatæ carnes ablutæ fuerunt,fuliginem quis miſcuiſſet:quemadmodũ in illuſtriſsima Dõna Maria Sanſeuerina Comitiſſa Nolæ ſæpiùs talem

vrinam

vrinam inſpexi: quibuſdam etiam vrina, aut difficulter redditur, aut omnino ſupprimitur. Quòd ſi longiori tempore menſes ſupprimantur, nullámque medicus mulieri vacuationem promoueat, tumor aliquis præter naturam in ilibus interdum exoritur, oſtendens nimirum ex internis partibus quampiam eſſe inflammatam, nonnullis etiam in extrema ilium parte panus excitatur, vt liquet ex eodem Galeno præcitato libro 6. de locis affectis, cap. 4. Quoniam verò menſium ſuppreſsio nonnullos conſequitur præter naturã affectus, tum ipſius vteri proprios in quacunque eius parte ortos, ſiue circa eius cornua, ſiue ceruicem, ſiue totam eius cauitatem, cùm etiam totius corporis communes, vt ex Galeno liquet 3. de cauſis ſympto. cap. 4. propterea eos narrabimus, primò affectus præter naturam, qui ad vterum pertinent, & deinceps eos, qui toti corpori communes ſunt. Vnus autem, & præcipuus vteri affectus retentionis menſium cauſa, eius denſitas, atque duritia exiſtit, ſiue à natura corpus eius tale conditum fuerit, ſiue certo tempore vterum occupauerit, anguſtia item venarum vteri ſtatim à principio congenita, vbi ſcilicet hac parte fœmina malè eſt formata, aut eorundem vaſorum compreſsio, quæ ex his quæ circumiacent fit, cum videlicet corpus immodicè pingueſcit: necnon & eiuſdem vteri intemperies quædam tum natura, tum ſub quibuſdam affectibus orta, ſuppreſsionis menſium cauſa exiſtunt. Interim quoque menſes retinentur ipſius ſanguinis occaſione quotiens quod vacuatur vel craſſum eſt, vel glutinoſum, quinetiam ſi ipſe ſanguis menſtruus ſine vitio ſit, cæterùm in vaſis, quæ ad vterum pertinent, obſtructio quædam, vel obſeratio priùs facta, ſic quoque menſtruum retinebitur, vt idem Galenus teſtatur citato loco 3. de cauſis ſympto. cap. 4. & com. apho. 28. 5. libri. Vitio itaque vel propriæ ſubſtantiæ ipſius vteri, vel vaſorum, quæ ad ipſum pertingunt, aut eiuſdemmet ſanguinis, qui ad ipſum deuenit, contingit ſæpenumero menſes ſupprimi. Nos autem cunctas has cauſas vteri vitio prouenire fatemur: quemadmodum etiam ſi ob robur vaſorum eiuſdem vteri ſanguine ipſo ad alias particulas delato, contingat menſtruum detineri, eidem vtero vitium tribuimus. Sic ſi ob inflammationes, ſeu eius ceruicis diſtorſiones, aut peruerſiones, ſeu callos, aut carnis excreſcentias iſtic exortas, aut pinguedinis copiam menſium purgatio prohibeatur, ad vteri vitium referendum erit: nec minùs ſi aut pellicula circa collum, aut oſculum vteri fuerit adnata: quemadmodum his accidit, quæ imperforatæ appellantur: ſiue etiam vlcerum cicatrices, quæ vaſorum oſcula in vtero excæcarunt: aùt cicatrix obducta poſt abortum, ob quem vteri os fuerit exulceratum menſes detinebunt, etiam vteri occaſione id fiet. Totius etiam corporis culpa aliquando prorſus non purgabitur fœmina, tum propter plura exercitia, tum propter tenuem victus rationem, tum propter ſuccorum ad alias particulas inclinationem, & cùm hæc ipſa mediocria ſunt, minùs quàm pro naturæ debito purgabitur, vt eodem 3. de cau. ſymp. à Gal. ſcriptum eſt. Nos verò cunctas tum externas, tum internas ſuppreſsionis menſium cauſas totius corporis culpa dinumerabimus, ab externis exordientes. Nam aſsiduæ curæ, immodicus timor, ac mœror ingens, menſes ſupprimunt (Aëtio teſte) item alimenta vel infra, vel ſupra modum ingeſta: nam modicum alimentum ſtatim tranſpirat, multum verò meatus obturat, & excrementum intercipit: nimia quoque exercitij vehementia (quoniam quicquid ſuperfluum eſt conſumit) menſes ſupprimere valet. Internæ verò cauſæ ſunt calidiores, aut frigidiores totius corporis temperaturæ, calidiores ſiquidem hoc excrementum diſcutiunt, ac conſumunt, frigidiores verò quoniam craſsiorem, ac tenaciorem ſanguinem gignunt, vaſa vteri obſtruunt: habitus quoque graciles, aut obeſi nimium: graciles inquam, quoniam nihil penitus ſuperflui ſanguinis habent, obeſi verò, ſeu pingues, propterea quòd reliquis magis exangues ſunt, minimáſque venulas habent, nam ſanguis, qui in ipſis eſt paucißimus, ferè in pinguedinem tranſit, & propterea tales minimè omnium concipiunt, vt inquit Aëtius. Ob diuturnum etiam aliquem morbum fœminæ extenuatæ

Suppreßionis menſiũ cauſæ.

Cauſæ ex parte vteri.

Ex vitio ſanguinis.

Ex parte totius corporis cauſa.

Cap. citato.

Externæ cauſæ.

Lib. 16. c. 51.

Internæ.

Loco citato.

non purgantur, vel propter præcedentem per nares, aut ſedem, aut quampiam
aliam partem ſanguinis euacuationem, etiam per venæ ſectionem immodicè
factam, potiſsimùm ex cubiti venis, nam hæc ſanguinem ad ſuperiores corpo-
ris partes retrahens, menſtruas purgationes comprimit (Galeno auctore libro
de curandi ratione per venæ ſectionem, cap. 18.) nec minùs & reliqua excretio-
num genera, velut eſt multus ſudor, aſsiduus vomitus, alui profluuia, & puſtula-
rum omne genus per cutem erumpens, morbíque acuti, & magni, menſes ſup-
Loco citato. primere poſſunt, vt liquet ex eodem Aëtio. Quædam etiam (vt ipſe inquit) ob
plenitudinem non purgantur. Has omnes ſuppreſsionis menſium cauſas, tum
totius corporis communes, tum ipſius vteri proprias, ex propriis earundem in-
diciis, ægrotantium ſermonibus, corporum habitibus, ac ex præcedenti victus
ratione, haud ægrè dignoſcere queas. Et ſi accidat quòd non omnino menſes
Prognoſtica. fuerint detenti, eorum quoque ſubſtantia, ac color conſiderandi ſunt. Quòd
verò mulieribus, quæ non purgantur conſueto more, ſanguinis reiectationis,
ac ſyderationis periculum immineat, teſtatur Aëtius cap. 52. lib. 16. Et quædam
in melancholicum atræ bilis morbum, aut inſaniam delabuntur. Quapropter
proroganda euacuatio eis non eſt, quippe cùm menſtruorum ſuppreſsio offen-
dat, maximè ſi à partu ſupprimantur, nam non abundantiam modo, ſed inſi-
Comment. 3. gnem etiam humorum pariunt paruitatem, vt 3. de morbis vulg. teſtatur Gale-
comment. 75. nus. Quibus autem vlcerum cicatrices oſcula vaſorum in vtero excæcarunt,
& propterea menſes fuerint detenti, penitus incurabiles ſunt, quemadmodum
curari quoque non poſſunt, vbi pellicula quædam circa collum ſtatim à prin-
cipio, aut oſculum vteri fuerit adnata, niſi illa perforetur, aut reſecetur, vt li-
Lib. 16. quet ex eodem Aëtio cap. 51. Cæterùm cùm ſuppreſſorum menſium cauſæ tot
ſint, pro earum diuerſitate, curationem quoque variari contingit: & cùm plu-
res earum facilè curari poſsint, vt ſi ex externis cauſis menſes detineantur,
nonnullæ etiam ad vterum pertineant, cùm aliquo proprio affectu laborat,
quam curationem infra docebimus. Propterea ſi ex plenitudine, ſeu propter
frigidorum humorum redundantiam, vel calidorum, aut nimiam caliditatem,
ſeu frigidam corporis intemperiem ſuppreſsi fuerint menſes, curationem dun-
taxat inſtituemus, inſimul quæ menſes prouocare poſſunt medicamenta con-
Si ob plenitu- ſcribentes. Si itaque ob plenitudinem mulieres non purgantur, aliis conſen-
dinem menſes tientibus, venam ſecare conuenit. Nam copioſa ſanguinis miſsione ſanantur,
ſupprimãtur, propterea (vt inquit Aëtius) tum cubiti, tum tali venam ſecare oportet, neque
curatio. eiſdem proroganda euacuatio eſt, vt Galenus inquit libro de curandi ratione
Lib. 16. c. 57. per venæ ſectionem, cap. 15. Verùm nequaquam in cubito venas ſecandas eſſe
Venæ ſectio. admittit, nanque ſectæ in cubito venæ reuellere purgationem aſſolent, ſed in
malleolis, aut poplitibus ſecari venam iuſsit, etenim ex cruribus euacuationes
Conciliatur tantum abeſt vt retrahant, vt etiam menſes promoueant, vt ipſe inquit. Con-
Aëtius cum ciliari autem poſſunt, nam Aëtius magnam ſuppoſuit plenitudinem, quæ cum
Gal. de venæ copioſa euacuatione indigeret, vires, aut reliqua haudquaquam permitterent,
ſectione. quapropter cubiti venas primò, deinceps eas, quæ in talo ſecari iuſsit, vt ex
Lib citato. vtriſque ſimul tanta poſsit ſanguinis copia euacuari, quantam vnica ſectione
cap. 18. plenitudo requirebat: Galenus verò non adeò magnam plenitudinem inſpi-
ciens, & ex aduerſo vires robuſtas in mulieribus plenitudine laborantibus ſup-
ponens, eandem in poplitibus, ſeu tali venis venæ ſectionem fieri decretum re-
liquit. Et cùm dixit quòd ſectæ in cubito venæ mulierum reuellere purgatio-
nem aſſolent, ac purgationes menſtruas comprimunt ad ſuperiores corporis
partes ſanguinem retrahentes tanquam verum admittendum, vbi poſt eas
poplitis, ſeu tali venæ non incidantur. Neque perpetuò cunctis mulieribus ve-
nam ſcindere neceſſe eſt, ſed quibuſdam malleolorum ſcarificationes ſatis eſſe
queunt euacuandæ ſuperfluitati, vt mulieribus albidioribus, ac carnoſis, quibus
Tempus venæ paruæ ſunt venæ, & quæ ſanguinem quoque tenuem aceruare ſolent, vt dice-
ſectionis. mus. Tempus autem ſecandi venam non erit multo ante ſtatũ menſiũ tempus,

ſed vbi iam acceſſerit,tribus,quatuórve diebus conſuetis mulieri circuitus anteuertens,vt idem inquit Galenus. Quantitatem autem, nedum plenitudinis quantitas, ſed virium robur metietur: & vbi quidpiam non vrgeat eandem ſectionem venæ iterare tutiùs erit quàm ſemel vniuerſum vacuare, aut in eodem crure,vel in altero,vt videbitur. Conducit etiam nedum iſtis diebus, in quibus ſanguinem vacuas,verùm & ante eos quatuor, aut quinque, vt extenuantem victum procures (eodem Gal.teſte) & tenuis victus eiſdem exhibeatur, veluti eſt ptiſanæ ſuccus cum aceto præparatus, & olera ad hunc etiam vſum idonea. Sanguine verò vacuato, medicamenta, quæ menſes prouocare poſſunt, adhiberi debent,quorum infra mentio fiet,& cucurbitæ pubi,& inguinibus affigendæ ſunt,ſiquidem menſes euocant,vt liquet 13.meth.med.cap.19. Si verò ob nimiam caliditatem citra calidorum humorum redundantiam mulieres nō purgantur,licet victus rationem adeò inſtituere valeremus, vt menſtrua purgatione non haberent opus,tamen quia conceptioni pènitus aduerſaretur, propterea cōceptus gratia purgationes ſunt neceſſariæ.Ea propter eas quàm maximè humectare oportet quacunque ratione calidiores fuerint, ſiue ex naturali temperamento,ſiue ob exercitiorum exceſſum.Aër itaque eligendus eſt ad humidū, ac paulò ad frigidum vergens, ſomno longiori vtantur, quies eligatur, exercitium autem vitetur,ac caueant immodicos animi affectus, iram, mœſtitiam, timorem,vberiore,humidioréque cibo,ac potu vtantur,vt ptiſana, ac eius cremore, & amylo ex lacte parato,ex oleribus,lactuca, cucurbita, è carnibus, earo gallinarum,caponum,& pullorum,& aliarum auium,quæ teneriores ſunt, ſimiliter agni,hœdi, ac recentis porcelli competit. Ptiſana quoque in prædictarum carnium iure parari poterit interim autem ex lacte. Piſces item qui teneras carnes habent, guſtari poterunt,& ex fructibus, ficus recentes, vuæ maturæ,pepones, ac cucumeres, vt inquit Aëtius. Nec erit abſonum quandoque recentibus ouis gallinarum ſorbilibus, aut etiam tremulis vti. Potus autem ſit vinum tenue, album, dilutum, non vetus, vt idem Aëtius teſtatur. Ac balneis aquarum dulcium vtantur,& (vt ſummatim dicam renutritoria victus ratione,nam ex multo calore huiuſmodi corpora ſicca euadūt. At ſi ſimul cum corporis calida intemperie bilioſus redundarit humor, congruis medicamentis ipſum purgare conuenit, melle aëreo videlicet,caſsia fiſtula, rhabarbaro, ſyru. ex pluribus infuſionibus roſarum, vel violarum, & reliquis huiuſmodi, idque præſtantius fiet, ſi priùs ſyr. violaceus,aut roſaceus,ex ſucco cichorij, vel boraginis,aut aliquis talis ſimilis pluries fuerit exhibitus; quo expurgato, pubi, & inguinibus cucurbitulæ affigantur; necnon frictiones, & vincula infernis partibus, cruribus inquam,ac tibiis fieri præcipias, & reliqua, quæ ſanguinem, ac vterum alterare poſſunt medicamenta tum intus ſuſcepta, tum foris impoſita adhibeantur,præſertim aquæ dulcis balneum,inſeſſus ex maluarum, ac althææ foliis & violarum,hordeo,& chamæmeli floribus decocto parentur. Item circa pubem, & inguina tale vnguentum imponatur, Recipe olei amygdalarum dulcium,& amararum,& olei de cucurbita ana vnc.1.adipis anſeris,& butyri recentis ana drac.3.ladani drac.2.fiat vnguentum. Inſuper peſsi fiant ex contuſis maluarum, & althææ radicibus, hordeo decocto, ſaccharo rubeo, adipe anſeris,vel gallinæ omnibus contuſis,ac ſimul permixtis, & ſerico linteo veteri inuolutis,priùs tamen quàm immittātur in oleo amygdalarum dulcium, vel de cucurbita intingantur.Hoc item tempore cremor ſeminum melonum,vel cucumeris cum aqua hordei cum corticibus paretur, aut aqua capillorum veneris, vel in qua radix glycyrrhizæ fuerit decocta,& exhibeatur. Inſuper paſtilli parentur ex prædictis,ac reliquis ſeminibus cōmunibus: qui à balneo, ſeu inſeſſu cum prædicta aqua hordei,vel capillorum veneris præbeantur, & vbi hæc non ſuffecerint,ad ea,quæ mēſes prouocant,medicamenta in fine huius capitis conſcripta confugias, ea tamen eligendo quæ minùs calida ſunt,& cum prædictorum aliquo permiſceas, ac vtare. At vbi frigida corporis intemperies menſes proflue

Lib. de curat. per venæ ſect. cap.18.

Loco citato.

Si ob nimiam caliditatē mēſes ſupprimātur,curatio.

Victus ratio.

Lib.16.c.53.

Loco citato.

Si bilioſus redundarit ſuccus, curatio.

Topica.

Per os ſumenda medicamēta quæ.

Si ob frigidā corporis in-

temperiē menſes ſupprimātur, curatio.

profluere impediat oppoſitam curationem eſſe oportet, quam ad calidiores temperaturas retulimus, nam calidioribus tum cibis, tum medicamentis vtendum eſt, fortioráque exercitia, ac plurimos labores imperabimus. Vinum item fuluum, odoratum, vetus, ac minimè dulce exhibeatur. Inter medicamenta

Lib.16.c.54.

verò ea eligenda ſunt, vt inquit Aëtius, quæ calore ſuo ſanguinem diſſoluunt, veluti eſt thymum, pulegium, calamintha, dictamum, abrotonum, & alia huiuſmodi, quorum in fine mentio fiet. At ſi cùm frigida corporis intemperie

vbi frigidi redundarint ſucci.

craſſorum, ac frigidorum adſit redundantia ſuccorum, qui ſanguini admixti menſium purgationem impediant, ipſos priùs decenti medicamento purgare conuenit, vbi concocti, ac præparati fuerint, & deinde quæ menſes prouocare poſſunt, adhibenda ſunt. Præparentur autem tum extenuanti victus ratione,

Præparatio.

cibíſque ſemper, ac potibus aliquid odoratum admiſcens, cùm etiam extenuantibus, ac incidentibus medicamentis, vt roſaceo melle, interim etiam & oxymelite, modo vterus affectus non ſit, aut quæpiam alia neruoſa pars. In quem etiam vſum ſyrupus de tribus radicibus gentilis, de duabus radicibus Meſues, aut de hyſſopo, vel eiuſdem hyſſopi, pulegij, calaminthæ, origani, ſeu abrotoni decoctum ex aqua mulſa præbeto. Concoctis autem, ac præparatis

Purgatio.

iam dictis frigidis, ac craſsis ſuccis, medicamentum purgans exhibeto ex Galeni hiera, & agarico compoſitum, vt Recipe agarici trochiſcati ſcrup.4. pulueris hieræ drac. 1. formentur catapotia cum melle roſaceo, aut oxymelite, vel ex caſsia fiſtula, agarico, & hiera bolum conficias, adiectis interim ſcrup.2. vel 3. diaphiniconis. Et vbi validioribus indigeas, pillulis fœtidis, de ſagapeno, aggregatiuis, ac de agarico, & reliquis huiuſmodi vtare. A purgatione autem ſangui-

Venæ ſectio.

nem ex malleolis mittere conuenit, non tamen in multa copia vena inciſa, vel adhibitis malleolorum ſcarificationibus, potiſsimùm ſi mulieres albidiores, ac carnoſiores fuerint, quæ quidem paruas in cruribus venas habent, & ſanguinem aceruare tenuem ſolet, iuxta Galeni decreta libro de curan. ratio.

cap.11.

Si atra bilis redundarit, curatio.

per venæ ſectionem. Tempus autem mittendi ſanguinem ſit (vt ſuperiùs demonſtrauimus.) Verùm ſi redundans humor atra bilis fuerit, ſyrupus de pomis, de ſucco boraginis, aut fumariæ, aut etiam de epithymo pluries exhibeatur, & demum epithymi, ac ſenæ decocto, in quo vnc. 1. caſsiæ fiſtulæ fuerit diſſoluta, & drac.7. diacatho. aut drac.3. confectionis hamech purgetur. Nec etiam inconueniet drac.1. agarici in prædicto decocto adiicere, quo expurgato, in malleolis vena incidatur congruo tempore, vt docuimus, potiſsimùm vbi graciliores, ac nigriores fuerint mulieres, ac magis ſi magnas habere venas appareant. Hæ etenim craſsiorem ſanguinem, ac magis melancholicum colligunt, vt liquet eodem libro de curandi ratione per venæ ſectionem. cap.11. Poſt hæc me-

Medicamenta quæ menſes euocant.

dicamenta, quæ detentos menſes euocant, conſcribenda ſunt, quibus prædictæ omnes à purgatione vti debent. Huiuſmodi autem ſunt quæ excalfaciunt, non tamen valenter deſiccant, vt teſtatur Galenus quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus cap.21. Cuius farinæ ſunt (vt ipſe inquit) pulegium, calamintha, ſauina, meium, dictamum, aſarum, coſtus, caſsia, cinnamomum, amomum, ariſtolochia, iris, bunium, & eius generis reliqua. Hæc enim (vt refert) abſolutas vteri purgationum retentiones ſanant. At eodem libro de curandi ratione per venæ ſectionem, cap.18. menſes abundè prouocare aſſerit, nepitam, & pulegium, ſi in melicrato coctæ exhibeantur, aut contuſa, arida, cribróque ſubtili diſcreta, ac rurſum trita vſque dum pollinem tenuitate referant, & inde in melicrato inſperſa. Conuenientiſsimum autem tempus ſumendi eſt à balneo inuolutis adhuc linteo. Verùm hæc medicamenta, eiuſdem auctoritate, mitia ſunt. His autem valentiora exiſtunt, ſauina, & dictamum, quorum vſus ſit antedictis ſimilis: quo etiam tempore medicamentum datur, quod propriè amarum appellatur, confert nanque mulieribus, quæ non probè purgantur ſingul. drac 1. exhibeatur cum aquæ calidæ cyathis tribus, vt eidem Galeno viſum eſt ſecundo de compoſitione medicamentorũ ſecundum locos, cap.1. & citato lib.

de curandi ratione per venæ ſectionem. Duo autem tempora commoda ſunt ad alia medicamenta accipienda (vt refert Aëtius.) Alterum appropinquante iam purgationis tempore. Alterum vt poſt vnctionem fomentáque, ac balneum ſtatim bibant, comedántque cuncta ſuprà à nobis commemorata. Ac inſuper thymi, radicum aſphodeli, corticum radicis mori, mercurialis, carpeſiæ, floris iunci odorati, ſpicæ nardi, ac celticæ, ſimiliter acori decoctum in vino albo veteri, quod excolatum calidum exhibeatur, vt ſuprà, his præſertim quæ frigidam temperaturam habent. Probè item facit opopanacis, ſagapeni, myrrhæ, aut caſtorei drac. j. ſi exhibeatur. Idem quoque poſſunt cumini, fœniculi, oreoſelini, dauci, ammij & cicerum decocta, vt idem auctor refert. Paulus præter hæc helenij radicis decoctum, artemiſiæ, ſaluiæ, abſynthij, ſeminis apij, ac ſeſeli approbat, quæ omnia nedum vino (vt inquit Aëtius) aut aqua mulſa, ex Galeni auctoritate, verùm etiam in aqua decoqui poſſunt, prout magis, vel minùs mulieres fuerint natura frigidiores: qua etiam ratione habita magis, vel minùs calfacientia medicamenta eligi poſſunt, nedum eorum, quæ hic conſcripſimus, ſed aliorum quæ ab aliis commemorantur, quorum copia magna eſt, adeò vt ſi quis omnia auxilia in hunc vſum commoda recenſere velit, ei multo ocio opus fuerit, vt Aëtius inquit. Paſtillos tamen, quibus in hunc vſum vti conſueui, hic conſcribam, potiſsimùm cùm ſemper ingentem ex eis vtilitatem perſpexerim, recipiunt autem ſeminis fœniculi, dauci, & ſeſeli, ſingulorum ſcrup. j. cinnamomi caſsiæ, cuiuſlibet ſcrup. s. ſeminum melonum, aut cucumeris vnc. s. ſacchari diſſoluti in aqua melyſſophylli, aut capillorum veneris quantum ſatis ſit. formentur paſtilli, quibus temporibus ante dictis vtantur cum aqua mulſa, aut aqua capillorum veneris. Conſueui interim ſemen apij, ammij, oreoſelini, interim quoque maiorem vel cinnamomi, & caſiæ, vel ſeminum communium frigidorum quantitatem adiicere, habita ratione diuerſi habitus temperaturæ, ac ætatis ipſarum mulierum, ſimiliter & temporis anni, ac reliquorum. Mirificè quoque conducunt paſtilli è myrrha, ſi drac. j. exhibeatur cum aqua mulſa, aut aqua capillorum veneris. Item inſeſſus, fomentationes, & balnea adhibeantur, balnea quidem mineralia ſi haberi poterunt, inter quæ ſummopere præſtat id quod Puteolis reperitur, Syluianæ balneum appellatum. At ſi naturale balneum haberi nequit, inſeſſus fiant in aqua, in qua artemiſia, chamæmelum, pulegium, calamintha, ſauina, maiorana, ac ruta fuerint decocta, aut quædam alia ex his, quæ ſuprà meminimus. Ex quibus quoque ſaccelli parari poterunt, qui calfacti in latere irrorato ex pauco vino albo applicentur: ſæpiùs iterentur, ac foueántur partes circa vterum. Inſuper ſuffitus ex aromatibus muliebria ducit. Hippocrat. auctore aphoriſ. 28. 5. libri: quoniam vaſorum ora obſerata aperit, extenuat humorum craſsitudinem, & obſtructiones incidendo liberat, vt in communi inquit Galenus. Fiat quoque iniunctio in imo ventre, pube, & inguinibus ex hoc vnguento, quod recipit olei liliacei, & irini ana vnc. j. olei amygdalarum amararum, & de capparibus, cuiuſlibet vnc. s. ſucci rutæ, aut ſauinæ, & artemiſiæ, vtriuſque drac. 4. ladani drac. vj. cum cera quod ſatis ſit, fiat vnguentum. Peſsis etiam vbi opus fuerit, vtendum, primò mitioribus, deinde etiam validioribus. Atqui mitiores peſsi fiunt ex anſerino, ſeu gallinaceo adipe, ſaccharo rubeo, & pauco croco, quibus interim mercurialis herbæ contuſæ parum adiicere poteris, aut tantundem artemiſiæ, vel maioranæ, ſeu rutæ, aut ſauinæ, & pulegij quandoque. At ſi validioribus opus erit, myrrham, bdellium, galbanum, ſtyracem, ariſtolochiam, rubeam tinctorum, abrotonum, calaminthам, reſinam terebinthinam, ac reliqua huiuſmodi adiicienda ſunt, eiſdem priùs contuſis, ac linteo ſerico, aut lineo tenui ad formam digiti humani inuolutis, oleóque irino, aut liliaceo priùs infuſis, mulieris pudendo immittantur, adeò vt os vteri attingant, ligentur tamen cruribus, vt promptiùs vbi opus fuerit, auferri valeant.

Lib. de cur. rat per venæ ſect. c. 18.

Aet. lib. 8. cap. 45.

Gale. lib. de cur. rat. per venæ ſectio. cap. 18.

Topica medicamenta.

Περὶ ὑπερκαθάρσεως, καὶ αἱμοῤῥαγίους ὑστέρας.

Id eſt, De immodica purgatione vteri, & ſanguinis profluuio. Cap. CVIII.

MODERATI ſunt menſes prodeuntes in omni muliere ſi ſana ſit, vt duarum heminarum atticarum menſura ſecedant, aut paulò plures, vel pauciores, atque hoc ad duos, aut tres dies, Hippo. auctore lib. de morb. muliebr. longius autem tempus, vel breuius morboſum, & ſterile eſt. Etenim ſi pauciores, aut plures dies quàm ſolent, prodeant, aut ipſi etiam pauciores, aut plures fuerint, morboſi ſunt, vt ipſe inquit, ſiquidem menſes iuxta ſanitatem corporis, & vterorum exitum inueniunt, itémque iuxta naturalem, ac iuſtum modum, & à calore & humiditate menſium, & ſtomacho ſcilicet vteri non valde læſo, vt idem Hippo. teſtatur libro de ſterilibus. Solet autem menſtrua purgatio quibuſdam mulieribus cùm albæ, & molles fuerint, propterea quòd multus, tenuíſque ſanguis in eis colligatur, diutiùs permanere, tum de ipſarum ætate intelligendo, tum etiam de diebus, quibus huiuſmodi mulieres purgantur, quemadmodum contrario modo affectis, nigris inquam, duris, ac gracilibus contrarium euenit, ex Galeni ſententia, 6. de morbis vulga. Cùm itaque menſes plures, ac copioſiores fuerint, quàm ſolent, nimiam eorum purgationem appellamus, Græci ὑπερκάθαρσιν ἢ αἱμοῤῥαγίαν dicunt. Idque trifariam fieri contingit, vel collatione habita ad priores circuitus, ita vt ſanguis copioſior quàm conſueuerit, & per plures dies prodeat, vel à partu, vel etiam ab aborſu, ad quos plurimus ſanguis inſequatur: quanquam in hoc veluti & in reliquis naturalibus excretionibus, non quantitas duntaxat pro ſcopo proponenda eſt, vel qualitas, aut genus ſubſtantiæ, vt libro de differen. ſympto. cap. vlt. ſcriptum eſt, ſed ſi tempeſtiuè, vel intempeſtiuè fiant, ad animalis commodum, vel incommodum. Quapropter tunc nimiam vel immodicam dicemus propriè menſium purgationẽ, cùm ea ampliùs non tempeſtiuè, neque ad animalis commodum fiat, ſed potiùs intempeſtiuè, & noxa, ac nocumentum ex ea mulieribus conſequatur, nam quandoque plus iuſto purgabuntur abſque earum læſione propter longam deſidiam, & victum liberaliorem. Quòd verò in hac affectione vterus oblæſus ſit, nemini in dubium venit, nam mittuntur in venas, quæ vtero cõmittuntur menſes, vt præcedenti cap. dictum eſt, tanquam ad omnium infirmiſsimas partes, qui eiſdem mulieribus valentibus exiſtentibus antequam concipiant, ſalubres fiunt purgationes. Qua de re ſi immodicè profluant, ipſum vterum affectum eſſe indicabunt, aut per ſe ſolùm, vel ſimul cum toto corpore, vel aliquibus partibus eius. Affectus verò ſymptoma eſt in genere excretorum immodicè, non tamen toto genere præter naturam, veluti & reliqua ſanguinis profluuia. Nam præter eam, quæ mulieribus, per vterum erumpit, cæteræ ſanguinis pluſculæ vacuationes toto genere præter naturam ſunt. Illæ verò ſola multitudine, ſeu quantitate, vt liquet ex Gal. 3. de cau. ſympto. cap. 4. Cùm autem immodicè menſes vacuantur, ſequitur color fœdus, pedes molli tumore attolluntur, corporis robur proſternitur, vitiatur ciborum, tum concoctio, tum cupiditas, atque in totum omnia, quotquot immoderatam ſanguinis vacuationem, ſiue ex hæmorrhoide, ſiue alio quopiam ſanguinis fluore euenientem ſequi conſueuerunt accidentia, huiuſmodi fœminas infeſtant, ex eiuſdem Gale. teſtimonio lib. 6. de loc. affect. cap. 4. Vt autem ritè diuerſæ cauſæ huius immodicæ excretionis inueſtigentur primùm conſideranda eſt erumpentis ſanguinis multitudo, & delationis modus: ex his nanque perdiſces, num ex vaſorum ruptura, reſeratione, aut eroſione fiat, nam amplioribus vaſis ruptis, aut apertis, magna ſanguinis copia confertim profluit, à minoribus, verò vice verſa (vt inquit Aëtius.) At ſi ea quæ præceſſerunt conſideres nunquid ex ruptura, vel apertione vaſorum ſanguis profluat, promptè perdiſces, nam eis diſruptis, aut vehemens frigus, aut vehemens motus, vel ſanguinis abundantia præceſsit, ader

Lib. 1. circa principia. — *In principio.* — *Commenta. 1. comment. 6.* — *Quid per immodicã menſiũ purgationẽ intelligendum ſit.* — *Pars quæ afficitur.* — *Quis affectus præter naturam ſit menſiũ profluuium.* — *Signa.* — *Quæ animaduertenda ſint pro cauſarum cognitione.* — *Lib. 16. c. 46.* — *Cauſæ diuerſæ.*

aderítque interim aliquis dolor. Apertionem autem eorum non frigidæ, ſed contrario calidæ diſpoſitiones præcedunt, veluti ſi multis, eiſdémque calidis balneis mulier vſa fuerit, atque terram inhabitet calidam, fuerítque antecedens tempus eiuſmodi, ſimiliter quoque alimenta, & potiones, nullúſque dolor aderit. Ab eroſione verò, ſi ſanguinis profluuium prodeat, dignoſces, quoniam non confertim, ſed modicus, ac paulatim, & cum maximo dolore defertur, eodem Aetio teſte cap. 64. lib. 16. Quòd ſi eroſionis cauſa redundãtes in toto corpore vitioſi ſucci fuerint, bilioſi inquã, aut pituitoſi ſalſi, tum ex reliquis eorundem humorum propriis indiciis, tum etiam ex colore eiuſdem, qui profluit, ſanguinis menſtrui, percipies, iuxta Hippo. ſententiam lib. de morbis mulieribus. Eiuſdem autem menſtruæ purgationis immodica vacuatio haudquaquam ſpernenda eſt, nam nõnullæ, cùm vteri nimio ſanguinis profluuio laborarunt, hydropem accerſiuerunt, Galeno auctore 2. de natur. facul. cap. 8. Id quod etiã timendũ eſt in omnimoda menſtruæ purgationis ceſſatione, vt ipſe inquit, cùm vtrunque ad extremam frigiditatem mulierem ducat. Quæ verò menſium profluuia grandiores partus conſequuntur, haud ita periculum minantur, quinimò etiam plerunque ſua ſponte ceſſant, vt inquit Paulus cap. 62. libri 3. Quemadmodum ſi abortiui fœtus cauſa fiant, repentinum quandoque periculum inducunt, vt liquet ex eiſdem Aetio, & Paulo. Verùm ex quacunque tandem cauſa fiat menſium profluuium, vbi fuerit immodicum, animi deliquium minatur, & ſyncopem, vt patet primo de arte cur. ad Glauc. cap. 14. Interim etiã & mortem, quamuis naturalem partum conſequatur, velut in reliquis accidit immoderatis ſanguinis profuſionibus. Pro curatione itaq; profluuij menſium, aër eligatur temperatus, aut parum ad ſiccũ, frigidúmque vergens, ſomno etiam temperato vtantur, caueant à motu, atque exercitio, ſed quies iniungatur, animi affectus immodicos vitent, præſertim iram. Cibus eligatur quantitate moderatus, qualitate adſtringens, boníque ſucci, ſimilíſque potus. Quapropter circa initia micas panis è poſca exhibebis, vbi præſertim ieiunium tolerare nequeant, aut oryzam ex poſca, aut ouum ſorbile, molle, frigidum (vt inquit Aetius) in quem vſum etiã ſimilagine, amylo cũ poſca vti poteris. Carnibus vbi opus fuerit vtãtur, ſylueſtribus potiùs, quàm domeſticis, ac eiſdem aſsis, magis quàm elixis, vt phaſianorum, ſtarnarũ, perdicum, merularum, turdorum, aliarúmq; paruarum auium montanarum, & inter quadrupedes leporum, cuniculorum, ſeu capreolorum carnes eligantur. Quod ſi eiſdem etiam elixis vti velint, in earum iure polygoni, plantaginis, aut oxalidis folia decoquantur, aut etiam fructus adſtringentes, vt citonia ſtruthia, ſeu pyra. Vinum omnino pro potu vitandum, ex Pauli teſtimonio, ſed aqua pluuiali vtendum, in qua etiam ignitum ferrum fuerit extinctum, aut aqua, in qua oxalidis, polygoni, ſeu plantaginis folia fuerint decocta, aut myrti fructus, ſeu cydonia, atque ipſa item poſca pro potu vti conuenit, non ſiquidem frigida, ſed tepida, vt Aetio viſum eſt. Confeſtim quoque artus, & extremas partes, præſertim ſuperiores, conſtringere oportet, quanquam & inguina vinculis excipi poſſent, Paulo, & Aetio teſtibus, & iuxta Hippocrat. ſententiam cucurbitulæ magnæ ſub mammis apponendæ, vt apho. 50. 5. lib. ſcriptum reliquit, in quem etiam vſum, potiſsimum vbi ſanguinis fuerit redundantia ac reliqua non prohibuerint, venæ ſectio reuulſionis gratia in cubito facta confert, præſertim internæ venæ, exiguáque ſanguinis quantitas auferatur, & ſi opus fuerit, iteretur. Deinceps verò ſi ob vaſorum apertionem ſanguis profluat, per ea, quæ obturant, curare oportet, quemadmodum ſi ex eorũdem vaſorum ruptura contingat, quæ conglutinant adhibenda ſunt. Atqui obturatur obſculum dilatatum per adſtringentia, conglutinatur autem ruptũ per eadem, & quæcunque ipſis in compoſitionem miſcentur citra mordacitatẽ reſiccantia, & glutinoſum quoddã habentia, veluti eſt terra lemnia, ſphragis appellata, & ſamius aſter (Galeno auctore 7. de compoſit. medicamen. ſecundum locos, cap. 4.)

Loco citato.
Prognoſtica.
Curatio.
Victus ratio.
Loco citato.
Medicamentorum ratio.
Venæ ſectio.

quæ veluti ad ſanguinis ſputitiones vndecunque natas conferunt, eadémque vi ſanguinis ex vtero profluuia, & vocatum fluxum muliebrem iuuant, vt liquet ex eodem auctore, nono de ſimplicium medicamentor. facult. Dabimus item in potu balauſtiũ ex poſca, aut hypociſtidis, vel acaciæ ſuccum, ſiue lycium, vel etiam vuæ acerbæ ſuccum ſiccum, ex ſententia eiuſdem Pauli, & Aetij. Prodeſt etiam ſeſamum poſca macerare, atque ita molle factum edendum præbere, aut lotiramenta, & eorundem decoctum, ſimiliter & corallorum drac.ij. exhibere (vt idem refert Aetius.) In quem etiã vſum ſuccus polygoni, aut plantaginis ex poſca potus nõ parũ cõfert, vel drac.j. cornu cerui vſti, & tantundem corallorum rubeorũ, lapidíſq; hæmatitè ſcrup. j. cũ poſca exhibeantur. Nec minùs conducit, ſi drac.j. vel drac.ij. radicis ſymphyti cum eadem poſca, quæ ſemper tepida ſit, exhibeatur, & vbi hæc non ſuffecerint, drac.j. paſtillorum è ſpodio, è ſuccino, vel è terra lemnia cum eadem poſca præbeas. Extrinſecus autem vteri loca perfundantur, ſeu foueãtur ex eadem tepida poſca, aut oleo roſaceo, melino, ſeu myrteo pauco vino admixto. Item cataplaſmata ex hordei, fabarúmq; farina, ſymphyti radice, polygoni, ac plantaginis folijs, acacia, alumine, & hypociſtide ex poſca compoſita adhiberi poterunt, aut ex palmulis, malis cydonijs, malicorio, balauſtijs, alumine, gallis, acacia, & hypociſtide, teneris rubi, ſeu lentiſci virgultis cum eadem poſca cataplaſma fiat. Vel vnguentum, quod vulgus medicorum Comitiſſæ appellat, pauco aceto addito adhibeatur. Efficaciter quoque prodeſt taurocolla aceto macerata, donec diſſoluatur, deinde valido linteolo inducta, lumbis agglutinetur, decreto eiuſdem Pauli, & Aetij. Inſuper inſeſſus fiant ex foliorum myrti, roſarum, plantaginis, polygoni, ſymphyti, virgultorum rubi, ac lentiſci decocto, peſſulorum quoque vſus haudquaquam contemnẽdus erit, qui ex folijs plantaginis, polygoni, aut myrtillorum, ſymphytíque radice contuſis, pauca addita manna thuris, hypociſtide, ac balauſtio cum eiuſdem plantaginis, ſeu polygoni ſucco conficiantur. Interim gallarum puluis, ac aluminis ſciſſi, necnon acaciæ ſuccus cum ouorum toſtorum luteis adijci poterunt, & quãdoque cupreſſi folia, aut rubi, paritérque & cytini. Cùm verò vſus exigit linteo ſerico, aut lineo tenui excipiantur, & ad formam humani digiti redacti in roſaceum intingantur, ac ſubdantur. Súntq; peſſuli penitiùs vſque ad os vteri immittendi. Infunduntur quoque per inſtrumenta ad hunc vſum parata in vterum, quæ μητρεγχύτας Græci vocant, plantaginis, polygoni, ſeu ſolani ſuccus. Similiter acaciæ, vel hypociſtidis. Vel decoctum in aqua pluuiali, malicorij, gallarum, balauſtium, hypociſtidis, ac foliorum lentiſci cum polygonij, ſeu plantaginis ſucco, aut etiam acacia. Galen. verò ex vtero ſanguinis profluuium quaternis iam diebus profluẽs, cùm nullo alio potuiſſet ſiſti remedio, plantaginis ſucco vtens, prorſus ſanauit. Quãquam id medicamen & ad ea quæ ex eroſione excitãtur, ſanguinis profluuia, ſit vtiliſsimum, vt patet 5. meth. med. Eroſio verò magna ex parte in ceruice potiùs vteri, quàm alibi contingere ſolet, diſcernitúrque per excretam ſaniem, ſi fuerit profunda. Si verò circa os ceruicis conſtiterit, non ſolùm per hanc, ſed per tactum quoque cognoſci poteſt (eodem Gale. teſte 6. de loc. affect. cap. 4) At quod ea per renutritionem eroſorũ, quæ fit per cibos boni ſucci, & medicamenta ſarcotica dicta, hoc eſt, carnem gignẽtia curetur, patet eodem libro 7. de compoſit. medicament. ſecundum locos cap. 4. Quapropter nedum iniectus plantaginis ſuccus (vt diximus) huiuſcemodi profluuium ſupprimere valet, ſi cyathi menſura iniiciatur, vt inquit Aetius, verùm etiam aliquando fortiùs aliquod admiſcendum erit, aliâs aliud pro affectionis reſpectu, nam ſi vas, vnde profluit ſanguis magnum, & amplum fuerit, auſteris medicamẽtis opus erit, balauſtio inquam, acacia, hypociſtide, gallis, malicorio, & ſimilibus. Si vero paruum, conferent aloë, manna thuris, cortex pinus, terra lemnia, lapis hæmatites, & reliqua huiuſmodi, quæ nedum cum ſucco plantaginis, verùm etiam vino auſtero nigro, aut ſenecionis

Cap. de terra lemnia.

Quæ in potu præbẽda ſint.

Topica.

cap. 5.

Si ex eroſione proueniat menſiũ profluuium, curatio.

Curandi methodus.

ſucco ſubdita, & iniecta conferunt, ex ſententia eiuſdem Aëtij. Et (vt ſummatim dicam) quæ mediocriter, & ſine morſu detergunt, atque exſiccant, commoda ſunt, vt quæ carnem generent, vt liquet tum 3. metho. meden. cap. 3. tum 2. de compoſitione medicament. per genera, cap. 1. Vbi verò exulceratio, ſeu eroſio adhuc fiat, vel augeatur propter redundantes (vt diximus) in toto corpore vitioſos ſuccos, nulli in dubium venit eos priùs purgandos eſſe, & deinceps modo dicta medicamenta adhibere. Qua de re ſi bilioſi fuerint, adhibitis priùs (ſi detur occaſio) ſyrup. quibuſdam, vt ex infuſione roſarum, vel ſucco myrtino, vel è ſucco oxalidis, ſeu acetoſo ſimplici, vel oxyſaccharo cum aquis plantaginis, polygoni, vel oxalidis, hoc purgans medicamentum exhibeatur, quod recipit, tamarindorum vnc. s. corticum myrobalanorum citrinarũ drac. 3. in aqua oxalidis, & plantaginis fiat decoctum in quo diſſolue ſyr. de nouem infuſionibus roſarum rubearum vnc. 4. rhabar. ſine ſpica drach. 1. vel ſcrup. 4. miſceantur, & fiat potio. At ſi ſalſa pituita eroſionis cauſa fuerit, ſyr. è corticibus citri, vel mel roſaceum cum ſyr. myrtino, vel ex abſynthio aliquibus vicibus præbeto, deinceps verò medicamentũ purgans tale exhibebis, Recipe corticum myrobalanorum chebularum drach. 4. agarici trochiſcati drach. 1. vel ſcrup. 4 fiat decoctum in aqua plantaginis, in quo vnc. 3. ſyrup. ex tribus infuſionibus roſatum perſicarum, vel vnc. 4. ſyrup. ex pluribus infuſionibus roſarum rubearum diſſoluas, & potui exhibeatur.

Quibus purgari cõpetat.

Περὶ γυναικείου ῥοῦ. *Id eſt, De muliebri profluuio.* *Caput* CIX.

Qvemadmodum totius corporis culpa aliquãdo prorſus nõ purgabitur fœmina, aliquando parciùs, aut liberalius, ita quoque interdum malum quidpiam per vterum vacuabit, vt liquet ex Galè. 3. de cauſis ſymp. Vocatur autem hæc affectio à Græcis ῥοῦς γυναικεῖος, vt patet ex Gale. citato loco, & lib. de differ. ſympt. ac 6. de locis affect. cap. 4. quem ſectati ſunt Paulus cap. 63. libri 3. & Aetius cap. 65. lib. 16. A Latinis verò muliebris fluxio, ſeu profluuium muliebre appellatur. Eſt verò totius corporis recrementi deſtillatio, vt inquit Paulus, vel vteri deſtillatio diuturna, vt Aetio viſum eſt, vel vniuerſi corporis per vterum expurgatio, ipſo haudquaquam affecto, vt ex Gale. colligitur citatis libris 3. de ſympto. cauſ. & 6. de locis affect. cap. 4. In hac autem affectione (licet eius multiplex habeatur ortus, vt paulò pòſt dicemus) vterus ipſe haudquaquam affectus eſt, licet per ipſum vniuerſum corpus expurgetur, quemadmodum interdum per renes quoque euacuatur, ex eiuſdem Galeni anctoritate præcitato libro 6. de locis affect. cap. 4. nec alicuius determinatæ corporis partis affectio hæc dici poterit, quanquam & ipſa ſymptoma ſit in genere excretorũ immodicè, præſertim in qualitate, nam vitioſum eſt, quod expurgatur, vt eodem libro de differ. & 3. de cauſis ſymptom. ſcriptum eſt. Deprehenditur verò muliebris fluor ipſe notis, à menſtrui ſanguinis eruptione differens, eo quòd in illa ſyncerus ſanguis prodit, hic verò fluxus corruptus apparet, diuerſorum tamen colorum, pro diuerſitate redundantis ſucci, vt dicemus, qui etiam citra dolorem prodit. Quapropter loci (vt inquit Paulus) continuè madent humoribus colore variaotibus, laborans decolor eſt, cibum non ſentit, cúmque faſtidit, in obambulatione difficulter ſpirat, oculos habet prætumidos, nunc cum dolore, nunc citra illum, aut cum exulceratione, aut ſine illa, aut inflammata, aut ſordida, aut pura. Inferre quoque ſolet hic fluor inenarrabilem triſtitiam, & pedum tumorem, & in aliquibus perpetua deſtillatio perſeuerat; in aliquibus verò per interualla quædam redit, ex Aetij teſtimonio. Atqui ſi purus ſanguis, qualis ex diſſecta vena profluit, & cum dolore promanabit, vteri eroſionem indicabit, de qua præcedenti cap. ſermonem fecimus, nec tale profluuium muliebre appellari debet: nam in eo vterus haudquaquã affectus eſt, in hoc proprio morbo laborat, qui eroſio, ſeu exulceratio exiſtit. Hic verò corruptus

3. de cau. ſymptom. cap. 4
Lib. de differ. ſymp. cap. ult.
Muliebre profluuiũ quid ſit.
3. de cau. ſympto. cap. 4
Quæ pars afficiatur.
Quis affectus præter naturam ſit.
Lib. de differ. ſymp. cap. ult.
Signa profluuij muliebris.
3. de cau. ſymptom. cap. 4

fluxus,qui in muliebri profluuio fit,aliquando ruber eſt, veluti tenuis ſanguinis ſanies,aliquando albus,velut ptiſanæ ſuccus,à pituitoſo videlicet ſanguine ortum habens,interdum pallidus,vbi bilis amara redundarit,interdum aquoſus à ſeroſorum humorum ſuperfluitate. Nam perpetuò id quod euacuatur, tale ſpecie eſt,quale eſt quod in animali redundat, vt liquet eodem tertio de cauſis ſymptomatum,potiſsimùm autem id fit,ſi mulier laxis ſit carnibus,& pituitoſa,ex eiuſdem Galeni ſententia citato lib. 6. de locis affectis. Qui itaque exquiſitè colorem præ ſe fert aliquem, is redundantem humorem facilè indicat. Si verò obſcurum colorem habeat, cauſam eius ita perſcrutabimur, linteum eo inquinatum areſactum ſimplici aqua eluemus, & inde à maculæ colore redundantis humoris notionem capiemus, vt inquit Aetius. Generatur autem talis fluxus muliebris, vel ex complectendi functione imbecilla, vel expultrice immodicè concitata, vel ambabus ſimul læſis, aut quòd totus ſanguis tenuis, ſeroſúſque eſt redditus, vt libro de different. ſympt. cap. vlt. à Gale. ſcriptū eſt. Atqui ſanguis talis fieri poteſt, vel ex ſanguificæ facultatis operis fruſtratione, vel eius, quę tenue, & ſeroſum ſeparat, ſeu idem excernit. Incidere etiam aliquando poteſt ex retentrice ipſa immodicè opus ſuum vrgente, & cute inſpiſſata, & renibus occluſis, ex eiuſdem Galeni auctoritate citato libro de different. ſympto. Præter has itaque cauſas vniuerſus ſanguis tenuis, ſeroſúſque reddi poteſt, ac per vteri vaſa expurgari, retentrice eorundem vaſorum facultate interim imbecilla, interdum vero expultrice (vt diximus) immodicè concitata, aut etiam ambabus ſimul læſis ob copiam, & ſanguinis qualitatem. Si autem num ſanguificæ virtutis vitio, vel eius, quæ tenue, & ſeroſum ſeparat, ſeu excernit, ſymptoma hoc fiat, diſcernere velis, ea conſulas, quæ capite de hepatica affectione, aut de renum affectibus conſcripſimus. Inſpiſſatam autem cutem probè ex te ipſo percipies, neque magno labore retentricis, aut expultricis facultatis læſionem, ſeu vtrarumque reperies. Cæterùm ætate vigentes mulieres rubra ferè fluxio infeſtat, declinante verò ætate, alba, & vtraque fluxio, ſi ſuæ ætati accident, facilè curatur, ſi alienę, difficulter, ex Aetij teſtimonio. In omni verò muliebri defluxu vteri os aperitur, & velut relaxatur, quibuſdam etiam vterus ipſe procidit, vt vſque ad muliebre pudendum progrediatur. Qua de re magna cum diligentia curanda eſt affectio hæc, neque localibus auxilijs fluxus confeſtim reprimendus erit, nam aliquæ in hydropem, aliquæ in neruorum affectiones, aut oris ventris, aut capitis vexatione collapſæ ſunt, vt liquet ex eodem Aetio. Vniuerſo itaque corpori pro eius curatione, quæ citra immodicum calorem exſiccant, auxiliantur, cùm affectus ſit humidus atque aquoſus (Gale. auctore lib. de præſagitione ad Poſthumum) quem etiam ſectatus eſt Paulus præcitato loco. Et propterea vniuerſa victus ratio ad duo inclinare debet, vt idem Gale. aſſerit, potus videlicet paucitatem, & totius corporis frictionem ex melle ſolo multum cocto (tantum tamen refrigerato, vt hac in re fontanæ aquæ ſimilis æſtiuo tēpore ſit) poſt fricationem corpore perunctoſimili itaque victus ratione adſtrictoria, ac ad ſiccum vergēte, aliquatenus craſſefaciente quandoque, quam præcedenti cap. etiam inſtituimus, vtendū eſt (vt ſummatim dicam) ſi quod interim magis, aut minùs exſiccantibus, ac adſtringētibus cibis vti oportet pro diuerſo humore redundante, quemadmodū etiam & eadem victus ratio ad frigidum, vel calidum magis, vel minùs vergere debet. Quod verò ad medicamentorū rationem attinet, ſimilis quoque ratio habenda erit. Verùm ſi mulier rubro fluore muliebri vexabitur, primùm ei ſanguinem per venæ ſectionem vacuabimus, vbi nihil obſtiterit, partitur autē ſanguinis detractio, veluti in his, qui ſanguinē reiiciunt, quo paulatim reuulſio fiat, vt inquit Aetius. Secanda autem eſt cubiti vena, nam hæc non ſolùm materiam ad vterum confluentem diuertit, ſed muliebris fluoris detentionem, ac cōſtrictionem tutam efficit. A venæ ſectione, lumbis ac inguinibus detrita, & mollia lintea imponenda ſunt frigidis ſuccis imbuta, quorum præcedenti

cap.

Loco citato.
Loco citato.
Cauſæ.
Loco citato.
Prognoſtica.
Lib. 16. ca. 66 Curandi methodus. cap. 8.
Victus ratio.
Medicamentorum ratio.
Aetius lib. 16. cap. 46.
Venæ ſectio.
Topica medicamenta.

cap.meminimus. Locetur autem mulier coxis accliuibus, cruráque extendat, ac inter ſe complicet ad vteri partes contrahendas. At ſi copioſè ſanguis feratur, coxę, pecten, & lumbi ſpongiis poſca madefactis integantur. Si verò modicè deſtillet, lana ſuccida vino, & roſaceo imbuta adhibeatur, & extremæ partes deligentur, atque hęc non ſolùm in principio fiant, ſed etiam poſt circuitus, ante exacerbationem, & in ipſa exacerbatione, ex eiuſdem Aetij decreto, & reliquis etiam vtatur medicamentis extra adhibitis, quæ præcedenti cap. adnotauimus. Commodæ quoque ſunt quæcunque potiones ſanguinem reiectantibus competunt, ex eiuſdem Aetij ſententia. Cæterùm vbi vitioſi redundarint ſucci, bilioſi inquam, pituitoſi, aut ſeroſi, quamprimùm quoque iidem expurgandi, ac ab vtero deriuandi, & diuertendi ſunt, & propterea Galenus eodem libro de præcognitione ad Poſthumum, in Boëthi vxore, quæ hac affectione laborabat, primùm medicamento per aluum educente vſus eſt, ſecũdò eis quæ per vrinam ipſum educere valent, & tertiò his quæ per cutem euocare poſſunt, quibus remediis quindecim diebus cùm fuiſſet vſus, prorſus prædictam mulierem à morbo vindicauit, & proinde Boëthus quadringentos aureos ad eum miſit. Seroſo itaque humore exiſtente, qui redundat, ex hiera, & agarico formatis catapotiis, & potione ex decoctò myrobalanorum chebularum cum ſyrup. ex pluribus infuſionibus roſarum rubearum, vel perſicarum ægram purgabis. Quòd ſi neque vna purgatio ſatis ſit, iteranda quoque eadem erit, in minori tamen quantitate, quemadmodum & Galenus in modo dicta ægra rurſus medicamentum purgans exhibuit. At ſi pituitoſus fuerit ſanguis, nedum hiera, agarico, & myrobalanis purgare conuenit, verùm etiam & reliquis inſignioribus medicamentis pituitam per aluum ducentibus, vt catapotiis fœtidis, ex ſagapeno, aut agarico compoſitis, item & noſtris, quæ cap. de aqua inter cutem conſcripſimus, priùs tamen ea exhibeantur medicamẽta, quæ iam dictam pituitam concoquere ac præparare valeant. Bile autem flaua redundante eadem hiera, cum rhabarbaro myrobalanorum citrinarum decocto, ac ſyrup. ex pluribus infuſionibus roſarum purgabis. A purgatione verò ea medicamenta exhibeantur, quæ propriè οὐρητικὰ, id eſt, vrinam cientia dicuntur, quorum ſylua à Gale. ſcripta eſt lib. 5. de ſimplic. medic. facult. cap. 12. calida inquam, ac ſicca exiſtentia. A quibus ſanguis non extenuatur duntaxat, ſed & funditur, ac ſecernitur, nõ ſecus atque lac, quod coagulatur, ſeroſo videlicet, & tenui ſeorſum ſegregato, craſſo verò in ſeſe coëunte, ſiquidem quo facillimè ad ſe attrahant renes quod in ſanguine aqueum, tenuéque, ac ſeroſum eſt, vtraque hæc conferunt, nempe totius ſanguinis primùm fuſio, deinde ſegregatio, quorum neutrũ abſque valido calore peragi queat. Hæc itaque peculiariter ab eodem Gal. ibidem vrerica, ſiue vrinam mouentia appellantur, non quia ſolũ moueant vrinas, ſed quia ſolas abſque vi etiam menſes, aut lac: inter quæ apium, atque aſarum eligens, prædictæ mulieri eorundem decoctum in aqua exhibuit: hæc nanque per vrinam humorem, qui per vterum expurgabatur, deriuãdo etiam euacuant, vt ipſe teſtatur, cùm hoc quod neq; menſes cient, vt quibuſdam Arabicis falsò viſum eſt, & renes occluſos liberãt, ſi id quoque talis muliebris profluuij cauſa fuerit: nec minùs & per totius corporis frictiones humor quoque euocandus eſt. Et ſi ex cute ſpiſſata adhuc talis affectio fuerit orta, iiſdem frictionibus rarefiet, quæ primò mollibus linteis, & demum aſperis faciendæ ſunt, iuxta eiuſdem Gal. doctrinã præcitato lib. de præcognitione ad Poſthumum, cap. 8. his quippe medicamentis vniuerſo corpori adhibitis, intacto quidem vtero huiuſmodi muliebres fluores Gale. ſanauit, vt eodẽ 6. de loc. affect. cap. 4. ſcriptum eſt. Subſequebatur autem totius corporis fricationẽ inunctio ex melle ſolum, multũ quidem cocto, vt diximus. Verùm vbi hæc non ſuffecerint, perſeuerauerítque muliebre profluuium, ea exhibenda ſunt, quæ præcedenti cap. de menſiũ profluuio dicta ſunt, potiſsimùm autem ea eligantur, quæ non admodum efficacia exiſtunt, item portulaca commanducata, ſuccúſque

Lib. 19. c. 66.

Potiones.

Loco citato.

cap. 8.

Quibus medicamẽtis fuerit uſus Gal.

Purgatio, ubi ſeroſus redundarit ſuccus.

Si pituita redundet, purgatio.

Bile redundante.

Quæ medicamenta à purgatione competant.

ipſius potus prçſidio eſt,balauſtiũ,rubi fructus,& flos,vt inquit Paulus:nec minùs,& equiſetum ſiſtit rubrum fluorem potum ex aqua,aut vino,vel hypociſtidis,aut lentiſci fructus torrefactus cum vino ſumptũ,vt idem Paulus refert,ſimiliter ſamius aſter,terra lemnia,ſphragis appellata,item coagulũ leporis, aut hœdi,aut ouis,aut vituli,aut cerui cõferts vua etiam immatura ſicca,piceæ cortex,& myrti (vt liquet ex eodem) factũ quoque & pæoniç grana pallida quindecim aſsiduè pota,aut corallorum drac.1.è vino nigro, aut vinacia trita cum

Aetius lib.16. cap.71

vino,aut corticis loti arboris decoctum,vt inquit Aëtius, præſertim vbi fluor albus,aut ſeroſus fuerit,proditum quoque eſt,vt inquit Gale.10.de ſimpl. medic.facult.leporis coagulum ſi cum aceto ebibatur, ſanare profluuium muliebre.

Gal.10.de ſimplic.med.fac. cap.de coagulo.

Quòd ſi cum dolore fluxus deferatur,aſininũ lac, præſertim aſinæ per paſcua pratorum nutritæ,quiuis fuerit ſuccus,præſtat.Confert etiam & ſtercoris eiuſdem aſinæ ſuccus,ſimiliter & alicæ,aut ptiſanæ ſuccus; & roſaceũ quoque, vel per ſe,vel cum lacte infuſum. Ne verò ab humore tranſeunte vlcus excitetur,ſanies profluens aſsiduè calida aqua eluatur,& ipſis locis moderatè adſtringentia adhibeantur, quæ ſimul abſtergendi vires habeant, deinceps roſaceũ, aut myrteum,aut melinum oleum illinatur,& aqua etiam pura nihil adſtringens habens admixtum in principio præſertim adhibeatur,ob influẽtis humoris acrimoniam,necnon & ob eandem cauſam & alicæ, & orizæ ſuccus infundantur,ex eiuſdem Aetij decreto.

Lib.16.c.67.

Cæterùm vbi fluxus ceſſauerit,à veloci ambulatione,à multis pectinis,ac lumborum frictionibus,ab acrium eſu,à calefacientibus,à flatuoſis,& ab his,quæ vrinam prolectant,diu abſtinendum eſt, & balneis rarò vtendum,neque venter mouendus eſt,neque ſpiritus retinendus. Hæc enim omnia malum reuocant,vt idem inquit Aetius,quæ fortè præcepta

Loco citato.

Boëthi vxori Gale.inſtituit,poſtquam ab eodem affectu ipſam vindicauit, ne in poſterum ampliùs eo morbo ægrotaret,ab eodem Boëtho rogatus prohibens ne illi ſimile quod vacuauerat, in futurum aliud gigneretur.

περὶ ὑστερικῆς πνιγός. *Id eſt, De vteri ſtrangulatione, ſeu ſuffocatione.*

Caput C X.

QVanquam ea pars,quæ mulieribus ad pariẽdum à natura data eſt,à Græcis μήτρα, ſeu ὑστέρα, à Latinis matrix, ſeu vterus appellata (vt ſuperiùs annotauimus) in infernis corporis partibus poſita ſit (quoniam ſupernis,eiſque principibus communicat, cordi ſiquidem per artçrias, cerebro per ſpinæ membranas, ac neruos, & iocinori per venas) propterea non mirum, ſi interim in eo affectus quidam oritur,cui omnes,vel quædam prædictarum partium conſentiunt,qui affectus à Græcis interim ὑστέρας καὶ ὑστερικὴ πνὶξ, à quibuſdam ἄπνοια ὑστερικὴ dicitur,Latini autem vteri ſtrangulatum,ſeu vterinam ſuffocationem, vel ſpirationis ob vterum priuationem vocant, volentibus tamen ipſis vtraque appel-

Quid ſit ſtrangulatio uteri.

latione vnum quendam affectum explicare,nomen aſſumens tum à parte ipſa affecta,tum à ſuperueniente ſymptomate.Eſt autẽ affectus hic (Paulo auctore cap.71.lib.3.) vteri recurſus ad ſuperiora:in hac affectione modo ſurſum,mo-

Aetius lib.16. cap.68.

do in latus vterus retrahi videtur,Gale.teſte 6.de locis affect.cap.4.quãuis Aet. quoque fateatur,quod in hac affectione vterus velut ad ſupernas partes aſcendiſſe videtur,ſemper etenim,ſiue ſurſum retractus fuerit totus vterus æqualiter,ſiue ad latus inæqualiter trahatur,velut ſupernas partes aſcẽdiſſe videtur, cum eiuſdem ſuffocatio oritur:quo motu nõ creandæ prolis gratia mouetur,ſi priuetur his,quæ cõcupiſcit veluti animal,vt quibuſdam viſum eſt,& propterea vniuerſo corpori nocere fatendum eſt: nec ob id quod poſteaquàm ita per corpus vterus errauerit ad ſeptum tranſuerſum perueniens reſpirationem impedit,veluti quidam prædictæ opinioni addiderunt,idcirco ſtrangulatio fit: ſicut etiam falſa quoque eorum opinio eſt,qui aſſerunt vterũ exſiccari vbi ſuppreſſi ſint menſes, deinde humectari cupientem, ad viſcera vſque aſcendere,

Cùm verò aſcendendo nonnunquam ſeptum tranſuerſum contingat, idcirco animal ſpiratione priuari, etenim tanquam erroneæ prædictæ opiniones à Galeno eodem ſexto de loc.affe.cap.4.impugnantur,& refelluntur, alia propterea cauſa huius retractionis, ſeu recurſus inueſtiganda erit, ſi priùs partem ipſam affectam, ac affectum ipſum demõſtrabimus. Quòd verò vterus primò, ac præcipuè in hoc vitio afficiatur, omnium medicorum conſenſu liquet, & Galenus citato loco per hæc verba confirmauit, cùm dixit, Quòd autem à priſcis iam inde ſeculis optimo iure creditum fuerit hyſterica dicta ſymptomata ad vterum tanquam ad radicem pertinere, vel maximo argumento eſſe poteſt, quòd & ſolis viduis, & iis quibus menſes ſupprimuntur, huiuſmodi affectus euenire conſueuerunt, quanquam ſi quiſpiam dixerit, quòd vbi in hac affectione vterus retrahitur, vteri corpus non eſt affectũ, ſed peruerſione laborat, cùm aliàs aliorſum trahatur, hîc haud abſurda dicere videbitur, vt idem Galenus inquit. At quiſnam affectus ſit vteri ſuffocatio, ſeu ſtrãgulatio, non admodum liquet, nam interim cum eius retractione, ſeu peruerſione fit, interim autem citra peruerſionem, ſed quãdo cum vteri peruerſione affectio iam dicta generatur, nulli in dubium venit morbum eſſe in ſitu, ſeu figura ipſius vteri, prout ab Hippocrate, & Galeno tertio de articulis, ſcriptum eſt, quanquã non propterea quòd peruerſus, ſeu retractus eſt vterus, ſymptomata, quæ in animalis corpore apparent, oriantur, ſed propter aliã cauſam (vt dicemus.) In hac etiam vteri ſtrangulatione, quæ cum eius peruerſione fit, idem vterus intemperie, eádemq; frigida immodicè laborat, qua duntaxat eum laborare aſſerimus cùm citra eiuſdem peruerſionem affectus hic excitatur, licet oriri haudquaquam poſsit quomodolibet generationem habeat, niſi intemperies hæc principibus partibus impertiatur, cordi inquam, aut cerebro, ſeu vtriſque primùm, & deinceps ab eis vniuerſo corpori præſertim in prima, ac præcipua eius ſpecie, ſeu differentia. Perpetuò itaque intemperie, eáque nimium frigida in hac affectione vterus laborabit. Qua de re morbum hunc non inflammationem, ſed flatuoſam perfrigerationem eſſe Soranus dicebat, interim autem ſimul cum ea malè ſituatus, ſeu figuratus erit pro diuerſitate, ſeu magnitudine cauſarum, ex quibus originem duxerit, vt dicemus. Comitatur autem taliter affectos cùm acceſsio propinqua eſt, torpor mentis, pigritia, crurum imbecillitas, pallida facies, ac triſtis quidam aſpectus: inſtante verò ſtrangulatione, ſopor grauis, ac profundus, mentis, ac ſenſuum apprehenſio cum vocis interceptione, pulſus autem parui, ac debiles fiunt, & aliquando penitus intercipiuntur, quibuſdam autem neque reſpiratio ſenſibilis permanet, aliquando verò aliis actionibus integris manentibus, magnam reſpirationem ex hac affectione habent, ſtomachi etiam dolore vexantur, & ſaliuam vomunt, ſi in ſtomacho, aut capite humiditas ſita eſt. Interdum etiam ſic exanimat, vt tanquam comitiali morbo proſternat: diſtat tamen hic caſus, eo quòd neque oculi vertuntur, nec ſpumæ profluunt, nec nerui diſtenduntur, ſopor tantùm eſt, idque quibuſdam fœminis crebro reuertẽs, perpetuum eſt (Celſo auctore, cap.20.lib.4.) Inclinante verò acceſsione, corpus firmari incipit, & malæ rubeſcunt, ac oculi poſt multam grauitatem attolluntur, & vbi iam malum ægram relicturum eſt, humiditas quædã ex locis muliebribus excurrens ractu percipitur, & inteſtina murmurant, ac ipſe vterus paulatim laxatur, atque ſic exurgens ægra intellectum, & ſenſum recipit, vt liquet ex Aetiò, & Paulo. Obſtetrices quoq;, ſeu medicæ quæ ipſas exquiſitè tetigerunt, fatentur circa vterum notas quaſdam apparere, nam ceruix eius inclinata videtur, interdum quidem veluti ſurſum retractus ſit totus vterus, interdum verò veluti ad latus trahatur, nam ſimul cum vtero, ceruicem quoque ipſius retrahi neceſſe eſt (Galeno auctore, eodem 6.de loc. affect. cap.4.) Cæterùm cum vteri ſtrangulationis differentiæ plures eſſe poſſunt, pro efficientis cauſæ magnitudine, vel pro ſpecierum quarundam varietate inter ſe differentes, quia in earum aliqua omnino ſpiratio perditur, non ab re quæreret

Quæ pars afficiatur in vteri ſtrangulatione.

Quis affectus præter naturam ſit.

Tex. & comment. 10.

Vide Aet. Loco citato.

Signa ſuffocationis uteri.

Quomodo viuere poſsint, quæ uteri ſuffocatione la-

borant, etiam ſi nihil omnino ſpirent.

5. de loc. affe. cap. 2.

Lib. de utilit. reſpir. cap. 1.

quiſpiam quomodo viuere tales poſſent, quæ nihil omnino ſpirát? Cùm in confeſſo ſit ſpirationem à vita, & vitam à ſpiratione ſeparari non poſſe, adeò vt viuentem non ſpirare, & ſpirantem non viuere ſit impoſsibile, quinimò vbi cor reſpiratione priuetur, illico hominem perire neceſſe eſt, vt liquet quinto, & 6. de locis affect. cap. 4. & libro de vtilitate reſpirationis; qua de re quidam Heraclide poſteriores credentes ſeruari aliquid ſpirationis, quamuis ipſa non appareat, carptæ lanæ floccoculos coram naribus ſuſpendi iubent, vt exactè deprehendatur num ſpiritus aliquis inter ſpirandum tum intro, tum foras rurſus deferatur: aliqui poculum aqua plenum ori ventriculi imponere præcipiunt, & conſiderant an aliquo motu aqua agitetur, quippè immotum omnino ſeruari humorem aiunt, ſi tota perierit ſpiratio: & profectò vtrique ignorant aliquando ſublata penitus, oris, ac narium reſpiratione animal viuere poſſe, modò ea ſuperſit, quæ in toto corpore ab arteriis, & corde perficitur: id quod in latentibus animalibus manifeſtò apparet, nulla apparente in ipſis ſpirationis nota: hæc etenim per totam hyemem mortuis ſimillima in cauernis latitant per arterias tantùm totius corporis tranſpirantia: pari item ratione in vteri ſtrangulatione fieri poteſt, vt toto corpore frigefacto (vt diximus) id enim manifeſtè videtur, nulla prorſus prodeat ab ore ſpiratio, ſuperſit autem ea quæ à cordè, & arteriis fit, eſt etenim maximus, & præcipuus reſpirationis vſus (vt ſexcentis in locis à Galeno decretum eſt) vt intimus calor, & refrigeratione, & vẽtilatione ſeruetur. Qua de re exiguus ille calor in hyſtericis mulieribus derelictus arteriarum, cordiſque officio conſeruari poterit, quæ actio à quibuſdam medicis tranſpiratio dicitur, quamuis (vt diximus) quæ fit ab ore, & naribus reſpiratio omnino fuerit abolita, licet etiam adeò parua eſſe poſsit, vt ſenſum lateat, nedum reſpiratio, ſed etiam tranſpiratio ipſa: illúdque clarè conſtat non ſolùm in Galeni, ſed etiam Ariſtotelis doctrina, qui libro primo de natura animalium, cap. 11. talia protulit verba. Sed datur viuendi facultas etiam ſi deſit ſpiratio, quanquam itaq; perfecta animalia, quæ temperatè calida ſunt, præſertim dum ſanitate fruuntur, citra ſpirationem haudquaquam viuere poſſint, vt liquet ex modo citatis Galeni locis, attamen quæ frigida ſuapte natura ſunt, vt latentia, aut ex accidenti vniuerſum eorum corpus talé redditum eſt, vt in hyſtericis conſpicimus citra reſpirationem non inconuenit, vt in vita ſeruentur, modo arteriarum, cordiſque officium eis conſeruetur: nec propterea his, quæ cap. de apoplexia, ſcripta ſunt, contradicimus. Adhuc vt nihil ad affectum hunc pertinens maneat indiſcuſſum, iterũ quæret quiſpiam quam ob cauſam corpus hyſtericarum mulierum refrigeretur? Ea verò haud difficulter diſſolui poteſt, ſi cauſas, quæ præceſſerunt, diligenter intueamur. Nam conuenit inter omnes medicos, vt idem Galenus aſſerit citato libro ſexto de locis affectis, hunc affectum magna ex parte viduis euenire, híſque maximè, quæ cùm antea probè purgarentur, ac parerent, atque virorum concubitu gauderent, iis omnibus priuantur; ex quibus conucere poſſumus, quòd ob retenta menſtrua, vel ob ſemen cohibitum mulieres vteri ſuffocatione, ſeu ſtrangulatione cruciantur, ídque fortaſſe magis (vt idem Galenus inquit) à ſemine retento contingere poteſt, vtpote magnam vim obtinente, vt eſt enim in mulieribus humidius, ita etiam & frigidius, ſemen etenim in vtero paulatim coaceruatum, aut etiam ſanguis menſtruus, vitioſi redduntur, ac perfrigerantur, quibus perfrigeratis vterus quoque taliter afficitur, à quo demum ad cerebrũ, ac cor frigiditas trãſmittitur paulatim tractu temporis, à quibus deinceps vniuerſum corpus celeriter alteratur, ac refrigeratur, & relata inferunt ſymptomata, vel tenui quadam ſubſtantia, veluti aura ab eiſdem excrementis ad iam dictas partes principes aſcendente, vel continuitate partium traducta alteratione per quandam veluti qualitatis diffuſionem mediis corporibus, cum quibus vterus ipſe prædictis principibus partibus commnnicat. Neque mirum videri debet, ſi vel ex minima humorum mole tanta cõſequantur ſymptomata,

Cur hyſtericarum corpus refrigeretur.

Loco citato.

Cauſa.

etenim

etenim à phalangij quoq; ictu totum corpus affici videtur exiguo veneno per minimum foramen iniecto, & longè maiori admiratione eſt ſcorpionis ictus, quod breui admodum tempore grauiſsima infert ſymptomata, quanquã exiguũ ſit id, quod inijcitur, aut nihil omnino, nullo apparente foramine in ipſius aculeo: necnon quòd canis rabie capti, ſolum ſputum ſi humanum corpus tetigerit, rabiem excitare poſsit, ex eiuſdẽ ſputi qualitate aucta, quadam corporis diſpoſitione, ita vt poſt ſex menſes quando ad magnitudinem notatu dignam peruenerit, diſcerni poſsit: item ſimilibus quoq; affectibus infeſtari poſſumus iis, qui pernicioſo epoto veneno euenirunt, corruptis, in nobiliſsimis adeò humoribus, vt veneni tum qualitates, tum vires æquent. Vitiatum itaque ſemen, aut menſtruũ cùm retinentur, corporibus potiſsimùm vt afficiantur idoneis, paulatim tractu temporis principalium partium aliqua conſentiente, à qua deinceps vniuerſum corpus celeriter alteratur, cùm totum corpus refrigerare valeant, prædicta grauia ſymptomata inferre poſſunt, & aliàs aliæ quoque accidentium ſpecies oriri ſolent pro multitudinis, qualitatisve ratione tum menſtruorum, tum ſeminis. Nam vbi craſſa, vel acris fuerit eorum natura, conuulſiones, ſi verò atræ bilis naturã habuerint, mœſtitiam inducere poſſunt, quemadmodum animi quoque defectiones, & ad fortes extenſiones, & refrigerationes, & ſtomachi actum ſequi conſueuerunt. Et propterea contingit etiam quibuſdam ſenſus, ac motus priuatio, & pulſus obſcurus, ac paruus, & penitus interceptus, in aliquibus verò tum ſenſus, tum motus adeſt, itémq; ratio, verùm vix reſpirant, aliquibus etiam vox intercipitur, aliis contrahuntur artus, vt liquet nono de compoſitione medicamen. ſecundum locos, cap. 10. At ſi ex menſium ſuppreſsione vteri ſtrangulatio excitetur perueniẽte quidem ad vterum ipſo ſanguine menſtruo, ſed ad interna ipſius ingredi non potẽte, aut quia craſſior eſt quàm vt per ora vaſorũ poſsit penetrare, aut quia clauſa ſunt ora, propter quod multiplicatus in venis eas extendit, atque vicina ipſis vincula madefacit, citra eius peruerſionem non erit, quoniam plenitudo repletorum corpora & in latum, & in profundum extendit, ſed longitudinem abbreuiat, continuò propterea vterum retrahi neceſſe eſt: ob quam cauſam vel ſurſum, vel ad latus retrahatur oportet. Quo fit, vt ſi æqualiter vndiq; trahatur, recta erit, & ſine inclinatione ipſius tranſmutatio, ſi verò inæqualiter ad partem vehementiùs trahentem. Vaſorum itaque ad ipſum vterum peruenientium & plenitudo, & ſuſpenſio cauſa eſt, ob quã vterus in eius ſtrangulatione vel ſurſum, vel ad latus trahatur: id quod ſemper euenit quando eadem affectio ex menſtruorum retentione originem habet, & præter id quòd purgationes eiſdẽ ſupprimuntur, ſpiratione tamen non priuantur, neque animi defectu, aut aliis modò dictis ſymptomatibus valdè laborare videntur. Nam vitiato ſemini maior quidem quàm menſtruis vis adeſt ad noxam vniuerſo corpori inferendam, ex eiuſdem Galeni ſententia, & proinde magis ſpirationis, ac pulſus abolitiones eo redundante apparebunt, cõuulſiones, animi defectiones, ac alia paulò ante dicta ſymptomata, & ſæpiùs viduis, atque aliis monialibus ex tali cauſa prouenit vteri ſtrangulatio, etiã ſi optimè purgentur, præſertim ſi naturaliter multo ſemine abundauerint, aut affatim à concubitu, quo antea creberrimè fuerant vſæ, abſtinuerint: ſæpenumerò citra vteri peruulſionem tales fiunt ſtrangulationes, cùm videlicet tenue, ac non multum fuerit ſemen retentum; quandoq; etiam cum eiuſdem peruerſione, ſeu retractione, cùm videlicet ſemen ipſum plurimum fuerit, ac craſſum, eodẽ modo quo ſanguis menſtruus tum vaſa, tum vincula implens, extendens, ac madefaciens, quemadmodũ accidit in muliere vidua longo iam tempore, quæ præter cætera mala, neruorum quoque diſtentione vexabatur, cui cùm manibus tractarentur partes muliebres, adhibitisq; calidis medicamentis oborta titillatione cum labore, ac voluptate, veluti per coitum vſu venire ſolet, craſſum, plurimúmq; ſemen excreuit, atque ita moleſtia ſua liberata eſt, vt idem Gal. teſtatur citato lib. 6. de loc. affect. Huic etenim

Si ex menſium ſuppreßione fiat uteri ſuffocatio, ſigna.

Signa, ſi fiat ex vitiato ſemine.

6. de loc. affe. Loco citato.

vterus

vterus retractus erat ſic obſtetrice dicente. Quandoque etiam (vt inquit Aetius) oritur affectio hæc, vel vtero perfrigerato dum menſes prodeũt, vel propter abortum, vel ſanguinis eruptione ab vtero ab aliquo repente ſuppreſſa: id quod promptè ex aſtantium loquela percipies. At quòd mulieri, quæ vterinis moleſtatur, aut difficulter parit ſuperueniens ſternutatio bonum ſit, liquet ab Hippocrate aphoriſmo 35. quinti libri, quo loco per vterina, ſuffocationes vteri intellexit Galenus, & bonum tum ſignum, tum cauſam eſſe ſternutationem fatetur. Quòd verò grauior, ac moleſtior ſit vteri ſuffocatio ex detento ſemine orta, quàm ex ſuppreſsis menſibus, maiorem noxam, ac maiora ſymptomata inferens, ex eodem Galeno liquet, eodem ſexto de locis affectis. Quemadmodum etiã quod ſatis periculoſior ſit ea, in qua tum ſpiratio, tum pulſus abolentur (quam primam eius ſpeciem, ſiue differentiam nominauimus) etenim nonnullæ ex talibus pereũt, licet quædã etiam ſeruatæ videntur. Accidit hæc affectio omni quidem tempore, ſed hyeme præcipuè, ac autumno, iunioribus præſertim ſalacibus, ac ſterilibus, maximè ſi per medicamenta ſteriles fuerint. Cæterùm affectus hic vbi inuadere aſſueuerit, comitialis modo diuturnus, & per circuitum repetens efficitur, & tutus quidem apparet, ſingulis tamẽ acceſſionibus præceps periculum affert, vt non eadem ſolùm die, ſed intra paucas horas interimat, vt patet ex Aetio, & Paulo. Quoniam verò hæc affectio duplicem curationis modũ requirit, vnũ acceſsionis tempore, reliquum verò eadẽ non vrgente, propterea quæ acceſsionis tempore adhibenda ſunt, primò conſcribemus, victus ratione derelicta. Nam acceſsionis tempore, ac etiam vbi eadem conquieuerit, cibũ nullum, aut paucũ præbere oportet, vt liquet ex Paulo. Aegra itaque ceruice, ac ſcapulis accliuibus collocetur, femoribus, ac inguinibus decliuibus, extremæ partes deligentur, ac fricentur, crura præſertim, & pedes, & quemadmodum in multo effluxu cucurbitas mammillis imponimus, ſic quibus ſurſum, aut in latus tractus eſt vterus, inguinibus, & coxis adhibebimus: & naribus quidem ea quæ fœtidiſsimũ odorem habẽt, vteris autem odorata, & ea etiã, quæ laxare, ac calefacere poſsint, medicamenta afferemus, Galeni decreto primo de arte curat. ad Glauco. cap. 14. qua de re naribus admouere oportet caſtoreum, ſagapenum, galbanum, ſingula ex aceto trita, ac naribus illita, aut acetum acerrimum calfactum naribus adhibeatur, in quo calamintha, thymus, & alia huiuſmodi acria fuerint decocta: hæc etenim craſſos cerebri va pores incidere, ac attenuare poſſunt, ac ſimul frigiditatem depellere, & inſpirata thoracem, ac pulmonem expurgant, & ſtomachum corroborãt, vt inquit Aetius. Item nates ſuffiantur caſtoreo, galbano, aut ſulphure, aut funiculo lucernatio recens extincto, aut pennis vſtis, ſeu ſoleis antiquis, aut cæparum, aut alliorum corticibus, aut capillis ipſius propriis exuſtis: quidam etiam matulã vrinariam inueteratam, & pannos ſulphureos incenſos naribus admouent; ſinapi item tritum cum aceto naribus adhibeatur, aut rutam viridem manibus contritam ſuffito, aut eadem cum melle lana excepta in anum indatur, ex Galeni auctoritate, 9. de compoſitione medicamento. ſecundum locos, cap. 10. qui etiam excitare ſtrangulatas aſſerit: bitumen, caſtoreum, galbanum, picem liquidam, & cedriam, pilos vſtos, rutam, allium, cæpam, & cornu cerui, ſi odorẽtur. Sternutationes etiam excitẽtur caſtoreo, aut pipere naribus per ſpecillum admoto. Os item ægrè aperiatur, ac medius digitus ad vomitum prolicię̃dum intromittatur, & ſuper hæc omnia mulier magnis vociferationibus excitetur, aut vocetur. Vterum verò infernè per pudendum odoratis ſuffias ſtyrace, cinnamomo, caſsia, coſto, amomo, ligno aloës, ac ſimilibus: illiniantur etiam intra pudendum ea quæ laxandi, calfaciendi, ac flatus diſſoluendi vires habent, veluti eſt oleum irinum, nardinum, rutaceum, aut in quo cuminũ, vel aniſum fuerit decoctũ, & reliqua huiuſmodi, quæ digitis excepta obſtetrix vſq; ad vteri os immittat, ac leniter, & diu confricet, vt hinc irritatus craſſus humor, qui in vtero hæret, prouocetur, ac calfactus excernatur, vt idem Aetius inquit. Peſsi item

Prognoſtica. *Citato loco.* *Curatio acceſsionis tempore.* *Quæ naribus admouenda ſint.* *Lib. 16. c. 68.* *Suffitus.* *Vtero quæ immittenda ſint.* *Loco citato.* *Peſsi.*

item parentur ex his, quæ eandē vim habēt calfaciendi, laxandi, & flatus diſcutiendi, quorum formulas cap. de menſium ſuppreſsione, inuenies, niſi quòd odorata quædam inijcere poteris, lignum aloës videlicet, caſsiam, cinnamomum, coſtum, moſchum, & interim ea quæ à vulgo ambra canis, & zibet appellantur: teſtudinis itē terreſtris hepar tritū in peſſo ſubdito drac. nanque ad vteri ſtrangulatus, ac dolores cōferr: hoc etiā tempore in ſedē glandes indantur ex ruta, cumino, agarico, ſale gemma, hiera, ac melle præparatæ: aut ex cumino, ruta, & caricis eædē parentur. Proderit quoq; vbi hæc nō ſuffecerint clyſteribus ſtercus ſubducere, vt inquit Paulus, quorū copiā cap. de coli dolore, reperias. Præcordia item faſciis vinciantur; & diſtentis manibus os vteri comprimatur, illinantúrque imus venter, ac inguina, & ſaccelli in eiſdem locis adhibeantur, prout eodem cap. de menſiū ſuppreſsione, docuimus: & vbi facultas detur, inſeſsiones quoq; parentur in decoctis baccarum, & foliorum lauri, pulegij, calaminthæ, marrubij, artemiſiæ, conizæ, ſauinæ, cētaurij, dictāni, ſampſuchi, fœnugræci, althææ, chamæmeli, ariſtolochiæ, iridis, & ſerpilli, ex eiuſdē Aëtij ſententia. Verùm inſeſsionum tempore cerebri cura nō relinquatur, ſed roſaceo, & aceto caput irrigetur, & in aceto etiā priùs ſpondyliū, ſerpillum, ruta, & interdum caſtoreum decoquatur, ac naribus quoq; prædicta odoramenta aſsiduè adhibeātur, præſertim caſtoreum cum aceto, vt ipſe inquit. Poſthæc ad caſtorei potionem tranſibimus, quod aſsiduè potum ſæpè penitus ab hoc morbo liberat, dandúmq; eſt quotidie drac. j. pondere, aliquādo cū aqua mulſa, aliquādo cum artemiſiæ decocto, Aëtio, & Paulo teſtibus.

Quæ per ſedem iniicienda ſint.

Inſeſsiones.

At vbi acceſsio cōquieuerit, ac ab eadē preſeruari velit ægra, aut diuturnus factus fuerit affectus, plerunq; à venæ ſectione initiū facimus, præſertim ſi menſtruæ purgationes fuerint detētæ, deinde ad alui euacuationē progrediemur. Secetur autem tali vena. Purgatio autē fiat ex hiera, vt prædictis auctoribus viſum eſt. Verùm ſi cum menſium ſuppreſsione craſsi etiam, ac frigidi ſucci redundabunt, udē priùs concoqui, ac præparati debent, & deinde purgari ex eadem hiera cum agarico, ſeu pillulis fœtidis, aut de ſagapeno cùm eadē hiera, & agarico, & (vt ſummatim dicam) eiſdem medicamentis vtare, quæ cap. de mēſibus ſuppreſsis, cōſcripſimus. A quibus diaſpolitico pharmaco aſsiduè vti debent, & eo quod ex tribus piperis generibus conſtat, ac etiā eo quod ex calamintha appellationem habet. Verùm ſingulis admiſcēda ſunt quæ ſemen minuunt, ac abolent: qualia ſunt viticis, rutæ, cannabis ſemina, nymphææ radix, ac reliqua huiuſmodi, quæ cap. de fluxu genituræ, notauimus, præſertim ſi ex detento ſemine vteri ſtrāgulatus fiat: caſtorei quoque drac. j. aſsiduè potent, modicò aniſo adiecto, vt Aëtius aſſerit ex Philagrij auctoritate. Interim quoq; diambra, diamoſcho, ac antidoto mithridatica vti poteris. Celſus caſtoreū, vel git, vel anethum potui dandum eſſe præcipit. Adhibeantur quoq; ſupra relatæ inſeſsiones, ac peſsi: poſtremo verò ad naturalia balnea, eáq; calida confugiendum, poſt quæ vnctiones quoq; approximētur pectini, inguinibus, ac lumbis ex oleo liliaceo, irino, ac rutaceo, & nardino, viticis, ac rutæ ſemine, coſto, ac caſsia, exiguáq; cera paratæ: interim quoque ſaluiæ, aut calaminthæ contuſæ, ſeu ſeminis cannabis quidpiam admiſceto: multum etiam conferunt deambulationes matutinæ, geſtationes, quæ in curru, vel naui, vel iumēto fiūt. A motu verò geſtationis prodeſt vociferatio, & lectio clara, modulata, ac cōcinna: itē vnctio, frictio, & exercitatio per cōgrua interualla repetita, vt inquit Aëtius. Et in vniuerſum vbi ex redūdāte potiſsimùm ſemine generatur hæc affectio, tum victus, tum medicamēta cōferunt, quæ reſiccandi vim habeāt, ſiue calida, ſiue frigida fuerint: ſimiliter & his vtendum, quæ totis ſubſtātiis ſemen extinguunt. Ad vteri ſtrangulatus cōuenire inquit Galenus 9. de compoſi. med. ſecundum locos, cap. 10. agarici drac. j. in potu acceptam ex vino: item plantaginis ſemen, & ſuccū cum vino: nec minùs confert onyx ex conchylio potatus, & acetum ſcilliticum abſorptum, vt ipſe inquit.

Vbi acceſsio non vrgeat, curatio.

Venæ ſectio.

Purgatio.

A purgatione quæ tribuēda ſint.

Lib. 16. c. 71.

Topica.

Lib. 16. c. 68.

De agarico nota.

Περὶ προπτώσεως ὑστέρας. *Id eſt, De vteri prolapſu, ſeu procidentia.*

Caput CXI.

Vteri procidētia quid ſit.

CONTINGIT etiam, licet rarò, vt quēadmodum ſurſum, aut ad latus vterus peruertitur, ita quoque deorſum prolabatur: atqui ipſum prolabi dicimus; cùm ita deorſum euertitur, vt foras promineat, ex Aëtij auctoritate, cap. 76. lib. 16. Non tamen velut quidam imperiti putant à ſuis appendicibus exolutus totus excidit, nam ſi ita procideret, reſtitui haudquaquam poſſet, ex eiuſdem Aëtij, ac Pauli ſententiæ. Quòd verò vterus hoc vitio laboret, morbo ſcilicet in ſitu, ſeu poſitione hæc ſigna manifeſtabunt. Nam id quod procidit ſtruthiocameli ouo ſimile eſt iuxta maioris, ac minoris differentiam, prout violēta euerſio cōtingit, & in principio plurimus ſanguis erumpit, deinde conſequitur dolor præcordiorū, lumborū, imi ventris, ac pudendorū, & periculū eſt ne perfrigeratis locis conuulſio inferatur, quāuis progreſſu temporis vbi affectio inualeſcit, & loci calloſi facti ſunt, neq; conuulſionis periculū imminet, neq; dolor infeſtat, eodem Aëtio teſte. Sunt autem eiuſdē prolapſus cauſæ multæ, quarū quædā externæ ſunt, & quædā internæ: externæ quidē, vt ſi ab alto delapſa ſit mulier, & in coxas delata diſruptis pelliculis, ac ligamētis, quæ vterum continent, ac vicinis partibus connectunt: ob violentiā etiā ſecūdæ extractionem, quod præcipuè in abortibus cōtingit, ac ob inartificioſam fœtus extractionē, item nimia ſpiritus detentio, immēſa oneris eleuatio, aut plaga vteri prolapſum inducit: quin & ob vehemētiores animi affectus; velut ſi liberorū amiſsio, aut hoſtium incurſus nuncietur, aut ob periculoſam nauigationem, aut eiuſmodi quandā cauſam mulieres toto corpore ſolui ſolēt, ita vt vterus ſimul prolabatur. Internæ autē cauſæ eſſe poſſunt humoris plurimi, ac lenti defluxus, ac partuum frequentia, ob quæ appendices, ex quibus vterus dependet, laxantur, ac ſoluuntur: aliquando etiam ob membranarum, ac muſculorum vterum ſuſtinentium reſolutionem, hæc affectio contingit, quod inclinata ætate maximè fieri ſolet, vt loquutūr Aëtius, & Paulus, quarū cauſarū dignotio haud ægrè haberi poterit, partim ex ipſo, partim ex ęgrę, ſeu adſtantium ſermone. Verùm ex quàcunque cauſa fiat, cùm adhuc recens eſt affectio, conari oportet, vt vterus ipſe contrahatur, in principio enim facilè dirigitur, & rectè locatus permanet, præcipuè in vigoris ætate, nam in ætate prouectioribus contrahitur quidē, ſed ex leui occaſione rurſus prolabitur, ex eiuſdē Aëtij teſtimonio. Cùm verò in hac affectione vterus ex ſua ſede diuaricatus ſit, vt iterum reponatur in proprium locum oportet. Conuenit igitur (fæcibus clyſtere priùs euacuatis, vrináq; excreta, ſi in veſica lotium collectum fuerit, quo vterus vndequaq; ſit liber, nam inter vtrunque, rectum inquam inteſtinum, ac veſicam ſitus eſt) laborātem figurare ſupinam coxis altioribus reflexis poplitibus, ac cruribus diſparatis, deinde prolapſam vteri partē oleo tepido, ac butyro, vel betæ, maluæ, althææ, fœnugræci, ſeminis lini, aut ſimilium decocto fouere, poſthæc lanam conuolutam figura, ac craſsitudine muliebri pudēdo correſpondentē accipiemus, tenuíq; linteo circūdabimus, ac inuoluemus, & acaciæ, aut hypociſtidis ſucco vino diluto intingemus, ac vtero apponemus; & citra violētiam totum, quod prolapſum eſt, ſurſum reprimemus, quoad tota moles intra ſinum recipiatur, & vterus in proprium locum reponatur, deinceps alium lanæ hapſum vino adſtringente imbutum ſuperponemus, atque totum pectinem ſpongiis ex poſca expreſsis integemus, & mulierē reclinabimus crura extenſa, ac coaptata habentē, ita vt alterum alteri incumbat, inde cucurbitulæ agglutinabuntur cum flamma copioſiore vmbilico, & vtriſque inanibus partibus (quas ilia nominãt) naribus odorata admouebimus olfacienda: infernè autē quæ grauem odorem habēt applicabimus, quorū omnium præcedenti cap. copiam reperies. Tertia verò

Aët. loco citato.
Paul. li. 3. c. 72
Prolapſi vteri ſigna.
Cauſæ.
Externæ.
Internæ.
Prognoſtica.
Curandi ratio.

die.

die lana adhuc intra pudendi ſinum exiſtente, mulier in vino nigro auſtero aliquatenus tepefacto, aut in myrti, lentiſci, rubi, aut malicorij decocto inſideat, & poſt inſeſsionem rurſus ſupina coxis altioribus locetur, & ſublata ex pudendo priore lana, alia rurſus eodem medicamēto imbuta ſubdatur. Cataplaſmata verò deforis imponantur, ac imum ventrem ex palmulis, polentà, lenticula, ac malicorio cū oxymelite, atque hæc tribus diebus interpoſitis rurſus fiebt, quoad perfectè vitiū diſcuſſeris, & vbi vteri crebrò prolabuntur, poſca abluantur, in eadémque mulier diutius inſideat, & deinceps omnia relata fiant. Vbi verò prolapſus vterus tēporis progreſſu intumuerit, plurimóque humore refertus fuerit, vt præ tumore reduci non poſsit, betarū decocto ipſum rigamus, deinde acetum affundimus, & ſalem tenuiſsimum inſpergimus, & poſtea ſedato tumore eodē decocto perfuſum detrudimus, vt inquit Aetius, & deinceps cucurbitas vt ſuprà affigemus, & odorata aſsiduè naribus admouebimus, ægráque vndequaque circuutecta rebus fœtidis ſuffiatur infernè. At ſi proceſſu temporis, id quod prolapſum eſt, computruerit, idipſum auferetur nullius metu periculi. Etenim vniuerſo vtero ablato vbi putrefactus fuiſſet, mulierē nihilominus ſuperuixiſſe, narrant Aetius, & Paulus quorundam auctoritate. Oportet autem vt à vociferationibus, ſternutationem mouentibus ac tuſsim, aliiſque immodicis motibus abſtineant, ita vt quietè, & tranquillè viuant, vtantúrque cibis boni ſucci, & odorato vino, ac tenui.

περὶ μύλης. *Id eſt, De mola.* *Caput CXII.*

INter propria quoque vteri vitia cōnumeratur id, quod à Græcis μύλη, a Latinis mola nūcupatur, nomen ſumēs à motus tum difficultate, tum grauitate, vt Aetius refert cap. 80. lib. 16. Nam velut mola ipſa grauis eſt, ac difficulter mouetur, ita & affectus hic mola appellatus, ad eius ſimilitudinem & grauat, & difficulter mouetur, licet non niſi per accidens, vt dicemus, quomadmodū & ipſa molà. Hanc molam induratum eſſe vteri tumorē, qui modo in vuluæ oſtiolo, interim in tota ipſa prominet, Aetius citato loco, & Paulus cap. 69. lib. 3. fatētur, etſi idem Paulus in fine citati cap. aliorum quorundam auctoritate aſſerat, molam carnem eſſe informem ipſis vuluæ tunicis adhæreſcentem, ac fœtus modo in lucem edi. Verùm quicquid præcitati auctores aſſerant, nos Gale. ſectantes dicimus cum eo molam eſſe carnem informem, quæ in mulieribus vtero geſtatur, vt 14. meth. medeu. cap. 13. ab eo ſcriptum eſt. Vel molam eſſe carnē quandam inutilem, atque informem, ex eiuſdem Gale. ſententiá, 14. de vſu part. cap. 7. Quapropter non omnēm induratum vteri tumorē molam eſſe fatemur, vt Paulus, & Aetius ſentire videntur, ſed inutilem illum conceptum carnoſum, atque informem, qui etiam vtero geſtatur. Inutilis nanque eſt, cùm ſit à natura aliena caro illa, nec vtilis mulieri, cùm & ipſam grauet, ac laborem inferat, impediátque menſium purgationes, vt dicemus. Nec etiam vtilis pro generis propagatione, veluti & naturalis conceptus eſt: item informis caro hæc cum artificioſa forma, & humana careat, licet quandam figuram contineat, quinimo diuerſas figurationes ſuſcipit pro diuerſitate materiæ, ex qua generatur, ſimiliter & agentis, à quo figurationem recipit. Quòd verò ſub cōceptu mola cōtineatur, licet idem imperfectus, atque inconcoctus ſit, confirmatur ab Ariſtotele quarto de gener. animalium, cap. 7. dum dixit, Cùm igitur ex humore concoctu difficili conceptus conſtitit, tunc gignitur quod mola vocatur, afficitur enim conceptus eo modo, quo ea quæ inquinari dicimus, cùm elixantur, portatur etiam, ſeu geſtatur vtero conceptus hic, qui mola appellatur, & non eſt vteri tumor induratus in eius ſubſtantia ortus, quoniam interdum fœtus modo in lucem editur. Pariunt enim quandoque mulieres carnem hanc, quam molam vocamus, vt teſtatur idem Ariſtoteles eodem loco, & Aetius illud quo-

Quid ſit mola, ex Aetio & Paulo.

Mola quid ſit, ex Gale.

rundam auctoritate confirmauit citato loco, cùm dixit. Quidam verò tradunt in quibuſdam mulieribus carunculas ad iuglandis magnitudinem per pudendum excretas eſſe; aliquando ſingulis menſibus, aliquando bimeſtres, aut trimeſtres. Prætèrea Galenus eodem 14. de vſu partium, cap. 7. ſcriptum reliquit molæ conceptum ouo proportione reſpōdere, quamuis non perfecto, ſed ſubuentaneo: at oua animalium partes non ſunt, nec eorundem tumores præter naturam, ſed proportione reſpondent iis, quæ adnaſcuntur, vt liquet ex eodem Galeno, vndecimo de ſimplicium medicamentorum facultatib. Quare & mola in numero eorum, quæ adnaſcuntur, exiſtit, non tamen familiarium, & vtero geſtatur, ac non ipſius induratus tumor eſt. Hinc quoque patet error eorū, qui volunt molam eſſe in multiplici differentia, nam præter hanc, quæ carnoſa exiſtit, quandam aquoſam, & quampiam etiam flatuoſam eſſe fatētur, quoniam niſi caro ſit inutilis; atque informis, quæ in mulieribus vtero geſtatur, haudquaquam mola appellari debet, iuxta Ariſtotelis, & Galeni ſententiam. Quòd verò vterus afficiatur in hoc vitio, ex menſium ſuppreſſione, præter naturam tumore, ac ipſiuſmet vteri dolore percipitur. Affectus verò morbus eſt in compoſitione, ſpeciatim in numero, ac inter eos, qui toto genere præter naturam exiſtunt, velut eſt lapis in veſica, iuxta Galeni ſententiam, eodem decimoquarto metho. meden. cap. 13. Quanquam Ariſtoteles velit, quòd nec perfectam, nec alienam omnino habeat naturam mola ipſa. Atqui Galenus præterea toto genere præter naturam eam eſſe fatetur velut in veſica calculus, hypochyma, & myrmecia; quoniam omnia talia tanquam moleſta, & inutilia in totū ſubmouere properamus, & non quòd in eius generatione, ſeu ſubſtantia nihil ſit eorum, quæ ſecundum naturam ſunt, qua de re ab Ariſtotele non diſcrepat. Dignoſcitur autem affectus hic ex tumore duro circa vteri partes, detractione, ſeu contractione partium ſuperiacentium, ac gracilitate corporis, appetitus proſtratione, & coloris vitio, menſéſque ſupprimuntur, & mammæ intumeſcunt, ſtomachus ſubuertitur, lumbi grauantur, ventérque attollitur, adeò vt primùm conceptus veri ſuſpitionem de ſe præbeat, verùm temporis progreſſu diſcernitur. Nam molam dolor punctionis ſenſum inferens ſubſequitur, nec in ea motus vllus, velut in vteri conceptu percipitur, niſi quòd per compreſsionem dextra, & ſiniſtra mouetur, cum manibus mola comprimitur, & ex accidenti quoque cùm mulier de vno latere in alterum vertitur. Cæterùm poſtea toto corpore imminuto, ac ventre ampliato hydropis imaginem præ ſe fert. Diſcernitur tamen ab illo per tumoris duritiem, & quòd tumor hic ad digitorum compreſsionem, ac pulſationem non cedit, neque tympani ſonum veluti in hydrope edit, & quòd neque ad manus cōtactum vlla fluctuatio percipitur, quanquam temporis progreſſu quandoque hepate perfrigerato hydrops ei ſuperueniat, vt liquet ex eodem Paulo, & Aetio. Cùm itaque talem vteri molam eſſe fateamur, reliquum eſt eius cauſas inueſtigare, quorum hæc non (vt Aetius aſſerit) aliquando prægreſſa inflammatione ſuccedit, aliquando poſt locale vlcus, cui caro ſuperexcreuit, velut ea, quam ipſe tumorem vteri induratum appellat: nec ex ſeminis muliebris, & plurimi ſanguinis menſtrui affluxu, ac in vtero retentione, quem cogit calor immodicus, ac in carnis formam transmutat, generationem ſuſcipit, vt quibuſdam falsò viſum eſt, ſed aliam tùm materialem, tum efficientem quoque cauſam habet, vt ex Hippocratis, Ariſtotelis, & Galeni auctoritatibus demonſtrabimus, ait enim Hippocrates libro de morbis muliebribus; & libro de ſterilibus. Molæ porrò conceptus cauſa hæc eſt, cùm multi menſes modicum, & morboſum ſemen conceperint neque conceptus rectus fit, & venter plenus eſt, velut prægnantis. Quibus verbis clarè oſtendit materialem cauſam ipſius molæ eſſe menſes multos cum modico, & morboſo ſemine commixtos, ſemine inquam maris, & non fœminæ. Nam ſi de fœmineo ſemine intellexiſſet, fruſtra modicum, & morboſum adiecisſet, cùm quantulumcunque, & qualecunque tale eſſet ſemen frigidius, & humid

Cap. de ouis.

Error quorundam de mola.

Quòd uterus afficiatur, ſigna.

Quis affectus præter naturã ſit mola.

Molæ ſigna.

Cauſæ.

1. de morb. muliebrib. longè poſt medium.
De ſterilib. poſt medium.
Materialis cauſa molæ.

humidius exiſtens, atque imperfectius viri ſemine, molæ cõceptus ſequeretur, addidit etiam, neque fœtus rectus fit, quaſi imperfectus cõceptus ſit in mola ex paucitate, & vitio ſeminis ortus, nanque ex eius medioeri multitudine, ac ſalubritate fœtus rectus generatur, ſi cum moderatis menſibus fuerit permixtum. Quòd verò idem ſentiat Ariſtoteles, præcitato libro quarto de generatione animalium, clarè patet. Nam quærens cur cæteris animalibus mola non generetur, niſi quid admodum lateat, ſed mulieribus duntaxat, Reſpondet eam inter animalia affectionibus vteri obnoxiam eſſe, & menſtruis abundare; quibus verbis menſtruorum copiam neceſſariam eſſe pro mole generatione fatetur Ariſtoteles. Quòd verò neceſſarium quoque ſit viri ſemen, eodem loco oſtendit, cùm dixit, Iam accidit cuidam mulieri, vt cùm concubuiſſet, & ſe concepiſſe putaſſet, primùm ventris moles augeretur, & reliqua ex ratione venirent, quæ demum difficultate inteſtinorum implicata, eóque modo periclitata peperit carnem, quam molam vocant. Quid clariùs, quòd ſemen viri ſimul cum ſanguine menſtruo concurrat in molæ generatione? Galenus autem libro decimoquarto de vſu partium, aduerſus eos, qui volebant fœminæ ſemen conferre ad fœtus generationem tanquam motus principium quoddam, hæc protulit verba, Si igitur euſque volunt ſemen fœminæ progredi primùm quidem, quòd parum artificioſam actionem ei tribuunt, quæ vtique vel ſoli menſtruo fortè affuerit, nemo eſt, qui ignoret. Secundò autem quòd mentiuntur etiam in his, quæ accidunt explorandis, nõ enim ſicut gallinæ ſine maribus oua pariunt, ita mulierem aliquando viderunt ſine viro, vel molam, vel huiuſmodi quippiam aliud concepiſſe. Cùm igitur in fœmineo ſemine nullum adſit motus principium, neque perfectum, neque imperfectum, licet ad animalis generationẽ aliquid conferat, aut ſaltem ſi illud haberet, non niſi cum maris ſemine habere putandum eſt, vt in eiuſdem Gale. doctrina ſæpiùs legitur, abſque controuerſia cenſendum erit, neque perfectũ fœtum, neque etiam molam (vt ex his, quæ diximus clarè patet) citra viri ſemẽ poſſe generari, vt quidam ad pauca reſpicientes falsò putarunt. Cæterùm, quòd efficiens molæ cauſa non ſit immodicus calor, ſed potiùs eiuſdem caloris imbecillitas, ab eodem Ariſtotele citato loco ſcriptum eſt, loquens enim de molæ generatione, ſic ait. Afficitur enim conceptus eodem modo, quo ea quæ inquinari dicimus, cùm elixantur, nec per calorem, vt quidam volunt, ſed potiùs propter caloris debilitatem. Natura enim de vita certare videtur, nec poſſe perficere, finémq; apponere generationi, & demum ſubdit. Cauſa nãque duritiæ cruditas eſt, quippe cùm inquinatio quoque cruditas quædam ſit. Idem quoque ſentire videtur Galenus citato libro decimoquarto de vſu partium. Nam loquens de ouis, quæ ſubuentanea nuncupantur, quibus proportione molæ reſpondent, aſſerit ea propterea eſſe imperfecta, & ex ipſis animal gigni non poſſe, veluti ex aliis ouis, quoniam vt perficiantur à maſculo ſolam deſiderãt caliditatem. Ergo veluti ex diminuto calore ſubuentanea fiunt oua, ita & mola, quæ eiſdem proportione reſpondet ex imbecillo, & non immodico calore ortum ducit. Erit autem eius generationis modus talis, quòd cùm in concubitu multa copia ſanguinis menſtrui in vteri cauitate contineatur, proiecto à mare modico, eóque morboſo ſemine, ac eidem ſanguini menſtruo commixto ex imbecillitate caloris, præcipuè ipſius ſeminis, & ſecundariò fortè ipſius ſanguinis menſtrui, vtroque tamen in vnum motum tanquam vno principio conſpirante non potente eandem materiam perficere, ac concoquere, cùm ſit humor concoctu difficilis, vt inquit Ariſtoteles, neque finem generationi apponere, carnem hanc inutilem, atque informem, idem imbecillus calor (quam molam vocant) procreat, quæ interim per annos tres, ãnt quatuor perſeuerat, quandoque tota vita perdurat, adeò vt & conſeneſcat, & commoriatur, vt inquit Ariſtoteles. Cùm autem intẽditur hic affectus in aquam ſubtercutem degenerat, nonnunquam etiam inſanabilis magna ex parte redditur, quibuſdam & ſanguis

cap. 7.

Loco citato.

Efficiens molæ cauſa.

Loco citato.

Concluditur modus generationis molæ.

Prognoſtica.

erumpit,Paulo auctore. Hanc affectionem alij velut incurabilem penitus reliquerunt: alij incipientem tantùm curari poſſe confidunt: negligenda tamen eius curatio non eſt,ſed omnia,quæ conuenire videbuntur,facienda,vt aſſerit Aetius. Quanquam Hippocrat.libro eodem de morbis muliebribus, ſic de ea ſcripſerit. Hanc igitur maximè quidem ne curato, aut certè cum prædictione. Qua de re pro eius curatione ægra decumbat in domuncula anguſtiore, minus luci expoſita,modicè perflata,cubili immobili,ſed ita vt pedes habeat elatiores,quietóſque,nam motus quamlibet fluxionem concitat, vt teſtatur Paulus. Itaque aër temperatus in actiuis,aut modicè ad calidum vergens, & ſiccum eligatur,ſomno moderato vtantur, exercitium potiſsimùm partium infernarum fugiant, quandoque verò moderata deambulatio confert. Sit aluus lenis quotidie, & immodici animi affectus omnino vitentur: cibi tribuantur quantitate moderati,ac boni ſucci. Sitque vini odorati optimè diluti potus, cum quibus interim ea quæ laxandi viribus prædita ſunt,permiſceas,& ea etiā quandoque quæ extenuandi vim habent:& vbi totum corpus plenum fuerit, ſi quid non prohibeat,interna cubiti vena ſecanda erit,haud tamen multa ſanguinis copia extrahenda eſt,quin potiùs vbi opus fuerit, eadem iteretur: interim quoque præſertim circa initia huius affectus malleolorum venam ſecare conuenit multo ſanguine redundante poſt ſectionem venæ cubiti. Nam ſi frigidorum,craſſorúmque humorum copia adſit,iidem potius præparādi, ac purgandi ſunt,quemadmodum cap. de ſuppreſsis menſibus, docuimus: deinceps ad particularem molæ curationem deueniendum, eiſque vtendum eſt medicamentis ſiue intus,ſiue extra adhibeantur,quæ laxandi,ac molliendi,& mitigandi vim habeant,veluti inſeſſus,& decocta maluarum,althææ,chamæmeli, ſeminum lini, fœnugræci, ſertulæ campanæ, & anethi:fiat autem decoctum aut in aqua, aut in hydrelæo:& proceſſu temporis lauri folia, pulegium, thymum,hyſſopum,ſaluia,artemiſia,polium,ac centaurium permiſceri poterunt. Ex eorundem quoque decocto exiguo vino albo addito fotus cum ſpongiis fiant,poſt quos imus venter,pecten,& inguina infraſcripto vnguento perungantur. Recipe olei irini, liliorum alborum, anethini, & chamæmelini, ana drach.1.butyri recentis, adipis anſeris ana drach.4.ladani vnc.1.s.ceræ,& vini odorati parum,fiat vnguentum. Interim adiici poterit cremor ſeminis lini,althææ,aut fœnugræci, ammoniacique, aut bdellij in vino diſſoluti pauxillum. Item cataplaſmata hoc modo parentur, Recipe radicum,& foliorum althææ, & maluarum ana manipulum 1. farinæ fœnugræci,ſeminis lini,& hordei ana manipulum 1.s. olei vtriuſque amygdalæ, & liliorum alborum, ſingulorum vnc.1. miſceantur & cum aqua mulſa, & pauco vino odorato, fiant cataplaſmata. Peſſi item ſubdantur ex œſipo, butyro, adipe anſerino,medulla, aut cerebro cerui,melle, caricis pinguibus,& vuis paſsis cum oleo irino, ſampſuchino,aut amarino, vt inquit Aetius, aut ex adipe anſeris, radice althææ, caricis pinguibus, butyro, ac ſaccharo iidem figurentur: quibus interim rutæ,ſaluiæ, artemiſiæ, aut maioranæ folia contuſa miſcebis. Perſeuerante verò malo, acrium eduliorum vſus aſſumatur,& innatationes aquarum calidarum,& aquæ marinæ, vt refert Aetius. Rutam, & anethum in vino veteri fuluo odorato decoque,& abiectis herbis,idem vinum calidum bibendum dato, & fermè aquæ loco exhibito. Nam hoc medicamento mulier quædam excreta ſanguinis copia ſalutem adepta eſt, vt ipſe refert. Hippocrates verò citato libro de morbis muliebribus,dictamnum creticum,aut caſtoreum in vino bibitū commendat. Tu verò eiſdem etiam medicamentis vti poteris, quæ cap. de menſium ſuppreſsione,conſcripſimus, tam intus, quàm extra adhibitis: ſimiliter quoque & eis,quorum cap. de aqua inter cutem meminimus, potiſsimùm vbi affectus protelatur.

Libro primo loco citato.

Curatio.

Victus ratio.

Venæ ſectio.

Purgatio.

Libro primo loco citato.

Peſſi

Περὶ τῶν μὴ κυϊσκομένων. *Id eſt, De non concipientibus, ſiue de ſterilibus.*

Caput CXIII.

QVOD natura, ſi fieri potuiſſet, maximè optaſſet ſuũ opificiũ eſſe immortale, nemini in dubium venit, verùm cùm per materiam non liceret, nam quòd ex arteriis, venis, neruis, & oſsibus, ac præterea carne eſt cõpoſitum, incorruptibile id eſſe non poteſt, ſubſidium quod potuit ipſi ad immortalitatem eſt fabricata. Propterea mirabilem quãdam rationem inuenit, quomodo in demortui animalis locum nouum aliud ſufficiat, vt nullum animalis genus pereat, ſed incolume ſemper ſit, atque immortale. Qua de re omnibus animalibus concipiendi inſtrumenta natura inſtituit, ad generis inquam inſtaurationem, quæ cùm communia ſint cùm viris tum mulieribus, eapropter eiſdem quandoque oblæſis contingit aut viri, aut mulieris, aut vtriuſque ratione conceptionis impedimentum, quod quidem ſterilitas appellatur. Nam nihil aliud eſt ſterilitas, quàm priuatio conceptionis, tempore potiſsimùm quo eadem perfici deberet.

Sterilitas quid ſit.

De hac itaque conceptionis priuatione, quæ ipſarum mulierum ratione prouenit, & non quæ virorum, aut vtriuſque verba faciemus, quanquam eadem ad viros transferri poſsit. In qua quòd vterus afficiatur tanquàm concipiendi inſtrumentum nemo vereri debet, ex eiuſdem vteri propriæ actionis, ſeu vſus læſione id dignoſcens.

Pars affecta.

Quòd verò ſterilitas ſymptoma ſit in genere noxæ functionum ablatarum patet. Nam omnino abolita eſt propria ipſius vteri tanquam inſtrumenti actio, concipiendi inquam. Atqui cùm ſterilis eſt, non concipit tempore quo concipere deberet.

Quis affectus præter naturã ſit ſterilitas.

Cauſæ ſecundum Ariſtot.

Huius autem affectionis cauſę plures eſſe poſſunt, vt inquit Ariſtoteles, ſecundo de gener. animalium, cap. 5. Nam & à primo ortu naturæ locis ad coitum commodis oblæſis ſteriles, & mulieres, & viri redduntur, vt alteræ non pubeſcant, alteri non barbeſcant: aliis in proceſſu ætatis idem accidit affectus, aut propter corporis nutricationem pleniorem, aut ex morbo, viris humidum, frigidúmque emittitur ſemen, mulieribus purgationes vitiantur. experimento autem in aqua probatur fœcunditas ſeminis num per ſumma innatet, aut deſcendat, ſuffitu verò mulierum probatio fit per odores ſubeuntes vterum. multis etiam tum viris, tum mulieribus hoc idem accidit malum oblæſis partibus, & locis accõmodatis ad venerem; quæ vitia (vt ipſe refert) partim curabilia, partim incurabilia ſunt, ſed maximè ſteriles tunc perſeuerant cùm primo naturæ ortu tales cõſtiterint. Verùm enimuerò in ipſis mulieribus nonnullæ ipſius vteri præter naturam diſpoſitiones poſſunt eſſe cauſæ, & præſertim eiuſdem intemperaturæ, quemadmodum ab Hippocrate, & Galeno aphoriſ. 62. quinti libri, ſcriptum eſt.

Ex Hipp. & Gale. cauſæ ſterilitatis.

Nanque bene temperati vteri ad conceptiones ſunt idonei, malè autem temperati ſi parum à bonitate recedunt, difficulter concipiunt, ſi verò nimium, mulieres ſteriles fiunt, & proinde mulieres eſſe fœcundas ſine ambabus bonis temperaturis, eſt impoſsibile, vt inquit Galenùs in commento, appello ambas bonas temperaturas mediocres, ſcilicet tum ex calidi, & frigidi, tum etiam ex humidi & ſicci commixtione, cùm fieri poſsit, vt ſecundum vnam oppoſitionem bene temperatus ſit vterus, ſecundum alteram verò malè; propterea Hippocrates dicebat, quæcunque verò ex vtriſque mediocrem habẽt temperaturam, eæ fœcundæ ſunt. Nam ne mulier concipiat, poteſt altera efficere intemperatura, vt inquit Galenus, modo nimium à bonitate recedat: hæc vbi frigida fuerit immodicè, adeò quòd ex ea vterus ſpiſsior efficiatur, ſterilitatem efficit. Nam anguſta quidem erunt ſupra modum ora vaſorum, quæ ad ipſum pertingunt vterum, adeò vt neque ſecundæ poſsint adnaſci ad iam dicta ora vaſorũ, neque ſi hoc fiat aliquando poteſt bene nutriri cõceptus, cùm vel nullo modo fiant hiſce mulieribus purgationes, vel omnino paucæ, & eæ ipſæ vitioſæ, ſolo tenuiore, ac aquoſiore ſanguine perlabente. Hæc item eadem ora facilè obſtruuntur, & propter

natiuam anguſtiam,& quoniam magna ex parte hæ mulieres humoré aggre-
gant pituitoſum,ſiquidem corpus totum ferè eſt vtero ſimile. Adhæc in talibus
vteris contingit etiam maris ſemen refrigerari, niſi natura ſit calidiſsimum.
Frigidi uteri ſigna.
His itaque de cauſis vteri nimia frigiditas conceptionem omnino impedit, ac
mulieres ſteriles facit. Coniectamus autem vterorum frigiditatem ex ſuppreſ-
ſis menſibus,neque enim præ nimia craſsitudine cõmodè feruntur, ſed & ſtu-
pidus ſenſus,circa pectinem,lumbos,ac crura percipitur,aliquæ etiam crurum
impotẽtes ſunt,victus quoque præceſsit frigidior, ac craſsi ſucci. At ſi prorſus
perfrigeratæ fuerint,ne venerem quidem appetunt, & vteri oſculum contra-
Humidi uteri ſigna.
ctum habent,vt ex Aetio cap. 27. lib. 16. & Paulo cap. 74. libri 3. liquet. Ob ni-
miam quoque vteri humiditatem mulieres non concipiunt, extinguitur enim
in talibus genitura,quemadmodum in terra paluſtri cerealia ſemina,ex Gale-
ni teſtimonio,præcitato aphoriſmo. Hanc indicant in coitu humor diſtillans,
tenuius,& copioſum mẽſtruum,vt inquit Paulus. In habentibus autem immo-
dicam vteri caliditatem ſterilitas contingit modo,quo vbi valde calidæ terræ
ſemina committuntur,veluti in æſtibus ſub cane,eodem Gale. auctore. Con-
Calidi uteri ſigna.
iectatur autẽ vteri caliditas ex reliqui corporis caliditate,& ex menſium pau-
citate cum dolore prodeuntium: ita vt pudenda mulieris exulcerẽt,ſed & quæ
prodeũt,nigriora ſunt, & ob nimiam puncturam nullum ordinem ſeruant.
Sequitur etiam ad hanc temperaturam inſignis ſalacitas, & totius corporis
Lib. 16. ca. 28.
ſiccitas,vt inquit Aëtius. Propter defectum quoque alimenti ſicciores vteri
non concipiunt. Nam in ipſis tale quid accidit, quale vbi aut arenæ, aut argil-
loſæ terræ,aut petroſæ mandantur ſemina,eodem Galeno teſte. Humor verò
Sicci uteri ſigna.
in coitu ex eiſdem haudquaquã diſtillat: exiguũ quoque ac craſſum erit men-
ſtruum,áderítque totius corporis exſiccatio. Si quando verò prædictæ ſimpli-
ces intemperaturæ inuicem miſceantur, ex earundem indiciis manifeſta erit
earum commixtio. Atqui cognitionem omnium immodicarum vteri intem-
perierum aphoriſmo 59. quinti libri, ſcripſit Hippocrates,cùm dixit, ſi mulier
non concipit,ſcire autem velis ſi conceptura ſit, pannis circuntectam infernè
ſuffies,& ſi odor videatur per corpus ire ad nares,& os,ſcito quòd ipſa non ex
ſeipſa ſterilis eſt, frigiditas nanque ſpiſsitudinis ratione non permittit vſque
ad os,& nares ferri aromatum exhalationem: eodem modo & ſiccitas. Humi-
ditas verò,ſicuti ab ipſo Hippocrate dicta eſt extinguere genituram,ſic & aro
matum qualitatem. At vehemens caliditas ea ratione, qua vincit aromatum
facultatem,alterat, atque corrumpit, ac propterea non permittit ipſa ſeruan-
tia ſuam naturã ſyncera ad os, & nares ferri. Quòd ſi in hiſce naturis ex ſuf-
fitu aromatum cognitio ſufficienter haberi non poſsit, ex aliis indiciis nobis
erit talis natura inueſtiganda, hoc ipſum cognoſcentibus, quòd rara admo-
dum eſt huiuſcemodi calida temperatura in mulieribus,ſiquidem fœmina eſt
mare frigidior. Vtiliſsima eſt itaque in ſterilibus mulieribus ex aromatũ ſuf-
fitu dignotio,vt inquit Hippocrates, vel quia omnis immodica intemperatu-
ra iſti ſubiicitur, vel quia rariſsimè vna ipſam ſubterfugit in mulieribus illis,
quæ tenues apparent, & nigræ,& hirtæ, ita quòd ex his ſignis percipitur ea-
rum immodica intemperatura ſine ſuffitu aromatum, vt Galenus aſſerit cita-
to commento aphoriſmi 62. quinti libri. Idcirco idem Hippocr. aphoriſm. 44.
eiuſdem quinti lib. dicebat, quæcũque præter naturam tenues exiſtentes vte-
ro gerunt,abortiunt priuſquàm craſſeſcant. Quapropter priùs eas reficere o-
portet: quemadmodum etiam quæcunque præter naturam craſſæ non conci-
piunt vtero,vt idem Hippocrates aſſerit aphoriſ. 46. eiuſdem lib. iis omentum
os vteri comprimit,& priuſquàm extenuentur,non concipiunt. Præterea eiſ-
dem menſes pauci feruntur, cùm maxima alimẽti pars in pinguedinem tranſ-
Lib. 16. ca. 26
eat,vt Aetius refert. Cùm verò hi duo habitus præter naturam ſterilitatem ef-
ficiunt,ex teipſo eos dignoſcere valebis, de quibus Paulus ſic ſcriptũ reliquit.
neq; enim pingues liberis procreandis ſunt idonei: eo quòd genitalibus mutuo

ſe con

ſe cōtingere commodè haud poſſunt, tum quòd momentum ſeminis emittant: neque etiam nimis extenuati liberis operam dare feliciter queunt. ſermo autem Pauli communis eſt tum viris, tum mulieribus. Accidit quoque interim ex vitioſorum humorum redundantia quòd mulier non concipiat: qualis autem vitioſus ſit redundans humor, ex his quæ diximus capite de menſium ſuppreſſione inueſtigabis. Item ob cicatricem inductam ſi vaſa fuerint excæcata, id quod dignoſces ex præcedenti vlcere; & ab eodem etiam vlcere ſterilitas interim fit, quod ex ſignis vlceris patebit, quemadmodum ſi ob membranam oſculum vteri obturantem, aut ob nimiam eiuſdem oſculi anguſtiam, vel amplitudinem, ſiue quod ceruix vteri obliqua fuerit, cōſequatur ſterilitas, ex obſtetricum relatione percipies. Si etiam mulieri menſes non omnino prodeant, aut pauciores quàm debeant, aut plures profluant quàm profluere deberent, adhuc non concipiunt, ex Hippoc. auctoritate lib. de ſterilibus. Flatus quoque in vtero exiſtentes conceptionem impediunt, quos inſequitur pectinis, & imi ventris tumor, extēſio, & quandoque cum dolore pungitiuo ſæpe ad alterum, ſæpe verò ad vtrunque inguen ſe extendente: quandoque etiam flatus per muliebre pudendum erumpit, ita vt mulieres ipſum percipiant: interim quoque ſtrepitum, ac ſonitum circa vterum eædem ſentiunt. At ſi per aliquod aſſumptum pharmacum mulier non concipiat, ex einſdem mulieris loquela, aut adſtantium percipies. Sed & inuiti quoque coitus, inanes ac ſteriles ſunt, amor enim genituram conciliat, & propterea fœminæ amantes crebro pariunt. Aetas etiam vel iunior, vel prouectior conceptionem impedit, & inepta mulieris forma ſterilitatis occaſio eſt, vt liquet ex Aetio eodem cap. 26. lib. 16. Intempeſtiuus etiam congreſſus cauſa ſterilitatis eſt, cùm conceptionis tempus ſit, vel incipientibus, vel ceſſantibus menſtruis. Reliquo autem alio toto expurgationis tempore licet aperta fuerint vteri venarum ora, non tamen tunc concipere mulier vllo modo poteſt, cùm ſemen nequeat in vulua remanere, ſed ab influentis ſanguinis copia eluatur. Ceſſantibus autem, vel incipientibus menſibus, & ora aperta ſunt, & menſtruum nō multum, neque vniuerſum, ſed paucum & paulatim effluit, vnde efficitur, vt ob aſperitatem vuluæ ſemen adhæreat, ſatiſque alimenti ex ſanguinis confluentis paucitate habeat. Ante etiam quàm menſes veniant conceptus fieri propterea non valet, quia & alimento caret ſemen, & adhærentiam nullam inuenit, cùm eo tempore occluſis vaſis læuis vulua relinquatur: defluit itaque ſemen, neque vniri cū tunica eius poteſt, ſiquidem aſpera magis idonea ſunt, quàm læuia ad coaleſcendū, ex Galeni ſententia lib. de diſſectione vteri, cap. 16. Nam ſi læues fuerint vteri, mulier in ventre non concipit, quoniam licet genituram ſuſcipiant, foras tamen emittunt, vt teſtatur Hippoc. eodem libro de ſterilibus. Cæterùm ſi medicamenta ſterilitatem inducentia vaſa vteri excæcent, incurabilem plerunque affectionem faciunt, licet quædam potiones cæcitatem cūrabilem inducant, cui ſi protinus ſubuenias mederi poſsis, ex Aetij teſtimonio. Quod verò quæcunque præter naturam craſſæ ſunt, priuſquam extenuentur non concipiunt, ſuperiùs dictum eſt, ex Hippocratis auctoritate aphoriſ. 46. libri 5. Similiter ex Galeno liquet, quòd malè temperati vteri ſi parum à bonitate recedunt, difficulter concipiunt, ſi verò nimium, mulieres ſteriles fiunt. Si vlcera in vteris fuerint etiam oborta, & ſi menſes ſano modo prodeant, plerunque incurabilia ſunt; & propterea in ventre tales non concipiunt quādiu vlcera habuerint, ex ſententia eiuſdem Hip. citato lib. de ſterilibus. Verùm vbi ob frigiditatem mulier non concipit, vniuerſa victus ratio eligatur ad calidum vergens. Cibi boni ſucci exhibeantur, attenuantéſque, ac omnibus alimentis admiſceantur quæ purgationes irritare poſſunt, veluti ſunt olera odorata, & acria, ſcandix inquam, erythmon, fœniculum, gingidium, apium, ſmyrnium, aſparagus paluſtris, & ſimilia. Speciatim autem, accommodatum victum cap. de mēſium ſuppreſsione ex frigidis ſuccis reperies. Conuenit nanque nedum victus ratione,

In principio.

In principio. Prognoſtica.

Aet. lib. 16. cap. 31.

Loco citato.

Vbi ob frigiditatem mulieres non concipiāt, curatio.

Victus ratio.

ſed aliis remediis omnibus eiſdem calorem reuocare. At vbi frigidi etiam, & craſsi ſucci cum frigida vteri intemperie redundarint, poſt eorum coctionem,
Purgatio. ac præparationem purgante medicamento vacuandi ſunt, quorum copiam, ac formulam citato capite requiras. Quòd ſi purgatio per inferna non ſuffecerit, vomitus quoque prouocetur origani, aut thymi decocto ante, & poſt cibum omni ſtudio adhibito, vt pituita euacuetur, ex Aetij auctoritate. A pur-
Lib. 16. c. 27. *Vomitus.* gatione autem, vel vomitu haudquaquam incommodum fuerit caſtoreum, cuminum, aniſum, pulegium, ſeu iuniperi fructum, & alia huiuſmodi bibere,
Loco citato. & ſingulis piper admiſcere, ex eiuſdem Aetij, ac Pauli ſententiam, quæ omnia
Potui quæ præbēda ſint. abſorberi poterũt vino albo odorato, aut aqua mulſa: item confert mercurialis cum caſtoreo, aut abſynthium tribus, aut quatuor diebus conſueto men-
Lib. 16. c. 32. ſium tempore, ſi in potu exhibeatur: eſt etenim hæc potio ad conceptum efficax, vt idemmet Aetius inquit. In quem etiam vſum conferunt ſi drac. j. eclegmatis diambræ, aut diamoſchu dulcis, ſeu de xyloaloë exhibeatur cum vino albo, aut aqua florum cittãgulorum: nec minùs & antidoti mithridati, aut theriacæ ſi tantundem exhibeas. Vteris verò fomenta fiant per ſuffitus, & vapo-
Suffitus. res, arundine ollæ operculo perforato inſerta, aut igni adeò adhibita: vt ſuffi-
Fomenta. tus, aut vapor intra pudendum excipiatur, ſit etiam mulier pannis circumtecta: ſuffitus inquam fiant ex calidis odoratis, vt caſsia, cinnamomo, coſto, amomo, thure, myrrha, ſtyrace, & aliis huiuſmodi, quæ calidam habent temperaturam, & odorata ſunt valde, vapor autem fieri poteſt ex aqua calida, in qua priùs fuerint decocta artemiſia, ſaluia, ruta, cuminum, pulegium, cyperus, acorum, iuncus odoratus, & reliqua ſemina odorifera, vt prædictis Paulo, & Aetio viſum eſt: poſſunt quoque & hæc ſingulatim cataplaſmatis mo-
Pau. li. 3. c. 74. do pubi imponi, & idem decoctum per pudendum vtero iniectum confert:
Aetius lib. 16. cap. 27. item pubis, coxarúmque frictiones nihilominus conducunt: nec minùs ſi
Cataplaſmata. oleo perfricentur irino, aut amaracino. Peſsi quoque ſubdantur ex myrrha, ruta, galbano, & caſtoreo, chia maſtiche, & cypero parati, & ne mordeant,
Peßi. ac exulcerationem faciant, adipe anſeris, aut gallinæ, & ſaccharo rubeo excipiantur, & ſerico linteo inuoluti, ac oleo irino, ſeu liliaceo intincti immittantur, ſit autem eorum quantitas exigua, adipis autem, & ſacchari maior. Nam neque difficile eſt eorum quantitatem artificioſa metiri coniectura pro affectionum magnitudine, aut diuturnitate, & reliquis. Sunt quoque & peſsi alij ad conceptionem idonei, vt ſi coaguli leporis partes duas, aluminis ſciſsi partem vnam melle excipias, ac peſſo formato vtitor, vtero tamen priùs per prædicta purgato. Item ſeminis ſatyrij, & mellis, ſingulorum ſexunciam in peſſum afformato, & vtere, ex Aetij auctoritate: nec minùs
Lib. 16. ca. 32. & reliquis medicamentis, capite de ſuppreſsis menſibus ob frigiditatem
Sterilitatis ex caliditate ortæ, curatio. conſcriptis vti poteris. Vbi verò calida fuerit vteri intemperies, victus ratio conueniat ad frigidum, ac humidum vergens, talis item eligatur aër, ſomno vtantur longiori, & quiete: ac infrigidantibus cibis, quales ſunt, ex oleribus lactucæ, maluæ, blitum, cucumis, cucurbita, pepo, atriplex, & portulaca, alíque cibi conſimiles. Vinum eligatur tenuè, album, & aquoſum optimè dilu-
Victus ratio. tum. Competunt item aquarum dulcium balnea. Ad lumbos verò, pubem, & imum ventrem infrigidantia quoque adhibenda ſunt, velut eſt ſolani, aut vmbilici veneris ſuccus, ſemperuiui, aut lactucæ, roſaceo admixto: aut folio-
Medicamentorum ratio. rum atriplicis, portulacæ, ſeu lactucæ excipe pugillos duos, olei roſacei, violacei, & cytoniorum, ſingulorum vnc. j. farinæ hordei pugillum j. cum ſucco ſolani, aut vmbilici veneris, & pauca aqua roſacea fiat cataplaſma, & prædictis locis applicetur: item in pudendũ commodè ſubditur idem ſolani, aut vmbilici veneris ſuccus roſaceo admixto, qui inuoluto linteo lineo, ad digiti formã excipiantur: mercurialis item lumbis, ac pectini impoſita vtero calidiori prodeſt,
Lib. 16. c. 28. vt inquit Aetius, & argenti ſpuma, ac ceruſa cum aqua trita: rectè autem metienda erit horum omnium quantitas, ita vt perpetuò caueas perfrigerationis

exceſ-

exceſſum. Conferunt item non minùs ſi ea, quæ infrigidandi vim habent, potu exhibeantur, ſiue ſyr. fuerit, ſiue decocta: quorum magna copia habetur, & propterea nos breuitati indulgentes prætermittimus, illud animaduertentes quòd ſi cum calida vteri intemperie calidi, ac vitioſi redundarint ſucci, iidem etiam priùs purgandi ſunt, concoctis ipſis, ac præparatis, ſeu à natura euictis, & deinceps, quæ modò ſcripſimus medicamenta adhibere oportet. Nam quoad menſes morboſi fuerint, ſiue bilioſi, ſiue pituitoſi extiterint, mulier non concipit, vt liquet ex Hippocrate eodem libro de ſterilibus. At mulieres, quæ ob vteri humiditatem non concipiunt; ſicciorê diæta vti conuenit, multúmque exercerí, ac fricari per ſuperiores potiſsimùm partes: cibis vtantur ſiccis, & mediocribus, ita vt carnes aſſatas potiùs, & vigentium ætate animalium edant, & vinum potens meracum, ſed parciùs bibant, vt Aetius fatetur: auerſionis autem gratia aliquando poſt cibum, aliquando ieiunæ vomant: ſicca etiam fomenta crebro, balnea verò raro adhibenda ſunt: & vbi totum corpus purgatum fuerit, reſiccantia, ac adſtringentia medicamenta vtero adhibeantur, quæ ſi ante purgationem propinentur, non parum lædunt, cohibita enim materia (vt inquit Aetius) ad principales partes decurrit: huiuſmodi ſunt lentiſci decoctum, myrti, roſarum, & rubi tenerorum virgultorum, thus coriarij, mali punici florum, & gallarum, & pillularum cupreſsi: ex quibus inſeſſus, irrigationes, fotus, cataplaſmata, inſeſsiones, & peſsi formari poterunt: hoc item epythemate vti poteris, ex eiuſdem Aetij auctoritate, quod recipit pſyllium tuſum, & palmularum carnem cum aqua mulſa, aut etiam mala cotonea ſimiliter palmulis excepta adhibeto, vt ipſe inquit, ad nimiam quoque vteri humiditatem huiuſmodi potiones conueniunt, myrti baccas, aut malicorium punici dulcis cum vino terito, & exhibeto, aut auellanas nuces vſtas, cum vino tritas propinato, ex eodem auctore. Mulieri verò, quæ ob vteri ſiccitatem non concipit, humidiora alimenta exhibenda ſunt, & reliqua victus ratio humidior inſtituenda, mediocríque vino, & non nimis veteri vtatur, balneíſque inunctionibus, cataplaſmatis, ac inſeſsionibus humectandi vim habentibus vti conueniet, quanquam vbi totum corpus fuerit humectatum, vterus quoque eadem qualitatê participabit. At ſi ex flatuoſo ſpiritu in vtero exiſtente conceptio impediatur, primum quidem parcior cibus exhibendus eſt, mox danda quæ flatus expellunt, velut eſt ruta, cuminum, anethum, apij ſemen, aniſum, & pleraque alia familiaria ſemina, ac aromata, quæ partim potanda, partim applicanda ſunt ipſi vtero, atque ſubdenda. Poſſunt & ex eiſdem fomenta parari, cataplaſmata, ac cetera, & ad pubem imponi, vt liquet ex eiſdem Aetio, & Paulo. Si verò ob oris vteri anguſtiam propterea quod ipſum conniuens, aut concluſum fuerit, ſterilitas fiat, inſeſsionibus, fomentis, ac perfuſionibus, & peſsis odoratis, atque mollientibus aperiendum erit. A mollioribus tamen incipiendum, vt ex decocto maluarum, ſeminis lini, althææ, fœnugræci in oleo, aut hydrelæo, quo decocto, nedum pro inſeſsionibus, ſed etiam perfuſionibus, ſeu iniectionibus vti conuenit: deinceps caſsiam, cyperum, aut nardum adiicere poteris, interim etiam ad validiora tranſeundum: qua de re artemiſiam, chamæmelum, conizam, calaminthum pulegium & amaracum apponere licebit, ex quibus quoque peſsi hunc in modum parari poterunt, Recipe radicum, & foliorum maluarum, & althææ contuſarum ana drac. 3. farinæ ſeminis lini, & fœnugræci ana vnc. j. adipis anſeris drac. iiij. croci parum, & moſchi parum, miſceantur, & in ſerico linteo inuoluta peſsi fiant: qui in oleo irino, aut liliaceo, aut nardino intincti ſubdantur. Procedente verò tempore caricæ, caſsia, reſina terebinthina adiici poterunt: interim quoque artemiſia, amaracus, calamintha, pulegium, & myrrha. At ſi propterea quòd vteri os nimium hiat, non concipiant, victus, fomenta, ac reliqua omnia medicamenta ſicciora, & adſtringentia conueniunt, talia ſunt gallarum decoctum, cytini, lentiſcus, rubi radix, myrtus, & alia huiuſmodi, quæ humidiori vtero congrua ſunt, ex eiuſdem Pauli, & Aetij ſententia. Vbi verò diſtortum fuerit,

Loco citato.

Si ob humiditatê fiat ſterilitas, curatio.

Lib. 16. c. 29.

Loco citato.

Loco citato.

Si propter ſiccitatem vteri non côcipiât, curatio.

Si ex flatuoſo ſpiritu ſterilitas fiat, curatio.

Act. li. 16. c. 3

Ex anguſtia oris vteri.

Pau. loco citato.

Si os vteri nimiû hiat, curatio.

Paul. loco citato.

Act. li. 16. c. 31

Si diſtortum, aut peruerſum

fuerit idẽ uteri os, curatio. *Loco citato.* *Ex deuorato pharmaco.* *Medicamenta propria.*

rit, ſeu peruerſum eiuſdem vteri os, mollientibus quoque fomentis dirigere, ac corrigere oportet, etenim fomenta ad hoc maximè faciunt. Conducit quoque & peſſos mollitorios ſubdere, ſpecillo quoq; & digito correctio facienda eſt eiſdem mollitoriis medicamentis priùs intinctis. Inſuper maximè conferunt pulegij, & artemiſiæ decoctum, ac caſtoreum è poſca potũ, vt refert Aetius. Si verò ex deuorato pharmaco quopiã ſterilitas conſequuta fuerit, pharmaci viribus indagatis contraria medicamenta adhibere conuenit. Reliquæ ſterilitatis cauſæ, quæ etiam particulares requirunt curationes, ſuis propriis capitibus petendæ ſunt, & nos breuitati indulgentes conſultò prætermiſimus, veluti eſt habitus gracilis, vel obeſus, vlcus, cicatrix, membrana os vteri obturans, menſium ſuppreſsio, ſeu eorundem immodicus fluor, & intempeſtiuus, ſeu inuitus congreſſus, ac reliquæ huiuſmodi. Reliquum eſt, vt ea conſcribam medicamenta, quibus pro remouenda ſterilitate vti conſueui, potiſsimùm vbi orta ſterilitas non fuerit ex immodico vteri calore, id quod perrariſsimè accidit, quorum primùm eſt, Recipe teſticuli apri ſylueſtris exſiccati in vmbra, & ſcobis eboris, ſingulorum drac.j. teſticulorum vulpis drac.j.s. matricis, & coaguli leporis ana ſcrup.ij. ſeminum melonũ drac.4. cum ſaccharo diſſoluto in aqua roſacea, & melliſſophylli fiant morſuli. Vel recipe ſeminis ſeſeleos, ſcobis eboris, & matricis leporis in vmbra exſiccatæ anà drac.j. diambræ, ſeu eclegmatis de xyloaloë drac.j.s. cum ſaccharo in aqua roſacea diſſoluto figurentur morſuli, quibus vtatur mulier cum pauco vino albo, aut aqua melliſſophylli, ſeu florum citrangulorũ per plures dies ante viri cõgreſſum: quo etiã tempore peſſi adhibeantur ex coagulo, matrice, & ſtercore leporis, caricis pinguibus, adipe anſeris, pauco croco, ac moſcho figuratis, qui etiam in linteo ſerico inuoluti, & oleo irino, ſeu liliaceo intincti ſubdantur. Interim vngula aromatica, ſpica, aut cyperus eiſdẽ permiſceri poterit: à quibus deſinẽtibus iam mẽſibus (quod tempus optimũ eſt) medio mutuo amore (nam amor genituram cõciliat, vt inquit Aetius) Venus iucunda eſt, quæ etiam à tergo exercita ad cõcipiendũ videtur cõducere, vt inquit Paulus, ſed & virum ſtrenuam operã nauare oportet, interimq; à venere abſtinuiſſe, & boni cibi ſuccis nutritum eſſe, ex Aetij decreto. Si verò velis cognoſcere an mulier cõcipiet, vel non, butyrũ, & lac mulieris maſculum alentis bibendum dato, & ſi eructauerit, concipiet: ſin minùs, non: vel caput allij integrum depurgatum, ac deraſum ad vterum apponat, & poſtridie videat an per os oleat, & ſi oluerit concipiet, ſin minùs, non: itẽ aniſum in aqua tenuiſsimè tritum bibat, ac dormiat, & ſiquidem pruritus ipſam circa vmbilicum corripuerit, concipiet: ſin minùs, nõ, vt liquet ex Hipp. in lib. de ſterilibus. At ſi velis dignoſcere num prægnans ſit, mel, & aniſum tenuiſsimè trito, deinde in aqua diluito, ac exhibeto, & dormire ſinito, & ſi quidem tormen ipſi fiat circa vmbilicum, prægnans eſt, ſin minùs, non eſt, vt liquet ex eodem, citatò loco: item cùm dormitura eſt, aquã mulſam potandam, & ſi alui tormina patietur, concipit: ſin minùs, non concipit, vt liquet aphoriſ.41. 5. libri.

Lib.16. c.26. *Paul.li.3. c.74* *In fine.* *Aet. lib.16. cap.32.* *Circa principia.*

Περὶ δυστοκίας. Id eſt, De difficultate partus. Cap. CXIIII.

PARVM admodum ad generis propagationem machinata eſſet natura in fabricandis concipiendi inſtrumentis, potiſsimùm mulieribus, nec notatu dignã opem medicus pro eodẽ ſcopo præſtitiſſet in profligandis ſterilitatis cauſis, niſi eadẽ natura, quæ in fœtus generatione, ac conſeruatione adeò fuit ſolicita, in eius quoq; ortu, ac editione in lucem mitanda quadã cõmentata eſſet, & medicus vbi opus eſt, in hac actione eidẽ naturæ ferret auxilium. Propterea ab eadem natura factum eſt, cùm mulieri partus appropinquat eo videlicet tempore, quo ſufficiens fœtui alimentum præſtare non valet, vt inquit Hippocrat. lib. de natura pueri, aut vbi per os nutriri poteſt, nam tunc propriè fœtus perfectus eſt, & par

Verſus finẽ.

& partus naturalis fit, Galeno teſte 15. de vſu part. cap. 7. vt idem puer vberius præſens alimentum quærens, calcitrando membranas diſrumpat mouens ſe manibus, ac pedibus: quo fit vt rumpatur membrana quædam interna, qua diſrupta contingit etiam alias debiliorem vim habere: & rumpuntur etiam primùm quidem illi contiguæ, & cohærentes, poſtea extremæ quæ cùm ruptæ fuerint, tunc fœtus à vinculo exoluitur, & agitatus foras procedit, neque amplius vteri ipſum continere poſſunt abruptis membranis, ſed & ipſi quoque vteri in hoc præſtant auxilium, haud enim ſufficiens eſſet fœtus ex ſeipſo duntaxat perfectus in lucem edi (niſi quod vteri inhibentes, & ceſſare facientes ab opere retentricem eorum facultatem, quæ id quod vtero geſtabatur vſquequo ad debitam perueniret magnitudinem retinuerat, ac amplexata erat, altera, quæ hactenus quieuerat loco eius aſſumpta propultrice videlicet, ac eorum os, quod toto impregnationis tempore adeo conniuebat, vt ne ſpecilli quidem cuſpidem admiſiſſet, ex Herophili auctoritate, paulatim adaperientes eo vſque vt poſsit fœtui facilem præbere exitum ipſum propellentes) non parum pueri ortui auxiliantur. A ſeipſis quoque & ipſæ parturientes in hoc non exiguam opem præſtent medijs abdominis muſculis, vt 3. de naturalibus faculta. cap. 13. ſcriptum eſt. Non ab re igitur commen. aphoriſ. 55. 5. libri dicebat idem Galc. quod ad bonum partum duorum corporum vigore eſt opus, & grauidæ mulieris, & infantis. Tot itaque, ac talia admiranda in animalis partu natura machinata eſt, prouidens vt fœtus iam abſolutus, ac côſummatus tutò emittatur.

Partus autem nominatur quando ex naturæ commodo fit, quando verò non naturæ ſponte, ſed violenter incidit, abortus prouocatur, vt liquet eodem 3. de naturalib. facultat. cap. 12. Appello autem abortum imperfectũ fœtuum emiſſionem vtcunque factam, cum Galeno 6. de morbis vulgaribus, è diuerſo autem naturalem partum nuncupamus eorundem fœtuum conſummatorum, ac perfectorum naturalem emiſsionem, qui (vt inquit Hippocrat. eodem lib. de natura pueri) hoc modo fit. Vbi enim adeò auctus infans eſt, vt alimẽtum, & augmentum, quod à matre deſcendit, non ampliùs ei ſufficiens ſit, copioſius alimentum appetens calcitrat, & membranas diſrumpens initium partus matri affert. Fœtus itaque vehementiſsimis motibus ſuccedunt partus, ex Hippocratis ſententia. Hoc etiam tempore & vteri, qui amplius fœtus grauitatem, ac eorum diſtentionem ferre nequeunt, Galeno teſte eodem 3. de naturalibus facultatibus, nec minùs & ſentientes interim ſe morderi à qualitate humoris in ſeipſos effuſi, quòd eos moleſtat facultate propultrice media abijcere properant, necnon & à ſeipſis parientes in hoc præſtãt opus non medijs vteris, ſed muſculis (vt diximus) qui in abdomine exiſtunt, qui ad deiectionem etiam tum ad reddendam vrinam nobis ſunt auxilio. Fit itaque partus hoc modo. Verùm quo tempore fiat, non admodum liquet. Nam Hippocrates eodem libro de natura pueri aſſerere videtur fœtus perfectionem, ac naturalem partum decimo impregnationis menſe fieri, ait enim, alimentum, & augmentum, quod à matre deſcendit non ampliùs ſufficiens eſt puero, vbi decem menſes præterierint, & fœtus auctus fuerit: & poſt pauca iterum ait, atque hæc, vt longiſsime in decem menſibus fiunt. Ariſtoteles verò quartò de generatione animalium, cap. 4. & 7. de hiſtoria animalium capite quarto, ſic de pariendi tempore ſcriptum reliquit: Sed cùm cætera animalia omnia ſingulari, ac ſimplici modo partum ſuum perficiant, vnum enim pariendi tempus ſtatutum omnibus eſt, homini vni multiplex datum eſt. Nam & ſeptimo menſe, & octauo, & nonò parere poteſt, & quod plurimùm decimo, nonnulla etiam vndecimum tangunt. Fœtus verò, qui maturiùs quàm ſeptimo menſe prodeat, nullo pacto vitalis eſt, qui ſeptimo vitalis quidẽ, hic primus exit, ſed magna ex parte infirmior. Idem côſcripſerat Hipp. lib. de ſeptimeſtri partu, dum dixit, ſunt autem ex his ſeptimeſtribus qui & ſuperſtites manent ex multis pauci. Galen. autem quod nouem menſibus perficiatur in vtero fœtus 3. de nat. facult. cap. 3.

Inter naturalem partũ, & abortum differentia.

6. de morbis vulgar. com. 1. comment. 1.

Loco citato.

Quomodo fiat partus naturalis.

cap. 12.

In fine.

Quo tempore fiat.

Ariſtoteles.

In principio.

Galenus.

his

his verbis demonſtrauit, aſſerens quippe nouem menſibus pleriſque mulieribus perficitur in vtero fœtus, & 2. de cau: ſympt. cap. 3. Illud confirmauit, cùm dixit, ſanè eadem virtus, quæ ſic de fœtu eſt ſollicita, vt nouem menſium ſpatio eius ſuſtineat pondus, atqi vt abſolutus tutò emittatur, prouideat, & cætera: & paulò ſuprà dicebat, quippe qui (de veteris loquens) tum fœtus grauitatem, tum ſui diſtentionem nouem menſibus protulerunt, ij abſoluto in ipſis fœtu ad eius expulſionem ſe comparant, ſic itaque diuerſimodè ſentire videntur de pariendi tempore præcitati magni viri.

Conciliantur hi tres auctores.

Verùm ſi quiſpiam eorum ſentētiam, & non verba percipere velit, abſque nimio labore conciliati poterunt, ea primo ſumpta hypotheſi, quæ ab eiſdem tanquā manifeſta admittitur, quòd cùm adeò perfectus, ac conſummatus fœtus exiſtit, vt per os nutriri valeat, deficiátque ei alimentum, ac augmentum, quod à matre ſuppeditatur, tunc partus naturalis fit, ac naturaliter in lucem editur fœtus, huic aliam & ſecundam hypotheſim addas, quòd hoc alimentum diuerſimodè in diuerſis vtero gerentibus ſe habet, ſi maiorem, vel minorem ſufficientiam, aut paucitatem eius conſiderabis, prout ſufficientes, vel paucos menſes demittere conſueuerunt, ſimiliter & inter ſe non parum diſsident fœtus, qui maiores, vel minores cùm exiſtant, aut robuſtiores, vel imbecilliores plurimo, aut pauciori alimento indigeant etiam dum perfecti, ac conſummati fuerint. Propterea Hippocrates horum haud ignarus eodem libro de natura pueri, talia verba protulit, quin etſi alimentum à matre priùs puero defecerit, etiam ſic partus matri priùs aduenit, & ante decimum menſem puer prodit, & hoc perpetiūtur magis mulieres primiparæ. deficit enim pueris alimentum, vt ad decimum vſque menſem ſufficere non poſsit, & demum: quæ verò menſes paucos demittunt, eæ etiam pueris poſtremo tempore vbi iam maturi fuerint alimentum rariùs exhibentes ipſos calcitrare faciunt, vt & ante decimū prodire feſtinent, modicus enim ſanguis à iuuenculis, ac nouellis matribus procedit: longiſsimum itaque terminum naturalis partus conſcripſit Hippocrates eſſe decimum menſem, per hæc verba, atque hæc vt longiſsimè in decem menſibus fiunt, non negans illum poſſe citius contingere propter iam traditas cauſas, vt idem met eodem lib. in citatis verbis ſcriptum reliquit: nec Ariſt. Hipp. ſententiæ aduerſatur: quinimò ipſam confirmauit, dum aſſeruit, & ſeptimo, & octauo, & nono menſe mulieres parere poſſe, & quòd plurimùm decimo (vt ipſe inquit) nonnullæ etiam vndecimū tangunt. Plurimum itaque naturalem partum in decimo menſe contingere faſſus eſt Ariſto. quemadmodum Hipp. ſcriptum reliquit, nō negauit autem, id quod nec Hippo. negare videtur, poſſe contingere, ac feſtinare ante decimum menſem, & quandoque vndecimum attingere, pro iam dicta tum fœtus, tum alimēti diuerſitate, poſtquam à ſeptimo menſe fœtus vitalis eſt, antéa verò nequaquam: quamuis quædam, quæ longiùs, quàm decem menſium tempus vterum geſtare ſibi viſæ ſunt, deceptæ fuerint, modo quo idem Hip. citato loco ſcriptū reliquit.

Loco citato.

De reliquis verò menſibus libro de carnibus hunc in modum ſcripſit, Puer ſeptimeſtri partu natus pro ratione natus eſt, & viuit, & demum; octimeſtris autem natus nullus vnquam vixit, nouem verò menſium, & decem dierum partus fit, & viuit. In eadem quoque ſententiam deuenit Galenus. Nam licet nouem menſibus pariendi tempus præſcripſerit, illud pleriſque mulieribus contingere aſſuerit, fortè qui ſic ſæpenumero obſeruauerit haudquaquam negans in decimo poſſe euenire, quinimò admittere illud videtur, ex eiuſdem Hippocratis auctoritate comment: aphor. 37. quinti libri, ac aliis quoque menſibus pro prædictorum varietate. Conſummato itaque, ac perfecto fœtu, deficientéque eidem alimento, ac augmento partus naturalis fit ſiue nono, ſiue decimo menſe id contingat, quod plurimùm obſeruatur, vt præcitatis auctoribus viſum eſt, rarò autem in aliis temporibus. Cæterùm cùm adeò miranda pro eius emiſsione requirantur, euenit (idque non rarò) vt difficulter edatur in lucem fœtus, & ſic difficilis fiat parientibus partus. Huic difficultati quomodo,

& qui

& quibus opitulari, valemus conſcribere intendimus, priùs tamen eius cauſis indagatis. Eſt autem partus difficultas ſymptoma ſub genere contentorum immodicè contentũ; ſunt etenim fœtus non vtero gerentium partes, ſed proportione reſpondent iis, quæ adnaſcuntur, familiarium inquam, quemadmodum, & oua, & fructus, nimirum vt diximus ad generis propagationem à natura creati, ex Galeni teſtimonio 11. de ſimplic. medicamen. facult. cap. de ouis & propterea vbi detineantur tempore quo edi in lucem debent, præter naturam detinentur. Conſequitur autem hæc eorum præter naturam detentio, aut ad noxam alicuius facultatis naturalis, retentricis inquam, ac expultricis ſiue ipſius pueri, ſiue prægnantis: interim verò citra noxam earundem facultatũ ad alias conſequitur cauſas, ſeu præter naturam diſpoſitiones. Vniuerſæ autẽ aut externæ ſunt, aut internæ. Externæ ſiquidem quæ partus difficultatem inferunt, ſunt aut immodicum frigus, quod vterum denſauerit, aut immodicus calor, qui vires diſſoluerit, aut quoddam aliud fortuitò eueniẽs, vt liquet ex Paulo, & Aëtio. Internæ verò cauſæ aut vitio parientis, aut fœtus, aut membranarum eſſe poſſunt, parientis ſiquidem, vt ſi craſſa, obeſáque ſit, vterus exiguus, dolorum imperita, aut timidiuſcula, aut natura imbecillis, vt fœtum nequeat propellere, aut etiam ſi ante tempus pariat, vel inflammationem in locis genitalibus, aliáve particula fuerit experta, aut alio quodammodo laborans: ob ceruicis etiam vteri obliquitatem, & ob carnem eidem ceruici, vel oſculo eius adnatam, abſceſſum, vel duritiem. Poteſt & difficultas pariendi contingere, ſi etiam oſſa pubis nimium conſerta fuerint, quoniam in partu dilatati non poſſunt pariendi difficultatem faciunt: ſimiliter ſi puerpera veſicæ calculo laboret, vel excrementorum copia in inteſtino recto, aut veſica fuerit detenta, ſiue prouectæ ætatis fuerit, aut puella nondum virilis, nec vires vigoris adepta: nec minùs ob nimiam lumborum cauitatem vterum comprimentem difficulter pariat. Fœtus quoque vitio hoc idem quandoque contingit, vt ſi inuſitatæ magnitudinis fuerit, vel exiguus, & modicę grauitatis, ſeu magni capitis, vel monſtruoſus, vel mortuus, aut viuus quidem, ſed adeò imbecillis, vt foras non poſsit procedere: ſimiliter ſi plures fœtus fuerint: nam Herophilus quinque edidiſſe mulierem memoriæ prodidit. Confirmauit idem Gellij auctoritas, qui diuo Auguſto imperante ancillam in agro Laurente quinque pueros peperiſſe teſtatur. Figura etiam ipſius fœtus naturæ contraria difficilem efficit partum, vt ſi obliquus, aut in pedes procedat, ex Hippocrat. auctoritate eodem lib. de natura pueri: naturalis ſiquidem figura prodeuntis fœtus eſt, vt rectè in caput manibus ad vtrũque femur extentis prodeat: proxima huic vbi in pedes conuerſus eſt; præcipuè ſi manibus ſuper vtroque extentis prodeat. Reliquæ verò omnes præter naturã ſunt, Aetio, & Paulo teſtibus, vt ſi caput in dextram, vel ſiniſtram vteri partem declinet, aut altera, aut vtraque manus exeritur; & crura intus inter ſe diducuntur: aut etiam altero pede intus detento, altero prodeant, aut duplicati vteris innitantur, aut etiam obliqui prodeant, licet hi minùs improbandi ſint, vt liquet ex eodem Aetio. Quapropter diligenter natura prouidit quo pacto fœtus qua conueniebat figura ad collum vteri proueniret: caput etenim eius primùm collo matricis indidit, tum per id aliis ipſius partibus viã muniuit, vt liquet decimoquinto de vſu partiũ, procedit autem in caput ſi ſecundum naturam prodierit, vt inquit Hippocr. quoniam grauiſsimæ ſunt ipſi supernæ partes, ſi ex vmbilico perpẽdantur. Atqui ſi fœtus obliquus, aut tranſuerſus paret egredi, aut ſi ſecundum longitudinem quidem, ſed non vt nunc ſcilicet caput non inſereret, quod nonnunquam etiam, ſed rarò accidit, vel eius ante caput, vel manum exerens, difficilem aliis membris exitũ efficeret, vt eodem 15. de vſu part. à Gale. ſcriptum eſt. Difficilis quoque fit partus ſi ſecunda, aut propter craſsitudinem non abrumpatur, aut propter tenuitatem antequam oportet, diuellatur ſimul cum aliis membranis fœtũ ambientibus, ſiquidem humore euacuato, infans pręſiccitate ægrè mouetur, ac per os,

Quis affectus ſit partus difficultas.

Cauſæ.

Externæ.

Paulus lib. 3. cap. 76.

Aet. libro 16. cap. 22.

Internæ cauſæ trifariam.

Parientis uitio cauſæ.

Ex parte fœtus, cauſæ.

De Herophilo uide Pau. lib. 2. cap. 76

Gell. lib. 10. cap. 2.

In fine.

Locis citatis.

cap. 7

Loco citato.

Cauſæ ex parte membranarum.

& collum vteri difficulter elabitur, humor enim iſte,qui in pueri membranis continetur nedum eiſdem lubricandis confert,ſed vteri ceruicẽ ad maximam dilatationem reddit facilem:à predicto namque humore collum humectatum mollius redditur,dilatatúrque faciliùs,eodem Gale.teſte citato libro 15.de vſu part.cap.5.At licet tot ſint pariendi difficultatis cauſæ,haud tamen ægrè à medico percipi poterunt.Externæ ſiquidem ex adſtantium,ſeu puerperæ ſermonibus.Internas verò tum ex ſe ipſis medici inueſtigabunt,tum etiam ex earundem parientium,ſeu obſtetricum loquela. Iure igitur particularem earundem *Prognoſtica.* cauſarum dignotionis modum omiſimus. Cæterùm ex parientibus, ac puerperis maximè laborant primiparæ propter inexperientiam dolorum:& dolent quidem totum corpus,maximè verò lumbos,ac coxendices, nam coxendices ipſarum diſparantur,verùm expertæ iam partus minùs primiparis dolent,quæ verò multoties pepererunt multo minùs dolent, vt inquit Hippocr. eodem li- *In fine.* bro de natura pueri. & vbi obliquus, aut in pedes fœtus procedet,nedum mu- *Loco citato.* lier difficulter pariet,ſed multæ,vel ipſæ perierunt, vel puer, aut ſimul matres vnà cum fœtibus,vt citato libro ſcriptum eſt.Quòd verò mulieri,quæ difficulter parit ſternutatio ſuperueniens bonum ſit,decretum reliquit idem Hippoc. aphoriſ.35.5.libri,quoniam vehementiori concuſſu,atque feruore partim quidem naturam excitat,partim verò excernit,quæ partibus corporis firmiter infixa adhærent,vt inquit Galenus in commen.Quod autem ad curandi ratio- *Curatio.* nem pertinet, variatur quidem iuxta cauſarum diuerſitatem, ſi ſpeciatim eas curare velis.Quanquam quædam ſint animaduertenda tãquam omnibus cauſis communia,quæ primo conſcribemus, ſimul etiam & memoriam facientes quorundam medicamentorum,quæ indifferenter omnibus puerperis difficul- *Primum documentum.* ter parientibus ex quauis cauſa adhiberi poterunt. Primùm animaduertendum eſt quòd puerperæ eo tempore,quo partus inſtat,non ſunt multa alimentorum copia grauandæ,neque varia alimenta,& crebro exhibenda ſunt,veluti Neapoli abuti conſueuerunt nedum mulieres,& veiulæ,verùm etiam vulgares quidam medici,vt eiſdem obſequantur, & quidam quoque non vulgares:diſtrahitur enim calor pro conficiendis multis,ac diuerſis alimentis, & quo etiam tempore coctioni, ac retentioni alimentorum vacat, viriliter expellere nequit,qua facultate,ac functione valida eo tempore parientes indigent. Pauca itaque, ac moderata alimentorum copia tribuatur, ſintque concoctu faciles,boníque nutrimenti cibi,vt oua recentia,ac ſorbilia, ſeu tremula,ius pullorum,gallinarum,phaſianorum,aut ſturnarum,quod ex cõtuſis carnibus fit, & vulgus conſummatum appellat,vel etiam eorundem animalium cõtuſa caro, quam idem vulgus tortilium nominat, aut buccellæ panis in vino græco, ſeu *Secundum documentum.* altero odorato vino maceratæ ſimul cum eodem vino tribuãtur. Ad hæc permittendum haudquaquã eſt,vt obſtetrices difficile parietium vterum diutius dilanient,ſed leniter, & placidè vteri partes contrectent, dulci interim oleo, *Tertium documentum.* aut alio quopiam eoſdem locos perfundentes, item non illico parturientes in ſella collocandæ ſunt,ſed obſtetrices priùs os vteri tangere debent,& cum non paulò apertũ inueniunt,ſed adeò dehiſcentis eius modum auctum,quod ad fœtus tranſitum ſatis pateat,tunc vt ſurgat mulier iubere debent, eandémque in ſubſellio collocare,adhortaríque,vt ad expellendum fœtum ſtrenuè ſe paret, quemadmodum 3.de natural.facult.cap.3.à Gale.ſcriptum eſt: ſpiritũ quidem detinentes,verũ non velut imperitæ faciunt ipſum in gutture congregare debẽt,ſed ad inferiores partes propulſare,ex decreto Aetij cap.14.lib.16.quo tempore vbi partus difficilis ſit,corallum,aut lapidem aquilæ, aut ſtyracẽ, coriandrum viride,ſeu polygoni radicẽ in dextro crure alligare conuenit,inſuper & accipitris,ſeu falconis ſtercoris drac.1.cum vino albo,aut aqua capillorum veneris præbe,vel tantundem cinnamomi,ſeu caſsiæ.Aut hũc in modum puluerem conficias,quo vti cõſueui,Recipe fimi accipitris drac.1.cinnamomi,caſsiæ ana grana 7.croci grana 3.miſceantur, & cum pauco vino albo odorato aqua capil-

capillorum veneris, aut florũ citrangulorum exhibeatur. Interim quoque myrrhę, aut caſtorei drac. ſ. aut ſcrup. 2. cum granis 4. cinnamomi propinabis. Sunt qui trochiſcorũ è myrrha etiam drac. 1. exhibent, inſuper & phaſeolorum, ſeu cicerũ rubeorum, ac fœnugræci decoctum cum oleo amygdalatum dulcium: quòd ſi parum cinnamomi, croci, aut caſsiæ, ſeu alterius prædictorum permiſceas, magis confert. Excitate quoque hoc tempore ſternutamenta conducit, modo non admodum imbecilli capitis parturientes ſint. Suffitus etiam reſinæ, aut cumini, aut pinus corticis confert, Hipp. auctore libro de morbis mulicbribus. Speciatim autem vbi ex immodico frigore vterum denſante, ac coarctante fiat pariendi difficultas, in aëre mediocriter calido locanda erit, & in eo geſtatione eam mouere conuenit, modo febris, aut aliud quidpiam non impedierit. Nonnulli etiã conquaſſationes validas, ſternutamentíſque ciendis idonea adhibuerunt, Paulo, & Aetio teſtibus: quibus etiam opem ferre oportet laxationi per inſeſſus calidos, & ſuffitiones, ac per infuſiones oleorum tum actu tum potentia calidorum: itémque per illinitiones, ac cataplaſmata eiuſdem generis. Qua de re infundere oportet largiter oleum dulce, & calidum: item decoctum fœnugręci, aut maluarum, vel ſeminis lini, deinde & pubem etiam cum abdomine, & lumbis eiſdem medicamentis illinire, aut aliquo alio relaxante medicamento, vt hydrelæo, & aliis huiuſmodi: eadem quoque laxamenta adhibenda ſunt à balneis ſi non febris, aut aliud quidpiam prohibuerit, ex eorundem auctorum teſtimonio. Si verò ob calorem immodicum vires exoluentem pariendi difficultas excitetur, condenſantibus, ac maximè adſtringentibus, & firmitatem inducentibus eam roborare oportet: qualia ſunt inſperſiones, ac inſeſsiones ex myrto, pampinis vitis, malis punicis, aut roſis: nec minùs odoramenta fiant ex aqua roſacea, myrtillorum, & nymphææ cum aceto, addendo ſi lubet parum ſantalorum, & corallorum rubeorum. Cõuenit quoque vnguentum ex vino, & oleo roſaceo frigidis, vt inquit Aetius: nec minùs cibis, & potionibus refocillanda erit facilis coctionis, multi nutrimenti, ac modicæ quantitatis, permixtis ſemper quibuſdam adſtringentibus, vt cydoniis, malis punicis, ac reliquis huiuſmodi. Inſuper buccellæ panis vino imbutæ ad arcendum animi deliquium eiſdem offerantur, in aeréque parum frigidiori degant: timidis autem, ac puellis mentis robur admouendum, quemadmodùm eis, quæ inexpertes dolorum ſunt, vt validiſsimè ſpiritum comprimant, & ad inguina depellant, admonendum eſt. At ſi imbecillæ ſint mulieres parturientes ex morbo, temperamento, vel ætate prouectæ, eiſdem cibis boni nutrimenti, ac potibus reficiendæ ſunt. Quòd ſi ob lumborum cauitatẽ, aut propter nimiam pinguedinem pariendi difficultas contigerit, puerpera in ſella prona flexis genibus collocetur, ſeu in lectulo, vt vterus delabens cèruicẽ rectã extendat, atque idem è directo oſtioli habeatur, quod quidem ceratis, oleis, ac pinguedine delinire digito oportet, & ſenſim aperire: idem quoque vteri oſculũ, vbi clauſum permanſerit, pinguibus medicamentis emolliatur, ac relaxetur. Si veſicæ calculus affuerit, eùm primo propellere oportet, & ſi eadem lotio plena fuerit, idem educendum. Similiter ſi inteſtinum rectum excrementis plenum fuerit, per clyſterem mollem, & leniendi vim habentem eluemus. At ſi ob inflammationem, abſceſſum, vlcus, tumorem laxum, aut durum, ſeu ob carnem collo vteri adnatam, aut aliquam aliam tunicam, vel ob quempiam alium morbum parturiendi difficultas eueniat, ſingulis pro affectionum ratione ſuccurrendum eſt. Et ſi eiuſdem vteri paruitas in cauſa fuerit, loca pinguedine aliqua inungantur, ac foueãtur, & os vteri digitis dilatetur. Quæ verò non vtero gerentis vitio, ſed ipſius fœtus difficultatis pariendi cauſa ſunt, hoc modo corrigendæ erũt. Nam ſi propter fœtus imbecillitatẽ, aut paruitatem id contingat, hortandæ ſunt mulieres, vt ſtrenuè mediis abdominis muſculis eundem fœtũ conentur expellere. At ſi propter ipſius fœtus figuram præter naturam, partus difficultas adſit, ad naturalem ſitum reducendus eſt, quantum eius fieri poteſt.

Lib. 1. circa medium.

Si ex immodico frigore fiat partus difficultas, curatio.

Si ex immodico calore fiat curatio.

Si ob alias cauſas ex parte parturientis fiat partus difficultas, curatio.

Si ex parte fœtus fiat, curatio.

partim pellendo, partim adducendo, partim flectendo, & partim in rectum agendo, vt inquit Paulus. Et ſi manum, vel pedem præmiſerit, ne attrahatur per membrum, nam magis impingitur, aut luxatur, aut etiam abrumpitur, verùm digitis humero fœtus, vel coxæ affixis rurſus in conuenientem locum introducatur, id quod iam præmiſſum eſt. Si verò vnà cum fœtus figura malà, os vteri compreſſum, ſeu coarctatum fuerit, priùs ab oſculo vteri in ſublime eleuetur fœtus, & poſtea rurſus ad oſculum rectà dirigatur, fiántque omnia placidè, leuiter, ac citra compreſsionem, oleo aſsiduè locis affuſo: hoc etenim ex ſalute tum fœtus, tum parientis fuerit, & vterus ita quoque illæſus manet. Vbi verò infans prægrandis fuerit, aut totus, aut ob capitis, ſeu thoracis, aut ventris magnitudinem, ea adhibenda ſunt, tum intus, tum extra quæ laxare, ac dilatare os vteri poſſunt. Verùm vbi nec ſic procedat, aut etiam infans mortuus fuerit, modo ſpes ſit ſaluti vtero gerentis, omnino neceſſarium eſt fœtum ſecare, ex communi ſententia tum Aetij, tum Pauli, modum autem ſectionis reperies apud Paulum libro 6. cap. 74. & ab Aetio conſcriptum cap. 23. libri 16. At ſi gemini fœtus fuerint, aut terni, aut collum vteri obſederint, aut etiam plures, reliqui ad fundum vteri repellantur, & is qui magis paratus videbitur, priùs educatur: ſenſim autem, & citra contuſionem omnia fiant, oleo locis perunctis, vt idem Paulus refert.

Ex parte membranarum, ſi fiat difficilis partus curatio.

Si verò ex parte membranarum contingat pariendi difficultas, vbi ſecunda ſolidior, ac craſsior fuerit, quàm vt rumpi poſsit, diſcindatur, vt inquit Aetius. Verùm ſi propter tunicarum tenuitatem, in quibus humor cõtinetur, difficilis fiat partus, propterea quod humor in membranis contentus ante debitum tempus effluxerit, ita vt vteri ſint reſiccati, eis albumina ouorum cum maluæ, aut fœnugræci decocto excolato, aut cum ptiſanæ cremore tepido infundantur, decreto eiuſdem Aetij.

Περὶ χορίου ἐγκαταλειφθέντος. Id eſt, De ſecunda derelicta. *Caput* CXV.

DVM fœtus vtero adhuc geritur, ipſum natura conformans, machinata quoque eſt loca, per quæ alimentum, ac ſpiritum poſſet à matre ſuſcipere, & reliqua quoque eiuſdem fœtus excrementis idonea comparauit: etenim toti ipſi membrana tenuis vndique eſt circumiecta, quam ἄμνιον .i. amiculum appellant, fœtus velut ſudorem excipiens: huic extrinſecus tenuior alia incumbit, quam ἀλλαντοειδῆ, id eſt, inteſtinalem nũcupant, in ipſius veſica perforata, quæ & hæc in ſe ipſa colligit vſque ad partũ ipſum velut fœtus lotium. His autem extrinſecus in orbem altera membrana circũiecta eſt totum vterum intrinſecus ſubiungens, qua media fœtus vtero connectitur. Nam in ſingulis orificiis vaſorum, quæ intrinſecus in vterum pertinent, per quæ etiam ſanguis mẽſtruus in ipſum ferebatur (quo tempore vtero geritur) aliud vas gignitur, arteria quidem in arteriæ, vena verò in venæ orificio, vt ſint ea, quæ generantur numero æqualia iis orificiis, quæ intrò in vterum deſinunt: colligat autem ea membrana hæc, tenuis quidem, ſed fortis, ita vt ſimul & munimentum, & ligamentum eorum ſit tum inter ſeſe, tum cum vtero, & quoniam exiguum eſt vaſorum quodque cùm primum ab vtero exoritur, cuiuſmodi ſunt arboris radices extremæ in terrã defixæ, eæ tamen paululum progreſſæ per coniugationem coaleſcunt, ita vt ex duobus vnum procreetur, rurſúsque illorum ſingula cum ſingulis eiuſdem generis coaleſcunt, fitq́ue id perpetuò quoad parua omnia in duo magna coëant, quę velut ſtipites quidam fœtui per locum vmbilici inſerũtur: quatuor itaque omnino hæc vaſa ſunt, duæ ſcilicet arteriæ, & totidem venæ nullis diuerſi generis inter ſe commixtis, ſed venis quidem ſemper cum venis, arteriis cum arteriis in idem coëuntibus: per quæ vaſa, velut per truncos quoſdam fœtus ex vtero ſanguinem, ac ſpiritum trahit. Verùm inter hæc omnia, & vaſa exigua quæ dicta ſunt, media eſt iam dicta membrana, quæ velut truncorum

radicatio exiſtit, quæ radicatio à Grçcis χωρίον nũcupatur, quod nihil aliud eſt, quam vaſorum multitudo membrana tenui connexorum, quæ haud facilè numerare queas, Gal. auctore 15. de vſu part. cap. 5. *χωρίον, ſeu ſecũda quid ſit.* Interim ὕστερον, ſeu δευτέριον appellant, vt liquet commen. aphor. 49. 5. lib. à Gal. & cap. 75. lib. 6. à Paulo, Latini ſecundam, & ſecundas nominare ſolent: ſic quidem appellata, quod velut ſecundum domicilium, ac receptaculum ſit ab vtero, & velut fœtus indumentũ, vt inquit Aetius cap. 24. lib. 16. *Vnde nomen ſumpſerit.* Hæc ſecunda quoniam ex vmbilico pueri hæret, & vmbilicus poſtremus ex vteris exit, nanque ſi prior exiret, non accederet per ipſum puero nutrimentum, quoniam ex ipſo dependet, Hippoc. auctore libro primo de morbis muliebribus, propterea fœtu excuſſo foras prodire *In medio.* debet in naturali partu, ſed quoniam contingit interdum, vt fœtu in lucẽ edito ipſa præter naturam detineatur, quo modo huic retentioni ſuccurrere oporteat hoc cap. inſtituere intendimus. Porrò quod in eius detẽtione vterus quodammodo afficiatur, *Pars affecta.* & quòd eadem detenta morbus ſit in numero, atque in exceſſu, nemini in dubium venit. *Affectus quis ſit.* Detinetur autem aut propterea quòd fundo vteri adhuc connexa eſt, aut licet ſeiuncta fuerit, tamen circa aliquam vteri *Cauſæ.* partem inſtar pilæ conuoluta eſt, vel propterea quòd os vteri clauſum ſit, ita vt foras prodire non valeat. *Prognoſticũ.* Quomodocunque tandem ipſa detineatur, non ſtatum, ac violenter extrahenda eſt, neque eius eductio paruifacienda, ſeu negligenda erit. *Curatio.* Nam cùm diu detinetur cerebro, cordi, ac ſtomacho, nocumenta haud exigua cõmunicat prauis vaporibus ex ea eleuatis, & ad iam dictas partes traductis. Confeſtim itaque ſternutatio excitetur, & ſpiritus detineatur, ac os, & nares obturentur, Hippocr. præcepto aphor. 49. 5. lib. præſertim ſi imbecillæ mulieres non fuerint, quòd ſi nec exciderit, ſed adhuc remãſerit vbi vteri os clauſum non ſit, ſi eadem ſecunda inſtar pilæ circa aliquam vteri partẽ conſtiterit, ſiniſtram manum calidam, oleóque inunctam, ſeu pinguedine quadam pinguefactam in vteri profundum immittere oportet, & arreptam ſecundam leniter extrahere, quemadmodum Aetio, & Paulo præcitatis locis viſum eſt. Verùm ſi vteri fundo connexa fuerit, ſimiliter quidem manus obſtetricis immittenda eſt, at apprehenſam ſecundam non ſtatim rectà trahere conuenit propter vteri prolapſus timorem, neque violenter admodum, ſed ſenſim primum nulla violentia adhibita in obliquum placidè ducẽda erit, huc illuc eam circum agens, deinde paulò valentiùs, etenim ſic obediet & à connexu diſſoluetur. Quòd ſi vteri os conniuere fuerit deprehenſum, remedijs ad hoc commemoratis præcedenti cap. vtendum eſt; & vbi vires non fuerint inualidæ, etiam quæ ſternutamenta prouocant, adhibenda ſunt. Quare perfuſionibus pinguibus vtemur, & per ſiniſtræ manus digitos os vteri clauſum leniter aperire, ac paulatim dilatare conabimur. Quòd ſi neque ſic ſucceſſerit, rurſus vteri perfundendi ſunt, ac pinguia fomenta eiſdem adhibere conuenit: necnon ſuperiorem ventrem ex cruda hordeacea farina aqua calida, ac oleo ſubacta integre, ex ſententia Aetij. Similiter & potionibus menſes cientibus, de quibus ſupra egimus, vtare. Suffitus inſuper adhibeantur per aromata, qualia ſunt caſsia, nardus, flos iunci odorati, artemiſia, ſabina, dictamnum, pulegium, & huiuſmodi, cui mulier inſideat vndique veſtimentis contecta. Poſtea verò ſi vteri oſculum apertum inuentum ſit: iterum manus immittenda erit, & ſicut dictum eſt, educere conabitur. Si verò neque ſic educta fuerit, eadem dilaceranda non erit, neque perturbari oportet, intra paucos enim dies putrefacta, & in ſaniem diſſoluta excidet. Quia verò hoc tempore grauitate odoris, & caput opplet, & ſtomachũ peruertit, ſuffitus conuenientes excitabuntur: inter quos præualent cardamomum, & ficus aridæ, ex Pauli teſtimonio. Ad hunc etiam vſum probata ſunt bdellium, ſabina, thus, ſtyrax, lapis gagates, vnguis odoratus, ladanũ, & reliqua, quæ cùm hoc quod odorata ſunt, ac prædictis malis aduerſantur, ſecundam ſubducunt: quibus etiam caſtorei, ac pulegij, ſingulorum drac. 1. ex aqua mulſa bibenda detur, ex eiuſdem Aetij decreto. Inſuper

& omnia conueniunt menſes ducentia, velnti artemiſiæ decoctum, & reliqua: peſsi etiam ſubditi ad hoc faciunt, præſertim ex myrrha, & cyclamino, adipe anſeris, ſaccharo, oleóque irino confecti.

Περὶ φλεγμονῆς ὑστέρας. *Id eſt, De vteri inflammatione.* *Caput CXVI.*

VELVT & reliquæ corporis partes, ita qnoque vterus interdum inflammatione laborat, de qua (quoniam ſexcẽties verba fecimus) non opus erit hic fimbrias dilatando eadem ſæpiùs repetere, ſed ad partis affectæ dignotionem accedentes dicimus vterum inflammatione affectum deprehendi ex ardenti dolore

Signa inflammati uteri.

muliebrium locorum, pubis, imi ventris, ac lumborum, vt liquet ex Aetio cap. 83. lib. 16. Et ſi digitus (vt ipſe inquit) in os vteri ſubmittatur, occurrit ad contactum durum, clauſum, feruens, ac retractum, præſertim ſi in ipſo, aut in collo fuerit inflammatio. Nam licet oris compreſsio commune ſit ſignum conceptionis, & tumoris præter naturam, id tamen ex duritie diſtinguitur, vt patet ab Hippocrate & Galeno aphoriſ. 51. & 54. 5. lib. molle, ſiquidem eſt grauidis, & ſecundum naturam, durum verò in quibus tumor præter naturam adeſt. At ſi non vniuerſus vterus, ſed pars eiuſdem aliqua inflammatione fuerit obſeſſa, in

Poſterioris uteri partis inflammati ſigna.

ea magis dolor intenditur, & ſentitur. Nam ſi poſteriora eius inflammatione laborant, dolor lumbos affligit, ac ſpinam magis, & ſtercus recto inteſtino compreſſo eo retinebitur. Anteriore autem parte inflammata, dolor pubem occupabit, & ſtillicidium, aut vrinæ difficultas (preſſa veſica) excitabitur. Lateribus verò vteri inflammationem expertis, inguina tenduntur, & crura grauantur, ac ægrè mouentur, & quibuſdam crus ipſum, quòd è regione eſt, per mæſſum claudicat: quinetiam, in coxam dolor tranſit, eiuſdem quoque partis dolor cum grauitate non nihil ſignificare poteſt, Galeno teſte, ſexto de locis affectis, cap. 4.

Anterioris ſigna.

Signa, ſi latera fuerint inflammata.

Et vbi cauitas, ſeu fundum vteri fuerit inflammatum, in vmbilico potiſsimùm, dolor cum tumore infeſtabit, vt ne contactum quidem foris admittat, cùm autem os vteri inflammatio affligit, in abdomine dolor eſt, digitóque immiſſo, os occurrit durum, ac rigidum, vt diximus: plerunqne etiã vterus in eam partem declinat, ac retrahitur, qua inflammatus eſt, & ob eam cauſam os, & collum eius auertitur.

Si uteri cauitas fuerit inflammata, ſigna.

Signa oris uteri inflãmati.

Comitantur autem vteri inflammationem, præter iam dicta, tumor, ac dolor eiuſdem haud validus; ſi languida fuerit inflammatio, vehemens verò vbi valida fuerit, erítque is dolor, quem percipiũt ægrotantes pulſatilis, Paulo teſte, ſecundum vniuerſum vterum, vbi totus fuerit inflammatus, aut ſecundum partem, ſi pars ipſius fuerit affecta: febris item acuta conſequitur, dolor capitis, tendinum, baſis oculorum, brachialis, digitorum, & colli conuulſio, inclinatio in aduerſum, ſtomachi etiam ex conſortio dolor, pulſus exigui, & crebri, ex eiuſdem Pauli teſtimonio, eadem præſertim inualeſcente, ac augeſcente, & vbi magis augeatur, conſequuntur animi deliquium, exolutio, ſingultus, pedum torpor, genuum perfrigeratio, & extremarum partium exudatio, vrinæque, ac ſtercorum recrementa ſupprimuntur, delirant, & dentibus frendent ægrotantes, febres magis augentur, & capitis dolores, præſertim ſyncipitis, vt ab Hippocrate & Galeno 6. de morbis vulgarib. ſcriptum eſt.

Reliqua inflãmati uteri, ſigna.

Lib. 3. cap. 64

Augeſcentis inflãmationis ſigna.

Comment. 1. com 1.

Cur in his dolor capitis in ſyncipiti ſentiatur.

Nam cùm inter omnes corporis partes plurimas, grandiſsimáſque venas vteri habeãt, phlegmone vtcunque ipſis orta, calidas, vehementéſque febres accendi opus eſt, adeò vt inter ſynochorum ſpecies cõnumerandæ ſint, cùm ex putrido ſanguine excitentur, ex quibus calentium vaporum copia ad caput ſubuolat, quo dictorum vaporum pleno grauitates, & maximè in ſyncipite hominem vexant, tum quoniam recta in ſyncipiut per infundibulum arteriæ deducuntur, per quas calidi illi vapores aſcendunt, tum quòd etiam ſanitatis tempore tenuia, & halituoſa excrementa cerebri maximè per ſyncipiut diſflari ſolent, cùm in ipſo ſuturæ laxiſsimæ ſint, caluaria ſubtiliſsima,

plur

plurimíſque mearibus peruia: adhæc & multa ſenſibilia corpora per ſuturas euadunt, tum membranulæ, quæ craſſum inuolucrum pericranio connectunt, tum etiam multitudo tenuium conceptaculorum per ſuturas exiſtunt, & propterea cùm ſenſibilior ſit locus hic, ab inferentibus dolorem cauſis magis cruciatur. His itaque de cauſis in ſyncipite magis dolores fiunt, ex Galeni ſententia eodem ſexto de morbis vulgaribus. Inflãmatione verò in abſceſſum trãſeunte, dictæ quidem notæ intenſiores erunt, dolores etiam circa puris generationem ipſis augentur, ac febres, quæ cum humore plerunque ad veſperam ingruunt, ac inordinatæ acceſsiones ipſis obueniunt, primis quidem temporibus intenſè cum doloribus; ad vltimum vbi ſuppurauerit, aliquantulum remittũt, vt inquit Paulus cap. 65. lib. 3. Tumor attollitur, dolor punctorius adeſt, aliquãdo vrina, aliquando ſtercoris recrementa ſupprimuntur, aut vtraq; ſimul, Aetio teſte, aliàs tumor in pube eminet, & veluti exundationis ſenſus cùm abſceſſus maior fuerit, vt liquet ex eodem Paulo.

Loco citato.

Signa eiuſdem inflammationis in abſceſſum tranſeuntis.

Cùm verò neque ipſa inflammatio ſoluta eſt, neque in abſceſſum tranſmutata, adhuc perſeuerans in ſcirrhi naturam permutabitur, idq; percipies, nam febris, ac dolor, & reliqua leuiora ſymptomata remittuntur tumore tamen, & renitentia permanentibus cùm grauitate, & ęgro motu non ſolùm crurum, ſed totius corporis, ac ſegnitie ad omnes vitæ functiones, vt liquet ex eiſdem Aetio, & Paulo.

Si in ſcirrhũ permutetur, ſigna.

Cæterùm huius inflãmationis cauſæ nonnullæ eſſe poterunt externæ, ſimulatq; internæ. Externæ quidem velut ictus, ſiue percuſsio, multitudo coitus, abortus, atque ſiniſtrè editus fœtus, durioris ſellæ inſeſſus, longa, intentáque ambulatio: flatus etiam, atque frigiditas vterum adſtringentes adeò vt tranſpirationem prohibeant, inflammationis auctores eſſe poterunt. Internæ verò, vt mẽſium ſuppreſsio, & totius corporis plenitudo, ac eiuſdem vteri exulceratio, quas omnes haud magno negotio partim ex teipſo, partim etiam ex ægræ, aut aſtantium loquela percipere poteris.

Externæ cauſæ.

Internæ.

Deterior autem inflammatio ea eſt, quæ plures vteri partes occupat, quàm quæ pauciores, ſimiliter quæ os, aut ceruicem fatigat, minùs periculoſa exiſtit, quàm ea, quę fundum, ſeu cauitatem, quoniam promptiùs curationem admittit. Si verò vtero gerenti eryſipelas vtero fiat, letale eſt, inquit Hippocrates, aphoriſmo 43. quinti lib. quanquam de vera inflammatione propriè dicta dubitet Galen. num fœtus poſsit aliquando viuere, id quod negari haudquaquam debet eadem exigua exiſtente, ex qua nedum maligna, verumetiam nec acuta febris gignitur neceſſario, etiamſi in iocinore, ventriculo, aut ſepto tranſuerſo orta ſit, vt liquet ex Galeno, ſecundo prorrheticorum. Ex eryſipelate autem ſemper acuta febris generatur, & ſæpenumerò maligna.

Prognoſtica.

Comment. 20.

In principio itaque curationem agreſsi ægram in domicilio obſcuro, & moderatè tepido collocabimus: ſomnus moderatus præcipiatur, nam & vigiliæ etiam conferunt in principio magis quàm ſomnus, prohibent enim phlegmonem augeri cùm in viſceribus generatur, vt patet ſexto de morbis vulgaribus, & commento aphoriſmi primi, 2. lib. quietem quoque imperabimus, omnem crurum motum interdicentes: alui excrementa ſi nõn natura, molli infuſo clyſtere euacuabimus: immodicos animi affectus vitent. A cibo per triduum abſtineant, vt inquit Paulus: deinde aut pane loto, aut ptiſana, ſeu eius cremore ægra alatur, aut etiam alternis diębus ouis ſorbilibus vtatur. In potum verò aquã hordei, aut ſeminum coriandrorum præparatorum decoctum, ſeu ipſammet aquam modicè calidam dabimus. A vino autem abſtinẽdum eſt, deinde artus, ſeu extremas corporis partes, manuum præſertim, auerſionis gratia perfricabimus.

Curatio.

Victus ratio.

6. de morbis vulgar. commentario 4.

comment. 17.

At ſi vehementior inflammatio fuerit, & neque vires, aut ætas, aut habitus, ſeu anni tempus obſtiterint, neque inflammatio poſt abortum, aut nimiàm ſanguinis euacuationem ſuperuenerit, confeſtim circa initia cubiti vena ſecetur, ex Aetij, & Pauli decreto, & ſanguis pro virium ratione detrahatur. Licebit autem, vt inquit Aetius, in ſecunda die venam incidere, in tertia verò detractionem repetere. Atqui mox obiiciet quiſpiam aſſerens Galenum aliter ſentire

Vena ſectio.

Dubium de

uenæ ſectione. cap.18. de ſectione venæ pro curatione inflãmationis vteri, nam lib. de curandi ratione per venæ ſectionem, poſtquam nonnullas partes enarrauerat, quæ ex ſectione venæ cubiti iuuabantur, hæc protulit verba, ſic quæ his inferiores ſunt illis, quæ per poplites, & malleolos decurrunt, ſunt autem dictis inferiores coxendix, vterus, veſica, & paulò poſt. porrò vteri inflammationes magis, quàm renes à venis in crure ſectis iuuantur. Idem confirmauit 13. metho. med. cap. 11. cùm dixit, Renibus verò, & veſica, pudendo, & vtero ſic habentibus eas, quę in cruribus ſunt ſitæ, ac potiſsimùm quæ circa poplitem ſunt, ſin minùs eas, quæ iuxta malleolũ, ac perpetuò quidẽ in omnibus eam, quæ è directo eſt. Verùm ſi *Reſolutio.* quis prædicta loca optimè perlegerit, luce clariùs percipiet Galenum prǽcitatis locis venæ ſectionẽ præcipere pro euacuatione, indicatione ſumpta à parte affecta, aut pro euacuatione cum deriuatione eius, quod in parte inflammata continetur, & non pro auerſione eius, quod influit, quod quidem in inflammatione, quæ adhuc in generatione exiſtit, priùs exequendum eſt per contrarias, atq; longinquiſsimas partes, vt eodem 13. meth. med. cap. 11. ab eo decretũ eſt. Quapropter ſi reuulſionis duntaxat gratia venam ſecemus, nemini in dubium venit ſecandam eſſe cubiti venam, eámque internam, & è directo, vt Aetius, & Paulus præcipiunt. At ſi euacuationem ſimul cum deriuatione requirimus, crurum venæ ſecandæ erunt. Id quod decretum reliquit idem Gal. ſecundo de arte curatiua, ad Glauconem, cap. 2. his verbis, Veluti in locis muliebribus in contrarium trahes, ſi eas, quæ in cubito ſunt ſecaueris venas, aut mãmillis cucurbitas appoſuetis, vel manus concalefeceris, & fricueris, atq; alligaueris: deriuabis autem, ſi eas, quæ poplitibus, aut talis venas diuiſeris, & cucurbitas coxis applicaueris, & crura calefeceris, atque perfricueris, & alligaueris: & ſiquidem in parte dextra locorum paſsio fuerit, à dextra manu, aut crure ſanguinem detrahes, ſi verò in ſiniſtra à membris, quæ illi è directo ſunt. Circa initia itaque cùm vteri inflammatio adhuc ſit, magna eadem exiſtente, viribúſque non admodum valẽtibus, ita vt exquiſitam venæ ſectionem ferre nõ poſſint, reuulſionis duntaxat gratia, interna cubiti vena ſecanda erit, & demum ſi opus fuerit, quę in talo exiſtit incidatur pro deriuatione ſimul cum euacuatione. Exigua verò exiſtente inflammatione, valentibus viribus, potiſsimùm vbi corpus totum plenum non fuerit, & inflammatio iam facta ſit, tali vena incidatur, & ſi opus eſt, eadem iteretur, rectitudinem perpetuò ſeruantes. Quòd ſi Galenus fateatur magis vteri inflammationes à venis in crure ſectis iuuari, illud haudquaquam negandum, cùm per eam venæ ſectionem nedum deriuatio, ſed euacuatio ſanguinis in parte inflammata exiſtentis perficiatur: ſecta verò in cubito vena, reuulſio duntaxat eius quod influit ad inflammatam partem fit, efficitúrque confluentis ſanguinis inhibitio, quod in phlegmones ge- *Aliorum medicamentorum ratio.* neratione primò exequẽdum eſſe cenſet Galenus eodem 13. meth. med. cap. 6. quamuis eius curationi minùs conferat, cùm nihil ex parte inflammata detrahatur, & menſtruas purgationes comprimat. A venæ ſectione ſi eadem inflammatio eryſipelate pręſertim participet, vbi quodammodo mitior fuerit reddi- *Purgatio.* ta (non autem circa initia) leni quadam purgatione vti conuenit, etiam pro deriuatione perficienda, vt caſsia fiſtula, melle aëreo, ſaccharo violaceo, & reliquis huiuſmodi, quibus etiam parum diacath. adiicere poteris, dein imo ven- *Topica.* tri, ac pubi, & lũbis fotus, irrigationes, ſeu epithemata ex vino & oleo, aut vino & oleo roſaceo, ſeu aceto & roſaceo cum linteis lineis adhibeantur tepida. Similiter palmulæ, aut mala citonia, in vino, aut in poſca cocta, oleo citoniorũ, aut roſaceo admixto imponantur, & vbi hæc non ſuffecerint, cataplaſmata applicentur ex farina hordei, ſeminum lini, & fœnugræci, vitellis ouorum aſſatis cum roſaceo, & decocto capitum papaueris, & meliloti, ac exiguo vino, ſeu aceto compoſitis, aut etiam ex palmulis vino diluto decoctis, cum farina hordei, & oleo roſaceo, ſeu cydoniorum cataplaſma fiat. At ſi eryſipelatis naturam participauerit, quod ex igneo calore percipies, intubum, & vmbilicum

veneris,

veneris,ſedum,polygonum,portulacam, plantaginem, ac vitis pampinos cataplaſmati apponito. Quòd ſi cataplaſmatum onus loci non tolerent, aqua roſacea admixta ex modicis interuallis affundatur. Hoc etiam tempore in pudendum ſubdatur aliquis prædictarum herbarum ſuccus. Peſsi item figurētur ex prædictarum herbarum folijs contuſis,aut ſuccis roſaceo,melino,aut lentiſcino ouorū vitellis crudis,ſiue aſſatis,anſeris pinguedine, & exiguo croco. Admodum tamen vtiles ad ſedandos inflāmationis dolores vteri peſsi tales ſunt, fœnugræcum madefacito,& prima,ac ſecunda aqua diffuſa, cum tertia pura, ac dulci coquito,& excolato,ad decoctum autem adipem anſerinum,vel gallinaceum recētem addito,& ad prunas liquari ſinito, & vbi frigefacta fuerint, concretum adipem tollito,ac ſeruato, & vſus tempore peſſo excipito, ac ſubdito,vt inquit Aetius. At vbi dolor multus excruciat,lachrymæ papaueris exiguum cum lacte muliebri, & ſucco fœnugræci apponendum exhibeto,& per totum etiam morbi decurſum,ex Pauli ſententia. Etiam inſeſſus vtiles ſunt ex decocto fœnugræci,ſeminum lini,maluarum artemiſiæ, & olei, præcipuè poſt principium. In iis autem,quæ calorem non ſuſtinent,& maximè circa initia ex aqua modicè calida roſaceo ſuperfuſo inſeſſus fiant. Poſtquàm autem inflammatio declinare incœperit, ad ea deueniendum eſt, quæ laxare, ac diſcutere poſſunt,proinde in fœnugræci,althææ,ſeminum lini,interdum etiam pulegij, marrubij,ſaluiæ,& artemiſiæ decocto ægra inſideat, & ad imum ventrem, ac pubem,vt inquit Aetius,farinam hordeaceam cum fœnugræco, & lini ſemine in aqua mulſa coctam imponat, aut caricarum decoctum adhibeat, ac peſsi etiam ſubdantur, ſi calorem ferre poſsint ex œſipo, butyro, medulla ceruina, adipe anſerino,oleo anethino,chamæmelino,ſeu irino,& cera compoſiti. Cæterùm,butyrum,medullam, & adipem omnia recētia ad peſſos deligas, etenim antiqua dum liquantur,nidoroſa fiunt, ac calidiora euadunt, & inflammationes exacuunt, vt reliquet ex eodem Aetio. Illud item animaduertendum ex præcepto eiuſdem,quòd nec in diſtentionibus, neq; in inflammationibus vteri menſes prouocandi ſunt,etenim loci magis diſtenduntur, & cùm ob inflammationem concluſi ſint,ſanguinis tranſitum impediunt. Vbi verò curatio proceſſerit,tenuis victus,& ciborum parcimonia tollatur, & manifeſta iam facta declinatione, balneum,ac vinum concedi poſſunt, & cibi reficientes exhiberi,quemadmodum ab eodem Aetio ſcriptum eſt. Si verò inflammatio diſcuti non poteſt, ſed ad ſuppurationem vergat, ſuppurationi auxilium ferendum eſt. Itaque imo ventri,ac lumbis cataplaſmata imponantur ex lini ſemine, fœnugræco,farina hordei,caricis decoctis, althææ radice, ac terebinthina: quo etiam tempore pudendi ſinus per ſpongiam aſsiduè foueatur, & vapores per arundinem operculo ollæ perforato inſertam intra pudendum recipiantur: Demum inſeſsiones frequentes fiant decoctis in aqua his, quæ vim attractoriam habent,velut eſt pulegium,marrubium,laurus,ſaluia,artemiſia, dictamū, centarium. Item peſſuli indantur ex terebinthina,myrrha,œſypo, anſeris pinguedine,& butyro compoſiti,aliquādo etiam columbinum ſtercus cum oleo, & melle pro cataplaſmate adhibebimus. Diſrupto autem abſceſſu, quibus medicamentis vtendum ſit, ſequenti cap. docebimus. At ſi non in abſceſſum, ac ſuppurationem inflammatio tranſeat, ſed ad duritiem vergat, emollientibus purgandum eſt medicamentis,tum intus,tum extra adhibitis, quorum ſyluam reperies cap. de ſcirrho,cùm lienis,tum iocinoris.

Si inflammatio ad ſuppurationem vergat, curatio.

Περὶ ἑλκώσεως ὑστέρας. Id eſt, De exulceratione vteri. *Cap. CXVII.*

NON rarò etiam contingit vterū exulcerari, dignoſces autem ipſum eſſe exulceratum, quoniam ægræ in affecta parte dolorem punctorium percipiunt, & ex interuallis fœtidi, ac ſanioſi humores ab vlcere ſordido prodeunt, & conſequuntur etiam alia vtero affecto

Exulcerati vteri ſigna.

peculiaria ſymptomata, velut eſt capitis, ac præſertim ſyncipitis dolor, vt præcedenti cap. adnotauimus. Item dolor ligamentorum, & radicis oculorum, qui ad manus vſque, ac digitos ſe extendit, & reliqua ſupra de inflammatione relata, ex Aetij teſtimonio cap. 88. lib. 16. Quòd ſi prompta in cõſpectum exulceratio venerit, ſpecillo oriculario deprehenditur, in profundo verò reconditum humores qui excernuntur, indicant: nanque diuerſus pro vlceris diuerſitate excernitur humor, quoniam eo inflammato paucus, cruentus, ac fæculentus cum magno dolore euacuabitur. At ſi ſordidũ extiterit, copioſior humor, & ſanies cũ minori cruciatu profluit. Depaſcens verò ſi fuerit, fœtidus, niger cum doloribus vehementibus, ac aliis inflammationis ſignis aderit. Præterea, quæ laxant medicamenta hoc irritant, contraria leniunt. Cùm autem purum fuerit vlcus, humor paucus, æqualis, craſſus, candidus, minime fœtidus excernetur, vt teſtatur Paulus cap. 66. libri tertij. Cæterùm non vnam duntaxat habet ſuæ originis cauſam. Nam quandoquo vteri exulceratio ab acribus medicamentis, interim ob partus difficultatem fœtu excuſſo, aut corrupto ortum habet; non rarò autem ex diſrupto abſceſſu, aut fluxione erodentium ſuccorum generationem habet, velut idem Paulus, & Aetius teſtantur. ſingulas autem iam dictas cauſas ex loquela, vel earundem ægrotantium, vel aſsiſtentium percipies, partim etiam ex teipſo, ea quæ præceſſerunt, & quæ comitantur conſiderans. Nullum verò vteri vlcus contemnendum eſt, ſed quamprimùm fieri poteſt curandum. Nam cùm totius corporis recrementa excipiat, atque neruoſæ ſubſtantiæ ſit vterus, haud facilè curationem admittunt eius vlcera, præſertim cùm diuturna fiunt: quanquam ex eis, quæ in conſpectũ veniũt promptiùs, quàm quæ in profundo ſunt recõdita, & quę pura, aut etiam ſordida exiſtunt faciliùs, quàm depaſcentia medicamentis cedant. Si itaque ex redundantibus vitioſis, ac erodentibus ſuccis exulceratio vteri fuerit orta, purgantibus medicamentis priùs vtendum erit, præſertim cùm alterati, concocti, ac præparati fuerint qui redundant humores. Et deinceps ad vlceris curationem confugiendum. Ea autem victus ratio inſtituatur, ac eadẽ exhibeantur medicamenta, quæ in reliquis exulcerationibus renum potiſsimùm, & veſicæ à nobis fuere conſcripta. Quantum verò ad topica medicamenta ſpectat, ſi purum fuerit vlcus, leniter adſtringentibus, atque exſiccantibus medicamentis vtendum erit: quod vbi conſpicuum fuerit, eiſdem illinatur vlcus. Si verò profundũ extiterit, infundere ea oportet per inſtrumentum ad hoc appoſitum. Quare roſaceum, aut tetrapharmacum cum butyro recenti, ac roſaceo infundatur. Eluantur item loci roſarum, aut lentium decocto, aut ptiſanæ, ſeu plantaginis ſucco: præſtabit etiam portulacæ, aut polygoni decoctum cum roſaceo. Si verò cum inflammatione vlcus compoſitum ſit, iis primò vtẽdum eſt, quæ ad illam præcedenti cap. conſcripſimus, & deinceps ea adhibeantur, quæ modò annotauimus. Verùm vbi ſordidũ fuerit vteri vlcus, detergentibus medicamentis vtendum erit, veluti eſt ptiſanæ cremor cum melle, vel mulſa, in qua fœnugræcum ſit decoctum, aut malua, aut furfures, aut lenticula, cui cortex ſit detractus, ex Pauli teſtimonio. & ſi validioribus detergentibus indigebis, etiam marrubiũ, aut eruum, vel melli adiuncta erui farina, vel iris, aut alumen rotundum, vel aliquid ſimile iniiciatur, quæ etiam extrinſecus ex mulſa macerata illinuntur, vt liquet ex eodem Paulo. Vtendum eſt etiam ad ſordida vteri vlcera eo medicamento, quod ex melle, terebinthina, roſaceo, & butyro conſtat, quibus aliqui etiam parum croci addunt. Ad eadem quoq; repurganda efficax eſt & iris illyrica cum melle impoſita, & ariſtolochiæ decoctum per ſe, vel cum melle infuſum, vt inquit Aetius. Vlcere verò depaſcente robuſtiora, adſtringentiáque medicamenta adhibenda ſunt, veluti eſt baccarum myrti, palmularum, lentium, & malicorij decoctum, ſi infundatur. Fomenta quoque & inceſsiones ex aqua mulſa fiant, in qua abſynthium, marrubium, eruum, centaurium, aut lentes ſint decoctæ. Loci item ptiſanæ ſucco eluantur addito melle, & roſaceo, vt

Cauſæ. *Prognoſtica.* *Curatio.* *Purgatio.* *Topica.* *Vbi ſordidũ fuerit vlcus, curatio.* *Depaſcentis vlceris curatio.*

ex eod

ex eodem Aetio liquet. Paulus verò præter hæc decoctum roſarum, cupreſſi, ſummitatis oleæ, malorum cotoneorum, rubi, lentiſci fructicis, rhus coriarij ex vino adſtringente commendat, & poſt hæc aluminis quoque, acaciæ, licij, & hypociſtidis, ex quibus etiam decoctis inſeſſus parari poterunt, eodem auctore. Verùm vbi nedum depaſcētia, ſed efferata quodammodo vlcera fuerint, equino, aut aſinino lacte recens mulcto eluantur, & in vtriuſque penuria quodcunque haberi poteſt recēs coctum accipiatur: duabus autem lactis heminis, mellis hemina dimidia addenda eſt, & iiij. iridis drac. inſpergendæ, & tale infuſum calidum ſæpè ſingulis diebus infundendum erit. Idem facit aqua mulſa, in qua abſynthium, aut calamus aromaticus, aut leucanthemum, vel chamæmelum, ſeu buphthalmum decoctum ſit: & vbi quod infuſum eſt, fuerit excretum, loci protinus maluæ decocto eluantur, deinde peſſus ſubdatur ex farinę erui, & iridis, ſingulorum drac. ij. cum melle ſubactis, aut etiam farinam lentiū cum melle ſubdes, ſeu oleæ folia cum vino trita, & melle admixto: nec minùs & vuarum paſſarum carnes tritas cum melle ſubdito, ex ſententia eiuſdem Aetij. Vbi verò depaſcentia, ac efferitas fuerint cohibitæ, ea adhibeantur, quæ paulò ante ad vlcera repurgata relata ſunt. Cibus quoque dandus boni ſucci, modicus: balneorum, ciborúmque varietate ægrotans ſolicitari, vinóque refici debet, quo caro ſtatim procreetur, ex Pauli ſententia: deinceps his, quæ ad cicatricem perducunt, primò mitioribus, deinde efficacioribus vtendum eſt, etiam deforis adhibitis, abdomini videlicet, ac coxis. Nam quemadmodum cataplaſmatum, ita etiam emplaſtrorum facultas per latentes meatus traducitur, vt idem inquit Paulus. Inter quæ magnoperè ab Aetio commendatur ceratum hoc, quod recipit ceræ albæ quadrantem, roſacei optimi dodrantem, ad prunas liquefacito, & quadantenus refrigerato, deinde in mortarium conijcito, ac lacte mulieris, aut aſinino, aut caprino recens mulcto affuſo cum piſtillo ſubigito, donec totum inalbeſcat, deinde diffuſo priore lacte, nouum infundito, ac rurſus ſubigito, & croci circiter drac. j. admiſceto. Quòd ſi magis mitigatorium facere volueris, roſacei ſeptuncem, adipis anſerini, & medullæ eiuſdē ſingulorum vnc. j. accipito. Potes etiam & pro roſaceo melinum admiſcere. Hoc etiā vnguento ad hunc etiam vſum vtare. Recipe tutiæ ablutæ partes ij. lithargyrij, ceruſæ, & ſarcocollæ, ſingulorum partem j. cum oleo roſacco, & cera fiat vnguentum, cui etiam adipis anſeris, & croci parum admiſcere poteris. Interim etiam & plumbum vſtum, & pro roſaceo melinum, aut myrteum admiſceto.

Περὶ ἰσχιάδος. *Id eſt, De iſchiade, ſeu coxendicum dolore.* Cap. CXVIII.

CONSEQVENS eſt poſtquàm de internarum partium affectibus ſermonē abſoluimus, de quibuſdā qui extremas, ſeu externas partes occupant, verba faciamus, quanquam in eis pars, quæ afficitur (cùm ſenſui ſubijciatur) haud ægrè percipi poſsit, præſertim ſi articulos obſederint. Nam de his pertractare intendimus, quoniam extremæ partes corporis articulis inter ſe conferuntur, vt inquit Celſus cap. 22. lib. 4. per articulum intelligentes nos, quod à Græcis ἄρθρον dicitur: eſt autem articulus Galeno auctore libro de oſsibus, naturalis oſsium compoſitio (veluti & naturalis eorūdem vnio σύμφυσις appellatur) tam ſi dearticulationem, quàm ſi coarticulationem articulus ſignificet. Hæ nanque pro motus quantitate diſsidēt, cùm dearticulatio ſit oſsium ſtructura, quorum motus euidens eſt, coarticulatio verò oſsium compoſitio eſt, quæ neque validum, neque manifeſtum, ſed obſcurum, difficilémque habet motum. Omnem igitur naturalem oſsium ſtructuram, compoſitionē, ſiue cohærētiam articulum nuncupamus. De quorum affectibus ſermonē facturi ab eo exordiemur, qui ἰσχίον nuncupatum articulum cruciare ſolet, à Græcis ἰσχιὰς, velut & qui eo affectu laborant ἰσχιαδικοὶ nuncupantur, barbaram ſectantes medicinam, ſciaticam, *Articulus quid ſit.* *In præfatione.*

Iſchias, ſeu coxendicum dolor.

Plin. lib. 20. cap. 3. & 9. & alibi.

& ſciaticos vocant. Latinè verò etiam iſchias, & qui eo affliguntur iſchia dici nuncupari poſſunt, poterit etiam & coxendicum dolor, ſeu morbus dici. Nam Plinius articulum hunc coxendicum nominauit, in quo oſsis femoris caput cum coxendice oſſe appellato, alligatur, atque dearticulatur. Inditum ſiquidem nomen huic affectioni eſt à parte oblæſa, ex Galeni teſtimonio, ſecundo meth. med. cap. 2. quemadmodum etiã ſi pedum articulis vitiũ adſit, ποδάγρα, & ſi cunctis, aut plurimis corporis articulis ἀρθρῖτις nuncupatur: ſunt etenim tum iſchias, tum podagra ex arthritidis genere, vt decimo de compoſit. medicamentorum ſecundum locos, cap. 2. à Galeno ſcriptum eſt, affectis locis duntaxat differentes.

Quibus communicet, & differat à podagra, & arthritide.

Habent autem communem hi tres affectus humoris redundantiam, quæ affectam occupat coarticulationẽ, qua expleta in omnem partem circunſitam neruoſæ particulæ tenduntur, & ex his dolor oritur, neque enim neruos, per quos motus diſpenſatur voluntarius primario affectu fluxio infeſtat, quoniam artuum priùs internodia obſidere ea neceſſe eſt. Afficiuntur tamen iidem nerui lege conſortij, quod cum articulis ineunt, ſeu per conſenſum, vt liquet ex Paulo cap. 78. lib. 3. quare ſi ad inferiores partes facta fluxio pedum articulos repleat, podagra vitium nũcupabitur, ſi cæteros corporis artus, arthritis, ſeu articularis affectio nuncupabitur, vt diximus. Id verò bifariam contingit. Nam vel multi corporis articuli afficiuntur, vel ſinguli, quando propriè arthritis, ſeu articularis affectio nominatur. Cæterùm incipit plerunque podagræ generatio ex vno articulo, & paulatim ad genua procedit, progreditúrque in omnes malum temporis diuturnitate accedente, quanquam aliquando repentè irruat æqualiter per omnes articulos diſperſum.

Quid ſit iſchias, ſeu coxendicum dolor.

Vide ſuprà cap. 10.

Quis affectus præter naturam ſit.

At quod in omnibus articulis arthritis eſt, hoc in vno iuxta coxendicum iſchiada, & coxendicum vitium appellant, quod dolor eſt haudquaquam exiguus circa eum articulum, quem Græci ἰσχίον vocant, ab aliqua fluxione ortum, ſymptoma exiſtens, vt cap. de dolore capitis, determinauimus, & non morbus, neque inflammatio. Nam licet fluxione iſchij articulatio impleatur, propter quod, & quæ ipſis circuniacent ligamenta extendi eſt neceſſarium, non tamen veriſimile eſt neruos, & chordas inflammari, ſed ſolùm dolere, quoniam ſimul cum articulatione extenduntur, argumento eſt, quoniam nunquam viſus eſt podagricus (vt Galenus inquit, commento aphoriſ. 49. ſexti libri) pati conuulſionem, quæ frequenter ſolet in neruorum, ac chordarum inflammationibus aduenire. Pari quoque ratione neque in coxendicum dolore eaſdem partes inflammari fatendum erit, neque etiam articulum, qui primam ſuſcipit fluxionem, nam ipſe (& non ſpatia vacua, quæ inter prima ſunt corpora) fluxionem ſuſcipit, quanquam intentio ſanationis huius affectus communis ſit cum omnibus inflammatione laborantibus, vt liquet ab eodem Galeno ibidem.

10. de compo. medic. ſecun. loc. cap. 2.

Verùm ſiquis velit fluxionem hanc in articulum decumbentem inflammationem nominare, & ſic fateri morbum eſſe, non reclamabimus. Sequitur autem dolor hic tum ad inæqualem intemperiem ipſius articulationis, & partium circuniacentium, tum etiam & præcipuè ad earundem extenſionem, ſeu continui ſolutionem, qui dolor à natibus, inguinibúſque ad genua vſque, in plurimis autem ad ſummum vſque pedem pertinet, vt refert Paulus cap. 77. lib. 3.

Signa.

Aetius verò Archigenis auctoritate cap. 1. lib. 12. inquit, quòd antecedit, & quaſi auſpicatur hoc malum, aliquando quidem vicinorum muſculorum dolor, & maximè lumborum, aliquando verò ab ipſa iunctura initium fit affectionis. Iam verò quandoque contingit, vt articuli dolore ferè ſublato circa poplitem afflictio hæreat, aliis autem iuxta talum, quibuſdam verò totum crus æqualiter dolore affligitur: multis item circa inguina dolor figitur; quo fit vt vrinæ difficultatem inducat: & tunc maximè totum crus à coxendicibus vſque ad calcaneum dolorem perfert.

Cauſæ.

Non parum autem adiuuant huius affectionis generationem aſsiduæ cruditates, immodicus rei venereæ vſus, aliquãdo etiam deambulationes concitatiores, hæmorrhoides ſuppreſſæ, & vomendi conſuetudo intermiſſa, exercitiorum

citiorum contemptus; & purgationes menſtruæ, aut etiam aliæ familiares ex-
cretiones impeditæ, ex eiuſdem Aëtij auctoritate, quæ omnia humorum redun- *Citato loco.*
dantiam efficiunt diuerſam in diuerſis corporibus. Et propterea quandoque ir-
ruens ad coxendicem humor ſanguineus eſt, vt plurimùm verò pituitoſus, aut
ex pituitoſo, & bilioſo mixtus, interim etiam ſanguine cum ipſis permixto;
quanquam id ſit cōmune podagræ etiam, & arthritidi, vt eodem loco de Com-
poſitione medicamentorum ſecundum loc. à Galeno ſcriptum eſt. vt plurimùm *cap. 2*
autem diximus pituitoſum humorem prædominari in hiſce affectionibus, eum
propriè, qui crudus appellatur, craſſus exiſtens ad ſimilitudinem puris craſsioris,
& vbi in ipſis articulis diutiùs moram traxerit, non ſolùm craſsior, ſed & viſco-
ſior redditur, & qui tophi, ſeu calli appellantur, eorum generatio ex huiuſcemo-
di humoribus fit. Cògnitio verò ipſorum humorum redundantium ex colori-
bus tum ſymptomatis coincidentibus, itémque per experiētiam pharmacorum,
quæ adhibentur, haberi facilè poterit, vt liquet à Galeno ibidem Ad cuius etiam
humoris noxij cognitionem non parum conferet tibi prægreſſa victus ratio, ſi-
ue per exercitia, ſiue per otium tranſmiſſa, & per balneum poſt & ante cibum ac-
ceptum, conferet etiam & gymnaſiorum, & eduliorum tum quantitas, tum qua-
litas, item anni tempus, & regionis, ac aëris conſtitutio, inſuperque & ætas, & ha-
bitus corporis, & reliqua huiuſmodi, inſuper & doloris ſpecies, ſiue feruens, &
pungens, ſiue ſtupidus fuerit. Nam vbi bilioſus ſanguis in cauſa fuerit, calidita-
tis ſenſum ægroto exhibet, color corporis flauus, ruffus, ſeu pallidus; & calfacien-
tibus impoſitis exacerbatur dolor, quemadmodum rurſus à frigidis relaxatur,
& quæ præceſsit victus ratio, ac cuncta, quæ dinumerauimus ad generandam
bilem apta fuere. Pari etiam ratione ſi ſanguineus humor, aut pituitoſus redun- *Prognoſtica.*
darit, promptè percipi poterit, ſi cuncta, quæ ſuprà meminimus ritè conſidera- *Cap. citato.*
bis. Illud tamen animaduertendum ex Galeni decreto, eodem decimo de Com-
poſitione medicamentorum ſecundum locos, quòd vbi tophi, ſeu calli ex humo-
ribus craſsis, ac viſcidis, qui in articulis diutiùs moram traxerint, fuerint produ-
cti, haudquaquam ſperandum eſt ad priſtinam conſtitutionem exactè redire ar-
ticulum poſſe. Cæterùm, quòd quibuſcunque à longo coxendicum dolore mo-
leſtatis cauitate ſua excidit coxa, & rurſus recidit, iis mucores ſuperueniant, &
quòd eiſdem crus tabeſcat, & claudicent ſi non vrantur, ab Hippocrate aphoriſ-
mo quinquageſimonono & ſexageſimo ſexti libri, ſcriptum eſt. Quòd verò ra-
rò fiat coxendicum dolor ex ſanguinis multitudine, & ſi fiat, citiſsimè curetur, à
Galeno decretum eſt, eodem decimo de Compoſitione medicamentorum ſe- *Loco citato.*
cundum loc. quòd autem coxarum ingens dolor eſſe conſueuit, íſque hominem
ſæpè debilitat, & quoſdam non dimittit; eodem loco à Celſo ſcriptum eſt. Pro *Curatio.*
iſchiadis itaque curatione aër eligatur ad ſiccum vergens, in calido, & frigido
temperatus, vel parum etiam ad calidum declinans, pro diuerſitate redundan-
tis ſucci, ſomno moderato vtantur, aut conſueto parciori. Circa initia corpo-
re non euacuato quies eligatur, temporis autem proceſſu deambulationibus,
aſsiduis flexibus, & moderato curſu vti conuenit. Aluum autem quotidie pro-
bè ſolutam habere præſtat, ſi non natura, àrte ſaltem: premuntur etenim, & ag-
grauantur articuli coxendicum maximè vbi ipſa ſit adſtricta. Vitanda venus eſt,
& ab animi affectibus immodicis cauendi ſunt. Cibus ſit mediocriter tenuis, *Ratio victus.*
modicus, ac concoctu facilis, haudquaquam humidior, potiſsimùm in primis
morbi diebus, deinceps verò ſolidior ſit, & reparandis viribus magis accommo-
datus, habeátque interim acrium eduliorum comeſtiones quaſdam adiunctas,
quorum ſyluam ſæpè conſcripſimus. Perpetuò tamen bonæ coctioni conſulen-
dum, ita vt cibi nihil viſcoſum, aut craſsi ſucci, aut ægrè concoctile, ſeu quod
difficulter digeratur in ſeipſis complectantur, & ſi caro exhibeatur, ſit pauca-
rum ſuperfluitatum, vt montanarum auium, & ſylueſtrium quadrupedum. Potus
ſit aqua mulſa, aut aqua in qua cinnamomi parum fuerit decoctum, à vino pe- *Medicamen-*
nitus abſtineant, affectus ratione. Quòd ad medicamentorum autem rationem *torum ratio.*

attinet, initium curationis fiat ab affligentis humoris euacuatione.ſiquidem ſi humoribus ex æquo redundarit corpus, venæ ſectio primùm omnium aſſumatur, deinde purgatio, quibus accedat pharmacorum dicendorum conueniens (& tempore, & ordine) vſus, vt præcitatis locis liquet à Galeno, & Aëtio. Verùm quanquam à ſanguinis multitudine coxendicum dolorem obortum venæ ſectio curet,ex qua tamen vena ſanguis minuendus ſit,in dubium venit.Nam libro de Curandi ratione per venæ ſectio.Galenus coxendicem iuuari ſecta vena poplitis, aut malleolorum confeſſus eſt,& eodem libro dicebat.memini me iſchiadas,ſiue coxendicum dolorem vno die,facta ex crure euacuatione curaſſe, nimirum vbi non ex frigore,ſed impletis ſanguine, quæ in coxa ſunt venis, prouenissent, quare ſecta in poplite vena commodior ita affectis eſt,quàm in malleolo. Idem confirmauit decimo de Compoſitione medicamentorum ſecundum loc.cap.ſecundo,quanquam eodem libro poſt pauca ſic ſcripſerit, Tanquam igitur maximam vim ad affectionis curationem habeat totius corporis euacuatio, ab ipſa exordiendum eſt,non ſolùm à cruribus, ſed etiam à cubito primum ſanguinis detractione facta.Hanc ſententiam ſectatus Aëtius,hunc in modum ſcriptum reliquit,A multitudine itaque ſanguinis coxendicum dolorem obortum venæ ſectio curat,ſi primum cubiti venam ſecemus, deinde etiam eam quæ iuxta talos eſt,aut poplitem,& cauſam reddens,ſtatim ſubdit,In principio enim omnium inflammationum diuulſoriam venæ ſectionem facere oportet.In affectionibus verò iam inueteratis maximè quidem ex ipſis locis affectis extrahemus, aut ſi id fieri non poſsit,ex vicinis:quanquam hæc eadem verba à Galeno tranſcripſerit, libro de Curandi ratione per venæ ſect.cap.decimonono.Et propterea Paulus id etiam perpẽdens eodem cap.ſeptuageſimoſeptimo tertij libri.per initia,igitur dicebat ægro nobis oblato,fæcibus clyſtere euacuatis,vena in cubito ſecanda,ſi autem vetuſtas vitium occupauerit ex malleolo partis affectæ imminutionem ſanguinis moliemur. Facta itaque ex crure venæ ſectione, inueteratas quidem iſchiadas,ſeu coxendicum dolores,robuſtíſque corporibus, quibus non multa admodum ſanguinis copia redundabat in toto corpore,ſed impletis ſanguine, quæ in coxa ſunt,venis duntaxat,vno die curauit Galenus. Quare & nos eundem ſectantes eaſdem venas incidere debemus, vbi dolor fuerit inueteratus quodammodo,& vires ferant ſanguinis miſsionem copioſam,& corpus totum haudquaquam fuerit multo ſanguine refertum, ſed quæ in coxa ſunt venæ ſanguine impletæ fuerint.Nam per hanc venæ ſectionem fit euacuatio ſanguinis in venis coxendicum contenti cum deriuatione:quò fit vt neceſſariò citiſsimè per eam coxendicum dolor curetur. Verùm in recenti dolore, viribus haudquaquam robuſtis,adeò vt exquiſitam venæ ſectionem ferre non poſsint,refertúmque ſit totum corpus multo ſanguine,in cubito primùm vena ſecanda erit,reuulſionis dũtaxat gratia,& deinceps à crurum venis ſanguis mittendus, iuxta Galeni ſententiam, eodem decimo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos,cap.ſecundo,quam ſententiam omnino ſectatus eſt Aëtius,& Paulus quodammodo, vt diximus.Suppoſuit etenim Galenus hoc loco vniuerſum corpus humoribus ex æquo redundare,quemadmodum etiam & Aëtius.Miſſo ſanguine, vbi adhuc dolor perſeuerauerit purgatione vtare,ex eiuſdem Gale.anctoritate. Verùm (vt ipſe inquit) auxiliantur ipſis iſchiadicis vomitus magis, quàm euacuationes infernæ per ventrem,vt qui reuellant deorſum repentem humorem.Faciendi itaque ſunt vomitus in principio ab accepto cibo,poſtea verò etiam per vomitoria medicamenta initio à mediocribus facto.At ſi neque per vomitum coxendicum dolor auferatur,aut corpora ad eum inepta fuerint,ampliùs non confluentibus humoribus,aut parum,purgatione per inferiorem ventrem vti non inconuenit, præſertim ſi cum ſanguine bilioſus etiam ſuccus redundarit, neque id negauit Galenus,quanquam vomitum tanquam magis commodum commendauit, propterea quòd reuellat.Fiat autem ea per familiaria medicamẽta purgantia, veluti eſt hiera, agaricum, diacath.ſyrup. ex pluribus infuſionibus roſarum, myroba-

lani,

Venæ ſectio ſanguine redundante.

Quæ vena ſecanda ſit. cap. 18

Lib. de curã. rat. per venæ ſectionem. cap. 18

Purgatio.

lani,& reliqua huiuſmodi. Confert quoque hoc tempore clyſteribus vti paulò efficacioribus, fiat decoctũ ex folijs maluarum, betæ, mercurialis ana manip. 1. furfuris,& florum chamæmeli ana pugil. s. caricarum nume. 6. ſalis communis drac. 2. cui adijciantur olei communis, anethini, vel chamæmelini, vnc. 4. mellis roſacci, ſeu mellis deſpumati vnc. 2. s. diacath. & hieræ picræ ſimplicis ana vnc. s. fiat clyſter, interim drac. 1. vel ſcrup. 4. agarici etiã permiſcebis. deinceps ad topica medicamenta confugiendum eſt, id primò animaduertens, quòd licet manibus,& pedibus pharmacis fluxionem repellentibus vti poſſumus, vt ſequenti cap. docebimus, circa coxendicum tamen iuncturam id facere omnino vitandum eſt, nam cùm in profundo ea ſita ſit, ſanguis ex vicinis,& ambientibus vaſis, ac muſculis ad illam cõpellitur, vt liquet ex eodem Gale. citato libro 10. de compoſi. medic. ſecundum locos. Item ex præcepto eiuſdem eodem loco, cauendum eſt, ne quiſpiam ante totius corporis euacuationem (præſertim ſi coxendicum dolor ex humorum copia fuerit exortus) acribus pharmacis circa partem affectam vtatur, nam ægrè curabilem reddet affectionem copia nimirum indiſſolubiliter ibidem condenſata, præter alia enim & craſſa,& viſcoſa fit ob calorem,& ſiccitatem acrium pharmacorum, non diſsimile quidpiam aſſationi perpetiens, quare mitigatorijs in principio medicamentis opus eſt in dolore circa coxendicem hærente, quæ neque refrigerent multum, neque fortiter calfaciant, qualibus ſanè poſtea opus habet: exacerbantur enim per ipſam fluxiones, caliditate nimirum plus attrahente ipſas, quàm impediente (eodem Gale. teſte ibidem.) Irrigandi itaque loci ſunt ex oleo chamæmelino, anethino, liliaceo, irino, ſeu etiam nardino,& rutaceo, vel rutam, chamæpityn, ſaluiã, chamæmeli flores, ac althææ folia, ac radices decoque in oleo communi, demum exiguo adiecto vino, vel aceto albo cum ſpongijs, ſeu lineis, vel laneis linteis ſæpiùs loci foueantur,& deinde aliquo prædictorum oleorum irrigentur, aut ex contuſis folijs,& radicibus althææ, ſambuci, ac rutæ, farina fœnugræci, & ſeminis lini, adipe anſerino, ac butyro,& oleo chamęmelino, ſeu anethino cum poſca cataplaſma fiat, & adhibeatur. Poterunt quoque fotus fieri ex decocto foliorum,& fructuum iuniperi, radicum althææ, meliloti,& chamæmeli in vino albo, quibus ſæpiùs iteratis loci abſtergãtur, & aliquo dictorum oleorum, ſeu aliquibus ſimul mixtis iidem irrigentur, perpetuò tamen primùm mitioribus,& demum efficacioribus vtare. Sacculi item ex fricto milio, ſale, & furfure, præter id, quod dolorem mitigant, leuiter doloris cauſam diſcutiunt calfacti in calido latere, pauco vino irrorato,& ſæpiùs adhibiti,& vbi vehemens fuerit dolor, papaueris calyces in aqua mulſa decoquito, ipſiſque proiectis farinã hordeaceam aquæ mulſæ imponito, ac coquito. Si autem coxendicus dolor ex irruente pituitoſo humore generetur (velut plurimum contingit) aut ex eodem cum bilioſo permixto, circa initia quoque reuulſionis gratia in cubito ſecta vena cõfert, ſeruata rectitudine, potiſsimùm ſi cum eo etiam ſanguis fuerit permixtus. Procedente verò tẽpore, vel vbi idem pituitoſus humor craſsior, ac viſcoſior fuerit citra ſanguinis miſsionem, per vomitum purgatione priùs vtare, nedum ab accepto cibo, verũetiam per vomitoria ſumpta medicamenta à mediocribus ſemper initiò facto, veluti eſt acetum, ſyrup. acetoſus, poſtea oxymel ſimplex, aut ſcillinum cum aqua tepida. At quibus inſuetus, ac valde moleſtus vomitus fuerit, aut etiam vbi vomitus non ſuffecerit, purgantia per inferiorem ventrem medicamẽta exhibenda ſunt, primò tamen per clyſteres,& deinceps per ea quę per os exhibentur: fiant autem clyſteres hoc modo, Recipe foliorum maluarum, mercurialis,& betæ ana manipulum 1. centaurij minoris, florum chamæmeli, ſingul. manipul. s. caricarum nume. 6. furfuris pugillum 1 s. fiat decoctum cum pauco ſale communi, cui adde olei communis, vel chamæmelini, anethini, rutacei, liliacei, aut irini vnc. 4. mellis roſacei, aut mellis deſpumati vnc. 2 s. confectionis de dactylis, hieræ picræ ſimplicis, aut diacathol. drac. 4. fiat clyſter,& ſi efficaciori indigebis, chamæpityn, rutam, centau-

Clyſteres.

Quæ animaduertenda ſunt circa localia medicamenta.

Cap. citato.

Quibus medicamentis utendum.

Si ex pituitoſo humore fiat coxendicum dolor, curatio.

Vena ſectio.

Vomitus.

Purgatio.

Clyſteres.

rium maius,ſaluiam, ac ſtœchadem in decocto adiice,& demum agaricũ, hieram picram compoſitam,compoſitionem indi,ac quam benedictam appellãt, permiſceto: ſunt qui etiam efficacioribus clyſteribus vtuntur: potiſsimùm vbi vehementer humores denſati fuerint,decocto vtentes lupinorum amarorum, colocynthidis,radicis cucumeris ſyluestris,ſalſorum piſcium,& oliuarũ colymbadum muria,& reliquis huiuſmodi,à quibus abſtinendum eſſe quoad fieri poteſt cenſerem,nobilioribus præſertim corporibus: cõſueuerunt enim maximo cum dolore periculoſam dyſenteriam efficere, ſed potius,ac tutius purgantia per os aſſumenda medicamenta præbeantur,priùs tamen humoribus ipſis concoctis,ac præparatis ex melle roſaceo,ſeu oxymelite ſimplici,vel ſcillino,ſyr. è ſtœchade,& reliquis huiuſmodi. Commendantur etenim purgantia medicamenta ad hunc vſum à Paulo,& Aetio. Paretur autem medicamentũ purgans hunc in modum, Recipe corticum myrobalanorum chebularum drac. 4. citrinatum drac. 2. polypodij,& agarici ſing. drac. 1. fiat arte decoctũ,cui per colum transfuſo,adde electuarij roſati,aut confectionis de dactylis drac. 2. s. vel 3. ſyr. ex pluribus infuſionibus roſarum vnc. 2. fiat potio. Et vbi craſsior, ac tenacior fuerit redundans humor pituitoſus,catapotijs vtare fœtidis,aut de ſagapeno, eorũdem accipiens drac. 1. cum altera trochiſcati agarici, & cũ melle roſaceo, aut oxymelite catapotia formẽtur,ſeu pulueris hieræ ſimplicis drac. 1. & ſcrup. 4. agarici trochiſcati excipe oxymelite,& ſimiliter catapotia formato, à quorum aſſumptione per aliquod tempus decoctũ drach. 3. ſeu 4. myrobalanorum chebularum,in quo vnc. 2. vel vnc. 3. ſyrup. ex pluribus infuſionibus roſarũ rubearum fuerint diſſolutæ,aſſumant: & vbi opus fuerit tam vomitus, quàm ea, quæ hîc conſcripſimus,medicamenta purgãtia,ac clyſteres bis,ac ter, & ſæpiùs iterari poterunt. Deinceps verò irrigandi ſunt affecti loci oleo rutaceo, coſtino,nardino,vulpino,de caſtoreo,ac etiam de piperibus,& pyrethro, vbi adeò efficacioribus indigebis,& vt penitius eorũ facultas traducatur,aceti, ſeu vini albi parum permiſceto. Vel hoc vnguento vtare, quod recipit cremoris ſeminum maluarum,& althææ,cuiuſlibet drac. 3. farinæ fœnugræci,ſeminis lini, vtriuſque vnc. s. adipis anſeris,& ſuilli,ſingul. drac. 4. olei rutacei, & chamæmelini ana vnc. 1. s. ceræ,& aceti parum,fiat vnguentum. Vel fœnugræcum in vas fictile conijcito,& ad ipſum poſcam ſufficientem affundito, & prunis impoſitum donec diſſoluatur,coquito, ad diſſolutũ verò mellis, quod ſatis eſt inijcito, ac rurſus coque,deinde exempta diligenter tere, & in linteolum infarcta locis affectis impone,hoc autem fiat ad biduum,& triduum. Symphyti quoque lib. 1. s. raſam,& minutim conciſam,ac in mortarium coniectam diligenter terito, ac attritam mannæ thuris quadrantem,& ouorum recentium crudorum cãdida vnà cum luteis trita adijcito, & rurſus terito, & vbi vnita fuerint adipis ſuilli veteris lib. 1. adijcito,& conquaſſata diligenter,atque in linteolum infarcta imponito,ex Galeni ſententia,Aſclepiadis auctoritate,eodem 10. de compoſ. medicament. ſecundũ locos,cap. 2. qui etiam ex Andromachi monumentis hoc medicamentum commendauit, quod recipit picis partes 2. ſulphuris viui partem 1. vtraque trita mixta dolenti loco imponito,& ſinere cum oportet donec ſua ſponte dilabatur,poterit quoque picis pars vna recipi, modo ſciamus efficaciùs eſſe medicamentũ,ſi pari menſura miſceantur,debilius verò, in quo duplum picis ad ſimplum ſulphuris conijcitur. Valebis etiam cataplaſma componere ex folijs althææ,ſaluiæ,rutæ,ac ſambuci leuiter decoctis,ac contuſis,ſing. P. s. capiens,quibus olei irini,de caſtoreo,ac anethini ana vnc. 1. adijciatur,cremoris ſeminis lini,& fœnugræci ana vnc. 2. farinæ loliaceæ, & lupinorum, cuiuſlibet vnc. 1. & cum poſca quantum ſatis ſit,fiat cataplaſma,quibus vt efficacius reddatur,adijci poterunt ebuli radix,lauri folia,pulegium, ſauina, oleum de piperibus,de caſtoreo,coſtinum,aut nardinum,galbani quoque,aut ammoniaci parum. Vel in formam emplaſtri,redigito in hunc modum, Recipe ſucci foliorum rutæ, ſambuci, & calaminthæ ana vnc. 1. bdellij, opopanacis,ammo-

Purgantium medicamentorum deſcriptio.

Topica.

Vnguenta.

Cataplaſmata.

Emplaſtra.

niaci diſſoluti in aceto, cuiuſlibet vnc.s.myrrhæ, & reſinæ terebinthinæ ana
drac.4.cremoris ſeminis althææ,ſeminis lini,& fœnugræci ana vnc.1.s.farinæ
hordei,fabarũ,& lupinorum ana drac.7.picis,& ceræ quantũ ſatis ſit, fiat em-
plaſtrum.Poterunt inſuper ex eiſdem fomenta parari,vt, Recipe radicum, &
foliorum ebuli, & althææ manip.1.foliorum rutæ,ſauinæ, ſambuci, & pulegij, *Fomenta.*
ſingul.manipul.s.florum chamæmeli,fœnugræci, & meliloti, cuiuſlibet pugil.
1.s.decoquantur arte in tribus partibus olei,& vna vini albi,& cum ſpongia in
eodem decocto madefacta dolentibus locis iterum, atque iterum applicetur,
poſt quæ iidem loci aliquò ex iam dictis vnguento irrigentur. Paulus verò lu-
pinorum amarorum farinam cum oxymelite,aut calaminthę folia ex oxyme-
lite,vel aqua mulſa admouenda cõmendat. At ſi ne hæc quidem profecerint, *Sinapiſmi, ac alia vrentia medicamenta.*
adeò vt morbus infeſtare deſierit,congruum erit ad ſinapiſmos, atque vrentiũ
medicamentorum vſum deuenire,&.ex Pauli ſententia ſinapi cum caricis,vel
etiam per ſe illitum confert: Vel hunc in modum ſinapiſmum conficito, Reci-
pe ſeminis ſinapis in aceto fortiſsimo macerati vnc.2.caricarum vnc.4.ſterco-
ris columbini in vino albo decocti vnc.3. mellis anacardini vnc.1. miſceantur,
& fiat ſinapiſmus, vel accipe cantharidum aliis ſubiectis drac.2.ſtaphidis agrię
drac.3.cum fermento,& aceto fiat medicamentum,& vtare. Poſtremò autem
tam Paulus,quàm Aëtius iberidis herbæ vſum extollunt, tanquam in totum *Pau.libro 3. cap. 77*
iſchiadicos ſanitati reſtituentem,cuius radicem aſſumptam diligenter tundito,
& ſuilla axungia veteri modica excipito,adeò vt emplaſtri ſpeciem repræſen- *Aetius lib.12. cap. 2*
tet,& exinde linteolo denſiori illitum locis maximè dolentibus imponatur, *Iberidis vſus.*
at incumbere ſinito,mulieribus quidem non infra duas horas, viris autem per
quatuor horarũ ſpatium,ſi poſsibile ſit id perficere,excitat enim tumores cum
ardore,& rubore,veluti ſinapiſmus facere ſolet, poſt verò ægrum in balneum
inducito,atque reliqua exequaris prout iidem præcipiunt. Nanque conſueuit
hoc præſidium nullo alio auxilio opus habere. Quòd ſi tamẽ aliquando veſti-
gium affectionis relinquatur,viginti diebus interpoſitis, rurſus eodem præſi-
dio vtare.ex Democratis tamen auctoritate Gale.huius iberidis vſum, ac mo-
dum vſus,eodem 10.de compoſi.medicamen ſecundum locos,cap.2.ante Aë- *Cauterium cum igne.*
tium,& Paulum ſcriptum reliquit, nec tacuit ea, quæ Archigenes 2. lib. phar-
macorum ſecundum genera,de ea conſcripſit. Portò ſi igne ſub genu externa
in parte inuſtio fiat,diuturnis coxendicum doloribus valde conferet.

Περὶ ποδάγρας, καὶ ἀρθρίτιδος. ſeu morbo articulari. — *Id eſt, De podagra & arthritide, Caput CXIX.*

QVoniam podagra non toto genere (vt dictum eſt) ſed affectis *Cap. præcedenti.*
duntaxat locis differt ab arthritide,nanque in ambobus affecti-
bus imbecillitas adeſt articulorum diuturna cum fluxione, vt *Podagræ, & arthritidis conuenientia, & differẽtia.*
Aëtio viſum eſt cap.6.lib.12.eundẽmque requirunt curationis
modum,propterea vno capite de ambabus affectionibus pertra-
ctare propoſuimus. Cæterùm vterque affectus ab oblæſa parte denominatus
eſt,vt liquet ex Galeno 2.methodi meden.cap.2. Nam ſi ad inferiores partes
facta fuerit fluxio,& pedum articulos repleuerit,podagra vitium nuncupabi-
tur: ſi verò in multis corporis articulis innititur, aut per omnes æqualiter arti-
culos fluxio diſpergatur ἀρθρῖτιδα Græci,nos articularem morbum appellare
cõſueuimus,ex eiuſdem Aetij teſtimonio: neque enim quemlibet articulorum *Loco citato.*
difficilem motum,ſeu dolorem arthritida,ſeu articularẽ morbum modò nomi
namus, ſed eum duntaxat, qui ex eorundem articulorum imbecillitate, ac hu-
morum influxu ortum habet, cùm autem excitatus fuerit articulorum dolor
ex aliqua immodica intemperantia,potiſsimùm ſicca, vt liquet ab Hippocra-
te aphoriſmo 16.libri tertij,affectum hunc haudquaquam arthritida nuncupa-
bimus,niſi impropriè,eodem Galeno teſte,commento citati aphoriſmi. Acce-

Quæ neceſſariò requirantur, pro arthritidis ac podagra generatione. dit ad hæc quoniam omnes, qui articulari morbo laborant, magna ex parte
priùs podagrici fiunt, communémque habent hi duo affectus inſimul cum iſ-
chiade humoris redundantiam, quæ affectam occupat articulationem, quem-
admodum ex eodem Galeno liquet commento aphoriſ. 28. ſexti libri, & 10.
de compoſitione medicamento. ſecundum locos, cap. 2. quare ſi podagra fieri
nequit ex imbecillitate articulorum ſola, ſed humorum influxum etiam requi-
rit, neque etiam & articularis morbus. Nõn ſola itaque particularum corporis
imbecillitas articularios, podagricósque cruciatus excitat, ſic etenim acceſsio-
nes ſine vllo temporis interuallo vrgerent, cùm natiua imbecillitas continuò
exiſtat: atqui datur podagricis tempus acceſsionum intermedium. Item ne hu-
mor quidem ſolus hos dolores creat, quandoquidem non ſolum vitium hoc ar-
ticulis inſidet, verùm ambo, & humor à natura alienus, & particularum imbe-
cillitas morbum afferunt articularem, ac podagram, Paulo teſte cap. 78. libri
tertij, id quod decretum erat à Galeno citato commento aphoriſ. 28. ſexti libri.
Podagra quid ſit. Liquet igitur ex his podagram nihil aliud eſſe, quàm articulorum pedum do-
lorem à fluxione quapiam ortum. Articularis morbus nonnullorum articulo-
Quid arthritis. rum, aut omniũ æqualiter dolor exiſtit ab eadem etiam fluxione ortus. Deſi-
que excipiantur dolores ij, qui in quibuſuis articulis fuerint orti citra fluxio-
nem, nam neque podagra, ſi pedum articuli fuerint affecti, neque articularis
morbus, ſi cæteri totius corporis articuli fuerint oblæſi, propriè appellari pote-
runt, vt ſuprà demonſtrauimus, neque etiam generari poterunt, ſi humor quiſ-
piam non influxerit, ex ſententia eiuſdem Galeni citato commento aphoriſmi
Affectus præter naturam qui ſint. 28. ſexti lib. Quapropter neque de eis verba faciemus. Hos affectus ſi tanquam
dolores conſiderabis, ſymptomata eſſe haudquaquam formidabis, veluti &
reliquos dolores omnes. At ſi fluxionem inſpicias, ob quam articulationes im-
plentur, ac ea, quæ ipſis circumiacent, extenduntur, hos affectus morbos appel-
lare non inconuenit, inflammationes inquam, quemadmodum Hippocrates
nominauit, aphoriſ. 49. ſexti libri, licet impropriè, & non verè articulorum do-
lores, quicunque fuerint etiam ex fluxione orti, inflammationes appellari poſ-
ſint, vt cuilibet (quem nõ præterit inflammationis generationis modus, & qui
Galeni verba commento citati aphoriſ. 49. 6. lib. optimè perlegerit) patere po-
Cauſæ. teſt. At quicquid ſit de horum affectuũ qualitate, poſtea quàm gigni non poſ-
ſunt, niſi articulorum imbecillitas adſit, & humores ſuperabundauerint, ac ad
eos defluxerint, decens eſt annuere, ac fateri cuncta, quæ imbecillos reddere
articulos valent, ac ſuperfluitates in corpore generare, eſſe tum podagræ, tum
articularis morbi cauſas. Sunt autem hæc aut extrinſecus occurrentes, aut in-
Externæ cauſæ. ternæ. Euidentes quidem, externæ, ſeu manifeſtæ, vt nimium ocium, ſeu deſi-
dioſa vita, multorum alimentorum eſus, ſeu crapulæ, potus multorum, ac for-
tium vinorum, præcipuè cùm aliquis ea ieiunus potauerit, & in ſumma crudi-
tates, atque ebrietates, ac veneris vſus immoderatus. Incidunt autem & pleri-
que in eoſdẽ affectus, propterea quòd patres, & auos habuere podagricos, aut
arthriticos, in quibus ſemen erat vitiatum, atque ideo poſteris vehemẽtiorem
fecerunt partium imbecillitatem, vt eodem commen. aphoriſ. 28. 6. lib. à Gale.
Multò poſt medium. ſcriptum eſt: excernitur namque, Hippoc. auctore, lib. de aëre, regione, & aquis,
ſemen genitale ab omnibus corporis membris, à ſanis quidem ſanũ, & à mor-
bidis morboſum; magnam tamen vim habet ad podagræ generationem vſus
venereorũ, vt ex eodem Gal. liquet com. aphor. 30. eiuſdẽ 6. lib. Cæterùm hæc
Lib. 3. cap. 78 vitia (vt inquit Paulus) frequenter antecedit improbus labor, vehemẽs ambu-
latio, creber equitatus, intempeſtiuus vſus veneris, inſueta frigidæ potio, frigi-
dorum, vel multorũ, ac noxiorum ciborum eſus, mœrores, curę, vigilię, & reli-
quæ animi affectiones: iam aliqui (vt ipſe fatetur) prolapſu, deturbatione, vel
propulſu, luxatione, vel id genus aliis originẽ huius affectionis traxerunt. Aë-
Lib 12. c. 7. tius deambulationes concitatiores quàm pro more, & familiares exercitiones
ſuppreſſas, ac conſuetorũ exercitiorũ intermiſsiones inter vniuerſales cauſas
harum

harum affectionum connumerauit, licet ſuppreſſæ conſuetæ excretiones inter internas cauſas dinumerentur, reddúntque corpus ſuperfluitatibus plenum. Interna autem cauſa eſſe poteſt quæuis humoris redundantia, quoniam & hoc ſæpiùs diximus commune exiſtit cuiuis articulorum dolori. At externas, euidentéſque cauſas ex ægrotantium, aut aſsidentium ſermone facilè percipies. Internæ verò ex earundem propriis indiciis facilè deprehenduntur, nam affligentium humorum differentiæ tum ex coloribus, tum ſymptomatis coincidētibus, itémque per experientiam pharmacorum, quæ adhibentur, deprehendi poterunt: ad quarum etiam exactam cognitionem non parum confert, ſi prægreſſa victus ratio intelligatur, & reliqua, quæ præcedenti cap. adnotauimus. Ad vberiorem verò doctrinam hic quoque particulariter conſcribemus ſigna cuiuſlibet redundantis humoris podagram, ſeu articularem morbum efficientis. Nam ſi ſanguineus humor redundet, plenitudinem efficit, & tumorem ingentem non venarum modò, ſed totius membri affecti circa cutem, eúmque calidum quidem moderatè, ſed vehementer rubentem, pulſúſque adeſt in alto inflammationis mediocris, qui hoc modo affecti ſunt neque refrigerantia, neque calfactoria valde præſidia adhiberi ſuſtinent, & aſsiduè, ac continuè exacerbantur, quanquam & per circuitum quidam irritatione vexentur: vrinæ verò eorum fuluæ ſunt, & mediocri craſsitudine præditæ: aliquando etiā ſubſidentiam albam, aut nubem, aut tale quiddam in medio pēdens quaſi ſuſpenſum habentes: ætas ad multi ſanguinis generationem apta magis eſt, ab adoleſcentia vſque ad ætatem vigoris: edulia item boni ſucci, & quæ maximè alunt, ac exercitia moderata præceſſerunt, tempus verò anni ver, & regio temperata. Biliosam verò fluxionem, color cutis inflammati loci ſubpallidus, & ſubrubeus teſtatur, item caloris ſenſus, doloríſque lancinantis modò acris: gaudet verò caliditas hæc, quæ vehementiſsima & feruentiſsima eſt, ampliùs refrigerantibus pharmacis, qui enim ita habēt, vehemēter à refrigerantibus iuuantur medicamentis ſiue actu, ſiue potentia talia exiſtant, læduntur autem à calidis, humor in cutem ſubito ſine euidenti rumore erumpet, exacerbatione bis mouentur per tertium quenq; diem, ſubinde febris in ipſo acceſsionum ſtatu accedit, ac valida ſitis, eorum lotia ſubflaua erunt, & ſubſulua, quandoque etiam acria: curæ itém ingētés, iræ, vigiliæ, fatigationes, & vt ſummatim dicam, vniuerſa victus ratio bilem gignens, & attenuatoria ex acribus, & ſalſis edulijs huius humoris influxum præceſsit: ætas verò, & corporis temperies calida & ſicca, anni tempus æſtiuum, itémq; cōſimilis regio. At ſi pituitoſa fuerit fluxio, color exalbidus, & aquæ ſubter cutem ſimilis apparebit, ac ad digitorum appreſsionem cauus fiet tumor ſublaxus exiſtens, & moderatus: dolores autem aliquando quidem fortes, aliquando mediocres, & exacerbationes quotidie paulatim irruunt, & augentur, & per plures horas durant, & breuem intercapedinem habent, imò neque vnquam integrè remittunt, tardiùs etiam in tumorem materia ſeſe attollit, aderítque ætas ſenilis, temperamentum frigidum, & humidum, ſimilis ambientis non aëris ſtatus, & tempus hybernum, aliquando etiam & frigoris ſenſum in alto locorum affectorū ægri percipiant, vita præceſsit ocioſa, ac ſecors: hæc nanque plurimum conferunt ad pituitoſi humoris generationē, edulia etiam refrigerantis, humectantis, ac inſpiſſantis facultatis: & balnea à cibo, vrinæ craſsiſsimæ ab eis prodeunt, & ſæpe conturbatæ reperiuntur. At ſi ſalſa fuerit pituita, color, & tumor affecti membri eodē modo ſe habent, pruritus autē maximus, & mordacitas locos infeſtabit: vrinę verò tum his, tum prædictis aliquando quidem tenues, & aquoſæ, aliquando verò craſſum in eis eſt quod ſubſidet, ſúntq; conturbatę, vt diximus. Quòd ſi ex atra bile ſit fluxus (quanquā rarò id contingat) colore tumorum nigriores erunt, frigoris ſenſus quandoq; affectis aderit, & corpora in profundo velut atterantur, aut ſcalpantur, afficiuntur, circuitus exacerbationum per quartum quenque diē redeunt, ſúntque ea tum magnitudine, tum impetu mediocres: ætas verò,

Cauſæ internæ.

Si ex ſanguine fiat, ſigna.

Biliosæ fluxionis ſigna.

Signa pituitoſæ fluxionis.

Si ex atra bile ſit fluxio, ſigna.

quæ magis hunc fluxum generat; eſt vigore inclinato, & vergente, temperies frigida, & ſicca, quæ quidem ſuperfluitates natura etiam pituitoſas generat. Præcedit hunc fluxum ratio victus ex edulijs bilem atram gignentibus, & laſſitudines immodicæ, regio frigida, & ſicca, tempus autumni, & conſimilis aëris ſtatus, vrinæ vt plurimum in principio eis tenues finor, & aquoſæ, poſtea verò, quàm ſecundùm naturã, atriores, & modicè craſſæ, & quod ſubſidet in eis aliquando fuſcum, aliquando verò mixtum, ſubcruētum videlicet, & fuſcum reperitur, vt liquet ex Aetio, & Paulo. Interdum autem ex prædictorum humorum complexu flores fiunt, nam fluxus fluxui commiſcetur, vt calidus frigido, aut frigidus calido, & ſecundum eorundem qualitatem tum dolores, tum colores, ac calores, & exacerbationes erunt permixti. Verùm vbi ſic vitium hoc contrahatur ægrè dignoſci, & difficulter medicamentis elidi poteſt, vel etiam pene nullo remedio ſaneſcit, vt inquit Paulus: & hac de re podagricus morbus moleſtam, triſtémq; de ſe opinionem acquiſiuit (nempe quod nequaquam arte medica vnquam curari poſsit) propter generationis inquã varietatem, propter quam neque internoſci probè, neque abſolutam curationem conſequi potuit. Verùm ſi hæ differentiæ, ſeu ſpecies ipſius quot, & quales exiſtant, internoſcantur, faciles curatu medicis erunt, Tralliano auctore cap. primo libro 11. quanquam vbi tophi, ſeu calli appellari fuerint producti, ne ſperaueris ad priſtinam conſtitutionem exactè articulum redire poſſe, ex Galeni ſententia 10. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 2. Hipp. eunuchos podagra non laborare, neq; mulieres niſi menſes defecerint, neque pueros ante veneris congreſſum, 6. aph. ſcriptum reliquit aph. 28. 29. & 30. & codẽ lib. aph. 49. Quibuſcunq; morbi podagrici fiunt (dicebat) ij ſedata in quadraginta diebus inflammatione, finiuntur, modo (vt inquit Gale. in com.) medicus in ſuo opere non aberrauerit, & æger illi in omnibus obedierit, & apho. 55. ſic ſcriptũ ab eo eſt. Dolores podagrici vere, & autũno magna ex parte mouẽtur. Quoniam verò præcipuæ cauſæ tam podagræ, quã articularis morbi ſunt (vt prius dictum eſt ex Gale. ſententia) & articulorum imbecillitas, & redundantium humorum copia, propterea duplex etiam ſanationis ſcopus nobis præfigitur, euacuatio inquam redundantis humoris, & corroboratio debilitarum partium. Verùm quoniam tam euacuatio redundantis ſucci, quàm partium imbecillium roboratio varia exiſtit pro ratione diuerſi humoris redundantis, ea de re nos particulatim eadem conſcribemus, ab eius podagræ, ſeu articularis morbi curatione exordientes, quæ ob ſanguinis copiam ortum ducit. Eligatur igitur aër ad ſiccum vergẽs, ac etiam parum ad frigidum, ſeu in caliditate temperatum, ſomno, & vigilia vtantur moderatis, vitentque ſomnos longiores, aluum eos oportet facile ſolubilem habere, & ſi ſua ſponte talis non ſit, lenibus clyſteribus vtantur; fluxione incipiente, ac vigente quieſcant. Cùm verò inclinauerit, & reliquis temporibus exercitijs vtendum eſt pluſquam mediocribus: mœrores, & curas, ac reliquas immoderatas animi perturbationes vitent, cibos modicos, ac parum nutrientes, & leuiter quoque infrigidantes adhibere oportet: abſtineant autem ab his, qui multum nutriunt, ac copioſum ſanguinẽ gignunt, cúmq; magis adaugent. Quapropter à carne prorſus abſtinere oportet, aut ſi id fieri non poſsit, propter virium imbecillitatem, volucrum, potiſsimum montanarum caro exhibeatur: vinum etiam penitus circuncidendũ eſt, niſi corporum intemperantia, aut conſuetudo illud requirat, quo etiam vſu moderatiore vtantur. Nam multos noui (vt inquit Alex.) ex iis, qui cum vino tantum abſtinerent, non amplius morbos fuiſſe expertos, copioſum nanque vinum multo ſanguine præditis inimicũ eſt, in vicem vini aqua vtendũ, in qua præparatorum coriandrorum ſemina fuerint decocta, aut etiam cinnamomi parum. A venere abſtinendum, præſertim immoderata, nam venus omnes podagricos extremè lædit, & præſertim ſi aſsiduè, & intempeſtiuè ea vtantur, Aetio teſte cap. 20. lib. 12. quinimo nedũ ſi quis venereis vtatur immoderatis

Aet. c. 14. 15. 16. & 17.
Paul. lib. 3. cap. 78.
Prognoſtica.
Loco citato.

Curandi methodus.
6. apho. commen. 28.

Si ex ſanguinis copia excitentur, curatio.
Victus ratio.

Lib. 11. ubi agit de podagra ſanguinea.
De vino nota.

incidet in podagram,ſed crapulæ etiam,cruditates,ac ebrietates, deſidioſaque vita cuiuſlibet podagræ auctores ſunt,& morbi etiam articularis, vt liquet ex Gal.com.citati aph. 28.6.lib. Quia de re ab eiſdem cauendum erit,& bonæ coctioni,ac ſobrietati vacandum, & medіocri exercitio vti oportet eũ qui à podagra,ac morbo articulari cupit eſſe immunis. Nanque ſalubris victus caput eſt (vt inquit Hip.6.de morb.vulg.)non ſatiari cibis,& impigrum eſſe ad labores. Cæterùm in quibus ſanguineus humor redundat, neceſſariò protinus ſanguis mitti debet vbi quidem nihil prohibeat, Pauli, Aetij, ac Alex. ſententia. Verùm ſtatim cùm quis morbum ex penitiꝰ cœperit, ſanguinis miſsio erit reitetanda; id enim inter initia ſtatim factum ſæpe annuam, nonnunquam perpetuam valetudinem præſtat,Celſo auctore cap. vltimo lib.4. Qui verò iam ſæpius huiuſcemodi fluxionibus ſunt conflictati plus noxæ, quàm auxilij ex ſanguinis detractione ſentiunt, vt inquit Paulus, præſertim ſi corpore ſint imbecillo,& frigido,hac enim ratione (vt Alex.teſtatur) multos nouit,aut in totum morbo liberatos,aut rarò fluxionibus correptos,eo quòd nõ neglexerint, ſed veris ſtatim initio ſanguinem ſibi detrahi curarint non ſolum vacuandi, ſed etiam præſeruationis gratia id facientes. Neque ſemel, duntaxat, ſed iterum, atque iterum pluries vena ſecanda erit detractione ſanguinis paulatim repetita,ſecanda eſt autem vena,ex Aetij decreto, ex directo cruris fluxione infeſtati in brachio interna.Si verò hæc non appareat,media. Quòd ſi manus dextra dolore infeſtetur,venam in dextro crure ſecabis,adeò etenim magnam habet vim venæ ſectio in his,qui multo ſanguine redundant,vt nedum cùm incepit podagra,ſeu articularis morbus ægros à morbo vindicet,ſed eiſdem nondum ea laborantibus,ſed obnoxiis,ac paratis incidere,etiã ſi tribus,quatuórve annis per interualla laboraſſent, ineunte vere ſecta vena ab eadem fuerunt liberati,Gale.auctore lib.de curan.rat.per venæ ſectionem,& com.apho.47.6.lib.modo deinceps in omni victu, vitæque ratione agerent moderati. Porrò à venæ ſectione adhuc ſanguineo influente humore, quemadmodum etiam & reliquis influentibus,ſcopum afferendorum auxiliorum communi rationi influentium humorum ſubiicere oportet, ita vt repellamus, ac reſtringamus; nam manibus,& pedibus pharmacis fluxionem repellentibus vti debemus, vt liquet ex eodem Gal.10.de compoſitione medic. ſecundum locos, quanquam eadem adhibenda non ſint niſi à venæ ſectione, corpore priùs præuacuato, aliàs magni mali auctor eris.Nam quod articulis influit, ne ad principales partes recurrens ſuffocationis cauſa fiat ægro,periculúmq; mortis afferat,metuendum eſt,& ſic pro morbo mortem inducit,Alexan. & Aetio teſtibus, quinimò poſt ſanguinem detractum (niſi ſolus ille ſuperauerit) momento tẽporis interpoſito purgationem etiam molliemur,ex Pauli teſtimonio. Diuerſa autem purgatione vtendum erit pro differentia redundantis cum ſanguine humoris,harum purgationum infra mentio fiet.Poſt ſanguinis miſsionem, ac etiam purgationem vbi opus fuerit,particulis fluxione tentatis,ea adhibeantur medicamenta,quæ vim habeant id quod influit repellere, eiſdem partibus robur adiicere,ac quod in eis continetur exſiccare. Vbi verò ampliùs non influat, diſcutientia approximare oportet. Quapropter circa initia aceto veteri tenuium partium cum roſaceo eas rigare oportet, & præſertim ſi in alto hærere dolorum cauſa videatur,etenim acetum propria ſua tenuitate vſque in altum progreſſum expeditam roſaceo viam exhibet,quod natura ſua dolores lenire poteſt.At ſi in ſuperficie dolor conſiſtat per vini,& iam dicti olei vſum magnopere iuueris,æſtate quidem tepidorum, hyeme verò calidorum (vt Aetio viſum eſt.) Ex mali punici corticibus,rhu,& ſemperuiuo,vino probè decoctis, accuratéq; lænigatis,ac cum farina mixtis medicamentum commendat Alex.dit autem farina hordei, vel fabarum, poteritque adiici roſaceum, ac prædicta in poſca decoqui,præſertim ſi dolor magis in alto hæret, & calor adſit immodicus.Conducit etiam (vt eidem viſum eſt) malum punicum ipſum mediocriter

Comment.4. text.22.
Venæ ſectio.
Paul. lib. 3. cap.78. de podagra ſanguinea.
Aet. lib.12. cap. 23.
Alex. lib.11. ubi agit de podagra ſanguinea.
Loco citato.
Loco citato.
Lib.11.c.23.
Lib. de curat. rat. per venæ ſect. cap.7.
Ratio medicamentorum à venæ ſectione.
cap. 1.
Locis citatis.
Purgatio.
Loco citato.
Topica medicamenta qualia eſſe debeant.
Lib.12.c.6.
Loco citato.

decoctum, vt ſuprà, læuigatúmque affectis particulis imponere æſtate frigidum, hyeme autem tepidum. Alus quoque cataplaſmatis vtendum, quæ inflammationes lenire poſſunt citra hoc quod fluxiones prouocent, talia ſunt

Lib.12.c.26.

(vt inquit Aetius) farinæ hordei, fabarum, fœnugræci, ac cicerum tritæ vino coctæ, modica etiam aqua affuſa: quibus quoque oleum roſaceum adijci poterit: necnon & eædem farinæ in poſca, & oleo roſaceo decoctæ dolorē mitigare conſueuerunt, etiā quælibet de per ſe. Permutentur autem aſsiduè cataplaſmata, ac etiam foris contegantur ne infrigidentur. Item ex caprillo lacte, ſeu bubulo, farina hordei, vel fabarū, ſeu panis medulla, vitellis ouorum, roſaceo, pauco croco adiecto, & aceto, medicamentum fiat, etenim non parum confe rer, debet autem aſsiduè permutari. Ad hæc ex malis cotoneis vino maceratis pane permixtis, ac roſaceo cataplaſma imponatur. Ipſis verò affectis partibus neque aqua, neque aliud oleum adhibeatur, ſed ſi eas abluere oporteat, poſca

Aet.li.12.c.23

mediocriter tepefacta, aut alterius plantæ auſteræ decocto abluantur, ex Aetij præcepto. At ſi dolor adhuc remanet, præſertim ſi in alto fuerit, hoc cataplaſ-

Loco citato.

mate vtare (ex Alex. ſententia) folijs braſsicæ coctis, læuigatíſque diligenter fæcem aceti, quorum crudorū lutea duo, & roſacei paulum adijcito, ac mixta omnia ſimul, læuigatáq; inducito cōtinuè immutās medicamentū, & vehemen-

Si ex biliofa fluxione fiat podagra, aut Arthritis, curatio.

tes dolores multū lenies, vt ipſe inquit. Si verò articularis, ſeu podagricus dolor ob biliofi humoris influxum proritetur, victus ratio refrigerans, humidáque præcipiatur, & vitanda ſunt omnia calfacientia, & quæ pallidam, ſeu flauam bilem generare valent, ex Pauli, & Alex. monumētis. Talis itaque quali-

Victus ratio.
Pau. li.3.c.78
De podagra biliofa. & Alex. li.11.c.1.
De podagra biliofa.
Loco citato.

tatis aër eligatur, paulò tamen ad humidū vergat, ne fluxiones proritet: quies, & ſomnus eligantur; labor, & veneris vſus intercidantur, pariter & vigiliæ immodicæ, aluus quotidie ſuo munere fungatur, aliàs leui clyſtere eluatur, ab ira, & furore, ac inedia arceantur: cibis autem vtantur ptiſana, & eius cremore, ex oleribus lactuca, intubo, malua, interim quoque blito, & ſoncho, ex auibus gallinis, perdicibus, merulis, turdis, aliíſque montanis paſſerculis, ex piſcibus ſaxatiles, & erinacei conueniunt, ex fructibus patum adſtringentes guſtare conuenit, vt mala, ſorba, pyra, mala punica, & reliquos huiuſmodi, ex bellarijs caſtaneas commendat Alexander. Crapulæ (vt dictum eſt) & nimiæ ciborum repletiones vitentur. Potus ſit aqua hordei, aut in qua ſemina coriandrorum præparatorum fuerint decocta: vitandúmque omnino vinum eſt, præſertim vetus, fuluum, aut nigrum. Cæterùm circa initia confeſtim tentandum

Medicamentorum ratio, Vomitus.
Lib.12. c.28.
Loco citato.

eſt noxium humorem vacuare tum per vomitum, tum etiam per inferiorem ventrem, vt Aetio viſum eſt. Vomitus per aquam tepidam aſſumptam fiat exiguo aceto, aut ſyru. acetoſo permixto. Purgatio autem non prius exhibeatur (ex Alexandri decreto) quàm acrimoniam humoris, ac potionem humectaris, ac contemperaueris. In quem vſum ſyr. è ſucco cichorij, ex ſucco, ſeu infuſione roſatum, & reliqui ſexcenties in præcedentibus conſcripti præbeantur, à quibus eos confidenter purgabis nedum ſemel, ſed ſæpius ſi res poſtulabit, ita

Ibidem.
Purgatio.

nanque (vt refert Alex.) à recrementis, & fluxionibus tutos ſeruare poteris, ſi materiam ſuperantē non vniuerſam, ſed per vices ſubtrahere ſemper coneris. Sit autem medicamentum ſimplicius, ac familiarius quoad fieri poſsit, quod non multū calidum exiſtat bilem ducens cum facilitate, veluti eſt caſsia fiſtula, mel aëreum, ſaccharum violaceū, ſyr. ex pluribus infuſionibus roſarum, & reliqua huiuſmodi. Poteris autē hunc in modum purgans medicamentum cōponere, Recipe mellis aërei vnc.ij. ſeu pulpæ caſsiæ fiſtulæ vnc.j.s. ſiue ſacchari violacei vnc.ij.s. aut ſyr. ex pluribus infuſionibus roſarū vnc.4. diacath. vnc.s. cū aqua cichorij fiat potio, & vbi hoc nō ſuffecerit, ſed iterata purgatione indigebis, paretur decoctū, ſeu infuſio ex drac.3. myrobalanorū citrinarū in aqua cichorij, aut endiuiæ, ſeu aqua lactis, cui drac.j. rhabarbari, vnc. ā. mellis aërei, aut iij. ſyr. ex pluribus infuſionibus roſarū adijciātur, & vnc.s. diacath. aut drac. 2. eclegmatis roſacei, & fiat potio. Quòd ſi adhuc vlteriori purgatione ægri in-

digeant, eandem, aut ſimilem potionem repetas poſt aliquot dies, aut ex ℨ.j. rhabarbari, & drac. ſ. agarici, & ſcrup. ij. corticum myrobalanorũ citrinorum, ſeu trochiſcorum eorũdem catapotia formato, poſt quæ vnc. i. mellis aërei, aut iij. ſyr. ex pluribus infuſionibus roſarum rubearum abſorbeant ægrotantes. Clyſteribus item lenientibus hoc tempore ſæpiùs vtare, & vbi bilis defluens ſanguini permixta fuerit, non erit abſonum reuulſionis gratia in principio ante purgationem venam ſecare ſeruata rectitudine, vt diximus, aliis conſentientibus pauca ſanguinis copia emiſſa, à qua eadem bile præparata, contemperata, & concocta tutius purgans medicamentum exhibebis, deinceps ad topica medicamenta te conuertas, expedit enim affectas partes à principio vſque ad vigorem refrigerare, & corroborare, ac mitigare, ne propter immodicum ardorem, ac dolorem magis fluxionibus tententur, vt liquet ex Aëtio, & Alexan. Ad hoc autem præſtantiſsimum eſt roſaceum, ſi ouorum lutea præſertim ei admiſceas, vini etiam, aut aceti momento addito, ex eiuſdem Alexandri, & Pauli teſtimonio. Herbæ etiam admoueantur, quæ infrigidandi, & adſtringendi vim habent per ſe læuigatæ præſertim virides, veluti ſunt ſemperuiuum, lactuca, ſolanum, portulaca, lenticula paluſtris, ſeris, polygonum, roſarum folia, rumex acutus, atriplex, plantago, blitum, vmbilicus veneris, violarum flores, & reliqua huiuſmodi. Hæc etenim dolores, qui in acceſsionibus fiunt abundè lenire poſſunt, adhuc etiam magis ſi paucæ farinæ hordeaceæ, vel vnum ex prædictis, vel duo admiſceas, & ne ſiccescat medicamentum, vtile eſt etiam roſaceum cataplaſmati adiicere. Frigida autem cataplaſmata admoueantur, mutenturque crebriùs, & nunc hæc, nunc micæ panis poſca imbutæ adhibeantur, vel hordeacea farina cum roſaceo accommodetur, vt Paulo viſum eſt. At ſi ſemen pſyllij in aqua feruenti maceretur, & diligenter ſubigatur, viſcoſumque fiat, & hordeaceæ farinæ permiſceatur, mirabiliter dolores mitigabit, feruorem, & ardorem doloris extinguet, & affecta loca ad temperiem bonam reducet, vt liquet ex Alexand. Aëtio, & Paulo. Optimum autem pharmacum dicebat eſſe idem Aëtius ex roſaceo, & betæ ſucco compoſitum, vidit etiam (vt ipſe teſtatur) quendam hac affectione occupatum, qui immiſsis in frigidam aquam pedibus, & aliquandiu in ea detentis præclaram opem tulit. Vbi verò adeò magnus dolor vrgeat, vt laborans eum ferre nequeat, eis quæ torporem inducunt, medicamentis, vtendum eſt, ex dictorum auctorum monumentis, quãquam eorum liberalior vſus cauendus ſit, neque diutiùs eiſdem inſiſtendum, quàm vt doloris vehementiam duntaxat lenierint, & deinceps prorſus auferre, vbi feruor doloris finierit, aliàs magis offendent, quam iuuabunt, conſtringere etenim inſertum humorem ſic vt in trophaceam duritiem occalleſcat, & languidum ſenſum, diuturnaſque motus difficultates parient. Verùm vbi ſedatus fuerit dolor, confeſtim partes reſouendæ erũt per ea quæ calefaciunt medicamenta. In hunc itaque vſum cicutæ, papaueris, hyoſcyami, ſeu mandragoræ folia adhibeantur, vel eadem folia contuſa, ac læuigata cum ouorum luteis, ac roſaceo permixta accommodentur. Similis quoque efficaciæ erit hoc medicamentum Pauli, Recipe micam panis aqua maceratam, vel poſca imbutam cum ſucco ſemperuiui, vel portulacæ, vel ſolani, vel palmularum carne, & papaueris ſemine pari portione, adiicias ouorum toſtorum lutea, ac roſaceum, & affectas partes delinias. Galenus 10. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, hoc medicamentum ex Aſclepiade commendauit, Recipe ſucci papaueris drac. iij. poteris drac. ij. aſſumere, croci drac. j. cum lacte bubulo, aut caprillo terito, ac adiecto pane interno diligenter læuigato, vt molle cataplaſma fiat, & roſaceo admoto mollito, ac vtitor, forinſecus betæ, ac lactucæ foliis cuſtodiendi eius gratia impoſitis. Item opium, & crocum cum lacte cerato roſaceo excipiebat, & linteolo infarcta imponebat. Poſt anodynorum vſum thymi, origani, calaminthæ, ſatureiæ, ſaluiæ, & ſimilium decocto in aqua, aut vino, vt videbitur, loci calefaciendi ſunt. Adiuuare etiam oportet ſudorum excluſionem corpus calfaciendo, & fricando,

Clyſteres. *Venæ ſectio.* *Topica.* *Locis citatis.* *Anodyna.* *cap. 3*

ita tamen ne affectos locos contingamus, vt Aëtius refert, & præbenda quoque
Lib.12.c.32 ſunt ea, quæ vrinam cient, talia etenim bilem per lotium euacuare conſueue-
runt, vt ipſe aſſerit. Doloribus quoque valdè infeſtantibus, ea quæ ſomnum
conciliant, exhibeantur, veluti eſt lactucæ, & papaueris ſemen tum in cibo, tum
in potu, ſimiliter & ſyr. de papauere poſt cibum, hæc autem poſt corporis eua-
Loco citato. cuationem exhibeantur, ex ſententia eiuſdem Aëtij. At ſi is qui influit humor
Si pituitoſus pituitoſus fuerit, eligatur aër calidus, & ſiccus, ſomnus moderatus, nam & mo-
influat humor deratæ etiam vigiliæ conferunt: circa fluxionis initia quies, poſtea exercitium
curatio. valde conducit, alui excrementa quotidie natura, vel arte excernantur, adhi-
Victus ratio. bitis nedum lenibus, ſed efficacioribus quoque clyſteribus. Inedia quoque, &
fame vtendum eſt ad plures dies, nam pituitoſa natura eam bene tolerare po-
teſt, vt inquit Aëtius, libro duodecimo, cap. trigeſimotertio, corporibus etenim
carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit: fames nanque corpora
exſiccat, Hippocr. auctore aphoriſ. 59. 7. libri. Deinceps aut vt inediam ferre
Locis citatis. non valeant cibi tribuantur qui parum nutriant, extenuent, ac ſiccent, ex eiuſ-
dem Aëtij, & Pauli teſtimonio, veluti eſt oryzæ ſuccus, paſſerculi montani aſſa-
ti, nuces iuglandes, piſtachiæ, vuæ paſſæ, & cappares ex aceto mulſo: quan-
doque etiam vti poterunt paruis piſciculis in petroſis aquis coalitis, aſſis, aut eli-
xatis adiectis quibuſdam herbis extenuantibus, vt fœniculo, hyſſopo, ſatureia,
ſampſucho, pulegio, ſerpillo, & reliquis huiuſmodi. Ab aliis carnibus, & legu-
minibus, fugacibus fructibus, reliquiſque refrigerantibus, ac copioſiore vino,
præſertim nigro abſtinendum, verùm quàm minimum vinum interualli tempo-
re tenue, fuluum, & vetus præbeatur, vt refert Aëtius, lib. duodecimo, cap. trige-
Loco citato. ſimotertio, quanquam ſi fieri poſsit etiam ex toto vinum circuncidendum ſit.
Plurimos ſiquidẽ noui (inquit Paulus) qui prorſus abſtemij omnes ſanitatẽ con-
ſequuti ſunt, alij ſiquidem per morbi initia omnino liberati ſunt, alij in poſterum
rariùs, & minori dolore acceſsiones perceperunt. Quapropter niſi quid obſtet,
aut futuri inde aliquid metuant mali, perpetuam vitam agent abſtemiam. Inui-
cem verò vini decocto, aniſi, aut alicuius conſimilis ſeminis vtantur, ſi Paulo cre-
dendum eſt. Poterunt item cinnamomi, aut caryophyllorum decocto, ſeu aqua
mulſa vti. Cæterùm ſi qui defluit humor, non modo pituitoſus fuerit, ſed ſimul
Venæ ſectio. cum ſanguine redundans appareat, vena ſecãda erit priùs, deinde viribus recrea-
tis, ad medicamentum purgans veniendum eſt, ex Alex teſtimonio, ſaltem reuul-
ſionis gratia aliis conſentientibus: neque Paulus hoc negauit, quoniam magis pi-
Lib. 11. cap. 1. ubi de poda- tuitoſis ipſam prohibere noluit, neque magis etiam melancholicis, verùm ea ſta-
gra pituitoſa tim tentanda erit, cùm quis morbum experiri cœperit, nec multa ſanguinis copia
agit. extrahenda, ne plus noxæ, quàm auxilij ex ſanguinis detractione conſequatur.
Medicamento A venæ ſectione, aut vbi pituitoſus ſuccus citra ſanguinis permixtionem redun-
rum ratio. darit, ac fluxerit, à pituitæ vacuatione principium curationis ſumere oportet,
Vomitus. vt inquit Aëtius, lib. duodecimo, cap. 33. Euacuatur autem humor pituitoſus per
vomitus quidem nihilominus, & infernè per ventrem. Vtilis eſt autem in hac af-
fectione per inferna purgatio ſiue iuxta manus, ſiue iuxta pedes hæreat morbus,
& multo adhuc magis, ſi iuxta omnes corporis articulos fluxus fuerit diſperſus:
Purgatio. familiarior etenim pituitæ via, & minùs periculoſa per inteſtina exiſtit. Si enim
in ſuperiorem ventrem violenter attracta non euacuetur, periculum inducit, vt
Loco citato. teſtatur idem Aëtius. Tutius itaque eſt vt ad infernam excretionem pituita, du-
catur, paulatim tamen, & per vices, nam neque craſsiora recrementa vniuerſa, &
Loco citato. vice vna extrahi poſſunt, vt inquit Alex. Verùm ante purgantium medicamen-
torum exhibitionem ea tribuenda ſunt, quæ vim habeant extenuandi, ac inci-
dendi, namq; ſic præparati pituitoſi ſucci ad purgationem magis idonei reddun-
tur, præparentur autem melle roſaceo, ſyr. ex ſtœchade, oxymelite ſimplici, aut
etiã ſcillino pauco adiecto ſyr. ex ſucco boraginis, aut de infuſione roſarum: qui-
bus iam præparatis purgans medicamentum præbeatur tale, Recipe myrobala-
norum chebularum ℥.iij. agarici ℥.j. s. fiat decoctum, in quo per colum transfuſo

diſſol

diſſolue ſyr. ex pluribus infuſionibus roſarum rubearum, vel perſicarum vnc. 3. confectionis de dactylis drach. 2. aut diacarth. vnc. ſ. fiat potus, vel drac. ſ. pilularum è ſagapeno, ſeu fœtidarum recipe, & alteram agarici trochiſcati, & cum ſyr. de ſtœchade, aut oxymelite catapotia formato, poſt quorum aſſumptionẽ decoctum drac. 2. corticum myrobalanorum chebularum abſorbeant, in quo vnc. 4. vel 3. ſyr. ex pluribus infuſionibus roſarum rubearũ ſint diſſolutæ. Hæc non ſemel duntaxat, ſed bis, & ſæpius, vt diximus (vbi vſus vrgoar) repetenda ſunt. Noſtris temporibus vniuerſus ferè medicorum cœtus ex quadam praua conſuetudine, ſeu abuſu ductos oedum in articulorum doloribus, ſeu podagra ex pituita ortis, ſed in omnibus ex quacunque cauſa fuerint geniti, hermodactylis aluum purgatione ſollicitant: quandoque etiam catapotiis de hermodactylis à Meſue, ſeu Raze compoſitis vtuntur, verùm ipſe penitus abſtinendum eſſe conſulo ab hermodactylorum vſu. Nam quo ſeplaſiarij hodie pro hermodactylo vtuntur, non eſt hermodactylus, ſed bulbus quidam à Græcis κολχικὸν appellatum, huic enim omnibus numeris arridet, vt liquet ex Dioſcoride cap. proprio, quod quidem in cibo ſumptum (vt ipſe inquit) fungorum modo enecat. Si contingat ipſum exhibitum non enecare, eius exiguæ quãtitati, quæ offertur, aſcribendum erit: nec propterea negandum eſt quod ſuaptè natura enecet, & ſi non ſuffocat propter eius exiguam quantitatem, ſaltem magnum infert corporibus detrimentum, quemadmodum ſæpius experiẽtia etiam obſeruatum eſt. At eſto quòd ſit hermodactylus (quod negatur) adhuc ab eo abſtinendum erit, niſi valde robuſtis corporibus tribueretur. Nam etiam verus hermodactylus ſtomacho faceſsit negocium, cibi faſtidium ex repletione, & ventriculi redundantia mouens, cùm eiſdem ſit inimicus, & nimis aduerſetur, Paulo autore cap. de podagra, & cap. de hermodactylo. Quapropter reliquis vtendum è purgantibus medicamentis tanquam tutioribus exiſtentibus, hermodactylo, ſeu eorum catapotia omnino vitantes. Atqui ſi euacuatio per purgationes ob aliquam cauſam fieri non poſsit, tum inedia, & fame vtendum eſt ad plures dies, tum etiam frictionibus diſcuſſoriis, efficacioribus clyſteribus, & pharmacis vrinam cientibus, Aëtio teſte. Poſt purgationes antidota etiam nonnulla exhibere cõuenit, præſertim his, qui natura pituitoſi ſunt, veluti theriacam, mithridatum, ac diacorallium dictum, quod omnium ſecuriſsimum, longóque vſu probatiſsimum eſt, ex Alexan. & Pauli teſtimonio, cuius deſcriptionem apud eoſdem perlegas. Partibus verò affectis medicamina imponenda ſunt, quæ vim habeant leniendi, diſcutiendi, atque adſtringendi, præſertim circa initia. Iam deinceps omiſsis adſtringentibus diſcutientibus magis, ac exſiccantibus vtendum. Imponantur itaque terebynthi folia viridia, & tenera cum adipe ſuillo recenti, & roſaceo modica cera adiecta: apta etiam ſunt cupreſsi folia, & pilulæ vino cocta: necnon & cyperi radices, vt rhamni folia, vt inquit Aëtius. Verùm cum foliis, aut pilulis cupreſsi, cyperíque radicibus, aut rhamni foliis, poteris tu adipem, ſuillum recentem, ac roſaceum, & modicam ceram admiſcere, & vbi mediocris dolor affuerit, braſsicæ folia conferunt, ſi cõciſa obducantur, ſimiliter apij, aut conizæ, ex Alex. & Pauli auctoritate. Sin autem dolor vehemens ortus fuerit, cataplaſmatis mitigantibus vti oportet, qualia ſunt quæ ex farina fœnugræci, ſeminis lini, cicerum, & loliacea conſtant ex aqua mulſa, aut vino tenui decoctis, modico oleo nardino adiecto, itẽ cinis crematæ radicis braſsicæ, eiúſque coliculorum cum axungia illitus multis fuit præſidio, vt ininx Paulus, ſed finiendis doloribus recens adhibenda eſt axungia, diſcutiendo autem humori vetus ſalſa auxiliatur. Bubulum quoque ſtercus cum hordeacea farina in aqua mulſa coctum prodeſt, vel per ſe recens, & liquidum, vel ex foliis braſsicæ, ſimiliter caprillus fimus per ſe, aut cum hordeacea farina coctus in poſca, eodem Paulo teſte. Manſuetiſsimum autem remedium eſt (vt Aëtius refert) poſt principium, etenim leuiter diſcutit, & exſiccat, ſi althææ folia cocta elita, tum per ſe, tum cum polline, ſeu hordeacea fari-

De hermodactylo quid ſentiendum.

Lib. 4. ca. 72

Lib. 3. cap. 78 & lib. 7. ca. 3

Quæ à purgatione tribuenda ſint.

Topica.

na imponantur. Eundem etiam, præſtant vſum radices eius coctæ in aqua mulſæ tritæ, vt idem Aetius fatetur, amaraci item coma, artemiſia, abrotoni folia, pulegium, ſampſuccus, braſsica, ſerpillum, fœniculum, ſiſymbrium, mentha, ac reliqua huiuſmodi per ſe ſingula cum pane, ſeu farina fœnugræci, erui, aut lolij, ac recenti adipe ſuillo, oleóque irino, ſeu nardino pro cataplaſmate imponuntur. At ſi nihil hiſce cataplaſmatis leniantur, fotibus, ſeu liquoribus torrentis tru al‹…›aco proiectis certandum erit: fiunt autem hi chamæmeli, meliloti, fœnugræci, aut centaurij decocto. Nonnullis etiam capparis decoctum abunde fuit auxilij. Verùm quod infra ſcribitur omnibus præſtat efficacia, vt liquet ex Alexan. & Paulo, Thymum, origanum, ſatureiam, & calamintham in aceto acerrimo decoquito, & vbi herbæ probè fuerint decoctæ, tunc eodem aceto adhuc calido affectas partes non modo ſemel, aut iterum, ſed ſæpiùs, & frequenter ſuperinfundito, ſeu foueto. Hoc præſidiò (vt ipſi fatentur) permulti priſtinam valetudinem recuperarunt, quibus non pituita ſolum, ſed etiam flaua bilis fuit infeſta. Vbi verò per iam dicta cataplaſmata, aut ſuperinfuſiones, ſeu fotus dolor moderatior euaſerit, eis vtendum eſt medicamentis, quæ non ſolum ſummam cutem infeſtantia, ſed etiam in alto fixa calfacere, & diſcutere queant, Alexandro auctore. Componatur autem hunc in vſum hoc medicamentum, Recipe adipis ſuilli veteris, & butyri, cuiuſlibet vnc. j. olei veteris, vel nardini vnc. ij. cremoris ſeminis lini, & fœnugræci, ſingul. drac. 4. ammoniaci, & galbani in aceto macerati ana drac. 3 croci drac. s. ceræ quantū ſatis ſit fiat ceratum. Item & hoc admirandum eſt pharmacum, Recipe caſtorei, thuri ana drac. j. s medullæ ceruinæ, & adipis anſeris ana drac. 3. olei anethini, & nardini ana vnc. ij. s. bdellij, & galbani in aceto diſſoluti ana drac 4. farinæ ſeminis lini, & fœnugræci ana drac. 3. s. cum cera quantum ſatis ſit, fiat medicamentū Hoc etiam vtare tanquā magnopere conferente. Recipe ſucci radicis ebuli drac. 3 reſinæ pinus & terebinthinæ ana drac. 4. olei vulpini, & chamæmeli ana vnc. ij. cremoris ſeminis althææ, ſeminis lini, & fœnugræci, cuiuſlibet drac. ij. s. opopanacis ſagapeni, & ammoniaci diſſoluti in aceto ana vnc. s. croci drac. j. cum cera quantū ſatis ſit, & adipis ſuilli vnc. j. fiat ceratū. Admirand quoq; iis pharmacum eſt, quod ex croco cōſtat ab Aetio deſcriptum cap. 26 lib. 12. Hoc etiam tempore naturalia balnea diſcutiendi, ac exſiccandi vi prędita conferūt, quemadmodum puteolis eſt balneum, quod vulgus appellat (Sou ne homini) quidam aqua marina, lixiuio, vel vino adſtringenti affectos articulos lauant poſt inflammationum remiſsionem, nonnulláſque in eiſdem, at etiam aqua decoquunt diſcutientes, ac exſiccantes herbas, & laconicum balneum parant, quo non inutiliter vtuntur. Si verò ex atræ bilis influxu laborabunt, quanquam hoc raro accidat, & ipſi quoque omnino vniuerſa vacuatione indigent, protinus quidem venæ ſectione, quoniam & in his humor, quemadmodum & in magis pituitoſis, quàm maximè in venis continetur, quantitate magis quàm qualitate peccans, ex Pauli ſententia. Verùm ſtatim in morbi principio vena ſecanda erit. Nam ſi ſæpius fuerint à fluxione comprehenſi, offenduntur magis à ſanguinis vacuatione, quàm iuuantur, præſertim quibus natura frigidius, aut imbecillius eſt corpus, vt ipſe inquit. Aetius verò quandoque venæ ſectione, interim purgatione, & interdum vtriſque eos indigere fatetur cap. 34. eiuſdem lib. 12. Nam quando ad ſanguinem declinant atra bile infectum, venæ ſectione opus habent: quando verò ad atram vergunt bilem, euacuatione per ea quæ ipſam repurgant. Si verò hæc ambo ſimul per totum hominem redundarint, priùs venam ſecare, deinde purgare cogimur, vt ipſe aſſerit. At quoniam ſæpiùs in venis continetur totius corporis cum ſanguine permixta atra bilis, quibus ex eius fluxione podagra excitatur, ſeu articularis morbus, propterea ſaltem reuulſionis gratia in morbi initio vena ſecetur; ac deinceps concocto, ac præparato humore purgetur aliquo medicamento purgante eorum, quæ capite de melancholia conſcripſimus, & medicamentis

Si ex atrabile fluxio fiat, curatio.

Venæ ſectio.

Purgatio.

vtare

vtare in eodem principio ſuper affectas partes repulſoriis, & ſenſim ſimul calfacientibus, veluti ſunt iam dicta terebinthi, ac cupreſsi folia, cyperíque radices, & reliqua huiuſmodi. At poſt principium his, quæ ſenſim calfacere, & attenuare, ac diſcutere poſſunt vtemur, ex ſententia eiuſdem Aetij, cuius farinæ ſunt lauri folia mollia, paſtinacæ, caucallidis, conizæ, braſsicæ, iridis, ocymi, naſturtij, & reliquorum innumerorum: admiſcenda autem ſunt hæc pani, aut cuipiam ex prædictis iam ſæpe fatinis, adipi anſerino, aut gallinaceo, butyróque, & œſypo, quo leniora reddantur, potiſsimùm in mollibus, ac humectis corporibus, vt patet ex eodem auctore. Reliquis quoque medicamentis ſupra relatis poſt huiuſmodi pharmacorum impoſitionem (vbi ea non ſuffecerint) vti conuenit. At in quibus obſcura fuerit podagræ origo, hæc ſemel experiri abundè fuerit, & modo ad conſimilia tranſgrediendum eſt, modo contrariis pugnandum, neque tamen eiſdem diutius immorari cõſilium eſt, ſi nullum ex eis iuuamentum perceperint. Hæc quotidie in artis operibus fieri videmus, vt idem medicamentum vni articulo profuerit, alteri in eodem ægrotante inflammationem excitarit: quinetiam non modo non opituletur, ſed confeſtim (quod maxime mirum eſt) offenderit: quippe vnus, idémque articulus ſæpe ex eodem remedio nunciuuabitur, paulo poſt eiuſdem appoſitu inflãmationem concipiet, vt liquet ex Paulo. Quoniam verò & tophi etiam in articulis quandoque gigni conſueuerunt modo ob humoris, qui ad eos decubuit, craſsitiem, terreſtrémque duritiem, modo propter immoderatum diſcutientiũm, reſiccantiúmque medicamentorum vſum, ſine eorũ mixtura, quæ emolliendi virtute pollent; propterea pro eorum curatione (ſi curari poterunt) ea conuenien tiora ſunt, quæ emollientem naturam ſortiuntur, velut ſunt adeps ſuillus, caprillus, vitulinus, anſerinus, & medulla, præſertim ceruina, althæa bis cocta, & reliqua huiuſmodi. Interim autem digerentibus, ac diſcutiẽtibus vtare, quemadmodum cap. de lienis ſcirrho docuimus. Propriè autem facit vetuſtiſsimus, acerrimúſque caſeus cum ſuillæ carnis præpinguis, ac veteris decocto contritus, & ſuperimpoſitus, ex omnium ferè medicorum Græcorum conſenſu. Liquet itaque ex his ſimplicium fluxionum articularem morbum, ſeu podagram generantium curatio. Qua de re nulla amplius difficultas aderit etiam mixtarum curam inuenire. Satis enim manifeſtum eſt quod ad humorum complexum, cõſequenter etiam curationes oportet mixtas eſſe. Cognitiones etiam mixtarum fluxionum ex prædictis ſimplicibus affectionibus ſunt ſumendæ, & propterea iure eas prætermiſimus.

Topica.

Lib. 12. c. 34.

Si obſcura fuerit podagræ origo.

Tophorum curatio.

FINIS.

DE MEDENDIS FEBRIBVS ARS MEDICA,

DONATO ANTONIO AB ALTOMARI MEDICO, AC PHILOSOPHO NEAPOLITANO, AVCTORE.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO HIERONYMO CARDINALI SERIPANDO

DONATVS ANTONIVS ALTIMARVS S.

CVM de medendis febribus artem medicam hoc tempore ſcripſiſſem, cui eam potiſſimùm mitterem, dum cogitarem, præter te, occurrebat nemo: Tibi enim pluribus de cauſis me deuinctum eſſe ſentio, tum quòd fidem meam, cæteraq; mea officia in valetudine tua, tibi homini gratiſſimo ſemper grata fuiſſe apertiſſimè cognoui, tum quòd in fratrẽ meum magna abs te collata eſſe beneficia perſpexi: & quem in dies maiora, & plura accepturum eſſe non dubitabam, ni cita eum mors rapuiſſet. Huc accedit virtutis & ingenij tui ab ineunte ætate ſpecimen, & eximius ſplendor, & in bonas artes amor ardentiſſimus. Quibus effectũ eſt vt tui ſemper ſtudioſiſſimus fuerim: Nam vt omnes prædicant, cùm publicè orantem audires Egidiũ, maxima eius doctrina, ſummíſq; laudibus quibus efferebatur, accenſus (hoc enim modo Deus Opt. Max. te ſolicitauit, vt Themiſtoclem Milciadis trophæa) Auguſtini religionem ſuſcipere, eúmq; audire voluiſti: vbi quid, & quàm breui in philoſophia, ac Theologia, cæterarúmq; bonarum artium ſtudijs profeceris, Conciones tuæ, in ampliſſimis Italiæ vrbibus, maximo omnium plauſu, atq; approbatione habitæ, declarant: & præſertim Caroli 5. Imp. ſtudium, qui te vnum Neapoli orantem, & ſæpe audiuit, & admiratus eſt. Auguſtiniana Religioni poſtea præpoſitus, totam ferè Europam per triennium peragraſti, vt eius ordinis viros in optimum Chriſti ſtatum confirmares: vbi quantum elaboraris, & quantum tua virtus profecerit, teſtes ſunt qui affuerunt, ac locupletiſs. teſtis eſt Deus Opt. Max. Quare illud omnes aſſerunt diſiunctiſſimas terras non citius cuiuſquã paſſibus circui potuiſſe, quàm tuis, non dicam curſibus, at virtutibus, optimíſq; inſtitutis illuſtratæ ſunt: Quæ quidem ita magna eſſe fateor, vt ea vix cuiuſquam mens, aut cogitatio capere poſſet. Sunt tamen & illa maiora, animum vincere, omni gloriæ cupiditate, atq; ambitione carere: poſt enim illa, eam dignitatem omnibus inuitis depoſuiſti, vt ſtudijs te totum traderes, Aquilenſem præfecturam à Carolo delatam, renuiſti, vehementer eum rogans ne id muneris tibi delegaret, tum ne ſtudia relaxares, tum vel ma-

ximè

ximè quòd temperaturæ, ætati ac propriæ ſanitati cælum repugnaret. Interim ſatis longo interuallo ad Carolum miſſus es, qui cum magnis de rebus ageres, inter tot præclariſſ. viros, tu vnus ea legatione dignus, ab omnibus tuis ciuibus iudicatus es: quod onus libentiſſimè ſuſcepiſti, vt patriæ parem gratiam referres, & cui te plurimum debere non ignorabas, ei nulla in re defuiſſe viderere. qua in legatione, & patriæ omni pietate, & cæteris huius Regni ciuibus omni officio ſatisfeciſti, dum totius legationis rationem redderes, Salerníque præſul ab eodem (cùm maximè recuſares) creatus es, vbi animi tui integritatē, pietatē, ac ſingularē cōtinentiam, inter cæteras eximias virtutes oſtendiſti; nunquā enim tanquā bonus paſtor gregem tuum dereliquiſti: at contra plerique quadam gloriæ cupiditate adducti facere ſolent Quo quidem tempore, cùm tuam cæterarum rerum incredibilem ſapientiam, vitámque honeſtiſſimè anteactam Pius III. Pont. Max. audiret, non modò te in Cardinalium numerum aſciſcere voluit, ſed cùm falſa religio totum ferè orbem vana ſuperſtitione repleuiſſet, tua integritate, & doctrina confiſus, (nouerat enim te Fidei, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ acerrimum defenſorem) ad Tridentinum Concilium, maximis de rebus acturum, vnà cum cæteris tui ordinis præclariſſimis viris ſanctiſſimíſque Apoſtolis delegauit. Quapropter effectum eſt Sacratiſſ. Antiſtes, vt lucubrationes meas tibi potiſſimùm nuncuparem. At quid medicæ artis regulæ cùm viro ſacræ Theologiæ ſtudijs dedito? Non ignorabam te virum doctiſſimum omnium bonarum artium ſtudijs delectari, illíſque præſertim, quæ & animæ & corporis curam gerunt: exiſtimaui præterea, præter te fore neminem, qui hoc munuſculū animo ſuſciperet alacriori: quod qualecunque ſit, tibi gratiſſimum fore arbitror, tum ob ſingularem tuam in me beneuolentiam, tum ob incredibilem humanitatē, quæ literis, quamuis hac ætate ſpretis, viciſſim & delectetur, & afficiatur, harúmq; cultores & plurimi faciat, & quod poteſt benignè adiuuet atque euehat. Quamobrem præclarè mecum actum eſſe arbitror, quod hoc facultatis noſtræ documentum, nominis tui velamine quodam, quaſi amuleto ab omni, aut carie vetuſtatis, aut etiam liuore, aut obtrectatione tutum poſteritatis memoriæ commendaretur. Nam quo illud ſplendidiore titulo, aut qua grauiori nominis auctoritate inſcribi potuit, quàm eius, qui tanquam fulgentiſſ ſydus inter noſtræ imbecillitatis tenebras eluceſcit? Munus igitur tuæ pietati inſcriptum ea benignitate proſequere, qua eui ſtūdioſorum munera ſoles, donantis ſemper attendens animum. Quòd ſi tibi, vt ſpero, & opto, gratum eſſe accepero, non tam præclare cum eo actum eſſe, quàm aliqua ex parte ſatis meo officio factum eſſe putabo. Vale.

DE MEDENDIS FEBRIBVS ARS MEDICA.

PROOEMIVM.

Duo in arte neceſſaria, methodus vniuerſalium, & exercitatio in particularibus.

CVM non liceat vllius artis ſcientiam nanciſci, niſi & quandam methodum habueris, per vniuerſalia vocata theoremata, & in particularibus te exemplis exercueris: ob id nos artem medendi febres volentes inſtituere, duobus his, veluti cruribus, ſeu inſtrumentis tanquam omnino neceſſarijs ad eiuſdem artis ſcientiam adipiſcendam vti propoſuimus. Verùm cùm in vniuerſalibus methodus, in particularibus exercitatio conſiſtat, Galeno au-

Cap. 6.

ctore 9. metho. medendi, ab vniuerſalibus initium ſumens, methodum primò condere decreui: ad particularia deinceps progrediẽs, quomodo exercitatio in earum ſingulis curandis probè procedere debeat, ſcribere non recuſabo. Nam neque vniuerſalis methodus ſine exercitatione multa in ſingu-

Cap. 2.

laribus, artificem bonum efficere poteſt: vt liquet 9. de Hippocratis & Platonis decretis. At cùm ab vniuerſali methodo ad omnium particularium exercitationẽ tranſire nõ liceat, niſi & particularis ratio habeatur earum,

Summa totius operis diuiſio.

quæ particulares ſunt febrium differentiarum, ob id viſum eſt vniuerſum hoc opus in tres partes diſſecare. In quarum prima, vniuerſalis continetur methodus dignoſcendi, ac curandi omnes primas ac vniuerſales febriũ differentias. Secunda docebit modum inueniendi, ac curandi febrium particulares omnium differentias, vtiles primis illis vniuerſalibus ſubdiuiſis: ſpeciatimque in ea omnium, quæ ex putredine excitantur febrium, particulares differentias, ac generationis modum, tam intermittentium, quàm continuarum, explicabimus. In tertia ad exercitationem particularium accedemus. Nec non pro totius operis complemento, breuem de peſtilenti febre tractatum abſoluemus.

DONATI ANTONII AB ALTOMARI, ARTIS MEDICAE DE MEDENDIS FEBRIBVS,

PARS PRIMA.

Qua via vtendum hac in methodo conſtituenda. Capue I.

SED quoniam ipſius medendi methodi finis eſt inuenire cuiuſque morbi remedia, quodnãm viæ, quæ huc perducit, ſtatuendum primò erit principium? Id verò morbi ipſius cognitio, qualis ſcilicet naturæ is ſit, à Galeno conſtituitur, ſecundo methodi meden. cap. 7. Hoc ſimiliter eſt illud principium, quod primò à nobis inueſtigari ac conſtitui debet in hac noſtra methodo. Etenim eo inuẽto, haud difficile erit finem quoque aſſequi, hoc eſt remedia inuenire pro eiſdẽ febribus medendis. Nam in adagio eſt, quòd principium, dimidium eſt totius: Plato autem, cuiuſque operis maximum eſſe retulit: quidam verò amplius etiam, quâm dimidium eſſe dixerunt. Alij vel totum ipſum eſſe, poteſtate videlicet, aſſeruerunt. Erit itaque noſtræ viæ principium, cognitio ipſius febris, qualis inquam naturæ ea ſit. Iuuatur etenim rationalis medicus ab hac cognitione, non ſolùm ad curationis inuentionem, ſed futurorũ etiam præſentionem, vt primo de differentiis febrium, cap. 3. à Galeno ſcriptum eſt. Hoc item eſt illud, quod idem Galen. docuit ſexcenties, & præſertim ſecundo methodi meden. cap. 6. ex ipſa rei natura ordiri. cognita enim ipſius febris natura, ac conſtituta ratione eſſentiæ eiuſdem febris, confeſtim ad ipſam diuidendam accedentes, hac via omnes eius differentias facilè inueſtigabimus. Etenim principium diuiſionis morborum eſt, vt eſſentiæ ratio rei diuidendæ conſtituatur: qui verò omnem morborum numerum hac methodo non inuenerit, hunc maximè in ipſis metho. meden. foribus lapſutum eſſe Galen. cenſuit, eodem ſecundo metho. medendi, cap. 6. cùm conſtet totidem eſſe medendi modos, quot ſunt morborum ideæ. Funditus nãque rationabilem ſectam ſubuertent, ſi ignorato affectu, curationis tamen facultatem abundè ſibi ſupereſſe dicant. Nam ſi ab ipſius rei natura indicationẽ non ſumant, ab vſu ipſo omnes quomodo curandum ſit intelligent, vt eodem 2. meth. cap. 5. ſcriptum eſt.

Methodi medendi initium à morbi natura.

Quid non ſit methodus. Capue II.

CAETERVM ne per ignota progrediamur, priùs quid per Methodum intelligendum, ac quid, quotuplexque ea ſit, cum eodem Gal. exponere cenſui: præſertim cùm nonnullos viderim in hac re inter ſe digladiari. Græci ferè omnes Ariſtotelis interpretes, crediderunt

derunt methodum habitum quendam eſſe. Simplicius nanque, Alexandri au-

Simplicius et Alexan. malè definierũt methodum.

ctoritate, voluit omnem habitum ſpectatiuum, cõtemplãteſ ſpũmve, eorum quæ ad ipſum attinent cum ratione, id eſt, cum cauſa, eſſe methodum. Philoponus verò quòd methodus ſit quidam habitus fatetur, qui viam præſtat cum ratione culque ad aliquas artes, ſcientiáſque capeſſendas, animum adhibenti. Sed pace tantorum virorum dixerim: licet in omni theoria, ſeu contemplandi genere, omníque tum nobiliori, tum ignobiliori methodo, duo ſint habitus, vt Ariſtoteli viſum eſt, primò de part. anim. cap. 1. quorum alterum ſcientiam rei, alterum peritiam quandã nuncupat: neutrum tamen eorum methodũ eſſe fatemur: quinimò neq; ipſam habitum alium quẽdam eſſe quiſpiam cum Ariſtote-

Methodus nõ eſt habitus.

le aſſerere audebit: cùm neque tanquam actio ſit quædam habentis & habiti, neque diſpoſitio, ſecundum quam bene vel malè diſponitur diſpoſitũ, aut ſecũdum ſe, aut ad aliud; neque pars talis diſpoſitionis; præter quos nullus alius datur modus ſumendi habitum, vt ab eodem Ariſtotele quinto meth. cap. 19. ſcriptum eſt. Non igitur erit methodus habitus. Illud idẽ cõfirmari poterit ex eodem Ariſtotele, qui ſexto ethicorum, cap. 4. quinq; in vniuerſum enumerauit habitus, quibus quiſpiã vbi nihil impediat, agere poteſt quando voluerit. Sunt

Habitus quinque, ex quorũ numero nõ eſt methodus.

etenim qualitates quædã, quæ à ſubiecto haud facilè auferri poſſunt, ſcientiam inquam, ſapientiã, intellectum, artem, ac prudentiam. Quorum tres ſpeculatiui, ſcientia, ſapientia, & intellectus; duo verò practici ſunt, ars & prudentia. Horum neque vllum methodum eſſe quiſpiam fateri poterit. Etenim non ſcientia, quia methodus, habitus demonſtratiuus non eſt. Neque intellectus, cùm ille ſit duntaxat principiorum. Neque ſapientia, quoniam neque virtus alicuius artis exiſtit methodus, quæ tribuitur illis, qui excellentiſsimi ſunt in arte; quẽadmodum Phidiam, & Polycletum ſapientes fuiſſe fatemur. Neque etiam ſit ſcientia, & intellectus pretioſiſsimarum natura. Non itaque erit aliquis eorum habituum, qui ſpeculatiui appellantur, methodus. Multominùs eorum qui practici, cum prudentia dici non poterit. nam habitus quidam verus eſt prudentia cum vera ratione, qui in his agendis verſatur, quæ ſunt hominibus bona vel mala, vtilia vel non vtilia, non ſpeciatim ſiquidem, puta qualia ad ſanitatem, vel robur, ſed generatim ad totius vitæ ſtatum bene dirigendum. Huiuſmodi autem methodus non eſt, quemadmodum neq; etiam ars dici poterit, quia non eſt habitus quidam cum vera ratione factiuus, veluti ars ipſa: neq; inertia nuncupari poterit, quia non habitus eſt factiuus, falſa ratione, circa id quod aliter ſe habere poteſt. Inſuper quòd non ſit ars, ex Gal. confirmatur 9. meth. cap. 17. qui Platonis auctoritate, de methodo loquens, dicebat. {Hanc etenim cuiuſlibet conſtituendæ artis methodum, Plato nos docuit.} Si ergo artes omnes methodo conſtituuntur, non erit ipſa methodus, ars; aliàs ars conſtitueretur per artem, & illa per aliam artem, adeò vt ad infinita daretur procedendi venia: quod apud philoſophos magnoperè eſt abſurdum. Non itaq; verè ars, methodus dici poteſt, licet impropriè, & per abuſionem, quandoque artem appellari poſſe non negamus, cùm ſit via quædam ad eas, vt dicemus. Qua etiam ratione philoſophi interim generationẽ, naturam appellare conſueuerunt, quia via eſt ad eam naturam, quæ forma nuncupatur. Similiter etiam admittimus cum Ariſtotele, quòd in omni methodo, vt diximus, duo ſint habitus, quorum vnus ſcientia rei, alter peritia appellatur, nunquam tamen methodum ipſam habitum quempiam eſſe fatemur. Quòd verò neque ratio ſit methodus ipſa,

Methodus ratio non eſt.

Comment. 48

tum ex Ariſtotele, tum etiam ex Galeno poterit demonſtrari; ex Ariſtotele, quoniam, vt ipſe inquit primo de anima, ratio omnis eſt definitio, aut demonſtratio, quorum neutrum eſt methodus: ex Galeno, quoniam 5. meth. cap. 1. dicebat: {cui facultas datur illa inueniendi, ex quibus perfici poſsit quod à prima indicatione ſuggeritur, is meritò morborum eſt curator;} & ſubdit, {qui ſi per experientiã inuenit, obſeruator & Empiricus eſt nominandus: ſi ratione & methodo, logicus & methodicus, & dogmaticus.} Fruſtra itaque dixiſſet ra-

tione

tione & methodo, ſi methodus eſſet ratio. & primò eiuſdẽ dicebat: {eius quod quæritur inueniendi poteſtas datur ab ipſis methodis rationalibus: } & eodem loco cauendum eſſe retulit ne ſimul de ambobus agamus. dico methodo quæ ratione innititur, ſeu experiẽtia quæ ratione non vtitur. Ex quibus liquet methodum inniti ratione, non autem rationem eſſe. Illud item clara luce confirmauit eodem primo meth. cap. 3. aduerſus Theſſalum, iis verbis, { Porrò ſimplici verbo dicere omnes in victu morbos eſſe duos, non methodo, nõ demonſtratione, nec ratione vlla probabili, aut lenimento aliquo, neq; alia re prorſus adhibita, præterquàm eiuſmodi in veteres blaſphemiam, id facere imperãtis hominis eſt, non docentis. } Neq; etiam ordo eſt ipſa methodus, licet ordine quodam procedat, vt in ſequentibus patebit. Quoniam neque illa relatio, ſeu reſpectus eſt prioris ad poſterius, aut poſterioris ad prius: quamuis in methodo ipſa conſtituenda quidam ſeruetur ordo, ita vt in diſquiſitione aliquid primum ſit, aliquid ſecũdum, & tertium, & quartum; & ſic de reliquis omnibus, quoad demum ad ipſum, quod ab initio eſt propoſitum, perueniatur. Neque propterea quòd in methodo ordo ſeruatur, ac ſeruari debet, ipſe ordo erit methodus, quemadmodũ falſum eſt etiã opinari, vt inquit Galenus 4 meth. cap 4. aduerſos Theſſalum, quicquid omnino in his habetur, qui methodo aliquid faciunt, eſſe methodum ipſam: nam notitiam certè habeat oportet, tum ſimilis, tum diſſimilis, qui methodo quiduis molitur, non tamen ipſum hoc methodus eſt, ſimilis ſcilicet, diſſimiliſque notitia: nec Ariſtoteles hoc, Platóve affirmat.

1. meth. c. 4.

Methodus nõ eſt ordo.

Quid ſit methodus. Caput III.

CVM itaque nec habitus, nec ratio, nec ordo ſit methodus, vt abundè demonſtrauimus, non abſq; ratione cum Galeno quarto meth. cap. 4. concludimus methodum eſſe vnam quandam vniuerſalem viam, quæ omniũ particularium eſt cõmunis. dico particularium, quæ ſub ea continentur. Verũenimuerò quænã ſit hæc via, ibidem non definiuit, promiſit tamen citato loco ſe oſtenſurũ, eùm vnum eſſe in omnibus curationibus principium, tum viam, quæ ab eo principio ad finem vſquè ducit in omnibus particularibus ſimilem eſſe. Hæc inquam eſt illa via recta, de qua verba fecit Hippocrates, ſexto de morbis vulgaribus, in omni ſcilicet artis conſtitutione, vt inquit Galenus in commento. Appellauerunt autem hanc viam poſteriores Hippocrate, non viam, ſed methodum, vt ipſe Galenus aſſerit: ex qua rectè inuentorum & factorum in artibus approbatio eſt, non rectè autem redargutio: methodum, non abſq; forti ratione exiſtimare oportet, eam eſſe, quam ipſe Galenus aſſerit, tanquam neceſſariã, Platone auctore, pro conſtituendis ſingulis artibus: de qua idemmet Plato in Philebo & Phædro fuſiſſimè verba fecit, rationabilémque methodum eam nuncupauit: vt diſtingueret ab ea, quæ ex diuturna obſeruatione ex ſingulorũ peritia in vnum collecta, conficitur. Hanc etiam fieri non poſſe ſine exercitatione diuiſionis & compoſitionis, nedum in eiſdem locis Plato, verumetiam & Galenus 9. de plac. Hippoc. & Plat. cap. 2. tanquam manifeſtum arbitratus eſt: aſſerens cum eodem Platone ad artium conſtitutionem, diuidẽdi & componẽdi methodum eſſe quammaximè neceſſariam; duobúſque modis nobis præcipit in ea eſſe exercendum. Vno, vt à primo, maximéq; generali, ad ea quæ pulſam amplius ſectionem admittunt, deſcendamus, per medias differentias, quibus definitiones ſpecierum conſtare, in Sophiſta, & Ciuili idem Plato oſtenderat. Altero, vt à ſpecialiſſimis quæ multa ſunt, ad primum genus, componendo aſcendamus. Vna ſiquidem vtrorunque via eſt, iter verò duplex, ab altero extremo, ad alterum viciſſim trãſeunte. Hæc eſt illa logica, ſeu rationalis methodus, quæ facultatem præſtat inueniendi eius quod quæritur. Hæc item eſt illa methodus, quæ ratione nititur; hac demũ quippiam inquirere, ac inuenire

Methodus eſt via.

Methodus quæ via ſit.

Via duplex.

Methodus ex aduerſo oppoſita Empiriæ.

ex ad

ex aduerſo opponitur, ei quod eſt fortuito temeréque reperire. eſt nanque id cum via quadam & ordine, ita vt in diſquiſitione aliquid, vt diximus, primum ſit, aliquid ſecundum, & tertium, & quartum; & ſic de reliquis omnibus, quoad ipſum, quod ab initio propoſitum fuerat, ſit peruentum, quippe id methodi (id eſt, ſicut veteres interpretantur) viæ & rationis eſt maximè proprium, vt ex paruo elemētari principio, ad ſingula membratim peruenire poſsis; tum quicquid perperam eſt dictum, ſcientificis id theorematis, veluti regula quapiam examinans, iudices: vt liquet ſecundo de ſanitate tuen. cap. 4. Qui hac methodo vtuntur, ij ſunt, qui inuentionis ſuæ auctorem, rationem ſtatuerunt, ac ordinem, vnámque viam, quæ ad finem ducat, propoſuerunt: ex aduerſo oppoſiti Empiricis ipſis, qui fatentur nec inueniendi, nec docendi, apud ipſos eſſe neceſſarium ordinem. Nam nec arte vlla, rationéve experientiam niti, imò vnius fortunæ fauorem, ad ea quæ quærit inuenienda, requirit: quemadmodum à Galeno primo metho. ſcriptum eſt. cap. 4. Ex quibus omnibus Galeni verbis non abſq; ratione colligi poterit methodum nil aliud eſſe, quàm vniuerſalem quādam viam, rationabilem, ac ordinatam, ad inquirendum, ſeu inueniendum id quod quæritur. Inſuper quòd medendi methodus, via quædam ſit vniuerſalis, ac ordinata, & rationabilis, ad omnium morborum curationis inuentionē, quæ quidem omnium particularium communis eſt, facilè oſtendi poteſt. Nam rationabilis non ab re eſſe dicitur, propterea quòd ab ipſius quæſitæ rei natura, ſeu eſſentia, exordium ſumit. etenim non ad diuidendum modo quiduis quodam in loco, inquit Plato, ab ipſa quæſitæ rei eſſentia, nobis eſſe inchoandum, ſed etiam in omni diſquirenda re, eiuſmodi ſemper principio vtēdum. Et quid aliud eſt quæſitæ rei eſſentia, niſi vt eiuſdem quæſitæ rei eſſentiæ ratio conſtituatur? id quod diximus principium eſſe methodi medendi, cum Galeno. Per hanc itaque differentiam (rationabilis inquam) diſſentit hæc via, ab ea, qua vtuntur Empirici, quæ ex diuturna obſeruatione conficitur, vt diximus. nec ſatis eſt ſi rationabilem dixeris hanc methodum, niſi & ordinatam, ita vt in hac diſquiſitione, aliquid primum ſit, aliquid ſecundum, & tertium; & ita de reliquis omnibus. niſi enim is ſeruetur ordo, non erit methodo inuenire. nam id præterquàm quòd cum ratione fiat, opus eſt, vt Galenus inquit, primo metho. quòd ſit etiam cum via quadam, & ordine. Id quod clara luce confirmauit eodem loco his verbis, {Qui verò rationem inuentionis ſuæ auctorem ſtatuunt, ac ordinem, vnámque viam, & cætera:} cuius ordinis tanquam primum auctorem fuiſſe iactat ſeſe Galenus 9. meth. cap. 8. aſſerens nullum alium ante eum ea omnia, quæ hac via ab Hippocrate inuenta ſunt, ordine definiuiſſe. Etenim tanquam primus inuentor idem Hippocrates debitum ordinem omnibus non dedit. Hanc eandem viam, ſeu methodum tanquam rationabilem, ac ordinatam, ſub quibuſdam paucisſimis verbis figurauit idem Galenus citato primo libro methodi medendi, cap. 5. aſſerens, {Quoniam omnis morbi curationem inuenire propoſitum eſt, neceſſe eſt morborum numerum priùs ſciri.} Et quoniam fieri nequit, vt aut differentias generis vllius, aut ſpecies inuenias, ipſo quod diuiditur non planè explorato, oportet profectò nunc etiam quid morbus ſit, narremus: quò ſic diuiſionem eius ritè adeamus. Si itaque hæc vniuerſalis medendi methodus, omnium particularium communis exiſtit, vnúmque eſt principium eius in omnibus curationibus, tum via, quæ ab hoc principio ad finem vſque ducit, in omnibus particularibus ſimilis eſt; vt liquet quarto metho. cap. 4. & propterea, vt ipſe inquit, quamuis in ſingulis morbis priuata quædam methodus ſanandi videtur, commune tamē in omnibus genus bonum eſt: ob id & hæc methodus, quam nos inſtituere paramus, via quædam erit vniuerſalis, rationabilis, ac ordinata inueniendi curationem earundem febrium: quam quidem inuenire impoſsibile eſt, niſi dictarum febrium numerus priùs ſciatur.

Methodus medendi quid.

Omnis de quacunque re diſputatio à definitione proficiſci debet.

Loco citato.

Ordinis in methodo medēdi primus auctor Galenus.

Quo inuentionis inſtrumento febrium auxilia inueſtiganda ſint,

Caput IIII.

ET QVONIAM fieri nequit vt hic numerus ſciatur, ſiue differentias, ſiue ſpecies febrium appellaueris, ſi priùs ipſa febris, quæ diuidenda eſt, non exploretur: propterea quid febris ſit primò declarare oportet, cùm hoc ſit à natura rei exordiri, vt diximus, quò ſic demum diuiſionem eius ritè aggrediamur; & deinceps omnium curationem inueniamus: quod quidem & noſtrum propoſitum exiſtit, ac finis huius noſtræ methodi. Verùm animaduerſione dignũ eſt, quòd quamuis inuenire remedia pro omnium febrium curatione ſit noſter ſcopus, non tamen qualibet inuentione vtemur. nam cùm duo ſint in vniuerſum cuiuſlibet inuentionis inſtrumenta, nempe ratio, & experientia, nullúmq; præter hæc duo reperiatur inuentionis organum tertium, Galeno auctore, tertio, & quinto meth. fidémque item faciant iis, quæ rectè inuenta ſunt apud omnes homines hæc eadem duo inſtrumenta; vt primo eiuſdem meth. liquet; neque etiam experientia inuenire omnia queat, neq; ſola ratio; ſed partim experientia, partim ratione inueniri, non propterea mixtam, confuſámque tradendam eſſe doctrinam cenſemus, ſed ſeorſum Empiricã, & ſeorſum rationalem. Nunc verò de ea, quæ ratione paritur inuentione, tractare ſtatuimus. etenim Galenus illud primò cauendum eſſe cenſuit, ne ſimul de ambobus cùm methodo, quæ ratione nititur, tum experientia, quæ ratione non vtitur, agamus. Atque vtinam, inquit, rationales omnes medici propoſitum ita perimerent, nec experientiam, & rationem miſcerent, atque in vnum confunderent, ſed quam vtraque vim habeat, quantúmque ad propoſitum artis finem conducat, ſeorſum tractarent, atque perpenderent. Nam licet eædem in eiſdem affectibus medelæ, & ab his, qui rationem profitentur, & ab Empiricis medicis trahantur, de ratione tamen inueniẽdi, inter eos diſſenſio eſt, vt liquet libro de ſectis. etenim methodo quippiam inuenire, ex aduerſo opponitur ei, quod eſt fortuito, temeréque reperire, vt diximus ex Galeni auctoritate: & quemadmodum ſenſus Empiricos ad experientiam, ita ratio Methodicos duxit ad indicationem: vt Galenus inquit libro de ſubfig. empirica: ſimul atque rationales. nam in hoc cum methodicis conuenire videntur: vt patet libro de opt. ſect. Quantum itaque ſenſus à ratione differt, tantum altera ab altera, inuentione diſtat. Quòd verò à ſenſu ortum ducat inuentio per experientiam, liquet ex eodem Galeno, tum libro de ſubfig. empirica, tum lib. de optima ſect. ex intuitu enim empirici inueniunt, qui aut fortuitus, aut conſultus exiſtit: & ſi fortuitus, aut caſu, aut natura. Quocunque tandem modo empirici inueniant medicamenta, eorum inuentio ſemper eſt ſine arte & ratione: imò ex aduerſo pugnat ei, quæ fit cum methodo, ſeu via quadam, ratione, ac ordine. Meritò igitur Galenus experientiam appellabat ἄτεχνον ϗ ἄλογον. Erit itaque noſtrum propoſitum, quod primò intendimus pro medendis febribus remedia inuenire, non experientia, ſed ratione. Verùm cùm id fieri non poſſit ſine exercitatione compoſitionis, & diuiſionis, vt diximus, duobúſque modis pro artium conſtitutione, in ea exercendum eſſe præcipiat Galenus, Platonis auctoritate, licet eadem ſit via, contrarium tamen eſt iter vnius ad alterum, quo vtroque itinere ipſemet Galenus ſe exercuit, libro ſuo de meden. metho. vt liquet potiſſimùm libro nono eiuſdem. Nos verò eo præcipuè exercebimur itinere, quod à primo, maximéque generali, de quo inter omnes homines conuenit, procedere debet; ad ea quæ nullam aliam ſectionem admittunt deſcendentes, mediis differentiis, vtpote quòd minùs ſit laborioſum, minúſque difficile tyronibus artis medicæ: & quòd tanquam præcipuum perpetuò ab eodem Platone, & Galeno præponatur, ac extollatur pro artibus conſtituendis. Atqui non parum nobis laboris affert hanc viam, hanc methodum, hoc itinere conſtituere; vt qui poſt Hippo-

Duo omnino inuctionis inſtrumenta. 3. meth. c. 2. & 5. meth. c. 10. 1. meth. c. 3.

Seorſim de iis, quæ ratione & experiẽtia nituntur, agendum.

cap. 1.

Senſus Empiricos, ratio Methodicos, & rationales regit. De ſubf. emp. cap. 9. De opt. ſect. cap. 8.

Febrium curationem me-

cratem, & Galenum, neminem eorum, quos viderim, etiam eorundem doctrinæ æmulatores, qui hanc rem nedum conſcribere conatus ſit, ſed nec protſus eius limina attigiſſe inſpexerim. Quamuis nonnulli commentaria de medendis febribus cõpilauerint, id quod equidem non parũ admirari oportet, cùm nullo alio rationalis medicus in curandis morbis ab empirico differat, quàm hac rationabili methodo inuenire remedia. Etenim inuenta ferè ſemper eadem ſunt. Verùm hic obſeruatione duntaxat, nullâque arte, via, ac ratione vtens: ille verò quadam via, ratione, ac ordine inuenit, vt priùs dictum eſt, remedia. Auget inſuper non minùs difficultatem nobis, quoniam licet Hippocrates primus omnium hanc medendi viam, & methodum nobis aperuiſſe videatur, vt inquit Galenus 9. de meth. meden. ca. 8. ceu primus inuentor, tamen nec debitum ordinem omnibus dedit, nec cuiuſque indicationis dignitatem ad vnguem finiuit: & quaſdam in ipſis diſcretiones omiſit: obſcuréque plurima pro antiqua dicendi breuitate eſt interpretatus. Præterea de complicatis affectibus paucißima omnino præcepit: & vt breuiter dicam, ait idem Galenus: omnem ad medicationem viam, aperuiſſe mihi videtur: ſed ita tamen, vt ea curam, diligentiámque ad abſolutionem deſideret. Cæterùm quid dicam de eodem Galeno, quiquãquam eodem loco fateatur nullum ante eum omnia ea ordine definiuiſſe, quæ neceſſaria ſunt ad curationem, quæ per methodum efficiatur: ſeque primum fuiſſe, qui omnibus ad methodum neceſſariis, debitum ordinem dedit: apud eundem tamen non reperi, vt vno eodémque loco dilucidè hanc methodum commentatus eſſet. Et quamuis commẽtarium vnum confeciſſet de methodo medendi, in multos libros diuiſum: nihilominùs adeò ſparſim, & quandoque obſcurè in diuerſis eiuſdem commentarij libris, quæ in dicta methodo continentur, ac neceſſariò ſunt perpendenda, cõſcripſit, vt ægrè ex eius dictis, hæc methodus excerpi poſsit. Quinimò ex iunioribus quidam hac ratione fieri prauè eiuſdem Galeni dicta intelligentes, vt qui diuerſis in locis ferè diuerſa de eadem re ſentire videatur, auſi ſunt aſſerere ſibi Gale. non conſtare, nec ſtata principia ſeruare: qui quantum à veritate aberrarint, quantúmq; toto hallucinati ſint cœlo, in ſequentibus conabimur oſtendere. Nunc verò ſat ſit intelligere quàm perdifficile ſit & laborioſum hoc, quod ſuſcepimus noſtrum opus perficere, cùm neque inter iuniores quiſpiam reperiatur, qui hanc methodum ſcribere tentaſſet, dico ad Hippocratis, & Galeni mentem: neque etiam ab Hippocrate, & Galeno, qui ſoli, vt mea fert opinio, hanc nobis ſcriptam reliquerunt, dilucidè, exactè, diſtinctéque omnia, quæ ad eam requiruntur, ſcripta reperiantur. Non itaque poſteritas dedignetur ingentes nobis gratias agere: poſtquàm primus inter omnes ab Hippocrate, & Galeno eiuſmodi artem peruiam effecerim, & glaciem hanc effregerim, potius quàm dicta noſtra tanto labore conſcripta calumniari, & nos leonino dente dilacerare. Et ſi qui ſint, qui aggrediantur hoc opus poſt nos conſcribere, ſciant ſe non inueniſſe noua, ſed fortè his, quæ nos breuiter conſcripſimus, pluribus verbis aliqua addere. Nam facilè, vt inquiunt, eſt inuentis addere. Sed iam tempus eſt rurſus ad propoſitum redeamus, ad tradendam inquam, omnium febrium medendi methodũ: cuius, vt ſæpiùs dictum eſt, finis exiſtit remedia pro eis curandis inuenire. At fieri nequit, vt ea inueniãtur, niſi earundem numerus, ſpecies, ſeu differentiæ priùs ſciantur. eas igitur priùs non ignorare neceſſe eſt. Verùm ſpecies atque differentias alicuius generis inuenire, ipſo quod diuiditur non planè explorato, impoſsibile eſt, vt liquet primo metho. quoniam principium diuiſionis morborum eſt, vt ait Galenus libro ſecundo eiuſdem, vt eſſentiæ ratio rei diuidendæ conſtituatur. Quapropter oportet quid febris ſit narremus, quò ſic diuiſionem eius ritè adeamus. Primùm autem de notione ipſa dicere conuenit, cùm ſine hac propoſitæ rei ſubſtantiam inuenire non liceat: vt citato lib. primo meth. ſcriptũ eſt, cap. 5. Ipſa verò notio, quæ ab omnibus in confeſſo ſit, ſumenda erit, vt quæ aliàs principium iure non diceretur. Nam cùm

[Margin notes:]
thodo nullus profecutus eſt poſt Gale. & Hippocr.

Hipp. febrium curãdarũ methodũ inchoauit duntaxat.

Gale. non vno lib. methodum curãdi febres tradidit, ſed ſparſim, & obſcurè.

Gale. à recentioribus reprehenſus.

Gratia autbori habenda difficile opus aggreſſo.

cap. 5.
cap. 6.
Ex febris definitione ſpecies eius omnes inueſtigãdæ.

duo ſint definitionum prima genera,vt liquet 4. de differentiis pulſ.ca. 2. alterum quod planè rei notionem explicat,quam qui ponunt, nominis tantùm notitiam habent : alterum eſt,quod docet eſſentiam. virtus eſt ſua cuique definitioni,illi quæ notionem explicat,vt omnibus ſit teſtata,qui eadem vtuntur lingua,& ad rei eſſentiam non aſpiret: huic quæ eſſentiam docet,vt ei quæ notionem ſubiicit,conſentiat,non ſit tamen cum ea,eadem.

Definitionum genera duo.

Quid febris ſignificet,& quis calor ſit. *Caput V.*

CONSVEVERVNT Græci omnes, Hippocrates præſertim & Galenus,quam Latini febrē nominant, interim πυρετόν, interim πυρεξίαν,nuncupare.Primùm quidem ἀπὸ τοῦ πυρέττειν, verbo Græco,quod Latinè ſignificat febricito, ſeu febre corripior:ſecundum autē eſt ἀπὸ τοῦ πῦρ, καὶ ἕξις, Latinè autem habitus,ſeu diſpoſitio ignea. Atqui Hippocrates quandoque ardentiſsimam, ſeu vehementiſsimam febrem, πῦρ nominare ſolitus eſt,vt liquet primo de morbis vulgaribus,quod Latinè ignem ſignificat : quaſi non aliam habeat naturā, præterquàm ignis ſubſtantiam; vt teſtatur Galenus primo de ratione victus in morbis acutis. Verùm licet vehementiſsima febris, eandem ferè naturam habeat,quam ignis,& propterea πῦρ dici poſsit; non tamen re ipſa eſt ignis. Neque enim ſi verè ignis eſſet aliqua febris, animal viuere poſſet, ſi ea laboraret. Verùm ita appellatur, quoniam magis quàm cæteræ febres, ad ignis naturam accedit. Latini omnes vno vocabulo febrem nuncupant, à verbo, ferueo. eſt enim veluti feruor quidam,ſeu feruefcentia quædam corporis,quod ab ea corripitur.A Galeno verò lib.de cauſis morborum.c.2.ſcriptum eſt,quòd ſi in totum extenditur corpus calor, tunc huiuſcemodi affectus, febris nuncupatur, quæ eſt veluti quædam totius corporis immoderata caliditas. Et octauo de metho.meden.hæc verba protulit : {ſanè vnuſquiſpiam morborum eſt, quos intemperies creat,& febris,vtique cùm adeò immodicè auctus eſt calor, vt & hominem offendat,& actionem lædat; quando ſi neutrum adhuc efficiat,quātumuis ſit homo nunc quàm ante calidior, nondum tamen febricitare cum monſtrauimus.} Ex quibus Galeni verbis cuique facilè patere poterit error eorum,qui frigidam quandoque eſſe febrem aſſeruerunt. nam eodem Galeno teſte,ſexto de morbis vulgaribus febrium eſſentia,non ſecundum Hippocratem modò, atque præclariſsimos medicos, ſed etiam ſecundum communem omnium hominum conſenſum,præter naturam eſt caliditas; maximè quidem in totum animal effuſa,ſin minus,at omnino vel in pluribus partibus,vel in nobiliſsimis accenſa.Si quis autem velit per abuſionem, & ex accidenti, & improprìè aliquam appellare febrem frigidam, non reclamabimus: vtpote quòd à cauſa oriatur frigida, vel quia ex accidenti aliquo partes quædam corporis refrigerentur, intus reuocato calore, vel ab aliqua forti inflammatione, ſeu eryſipelate, vel ob aliquam aliam cauſam,vt fit in principiis acceſsionum. Neque enim opus eſt perpetuò vt febrilis caliditas ſit per totum animal effuſa, vt diximus Gal.auctoritate, ſexto de morbis vulgaribus.* Verùm non propterea cenſendum eſt,vt quidam iuniores medici ſentiunt,quod * rigor,horrórve intermittentium febrium, tametſi acceſsionis eſt initium, febris tamen haudquaquam cenſeri poteſt, quòd nondum ſit calor incenſus. nam pace tanti viri dixerim,is verbis videtur bifariam hallucinatus eſſe. Primò quia dixit rigorē, horrorémve eſſe acceſsionis initium, quod quidem in Galc. doctrina non admittimus.Nam,vt ipſe inquit,ſecundo de different. febr. vbicunque accenditur atque augetur caliditas,iſthuc ab aliis partibus ſanguinem ſolere confluere: quo verò tempore confluit,illas quidem refrigerari priuatas ſanguine, eſt neceſſarium. Quòd verò patitur membrum,grauari,ac diſtendi, ac ſanguinem ipſum confluentem alterari,hoc quoq; duplici ex cauſa,& quia aliis, quæ iam

Ratio nominis febris,Græci & Latini.

Comment. 3. text.19.

Text.18.

Notio rei, quæ febris dicitur.

cap.1.

Comment. 1. text. 29.

Febris frigida abuſiuè.

Loco citato.

**Rigor,horror, extremorum refrigeratio, nō ſunt feb.intermittentiū principia, ſed ſymptomata, quæ ad acceſsionis principiū conſequuntur, quod eſt accenſio caloris præter naturā in aliqua parte: cōtra recētiorē quendā,cuius nomē modeſtè ſubticet.*

**Verba ſunt eius, qui reprehenditur.*

cap. 11.

putruerunt,ſuperfluitatibus permiſcetur,&quoniam intruſum diſflari nõ poteſt:quò fit vt inſtar lignorum humidorum:quæ paucam ſuper flammam vniuerſim proiiciuntur,ſuccendatur:atque hoc tempus,acceſsionis principiũ nuncupatur:quibus in verbis,manifeſtat Gale.extremas partes corporis in acceſsionum principiis refrigerari:quemadmodum etiam contingit rigere, aut horrere,propterea quòd ab eiſdem partibus ſanguis confluere ſoler ad eas in quibus accenditur,atque augetur caliditas : & propterea ſymptomata hæc, non ſunt acceſsionum partes,neque initia,ſed neceſſario ad earũdem acceſsionum principia conſequuntur , tanquam ſymptomata quædam. Eſt etenim verè acceſsionis initium,accenſio,ſiue auctio caliditatis præter naturam in aliqua parte.Secundò hallucinatus eſt,cùm dixit,quòd tametſi acceſsionis eſt initium,febris tamen haudquaquam cenſeri poteſt,quòd nondum ſit calor accenſus; falſum ſiquidem eſt fateri,quòd rigor , horrórve febrium intermittentium fiant, calore nondum accenſo,cùm fieri nequaquam poſsint,ni calor fuerit accenſus in quapiam parte,vt ex eiſdem Gale. verbis liquet. Eſt enim tunc acceſsionis initium,cùm calor accenditur,atque augetur in quapiam corporis parte, vt diximus:& propterea horror,& rigor,febris non cenſentur:quia non ſunt acceſsionis principium,nec pars; & non quia febris non ſit adhuc incenſa, vt voluit hic vir. Nam licet febrilis caliditas non ſit per vniuerſum corpus effuſa , ſatis eſt ſi in plurimis,vel in nobilioribus partibus ſit accenſa:vt ex Galeni auctoritate ſexto de morbis vulgaribus,concluſimus:quanquam neque ſi ita contingat generari febrem aliqua parte determinata affecta,poſsit aliquod dictorum ſymptomatum fieri:præſertim vbi febris exquiſita fuerit. erit etenim cõtinua, quæ ſui quidem ratione cùm exquiſita fuerit,neque horrorẽ , neque rigorem habet,vt ſecundo de differen.febr.cap.10.ſcriptum eſt; niſi exiguum quendam & paruum,præſertim ſi exquiſita non ſit,vt lique: primo de morb.vulgarib. & primo de arte curat.ad Glauco.cap.5.At ſi verè intermittens febris fuerit, cùm ea haudquaquam fieri poſsit,eodem Gale.auctore,ſecundo de differ.feb.cap.3. niſi & humor putreſcat,& vehementiori motu moueatur per membra ſentientia,quo tempore,vt ipſe inquit citato loco,& lib.de rigore, trem.palpit. cap.7. partes ipſæ refrigerantur, horrent,aut rigent,modo quo infrà demõſtrabimus, quis aſſerere audebit eo tempore calorem non eſſe accenſum , cùm putreſcat oportet humor,quo tempore per membra ſentiẽtia mouetur,& talia ſymptomata fiunt? Erit itaque perpetuò febris,feruor,ſeu calor quidam , ex omnium hominum conſenſu.Atqui cùm calor in Galeni doctrina,bifariam ſubintelligatur,tum ſecundo de temperament.cap.2.tum lib.aduerſus Lycũ,primo aphor. 14.& aliis pleriſq; locis:vno videlicet modo pro corpore calido, alio verò pro qualitate,cùm febrem aſſerimus calorem quendam eſſe,non de corpore calido intelligi volumus,ſed qualitate,cùm ea ſit diſpoſitio quædam,ſeu habitus.Manifeſtauit illud idem Galenus commento citati aphoriſ.14.primi lib.1.cùm dicebat, {per abuſionem quandam,quã in ſermone vſurpamus,interim morbos magnos aut paruos,febrem magnam,aut paruã nominamus,cùm tamẽ in ſola quantitate ſubſtantiæ eadem rectè tribuantur,non autem qualitatibus ac morbis ipſis.} & primo de different.febriũ,cap.1. proponens caloris differentias, in cuius genere febris continetur,inter alias,ex eo quòd magis & minùs ſit conſiſtere,de eiſdem aſſerebat. {Sunt autem omnino euidentes,quæ in eo quod maius aut minùs conſiſtunt,quo in genere differentiæ , conſueuerunt medici magnam ac paruam febrem nominare,nõ propriè quidem rei quali,nomen quanti accõmodantes:hoc tamen facere aſſueti non in febribus tantùm , ſed in mille aliis rebus,quæ licet in qualitate conſiſtant,magnæ tamen , ac paruæ dicuntur:} & lib.aduerſus Lycum,qualitatem qualitate non effici maiorem , ſed vehementiorem,dicebat : ſicuti nec minorem, ſed imbecilliorem. Verùm is vocabulorum vſus,tam in vniuerſa vita,quàm in artibus omnibus,frequẽtiſsimè vſurpatur; qua in re quid refert aliorum mentionem facere, cùm manifeſtum

Rigor, &c. nõ ſunt febris, ſed ſymptomata,vt dictũ eſt. Et ideo non ſunt febris, quia nondum accenſus ſit calor: imo fieri non poſſunt, niſi accenſus ſit calor in quapiã parte. Comment.1. tex.29

Febrilis calor de qualitate intelligitur. Aduerſus Lycum,cap.2.

orationi

orationi noſtræ teſtimonium à febribus ipſis ſumere poſsimus? quas nunc maiores, nunc etiam minores factas eſſe dicentes quotidie audire omnes licet. & alium alio aliquando plus, vel minùs febricitare, atque de eodem etiam heri, quàm hodie. Quibus in verbis luce clariùs oſtendit febrem ipſam calorem eſſe pro qualitate, non autem pro ſubſtantia, ſeu corpore calido ſumptum. Qualitatem dico, non ſynceram, ſummã, ſimplicem, atque impermixtam, cùm eadem non niſi in elementis reperiatur: vt liquet primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, & propterea caliditatem hoc pacto intellectam, nonniſi in igne reperiri fatemur cum eodem Galeno: nil etenim in corporibus noſtris ſyncerum, impermixtum, ſeu ſimplex reperiri cõtingit: quare cùm dicimus febris eſt calor, de ea caloris qualitate intelligimus, quæ ſyncera non eſt, ſed aliarum etiam qualitatum quodammodo particeps: & propterea quamuis vehementiſsima, aut ardentiſsima ea ſit, nuſquam tamen, vt priùs dictum eſt, verè ignis appellari poterit, tametſi propiùs ad ignis naturam accedat.

Qualitas febrilis caloris non ſimplex.

Cæterùm, ſi febris calor eſt, quæreret quiſpiam, num actu, vel potentia calor dicatur. bifariam etenim à Galeno ſecundo, & tertio de temperamentis, primo, & ſecundo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, & aliis plerıſque locis, calor ipſe perpenditur, actu videlicet, & poteſtate. Cui reſponſum ſit, quòd cùm eſſe in potentia illud ſit, quod nondum tale eſt, ſed propinquo eſt vt ſit tale, ita vt facilè tale eſſe poſsit, vt liquet tertio de temperament. febris autem non ſit eiuſmodi, relinquitur febrem calorem nõ eſſe facultate, ſeu poteſtate, ſed actu.

Febrilis calor actu eſt.
Cap. 1. & cap. 2. & ca. 3

quò fit, vt tactu, non autem ratione, propriæ ac eſſentiales eius differentiæ iudicentur: quemadmodum ab Hippocrate, & Gale. ſexto de morbis vulgarib. decretum eſt. Quod enim actu calidum eſt, tactu iudico: ſi quod autem adhuc calidum nõ eſt, ſed vt tale fiat eſt idoneum (quod vtique poteſtate calidum appellamus) id ratione inueſtigare conor, inquit Galenus, ſecundo de temperam.

Comment. 2 tex. 28
Loco citato.

Explicantur variæ febris definitiones; ac oſtenditur in corporibus noſtris duplex eſſe calidum. *Caput VI.*

NON ab re itaque quotquot febris eſſentiam nobis manifeſtare tentarunt: omnes per calorem eam definiuerunt: quamuis non vna duntaxat ratione. Nos verò ne nimiùm ſermonẽ noſtrum protelemus, tres earum in medium afferemus, vtpote quæ inter ſe valde diſtare videntur. Quarum duæ, duorum Arabum principum ſunt, Auerrois inquam, & Auicennæ: tertia verò, medicorum principis Gale. quam explanare ac ſectari conabımur: licet conciliare hos inter ſeſe viros hac in renitemur. Inquit Auicennas, quòd febris eſt calor extraneus, accenſus in corde, & procedens ab eo, mediantibus ſpiritu & ſanguine, per arterias & venas in totum corpus: & addit, inflãmantur in eo inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus, non ſicut caliditas iræ & laboris, cùm non vltimatur, vel cùm non peruenit ad hoc vt ſit accenſa, & noceat operationibus.

Definitio febris ex Auic. Fen. 1. quarti.

Auerroës tertio colliget, dicebat { Febris, eſt calor compoſitus ex calore naturali, & extraneo putredinali, miſſo à corde ad totum corpus, & lædit omnes actiones & paſsiones. } Galenus verò commento aphoriſmi 14. & 16. primi lib. ait, quòd febris eſt eonuerſio natiuæ caliditatis ad igneam. Et primo de ratione victus, inquit, {febris verò ortus eſt conuerſio natiui caloris ad igneum } & poſt multa, eodem libro hæc verba, loquens de Hippoc. aſſerebat, { vtpote qui febrem ex natiuo calote exardeſcente ſuſcitari exiſtimet, atque contraria contrariorum eſſe remedia, } de aqua frigida verba faciens.

Auerroë. Cap. 5
Galeno. Tex. 18

Hanc Galeni definitionem, tanquam noſtræ methodi principium, exponendam proponimus, qua expoſita, eiuſdemmet Galeni dicta de eadem febre, quæ diuerſis in locis, quaſi diſcrepantia videntur, necnon & citatos auctores conciliare nitemur. Quòd geminum in animalium corpore calidum agnouit Hippocrates, apud eundem

Calidum duplex, innatũ, & acquiſititium.

liquet, aphoriſmo 14. & 15. primi libri. Scriptum quoque reliquit Galenus ſexto de morbis vulgaribus, cap. 6. (Comment. 4. text. 25.) quorum alterum ἔμφυτον θερμὸν, alterum verò θερμὸν ἐπίκτητον nuncupat. At Latini primum innatum, ſeu ingenitum, alterum ſane acquiſititium vocant: libro autem de tremore, rigore, & palpitat. non modò innatum appellabat Galenus calidum, ſed etiam primum, & generis principium, & quòd natura, atque anima, nihil præter ipſum eſt dicebat Hippocratis auctoritate, quemadmodum & acquiſititium calidum, etiam animalis generationi, ſecundum nominabat. (Text. 6.) Quòd item acquiſititium calidum, eodem ſexto de morbis vulgarib. interdum non naturalem, nonnunquam & à natura alienum, vocari aſſeruit. Confirmauit idem tertio de cauſis pulſuum, his verbis, {Neque enim ille abſolutè dixit (loquens de Hippocrate) quæ augentur, plurimum habent calidi, ſed innati addidit, vt qui alterum sciret calidum acquiſititium eſſe, quod plurimum iuuenibus ſuppeditat. nam temperatus eſt natiuus calor: acquiſititius autem intemperatus, & quaſi igneus.} & ſubdit, {ſic etiam ventres, inquit hyeme & vere calidiſsimi natura ſunt, imò ne ij quidem calidiſsimi abſolutè, ſed calore natiuo: æſtate pauciſsimum hunc habent; abundant verò aduentitio calore, & ſquallido: vnde marceſcit potius, quàm nutritur corpus. Præterea functiones tantum abeſt vt meliores reddat, vt illæ ne æquent quidẽ illas, quæ in moderato obeuntur. Hæc ſi retinuerint (inquit ipſe Galen.) lectores, nihil me nec in hac oratione, nec in reliquis diſsidere ab Hippocrate vllus arbitrabitur,} & commento citati aphoriſ. 14 primi libri, ſic ſcriptũ reliquit. {Cùm igitur magis terreſtre efficiatur animalis corpus, (tale autem quotidie efficitùr dum augetur) tunc licet valde vehemẽter calidum exiſtat, & igneum, ſubſtãtiam tamen innati caloris pauciſsimam habet: alioquin febricitantes diceremus plurimum habere calorem innatum: cui non modo plus, ſed ne priori quidem habent æqualem. bene enim temperata eſt caloris innati ſubſtantia: ignea autem aduentitij. Quinetiam fumoſi quidem, fuliginoſi, aridi, & acres, per totum corpus noſtrum effluxus, calorem acquiſititiũ conſequuntur: halituoſi verò, ſuaues, ac temperati, natiuum.} Et lib. de difficultate reſpirationis, cap. 12. aſſerebat, {duplicem ſemper intelligere, iuxta genus, calorem oportet, alterum genuinum, & corpori innatum; alterum verò acquiſititium, ac ſpurium.} His igitur in locis, necnon & alijs pleriſque, quos breuitati indulgens, conſultò prætermitto, ſole clariùs apparet, iuxta Hippocratis, & Galeni doctrinam, duplex reperiri in noſtris corporibus calidum.

Impugnatur Platonis opinio de calido innato. *Caput VII.*

SED vt quiuis ritè percipere poſsit, qua ratione hi duo calores inter ſeſe diſsideant, ac quo modo ſebris conuerſio ſit natiuæ caliditatis ad igneam; intelligere priùs oportet quid per calidum innatum, quídve per acquiſititium apud Hippocratem, & Galenum ſubintelligendum ſit. Sed quoniam nedum Plato, verùm & Ariſtoteles ſecus de innato calido quàm ij ſentire videntur, eorum ſententiam in medium afferre putaui, quò faciliùs veritas enm eodem Hippocrate, & Galeno inueſtigetur. Ait Plato in Timæo, omne animal in ſanguine & venis, calorem, quaſi ignis quendam ſontem, habere: & eodem libro, quòd igitur ex ignis exceſſu præcipuè ægrotat corpus, dicebat: ita vt quod innatum calorem, omniúmque naturalium operum auctorem, Hippocrates nuncupat, Plato ignem appellare videtur. (*Ariſtot. ſentẽtia de calido innato, Plat. ſententiæ aduerſa.*) Ariſtoteles ſecundo de generatione animal. cap. 3. dicebat. {Ineſt enim in ſemine omnium quod facit, vt fœcunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur, ídque non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſóq; corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemẽto ſtellarum: quamobrem ignis nullum animal generat.} Et paulò poſt ſubdidit, {Cæterùm, calorem in animalibus

conten

contentum, nec ignem eſſe, neque ab igne originem ducere, apertum ex his eſt.} Quibus in verbis, videtur Ariſtoteles aduerſus Platonē concludere nullo pacto calidum in animalibus contentum, ignem eſſe, nec ab igne originem ducere: appellauítque primo calorem, dende ſpiritum, & tertio naturam: quaſi cum Hipp. coincidens, qui nullam fecit inter innatum calorem, inſitum ſpiritum, & naturam, differentiam: quamuis vt mea fert opinio, de ortu huius calidi innati, inter ſe diſſentire videantur. Verùm id inueſtigare, non eſt præſentis negotij, ſed ſatis ſit monſtraſſe Ariſtotelis ſententiam de calido innato, ex diametro pugnare cum ea quæ Platonis eſt. Quam etiam Platonis opinionem Galenus confutare videtur 8. de Placitis Hippoc. & Plat. cùm comparans eiuſdem Platonis opinionem cum ea quæ Hip. eſt, dicebat. {Melius tamen erat nō ignis, ſed inſiti caloris fontē dicere in corporibus noſtris eſſe, vt Hipp. vbiq; appellauit.} Nam ſi ab igne ciborum cōcoctio, digeſtio, ſanguificatio & nutritio fieret, melius & citius etiam in febrientibus omnia hæc conſpicerentur abſolui: ſed inſitus calor, temperatus cùm ſit, ſubſtantia quidem, in ſanguine & pituita ſubſiſtit maximè, qualitate eſt congruè ex caliditate, & frigiditate contemperatus. Hanc eandem Platonis ſententiam, idem Galenus impugnare videtur, commento citati aphoriſmi 14. primi libri inquiens, {Cùm igitur magis terreſtre efficiatur animalis corpus (tale autē quotidie efficitur dum augetur) tunc licet vehementer valde calidum exiſtat & igneum, ſubſtātiam tamen innati caloris paucisſimam habet, alioquin diceremus febricitantes plurimū habere calorem innatum: cui non modo plus, ſed ne priori quidem habēt æquale.} Non eſt igitur ignis calor innatus, vt Plato ſentire videtur, ad Hippo. Ariſtotelis, & Galeni ſententiam. An verò Platonis verba quiſpiam ad bonum ſenſum reducere valeat, iterum hìc conſultò prætermittimus. *cap. 7.*

Quid ſit innatum calidum apud Hipp. & Gal. *Caput VIII.*

QVO innati calidi natura, atq; eſſentia inueſtigetur, altiùs exordienda eſt noſtra oratio, cum Hippocrate primo de natu. huma. cap. 1. ac Galeno, tum eodem loco, tum etiam primo de temperamentis, cap. 1. primo de natur. facult. cap. 1. primo de ſanit. tuē. cap. 2. & aliis pleriſque locis, quòd videlicet quatuor ſint, nedū noſtræ generationis, ſed omnium, quæ ortui interituíque ſubdita ſunt, primordia, principia, ſeu elementa ponentes: quæ Hippoc. ab efficacisſima eorū qualitate nominauit calidum, frigidum, humidum, & ſiccum: at ſi mauis, ab eſſentia ſumptis nominibus, magis quàm à qualitate nominaſſe, aquam, terram, ignem, & aërem appellabis. Qua de re rectè idem Hippocr. non hominis tantùm, ſed aliorum omnium naturam, ex calido, humido, frigido & ſicco conſtare, primo de natura humana inquit: quamuis niſi calidum frigido, & ſiccum humido, modo, & æqualitate reſpondeat, ſed alteri alterum longè præſtabit, & valentius infirmiori, nil generabitur, vt ipſe refert. Verùm licet cùm animantium, tum cæteratū omniū rerum, quæ ortui, ac interitui ſubiacent, natura, ex his conſtet, eodem Hippocr. citato libro de natura humana auctore; tamen cùm ipſemet demonſtraſſet hæc eſſe omnium entium communia elementa: calidum, ſcilicet frigidum, humidum, & ſiccum, rurſus ad alterum trāſit elementorum genus, quod neque primum, neque commune exiſtit, ſed proprium animalium ſanguine præditorum. Nam ſanguis, pituita, flaua, & atra bilis, elementa ſunt omnium animalium ſanguineorum generationis, & non hominis tantum. Etenim ex ſanguine, pituita, & gemina bile, & primam oriri noſtram generationem vult Hippo. & noſtræ vitæ totum curſum ex his ſuppeditare. Deniq; hęc, vniuerſam hominis naturam eſſe, Gale. teſte ſecundo de elementis, cap. 1. & primo de natura humana, cap. 1. Ait nanque Hipp. citato loco. {Corpus autem humanum, continet ſanguinem, pituitam, & bilem geminam,

Principia 4. omnium quæ oriuntur, & intereunt.

Loco citato.

Principia 4. propria animaliū ſanguine præditorū.

flauam,& atram,& hæc illi ſunt natura corporis, & propter hæc ægrotat, valétque:} valet quidem præcipuè, cùm ea inter ſe virtutem, & copiam mediocriter habeant temperatas, & potiſsimùm ſi permixta ſint: contrà laborat, cùm eorum quicquam fuerit minùs,ampliúſve,aut in corpore ſecretum fuerit,neque cum omnibus confuſum. Quocirca non ab re Galenus octauo de Hippocratis,& Platonis decretis,cap.5. accuratiùs,dicebat, de ipſis elementis, medicóq; etiam vtiliùs ſcripſiſſe Hippocratem cõſtare,quàm Platonem: quippe qui cùm ex quatuor elementis corpus noſtrum dicat extitiſſe, ab effectricibus qualitatibus omnino ea appellat,ſiccum,humidum,calidum,frigidum. Neque tamen de morbis ſecundum eandem rationem ſermonem facit: poteſtate ſiquidem in corporibus,non actu,inſunt:actu verò inſunt, quæ ex ipſis per media alimenta gignuntur,ſanguis,pituita,flaua, & atrata bilis. Quapropter melius eſt,vt ipſe inquit,vt de humoribus dicamus,quod de elementis Plato ſcriſit.Hæc etenim continenter, & proximè corporis membra producunt; ſanguis ſcilicet,pituita,& geminæ biles: & propterea valet corpus, cùm moderata maximè hæc inter ſe, tum facultate,tum multitudine,& mixta optimè fuerint: dolet verò cùm aliquid ex his plus,vel minùs ſeparatum in corpore, nec bene cum omnibus confuſum extiterit,vt priùs dictum eſt ex eiuſdem Hippocratis auctoritate citato libro primo de natura humana. Hæc inſuper propria animalium ſanguineorum elementa, primis illis communiſsimis correſpondent: vt inquit Galenus citato libro 8. de Hippocratis, & Platonis decretis. Igni enim flaua, terræ atra bilis,pituita aquæ correſpondet: atque idcirco calida & ſicca flaua bilis facultate, ſicut ignis, atra, frigida & ſicca, perinde ac terra,pituita non ſecus atque aqua,frigida & humida euaſit, æquabilis autem ex omnibus quatuor elementis temperatura, exquiſitum ſanguinem creat. Appello autem exquiſitum ſanguinem,eum,qui vtriuſque bilis ac pituitæ particeps eſt,cùm ſyncerum,omnínóque aliorum humorum expertem, in animalium corporibus, reperire non liceat, Galeni auctoritate, libro de multitudine.cap.10.Solùm autem aerem elementum, vt idem Galenus refert,in animalium corporibus,iuxta naturam ſuam,tum in reſpirationibus, tum in pulſibus, cernimus perſtitiſſe: quinetiam in palpitatoriis affectionibus,inflationibus,tumoribus,atque iis quos flatus dicere conſueuimus. Hæc item ſanguine prædictorum animalium propria elementa, non adeò propria eorum ſunt, quin alia quædam proximiora non reperiantur; quæ generationis noſtræ primordia ſunt. Nam quemadmodum ex primis illis quatuor communiſsimis elementis,non immediatè corpora conſtituuntur, ſed multis interuenientibus mutationibus,vt liquet eodem 8.de Hippocratis,& Platonis decretis, cap.5. ſiquidẽ ex ipſis,plantarum ortus;& fructuum,& ſeminum exiſtit: quæ omnia poſtea, ouibus,ſuibus,capris,bobus,aliíſque animalibus, quæ vel herbis, vel arborum fructibus,vel ramis,vel radicibus veſcuntur,alimentum præſtant. Demum hominibus hæc ipſa animalia nutrimento ſunt. Ex quibus quidem cibis, ſanguis in ipſis gignitur, & pituita, & geminæ biles: ſed ſanguis plurimus, vnde ſolus ex omnibus in venis apparet, alia pauciora creantur. Atque hic ſanguis eſt noſtræ generationis quaſi materia, qui ex quatuor quidem humoribus conſtat: à dominio tamen ita appellatur, vt idem Galenus refert. Ita quoque aſſerere licebit de eiſdem propriis quatuor elementis, ſanguine inquam, vtraque bile,& pituita, etenim non immediatè ex eis noſtra conſtituuntur corpora, ſed medio ſanguine menſtruo, ac ſemine: quapropter citato loco Galenus dicebat. {Prima igitur noſtra generatio eſt ſanguis, qui ex alimento intra corpus ſumpto efficitur: eſt item ſemen. Sanguinem voco, qui ex dominio tale nomen ſortitus eſt, quique in venis continetur.} Et primo de ſanitate tuenda, inquit, {ſanguis ſeménque genitale, generationis noſtræ primordia ſunt: ille ceu materia quædam apta, concinnáque & opifici ad quiduis ſequax, hoc opificis rationem obtinens.} Idem confirmauit ſecundo de naturalib

Loco citato. *Humores cõmunib.elementis reſpondentes.* *Loco citato.*

Sanguis ſyncerus non reperitur.

Humores principia corporũ non immediata. *Principia proxima noſtrorum corporũ. cap.1.*

Semen princi pium efficiẽs. Sanguis menſtruus, materiale.

turalibus facultatibus,cap.3.cum dicebat: {ſimen,principium animalis eſt efficiens, materiale nanque, menſtruus eſt ſanguis.} Et proinde dicebat ſemen, Phidiæ ad portionem reſpondere,ſanguinem verò ceræ rationem habere: quamuis neque ſemen facultas tantum ſit, ſed materia etiam quædam: neque menſtruum materia ſolummodo,ſed etiã facultas: vt ipſemet Galenus inquit, libro ſecundo de ſemine,cap.2. Conſtat autem horum vtrunq; ex eiſdem genere elementis,humido,ſicco,calido,& frigido,diſsident verò inter ſe ipſa, temperamenti menſura. Si quidem in ſemine plus eſt igneæ ſubſtantiæ, atque aëreæ:in ſanguine,aqueæ,ac terreæ: quanquam præpolleat in hoc quoque, & calidum frigido,& humidum ſicco: eóque fit, vt non ſiccus ſicut oſſa, pilúſve, ſed humidus meritò dicatur. At ſemen, ſanguine ſiccius quidem eſt; cæterùm ipſum quoque humidum, fluxiléque eſt: atque ita nobis vtrinque ex humida ſubſtantia genituræ origo proficiſcitur: vt patet eodem primo de ſanita. tuenda. Nec propterea ſibiipſi pugnat Galenus qui commẽ.aph.14.primi lib.cap.2. dicebat,quòd ſemen paucam omnino terrenam ſubſtantiam participat, plurimum autem aëris,calidi humidíque in ſe continet. Nam facta relatione ſubſtantiæ aëreæ ad igneam, plus ſatis aëreæ, quàm igneæ participare videtur, licet vtriuſque particeps ſit, ſi verò ad ſanguinem menſtruum ſemen comparetur, nulli in dubium venit, quòd plus igneæ ſubſtantiæ participabit, quàm ipſe ſanguis menſtruus, in quo aquea,terrenáque abundat, etſi in hoc quoque calidum frigido,& humidum ſicco præpolleat, vt dictum eſt. Conſtat itaque dictorum vtrunque ex primis illis quatuor communiſsimis elementis. Nec minùs & propria illa ſanguine prædictorum animalium,in ſe continent: quamuis alterum altero magis & minùs quorundam, quàm aliorum, particeps eſſe videatur: vt ex his quæ diximus,liquet. Cæterùm quamuis nobis vtrinque,ex humida ſubſtantia, genituræ origo proficiſcatur, hanc tamen humidam ſeruari non erat poſsibile, ſi modo ex ea nerui, arteriæ, venæ, oſſa, cartilagines, membranulæ,& alia id genus fieri deberent. Qua de re ſtatim in generationis noſtræ initio, coniectum copioſius oportuit fuiſſe elementum id quod ſiccandi vim haberet, eſt verò id natura quidem maximè ignis. Quinetiam & terra, etenim ea quoque res ſicca eſt. Verùm huius elementi plus immiſceri principiis noſtræ generationis non erat, ſi modo ea humida eſſe debebant, vt ſæpius dictum eſt. Ea propter igni quominus plus ſit admixtum, nec obſtat quicquam, & ſanè admixtum eſt,tanto planè plus in vtroque principio, ſanguine inquam & ſemine,quantum nec iam torreat, vrátve, & tamen abundè ſiccet. Tanta itaque ignis portio dictis principiis admixta eſt. Etenim tantus calor adhibitus,agilitatem præſtare ad motiones ſat erat. Ab hoc calore primum cogitur, paulúmque concreſcit quod in vtero conceptum eſt; mox ſiccius redditum, veluti lineamenta quædam & rudimenta cuiuſque membri obtinet: vlterius verò etiam ſiceſcens non lineamenta, rudimentáve modò, ſed etiam exactam vniuſcuiuſque ſpeciem, ſiue figuram oſtendit: & cùm in lucem editũ eſt,& magnitudine proficit,& tum ſiccius, tum valentius ſemper efficitur,donec ad ſummum incrementum ſit peruentum: tunc verò & incrementum omne ſiſtitur:at in eo quod ſequitur tempore, omnibus iam partibus ſupra iuſtum ſicceſcentibus,non ſolum cuiuſque officium minùs probè adminiſtratur,ſed etiam corpus ipſum macilentius, graciliúſque quàm ante redditur. Concludamus itaque corpora noſtra tum ex primis illis communiſsimis quatuor elementis,fuiſſe genita,tum etiam ex propriis ſanguine præditis animantibus, quæ demum in ſanguine & ſemine continentur: tanquam proximioribus generationis noſtræ primordiis,humidis vtriſque exiſtentibus; quia ex humido noſtra eſt generatio, vt patet commẽto aph.14.primi lib. Et ex humida ſubſtantia,nobis genituræ origo proficiſcitur, vt liquet citato libro 1. de ſanit.tuen.cap.2. Ex quibus connatum,ſiue innatum,eorum quæ in nobis ſunt, primum corpus eſt, quod ab efficaciſsima, quæ in eo eſt qualitate innatum calidum

Principia noſtrorũ corporũ proxima, & alia media, ex primis 4. cõmunibus conſtant.

Seminis et ſanguĩ. menſtrui temperatura.

Sanguine, ſub.

Conciliatio duorũ locorũ Galen.

Elementũ ignis in generatione noſtra præpollet.

calidum appellatum fuit; vt liquet libro aduerſus Lycum, Græcè vt diximus ἔμφυτον θερμὸν, conſueuit etiam Hipp. ἀρχέγονον vocare; quaſi primogenitum dixeris: pro eo quod primitus generandis adſit, & ex quo primam ſortiuntur generationem: idque non abre. Nam Gale. teſte citato com. apho. 14. primi libri, ſubſtantia innati caloris, aërea eſt, & aquea: & paulo poſt dicebat {humida ſiquidem eſt, maximè innati caloris affinis, quia ex humido noſtra eſt generatio.} Hoc igitur eſt id, quod calidum innatum appellamus: illud videlicet corpus, ex iam dictis primordiis primogenitum; illa prima ſubſtantia calida; ille primus inſitus ſpiritus; illa prima natura atque anima, immò natura & anima, nihil præter ipſum eſt; ex Hippo. & Gale. ſententia: & non immerito primum dicitur, cùm primogenitum ſit, & ex eo cuncta alia primam ſortiantur generationem. Hinc Galenus commento aphori. decimiquinti primi libri dicebat. {Neque enim aliud quicquam animal ab initio afformauit, ſicut neque rurſus adauxit, aut vſque ad mortem enutriuit, præterquàm iſte calor innatus, de quo nunc habetur ſermo. Hic enim eſt omnium operum naturalium cauſa.} Et paulo poſt. {Neque enim aliud quicquam eſt natura animalium, aſſerebat, præter hoc calidum innatum ſecundum Hippocratis opinionem.} Cuius ſub-

Subſtantia calidi innati. ſtantia, relatione facta ad prima communiſsima elemēta, aërea erit, & aquea: vt patet commento citati aphoriſ. 14. primi libri: ſi vero ad propria ſanguine præditorum animalium elementa conferas, eius ſubſtantia, in ſanguine & pituita ſubſiſtit maximè: qualitate autem, eſt congruè ex caliditate & frigiditate contemperatum; vt octauo de Hippocratis & Platonis decretis ſcriptum eſt. At ſi ad proximiora principia collatio fiat, nihil aliud eſt, quàm ſanguis & ſemen. Quinimò libro aduerſus Lycum, aſſerebat Gal. ego certè nil noui, præter hæc, tertium. Eſt inſuper ex calido, frigidóque commixtum, maximúmque vſum præbet frigiditas adiuncta, quia ſurſum, & foras peteret, & diſpergere-

cap. 6. tur; vt libro de tremore, rigore & hor. ſimul cum Hippoc. à Galeno decretum eſt. Non abre itaque infantes recēter nati, ac pueri, & vt ſummatim dicam, qui creſcunt, plurimum habent calidi innati, inquit Hippo. Quoniam ſubſtantiam aquoſam & aëream, quæ propria eſt ipſius calidi innati plurimam participant; vt citato apho. 14. 1. libri, ab Hipp. & Gale. patet. Sanguis quoque & pituita, in eis magnopere redundant; eorúmque vniuerſa ſubſtantia fere nihil aliud eſt, quàm ſanguis & ſemen, vt liquet lib. aduerſus Lycum. Prima enim eorum conſtitutio ex ſemine & ſanguine eſt, quæ humidæ & calidæ res ſunt, vt ait idem

cap. 2. Gale. 2. de temp. Intelligimus autem plurimam eſſe in his corporibus ſubſtantiam calidi innati, facta, vt citato lib. aduerſum Lycum ſcriptum eſt, cum nō innatis corporibus, cōparatione. Eorū enim inter ſe inſpicere proportionē debemus, non autem abſolutè magnitudinem metiendam eſſe, ſi qua verò de calido innato hic deſiderantur, noſtro libró de alteratione, &c. ſtudioſi petant.

Quid ſit calidum acquiſititium. *Caput IX.*

SED iam tempus eſt, vt ad alterius calidi, quod acquiſititium appellamus, inueſtigandā naturā accedamus, quod etiam quandoque animalis generationi ſecundum, interim ſpurium, appellare conſueuit Gale. Et quemadmodum nomine ab innato diſtat, ſic etiam & ſubſtantia, qualitatéq; ac operatione, ab eodem

Calidū acquiſititium cur dicatur. diſtare demonſtrauimus. Acquiſititium inquam dictum, quoniam temporis progreſſu, ac ætatis mutatione, acquiritur: ex Gale. ſententia, ſexcenties citatò com. aphoriſ. 14. primi libri, cùm dicebat. {Cùm igitur magis terreſtre efficitur animalis corpus (tale autem quotidie efficitur, cùm augetur) tunc licet valde vehementer calidum extſtat, & igneum, ſubſtantiam tamen innati caloris paucisſimam habet.} Et cùm dixit ſubſtantiam innati caloris paucisſimam habet, liquidò oſtendit huius acquiſititij calidi ſubſtantiam, diuerſam eſſe ab

ea, quæ

ea, quæ innati caloris exiſtit: quò fit vt quemadmodum innati caloris ſubſtantia eſt aërea & aquea, vt priùs diximus, ita ea quæ acquiſitítij eſt, terrea & ignea exiſtat, manifeſtauit illud idem Galé. aſſerens, Bene enim temperata eſt caloris innati ſubſtantia, ignea autem aduentitij: & poſt pauca, {puerorum verò corpus, inquit, tale exiſtit, plus humidæ, & aëreæ ſubſtantiæ obtinens, nõ ſicuti iuuenum, & declinantium ac ſenum, ſiccæ atque terreſtris;} Et eodem commen. {cùm quatuor ſint elementa, ex quibus omnia corpora ſunt temperata, inquit, puerile quidem corpus, multùm in ſeipſo continet aëreæ atque aquoſæ ſubſtantiæ, minimum terreſtris: contrà verò, eorum qui in ætatis vigore conſiſtunt, à terreſtri ſiccitate obtinetur, deficit autem aquoſa, atque aërea ſubſtantia:} Si quis verò memoriæ mandauerit, ea quæ nuper diximus, de noſtræ generationis principiis, facilè hanc Galen. ſententiam percipere poterit. Diximus etenim, quòd licet ex humida ſubſtantia origo geniture in nobis proficiſcatur, quia eadem humida ſeruari haudquaquam poterat, ea propter ſtatim, in generationis initio, quod ſiccandi vim haberet elementum, fuit coniectum: ignis inquam magis, quàm terra, licet & ea quoque commixta ſit: vt liquet 1. de ſanit. tuen. cap. 2. Hoc igneo elemẽto, ac calore, primum cogitur, paulúmque concreſcit, quod in vtero conceptum eſt: mox ſiccius redditur, nõ modo in vtero, verùm etiam & in lucem edito: quò fit, vt quemadmodum primò exiguam habebat admixtam terrenam ſubſtantiam ipſa genitura ſeu fœtus, tractu temporis, ac ætatis mutatione, nõ exiguam acquirat terrenam ſubſtantiam atque propterea & igneam, amittátq; aquoſam & aëream. Quinimò quantum de hac deperditur, tantum de terrea & ignea acquiritur: hinc acquiſititium calidum dicitur, præpollet etenim terrea & ignea ſubſtantia in eo. Nõ ab re igitur idem acquiſititium calidum diximus cum Galeno eſſentiam in ſicca, ac terrena ſubſtantia habere: quò fit vt etiam aucta illa ſicca & terrea ſubſtantia, augeatur & ignea. Differt itaque hoc calidum ab innato, ſubſtantia. Quoniam in innato plurima eſt aërea, & aquea, minima terrea, atque ignea: in acquiſititio contrà: minimùm eſt aëreæ atque aqueæ ſubſtantiæ, multùm verò terrenæ, atque igneæ. Animalis quoque generationi ſecundum appellatur, relatione ad primum, quod ἀρχέγονον diximus etiam appellari ab Hippocrate & Galeno, quaſi primogenitum: cuius etiam comparatione libro primo de diffic. reſp. idem Galenus νόθον, id eſt, ſpurium, vocauit: ipſum verò innatum, genuinum. Sed non ab re cuipiam hæſitandi occaſio dabitur: nam qui fiet vt hoc calidum acquiſititium, ſpurium, ac animalis generationi ſecundum nuncupetur, ſi illud igneum eſt, quod ſtatim in generationis initio noſtræ geniture fuit coniectum? Reſpondebimus, quòd licet primordiis noſtræ generationis, humidis ſiquidem vtriſque exiſtentibus, ob aqueæ & aëreæ ſubſtantiæ redundantiam, exiguus quidam ignis fuerit admixtus, quemadmodum etiam exigua admodum ſicca, & terrea ſubſtantia, quia tamen eadem ignis portio, quæ quidem, vt diximus, exigua exiſtit, quemadmodum etiam, & terrena, admodum ab aërea & aquea ſuperantur, ac vincuntur; ob id tum eorundem elementorum ſiccitas, tum etiam ipſius ignis caliditas, veluti euictæ & ſuppeditaræ ab aërea, & aquoſa ſubſtantia, quæ multa eſt, ferè percipi haudquaquam poſſunt, cùm primum geniture origo proficiſcitur, ac etiam in lucem editur fœtus. In dies autẽ magis, ac magis cùm ſiccior reddatur, quod in vtero conceptum eſt, etiámq; in lucem editũ animal, magis quoq; & terrea & ignea ſiccitas, ac caliditas, manifeſtatur, ac ſentitur. Nimirum itaque cũ talis ſit aduentitij ſeu acquiſititij calidi ſubſtãtia, ideo acquiſititiũ etiam appellatur calidũ, eius nanq; actio in tẽporis progreſſu manifeſtatur: vt ex dictis liquet: quoniã & eius ſubſtãtia, quæ priùs valde exigua erat, augetur, ac maior redditur. Sed adhuc inſtabis & fortiùs, ſi quæ augẽtur corpora, æqualẽ habẽt ſubſtantiã calidam, atque igneam, cum iis qui in ætatis vigore conſiſtunt, ac propterea æqualiter calida corpora eorum eſſe, vt inquit Gal. com. citati apho. 14. 1. libri, falſum

Calidi acquiſititij ſubſtantia à calidi innati ſubſtãtia diuerſa.

Obiectio.

Dilutio obiectionis.

Alia obiectio.

falſum erit aſſerere, hoc calidum aduentitium, ſeu acquiſititium dici, cum ætatis mutatione, ac temporis progreſſu, maius non reddatur, neque augeatur.

Obiectionis dilutio.

Huic dubitationi ſic ſatisfacere poteris; quòd quamuis æqualis fuerit ſubſtantia calida atque ignea, pueris, & iuuenibus, in cæteris paritate ſeruata, tamen in pueris, vt diximus, hæc ſubſtantia ignea, ferè euicta, & veluti ſuffocata permanet à maiori copia aëreæ, atque aqueæ ſubſtantiæ, quæ propria exiſtit ipſius innati calidi, terrea autem minima exiſtit: in iuuenibus contrà, nam euicta iam ferè, atque ſuperata eſt ſubſtantia calidi innati, ab hac terrea, & ignea, ætatis ratione, quæ quidem ſubſtantia magnopere familiaris eſt ipſius ignei & acquiſititij calidi, veluti enim temperata eſt caloris innati ſubſtantia, ita ignea aduentitij, inquit Galenus. Nam corpus quotidie magis terreſtre, ac vehementer calidum, & igneum redditur. Quapropter hi qui io ætatis vigore conſiſtunt, paucißimam habent innati caloris ſubſtantiam, multam verò aduentitij: quoniam eorum corpus à terreſtri ſiccitate obtinetur, deficit autē aquoſa atque aërea ſubſtantia. Hæc etenim quotidie deficit atque deperditur; illa verò in dies ſemper acquiritur, ac ſuperabundat: qua denique ratione meritò acquiſititium appellatur calidum, & animalis generationi ſecundum, ac ſpurium, vt diximus: alterum verò innatum, ſeu connatum, primum, ſeu primogenitum, ac genuinum: quocirca nedum nomine, ſed re ipſa, ac ſubſtantia, ab eodem innato diſſentire videtur. Inſuper etiã & qualitate, cum ſatis arida, acris, atque ignea ſit eius qualitas: halituoſa verò, ſuauis, mitis, ac temperata, ipſius innati calidi, quod quidem qualitate eſt congruè ex qualiditate & frigiditate contemperatū, vt octauo de Hipp. & Plat. dec. à Gal. ſcriptū eſt. c. 2. Tu verò hæc poteris tactu diſcernere, nanque fumoſi, fuliginoſi, aridi, & acres, per totum corpus noſtrum effluxus, calorem acquiſititium conſequuntur. Suaues halituoſi, humidi, vaporoſi, atque temperati, natiuum. Neq; hoc mirum videri debet: oportet enim, inquit Galenus, ſimilem eſſe defluxum ſubiectæ ſubſtantiæ, vt quando humida & aërea ſubſtantia exiſtit, tum quod ab ea defluit, vaporoſum eſt, atque ſuaue: cùm verò terreſtris atque arida, tunc etiam quod effluit fuliginoſum eſt, ac acre: quod etiam in exterioribus euenit. Nam quæ ex aqua dulci & calida euaporant, bona ſunt, & vaporoſa, ſed quæ ex aliquo corpore ſolido exuſto, fumea ſunt & acria. Nec minùs & operatio eorum diuerſa exiſtit, cùm calidum innatum omnium operum naturaliū cauſa ſit, neque aliud præter ipſum quicquam, animal ab initio afformauit: ſicut neque rurſus adauxit, & vſque ad mortem enutriuit, vt ſuperius cum Galeno annotauimus. Neque aliud quicquam eſt natura animalium præter hoc calidum, ſecundum Hipp. opinionem: quod confirmabat Galenus ſecundo de natur. facult. cap. 2. ſub his verbis {quippe natura illa, quæ particulas effingit, & ſenſim adauget, omnino per eas totas eſt extenſa, vtque totas eas per totas non tantum extrinſecus effingat, nutriat, atque adaugeat:} ipſius verò acquiſititij calidi, igneique munus tale non eſt, nam ſi ab igne ciborum concoctio, digeſtio, ſanguificatio, & nutritio fieret, meliùs, vt inquit Galenus, & citiùs etiam in febricitantibus, omnia hæc conſpicerentur abſolui. Eſt etenim, vt diximus, in hoc genere acquiſititij caloris, & febris ipſa; vt ex 6. de morbis vulgaribus ab eodem Galeno liquet. Quinimò eius operatio, contraria eſt operationi calidi innati, cùm hoc minuat, deſtruat, corrumpátque, illud verò perficiat, formet, atque adaugeat: digerit etiã, apponit, vnit, & aſsimilat, vt ex libro de maraſmo patet. A principio nanque ortus, ad finem vſque, vllo non tempore, ſiccius corpus reddere, ignea caliditas deſinit: quoad vltra ſiccatum, non macilentius modo, ſed etiam rugoſum efficiatur, quæ affectio, ſenium appellatur, & deinceps omnino genitum corpus corrumpatur, atque intereat: quam etiam ſententiam, ſcriptam reliquit Ariſtoteles ſecundo de anima, cùm dicebat, ignis naturam, ſimpliciter nullo modo cauſam eſſe alimenti, & augmenti, vt quibuſdam viſum eſt: ſed quodammodo concauſam. præcipua etenim cauſa eorum anima exiſtit, tanquam

Qualitate, quæ tactu dignoſcitur, differt quali. acquiſit. ab innato.

Operatione differt calidum acquiſ. ab innato.

Comment. 1. tex. 29.

forma

forma in his operationibus exiſtens. Pari ratione dicimus nos calidum innatum, naturam, ſeu animam, quæ in Hippoc. & Gale. doctrina confunduntur, vt ſæpiùs diximus, omnium operum naturalium cauſam eſſe: & nō acquiſititium calidum, ſeu igneum: non negantes, ignem, cùm & ipſe quoque conſtitutionem innati calidi ingrediatur, licet admodum exiguum, eſſe veluti concauſam quandam: quamuis eius munus proprium ſit toto vitæ curriculo corpora ſicciora reddere, quod vna eſt omni genito corpori corruptelæ, interitúſque connata neceſsitas, vt inquit Galenus, primo de ſanit. tuen. cap. 2. Altera verò eſt, vt ipſe refert, quæ etiam in animalibus præcipuè cernitur, totius ſubſtantiæ fluorìquem inſitus calor excitat. At ſi quiſpiam dixerit, & hunc quoque calo- *Obiectio.* rem exſiccare, corrumpere, & interimere, Hipp. auctoritate fretus, qui vnde gignimur calorem, corpora corrumpere, & nos interimere aſſerit, cum Galeno *Dilutio obiectionis.* lib. de maraſmo, cap. 3. dicimus, hanc non eſſe Hipp. genuinam ſententiam: & ſi Hippocratis ſit, innatum calidum, ſemper ſuapte natura perficere fatemur. Verùm vt perfecta ſint animalia, opus eſt eorum ſubſtantiam duram euadere. Quare ſi naturæ, vbi ad ſummum vigorem animal prouexit, totidem rurſus æquis viribus elementa inſerere liceret, pariter opificium ſuum, citra ſenium, & incorruptibile feciſſet. Cùm verò inſeri nec mutari poſsint prima fœturæ elementa, vltra vigorem exſiccari corpus eſt neceſſum; & demum corrumpi: quare ex accidenti corpora ex innato calido ſeneſcunt, & ſenio confecta corrumpuntur, & non per ſe. Quod item innatum calidum, cùm plurimū habeāt qui creſcunt, plurimum quoque ab ipſis defluere, eſt neceſſarium: vtpote qui humidam & calidam habeant ſubſtantiam, & ob id plurimo inſuper egere nutrimento. Alioqui corpus abſumitur, ait Hippocrates. etenim vbi id, quod defluit, plurimum eſt, quòd verò influit, paucum, hìc neceſſe eſt ſubiectam corrumpi ſubſtantiam. Inſuper & hoc quoque innato calido, pueri, calidiores etiā dicuntur iis, qui in ætatis vigore conſiſtunt: quemadmodum hos, pueris calidiores acquiſititio calido eſſe fatemur: cuius ſubſtantiam aridam, & terream, non aquoſam, & aëream eſſe diximus: quapropter ex eorum ſubſtantia, minùs diffluit: & propterea minori etiam alimento indigent: quoniam neceſſarium eſt alimentum, vt quod effluxit è corpore, ſuppleatur: ipsáque alimenta, ſemper oportet eſſe innati caloris multitudini proportionalia: niſi fortè aliquando ex aëris ambientis caliditate fuſio adueniens, cogat ſubtrahere, Galeno teſte com. apho. 15. 1. lib. abſolutè verò loquenti, neuter eorum, inquit idem Gal. 2. de tempe. cap. 2. ſimpliciter videtur altero calidior, imò in vtriſq; æqualitatem caloris inuenies. {Ita igitur mihi cum pueros, iuuenes, adoleſcentes millies conſideraſſem, præterea eundem infantem, puerum, adoleſcentémque factum, nihilo calidior viſus eſt, nec puer quàm ætate florens, nec ætate florens quàm puer.} hæc ille. Circunciſis nanque reliquis omnibus, ſi eas, quæ ex ſola ætate proueniunt, differentias, æſtimaueris, comperies pari portione, in vtriſque elementum igneum: & propterea æqualiter calida corpora eſſe: ſi modo verum ſit, quod huius elementi maiori, vel minori participatione corpora magis, vel minùs calida eſſe dicantur: relatione facta ad corpus temperatum: quemadmodùm ipſemet Galenus teſtatur libro de tempera. & aduerſus Ly- *Loco citato.* cum. Hanc etenim ob cauſam, calidiora hæc corpora, illa frigidiora, natura facta ſunt: quoniam hæc maiorem calidi elementi portionem, hæc minorem, adepta ſunt. Nam cùm vniuerſis nobis calidum inſit elementum à prima ſtatim origine, quam ſortiti ex ſanguine menſtruo, & ſemine ſumus, diſtamus tamen abinuicem, quòd magis minúſve, alius alio calidior reperiatur: ſunt tamen latitudini huic quidam, tanquam termini præfixi, quos vltra, ſi temperamentum progrediatur, aut ægrotare nos, aut iam interire neceſſe eſt: vt eodem libro aduerſus Lycum decretum eſt. vt enim plus iuſto refrigerati, morbos contrahimus frigidos, ſic cùm extra ſanitatis campum excalfacti fuerimus, in febrem incidimus: ad quam iterum redire iam tempus eſt, cùm multo plura

quàm propoſueramus,ſermonis affinitate,de gemino calido, innato inquam, & acquiſititio verba fecerimus. Quanquam non adeò ſuperflua ſint,quin tanquam neceſſaria,magnam opem tyronibus, artis medicæ ſtudioſis afferãt:cùm ad alia multa,tum ad faciliùs dignoſcendam febris naturam,quam nos eiſdem dilucidare inſtituimus.

Qualis ſit febris natura,quæve eius definitio. **Caput X.**

Febrium morbus partiũ ſimplicium,in intemperie.

SI cùm extra ſanitatis campum excalfacti fuerimus, in febrem incidimus,ex numero earum ægritudinum primarum, quæ primis,ac ſimplicibus animalis particulis accidunt,erit febris ipſa. Nam cùm earundem propria elementa ex quibus fiunt ſint, calidum,frigidum,humidum & ſiccum vbi probè fuerint temperata,peculiares,proprij,ac primi morbi, ex eorum intemperaturis neceſſariò conſtituentur.Cùm verò hæc,octo ſint numero,quatuor ſimplices,& totidem cõpoſitæ:vnus quiſpiam morborũ,quos intemperies creat, erit vtique febris: vt liquet octauo meth.cap.1.& primo de different.febr.cap.3.ídque perpetuò: cùm nuſquam febris aliqua reperiatur,quæ intemperies non ſit,quocirca morbus ſemper erit febris: & non quandoque ſymptoma,vt quidam prauè ſentiũt, etenim neque vnquam in aliquo trium ſymptomatum generum contineri poteſt,vt cuilibet omnia tria ſymptomatum genera examinanti,liquidò patebit.

Febris nunquam ſymptoma.

Eſt itaque febris intemperies,calida inquam & ſicca:quicquid alij velint, Galeni auctoritate commento aphoriſ.16.primi libri: primo de ratione victus, & ſexcentis alijs in locis:quoniam,vt inquit ipſe,conuerſio,ſeu mutatio eſt, (nam vtroque modo vocem τροπὰ Latini vertũt) natiuæ caliditatis ad igneã.Cùm autem ignis,tum calidus,tum ſiccus ſit,atque ob id,etiam febris, ait Galenus in eodem primo,de ratione victus. Verùm quemadmodum igni, propriùs calor quàm ſiccitas ineſt,licet ſicca ſit etiam ignis natura,Ariſtote.auctore, libro de ſenſu & ſenſili,eſt inſuper ignis magis calidus quã ſiccus, auctoritate eiuſdem ſecundo de gene.& cor.ita quoque de febre aſſerẽdum erit, quòd ſcilicet, licet affectus ſit calidus & ſiccus,propriùs ei calor exiſtit, & magis eſt affectus calidus quàm ſiccus:loquor autem de febre abſolutè,quatenus febris eſt,quæ, vt diximus,conuerſio eſt,ſeu mutatio natiuæ caliditatis ad igneam. Definit autem febrem Galenus per motum,ſeu mutationem, eam eſſe conuerſionem aſſerens,nam licet proximè ad ignis naturam accedat,nondum tamen eſt ignis, vt priùs dictum eſt,quantumuis febris vehemẽs fuerit,ſi enim eam,per terminum motus definiuiſſet, omnino vtique eſſet ignis:quod quidem in Hippocr. & Galeni doctrina,pro falſo habetur.

Tex.18. *Loco citato.* *Tex.3.* *Tex.23*

Febris in motu eſt,nõ in termino motus.

Dubitatio.

Sed mox inſtabit quiſpiam,aſſerens hoc falſum eſſe,ſaltem in febre hectica,in qua,vt dicemus, æqualiter partes ſolidæ, ſunt in calfacto eſſe, ita vt intemperies calida & ſicca, ac febris facta, apud omnes dicatur,qua de re febris hæc haudquaquam conuerſio dici poterit.

Reſponſio.

Cui reſpõſum ſit,quòd quamuis in febre hectica partes ſolidæ incaluerint, & propterea febris æqualis intemperies dicatur, tamen adhuc febrilis ille calor, in partibus ſolidis ſuſceptus,ad igneum vndequaque conuerſus non eſt; ſed in via vt conuertatur. Etenim ſi omnino conuerſus eſſet ad igneam qualitatem, vtique homo viuere non valeret.Non itaque inconuenit partes ſolidas, in febre hectica æqualiter calfactas eſſe,ipſam verò earum partium innatam caliditatem,adhuc conuerti ad igneam,& non omnino conuerſam eſſe. Conuerſio, inquit Galenus, non abſque forti ratione, innatæ caliditatis,& non innati calidi,vtens quandoq; vocibus ἐμφύτου θερμότητος,interim ,ἐμφύτου θερμασίας:& non ἐμφύτου θερμοῦ.Nam ipſius innati calidi qualitas eſt,quæ præcipuè in febre mutatur,atque conuertitur, & non ſubſtantia eiuſdem. Verificauit illud Galenus commento ſæpe citati aphoriſmi 14. primi libri aſſerens. (Nam ſanorum calor vaporoſus eſt, atque ſuauis, & tactu conueniens, nihil triſte, nihil

Febris cõuerſio eſt qualitatis calidi innati, non ſubſtantiæ ipſius.

aſperum,nihil mordax præ ſe ferens:eorum verò qui febricitant, & præcipuè hecticas febres,aut eas quæ ex putredine humorum ortum habent,acris eſt,& inſuauis,ac mordax,& noſtrum corrodens tactum:} & ratione quoque firmatur. Nam cùm febris ipſa qualitas ſit,& nulla qualitas reperiatur extra ſubſtantiam,vt liquet primo de elementis;ſuſcipitur tanquam accidens quoddam, in calidi innati ſubſtantia, quam non aliam , ſed alteratam reddere poteſt; tanquam differentia quædam accidentalis ipſius: quocirca conuerſio hæc natiuæ caliditatis, ad qualitatem attinet. Alterata tamen eiuſdem calidi innati ſubſtantia quodammodo,ac mutata, non tamen corrupta. Sed quæret quiſpiam, vtrum febris, quæ conuerſio eſt natiuæ caliditatis ad igneam,idem ſit cum acquiſititio calido, quo magis eos qui ætatis vigore conſiſtũt, abundare concluſimus? Huic reſponſum volo,non alterius generis eſſe febrem,quàm calidi acquiſititij,ex Gal.auctoritate 6.de morb. vulg.quo loco admittẽs geminum calidum in animalium corporibus,poſito ingenito,ac innato,dicebat:{ Alterum verò acre,mordax,& igneum,in quo genere,& febris eſt. }Cùm igitur tale ſit acquiſititium calidum,relinquitur febrem in eodem genere eſſe: & propterea idem Gal.citato loco dicebat hoc calidum ſæpiùs acquiſitum ,interdum non naturale,nonnunquam & à natura alienum vocari. Quò fit vt propterea quicunque hoc incaleant calido,ſimul atque denſata eiſdem cutis fuerit,febre eos vexari contingat;quemadmodum illi qui altero calido vberrimè affluũt, ſuppreſſa diffiatione , pleniores quidem fiunt, ſed in febrem non incidunt. Ita vt per hæc verba innuere videatur Galenus,quòd quamuis ſub genere acquiſititij caloris,febris ſit,diſcrepat tamen ab eo , quod iuuenes abundare videntur, maioris ratione,inſuper & cauſa. Siquidem ſecundum naturam in iuuenibus acquiſititij calidi cauſa exiſtit:etenim ætatis ratione acquiritur, febrientibus verò,cauſa ſemper præter naturam eſt. Conueniunt itaque in qualitate, quam communem habent,acrem videlicet ,inſuauem , mordacem , atque igneam. Differunt autem cum cauſa , tum maioris, minoriſve ratione , cum minùs acris, mordax , ac ignea in iuuenibus caliditas adſit , quàm in febrientibus, præſertim febre hectica,aut ea quæ ex putredine ortum habet. Quocirca non abſque forti ratione Galenus citato loco aſſerebat , hoc acquiſititium calidum , interdum non naturale , nonnunquam & à natura alienum vocari. Quanto enim magis hoc acquiſititium calidum, ad ignis naturam accedit, eo non naturale, aut à natura alienum, vocabitur. Et ſi quiſpiam hæſitabit,aſſerens quì fieri poſſit,vt febris, tum qualitas,tum forma,eodem in ſubiecto permanere poſſint cum forma ac qualitate innati calidi ? Reſpondebimus nos nihil referre in Ariſtotelis & Galeni doctrina, plures tum formas,tum qualitates ac facultates , etiam contrarias in mixtis ſeruari poſſe , eò magis cùm vna ſe habeat,vt ſubſtantia, reliqua vt accidens. Non inconuenit ergo quòd in eadem ſubſtantia calidi innati , eodémque ſubiecto , forma adſit , ac qualitas ipſius propria,& ea quæ febris eſt cùm forma,tum qualitas;tãquam accidens, nam idem Galenus tertio & quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus nonnullas in mixtis ineſſe , tum facultates,tum qualitates per ſe , non diuerſas duntaxat,ſed contrarias , ſcriptum reliquit. Quemadmodum etiam pro abſurdo haudquaquam habemus,geminum ſemper in animalium corporibus contineri calidum, quorum alterum ab altero nomine,ſubſtantia, qualitate,ac operatione,diſſentire fatemur:quippe cùm aut impoſsibile, aut perdifficile ſit aliquam inuenire ſubſtantiam , quæ adamuſsim ſimilarium ſit partium, vt liquet eodem quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Ex quibus ſtudioſi facilè percipere poterunt nihil referre, ſi Galenus dixerit febrem eſſe conuerſionem natiuæ caliditatis ad igneam in præcitatis locis; ſextò autem de morbis vulgaribus, primo de differentiis febrium , & aliis pleriſque locis aſſerat eius eſſentiam , eſſe præter naturam caliditatem. Mutatur enim in febre, natiua caliditas ad igneam, quæ acquiſititia ſæpe, quan-

Cap.6.

An febris ſit in genere calidi acquiſitij.

Commen. 1. tex.29.

Febris differt à calido acquiſ. maioris, & minoris ratione, & cauſa.

6.de morbis uulgaribus.

Dubitatio.

Reſponſ. In mixto plures formæ, qualitateſque contrariæ reperiri poſſunt.

Cap. 14. & cap.23.

Loco citato.

Commenta. 1. tex.29.

Cap.1.

doque non naturalis, interim à natura aliena ab eodem appellatur. Qua etiam ratione, neque damnandus eſt Arabum princeps, qui febrem dixit, eſſe calorem extraneum, cùm febrilis calor, naturali comparatus, ſit à natura alienus. Admittenda inſuper non minùs eſt Auerrois definitio, qui voluit febrem, calorem eſſe compoſitum, ex calore naturali, & extraneo putredinali, cùm conuerſio ſit naturalis caliditatis ad igneam, ex Galeni auctoritate: qua in conuerſione, neque omnino naturalis, neque præter naturam in vniuerſum calor exiſtit, ſed ex vtriſque quodammodo compoſitus in via & mutatione exiſtens, & non in termino: & propterea vtroque participans.

Conciliatio Arabum cum Galeno.

Quòd febris ſubiectum ſit calidum innatum. Caput XI.

CVM ergo febris ſubſtantia, in eo qui præter naturam ex calore, conſiſtat; quoniam in corde quædam præter naturam caliditas generatur, vt inquit Gale. 1. de diffe. feb. cap. 3. quibuſdam viſum eſt eiuſdem febris ſubiectum geminum eſſe; vniuerſale ſiquidem vnum hoc eſt cor: particulare alterum, ſcilicet tres diuerſæ cordis ſubſtãtiæ; ſpiritus, humores, & partes ſolidæ. Nos verò aliter cum Galeno tenemus; quanquam re ipſa parum diſtare videamur, nam cùm febris, cõuerſio ſit natiuæ caliditatis ad igneam, eius forma, eſſentia, ſeu qualitas, tanquam in ſubiecto, ſuſcipitur primùm in ſubſtãtia calidi innati, quemadmodum ſuperiùs concluſimus, hæc nanque eſt quæ mutatur, atque alteratur, accidentalem caliditatem, quæ febris eſt, ſuſcipiens: & propterea dicimus cuiuſlibet febris ſubiectum, calorem eſſe natiuũ, cuius cùm fons, origo, & principium fuerit cor ipſum, ex Galeni 5. de locis affectis, cap. 1. & ſexto de Hippocratis, & Platonis decretis, cap. 6. & aliis pleriſque locis; propterea in corde quandam præter naturam caliditatem generari dicimus, cùm febris ipſa generatur: & quemadmodum ab eo in totum corpus diffunditur, ac vniuerſis partibus ſuppeditatur innatum ipſum calidum, ita quoque hæc præter naturam caliditas, ab eodem in totum animal effunditur, aut omnino ad plurimas, vel nobiliſsimas partes. Verùm cùm in Hippocratis, & Galeni doctrina idem ſit calidũ innatum, & natura, idem quoque erit aſſerere calidum cordis innatum, quod naturam eiuſdem: quinimo & proprium temperamentũ, ac propriam ipſius cordis ſubſtantiam, quæ omnia apud eoſdem auctores, ſæpius confunduntur: id quod manifeſtauit Galenus non ſolum commento aphoriſm. 15. primi libri, verùm etiam primo de vſu partium, cap. 9. ſub his verbis, { Inſunt autẽ primùm (ipſis videlicet corporibus) & maximè temperamenta, quippe quæ propriam particularem ſubſtantiã complent, corpus enim tale natura eſt, propterea quòd caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate ſic commixtum eſt, nam carni eſſe carnem, & neruo neruum, & aliorũ vnicuique id eſſe, quod eſt ob qualitatum quatuor prædictarum, certam quandam temperaturam, mixtionẽmque contingit. } Quod calidum innatum, licet ex ſanguine menſtruo, & ſemine ortum habeat, vt cum Galeno concluſimus, quia ſemen ipſum ex ſeroſa humiditate, ac ſpiritu qui in ea eſt, cõſtat, vt liquet libro aduerſus Lycum, cap. 7. ob id idem Galenus quinto de ſimplicium medicamentorum facult. cap. 21. dicebat, { Verùm nihil prohibet ſanguineam ſubſtãtiam, ſimúlque aqueam, ſeu ſeminalem, vnà cum ſpiritu calidum inaudire innatum: } & cõmento citati aphoriſmi 15. primi libri: { Tria autem hæc erant corpora inquit, quæ primæ noſtræ naturæ ſubſtantiam compleuerunt, ſpiritus, ſanguis, & ſeminalis humiditas, ex qua in primo quidẽ ortu, veluti in libro de ſemine diximus, fiunt animalis partes ſolidiores: } & vndecimo method. cap. 1. & 3. Naturam ex iis tribus partibus conſtare dicebat, ex ſpiritus, & earũ, quæ verè dicuntur ſolidæ, ſubſtãtia: quas alibi ex ſemine genitali ortum ducere monſtrauimus, & tertia ab his carnoſa, quæ cuique particulæ eſt ſua. Quocirca, ſi quiſpiam aſſerat calidi innati eſſentiã, ſeu ſubſt-

Calidum innatum & natura, idem.

Calidi innati ſubſtantia.

ſubſtantiam ex ſanguine menſtruo & ſemine conſtitutam eſſe, aut in ſanguine,ſeu humoribus,ſpiritu,& ſeroſa humiditate,ſeu carnoſis pattibus, ſpirituoſis,& ſolidis,eius ſubſtantiam contineri, idem ſanè aſſetere videbitur, perpetuò pro hypotheſi habens,quòd quicquid de calido innato fatẽtur, idem quoque de natura verificetur,& è contrà. Hinc Hipp. non immeritò philoſophorum,ac medicorum princeps, hominis partes vniuerſas, tres eſſe affirmabat ſexro de morb. vul. cõtinentia inquam,contenta, & fluitantia, ſeu impetentia, continentia appellans ſolidas partes,cùm complectantur, & contegant humida,contenta,humores,qui ab eiſdem partibus continentur, fluitantia autem, ſeu impetentia,ſpiritus, qui vel momento, facilè & expeditè partes corporis omnes vſquequaque permeent.

in partibus carnoſis, ſpirituoſis, ſolidis.

Sect. 8.

Quot ſint primæ, & eſſentiales febrium differentiæ. Caput XII.

CONSTITVTA eſſentiæ ratione rei diuidendæ, hoc eſt febris definitione,tanquam principio diuiſionis eiuſdem, ac noſtræ methodi,conſonum eſt,vt ad inueſtigandas earundem febrium differentias,noſtra conuertatur oratio,à primis & ſupremis generibus,ſeu ſpeciebus,ſeu differentiis exordientes. Hinc rurſus ad alias,donec ad tales peruenerimus,poſt quas ad vnum numero,& indiuiduum perueniamus:cùm neque in primis & ſupremis perſiſtendum ſit,neque vſque ad aliquid perueniendum,non tamen vſque ad finem, neque vitioſis vtendum erit diuiſionibus,quod quidem ſeruãdum in omni diuiſa methodo eſſe,decretũ reliquit Galenus primo de arte curatiua ad Glauconem. cap. 1. Cùm itaque primum,atque præcipuum differentiarum genus, ab ipſius rei diuiſæ ſubſtantia,ſeu eſſentia ſumatur:& febris eſſentia in eo quod præter naturam eſt calore,conſiſtat, vt teſtatur Galenus 1. de differẽtiis febrium,cap. 1. conſequens eſt, vt primæ atque præcipuæ febris differentiæ, ex ipſius caloris differentiis oriantur:cuius quidem caloris differentiæ tres exiſtunt, Hippocrare auctore ſexto de morbis vulgaribus, & Galeno eodem primo de differentiis febrium. cap. 1. Quarũ vna ex eo quod magis & minùs,altera ex materia in qua hic præter naturam calor accenditur, & tertia ex modo motus caloris eiuſdem accipitur, quas omnes vnà cum dignotionis modo, idem Hippocrates citato loco annotauit. Inter has licet omnino euidentes ſint differentiæ,quæ in eo quòd magis,aut minùs conſiſtunt;quia tamen non propriè rei quali nomen quanti accommodatur,propterea quæ à materia ſumuntur differentiæ, in qua hic calor præter naturam accenditur:maximè propriæ ſunt ipſius febris,& ob id ipſius caliditatis differentias, quæ à materierum differentia ſumuntur quæ febrilem caliditatem ſuſcipiunt, vnà cum Gal. citato lib. 1. de diff. feb. cap. 1 explicandas proponimus,ſunt etenim hæ non modo primæ, atque præcipuæ,ſed maximè propriæ, vt inquit idẽ Galenus citato loco: reliquæ verò quæ ſumuntur ex modo motus caloris,citra iam dictas,dignoſci nequeunt. Nam vel non mordaces,apparent primo ſtatim in manus impoſitu,ſed aliquo tempore poſt inſurgunt, vel primo tactu mordaces,acréſque viſæ ſunt febres,demũ per longum tempus iniecta in ægrotantem manu,diminui videbuntur. Pari etiam ratione eædem differentiæ ex modo motus caloris,cùm his quæ capiuntur ex eo quòd magis vel minùs copulantur,cùm primo tactu magnæ, & demum minui interdum apparent,interim contrà:quamuis magis propriæ ſint hæ caloris differentiæ,quàm illæ,quæ ex eo quòd magis, vel minùs ſumũtur. Quocirca Hip. non ſine miro artificio,primò differentias ſumptas ex diuerſa materia, in qua hic calor accẽditur,pateſacit demũ eas,quæ ex modo motus, & tertiò eas,quæ ex eo quòd magis & minùs oriuntur,& nos quoq; eas ſectari propoſuimus,quę ex materia ſumuntur,in qua hic præter naturã calor accenditur,tanquã maximè proprias febris differẽtias,ac præcipuas. Nam vel idem calor ipſius cordis

Tres caloris differẽtiæ, ex quibus febriũ diuiſio.

Commenta. 1. tex. 29.

Febrium differentiæ à materia in qua calor accẽditur, maximè propriæ, de quibus hic agitur.

Febrium dif-

rentiæ tres materiæ. corpus occupauit, aut eos, qui in eius ventriculis continentur humores, vel aëream ſubſtantiam, ſeu ſpiritum eiuſdem, quibus in ſubſtantiis tribus innatum calidum contineri, paulò ante concluſimus. Quocirca conuertatur oportet caliditas cordis innata, in qualibet febris differentia ad igneam, & cum eadem conſiſtat in ſpiritibus, humoribus, ac ſolidis partibus, ſi præter naturam his calor in ſpiritibus ſuſcipiatur, genus vnum febrium gignitur, ſeu differentia vna, *Diaria.* quam diariam appellamus, ſi verò in humoribus alterum genus febriũ oritur, *Humoralis.* quod ex putredine ortum habet, & medicorum vulgus putridas, humoraléſque frebres appellat. At ſi in ſolidis cordis partibus, ſeu ipſius corpore accen- *Hectica.* datur, hecticã febrem appellare conſueuerunt. Non ab re itaque tres ſunt vniuerſales, ac primæ febris differentiæ, ex eius eſſentia ortæ, calore inquam præter naturam, in diuerſis ipſius cordis materiebus, ſeu ſubiectis, accenſo: ſeu vbi caliditas natiua ipſius diuerſimode ad igneam conuertitur, ſecundum vnam *Calor vna ſubſtãtia primùm læſa reliquas duas inuadit.* vel alteram eius ſubſtantiam, in qua conſiſtit. Animaduerſione tamen dignum eſt, quòd hic præter naturam calor, quem febrẽ nominamus, alias ex aliis, quas nuper diximus ſubſtãtiis, incipit, ſpargitur autẽ, atque vnà cum patiente afficit duas reliquas. Cùm verò vna earum ſufficienter incaluerit, ſeu fuerit calfacta, ſecundum illam dicimus febrem oriri, licet reliquæ ſimul cum eadem caleſcant. Neque enim parum refert, inquit Galenus, ſi caleſcere, aut calefacta eſſe dicamus. Eſt etenim corpus noſtrum vndequaque confluxibile, & conſpirabile; verùm facillima eſt ab humoribus ad ſpiritum caliditatis tranſſumptio. Non æquè autem promptè vnà cum ſpiritu accẽduntur humores, corpus verò ſolidum humoribus, atque aëreæ, ſeu ſpirituoſæ ſubſtantiæ, faciliùs calorem impartitur; quàm ipſum ab iiſdem ſuſcipiat, ſiquidem omnis tenuis ſubſtantia promptiùs alteratur quàm craſſa, vt patet præcitato libro 1. de differ. febrium, quamuis febrilis diſpoſitio indifferenter aliàs ex aliis iam dictis ſubſtantiis ſumat initium. Verùm in genere primùm læſo, non ſiſtit, ſed duo reliqua genera inuadit; vt ante diximus: ac niſi antea ſoluatur, progreſſu temporis illa quoque *Obiectio.* ſimiliter afficit, ſed mox ex iis quæ diximus quibuſdam dabitur dubitandi occaſio. Nam ſi pro diuerſa materia, in qua calor præter naturam accẽditur, præcipuæ, ac maximè propriæ differentiæ ſunt ipſius febris, ſequeretur quòd vnum tantùm genus, ſeu vna differentia earum eſſet morbus, reliquæ verò duæ non morbus, ſed cauſa morbi exiſterent. Etenim vbi ſpiritus, aut humores, qui in cordis ventriculis continentur, calor hic præter naturam occuparet, non per ſe primò ipſius cordis functiones oblæderẽtur; ſi priùs ipſius cordis propria ſubſtantia, ſeu proprium corpus non afficeretur. Qua de re media læſione ipſius corporis cordis functiones eiuſdem oblæderentur ab hiſce duabus febrium differentiis; & non per ſe primò, & ob id cauſæ morbi, & non morbus eſſent, neque enim ſpiritus, neque humores qui in cordis ventriculis cõſiſtunt, quam- *Reſpõſ. ad obiectionem.* piam habent propriam functionem. His hunc in modum ſatisfacias, quòd in quacunque materia, ſeu cordis ſubſtantia calor præter naturam, qui febris eſt, accendatur, perpetuò morbus erit in intemperie, vt antea diximus. Dubitationi reſpondemus, quod vbi ſpiritus, aut humores cordis hic præter naturam calor occupauit, neceſſariò propria cordis ſubſtantia, eſſentia, natura, ſeu innatum calidum per ſe primò oblæditur. Etenim duæ iam dictæ ſubſtantiæ, ſpiritus inquam, & humores conſtituunt ſimul cum partibus ſolidis, ipſius cordis temperamentum, naturam, & calidum innatum: adeo vt abſque eis cor ipſum proprias obire functiones nequeat: & propterea cor non eſſe, neq; ſuã propriã eſſentiam, naturam, temperamentũ, atque innatum calidũ, neque proprias vires obtinere: requirit etenim nedum vt pars ſimilaris proprium temperamentum, ſed vt inſtrumentalis optimam compoſitionem, ex ſimilaribus partibus ipſam cõſtituẽtibus, vt ritè functiones ſuas exerceat; inter quas humores, & ſpiritus, qui in vẽtriculis cõtinentur, teſte Gal. cõnumerantur: quod clara luce ſcriptũ reliquit lib. de fœtuũ formatione, cap. 3. quãdo aſſerebat: ſcũ verò duo ſint

cordis

cordis ventriculi,in dextrumſanguis è iecore medioeri caliditate præditus,in ſiniſtrum longè calidior ex arteriis ingreditur; quos vtroſque vẽtriculos cùm iam habuerit cor,& vtraſque has materias,vtpote perfecta iam ipſorum ſubſtantia,pulſat,ſecúmque eadem agitatione arterias etiam mouet. Vnde tunc fœtus non amplius vt planta ſolummodo,ſed vt animal iam adminiſtratur. Non igitur pulſat cor,neque ſuas proprias operationes exercet, niſi priùs & humores,, & ſpiritus in ipſius ventriculis contineantur,cùm ſine his neque proprium obtineat temperamentum,neque optimè,ac perfectè ſit conſtitutum:& propterea cùm hæ duæ ſubſtantiæ,ſeu materiæ à præter naturam calore occupantur,per ſe primò etiam eius operationes oblæduntur, quoniam ipſum cor ſecundum has eius partes propriam eius naturam, ac temperamentum conſtituentes (ſimul tamen cum partibus ſolidis) oblæſum eſſe, ac febrire dicimus. etenim innatum calidum in ipſo tanquam fonte, ac principio conſiſtens, ad igneam caliditatem conuertitur, propter ſpiritus, aut humores, in quibus febrilis calor accenditur,& eius quoque eſſentia conſiſtit, perindeac ſi accẽſum eſſet in partibus ſolidis ipſius cordis:& idem quoq; innatũ calidum ad igneam mutaretur caliditatem,ſecundum eaſdem partes. Conſtat itaque ex his quæ diximus, ſingulas iam dictas febrium differentias, morbos eſſe perpetuò in intemperie, & non quaſdam eſſe morbi cauſas, vt quibuſdam iunioribus parum rectè hæc intelligentibus viſum eſt. De iis igitur primis febrium differentiis,nõ ab re pertractare intendimus,cùm modum generationis,tum etiam dignotionis earum:quibus ritè definitis,& curandi earundem quoque via, ſeu methodus clarior fiet. Nam neque in aliis quibuſdam curandi febres methodus conſiſtit,hoc eſt vniuerſalis quædã via,quam in dignotione ipſarum,ac modi generationis earundem cognitione,quibus habitis à natura rei exordientes, neceſſariíſque indicationibus vtentes, quomodo iam dicta prima febrium genera methodo curari valeant, facilè percipiemus. Nanque in his curandis præſertim methodus conſiſtit:cùm neque aliàs curare docuerit Galenus in ſuo libro de metho.meden. licet quandoque ſermonis affinitate, quarundam particularium meminerit. Deinceps ſub eadem via,ſeu methodo procedentes ipſis ſubdiuiſis,ad magis particulares febrium differentias deueniemus, vſque ad eas, quæ amplius ſecari non valent. Non derelinquentes etiam,& eas fortè,quæ accidentales ſunt,tum proprias,tum etiam communes: ac vtiles,ab inutilibus ſecernentes,imitantes Hippocr. qui ſexto de morbis vulgaribus, hoc ordine eas definiuit,ac enumerauit eas febrium differentias,quæ à medicis dignoſcuntur, non ex iis quæ laborantes referunt,ſed ex iis quæ ex ipſo tactu, viſúque euidenter percipiunt, vt inquit Galenus in commento. *Comment. 1. text. 29.*

Quòd nulla febris generari poßit, quin cor afficiatur. *Caput XIII.*

SI IN corde quædam præter naturam caliditas generatur, cùm febris fit, neque fieri poteſt, quin cor ipſum afficiatur in quouis febrium genere: quoniam citra eius affectionem, nec hectica, nec reliquarum vlla febrium cõſiſtere poteſt, Galeno teſte, decimo metho.meden. *cap. 10.* iure quiſpiam quæreret, num perpetuò, per ſe primò cor ipſum in his quæ fiunt febribus, quæcunq; fuerint, afficiatur? Cui reſpondendum, verum eſſe, nedum in Hippocratis,& Gale. doctrina, ſed apud cunctos artis medicæ auctores, opus eſſe cor ipſum calida affici intemperie, vt febris generetur; qua ſpiritus, aut humores, ſeù partes ſolidæ eiuſdem ponantur in calfacto eſſe; licet reliquæ ſemper propter viciniam incaleſcant. Verùm ſempiternæ veritatis haudquaquam eſt, quòd dictæ cordis materiæ ſeu ſubſtantiæ, primò afficiantur. patet hoc inductiuè in omni febrium genere, in hectica quidem apud Galenum, eodem decimo metho. *cap. 8.* quàm incipere quandoque ex nonnullis corporis partibus, vt iocinore, ventriculo, & aliis pleriſque. Interim

Febris non eſt niſi cor præter naturã incaleſcat, ſed nõ ſemper primò afficitur.

verò primùm quod afficitur, eſſe ipſum cor, affirmauit. De diaria itemverifi-cauit Galenus, tum primo de differ. febr. cap. 3. tum etiam primo de arte curat. ad Glauc. cap. 3. & octauo metho. meden. docens quandoque in ea primò ſpiritus, qui in ventriculis cordis continentur, accendi; vt ſi ex ira fiat, interdum ex quibuſdam aliis partibus oriri, vt ſi ex æſtu, frigore, cruditate, inguinum inflãmatione, & aliis huiuſmodi. Quid dicam de eo febriũ genere, quod ex putredine ortum habet? ſimili etenim ratione generari poteſt, & putreſcentibus primò iis, qui in dextro cordis ventriculo cõtinentur humoribus, & interim aliis, qui aut in omnibus vaſis, aut in quibuſdam putreſcunt, aut etiam extra vaſa. liquet hoc apud eundem Galenum, primo de different. febr. 11. meth. tertio de præſag. ex pulſ. cap. 7. Citra igitur ipſius cordis calidam intemperiem, ita quòd natiua eius caliditas ad igneam conuertatur, ſecundum ſpiritus, aut humores, qui in ventriculis continentur, aut ſecundum partes ſolidas, quæ naturam, & innatum calidum ipſius cordis conſtituunt, nulla vnquam febris gigni poterit: quamuis vniuerſum corpus ſupercalfactum fuerit. nam & calor præter naturam, hoc ipſum, nondum tamen febris exiſtit, niſi cor vnà calfactum ſit: licet quandoque primò, & per ſe, ſeu per eſſentiam; interim verò ſecundariò, & per conſenſum, eædem materiæ, ſeu ſubſtantiæ, afficiantur.

8 meth. cap. 1. & per totũ.

1. de differen. febr. cap. 6. & 7. 11. metho. per totum.

Quot quibúſve modis febres omnes generari contingat. Caput XIIII.

QVOD verò à nonnullis cauſis, cùm internis, tum externis, febres generari poſsint, omnes (vt ita dixerim) nedũ medici, ſed homines norunt. Verùm quis ab eiſdem cauſis, noſtris corporibus adueniat affectus, in quo febricitanimus, hoc ſanè multos latet: & à pleriſque etiam, qui ſe medicos profitentur, ignoratur, vt inquit Galenus, eodem primo de different. febr. cap. 2. quocirca tanquam magnopere neceſſarium, duxi ſimul cum eodem Galeno veſtigare, quã diſpoſitionem in corpore faciant ſingulæ cauſæ, quæ febrem accendunt. hoc nanque dilucidato, facilè patebit per quem affectum, in quampiam febrem incidimus à quacunque cauſa ortum habuerit. etenim niſi quis ad vnguem memoria teneat, inquit Galenus, octauo meth. cap. 1. & quæ cauſæ febres generant, & in quo cuiuſq; corporis affectu; is nunquã methodo febri proſpiciet. At quemadmodum non vnum videmus modum generationis, aut augmentationis caliditatis in aliis corporibus omnibus, neque etiam ipſius ignis, ſed vel propter motum, vel propter putrefactionem, vel propter adhæſum alterius caloris, aut propter detentum calidi effluxus, aut propter admixtionem calidæ ſubſtantiæ, eadem caliditas & generatur, & augetur, ſimiliter quoque in noſtris corporibus, non vnus erit, neque generationis, neque augmentationis ipſius caliditatis, atque ipſius febris: quinimò neceſſe eſt omnino modos generationis omnium febrium, ad eos, quos proximè diximus, reduci, ex Galeni auctoritate, lib. de cauſ. morbor. cap. 2. & primo de different. febr. cap. 3. à quacunque cauſa ortum habuerint. Propter motum quidem, eſt vnus modus generationis febris: nam cùm quiſpiam immoderata exercitatione vſus fuerit, in laſsitudinem incidit, caliditatem immodicam in muſculis atque articulis habens: etenim hi ſunt qui primò motum excipiunt. Verùm ſi non vltra progrediatur calor, atque eum ſolui contigerit, antequàm totum animalis corpus inuaſerit, nil vltra laſsitudinem conſequitur. At ſi in totum extenditur corpus, & hinc continuatim calor ad cor aſcenderit, neceſſariò in febrem homo incidet. Ita quoque euenit in ira, quæ veluti quidam feruor eſt, ac vehemens motus caloris, ac potentiæ iraſcibilis in ipſo corde exiſtentis: quia ob immoderatum motum eiuſdem caloris, nonnunquam per totum diffunditur corpus, ſimúlque cum hoc feruore, aliquando ſpiritus, interim verò & ſanguinis ſubſtantia calfit. Atque ita febrem accendit immodicam propter immodicum motum, ac

Quinq; modi generationis febrium.

1. Ex motu.

Ex motu, qui in ira, & triſtitia fit, febr.

feruorem ipſius innati calidi cordis, in ſanguinis, ſeu ſpiritus ſubſtãtia exiſtentis: quamuis & ea quoque natiua humiditas, quæ in partibus ſolidis ipſius cordis conſiſtit, adeò feruere ex immodica ira poterit, vt etiam ex ea febris hectica generetur; Gal. teſte, primo de differ. febr. cap. 8. & tertio de præſag. ex pulſ. cap. 7. quæ verò febris ex triſtitia fit, ex ſolo motu, non autem ex feruore generatur. Ex adhæſu inſuper rei calidæ, ſiue ſol, ſiue ignis, ſiue medicamentũ calidum contingat extrinſecus, aut proximum fiat, aut adhæreat, calor præter naturam in noſtris corporibus generatur, nondũ tamen febris exiſtit, niſi cor vnà calefactum fuerit. Nec eſt quiſpiã qui ambigat, quin calidorum corporum vicinia, inquit Galenus, citato lib. de cauſ. morb. cap. 2. alia concaleſcant, ſi modò ad memoriã reuocet & balneas, & ſolem æſtiuum, & omnem flammã. Propter detentum quoq; calidi effluxus, ex cutis denſitate, qualis maximè frigefactis, atque adſtrictis corporibus, ſolet accidere, alius & tertius modus generationis febris contingit, mordaci effluxu in corpore aceruato, atque detento, ſemper enim animalium corpora diſſlantur: idque duplici modo, effuſis ad exteriora vaporoſis atque fuliginoſis ſuperfluitatibus, ac rurſus attracta refrigerante, ac ventilante natiuum calorem aërea ſubſtantia. Quapropter ſiquis vehementer riguerit, aut in aqua natauerit, quæ aut alumen, aut aliquã talem naturã acceperit, huic adſtringi cutim, atque denſari contingit, vt quæ diſſlari conſueuerant, intus cohibeantur. Vbi verò fuliginoſa fuerint, acria, ſeu mordacia, quæ intus colligũtur, febris inde generatur: etenim non attracto eo qui refrigerandi vim habet, acre, neque effuſis ad exteriora eiſdem fuliginoſis excrementis, calor augetur, quo cordi communicato, fit febris; ob mixtionẽ calidæ ſubſtantiæ. Rurſus & quarto generatur, & augetur præter modum caliditas, & proinde etiam febris ex eſculentorum aſſumptione, acris, & calidæ qualitatis, veluti alliorum, porrorum, cæparum, & aliorum huiuſmodi. Nam quemadmodũ aridi calami vehementiùs flammam attollunt, ita & hæc eſculenta calida, & acria calorem noſtrum adaugent, ac immoderatum adeò efficiunt, vt cordis calori communicato, febrẽ generent. Calidæ inſuper potiones immodicæ veluti vini veteris, & acris, cùm corpus imbecille offenderint, & medicamenta acria, ſiue remedia morborum fuerint, ſiue venena, cauſam attulerunt, vt etiam homines febricitarent quandoque. Nam non ſemper ob harum cauſarum quamlibet febricitant, vt inquit Galenus eodem lib. de cauſis morborum, tum quia iis cauſæ efficientis quantitas par non exiſtit, tum quia diſpoſitio, quæ eſt eiuſdem affectus, magnam in eo quòd plus, vel minùs varietatem admittit. Adde quòd & animantium corpora plurimum alterum ab altero differunt in hoc, vt aut facilè, aut ægrè à naturali recedant habitu. Quintus modus generationis caloris præter naturam, & febris in noſtris corporibus, eſt ob putredinẽ. Nam quemadmodum in externis corporibus, ex putredine præſertim ſeminum, & ſtercoris, tum generari, tum augeri caliditatem inſpicimus, pari ratione quæ putreſcunt in animantis corpore, calorem quendam immodicum in his partibus in quibus putreſcunt efficere poſſunt, & demũ vniuerſum corpus concalefacientia, ſimulque & cor ipſum, febrem excitant. Conſueuerunt humores multi aut craſſi & lenti, ex multis, aut glutinoſis & craſſis cibis orti, hoc modo febres generare, cùm ex eis, & obſtructiones fiãt, & corpus male diſſletur, quibus de cauſis neceſſariò, vt in ſequentibus patebit, putreſcere oportet, & febres propterea accendant. Hiſce denique quinque modis, & non pluribus neque paucioribus, vniuerſæ cauſæ tam externæ, quã internæ febres generare poſſunt. Quod ſi quiſpiam quæreret, febres quæ ad inflammationes conſequuntur, quo illorum quinque modorum generentur? Cum Galeno primo de differ. feb. c. 3. dícimus, quòd partes quæ inflammatione afficiuntur, ratione putredinis febres accendunt, intruſus enim in ipſis influens humor, cùm non bene diſſletur, putreſcit: & illud decimo meth. confirmauit his verbis. ¶ Monſtratum verò nobis eſt in iis, quæ de febribus ſcripſimus, phlegmonas, ſeu inflãmationes quoq;

2. Ex adhæſu calidi.

3. Ex retẽtione calidi effluxus.

4. Ex admiſtione calidæ ſubſtantiæ.

5. Ex putredine.

Quæſtio.

Reſponſ. ad quæſtionem.

propter putredinem humorum, qui in ipſis habentur, febres ſubſequi.} Sed mox inſtabis, non daretur itaque diaria febris ex aliqua inflammatione orta, ſi perpetuò propter putredinem humorum ad inflammationem febres conſequuntur: etenim cunctæ eſſent ex putredine ortæ: quod quidem Hippoc. ſententiæ aduerſatur, aphoriſ. 55. quarti libri, cùm dicebat ex inguinum tumoribus febres omnes malæ, præter diarias: ſibiquemet Galenus pugnaret, qui eodem primo de differ. febr. cap. 7. eandem Hippocratis ſententiam confirmauit, inquiens, {Sunt tamen quædam febres in inguinū tumoribus ex genere ephemerarum, qui tumores ſunt è genere inflammationum.} At dicimus nos, perpetuò febres ſubſequi inflammationes propter putredinem humorum, qui in ipſis habentur, attamen non ſemper eandem febrem dicimus eſſe ex genere earum, quæ ex putredine ortum habent. Nam non alia ratione, nec alio modo quàm ratione putredinis febrem accendunt inflammationes ipſæ. Verùm non ſemper putredo hæc peruenit ad cor, ſed interim in loco inflammationis circunſcribitur, ita vt fumus, vapor, ſeu fuligo putrida, ex putreſcentibus humoribus, ad cordis ventriculos non perueniat, ſed idem permaneat in loco inflammationis circunſcriptus, ſola alteratione per continuum facta, vſque ad cor peruenientе calore; omnibus ſimul humoribus putreſcentibus, ſiue per vnum, ſiue per duos dies continuos, quo tempore diaria febris ex inflammatione generatur; quemadmodum ſæpè euenit in inguinum inflammationibus, vbi potiſsimùm ex manifeſta cauſa ortum habuerint: quæ febris diaria non alio modo generabitur, quàm ea, quam propter viciniam generari diximus; ſeu ad hæſu, vt ex ſolis ardore. nam cōmunicationis ratione febris accenditur, cùm ſemper calefactæ parti proxima pars ſimul incaleſcat, donec ad cor communicatio pertingat, & febris generetur. Quocirca quamuis initium generationis huius febris ſit ratione putredinis, quia tamen eadem ad cor non peruenit, ſed iam dicto modo generatur, quemadmodum diariæ quædam, propterea ex diariarum genere, & non earum quæ ex putredine ortum habent, febrem hanc eſſe fatemur. Verùm vbi nedum in inflammata parte humores putreſcant, ſed ex eiſdem putridus vapor, putridáque fuligo vſq; ad cor attingat, ita vt ex putreſcentibus illis humoribus ad cordis ventriculos quidam veluti fumus putridus tendat (quod fieri ſolet cùm putreſcens humor e viſcere aliquo, ſeu vaſis ipſis potiſsimùm magnis ad inflammatam partem confluat) febrem hanc ex inflammatione ortam, ex earū genere eſſe aſſerimus, quæ ex putredine ortum habent. neque enim hoc febrium genus alio modo, quàm iam dicto generari poteſt: vt clarum eſt in Galeni doctrina, & præſertim citato lib. primo de different. febr. cap. 3. cùm omnino neceſſarium ſit, vel putridam fuliginem ad cor attingere, ac humores, qui in dextro continentur ventriculo affici, ac poni in calfacto eſſe; vel eoſdem humores primò putreſcere, vt videre licet in nonnullis peſtilentibus febribus, ad hoc vt febres ex putredine generentur; de quibus febribus verba faciebat Gale. eodem decimo meth. cap. 6. cùm dicebat, {Quocirca ſi quando dicam febribus, quæ ex putredine accenduntur, tale quippiam conducere, vel non conducere, etiam eas quę à phlegmone excitantur in communi putredinis genere comprehenſas intelliges.} Hinc liquet interdum diarias, interim vero, quæ ex putredine ortum habent febres ex ipſis inflammationibus generari poſſe, ex Hippocratis teſtimonio, aphoriſ. 55. quarti libri, & Galenus primo de different. febr. potiſsimùm ex inguinum inflammationibus pro diuerſa ratione, qua ex eiſdem præter naturam calor ad cor peruenit; & febrem accendit. Sed dices, ſi ex inflāmationibus contingit interdum oriri febres diarias, ſequitur non eſſe præcipuum earum indiciū, ac inſeparabile, quòd ab aliqua cauſa recenti & manifeſta, quæ ante præceſsit, incipiant: quā omnes iuniores medici, vſitato vocabulo, procatarcticam appellant, quemadmodum idem Galenus ſcriptum reliquit, citato primo libro de different. febr. & eodem libro poſt pauca his verbis confirmauit, inquiens, {quoniam Ephemerę omnes

Obiectio.

Reſponſ. ad obiectionem.

Cur cùm febris perpetuò cōſequatur inflammationes ratione putredinis, nō tamē illa febris ſemper ſit ex genere febrium ex putredine ortarum.

Loco citato.

Obiectio.

Loco præcitato.

à pro

à procatarcticis, ſiue præincipientibus cauſis originem habent,} quam dubitationem bifariam delere poteris. primò verum eſſe inquiens, quòd ſemper diariæ febres ab aliqua incipiant procatarctica cauſa recenti, ac manifeſta, ita quòd ſine iis cauſis generari non poſſunt diariæ febres. Verùm non immediatè, perpetuò ab eiſdem febres accenduntur, ſed mediatè quandoque. Nam ſatis eſt quòd ab eadem cauſa procatarctica, recenti tamen & manifeſta initium ſumat. Fiet autem interdum ab ea non immediatè, ſed aliis quibuſdam præter naturam affectibus mediis: qua ratione dicamus ad bubones, ſeu inguinum inflammationes, tunc ſequi diarias febres, cùm bubo ipſe ex aliqua euidenti cauſa fuerit ortus; Galeni teſtimonio, nono metho. & primo de arte curatiua ad Glauconem, cap. 3. loquens enim de diariis febribus habet hæc verba, {Et quæ ex inguinum inflammationibus febres ortum habent, ex hoc genere ſunt, præterquàm ſi abſque vlcere fiant manifeſto. tunc enim ſuſpitionem afferunt, & nullo modo miteſcunt.} ſimiliter quoq; dicendum erit de cæteris inflammationibus, ſi ab aliqua manifeſta cauſa ortum habuerint. Cùm verò cauſa hæc euidens non præceſſerit, febres conſequi ex putredine ortas. ſimiliter quoque dicendum erit, ſi ad ſtipationem, ſeu adſtrictionem, ſeu puſillam obſtructionem, aut cruditatem febris diaria conſequatur. Nam ſemper recẽs quædam, ac manifeſta externa cauſa præceſsit, vt balneum aquæ frigidæ, aut aluminoſæ, ſeu quippiam aliud infrigidans, aut poros cutis adſtringens, aut ingeſtio plurimorum ciborum, ſeu eorum, qui facilè concoqui non poſſunt, ſi ad cruditatem febris diaria conſequatur. Aut dicas, quòd cùm multæ appareant eſſe particulares febrium diariarum differentiæ, vna, quãdo iam prorſus abiit effectrix ipſarum cauſa, veluti vſtio: altera quando hæc etiam adeſt, ſicut ſtipatio, vt inquit Galen. decimo meth. cap. 2. quòd ille, quarũ prorſus abiit effectrix cauſa, cùm exquiſitæ & propriæ magis diariæ febres ſint, & dicantur, ſemper à procatarcticis, ſiue præincipientibus cauſis originem habent. Quarũ verò adhuc etiam effectrix cauſa adeſt, non perpetuò cauſa procatarctica exiſtit, ſed poterit eſſe interna. Ad Galeni auctoritatem, primo de different. febr. dicas veritatem habere in veris ac maximè propriis dictis diariis, quæ effectricem cauſam adhuc non habent. Hæ etenim à cauſa procatarctica omnes ortum ducunt, ita vt quæ ex meatuum denſitate, puſilla obſtructione, inguinum inflammatione, cruditate, ac cæteris huiuſmodi cauſis, fiunt febres diariæ, non propriè & exquiſitè tales ſint, ac appellari debent. Sed iam tempus eſt ad propoſitarum febrium cognitionem deuenire, priùs tamen eiuſdem febris diariæ, de qua modò erat ſermo, indicia explicabimus: quoniam inter alias hæ febres ſunt ſimpliciſsimæ; vt liquet ex Galeno, primo de arte cur. ad Glauc. cap. 2. deinceps earum, quæ ex putredine ortum habent, & tandem earum, quas hecticas vocant.

Reſponſ. ad obiectionem.

Diaria febris ſemper à procatarctica cauſa oritur, ſed non ſemper immediatè.

Quid ſit febris diaria, & quomodo dignoſcatur. Caput XV.

INDITVM eſt huic febrium generi diariæ nomen; à Græcis ἐφήμερος πυρετὸς appellatur, non ſiquidem de ſubſtantia ipſa, ſed conuenienti nomine deſtituti, inquit Galenus, 9. metho. clarioris ſimul breuioriſque doctrinæ gratia, ab eo quod ſæpiùs eis accidit, nomen indidimus. etenim vt plurimum neceſſe eſt eas vltra vnum diem non porrigi; appello autem xxiiij. horarum ſpatium, diem; adeò vt nox quoque vnà comprehendatur. Quidam à ſimilitudine cuiuſdam animalis ephemeri nuncupati, hanc febrem nomen ſumpſiſſe, aſſerunt, cuius meminit Ariſtoteles libro quinto de natura animalium, cap. 19. Eſt enim animal volucre, ac quadrupes, à quibuſdam veluti folliculis erumpens, quod genus animalis, in poſtmeridianum vſque diei tempus viuit & volat; mox deſcendente ſole marceſcit & languet, deinde occidente, moritur, vitam non vltra diem vnum agens. Vnde ἐφήμερον, id eſt, diarium appellatum eſt. Sunt autem

Diaria cur dicatur.

hæ feb

hæ febres tantummodò ſpiritus affectiones abſq; prauis ac malignis illis ſymptomatibus, de quibus docuit Hippocrates in prognoſticis; vt liquet ſecundo de criſib.cap.13.& propterea ſimpliciſsimæ ab eodem Galeno nuncupatæ. Huius generis febrium indicia veſtigare intendimus. Neque enim difficile erit per eadem ſigna confeſtim in prima die exactè diariam febrem dignoſcere, ac à cæteris duobus generibus ſecernere, quemadmodum Galenus his verbis, octauo meth.cap.3.oſtendit. {Ego verò, inquit, nec in omnibus ægrotātibus fateor exactè me ſcire in primo die affectum, nec vllam diariam me febrem fugere, at verò vt nihil in victus ratione primis ſaltē diebus pecces, hoc ſatis eſt, ſi diſcernere diariam à reliquis queas.} & primo de differ.feb.cap.7. per hæc verba idē confirmauit. {eas autem, quæ in putredine humorum febres accendūtur, alias à diariis oportet exiſtimari, neque earum diſcretio difficilis eſt: quanquā nonnullis videatur eſſe impoſsibilis:} nec obſtat ſi primo de arte curat. ad Glauconem, cap.2. loquens de diariis febribus, dixerit: {ſed cura quidem harum febrium in promptu eſt; at earum cognitio, maiorem exigit diligentiam, de qua nemo ante nos, quantum oportuerit ſcriptum reliquit.} Nam octauo de meth. med.cap.3 & primo de differ.feb. cap.7. haudquaquam difficile eſſe in prima die hoc febrium genus dignoſcere, ac à reliquis ſecernere tradidit: primo verò de arte curatiua ad Glauconem, non genus hoc febriū, ſed eiuſdē generis particulares differentias, à diuerſis cauſis ortas, maiorem requirere diligentiā faſſus eſt, licet eandē curatio in promptu ſit. Cùm igitur ad ægrū accedes, primùm à maximis, quæ circa ipſum ſunt indiciis, conſideratio exordienda: deinde ab aliis, adeò vt nec minimum aliquod omittas, nam vt magis aut minùs ei quę ſit ex maximis indicationi credamus, ex aliorū fit adiunctione: maxima quidem in omnibus febricitantibus ſigna, in pulſibus, atque vrinis conſiſtunt: vt liquet eodem primo de arte curat. ad Glauconem, cap.2. idque non ab re. nam citra cordis affectū (vt ſæpiùs dictum eſt) febres generari nequeunt, cuius propria functio, ac peculiaris, pulſus eſt. Quocirca ſigna ſumpta ab eo, tanquam à peculiari cordis actione, non immeritò maxima erunt. Similiter & quæ ab vrinis ſigna capiuntur pro dignoſcendis febribus, non minùs maxima appellātur, cùm excrementum ſit in venis atq; arteriis aceruatim, & febres omnes venoſi generis affectiones ſint, comprehendētes in hoc genere etiā arterias, vt inquit Galenus, primo de criſibus. Quapropter dicebat, in febribus omnibus, ad vrinas præcipuè attendere oportet. Vnum itaque maximum appellatur ſignum, tanquam à propria cordis functione ſumptum; reliquum vero tanquam à proprio excremento venoſi generis, cuius febres omnes affectiones ſunt. His verò addere oportet, vt fatetur Galenus, & quæcunque alia circa faciem Hippocrates ſcripſit, accubitum quoque & reſpirationem. Item ea quæ per ſuperiora, vel inferiora excernuntur: & ſi quid aliud accidere circa aliquam corporis partem, aut operationem conſiſtere videas. Neque ex his aliquod negligenter prætereaſ, & cum veluti chorus quidā, omnia concinnè loquuntur, tunc etiam fidere oportet. Hæc quidem omnibus febribus communia ſunt, itaque in his ſimpliciſsimis, de quibus præſens eſt ſermo, nil horum relinquere oportet. Atqui dices, cur inter maxima ſigna febricitantiū, non connumerauerit id quod ſumitur ex caloris qualitate, cùm & magis eſſentiale ſignum fuerit ipſius febris, eodem ſimul cum Hippocrate auctore, ſexto de morbis vulgarib. & ipſemet nono, & decimo de meth.med.cap.4. teſtatur, nedum ex pulſu & vrina, verumetiam ex caloris qualitate euidenter percepiſſe febrem abſque putredine, atque ſeceuiſſe ab ea, quæ ex putredine ortum habet? Nos verò aſſerimus ſimul cum Hippocrate, & Galeno magis eſſentiale ſignum ipſius febris eſſe id, quod à calore, aut eius qualitate percipitur, quàm reliqua duo, quæ ex pulſu & vrina capiuntur. Verùm vel propterea à Galeno derelictum, primo de arte curat.ad Glauconem, cap.2. tanquam omnibus manifeſtum, vel ob id quod non perpetuò, quēadmodum ex vrina & pulſu, vnum ab altero febriū genere, per idem

Explicatur locus Gal.

Loco præcitato.

Signa diariæ febris.

Ex pulſibus.

Vrinis.

Accubitu, reſpiratione, &c.

Obiectio.

Comment. 2. text.29.

Dilutio obiectionis.

idem ſignum ex caloris qualitate ſumptum, ſecerni queat: cùm nõ ſemper per vniuerſum corpus talis caliditas effundatur, ita vt tactu ſentiatur; vt patet ſexto de morbis vulgaribus, haud ægrè etenim eãdem caloris qualitatem perturbati contingit: in febribus ſiquidem ex putredine ortis, vt in malignis lipyriis dictis, ac peſtilentibus quibuſdam, & in ipſis item diarus: quãquam ad reliquas ſi comparentur, calor mitis appareat; inter eaſdem tamen ſunt, quæ acriorem, ac mordacem magis quàm reliquæ, calorem tangentibus inferunt; vt ſi ex ſolis ardore, triſtitia, immodico labore, vigiliis, & reliquis huiuſmodi ortum habeant: quocirca non ab re Galenus eodem decimo de metho. meden. dicebat. {Nam & ex pulſu & vrina, & ipſa nonnunquã quæ in calore eſt qualitate, euidenter id diſcernimus quod ſemper ex pulſu & vrina:} non ſemper autem, ſed nonnunquam ex caloris qualitate, febrium genus percipiebat, ſi cum putredine, aut abſque ea fuiſſet ortum. Nec etiam indicium hoc à qualitate ſumptum libro 1. de different. febr. cap. 7. tanquam proprium, eſſentiale, atque inſeparabile prætermiſit, cùm docuit diariarum febrium ſigna; id autẽ eſt caliditatis ſuauitas: licet interdum perturbari poſsit adeò vt a medico non percipiatur, Hippocratem ſectatus, qui eodem ſexto de morbis vulgaribus, mites appellabat has febres, cùm dicebat: {Febres quidem, aliæ mordaces ſunt manui, aliæ mites:} hoc eſt minùs inſuaues, ſeu mordaces. Eſt itaque caliditatis ſuauitas proprium, atque inſeparabile huiuſmodi febrium indicium, qui etiam calor vaporoſus exiſtit. inſeparabile quoque, æqualis atque incompreſſus aſcenſus in caliditate ac pulſibus ſimul, nõ tamen proprium, cum & aliis quibuſdam febribus adſit: conſiſtente etiam febre, mediocritas adeſt maximè eiuſdem caliditatis. Hæc nanque mediocritas, in incremento & vigore iis potiſsimùm febribus ineſt, ac magis, licet quandoque aliis quibuſdam adſit. Pulſus verò exquiſitè ſeruat eam quæ ſecundum naturam æqualitatem, atque mollitiem, & ordinem, vt liquet ſecundo de criſib. cap. 13. mutant autem omnes diariæ, quantum in ipſis eſt, in magnitudinem, celeritatem, ac crebritatem, pulſus: vt tertio de præſagitione ex pulſ. cap. 7. ſcriptum eſt. Nam ſi concurrat alius affectus mixtam, vt ipſe Galenus inquit, oportebit eſſe mutationem ex illa, & hac, quæ comitatur, febri. Ipſius verò diariæ, quatenus diaria eſt, pulſus ad magnitudinem, celeritatem, ac crebritatem mutatur. Verùm frequẽtia à proportione deficit ſecundum exteriorem quietem. hæc etenim minùs eſt frequens, quàm ea quæ quietis eſt internæ. eſt nanque in Galeni doctrina exterior quies, quæ contractionem præcedit, conſequitur autem pulſus diſtentionem, interna verò quies, à Galeno appellatur, quæ diſtentionem præcedit, contractionémque conſequitur: mutatur autem quælibet earũ ad mutationem ipſius motus pulſus, quem præcedit, & propterea quæ ſyſtolen ſeu contractionem pulſus antecedit, exterior quies appellata, eodem modo, quemadmodum & ſyſtole mutabitur, interior verò modo quo diaſtole, ſeu diſtentio, cùm ipſam præcedat: qua ratione Galenus dicebat primo de differentiis febr. cap. 7. quod magis inſeparabile, & proprium ſignum diariarum erat, quòd nullo modo ad celeritatẽ ea pars pulſus, quæ ſyſtole dicitur, tendit: & ſi aliquando hoc cõtingat, minimũ, ac vix perceptibile exiſtit, parúmque à naturali tenore mutatum, quo fit, vt neceſſariò quoque frequentia ſecundum exteriorẽ quietem, à proportione deficiat eius quæ ſecundum interiorem, & totum, propterea quòd febres diariæ humorum putredine vacant: in quibus verò putredo adeſt, & contractionis celeritas augetur, & exterioris quietis frequẽtia, ſeu crebritas, eo quòd citius arteria conſidere incipiat, quò per ſyſtolen, ſeu cõtradictionem, fuliginoſa excremẽta expurget, vt paulò poſt dicemus: quæ quidem in febribus diariis, aut exigua ſunt, aut omnino non fiunt. Acceſsione verò ceſſante, arteriarum motus in hoc febrium genere, in totum aſsimilatur illi, qui in ſanis deprehenditur: cùm in nulla alia febre ad naturalem habitum reuertatur pulſus, neque ſi multum temporis inter primæ acceſsionis finem, & ſecundæ principium intercidat, quemad-

Commen. 1. tex. 29.

Ex caliditatis ſuauitate.

Commen. 1. tex. 29.

Pulſus qualis in diariis.

modum in tertianis,& quartanis:in his enim febris remanet ſignum: in ephemeris autem in totum aboletur eadem acceſsione ceſſante, Galeno auctore, primo de arte curatiua ad Glauconẽ,cap.2.ita vt neq; putredinis, neque etiam ea vnius motus inæqualitas,hoc eſt in vno pulſu arteriæ, quæ omnibus communis eſt,percipiatur;vt liquet eodem primo de arte curatiua ad Glauconem In omnibus itaque diariis quatenus diariæ ſunt,pulſus tales fiunt. Quòd ſi Galenus ſecundo de criſib.cap.13.dixerit ad paruitatem quandoque,& nonnunquam ad magnitudinem pulſus mutari,pro cauſarũ diuerſitate, ex quibus ortum ducunt illud aſſeruit,& non quòd tales diuerſæ pulſus mutationes in diariis fiant,quatenus diariæ ſunt.nam ſub hac ratione,diariæ omnes,quantum in ipſis eſt alio non concurrente affectu in magnitudinem,celeritatem,& crebitatem pulſus mutant,vt citato libr.3.de præſagitione ex pulſ.cap.7.à Galeno decretũ eſt. Cum ſudore item aut rore,aut omnino cum aliquo optimo vapore fit harum declinatio;ac integra febris ceſſatio ſequitur, & ſi capitis aut alterius partis dolor ſimul inuaſerit, neque hic amplius perſiſtet. Inter maxima quoque ſigna connumerantur ea,quæ in vrinis conſiſtunt. *Vrina qualis in diariis.* Quocirca inſeparabile,ac proprium diariarum febrium indicium eſt coctio in vrina,ſtatim in prima die,Galeno auctore,primo de differ.feb.ca.7.quoniã nonnullæ quidem ſuſpenſiones,nonnullæ verò ſubſidentias bonas habent,quædam autem nebulas, omnes tamen bene coloratæ ſunt,vt ſecundo de criſib.cap.13. ſcriptum eſt:ac in inclinatione multò meliores,quàm circa febris principia videbuntur. Et, vt ſummatim dicam,vrinæ omnino ſimiles, iis quæ ſecũdum naturam ſe habent, *Loco precitato.* aut non multum à naturali ſtatu receſſerunt;vt liquet citato libro primo de arte curatiua ad Glauconẽ,idque nõ ab re,cùm neque humores,qui in vaſis continentur,neque partes ſolidæ in hoc febrium genere,ſed ſpiritus duntaxat accendantur:ob id neque in colore,aut ſubſtantia, neque in contentis, videbitur multum à naturali ſtatu vrina recedere. Vnum verò præcipuum, ac inſeparabile talium febrium indicium exiſtit, *Signum inſeparabile diariarum.* quòd ab aliqua incipiat cauſa procatarctica,recenti,ac manifeſta:quamuis earum proprium non ſit, vt patet eodem primo de diff.febr.cap.7.Nam & aliarum febrium quædã ex cauſa manifeſta fiunt,quæ ante præceſsit,vt inquit idem Galenus,quod de hecticis febribus patefecit,cùm in ſępè allegato libro primo de differentiis febrium tertio de præſagitione ex pulſ.cap.7. *De different. feb. cap.8.* De iis verò,quæ ex putredine ortũ habent,in dubium venit,num ex tali quapiam cauſa,quæ ante præceſsit, generari poſsint? *Queſtio.* Huic videtur Galenus citato loco ſatisfacere iis verbis,cùm inquit: *Reſponſ.* {Illud verò nonnunquam vſu venit,quòd aliqua ex præincipiẽtibus cauſis ſui ratione, febrem accendat ephemeram,ſubſequitur autẽ altera ex putredine humorum, quando quod afficit corpus,ad id habile fuerit,hoc eſt quando impurum extiterit, ac ſuperflua materia redundans. hæc enim cùm in ephemeris immoderatum calorem contraxerit, atque hinc putreſcendi principium acceperit, alteram ſpeciem febrium ſuccendit,priore deſinente.} Quòd verò à præincipientibus cauſis,ſeu procatarcticis, non immediatè,ſed mediatè, febris aliqua ex putredine humorum accendatur,in his verbis nobis patefecit Galenus,{cùm primùm diariam efficiant:ſequitur deinceps altera ex humorum putrediue in iis corporibus,quæ impura ſunt,ac excrementis abundant.} *Febris ex putredine nõ fit à cauſa procatarctica immediatè.* Poſſet item cum eodem Galeno teneri,quòd ex eiſdem cauſis procatarcticis, febres ex putredine non immediatè etiam,ſed mediatè gigni queũt. Verùm alia ratione quàm medus febribus diariis,vtpote internis,& antecedentibus cauſis medüs,in eiſdem etiam corporibus impuris, quæ nimium craſsis & glutinoſis cibis fuerint vſa, longo potiſsimùm tempore: ex quibus deinceps,ſucci craſsi & lenti geniti, atque adaucti,febres,media obſtructione & putredine generant. Nam ob putredinem,cibi quicunque glutinoſi & craſsi ſunt, febrium ſunt cauſæ, inquit Galenus,eodem primo de different.febr.cùm facilè ſit eum humorem,qui ab ipſis generatur,obſtrui, atque intendi. Quapropter non ſolùm hecticæ febres, ſed

earum

earum quædam,quæ ex putredine ortum ducunt, ex cauſa manifeſta,quæ ante præceſsit fieri poſſunt. Quocirca cùm dixit Galenus, nam & aliarum quædam ex cauſa manifeſta fiunt,quæ ante præceſsit,nedum hecticas ſubintelligere voluit,ſed etiam quæ ex putredine oriuntur. Diſcernes autem eas à diariis, quoniam cauſa hæc manifeſta, quæ ante præceſsit in generatione febris ex putredine humorum,ſaltem non erit recens,ſed diutina. Quamobrem Galenus quando hoc aſſerebat eſſe pręcipuum ac inſeparabile ſignum febrium diariarum,dicebat incipere à cauſa procatarctica manifeſta,& recenti,haud ignarus quòd ab ea quæ recens nõ eſt,modo quo diximus,queat febris generari ex humorum putredine: licebit propterea ſi libeat, interrogare, nunquid aliqua manifeſta anteceſſerit cauſa? Qua etiam ratione interpretanda ſunt eiuſdem Galeni verba citato loco primo de different.febr. vbi indicia deſcribens febrium,quæ ex putredine humorum generantur, dicebat: Primùm quidem non inſeparabile, ſed proprium quòd nulla earum quæ præincipientes cauſæ dicuntur,eas antecedit,intelligendum ſiquidem eſt, de recenti, & immediata. Nam ſemper hæ febres pro recenti earum cauſa internam,tanquam immediatam,& non procatarcticam habẽt. Etenim ſi aliàs exponerẽtur hæc verba,nedum prorium,ſed inſeparabile eſſet tale indicium febrium ex putredine ortarum. Quarum indicia exponere iam tempus eſt,à maximis quoque exordientes,quæ ex caliditatis qualitate,pulſibus,ac vrinis ſimiliter ſumuntur.

Cauſa procatarctica duplex.

Explicatur locus Gale. Cap. 7.

Febres ex putredine ortas via, & dignoſcendi ratio. Caput XVI.

CALIDITATIS igitur qualitas,harum febrium,quæ ex putredine fiunt,maximum eſt indiciũ, vt Gale.inquit. Nihil enim in ea ſuaue,neque moderaum eſt,neque vllo pacto caliditas ſimilis ei exiſtit,quę in ephemeris ſentitur,ſed mordax quodammodo potius,tactuiq; moleſta: & quemadmodum fumus oculos & nares,ſic ipſa tactum videtur erodere. Id autem commune eſt tum febribus ex putredine ortis,tum etiam hecticis: vt patet ex Hippocrate, ſexto de morbis vulgaribus,cùm dicebat: { febres aliæ mordaces ſunt manui, aliæ mites:} Per mordaces intelligens vniuerſum hoc genus febrium, ex aduerſo diſtinctum ipſis ephemeris: quamuis hoc genus, nullum quidem commune nomen ſortitum ſit,vt liquet eodem primo de differentiis feb. Verùm maior erit, ac mordacior,ex putredine ortarum febrium caliditas, potiſsimùm cùm primùm manus admouetur,contra verò ipſius hecticæ, vt dicemus. in principiis autem ſucceſsionum,vt in quibus calor adhuc ſuffocatur,ac ſuperfluitates intus ſuccenduntur,non ſtatim admota manu diſcernitur, at per moram prædicta caliditatis ſpecies ex penitioribus partibus effertur. prædicta itaque caliditatis ſpecies,quæ appoſitam manum pungit, atque erodit inſtar medicaminis acris, eſt putredinis humorum progenies, quæ manifeſtè quidem ſentitur increſcentibus, ac conſiſtentibus febribus, non manifeſtè autem,neque ſtatim, in incipientibus; vt citato libro primo de differ.febr.cap.7. ſcriptum eſt: quamuis in hecticis quoque caliditas mordax ſentiatur,alio tamẽ modo, vt demonſtrabimus. Proprium verò atque inſeparabile febrium,quæ in humoribus accenduntur,indicium eſt,ſummiſsionis, ſeu contractionis pulſuum; quam Græci συστολὴν appellant, velocitas: quæ manifeſtiùs quidem increſcentibus febribus,non obſcurè autem incipientibus, ac conſiſtentibus fit. Quapropter Galenus tertio de præſagitione ex pulſ. aſſerebat hoc eſſe perpetuum, & præ cęteris proprium inuaſioni febris ex putredine humorum ortæ, vt arteriæ contractio efficiatur celerior, & ſi quis in cognoſcenda contractione eſt exercitatus, perpetuum hoc & conſtans, initij acceſsionis ſignum habebit: vbi contentione aliqua, vt frequẽter admonuimus, pulſus prędictus ſit. Nam in languidis contractionem docuimus cognoſci non poſſe, quamuis hę febres in vigoribus, vt

Signa febriũ ex putredine, à caliditatis qualitate.

Particula prima, text. 29.

A pulſu.

idem Galenus habet, vtrunque poſsident, motum celerem, & diſtentionis, & contractionis. Præterea crebritatem mutãt ex æquo, cùm externæ quietis, tum internæ. In initio autem acceſsionis, non perinde, ſed magis augent contractionis celeritatem, in incrementis tum hanc, tum etiã externam quietem plurimùm concitant. Harum mutationum pulſus, haud facilè cauſa reddi poteſt: nam cùm febrium omnium differentiæ propriæ & per ſe, quæ ex pulſibus capiuntur, ſint ratione vſus mutati, & non facultatis, nec inſtrumentorum: vt patet eodem tertio de præſagitione ex pulſ. cap. 7. ſitque diſtẽtionis vſus in Galeni doctrina pro refrigerando, ac ventilando calore per attractũ aërem, ipſius verò contractionis pro expurgandis fumoſis, ac fuliginoſis excrementis, commune autem vtriſque vt caloris ſymmetria ſeruetur; ob id celerior quodammodo ſemper in quolibet acceſsionis tempore, erit ipſius pulſus contractio in febribus ex putredine ortis. Quanquam id manifeſtiùs percipiatur in incrementis acceſsionum, quàm in earundem principiis, ac vigoribus. Nam cùm vſus contractionis ſit pro expurgando fumoſo excremẽto, cuius copia in huiuſmodi febribus generatur, in principiis tamen acceſsionum cùm calor adhuc ſuffocetur, ac ſuperfluitates intus ſuccendantur, adeò vt natura adhuc potens non ſit eaſdem vincere, exigua omnino erunt, quæ debent eo tempore expurgari fumoſa excrementa: quapropter non tam manifeſtè percipietur hæc contractionis celeritas. At in incrementis natura ipſa incumbente ad abſtergendum fumoſum illud excremẽtum, vtpote incipiente iam euincere ſuccenſam materiam, nedum manifeſtior apparebit hæc celeritas contractionis, verùm crebrior erit pulſus, ſecundum externam quietem, adeo vt pulſus in externa quiete creberrimus videatur: quoniam celeriùs contrahitur, ac citiùs arteria conſidere incipit propter vrgentem vſum. In vigore autem vtrunque habent pulſus, motum celerem, & diſtentionis & contractionis, crebritatẽmque mutant ex æquo, cùm internæ, tum externæ quietis. Etenim æqualiter fere eſt & diſtentionis, & contractionis auctus vſus, cùm & caliditas ipſa præter naturam, admodum fuerit aucta, ipſúmque excrementum fumoſum, nihilo diminutum: propterea Galenus citato libro tertio de præſagitione ex pulſ. c. 7. dicebat: { vbi propè iam attigerint vigorem ſuccenſis humoribus feruescentibúſque, ingens incrementum ſuſcipit diſtentionis celeritas, contractionis vero par permanet celeritas: vbi iam vigeat planè febris, in illa acceſsione ad ſummam celeritatem peruenit diſtentio, & diminuitur celeritas contractionis, ac in remiſsionibus, eiuſdem cõtractionis celeritas diſſoluitur, præſertim cùm ad integritatem aut propè eam peruenerint. } Generatur itaque ſemper contractionis celeritas initio acceſsionum harum febrium, per incrementum augetur, & in vigore, ac remiſsione modo quo diximus ſe habet, adeò vt vſque ad ſummum vigorem perſiſtat, in cuius fine minui incipit, & in inclinatione diſſoluitur: licet non ita manifeſtè in eiſdem temporibus percipiatur: ſed manifeſtiùs in incrementis, non ita manifeſtè incipientibus, ac conſiſtentibus ipſis acceſsionibus: & quanquam in vigoribus (vt diximus) vtrunque habeant, motum celerem, & diſtentionis, & contractionis, & crebritatem ex æquo mutare videantur, cùm externæ quietis, tum internæ: tamen & eo quoque tempore contractio diſtentione erit celerior, & externa quiete pulſus crebrior, licet obſcurè illud percipi poſsit, cùm ambo motus celeres ſint, & vtræque quietes crebræ: qua ratione ſingula Galeni dicta de pulſibus putridarum febrium, conciliabis, cùm diuerſa videantur. Sunt itaque omnibus febribus communes pulſus celeres, in eiuſmodi autem nedum celeres, ſed ſyſtole diaſtole celerior, proprium atque inſeparabile earum indicium eſt.

Reliquæ vero differentiæ pulſus omnes, quæ in his febribus animaduertuntur, alium potius affectum quàm febres ſequuntur. quorum affectuum, vt inquit Galenus, duo ſunt genera, aut facultatis, aut inſtrumentorum vitium, quapropter inæqualitas pulſuum, atque etiam caloris, ſiue in principiis, ſiue

1 de diff. febr. Cap. 7.

in aug

in augmento contingat, eſt huiuſmodi generis febrium proprium indicium, non tamen inſeparabile: etenim multæ & ſine ſenſibili inæqualitate incipiunt, atque ad conſiſtentiam accedunt. Similiter proprium iſtarum febrium, non tamen ab eiſdem inſeparabile, eſt pulſuum afflictatio: (ſic autem nomino, quando incipiente acceſsione, ſatis paruos atque inæquales pulſus habent ægrotantes) alicui tamen generi febrium hoc ſignum commune non eſt, quemadmodum neque & inæqualitas ipſa, niſi alicuius caſus ratione ſuperueniat.

Quid pulſuum afflictatio.

Comitatur etiam has febres in initiis acceſsionũ pulſus paruus ac velox, cùm verò conſiſtunt magnus ſimul ac velox, & quæ in exteriori quiete exiſtit frequentia, vt antea diximus, in huiuſmodi febribus manifeſtè deprehenditur, cuius ſimilis neque in ephemeris, neque in hecticis apparet, vt patet eodem primo de differen.febr.cap.7. Durus autem pulſus neque proprium, neque inſeparabile huiuſmodi febrium indicium eſt, neque alterius generis febrium, vt pore neque ephemerarum, neque hecticarum: comitatur verò magna ex parte hecticas febres: nonnunquam verò duo alia genera aliquo præter naturam affectu interueniente, ephemeras, vbi ex nimio algore, aut ob nimium ſolis feruorem, aut laſsitudinem, ſeu reliqua huiuſmodi, contingant, adeſt interim pulſus durus illis febribus, quæ ex humorum putredine oriuntur, quando aliquod viſcerum, vel inflammationem, vel durum tumorem patiatur, aut quiſpiam alius caſus, veluti neruorum tenſio adfuerit, aut ſiccitas. At quicquid ſit de pulſu duro, ſatis ſit noſſe in febribus, ea ratione qua febres ſunt, nunquam fieri, vt citato libro primo de differẽtiis febrium, à Galeno ſcriptum eſt.

Loco citato.

Etenim tunicis arteriarum, aut ad congelationem, aut tenſionem, aut ſiccitatem, durities aduenit, vt liquet eodem loco. Maximum quoq; & harum febrium indicium exiſtit cruditas vrinæ, debilis etiam concoctio proprium eſt earundem febrium indicium.

Ex vrina.

Etenim neque cruda, neque debiliter concocta, in ephemeris apparet. Cæterùm earum quidẽ alterutra ſeorſum, eſt proprium huiuſmodi febrium indicium, ſimul autem vtraque dicta, ſecundum diſiunctionis proloquium, omnino inſeparabile: huic enim febrium generi, vrinæ vel omnino crudæ, vel debiliter coctæ, principio aſſociantur. Neque vnquam magnum aut effatu dignum coctionis indicium, in talibus febribus in primis vrinis apparet, ſi excipiamus eam, quæ fit ob permutationem ex ephemeris febribus, de qua paulò poſt verba faciemus. Appello autẽ crudam vrinam, cùm nullum omnino ſignum in ea appareat coctionis, neque in ſubſtantia, neque in colore, aut etiam contentis.

Cruda vrina quæ.

Debiliter autem concoctam, in qua nullum tale ſignum coctionis manifeſtè, aut perfectè viſitur; cùm vnum in incrementis, reliquum in vigoribus huiuſmodi febrium apparere conſueuerit, vt liquet primo de criſibus.cap.5. Proprium quoq; & harum febrium ſignum exiſtit, non tamen inſeparabile, initium ſumere à rigore, vbi neque ardor ſolis, neque frigefactio valida præceſſerit, omnibus tamen non ineſt; quẽadmodum neque horrores, ab huiuſmodi febribus ſunt inſeparabiles, licet quandoque ab ipſis exordiantur.

Ex rigore.

Proprium quoque & non inſeparabile (vt priùs diximus) talium febrium indicium eſt, quòd nulla earum, quæ procatarcticæ, ſeu præincipientes cauſæ dicũtur, eas antecedit, neutri enim aliorum generum hoc ineſt.

Ex eo quòd nulla cauſa procatarctica anteceſſit.

Contingit quoque præter prædicta indicia, eo tempore quo acceſsio conſiſtit, caſum aliquem febris ardentis apparere, aut quidam alij, qui in febribus epialis, lipyriis, hemitritæis, aut paludoſis appellatis, aut in quapiam alia tali febre, videri ſolent. Quare vbi hæc adſint, ex his quoque dignoſcere eas licebit, non ſolùm earum genus, ſed etiam aliquam earundem ſpeciem.

Ex caſu aliquo, qui in vigore acceſſionis contigit.

Quòd ſi poſt febris declinationem, integra non ſuccesſit quies, ſiue cum ſudore, ſiue quouis alio modo declinet, ex duobus alterum, vel permutationis eſt argumentum, ſi omnia quæ præceſſerint, febrium ephemerarum fuerint indicia; aut ſi nulla ex his fuerint, ſtatim ab initio febrem aliquam ex his, quæ putredinem humorum ſequuntur, inuaſiſſe indicatur. Atque proprium ſimul & inſeparabile in

Ex declinationis ratione.

omnibus ſucceſsionis indicium eſt, quòd febris diaria, quietem integram ſubſequentem non habet. Contingit verò aliquando vbi ephemera febris conſiſtit, aliquod permutationis indicium oſtendi, vtpote indiciis quibuſdam eo tempore apparentibus febris, ex humorum putredine. Verùm multo magis, cùm declinare cœperint, eadem permutatio erit manifeſta, cùm eo tempore abſit ea tranquillitas, quæ adeſſe deberet, neque integra ſuccedit quies, & aliquod putredinis ſignum manifeſtè in calore, pulſu, vrina, aut eorum pluribus magis patebit. in hiſce tamen febribus ex putredine ortis, quæ diarias conſequuntur, in primis vrinis effatu dignum coctionis indicium apparere poterit, erit autem id ratione diariæ priùs ortæ, & non eius, quæ ob putredinem generatur, & eandem conſequitur.

Cur febres hecticæ appellentur, & quomodo generantur. Caput XVII.

CONSEQVENS eſt, vt earum febrium, quas Græci ἑκτικοὺς πυρετοὺς appellant, indicia tradamus, priùs tamen quibuſdam animaduerſis non minùs vtilibus, quàm neceſſariis artis medicæ tyronibus, pro curatione, dignotione, ac prognoſtico earundem. Appellarunt porrò has febres hecticas, vel quoniam firmæ, ac fixæ ſunt, quemadmodum habitus, quoniam eos affectus, qui ægrè diſcutiuntur ἐν ἕξει Græci vocant, ſeu καθ' ἕξιν, quemadmodum eos, qui facilè diſcutiuntur ἐν σχέσει, ſeu κατὰ σχέσιν, appellant: vel quoniam ipſum corporis habitum comprehenderunt. (ſic enim vocare conſueuerunt ſolidas partes humidis ex aduerſo diſtinguentes, vt patet primo de differẽtiis febrium) cap. 3. quæ igitur febres ægrè diſcutiuntur, ipſúmque corporis habitum comprehendunt, hecticæ nuncupantur. Intelligo autem cum Galeno corporis habitum, eiuſdem corporis partes ſolidas, ex aduerſo diſtinctas humidis, per humidas intelligendo tum humores, tum ſpiritus. Hæc nanque ſunt illa tria, quæ noſtra conſtituunt corpora, vt antea docuimus. Hippocratis auctoritate continentia inquam, contenta, & impetum facientia ab eodem appellata. Qua etiam ratione ſimul cum Galeno negauimus, neque plura, neque pauciora febrium genera prima reperiri poſſe. Atqui ſolidæ partes hoc modo intellectæ, ex triplici ſubſtantia conſtituuntur, vna quæ veluti ros quidam exiſtit inſperſus in ſpatiis inanibus dictarum partium, qui etiam natiua, ſeu naturalis humiditas ab eodem Galeno appellari ſolet, vt liquet libro primo de differentiis febr. cap. 9. interim humor proprius partium ſimilarium, ex quo partes ipſæ nutriuntur, ab eo nominatur, vt ſeptimo, & decimo methodi medendi, ſcriptum eſt. Hanc humiditatem, ceu rorem quendam in omnibus ſparſum animalis partibus, proprium vnde partes nutriuntur naturalem humorem appellatum, innatum quoque ſpiritum Galenus appellare conſueuit, non vniuerſum, ſed eiuſdem non paruam ſubſtantiam in eo conſiſtere faſſus eſt. Nam hunc innatum ſpiritum, in omnibus contineri partibus, ſed non vndequaque eſſe ſui ſimilem; veluti nec ſanguinem eſſe neceſſe dixit: tum in ſpatiis inanibus, non paruam eius ineſſe ſubſtantiam, imò potius veluti materiam quandam leuiculam etiamnum mutationem expoſcentem ad innati ſpiritus qualitatibus ſuis abſoluti generationem. Nihilo ſecius tamen iam tum etiam admodum ad naturalia opera conducentem aſſeruit, quinto de ſimplicium medicamẽtorum facultatibus. cap 8. Altera eſt, quæ ab eodem Galeno ſubſtantia carnoſa, ac adipoſa dicitur: quæ ſubſtantia ex humore concreto conſtat. Tertia eſt, quæ fibroſa & membranoſa nuncupatur, citato libro ſeptimo, & decimo de medendi methodo. Harum partium quantitas, par ſemper manet, ſed iis, qui adhuc inaugentur numero duntaxat, qui verò abſoluti iam ſunt, etiam magnitudine, carnoſæ verò ſubſtantiæ magnitudo variatur, etiamſi non augeatur animans. Pari modo & ſpiritus ſubſtantia, inquit Galenus vndecimo metho. c. 3. tantum

Habitus corporis quid.

6. de morb. uulg. part. 7.

Partium ſolidarum triplex ſubſtantia. Ros.

7. cap. 6. & 11. cap. ulti.

Carnoſa ſubſtantia.

Fibroſa.

non quolibet momento, tum minor, ex quibus tribus partibus, naturam conſtare, eodem loco fatetur. Has quoque fibroſas & membranoſas ſubſtantias, quandoque ſolidas duntaxat appellauit, ſeu ſolidiores diſtinctas à carnoſa, ſeu adipoſa, & rorida, vt liquet eodem 7. meth. med. cùm dicebat ſiccitatem inſanabilem eſſe, ſi prorſus ſit conſummata. Eſt autem prorſus conſummata, vbi ſolida ſimilarium partium ſubſtantia, reddita eſt ſiccior, ſimiliter & 10. eiuſdem, ipſius verò inquit, ſolidis ſiccatis, fieri nequit, vt homo prorſus perſanetur. Nam primum eiuſmodi febris propriam partium humiditatem ex qua nutriuntur, depaſcit, hinc verò ad carnoſum genus tranſit, quod circa tum fibroſas, tum membranoſas partes ſolidorum corporum hæret: ita deinde ipſas ſolidas populatur: & paulo ante fieri non poſſe dicebat, vt ſolidarum partium ſiccitas conſummata ſanetur. Quibus in locis per ſolidas partes, membranoſas duntaxat & fibroſas ſubſtantias intellexit. Et 11. eiuſdem, naturam, vt diximus, ex tribus partibus conſtare fatebatur, ex ſpiritus, & earum, quæ dicuntur verè ſolidæ, ſubſtantiæ: & tertia ab iis carnoſa, quæ cuique particulæ eſt ſua: verè ſolidas appellans partes fibroſas & membranoſas, à carnoſis diſtinctas, quamuis citato primo libro de differ. febrium, aliter ſenſerit; quemadmodum etiam com. aphoriſ. 7. 2. lib. quo loco carnoſam partem, contineri in ſolidarum appellatione, oſtendit, aſſerens, quæ enim pauco tempore extenuata ſunt corpora, ab humorum & ſpirituum euacuatione, non ex ſolidorum colliquatione id perpeſſa ſunt: quæ verò longo tempore extenuantur, iis carnes eontabeſcunt & reliqua. Quòd verò propriæ & veræ partes ſolidæ, ſint iam dictæ fibroſæ & membranoſæ ſubſtantiæ, quas ex ſemine genitali conditas eſſe Gale fatetur, patet tum libro de ſemine, tum etiam commen. aphoriſ. 15. primi libri, & propterea cùm pereunt, iterum gigni non poſſe, cùm reliquæ duæ ſi pereant, regigni poſſunt, luce clariùs Galen. 10. metho. meden. manifeſtauit, iis verbis: illud potius intelliges ſingularum particularum ſubſtantiæ molem ex tali maximè compleram eſſe natura, quæ vtique vt in ſinuoſis vlceribus videre licet, & perire, & regigni poteſt. At verò nec fibroſa, nec neruoſa, membranoſa ve natura eandem generationem habere cernitur. Cæterùm quamuis hæ præcipuæ ac propriæ ſolidæ partes, ſeu ſolidiores à Galeno quandoque nuncupentur; cùm tamen aſſerimus præter naturam calorem, in huiuſmodi febribus, in ſolidis partibus accendi per ſolidas animalis partes, eas vniuerſas ſubintelligimus, quæ humidis ex aduerſo diſtinguuntur, hoc eſt, prout ſubſtantia ſunt diuerſa, à ſpiritibus & humoribus, quas duas ſubſtantias, cùm calor præter naturam occupauerat, duo reliqua iam dicta prima febrium genera oriebantur. In cuius febris hecticæ generatione, quemadmodum etiam de reliquis demonſtrauimus, opus eſt vt ipſius cordis partes ſolidæ accendantur, vt ea generetur: quanquam & per eſſentiam, & primò ſæpe; interim verò & per conſenſum, & ſecundariò eædem ſolidæ cordis partes affici poſſint, aliàs haudquaquam febres hecticæ gigni poſſent. Quomodocunque autem generentur, duplici via ortum habere poſſunt, nam ſæpenumero ex ardentibus febribus, quæ adeò protrahuntur, vt longitudine temporis, humorem in cordis corpore contentum exſiccent, aut conſumant, ortum habent, ſæpe etiam in hanc febrem incidunt, qui ex diariis, aut ardentibus, atque acutis febribus, rectè curati non ſunt: & præſertim qui cùm aquæ frigidæ potu indigerent, præter id quod eam non biberint, nullum aliud refrigerans medicamen thoraci, ac præcordiis medici appoſuerunt, aut cataplaſmata etiam calida eiſdem partibus adhibuerunt: ex iocinoris quoque, aut ventriculi inflammatione, ſi diu febrem tolerauerint ægri, inſequuntur febres hecticæ; aliquandò etiam ex pulmonis, aut thoracis affectibus, oriuntur: & vt ſimpliciter dicam, ex omnibus diuturnis inflammationibus, quæ nobiliores partes occupauerunt, læuitatibus inteſtinorum, alui profluuiis, ac dyſenteriis, inſequente totius animalis, ac præſertim corporis cordis febrili caliditate, quæ cum diffi-

Per ſolidas partes aliquãdo fibroſæ ſole intelliguntur.

Locus ſupra citatus.

Loco citato.

cap. 13. & 12. cap. ult.

Cum ſermo habetur de febribus hecticis, quid per ſolidas partes intelligimus.

In omni febre hectica cor afficitur.

Hecticarũ generandarum duplex uia.

cultate amouetur. Reliqua autem & ſecunda via, ortum habent febres hecticæ, cùm ſtatim ab initio inuaſerint ſimilem primi ſui ortum ephemeris facientes, aut ex triſtitia, aut ira, aut laſsitudine nimia, vnà cum ſolis feruore contracta: quicunque verò natura ſunt ſicciores, ac præſertim ſi vnà calidam habuerint temperaturam, vitámque elegerint in laboribus, vigilus, ac curis, victúque pauco, hos ſtatim ab initio ſolet hectica febris inuadere, ex ira, vel triſtitia, ac magis æſtate, ſtatúque temporis calido & ſicco, ac loco prætèrea conſimili, vt inquit Galenus primo de differentiis ſebrium, cap. 8. Nam nullus eorú qui habitu corporis præditi ſunt humidiore, ſtatim ab initio huiuſcemodi febre correptus fuit: licet Galenus 7. de criſibus, in fine, fateatur quòd nulla febris hectica in primis diebus, ſed in progreſſu temporis fiat. Illud tamen intelligere oportet, modò à procatarcticis cauſis originem non habeat, nam citra has nunquam ab initio febres hecticæ inuadere conſueuerunt: vt ipſemet teſtis eſt eodem primo de differentiis febrium, cùm ait {quoniam ephemeræ omnes à procatarcticis, ſiue præincipientibus cauſis originem habent, hecticæ autem quando ſine his generantur, nunquam ab initio inuadere conſueuerunt} id quoque confirmauit Paulus cap. 31. libri ſecundi, quo etiam loco duplicem iam dictum modum generationis harum febrium conſcripſit.

Intellectus loci Galeni.

Num omnes partes, quæ ſolidæ appellantur, in febribus hecticis accendantur, & num ſemper cum ſiccitate copulentur, & quemadmodum cum maraſmo conueniant & diſsideant. *Caput XVIII.*

SED quæres, num omnes ſolidarum partium ſubſtantiæ, quas tres aſſeruimus eſſe cum Galeno (ipſas ſolidas aduerſus humidas diſtinguentes) in huius febris generatione, ſemper accendantur, ſeu calefactæ ſint, an vna duntaxat, vel duæ ipſarum calefactæ ſint, reliquæ, vel reliqua incaleſcant? Huic ſatisfacere videtur Galenus eodem primo de differentiis febrium, & 10. metho. meden. cùm dicebat febrem hanc primùm propriam partium humiditatem depaſcere; hinc ad carnoſum genus tranſire; & ita deinde ipſas ſolidas verè dictas populari, principiúmque febris hecticæ eſſe cùm primùm cordis temperies euerti inceperit, neque natiua humiditas protinus abolerur, neque virtus plurimùm laborat, ſed primò fit velut quædam efferueſcentia humiditatis, quo in tempore facile eſt huiuſcemodi febrem ſanare, dicebat tanquam nihil adhuc virtute perpeſſa: ratione quoque confirmari poterit. Nam cùm tres iam dictæ ſubſtantiæ, quæ partes ſolidas conſtituunt, ſatis diuerſæ ſint, atque inter ſe diſtent, ſaltem tenuitate, & craſsitudine, nulli in dubium venit, quòd quæ tenuior exiſtit, promptiùs accendatur, cùm omnis tenuis ſubſtantia, promptiùs, quàm craſſa alteretur, ex Galeno, citato primo libro de differentiis febrium. Cùm itaque tenuioris ſubſtantiæ ſit natiua illa humiditas ſeu ros diſperſus in ſpatiis intermediis dictarum partium, quàm reliquæ duæ, & carnoſa ſeu adipoſa adhuc tenuior ſit, quàm fibroſa & membranoſa, conſequens eſt, vt ille natiuus humor primò, carnoſa & adipoſa ſubſtantia, ſecundò & vltimò membranoſa, & fibroſa, accendantur in febre hectica: neque vnquam ordo hic peruerti contingat, nec inuicem implicari poſsint, ſi plures dentur differentiæ, ſeu ſpecies hecticæ febris; quemadmodum nos cum Galeno tenemus, & in ſequentibus declarare conabimur. At quî fiet, interrogabis, quòd ordo hic peruerti non valeat, nec febres eædem complicari poſsint, cùm in febribus quæ ex putredine ortum habent, ordo hic quandoque peruertatur? etenim videmus ex pituita putreſcente, interim ex atra bile febres à principio generari, non autem ex bile quæ eſt tenuior. Inſuper ſæpenumero & hæ febres inter ſeſe complicantur, vt patet ſecundo de different. febr. cap. 7. ſecundo de criſibus, & ſexcentis aliis in locis. Huic reſpondemus, parum rectè tres

cap. 1. & 10. cap. ult.

Hectica primùm humiditatē partium propriā depaſcitur, deinde alias partes inuadit.

Loco ſupra citato.

cap. 7.

has ſub

has ſubſtantias partes ſolidas conſtituentes, tribus humoribus, ſeu potius excrementis ſimilaſſe. Hi nanque præſertim cùm excrementa ſunt, ac putreſcentia, haud vllam conſtituunt noſtri corporis ſubſtantiam, quemadmodum rocida ſubſtantia, carnoſa, ac membranoſa. Quo fit vt illi pro maiori vel minori quàm habent aptitudinem ſuſcipiendi calorem præter naturam, indifferenter poſsint à principio ab eodem occupari; licet vnus ſubſtantia quàm alter fuerit tenuior; quod haud quaquam negauit Galenus, imò illud ſæpiùs contingere affirmauit, præſertim citato libro primo de differentiis febr. cùm dicebat. {nam diſpoſitio febrilis aliàs ex aliis eorum, quæ ante diximus, ſumit initium. Iſtæ verò tres ſubſtātiæ, quæ ſolidas animalis partes conſtituunt, propterea quòd tenuitate, & craſsitudine inter ſe diſtant, ſunt copulatæ in vna natura, vnóque genere eorum quæ corpus conſtituunt, quod genus cùm à calore præter naturam occupatur, febres hecticas parit, verùm cùm non ex ſimilari, æquali, atque homogenea ſubſtantia conſtet, ſed diſsimilari inæquali & diuerſa, quæ tenuior earum exiſtit, neceſſe omnino eſt, vt primò afficiatur ac calfacta ſit, reliquæ verò duæ calfiant.} Qua etiam ratione cùm ordo hic peruerti non poſsit: nam ſemper in vna ſubſtantia quæ diſsimilaris exiſtit, ſi accendatur calor præter naturam, pars tenuior promptiùs & priùs accenditur, patere poterit, cur eſt quòd ſi plures ſint differentiæ ſeu ſpecies febris hecticæ, eædem complicari non poſsint; ſed perpetuò vnam altera conſequatur, ac incipiat ea in qua efferueſcit ſeu calfactus eſt innatus humor, ſeu roridus, qui in ſpatiis inanibus, præſertim ipſius corporis cordis, continetur: ſequatur deinceps carnoſarum, & adipoſarum partium, atque ita demum fibroſarum ac membranoſarum accenſio. Illæ item febres quæ in humoribus accenduntur, per putredinem habent generationem, quæ verò hecticæ appellatæ vel per motum, vel per adhæſum, quo fit vt in illis ordo haud ægrè peruerti poſsit, ob maiorem, vel minorem quam habent aptitudinem humores vt putreſcant, in hecticis verò, ſemper quod promptiùs ſua natura alterari conſueuit, primò accenditur, cùm neque in reliquis ſolidarum partium ſubſtantiis, quæ craſsiores natura ſunt, accenſionis promptitudo magis quàm in tenuioribus reperiri poſsit. Etenim in febribus, quæ per hos affectus ortum habent, nulla alia aptitudo, vt promptiùs accendatur eorum materia, reperiri poteſt, quàm tenuitas ſubſtantiæ frigiditate non reluctante, ob id vbi ſpiritus non fuerint, neceſſarium omnino eſt, vt humor hic inſperſus per ſpatia inania exiſtat, non autem carnoſa, aut membranoſa ſubſtantia. Num verò hecticæ febres perpetuò cum ſiccitate coniunctæ ſint, vel interim ſine ſiccitate conſiſtere valeant, nondum liquet, quamuis febris ipſa affectio ſit ſemper calida & ſi cca; vt priùs cum Galeno & Hippocrate concluſum eſt. Vt verò huius quæſiti veritas pateat, animaduerſione dignum eſt, quòd cùm aſſerimus num febris hectica quæpiam citra ſiccitatem conſiſtere queat, non de ea ſiccitate verba facimus, quæ neceſſariò febrem, quà febris eſt, conſequitur, ſed intelligimus per ſiccitatem maraſmum ſeu tabem, quæ quidem corruptio corporis viuentis eſt ex ſiccitate, ita vt idem ſit, ac ſi dicas num febris hectica poſsit quandoque abſque maraſmo, tabe, ſeu ſiccitate alicuius ſubſtantiæ ſolidarum partium conſiſtere. Pro quo iterum animaduertas oportet quatuor in vniuerſum noſtris corporibus eſſe ſiccitates, à Galeno ſcriptas ſeptimo metho. meden. quarum vna eſt partium quæ verè ſolidæ appellantur, membranoſæ inquam, ac fibroſę ſubſtantię; altera eſt adipoſę & carnoſæ. Tertia cùm propria humiditas vnde partes nutriuntur omnino eſt aſſumpta, diuerſa ab iis: & quarta ſiccitas eſt quę in propriis cuiuſque particulę exilibus arteriis venisque conſiſtit, quę etiam ex ſanguinis penuria pronenit; nam venę ſucco ſunt inanitæ; hic verò ſuccus, ſeu ſanguis qui in iam dictis exilibus continetur venis atque arteriis, de propria partium ſolidarum ſubſtantia non eſt: quocirca etſi in febre hectica quandoque exſiccetur, eam tamen ſiccitati

Loco citato.

Secunda capitis pars.

An hectica ſemper cū ſiccitate ſit coniuncta?

Siccitas quadruplex. cap. 5. & 6.

citati coniunctam eſſe haudquaquam aſſerimus, neque idem ſuccus inter ſe-
cundas (vt aiunt) humiditates, connumerari debet, vt quibuſdam falſò viſum
eſt; cùm adhuc ſanguis ſit, & intra vaſa contineatur: & propterea Gale. eodem
7. de metho. med. narratis tribus ſiccitatibus, volens de hac quarta verba face-
re, dicebat. {Diuerſa ab iis ſiccitas eſt, quæ in propriis cuiuſque particulæ exi-
libus arteriis, veniſque conſiſtit:} & paulò infra, {facillima verò omnium ſana-
tu, quarta eſt, aſſerebat, in qua venæ ſucco ſunt inanitæ.} De reliquis itaque ſic-
citatibus ſubintelligere oportet, cùm dicimus febrem hecticam eſſe cum ſicci-
Hectica quandoq; citra ſiccitatem. tate coniunctam, quam iterum conſiſtere citra ſiccitatem, quandoque poſſe,
cum Gale. fatemur: quoniam ſine ſiccitate, ſæpius hecticæ febres conſiſtunt, in-
quit primo de differ. febr. cap. 8. & paulò ante duplex eſſe hecticarum febrium
genus, definierat: quarum vnum cum tabe, reliquum abſque ea eſſe fatebatur.
Etenim primo fit velut quædam efferueſcētia natiuæ humiditatis, cùm primo
hectica generatur febris, neque eadem protinus aboletur, quo in tempore vſq;
dum conſumptio quædam eiuſdem roridæ humiditatis efferueſcentiam ſequa-
tur, febrem hecticam abſque ſiccitate, ſeu tabe conſiſtere, clarum eſt, apud eun-
Loco citato. dem Galenum citato lib. 1. de differentiis febrium. Nam donec pars aliqua hu-
ius humoris diſperſi in ſpatiis particularum cōſimilium intermediis, potiſsimū
ipſius cordis reſeruatur, ſolùm febris hectica exiſtit, vt ipſe inquit, nondum
etiam tabida, id etiam confirmauit Paulus cap. 31. libri 2. his verbis. Quouſque
igitur humiditatis aliquid reliquum eſt, hectica ſolùm febris dicitur, cùm ve-
rò periclitatur, ne nihil ampliùs humoris ſuperſit, abſolutus iam marcor con-
ſtituitur. Hinc ſequitur, quòd licet in tali efferueſcentia, humiditatis pars ali-
qua exſiccetur, nondum tamen ſiccitati copulatam febrem hecticam aſſeri-
mus. Etenim quouſque pars aliqua huius humoris reſeruatur in corpore cor-
dis contenti, & non vniuerſa fuerit abſumpta, ſiccitatem haudquaquam eſſe
fatemur, & propterea neque febri hecticæ coniunctam eſſe; id quod confirma-
Cap. 5. & 6. uerat Gale. citato lib. 7. metho. meden. cùm de ſiccitatibus verba faciens dice-
bat. {etiam tertia videlicet, ſiccitas eſt, cùm propria humiditas vnde partes nu-
triuntur, omnino eſt abſumpta:} eſt enim ipſius tabis (quam μαρασμὸν Græci
Tabes ſiue maraſmus. appellant) principium, cùm primùm febris hectica propriam partium humidi-
tatem ex qua nutriuntur, depaſcit, ac præſertim ipſius cordis: ſine cuius ſiccita-
te, neque maraſmus gigni poteſt, vt liquet, tum eodem primo de differentiis
Locis citatis. febrium, & 10. meth. tum etiam libro de maraſmo, qui interim ſimplex, quan-
Simplex. doque compoſitus exiſtit, ſimplex, vbi ex ſiccitate duntaxat corpora corrum-
pantur, quamuis permanere ſiccitas ipſa per ſe, non mutata oppoſitione, quæ
conſiſtit ex calido, & frigido, non poteſt, vt liquet 10. metho. meden. compoſi-
Compoſitus. tus, vbi aut caliditas, aut frigiditas immodica, ſiccitati aſſerit. Atqui ex me-
diis, ſimplicem oriri tabem contingit, ex frigiditate ſiccitati accedente, ma-
raſmus ſenio confectos habet: iſque natura conſequitur, ac in decrepita æta-
te accidere ſolet, extincto natiuo calore, quod nil aliud eſt quàm mors, quæ ſi-
ne ſenſu doloris, ac ſecundum naturam ex ſiccitate contingit, vt citato libro
1. de differentiis febrium liquet, cap. 8. Conſueuerunt etiam & præter naturam
hoc modo contabeſcere, quæ affectio à Philippo ſenium ex morbo vocatur, in
quā nō ſolum ſenes, ſed etiam pueros vidimus incidiſſe quàm plurimos, inquit
Galenus citato loco, cap. 5. Qui verò maraſmus ex calore fit, febribus quibuſ-
dam hecticis contingit, non omnibus, de quo præſens eſt ſermo, quanquam &
alius quoque reperiatur maraſmus, qui ſyncopoſus ab eodem Galeno citato
Maraſmus incipiens. libro de maraſmo appellatur, diſtinctus à frigido, & ab hoc quem exurentem
nuncupat, & in quibuſdam hecticis contingit febribus. Incipit autem hic exu-
rens maraſmus, quando natiuus humor, qui in vnoquoque diſpergitur corpo-
re, in ſpatiis particularum conſimilium intermediis, ac in cordis ſubſtantia a-
boleri periclitatur: cùm verò iam res eò periculi peruenerit, vt nihil ex tali hu-
Increſcens. miditate ſuperſit, tunc exquiſita tabes exiſtit. Verùm ſi ad carnoſum genus

tran

tranſit, quod circa tum fibroſas, tum membranoſas partes ſolidorum corporum hæret, ita vt caro, & adeps ſint liquatæ, tunc non amplius incipere, ſed increſcere maraſmum dicimus, at deinde cùm ipſas ſolidas verè dictas partes populatur, tunc vigere maraſmum, non abſque ratione aſſerimus: quòd ſi mauis, non in tria tempora: ſed in tres ſpecies maraſmum diſtinguere, pro diuerſa natura, ſeu ſubſtantia partium quas depaſcit, quæ ſolidas (quas diximus) partes conſtituunt, haudquaquam reclamabimus: neque illud Hippocratis ac Galeni pugnabit, vnus etenim erit, per tria tempora diſsidens, ſi per ſolidas partes, eas totas intelligamus, quæ ex aduerſo diſtinguuntur humidis. Tres non ab re etiam dici poterunt, ſi diuerſas ſubſtantias quæ iam dictas ſolidas partes conſtituunt, tanquam diuerſas ſpecie naturas habentes ſeorſum conſiderauerimus. Cæterùm ſiue vnus, ſiue plures dicantur eſſe maraſmi, ſatis ſit noſſe febrem hecticam, interim abſque eo conſiſtere poſſe, vtpote ea incipiente. *In vigore.* Incipit autem febris hectica, à quacúque generetur cauſa, eo tempore quo quædam velut efferueſcentia fit ipſius innatæ humiditatis diſperſæ in ſpatiis intermediis conſimilium particularum, præcipuè tamen ipſius cordis, cùm neq; vlla hectica febris effici poſsit, priuſquàm cor ipſum afficiatur, vt ſæpiùs dictum eſt: quo tempore, naturalis cordis temperies euerti incipit, licet virtus plurimùm non laboret, neque iam dicta humiditas protinus aboleatur. *Hectica incipiens.* Deinceps cùm conſumptio quædam efferueſcentiam ſequitur, eadémque in longum tempus protracta, ipſæ ſimilares particulæ, quæ ſunt veluti cordis elementa, ſicciores redduntur, atque etiam alimenti inopia tenuiores, ac tantum virtus laborat, quantum ſiccitas atque caliditas in ipſa febre inualuerit, hoc tempus non amplius initium, ſed incrementum febris hecticæ appellari poteſt: habet tamen maioris, minoriſque ratione, non paruam latitudinem, vt paulò pòſt dicemus. *Increſcens.* Vbi verò non tantùm humor in corpore cordis contentus, & carnoſæ ſeu adipoſæ partes eiuſdem conſumptæ fuerint, verùmetiam ad fibroſas & membranoſas, ſiccitas peruenerit, atque eas populetur febris hectica, tunc exquiſitè eam conſiſtere dicimus, atque omnino tabidam eſſe, vtque ab ea paſsione non differat, quæ verè exquiſita tabes appellatur: quamuis febris hæc non tantum ſicca, ſed etiam calida ſit affectio; vt liquet eodem primo de differentiis febrium. *In vigore.* Ex quibus haud ægrè quiſpiam percipere poterit, qua ratione maraſmi principium, à principio febris hecticæ differt, nam illud eſt cùm omnino rorida humiditas fuerit conſumpta, hecticæ verò principium erit, cùm talis humiditas efferueſcat, perdurat autem quouſque eiuſdem pars aliqua reſeruatur: quo etiam tempore febris hectica duntaxat, nondum autem tabida appellabitur. *Loco citato.* Incrementum inſuper febris hecticæ ab eo, quod maraſmi exiſtit, non minùs diſſentire videtur: etenim in eius incremento, non modò carnoſæ & adipoſæ partes colliquantur, verùm etiam humor hic abſumitur, qui priùs in eius principio velut quandam efferueſcentiam paſſus erat. At in incremento maraſmi modò dictæ carnoſæ & adipoſæ ſubſtantiæ duntaxat colliquantur, cùm in eius principio natiuus humor omnino fuerit abſumptus. Determino autem principium cum Galeno non dierum, aut horarum numero, ſed ipſo diſpoſitionis modo, in ſummo autem vigore, omnino conueniunt febris hectica, & maraſmus, cum ambo conſiſtere fateamur; eo tempore, quo fibroſæ & membranoſæ ſubſtantiæ, cordis præſertim, verè ſolidæ appellatæ, ab eiſdem conſumantur: tunc enim tale aliquid cor patitur, quale lucernæ lychnium, ſeu formes, cùm plurimum exuſtus fuerit, nam qui ita torrefactus eſt, frangitur atque diſſoluitur, & ex ariditate continuitatem amittit, adeò vt neque ſi magnam olei copiam ſuperinfundas flamma abundantior poſsit accendi: talis ſiquidem eſt febris, quæ eſt tabida omnino, vtque ab ea paſsione non differat, quæ tabes appellatur, vt priùs dictum eſt.

Quomodo

Quomodo vnum, duo, & tria dici poſſint febrium hecticarum genera.

Caput XIX.

Vnum hecticarū febr. genus dici poſſe.

SED occaſione eorum quæ diximus, non ab re quæres, num vnum dūtaxat ſit febrium hecticarum genus, vel duo, aut tria, vel plura eſſe poſſint genera, ſpecies ſeu differentias dixeris? Huic breuiter hunc in modū ſatisfacere licebit, aſſerēs cum Galeno vnum eſſe genus febrium hecticarū, ſi modò taliter dictæ ſint, quoniam ipſum corporis habitum cōprehenderunt, per corporis habitum ſolidas ſubintelligentes corporis partes, humidis ex aduerſo diſtinctas, vnum etenim eſt harum partium genus, continentia ab Hippocrate ſolidæ à Galeno appellatæ, & propterea cùm hoc genus calor præter naturam occupauerit, vnum duntaxat febrium genus etiam orietur, ex aduerſo & eis quæ ex humorum putredine oriuntur diſtinctum, licet genus hoc febrium hecticarum, & id quod ex putredine humorum generatur ſub vno genere, quod quidē nullum nomen commune ſortitum eſt (diariis ex aduerſo diſtinctum) contineri poſſunt, vt patet eodem primo de different. febr. cap. 7. Cæterùm quamuis hæc ratione vna duntaxat febris hectica dici poſſit, tamen pro diuerſo ipſius diſpoſitionis modo eam licebit cum Galeno in tria tempora, ſeu tres gradus ſubdiſtinguere, in principium videlicet, ſeu primum gradum, quod quidem exiſtit, cùm quædam veluti efferueſcentia fit natiui humoris diſperſi in ſpatiis intermediis earundem partium ſolidarum; perdurat autem quouſque pars aliqua eiuſdem humoris reſeruatur, & in incrementum ſeu ſecundum gradum, quod à conſumptione, quæ efferueſcentiam ſequatur, exorditur: protelatur autem hoc tempus, ſeu ſecundus gradus febris hecticæ, quoad vniuerſus humor, & carnoſa ſeu adipoſa ſubſtantia, cordis præſertim, liquefiat ac conſummetur, cùm verò fibroſas & membranoſas cordis partes febris hæc depopulatur, non ampliùs incrementum, nec ſecundum gradum, ſed ſummum vigorem, & tertium gradum ipſius febris hecticæ appellabimus. At ſi febrem hanc conſideraueris, prout citra maraſmum, tabem, ſeu conſumptionem dictatum partium ſolidarum conſiſtere poterit, vel cum earundem conſumptione, cum eodem Galeno primo de differentiis febrium, fatemur duplex eſſe febrium hecticarum genus; quorum vnum eſt citra tabem, reliquum verò cum tabe: quapropter, poſita hac febrium hecticarum diſtinctione, dicebat Galenus: {Febrium autem hecticarum quandoquidem duplex eſt, vt nuper definiuimus, genus earum:} Indicia deinceps exponamus, nec propterea cum eodem Galeno negamus tres poſſe dici differentias ſeu ſpecies hecticarum febrium, quinimò illud affirmare non veremur. Nam ſi tres diuerſæ ſubſtantiæ, vt ſæpiùs diximus, partes ſolidas conſtituunt, nec præter naturam calor cùm primum febris hectica generatur, æqualiter eas occupat, ſed earundem vnà primò ſufficienter incaluit, reliquæ verò incaleſcunt; & deinde paſſim ad reliquas duas pertranſit, nō ſine forti ratione fateri poſſimus, hæc ratione partibus ſolidis definitis, prout in ſe tres diuerſas ſubſtantias continent, quæ non æqualiter, ſed paſſim, ac ordine quodam præter naturam calorem admittunt, tres eſſe hecticarum febrium differentias ſeu ſpecies, cùm & dictæ ſubſtantiæ ſpecie quoque differant. Quarum vna ac prima erit cùm calfactum eſſe in natiua humiditate ſuſceptum fuerit, eadem veluti efferueſcentiam quandam perpeſſa. Erit & ſecunda ſpecies cùm humiditas hæc natiua fuerit abolita, conſumptáque carnoſa ac adipoſa ſubſtantia, quibus ſiccioribus redditis, ac verè ſolidis partibus exſiccatis, fibroſis, inquam, ac membranoſis, tertia ſpecies febris hecticæ generabitur. Quod inſuper confirmare videtur Galenus citato primo libro de differētiis febrium, cap. 9. nam narratis ſignis febris hecticæ, quæ omnino tabida exiſtit, inſuper definito principio generationis ipſius febris citra tabem, ſubdebat hæc verba: {deinde autem conſumptio quædam efferueſcentiam ſequitur hácque in

Hecticarum tria tempora, ſeu gradus, duplex genus, ſeu triplex, dici poſſe.

Loco ſuperiori cap. citato.

lõgum iam protracta,ipſæ ſimilares particulæ, quæ ſunt veluti cordis elementa,ſicciores redduntur,atque inopia alimenti,tenuiores:& tantum virtus laborat, quantum ſiccitas atque caliditas in ipſa febre inualuerit, quando earum altera exuperans,virturem imbecilliorem reddere potuit, huiuſcemodi febris iam quodammodo ad vtrãque partem declinat,ac medium obtinet locum,inter eam tabidam febrem,quæ penitus curam non admittit,atque illam de qua paulò ante diximus,quæ facillimè curari poteſt,ſunt verò & in hac latitudines multæ:quoniam & diſpoſitiones ipſius multæ in eo quòd magis,& minùs diuerſitates:quæ igitur æqualiter diſtat ab vtraque,& ea ſcilicet quæ exquiſitè tabida eſt,atque illa in qua nihil eſt adhuc tale, medio quodammodo ſe habet ad curationem,dubio ad partes ambas inclinans momento:quæ autem proximior tabidæ fuerit, periculo vicinior eſt:cùm quæ alteri primæ magis adhæret,non paruam ſalutis ſpem poſsit afferre: } His verbis aſſerere videtur Galen.tres eſſe hecticarum febrium ſpecies, ſeu differentias,nam poſitis duabus extremis,altera citra tabem,altera verò omnino tabida,conſtituit mediã, eam inquiens,quodammodo ad vtramque partem declinare, ac medium obtinere locum, inter omnino tabidam, quæ penitus curam non admittebat, & illam quæ facillimè in principio curari poterat. Præterea ipſam cum latitudine magna conſiſtere affirmauit,maioris, minoríſque ratione,non ab re,quoniã cum ſub ea nedum roridæ humiditatis, verumetiam carnoſæ & adipoſæ ſubſtantiæ ſiccitas contineatur, prout æqualiter, magis, aut minùs earundem ſubſtantiarum pars eſſet abſumpta, eo æqualiter, magis, minúſve ad vnam vel alteram febrem declinare,atq; propterea maioris, minoríſque periculi exiſtere. Quòd verò hæ febres,licet ſpecie differant, inter ſeſe complicari nequeant,neque in earum generatione ordo peruerti queat, ex iam dictis patere poteſt. Vnum itaque eſſe febrium hecticarum genus,nec minùs, & duo,neque à ratione alienum eſſe tria genera,ſeu tres ſpecies ac differentias,neq; plures dari poſſe, cum Galeno fateri haudquaquam veremur,modò eas diuerſa ratione conſiderauetis,ſed tempus eſt vt earum indicia deinceps exponamus.

Quæ ſint febrium hecticarum indicia communia,examinatúrque exemplum Gale.de calce aqua conſperſa. Caput XX.

COMMVNE eſt omnibus hecticis febribus quòd puſillæ, ac ſemper à principio ad finem vſque ſint æquales, inquit Gale.1. de differ.feb.cap. 9.& 3.de præſag.ex pul.cap.7. febrium hecticarum,duo hæc ſunt propria ſigna,dicebat, ſi perpetuò ſibi illæ ſimiles ſint,nec inuaſionem vllam acceſsionis, nec incrementum nec vigorem, nec remiſsionem habeant,nec ferè febricitare ſe percipiet ægrotus:in quibus etiam febribus,neq; multa occurrit tangenti caliditas,quãnis acris,ac mordax (non tamen adeo vt in febribus quæ ex putredine ortum habẽt)eadẽ inſuper licet primò tactu mitis ac debilis ſentiatur, proceſſu tamen temporis,cùm plus tangendo immoraberis, paulatim acredinem, atq; eroſionem quandam oſtendet,atq; etiam arida manui ſe offeret,id quoque confirmauit Paulus cap.31 lib.21.aſſerens,caliditas autem primo occurſu languida,paulo poſt acris,& erodens erumpit: cùm etiam arteriæ circunſtantibus partibus calidiores ſentiuntur,maximum ſunt hecticarum febrium indicium, vt liquet citato lib.1.de diffe.feb.cap.9.ſi quidem hoc illis nequaquam aliis aduenit in febribus: manifeſtiùs autem hic accidit caſus,cùm loti fuerint ægrotantes, aut quouis alio modo calfacti & laſſati,ita vt aliqua profluat humiditas, ac caliditas efflet: tum etenim aliis partibus omnibus calor percipitur moderatus, vbi calor ita expirauerit:qui verò in arteriis eſt,nihilo minor ſentitur: eſt verò eius manifeſtus ſenſus,cùm ſe pulſus attollunt, qui neque ipſi in talibus expirationibus permutantur, ſed continuè in eodem ſtatu perſeuerant. Pulſus

Signa hecticarum,æqualitas acceſsionũ.

Caliditas non multa,ſed acris,&c.

Arteriarum caliditas.

Pulſus iidem

qui diariarum.

febris hecticæ, pari modo quantum in iis eſt, in eaſdem differentias conuertunt, ampliúſque in his mutatur celeritas, inquit Gal. citato lib. 3. de præſag. ex pulſ. cap. 7. dicit autem in eaſdem differentias, in quas omnes diariæ mutant: nam de iis priùs verba fecerat. Sunt autem hæ differentiæ, magnitudo, celeritas, & crebritas: quamuis, vt ipſe fatetur, in febribus hecticis, ampliùs mutetur celeritas; verùm poſt multa eodem in loco ſcripſit hæc verba. {nec magnus pulſus, nec vehemens cum hecticis febribus vnquam concurrunt, ſed ſi alterutrum habeant horum, non ſunt hecticæ.} De vehementi clarum eſt; cùm perpetuò in hecticis febribus imbecilla ſit vitalis facultas, quoniam intemperatum cordis corpus exiſtit, vtpote cùm incaluerit iam, licet in principio plurimum non laboret, comes etenim eſt intemperiei imbecillitas facultatis, quemadmodum temperiei, robur. De magno antem fateri poſſumus quòd licet febres hecticæ quantum in ipſis eſt, in magnitudinem quodammodo pulſus mutent, quamuis minùs quàm cæteræ febres quà febres ſunt, cùm minùs in eis vſus vrgeat; quia tamen perpetuò cum eis facultatis vitalis imbecillitas aſſociatur ob mox ante dictam cauſam, ob id magnus pulſus eſſe non poterit, cùm vna ex cauſis magnitudinis deficiat, quæ eſt virium robur, ſemper interim & altera quoque quæ eſt inſtrumentorum obtemperantia propter duritiem ex ſiccitate contractam, quapropter idem Galenus aſſerebat quòd ſi cùm febribus concurrat alius affectus, mixtam oportebit eſſe mutationem ex illa & hac quæ comitatur febri, quinimò de hecticis ſic ſcriptum reliquit citato loco, quòd niſi alter cum iis affectus caſu coëat, ne incipiant quidem vnquam, quamuis hectica febris rariſsimè à primo die exiſtat: ex quo affectu vitalem facultatem, aut inſtrumenta variari contingit; & non vſum duntaxat, quemadmodum ab ipſis febribus hecticis quatenus febres ſunt: quinimò collatione facta ad pulſus, qui ſunt in febribus ſynochis dictis, minores, rariores, ac tardiores tanto ſunt hecticarum febrium pulſus, quanto etiam earum caliditas minor eſt: vt patet lib. 1. de diffe. febrium. Proprium item & inſeparabile omnibus hecticis febribus indicium eſt, vbi allato cibo febrem accendi, ita vt caliditatis multitudo ſentiatur, ac pulſum ad magnitudinem & velocitatem augeri percipias; ita vt incompreſſa annotatio facta videatur eo tempore, quo maximè omnes horas ſuſpectas ſubterfugiſſe videtur: ſtatim enim hora vna, vel duabus poſt aſſumptũ cibum, quæcunque ægrotantem tetigerint, alteram febris acceſsionem adeſſe putabunt: voco autem annotationem incompreſſam, in qua neque horror aliquis, neque extremarum partium frigefactio facta eſt, neque veluti quædam dormitatio, neque aliqua inſignis pigritia, aut omnino inæqualitas aliqua, vel in caliditate, vel in pulſu: adhuc autem magis, neque paruitas, neque debilitas, neque horum aliquid aliud; ſed quemadmodum, & cuique alteri ex cibo maior, ac velocior pulſus efficitur. Fit quidem aliquando & in quibuſdã febribus aliis, incompreſſus aſcenſus, at ſi vniuerſum indiciorum aceruũ inſpexeris, non parum differt: etenim in omnibus aliis febribus huiuſcemodi introitus præter cibum aſſumptum, fiunt incompreſsi, in febribus autem hecticis, contratio modo ſe habet omnino, neque etiam fit aliqua annotatio in tempore aliquo, ſed eſt vna febris continua, velut ea quæ ſynochus appellatur. Verùm in hac veluti flammam plurimam admouenti manum habet occurſantem, pulſúſque ſunt frequentiſsimi ac maximi: In hecticis autem febribus, neque multa occurrit caliditas, pulſúſque tanto minores ſunt, rariores, ac tardiores iis qui in ſynochis comprehenduntur, quanto etiam caliditas minor fuerit. Differunt etiam ab aliis febribus, quæ incompreſſas habent annotationes; hoc maximè febres hecticæ, quòd afflictatio aliqua omnino illis adeſt cùm cibum aſſumpſerint in acceſsionis principio, in hecticis verò poſt cibum aſſumptum, vel quandam afflictationis expertem annotationem fieri contingit; quæ non eſt, (vt antea diximus) annotatio, manifeſtius autem die ſequenti hæc febris agnoſcetur, ſi diligentiùs obſeruabimus, quouſque poſt aſſumptum cibum in

Loco citato.

Caliditatis incrementũ poſt cibũ, & pulſuum mutatio in magnitudi. & velocitate.

Febris annotatio incompreſſa.

caliditate ac pulſibus alteratio facta perdurauerit: couſque nanque manifeſtè alterata apparebunt, donec ex cibo digeſto ac appoſito cordis ſiccitatem humectauerint; deinceps ad priſtinum habitum reuertetur, in quo antea quàm cibus aſſumeretur, conſpiciebatur. Quòd ſi alio in tempore cibo refeceris, eo qui ſequitur die, ac rurſus die ſequenti in tempore pariter diuerſo, ſimiliter videbis caliditatem adauctam, & pulſus, vt diximus, alteratos. Iure itaque diximus hoc proprium ac inſeparabile eſſe hecticarum febrium indicium, vt allato cibo ſtatim hora vna aut duabus elapſis, febris accendatur aucta caliditate, ac pulſus ad magnitudinem & velocitatem augeatur, ita vt incompreſſa annotatio facta videatur: ſimile enim eis contingit quod in calce, ac lapidibus calefactis, ſi enim aquam frigidiſsimam infuderis, multo calidiores ſentiuntur, nutriente, vt videtur in ipſis humida ſubſtantia aridam caliditatem, ſi enim quiſpiam intra manus recipiat calcis glebam, eiuſdem paruifaciet caliditatem, quam neque ſentiet: at ſi deponat, aquáve perfundat, videbis quàm primum vehementer calfactam, atque ita feruentem, ſicuti lebetes quando ingenti adhæſerint flammæ, vapores etiam non paucos ab ea efferri conſpicies: quòd ſi etiam tangere auſus fueris, facilè deuri continget; adeo ſi ad ſenſus iudicium referatur, humida caliditas vires habet non parum ſicca euidentiores; vt inquit Galenus citato primo libro de differen. febr. cap. 9. Quam Galeni ſimilitudinem parum (vt mea fert opinio) quidam ex Arabum familia intelligens, auſus fuit aſſerere, has cauſas à Galeno traditas accidentales eſſe, & veluti fabulas cantatorum. Sed pace tanti viri dixerim, non propterea hoc contingere faſſus eſt Galen. quòd velut aqua contraria calci exiſtit, ita cibus virtuti nutribili ſit contrarius, atque adeò elongatus, vt ipſe eidem ſit contrarius, ſicut aqua calci, quemadmodum ipſe refert: neque propterea quia contraria calci eſt aqua, vbi ei perfundatur, multo calidior ſentitur; ſed ob id quòd humida eſt ſubſtātia, ex qua arida caliditas veluti nutriri videtur; & quia non paucos ab ea vapores efferri conſpicies, adeò vt ſi etiam tangere auſus fueris, facilè ex hoc deuri continget, vt ipſe inquit citato 1. de differ. febr. quare quemadmodum contingit ipſi calci, quæ debilem obtinet calorem, priùs quàm aqua perfundatur, ita per febres hecticas, (per quas partes corporis ſolidiores magis ignitæ euadunt, & propterea aſsiduè febris hæc in ſe ipſa ſimilis manet) calor contingentibus apparet, veluti in calce debilis: cùm verò cibum aſſumunt ac bibunt, ſimile quiddam accidit quod in calce (vt diximus) aqua perfuſa: quo fit vt cōtingentes exterius ægrum, multo calidiorem perſentiant: vt ſecundo prognoſticorum, ab eodem Galeno habetur. Continent nanque febre hectica laborantes, calorem debilem; quoniam calfactum eſſe, in partibus ſolidis conſiſtit, è quibus parum eſt quod euaporat ob ſiccitatem earum, cùm verò alimentum eis apponitur, vtpote humido exiſtēte, non ab re earum partium calor augetur, aucta per alimentum eiuſdem caloris ſubſtantia, quia eodem alimento nutriuntur, & adueniente humida ſubſtantia, magis etiam euaporat: humida etenim caliditas vires habet ſicca euidentiores, vbi ad ſenſus iudicium referatur; quemadmodum Galenus habet libro primo de differentiis febrium. Perſpicuè igitur apparet ob iam dictas cauſas, febrilem calorem in hecticis febribus, ſtatim hora vna, aut duabus adhibito cibo augeri, & quàm maximè vehementer per diductionem illius apparere, & couſque perdurare, donec ex cibo digeſto, atque appoſito cordis ſiccitas fuerit humectata. Qua etiam ratione pulſus maiores, ac velociores fiunt toto eo tempore, & non quia cibus calorem extraneum adipiſcatur neceſſariò, vt inquit vir iſte; etenim non mutaretur. At quia nutrit, propterea accidit febrilem calorem augeri. Sed quî fieri poſsit (non ab re quæres) vt tam breui tēpore aſſumpto cibo, poſsit & ipſe diſtribui, ac adiici ſolidioribus partibus, & potiſsimū cordis, ſi priùs vt concoquatur oportet, deinde digeratur, apponatur, agglutinetur, atque aſsimiletur? At nos facilè cū Gale. huic ſatisfacere poterimus, illud haud-

Similitudo Galeni, ab Auerr. reprehenſa.

Auerr. 4. col. cap. 33.

Commen. 60.

Loco citato.

Quæſtio, cui mox ſatisfecit.

quaquam difficilè contingere poſſe,nam licet deuorato cibo confeſtim ventriculus circa illũ ſe cõtrahat,vt eodẽ fruatur, nutriatúrq; vbi autẽ eo impletus, ſatiatúſque fuerit,pro onere reliquum habens,ſtatim abiiciat,ac deorſum extendat,ipſe verò ad aliud opus,ſæpe vt agglutinet,cõuertatur, tamen eo etiam tempore,aliquid eiuſdem cibi ad iecur aſcẽdere clarum eſt, ex eodem Gal.lib. 3.de nat.fac.c.13.qua ratione ad vètriculum ipſum,non paucæ venæ; portæ dictæ progerminationes attingũt, hócque eſſe primum tẽpus operis naturæ circa alimentum.In ſecundo id ad inteſtina tranſit,iiſque ipſis & iocinori ad ſaturitatem apponi, tum portiunculã eius exiguam in omnem corporis partẽ ferri.Quo in tempore quod in primo eſt appoſitum,id ventriculo affigi intellige. In tertia verò temporis portione,ventriculus ex affixo alimento nutritur,ſibi planè aſsimilato.Affiguntur autem tam iocinori, quàm inteſtinis, quæ iis fuerant appoſita.Præterea in omnes corporis partes,digeſtionẽ,appoſitionémque fieri conſtat,vt patet ex citato libro 3.de natura. faculta. Non igitur à ratione alienum eſt, imò veritati quàm maximè conſonum, quòd tenuior quædam alimenti pars, quæ parata magis concoctioni exiſtit, citius ab ipſo ventriculo euecta, & propterea etiam iecori diſtributa(quamuis non integrè vniuerſum alimentum,in eodem ventriculo fuerit concoctum) poſsit ex eodem iocinore, poſt horam vel alteram aſſumpto cibo,in omnem corporis partem ferri,digeri,atque ſolidis partibus omnibus,præſertim cordis apponi, quo tempore incipit illa incompreſſa annotatio.Producitur autẽ euſque, quò vniuerſum concoctum,digeſtúmque alimẽtum,ſingulis corporis partibus ſolidioribus,ipſiúſque præcipuè cordis,fuerit appoſitum & aſsimilatum. Atque præſertim illud contingere poſſe putamus hectica febre laborãtibus, quibus cum inanitæ fuerint,ac ſupercalfactæ partes ſolidæ, promptiùs illud attrahunt. Et quoniam inter cæteras noſtri corporis partes cor etiam facultate vehementi trahendi pollet,vt libro de maraſmo Galenus teſtatur, cap.5.nec minùs & huic opitulatur, tenuioris ſubſtantiæ, ac concoctu facilis liquidorum ciborum aſſumptio, qui eiuſmodi febre laborantibus offerri conſueuerunt.

Cuiuſlibet febris hecticæ particularia indicia: & quòd ab vrinis pro earum dignotione nullum ſumatur proprium indicium. *Caput XXI.*

INCIPIENTIS verò hecticæ febris, ſeu primi gradus,aut primæ ſpeciei, quæ citra tabem exiſtit, præter iam dicta ſigna quæ communia cunctis exiſtunt hecticis febribus,quædã propria reperiuntur,per quæ omnia, vbi ſola fuerit, haudquaquam cognitu eſt difficilis: alteri verò aſſociata difficiliùs cognoſcitur. Gal.teſte citato 1.lib.de diffe.feb.c.10. Et quoniam bifariam oriri poſſunt,vt ſuperiùs concluſum eſt,cùm ſtatim ab initio inuadentes,tum etiam quando ad alias nedum diarias, verùm etiam ardentes febres,ac reliquos quoſdam præter naturam affectus,conſequuntur, nos quò breuiores ſimus,ab initio incipientis febris hecticæ ſigna trademus,cùm ex eiſdem met,ac etiam communibus mox narratis (paucis quibuſdam demptis) eadem poterit dignoſci, quando ad alias febres conſequatur. Cùm autem ab initio nunquam inuadat febris hectica citta procatarcticas cauſas,quas etiam ſupra narrauimus, licebit, vt Galeno viſum eſt, etiam ex ægro interrogato,eam addiſcere. Vbi autem ex aliqua earum habuiſſe principium acceperis,cæteris quidem bene ſe habentibus, appareántque in ipſa prima die omnia generis febrium ephemerarum indicia,febris autem ad diem ſequentem extendatur, neque ad quietem declinans, neque magis inualeſcens,ariditatémque maiorem in corpore repræſentet, talem hecticam fore ſuſpicandum eſt. Quòd ſi vſque ad tertium diem ſine cibo permanſerit, dum tertianæ acceſsionis ſuſpectas horas præterit, nihílque effatu dignum priori acceſſerit febri, aut fuerit imminutum, ſed quædam primæ febris ex

Hectica primæ ſpec.ab initio inuadentis ex procatarc. cauſa certa, indicia.

bris exiguæ reliquiæ tantummodò procedant, atque permaneant, cum ariditate corporis, & caliditate, quæ primo tactu mitis ſentiatur, proceſſu verò temporis acris, mordax, atque arida manui ſe offerat, huiuſcemodi febrem hecticam eſſe, exiſtimandum erit. Terminus autem eius principij eſt cum eo tempore, quo ſolent ephemeræ febres in integram quietem deſinere, nedum illis tale aliquid non euenit, ſed inſuper ſiccitas manifeſta intenditur: tunc enim primum febrem diariam euadens tranſcendit ad hecticam, alter verò cuiuſdam velut ipſius augmenti, atque integræ perfectionis terminus, eſt tertiæ diei acceſsio, ſi enim vt paulò ante dicebamus, neque altera acceſsio ſuperuenerit, neque ægrotus ſine febre fuerit, adaucta inſuper ſiccitate, tunc proculdubio, hic hectica febre laborabit, potiſsimùm vbi natura ſicciores ſint, ac calidam temperaturam habuerint ægrotantes, vitámque elegerint in laboribus, vigiliis, ac curis, victúque pauco. Etenim hos ab initio ſolet hectica febris inuadere, præcipuè æſtate, ſtatúque temporis calido & ſicco, & loco præterea conſimili. Quòd ſi omnino certus eſſe velis febrem hecticam fore, cibum offeras, eo tempore, quo maximè omnes horas ſuſpectas ſubterfugiſſe videtur ægrotus: ſtatim enim hora vna, aut duabus poſt acceptum cibum, vt nuper demonſtrauimus, quicunque ægrotantem tetigerint alteram febris acceſsionem adeſſe, opinabuntur, ita vt incompreſſa annotatio facta videatur. Eius verò febris hecticæ, quæ omnino tabida exiſtit, ſiue vigorem, ſiue tertium gradum, ſeu tertiam eius ſpeciem appellaueris, ſigna cognitu promptiſsima, atque facillima ſunt, etiam priuſquàm pulſum atque calorem tactu perpendas. Decreuimus autem huius febris ſecundo loco indicia exponere, quò promptiùs eius quæ in medio eſt, nobis indicia pateant, ipſis extremis cognitis. Appellantur autem ſigna hæc promptiſsima, atque facillima, quæ etiam maxima non ſine ratione appellat Galenus cum Hippo. tum in libro de iis quæ in medicatrina fiunt, tum etiam 1. prognoſtic. quoniam ſtatim medico occurrunt: eliciuntur nanque ex facie ægrotantis, quam primò medicum attendere oportet, cùm primùm ad ipſum accedit, proficiſcuntur autem omnia (ne in tradendis cauſis nimium tempus teramus) ex vnica cauſa, eſt autem ea calida & ſicca immodicè intemperies, tum cordis, tum etiam vniuerſi corporis. Etenim dicebat Galen. eodem 1. de differ. febr. cap 8. Tabida verò febris, non tantum ſicca, ſed etiam calida paſsio eſt, quapropter extinguitur celeriùs in hac ægritudine animalis calor, totúmque corpus tabeſcit, inſtar arboris ſupra modum areſactæ, aut ob longitudinem temporis, aut flammæ viciniam, aut vehementem, atque immoderatam ſiccitatem. Hinc eſt, quòd oculos immodicè videbis concauos iis qui ita laborant, veluti quibuſdam quaſi foueis reconditos, exhauſto iam vniuerſo in ipſis liquore; ita vt oſsium quibus palpebræ adhærent, eminentiæ conſpiciantur, & ſordes in ipſis ſiccæ oſtendantur, & quædam veluti ſqualida diſpoſitio, qualis maximè ineſt iis, qui toto die ſub ſolis ardore iter longum per puluerem egerunt. Eſt etiam in eiſdem flos vitalis coloris extinctus in tota facie, ac in fronte præſertim ſiccitas immoderata conſpicitur, adeò vt ex ſiccitate dureſcat, ac circuntendatur: non poſſunt autem plurimùm producere palpebras, ſed ſæpius conniuent dormitantium more. Verùm eorum paſsio ſomnus non eſt, ſed potius vigilandi impotẽtia. Contabuere etiam carnes, quæ in temporibus ſunt, vt collapſa videantur, & concaua ſpatia; nec immeritò: quid enim aliud ſunt omnino quàm oſſa & cutis? adeò vt ſi nudato corpore partes ad ventrem attinentes aſpicias, neque ex inteſtinis aut viſceribus aliquod ſupereſſe cenſueris, ac præcordia vehementer contracta verſus thoracem videantur. Quòd ſi eos tangere libeat, cutis quidem apprimè arida, quam ſi digitis apprehendens extenderis, inſtar pellis conſiſtit. Caliditas autem, cùm primùm manus admouetur, debilis, ac mitis quodammodo ſentitur, paulatim verò acredinem, atque eroſionem quandam oſtendit, ac magis, cùm plus tangendo immoraberis. Pulſus verò tenuis, durus, debilis, & frequens, inquit Galen.

Hecticæ tertiæ ſpeciei ſigna.

Text. 1. Cõ. 1.

Ex facie.

Ex tactu.

Ex caliditatis qualitate.

Ex pulſu.

licet paulo poſt aſſerat, non tenuem, ſed paruum eſſe, quod quidem parum aut nihil differre videtur, eſt enim paruus pulſus neceſſariò tenuis, licet & breuitatem quoque ac humilitatem in ſe contineat: qua de re & tenuis, & paruus dici poterit eadem ratione, quamuis non propterea febris tabida dicenda erit: quoniam paruus aut tenuis pulſus ſit, nec propterea quia frequens, nam neceſſariò vbi paruus fuerit, hic idem erit etiam frequens. Verùm ob id potiùs febris erit tabida, quoniam debilis ac durus eſt pulſus: debilitas ſiquidem vehementem ſequitur cordis intemperiem, durities autem ſiccitatem: qui affectus, vbi cor occupauerit, neceſſe eſt, inquit Gale. eodem 2. de differen. feb. animal febre tabida laborare.

Loco citato.
Hecticæ tertiæ ſpeciei ſigna.

Reliquum eſt, vt eius febris hecticæ, quæ medium obtinet locum inter iam dictas, ſigna enarremus, ſiue augmentum hecticæ febris eam appellaueris, ſiue ſecundi ordinis, aut ſecundæ ſpeciei, quæ quidem febris, cùm quodammodo ad vtranque partem declinet, eius videlicet, quæ eſt citra tabem, & eius quæ omnino tabida eſt, latitudinémque ſatis amplam contineat maioris, minorísque ratione, ſi æqualiter ab vtraque diſtabit; æqualiter quoque vtriuſque ſigna participabit, ſi verò vni erit proximior quàm alteri, eius cui magis propinqua exiſtit, maximè indicia manifeſtabuntur: ſicciores etenim in ea, atque inopia alimenti tenuiores cordis carnoſæ partes redduntur, ac tantum virtus in ea laborat, quantum ſiccitas atque caliditas in ipſa febre inualuerit, qua ratione etiam fit, vt quamuis pulſus paruus, durus, debilis àc frequens adſit, non tamen perinde ac in ea, quæ exquiſitè tabida eſt, magis tamen quàm in ea, quæ ſimpliciter hectica, & citra tabem.

Obiectio.

Sed mox in dubium venit, cùm ſigna maxima pro dignoſcendis febribus ex calore, pulſu, atque vrinis capiantur, vt paulo ante concluſimus, cur eſt quòd Hippocrates, & Galenus nullum ex vrinis ſumpſerunt indicium pro febribus hecticis dignoſcendis: potiſsimùm cum libro primo de criſibus fateatur Galenus, quòd in febribus omnibus (quoniam venoſi generis affectus ſunt) ad vrinas præcipuè attendere oportet?

Dilutio obiectionis.
Ex vrinis nullum ſumitur ſignum pro hecticarum dignotione.

Cenſemus autem hoc ita eſſe diluendum, quod propterea, quæ ex vrinis indicia ſumuntur ſubticuerunt, quia nullum, neque inſeparabile, neque proprium & inſeparabile ab illis indicium pro febrium hecticarum notitia capi exiſtimauerint, ſiue ex ſubſtantia, ſiue ex colore, aut contentis capiatur, non ex ſubſtantia: nam eiuſdem diuerſitas, ex diuerſa humorum redundantia intra vaſa, qui diuerſimodè à natura quippiam ſunt perpeſsi, aut penitus non alterati, conſequitur: eſt etenim vrina ipſa ſerum humorum in venis contentorum, vt tertio de morbis vulgaribus, Hippocrati auctoritate, à Galeno ſcriptum eſt.

Commenta. 1. ſuper text. 5.

Nec item ex colore eiuſdem, cùm is etiam ex diuerſo humore intra vaſa redundante proficiſcatur: neque etiam ex contentis, ſiue nebulæ, ſiue ſuſpenſa, ſiue ſubſidentiæ, ſeu ſedimenta ſint: nam & hæc clarum eſt in eorundem auctorum doctrina, febrientibus, tanquam partes putreſcentium humorum intra vaſa, quodammodo à natura euictorum, exiſtere. Cùm itaque in febribus hecticis, quatenus hecticæ ſunt, partes ſolidæ, & non humores ipſi intra vaſa contenti afficiantur, reliquum eſt ex vrinis nullum elici poſſe indicium pro earum dignotione. Nec quicquam obeſt ſi de diariis obiicias, nam in illis cùm nec humores, nec ſolidæ animalis partes præter naturam calorem ſuſceperint, ſed ſpiritus duntaxat, propterea ab vrinis inſeparabile, ac proprium ſumitur indicium, cùm ſtatim à prima die concoctæ apparuerint: indicabunt etenim haudquaquam humores calorem præter naturam occupaſſe, nec ſolidas corporis partes effectas eſſe, quales vrinæ in hecticis videri minimè poſſunt, nam concoctionem à ſolidis corporibus ſanis humores conſequuntur, vt liquet 2. de morb. vul.

Commenta. 2. tex. 46.

Cùm verò hæc in febre hectica ægrotent, vrinæ haudquaquam concoctæ videri poſſunt, nec cruda, aut obſcurè concocta propterea erit vrina in febribus hecticis. nam proprium ac inſeparabile eſt tale indicium febrium ex putredine ortarum, vt ſuprà oſtendimus: neque redundans quiſpiam in vaſis putreſcens humor adeſt,

ex quo

ex quo tales vrinæ prouenire queant in eiuſmodi hecticis febribus, quantum in ipſis eſt. Ad Galeni auctoritatem primo de criſib. dicimus veritatem habere in febribus omnibus, de quibus eodem libro verba facit: & quoniam de hecticis in eo libro, vt ipſemet teſtatur in fine ſecundi de criſib. ſermonem non fecit, propterea de eis eadem auctoritas non intelligitur. Ad hæc eodem loco de vrinis loquebatur relatione ad venoſum genus, quemadmodum de ſputis, & alui excrementis, relatione facta ad ſpirandi inſtrumenta, ac ventrem: quocirca eas præcipuè attendere oportere præcipiebat, pro cognitione eorum, quæ intra venoſum genus continentur, & non propriæ ſubſtantiæ venarum, atque arteriarum: qua ratione dicere poſſumus febres hecticas paſsiones non eſſe venoſi generis: vel dicas quòd in eiuſmodi etiã febribus, attendere vrinas oportet, veluti in reliquis morbis, & ferè omnibus, non tamen tanquam propria, aut inſeparabilia harum febrinm ſigna, quemadmodum decretum reliquit idem Galenus tertio de morbis vulga. cùm dicebat, {Atqui vrinas ſemper memineris, vt ſimul inſpicias in ventris affectibus, thoracis, pulmonis, neruorúmque: nam bonæ ſi appareant, mulrum valent ad ſalutẽ; contrà, ſi prauæ, amplificant ſimul ægri periculum.} ſed confeſtim inſtabis inquiens Hippocr. ſecundo prognoſtic. pro harum febrium dignotione, ſignum quoddam ex vrina ſumpſiſſe, cùm dixit: {ſi pingue deſuper natans araneorum ſpeciem referat, damnãdum eſt. indicat enim conſumptionem.} Atqui haudquaquam nos negabimus conſumptionem indicare, ſi quid pingue ſuper vrinam natauerit araneorum ſpeciem referens: ídque ſæpiùs contingere in colliquãtibus febribus, cum Hippocrate affirmamus. Quam ſententiam Hippocr. confirmauit Galenus commento aphoriſ. 35. ſeptimi lib. cùm dicebat: {ſiue alui excrementum, ſiue vrina pinguis fuerit, ex colliquatione adipis fit, non magis in renibus, quàm in toto corpore exiſtẽtis.} etenim commune indicium erit omnis adipis ab igneo calore colliquati. verùm non propterea admittimus illud fieri poſſe in febribus hecticis, etiam tabidis. licet vniuerſæ hæ febres, quæ maraſmodes appellantur, ex genere earum ſint, quæ colliquant, in eo tamen differunt, vt Galenus inquit, decimo metho. {quòd quæ portio carnis in tabidis febribus colliquatur, ea ſemper vaporis vice digeritur: in illis verò ardentiſsimis, ac malignis febribus, quod liquatur, defluit in ventrem.} ex quibus Galeni verbis facilè quiſpiam percipere poterit, quòd quamuis conſumptionem indicet pingue in vrina ſupernatãs, ídque fieri contingat in colliquantibus febribus calidiſsimis, atque malignis, nunquam tamen hecticam febrem, tabidam demonſtrabit, neque ex ea ſimilis prouenit conſumptio, ſeu colliquatio. paucum eſt etenim quod in ea colliquatur, propterea quòd ſolidæ partes ſicciores ſunt, & carnoſæ etiam, & adipoſæ paucæ, tum etiam quòd febris ipſa exigua, nec nimium calida eſt: quo fit, vt id quod colliquatur, ſemper vaporis vice digeratur, neq; in ventrem defluat, neque per vrinas excernatur. Cernitur hoc etiam, vt citato loco teſtatur Galen. in carnibus dum in craticulis torrentur, euidenter fieri: ſiquidem ab aliquibus plurima liquatio defluit, dēcidítque in prunas largiter; aliquando nihil omnino (quod vtique ſentias) defluere videtur, etiamſi par ſit prunarum ſubdita copia, quantóq; magis adipe, vel carne animal abundat, tanto profectò quod ab ipſis carnibus, dum in craticulis torrentur, defluit, cernitur copioſius: eodem igitur modo in calidiſsimis febribus atque malignis, ſi carnes humidæ ac molles cum adipis copia fuerint, eas ſenſu liquari deprehendas: ſin ſine adipe, & ſiccæ ſint, in maraſmodes febres tranſeunt; ſiquidem quoad materiam vberem habent, hanc colliquant, vbi illis, tum adeps, tum caro mollis defecit, duras & æquè liquabiles carnes ſiccant, à quibus propter ſiccitatem nihil defluit, velut nec ab iis quæ ſale ſunt ſiccatæ, ſiquis has quoque torrere parans, pari cum aliis igni admoueat; nam & ſicciores earum carnes reddentur, & corij ritu durabuntur, nec defluet ex his vlla ſenſibilis liquatio: quocirca licet interdum quędam veluti colliquatio totius corporis fiat, aliquando ſuccorum, qui in venis

Loco citato.

Comment. 2. text. 6.

Alia obiectio.

Dilutio obiectionis.

Hectica in quo differat à reliquis colliquantibus. cap. ulti.

ſunt duntaxat: quod verò ex colliquatione proueniat aliàs ad ventrem confluit, aliàs ad vrinas, aliàs per ſudores pellatur, Galeno teſte, tertio de cau. ſymptomatum, cap. 2. neutrum tamen eorum in hecticis febribus, etiã tabidis, prouenire poſſe putamus, cùm & puſillæ eædem ſint, nec multa carnis humidæ ac mollis, ſeu adipis copia ſimilibus febribus laborantibus adſit. interim tali habitu præditi haudquaquã parati ſunt in tales febres incidere, vt diximus: quapropter nuſquam eædem ſubſtantiæ, nec etiam aliæ verè ſolidæ dictæ, ſenſu liquari deprehenduntur, ſed ſemper vaporis vice digeri, cum Galeno cẽſemus.

Alia obiectio. Sed adhuc fortius inſtabis cum Galeno, tertio de præſagitione ex pulſib. cap. 4. vbi verba faciens de peſtilenti febre hectica, fatebatur hæc verba: {Inſpicienda porrò præ cæteris vrina eſt: etenim conturbata quorundam eorum videtur eſſe, & aquoſior, ac nonnullorum multo quàm pro natura tenuior.} & paulò poſt ſubdebat: {præſertim ſublimamentis animus eſt adhibendus, nam quædã ſubliuida quodammodo ſunt, fugiunt & item alia quæ aranearum latas telas referunt in modum lanæ congeſtæ:} videtur ſiquidem hoc in loco Galenus, non modò ex contẽtis, ſed etiam ſubſtantia, & fortaſſe etiam colore ipſius vrinæ indicia ſumere pro dignotione febris peſtilentis hecticæ. Hanc Galeni au-

Dilutio obiectionis. ctoritatem nos tanquam veram admittimus. Verùm fatemur cuncta, quæ ex vrina indicia ſumit hoc in loco febri peſtilenti exitiali, quæ etiam hectica ſit, tribuenda eſſe: in eis nanque non humores ac ſpiritus, ſed ſolidas corporis partes putredo occupat. Quo fit, vt magnoperè inſpiciendas eſſe vrinas, in huiuſmodi febribus præcipiat, quas ferè pulſu dignoſcere non liceat. Verùm non vt dignoſcamus febrem hanc eſſe hecticam, ſed peſtilentem, atque exitialem primò, quam etiam eſſe quodammodo hecticam contingit, propterea quòd ad corpus ipſum viſceris, non ad humores, qui in eius finibus continentur, putridus calor vniuerſus defluxerit. liquet igitur ex his quàm longiſsimè à veritate deuiarint iuniores medici vel Galeni doctrinam profitentes, qui opinantur ex vrinis aliquod ſumi poſſe indicium proprium pro hecticarum febrium dignotione; obſeruantes præſertim (vt vulgus quoque medicorum vniuerſus obſeruat) natantem illam in vrina pinguedinem, quæ licet conſumptionem, ſeu liquefactionem ſignificet, contingátque (vt modò diximus) in colliquantibus, calidiſsimis, ac malignis febribus, in iis tamen quæ hecticæ ſunt, etiam & maraſmodes, ſeu tabidæ haudquaquam conſpici queunt: quemadmodum

Cur in hecticis inſpicienda urina. cum Hippocrate, & Galeno abundè determinauimus. Inſpiciendæ tamen ſunt in hecticis febribus vrinæ ſemper, non pro earum dignotione, ſed quoniam ſi bonæ appareant, multum valent ad ſalutem: contrà, ſi prauæ, amplificant ſimul ægri periculum, vt in cæteris morbis omnibus, etiam qui affectus venoſi generis non ſunt.

Quòd hæc noſtra Methodus per indicationem fiat: & quid ſit indicatio.

Caput XXII.

HABITA febris cognitione, qualis ſcilicet ſit eius natura, diuiſáq; ratione eſſentiæ eiuſdẽ, ac inuentis inſuper diuiſiua methodo tribus primis differẽtiis, quod quidẽ, vt ſæpiùs diximus, quoddam eſt principium methodi ſeu viæ noſtræ, quæ ad propoſitum nobis finẽ perducit, id autem eſt cuiuſque febris remedia inuenire: cúmque explicauerimus generationis earundem febrium, ac dignotionis modum, conſonum erit, vt ad ea tractanda deueniamus, quibus finem hunc conſequi liceat, ac qua via pergendum ſit, præſertim in tribus iam

Indicatiõe inuenire opponitur inuentioni per experientiam. dictis differentiis. nam ſub eadem methodo reliquarum omnium febriũ particularium, medendi ratio facilè patebit. At cùm omnis medendi methodus ſeiuncta ab experiẽtia procedat, & propterea per indicationem fiat, quoniam quicquid ab experientia ſeiunctum eſt, id totum indicatio nominatur: ob id quiſquis

quiſquis condere medendi methodum ad vnguem parat (inquit Galenus in ſecundo eius operis libro, cap. 7.) huic à primis eſt indicationibus auſpicandum: atque hinc ad eas, quæ deinceps ſunt, trãſeundũ: rurſúsque ab his ad proximas: itaque pergenti non priùs perſiſtendum, quàm ipſius finis ſit compos. Ergo primùm quæ generalis, communiſque morborum indicatio ſit, inueſtigandum erit, ab hac deinde ad alias ſpeciatim deſcẽdemus: eadem etenim eſt methodus in omnibus morbis curandis, vt primas videlicet omnium curationis indicationes conſideres: quas vtique generaliſsimas appelles licet, tum quæ ex harum ſectione naſcuntur, deinde rurſus quæ ex illis oriantur, donec perueneris ad eas, quæ vltra ſectionem non admittant, vt nono meth. cap. 15. ſcriptum eſt. Non alia itaque ratione, hæc noſtra methodus à primis indicationibus auſpicari debet, ac eodem modo procedere diuiſiua methodo, ad eas vſque quæ ſectionem non admittunt, vt noſtræ finis compotes ſimus. quapropter ſi id quod curare debemus, febris eſt, conſonum profectò erit, ab ipſa quoque indicationes eſſe incipiendas, atque ab ipſius rei natura exordiri, & ab ipſa quod ſequẽs eſt, citra experientiam inuenire, cùm id ſit indicatione inueſtigare, vt diximus. Auſpicari nanque perpetuò oportet ab indicatione, quæ ab affectu cui paramus mederi, accipitur: vt liquet quarto de meth. meden. cap. 3. Non ab re igitur primùm quæ generalis, communiſque morborum omnium indicatio ſit, & per conſequens febris, quatenus morbus eſt inueſtigandum: ab hac deinde ad alias ſpeciatim deſcendendum, quæ ab eadem ſumuntur, non abſolutè vt morbus, ſed vt talis morbus, vt pote in intemperie: deinceps verò vt talis intemperie, & ſic de reliquis. Nam ſi indicatio, quæ ab ipſa rei natura primũ oritur, quod agẽdum ſit inuenit, neceſſe eſt inueniendorum remediorum initium, ex ipſorum morborum natura ſumi. ſiquidem abſurdum eſt aliud eſſe quod curãdi rationem præſcribat, aliud quod curatur. Etenim indicare de ſe quicquã magis poteſt, quàm de alio, Galeno auctore, tertio de meth. meden. cap. 1. Verùm quoniã omnibus in confeſſo eſt primas indicationes ex affectibus eſſe ſumendas, priùs quàm definiamus quænam ſit hæc prima indicatio, quid per indicationem intelligere debeamus, quid ve ea ſit, explanare duxi, ne per ignota noſtra procedat oratio: præſertim cùm dixerimus omnem medendi methodum per indicationem fieri. Galenus ergo volens ſecundo methodi medendi, cap. 7. exponere quid hoc vocabulum indicatio ſignificet, profert hæc verba: {τὴν γὰρ οἷον ἔμφασιν τῆς ἀκολουθίας ἔνδειξιν λέγομεν:} hoc eſt, dicimus enim indicationẽ tanquam emphaſim, id eſt, expreſsionem, ſignificationem, demonſtrationem, ſeu repræſentationem eius, quod ſequitur. per indicationem etenim repræſentatur nobis quicquid conſequens, faciendúm ve ſit. eſt etiam emphaſis figura quædã, qua latens aliquid ex aliquo dicto eruitur. Huius duo ſunt genera, vnum, quod plus ſignificat, quàm dicit, alterum quod etiam id quod non dicit, vel quod maius dicat, ſub quo etiam minus volunt intelligere: eſt & ſchema cùm ſubeſt in verbis tacita quædam (vt aiunt) ſignificatio. Quocirca quemadmodum per figuram emphaſim dictam, aliquid latẽs ex aliquo dicto eruitur, propterea quòd ſubeſt in verbis tacita quædam ſignificatio, ita etiam & ipſa indicatio, tanquam emphaſis dici poterit: nam per eam etiam aliquod latens eruitur, ſubeſt enim & in ea, tacita quædam ſignificatio, per quam nobis patefit (cognita tamen priùs rei natura) id quod conſequens, faciendúm ve ſit: ſtatim ſeſe offerente eo quod indicatur: & ob id Gal. 2. metho. med. cap. 7. dicebat: {ergo ex ipſa rei natura ordiri, atq; ab ipſa quod ſequens ſit, citra experientiam inuenire, id eſt, indicationẽ inuenire. nam inuenitur quidem & ab ipſa experientia, id quod conſequens, faciendúm ve ſit: cæterùm non ita, quaſi in præcedẽti aliquo deſignatum: & proinde nemo empiricorum dicit id illo indicari, quãquã certè hoc ſequi illud dicant, & hoc præcedere illud, & cõſiſtere hoc cum illo,} & lib. de opt. ſect. ad Thraſy. definiens indicationem, aſſerebat, {eſt igitur indicatio, iuuantis comprehenſio, ſimul cum comprehenſione nocentis adueniens, ſine obſer

Indicatio quid.

cap. 11.

Indicatio ab obſeruatione & ratiocinatione ſeiūcta.

obſeruatione aut ratiocinio.} Seclusit itaq; his verbis ab indicatione, cùm obſeruationem, tum etiam ratiocinium: obſeruationem inquam, quoniam ab ea conſtituitur experientia. Dicunt nanque Empirici omnem eorum artem, obſeruationem, memoriámque eſſe: inuenire etiam per experientiam, ex aduerſo opponitur inuentioni, quæ fit per indicationem & methodum, vt ſæpiùs diximus. non enim obſeruatione indigent, quæ per indicationem nobis patefiūt: ſimul etenim cum indicantibus obuia ſunt, vt dicemus. Seclusit item & ratiocinium: quoniam neque eadem vlla cogitationis ope indigent. Quapropter citato loco inquit Galenus, {quædam igitur proportio indicationi, cùm ſenſui, intellectuíque manifeſtis intercedit.} quando enim cum nocentibus iuuantia pariter occurrunt, tunc neque obſeruatione, neq; analogiſmo vtendum; quandoquidem ipſa nocentia quid expediat, manifeſtant: quare quod in apertiſſimis, & ſine controuerſia conceſsis reperitur (omnibus enim demonſtrationem tranſcendentibus, mens noſtra propter euidentiam aſſentitur) id nimirum & in perceptis ex indicatione contingit. ſunt item per ſeipſa ſenſui euidētia, quæ per indicationem nobis patefiunt; quemadmodum album & nigrum, & propterea obſeruatione non indigent, quoniam proportione ad ea reſpondet obſeruatio, quæ non per ſe ſenſui cognita ſunt, ſed per ſigna quædam, ſeu quaſdam notas comprehenduntur. Abſque etiā ratiocinio nobis aduenit comprehenſio iuuantis ſimul, cum comprehēſione nocentis per ipſam indicationem, quemadmodum quædam, quæ licet ſenſui obſtruſa videantur, intellectui tamen perſpicua ſunt, eodem Galeno auctore citato loco. Eſt propterea indicatio ſine obſeruatione & ratiocinio, vt ipſe teſtis eſt, efficítq; vt comprehendamus ſimul iuuantia, cum nocentibus, & ab eadem vtilia capiamus: quandoquidem (vt diximus) ipſa nocentia quid expediat nobis manifeſtant, adeò vt neque obſeruatione, neque analogiſmo, ratiocinióve aut alia cogitationis ope indigeant. Et hanc ob cauſam, inquit Galenus citato libro ad Thraſyb. {animalia ratione carentia, æſtum, algorem, ſimúlque omnia nocere valentia quoad eius fieri poteſt, vitare conantur; ſimul videlicet eo quod iuuat, ſeſe offerente} & addit: {Paxillo enim, aut aliquo alio in membrum defixo nullus cogitatione præmiſſa reuellit.} Non ab re itaque cum Galeno aſſeruimus indicationem eſſe comprehenſionem iuuantis, ſimul cum comprehenſione nocentis, ſine obſeruatione, aut ratiocinio adueniente.

Aduerſus eos, qui parum rectè quid indicatio ſit, intellexerunt. Tum quid ex Galeno ſit indicans, indicatum, experientia, & analogiſmus.

Caput XXIII.

Galeni verba malè à quibuſdam neotericis intellecta.

SED in hac re non parum hallucinati ſunt Galenici quidam iuniores, perperam hæc Galeni verba intelligentes. Fatentur enim quòd cùm Galenus inquit {indicationem, iuuantis comprehenſionem ſimul eſſe cum comprehēſione nocentis aduenientem} intelligere velit, quòd per indicationem ſimul nobis patefiunt ea quæ iuuant, & quæ nocent, hoc eſt materiæ medicamentorum nocentes & iuuantes, vtiles & non vtiles: qua ratione deinceps, cogamur hæc amplecti & moliri, vtpote iuuantia & vtilia, illa verò renuere & vitare, vt quæ nocentia ſunt. Sed pace tantorum virorum dixerim, hæc eorum opinio à Galeni doctrina admodum deuiare videtur. Nam quāuis philoſophis ac logicis pateat, quòd vno contrariorum cognito, reliquum etiam cognoſcatur, & propterea fateri etiam poſſumus, quòd habita notitia per indicationem eius quod iuuat & vtile eſt, poſſumus etiam ſecundariò & ex accidenti, & quæ nocent comprehendere, haudquaquam tamen admittimus quòd per indicationem comprehendamus ea medicamenta, quæ nocent, cùm per eam non niſi ea, quæ vtilia ſunt, ac opem ferunt, comprehendamus. {iuuantia etenim per indicationem patefiunt,

ſiunt,} inquit Galenus. & pauló poſt dicebat: {quandoquidem ipſa nocentia quid expediat manifeſtant.} Ad hæc ſecundo de meth.med.cap.7. {indicationem dicebat eſſe ſignificationem,ſeu demonſtrationem eorum quæ cóſequuntur,ſiue agenda ſunt,& non eorum,quæ non conſequuntur, neq; agenda ſunt.} Rurſus nec vnquam in Hippocratis,& Gale. doctrina compertum eſt aliquod indicare quod ſibi nocet,ſed perpetuò id quod cõſert,expedit,& vtile eſt. Adde quòd eodem libro ad Thraſyb.cap.45.omne quod indicat,fatetur Galenus, aut ſui conſeruationem,aut ſui ablationem indicare.Sed vtrũque horum perficitur ex his,quæ expediunt & iuuant,& non ex eis quæ nocent, ac non expediunt.igitur admittendum non erit quòd per indicationem ſignificetur nobis, ſeu demonſtretur id quod fieri non expedit.Exorditur enim indicatio ex ipſa rei natura,ex qua quæ conferunt duntaxat,neceſſariò proueniunt,ac per ſe indicantur,& non quæ nocent: quamuis ex accidenti id,quod indicat ab his,quæ non iuuant,iuuari poſsit: vtpote ipſis à medico non adhibitis, hoc tamen ex indicatione procedere, aut per indicationem ſignificari, nullo pacto admittimus:nec idem Galen.per comprehenſionem nocentis, medicamentorum materias nocentes,voluit intelligere,ſed id quod præter naturam eſt, id quod lædit,id quod nocet,quando dixit quòd indicatio eſt iuuantis comprehenſio ſimul cum comprehenſione nocentis adueniens; id quod non ſolùm confirmauit ac declarauit in exemplo animalium ratione carentium, ſed in paulò ante citatis verbis,cùm dicebat: quandoquidem ipſa nocentia quid expediant manifeſtant,cùm ſi aliàs intelligerentur eius verba, fruſtra animantium ratione carentium tradidiſſet exemplum,ac paxilli infixi,nec ex ipſa indicatione vtilia caperemus, niſi ſimul cum ea comprehenderemus naturam rei nocentis, hoc eſt indicantis: ſimul enim,vt ipſe Galenus refert,cùm indicantibus obuia ſunt iuuantia, quæ per indicationem patefiunt. Non igitur intelligit Galenus in indicationis definitione per nocentia,medicamentorum materias quæ nocent,ſed præter naturam affectus,qui corpori nocumentũ præſtant. Hi etenim ſunt, quos ſimul per indicationem comprehendimus cum iis quæ iuuant, & fieri expedit,ſimul nanque cum indicantibus indicata ſeſe offerunt,eodem Galeno teſte,citato lib.de optima ſecta,cap.27. Quòd verò per nocentia affectus præter naturam intelligat per hæc etiam verba citato loco cõſcripta, luce clariùs manifeſtauit,loquens aduerſus methodicos, quòd affectus duntaxat tanquam euidẽtes,ex quibus indicatio enaſcitur,& nõ cauſas velut abditas dignoſcendas eſſe putabant.Inquit enim, {ſed cum nocentium notitia, ſimul & cauſarum concurrit agnitio,quinimò nocentium cognitio, cauſarum eſt comprehenſio.Itémq; ipſa nocentia,quæ vtiq; cauſæ ſunt,non ex ſeipſis in notitiã veniunt. quare non ſolùm adſtrictio ipſa non eſt euidens,ſed neque illa etiam ex quibus adſtrictio dignoſcitur.} Hanc inſuper indicationis deſcriptionem,parũ rectè quidam iuniorum intelligentes, auſi ſunt confundere, atque peruertere, quædam verba adiicientes,quò facilè ad eorum falſum ſenſum eam traherent, ac Galeni veritatem,ſimulátq; verborum eius luciditatem obtenebrarẽt. Aiũt nanque ſcribi à Galeno libro de optima ſecta, {indicationem eſſe comprehenſionem iuuantis, cum comprehenſione nocentis (cum re indicante) ſimul aduenientem:} addunt enim illa verba {cum re indicante} quæ Galenus non appoſuit,tanquam non neceſſaria,imò ſuperflua, quæ ſi addidiſſet,vt iſti quærũt, non vtique indicationis naturam manifeſtaſſet,ſed potius peruertiſſet, ac confudiſſet,quemadmodum iſti & confunderunt,& peruerterunt.ſed cum quodlibet indicans aut ſui cuſtodiam,aut ſui ſublationem indicet, ex Galeni ſententia,eodem libro ad Thraſyb.videtur quòd ſi indicatio hoc modo intelligatur, aut erit imperfecta eius definitio,aut nihil indicabit ſui cuſtodiam.Nam quando aliquid ſui cuſtodiam indicabit,vtputa virtus, tunc per indicationem non comprehendimus iuuantia ſimul & nocentia:etenim ea quæ conſeruari debẽt nocentia non ſunt.Hanc obiectionem hunc in modum ſoluas, Quòd illa indi-

In definitione indicationis, quæ nocent, ſũt præter naturã affectus.

Cap.citato.

Obiectio.

Cap. citato.

Dilutio obiectionis.

cationis

carionis deſcriptio, propria eſt eius quæ ſumitur ex his, quæ præter naturam ſunt, & nocentia: de his enim ſermo erar cum empiricis & merhodicis, quando probare intendebat diuerſum eſſe modum inueniendi vtilia, hoc eſt remedia ab eiſdem, pro auferendis nocentibus, id eſt, his quæ præter naturã ſunt: & propterea imperfecta non eſt, neque ob id aſſerendum, nil ſui cuſtodiam indicare, quoniam de hac indicatione nullus adhuc habitus fuerat ſermo à Galeno, neque diſſenſio aliqua inter iam dictas orta, ſed de modo inueniẽdi vtilia, hoc eſt medicamenta pro auferendis præter naturam affectibus. Quocirca Galenus inſpiciens hanc indicationis deſcriptionem, eſſe propriam eorum quæ indicãt ſui ſublationem, confeſtim alteram ſubdit deſcriptionem omnibus indicationibus communem inquiens, aut ſic deſcribere potes. Indicatio eſt quando rebus percipiendis ſimul & quod confert percipitur, abſque oſtenſione & obſeruatione: hæc nanque deſcriptio, communis eſt tum his quæ indicant ſui ablationem, tum his quæ ſui cuſtodiam: ſimul etenim cum indicantibus, quod Galenus ſubintelligebat, cùm dicebat rebus percipiendis, & quod confert percipitur, cùm perceptio rei indicantis, quodcunque fuerit indicans, cognita eiuſdem natura, ſeu eſſentia, confeſtim percipitur id quod confert, tam ſi confert pro ſublatione eius quod præter naturã eſt, quàm pro tutela, ſeu cuſtodia eius, quod ſecundum naturam exiſtit. Ex qua inſuper deſcriptione patet eorum error, qui putarunt indicationem quampiam indicare nocentia, hoc eſt medicamentorum materias quæ nocent. Nam in hac quoque deſcriptione, quemadmodum in præcedenti demonſtrauimus, quod confert aſſerit Galenus, quod per indicationem percipitur, & non quod lædit ſeu nocumentum infert. Quid itaque ſit indicatio, ſatis ſupérque me demonſtraſſe puto. Ex quibus etiam liquet quid ſit indicans, ſcopus ſeu propoſitum, quid etiam indicatum, vtile, ſeu poſtulatum. Eſt enim indicans id, quod vtile ſeu iuuans expoſtulat, ac quid fieri expediat, requirit: nunquam tamen ex ſe quod fieri non expedit, expoſtulare videtur: quod verò indicatur, eſt illud vtile; poſtulatum, ſiue iuuans, quod ab indicante indicatur, ſeu requiritur. Indicatio verò, illa ſignificatio, ſeu demonſtratio eius quod conſequitur, ſeu agendum eſt, aut mauis dicere, quòd eſt illa comprehenſio iuuantis ſimul cum comprehenſione nocentis aduenien, ſine obſeruatione aut ratiocinio, vt diximus: vel quando rebus percipiendis ſimul & quod confert percipitur, abſque oſtenſione & obſeruatione. Experientia verò eſt eius, quod ſæpiùs & eodem modo viſum eſt comprehenſio, atq; memoria, ſiue obſeruatio & memoria. Idem verò eſt obſeruatio, & experientia, ait Galenus, citato libro ad Thraſyb. Analogiſmus autem eſt comparatio & perceptio cauſarum iuuantium per ſimilitudines; percipitur autem ex eo iuuans, quando cauſa quidem deliteſcit: nulláq; obſeruatio habetur, ſed affectus quàm ſimillimus ex caſibus eſt; vt inquit Galenus citato loco: analogiſmo etenim vtẽtes, à ſimilibus ad ſimillima tranſimus, quamuis empirici ſecus atque nos rationales, huiuſmodi tranſitum vſurpant. Libro autem primo prognoſtic. Galenus dicebat, quòd analogiſmus eſt ratio, quæ ab euidenti auſpicatur, rei obſcuræ faciens cognitionem. Quoniam ergo omnis met. vt priùs diximus, per indicationem fit, Galeno auctore, 2. de metho. med. cap. 6. ob id coacti ſumus quid ſit indicatio, quid indicans, & quid indicatum, demonſtrare.

Eod. cap. 11. (margin, beside "medicamenta pro auferendis…")
Indicãs quid. (margin, beside "poſtulatum. Eſt enim indicans…")
Indicatum. (margin, beside "ſtulare videtur…")
Indicatio. (margin, beside "quod ab indicante…")
Experientia quid. (margin, beside "Experientia verò…")
Loco citato. (margin, beside "perientia, ait Galenus…")
Analogiſmus. (margin, beside "ratio & perceptio…")

Quomodo indicantibus, & coindicantibus vtendum: & quòd falsò per contraindicantia, prohibentia intellexerint quidam, ſuperfluóque correpugnantia addiderint. Caput XXIIII.

CAETERVM cùm recentiores quidã citra hæc, nonnulla alia procuratione, quæ per methodum efficitur, neceſſaria fore opinentur, propterea quamuis prolixiores eſſe videamur, non minùs cogimur declarare (vt noſtra hæc methodus dilucidior euadat) nunquid ea

ad hanc

ad hanc conſtituendam quicquam conferant. Sunt verò quæ ipſi aſſerunt, neceſſaria quoque in medendi methodo coindicantia, coindicationes; contraindicantia & contraindicationes; correpugnantia, & correpugnationes. Appellant coindicantia, ea quæ non primò & per ſe, ſed alio loco, & per accidēs monſtrant, id quod ab indicante oſtenditur: & per conſequens, coindicare dicunt, commonſtrare, ſeu coinſinuare: confirmántque illud hoc exemplo. Vires, inquiunt, propriè indicant alimoniam, ea quæ ſimul cum viribus eădem alimoniam commonſtrant, vtpote ætas, cōſuetudo, anni tempora, & cætera huiuſmodi, hæc coindicantia appellantur, ac coindicare dicunt. Appellant contraindicātia, ea quæ primò fieri impediunt id, quod ab indicante ſuggeritur: & propterea contraindicare eſſe repugnare, refragari, atque reluctari. Exemplo illud declarant. Affectus præter naturam vtpote redundantia, hæc, inquiunt, vacuationem exigit atque demonſtrat, vires autem, vbi præ imbecillitate eam ferre non poſſint, tunc vires contraindicare dicunt: quoniam impediunt primò id quod ab indicante ſuggeritur. Nominant autem correpugnantia ea, quæ non primo ſed ſecundo loco indicantibus ſeſe opponunt: & propterea correpugnare, dicunt eſſe correfragari, & correluctari. exempli gratia; vbi redundantia, vt diximus, exigat vacuationem, ſi vires præ imbecillitate eam ferre non valeant, eas dicunt contraindicare, ac ſi cum ipſis viribus conſentiat ætas, habitus ſecundum naturam, anni tempus, & cætera huiuſmodi, hæc correpugnantia appellant, quoniam non primo, ſed ſecundo loco refragantur ei, quod ab indicante ſuggeritur: hæc eadem non nomine duntaxat, ſed re, & natura inter ſe diſſentire fatentur. Atqui nos aſſerimus primò cum Galeno nono metho. meden. cap. 7. minime vetare quod hi, & alij vniuerſi, nominibus quibus libitum ſit, vtantur modo id quod in arte vtile eſt, non egrediantur, & in logicas diſceptationes incidant: eſt namque (vt ipſe Galenus inquit) artis vtilitas auxilia quibus æger ſanetur, inuenire, & non de nominibus litigare, ad quæ inuenienda, quicquid conducere quomodolibet videbitur, id fatendum eſt, ad curationem eſſe neceſſarium, ſiue ἐνδεικνύμενα, ſiue συνενδεικνύμενα, ſiue ἀντενδεικνύμενα, hoc eſt indicātia, coindicantia, aut contraindicantia appellētur: aut ex eis ἐνδείξεις, aut συνενδείξεις, aut ἀντενδείξεις: id eſt indicationes, coindicationes, ſeu contraindicationes ab eis capi dixeris. Nam quæ circa ægrum adminiſtrantur, omnia fermè eius vnius cauſa fiunt: cuncta itaque quæ ad auxiliorum inuentionem conducunt, neceſſariò conſideranda in ægris à medico ſunt: ſiue magnopere, ſiue mediocriter, ſiue exiguè conferre videantur: ſimilem ſententiam ſcriptam reliquit 11. eiuſdem, cum diceba, { atque nominibus quidem quiſque prout volet, vtatur. (id enim ſemper monere oportet) ſed remediorum indicationem, quæ à rebus ſingulis præſtetur, ſeruet: quando ſi vel vnam aliquam earum prætereat, ad portionem tum magnitudinis illius, tum facultatis, curatio claudicabit. } Hæc itaque Gale. inſtituta nos ſeruare intendimus in hac noſtra methodo, indicationem ſumentes à ſingulis rebus, quæ ad remediorum inuentionem quomodolibet conducere videntur, ſiue ea indicare, ſiue coindicare dixeris: quapropter interdum de coindicantibus, & coindicationibus etiam verba faciemus, quæ coindicantia Græci συνενδεικνύμενα appellant, vt liquet nono, & 13. de meth. meden. cap. 16 Nuncupamus autem coindicantia, quæ ſimul cum ipſis primò indicantibus, iuuantia & vtilia ſignificant, atque demonſtrant: & ob id coindicationem dicimus eſſe ſequentis, ſiue agendi conſignificationem, aut condemonſtrationem: interim verò de nominibus parum ſolliciti, vt Galeni æmulatores, eadem coindicantia, indicantia appellabimus; rei tamen natura nunquam mutata. quantum verò ad contraindicantia, quæ Græci ἀντενδεικνύμενα vocant, cōtraindicationes, quæ à Græcis ἀντενδείξεις dicuntur, ſpectat; fatemur inſuper, quòd ſi eo modo ſubintelligatur quo ipſi aſſerunt, non ſolùm Galeni doctrinæ aduerſatur, ſed nullam ferè ad medendi methodum afferunt vtilitatem: Quòd verò neque in numero eorum, quæ

In artibus rationalibus de nominibus diſceptandū non eſt, ſed rerum habēda ratio.

Cap. 2. & 12.

Coindicantia quæ dicantur.

Refelluntur qui cōtraindicātia dicūt eſſe ea quæ primò fieri impediunt, &c.

indicant, neque eorum quæ contraindicant, iuxta Galeni ſententiam, connumerari queant, ſi taliter intelligãtur, hac prima ratione probari poterit. Inquit enim ipſe lib. de opt. ſect. cap. 43. {ſed quod appetit facultas ſi ab aliquo ſumi impediatur, illud contrarij indicatiuum, ſeu contraindicans haud iure quis appellet.} ſimiliter aduerſus eos dicam, ſi quod appetit affectus præter naturam, vtpote abundantia, impedit facultas, pari ratione, ea contraindicans dici nequit. Inſuper quòd quæ fieri aliquid impediant, neque inter indicantia connumerentur, & propterea neque etiam contraindicantia dici poſſunt (ſunt etenim contraindicantia re & genere, vt etiam iſti viri admittunt, idem cum indicantibus, cum eadem interim quæ indicant, quandoque contraindicent, & quæ contraindicant, interim indicent, ſuntque cuncta vel ſecundum naturam, vel naturæ contraria, vel neutra, vt ipſi fatentur) eiuſdem Galeni auctoritate citato loco, ſub iis verbis oſtenditur, {Quamobrem id quod aliquid poſtulat, quo- Cap. 40. niam eius quod poſtulatur propoſitum eſt, quod nos poſtulatum ſumere impedit, propoſitum non erit.} quod itaque poſtulatum, hoc eſt iuuans, & vtile ſumere impedit, id equidem propoſitum, ſcopus, ſeu indicans non erit; quare neque contraindicans dicendum eſt. Ad hæc ſi quæ aliquod fieri impediunt, propoſita quodammodo ac indicantia eſſent, eadémque quandoque contraindicantia dicerentur, tunc vtique & morbi tempora, quæ nos interdum poſtulatum accipere impediunt, eſſent propoſita, ac ab eiſdem indicatio ſumeretur, quod in Galeni doctrina magnoperè abſurdum eſt. Rurſus ſequeretur quòd quicquid impedit fieri quod ab indicante ſuggeritur, propoſitum diceretur, ſcopus, indicans, ſeu contraindicans: qua de re ægroti timiditatem, patrem, & dominum, propoſita eſſe affirmaremus, vtpote cùm ea interim vacuationem facere prohibeant, præ timore ægrotus non permittẽs, & pater, & frater, aut dominus prohibens, quorum nullum quiſpiam rectè ſentiens, indicans, aut contraindicans vocauerit: Quòd verò contraindicans, ſeu contrarij indicatiuum, nullo modo ſit illud quod aliquod vtile fieri impediat, lũce clarius patet in Galeni doctrina, præſertim primo de ratione victus, cùm dicebat; Tex. cõm. 45. {rurſus & hoc in loco remediorum indicationem, ab affectu corporis accepit, ſimúlque virtutem conſiderauit, neque tanquam remediorum vſum aliquãdo indicantem, ſed tanquam contraindicantem, ſeu contrario indicantem modo, interdum autem & prohibentem.} quid clarius ad probandum quòd contraindicare non ſit prohibere, quàm hæc Galeni ſententia? inquit etenim virtutem aliquando contraindicare, interdum autem & prohibere remediorum vſum: diuerſum itaque eſt contraindicare ab ipſo prohibere. libro quoque de curandi ratione, per venæ ſectionem, cap. 13. illud apertiſsimè declarauit, cùm dixit: {morbi itaque magnitudo cum virium robore, primi erant mittendi ſanguinis ſcopi, ille tãquam indicans quod fieri oporter, ille verò tanquam haud prohibens.} & ſubdit, {id quod contraindicare appellant quidam iuniorum medicorum.} quibus ex verbis quiuis percipere poteſt in Galeni doctrina, contraindicare, nullo modo eſſe impedire, imò contra. nam quod impedit, contraindicare non dicimus, quod verò non impedit, id cõtraindicare, cum Galeno fatemur eſſe: quemadmodum hoc loco de virtute teſtatur, quam contraindicare venæ ſectionem aſſerit, vbi eam non prohibeat, iuniorum medicorum auctoritate; niſi quiſpiam falſò hæc Galeni verba tentet interpretari, velut quidam eorum, quos meminimus iuniorum medicorum Galeni doctrinam ſectantium, interpretari conantur: non ob aliud, niſi vt ſuæ opinioni faueant, quam contendunt de contraindicantibus. aſſerunt enim hoc in loco Galenũ per hoc verbum ἀντιδηλώσονται, nolle intelligere contraindicare, ſed coindicare. nam (vt ipſi aiunt) hæc vox ἀντί, cum alio copulata, quandoque ſignificat ſin, cum, & ſimul: & ſic volunt quòd Galenus intelligat hoc in loco: in cuius opinionis confirmatione, eiuſdem Galeni auctoritatem adducunt, primo de ſanitate tuen. quo loco hoc verbo vtitur ἀντιδιάγεσθαι, ac vt ipſi fatentur voce ἀντί, pro ſimul, ſeu cum, vtitur: quaſi dicat con

cat condiuiditur,ſeu ſimul diuiditur. Verùm iſti, vt mea fert opinio, autumantes eorum confirmare opinionem; cum hac Galeni verborum expoſitione, in maiores errores incidunt.nam eſto quòd vox ἀντι, cõcedatur modo, quandoque in compoſitione ſignificare ſimul,aut cum, dicant quæſo, quo in loco repererunt vnquam Galenum,aut quempiam alium auctorem Græcum pro verbo ἀντενδείκνυσθαι, voluiſſe ſignificare συνενδείκνυσθαι? cùm perpetuò compertum ſit eiſdem vocibus,diuerſimodè vtiita quòd per ἀντενδείκνυσθαι,ſemper contraindicare,& per συνενδείκνυσθαι,coindicare intellexerit:aut quo modo vnquam fateri audent Galenum voluiſſe vires venæ ſectionem coindicare, cùm ſemper eædem,aut contraindicabunt,aut prohibebunt venæ ſectionem,aut purgationem? Ad hæc verbum ἀντιδιαιρεῖν, quo Galenus citato primo libro de ſanitate tuen. vtitur,apud Græcos ſignificat ex aduerſo,ſeu ex oppoſito diuido,& non ſimul diuido, ſeu condiuido: præter id quòd Galeni verba citato loco conſcripta, nil aliud ſignificare queunt, per vocem hanc ἀντιδιαίρεται, quàm quòd ex aduerſo diuiditur, vt ex verborum inſpectione liquet,& nullo modo verificari poſſet eius ſententia,ſi aliter ſubintelligeretur vox illa ἀντι, videlicet pro ſin, cum,aut ſimul, ſumptis itaque contraindicantibus & coutraindicationibus, ac intellectis eo modo quo iſti intelligunt,methodicorum inquam,in hoc opinionem,& non Gale. ſententiam ſectantes, proculdubiò aſſerimus nullam ad medendi methodum,nec ad eam quam nos condere intendimus,pro medendis febribus afferre opem, Qua etiam ratione profliganda penitus ſunt, ac abiicienda correpugnantia,& correpugnationes,tãquam nullam parientes doctrinam, nihilque conferentes ad artis vſum, ſed potius artis medicæ tyronibus confuſionem,vt ita dixerim,ac incertitudinem quandam afferentes: ex quibus facilè in logicas atque ſophiſticas diſceptationes (quas omnino vitare debemus) incidere poſſunt. Verùm ne quiſpiam audeat nos in hoc impugnare, aſſerimus cum Galeno,ſimul ac Hippocrate, quòd ea quæ impediunt aliquid fieri, quod ab indicante quopiam poſtulatur,quodammodo etiam conferunt ad dextrum vſum remediorum,& propterea neque eadem omnino deſpicienda eſſe opinamur;atqui non vt ſcopos quoſdam indicantes,ſeu contraindicantes,aut vt propoſita poſtulantia, ſed vt prohibentia duntaxat, ea admittimus eſſe conſideranda:neque omnia,ſed quædam.nam neque cuncta prohibentia, ſunt à medico conſideranda, vt liquet libro de optima ſecta,cap.40.nunquam tamen quid faciendum ſit, edocent; quæcunque fuerint ea, quæ aliquid fieri impediant, hoc modo ſi conſiderentur.

Cap.ult.

Quomodo impedientia fieri aliquid conferunt ad inuentionem remediorum.

Quid per contraindicans & contraindicare in Galeni doctrina intelligendum ſit.

Caput XXV.

NOS verò de contraindicationibus & contraindicantibus,aliter cum Galeno ſentimus quàm ea quæ aliquid fieri impediunt: inuenio ſiquidem in eius doctrina, bifariam de eiuſmodi vocibus, eundem Galenum verba facere. nam quandoque per contraindicans intelligit id, quod contrario modo idem indicat, quod ab indicante fuit indicatum, ſeu ſignificatum: id verò eſt propterea quòd non prohibet.qua ratione dicetur propriè contrario modo indicare, & hoc modo vſus eſt contraindicantibus citatis locis, primo videlicet de ratione victus, & libro de curandi ratione per venæ ſectionem, illud verò facilè hoc exemplo comprobari poteſt.nam pone,aliquis affectus præter naturam,vtpote humorum redũdantia ſit,qui ſuapte natura indicet,ac exigat vacuationem, eámque notatu dignam, ſiue per ſanguinis miſsionem, ſiue per purgationem. ponatur inſuper vires ægroti adeò robuſtas eſſe, quòd nullo modo impediant id,quod requiritur ab indicante, hoc eſt ab humorum redundantia (intelligo autem eas non impedire) cùm ex tali vacuatione non modo nulla eiſdem in-

Prima cõtraindicãtium ſignificatio.

ferratur noxa notatu digna, quinimò iuuentur quodammodo, vtpote exoneratæ ab eo, quo veluti ſarcina premebantur: hoc caſu dicimus vires ipſas inſpicientes, eas contrario modo indicare aliquod dictorum auxiliorum, propterea quòd non ex ſeipſis illud indicant, quemadmodum ipſa redundantia, ſed contrario quodammodo, quoniam id non prohibent. Secundo modo poſſumus intelligere per contraindicantia, & cõtraindicationes (non quòd illud idem oſtendant, ſimul cum ipſis indicantibus, verùm contrario modo) ſed quoniam contrarium exigant eius, quòd indicans requirit: & hoc modo idem Galenus intellexit, 9. 11. & 13. de metho. med. quando dicebat. Interdum contrarias incidere agendorum indicationes, & eodem 9. contraindicationes indicationum, & citato libro 11. iterum dicebat contingere quandoque contrarias indicationes, ſiue aduerſas & pugnantes: & eodem 13. quando ſimul coëunt contrariæ indicationes, dicebat, {hoc itaque modo dicimus contraindicantia ea eſſe, quæ indicantibus ſunt contraria, aduerſæ quoque ſunt indicationes, quæ ex eiſdem proficiſcuntur, indicata etiam contraria. {quod etiam hoc exemplo confirmari poterit. ſit affectus quiſpiam præter naturam, qui ſui ſublationem indicet, ſint quoque ægrotantis vires quodammodo imbecillæ, ita quòd ſui conſeruationem poſtulent: vtputa affectus ſit plenitudo, quæ exquiſitam vacuationem exigat; vires autem adeò imbecillæ, vt ſui conſeruationem poſtulent; & propterea etiam notatu dignam vacuationem ferre non poſsint: tunc fatemur vires contraindicare ipſi affectui præter naturam: quoniam contraindicans, contrarium eſt indicanti, indicatum, indicato, & indicatio indicationi. Quòd verò virtus morbo ſeu præter naturam affectui aduerſatrix ſit, & oppoſita, patet ex Galeno citato libro 11. de metho. meden. vbi loquens de virtute, dicebat: {Nam ea morbo ceu aduerſatrix eſt oppoſita, propoſitúmque medico eſt huic omni ratione opitulari, ac ſubuenire.} quòd verò indicatio, quæ ab ea ſumitur, contraria ſit ei, quæ ab ipſo morbo proficiſcitur, liquet. nam hæc pro ſui cuſtodia, illa verò quæ à præter naturam affectu capitur, pro ſui ſublatione indicat: modò cuſtodia & ſublatio contraria ſunt. Rurſus & indicatum quoque indicato contrarium exiſtit. nam cuſtodia ſimilia exigit, ſublatio verò contraria, quibus illa conſeruatur, ille verò curatur, & abolетur. dicuntur ergo hæc propterea rationabiliter contraindicantia, quoniam per ſe ſemper contrarium indicant, quàm ipſum primò indicans, ex accidenti verò, quandoque dixeris ea impedire. Alio item exemplo id confirmari poterit Galen. 13. metho. meden. Oriatur phlegmone in iocinore, ſitque in ſummo vigore, qua ratione non niſi in halitum digeſtionem, ſeu vaporationem exigat. Verùm partis ipſius natura, cùm ex numero principum partium ſit, quæ perpetuò roborantibus indigent, adſtringentia requirat etiam eodem tempore, cùm contrariæ indicationes coëant, inquit Galenus, propterea medicamentum adhibendum eſt compoſitum, quod facultates habeat contrarias: quo caſu neque ex accidenti vna indicatio alteram omnino impediet, ſed ſimul ambæ exequi debent: licet contrarium exigant. Iſtis denique duobus modis percepi in Galeni doctrina ſubintelligi poſſe contraindicantia, contraindicationes, & contraindicare, & nos etiam quandoque in hac noſtra methodo vtemur. Verùm ne in verbis deceptio contingat, quando per contraindicantia ſignificare volumus ea quæ contrario modo indicant, ea contrario modo indicantia appellabimus, quando verò per ea quæ contraindicant ſubintelligere volumus, hoc eſt, quæ contrarium indicant, quàm fuerit ab indicante indicatum, tunc contraindicantia nuncupabimus. Hæc de indicantibus, coindicantibus, contraindicantibus, indicationibus, coindicationibus, & contraindicationibus.

Altera cõtraindican. ſignificatio.
Quæ prima eſt ſignificatio.
9. cap. 13. 11. cap. 3. 13. c. 16.
Nõ primo & per ſe, ut alij definiunt.
Loco citato.
Tãtum abeſt, ut primo contraindicãs impediat, ut ne ex accidenti quidem.
Cõtrario modo indicantia in 1. ſignif.
Cõtraindicantia in ſecũdâ.

Quid ſit totius artis medicæ commune propoſitum: quídve huius noſtræ methodi proprium: ac quæ ſit prima illa vniuerſaliſſima indicatio omnium præter naturam affectuum, à qua curandi methodus exorditur.

Caput

Caput XXVI.

SED iam tempus eſt, vt rurſus ad propoſitum reuertamur: eſt autem id methodo, quæ per indicationem fit remedia inuenire pro febrium ſublatione, quemadmodum etiam & vniuerſæ methodi medendi primum propoſitum eſt morborum ſublatio, ad proportionem reſpondens ei, quod in opere de ſanitate tuenda proponitur, quod eſt ſanitatis tuitio: vt patet nono de meth. meden. cap: 10. quanquam corporis conſtitutio, quæ cauſæ rationem reſpectu actionis continet, vtriuſque facultatis ſcopus ſit, & eius quæ ſanitatem tuendam, & eius quæ morbum profligandum profitetur. quippe cùm hanc & præſentem ſeruare, & amiſſam reſtituere, propoſitum nobis ſit, eodem Galeno auctore, lib. 1. de ſanitate tuẽda cap. 1. dirigitur autem omne cõſilium vtriuſque facultatis, ad vnum commune propoſitum: id verò eſt vitæ cuſtodia. Nam ſiue ſanitatem tueamur, ſiue morbos profligemus, non ob aliud vtrunque molimur, quàm vt vitam cuſtodiamus: vt citato lib. 9. de meth. meden. ſcriptum eſt. qua ratione ſi quiſpiam velit cum Galeno non ſanitatem, ſed vitæ cuſtodiam eſſe totius artis medicæ commune, ac vltimum propoſitum tenere, nec eiuſdem, nec etiam noſtræ pugnabit opinioni: quicquid tamen ſit de communi propoſito totius artis medicæ in hac noſtra methodo primum propoſitum eſt febrium ſublatio, methodo videlicet, quæ per indicationem fit: pro cuius methodi inſtitutione, propoſuimus à primis ac vniuerſaliſsimis indicationibus exordiri: deinde ex illis ad alias deſcendere, donec ad eas, quæ amplius ſecari nequeunt, perueniatur. Eſt autem prima, atque vniuerſaliſsima omnium præter naturam affectuum indicatio, quæ eorum ſublationem præſcribit: etenim & actiones lædunt, & noxam corporibus præſtant. ſinguli propterea morbi hoc faciendum dictitant, vt videlicet tollantur, atque auferantur: qua etiam ratione & febris prima indicatio, ſui quoque ſublationem indicabit. Ab hac itaque prima, & vniuerſaliſsima indicatione exordiendum eſt, quò methodo febrem curemus. Verùm licet hæc indicatio præcipua, vniuerſaliſsima ac prima, omniúmque morborum communis ſit, tamen neque totum eſt, neque magna pars curationis, velut methodici putant: imò nulla prorſus ipſius medicinæ artis adhuc portio, aut certè nec magna, nec propria, ſed quæ etiam plebi ſit communis, & primùm tantùm (vt ſic dicam) ſuſcitabulum, ſeu excitamentum, vnde medendi ratio promouet, vt ait Galenus libro 3. de methodo medendi: cap. 1. quo loco aduertant ſtudioſi quòd vox illa græca ὁρμητήριον, parum rectè (vt mea fert opinio) interpretata eſt latinè à quibuſdam { carcer } cùm neque id ſignificare poſsit vox illa; & ſi id ſignificaret, haud ſcio quid vellet Galen. aſſerere, quòd hæc prima indicatio ſit veluti carcer. Longè itaque melius eſt, vt interpretetur latinè ſuſcitabulum, ſeu excitamentum: eſt etenim hæc prima indicatio tanquam ſuſcitabulum quoddam, ſeu excitamentum, vnde medendi ratio promouet. ex hac nanque rationalis medicus excitatur ad inueſtigandas reliquas indicationes, quæ amplius plebi communes non ſunt, ſed ipſius artificis methodo medentis propriæ. Nam clarum eſt apud eundem Galenum, lib. 4. methodi medendi, cap. 4. primum ſcopum quò medicus tendat, affectum ipſum, qui curari deſiderat indicare, ex hoc verò (vt ipſe inquit) & reliqua omnia ſumi: & citato libro tertio de metho. meden. dicebat, {cui facultas eſt illa inueniendi, & quibus perfici poſsit quod à prima indicatione ſuggeritur, is meritò morborum eſt curator, qui, ſi per experientiam inuenit, obſeruator, & empiricus eſt nominandus, ſin ratione quadam & methodo, logicus, methodicus, & dogmaticus.} Eſt itaque febris ex eorum genere quæ moleſtiam inferunt, atque triſtitiam: & quicquid homini moleſtiam ac triſtitiam infert, hoc morbus vocatur, Hippocratis auctoritate, libro de flatibus. Nos verò clarioris doctrinæ gratia, affectum nominabimus præter naturam. meritò igitur ex ſui natura primùm ſublationẽ indicat: ſed quoniam hæc indicatio nedum medicis, ſed etiam plebi (vt diximus) exiſtit communis,

Primus ſcopus, ſeu propoſitum in medendo.

Loco citato.

Cõmunis ſcopus totius medicinæ.

Prima omnium indicatio.

Indicatio prima plebi communis, & ſine arte.

Loco citato.

ex hac tamen impellitur, & excitatur rationalis medicus ad inueſtiganda ea, quæ ei ſunt propria: vtpote quibus auferri debeat, ex communiſsimo quodam Hippocratis oraculo admonitus, citato libro de flatib. quòd inquam contrariorum contraria ſunt medicamina. hoc itaque quod in dictione tam breue eſt, inquit Galenus, 11. de metho. meden. cap. 12. poteſtate deprehenditur maximum: quippe omnem medendi methodum confundet, quiſquis hunc neglexerit ſcopum, cùm omnia præter naturam ſunt, ab his quæ ipſis ſunt cõtraria, curentur, ac profligentur. perit enim quicquid in contrarium, & à contrario, vt tertio de meth. medẽ. cap. 1. ſcriptum eſt: qua item ratione idem Galenus lib. 11.
Cap. 2. eiuſdem dicebat: { prima omnium curationis indicationum, quæ ex ipſo, qui curatur morbo, accipitur, contrarietatem præſcripſit, hánceque eſſe vnum communem omnium morborum curationis ſcopum. } Quod confirmauit libro
Cap. 9. & 15. nono, cùm dicebat, { atque ita rurſus vnus ſolus erit curationum maxime generalis ſcopus: nempe contrarietas. } & libro artis medicæ. { curatio verò (inquit) vnum præcipuum, ac communiſsimum habet ſcopum, ei, quod auferri debet, contrarium. & lib. de conſtitut. artis medic. fueritque id communiſsimum & generaliſsimum, quò medela vniuerſa ſpectat morborum, ait, nempe cõtrarium, vti ſanè vel ab Hippocrate dictum eſt, contraria contrariorum remedia: particularim verò contraria particularia. } hic etenim eſt ille primus ſcopus, qui nobis patefit, ac percipitur ab vniuerſaliſsima illa prima indicatione, quæ etiam plebi communis eſt, à præter naturam affectibus primò deſumpta, ablationem ſiquidem ſui indicantibus. nam morbus ſuapte natura ſui ſublationem indicat, ſublatio verò contrarium, ac contrarietatem docet. Verùm quoniam morborum plura ſunt genera, cuique eorum ſua erit contrarietas: quocirca cùm morbus, quem curare intendimus, in intemperie ſit poſitus, igitur per contrariam ipſi intemperiem ſanabitur: & quoniam vniuerſi febrium generis intemperies eſt calor, nimirum per frigiditatem curabitur, ſic omnes indicationes inter ſeſe cõcordant. Hac itaque methodo ab ipſo affectu ad materias præſidiorum peruenimus inueniendas per particulares ipſas indicationes, quæ oriuntur ex eiuſdem affectus ſubdiuiſione, quando eatundem materierum principium inuentionis id ſit, in quo finita eſt curandi affectus diuiſio, vt liquet eodem 11. de methodo meden. cap. 7. cùm ergo in hoc finiat, febris ipſius diuiſio, quatenus febris eſt, quòd videlicet intemperies ſit calida & ſicca, ob id rationabiliter quæ infrigidant & humectant, exigit, tanquam ſua cõtraria, vt patet nono, 10. & 11.
9. cap. 5. 10. ca. 10. 11. ca. 2. metho. meden. hæc quoque perpetuò ſunt omnis febris qua febris eſt, remedia, quæ contraria iterum ſubdiuidentes, dicimus aliquando ſanare nos febrem per
Cõtraria quæ intelligantur cõtrariorum eſſe remedia. ea, quæ effectu frigida ſunt; aliquando per ea, quæ poteſtate: aliquando etiam per ea, quæ ex accidenti refrigerant: aut etiam iſta coniungentes. ſic enim largiori vocabulo ſubintelligere contraria volumus, ſimul cum Hippocrate, ac Platone, & non in qualitate corporum duntaxat, quemadmodum Ariſtoteles ſentire videtur, parum de nominibus ſolliciti. ſi verò tu mauis oppoſita, & non contrariorum contraria ſibiinuicem eſſe remedia dicere, non reclamabimus. Verùm quouis modo contrarium, ſiue oppoſitum intelligatur, tollenda è medio ſunt in hac noſtra methodo, ea quæ à tota ſubſtantia febribus aduerſantur: nam illa non alia ratione, quàm experientia inueniri queunt, vt clarũ eſt 13. metho. nos verò de iis remediis ac contrariis verba facimus, quæ methodo, quæ per indicationem fit, inueſtigantur: ſunt autem hæc, quæ actu, poteſtate, vel ex accidenti, vt diximus, refrigerant & humectant, iiſque vtendum contrariis pro cuiuſuis febris ſublatione, non negantes quòd etiam auferri poſsint iis quæ à tota ſubſtantia eiſdem aduerſantur, quorum fortè quædam pro curandis quibuſdam febribus recenſebimus.

Quomodo prima illa omnium curationis indicationum, quæ ex ipſo qui curatur affectu deſumitur, contrarietatem, ac contrarium docuit.

Caput XXVII.

CAETERVM quamuis omnia quæ præter naturam ſunt, ab his quæ ipſis ſunt contraria curentur, vt ex Hipp. citato oraculo liquet, atque ex Gal. 11. de meth. med. & 22. aph. 2. lib. tamen non parum conducere videtur pro hac noſtra methodo conſtituenda, ac cæteris omnibus, inueſtigare, quomodo illa prima omnium curationis indicationum, quæ ex ipſo, qui curatur præter naturam affectu, accipitur, plebique etiam communis exiſtit; hunc edocuerit ſcopum, nempe contrarium & contrarietatem. Necnon qua ratione hic ſcopus vnus ſit præcipuus & communiſsimus curationis morborum omnium à quo & reliqui omnes ſcopi & particulares indicationes progrediuntur, eóq; diuiſo duos, aut etiam tres alios oriri ſcopos, & ex his alios donec diuidendo ad vltimas vſque ſpecies perueniamus. Ex ipſo nanque ſumpto initio, reliqui particulares ſcopi inquiruntur, vt citato lib. 9. meth. med. ſcriptum eſt. Porrò adeo duo hæc (vt mihi videtur) pro morborum curatione vſum præſtant, vt ipſis ignoratis audacter cenſeam, per indicationes remedia inueniri non poſſe, nec ordinem & numerum earundem, diuiſiua methodo veſtigari, ab vniuerſaliſsimis diuidendo, vſque ad eas quæ amplius ſecari nequeunt, deſcendentes, vt ſæpius diximus. Horum etiam inſcitia quoſdam tranſuerſos egit, qui de hac re ſcribere tentarunt, vt longiſsimè à veritate receſſerint, mendoſóſque ediderint libros, quibus artem ipſam medicam vniuerſam deſtruere conantur; reliquos verò omnes eò perterruit, vt methodum hanc ſcribere haud aggreſsi ſint: quinimò ne quidem tantillum eam viſi ſunt olfeciſſe. Ipſe autem quid cum Galeno ſentiam enarrabo. Quòd igitur auferri debeat quilibet præter naturam affectus, quódque illud ex propria eorum natura omnes indicent, cuique nedum medico, ſed è plebe, ſeu vulgo, patens eſt. At quod perfici debeat à contrario, & per contrarium, hoc vulgus ignorat. Rationabili autem medico confeſtim occurrit, Hippocrat. oraculo (vt priùs dictum eſt) admonito, quòd contrariorum contraria ſint remedia, quocirca Gale. lib. de conſt. art. med. loco cit. dicebat: {primum itaque eſt curatiuæ methodi communem ſcopum omnium, vti dictum eſt, reperire, nempe contrarias eſſe contrariorum medelas.} perit enim à contrario vnumquodque, quemadmodum à ſimili conſeruatur. Et ob id idem Galenus (vt priùs dicebamus) libro artis medi. ſcriptum reliquit, quòd curatio vnum habet primum, ſeu præcipuum ac communiſsimum ſcopum, ei quod debet auferri contrarium, quo in loco vſus eſt voce *ἐναντίον*, quæ Latinè ſignificat contrarium: libro autem 9. & 11. metho. meden. de hoc primo ac communiſsimo curatorio ſcopo verba faciens, ſub quo cæteri omnes continentur ſcopi: non contrarium dicebat eſſe, ſed contrarietatem, vſus voce, *ἐναντίωσις*, vt propterea non ab re in dubium veniat, num contrarium vel contrarietas ipſa ſit ille primus ac communiſsimus ſcopus nobis præſcriptus ab illa prima omnium indicationum, quæ etiam plebi communis eſt? Cui reſponſum ſit quòd vtrunque. Nam docens nos contrariū adhiberi debere per quod morbus auferatur, ſimul etiam contrarietatem edocet. Etenim ſi per contrarium auferri debet quod præter naturam eſt, opus erit non ignorare quæ, qualíſque contrarietas ſit, inter hunc præter naturam affectum, & eum qui ſecundum naturam exiſtit, ægrotantis proprium, vt ille aboleri, hic ſeruari poſsit, per eadem contraria adhibita, atque ita ſanatio fiat. Cuique enim morborum generi ſua erit contrarietas, inquit Galenus 11. meth. med. cap. 2. ſiquidē morbi ſublatio, nil aliud eſt quàm ſanatio: ipſa verò ſanatio aliud non eſt, vt inquit Gal. 9. metho. med. ca. 15. quàm præſentis in corpore vitioſi affectus in naturalem habitum mutatio. Cùm autem contrarij hi affectus ſint, neceſſe eſt per contraria fiat eorum, alterius in alterum tranſlatio, atque ita vnus ſolus erit curationis maximè generalis ſcopus, nempe contrarietas: non ſiquidem ea quæ eſt inter præſidia & præter naturam affectum, ſed quæ inter eundem, & ſecundum

9.10. & 11. Loco citato.

Quæſtio.

Reſponſ. ad quæſtionem.

naturam affectum, qua ratione citato lib. de conſt. art. med. loco cit. hæc verba ſcripta reliquit, {igitur curandi methodus, à ſanorum atque ægrotantium corporum diſpoſitione auſpicatur.} Quibus ex verbis cum eodem Galeno concludimus ab illa prima indicatione quæ ex præter naturam affectibus ſumitur, æquè ferè nobis præſcribi ac doceri, cùm contrarium, tum contrarietatem, appello autem contrarietatem nunc, viam illam cum quodam reſpectu, quæ eſt inter iam dictos contrarios affectus, ambos in ſe continentem, vnà cum ea diſtantia, quæ habetur inter vtrunque affectum, illam verò tranſlationem ſeu mutationem præſentis in corpore vitioſi affectus in naturalem habitum, quæ ex contrarijs adhibitis perficitur, ſanationem. Illud verò quod adhibetur medicamentum contrarium affectui præter naturam, nuncupo contrarium, ab eodem præter naturam affectu indicatum.

Alia quæſtio.

Sed quæres cur lib. artis medic. contrarium dixerit eſſe primum ac communiſsimum ſcopum curationis: lib. verò 9. & 11 metho. meden. contrarietatem?

Locis citatis. Reſponſ. cap. 1.

Dicas quòd cum libro artis medicæ ſolum capita, & quædam veluti concluſiones eorum, quæ alibi latiùs fuerant demonſtrata, ab eodem Galeno dicantur, vt ipſe teſtis eſt citato libro, neque intendebat cunctas indicationes ac ſingulos ſcopos diuiſiua methodo veſtigare, ſatius fuit contrarium dicere, ſub quo etiam neceſſariò contrarietas ſubintelligebatur, vt ſuperiùs demonſtrauimus, libris verò metho. med. præſertim citatis, nedum communiſsimum illum ac primum ſcopum patefacere intendebat, verumetiam cæteros omnes qui ad inuenienda remedia conducunt, ac arte quadam demonſtrare qualiter in eo continebantur iidem reliqui omnes medicatorij ſcopi ac indicationes, eadem videlicet contrarietate diuiſa, & non contrario, ad eandémque ſolam, omnes reduci ſcopos: & propterea contrarietatem dixit eſſe primùm, præcipuum, ac communiſsimum ſcopum, ſub qua etiam contrarium continetur; & non contrarium: quamuis vbique locorum innuat contrarium ſemper debere adhiberi pro curatione ſeu morbi ſublatione. Vt verò hoc perficiatur, perpendenda eſt contrarietas, quæ non ſolum eſt inter præſidia & præter naturam affectum, verùm etiam quæ eſt inter præter naturam, & naturalem affectum. Nam cùm hi affectus contrarij ſint, neceſſe eſt (vt diximus) alterius in alterum, per contraria tranſlatio fiat. Hac itaque ratione illa prima omnium indicationum, quæ à præter naturam affectu ſumitur, & plebi etiam communis exiſtit, æquè ferè nobis & contrarium & cõtrarietatem præcipit.

Ex communiſ. ſcopo qui eſt contrarietas, qui alij oriantur.

Quòd verò ex hoc vno primo ac communiſsimo curationis ſcopo, nempe contrarietate ipſa, quæ eſt inter vitioſum affectum, & eum qui eſt ſecundum naturam, reliqui omnes, ipſa eadem diuiſa, & deinceps eiſdem ſubdiuiſis, ortum ducant, non erit difficile demonſtrare, nam eadem contrarietate tanquam primo & communiſsimo curationis ſcopo, primum diuiſa, duo curatorij ſcopi neceſſariò emanant.

1. Vitioſus affectus. 2. Temperatura ægri.

Vnus eſt præter naturam affectus qui curari deſiderat, ex iis quæ ſibi contraria ſunt, & propterea adhibenda remedia indicat, alter verò laborantis temperies, ſeu naturalis habitus laborantis, qui vnà cum ipſo morbo, contrarietatis menſuram definit, fiat autem hoc modo, quoniam id quod ægrotat, ei quod valet eſt contrarium, vtique per contraria eſt ab illo in hoc via, nam veluti viam quandam ire, quod præter naturam ſe habet, dum ad naturam redit, oportet, eandem quidem, ſed contrario itinere, at ſi gradum reuocare debeat, per præſenti diſpoſitioni contraria remeabit, inquit Gale. citato lib. de cõſt. artis med. c. 12. Neceſſum eſt itaque vt in ipſis contrariis modus quidam ſeu menſura inueniatur. Non enim ſatis eſt calido affectui admouiſſe frigida, niſi id debita fiat menſura: cùm alioqui metus ſit, ſi intra modum id fiat, ne morbi reliquum quippiam relinquatur: ſin modũ excedas, contrarium genus morbi inducas, vt citato lib. 9. de metho. meden. cap. 12. ſcriptum eſt. Qui enim ſuprà quàm par eſt calidum morbũ refrigerat, is ſanitatis mediocritate tranſmiſſa, alium excitabit morbum, qui ſit frigidus, quod quò minus accidat, naturam curandi corporis ſcias oportet, quo

quant

quantum morbus ab illius ſymmetria diſceſſerit intelligens, menſuram refrigeranti præſidio imponas. At fieri non poteſt vt quantum à ſe inuicem diſtent inuenias, niſi compertum habeas quale eſſet corpus, aut humidum, aut frigidum, aut calidum, aut ſiccum cùm valeret, quantumcunque ex his exceſſerit poſtquam ægrotauit, quippe quòd plurimum à naturali habitu receſsit, id vehementiùs eget contrariis, quod non plurimùm, leuibus. Quare ex vtriſque iam dictis ſcopis, hoc modo indicatio curationis præſtatur, vitioſo inquam affectu, ac naturali habitu, natura ſeu temperamento ægrotantis; qui duo communes adhuc ſcopi, à contrarietate ipſa diuiſa, modo quo diximus, proficiſcuntur. Contrarij etenim hi affectus cùm ſint, ipſiúſque contrarietatis termini, non ab re primò in hos præcipuos ac immediatos ſcopos, ipſa contrarietas diuiditur, qua ratione ſi diuiditur; non erit dare tertium vniuerſalem ſcopum, quem ambiente nos aërem eſſe, cum Galeno demonſtrabimus, nanque eum, vel ægritudinis cauſis, vel ſanitatis, annumerandum eſſe cenſemus: nam ſi contrariam morbo temperiem habeat, è præſidiorum numero vnus eſt, ſin ſimilē, ægritudinalium cauſarum eſt vnus; vt patet eodem 9. de meth. med. cap. 14. Poteſt etiam & ambiens nos aer, tāquam vniuerſalis etiam quidam ſcopus, vnam aliam, & tertiam efficere indicationem, vbi ipſum in ſanitatis, vel ægritudinis cauſis non annumerabis, ſed tanquam tertium quoddam à geminis corporis iam dictis affectibus ſecretum, naturali videlicet, & qui præter naturam eſt, cùm ambiens ipſe is ſit, ſine quo nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poteſt: & propterea cauſæ ſine qua non obtinet rationem; vt eodem 9. de meth. meden. ſcriptum eſt; qua ratione neceſſarium conſideratu eſſe fatemur, eo quia fieri non poteſt, vt res ſine eo ſit quod cauſæ ſine qua non obtinet rationem, Ariſtoteſte 1. de par. animalium cap. 1. ob quam rationem ipſe alimento neceſsitatem aſcribit: & 5. metaphyſicæ text. 6. non ſolùm cibo, ſed etiam reſpirationi talem tribuit neceſsitatem, ipſis videlicet animalibus, nam eadem neque eſſe, neque viuere poſſunt ſine his. Eſt itaque hac ratione ambiens nos aër tanquam neceſſarium quoddam pro morborum ſublatione perpendendus velut tertius quidam vniuerſalis ſcopus, à quo tertia quoque vniuerſalis indicatio proficiſcitur pro auferendis præter naturam affectibus. Oritur quoque & tertius is ſcopus quodammodo ex eadem contrarietate diuiſa. Nam cùm morbus & ſanitas in quos primo contrarietas diuiditur, corporis ſint affectus; & ille ſe tollendum, hæc verò ſe tuendam indicet; ambiens verò nos aër is ſit, ſine quo (vt diximus) nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poſsit; ſequitur quòd neceſſariò cùm cauſæ ſine qua non obtineat rationem, ab eo indicatio ſumenda ſit, tanquam tertia à iam dictis duabus pro morborum ſublatione. Nam cùm reliquas materias tum diligere, tum fugere liceat, quam verò aër præſtat, fugere non licet; imò neceſſe eſt præſenti cœli ſtatu vti; ideirco huic quoque attenti eſſe cogimur, vt idem Galenus citato loco, inquit: eſt etenim materiæ reliquorum præſidiorum omnium electio in noſtra poteſtate; eius verò quam ambiens præſtat, in noſtra manu non eſt. Quare oportet ex hoc quoque propriam quandam indicationem ſumamus, vt ipſe Galenus refert, vtpote qui ſæpe cum iis quæ morbus facienda ſuadet, concors ſit, ſæpe diſcors, & qui contra moliatur. Vbi igitur cum reliquis medendi indicationibus conſonat, pro gratia eſt habendum; ſicubi aduerſatur, inhibenda eius noxa eſt: quinimò ex ipſa rerum ſubſtantia concludit, citato libro 9. metho. meden. cap. 15. non poſſe plura eſſe ſcoporum genera, quæ ad medendum pertinent, quàm tria quæ modò diximus, aſſerens medicatorios ſcopos ab ipſo morbo ſumi, à corporis temperamento, & tertio ab ambiente nos aëre: quòd ſi alij quidam poſiti ſunt, vel poſtea, non hi modo, verùm etiam alij dicentur: omnes tamen ex iis in partes diductis, nati videbuntur; vt nos clariùs infra demonſtrabimus. Hac itaque ratione, cogimur ambienti nos aëri attenti eſſe, tanquā tertio quodam vniuerſali ſcopo ac neceſſario pro auferendis præter naturam affectibus, febribúſque

3. Ex aëre ambiēte ſumitur indicatio.

ipſis,

ipſis,qui etiam ſcopus,ex ipſa quoque cõtrarietate diuiſa, non in duos ſcopos, ſed in tres,proficiſcitur,eodem aëre nos ambiente ſeparatim à duobus corporis affectibus,modo quo diximus,perpẽſo:& ſic fatebimur tres eſſe,& nõ duos, curationis vniuerſales ſcopos; quemadmodum etiam ex his quæ diximus patere poterit duos eſſe duntaxat,& etiam vnum,nempe contrarietatem,ex illis enim reliquos omnes particulares, tum curatorios ſcopos, tum etiam indicationes particulares eunctas, ipſis videlicet in partes diductis, originem ducere demonſtrabimus. Aduerſus quam admirabilem Gal. artem, atque doctrinã non deſunt quidam iuniores eiuſdem Gal. verba,ac eorundem verborum ſententiam parũ recte (vt mea fert opinio) intelligentes,pugnare, aſſerentes quòd mirari licet Gale. dum ſe pulchrum & admirabile quippiam inueniſſe putat, in huiuſmodi improprietates loquendi incidere, aut etiam aliena à ſuis principiis tradere, quo fit, vt eundem obintelligentes, cuncta deſtruere tentent, exordientes ab ipſa contrarietate; quam neque ſcopum, neque indicationem curationis eſſe poſſe,conantur probare: deinceps neque aërem, neque naturalem corporis temperiem,eo modo quo Galenus aſſerit. Ipſe verò non magis Galen. quàm veritati addictus,quam puto ab eo,nedum hac in re, ſed in cæteris omnibus,quæ ad artem medicam ſpectant, fuiſſe prolatam, amicitia inter nos ſemper ſeruata eandem tueri,ac à calumniis liberare conabor, quo Gale. mira hac in re ars,atque doctrina pateat,& hæc noſtra methodus de medendis febribus firmior euadat,omnibúſque calumniis expurgetur.

Galeni reprehenſores taxantur.

Soluuntur rationes eorum,qui contrarietatem, aduerſus Galenum, curationem non indicare contendunt. **Caput XXVIII.**

1. Ratio reprehenſorũ Gal.

QVOD contrarietas nec indicet, nec indicatio aliqua ſit, pro morborum ſublatione,hac prima ratione probare conantur. Si verum eſt quod Gal. ſcribit initio 3. lib. de metho. meden. abſurdum eſſe aliud conſtituendum quod curationem indicet, aliud verò quod curetur, nihil profectò indicare poterit eorum, quæ ad curationem pertinent ipſa contrarietas,quippe cùm morbus non ſit, & planè ridiculum fuerit ſi contrarietatem curari dicamus. Solue, Gale. ſententiam eodem loco non eſſe,quòd nihil poſsit curationem indicare, niſi id quod curatur:ſed demonſtrare quòd cùm affectus præter naturam ſit ille, qui curari debet,propterea ab eo,prima ſumenda eſt indicatio, quæ ab eiuſdem natura primùm oritur,& inueniendorum remediorum initium quoque ex ipſorum morborum natura ſumendum, abſurdum itaque eſt primas indicationes ab aliis eſſe ſumendas quàm ab ipſis præter naturam affectibus. Etenim ipſi ſunt qui primò eorum ſublationem indicant, à qua indicatione, (vt ſæpiùs diximus) præſcribitur nobis contrarietas,quam demum curationem indicare, atque ad ea,quæ ad morborum curationem pertinent conducere, tanquam communiſſimum ſcopum,nemo negabit,etiam ſi morbus non ſit, & ſublationem ſui non indicet, neque ipſa curetur: eſt etenim cõmuniſsimus curationis ſcopus ipſa contrarietas pro curatione omnium præter naturam affectuum rationali medico præſcriptus ab illa communiſsima & prima indicatione primùm orta ab ipſorum præter naturam affectuum natura, quæ nedum medico, ſed & plebi communis exiſtit: de qua loquitur Gale. in principio 3. de meth. meden. omnibus ſiquidem in confeſſo eſt,inquit citato loco,primas indicationes ex affectibus eſſe ſumendas,nec propterea negauit quædam curationem indicare poſſe, licet morbi non ſint. Secundò tantùm profectò abeſt,inquiunt, vt curationem indicet contrarietas,vt nihil aliud quicquam indicare poſsit; nam ſi indicare eſt iuuetur,quod iuuet aut lædat ea quæ indicãt,quid quæſo ipſa indicare poterit contrarietas? qua enim re opus habet, vt iuuetur vel lædatur? an ſimilia vel contraria exiget? an contrarietatem ipſam fouere vel expellere volumus?

Eius dilutio.

2. Eorundem ratio.

ſunt

ſunt nec oppoſitionis ſiue contrarietatis, vel potiùs ſtatus corporis cauſa inuenta remedia victúſque ratio? Quibus quidem corporis ſtatus conſeruatur & mutatur. Huic dicimus primò falſum eſſe, vt ſuprà probauimus, quòd indicare ſit inuenire, quod iuuet aut lædat ea, quæ indicant in Galeni doctrina. Sed indicare eſt demonſtrare ſeu ſignificare id, quod iuuat, & non quod lædit; tam ſi conſeruationem, quàm ſi ſublationem intendimus. hæc autem vtilia & iuuantia, fatemur non modo indicari ab his quibus opem ferunt, ſed etiam à quibuſdam aliis quomodolibet conferentibus ad ea inuenienda pro auferendis præter naturam affectibus, aut ſeruandis his, quæ ſecundum naturam ſunt, nam quicquid conducere quomodolibet videtur ad auxiliorum inuentiones, id fatendum eſt ad curationem eſſe neceſſarium, inquit Gal. lib. 9. eiuſdem metho. med. cap. 7. qua de re contrarietas, licet iuuantia pro ſui ſublatione non indicet, nec conſeruatione, nec eadem auferri, aut foueri per ea debeat; eſt tamē primus ac communiſsimus ſcopus curationis omnium morborum, non autem indicatio: ridiculum enim eſſet eam indicationem appellare, licet ab eo communiſsima quoque & prima naſcatur indicatio pro eorundem morborum ſublatione, vt diximus, tanquam à communiſsimo ſcopo curationem indicante, ac conferente ad remediorum inuentionem, continet enim contrarietas, tanquam primus ſcopus curationis, affectus contrarios, nempe eum qui ſecundum naturam, & qui præter naturam exiſtit: & cùm ſanari non valeat is qui præter naturam eſt, niſi in naturalem habitum mutetur, contrariíque ſint hi affectus inter ſe, neceſſarium eſt vt per contraria fiat alterius in alterum translatio: id verò fieri nequit, niſi compertum habeas quantum inter ſe diſtent, ac qualis ſit hæc eorum contrarietas, qua ratione contrarietas ipſa curationum omnium vnus ſolus erit præcipuus, maximéque generalis ſcopus, nempe omnes alij (vt ſæpius dictum eſt) ex eo oriuntur. Hac itaque ratione contrarietas curationem indicat, & ad remediorum inuentionem confert prò auferendis quibuſlibet præter naturam affectibus. Ruſus aiunt, quemadmodum idem auctor cauſam externam curationem indicare negat, quòd illa nullius indigeat, ſic eadem ratione contrarietas, nec conſeruationem, nec curationem indicabit vnquam, quòd ſcilicet illis opus non habeat, at ſi non hæc, nihil profectò aliud: quādoquidem omne quod indicat, aut ſui cōſeruationem, aut ablationem indicare (eo auctore) neceſſe eſt. Dicimus nos conuenire in hoc cauſam procatarcticam cum contrarietate, quòd neutra earum alicuius indigeat pro conſeruatione, aut ſublatione earundem, verùm in hoc diſſentire videntur, quòd cauſa procatarctica, nedum quicquàm non indicat pro ſui conſeruatione, aut ſublatione, quinimò nec pro conſeruatione aut ſublatione eorum qui corporis affectus ſunt, contrarietas verò & ſi ſui conſeruationem aut ſublationem non indicet, indicat tamen tanquam primus, & communiſsimus ſcopus, curationis modum, confértque etiam ad inueſtiganda ea quæ conferunt pro morborum ſublatione, modo quo ſuperiùs diximus. Et cùm dicunt Gal. auctoritate lib. de opt. ſecta, & 3. meth. med. omne quod indicat aut ſui conſeruationem aut ablationem indicare, dicimus eundem Gal. fateri has eſſe primas duas indicationum differentias, quæ ex his primis duobus corporis affectibus, tanquam ſcopis, oriuntur, eo videlicet, qui ſecundum naturam, & eo qui præter naturam ſe habet: ille nanque ſui cuſtodiam, & propterea ſimilia, hic verò ſui ſublationem, eóque contraria poſcit. Quapropter aſſerimus quòd quæ primò indicant illi duo ſunt ſcopi, quorum alter ſui conſeruationem, alter ſui ſublationem expoſtulat. Verùm ab hac prima indicatione, quæ ab ipſius præter naturam affectus natura oritur, confeſtim contrarietas nobis præſcribitur, ex qua primum indicatione ſumpta, morborū curatio nobis patefit, & auxilia inueſtigantur, vt id quod præter naturā eſt, auferatur ſuo cōtrario: quod quidē fieri nō poſſet, eadē contrarietate, quæ eſt inter præter naturam, & ſecundū naturā affectum, ignorata. Poteſt inſuper & hoc modo hæc eorundem ratio tolli,

Refutatio eiuſdem.

Eorundem ratio.

Refutatio.

Locis citatis.

quòd

quòd duo ſunt in vniuerſum primò indicantia: quodlibet enim indicans aut ſui cuſtodiam, aut ſublationem indicat, Galeno auctore citato libro de opt. ſecta, eorum videlicet, quæ pro ſeipſis quicquam indicāt; nam duæ etiam ſunt corporis conſtitutiones, quarum altera ſeruari, altera auferri debet. Verùm quæ non pro ſeipſis, ſed pro aliis quicquam indicant, vtpote pro ſeruandis, ſeu auferendis eiſdem conſtitutionibus poſſunt multo plura eſſe quàm duo, inter quæ contrarietas connumeratur, ex numero eorum quæ ſunt corporis conſtitutiones non exiſtens, & ob id nec ſui conſeruationem, nec ſublationem indicans, ſed morborum duntaxat curationem. Et ſi dicant vnumquodque de ſe magis indicare poſſe quàm de alio, Gal. auctoritate citato libro 3. metho. med. aſſerimus nos verum eſſe in his quæ de ſe ipſis, ac de aliis quicquam indicant: hæc etenim de ſeipſis magis quàm de aliis indicare poſſunt, non autem veritatem habere in his quæ pro aliis duntaxat, & non pro ſeipſis quicquam indicāt, quemadmodum eſt contrarietas: hæc nanque de aliis, & non de ſeipſa quicquam indicat, quoniam curationem morborum omnium, & non ſui nec con-

4. Ratio.

ſeruationem, nec ſublationem. Inquiunt deinceps, indicatur ſanè contrarietas, id eſt, contraria actio & contrarium (ſi contrarietatis nomine id intelligamus) ab eo quod præter naturam exiſtit, ſiquidem eo opus habet ad ſui ſubla-

Refutatio.

tionem, idem autem indicans, & id quod indicatur eſſe non poteſt. Sed (bone Deus) apud quem auctorem compertum vnquam habent contrarietatem in-

Loco citato.

dicari? nam licet Galenus 11. meth. meden. inquiat quòd prima omnium indicatio curatrix, quæ oritur ex ipſo qui curatur morbo contrarietatem docuit, nunquam tamen faſſus eſt ipſam, ab eadem indicatione indicari; vtitur enim voce ἐδίδαξε, à verbo διδάσκω, quod Latinè ſignificat doceo, præcipio, ſeu planum facio; docet nanque prima illa omnium curationis indicatio; at nō indicat contrarietatem, aliud nanque eſt indicare, aliud docere, præcipere, ſeu planum facere, per quam contrarietatem haudquaquam contrarium intelligendum eſt in Galeni doctrina vt putant, & nos ſuperius declarauimus, neque etiam contraria actio: ridiculum enim eſſet per contrarietatem, contrariam actionem intelligere, illa etenim contraria actio, mutatio ſeu tranſlatio in naturalem habitum, ſanatio eſt & non contrarietas, vt 9. metho. meden. ſcriptum

Loco citato.

eſt. Verùm eo modo intelligenda eſt contrarietas, quo nos paulò antè declarauimus. Quòd verò contrarium, nedum à prima illa indicatione præcipiatur, verùm etiam indicetur, nemini in dubium venit, cùm quilibet præter naturam affectus pro ſui ſublatione contrarium exigat medicamentum, non erit itaque idem indicatum & indicans, nam licet indicet contrarietas pro morborum curatione, a nullo tamen indicatur, ſed bene præcipitur, vt dictum eſt. At concedatur pro nunc eandem eſſe indicatam, & deinceps eam indicare. Dicant

Poteſt idē eſſe indicās, et indicatū diuerſis rationibus.

quæſo quod ſequetur incommodum: nunquid non poterit, diuerſa tamen ratione diuerſóque reſpectu, idem eſſe indicatum & indicans, an putant hoc eſſe nouum quoddam apud logicos & philoſophos? Porrò vt morbus auferatur ſuo contrario, ſcire opus eſt contrarietatem, quæ exiſtit inter eundem morbum & naturalem habitum ſeu ſtatum ægrotantis, quæ quanta, qualíſve ſit, qua ratione poſſet eſſe indicata: deinceps ea contrarietas ad remedia eligenda, alia tamen ratione pro eiuſdem morbi ſublatione confert, ac curatione tanquam primus & communiſsimus curationis ſcopus & indicans, aliàs ea methodo inueniri haudquaquam poſſent: idem ergo poſſe indicari & indicare, eſſe indicans & indicatum, propoſitum & poſtulatum, diuerſa tamen ratione, aſſerere nedum in Galeni doctrina, ſed philoſophorum omnium audacter non veremur. Miror tandem cur redarguere Galen. tentant aſſerentes aliud

5. Ratio qua Galen. reprehenditur.

colligi ex eius dictis, quàm ratio illius expoſtulet, ſub iis verbis: Ac profectò ſi quis locum cum Galeno legat, inueniet aliud planè colligere quàm ratio illius poſtulet, nam quòd morbus contrarius egeat, ſi ad naturalem ſtatum corpus redire debeat, id quidem certiſsimum eſt, quemadmodum ipſe ſtatuit, ex

quo

quo quidem ſit, vnum eſſe quod indicetur à morbo, nempe quòd contrarium illi exiſtat, nunquam tamen propterea efficiet vt ipſum contrarietas indicet, aut indicatio ſit.} Verùm ſi quis non toruis oculis & pugnandi gratia Gal. verba perlegerit, ab eodem conſcripta citato libro 9. de metho. med. ſed vt ex eis veritatem addiſcat, luce clariùs percipiet quòd eodem loco Gale. doceat non modò à morbo ipſo, ſeu præter naturam affectu quòd contrarium illi exiſtat indicari, verùm etiam contrarietatem præcipi à prima illa morborum indicatione, vt ſupra demonſtrauimus. Deinceps altiùs admirabilem hanc artē exorſus, eandem contrarietatem curationem indicare docuit, tanquam vniuerſaliſſimum quendam ac præcipuum curationis ſcopum, à quo & reliqui omnes minùs generales ſcopi oriūtur. Inquiens ergo hinc rurſus ſumpto initio, age particulares ſcopos diſquitamus, concluſerat etenim (vt ſæpiùs dictum eſt) contrarietatem ipſam vnum ſolùm eſſe àc maximè generalem curationis ſcopum: poſtea ſubdebat: {quoniam id quod ægrotat, ei quod valet eſt contrarium, vtique per contraria eſt ab illo in hoc via: & quomodo inquies, in contrariis inuenietur modus? non enim ſatis eſt calido affectui admouiſſe frigida, niſi id debita fiat menſura, cùm alioqui metus ſit, ſi intra modum id fiat, ne morbi reliquum quippiam relinquatur, ſin modum excedas, cōtrarium morbi genus inducat.} Dij boni quis negabit Gal. his in verbis, ac eis quæ paulo ante, & poſt conſcripſerat, firmiſsima ratione probaſſe non ſolùm contrarium morbo adhibendum eſſe medicamentum, ſed tale ac tantum, quo tollatur morbus, ſeruetur verò naturalis habitus, ſeu ſecundum naturam affectus, atque iis omnibus morbum indigere pro ſui ſublationem, tu verò ſi contrarietatem ignorabis quæ eſt inter hos affectus contrarios, quæ qualis, quantáve exiſtat, qua via, qua methodo eadem medicamenta contraria inuenias? breuiſsimis itaque verbis, & contrarium, & contrarietatem inſimul nos edocuit, quam itidem ſolam atque vnam tanquam primum ac præcipuum ſcopum, vt ſexcenties aſſeruimus, communiſsimúmque curationis eſſe, eodem loco demonſtrauit; cùm ſatis ei non fuiſſet contrarium duntaxat demonſtraſſe. Non ergo aliud colligitur ex Galeni citato loco, quàm ratio illius poſtulet, quinimò quod probare ac concludere propoſuit, ſatis ſupérque ſuis in verbis demonſtrauit. Quòd verò contrarietas haudquaquam indicatio ſit, aut eſſe poſsit, & propterea neque generalis, neque communis à qua aliæ naſcantur, & nos ſuprà aſſeruimus, & iterum cum Galeno fatemur. Quare non eſt, cur in hoc noſtra proteletur oratio, ſed ad alia conuertatur oportet. Arguunt poſtremò, ſi contrarietas, vel indicatio eſt, aut quippiam indicet, cur negat Galen. in libro de optima ſecta, communitatem methodicorum indicare poſſe? nam vt communitas ad communia, ſic contrarietas ad contraria ſe habet, nec aliqua aduerſitatis ratio inueniri poteſt: negat autem communitatem indicare, quia non deſtruitur, atqui eadem ratione nec contrarietas dici poteſt indicare, quoniam nec ea, ſed contraria ipſa pelluntur, itaque concludunt nec ipſam contrarietatem indicare, aut indicationem eſſe, ſed ſi aliquem locum hac in re ſibi vindicare poteſt, indicatur non ſolùm à morbo, ſed etiam ab omni alio corporis ſtatu qui præter naturam exiſtimatur. Vt verò huius rationi pateat reſponſio; animaduerſione dignum eſt Galen. citato libro de optima ſecta aduerſus methodicos demonſtrare eorum communitates etiam ſi euidentes ſint, nihil tamen vtile demonſtrare. Aſſerit enim diuerſa eſſe ipſa communia indicare, aut indicare valentia ex communibus deprehendi. Methodici eadem indicare affirmabant, Gal. concludit aduerſus eos nihil vtile demonſtrare communitates ſeu communia. Verùm admittit communium notitiam, conducere ad ea percipienda, quæ particulatim indicare valēt: quo circa præcepta quodammodo, vt ipſe inquit, communia cùm ſint, particularium cognitionem oſtēdunt, quæ demum vtilia indicare valent. Vniuerſi igitur cognitio particularis vtile indicare valentis; notitiā ſubminiſtrat, tandem ipſe concludit: deinceps verò poſt pauca, communia non indicare, hac

Refutatio cū Gal. defenſione.

Loco citato.

6. Ratio.

cap. 26.

Refutatio eius.

prima ratione probat, licet alias quoque nonnullas, & hac efficaciores in medium affctat quibus ſublatis ægri ſaneſcunt, ab auxiliis iſta delentur, ab his verò vtilium indicatio ſumitur, quæ ab auxiliis præcipuè deſtruuntur. At particulares cauſas aut morbos ſaltem remedia principaliter deſtruunt; particulares igitur cauſæ aut morbi ſaltem & non cõmunia, vtile indicabunt. Quòd ſi communia vtile indicent, adhibitáque auxilia indicãtia deſtruunt, à particularibus auxiliis communia deſtruentur: communi autèm deleto omnes eo tempore, ſub eo communi ægrotantes, ſaneſcunt, nulla penitus re in ipſis ſublata: quamobrem ſi quod indicat, id deſtruitur, communia verò indicant, iam ſatis conſtat deſtructum iri communia. eſt etenim, iuxta eorum ſentẽtiam, medica facultas euidentium communitatum cognitio. Appellant autem euidens non quod ſenſu percipitur, ſed quod per ſeipſum, licet ſenſui non ſubiaceat, cõprehendi poſſit: quare ferè manifeſtum, illi euidens vocãt. Ex quibus Gal. verbis facilè hanc eorum rationem ſoluere poſſumus, aſſerentes primo contrarietatem indicationem non eſſe, ſed ſcopum, qui ſcopus quippiã indicat, quoniam curationem morborum omnium, vt 9. & 11. méth. med. ab eodem Gal. decretum eſt. Cum verò dicunt pari ratione contrarietatem non indicare poſſe, quemadmodum methodicorum communitatem, fatemur nos quòd quemadmodum communitas quatenus communitas eſt, nihil particulatim vtile demonſtrare, aut indicare poteſt, ita etiam & contrarietas quatenus contrarietas exiſtit, nihil vtile particulatim nobis indicare valet, niſi id quod diximus, curationem videlicet morborum omnium, tanquam primus, ſolus, præcipuus, ac generaliſſimus ſcopus. Verùm ex ipſius contrarietatis notitia, ad ea quæ particulatim indicare valent percipienda deuenimus, quemadmodum & communitatis, atque in hoc conducere ſimul cum Galen. fatemur: inuenimus autem vtilia, non per ipſam contrarietatem quatenus contrarietas eſt, ſed per eam deuenimus in notitiam eorum quæ particulatim indicare valent, deprehendentes particulares contrarietates, quæ exiſtunt inter particulares morborum ſpecies, ſeu genera, & eos affectus, qui ſecundum naturam ſunt. Quamobrem Gal. 11. meth. med. cap. 2. inquit: {prima nanque indicatio omnium curationis, quæ ex ipſo qui curatur morbo accipitur, contrarietatem præcepit.} deinde ſubdit: {at quoniam morborum plura ſunt genera cuique horum ſua erit contrarietas.} quibus in verbis nobis planum facere voluit, quòd licet primus curationum ſcopus ipſa ſit contrarietas, quoniam ſub ea tanquam præcepto vniuerſali ac communiſſimo cõtinetur omnium morborum curatio, cuique tamen morborum generi cùm propria fuerit ac particularis contrarietas, eadem diſcenda erit atque inuenienda pro curatione cuiuſuis generis morborum. per eam nanque & non per contrarietatem, qua contrarietas eſt, particulatim vtilia inueniuntur pro eorundem morborum ſublatione. Quemadmodum etiam ex vniuerſaliſſimo Hippocrat. curationis omnium morborum præcepto, quòd contrariorum contraria ſint remedia haudquaquam vtilia, & remedia contraria pro ſublatione particularium morborum indicantur: & propterea dicimus idem præceptum vtilia non indicare, ſed ex eodem tanquam communi exiſtenti comprehendimus, ea quæ particulatim indicare valent, ad quæ percipienda, præceptum ipſum conducit, habita nanque generis morbi notitia, confeſtim tanquam vtile indicatur nobis quod contrarium ei remedium exiſtit, pro eius ſublatione eſſe adhibendum. Ex quibus liquet quòd falſum eſt dicere vt communitas ad communia, ſic contrarietas ad contraria ſe habet; & ratio diuerſitatis in hoc conſiſtit, nam methodicorum communitas non diuiditur in alias particulares communitates, nec eaſdem ſub ſe continet. At contrarietas non vnam duntaxat aut duas, ſed plures ſub ſe ac diuerſas continet particulares contrarietates, & tot quot ſunt morborum ſpecies ſeu genera, cuique enim morborum generi ſua adeſt contrarietas, vt diximus, non autem communitas; quoniam ea pluribus eſt eadem, vt liquet eodem libro de optima ſecta. Ad hæc

Loco citato.

Contrarietas, quatenus contrarietas, nihil utile particulatim indicat.

commu

communitas pro ſe ipſa & non pro alio indicat, vt methodici ſentiunt, contrarietas autem pro alio & non pro ſe ipſa, vt dictum eſt, curationem indicat: & propterea communitates nunquam vtilia indicare valent, contrarietates autem cum particulares fuerint, eadem particulatim indicāt & indicare poſſunt, ad quæ percipienda conducit & ipſa contrarietas, quatenus contrarietas eſt, vt primus ac cōmuniſsimus ſcopus curationis omnium morborum: & cum aiunt communitatem non indicare quia non deſtruitur, eadem ratione nec contrarietatem, quoniam nec ea, ſed contraria ipſa pelluntur; dicemus in hoc etiam hallucinatos eſſe, nam licet per particularia remedia principaliter particulares cauſæ aut morbi deſtruantur, fatemur nihilominus, ſecundariò & per accidens candem particularem contrarietatem, quæ inter eoſdem particulares morbos, aut cauſas, & ſecundum naturam affectus conſiſtit, ſimul deſtrui vno contrariorum deſtructo, ab ipſis vtilibus indicatis ab eadem etiam particulari contrarietate, licet communiſsima illa contrarietas nunquam deſtruatur. Methodicorum autem communitas, nunquam à particularibus auxilijs deſtruetur: nanque (vt ipſe Gale. refert) ſi deſtrueretur, conſequens eſſet vt omnes eo tempore ſub eo communi ægrotantes ſaneſcerent. pelluntur ergo per ſe & primò contraria particularia ab ipſis contrarijs auxilijs, in ſimul etiam & eorum contrarietas ſecundariò deſtituitur. at Methodicorum communitas, vt ex iam dictis patet, nunquam, & ob id nec vnquam vtile quippiam eadem indicabit pluribus, vna & eadem exiſtens ſemper: contrarietas verò haudquaquam pluribus vna & eadem ſemper eſt, cùm plura ſint morborũm genera. & cuique (vt ſæpe dictum eſt) ſua ſit contrarietas. At ſi quiſpiam voluerit breuiter huic dubitationi ſatiſfacere, dicat hanc Gal. rationem aduerſus Methodicos, ſatis probabilem eſſe, ita vt ipſemet eandem pro eis ſoluat, alias plures ſtatim, & multo efficaciores aduerſus eos in medium afferens, ad probandum communitates vtilia non indicare. Liquet inſuper ex his quæ diximus contrarietatem non ſolum aliquem locum in hac re ſibi vindicare poſſe, ſed principium & primum, non modò vt indicatam, vt iſti putant, ſed vt indicantem: quinimò, vt indicans ſcopus ſeu propoſitum magis contrarietas præcipuum ac primum locum ſibi vindicauit pro morborum omnium curatione, à quo cæteri omnes minùs generales, ac etiam particulares ſcopi proficiſcuntur: vt lucidiſsimè Galenus libro nono de metho. medendi, cap. 15. demonſtrauit: quo ignorato, vniuerſa medendi methodus rueret atque deſtrueretur.

Rationes, quibus quidam probare conantur aërem curationem non indicare, diluuntur.

Caput XXIX.

QVOD ambiens nos aer eo modo ſumptus quo Galen. intelligit, tantum abeſt vt curationem indicet, vt nec eam coindicare, aut contraindicare, vel correpugnare valeat, hac prima ratione probare nituntur: Aiunt enim quòd vbi remedij vim ſubit, & ea ratione conſideratur, qua morbos tollendi facultatem habet, curationem haudquaquam indicare poteſt, ſi modò ea principia quæ 3. libr. meth. de hac re ſunt poſita, tueri velimus. Etenim eo in loco ſcribitur, nihil eſſe poſſe quod curationem indicet, quòd non curetur: abſurdúmque fore ſi quis aliter ſtatuat: quamobrem cùm aer non curetur ſed ſolum morbus, quomodo, quæſo, ille rationis indicator fuerit? Vtque hæc eorum ratio efficacior videatur, iis verbis eam confirmare putant: ſi hoc eſt quòd putemus morbum præcipuè indicare curationem, aërem autem ipſum idem facere minori quadam vi, aut vt dicitur, ſecundo loco & per accidens, quomodo quæſtionarij medici vrgentem locum effugere nititur, nam ſi abſurdum eſt aliud eſſe quod curationem indicet, aliud verò quod curetur, neceſſe eſt vt omnia curari dicamus quæ curationem indicant, præcipuè autem illorum opinione, morbum, alio verò modo 1. Ratio. Cap. 1.

Refutatio cõtinẽs uerborũ Gal. explicationem, malè à reprehẽsorib. intellectorum.

Quod primũ omnium indicat, & id quod curatur, idem eſt.

aërem ipſum, quæ planè ſunt ridicula. Sed pace eorum dixerim, aut Gal. quam portant auctoritatem ob intelligunt, aut intelligere nolunt, ſiquidem, vt priùs dictum eſt, eius ſententia non eſt, vt iſti putant, quòd nihil eſſe poſsit quod curationem indicet, quod non curetur; ſed cùm de primis indicationibus ſermonem faceret, quemadmodum in calce præcedentis lib. de meth. med. propoſuerat, & in principio eiuſdem 3. lib. pertractare incipit, dicebat eaſdem primas indicationes apud omnes in cõfeſſo eſſe ex affectibus fore ſumendas, nanque abſurdum eſſet aliud eſſe quod curationẽ indicaret (primò videlicet & præcipue) & aliud quod curetur: volens concludere quòd prima illa indicatio quæ omnibus communis exiſtit, etiam plebi, à morbis, ſeu præter naturam affectibus ſumitur, qui curari debent: hi etenim ſoli ſunt, qui indicant eorum ſublationem, abſurdum ſiquidem eſſet aliud eſſe quod curationem indicaret; primò ſcilicet, vtpote morbos ſeu affectus ipſos præter naturam, & aliud eſſe quod curaretur præter eos, non negans quòd aliud eſſe poſsit, quod & ſi non curetur, curationem tamen indicare etiã valeat, licet non primo, nec pro ſui ſublatione, quemadmodum ipſi præter naturam affectus: id quod etiam 4. lib. eiuſdem meth. meden. cap. 4. cõfirmauit, cùm dicebat curationis indicationem ab ipſo affectu initium habere: quæ verò particulatim ſunt agenda, hæc tum ab eo quod primum indicatio diſtat, tum verò ab ægræ partis natura, tum ambiẽtis temperie, quæque alia his cognata ſunt, inueniri, & paulo poſt inquit, {Auſpicari nanque perpetuò oportet ab indicatione quæ ab affectu cui mederi paramus, accipitur.} Poteſt itaque, vt ex iam dictis liquet, aer, licet non curetur, curationis eſſe indicator. Inſuper & ex eiſdem haud ægre huius rationis confirmatio diluitur: nam falſum eſt fateri omnia curari quæ curationem indicant, ſed bene quæ primò & eorum ſublationem, & propterea non ſequitur, vt ipſi opinantur, ex Galeni auctoritate morbum præcipuè curari, alio verò modo, ſeu ſecundariò, aërem ipſum, nam hoc ridiculum eſſet, vt ipſi bene inquiunt. Poſſunt etenim, vt millies diximus, quædam curationem indicare, quæ tamen haudquaquam curantur, inter quæ ambiens nos aer connumeratur, tanquam cauſa ſine qua non, quemadmodum cum Galeno concluſimus, cum quo etiam proculdubio aſſerimus nihil aliud primò & præcipuè curationem indicare poſſe quàm morbum ipſum, ſeu præter naturam affectum qui curari deſiderat, neque à quopiam alio primam indicationem eſſe ſumendam, ac initium inueniendorum remediorum. Præterea inquiunt, cùm aer eo loco ſumatur, vt inſtrumentum, & materia medica qua vtimur, tum ad naturales affectus conſeruandos, tum ad eos qui præter naturam ſunt, propellendos: quomodo quæſo, aliquid indicare poterit, ſiquidem materia eſt quæ indicatur, non indicat, nimirum cùm indicatio comprehenſio ſit iuuantis & nocentis, quæ ab eo quod iuuari debet, oritur: alioqui ſi id quod indicatur vnquam indicare poſſet, idem eſſet morbus & remedium, ſanitas & victus; & idem quod iuuat cum eo quod iuuatur; vt ergo nullum alium remedium indicat, aut coindicat, vel contraindicat; aut correpugnat, ſic nec aer aliquid eorum efficere poteſt. Atqui nos cum Galeno fatemur 9. de metho. meden. cap. 14. quòd aer tanquam cauſa ſine qua non, inſtrumentum ſeu materia medica ab eodem ſumitur, quo etiam vt materia vtimur, tum ad naturales affectus conſeruandos; tum ad eos qui præter naturam ſunt, propellendos, & hoc modo eum aliquid indicare poſſe pro morborum curatione, affirmamus. Cùm verò inquiunt, quomodo igitur indicare poterit, ſi materia eſt quæ indicatur & non indicat? Dicimus falſum eſſe aërem tanquam materiam indicari, licet vt materia & cauſa ſine qua non; indicet; verùm admittimus eundem aërem tanquam auxilium indicari, & non vt materia, & cùm probare tentant ipſum veluti materiam indicari, in medium afferentes indicationis deſcriptionem, quæ, vt ipſi putant, comprehenſio eſt iuuantis & nocentis, quæ ab eo quod iuuari debet oritur, dicimus hanc fuiſſe cauſam propter quam velut cæci in foueam lapſi ſunt: putarunt enim ab eo

Altera eiuſdẽ ration. refutatio.

2. Ratio.

Refutatio.

quod indicat, ſimul & nocentia & iuuantia indicari, & propterea auxiliorum materiæ, & non auxilia, quod quidem valde alienum à veritate & Gal. doctrina eſſe cenſemus, vt ſuperiùs demonſtrauimus. Quandoquidem per indicationem ipſam non niſi iuuantia comprehendimus, inſimul cum comprehenſione nocentium, hoc eſt præter naturam affectuum, qui eadem iuuantia ac eis vtilia duntaxat indicant: & propterea non medicamentorum materias, quæ in quatuor generibus conſiſtunt, vt in ſequentibus patebit, ſed eaſdem materias idoneas tanquam remedia & auxilia, exigunt. Indicatur itaque aer tanquam remedium, auxilium ac iuuans, ab his qui eadem exigunt, indicat verò ipſe vt materia ſeu cauſa ſine qua non: qua ratione, vt tertius ſcopus curationem morborum indicans, à contrarietate ipſa diuiſa proficiſcitur, vt ſæpe diximus: propterea diuerſa ratione indicatur & indicat, & proinde quod cōcludere incommodum quærũt, non ſequitur, quòd videlicet idem eſſet morbus & remedium, ſanitas & victus, & idem quod iuuat, cum eo quod iuuatur, indicatur enim, vt auxilium & iuuans, nam id auxilium appellamus, indicat verò vt materia, conuenimus propterea cum eiſdem, quòd quēadmodum nullum aliud remedium quatenus remedium eſt, indicat, aut coindicat, vel contraindicat: aut correpugnat, vt ipſi dicunt, ſic nec aer tanquam remedium ac auxilium aliquid horum efficere poteſt; ſed bene ratione qua aer nos ambiens ac materia, & cauſa ſine qua non. Inſuper aiunt, nec illud quidem aliquid facit quod ſcribit Galen. ideo ab aëre indicationem capi, quòd ſine eo morbi tolli, & ſanitas retineri nequeat, quod in aliis remediis non contingit, quæ in promptu ſunt, quorum vſum euitare vnicuique licet, neque enim omnes morbi egent aëre vt remedio, quales ſunt qui partes affligunt inſtrumentarias, quibus nihil aer confert. Quibus verbis ſole clariùs oſtendunt quàm gratis ſtudeant Gal. contradicere, fatetur nanque propterea propriam quandam indicationem ab aëre ſumendam eſſe pro morborum curatione, cùm id ſit ambiēs nos aer, ſine quo nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poteſt, etenim reliquorum præſidiorum materiæ omnium electio in noſtra poteſtate exiſtit: eius verò quam ambiens præſtat, in noſtra manu non eſt: & propterea reliquas materias tum deligere, tum fugere licet: quam autem ambiens præſtat, fugere non licet, ſeparat enim aëris materiam à materia aliorum remediorum, & non ipſum tanquam remedium à reliquis remediis, vt iſti arbitrantur, ipſum nanque ambientem nos aërem tanquam materiam vitare non licet, nam nolentibus etiam nobis, per tranſpirationem ſaltem, qualiſcunque fuerit, ipſum attrahimus, at materias aliorum præſidiorum, in noſtra poteſtate eſt tum deligere, tum fugere: peruertunt ergo verborum Galen. ſententiam, cum materias auxiliorum ſeu remediorum ad auxilia ſeu remedia transferant. Sed magis eos mirari contingit, cùm inquiunt quòd non omnes morbi egent aëre vt remedio, quales ſunt qui inſtrumentarias affligunt partes, quibus nihil aer confert: cùm nedum ſimilarium partium & inſtrumētariarum morbi proprij, aëre vt auxilio pro eorũ curatione indigeant; verùm etiam & qui communes vtriſque exiſtunt: vtpote in ſoluta continuitate, in ſimilarium partium propriis, nemo dubitat, in inſtrumentariis, quis negabit? in inflammatione ſeu eryſipelate aërem vt remedium conferre, qui neque nimium calidus aut frigidus exiſtat, ſed egelidus aut mediocriter frigidus, quis in ſcirrho & œdemate frigidum aërem non vitabit, ac calidum non eligat? Atque ſimili ratione in aliorum quibuſlibet qui in numero, poſitione, aut figura ſunt morbi pro eorum curatione contrarium aut morbo, aut cauſæ, aut vtriſque præparare non ſtudeat? Vlcera quoque ac reliquas continui ſolutiones carni euenientes oſſibus, tendonibus, neruis ac ligamentis, abſque aëre tanquam remedio quis curare tentabit? quod adeo manifeſtum eſt in Hippo. Galen. ac aliorum artis medicæ bonorum auctorum doctrina, vt alia probatione, vel auctoritate non egeat. Eſt igitur aer nos ambiens tanquam cauſa ſine qua non, perpetuò attendendus pro omnium morborum curatione, velut

Sup.ca.23.

Aer qua ratione indicatur, & qua ratione indicat.

3. Ratio.

Refutatio.

Aer in omniũ morborũ curatione ſpectãdus.

tertius ſcopus indicans curationem à contrarietate ipſa diuiſa proficiſcens, quemadmodum ſupra demonſtrauimus,nam vbi cùm aliis medẽdi indicationibus conſonat, inter ſanitatis cauſas annumeratur; vbi diſcors ſit inter morbificas ſemper in omni morbo,licet vt remedium indicetur,& non indicet vn-
4. Ratio. quam. Adhæc arguuntur, vt aëre ſic cibo & potu, ſomno & vigilia ſanitas conſeruatur, & morbi propulſantur, nec minùs ſanè difficile eſt illorum noxas quàm quæ ab aëre excitãtur,euitare,cùm ea mala, quæ ab illis naſcũtur,nulla re ſæpius mitigari queant; aëris autem iniuriæ, vel loci mutatione, vel alia ra-
Refutatio. tione promptè corriguntur. Sed cùm parum efficax ſit hæc ipſorum ratio, facilè vtique deleri poterit, admittimus enim nedum aëre duntaxat nos ambiente,ſed cibo & potu,ſomno & vigilia, motu & quiete, ac reliquis huiuſmodi,& ſanitatem conſeruari, & morbos propulſari tanquam neceſſariò corpus noſtrum alterantibus. Verùm non pari ratione: nam abſque aëre neque ſanitas vlla ſeruari, nec morbus quiſpiam propulſari vnquam poteſt, vt ſæpius diximus: at ſine cibo aut potu,ſomno aut vigila, motu aut quiete, inanitione aut repletione; & ſanitas quædam ſeruari aliquo tempore, & morbi nonnulli profligari poſſunt,non enim continuò & ſemper eis vtimur,vt aëre, nam non ſemper comedimus,aut ſemper bibimus,dormimus,aut vigilamus, mouemur, aut quieſcimus,ſiue ſani,ſiue ægri ſimus: quemadmodum ambientem aërem perpetuò ac continuè reſpiratione,aut ſaltem tranſpiratione attrahimus. Quamobrem Galen.ab aëre tanquam cauſa ſine qua non,& non à reliquis,indicationem præcepit eſſe ſumendam. Cùm verò dicunt quòd non minùs difficile eſt illorum noxas,quàm quæ ab aëre excitãtur,euitare,ob eam quam ipſi reddũt, cauſam aſſerimus in hoc bifariam eos hallucinatos eſſe, primò quòd non propterea Gale. aërem indicare,& non alia modò dicta fatetur,quòd ſit difficilius eius noxas, quàm illorum vitare, ſed quoniam materia quam aer præſtat, in noſtra manu non ſit: coguntur nanque ægrotantes, velint nolintve præſenti aëre vti: at reliquorum præſidiorum materia in noſtra vtique poteſtate exiſtit; ita vt eligere & vitare valeamus & cibos & potus aliquos, ſimiliter ſomnum & vigiliam, ac reliqua pro noſtro arbitrio, & prout conducere aut lædere videantur. Adhæc quis negabit difficiliùs vitari poſſe, quæ ab aëre excitantur, noxas, quàm quæ ab illis; ſi illas omnino vitare eſt impoſſibile, has verò facilè? aërem nanque non attrahere qualiſcunque fuerit impoſſibile eſt. Ergo vbi ſimilis morbo fuerit,non poterit non lædere, reliquorum verò noxas, vt diximus, facilè euitare valemus, lædentem cibum aut potum haudquaquam ægro tribuentes: ſic ſomnum aut vigiliam vbi nocumentum inferant, ac reliqua omnia prohibentes; licet quæ à quibuſdam iſtorum nocumenta proueniunt, quandoque ægrius corrigantur, quàm quæ ab aëre modicè lædente; vt
5. Ratio. vigiliæ in nephritide,ſomnus in ſoporoſis ac lethargicis affectionibus, & noxæ quę à venenatis cibis aut potionibus producũtur. Subdunt deinceps. {ac multò minùs illud video eſſe neceſſarium quod ille ſtatuit: vt ſcilicet, præſenti cœli conditione ſemper vtamur: quandoquidem per ſanitatem & leuiores morbos facilè in alium aerem migrare vnicuique liceat, in grauioribus autem malis in quibus non licet id facere,non datur etiam prædictorum vitia fugere,requirimus etenim ad morbos fugandos ſomnum, vigiliam, quæ aliquando nulla arte conciliare aut arcere conceditur. } hæc ipſi,quæ cum reuerentia admodum pue-
Refutatio. rilia eſſe videntur. Nam licet per ſanitatem & leuiores morbos facilè in alium aërem migrare vnicuique liceat,num verebitur quiſpiam toto eo tempore quo in alium migrabit aërem æger,quòd ab eo in quo ægrotauerit ſemper non alteretur? cùm neceſſariò ipſum attrahere cogatur? Quamobrem Galen. faſſus eſt quòd neceſſariò oporteat præſenti cœli ſtatu vti,nã quomodo contrarium fiet, ſi abſque aëris attractione viuere non poſſumus,qualiſcunque is fuerit? Cogitur itaque æger eo cœli ſtatu vti,in quo ægrotauit,velit,nolit,etiam in leuioribus morbis, vſquequo in alium aërẽ migrauerit,non antẽ eodem cibo & potu

ac reli

ac reliquis, quæ licet neceſſariò corpus alterent, vt aër, non tamen ita conti-
nuò, & ſemper. {tanta nanque omnibus corporibus ſpiritus neceſsitas extat
(vt inquit Hippocrates libro de flatibus) vt ſiquidem omnibus aliis abſtineat
homo, neque cibum ſumat, neque potum, poſsit tamē dies duos vel tres, & plu
res ducere. Si verò ſpiritus in corpus viæ intercipiantur, in breui parte vnius
diei intereat.} & ſubdit: {amplius autem ab omnibus operibus aliquando ho-
mines quieſcūt immunes, verùm ab hoc opere, nulla omnibus mortalibus ani-
mantibus requies contingit, vt eſſent ſpiritum adducere, & rurſum exhala-
re.} hæc ille. In grauioribus autem malis, in quibus non datur aërem mutare,
non æquè (vt priùs diximus) licebit etiam aëris ac prædictorum vitia fugere,
cùm aëris noxas haudquaquam vitare valeamus. etenim continuè ab eodem
ac maximè corpora alterantur: reliquorum verò noxas, aliquo ſaltem tempo-
re vitare poſſumus, vt paulò ante demonſtrauimus: quamuis contingat quan-
doque ſomnum aut vigiliam, nulla arte conciliari aut arceri poſſe. non enim
quòd difficiliùs aëris noxæ corrigantur, quàm reliquorum iam dictorum, aë-
rem indicare, & non illa decretum reliquit Galenus, ſed propterea quòd reli-
quas materias tum deligere, tum fugere licet; quam autem ambiens præſtat,
fugere non licet, vt ſexcenties retulimus. Quo etiam errore ducti alia ratio-
ne tentant eandem de aëre Gale. ſententiam peruertere, ac impugnare. Aiunt 6, Ratio.
etenim: {Quin & aquæ incommoda difficiliùs, quàm aëris intemperies emen-
dantur, nimirum cùm tota vna regio eadem aut parum differente aqua (quo-
niam & eadem terra) ſæpè vtatur, aere autem diuerſo, ſiquidem in eadem do-
mo eum variari videmus, quando pro diuerſo locorum eiuſdem domus ſitu, di
uerſam naturam & qualitatem aſſumat, eas præſertim, quas in morbis tollen-
dis eo loco Galenus quærit nempe caliditatem, frigiditatem, humiditatem, &
ſiccitatem.} Quam rationem iterum eadem ratione tollimus. neque enim Ga- Refutatio.
lenus faſſus eſt propterea aërem indicare, & non reliqua commemorata, quo-
niam eius noxæ difficiliùs corriguntur, ſed propterea quòd ab eodem conti-
nuo opus eſt corpora noſtra alterari, ſiue ægri, ſiue ſani ſimus: neque id, ne mo-
mento quidem vitare poſſumus: id quod ab eiſdem haudquaquam contingit.
At concedatur id voluiſſe Galenus nullius valoris, nec ad propoſitum eſſe vi-
detur hæc eorum ratio. Nam non propterea difficiliùs aëris noxas corrigi fa-
temur, quia pluribus vel paucioribus ſunt communes; quemadmodum iſti de
aqua probare nituntur, verùm propterea, quia reſpectu vnius, & eiuſdem
ægroti difficiliùs eaſdem emendari contingat, tanquam magis continuas, at-
que perpetuas, vtpote cùm nullo non tempore eadem ab aëre ambiente non
inferantur, ac augeantur, id quod de aquæ incommodis (eadem etiam vitioſa
existente) haudquaquam aſſerere audendum eſt. poſſumus nanque quodam
ſaltem tempore ægros arcere, vt eadem non vtantur aqua. Quapropter ſi Ga-
lenus etiam aſſeruiſſet difficiliùs corrigi noxas, quæ ab aëre fiunt, quàm quæ à
reliquis, & propterea eundem duntaxat indicare, non propterea hæc eorum
ratio quicquam concluderet aduerſus eundem, etiam ſi totum id quod in hac
ratione fatentur, eis concedatur. Inquiunt poſtremò: {Quòd ſi illud conce- 7. Ratio.
damus difficiliùs aëris noxas vitari, quàm aliarum rerum quæ ſanis ægriſque
corporibus adhibentur, non tamen propterea huiuſmodi difficultas indicandi
cauſa eſſe debet, alioqui inter alia indicarent, quæ difficiliùs corrigi poſſunt.}
Sed hæc ratio aliud concludit, quàm probare proponit. nam conceſſo quòd aë- Refutatio.
ris noxæ difficiliùs vitentur, quàm aliarum rerum: & ob id curationem indi-
cet, non propterea ſequitur quòd inter alia indicarent, quæ ægriùs corrigi poſ-
ſunt, ſed ea quorum noxæ difficiliùs vitantur. aliud etenim eſt noxas alicuius
difficiliùs vitari, & aliud eaſdem noxas illatas iam, difficiliùs corrigi. poſſunt
etenim noxæ quædam ægriùs vitari, & tamē faciliùs quādoq; corrigi. Quam-
obrem indicandi cauſa eſſe debet ipſius aëris difficultas hæc vitandi eius no-
xas magis quàm aliarum rerum, & nullum propterea ſequitur ex hoc incom-

modum:& non ob id quod ægriùs eius noxæ corrigi valeant: nam hoc falſum eſſe fatemur, neç vnquam Galenus illud ſomniauit, neque etiam vnquam aſſeruit quòd propterea aër indicet, quia eius noxæ difficiliùs vitari queunt, ſed tanquam cauſa ſine qua non materiam præſtans, quam vitare omnino non liceat qualiſcunque fuerit, quod reliquis materiis præſidiorum omnium haudquaquam cõuenit. etenim earum electio in noſtra poteſtate exiſtit, vt ipſe teſtis eſt, nono de meth. medendi. Reponi itaque debet inter indicantia aër non

Loco citato. ſine forti ratione, atque connumerari inter præcipuos ſcopos, qui curationem indicant, à contrarietate ipſa diuiſa pullulantes, quemadmodum à Galeno, nono, & vndecimo meth. meden. decretum eſt: quicquid alij aduerſus eum ſophi-

Loc. citatis. ſticis, admodum probabilibus, & parum efficacibus rationibus probare nituntur, conſentiente ipſa rei natura ſeu ſubſtantia, ac principiis ab eodem Galeno de indicationibus poſitis, nobis illud ſole clariùs demonſtrantibus.

Soluuntur rationes eorum, qui naturalem corporis temperiem pro morborum curatione nihil indicare contendunt. Caput XXX.

NON ſolùm naturalem corporis temperiem quam inter primos & præcipuos ſcopos curationis morborũ ſimul cum Gal. cõnumerauimus, verumetiam ſingula alia quæ ſecundum naturam ſunt, quippiam pro eorundem morborum curatione indicare, euertere tentant, quò penitus vniuerſa, ac mira, artificioſaq; hęc medendi methodus à Galeno conſcripta, ipſáque ars medica tota ruat, quinimò audent de tanto viro aſſerere quòd in hoc ipſe ſui ſæpè obliuiſcatur, & rarò de eadem re diuerſis in locis idem tractat, nec poſita principia tueatur. Nos verò ordinem quendam ſeruantes, eorũ ſingulas rationes diluere conabimur; vt & Galeno veritas pateat, & quam ſcripſit medendi methodum, & hanc noſtram quam de febribus condimus, à calumniis liberemus, exordientes primò ab his quæ in medium afferunt de naturali corporis temperie, quarum prima

1. Ratio. hæc eſt. Cùm Gale. lib. vndecimo meth. med. cap. 13. & paſſim alibi ſcribat vnũ ſemper vnum indicare, quoniam vnaquæque res vnicam habet naturam: pro cuius confirmatione addimus nos illud Galeni ſcriptum etiam reliquiſſe, nono metho. meden. cap. 12. aiunt ipſi quòd oportebat huius principij cum memorẽ eſſe, nec vnum ad plura, diuerſique generis indicanda aſſumere, aut alioqui huiuſmodi methodum non aggredi, quæ (vt inquit) huiuſmodi principio neglecto, conſtare nequit. nam omnia quæ ſecundum naturam ſunt, nobis familiaria & amica exiſtunt, & propterea ſui conſeruationem, & tutelam perpetuò indicant, curationem autem aut remedia, vel illarum quantitatem, qualitatem, vel locum, vel modum, aut quempiam alium ſcopum, quem in illis obſeruare oportet, nequaquam, ſi modo idem ſui ablationem & conſeruationem ſimul expoſtulare nequit. nam quod ſecundum naturam eſt, nunquam non deſiderat ſui conſeruationem. at quomodo curationem quæ morbis debetur indicabit vnquam? quomodo illa eadem quæ nobis ſunt familiaria indicabunt remedia? ſi conſeruationem indicant, quæ victu peragitur? remediis autem mutatio prioris ſtatus in alium contingit. Hæc ratio licet communis ſit omni-

Refutatio. bus ſecundum naturam exiſtentibus, eam tamen primò ſoluendam duximus, quoniam naturalem temperiem inter omnia quæ ſecundum naturam exiſtũt primò morborum curationem indicare, ſimul cum Galeno concluſimus. Poterit autem communis eſſe hæc reſponſio ſingulis aliis, quæ ſecundum naturam ſunt: quare dicimus verum eſſe quòd quicquid pro natura ſua indicat, id ſemper vnum indicabit ceu quòd vnam habet naturam, vnámque ſemper dari ex re quaque indicationem. at ſi præter naturam ſit quod indicet, contra-

Locis præcitatis. rium ſemper indicare, ſin ſecundum naturam ſe habeat, non contrarium, ſed ſimile, vt liquet nono, & vndecimo metho. meden. Et cùm aiunt Gal. vnum ad

plura

plura diuerſique generis indicanda aſſumere, hoc falſum eſſe fatemur: nam
quicquid indicant ea quæ ſecundum naturam ſunt, non propter aliud quam
pro eorum conſeruatione, & propterea ſimile, indicant, etiamſi eadem mor-
borum curationem quandoque indicent, quemadmodum eſt naturale tempe-
ramentum, quod etſi vnà cum ipſo morbo contrarietatis menſuram definiat,
itaque per eum in contrariis inueniatur modus, ac debita menſura, illud ta-
men non alia ratione, quàm vt ipſummet per ſimilia ſeruetur, indicabit, defi-
nit enim contrarietatis menſuram, quam morbus ipſe exigit pro ſui ſublatio-
ne, pro eiuſdemmet ſui temperamenti conſeruatione, quam ſi vtique non defi-
niret, ac per eam ipſum haudquaquam ſeruaretur, proculdubiò morbus ipſe
per eadem contraria curationẽ non ſuſciperet, cùm ſanatio nil aliud ſit, quam
præſentis in corpore vitioſi affectus in naturalem habitum, ſeu naturale tem-
peramentum mutatio, vt ſæpiùs diximus, definitur itaque contrarietatis men-
ſura quam morbus exigit pro ſui ſublatione inſimul ab eodem morbo, & na-
turali corporis temperie, Galeno auctore, citatis locis, verùm à morbo pro ſui
ſublatione, à naturali corporis temperamento pro ſui conſeruatione. primo
etenim ſublato, & reliquo cõſeruato, & morbi curantur, & ſanatio fit. Poteſt
itaque temperamentum vna eadémq; indicatione, ſui tutelam, ac morborum
curationem indicare, modo quo diximus, nec quicquam referre putamus, ſi di
xeris indicare ſui tutelam, & eadem ratione morbi curationem contrario mo-
do indicare: nec propterea conſeruationem ſimul atque ſui ſublationem in-
dicabit, vt iſti concludere quærunt, ſed perpetuò ſui conſeruationem, & mor-
borum ablationem. Cùm verò aiunt quomodo illa eadem quæ nobis ſunt fa-
miliaria indicabunt remedia, ſi conſeruationem indicant, quæ victu peragi-
tur; remediis autem mutatio prioris ſtatus in alium cõtingit? non poſſum non
mirari cur in hæc prorumpant verba. nam etſi conſeruationem indicent quæ
nobis familiaria ſunt, ac ſecundum naturam, illa nedum victu peragitur, ſi per
victum cibum & potum ſubintelligunt, ſed aliis quibuſdam nõnullis; vt liquet
primo, & quinto de ſanitate tuenda, & libro num tuenda ſanitas, ad Thraſyb. cap. vlti.
at ſi per victum reliqua ſubintelligere volunt, quæ quandoque Galenus ſubin- cap. 10.
telligit, cur effutiunt remediis mutationem fieri prioris ſtatus in alium? cùm cap. 40.
remedia appellentur, ſeu auxilia quãdo proſunt, ac proficiunt? quinimò omnis
materia quæ quomodolibet corpus alterat, quo tempore iuuat, auxilium dici-
tur, eodem Galeno auctore, vndecimo meth. med. cap. 1. qua de re & cibus & po
tus, ſomnus & vigilia, motus & quies, inanitio & repletio, ac horũ reliqua, vbi
iuuabunt, remedia, præſidia ſeu auxilia nominare licebit, tam ſi priorem cor-
poris ſtatum in alium mutent, quàm ſi eundem conſeruent: & eodem 11. meth.
med. cap. 15. dicebat, quòd ars ordinandi victus ex his maximè remediis conſti-
tuitur cibo, potione, perfuſione, cataplaſmatis & clyſteribus: non igitur reme-
diis mutatio duntaxat fit prioris ſtatus in alium, ſed eiſdẽ quoq; prior ſtatus cõ-
ſeruatur, ſi ſimilia adhibeantur. qua ratione proprium temperamentum licet
morborum curationem (vt diximus) tanquam præcipuus ſcopus indicet, con-
ferátque ad auxiliorum inuentionem, quibus morbi ipſi auferantur, eiſdem
ipſum ſeruari poterit, & non alia ratione eadem indicabit, quàm vt præſens
vitioſus affectus auferatur, ipſum verò in priori ſtatu conſeruetur. At quomo- 2. Ratio.
do quæſo (rurſus inſtant) temperies curationem indicabit, ſi vires nullam in-
dicationem curatoriam, vt Galenus nono meth. med. ſcribit, præbere poſſunt?
Sunt etenim pariter ſecundum naturam tum vires, tum ipſa naturalis tempe-
ries, vt non magis hæc quàm illæ curationem indicare queant. Huic reſpõſum Refutatio.
volumus quod licet pariter ſecundum naturam ſint vires, & naturalis tempe-
ries, hac de re naturalem temperiem, & non vires per ſe curationem indicare
aſſerimus; quoniam tunc morbos cum Gal. curari dicimus, cùm ipſi præter na-
turam affectus in naturalem habitum ſeu naturale temperamentũ fuerint mu-
tati, ita vt ne morbi reliquum quippiam relinquatur, neque contrarium genus
morbi

morbi per præſidia fuerit inductum: qua ratione opus eſt vt curandi corporis haudquaquam temperamentum fuerit ignotum, vt quantùm à ſe inuicem diſtent morbus, & naturale temperamentum compertum habeas, & propterea ipſum ſimul cum morbo contrarietatis menſuram definis, & præcipuus curationis ſcopus exiſtit. vires autem, vt in ſequentibus fuſiùs patebit, ex numero curatiuorum ſcoporum per ſe non exiſtunt, neq; remedium aliquod indicant: quoniam neque vt valeamus, neq; vt à morbis liberemur ab eis quicquam primùm deſumimus, vt ipſe Galenus aſſerit, eodem nono de meth.med. ca.13. ſed vt viuamus duntaxat. nam ne per contraria adhibita reliquum morbi quippiá relinquatur, aut contrarium morbi genus per eadem inducatur, aut omnino vt à morbis liberemur, haudquaquam vires indicabunt. verùm ne alterutrum per contraria fieri contingat, ſed morbi ipſi auferantur, & prior ſanitas reſtituatur à proprio naturali temperamento, indicatio neceſſariò ſumenda erit, quò quantum morbus ab illius ſymmetria diſceſſerit intelligens, menſuram præſidio imponat. Hac itaque ratione naturalis temperies, & non vires, licet ambo ſecundum naturam ſint, curationem indicare valet. Ad hæc à morbis liberatos ægros eſſe aſſerimus, vbi priſtinam corporis temperiem recuperauerint, vt liquet nono meth.med.cap.14. non tamen eaſdem vires, quas habebant eo tempore quo laborare cœperunt, nec æquè robuſtas, vt videre licet in conualeſcentibus, neque etiam in omnibus morbis æquè vires ſeruandæ ſunt, ſed in quibuſdã vt in acutis, parum debilitatas conſeruare oportet: vt liquet commento aphoriſmi quarti, primi libri. etenim in hiſce morbis ſi eas robuſtas ſeruare ſtuderemus, ac tales quales accepimus, ſemper adderemus ad morbum. vbi ergo in morbis quærimus vires ſeruare, id non intendimus vt à morbis liberemur, ſed vt viuamus. ſeruare tamen eandem naturalem temperiem ſemper oportet, non vt viuamus, nam abſque ea viuere poſſemus, ſed vt ab eiſdem morbis vindicemur, à quibus haudquaquam liberatos eſſe fatemur ægros, niſi ad priſtinum redeant temperamentum: vt Galenus fatetur, & rei veritas eſt. A naturali igitur temperie, & non à viribus indicationem pro morborum curatione ſumendam eſſe, eámque & non vires præcipuum eſſe curationis ſcopum propterea firmiter cum Galeno tenemus. Cùm verò probare nituntur morborum cauſas externas inter indicantia ex Galeni tractatione ſtatuendas eſſe, alia ratione tentant quòd temperamentum curationem non indicet, perſuadere.

Cur vires inter curatorios ſcopos non ſint.

5. Ratio. Inquiunt enim, ſi quæ abierunt, & amplius non adſunt, nec vlla re opus habent, indicare nequeunt, cur à Galeno nono meth.meden. ſcriptum eſt, corporis temperamentum, quod fuit antequàm homo laboraret, curationẽ indicare, cùm a nullo eorum quæ amplius non permanent, neque aliqua re egent indicatio ſumi debeat, eodem auctore, quarto meth.med. cap.3. qua de re aut temperamentum, conſuetudinem, & viuendi conditionẽ haudquaquam curationem indicare fateri debemus, aut ſi ea admittimus, cõuincimur pariter externas morborum cauſas recipere.

Refutatio. At nos quantum ad externas morborũ cauſas, conſuetudinem, viuendi conditionẽ, ac reliqua (quæ ibidem meminerunt) ſpectat, ſuis locis in ſequentibus quid cum Galeno ſentiendum ſit, demonſtrabimus, ne ſimul omnia vt iſti conantur facere, confundamus. Nunc verò ad ea quæ de corporis temperamento aiunt duntaxat reſpondebimus, aſſerentes primò eos abuti Galeni ſententia, ſuiſque verbis; ait enim Galenus eam corporis temperiem curationem indicare, quæ illo tempore fuit quo ægrotare cœpit, & non quæ fuit antequàm homo laboraret, vt iſti aiunt. Satis enim intereſt dicere, quæ illo tempore fuit quo ægrotare cœpit, & quæ fuit anteaquàm homo laboraret, volens innuere quòd ab illo corporis temperamento ſumenda eſt indicatio, quod eo aderat tempore quo primùm æger ægrotare cœperit, reliqua excludens temperamenta quæ poterant multò ante tempore fuiſſe, & deinde aliqua ratione mutata, intelligénsque per hæc verba præſens, & non præteritum temperamentum. id verò 11. lib. eiuſdem, clariùs manifeſtauit, cùm dixit:

A temperamẽto quod præſens erat cùm morbus cœpit, ſumitur indicatio.

Cap.3.

præſt

{præſtari verò (vt prædictum eſt) modi auxiliorum indicationem ex eo temperamento, quod iam præſens ſit, ita nimirum ſicut ex ætate non quam æger priùs habuerit, ſed quam nunc habeat.} non ergo ex eo temperamento quod priùs fuit antequàm homo laboraret (vt iſti Gal. tribuunt) ſed ex eo quod iam præſens eſt, quo tempore ægrotare cœpit, ſumenda indicatio erit pro morborum curatione: id enim intelligere voluit, nono, & vndecimo metho. meden. quam igitur habebunt inter ſeſe ſimilitudinis rationem externa morborum cauſa, & corporis temperamentum? ſi eadem poſtquàm fecit, & præter naturam affectum excitauit, iam abiit, & in corpore amplius non permaneat? qua ratione, neque vlla re opus habet cùm amplius non adſit. corporis verò temperamentum quod iam præſens eſt, illo tempore quo ægrotare cœpit æger, adhuc eo ægrotante adeſt, nec omnino abiit, ſed adhuc in corpore permanet, licet quodammodo immutatum ſeu alteratum ab ipſo morbo, ſeu febre, de qua verba facimus: eſt etenim febris conuerſio quædam natiuæ caliditatis ad igneã, & non conuerſum eſſe: quemadmodum etiam & reliqui morbi corporis naturale temperamentum immutaut, atque alterant, non autem omnino corrumpunt, atque deſtruunt vbi curationem admittant: & propterea aliqua re indiget pro ſui conſeruatione, ſimul ac morbi ſublatione, vt ad idem temperamentum æger redeat: aliàs neque eoſdem morbos ſublatos eſſe, ac ab eiſdem ægros vindicatos eſſe fatebimur; quia igitur morbo ſeu febre genita, adhuc in corpore reſtat temperamentum, natura; ſeu naturalis habitus, cauſa verò morborum externa, nequaquam, propterea temperamentum ipſum curationem indicare admittimus, ac ab eodem curatoriam indicationem ſumi aſſerimus, eámque præcipuam cum Galeno, externas autem morborum cauſas haudquaquam indicare poſſe dicimus; nec ab eiſdem indicationem aliquam pro curatione ſumendam eſſe, fatemur.

Loc. citatis. A cauſa externa nõ ſumitur indicatio, nec quicquã habet ſimile cũ temperamẽto ægri immutato.

Proponitur primorum trium ſcoporum indicantium diuiſio: ſoluitúrque Galeni contradictio de indicatione, quæ à morbo ſumitur. *Caput* XXXI.

IVRE itaque cum Galeno ad tria capita, primos ac præcipuos omnes curationis morborum ſcopos, contrarietate ipſa diuiſa redegimus: etenim illa tria prima ſunt, quæ curationẽ indicant, neque eſſe poſſe plura genera, quæ ad medẽdum ſpectẽt quàm tria: nempe ambientem nos aërem cum geminis corporis affectionibus, ſiue conſtitutionibus, altera naturali, altera quæ præter naturam ſit, quæ ſanè morbus eſt, ex ipſa rei ſubſtantia docti non ab re cum eodem Galeno concluſimus, quicquid alij noua dogmata introducentes ſentiant, quorum ratiunculæ quanti momenti ſint, & ex his quæ diximus, ac in ſequentibus dicemus cuilibet patere poterit. At quoniam non ſolùm pro morborum curatione ipſarúmque febrium, eiſdem ſcopis ac indicationibus ab eiſdem ortis vti conuenit, ſed aliis quibuſdam magis particularibus, qui etiam methodo quadam diuiſiua ex prædictis originem ducunt, nam qui & omnia quæ ſunt ſecundum naturam, & quæ præter naturam, hoc diuiſionis artificio complectitur, ab omnibúſque ſufficientes ſumit indicationes, hic ſolum quantum humanis permittitur viribus medendo non errabit, vt primo art. cur. ad Glauco. cap. 1. ſcriptũ eſt, ea propter vt vniuerſi tum ſcopi, tum, indicationes, curatorij nobis pateſiant, eoſdem tres primos, ac præcipuos in partes diducere inſtitui, donec ad inſectiles veniamus. Etenim cùm vnum ſit eorum vtrunque, aër videlicet, & corporis temperies, ex pluribus tamen tale efficitur. ob id cùm corporis tempertem, tum ambientem aërem in ſuas cauſas diducere oportet, affectum verò præter naturam, non in cauſas, ſed differentias, eiuſdem Galeni auctoritate, citato libro nono meth. med. cap. 14. Atqui nos affectum ipſum præter naturam, quem curare intendimus, qui febris eſt, in particulares differentias iam ſuperiùs

riùs diduximus vſque ad inſectiles peruenientes. Reliquum igitur eſt vt geminos alios ſcopos, nempe ambientem nos aërem, & corporis naturalem temperiem pro diuerſis cauſis eoſdem alterantibus, ac mutantibus, in partes diducamus, ſecemúſque, donec ad eos particulares ſcopos, particularéſque indicationes perueniamus, qui amplius ſectionem non admittunt. Priùs tamen quàm eorundem ſcoporum ſectione, reliquos omnes particulares ſcopos inueſtigemus, ac ab eiſdem quæ particulares curationis morborum indicationes ſumātur cum Galeno doceamus, neceſſarium fore duxi eam quæ in eiuſdem Galeni dictis pugnantiam eſſe videtur de indicatione, quæ à morbis ſeu præter naturam affectibus ſumitur conciliare, quæ hucuſque nonnullos non parum fatigauit.

Conciliatio duorum locorū Gal. qui pugnare uidentur inter ſeſe. cap.24. et 25.

Inquit enim libro tertio meth. med. cap. 1. in principio, omnibus in confeſſo eſſe primas indicationes ex affectibus eſſe ſumendas, initiúmque inueniēdorum remediorum ex ipſorum morborum natura ſumi, lib. verò de optima ſecta ad Thraſyb. non morbos, ſed cauſas medelam indicare aduerſus methodicos concludit, atque non morbos, ſed morborum cauſas quod conducit, nobis aperire: etenim cōducibile non à morbis, ſed à cauſis indicari fatetur. Sed omiſsis aliorum opinionibus dicam quid ſentiam, atq; fateor vbique locorum Gal. eadem ſentire. nam tertio meth. meden. licet primas indicationes ex affectibus eſſe ſumendas innuerit, dicebat inſuper indicationem hanc, quæ à morbis ſumitur, nullam prorſus eſſe ipſius medicæ artis adhuc portionem, aut ſanè nec magnam, nec propriam, vt quæ etiam plebi ſit cōmunis, nil aliud indicans quàm eorum ablationem aduerſus methodicos, qui hanc indicationem dicebant, vel totam curationem indicare, vel magnam partem, ipſe verò principium tantùm eſſe, ac veluti excitamentum quoddam, vnde medēdi ratio promouet, affirmauit, illud quoque demonſtrare propoſuerat citato libro de optima ſecta ad Thraſyb. aduerſus eoſdem methodicos, qui negabant non modò ſymptomata curationem indicare, verumetiam & morborum cauſas, internas maximè. nam eas potius quàm externas latere, atque ineuidentes eſſe aſſerebant, morbos verò ac communitates, vtpote laxum, & adſtrictum, cùm euidentes ſint, vtilia atque conducibilia indicare fatebantur. non etenim ab effectis, vtputa ſymptomatis, ſed ab efficientibus, quemadmodum & ipſi profitentur, indicationes accipiendæ ſunt: affectus verò cauſarum loco methodici habent, eo quòd ſymptomatum ſunt effectiui, ſed non qua cauſæ ſunt, inquiunt, ſed qua communitates, quas Græci κοινότητας vocant, vim habent indicandi, nihilque vetare idem & pro cauſa, & pro communitate, & pro alio quopiam accipi: ipſos verò affectus indicare inquiunt, non quatenus effectus, aut aliorum effectiui, ſed quatenus communitates ſunt. Cùm verò Galenus nonnullis rationibus aduerſus eos probaſſet, quòd iuxta eorū decreta, ſymptomata conducibilia ſint in curatione, poſt nonnullas rationes quas in medium attulerat, iterum probat aduerſus eos ipſos affectus, hoc eſt, latum & adſtrictum, neque conferens indicate iiſdem rationibus, quibus ipſi methodici inutilia eſſe ſymptomata probare nitebantur, quas non paucas cùm in medium attuliſſet, tamen illud aduerſus eos probare voluit, quòd non quid agendum ſit, ſed ſuam ipſorum ſublationem, deſtructionémque indicant, quod quidem nec vulgus, nec brutæ animantes ignorant, morbos ſcilicet ſublationem, ſanitatem verò conſeruationem indicare. Atqui artifices, inquit ipſe, huiuſmodi indicatione non egent, ſed illa ſcire exoptant per quæ languores pelluntur, & ſanitas conſeruatur: propterea illis opus habent quæ particulatim remedia indicant, quibus accerſitur ſanitas, ac retinetur. per id enim artifices vulgò præcellūt, quòd ea percipiunt, quibus particulatim remedia patefiunt: quandoquidem ſi morbi ſua ipſorum remedia edocerent, laborantes ipſi per quæ ad ſanitatem redirent intelligerent. at iſtud ignorant, quid verò morbus indicet certum habēt, ſublationem ſcilicet: quare pellendi morbi cauſa medicos acciri iubent. Hac ratione concludit aduerſus methodicos Galenus affectus ipſos prima eorum

indicatione non quid agendum ſit, hoc eſt, conducibile & vtile indicare, ſed ſuam ipſorum ſublationem, ſeu deſtructionem: id quod quidem commune exiſtit nedum vulgo, verumetiam & brutis, quod ſanè aduerſus eoſdem methodicos in principio citati libr. tertij de meth. med. concluſerat. Addit & ſecundam rationem inquiens, quin & ex adhibitis auxiliis, non morbos, ſed cauſas medelam indicare agnoſcendi facultas dabitur. auxilia nanque non effectis, ſed facientibus auerſantur: comprobat illud Galen. euacuationis exemplo, quæ multitudini contraria eſt, morbo verò nulli, vt phlegmone, aut febri: atqui multitudine inquit, per euacuationem ſubtracta, ſimul & genitus per eam morbus tollitur: ſed non propterea quòd ſimul cum efficiente cauſa morbus recedit, auxilium morbo auerſari dicendum eſt. Inſuper alia quoque remedia cauſis ſemper reſiſtere inuenies, morbo verò minimè, ita vt velit per hanc rationem aduerſus methodicos concludere, quòd non ex ipſis morbis (vtputa laxo & adſtricto) tanquam communibus exiſtentibus, conducibilium indicatio præſtatur, vt ipſi aſſerebant, ſed eorum cauſis, cum eiſdem ſublatis, iidem morbi deſtruantur, & eadem remedia atque auxilia tanquam contraria cauſis, & non morbis adhibeantur, ad quarum ſublationem ipſi quoque morbi auferantur: & propterea cauſas & non morbos contraria & vtilia demonſtrare, & cõfirmans illud iterum ſubdebat: {amplius ex hoc quiſpiam didicerit, ſi neque adſtrictio, neque fluxus auxilium aliquod, ſed potius affectum quendam indicent (& adſtrictioni contrarius fluxus eſt) non inanitionem, ſed fluxum indicabit adſtrictio, & fluxus adſtrictionem.} quod igitur admittimus, non idem morbo indicatur, at lædentes cauſæ ſibi contraria demõſtrant, quódque ab ipſis indicatur admittimus: quocirca non morbi, ſed cauſæ quod cõducit, aperiunt: itaque non prorſus incommoda eſſe ſymptomata, neque à morbis conducibile, ſed à cauſis indicari ſatis amplè dilucidéque oſtenſum eſt. hoc poſtremò concludit Galenus aduerſus methodicos. Ex quibus omnibus haud ægrè quiuis percipere poterit Gale. citato libro de opt. ſect. voluiſſe aduerſus methodicos nedum iis rationibus, quas in medium attulimus, ſed aliis pleriſque ab eodem priùs explicatis, demonſtrare morborum ſymptomata non prorſus incommoda eſſe, quemadmodum ipſi fatebantur in curatione, neque à morbis modo quo ipſi intelligebant, quatenus videlicet communitates ſunt, conducibilia pro eorum ſublatione, ſed ab eorum cauſis indicari, id quod ipſi haudquaquam admittebant: quapropter nulla adeſt pugnantia cum his quæ dixit in principio 3. meth. med. neque enim negauit citato libr. ad Thraſyb. nec alibi vnquam negabit primam indicationem ab ipſis morbis ſeu affectibus eſſe ſumendam. Verùm cùm hæc communiſsima ſit, adeò quòd etiam plebi pateat, & brutis: nam nonniſi eorundem ſublationem indicat, id verò quod conducit pro eorum ſublatione, haudquaquam: propterea volebat Gale. hanc indicationem non eſſe ipſius artis medicæ adhuc portionem, aut ſanè nec magnam, nec propriam, neque ab eadem tanquam vniuerſaliſsima exiſtente quicquam vtile indicari, quemadmodum aſſerebant methodici, qui ipſa communia, indicare vtilia affirmabant, vtpote laxum, & ſtrictum, vt ſæpiùs diximus, ipſe verò communium notitiam ad ea percipienda, quæ particulatim indicare valent conducere affirmauit, & ob id ab eadem communiſsima indicatione tanquam prima exordiendum eſſe, veluti initio quodam pro inueniẽdis his, quæ particulatim remedia indicant, decretum reliquit 3. meth. med. & citato lib. de opt. ſect. communitates nihil vtile demonſtrare, ſed ex ipſis communibus ea quæ indicare valent, comprehendi affirmauit, non negans illam primam indicationem perpetuò ex morbis etiam ſumendam eſſe. Verùm ex ipſis tanquam communibus exiſtentibus nihil vtile indicari fatetur, quemadmodum methodici ſentiebant: quinimò eo modo intellectis ipſis affectibus aut morbis, nequaquam ab ipſis, ſed eorum cauſis conducibile indicari poſſe demonſtrauit, cum lædẽtes cauſæ ſibi contraria demonſtrent, ac quod conducit aperiant, & non morbi ipſi, videlicet laxum & adſtri- *Locis citatis.*

ctum: quāuis ſimul cum ipſis iidem morbi recedant. Si verò quiſpiam velit vniuerſaliter Gal. de omnibus morbis, qui efficiētes cauſas habent, feciſſe ſermonē, lib. de opt. ſect. aſſerimus hoc quoque nequaquā eius doctrinæ repugnare, cùm perpetuò verū ſit in ſingulis morbis efficiētes cauſas habētibus, cōducibilia, ac auxilia non ab ipſis quà morbi ſunt, ſed ab eorum cauſis indicari. etenim morbi ratione quà morbi ſunt, nihil particulatim vtile, neque particularia remedia indicāt, ſed eorū ſublationē dūtaxat: cauſæ verò quæ particulatim agēda ſunt, & quæ ſibi ſunt contraria perpetuò demonſtrant, ac quod conducit, aperiunt.

Morbi habētes cauſas efficiētes, quatenus morbi ſunt, non indicāt utilia, ſed eorum cauſæ.

Aëris nos ambientis, & corporis temperiei particulares ſcopos indicantes diuiſio.

Caput XXXII.

SED tempus eſt, ad ea quæ de ambiente nos aëre, ac corporis naturali tēperie declarare propoſuimus, redire, ac docere quomodo cùm vnum ſit eorum vtrunque, ex pluribus tamen tale efficiatur, qua ratione ab eiſdē plures quoque particulares ſcopi curationē indicantes oriuntur. Aer ſiquidem nos ambiens tum ex præſente cæli ſtatu, tum anni tempore, tum etiam & regionis natura, in calido, humido, ſicco & frigido mutationes ſuſcipit, vt 9. & 11. meth. med. à Galen. ſcriptū eſt: qua de re ex illorùm rurſus vnoquoque aliæ particulares inductiones oriūtur, & quamuis cæli ſtatū Gal. citato lib. 9. meth. med. vocat ambientis nos aëris tēperiem, ſub qua & anni tempus, & regio cōprehenditur, tamen cùm nos dicimus ex cæli ſtatu tanquam ex tertia cauſa aërem alterari in calido, frigido, humido, & ſicco, præſentem, ac peculiarem cæli ſtatum intelligere volumus, ſecretum ab anni tempore, & regionis natura. eſt etenim particularis cæli ſtatus, idem quòd particulare, ac præſens aëris temperamentum, vt primo de morb. vulg. liquet, ac eius præſens conſtitutio, quemadmodum in auſtrinis, ſeu aquilonijs conſtitutionibus contingit, quocunque anni tempore, ac quauis regione excitentur. pro diuerſo itaque peculiari ac præſenti aëris temperamēto, ſeu ſtatu, eidem mutationes accedunt, in iam dictis qualitatibus: ſimiliter ex anni tempore diuerſo, vtpote hyeme, vere, æſtate, vel autumno, necnon & varijs regionibus: ſiquidem ex eiſdem quoque eundem ambientē aërem variari contingit in caliditate, humiditate, frigiditate, & ſiccitate, alio nanque modo ei mutationes accedunt, vbi regio fuerit ſulphurea, alio vbi paludoſa, argilloſa, petroſa, aut arenoſa. tot itaque particulares ſcopi, à quibus etiam particulares indicationes proficiſcuntur, ab eodem ambiente nos aëre ortum ducūt, vbi idem reſpectu diuerſarū cauſarū à quibus mutationes ſuſcipit, fuerit diuiſus, omnes tamen morborū curationem indicant, medio ipſo aëre ambiente, & propterea rectiùs coindicare, quàm morborum curationem indicare dicuntur, ac ab eiſdem coindicationes potius, quàm morborum indicationes præſtari fatendum erit. Corporis verò temperies quæ illo tempore fuit, vt diximus, quo ægrotare æger cœpit, quæque ad inuenienda remedia eſt vtilis, vt ad vnguem dignoſcatur, planè difficile eſt, vt Gal. fatetur, tentandum tamen eſt, tum ex iis, quæ in libro de temperamentis ſunt ſcripta, eā inuenire, vt ipſe inquit citato libr. 9. met med. cap. 15. tū verò vltra hæc quò magis ſciētifica notitia ſit, ex ætate, tota anteacta vita, quæ nimirū in vitæ exercitio, & victus ratione cōſiſtit: præterea in hac regione, & hoc anni tēpore, & hoc cæli ſtatu, cōuerſatione, ſimiliter natura, ac cōſuetudine. etenim ex natura, ætate, cōſuetudine, & ambiente nos aëre, eadem corporis tēperies ortum habet, vt citato libr. 9. meth. med. ſcriptum eſt: quapropter ex illorum rurſus vnoquoque aliæ particulares indicationes pro morborum curatione ortum ducūt, eáque particulariter eādem curationē indicare fatebimur, corporis tamen tēperie intercedēte. illa nāque inuenta, adminiſtrādorum indicatio ſuppeditabitur: ſiquidē omnia hæc tēperamenti interuentu indicationem præſtāt, vt patet eodē 9. meth. med. etenim ſi natura gracilis, &

9. cap. 14. & 11. cap. 1.
Aëris diuiſio in præſentem cæli ſtatum.

Commen. 1. ſuper text. 1. & in proœmio.
Anni tempus.
Regionis naturam.

Tēperamēta ſingulorū perfectè dignoſci nō poſſunt.

Loco præcitato.

lis,& tangenti calidus,& bilioſus,& propenſus ad iram,& hirtus ſit,calidus hic, ſiccúſque natura eſt, non tamen neceſſe eſt nũc quoque cùm ægrotare incepit, eundem planè habere affectum: fieri enim poteſt vt in deſidia vixerit, idque cum frigidis humidiſque potione & cibis.adhæc etiam cum balneis poſt cibos, & multo ſomno: præterea in regione humida,& frigida, & hyeme in qua frigidus & humidus exuperat cæli ſtatus. Rurſus fieri poteſt vt horum præceſſerint contraria, id eſt calefacientia & exſiccantia, idque per ſingula dictorum iam generum. Ergo ſi qua ad tẽperamentum noſcendum deficimur, id ex præeuntibus ipſis ſupplebimus: ob id non ab re Gal. 11. met. med. cap. 1. tẽperiem ipſam corporis,ſeu naturam bifariam diuidi aſſerebat,in originalem,& aſcititiam: & deinceps ſubdebat: {ſæpè autem aſcita temperies ad efficientes cauſas reducta illis indicationem concedit.} ad hunc itaque modum ex ætate,vitæ inſtituto, & conſuetudine indicationem remediorum ſuggeri diximus. Cùm igitur ex his præſens corporis temperies ortum habeat, ex eiſdem quoque tanquam ex cauſis ipſius temperiei nobis indicatio præſtatur, pro inueniendis, ac adminiſtrandis remediis, ex ætate quidem, nam aliam conſtituit corporis temperiem puerilis ætas, aliam & omnino diuerſam ſenilis; aliam iuuenum, adoleſcentum, ſeu conſiſtentium. ſimiliter & propriæ naturæ diuerſitas, corporis temperaturæ notitiam affert: nam quibus ſubſtantia conſtans ſtabiliſque adeſt, & propterea difficulter diſsipatur, ægréque per halitum digeritur, id propter frigiditatem ac corporis ſiccitatem contingit, quemadmodum etiam & aliis, quæ terra conſtant, corporibus, auro inquam, argento, ferro, & aliis huiuſmodi. quibus verò laxa admodum ac mollis promptéque diſsipabilis ſubſtantia adeſt, calida,& humida temperatura exiſtit, atque hæ naturæ veluti diametro longóque interuallo à ſe diſtant, reliquæ verò omnes mediæ naturæ ſunt; interim ad alteram dictarum, quandoque ad alteram magis accedentes, qua ratione diuerſas quoque corporis temperaturas efficiunt, & demonſtrant, ſi eas ſeorſum à temperamentis conſideraueris. nam ſæpiùs Gal. naturam cum temperamento confundit, vt ſexcentis locis liquet, præſertim commento aph. 34. ſecundi, & ſecundo tertij lib. & 4. & 6. meth. med. ex tota item vita anteacta, quæ vt diximus, in vitæ exercitio & victus ratione conſiſtit: præterea & cæli ſtatu, qui in tempus anni, regionem, ac particularem aëris temperaturam diuiditur corporis oſtenditur temperatura. ex tempore nanque anni calido, & calida regione, ac peculiari aëris calida temperatura, calidum corporis proficiſcitur temperamentum: quemadmodum iiſdem frigidis exiſtentibus, frigidum, & ita de reliquis, & quo rurſum modo, ab ambiente nos aëre corporis temperaturam ortum ducere dicimus, idem quoque dicendum erit de particulari exercitio, victúſque ratione. Atqui ſi omnes temperamentorum notas in vnum colligas, hæ longiſsimè abſunt, vt parem ei quam conſuetudo præſtat fidẽ faciant, inquit Gal. citato lib. 9. meth. med. cap. 3. Et propterea maximam eſſe quæ à conſuetudine ſumitur indicationem, dicebat. 11. eiuſdem quippe, vel temperamentũ originale ipſam ſeruare, vel aſcititium inducere poteſt, tantáque profectò in omnibus quæ ad medicinã ſpectant, vim habet conſuetudo, vt ea aduentitia natura à maximis medicis fuerit appellata, vtpote quæ aſcititiam, & acquiſititiam in corporibus gignit naturam: quinimò & ipſa, natura eſt acquiſititia, quemadmodum ſcripſit Gal. lib. de his quæ in medicatrina fiunt, ſecũdo de temperamentis, & primo de ſanitate tuenda, ob id non ſicuti alia quædam exiguã, leuémque, ſed maximam, ac maximè principalem vim habere videtur, vt quæ ſingulorum corporum naturam oſtendat. non eſt igitur quod parum quiddam, atque ad ſpectãdum lene ad inuentionem remediorum conſuetudinem exiſtimemus: veluti nec ad ſanitatem tuendam, adeò quòd non modo in conualeſcentium victus ratione, ſed etiam in morbis magna pars ad totius victus, medicamentorúmque inuentionem ex cõſuetudine indicatio ſumitur: vt ſeptimo, & nono meth. med. cap. 10. Galenus ſcripſit. Verùm non modo de cõſuetudine, ſed & de ætate contrarium

Ex temperamenti diuiſione oriũtur ſcopi.

Aetas.

Naturæ diuerſitas.

4. cap. 6. & cap. 5.

Vita anteacta, quæ ex vitæ exercitatione, & victus ratione conſiſtit.

Cæli ſtatus.

Conſuetudo, quæ maximã habet vim.

Com. 3. ſuper text. 10.

Cap. 4. & 1. de ſan. tu.

Cap. 5.

Cap. 6. & 9.

Cap. 9. & 16.

Declaratur locus Gal. qui modò dictus repugnare videtur.

omnino videtur Gale.ſenſiſſe,quinto de ſanitate tuend.cap. 10. Dicebat enim: {Verùm quoniam affectuum naturam per coniecturam accipimus,idcirco ętatem quoque conſideramus,porrò eadem vtilitas,& cõſuetudinis noſcendæ eſt, pręterea extrinſecus incidentium cauſarum quas προκαταρκτικὰς græcè vocant: quippe ad certiorem affectuum notitiam,talia omnia nobis conducunt,remediorum tamen inſinuatio ex his non præſtatur:} quæ quidem Galen.dicta hoc modo conciliabis. Quòd ſcilicet verum eſt remediorum indicationem,ſeu inſinuationem,neque ex ætate,neque ex cõſuetudine præſtari, quemadmodum neque ex cauſa procatarctica, verùm eadem ad certiorem affectuum notitiam nobis cõducere,vtputa naturalis corporis temperiei,quemadmodum externæ cauſæ conferunt etiam ad certiorem notitiam ipſius præter naturam affectus cum latuerit,vt ſancitum eſt ab eodem Gale.4.meth.med.& quandoque etiam

Loco citato.

affectus ſecundum naturam,vt de aëre nos ambiente dictum eſt. At ſi dixeris quòd propterea ætas, & conſuetudo ad remediorum inuentionem conducere non debeant,dicimus nos,quòd verum eſt per ſe,ac primaria ratione, quoniam ipſa de numero ſcoporum primorum indicantium haudquaquam ſunt. Verùm quoniam maximam habent vim pro notitia corporis temperiei, quæ quidem eſt de numero primorum indicãtium,propterea ad remediorum inuentionem ipſa quoque non parum conducere profitemur,media inquam eadem corporis temperatura,tanquam cauſa eiuſdem.eadem enim inuenta,per ætatem,& conſuetudinem adminiſtrãdorum ſuppeditabitur indicatio,vt inquit Gal.citato 4.

Aetas & conſuetudo non immediatè cõferunt ad inuentionem remediorũ, ſed immediatè ad affectuum cognitionem.

meth.med.Cõferunt itaque ad remediorum inuentionem,atque eorum adminiſtrationem indicationes,quæ ex ætate,& conſuetudine ſumuntur, non immediatè & primò,quoniam hac ratione ad certiorem affectuum notitiam conducunt,vt liquet 5.de ſanit.tuen. Verùm cùm ab eiſdem certior habeatur notitia ipſius corporis temperiei, vt diximus, propterea eiuſdem temperiei interuentu, velut cauſæ dictæ temperiei (vt idem Gale.eodem 9.meth.med.teſtatur)ad curationem,ac remediorum inuentionem,indicationem præſtant,ita quòd potius coindicare, quàm indicare ea dixęris, qua de re nulla erit in Galeni dictis pugnantia de indicatione,quæ ex ætate,ac conſuetudine præſtatur.lib.verò primo artis cur.ad Glauc.cap.1.aſſerit Gal.quòd non ex horum dũtaxat differentia,ad propriam laborãtis naturam agnoſcendam proximè accedimus,verumetiam ex potentiis,coloribus,caloribus,temperaturis,habitudinibus,pulſuum motionibus,ac animi moribus differentibus,ſimiliter ſiquis adiunxerit maris à fœmina differentiam. atqui rectè dixit,proximè accedimus, ad dignoſcendam propriam laborantis naturam:nam cuiuſque priuatim naturam explorare, atque ad vnguem ſcire,planè eſt difficile,adeo quòd idẽ Gal. 3.meth.med.cap.7. de ſeipſo dicat:{ſi cuiuſque priuatim naturam explorare ad vnguem ſcirẽ,vtique qualem fuiſſe Aeſculapium mente cõcipio,talem me eſſe putarem.}aduertas tamen quòd in Gal.doctrina,quandoque natura idem ſignificat quod tem-

Natura plura ſignificat.

peramẽtum,ſecundum proprium eius ſignificatum,vt liquet cõmento aph.34. ſecundi lib.& 2.tertij libri, interim quippiam à tempetamento diuerſum, vt liquet citatis locis,& 9.& 11.meth.med.primo de morbis vul.ac primo ar.cur.ad Glau.in principio: & proprerea quandoque naturam per temperamentum, interim temperamentum per naturam,dignoſcendum eſſe,cenſet.

Diluuntur rationes eorum,qui probare nituntur ætatem,conſuetudinem,vitæ inſtitutum,ac alia quædam,curationem non indicare.

Caput XXXIII.

AT QVI non deſunt & hi quoque quorum ſtudiũ non niſi in contradicendo exiſtit, Galenum in his, quæ mox cum eo concluſimus calumniari. aiunt nanque quòd ſi verum eſt id quod libro quarto methodi medendi cap. 3. Galenus aduerſus methodicos de externa cauſa

cauſa probare nititur, quòd videlicet propterea ab ea indicatio non ſumitur, quia à nullo eorum quæ amplius non permanent, nec aliqua re egent, indicatio ſumi debeat, eadem ratione nec conſuetudo, nec viuendi conditio per morbos aliquid indicare poſſunt, quippe cùm aſſuetis per ſanitatem rebus amplius non vtamur, & ſolita vitæ munia ob vrgentem morbum omnia ſint intermiſſa. quamobrem ſi hæc ratio facit quòd ea quæ iam abierũt, & amplius non adſunt, nec vlla re opus habent, indicare nequeant, temere hæc inter indicantia enumeramus: aut ſi ea admittimus, conuincimur pariter externas morborum cauſas recipere, quippe cùm non minùs illa, quàm hæc abſint, nec magis rem aliquam deſiderent quæ huius, quàm quæ illius generis ſunt.

1. Ratio.

Refutatio.

Huic rationi reſpondendum eſt primò eos parum rectè intelligere conſuetudinis ac viuendi conditionis ſignificatum. conſuetudinem nanque Gale. nuncupat, vt priùs declarauimus aduentitiam illam ſeu acquiſitam temperiem ac naturam, quæ iam ex aſſuetis rebus in noſtris corporibus genita eſt, & non aſſuetas illas res quibus eadem corpora continuè vtebantur per ſanitatem. quare etſi aſſuetis per ſanitatem rebus amplius non vtamur, adhuc tamen in corporibus noſtris permanet aduentitia illa natura ſeu temperies, quæ per eaſdem res aſſuetas fuit genita: quomodo autem hæc generetur, Gale. docet libro de aſſuetudinibus. ab hac itaque tanquam aduentitia natura, præcepit Galen. indicationem ſumi & non à conſuetis rebus vt ipſi imaginantur.

Conſuetudo quid, ex Galeno.

Hanc quoque ſeruandam eſſe perpetuò Hippocr. & Gal. præſertim in ægris corporibus iuſſerunt ſecundo de ratio. victus. à conſuetudine enim ſemper eſt indicatio ſimilium, quoad ſcilicet, ægrotent homines inquit Galenus octauo meth. medendi, & 11. eiuſdem, etiam eam quæ omnino vitio non caret, in ægris præcipit eſſe ſeruandam.

Text. comment. 36. 8. cap. 3. & 11. cap. 5.

pariter dicendum erit de viuendi conditione ſeu vita anteacta, quoniam etſi ſolitæ vitæ munia ob vrgentem morbum ſint intermiſſa, non propterea viuendi conditio, ſeu vitæ inſtitutum conſiderari non debet, pro morborum curatione. Etenim nec exercitia quæ præceſſerunt, nec victus rationem, nec cõuerſationem in hac regione, hoc anni tempore, & hoc cæli ſtatu, quæ ſub anteacta vita continentur, Galenus conſiderari debere iuſsit, niſi quòd per ea magis ſcientificam habeamus notitiam eius corporis diſpoſitionis, ſeu temperiei, quæ ab eiſdem fuerit genita, & non vt ab eiſdem vitæ muniis, ſeu victus ratione, quæ præceſſerunt, ac diuerſi aëris conuerſatione, pro morborum curatione indicationem ſumamus, vt luce clariùs ab eodem ſcriptum eſt citato nono methodi medendi. At pone (ſemper tamen hac firma veritate exiſtente) quòd per conſuetudinem, & vitam anteactam intelligere voluiſſet Galenus ea quibus vſi fuerimus per ſanitatem, quã ratione ſibiipſis perſuaſerunt quòd aſſuetis per ſanitatem rebus amplius non vtamur: cùm Hippoc. & Galenus citato libro ſecundo de rat. victus contrarium ſentiant. nam de his, qui conſueuerunt bis, vel ſemel, ſanis exiſtentibus, cibum aſſumere, quòd idem quoque eiſdem ægrotantibus ſeruare debeamus, præceperunt? adhuc de qualitate victus verba faciens Hippocr. aphor. 16. primi libri ſeruandam quoque eſſe in hoc conſuetudinem iuſsit, & aphoriſmo 50. ſecundi libr. nonne præcepit, quòd quæ ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora ſint inſuetis, minùs moleſtare ſolent? id quod non ſolùm de exercitationibus, verumetiam de omnibus ſimpliciter conſuetis pronuntiauit, vt Galenus in commento inquit, & libro de aſſuetudinibus, dicebat, quoniam autem hæc ita habere videntur, primùm quidem illius oportet memorari, ſcilicet ferre homines delectabilibus aliis alia ſecundum naturæ familiaritatem, veniréque ad horum eſum magis, quemadmodum & bene digeſtibilium eſſe eis viſorum: auertere autem & fugere ab indelectabilibus aut à difficulter digeſtibilibus: itaque & ſignum eſt tunc aſſuetudo proprietatis naturalis. Rurſus viuendi conditionem ſeu vitæ inſtitutum aut anteactam vitam, quo loco didicerunt ſub ſolitis muniis duntaxat contineri? cùm Galenus 9. meth. med. cap. 15. nedũ in vitæ exercitio, verùm etiam in victus ratione, præ-

Loco citato.

Loco citato.

terea in hac regione, & hoc anni tempore, & hoc cæli ſtatu, conuerſatione, conſiſtere, dixerit. Quare licet eiſdem non vtamur per morbos exercitiis, poſſumus tamen eodem aëre & quodammodo ſimili victus ratione vti in qualitate, quãtitate, ac modo vſus. etenim à conſuetudine nedum indicationem ſumimus pro qualitate, & quãtitate rationis victus, verùm etiã pro modo vſus, vt liquet aph. & com. 17. primi li. permanet itaque in corpore ea natura, ac aduentitia temperies, quæ per conſuetudinem ac viuendi conditionem præcedentẽ fuit acquiſita: & propterea aliqua re eget, ſui inquã conſeruatione. Cauſa verò externa poſtquàm morbos peperit, omnino abiit, & amplius nõ adeſt, & ob id nulla re amplius opus habet, nec pro ſui conſeruatione, nec ablatione. vtimur etiam & aſſuetis quibuſdam per ſanitatem rebus, nec omnino anteacta vita ægrotantibus interdicitur, quamobrem haudquaquã temerè & conſuetudinem, & viuendi conditionẽ inter indicantia enumerauit Gal. media etenim corporis temperie conducibilia indicare poſſunt, tanquam efficientes cauſæ aſcitæ temperiei. atque ad hũc modum ab eiſdem remediorum indicationem ſuggeri 9. & 11. metho. med. decretum reliquit, cauſas verò externas haudquaquam recipere conuincimur: quoniam eædem omnino abierũt, nec amplius in corpore permanent aut aliquam rem deſiderant, vt priùs diximus, & Gale. 4. meth. med. abundè aduerſus methodicos demonſtrauit. Præterea arguunt, ſi concedit Gal. externam cauſam conferre ad affectus excitatos in corpore dignoſcendos, concedat etiam oportet ab ea indicationem capi, quomodo ab ætate, ſexu, conſuetudine, viuendi conditione, corporis habitu, aliíſque multis, indicationes ducit, nõ alia quidem ratione, quàm quòd ex illis ſigna petamus, quæ, qualis ſit corporis ſtatus oſtendere valent, quod & ipſe 9. meth. med. aperte teſtatur, conſuetudinem ſcilicet, ac ætatẽ temperamẽti interuentu, quòd nimirum monſtrent qualis ſit corporis temperies, ſuas indicationes præbere. itaque ſi cauſa externa non indicat, nec ea igitur quæ prædiximus indicabunt, à quibus tamen ille paſsim, indicationes ſumit. Huic facilè ex his quæ diximus reſponſio patere poterit. nam licet prædicta omnia conferant ad affectus dignoſcendos, quemadmodum & cauſa externa, hacque ratione conueniant, differunt tamen quòd hæc citato iam affectu non amplius permanet, nec amplius quicquam in corpore efficit, aut aliquid confert ad conſeruandum vel augendum id quod factum eſt, illa verò & permanent, & aliquid ſemper efficiunt etiã affectu ipſo genito; vt ætas, conſuetudo, & reliqua huiuſmodi, quãobrem nedum conferunt ad corporis temperiem dignoſcendam, ſed ſæpius ipſa adſcita temperies, ad eaſdem cauſas reducta vt Gal. inquit 11. met. med. illis indicationẽ concedit: & ad hunc modum ex ætate, vitæ inſtituto & cõſuetudine remediorum indicationem ſuggeri fatetur Gal. prout ex his adſcita temperies diuerſa fuerit genita: qua etiã ratione 9. eiuſdem, ætatem, & conſuetudinem temperamenti interuentu indicationem præſtare dixit, at externa cauſa cùm prorſus abeat, affectu iam genito, nec amplius quicquam efficiat pro dignotione affectus dũtaxat quandoque conducit, nec quicquam ad curationẽ, ac remediorũ inuentionem confert, etenim nunquam ad eandem cauſam reducitur corporis affectus, cùm ſedulo eò genito corrumpatur & ipſum non amplius efficiat: & propterea illi indicationem non concedit. nanque à nullo eorum quæ adhuc non permanent, indicatio ſumi poteſt eius, quod ex vſu ſit. Gale. auctore 4. meth. med. Non itaque indicat cauſa externa, reliqua verò iam dicta indicationes propterea præbere valent, tanquam cauſæ corporis ſtatus, & non vt ſigna, vt iſti credunt. Rurſus & tertiò inſtant dicentes, An non clarè 11. met. cauſam externam, perinde vt conſuetudinem & ætatem ad affectus dignotionẽ facere: & ob id ab omnibus illis indicationes accipi ſcribit, contrarium plenè quàm fecerit 4. eiuſdem operis lib. in quo externam cauſam ab indicationum numero excludit. Qua ratione probare nituntur quòd quemadmodum à conſuetudine & ætate indicationes ſumuntur, ita etiam ab externa cauſa ſumi

Margin notes: *Alia eſt ratio cauſæ externæ, & conſuetudinis, &c.* — *Locis citatis.* — *Cap. 3.* — *2. Ratio.* — *Cap. 16.* — *Refutatio.* — *Cap. 2.* — *Loco præcito.* — *Loco citato.* — *3. Ratio.* — *Cap. 13.* — *Loco citato.*

debent, Gal. verba, ac eorum ſententiam peruertentes, & prauè intelligentes. Nam Gale. citato loco volens iterum ſermonem, quem de vera curatiua methodo febrium continuarum ex putredine ortarum fecerat, repetere, quo medicorum etiam vulgus eam dignoſcere valeret, hæc ſcripſit verba, {Quoniam inquam ſeptem præter naturam poſita ſunt à quibus indicationes ſumuntur, humorum multitudo, craſsitudo, lentor, obſtructio, tranſpirationis retentio, putredo, & febris carens intermiſsione, atque hæc contraria omnino eſſe adhibenda docebant: præter hæc verò ab iis quæ ſecundum naturam ſe habebãt poſitæ indicationes ſunt ex temperamento, tum ipſius laborantis partis, tum reliquarum omnium, quæ principes ſunt ex ſubſtantiæ ipſarum quantitate, & ex ſpiritus ipſius ſubſtantiæ tum quantitate, tum qualitate: horum verò indicationes, non contrariorum erant, ſed ſimilium: ad iſta verò ſicut diximus dignoſcenda, tum ætas, tum conſuetudo, tum omnes quæ externæ morbo cauſæ fuere, contulerunt.} quo finito ac magno puncto clauſa periodo, aliam incipit, (vt in codice Græco cuilibet inſpicere licebit) inquiẽs: {ortis verò & deinceps, vel & hinc aut exinde indicationibus non paucis, in omnes ſimul medicum inſpicere oportet, quò ſcilicet intelligat, quonam primùm ac magis, quonam minùs & ſecundò, quonam adhuc tertiò, atque deinceps quo, poſt quod præſidio ſit vtendum.} quibus in verbis luce clariùs patet quòd cùm Gal. iterũ enumeraſſet & quæ præter, & quæ ſecundum naturam ſunt, à quibus ſumendæ erant indicationes pro curatione febrium ex putredine ortarum, præſertim continuarum ſimul cum eiſdem iterum in memoriam reuocauit ea, per quæ cuncta poterant faciliùs dignoſci, aſſerens: {ad iſta verò dignoſcẽda, tum ætas, tum conſuetudo, tum omnes quæ externæ morbo cauſæ fuere, contulerunt.} qua finita periodo, aliam exordiens dicebat {ortis verò & hinc indicationibus non paucis, in omnes medicum inſpicere oportet.} ſuum ſermonem non ætati, conſuetudini, ac cauſis externis referens, ſed prædictis ſeptem præter naturam exiſtentibus, & eis quæ ſecundum naturam ſe habebant, ex his nanq; ortis non paucis indicationibus, medicus omnes ſpectare debet, quò ſcilicet intelligat quonam primum, ac magis, quonam minus & ſecundo, quonam adducet tertiò atque deinceps, quo, poſt quod præſidio ſit vtendũ, & non ab ætate, conſuetudine, & cauſis externis. de his nanque hoc loco mentionem fecerat, tanquã conducentibus ad dignoſcenda ea quæ ſecundum, & præter naturã ſunt duntaxat, non tanquam curationem indicantibus, nec modum aut ordinem præſidiorum: quãuis lib. 9. eiuſdem met. & 11. paulo ante dicta verba, quomodo ex ætate & conſuetudine ſumenda ſit indicatio pro morborum curat. fuſiùs demonſtraſſet. qua de re licet citato loco externas cauſas conducere ad affectus præter naturam dignoſcendos admiſerit Gale. ac eas cum ætate & conſuetudine hac ratione connumerauerit, haudquaquam (vt iſti volunt) ſcripſit: {& ob id ab omnibus illis indicationes accipi.} cùm neque hæc verba ab eodem conſcripta reperiantur, neque illud eodem in loco cõcludere intendat, vt ex eiuſdem loci inſpectione, verborũmque eiuſdem ponderatione, ac eorundem ſententiæ intelligentia, cuiuis, parum etiam in eius doctrina exercitato, patere poterit, habet enim Græcus codex προηγουμένων δὲ κατ' τοῦτον ἐνδείξεων οὐκ ὀλίγων, εἰς ἁπάσας χρὴ βλέπειν ἅμα τὸν ἰατρόν: hoc eſt, {ortis verò & hinc ſeu deinceps indicationibus non paucis, in omnes oportet inſpicere ſimul medicum.} quamuis ergo externæ cauſæ ad dignoſcendos morbos cõferãt, non propterea ab eis indicationes accipi debent pro eorundem curatione, quemadmodum ab ætate & conſuetudine ſumuntur: nec illud hoc in loco aut alibi vnquam faſſus eſt Gale. poſtquàm ab indicantium numero 4. meth. eas excluſit. Quomodo autem eius ſententia, quam de eiſdẽ protulit lib. 5. de ſan. tu. ſubintelligi debeat, nos in præcedentibus declarauimus: ac qualiter conſuetudo, & ætas coindicare poſsint, cauſæ verò externę haudquaquã, abundè cum eodẽ Gal. demõſtrauimus: neque enim eandem vim habent (quemadmodum his viſum eſt)

Refutatio ex Gale. cõtextu declarato quẽ aduerſarij peruertunt.

Loc. citatis.

Loco citato.

Loco citato.

vt priùs oſtendimus. Nec quicquam obſtat quòd interdum indicare, interdum coindicare dixerit ætatem & conſuetudinem: nam de nominibus parum ſollicitus quandoq; non ſolum indicationes & coindicationes, quinimò & indicationes & contraindicationes pro nominum diuerſitate parum, aut nihil conferre fatetur, deſpiciens eos qui de nominibus litigant, eſt etenim id planè in arte inutile, & propterea dicebat, minimè vetare nominibus quibus libitū ſit, vti: vt liquet 9.meth.med.c.7. modo rei natura nō mutetur. ſæpe verò exquiſitiùs voces obſeruans, coindicationes, ab indicationibus: & coindicantia ab indican-
cap.16. tibus, ſeparat, vt 13. eiuſdem operis ſcripſit, inquit enim: {coindicantia igitur voco virtutem, naturam, ætatem, anni tempus, regionem, & conſuetudinē, et ſi qua ſunt id genus alia.} nō modo diuerſa nomina perpendens, ſed diuerſa eorundem ſignificata, ac diuerſam quam habent naturam. Quapropter toto (vt aiunt) cælo errarunt, dum temerè aſſeruerunt, Gal. ſuiſmet principiis repugnare, ſéque in eoſdem errores labi, & eiſdemmet telis perfodi, quibus aliorū famā & gloriam labefactare tantopere laborauit, cùm ſtata principia ſemper ſeruet, nec vnquam in aliquem errorem lapſus ſit, in his quæ de medicina ſcripſit, aut quempiam non ſine forti ratione proſequutus eſt, aut reprehendit: idque vt veritatem tueatur duntaxat: & non ſtudio cōtradicendi, aut vt noua dogmata introducat, quemadmodum iſti conantur. Quæ verò in medium afferunt de tempore aduerſus eundem Gale. cuius momenti ſint, ſuo loco patebit.

Num à viribus ſumenda ſit indicatio pro morborū curatione. Cap. XXXIIII.

SI quis velit exactè ſcire num à viribus indicatio pro morborum curatione ſumatur, haudquaquam ignorare debet quid per vires intelligendum ſit: quamobrem id primò declarandum fore cenſui. Quod ergo tres diuerſi inter ſe generis facultates, animal gubernant pleriſque in locis Galenus demonſtrauit, præſertim 5. & 6. de Hippocratis & Platonis decretis, quódque has facultates interim animæ partes, interim ſpecies nominauerit, quæ non ſedibus tantum corporis, verùm etiam ſubſtantiis naturíſque, item quòd facultatibus & functionibus differant, Platonis auctoritate eodem etiam libro fuſiſsimè oſtendit: hæ inquam facultates quas Plato animas vocat, animal gubernent toti corpori ex ſuo veluti fonte quæque diſtributa, vt ſexcentis in locis & præſertim 9.meth.med.cap.10. Galenus aſſeruit, eſt enim earum quædam ad nutriendum animal neceſſaria, ac cum ſtirpibus communis, quæ iecur veluti pro fonte habet, canales verò ab hoc in totum ſparſos, ipſas venas: hāc ſeu appetitricem, ſeu naturalem, ſeu altricem voces, nihil intereſt, veluti nec ſi animam, aut facultatem. Altera eſt quæ non modo vt ſtirpibus, aut vita præditis, ſed etiam vt animalibus anima eſt inſita, hæc ſedem in corde habet ipſo quoque inſiti caloris quodam ceu fonte, à quo canales arteriæ ſunt: vocatúrque hæc multis ſanè nominibus, nam & facultas, ſiue virtus vitalis, & facultas, ſiue virtus animoſa, & anima animoſa dicitur. Tertia anima ratiocinatrix in cerebro domicilium habet, & voluntariis actionibus vnà cum ſenſibus præſidet, vtitur & hæc particulis quibuſdam ceu canalibus, nempe ipſis neruis, ſenſum, motúmque per hos in totum animal tranſmittens. Hæ tres animæ ſeu facultates, licet diuerſa ratione vt ex iam dictis patet, corpus gubernent, quælibet tamen earum propter vnum & eundem finem eſt, qui finis eſt animalium vita: & propterea Galenus citato nono methodi medendi dicebat, {ergo has facultates ſeruare, nil planè eſt aliud quàm vitam ſeruare} nec ipſum animal eſſet vnum, ſed triplex, vbi vnum non intenderent hæ tres animæ finem, nec ſemper vna alterius indigeret ope: nunc verò cùm vna facultas reliquis ſemper indigeat, factum eſt, & quòd vnum ſit animal, & quòd quælibet earum amiſſa, neceſſe ſit & reliquas vnà perire, vt quinto de locis affectis, & alibi ſæpiùs Galenus

Tres facultates animalium gubernatrices.
cap.4. & 2.
Naturalis.
Vitalis.
Animalis.
Loco pracit.

lenus demonſtrauit. etenim confluxio vna, conſpiratio vna, conſententia omnia, vt diuinus inquit Hippocra. libro de alimento. Præterea vnam naturam eſſe & non eſſe: & paulo ante, vna natura ſunt hæc omnia, & non vna, dixerat cuius Hippocratis ſententiæ haud immemor Galenus commento aphoriſmi decimiſexti, 2. libri, aſſerebat nihil referre ſi quæ regit animalia vnam dixeris numero ſingulari eſſe facultatem, virtutem, ſeu potentiam, ſiue plurali facultates, virtutes, ſeu potentias: ſiquidem vna eſt genere facultas, ſeu virtus, ſpecies autem plures habet: ita vna anima genere exiſtit, ſpecie plures. Id itaque per vires intelligere oportet cùm dicimus, num à viribus indicatio ſumatur: quod ſole clarius Galenus manifeſtauit citato nono metho. meden. cap. 9. & vndecimo eiuſdem his verbis confirmauit. {neque enim pulſus duntaxat vires ad eiuſmodi agenda, firmas requirimus, veluti nec eius facultatis quæ voluntarium motum præſtat, ſed (vt dictum eſt) ipſius potius concoctricis} quarum ſubſtantia ſeu eſſentia, tum ex ſpiritu, tum ex carnoſa ſpecie, tum ſolidis ipſis earundem partium in quibus reſident, completur; in horúmque temperamento conſiſtit, vt 11. & 12. meth. med. cap. 5. ſcriptum eſt. Nihil itaq; refert ſi vires aut virtutem indicare dixerimus, poſtquàm id quod diximus, per vires intelligere oportet. Quòd verò ſic intellectis viribus, ipſæ indicent, nemini in dubium venit: ſimiliter quòd ſuapte natura ſemper vnum indicent, nam quicquid pro natura ſua indicat, id vnum ſemper indicabit, ceu quòd vnam habeat naturam, vt patet eodem 9. metho. med. id verò vnum quod ſemper habēt vires indicare, eſt earum cuſtodia, vt citatis 9. & 11. metho. med. liquet. Verùm non vna tantùm ratione ſeruantur, nempe potiſsima ratione, ex eo quod de ſubſtantia earum, vel inanitum, vel alteratum eſt corrigendo, ſecũdo loco ex prohibendis iis quæ ipſarum ſubſtantiam vacuare alterareve poſſunt, ipſas ſeruamus: comprehenſa verò inter ea quæ alterant, breuitatis cauſa ſint, & quæ earum vnitatem diſtrahunt. Hæc itaque ſunt, quæ perpetuò vires indicant vt Galenus eodem 9. metho. inquit. Si quis autem quæreret propter quid vires ſemper ſeruandæ ſint: aut ſui cuſtodiam indicent, dicimus quòd non propter aliud quàm propter vitæ cuſtodiam, nam has facultates ſeu vires ſeruare, nil aliud eſt, quàm vitã ſeruare vt diximus, idque non ab re. nam ipſum viuere nobis, ex harum cuſtodia conſtat, vtpote cùm vitam aut ipſas eſſe vires, aut earum actiones ſit neceſſarium, vt ibidem ſcriptum eſt. Cùm itaque perpetuò ex earum natura vires ſui cuſtodiam indicent, propterea in dubium venit, num vires curationem indicare valeant? cui dubitationi abundè ſatisfacere viſus eſt Gale. eodem lib. metho. med. præſertim 9. & 11. ob id cum eodem aſſerimus vires ipſas non connumerari inter primos curatorios ſcopos, neque eius indicationem ex numero curatricium indicatiónum eſſe, vtpote quòd ipſæ curationem primùm non doceant, nam neque vt valeamus, neque vt à morbis liberemur ab eis quicquam primũ deſumimus, ſed vt viuamus: quapropter virtutis indicatio ex vitalium ſeu quæ ad vitæ cuſtodiam pertinent numero, exiſtit, & non curatricium: additum verò eſt in ſermone {primùm} quoniam ex accidenti aliquando virtutis roboratio, ad affectus curationem conducit, vt citato 9. meth. cap. 13. ſcriptum eſt, illúdque docuit Galenus lib. 11. cap. 9. eiuſdem operis. {nam virtus inquit, morbo ceu aduerſatrix eſt oppoſita, propoſitúmque medico eſt huic omni ratione opitulari, ac ſubuenire. } & deinceps poſt multa dicebat: {ſanè ſcire licet difficile eſſe, acrique iudicio indigens febrem, putredinem & effectricem cauſam (vbi ſcilicet & ipſa quoque adeſt) inter ſe conferre: difficilius tamen eſt ſi vires quoque cum illis vnà conferre velis, quod vtique, ſicut ante comprehenſum eſt, propter ipſius vitæ reſpectum ſemper eſt neceſſarium: aliquando verò & ex accidenti ſicut ad morborum ſanationem hoc verè me oſtenſurum promiſi (id autem libro nono promiſerat declarare) oſtendítque illud in his quæ in corporibus noſtris putreſcunt, etenim ea ſanare poſſunt tum quæ alterare, tum quæ concoquere ac vtile reddere

cap. 1.

Vna natura & non vna.

Vires quid.

Quibus vires ſeruantur.

Loco citato. Vires ſeruantur vitæ cuſtodiæ cauſa.

Dubitatio, cui mox reſpõdet ex Gal. cap. 7. & 3. Vires ex quorũ ſcoporum numero ſint.

Vires per accidẽs ad affe. curationẽ confert.

dere valent: quicquid videlicet putreſcentium, veluti ſemiputreſcens & ſemimalum eſt, vtique facultatem eius qua naturaliter concoquit excitans, firmánſque.} his in verbis clarè docuit ex accidente quãdoque virtutis roborationem conferre ad affectus curationem: ea nanque roborata eſt, quæ concoquere ac vtile reddere valet quicquid ſemimalum, aut ſemiputreſcens eſt, & per conſequens ſanare: id etiam paucis quibuſdam interpoſitis eodem loco confirmauit, dicens, {hoc verò tempore etiam vires roborare, quo putrediné ſuperantes ſuccos concoquant, ſtudebimus.} Verùm non propterea quòd curationem primùm non doceant vires, aſſerendum erit ad curationem non eſſe neceſſarias, & nihil planè ad eam conferre, ceu nonnullis, etiam ante Galen. tempora, viſum eſt: logica potiùs ac ſophiſtarum (vt ipſe inquit) & nõ operum artis propria diſceptatione vtentibus: quos etiam ſectati ſunt quidam iuniores noſtri temporis: ſed cum eodem Gale. proculdubio aſſerimus eaſdem vires ſemper ad curationem eſſe neceſſarias, cùm & ipſæ conferant ad auxiliorum inuentiones: & quicquid confert ad auxiliorum inuentiones, quomodolibet conducere videatur, id fatendum eſt ad curationem eſſe neceſſarium, inquit Galen. citato 9. metho. meden. Sed non ab re quiſpiam interrogabit, ſi virtus non eſt ex numero curatricium ſcoporũ præcipuè, neq; primò curationem docet, vt ſexcenties citatis locis apud Gale. liquet, qui fieri poſsit quòd ſemper ſit ad curationẽ neceſſaria, ac quòd conferat ad auxiliorum inuentiones? Atqui nos ſumpta priùs pro hypotheſi Gal. ſentẽtia, quã 12. met. med. cap. 1. ſcriptam tradidit, quæ talis eſt: {crudelis hominis officium facit, qui vnà cum morbo vitam quoque homini aufert:} facilè reſpondebimus. nam neque valere, neque à morbis liberari quærimus, niſi vt viuamus, & propterea idem Gale. citato 9. meth. med. cap. 10. vnum eſſe cõmune propoſitum, tum operis de ſanitate tuen. tum etiam eius, quod eſt de meth. med. aſſerit, nempe ipſius vitæ cuſtodiã: quæ nimirũ in opere de ſanitate tuen. ſanitatis cuſtodiam ſequebatur: quod enim ſecundæ valetudinis tuendæ gratia geritur, idem ſtatim & vitam tuetur. At in opere de meth. med. aliter ſe habet, propterea quòd quæ affectiones præter naturam in nobis diſcutiunt, non omnino vitam cuſtodiant, quippe aliqua eiuſmodi prædita ſunt facultate, vt ſi immoderatè, aut intempeſtiue vtatur, vitam adimant, & eodem lib. illud idem confirmauit, cùm dixit: {in valentibus (vt dictum eſt) conſenſus agendorum omnium ad virium perẽnitatem eſt, in ægrotantibus autem non ſemper:} hanc ob rem audacter cum eode Gale. aſſerimus vires in ægris à medico ſemper conſideratu neceſſarias eſſe, quamuis non pari neceſsitate vt dicemus, eáſque conducere ad auxiliorum inuentiones, ac ad morborum curationẽ, etenim non ſemper ab his quæ morbos diſcutiunt, ipſas cuſtodiri eſt neceſſarium, quinimò à quibuſdam earum ſubſtantia vacuatur alteratúrve, à quibuſdam verò omnino eædem corrũpũtur, vtpote quòd vitam adimant: propterea eis vtendum eſſe præcipiunt vires, quibus etſi morbus tollatur, ipſæ cuſtodiantur, eáq; vitare medicum docent, quæ ſimul cum morbo vitam adimunt, aut valde eorum ſubſtantiam alterant atque diſsipãt, idque non propter aliud perpetuò indicabunt, niſi pro earum cuſtodia, & non pro morborum curatione, etenim nunquam ad affectum amouendum quicquam indicabunt. Hac itaque ratione vires indicant, ac ad curationem ſunt neceſſariæ; & conferunt ad auxiliorum inuentiones. Sed dices, igitur vires non ſemper vnum indicabunt, vt diximus, ſed plura, id quod falſum eſſe, ac cõtra Gale. videtur, niſi eſſet quòd non alia ratione ad curationẽ ſunt neceſſariæ & conducunt ad auxiliorũ inuentiones, quàm vt ipſæ cuſtodiantur, & propterea quicquid indicant, eſt pro earũ tutela, ſeu cuſtodia, non enim vt diximus, vna duntaxat ratione ſeruantur, vtpote quia id quod de ſubſtantia earũ vel inanitum, vel alteratũ eſt corrigatur, verùm etiam ex prohibendis iis quæ ipſarũ ſubſtantiã vacuare, alteraréve poſſunt: vt ſæpiùs citato 9. meth. med. cap. 10. à Gal. ſcriptum eſt. Cùm itaq; vires ea admittãt auxilia pro curandis morbis, quæ earum ſubſt

Loco citato.

Dubitatio, cui mox reſpondetur.

Alius ſcrupulus, quẽ ſtatim tollit.

ſubſtantiam haudquaquam euacuare aut alterare valent, prohibeántque ea quæ contrarium poſſunt, propterea ad auxiliorum inuentiones conferunt, ídque vt diximus, non propter aliud indicabunt, quàm pro earum cuſtodia, & non vt à morbis liberemur, nam vt dictum eſt, neque vt valeamus, neque vt à morbis liberemur, ab eis quicquam deſumimus, ſed vt viuamus: & propterea non plures, ſed vna ſemper eſt, quæ à viribus præſtatur conferentis: perperuò enim quicquid pro natura earum indicant, eſt propter ipſarum cuſtodiam, & vt viuamus: quinimò tantæ eſt potentiæ & dignitatis, ea quæ à viribus ſumitur indicatio, quòd licet non ſit ex numero curatricium indicationum, neque primùm curationem doceat, tamen ea omnibus aliis præferẽda eſt, atque prima omnium indicatio exiſtit, cunctæque aliæ quæ pro morborum curatione ſumuntur à quouis ſcopo indicante ei cedunt: propterea quòd vita ipſa nil eſſe priùs in animantis corpore poteſt, nam nec ſanos eſſe citra vitam licet: & ob id virtus omnium prima hominibus eſt cuſtodienda, ſeruabitur autem in ægris præſertim, vt ſæpius diximus, ſi nec eius ſubſtantia inaniatur, nec tanta alteratione alteretur, vt ea corruptioni ſit propinqua: atque huius cuſtodiæ pars eſt, vt idem Gal. teſtatur, vbi vel temperiem ipſam præſentem ſeruamus, vel abſentem inducimus. Quicquid igitur indicationi, quam vires præbent aduerſatur, id ſecundi eſt loci, ac poſterioris iis quæ illæ præcipiunt, quæ verò cũ his quæ viribus conducunt in idem competunt, hæc citra controuerſiam ſunt facienda, quæ verò aduerſantur, aliquando prorſus non ſunt adminiſtranda; aliquando verò paulatim, ſeu modicè, quapropter licet vires pro morborum curatione ſint conſideratu neceſſariæ, ac conferant ad auxiliorum inuentiones modo quo declarauimus (quoniam quemadmodum ab affectu ad materias præſidiorum peruenimus, eodem modo à ſingulis primorum generũ reliquorum deſcendendum ad eas eſt, vt 11. meth. med. cap. 3. liquet) tamen nõ ſemper par eſt earum neceſsitas, etenim ſæpe maximè neceſſariæ ſunt ſic, vt quæ circa ægrum adminiſtrantur, iam ferme eius vnius cauſa fiant, vbi videlicet admodum imbecillæ fuerint, aliquando mediocriter neceſſariæ, ſic vt aliquid ex his quoq; ad ea quæ facienda ſunt conſilij petatur, non tamen præcipua faciendorum ratio huc omnis referatur vbi ſcilicet mediocriter imbecillæ ſint, & morbus magnus vel diutinus, interim verò parum neceſſariæ ſunt, ita vt adeò exiguum ad inuenienda remedia conferant, vt propter exilitatem etiam lateant, aliàs verò prætermittantur, quaſi prorſus ex vtiliter conſiderandis non ſint, quẽadmodum accidit in diariis febribus, in quibus neq; vllam egregiam prouidentiam requirunt, vtpote quæ omnino validæ ſint, veluti eodem lib. meth. med. ſcriptum eſt, & 10. eiuſdem operis, ſic ſcriptũ reliquit. {Quod verò ex viribus conſilij petatur, vt in diariis ſanè eſt exiguum, ita in iis quæ pluribus diebus vrgent, ſatis magni eſt momenti, eóque maioris, quo hæ ſunt longiores.} 11. cap. 5. cap. 1.

Reſponſio ad obiectiones eorum, qui vires ad morborum curationem nihil indicare, probare conantur. *Caput* XXXV.

SVMPTA eſt occaſio inconſideratis quibuſdam & temerariis medicis, virtutẽ in morbis prætermittere, ceu nuſquã quicquam indicet: inquit Gal. 9. meth. med. cap. 10. propterea quòd ſæpe ex vacuatione eadẽ nihil lædatur. quam opinionẽ ſectati iuniores quidã medici, hac prima ratione credunt probare vires ad curationem non eſſe neceſſarias. Si vna eſt inquiunt, quæ à viribus ſemper præſtatur indicatio, vtpote quòd vnam habeant naturam: ergo vnam rem ſemper indicabunt, quemadmodum reliqua, quæ ſunt ſecundum naturam, id verò eſt ſui cuſtodia, quare nec curationem, aut remedia, vel illorum quantitatem vnquam indicabunt, ſi modo idem ſui ſublationẽ, & conſeruationem ſimul ex postulare nequit. Quæ ſanè ratio haud ægrè diluitur, ſi quæ in præcedentibus

1. Ratio aſſerentium vires ad curationẽ nihil cõferre.

Dilutio.

reru

retulimus in memoriam reuocabimus, etenim vires perpetuò ſui cuſtodiam indicant, nec quicquam ad affectum amouendum vnquam indicabunt. cùm ex numero curatricium ſcoporum non ſint, ſed alterius cuiuſdam rei cauſa, in morbis ſemper ſpectādæ ſunt, vt priùs dictum eſt: & propterea nec curationem, aut remedia, vel illorum quantitatem per ſe & primò indicabunt, ſed perpetuò quæ ab eis ſumitur indicatio, pro earū cuſtodia exiſtit, & vt viuamus duntaxat. Conferunt autem & ipſæ ad remediorum inuentiones, & proptereà à medico in ægris conſideratu ſunt neceſſariæ, non pro morborum curatione, ſed pro earum conſeruatione & vitæ cuſtodia, modo quo ſuperiùs declarauimus: & ob id eædem non ſui ſublationem, & conſeruationem ſimul expoſtulant, ſed conſeruationem duntaxat, nam quamuis in iis qui valent ſemper vita comitetur ea quæ ſanitatis gratia adminiſtrantur, nec eſt quicquam inuenire quod ſanitatem tueatur, quòd idem vires corrumpat, in ægrotantibus tamen aliquando ſuccedit, quòd veluti in perniciem earū adminiſtrantur quæ morbos diſcutiunt, aliquando ab ipſis ſoluuntur, vt Galenus inquit.

Vires & ſi cōtrario modo indicent, non propterea ad curationē non conferunt.

Nec inconuenit eaſdem vires eo quòd contrario modo indicent, propterea conducere ad remediorum inuentiones: nam quomodolibet conducere videantur ad curationem ſemper ſunt neceſſariæ, licet nec curationem, nec remedia pro ſeipſis, aut morborum ſublatione vnquam indicent: & propterea licet cōtrario modo indicare admittamus, hácque ratione conferant ad auxiliorum inuentiones, ac neceſſariæ ſint ad curationem, non ob id contraindicantia, cum indicantibus confunduntur, cùm nunquam compertum ſit in Gale. doctrina vires curationem, aut remedia indicare, ſed vel cōtrario modo eadem indicare, vel prohibere: vt liquet primo de ratione victus in morbis acutis, & ſi quandoque

Super tex. 45

remediorum quantitatem metiuntur, pro earum etiam conſeruatione, & vitæ cuſtodia, & non pro morborum curatione id docere videntur, vt ſæpius dictū eſt, tantum remediorum quantitatem contrario modo indicantes (hoc eſt admittentes) quanta eaſdem vires nec immodicè alterare, aut earundem ſubſtantiam vacuare valeat, adeo vt corruptioni ſint propinquæ, maiorem verò eadē ratione prohibentes, propter earum ſcilicet cuſtodiam, pro qua contrarium quodammodo indicant.

2. Eorundem ratio.

Adhæc arguunt, quo pacto quantitatem remediorum vires indicabunt, ſi curationem indicare nequeunt? nihil enim materiam quæ vni actioni ſeruit inſinuare poteſt, quin ipſam etiam actionem oſtendat: ſiquidem abſurdum fuerit quippiam remedium curatiuum requirere, ipſam autem curationem minimè.

Refutatio.

Logica profectò ac ſophiſtica ratio, quæ ex ſemetipſa ruit, ſi eorum quæ diximus non fueris immemor, nam ſæpiùs dictum eſt, vires ipſas, quemadmodum nec curationem, ita quoque nec remedium curatiuum, nec quantitatem remediorum requirere, aut indicare vnquam, quamuis ad curationem ſint neceſſariæ, & conferant ad remediorum inuentiones, alterius cuiuſdam rei gratia, hoc eſt propter ſui cuſtodiam, aut vt viuamus. quòd ſi interim remediorum quantitatem metiātur, vtpote quòd affectus, quò ſanetur, multa vacuatione indigeat, reſoluuntur autem ex tanta vacuatione vires: quoniam hæc vacuatio non modo homini non prodeſſet: ſed maximum illi afferret periculum, propterea dicimus à viribus hanc vacuationis quantitatem metiri, non quod ipſæ exigant, ac indicent talem remedij quantitatem, neque hoc curatiuum remedium, vt iſti imaginantur, verùm quia tantam remediorum quantitatem admittunt, & propterea non eadem exigere, & indicare aſſerimus, cùm id proprium ſit affectus præter naturam, ſed contrario

Vires quando cōtrario modo indicant.

modo indicare; quod idem eſt quòd non prohibere, vt liquet libro de curandi ratione per venæ ſectionem, cap. 13. neq; etiā contrario modo remedia, aut eorum quantitatē indicant, pro ſublatione affectuum præter naturā, vt toties dictum eſt, ſed perpetuò pro earum tutela, vitæq; cuſtodia, etenim cùm tanta remediorum quantitate poteſt vita cuſtodiri, virium ſubſtantia haudquaquam

Quando ni-

vacuata, aut immodicè alterata. Interim autem contingit quòd vires quemli-

bet

bet remediorum vſum impediant,etiamſi morbus non remedia duntaxar, ſed magna exigat,vbi videlicet eædem extremè imbecillæ ſint, & affectus quò expugnetur, notabilem vacuationem deſideret, ortis vtique contrariis inter ſe indicationibus,cùm vires refectionem affectus vacuationem deſideret. quare vires duntaxat reficere oportet, cùm omnium prima ſit indicatio quæ à viribus ſumitur,vt ſupra concluſimus;& toto eo tempore,quo vires reficimus, eorum quæ affectum ſanant, nihil planè ægrotanti exhibebimus, quo caſu vires non contraindicare,ſed prohibere remedia omnino, tanquam contrarium indicantes, quàm morbus, ſeu præter naturam affectus exigit,aſſerimus: illæ ſiquidem adiectionem ſeu refectionem indicantes,hic vacuationem deſiderans, quæ ſibi aduerſantur: & propterea in ſimilibus corporibus aduerſas inter ſe eſſe faciendorum indicationes, dicimus. Habes itaque qualiter nec curationem,nec remedia, neque eorum quantitatem vires indicant, neque remedium aliquod curatiuum requirunt,ſed eadem vel contrario modo indicăt,aut prohibent, contrarium omnino indicantes, quemadmodum à Galeno primo de rat. victus decretum eſt, & eodem 9. metho. med. circa finem commemorans multos ſcopos quos medicus in ſanguinis detractione ſpectare debet, dicebat, {ſanè erunt in hac quoque detractione multi ſcopi à medico ſpectandi, natura ab initio,conſuetudo,ætas,locus habitationis, anni tempus, cœli ſtatus: adhæc ægritudinalis,quem curamus,affectus,aliáque ratione ante hunc, laborătis vires, } dixit alia ratione, quia non vt curationem indicantes,ſeu venæ ſectionem,ſicut cęteri ſcopi,quos dinumerauerat,ſed modo quo diximus. Inquit etiam ante hunc videlicet affectum præter naturam, quoniam quæ à viribus indicatio ſumitur,prior eſt ea,quæ accipitur ab effectu præter naturam,quemadmodum ipſe eodem libro, paulo ante demonſtrauerat. Ex quibus etiam facilè ſedari poterit ea contradictio, quam hi viri nituntur Galeno imponere: aiunt nanque quòd libro de optima ſecta, contra methodicos idem Galenus conatur probare vires nullum remedium indicare: demum aliis in locis, eas poſtea vacuationem,& quantitatem aliorum remediorum indicare, nuſquam non ſtatuit: qui profectò methodici reprehendendi non eſſent, ſi indicantium nomine,contraindicantia complecti potuiſſent, ſiquidem omnibus notum eſt, vires aut prorſus remedia impedire, vt venæ ſectionem,& purgationem, aut certè illorum quantitatem moderari. Sed dicant quęſo,quibus in locis in Gale. doctrina compertum eſt,vires vacuationem,& aliorum remediorum quantitatem indicare? cùm nullibi illud aſſeruiſſe videatur, licet ad curationem eſſe neceſſarias, conducereque ad remediorum inuentiones, eas vbique admittat, quemadmodum nos paulo ante demonſtrauimus. Quòd verò libro de optima ſecta demonſtrauerit fuſiſsimè ex ipſis nullum remedium indicari, cuique ſatis manifeſtum eſſe arbitror, nam ſi conſtans vis remedium indicat,in ſanis quoque quoniam conſtat,remedium indicabit. at in ſanis remedium non indicat. ergo neque etiam in ægris, modum ſeruans facultas indicabit remedium, inquit, idem Galenus, & deinde ſubdit: quamobrem ſi vbi facultas ſeu virtus indicare deberet auxilium non admittimus, ideò iam in cōfeſſo eſt nihil opem ferens à virtute demonſtrari. opus eſt enim propoſitum demonſtrare præſentia, ſed quod requiritur prohibere ne accipiatur, vt ſuprà poſui, virtus valet: remedij verò propoſitum nequaquam eſt. Non igitur ſibiipſi contradicit Gal. ſed vbique locorum illud idē fateri videtur, quòd videlicet vires nec curationem nec remedium indicent: nec indicantium nomine, contraindicantia complectitur,imò aliud eſſe quod contrarium indicat,ſeu id quod contrario modo indicat, ab eo quod verè indicat, ſemper fatetur, vbi eorundem naturam, ac vim conſiderat: & propterea vires interim contrario modo remedia,aut eorū quantitatem indicare, interim verò prohibere, eo quòd contrarium indicent, quàm id quod affectus præter naturam exigunt: nuſquam autem eadem indicare profitetur, quemadmodum methodici putabant, volebant enim vires eſ-

res remediorum uſum impediunt.

Loco citato.

Galen. falsò imponitur quod dixerit vires nullum remedium indicare, & uacuationē, & remediorum quantitatem indicare.

Cap. 42.

ſe propoſita, & indicantia, & propterea indicare, & requirere remedia, & non contraindicare, vt Gale. ſentit. Et cùm inquiunt quòd nemo ex contraindicantium natura inueniet vnquam id quod agere oporteat, ſed quod ab indicantibus iam eſt inuentum, prohiberi ab illis, vel certè moderari intelliget, nam quis virium natura percepta concipiet vnquam vacuatione aut alio remedio opus eſſe? Dicimus nos eos parum rectè intelligere contraindicantium naturam, modo quo Galenus ſubintelligit, & nos priùs demonſtrauimus, cùm eadem non ſit prohibere ea quæ ab indicantibus inuenta ſunt, verùm aut eadem contrario modo indicare (id quod eſt admittere & non prohibere) aut prohibere eo quòd contrarium indicent, & hoc vel omnino, vel quodam modo, quod metiri, ſeu moderari dicimus. Inuenitur ergo ſæpiùs ex contraindicantium natura, id quod agere oportet, vtpote cùm morbus magnus fuerit & vires valeant, inuenitur venæ ſectionem fieri debere, ab ipſis etiam viribus, contrario modo illam indicantibus, etenim vbi robuſtæ fuerint, eam admittunt, ac minimè prohibent, cùm ab eadem haudquaquam lædantur. ſimiliter vbi nõ admodum, ſed parum imbecillæ fuerint, eadem venæ ſectio, ab eiſdem viribus ſumpta iudicatione, moderatur: etenim à copioſiore læderentur, quoniam contrarium quodammodo indicant. vbi verò extremè imbecillæ fuerint, eandem non admittunt, ſed prohibent omnino, propterea quòd contrarium omnino indicant vires ipſæ quàm præter naturam affectus: hic nanque vacuationem, illæ verò adiectionem, & refectionem. Hac itaque ratione virium natura percepta, licet nec curationem nec remedia indicent, dicimus tamen ad curationem eas eſſe neceſſarias, conduceréque ad remediorum inuentiones, non ſiquidem pro morborum ſublatione, ſed pro ipſarum cuſtodia. Nec obſtat quòd idem Gale. virtutem inter coindicantia, quæ συνενδεικνύμενα appellat libro 13. metho. medend. cap. 16. connumerauerit. nominãtur enim talia ab eo, quæ non primò, vt aiunt, & per ſe, ſed ſecundariò & per accidens indicant. concluſerat nanque 9. eiuſdem operis libri, virtutem per ſe & primò non contineri inter curatoribs ſcopos, vtpote quæ primam curationem doceat, at quicquam indicet ad amouendum præter naturam affectum; verùm ex accidente quandoque ad affectus curationem conducere aſſeruit, qua ratione inter coindicantia curationem non ab re citato loco dinumerauit, ab indicantium numero eandem & reliqua ibi commemorata ſeiungens, tanquam non primo & per ſe, ſed ſecundo loco & per accidens, curationem coindicantia.

3. Ratio, quæ refellitur ex contraindicãtium natura malè intellecta ab aduerſarijs.

Contraindicantia aliquã do quid agendum ſit indicãt, aliquando id moderãtur, aliquando cõtrarium indicant.

Scrupulus tollitur.

In quot, quibúſve generibus præſidiorum materiæ contineantur.

Caput XXXVI.

QVONIAM nõ ſolùm ab affectu ad materias præſidiorum peruenimus, verùm etiam à ſingulis primorum generum ad eas deſcendendum, vt inquit Gal. 11. meth. med. cap. 1. ob id nos, deducta indicatione quæ ab affectu quem curare paramus, ſumitur, hoc eſt ab ipſa febre, in particulares indicationes, quæ materias methodo inueniebant. (etenim eius principium eſt id, in quo finita eſt curandi affectus diuiſio) reliqua quoque prima genera, quæ quomodolibet ad hoc conducere videntur, cõmemorare oportuit; ac in particulares indicationes deducere, quoad peruenerimus ad eas quæ ſectionem non admittunt, & quoniam vires ad eaſdem etiam remediorum inuentiones conducere videntur, & conſideratu ad curationem ſunt neceſſariæ, licet non ſemper æqualiter conferant, propterea eas duximus non eſſe prætermittendas, ac quomodo ad curationem neceſſariæ ſunt cum Gale. demonſtrauimus, eundémque à iuniorum quorundam medicorum calumniis liberare non piguit, vt ſimul pateat quanta ſit tanti viri auctoritas, & doctrina, & quàm parui momẽti ſint ac ſophiſticæ eorũdem rationes, quibus hanc miram ac artificioſam Gale. methodum euertere tẽtant,

in iuniorum, ac proborum medicorum perpetuam calamitatem. Reliquum eſt poſtquàm ex tot vniuerſalibus ac particularibus ſcopis & indicationibus, deſcendimus ad auxiliorum materias, veſtigare in quot, ac quibus generibus talia veſtiganda ſint. Nam ſi cuiuſlibet febris, quà febris eſt, humectatio, refrigeratióque remedia ſunt, vt concluſimus, ac ſi ſola ſit, ad refrigerandum humectãdúmque, omne medentis conſilium veluti ad finem dirigitur, ita vt nihil ſit quod præter ea ad curationem deſideretur, vt Galenus inquit 9. metho. medendi, niſi vt materiæ inueniantur, quæ huic propoſito ſunt idoneæ, materia verò inuenta, vt opportunum tempus ex quatuor febris temporibus captes, quantitatem verò, ex conferendo cum naturali habitu morbum, quippe quantum is à naturali habitu receſsit, tantum opus eſt ægrum refrigeres & humectes, hanc ob rem in quot, quibúſve generibus iam dictæ præſidiorum materię primò inueniantur, deinceps de temporis opportunitate diſſerendum eſſe cenſui, de quantitate etenim cùm de temperamento loqueremur, ſatis abundè verba fecimus. Quantum ergò ſpectat ad id quod primò propoſuimus, çùm Gal. lib. de conſti. artis medicæ, c. 14. aſſerimus auxiliorum materiæ genus vniuerſum, in iis quæ per os ſumuntur, quæ fiunt, quæ vacuantur, & quæ de foris incidunt, poſitum eſſe, per quæ omnia vbi decurrerit, qui artem conſtituit, ac particularis materiæ vniuerſæ ſcientiam non ſolum facultatis, ſed vſus etiam obtinet, ſic vtique ſalubres cauſas compleuerit vniuerſas, vt nihil ad curatricis artis conſtitutionem deſideret, omnibus nimirum iis, in duo ſeſe capita redigentibus, in corporum quibus remedia adhibentur notitiam, & ipſam remediorum naturã. Lib. vero 1. & 5. de ſanit. tu. & lib. num tuenda ſanitas ad Thraſyb. non modò auxiliorum materias pro curandis morbis, verùm etiam pro ſanitatis cuſtodia in quatuor iam dictis generibus complecti affirmauit, auctoritate iuniorum probatiſsimorum, inquit eodem 1. de ſanit. tu. in admouendis videlicet, educendis, faciendis, & extrinſecus incidentibus, & deinceps quid intelligendum ſit admouendorum nomine, ac reliquorum, patefacit, tum eodem loco, tum etiam citato libr. ad Thraſyb. inquiens admouendorùm quidem nomine cibus, potio, & ſi quid medicamentorum intro ſumitur, etiam aër attractus intelligitur, faciendorum verò frictio, ambulatio, vectio, equitatio, omniſque denique motus; quòd ſi non quiuis motus exercitatio eſt, ſed ſolum qui eſt valentior, adiiciatur motui exercitatio, vt ſint facienda tum motus, tum exercitatio: referuntur item ad hoc cauſæ genus ſomnus, vigilia, & venus, adhæc ſtudia, ira, curæ, & lauatio ex hoc genere ſunt, vt patet eodem libro ad Thraſyb. Ex foris incidentibus primus eſt circundatus nobis aër, deinde quæcunque lauantium, vngentiúmve cuti propinquant, etiam ſi quod medicamentum ſanitatis tuendæ fines non exceſsit, veluti ſal, myrrha, nitrum, aphronitrum, & aquarum aliquæ ſponte natarum, & calentium. quòd verò balneum diuerſa ratione inter facienda, & ea quæ foris incidunt connumerari poſsit nemo ambigat: nam ſumptum pro lauatione ipſa, inter ea quæ fiunt continetur; ſi verò capiatur pro ipſa aqua qua lauantur, ex numero foris incidentium exiſtit: quo etiam in genere continentur epithemata, cataplaſmata, perfuſiones, & id genus alia, quæ ad morborum curationem conducunt. In his verò quæ educuntur, ſudores, deiectiones, vrinæ, in vniuerſúmque omnia quæ corpus noſtrum excernere debet, ſpectanda ſunt. Atqui licet Galen. citatis locis hanc diuiſionem in quatuor genera iuniorum probatiſsimorum auctoritate admiſerit, dubitat tamẽ eodem primo de ſanitate tu. num recte fuerit facta, cùm melius fortaſſe fuerit in tria, ſecludens educendorum genus, tanquam in illis tribus contentum, & non æquè primum exiſtens velut reliqua tria genera, & breuibus licet difficilibus admodum verbis illud confirmauit, inquiens: ex admouendis, faciendis, & extrinſecus incidentibus, alterari mutaríque corpus noſtrum, mutationem verò aut in qualitate fieri, aut in quantitate: in qualitate, dum aut incaleſcit, aut refrigeratur aut ſicceſsit, aut humectum redditur: in quantitate,

Cap. 14.

Materia omnis præſidiorũ 4. generib. continetur.

Capi. ulti. & cap. 10.

Admouenda.

Facienda.

Balneum alia atque alia ratione inter facienda & foris incidentia numeratur.

Educenda.

In tria genera redigi poſſunt ſupradicta. 4.

Loco citato.

dum alitur, aut inanitur, iam inanitionem ipſam duplicem quoque eſſe, ſubdit, alteram excrementorum de quibus mox diximus, alteram naturalis ſubſtantiæ noſtræ aſsiduè defluentis, quæ nutritioni ex aduerſo opponitur. } quibus in verbis liquet educenda (quæ in excrementis conſiſtunt) in illis tribus generibus ex quibus corpus (tanquam primis generibus) alteratur, & immutatur, contineri, & non eſſe quartum genus: id quod etiam confirmare videtur in procemio libr. de morb. vul. aſſerens {cùm igitur tres ſint cauſæ à quibus morbi auſpicantur, vna quidem in iis quæ offeruntur, altera verò in operibus quæ obimus, & tertia in iis quæ extrinſecus occurrunt nobis & cætera. } nulla facta de excrementis mentione, ita vt Gale. rectius viſum ſit dictarum cauſarum ſalubrium diuiſionem fieri in tria, quàm in quatuor genera, licet eandem citatis locis admiſerit, eorundem videlicet iuniorum probatiſsimorum auctoritate. Libro verò artis medicæ, inuento eorum numero quæ ex neceſsitate corpus alterant, in ſex generibus ibi declaratis, dicebat proprium in ſingulis eorum, cauſarum ſalubrium genus inueniamus, ita vt ſex admittat & non quatuor, ſeu tria cauſarum ſalubrium genera: ſed vbique locorum eaſdem complectitur materias, quas lib. de ſanitate tuen. & lib. ad Traſyb. particulariter dinumerauit, ſiue eas ad quatuor, ſiue ad tria, aut ad ſex redegeris genera parum curans, modò nulla præſidiorum ſeu ſalubrium cauſarum materia prætermittatur, & cuiuſlibet vires compertas habeas. Nec deſunt qui velint Gale. quandoque fateri duo eſſe genera in quibus præſidiorum materiæ reperiuntur vt 10. metho. med. cap. 7. Sed ij non aduerterunt quòd citato loco intẽdebat materias præſidiorum inueſtigare, pro medendis hecticis duntaxat febribus, & nõ cæteris morbis, quæ in duobus planè generibus continentur, foris videlicet incidentibus, & in admouendis. Sed quicquid ſit de eiuſmodi diuiſionibus (nam ſimul cum Gal. citato libr. 1 de ſanit. tu. dicimus quòd de talibus diuiſionibus ſtatuere pro arbitrio cuiuis liceat) concludimus in talibus generibus veſtigari debere materias præſidiorum; pro curandis febribus, atque ſingula quæ in eis continentur, ſpectare oportet, nec minùs vires compertas habere, vt diximus, cuiuſlibet materiæ, quoniam hinc demum oritur dexter earum vſus, vbi videlicet opportunum etiam tempus ac modum, ſeu menſuram inueneris: quapropter citato libr. ad Thraſy. idem Gale. enumeratis omnibus quæ in dictis quatuor generibus continentur, hæc protulit verba {atque ſingulorum enumeratorum ſalubrium, quantitas, qualitas, & occaſio dignoſcenda eſt} libro verò 9. meth. med. cap. 3. (licet ſub aliis verbis) illud idem confirmauit aſſerens {at quæ membratim medicatio agitur, ex his duobus conficitur, nempe materiæ copia, & huius congruo vſu. } per congruum vſum nil aliud intelligens quàm quantitatem, qualitatem, & occaſionem: hæc etenim explent materierum congruum vſum, ita vt præſidia fiant. Quam Gale. auctoritatem, malè intelligentes iuniores iſti, quorum ſtudium aſsiduè in contradicendo Galeno verſatur, opinantur aliis ſuadere, in hoc etiam Gale. ſibi pugnare, cùm clarum ſit idem, licet ſub diuerſis verbis, vtrobique præcipere. Siue itaque quatuor, ſiue tria ſint prima genera materierum præſidiorum in his inueſtigandæ ſunt materiæ idoneæ, ad refrigerandum, humectandúmque pro febrium curatione, quà febres ſunt, tam ſi effectu, quàm poteſtate, vel ex accidenti refrigerent, quibus inuentis, occaſio ſeu opportunum tempus adhibendi ſpectare oportet, de quo diſſerere tempeſtiuum eſt, vbi priùs dubitationem quandã ſoluerimus, quæ de ipſis excernendis fieri ſolet, vtrumque ſcilicet quartum genus, ſiue in tribus contineantur. Eſt autem ea, num in ipſis excrementis, ſudoribus, inquam, deiectionibus, vrinis, ac reliquis tam humanis, quàm reliquorum animalium, inueſtigãdæ ſint præſidiorum materiæ, velut in reliquis generibus dictum eſt, ita quòd eiſdem vtendum ſit pro morborum ſublatione, tãquam præſidiorum materiis, vel hæc conſiderare debeat medicus in ægrotantibus ipſis tanquam alterantia, eorúmq; corpus immutantia, vbi immodicè detineantur, aut excernantur, & pro

Cap. 85.

Loc. citatis.

In duo generanõ redigit Gal 4. ſupradicta.

Loco citato.

Loco citato.

Materia præſidiorũ dexter vſus conſiſtit in quantitate, qualitate, & occaſione.

Quomodo excernenda conſiderentur.

& propterea eadem vel propulſare, vel arcere oporteat, velut etiam conferentia ad morborum curationem. Huic reſponſum ſit, quòd licet de facultatibus excrementorum poſt Xenocratem, & Dioſcoridem Gale. quoque conſcripſerit, vt completa fuiſſet tractatio de ſimplicium medic. facultatibus, tamẽ idem Gal. 10. lib. eiuſdem operis dicebat, non ita ſe habere in tali materia quemadmodum in reliquis, cum in illis operam dediſſet, vt per experientiam eorum omnium facultatem cognouiſſet, aliàs nequaquam de aliquo quicquam conſcripſiſſet, cenſens aliis haudquaquam eſſe credendum: verùm in tali excrementorum, ac reliquarum partium animalium materia, non ita res habet, inquit ipſe: ingenuè ſiquidem fateor complura eſſe tum partium, tum reliquorũ in animantium corporibus contentorum, quorum nullius eiuſmodi feci periculum, cuiuſmodi quidam ſcriptum reliquerunt, & reddens cauſam aſſerebat: ſiquidem quædam eorum abominanda, deteſtandáque ſunt, quædam etiam legibus vetita: at demum derelictis iis quæ contra leges erant, ad excrementa deueniens, dicebat: { At potio ſudoris, aut vrinæ, aut menſium mulieris, abominanda, deteſtandáque eſt, atque horũ in primis ſtercus, quod tamen ſcribit Xenocrates ſi oris ac gutturis partibus inungatur, & in ventre deuoretur, quid præſtare valeat: ſcripſit etiam de aurium ſordibus deuorandis: at ego ne has quidem vnquam deuorare ſuſtineam; ne ſi in totum quidem morbo deinceps liber degerem, atque his etiam magis abominandum puto ſtercus. } videtur itaque Gal. his verbis deteſtari, atque odio habere talem auxiliorum materiã: quanquam eodem libr. fateatur quod optimus medicus facultates eiuſmodi excrementorum ignorare non debeat: cęterùm potiora eligere, potiſsimùm ad vrbanos, & honoratos, alicuiúſque exiſtimationis viros, in quibus teſtatur nunquam vſum fuiſſe medicamine tali, cùm multo meliorũ ſuppeteret copia. Verùm non negat quòd talium vſus, & pręſertim aliorum animantium admittendus nõ ſit, aut in itinere, aut in venatione, aut ruſticatione, cùm ſcilicet meliorum nihil adfuerit, aut homo ruſticus perinde fuerit carnis duræ ac aſinus, & poſt pauca, de ſtercore bubulo verba faciens, ſubdebat: { ſcite tamen oportet omnia id genus medicamenta duris agreſtium hominum corporibus aptari, nempe foſſoribus aut meſſoribus, & qui opus tam validum obeunt, &c. } cùm igitur potiora habeamus remedia quàm ea quæ ex excrementis capiuntur, ſintque ea vilia, deteſtabilia, ac abominabilia; quamuis eorum facultates medicus ignorare non debeat, vt in quibuſdam iam dictis corporibus, ac locis, vbi contingat, vti valeat, in defectu aliorum medicamentorum, iure aſſerẽdum eſt Gale. noluiſſe per educenda, hæc intelligere; ſed per educendorum materiam, quam medicus conſiderare debet, intelligit ſudores, vrinas, deiectiones, & in vniuerſum omnia quæ corpus noſtrum excernere debet: vt ipſemet fatetur citato libro ad Thraſyb. tam in ſanitatis conſeruatione, quàm in morborum curatione, ac febrium de quibus loquimur, ait enim educendorum, ſeu quæ educuntur, ſeu quæ euacuantur, & non quæ educta ſeu vacuata ſunt, ita vt velit medicum ſpectare debere hæc omnia, quomodo ſcilicet educantur ſeu euacuentur, aut præter naturam detineantur, non modò in ſanis corporibus, ſed ipſis ægrotantibus: & non poſtquam excreta ſunt in eis inueſtigare præſidiorum materiam: refrigerant nanque ſæpius ſudores, ac febribus medentur: quemadmodum & alui deiectiones, & vrinæ vbi tempeſtiuè vacuentur pariter & vomitus, ſaltem ex accidente, id quod apertiſsimè oſtendit libr. ad Thraſy. *Loco citato.* his verbis: { quæ verò in his quæ vacuantur, ſudores, deiectiones, vrinas, in vniuerſúmque omnia quæ corpus noſtrum excernere debet, conſiderat, } & lib. *Loco citato.* 1. de ſanitate tu. cùm dicebat: { educendorum verò materia prædicta paulo ſupra eſt. } quo loco docuerat, quomodo euocari debebant, vbi detenta eſſent ſingula excrementa, quæ in noſtris corporibus generantur: in his itaque quantitatem, qualitatem, ac occaſionem obſeruamus, cùm pro ſanitatis cuſtodia, tum pro morborum curatione.

De temporis occaſione: & vnde capiendum ſit opportunum auxiliorum tempus.

Caput XXXVII.

INVENTIS auxiliorum materiis in iam dictis generibus pro febrium curatione, definitáque earum qualitate ex natura earundem febrium (nam omnis febris, quà febris eſt, refrigerantia & humectantia expoſtulat.) determinata inſuper quantitate dictorum auxiliorum quæ refrigerant ac humectant, modo, ſeu menſura, a naturali corporis temperie vnà cum ipſo morbo, nam quantum æger à naturali habitu receſſerit, tantum opus eſt eum refrigeres, & humectes tanquam neceſſarium, opus eſt opportunum quoque tempus non ignorare: cũ ſatis non ſit præſidiorum materias, eorúmque qualitatem, & quantitatem inueniſſe, niſi & opportunum tempus inuenias, vt 9. metho. med. capi. 14. liquet: idémque confirmauit libr. num tuenda ſanitas ad Thraſyb. cap. 40. cùm dixit: {atque ſingulorum enumeratorum ſalubrium quantitas, qualitas, & occaſio dignoſcenda eſt.} De hoc itaque tempore, non vno eodémq; modo ſcripſiſſe Gal. reperio. nam præter ea quæ ſcripta reliquit 9. & 11. meth. med. lib. artis medicinalis, aſſerebat. {Neque enim eſt rationi cõſentaneum, etiam temporis occaſionem, quæ in his quæ dicta ſunt, continetur, veluti tertium aliquod ab eis diuerſum, introducere. ſi enim tali & tanta re allata egeat corpus, nemini dubium quin etiam in tẽpore opportuno afferatur.} noluit itaque Galenus, hoc in loco temporis occaſionem tanquam tertium quoddam, à qualitate, & quantitate ſpectandam eſſe, ſed in eiſdem contineri. Libro verò primo de ſanitate tuen. præter opportunum tempus, modum quoque eſſe inueniendum ſtatuit, vtitúrq; voce μέτρον: & primo de arte curatiua ad Glaucon. ca. 15. præter tẽporis occaſionem, vſus modum eſſe neceſſarium pro medendi methodo aſſeruit, ſub his verbis καὶ τοῦ τρόπου τῆς χρήσεως. hoc eſt vtendi modi. at commẽto aphor. 17. primi libri, relicta temporis occaſione, dicebat præter qualitatem & quantitatem eorum quæ offeruntur, dignoſcendum eſſe modum eorundem, cùm non ſatis eſſet nouiſſe qualitatem & quantitatem, voce τρόπον vtens. Verùm ſi quis verba Galen. perpenderit, quæ citato lib. artis medic. poſt ea quæ modò citauimus, conſcripſit, haud ægrè cuncta quæ diuerſis in locis aſſeruit, licet diuerſa videantur, conciliabit, nam ſubdebat {occaſio ſiquidem temporis inde ortum habet, quoniam fluxile, ac facilè mutabile eſt mortale corpus, ac pro tranſmutationis modo aliis alio tempore eget auxiliis. quare non eſt tertium aliquod præter ea quæ dicta ſunt, tempus: ſæpiùs autem eo tanquam tertio quodam, ob eam quã diximus cauſam, ad docendum, vti conſueuimus.} ex quibus Galeni verbis liquidò conſtat tempus, ſeu temporis occaſionem, quam per vocẽ καιρόν, ſignificare voluit, ſemper re ipſa non eſſe quoddam tertium diuerſum à quantitate, & qualitate, ſed in eiſdem contineri: ſæpius autem ipſo tanquam tertio quodam vtitur ad docendum, pro faciliori videlicet doctrina: propterea quòd mortale corpus fluxile & facilè mutabile eſt, & pro tranſmutationis modo aliis alio tempore eget auxiliis. Non abre itaque 9. & 11. meth. med. ipſum tempus, tanquam tertium quoddam ſpectandum eſſe præcipit, vt faciliùs medendi methodum doceret primo verò de ſanitate tu. per μέτρον non intellexit modum vſus, ſed menſuram, per eam intelligens quantitatem. nam poſteaquàm præceperat vires omnis materiæ, quæ ad ſalubrem victus rationem pertinet debere medicum non ignorare. (nam inde oriebatur dexter eius vſus) ſubdebat: adhuc pro congruo vſu, opportunum quoque tempus, ac menſuram inueniendam eſſe. hoc eſt, quòd præter virium dignotionem quæ ex qualitate oriuntur, & opportunum tempus, & menſuram, hoc eſt quantitatem, medicus ſpectare debet præter qualitatem verò, ſingulorum medicaminum quantitatem, & temporis occaſionem, modo vſus eorum, addit primo artis curat. ad Glauconem, quò medendi methodus perficiatur, vt particulatim dinumeraret omnia ad

vniuer

Sub qualit. & quantitatẽ tẽpus complexus eſt. Gale. Locis precit.

Alibi modum & tẽpus adijcit.

1. ad Gla. 1.

Cõciliatio locorum Galeni.

Loco precit.

Modus quid. Cap. 15.

Loco precit.

vniuerſalem medendi methodum neceſſaria, haud ignorans quòd ſub qualitate & quantitate reliqua duo continebantur, & vt Glauconi etiam cauſam traderet, cur non propria vnicuique ægrotanti, ſed communia ſcribere fuerit coactus, aſſerens quòd cùm ad rectè medendum plurimùm conferat & temporis occaſio, & auxiliorum quantitas, & hæc vnicuique ægrotanti ſint propria, nihílq; proprium poſsit ſermone explicari, propterea quod commune eſt, coactus fuit ſcribere: quod planè ſcribere non cogerent medicaminum qualitas, & modus vſus: cùm non vnicuiq; ægrotanti hæc propria exiſtant, & ſcribi poſſint. poſſet autem modus vſus diuerſus à tempore ſic conſiderari, vt eſto quòd egeat pro opportuno tempore cibo æger: qualibet die, vel nocte, hoc erit tempus opportunum offerendi: at ſi eadem nocte vel die ſemel, bis, vel ſæpiùs eo indigeat, hic erit modus vſus, quãquam ſub modo vſus, reuera & opportunum quoque tempus contineatur. quamobrem commento apho. 17. primi lib. idem Galenus temporis occaſionem ſubticuit, meminítq; ſolum modum vſus, præter qualitatem, & quantitatem eorum quæ offeruntur, per τρόπον modum, ſcilicet vſus, intelligens: quod eodem commen. manifeſtauit, cùm dixit: {neque enim ſufficit hoc ipſum ſolùm cognoſcere, quòd huic plus, vel minùs ſit offerendum, vel quòd victu exſiccante vel humectante vtendum ſit, ſed nunquid ſemel, aut ſæpiùs, qualibet nocte, vel die cibum offerre oporteat, neceſſarium eſt conſiderare.} per modum itaque complexus eſt temporis opportunitatem, & vſum. qua de re licet ſub modo vſus cõtineri poſsit temporis occaſio, & ſub temporis occaſione modus vſus, ſubintelligi poſsit, & vtrunq; ſub quantitate, & qualitate re ipſa contineatur. & interim Gale. ſub congruo vſu, omnia contineri voluerit, quantitatem ſcilicet, qualitatem, tempus, & modum vſus, vtliquet ſeptimo meth. med. cap. 3. cùm dixit: {at, quæ membratim medicatio agitur, ex his duobus conficitur nempe materiæ copia, & huius congruo vſu.} nos tamen clarioris doctrinæ gratia de hac temporis opportunitate, ſimul cum Galeno in hac noſtra methodo, ſeparatim à quantitate, & qualitate, verba faciemus: ſub ea etiã modũ vſus ſubintelligentes, ac veſtigabimus à quibuſnã ſumẽda ſit hæc temporis occaſio pro medẽdis febribus. Huic ergo licet breuiter ſatisfacere videatur Galenus 9. meth. med. cap. 14. cùm inquit. opportunũ tẽpus capiendũ eſſe ex quatuor febris temporibus, non tamẽ ſic facile eius verba interpretantur: quinimò eiſdemmet iunioribus, ob prauam eorum intelligentiam, anſam præbuerunt, in hoc quoque ipſum calumniandi: aſſerunt enim pugnantia ſibiipſi de tempore conſcripſiſſe, cùm quarto de meth. med. cap. 5. tempora non niſi dierũ numerũ nos poſſe docere, nec quicquã aliud indicare poſſe ſcriptum reliquerit, & lib. de opt. ſecta. longa oratione eos refellat, qui tempora indicare aſſerebant. cur itaque citato nono de meth. med. cap. 35. opportunum tempus auxiliorum ex quatuor febris temporibus indicari fatetur? & alibi cibandi tempus per morbos ex acceſsionis, & intermiſsionis tempore monſtrari ſcribit? Sed quòd toto cælo aberrarint, parúmque rectè Gale. ſententiam circa hoc, veluti in aliis, perceperint, ex his quæ dicemus luce clariùs patebit. Eſt etenim eius ſententia perpetuæ veritatis, quòd morbi tempora vtile indicare non valent, aduerſus methodicos. quarto meth med. & libro de opt. ſecta. crediderunt nanque methodici morborum tempora indicare, hac ratione impulſi, quòd tempora non omnia ad cibi, medicinæ ve aſſumptionem apta cernebant, cúmq; temporibus nonnullis hæc vtiliter exhiberi, nonnullis verò noxiè ſpectarent, id ob temporum diſcrimina incidere arbitrabantur. quare ex eodem fonte, & cibi propoſita, & remediorum tempora manare putarunt. Galenus verò priuſquam aggrediatur citato lib. de opt. ſect. declarare, tempora nihil vnquam conferens indicare, quædam de temporum differentiis tractanda proponit, inquiens quòd duæ temporum differentiæ apud medicos celebrãtur: aliqua enim morborum, aliqua auxiliorum tempora dicuntur, atque hinc iam manifeſta curatio fiet. cauſarũ autem motiones, morbi tempora eſſe dicuntur.

Modus vſus.

Temporis occaſio ex febr. temporibus ſumitur.

Refellit eos, qui reprehendũt Gal. quod captet temporis occaſionẽ ex quatuor feb. temporibus.

Loco præcit.
Loco citato.

Loco citato.
Tẽporũ differentiæ duæ à medicis ſpectãtur.
Tẽpora morborum.

morionis autem differentię quatuor ſunt,initium,crementum, ſummus vigor & declinatio. nam ſi motio quæ priùs non erat,nobis ineſſe incipit, atq; ita dixerat,huiuſmodi motum,initium morbi appellamus: ſi vlterius motus procedat,crementum,ſi crementum conſiſtit,ſummus morbi vigor, ſeu impetus dicitur,cùm motus imbecillior redditur,atque decreſcit,remiſsio, ſeu declinatio nominatur. Hæc itaque eadem ſunt & temporum nomina. At auxiliorum tempora ea quæ ad ipſorum adhibitionem idonea ſunt,appellant. Sunt autem ea idonea,quando remedium poſtulantia adſunt,prohibens verò nullum, neque eorum tempora nomina propria habent,quemadmodum dicta morborũ tempora.& quoniam pleriq; auxiliorum morborúmque tempora nõ re ipſa, ſed cogitatione tantùm differre crediderunt. aiunt enim auxilij morbíque tempus ſimul incidere,ita vt vtraque tempora ſimul ſint,neque auxilij tempus abſque morbi tempore poſsit deprehendi: propterea Gale. nonnullis efficaciſsimis rationibus contra eos pugnauit, ac Hippo. etiam auctoritatibus, ita vt eodem loco fuſiſsimè demonſtrauerit,nõ ſola cogitatione, ſed re ipſa etiam huiuſmodi tempora differre.& quanquam tam morborum,quàm auxiliorum tempora, & vniuerſalia,& particularia ſint,tamen ea quæ morborũ ſunt, tam vniuerſalia, quàm particularia,deſcribi poſſunt. etenim vno eodémque inſtrumento iudicantur quod ſanè inſtrumentum ſcribi poteſt. nam vtraque ex quali quadam cauſæ ratione cenſentur, eadémque habẽt nomina,cùm ſint certæ cuiuſdã motionis nomina, vt diximus, ambo tempora tam vniuerſalia, quàm particularia. quare eadem quoque erunt iudicãdi inſtrumenta. at auxiliorum tempora nec vllum habent peculiare nomen, neque eodem inſtrumento iudicantur, neque particularium temporum iudicatoria inſtrumenta ſcribi queunt: & propterea eorundem tempora vniuerſalia ſeu generalia ſcribi poſſunt, particularia verò nequaquam,cùm non ex ipſis modò,ex quibus vniuerſalia opportuna tẽpora deprehenduntur,ſed ex alijs quæ minimè ſcribi poſſunt,reperiantur: ex quorũ conſideratione medicus ſingularium opitulãdi temporum coniecturã capiet, quemadmodum validiſsimis rationibus idem Gal. citato lib. demõſtrauit. Sunt itaque auxiliorũ tempora generalia, quando adſunt & præſentia ſunt, quæ remedia poſtulant,abſúntque ea quæ impedire poſſunt. His ſic iactis tanquã quibuſdam fundamentis,facilè quiſpiam intelliget num Gal. ſibi pugnantia in hac re conſcripſerit, vel iſti qui talia effutiunt,propter verborum ac eiuſdem Gale. ſententiæ obintelligentiam, tanquam cæci in foueam lapſi ſint. nam cùm auxiliorum tẽpora ea ſint idonea, quando adſunt, quæ vtilia,ſeu conducibilia poſtulant, abſunt verò ea quæ eadem impedire valent, nuſquam morborũ tempora conducibiliora indicabunt,cùm neque eadem expoſtulent, aut exigãt. Verùm quãdoque eiſdem cõducibilibus vti impediunt, quod verò poſtulatum ſumere impedit, propoſitum non erit, inquit Gal.& idcirco morbi tempora nos interdum poſtulatum accipere impedietia, propoſita haudquaquã ſunt, neque etiã contraindicare ea quiſpiam dixerit, cùm quæ impediunt, contraindicare non dicantur, vt ſuperiùs demonſtrauimus: pariter nec coindicare ea dicendũ erit: nam non ſunt veluti cauſæ, ſed ſigna,& effectus, ac nomina ſolum certæ cuiuſdam diuerſæ motionis, vel cauſæ, vel ipſiuſmet morboſi affectus. quapropter & toto cælo aberrant,& falsò Gale. imponunt, qui credunt eundem fateri morbi tempora contraindicare, aut coindicare occaſionem, ſeu opportunum tempus auxiliorum: quinimò vbique locorũ totum contrarium ſentit,& aduerſus methodicos citato lib. de opt. ſect. ex diuerſis Hippocr. ſententiis, aliiſq; rationibus illud cõfirmauit, nedum de auxilijs ipſis vt quibuſdam falsò viſum eſt, verum etiam de victu, probans tempora, neq; ciborum qualitatem, neq; quantitatem demonſtrare poſſe,& propterea nec eorundem temporis occaſionem: de auxilijs quidem Hippocr. dixit: {cùm morbi inchoant, ſi quid videtur mouendum moue, in ſummo verò vigore, quietem agere præſtat.} apho. 2 2. 2. lib. de victu aph. 8. 1. lib. dicebat: {vbi morbus in ſummo vigore conſiſtit, tum & tenuiſsimo victu

Tempora auxiliorum.

Tẽpora morborum nũquã indicant.

Neque cõtraindicant.

Nec coindicant.

victu neceſſariò vtendũ eſt.} non enim in hiſce ſententiis, quemadmodũ Theſſalus ſuſpicatus eſt, à morbi tempore auxilia, aut alimenti qualitatem præſcripſit, aut eadem interdixit, ſed quia nouerat in morborum initiis facultatem valentem eſſe, & propterea remediorũ applicationi non obſtare, in eorum verò vigore quodammodo flacceſcẽs remediorum agitationẽ non ſubſtinere. itaque non ratione temporis, ſed virium auxiliorum adhibitionẽ in vno tempore admittit, in altero verò denegat Hipp. ita quoque eundem Theſſalum fefellit, cùm de victu verba fecit. non enim tempus propoſitum faciens Hipp. hanc victus rationem in ſummo vigore inſtituit citato aphor. 8. 1. lib. Verùm, vt inquit Gal. à tempore facultatẽ menſus eſt, à facultatis menſura, cibi qualitatem accepit; id verò ex iis quæ ſubiunxit, declarauit. coniectandum enim (inquit) an æger duraturus ſit, &c. & commento citati apho. Gal. inquit, { non enim diſtrahere oportet naturam ad alteram nouam coctionem, cùm eo tempore vbi humorũ noxiorũ coctioni fortiter vacet, & haud ita multò poſt, ipſos ſit euictura.} plerunque itaque tempora, quod à facultate requiritur, interuertunt, & ne accipiatur, impediunt, nunquam autem quid faciendum ſit, edocent. Perpetuæ igitur veritatis eſt in Hippoc. & Gal. doctrina morborum tempora nunquam indicare aut poſtulare conducibilia, neque edocere quid faciendum ſit; neque etiam coindicare eadem. aut contraindicare, ſed quandoque interuertere ac impedire. adhæc neque etiam quatenus tempora ſunt, eadem admittere quandoque dicũtur, aut nõ impedire: quemadmodum quibuſdã viſum eſt, impulſi à modo citata Hippo. ſententia aph. 29. 2. lib. non enim morbi initium propoſitum ſibi faciens Hippoc. citato loco, tunc admouenda remedia præcepit, ſed ab initio nondum vires infirmas eſſe ſignificatur, cõiicitúrque poſſe eas inanitionem citra noxã ferre, at morbi ſummus impetus facultatis imbecillitatem manifeſtat: tunc enim cauſæ valentes ſunt, facultas verò languida, atque ideò quieſcere iubet. qua de re facultatem quoque menſus eſt Hippocr. ab his duobus temporibus diuerſis, principio inquam, & ſummo vigore: & ob id diuerſimodè ſe habentem inſpiciens, in morborum principiis, atque eorundem vigoribus in principiis vtendum eſſe remediis præcepit, in ſummis verò vigoribus haudquaquam. Non igitur indicant, aut coindicant, neque contraindicãt vtile quicquam, nec exigunt conducibilia morbi tempora: quẽadmodum neque eadem admittere cenſemus ratione qua tempora ſunt cum Hippocr. atque Gale. neque quod faciendũ ſit edocent, licet ne accipiatur quãdoque id quod requiritur impediunt, vt ex modo dictis patet. verùm requiſitis vti, aut impediũt, aut permittũt, prout magis aut minùs in ipſis facultas mutata eſt. Cùm verò dicũt quòd lib. 9. meth. idem planè ſentit quòd illi, quos longa oratione refellit libro de opt. ſect. remediorum ſcilicet tempus à quatuor morbi temporibus indicari, aſſerimus falſum eſſe id quod Galeno imponunt. etenim Galè. non indicari, ſed capere remediorum occaſionem ſeu opportunũ tempus ex quatuor febris temporibus faſſus eſt, vtens verbo λαμβάνειν, quod eſt accipere, & nõ δεικνύναι, quod eſt indicare: & propterea morbi tempora haudquaquã indicare admittit: quemadmodum ipſi Galeno aſcribunt, neq; ſibi pugnare videtur, velut falſò imaginantur, etſi diuerſa quodammodo quibuſdam conſcribere videatur hoc loco de auxiliorum temporibus, quàm ea quæ ſcripſerat citato lib. de opt. ſect. ſiquis tamen velit rectè interpretari ea quæ vtrobique ſcripta reliquit, eadem & non diuerſa de auxiliorum tẽporibus præcepiſſe intelliget. nam opportuna & vniuerſalia auxiliorum tempora, & remedia poſtulantium præſentia, & potentis impedire abſentia deprehenduntur: ita vt ea ſint idonea auxiliorũ tempora, quando remedium poſtulantia adſunt, prohibẽs verò nullum, quemadmodum citato lib. de optima ſect. decretum reliquit. libro verò nono meth. med. cùm iam ex febris natura inueſtigaſſet, humectantia ac refrigerãtia eiuſdem eſſe remedia, & propterea materias inueniendas eſſe, quæ huic propoſito eſſent idoneæ, ſubdebat quòd materia inuenta opportunum quoque tempus

Neq; quatenus tempora ſunt, utilia admittunt.

cap. 14. Gal. falſò adſcribitur velle cũ remediorũ tẽpus à 4. morbi temporibus indicari.

Loco præcitato.

Locis citatis.

inueſt

inueſtigari debebat,ipſúmque capiendum eſſe ex quatuor febris temporibus, quæ quidem vt dictum eſt,nedum in febribus,ſed in omnibus morbis ex certa quadam motione cauſæ morbum efficientis proueniunt;vel ſi cauſam non habuerint eadem quatuor tempora,nomina ſunt certæ cuiuſdā motionis ipſiuſmet affectus præter naturam ſeu morbi. Cùm itaque ex quadam diuerſa motione cauſæ facientis febrem,aut ipſiuſmet febris, vbi cauſam non habuerit, vniuerſalia eiuſdem febris tempora proueniant,non abre Galen. ex quatuor ipſius febris temporibus capiēdam eſſe opportunitatem auxiliorum præcepit. nam ſpectās medicus hæc quatuor febris tempora,tanquam effectus quoſdam diuerſos à diuerſa motione cauſæ,vel ipſiuſmet febris prouenietes, facilè percipere poterit quodnam opportunum ſit tempus adhibēdorum remediorum, quæ quidem non ipſa tempora,neque eorum nómina exigunt, ſed aut ipſā febris,aut eiuſdem cauſa.quanquam citato loco de meth.med.de ipſa febre quatenus febris eſt,verba faciat;quam eodem loco curare intendebat, & non eam quæ cauſam efficientem adhuc habet;& quid aliud innuere voluit, niſi quòd habita notitia per ipſa quatuor febris tempora,tanquam per ſigna, & non cauſas diuerſæ motionis eiuſdē,facilè medicus percipiet,num adſint quæ remedia poſtulant,& abſint quæ impedire valent,ex quibus idonea auxiliorum tempora deprehendi concluſerat,citato lib.de opt.ſect. pro diuerſa etenim ipſius febris motione vtraq; percipiet medicus :& ea videlicet quæ remedia poſtulant, quæ eſt febris ipſa, & ea quæ ipſa non prohibent, vtputa vires ipſas, ſeu aliud quippiam (meminit autem Gal.ſolas vires,citato lib.de.op.ſect. tanquam præcipuas,quemadmodum mos eſt Hippocr.vt liquet apud eundem primo de rat. vict.& propterea non ſic temerè damnandus de inſufficientia, veſut iidem iuniores auſi ſunt) ex his deniq; præſens medicus promotus, & ex cōſideratione remediorum quæ ſumi debent,ſingularium opitulandi temporum cōiecturam capiet. hoc itaq; eſt illud quod intelligere voluit Gal.citato 9.meth.med. quando dixit,opportunum tempus auxiliorū ſumendū eſſe ex quatuor febris temporibus,& non quòd ipſa quatuor febris tempora indicent opportunum remediorum tempus,cùm eadem (vt ſæpiùs dictum eſt)nunquam quid faciendū ſit, edocent,ſed interuertunt ac impediunt quandoq; ea,quæ adminiſtranda ſunt: qua etiam ratione admittimus ex eiſdem capi poſſe opportunum auxiliorum tempus,cùm non ſolùm capiatur, vt diximus,ex præſentia eius quod poſtulat, ſed etiam ex abſentia eius quod prohibere valet:poterunt enim ab vno febris tempore auxilia impediri,ab altero verò nequaquam.Sed dices, non erit itaq; perpetuæ veritatis Hippocr.oraculum, contraria contrariorum eſſe remedia, falſóq; aſſeruiſſe Gal. 9.& 11.meth.& alibi ſæpiùs,quòd ipſius febris, quà febris eſt,ſemper quæ refrigerant & humectant remedia ſunt, ſi eadem quandoq; in quibuſdam eius temporibus exhiberi nequeant.Atqui aſſerimus nos ſempiternæ veritatis eſſe Hippocr.oraculum,& Gal.ſententiam : præſentibus enim remedia poſtulantibus,hoc eſt morbis,aut cauſis,abſentibúſq; eis, à quibus prohiberi poſſent,ſemper contraria quæ exigunt adhibenda ſunt, definita tamen eorum menſura,ſeu quantitate,neq; erit aliquod tempus importunum eiſdem ſic ſeruatis,& ob id Gale.rectè determinauit lib.art.med.tempus, ſeu temporis occaſionem non eſſe quippiam tertium à qualitate, & quantitate diſtinctum. nam ſi quod corpus requirat tale,ac tantum remedium,nihilq; impediat, quocunque tempore illud adhibueris,erit opportunum. ſunt itaque perpetuò contraria contrariorum remedia:exigitque quolibet tēpore febris quæ refrigerāt, & humectant, vbi abſint quæ impedire valent.Sed iterū quæres, cur ergo Gal. voluit temporis occaſionem ſumendam eſſe ex quatuor febris temporibus, ac ſi voluiſſet fateri nō omnia quatuor febrium tempora eſſe opportuna, pro adhibendis his quæ refrigerant & humectant. ſed dicimus primò quòd non ob aliud,quàm in vno febris tēpore adeſſe poſſunt impedimētia,in alio verò nequaquam : vel quòd non omnino cuncta quæ refrigerandi & humectandi vim ha-

Lib. 9. c. 14. *Loco precit.* *Comment. 4.* *Cap. precit.* *Obiectio.* *Cap. 14. & cap 5.* *Reſpondet obiect.* *Queſtio, cui mox reſpondet.*

bent in aliquo febris tempore interdicantur, ſed quædam in vno, & quædam in alio tempore exhiberi debeant: nam pro mutationis modo aliis alio tempore eget auxiliis, perpetuo tamen eis vtendum quocunq; tempore, verùm diuerſis in vno, quàm in alio vtendum eſt auxiliorũ materiis, propterea quòd quædam, & non omnia impediantur. Sunt etenim febris, quá febris eſt, contraria nedum quæ actu refrigerant, velut eſt aqua frigida, ſed alia plura, quæ partim potestate (vt dictum eſt) partim ex accidente refrigerant, quorum aliis propter concurſum pugnantium inter ſe indicationum aliàs vtimur, vt inquit Gale. 11. metho.

Loco citato.

Quapropter ex eis, quod conducit ante alia ſemper eligendum. Omni itaque tempore febris, quà febris eſt, refrigerantia, & quæ humectant expoſtulat. Verùm non quolibet tẽpore aqua frigida exhiberi debet: non enim in principio: cùm adſint eo tempore quæ eam impediunt, ſed reliquis vtendum quæ vel poteſtate, vel ex accidẽti, vt lactuca, ſeu cichorio, clyſteri, vel venæ ſectione, & ita de aliis temporibus eſt ſentiendum. Sumenda igitur eſt temporis occaſio pro adhibendis auxiliis, à quatuor febris temporibus, non quòd in ſingulis non indigeat eis quæ refrigerant & humectant, ſed quia in vno quædam, in alio verò alia deſideret, & opportuna ſint, ob eorum præſentiam, vel abſentiam, quæ talia impedire, aut nõ impedire valent. Sunt etenim idonea auxiliorum tempora (vt ſæpiùs dictũ eſt) cum adſunt poſtulantia, abſúntq; impedire valentia. Quapropter non minùs decipiuntur, cùm credunt Gale. cibãdi tempus per morbos ſcripſiſſe ex acceſsionis, & intermiſsionis tẽpore monſtrari, & propterea tempora morborum indicare: nam ea nunquam aliquid vtile, & quippiam eſſe faciendum edocent, vt paulò ante demonſtrauimus, poſſunt tamen quandoque impedire ea, quæ indicantia deſiderant, qua ratione eadem tempora quandoq; ſpectamus, tanquam impedire valentia, vel tanquam non impedientia, ſeu minùs impedientia, & non tanquam indicantia: ea etenim quæ impediunt nunquàm indicantia, coindicantia, aut contraindicantia quiſpiam eſſe affirmauerit, vt à Gal. citato lib. de opt. ſect. cap. 35. decretum eſt, & nos ſæpiùs declarauimus: & ob id ſi quandoq; Hipp. & Gal. cibandi tempus ex acceſsionis, & declinationis, ſeu intermiſsionis tempore capiendũ eſſe iuſſerint, vt lib. primo apho. & primo de rat. vict. liquet, & aliis pleriſque locis, vt in ſequentibus fuſiùs patebit, non tamen vt ſcopos aliquid vtile indicantes, eadem tempora ſpectanda eſſe cenſuerunt, ſed vt prohibentia, vel non prohibentia, cùm vnus dũtaxat ſit tam ſanis quàm ægris alimoniæ ſcopus, nempe virtutis cuſtodia, vt citato primo de rat. vict. ſcriptum eſt. Verùm neceſſariò, vt inquit idem Gal. ſimul & morbi affectio contemplanda eſt, ita vt cibi offerẽdi tempus, ex morbo etiam non prohibente inueniatur. Si enim morboſam affectionem nullo pacto offenderet alimonia, nos virtuti ſoli attendentes, ægros vt ſanos aleremus, ſed quoniam ſæpiùs noxam affert, ob id morbi affectionem, nõ tanquam cibi indicatricem, ſed tanquam prohibitricem contemplamur: vbi ergo non prohibuerit, facultáſque præceperit, tunc nutrimus. hæc ille. quæ omnia ſerioſiùs in ſequentibus nos explicabimus, cùm ſcilicet de victus ratione loquemur. Non igitur indicant opportunum cibandi tempus acceſsionis, ſeu intermiſsionis tempora, neque eadem indicare vnquam faſſus eſt Gale. licet ſpectanda ſint tanquam prohibentia, vel non prohibentia, pro opportuno tempore adhibendi cibi, quemadmodum etiam in exhibendis auxiliis demonſtrauimus.

Tẽpora acceſſionis, & intermiſsiõis nõ indicant cibandi tempus.

Locis præcit.

Methodi medendi febres, quà febres ſunt, compendioſa repetitio.

Caput XXXVIII.

CAETERVM quò nedum excellentes ac eruditi, verumetiam vulgares quoque medici methodum hanc condiſcant, grauati non debemus iterum atque iterum quem de ea ſermonem fecimus breuibus repetere, & veluti ſub compendio quodam vniuerſam perſtrin-

gere,

gere,vt facilè quiuis ordinem,ac numerum indicationũ omnium,quas aſſeruimus,ac demonſtrauimus neceſſarias eſſe pro remediorum inuentione,& curatione febriũ,qua febres ſunt,memoria teneat.

1. Indicatio à morbo,quæ in plures particulares diducitur.

Cùm ergo febris ex numero ſit eorum quæ præter naturam ſunt, atq; morborum, propterea prima omnis febris indicatio,veluti à morbo eſt,ablationem ſui præſcribens,vt liquet 8.meth. med.cap.1.quicquid enim præter naturam eſt,eius ſublationem ſuapte natura indicat,quemadmodũ quod eſt ſecundum naturam: ſui conſeruationem deſiderat. Verùm cùm hoc priuatorum cuique patere poſsit, propterea quibus rationibus id fiat,hoc porrò eſt,quod addiſci à medico debet.ob id rationalis medicus haudquaquam ignorans quòd contrariorum contraria ſint remedia, & quòd quidque perit à contrario & in contrarium,confeſtim per contraria auferri debere cenſebit.quapropter febrem ipſam non amplius vt morbum, ſed vt talem morbum ſpectans,qua ratione non ſublationem abſolutè, ſed certam quandam ſublationem indicabit,eiuſdem certa contraria inueniet. Nam cùm febricitantes ex intemperie laborant (eſt enim febris morbus in intemperie) neceſſe eſt ſanationem quoque eorum intemperantiæ depulſionẽ: eſſe etenim omnis exceſſus per contrarium exceſſum ſanatur, vt patet eodem 8. metho. med.quare febrilis quoque intemperantiæ exceſſus, per contrarium exceſſum ſanabitur. eſt autem febrilis intemperantiæ exceſſus, in caloris abundantia; huic ergo ad temperamentum via erit, per id quod refrigerat. prima nanque omnium curationis indicationum,quæ ex ipſo qui curatur morbo accipitur,contrarietatem præcipit:& quoniam morborum plura ſunt genera, cuique eorum ſua erit contrarietas,inquit Galenus 11.meth.med.cap.7. in tot itaque numero particulares indicationes inducta eſt indicatio, quæ ab ipſa febre tanquam præter naturam affectu ſumitur, ita vt in ſpeciales magis deduci nequeat. Hæ deinceps particulares morbi indicationes,materias inueniũt, quando illarum principium eſt id,in quo finita eſt curandi affectus diuiſio. Atqui in febre finita eſt diuiſio,cùm eam dixerimus eſſe calidam intemperiem, ſimul tamen cum ſiccitate copulatum.quare nimirum per ea quæ refrigerant,& humectant,tanquam per propria contraria ſanabitur. Hæc itaque in dictis quatuor materierum generibus veſtigari debẽt,tam ſi effectu,aut poteſtate, quàm etiã ſi ex accidenti refrigerent:indifferẽter enim ex his febribus ſanatur,ſuntq; ei contraria,tam ſi ſeparatim eis,quàm coniunctim,vtare:vt eodem 11. metho. med.cap.5. ſcriptum eſt; perpetuóque ea tanquã contraria febris ipſa pro eius curatione deſiderat:huc ergo tantùm eius ſanandæ conſiliũ dirigetur, nempe vt eam refrigeres,& humectes:nam omnis febris, qua febris eſt, humectatio, refrigeratióq; remedia ſunt,Gal.auctore 9.meth.med.cap.4.

Loco preci-tato.

2. Indicatio ab hominis tẽperie, ex qua plures aliæ naſcuntur.

At quoniã nos febrem,quà febris eſt,non in communi homine ſanare intendimus,ſed in quolibet particulari,vt Petro,Ioanne,Franciſco,& reliquis,& ſanatio aliud non eſt, quàm præſentis in corpore vitioſi affectus in naturalem habitum,ſeu temperiẽ mutatio,propterea ipſa quoq; naturalis corporis temperiẽs,quoad fieri poteſt, haudquaquam ignoranda erit,ex hac nanque indicatione ſumpta, contrarietatis modus ſeu menſura ſimul cum eadem febre definitur, ita vt per ea febris auferatur,ſeruetur tamẽ naturalis corporis temperies,quoniam id quod ægrotat, ei quod valet eſt contrarium, vtique per contraria eſt ab illo in hoc via. Atqui non ſatis eſt febri tanquam calido affectui admouiſſe frigida, niſi id debita menſura fiat,alioqui metus eſt ſi intra modum id fiat, ne morbi reliquum quippiam relinquatur,ſin modum excedas,contrarium morbi genus inducas, quod quo minùs accidat,naturam,ſeu naturalem curandi corporis temperiem ſcias oportet,qui tantũ febris ab illius ſymmetria diſceſſerit intelligens, menſuram refrigeranti auxilio impones. id verò fieri non poterit, niſi compertum habeas quàm eſſet corpus aut calidum,aut frigidum,aut humidum,aut ſiccum cùm valeret,quantúmq; ex his exceſſerit poſtquàm ægrotauit. nam quod plurimum à naturali habitu,ſeu temperie receſsit,id vehementibus eget contra-

riis,

riis, quòd non plurimùm, lenibus; vt itaque certa ac determinata contraria pro febris curatione adhibeantur, ab ipſa naturali corporis temperie neceſſariò ſumenda eſt indicatio: per hanc enim in contrariis quæ febris requirit, inuenitur modus ſeu menſura, ita vt per ea nec morbi reliquum quippiam relinquatur, nec contrarium morbi genus inducatur, ſed ipſe vitioſus affectus qui febris eſt, in naturalem habitum, naturalémque temperiem mutetur: id enim eius ſanatio eſt, & non aliud. Porrò cùm id quod ægrotat alteramus, niſi conſtet quouſque ſit mutandum, vtique quando ſit ab alterando deſiſtendum, non intelligemus, quapropter ad vnguem noſſe corporum temperamenta oportet, aliàs nec febris, nec alterius cuiuſuis morbi, ritè curatio fiet. id verò planè difficile eſt, tentandum tamen erit, ea inuenire tum ex propriis ſignis, quæ libro de temperamentis, ſcripta ſunt, tum verò vltra hæc quò magis ſcientifica notitia ſit (inquit Galenus nono metho. capi. 15.) ex ætate, & tota anteacta vita, quæ nimirum in vitæ exercitio, & victus ratione conſiſtit. præterea in hac regione, & hoc anni tempore, & hoc ſtatu cæli, conuerſatione, qua ratione diducto corporis temperamento in partes plures oriuntur particulares ſcopi, febris curationem indicantes, prout ex pluribus particularibus tanquam ex cauſis ortum habere poteſt, ac tale efficitur: & ob id ætatem, conſuetudinem, totámque anteactam vitam, temperamenti interuentu, curationis rationem indicare diximus, atque ex eiſdem particulares indicationes ſumere, pro febris curatione oportet, ſiue mauis eas coindicationes appellare. Cùm verò morbus, & ſanitas corporis ſint affectus, ille ſe tollendum, hæc ſe tuendam indicans, & aër ambiens is ſit, ſine quo nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poteſt, igitur cauſæ ſine qua non obtinet rationem, & propterea ab eo quoque neceſſariò ſumenda erit indicatio, tanquam tertio, ac præcipuo ſcopo pro febrium curatione. nam abſque eo ipſæ tolli nequeunt: reliquas enim materias tum deligere, tum fugere licet: quam autem aër ambiens præſtat, fugere non licet, imò neceſſe eſt præſente cæli ſtatu vti: idcirco huic, & non aliis præſidiorum materiis attenti eſſe cogimur, ab eóque & non aliis indicationem ſumere debemus. nam ſæpè cum his quæ febris facienda ſuadet, eſt concors, ſæpè diſcors, & qui contra moliatur. habebit itaque ambiens nos aër rationem, modò materiæ ſanantis, modò cauſæ morbum facientis, quippe cùm humectari, refrigeraríque febris poſtulet, ſi hæc ambiens præſtat, ſanãtis materiæ rationem obtinebit, ac pro gratia habendus, ſin calefaciat, & ſiccet, morbificis cauſis eſt annumerandus, ac propterea inhibenda eius noxa erit, reliquorum ſcilicet præſidiorum humiditate, ac frigiditate intenſis, adauctíſque: ipſum verò ſedulò agendum eſt, vt quoad fieri poteſt, qualem eſſe expedit, præpares, humidiores videlicet frigidioréſque domos tum deligens, tum præparans. Eſt itaque hac ratione neceſſariò ſumenda indicatio ab ambiente nos aëre, pro febrium curatione, qui cum eiuſmodi reddatur, calidus videlicet, frigidus, humidus, & ſiccus, tum propter regionem ipſam, tum anni tempus, tum peculiarem & præſentem cæli ſtatum, propterea & ipſe quoque in has particulares cauſas diductus, tot parit particulares ſcopos, ex quibus etiam particulares indicationes capiuntur à quot cauſis ipſe immutatur, ac eiuſmodi redditur, ob id ab anni tempore, regione, & cæli ſtatu ſumendas eſſe indicationes diximus: indicant enim & hæc morborum, ac febrium curationem, ſeu coindicant medio aëre nos ambiente. tot igitur ſunt tum vniuerſales, tum particulares ſcopi, à quibus indicationes proficiſcũtur pro febris curatione, quatenus febris eſt: quos omnes, ſi velis, poteris à Galeno inſtructus ad tres iam dictos communes, ac vniuerſales ſcopos, aut duos, & deinde ad vnum duntaxat communiſsimum deducere, vtputa ad contrarietatem. etenim omnes quos enumerauimus, ſub ea continentur, ipſaque eſt primus, ac communiſsimus ſcopus curationis omnium morborum nobis patefacta, ac demonſtrata à prima illa omnium curationis indicationum, quę ex ipſo, qui curatur morbo, accipitur, & plebi etiam communis exiſtit, quę

3. indicatio ab aëre ambiẽte, quæ plures alias parit.

Poſſumus dicere vnum eſſe ſcopum, vel duos, vel tres.

ſanè nulla prorſus ipſius artis medicæ adhuc portio eſt, aut certè nec magna nec propria. Licebit itaque hac ratione dicere vnum eſſe omnium morborum communem curationis ſcopum, atque ipſarum febrium, nempe contrarietatem ipſam: qua rurſus diuiſa, duos exiſtere, morbum, ſcilicet febrem, ex iis, quæ ſibi contraria ſunt adhibenda remedia indicantem & laborantis temperiem vnà cum ipſo morbo, ſeu febre (vt diximus contrarietatis menſuram definientem. qua prima ſectione contrarietatis in duo tantùm facta, in febrem inquam, & laborantis temperiem, ambientem ipſum, vel ægritudinis cauſis, vel ſanitatis annumerandum eſſe fatemur, prout concors fuerit, aut diſcors cum his quæ morbus facienda ſuadet. Poterit etiam & aër ſeorſum ab his duobus affectibus ſpectari, & ita tertius eſſe præcipuus communiſque curationis ſcopus, tanquam cauſa ſine qua non: etenim is eſt ſine quo nec tolli morbus, ſeu febris, nec teneri ſanitas poteſt. Qua ratione non in duo tantùm capita, ſed in tria diuidetur contrarietas ipſa; in duos videlicet iam dictos affectus contrarios, & in ambientem, ſine quo nec vnus tolli, nec alius ſeruari poteſt. Hac igitur diuerſa ratione, curationis præcipuos ſcopos, ac communes ſpectantes, & vnum, & duos, & etiam tres, eſſe fatebimur: nec plura ſcoporum genera eſſe poſſe, quæ ad medendum pertineant, quàm tria, cum Galeno cenſemus, neque etiam ipſius febris, quà febris eſt. Quibus rurſus in partes diductis, ipſa inquam febre tanquam morbo, ſeu præter naturam affectu, in particulares eius differentias, vt ſuprà demonſtrauimus; corporis verò temperatura, ac ambiente nos aëre, in cauſas ex quibus tales efficiuntur, totnumero particulares ſcopi ſub vnoquoque eorum continentur, particularéſque indicationes, quot narrauimus, conducentes omnes ad auxiliorum inuentiones, pro febrium curatione, partim qualitatem, partim etiam quantitatem eorum definientes, aut tanquam cauſa, ſine qua non curationi deſeruientes. quibus inuentis opportunum quoque tempus inueſtigare oportet quod quidem ex quatuor febris temporibus capiendum eſſe præcipit Galenus nono methodi medendi, cap. 14. & nos ſuprà demonſtrauimus quo modo hanc Galeni ſententiàm intelligere oporteat, & quòd ab ea non differat, quam de opportuno auxiliorum

Cap. 35. & 36.

tempore, ſcriptam reliquit lib. de optima ſecta, quòd videlicet opportuna præſidiorum tempora vniuerſalia, & ex remedia poſtulantibus præſentia, & ex potentibus impedire abſentia deprehendantur, ad quas etiam auxiliorum inuen-

Vires in febribus conſiderandæ, & quomodo.

tiones, videntur vires quoquomodo conducere: licet non ſemper eodẽ modo, nec vt à febre liberemur, ſed vt viuamus. etenim & ipſæ nihil vnquam ex earũ natura indicare videntur, præterquàm vitæ cuſtodiam: ſunt tamen perpetuò conſideratu neceſſariæ in curandis febribus, morbíſque aliis, ſub eadem ratione, hoc eſt pro virium cuſtodia, vt propterea eis vtendum ſit præſidiis pro febrium curatione, ex quibus vires ipſæ, ſeu ipſarum ſubſtantia, nec inaniatur, nec immodicè alteretur, ita vt corruptioni fiat propinqua, quamuis pro febriũ curatione, quatenus febres ſunt, hoc eſt, vbi ſolæ ſint, nec cauſam habeant, quæ eas vel gignat, vel augeat, vt in veris diariis, vires nullam egregiam prouidentiam requirant, vtpote quæ validæ ſint, & propterea exiguum eſt quod à viri-

Locis citatis.

bus conſilij petitur, vt citato nono, & vndecimo de meth. meden. ſcriptum eſt. oportet tamen eam quæ à viribus ſumitur indicationem, tum in reliquis morbis omnibus, tum in diariis febribus ſemper adhiberi, vt patet in calce octaui meth. meden. de quibus ſatiùs viſum eſt primùm ſermonem facere, vtpote ſimplicem primam curationis indicationem habentibus. nam quæ cauſa eas accendit, iam abiit, ſi qua verò earum ſit cuius cauſa adhuc adſit, quamuis verò diaria non ſit, vt quæ ex ſtipatione oritur, de hac ſermo in ſequentibus fiet. Nunc verò ſatis ſit nouiſſe numerum & ordinem ſcoporum, ac indicationum vniuerſalium, & particularium febris, quà febris eſt, curationem indicantium, & qua ratione pauci & plures eſſe poſſint, ac etiam vnus.

Febrium

Febrium hecticarum medendi methodus. Capvt XXXIX.

Diariæ, & hecticæ quomodo differunt.

QVAMVIS diſsideant inter ſe hecticæ febres, & diariæ, quoniam diarię in leui ac facili (vt ſic dicam) affectu calorem habēt, eos enim affectus qui facilè diſcutiūtur ἐν σχέσει Græcè vocant, hecticæ verò in habitu quòd ægrè ſoluantur ἐν ἕξει Græci dicūt, & propterea quæ facilè diſcutiuntur febres ſcheticas, quę ægrè, hecticas vocant, dilucidioris doctrinæ gratia: vt liquet octauo meth. med. ca. 1. differant inſuper quòd diariæ, potiſsimum exquiſitæ nunquam ad tertium vſque diem protelantur, niſi quid delictum circa laborantem ſit, at hæcticæ ſæpiùs pluribus diebus vigent, præſertim vbi fuerint maraſmodes, illud tamen commune cum diariis habent hecticæ febres, quòd videlicet non amplius fiāt, nec vllam intus habent cauſam, quæ eas accendat, aut excitet: & propterea harum febrium; diariarum videlicet & hecticarum vera & propria curatio eſt; Galeno auctore, 11. de meth. med. ca. 2. Conueniunt ergo in hac febrium differentia, quòd vtraque excitata, earum cauſa deſiit, nec amplius adeſt eas generans, aut augens: ob id hecticarum febrium medendi methodum tradere inſtitui, priuſquàm de eis, quæ ex putredine ortum habent, ſermonem faciam. Eſt etenim in eis, perinde ac in diariis, ſimplex quidam præter naturam in corpore affectus, ſimplicem quoque curationis indicationem propterea habens, cùm amplius hecticæ febres non fiant, ſed factæ iam ſint. Quamobrem totius curationis earum caput, in iis remediis, quæ refrigerent, & humectēt, ſtatuere oportet, Galeno auctore. 10. de med. meth. cap. 10. Verùm quoniam refrigeratio per efficaciſsimam qualitatem inducitur, & parui temporis eſt, & periculoſa, contrà ſiccitatis per ea quæ humectent curatio, vt longi tēporis eſt opus, ita minus eſt quàm refrigeratio periculo expoſita, vt citato loco Galenus ait, hāc ob cauſam audaciores minùs eſſe debemus, in refrigerando, quàm in humectando febres iſtas: præſertim cùm puſillæ, & æquales ſint, vt declarauimus ſita vt periculum immineat, ſi animoſe infrigides, aut vt contrarium genus morbi inducas, aut vt ipſemet corporis calor, aut etiā determinatæ partis extinguatur. id quod ſuſpicandum haudquaquam erit, ſi quodammodo immodicè humectes, quamuis vtriſque moderatè vtendum ſit, adeò vt febris curetur, ſeruetur autem corporis, aut partis naturalis temperies. Ideóque Galenus nono met. ca. 5. dicebat, quòd minùs tuta iis qui exiguum ſanguinem, carnémque obtinent, frigida potio eſt. eò etiam fit, vt hecticæ febres nec perinde eam, quæ prorſus ſit frigida, nec multam deſiderant: ceu quæ extenuatis omnino, exiguíque ſanguinis corporibus incidant. minus itaque refrigerantibus, quàm his quæ humectāt, vtendum eſt, pro harum febrium curatione, licet, vt diximus, vtraque deſiderent, quatenus febres ſunt. & propterea maximum huius febris remedium, eſt victus humectans, vt inquit Paulus ca. 32. ſecundi libri. Quamuis prima materia idonea harum rerum quæ refrigerant & humectant, pro hecticarum febrium curatione duplex genere ſit, vt inquit Galenus, citato 10. met. med. ca. 7. Vna eorum quæ foris admouentur, ſeu extrinſecus incidunt: altera eorum quæ intro in corpus ſumūtur. prætermittit autem reliqua duo genera materierum præſidiorum, tanquam minùs neceſſaria. etenim in faciendorum, & educendorum genere pauca omnino præſidia, & non adeò prima, atque non admodum conducentia pro hecticarum febrium curatione reperiuntur; vt ſatiùs eſt videre in iis, quæ ſub ipſis generibus continentur. & hac ratione dicebat Galenus, quòd prima materia idonea, & præcipua continebatur in duplici iam dicto genere, & non omnis, non negans quòd in reliquis duobus materierum generibus, poſſit quoque quædam præſidiorum materia idonea, pro harum febrium curatione reperiri, attamen non adeo idonea, conducibilis, & præcipua, quemadmodum ſunt quæ in duobus generibus ab eodem nominatis materiæ continentur. Particulatim autem ſunt in his quę extrinſecus occurrunt, tum aër qui nos ambit, tum pharmaca quæcunque humectandi, & refrigerandi vim obtinent, intel-

Quid commune habent.

Hectica curatur refrigerātibus, & humectantibus.

Materia refrigerans, & humect. duplex.

Foris incidentia.

ligas tu,quæ deforis applicantur, & tertium eſt præter hæc dulcis aquæ balneū.

Admouenda.

In genere verò eorum quæ intro in corpus ſumuntur,ſeu adhibentur,ſunt quæ eduntur,bibuntur,& inſpiratus aër. Ab his itaque tentādum eſt propoſitis hoc loco febribus tum humiditatem, tum frigiditatem comparare: quāuis eorum quædam magis in quibuſdam febribus hecticis conferant, quædā verò minùs. præterea nec æqualem ſemper frigiditatem habere debent, ſed interim magis, quandoque verò minùs frigida admittenda ſunt, quædam autem communiter omnibus conferunt.

Aeris frigiditas pro diuerſa parte, quæ in hectica primū afficitur.

Etenim ambiēs, vbi temperatus ſit, hoc eſt, nec admodum calidus, nec admodum frigidus, qualem ſe exhibet, vtique tali nobis eſt vtendum, nihil amplius de eo ſollicitis, in his videlicet hecticis, quibus primū, quod afficitur, nō eſt ipſum cor, ſed aut ventriculus, aut iecur, ob quæ quidem viſcera, magna ex parte hecticas, maraſmodéſque febres accidere, contemplati ſumus, inquit Galenus, eodem 10. met. med. ca. 8. licet etiam quandoque aliis affectis viſceribus ſuperueniant, vt liquet ibidem, & nos ſuprà declarauimus. Nam ex inſpirato aëre, iocinori nulla certè vtilitas accedit, minima etiam & ventriculo. At vbi primum quod afficitur, ſit ipſum cor, nedum modicè frigidus, ſed & frigidiſsimus admittendus erit, quatenus præſertim reſpirando attrahitur, vt qui calorem qui in corde exiſtit, admodum refrigeret. ſiquidem per pulmonem quod rarum viſcus eſt, difficile non eſt, vt tum qualitas ipſius, tum etiam ſubſtantia ad cor facilè perueniat: quamuis quatenus extrinſecus ægrum contingit, quodammodo lædat, quippe cùm cogat, denſétque cutim, ac putredinoſorum humorum effluxum tranſpirare prohibeat. fieri etiam nequit, vt tranſpirati per cutem aëris vel qualitas, vel ſubſtantia ad cor perueniat, atque noſſe licebit maius fore ex frigida inſpiratione commodum, quàm ex cute denſanda incommodum, præſertim cùm hanc operimentis calfacere liceat. Ab ipſo corde, pulmones vbi ij ſunt, qui primò afficiuntur, plus cæteris omnibus refrigerātem aërem requirunt, eodem Galen. auctore citato loco, vbi verò ventriculus primùm fuerit afflictus, ipſi magis per comeſta & ebibita eſſet ſuccurrendum: huic enim illa cùm integris adhuc viribus, occurrūt, ſicut cordi inſpiratus aër. At iocinori, vt dictum eſt, ex inſpirato aëre, nulla certè vtilitas accedit, à comeſtis verò & ebibitis, minor planè quàm ventriculo, cæterùm aliqua non obſcurè aduenit. Confert itaque magis alteratus aër, ac præcipuè vtilis eſt cordi primum affecto, quemadmodum vbi ventriculus aut iecur primùm afficiatur, cibus & potus magis vtiles ſint: quamuis & in his quoque febribus hecticis, ac reliquis omnibus, non parum etiam conferat aër: quandoquidem in his quoque neceſſum eſt cor ſimilem ſuſcipere intemperiem, citra quā, nec maraſmus, nec hectica, nec reliquarum febrium vlla conſiſtere poteſt, vt ibidem patet.

Refrigerantia citra adſtrictionem in hecticis.

Communis autem omnium hecticarum febrium ſanatio, per ea eſt quæ forinſecus applicata, refrigerant & humectant: quanquam horum quoque ea deligenda ſunt, quæ citra vehementem adſtrictionem refrigerant: talia etenim præterquàm quòd non humectant, etiā demittere frigiditatem ſuam altè non valent, propterea quòd cutim cogunt & coarctant: & ob id optima ſunt quæ non modo citra adſtrictionem refrigerant, ſed etiam tenui ſunt corporis ſubſtantia, vt citato loco ſcriptum eſt.

Refrigerātia quibus partibus admouenda.

Porrò vtendū iis quoque eſt, non ſicut vulgus medicorum facit toti impoſitis thoraci, aut toti ventri, imò illi maximè quod primò eſt affectum: neque enim neceſſum eſt (inquit Galenus) vt aut cum eo quod refrigerari valenter deſiderat, etiam id refrigeres, quod prorſus non deſiderat, aut ante iuſtum tempus refrigerare deſiſtas, timēs vicinam aliquam particulam lædi. ſemper autem ſtudendum ne ſtrenuè refrigerantibus, ſed his quæ modicè id efficiant, vtare: præſertim vbi cordi ea adhibueris, eo potiſsimū non primò affecto. requirit nanq; hoc viſcus ſemper in omni hectica febre præter inſpiratum aërē, ea quæ refrigerant & humectāt, cū perpetuò ipſum in qualibet earum afficiatur, non tamen immodicè frigida deſiderat, cùm ſit fons & principium calidi innati, præcipuè vbi ipſum, vt diximus, non fuerit primò affectum,

fectum. Sunt verò quædam remedia, quæ non vnã duntaxat facultatem habẽt, vtpote quòd actu aut poteſtate refrigerant, ſeu ex accidenti, ſed complicatam quodammodo, duplicémque, ita vt & prima ratione, & ex accidenti proficiant, in quo genere & balneum eſt aquę dulcis temperatum, vt liquet citato 10. met. med. cap. 10. eo itaque in qualiber febre hectica tutò vtare. Inſuper & reliquas omnes indicationes, quas paulò ante meminimus, inſpicere oportet, quò opportunè eiſdem vtaris medicamentis, ac menſuram non excedas. vbi verò ſiccitati coniuncta fuerit febris hectica, hoc eſt maraſmodes effecta, quæcunque fuerit, ſubſtantia ſolidarum partium exſiccata, ſingulas quoque ſimilarium partium propria humiditate, humectantis nutrimenti ope repleas oportet. Eadem enim victus ratio genere eſt, in ſingulis nedum tribus ſiccitatibus partium ſolidarũ, ſed etiam in quarta, quæ in proprijs cuiuſque particulæ exilibus arterijs, veníſque conſiſtit, ac ex ſanguinis penuria prouenit, licet ea omnium ſanatu facillima ſit, vt patet ſeptimo de meth. med. frigiditatis tamen reſpectus in hac ſiccitate exuperat, ſiccitas verò ſecundum locum obtinet, vt ibidem liquet.

Siccitas quibus corrigenda.

Continentium abſque putredine febrium dignotionis, & generationis modus, ac curationis via. *Caput XL.*

CVM præter diariarũ febrium genus, duo, veluti oſtendimus, reliqua ſint febrium genera, alterum quod iam ſolidas animalis particulas occupat, & hecticum nominant; alterum quod ex humorum putredine naſcitur, ac tranſeant ſæpe in vtrunq; genus eædem diariæ febres, niſi quis eas commodè tractet: veluti in cæteris rebus omnibus quæcunque vno genere comprehenſæ, ſocietatem in naturis habent, ac propterea mutuo in ſe tranſire valent, tertia quædã formula in tranſitu ipſarum exiſtit, quę neutrius extremitatum formam planè exhibet, ita nimirum & in diariarum febrium tranſitu imagineris oportet, alterũ quoddam genus in trãſitu exoriri, quod neutri extremitatum ſit idem, de quo priùs diſſerendum eſſe mihi videtur, quàm de ijs febribus, quæ ex humorum putredine oriuntur. nam licet medium quodammodo eſſe videatur hoc febrium genus, maiorem tamen, vt dicemus, cùm diarijs, quàm cũ his, quæ ex putredine naſcuntur, cognationẽ habet; quãuis cum ambobus generibus communia quædam habere videatur, vt in ſequentibus patebit. opus nanque eſt ſicut reliqua febrium genera, etiam ipſum, tum protinus noſcatur cùm incidit, tum ſic inhibeatur in primo ortu, ne aut ægrè ſanabile, aut inſanabile poſtquàm auctũ eſt, euadat: & ne noſtra methodus imperfecta quoque reddatur. Appellant autem has febres συνόχας, id eſt continentes, non illi quidem græco nomine vſi, ſed ſolœciſmum committendum potius rati, quàm formam ipſam ſine nomine linquendum: ſiquidem in his febribus vna acceſsio ab initio ad finem perpetuò manens, in multos dies porrigitur. Sed dices, aliud ergo (præter tria iam dicta) genus eſſe in prima febrium diuiſione dicẽdum erit, niſi eſſet quòd appellatione pro nihilo habita, diarias ipſas nominare etiam oportebit, vt Galen. inquit, nono de met. med. c. 1. neque enim profectò de ſubſtantia ipſa talium febrium eſt diariæ vocabulũ, verùm conuenienti nomine deſtituti clarioris ſimul, breuioríſque doctrinæ gratia, ab eo quod ſæpiùs eis accidit, nomẽ inditum eſt: ſæpiùs autem diarijs accidit, vt non vltra vnum diem porrigantur. qua de re licet continentium febrium acceſsio, vltra vnum diem porrigatur, & vſque ad tertium, vel quartum, & quintum quandoque extendatur, nõ propterea diaria non erit nuncupanda, cùm eadem ſit earum natura quæ & diariarum: licet nomen ſit diuerſum. neq; enim in eis humor putreſcens ſubeſt, neq; corpus ipſum febrilem calorẽ vt habitum ſuſcepit. quare ab his duobus generibus diuerſum erit: cõtinebitur autem ſub diariarum genere hoc genus febrium, cùm eadem vtriſque ſit natura. habent enim vnam a principio ad finem vſq; acceſsionem,

Medium febrium genus inter hecticas, & putridas.

Dubitatio, cui mox ſatisfit.

Quæ continẽtes ſub diarijs contineantur.

& citra putredinem, quemadmodum diariæ ipſæ, licet ad plures dies porrigantur, & propterea ab eis quodammodo diſſentire videantur, ita vt non exquiſitè hac ratione, & vere diariæ dici poſsint, qua etiam ratione, & quòd earum effectrix cauſa adhuc adſit, cum his quę ex putredine oriuntur, quodammodo conuenire videntur: & ob id nos poſt hecticas febres, de eis diſſerendum eſſe cenſuimus, & priuſquàm de febribus ex putredine ortis ſermo fiat. ſunt tamen diariæ, licet effectrix earum cauſa adſit: eſt nanq; vna particularis diariarum differentia, quando cauſa etiam adeſt, vt liquet 10. metho. med. cap. 1. licet non veræ, & exquiſitæ diariæ dici poſsint. Verùm quoniam non ſicuti idonea vna eiuſmodi febrium eſt, à qua Synochos eas nominãt, ita & natura ſimplex vnáq; eſt. nam quædam earum manifeſtam habent putredinis notam, quædam prorſus non habẽt, propterea eas duntaxat ex diariarum febrium genere eſſe diximus, atq; de eis modò diſſerere intendimus, quæ nullam prorſus putredinis habent notam: reliquas verò nunc prætermittimus, cùm vnum dũtaxat commune cum diariis habeant; duo verò cum iis quæ ex putredine ſunt ortæ: & propterea ſub earum & non diariarum genere continentur. ſubſtantia etenim earum totáque natura ex eo genere febrium eſt, quæ ex putredine naſcuntur, vt liquet 11. meth. med. c. 4. Quapropter ſimul cum eiſdem earum curationẽ tractabimus. Porrò quæ putredine vacant continentes febres, & in diariarum febrium tranſitu generantur, vt dictum eſt, non ex quauis diaria ex quacunque cauſa orta generari eas contingit, neq; in omnibus corporibus, ſed vbi diariarũ febrium occaſio ſtipatio duntaxat fuerit: hæc autem vel obſtructis exilibus meatibus, vel cõniuentibus, vel & corpore ipſo immoderatiùs denſato accidit, Galeni auctoritate, citato nono met. med. ca. 1. verùm ſi propter ipſorũ corporum denſationem, aut exiguorum meatuum conniuentiã diariæ febres oriantur, has & deſiſtere poſt primam acceſsionem (ſiquis rectè eas tractet) & verè diarias tum eſſe, tum appellari, inquit Galenus citato loco. Vbi verò ex obſtructione creantur, ſi hæc puſilla ſit, ſolui ipſas quoque vt alias diarias, ſiquis eas legitimè ſanet, ſin verò valenter impacti humores ſint, ſic vt valentius aliquid, quod eos eximat, deſiderent, eas febres porrigi vltra vnum diem neceſſe eſt, & diariarum febrium genus videri egreſſas, ex quibus liquet non ad quaſcunque diarias febres ex ſtipatione ortas continentem febrem ſine putredine inſequi, quia ex conniuentia meatuum, aut corporum denſatione ab externis cauſis, ſi ſtipatio fiat, eadem generari non conſueuit, præſertim ſi non adſit abundantia, ſed ad eas quarũ ſtipationis cauſa obſtructio exiſtit, eadémq; magna conſequitur, aut exilis, ſed non rectè curata eſt. nanque eiuſmodi febris quæ ex obſtructione gignitur (quãtum ex ipſa eſt) earum quę plures dies infeſtat, & quæ diariæ ſunt, communis eſt. Cæterũ propter cauſæ paruitatem, vnius diei efficitur, ſicut etiam propter magnitudinem, multorum interim dierũ. Verùm acceſsio eius ab initio ad exitum vſq; vna eſt, modò ne ipſam excipiat ea, quæ ex putredine humorum naſcitur, vt lib. 10. eiuſdem operis à Galeno ſcriptum eſt. Quòd verò neq; eiuſmodi febris indifferenter in omnibus corporibus conſiſtere ſoleat, ab eodem Gal. citato 9. met. med. cap. 3. ſcriptum eſt: ait enim quòd in gracili & frigido corpore eadem fieri non conſueuit, quemadmodum nec ea quæ cum putredine exiſtit, ſed plurimùm in iis qui ſanguine abundant, & corpulentis gignitur, quando nec obſtructio citra putredinem excitare febrem valet, niſi id quod tranſpirat, hoc eſt tranſpirare ſolet, vel quod attollitur vt tranſpiraret, copioſum ſit, & calidum: ita enim Gal. verba interpretanda ſunt, aliàs paucis in verbis ſibiipſi pugnaret: dixerat enim paulò ante, quòd cùm à feruentibus humoribus vapor attollitur plurimus; effluit autem foras exiguus, tunc febris hæc generatur; eóq; fit vt nec in frigida ætate, nec in frigido corporis tẽperamento, ſiue id ab initio cõſtitit, ſiue, modo frigidũ ſit factũ, continens excitetur febris, neq; etiã in gracilibus, vel qui raro ſunt corporis habitu; imò tum ætate, tum natura, tũ acquiſititio tẽperamento quæ calida ſint, & præcipuè ſi & carnoſus

Quæ continentes ſub putridis febribus cõprehendantur.

Quæ notam putred. nullam habẽnt.

Continentes ſine putredine non ex quauis diaria oriuntur.

Continentes ſine putredine nõ queuis corpora inuadit.

carnoſus, & bono, ac multo ſanguine affluens, & denſo corpore æger ſit, aut etiam calidis excrementis refertus. Proinde fit vt qui ita febricitant, iis & pulſus maximus ſit, æqualis, & vehemens, quibus etiam arteriæ conſiſtentia nec durior quàm pro natura eſt, nec mollior, celeritatis tamen frequẽtiæq; eo peruenit, quò febris ipſa magnitudinis: caloris autem qualitas, vt quæ minime tactum mordeat exiſtit, vrinę verò tum craſsitudine, tum colore à naturali habitu nõ multum alienæ, ita vt nec in pulſu, nec in calore, nec lotio putredinis aliqua adhuc animaduertatur nota: vbi etenim cum iam dictis ſignis putredinis aliqua nota aduerteretur, alteram indicarent continentem febrem, quæ cum putredine exiſtit. Conflatur autem continens hæc febris citra putredinem ob calidi ſanguinis copiam nondum putrefacti, & eo quod non tranſpirat feruore ſolum caliditatem excitantis, quẽadmodum nouum vinum ſolet in doliis, Act. teſte cap. 70. 5. lib. multorúmq; dierum fit vna earum acceſsio ad finem vſque: nam cùm acceſsionis remiſsio ex feruentium humorum tranſpiratu contingere ſoleat, non tranſpirant autem in vehementi ſtipatione quæ per obſtructionem fit in hac febre, nulláq; in ea ſubeſt occaſio, quæ alterius acceſsionis initiũ excitet. Cæterùm non adeò vehementer ſtipata corpora ſunt in hoc febrium genere, vt nullum ex eis humoribus qui tenuati admodum ſint, effluere foras ſinat, cùm nec, ſi de oſsibus ita dixeris, id verùm ſit, nedum de carne & cute, verùm cùm à feruentibus humoribus vapor attollatur plurimus, effluat autẽ foras exiguus, vt dictum eſt, hunc qui relictus eſt, febrem ſeruare oportet, neque id modò propterea quòd ipſe manet, ſed etiam propterea quòd quæ proxima ſunt adurit. Cùm verò ex duobus his ſeruari poſsit febris, & quòd totus vapor non tranſpiret, & quòd idem vapor ea quæ cõtingit etiam excalfaciat, adurátque, neceſſe eſt (inquit Gale. citato loco) tres eſſe in ſynochis febribus differentias, nempe vel pari permanente ea magnitudine, quam in principio acceſsionis ſummam habuit: vel ſemper aliquid exigui adiiciente, vel diminuente, atq; hęc vel æqualiter, vel inæqualiter faciente. ſi enim quod accenditur, ei quod trãſpirat par fuerit, nec augeri, nec minui febrilis calor videtur, ſed perinde ſibi ſimilis permanebit, ac ſi nihil illi adiiceretur, aut demeretur: quippe cùm ad æqualitatis cuſtodiam nihil interſit, ſeruetúrne eadem aſsiduè ſubſtantia, an ei quæ vacuatur, par ſit ea quæ adiicitur. Verùm ſi altera earum vicerit, vtiq; ſi ea quæ euacuatur, minui febrẽ neceſſe eſt, ſin quæ adiicitur, omnino increſcere. Appellant autem Græci primas illas ἀκμαστικὰς vel ὁμοτόνους, alias παρακμαστικάς, reliquas verò ἐπακμαστικάς. Tres igitur ſunt continentium abſque putredine febrium differentiæ, quæ ex ſtipatis per obſtructionem meatibus oriuntur, ac ex diariarũ genere exiſtunt, ac cũ obſtructio incidat, vel propter craſſos, vel glutinoſos, vel copioſos ſuccos (vt liquet 8. 9. & 11. meth. med.) quando corpus inhabile ad tranſpirationẽ redditur, ex ſuccorũ abundantia, tales cõſueuerunt febres generari, ac in iis qui ſanguine abundant, & corpulentis plurimùm, vt modò diximus, ac cum eodem Gal. cõcluſimus; & non vbi ex humorum craſsitie ſeu tenacitate obſtructio fiat, ac in corporibus gracilibus & frigidis, ætate, natura & temperamento, quãdo vt idem Gal. inquit, neque ipſa obſtructio citra putredinem excitare febrem valet, niſi id quod tranſpirat, & copioſum ſit, & calidum: neque etiam ex quauis ſuccorũ, ſeu ſanguinis redundantia tales procreantur febres, eodem Gal. teſte citato 9. meth. med. quoniam non ex ea quæ ad virtutem comparatur, ſed ex ea quæ contineri à vaſis vltra non valet, quæq; ob id ipſum tum perrumpere eadem vaſa, tum recludere ſolet inducitque obſtructionem, diſtentionem, ruborem, ac tumorem: ſiquidem copia hæc dum bonitatem ſuam ſeruat, vt pariter augeri cum robore virium eſt nata, ita ſi quando has grauat, nec de cætero augebitur, & bonitatem naturæ amittet, ea verò quæ ad virtutem comparatur abundantia, nec ſic obſtruit ora venarum, vt refrigerationem prohibeat, nec earum tunicas diſtendit, nec ruborem, nec tumorem inuehit, multóque minus vel carnis, vel cutis tranſpirationem

Dignotio continentis febr. ex pulſu, caloris qualitate, vrina.

Cauſa febr. cõtinentis.

Tres cõtinẽt. febr. differentiæ.

Cap. 2. & c. 4. & cap. 4.

Continẽs feb. citra putredi. oritur ex redundantia ad vaſa.

Loco citato.

moratur, vt citato loco ſcriptũ eſt. Fit itaque continens febris abſque putredine ex ſtipatis per obſtructionem meatibus à ſuccorum abundantia, ad vaſa, & non ad vires comparata, vt abundè demonſtrauimus. quamuis interdum craſſitudo etiam cum abundantia copulari poſsit, vt ſentit Aetius citato loco. qua de re eis vtendum erit auxilijs pro eius curatione, quibus abundantia vacuetur, obſtructio eximatur, & febris feruor deferueat, ac confeſtim, priuſquam humores putreſcant, ex eiuſdem Gal. præcepto citato 9. meth. cap. 5. non enim ſimplicem omnino curationis indicationem habent, velut reliquæ exquiſitæ febres diariæ, cũ earũ effectrix cauſa adhuc adſit: quamuis 10. eiuſdem operis libro cap. 2. aliter ſentire videatur: ait enim quòd quæ febris ex ſola obſtructione citra putredinem ortum habet, vtique ipſius obſtructionis ſolutio, eius eſt ſanatio, & loquitur Galenus de hac febre, niſi eſſet quòd poſt pauca ſubdidit. Iam verò ipſarum obſtructionum, alia eſt quæ ex abundantia, alia quę ex qualitate ſuccorũ, ſcilicet qui aut lenti aut craſsi ſint, incidit: præfertur autẽ inter remedia in ea quã copia facit, ſanguinis miſsio. hæc nanq; ſanguinis miſsio inſimul ambos curat affectus, abundantiam ſcilicet, cui potiſsimum opponitur, ac obſtructionẽ ex ea ortã. Quapropter idẽ erit dicere, quòd vti debeamus auxilijs quibus abundãtia vacuetur, & obſtructio eximatur, ac fateri quòd obſtructio quã copia gignit, auferri debeat: at nõ alio aufertur auxilio, quàm venæ ſectione, qua etiã neceſſariò abundantia exhauritur, inſuper & febris feruor remittitur, cùm ex accidẽti infrigidet, vt dictũ eſt. Cùm itaq; omnibus quæ requirit hoc genus febrium pro eius curatione abundè ſatisfaciat vnum præſidium, quod eſt venæ ſectio: licet cùm hac febre plures complicentur affectus, vtpote abundantia, & obſtructio quæ pariter eandem deſiderant, iure ad detrahendũ ſanguinem feſtinare oportet: ſiquidem, vt Gal. inquit, eorũ qui ex ſola obſtructione febricitant, nemo in putredinis febrem incidit, cui priùs ſanguis miſſus fuerit, quem vbi valida virtus fuerit, & ætas permiſerit, vſque ad animi defectum mittere expedit, vbi horum alterum non ſatis reſpondeat, tutius eſt quãtum ſatis viſum fuerit, tantum principio detrahere, quod deſuit, iteratione ſupplere, quando quibus corpus ex ſuccorum abundantia inhabile ad tranſpirationem iam redditum, tantum caloris congeſsit, vt inde iam febricitet, iis tantum ſanguinis eſt detrahendum, quantum vires tolerant. Hæc ille: & libro de curan. ratio. cap. 12. per venæ ſect. inquit: cæterùm vbi feruefcentis ineſt ſanguinis plenitudo, acutiſsimam accendens febrem, ſubito ac ſimul euacuare expedit, eámque inanire tentãdum vel ad animi deliquium vſque, virium modo inſpecto robore. Atqui nos tutiùs eſſe cenſemus tantum principio ſanguinem detrahere, quantum ſatis viſum fuerit, nec vſque ad animi defectum ipſum mittere, & quod defuit in prima ſectione, iteratione quàm primùm poterit, ſupplere. etenim ſatis admodum periculoſam eſſe talem venæ ſectionẽ fatemur, tum quoniam ſæpius contingit, quòd alterum nõ ſatis reſpondeat, vtpote virtus aut ætas, tum etiam quòd ex tali & tanta venæ ſectione non parum meriro ſequetur incommodi, niſi opportuno tempore, aut debita menſura fieret, vt ipſemet Gale. teſtatur eodem lib. duos nanque ipſe vidit in medicorum manibus periiſſe, multi autem, licet non protinus, at poſtea propter virtutis imbecillitatem periere, alióſque non paucos inſpexit, in graues ac longos, exitialéſve morbos incidiſſe ex tali vacuatione, vt ipſe refert. quia igitur valde periculoſa eſt talis venæ ſectio vſque ad animi defectũ, (licet vbi ritè adminiſtretur, tot ſequantur commoda, quot Gale. narrat, ſítque maximum continentis febris remedium, vbi valentes vires ſint) ab ea tamen abſtinendum eſſe conſulo, ac quantum in prima detractione defuit, pro abundantiæ vacuatione, confeſtim repetitione ſuppleatur: id enim tutius eſt, & ab eodem præcipitur Gale. vbi alterum non ſatis reſpondeat, quòd quidem ſæpius contingit. at in hoc te exerceto (inquit Hippocr. 1. de morbis vulga.) morbis vt prolis, aut ſaltem ne quid lædas. adhibenda eſt itaque hac ratione his corporibus quæ ita laborant,

Cõſtructio duplex.

Continẽs feb. ſanguinis miſſione curatur.

Tutius ſanguinis miſsionem iterare, quàm vſque ad animi deliquium educere.

Text. 50.

venæ

venæ ſectio. nam ſi id non adhibeatur præſidium, timor eſt ne ſuffocentur, vel certè ſyncope prehendantur, & omnino periclitentur, niſi eos vel virium robur, vel plurimus ſudor, vel largum ſanguinis profluuiũ à morte vindicet, eodem Gale. auctore. atque à principio ſtatim, aut quàm primùm poteris, non numero dierum, ſed vni virium robori attentus, in huius generis febribus, venam ſecabis. Attendenda verò cùm venæ ſecandæ ſcopis nonnulla ſunt, tum quæ præcedunt, tum etiam quæ conſequuntur, vt ſi præcedat ciborum cruditas, aut neceſſariò vacuatio quædam ſequetur: nam in illa tantum differre venę ſectionem oportet, quantum ſatisfacere, tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa deſcendant, videbitur, in reliqua tantum illi de eo quod ſuperfluum eſt relinquendum, quantum eſt per eam vacuandum, nec minùs & alia quædã attendenda ſunt, vt natura, ſeu naturalis habitus ægrotantis, ætas, & cœli ſtatus, ſub quo regio, & anni tempus comprehenditur. nam quædam eorum, ſanguinem interdum detrahere coindicant, quædam verò quandoque refragantur, quando eadem venæ ſectio pro vacuatione omnino ſuſcipitur, vt patet eodem 9. meth. med. cap. 5. quæ etiam fuſiùs in ſequentibus recẽſebimus. Quòd ſi curare infirmum aliqnãdo cogeris, cui non ſolùm antea ſecãdæ venæ remedium prætermiſſum eſt, ſed nunc quoq; vel per medicorum ignorantiam, vel ipſius laborantis, propinquorúmve eius timiditatem procedente tẽpore mittere ſanguinem prohiberis, ad frigidam exhibendam accedes, inquit Gale. citato loco, priùs tamen diligenter diſcernens, quantum ex ea nocumentum contingere poſsit. nam ſi id aut exiguum, aut nullum ſit, offerẽda potui eſt, quæ prorſus ſit gelida, quantum bibere ægro libet, magiſque id audebis ſi frigidæ potioni inſueuerit. hanc verò quantitatem determinanit idem Gale. 1. de ratio. victus. licet quibuſdam varius in hoc eſſe videatur, dicebat enim: {potio autem frigidæ tanta ſit, quantum frigidæ aquæ æger inſpirando haurire poſsit.} id enim eſt quod dixerat in libris meth. meden. inquit ipſe, valida exiſtente febre, ac conſtante virtute: quantum igitur ægro bibere libeat vna tamen inſpiratione, tanta potio aquæ eſt offerenda, quæ prorſus ſit gelida, ita qnòd nõ plus, minùs autem quantum libeat ægro. at ſi magnum timetur incommodum, ab hac quidẽ abſtinẽdum, atque alus auxiliis quibus obſtructio eximatur, & abundantia vacuetur, & febris feruor deferueat, vtendum, eiuſdem Gal. auctoritate. Cùm ergo concoctionis humorum in eiuſmodi febricitantibus notas inſpexeris, audacter frigidam dabis, quòd ſi etiam frigidæ aſſuetus æger ſit, magna cum fiducia frigidam exhibebis, ipſa ſcilicet experientia iam doctus, omnia viſcera eius occurſum familiariter tolerare: ex hac nanque tempeſtiuè exhibita, ſolidarum animalis partium natura roborata, præparatos iam humores aggreditur, ita vt qni vtiles ſint atque ad nutriendum habiles, hos quidem ad ſe trahat: inutiles verò, vel per ventrẽ, vel per cutim eiiciat. accedit ad hæc ipſa caloris copia, hic nanque cùm in vaſorum finibus plurimus cõtineatur, vtpote tum aërea in his corporibus ſubſtantia, tum etiam ſuccis omnibus inflammatis, quãtum ab frigido patitur refrigeratus, tantum rurſus calefaciendo in ipſum agit, ſunt tamẽ incommoda quæ frigidam potionem intempeſtiuè, immodicéque exhibitam ſequuntur, non pauca, nec contemnenda, quæ magnopere animaduertere oportet. nam vbi eadem timerentur, ab hac omnino abſtinere neceſſum eſſet, ac ad alia, vt diximns, conuerti remedia: viſcoſos etenim ac craſſos humores attenuari, ac trãſpirari frigida impedit. Quare vbi obſtructiones, aut quemuis præter naturam tumorem in viſceribus creauerint, eam exhibere non connenit, neque etiam eis quibus debile aliquid viſcus fuerit ex quauis cauſa, vt ſtomachus, ſeu gula, ventriculus, aut eius os, aut iecur, aut pulmo, ſeptum tranſuerſum, colon, renes, veſica, aut tale quippiam aliud fuerit inflammatnm. Quidam ex eius intẽpeſtiua immodicáq; potione, non multo interpoſito tempore, ſed illico in áquam inter cutem, aut ſpirandi difficultatem, aut conuulſionem, aut tremorem inciderũt, aut etiam alto ſopore lethargo, aut aurium abſceſſu

Potus frigidæ quibus cõditionibus offerendus.

Super tex. 43.

Frigidæ intẽpeſtiuè potus quæ ſequãtur incommoda.

corre

correpti fuere,&,vt ſummatim dicam,omne neruorum genus, ac caput etiam offendit,præſertim quibus nou conſueuit. Quare cauenda quoque eſt frigidæ potio,vbi hæc eadem fuerint imbecilla, vbi autem hæc non affuerint, tute ea vtare,ſeruatis tamen priùs quæ diximus:etenim maxima continentiũ febrium remedia,hæc duo ſunt,inquit Gal.eodem 9.metho.venæ inquam ſectio, & potio frigidæ:verùm illa nullo non tempore modo vires ſubſtineant, hæc cùm & in pulſu,& in vrinis concoctionis euidentes cernuntur notæ,febris autẽ eſt maxima. & ne quippiam deſit pro harum febrium curatione,placuit alia quædam particulatim addere,ne iterum cogar de eius curatione verba facere:ſunt autẽ

Balneũ dulcis aquæ, & ptiſanæ ſuccus. Cibi modus.

hæc,quòd confidenter eos tertio aut quarto die lauabis in dulcis aquæ balneo, ptiſanæque ſucco,ac eo modico cibabis vſque ad tertium vel quartum diem, robuſtis exiſtentibus viribus,quo tempore finiri morbum expectatur; vti itaque tenuiſsimo victu propterea oportet.At vbi vires ægrę ſunt,non licebit tenui hoc victu vti citra magnum detrimentum,ſed alimentis tantum apponendum eſt,quantum roboris viribus detractum eſt,vt inquit Aëtius cap.73.5.lib.

Cibãdi tẽpus. cap. 5.

tempus verò,vt ipſe refert eodem loco,& Gal.præcipit 11.meth.exhibendi cibi in febribus continentibus omnibus eſt, bona ægri tolerantia, & conſuetudo, quando cibus eo tempore eſt offerendus,quo facilius quàm in cæteris morbum tolerant ægri,eóque potiſsimùm diei tempore,quo priùs in ſanitate,cibati erãt ſueti,etenim facillime cibum ferent,ſi ex his conſiderationibus aſſument; de hoc verò fuſiùs in ſequentibus pertractabimus.

Febrium ex putredine ortarum curatiua methodus. Caput XLI.

ERAT vna febrium differentia pro earum curatione, ſpectãda, in qua cauſa adhuc adeſt febrem creans, aut febre excitata iam deſiit,Gal.auctore 8.meth.cap.1.cum itaque modum, ac viã docuerimus quo illæ febres, quæ amplius cauſam non habent ex qua fiant,ſed eis excitatis,iam deſiit,curari debeant,de eis conſequuter diſſerendum eſſe putaui,quæ non amplius factæ ſunt,vt diariæ, & hecticæ,quarum diximus veram & propriam curationem eſſe, ſed adhuc fiunt, quarúmque cauſa adhuc adeſt,eas creans,ac adaugens,& propterea earundem

Curatio cum precautione mixta.

non propria,& vera curatio dicitur, nam vocata curatio,prophylacticen quoque admixtam habet,cuius officium eſt cauſam,quæ morbum creat, adimere, nominatur tamen & hæc ipſa quoque artis pars curatrix, vt quæ ab ea quæ purè,ſinceréque prophylactice dicitur,in eo diſtincta eſt,quòd ſub hac iam ſenſibiliter ex ipſa cauſa morbus eſt genitus in vera prophylactice eſt futurus,vt liquet 11.meth.med.cap.2.ſunt verò hæ febres quæ ex putreſcentibus excitãtur

Febres putridæ, quæ.

humoribus,ac propterea multos dies continuant,nam quãuis continens abſq; putredine febris,quam priùs curare docuimus,cauſam quodãmodo adhuc habeat,nec prorſus abierit,atq; ob id multorum etiam dierum ſit, oſtendimus tamen,ac cum Gal.concluſimus,eam eſſe ex diariarum genere, ſunt etenim diariarum (vt idem Gal.teſtatur 10.meth.cap.1.) particulares differentiæ multæ, quarũ vna eſt quãdo iam prorſus abiit effectrix ipſarũ cauſa,veluti exuſtio;altera quando hæc etiã adeſt,vt ſtipatio.Licet igitur eius effectrix cauſa prorſus non abierit,non tamen ægrè tolli poteſt,ſimul cum his quæ febrem curãt, quæ in generatione adhuc eſt,quemadmodum & ipſa cauſa ſublata, ipſa quoque febris vnà interit, modò eam putredo nõ excipiat,& idcirco diaria eſt, & dici debet,quamuis paulo plus protelетur quàm conſueuerint exquiſitæ diariæ,cũ quartum,aut quintum diem non tranſcendant.quare earum etiam relatione, & non illarũ,quæ ex putredine ortũ habent,dicentur quodammodo eſſe multorum dierum febres.Iure igitur cum Gal concludamus febrium, quæ multos dies continuant,manente adhuc in corpore cauſa,quæ eas excitauit, talẽ cauſam eſſe putredinem. quapropter in eiuſmodi febribus, nec affectus ſimplex,

nec ſanatio eſt, veluti in diariis: ſiquidem quod febris iam receptum in corpore eſt, id ex propria ipſius curandi indicatione diſcutere oportet, quod adhuc eſt futurum, propulſare, ac ne fiat, vitare. vitabitur autem ſi quæ id excitat cauſa, prorſus ſummota. Itaque ſi febrium quæ multos dies continuant, rectè oſtendimus putredinem eſſe cauſam, prima indicatio, ab ipſa tanquam à cauſa ſumetur, eáque nimirum prima, eſt ſananda: ſed nec interim extinguendæ febris, quæ per eam iam accenſa eſt ratio non habenda: ac ſiquidem in idem conſentiant, & quæ febrem extingunt, & quæ cauſam oppugnant, in quod vtraque conſpirant, cùm vnum ſit, ſine cunctatione agendũ eſt, vt citato lib. 10. de med. meth. ſcriptum eſt. Libro autem 8. eiuſdem operis, loquens de febribus, quarum cauſa quæ eas excitauit, adhuc adeſt, dicebat, {& ſi in generatione adhuc febris eſt, cauſa quæ eam accendit ſummouenda eſt, ſin pars eius iam genita eſt, pars in gignendo adhuc eſt, vtrique conſulendum eſt, primum quidem ſummouendo quæ eam accendit cauſam, deinde extinguendo quæ ab hac accenſa eſt febrem:} quo loco, (mea quidem ſententia) per febrem, quæ in generatione adhuc eſt, intellexit continentẽ, ac reliquas, quæ ex ſtipatione oriuntur, ac eas omnes, quæ cauſam intus habent abſque putredine: in his enim dum aufertur cauſa, ipſæ quoque vnà intereunt: ſiquidem ſanamus id febris, quod iam inuaſit, etiamſi exiguum eſt, proſpicimus ne quid amplius proueniat, adimentes cauſam: vt ipſe inquit eodem lib. & 10. cap. 2. eiuſdem ait, quòd quæ ex ſola obſtructione, citra putredinem, orta eſt febris, ipſa obſtructionis ſolutio eſt eius ſanatio, vt priùs diximus, indifferenter enim eodem lib. octauo de omnibus febribus quæ adhuc cauſam intus habent, & nõ de his duntaxat, quæ ex putredine oriuntur, ſermonem faciebat, libro autem decimo de his quæ ex putredine duntaxat naſcuntur, in citatis verbis loquebatur. Sed intelligas quaſcunque velis febres, per eas quæ in generatione adhuc ſunt, ſatis eſt, quòd in eis ſublata earum cauſa, propterea febris vnà interit, quòd eadem adhuc adeò in generatione eſt, quòd exiguum ac puſillum eſt, id quod factum eſt, idque non permanens, nec difficulter ſolubile, quemadmodum in modò dictis febribus ſemper contingit, perquam rariſsimè autem, in his quæ ex putredine ortum habent: & propterea in eiuſmodi febribus primò ſummouenda eſt earum cauſa, ac prima indicatio ab ea ſumenda erit, deinde quæ ab hac cauſa, accenſa febris eſt, extinguenda. de iis etiam febribus, ac morbis fientibus, in quibus non exiguum eſt id, quod iam factum eſt, verba fecit lib. artis med. cùm dixit: {oportet priùs vnamquamque cauſam, quæ efficit, abſcindere, deinde ita venire ad eam, quæ ab eadem cauſa facta eſt ægritudinem.} nam quando puſillum eſt, id quod per cauſam factum iam eſt, ſublata cauſa, ſimul quoq; & ipſum aboleri non ignorabat: quapropter veniendum eſſe ad eam quæ facta eſt ægritudinem præcipit, vbi ſublata cauſa eadem permaneat. Hoc idem dilucidiùs à Galeno 1. de loc. affect. cap. 8 9. ſcriptum eſt, cùm dicebat: {quippe nonnunquam à cauſa quapiam oritur affectus, ſed ita oritur, vt ſeparata cauſa haudquaquam permanentem habeat diſpoſitionem: interdum autem partim iam factus eſt, partim etiam dum fit, ſæpenumero quanquam fieri deſinit ablata cauſa, perſeuerans tamen remanet diſpoſitio.} probátque illud exemplo dyſenteriæ, licet quibuſdam viſum ſit hanc Gale. ſententiam diuerſam eſſe ab ea quæ 8. metho. med. conſcripta eſt: eſt tamen, vt mihi videtur eadem, niſi quòd hoc in loco ſpeciatim magis ſuam explicat ſententiam, morbi etenim qui fiũt, aut ſunt in generatione, vt inquit, eodem octauo, & ſunt illi de quibus, hoc in loco aſſerit: qui ita oriuntur & fiunt, vt ſeparata cauſa haudquaquam permanentem habent diſpoſitionem, ſimul enim cum ea intereunt, propter eius exiguitatem, aut ita fiunt, quòd eorũ pars iam genita eſt, non tamẽ exigua: & hoc bifariã cõtingere poteſt, quẽadmodũ in hoc 1. de loc. affe. cap. 3. fatetur, id quod nõ ſubdiuiſit citato lib. 8. de meth. med. cap. 1. quoniã aut id quod factũ eſt maximũ exiſtit, quo caſu quanquã fieri deſinat, ablata cauſa, tamen perſeuerãs eſt,

Prima indicatio à cauſa.

Loc. citati.

Febris quæ in generatione eſt, tollitur, cauſa ſublata.

Febris quæ in generatione eſt, partim tollitur ſublata cauſa.

& dif

& difficulter ſolubile, aut non adeo maximum, ſed medium inter hoc, & puſil-
lum, quod quidem abſciſſa cauſa licet præſidia exigat, haudquaquam tamen
difficulter diſcutitur. Sed de his qui fiunt morbis, ſatis dicta ſint: ad febres ve-
rò quæ ex putredine oriuntur, ſermonem rurſus conuertamus, aſſerentes ite-
rum quòd cùm earum cauſa putredo ſit, ab eadem ſumenda prima indicatio
erit pro earum curatione, vt liquet citato lib. 10. metho. med. cap. 1. cuius occa-

Dubitatio.

ſione mox dubitabit quiſpiam, quî fieri poſsit, inquiens, vt prima indicatio in
eiuſmodi febribus curandis, à putredine tanquam earum cauſa ſumatur, ſi ter-
tio de meth. med. cap. 1. ab eodem ſcriptum eſt, omnibus in confeſſo eſſe primas
indicationes ex præter naturam affectibus, hoc eſt morbis, eſſe ſumendas, ac
initium inueniendorum remediorum ex ipſorum morborum natura ſumi, &

cap. 1.

11. eiuſdem, in principio, aſſerebat hæc verba: {febriũ quas putreſcens accen-
dit humor primi remediorum ſcopi dicti priùs ſunt.} quo loco eos quemadmo
dum & duos, & tres effecias, ac etiam, ſi velis, vnum, docuit citans librum no-
num, vbi ex propoſito communiſsimos, ac primos ſcopos curationis febrium,
vnum eſſe dicebat, vtpote contrarietatem, interim duos vtpote febrem ipſam,
& naturalem corporis temperiem, interim tres, dictis duobus aërem nos am-

Reſpondet dubitationi.

bientem adiiciens. Huic dubitationi reſponſum dabimus, quòd vbique locorũ
veritatem Gale. conſcripſerit, nempe aliud eſt fateri quòd prima indicatio pro
inueniendis præſidiis ab aliquo ſumatur, & aliud quòd prima indicatio capia-
tur ab aliquo pro eo auferendo: quapropter cum Galeno decernimus perpe-
tuò principium inueniendorum remediorum ab ipſa morbi natura auſpicari:
ſiue adhuc cauſam habeat, ſiue ea iam deſierit, id quod promulgauit tanquam
perpetuæ veritatis, idem Galenus citato libro tertio meth. meden. verùm ipſis

Si morbi cauſa adſit, ipſi cauſæ nõ morbo primò remedia adhibentur.

inuentis, aſſerimus cum eodem, non ſemper ipſi morbo primum remedia eſſe
adhibenda, niſi is cauſam non habeat. nam vbi cauſam, aut plures cauſas intus
habeat, eiuſdem morbi cauſa primò auferẽda erit, ac pro eius ſublatione præ-
ſidia priùs ſunt adhibenda, quemadmodum idem Galenus inſtituit citato lib.
10. metho. meden. nec obſtat eius auctoritas paulò ante citata libro 11. eiuſdem
operis, in principio, nam cum eodem admittimus primos ſcopos curationis fe-
brium, etiam earũm, quas putreſcens accendit humor, quatenus febres ſunt,
eos eſſe quos diximus, pro inuentione videlicet remediorum, ab eiſdémque
methodum eſſe exordiendam, quamuis eis inuentis, in eorundem adhibitio-
nis ordine, aliud ſeruari oporteat in his, quas putreſcens accendit humor, nam
cauſa priùs, (vt ſæpius dictum eſt) per inuenta remedia auferenda erit, & de-
inceps febris ipſa extinguenda, quæ omnia idem Galenus paucis quibuſdam
verbis citato lib. 11. eiuſdem meth. cap. 10. abſoluit, eo loco quo febrium ex pu-
tredine ortarum reſolutiua methodo cauſas inueſtigans, ordinem curationis
earum docebat. dicebat enim in vltimis verbis: {quod verò febris ipſius iam
accenſum eſt, id refrigerabimus.} in auxiliorum enim ordine vltima eſt, quæ
ab hac ſumitur indicatio, quamuis alia ratione ſit prima, quippe cùm à febre in-
ceperit inueniendorum præſidiorum methodus, id quod in ſequentibus fuſiùs
patebit. Cùm itaque in cũrandis febribus ex putredine ortis, prima indicatio
ſumenda ſit ab ipſa putredine tanquam à cauſa, ita quòd ea priùs eſt abolen-
da, vt demonſtrauimus, inueſtiganda primò à nobis erit pro hac methodo con-
ſtituenda eiuſdem putredinis natura, vt ſciamus quæ ab ea, ac eiuſdem pro-
pria ſubſtantia, ſeu eſſentia prima, ac communis ſumatur indicatio pro ea au-
ferenda, deinceps eadem in particulares differentias diducta, quouſque ad eas
peruenerimus quæ amplius ſectionem non admittunt, quot qualéſve ab eiſ-
dem quoque particulares differentiæ ſumendæ ſint, oſtendemus, ac quæ ſit ſin-
gulatim cuiuſque propria indicatio. Par eſt enim profectò, & quod omnium
earum commune eſt, communem habeat indicationem, & quod in ſingulis eſt
proprium, quantum à reliquis eiuſdem generis eſt diuerſum, in tantum & di-
uerſam ab illis ſortiatur indicationem: ſunt autem natarum ex humoris pu-

tredi

tredine eiuſmodi differentiæ, vt inquit Galenus libro 11. de metho. meden c. 4. vna ex eo quòd cauſæ ipſius putredinis adſunt, vel non adſunt, ſecunda ex eo quòd per totum animal, aut eius partem aliquam diffuſa ſit putredo, tertia quatenus cum phlegmone eſt, aut citra hanc, igitur conſiderandum nobis eſt, quid nam commune habeat indicatio, quæ à cauſa ſumitur adhuc manente: quidnam ea quam putredo ipſa præſtat; ab his deinde quid indicatio putredinis, quæ per totum diffunditur animal, aut certè maximè principalia in eo vaſa, quid eius quæ in vna conſiſtit parte; mox deinde earum quæ in vna quadam parte ſunt æſtimabimus differentias, quippe aliam eſſe indicationem eius, quæ cum phlegmone coniungitur ratio eſt, aliam eius quæ ſine hac conſiſtit: rurſus in his etiam ipſis, aliam eſſe adhuc præſente effectrice cauſa, aliam verò hac ſummota, poſtremò cuiuſque cauſam adhuc manentis differentias, per omnia quæ in ſpecierum diuiſione ſunt inuenta, ſpectabimus, ſiquidem hic iam deſinant, neceſſe eſt indicationes, quæ ex curandis affectibus ſumuntur, poſt has eas nimirum, quæ ab ipſis curandis ſuggeruntur pro particulis, pro iam dicta methodo, ſumemus, quibus, ſi eas quæ à viribus præbentur, adiecerimus, abſoluta nobis methodus, de febribus omnibus à putredine incenſis, ſanandis, erit.

2. Indicatio, ex putredinis cauſa.

3. Indicatio.

Methodus medendi humorum putredinem vbi eius cauſa non adſint, ſed iam abierint.

Caput XLII.

CVM itaque humorum putredo tanquam immediata cauſa febrium, quæ ex ea ortum habent, fuerit id, à quo, vt diximus, prima ſumitur indicatio, ac quòd primò indicet, ex ea igitur exordiamur oportet, ac cõſideremus quibus maximè ſcopis, quibúſque indicationibus vſi, curationẽ eius inuenire valeamus, principium inuentionis facientes ab ipſa de qua agitur rei natura; quemadmodum etiam in præcedentibus docuimus. Eſt autem putredinis natura Gal. auctore 11. meth. med. c. 8. mutatio totius putreſcentis corporis ſubſtantia ad corruptelam à calido externo, inquit autem Gal. à calido externo, vt qui non ignorauerit duplex calidũ, id quod Ariſt. etiam confirmauit 4. meteororũ tex. 3. & idemmet. Gal. eiuſdem Ariſtote. auctoritate 2. de differentiis febrium c. 9. vnum videlicet proprium, ac naturale, reliquum verò alienum, & præter naturam, non enim profectò à proprio calore corrumpitur quidque, imo contrà prorſus quicquid in rebus ſubſiſtit, id gliſcit, roboratur, ſanum eſt, ac viuit dum proprio calore regitur, veluti nimirum ipſa animantium corpora, tametſi plurimam ſubſtantiæ ſuæ portionem, calidam & humidam ſortita ſunt; magnum tamen annorum numerum, ſine putredine, ac ſana, viuáque exigunt, ſi ſeruetur eorum proprius calor, in cordis quidem corpore per reſpirationem, in reliquis omnibus partibus, tum per communitatem quam habent cum corde, mediis ſcilicet arteriis, quibus participant, tum per aliam quandam reſpirationis ſpeciem, quæ per totam agitur cutim, mediis etiam arteriis quæ ad eam terminantur, & tranſpiratio, ſeu perſpiratio dicitur: quibus quidem læſis, vnà etiam naturalis calor læditur. Alter verò calor qui alienus, & præter naturam dicitur, quando in corporibus excitatur (excitatur autem ex tot cauſis quot in præcedentibus enarrauimus, cùm de febris generatione diſſeruimus) primùm quidem ipſos ſuccos propter eorum humiditatem, & putrefacit, & corrumpit, ſpatio verò, tum adipem inuadit, tum carnem eodem Galeno auctore citato libro 11. meth. med. c. 8. Excitatur itaq; humorum putredo tanquam efficiente cauſa, ab alieno, & præter naturam calore: id verò quod ab eodem mutatur, eſt ſubſtantia putreſcentis corporis ad corruptelam: non enim in qualitate duntaxat id quod putreſcit mutatur, ſed in propria ſubſtantia, atque eſſentia, exigua tamen, & non magna mutatione. nam vbi magna foret, corruptio potius quàm

putredo quid.

Calidum duplex.

Calor natiuus quomodo conſeruetur.

Caloris alieninis, & quib. de cauſis in corpore excitetur.

Putredo per motum definita eſt.

putredo nominanda eſſet, quemadmodum à Gale. ſancitum eſt apho. 17. 2. lib. quamobrem Gale. mutationem dixit, & non mutatum eſſe, in fieri generatione, ac in motu, & non in facto eſſe, aut termino motus, putredinis naturam ſpectans, atque definiens. cuius etiam mutationis terminus præſcripſit aſſerens, mutationem eſſe totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam, putredinem ipſam: quamuis Ariſtoteles citato libr. 4. meteororum, aliter ſentire videatur, ait enim putrefactionem eſſe corruptionem &c. quam etiam ob rem, idem Gal. tanquam optimus logicus, putredinem ipſam conſiderans, tanquam id quod eſſentiam habet in fieri, per omnia quatuor genera cauſarum ipſam definire voluit, vt cuilibet patet eius definitionem rectè inſpicienti. Cognita igitur ipſa putredinis natura, neceſſariò inueſtigandum eſt quid ſit illud, quod ex ſua natura nobis indicet ipſa putredo, ac quot, quæve indicationes ab ea oriuntur, pro eius ſublatione. Et cum eodem Gal. citato loco aſſerimus, quòd quemadmodum in his corporibus quæ non viuunt, cùm putreſcunt, primùm quantum eorum iam computruit ſeparant, dein ei quod reliquum eſt in frigidum aërem ſublato, perſpirationem refrigerantem moliuntur, ita vtique & putredinem quæ in viuis eſt orta, ſanabimus, id ſcilicet, quod iam corruptum eſt omni ratione vacuantes, quod reliquum eſt moderatis motibus, & refrigerante perſpiratu ad exactam ſymmetriam reducentes. Duo itaq; ſunt quæ ab ipſa putredine ſuapte natura indicantur, pro eius ſublatione, prout duæ etiam in ea conſiderantur partes, vna quæ iam corrupta eſt, & hanc omni ratione vacuare debemus, reliqua quæ ſemimala, ac ſemiputreſcens, & hæc indicat, vt ad exactam ſymmetriam reducantur, ſed quoniam, vt diximus, putredo hęc quam ſanare intendimus, in viuente corpore concipitur, propterea, vt inquit Gale. citato lib. 11. de metho med. ca. 9. quicquid humorum putreſcentium, veluti ſemiputreſcens, ſemimalúmque eſt, per ea quæ tum alterare ea poſſunt, tum concoquere, tum vtile reddere, ſanabis, facultatem eius qua naturaliter concoquit, excitans, firmánſque, & paulò poſt c. 10. vires roborandas eſſe præcipiebat, quò putredinem ſuperantes, ſuccos concoquerent. hac etenim ratione, priùs diximus cùm de viribus loqueremur, quòd ex accidenti quandoque virium roboratio ad effectus curationem conducit, quod quidem ipſe Galenus promiſerat libr. 9. eiuſdem operis cap. 19. in ſequentibus ſcilicet, velle declarare. Denique quicquid putreſcentium humorum iam cõputruit, omni ratione vacuare debemus, quicquid verò ſemiputreſcens, ſemimalúmque eſt, ad exactam ſymmetriam reducere, cum his quæ alterant, refrigerando videlicet, & ventilando, ac etiam concoquunt, & vtile reddunt, firmando, & excitando eam corporis facultatem, qua naturaliter concoquit. ita enim quæ putreſcentia ſunt, ſanabis. etenim in humorum putredine, & excretio, & refrigeratio, & ventilatio & ſemiputridorum concoctio, ex aduerſo reſpondent, inquit Galen. citato loco.

A putredine duo indicantur, corrupti vacuatio, ſemimali alteratio.

Vacuatio & alteratio multiplex.

Tentabimus autem non vna ratione id quod iam corruptum eſt vacuare; ſed per deiectionem, vomitum, ſudores, & vrinas quandoque. id autem quod ſemiputreſcens eſt, cum his quæ alterant, frigidis inquam & ſiccis, ſubſtantiáque tenui adhibitis, atque refrigerante perſpiratu, ambientis videlicet bona temperie adhibita, ſimulatq; vires roborantes ac firmantes, quò ſuccos cõcoquant & vtiles reddãt, ad exactam ſymmetriam reducemus. Quomodo verò horum vnumquodque rectè adminiſtrandum ſit, paulò pòſt demonſtrabimus. nunc autem ſummatim ea, quibus hæc omnia moliamur, recenſere oportet ſub quibuſdam exemplis. nam eorum quæ iam dictas vacuationes promouent, non parua materiæ copia eſt, quamuis maior eorum portio cum calida ſiccáque facultate ſit, febrem augent. itaque deligenda medico ſunt ea, quæ citra calfactionem ſiccationémque vehementem ſupra dictas vacuationes præſtent, cuiuſmodi ſunt, vt Gal. inquit, cremor ptiſanæ, & aqua mulſa, & oxymeli. & apomeli, & apij radix in aqua, quæ potui datur incocta. hęc autem ipſa, ventri quoque ſunt idonea, qui ſi nihil reddat, iniicienda per clyſterem aqua mulſa cum

Vacuantia citra calefactionem & exſiccationem.

oleo

oleo eſt;noſtris verò temporibus,& aliis nõnullis clyſteribus vtimur,quos tanquam vulgo etiam notiſsimos,bona fronte prætermittimus:necnon & vtimur non paucis etiam deuoratis medicamentis pro vacuatione humoris, qui computruit,per aluũ, vt melle aëreo,ſiliqua ægyptia, ſaccharo violaceo, tamarindis,rhabarbarum etiam,& agarico potiſsimùm,ſi cum iam dictis hæc miſceantur,aliiſque nonnullis compoſitis medicamentis,quæ per aluum vacuationem promouent citra valentem calfactionem & ſiccitatem, quemadmodum etiam vbi ad os ventriculi impetùm ſua ſponte faciat, qui iam computruit humor, eum per vomitiones vacuare tentabimus, ex multa aquæ tepidæ potione cum pauco aceto,aut ſyrupo acetoſo, ſeu oxymelite permixto, potiſsimùm vbi aſſuetus vomitioni fuerit æger,& ſua ſponte ad os ventriculi putridi ſucci impetum capiant, aliter non eſt quòd eos præter naturam irrites, vrinas autẽ ciunt quatuor ſemina communia frigida,caucalis,gingidiũ,radicis apij,fœniculiſque decoctum in aqua.ſudores promouent,vinum aquoſum ſi bibatur,& temperatum dulcis aquæ balneum.Quod verò ſemiputreſcens eſt,alteramus,exhibendo citri acidum,aut ſyrupum ex eo paratum,oxyſaccharum,& acetoſum ſyrupum,ac aliquos alios ſyrupos ſimiles, refrigerautémque perſpiratum parantes: opitulamur etiam eius concoctioni cum his quæ naturalem fouent calorem, aut eius ſubſtantiam augent, de quibus fuſiùs diſſeruimus in noſtro libello, quem de alteratione & concoctione conſcripſimus.Recte autem horum quodque adminiſtrabitur, ſi præter id quod valenter non calfaciet nec ſiccet, priùs vniuerſum corpus per aluum vacuabis,adhibendo ea,quæ hanc moliuntur vacuationem, vbi nihil impediat, deinde eis quæ vrinas, & ſudores ciunt, vtare: etiam rarefacientibus medicamentis, vino aquoſo, ac balneo, vbi febris magnitudo non obſiſtat, & concoctionis humorum notæ plane fuerint euidentes, in remiſsione enim febris, ſi balneum adhibeatur, corpore iam mediocriter tranſpirante, non exiguum affert commodum. omnia ex eo tum fuliginoſa excrementa, tum fumida educens. tribus tamen in balneo quod in quacunque febre adhibebis, intentus ſis oportet. Vni quòd citra horrorem ſit adminiſtratum. Secundò quod nullum primæ notæ viſcus ſit imbecillũ. Tertiò,quod multitudo crudi humoris in primis venis non contineatur, vt eodem 11.meth.med. ſcriptum eſt. Si verò febris ardentiſsima fuerit, & vires cunctæ validæ,ac concoctionis notæ euidentes, frigidam homini dare, audacter debebis, vt liquet ex Galeni citato loco: ca.20.hoc verò tempore quod ſemiputreſcens,ſemíque malum eſt iam dictis, aut reliquis ſimilibus alterabis, ac vires roborabis, quo putredinem ſuperantes, ſuccos concoquant, quod verò febris iam accenſum eſt, deinceps refrigerabis.

Medicamen quibus nunc utimur.

Vomitum cientia.

Vrinas prouocantia.

Sudores promouentia.

Alterantia quod ſemiputreſcens eſt:

Tria in balneo adhibendo neceſſariò ſpectanda.

Frigidæ potus.

Curatiua methodus putredinis humorum, manentibus adhuc quæ eam excitarunt cauſis. Caput XLIII.

NVNC ad alteram putredinis differentiam accedamus, doceamúſque quemadmodũ quis, cauſis quæ putredinem excitaruut adhuc manentibus,remedia facillimè inueniat:eſt autem neque in hoc difficultas vlla,quippe cùm per contraria tollantur. nã licet ex vſu non ſit ſemper omnibus quæ præter naturã ſunt mederi,ſed cùm ſola per ſe ſubſiſtant, cum eis quæ in ipſo (vt ſic dicam) fieri eſſentiam ſuã habent, ac vmbræ ritu affectus comitantur, ſanatio quidẽ affectuum, ipſorum eſt ſublatio. hanc etenim ſymptomatum amotio ſequitur; iis tamen quanquam nihil prima ratione adhibetur, perpetuum manet cõmuniſsimum Hipp.præceptum,quòd contrariorum contraria ſunt remedia:quippe, cum affectus, quos ſymptomata ſequuntur, ſanamus, ſymptomata nimirum ipſa in contrarium ſtatum reducimus. quòd ſi ipſi quoque ſymptomati quandoque ſymptomatum genus aliud, contra alium opponere velis, ne ſic quidem deſit

Cauſæ putredinis adhuc manentes per contraria tolluntur.

quòd dixeris in ſymptomatis ipſis, hac ratione veritatem habere, quòd contrariorum contraria ſunt remedia: quamuis in his quæ verè & primùm curantur, hoc eſt affectibus, qui verè ſunt ſubſiſtentes, præcipue verificetur, contraria eſſe remedia. ſiue itaque ſymptomata, ſiue alij præter naturam affectus per ſe ſubſiſtentes, cauſæ fuerint ipſius putredinis, ſiue quædam ex earum generibus, perpetuo ſuis contrarijs tolli debent, cùm omnia quæ præter naturam ſunt, ſuis contrarijs auferantur. quare ſi verum eſt, quod Gal. ſcripſit citato lib. II. de metho. med. cap. 4. quod ſi quid in noſtris corporibus manifeſtè putreſcere debeat, neceſſario oportet, perſpirationē ſeu tranſpirationem impeditam, vel prohibitam eſſe, quoniam illa tantum putreſcunt, quæ cùm calida humidáque natura ſint neq; perflata, neque ventilata in calido humidóque loco manent; vt citato loco, & 9. etiam eiuſdem operis lib. c. 3. & 1. de diffe. feb. c. 3. ab eodem decretum eſt, neceſſe erit immediatam putredinis humorū cauſam, eſſe tranſpirationem prohibitam, ſeu impeditam. hac enim oblæſa, diximus vnà etiam & naturalem calorem lædi, atq; alienum, & præter naturam excitari, à quo ſucci ipſi propter eorum humiditatem putreſcunt, ac corrumpuntur. neque enim ipſe alienus, & præter naturam calor excitaretur, ac ſucci putreſcerent, niſi prius perſpiratio fuiſſet impedita. erit igitur ipſa putredinis humorum cauſa propinquiſsima adeo quod abſque ea fieri ipſa putredo nequeat. & ſi quiſpiam dixerit eam quandoque oriri poſſe ab alijs cauſis, quàm ex prohibita tranſpiratione, impulſus eiuſdem Gal. auctoritate libr. de cauſis morborum cùm diceba:, {putreſcunt autem nonnulla quidem à medicaminibus, quæ vim habent putrefaciendi, aut ab iis quæ in ipſis animalibus oriuntur ſuperfluitates, nonnulla vero ob id quòd minime euaporant} dicemus Galenū alio modo loquutum fuiſſe de putredine hoc loco, quàm II. de meth. meden. & alijs modò citatis locis. nam per ea quæ putreſcunt, ſubintellexit omnia quæ quouis modo in corporibus noſtris deſtruuntur, ac corrumpuntur. erat etenim ei ſermo de morbis in numero contingentibus, & propriè in defectu, cùm videlicet aliqua ex partibus naturalibus defuerit, quorum voluit vniuerſas tradere cauſas, quòd videlicet non ſolum ſectione, & valida frigefactione præcedente poterant oriri, ſed vniuerſaliter à quauis corruptione à quacunque cauſa orta, adeo vt per putrefactionem, corruptionem intellexerit, & non eam duntaxat, cuius naturam expoſuit libro II. de metho. meden. de qua nos etiam loquimur. nam huius putredinis humorum verè dictæ, cum Galeno audacter aſſerimus cauſam perpetuo eſſe, prohibitam tranſpirationem, nec aliter eam generari poſſe, ſcilicet ſemper generetur ab extraneo & præter naturam calore, tanquam efficiente cauſa, & ex humiditate tāquam ex materia, ac quiete etiam augeatur, vt liquet 3. de morbis vulg. itaque cum tranſpirationis prohibitio, putredinis occaſio ſit, hanc (arbitror) ſummouere oportet. verùm quoniam ea etiam varijs generibus orta eſt, vtpote denſatis exiguis meatibus, & conſtrictis corporibus, & humoribus tum abundantia, tum craſsitudine, tum lentitie ſua, obſtruentibus, ſingulæ etiam harum affectionum curandæ per contraria ſunt, denſitas, per ea quæ rareſaciunt, conſtrictio, per ea quæ fundunt, abundantia, per ea quæ euacuant, craſsitudo, per ea quæ diſſecant, & lentor iis quæ detergunt, vt citato II. metho. med. cap. 8. a Gal. præcipitur. At cùm nos loquamur de ea tranſpirationis prohibitione quæ putredinis humorum cauſa exiſtit, perquàm rariſsimè autem id contingat, cùm ipſa denſatis exiguis meatibus, aut conſtrictis corporibus, impediatur (nam diariæ febres ex his generari conſueuerunt, vt ſuperiùs dictum eſt, potiſsimùm vbi ab externa cauſa, ortum habeant, à quibus ex humorū putredine haudquaquam generari queunt) propterea prohibitam tranſpirationem, quam aſſeruimus putredinis cauſam eſſe, ex obſtructione generari potius fateri oportet. ad hanc enim (potiſsimùm vbi non exilis fuerit) ipſa prohibita tranſpiratio, ac putredo neceſſariò conſequuntur, vt liquet 8. & decimo metho. meden. cuius obſtructionis, non quæpiam externa cauſa, ſed

humo

Cauſa proxima putredinis.

Obiectio quæ mox diluitur.

Putredo aliquando pro corruptione.

Commenta. 3. ſuper tex. 22.

Tranſpirationis prohibitæ cauſæ variæ.

Tranſpiratio prohibita quæ cauſa eſt putredinis humorum.

Obſtructionis cauſa.

humorum abundantia, craſsitudo, aut lentor, aut omnia, vel eorum quædam
cauſæ neceſſariò exiſtunt: vt verò quę diximus omnia, ad ordinem redigantur,
pariter & quæ dicenda ſuperſunt, aſſerimus cum Galen. quòd qui febrem hanc
curare volet, neceſſe eſt putredinē inhibeat: ita, duæ indicationes ſe exhibent,
altera à febre, altera à putredine: atq; à febre rurſus duæ, ſcilicet vt portio fe-
bris quæ iam accenſa eſt, curetur, quæ verò in generatione eſt, inhibeatur. Alię-
que duæ rurſum à putredine erũt indicationes, vt quod putredinis iam factum
eſt ſanes, & quod in generatione adhuc eſt ſiſtas. porrò quod in generatione
eſt, id perſpiratio impedita efficit; & ita ab hac quoque duæ aliæ indicationes
naſcentur: tum vt quod retentum eſt vacuetur, tum quod retinendum eſt pro-
hibeatur: prohibebitur autem iis præſidiis quæ obſtructioni medentur: cuius
rurſum ipſius quod iam occupauit ſanandum eſt, quod futurum eſt, propulſan-
dum. at curabitur quidem quod obſtructionis iam factũ eſt, per ea quæ obſtru-
cta liberant, propulſabitur quod futurum eſt, ſi affluxum confluentium ſucco-
rum compeſcas. Ergo quod vltimum in ipſa reſolutiua methodo eſt inuentum
inquit Gal. id primum omniũ in curatione eſt peragendum. Aduertant tamen
hoc loco ſtudioſi tyrones, ne decipiantur opinantes quod vltimum inuentum
in reſolutiua methodo fuerit obſtructio, & quod hic deſinat. dicebat enim Ga-
le. quòd curabitur quod obſtructionis iam factum eſt, per ea quæ obſtructa li-
berant; propulſabitur quod futurum eſt, ſi affluxum obſtruentium humorum
compeſcas, igitur compeſcere affluxum obſtruentium humorum, eſt id quod
per reſolutiuam methodum inuentum eſt. ſed diximus tribus modis humores
poſſe obſtructionem efficere, vel eorum abundantia, vel craſsitie, vel lentore,
quare ſi hęc auferantur, inhibebitur quod futurũ eſt ipſius obſtructionis, ſimul
atque prohibebitur eorum affluxus. in hoc ergo, & non in obſtructione deſinit
hæc reſolutiua methodus, & hoc eſt illud vltimũ quod per eam eſt inuentum:
hócq; primum omnium in curatione eſt peragendum, vt videlicet abundantia,
aut lentor, aut humorum craſsities quæ obſtructionis auctor eſt, ſuo contrario
auferatur. nam licet externæ quoque cauſæ à medico ſpectandæ ſint, pro cer-
tiori affectuum notitia vbi latuerint, ab eiſdem tamen nulla ſumitur pro eo-
rundem affectuum curatione indicatio, nec etiam vt probauimus pro ſeipſis
quicquam indicant, cùm non permaneant, ſed ſtatim affectu genito abeant, &
propterea ad remediorum inuentionē non conducunt. Cùm igitur ſeptem nu-
mero ſint præter naturam affectus, quos narrauimus eo ordine ſeſe cōſequen-
tes, à quibus omnibus indicationes ſumuntur, ita quòd omnes, contraria eſſe
adhibenda pro eorum ſublatione docent, atque ſuum vnumquodque habeat
contrarium; licebit propterea cuique eorum inuenire, ac adhibere cōtrarium,
ſi febrem hãc quam propoſuimus, curare velimus: eo tamen ordine, quo etiam
ipſa fuerint per reſolutionem inuenta, exordiendo ab eo quod vltimũ per eam
inuentum eſt. ita enim ſi nullum interim vehemens incidat ſymptoma, prohi-
beátque quò minus auxilia ab initio morbi ad finem ita procedũt; celerrimè
finietur febris, vt idem Gal. inquit. Indicabit itaque abundantia, ſeu multitudo 1
(cùm ex eorum numero ſit quæ ſunt ad aliquid in prædicamento quantitatis)
vacuationem tanquam contrariũ, lentitia verò & craſsitudo, quæ ſunt in qua-
litatis affectu, licet fortè eorum contraria non ita conſueta nomina habeant,
tamen quia, vt dictum eſt, largiori vocabulo eis vtimur, etiam ſi impropriè ta-
lia dicantur, eorum etiam contraria indicabunt, vt lentitia deterſionem, ſeu 2
inciſionem: craſsitudo, extenuationem, ita quòd detergendi ac incidendi ſunt 3
lenti ſucci, & craſsi extenuandi, vbi hac ratione offendant, obſtructio inſtru- 4
mentarius morbus, exiſtens, recluſionem exigit, tranſpirabilium retentioni, 5
excretio ipſorum contrarium eſt, etſi ſymptoma exiſtat, humorum putredini, 6
iam dictum eſt, excretionem, refrigerationem, ventilationem ac ſemiputri-
dorum concoctionem, ex aduerſo reſpondere, ipſius verò febris, refrigeratio, 7.
oppoſitum eſt. Hoc nanque ordine etiam ipſa contraria, & eorum remedia

Indicationes à putredine duæ.

A febre item duæ.

A tranſpiratione prohibita indicationes duæ.

Cauſa externa ad affectum cognitionem confert, non ad curationē.

Indicationes 7. ab affectib. 7. modò dictis.

adhibere oportet, ita quòd quamuis ab ipſa febre cœperit inueniendorum remediorum methodus, in auxiliorum tamen ordine, vltima eſt quæ ab hac ſumitur indicatio. Vltimo enim loco ea exequi habent, quæ febris ipſa exigit, quà febris eſt. & hæc eſt illa via rationabilis ac ordinata, qua febres omnes ex putredine humorum ortæ, cuius cauſæ adhuc adſunt, curari debent.

Abundantia humorum curatio. Caput XLIIII.

Abundantia ante obſtructionem tollenda.

EXORDIAMVR autem ab ipſa humorũ abundantia: nam vbi obſtructio ab ea fuerit orta, ipſa primò auferenda erit, cùm ſi his auxiliis quæ obſtructiones eximunt, vti non vacuata priùs abundantia velimus, fore, vt nõ modò nihil proficiamus, ſed vt affectum maiorem reddamus, inquit Gal. lib. 11. de metho. med. c. 9. pugnantibus ſcilicet inter ſe indicationibus. eadem autem priùs vacuata ſi ad curandã obſtructionẽ accedamus, medicamentis iis quę obſtructiones expediant, opus erit, vt liquet citato loco, & 8. eiuſdem met. ca. 4. ſic ſcriptũ reliquit, {Præſtat enim vitioſi ſucci maiore parte emiſſa, ad detergendas obſtructiones accedere, cùm alioqui metus ſit, ſi obſtructionibus liberãdis priuſquam vacuaueris, ſtudeas, ne ipſas magis impingas.} Erit itaq; priùs humorum abundantia tollenda, idque ſuo contrario, quod quidem eſt euacuatio, perficiendumque quam per venæ ſectionem rectè molimur. ſedulo igitur vena ſecanda erit, modò nihil eorum quæ priùs diximus prohibeat, præſertim virtus, aut ætas; tam ſi hæc multitudo, ſeu abundantia fuerit quoad vires, quàm quoad vaſa, tam ſimpliciter, quàm ſecundum quid. Appello autem multitudinẽ ſimpliciter, quando ex æquo quatuor humores fuerint aucti, aut etiam ſanguis ſolus. nam cùm alius quiſpiam humor redundarit, veluti eſt pituita, & vtraq; bilis, eiuſmodi auctionem, ſeu abundantiam, non plenitudinem, aut multitudinem ſimpliciter, ſed cum appoſitione pituitæ, aut flauæ, ſeu nigræ bilis nũcupabimus, vt liquet 2. de compoſitione medic. ſecundũ loca, c. 1. modo horum humorũ redundantia fuerit iuxta ſanguinem, aliàs neque multitudo, aut abundantia, ſeu cacochymia diceretur: id quod manifeſtè declarauit idem Gal. li. de multitudine, ca. 11. cùm dixit: {Verùm ſpecies multitudinis, cùm ſcilicet æqualiter in corpus totũ porrecta eſt, diſtingui hac ratione conuenit. Ruborem præ ſe fert ſanguinis copia, flaua bilis pallorem, pituita vbi dominatur, ad albidius quàm natura poſtulet: vt ſi potior ſit atra bilis, ad nigrius declinat.} deinde ſubdit: {Porrò ſingulis iis quos enumerauimus iuxta ſanguinem quoque oportet augeri. nam ſi flaua bilis aliquando ſola, vt in ictericis ſuperauerit, talis affectus, non plenitudo, aut abundantia, ſed cacochymia, hoc eſt humorum vitium eſt: idem quoq; in atra bile, ac pituita.} & eodem libro paucis quibuſdam interiectis, illud confirmauit aſſerens: {nobis verò non ſimpliciter quid, quouis modo abundauerit inuenire, ſed multitudinem conſiderare ſententia erat, id autem humorum in toto animalis corpore exuperantia eſt.} & deinceps addidit: {nihil eſt igitur quòd neque tumorum ſigillatim ſpecies, neque cacochymiæ, hoc ſermone cupias audire, ſed cùm aut cuncti pro veteri proportione aucti fuerint, aut vnus ex iis breuem quendam cœperit exceſſum, poteſt ergo ſanguis in plethoricis diſpoſitionibus exceſſum ampliſſimum adipiſci, nullus autem aliorum poteſt. humorum enim prauitas id genus, non etiam multitudo, neque plethora nuncupatur: eamob rem pulſus quoque in cacochymiis proprij adamuſsim ſunt humorum naturæ: in ſupradictis verò multitudinibus, non perinde euidentes ſeruant differentias, quoniam ſuperfluens humor omnino cum copioſo ſanguine eſt. Ex quibus omnibus liquet in Galen. doctrina præter plethoram, ſeu abundantiam, ſeu multitudinem ſimpliciter dictam, & cacochymiam, hoc eſt humorum vitium, alteram dari plenitudinem, ſeu multitudinem ſecundum quid, & non ſimpliciter dictam, quæ fit quando aliquis alius humor,

Vena ſectio.

Plethora ſimplex, & cum adiectione.

Cacochymia.

vtputa bilis flaua, vel atra, vel pituita, iuxta ſanguinem, ſeu ſimul cum ſanguine redundarit, ac breuem quẽdam cœperit exceſſum, licet omnino idem quoque cum copioſo ſanguine ſit. nam vbi multum excederet, & nõ iuxta ſanguinem, hoc eſt non ſimul cum copioſo ſanguine, cacochymia diceretur, & non multitudo, ſeu abundantia talis, vel talis ſucci: quemadmodum etiam ſanguis ipſe vbi redundarit, & breuis, ſeu pauca in eo fiat corruptio, adhuc non corruptionem, ſed multitudinem nominabimus, vt patet commento apho. 17. 2. lib. ſola ea vocata corruptione, vt Galenus inquit, quæ tam magnam habet eam quæ contra naturam eſt cõuerſionem, vt non poſsit iterum per naturæ coctionem ad priſtinam humoris redire bonitatem. Quæuis itaque fuerit humorum abundantia; venam, pro eius ſublatione ſecare oportet: ipſa nanq; eſt, quæ multitudini opponitur. Verùm ſemper ſeruare oportet, ne quid eã prohibeat, præſertim virtus, aut ætas, vt in præcedẽtibus fuſiùs diſſeruimus. quapropter quantum ſatis ſit ſanguinis in principio detrahere licebit: & deinde, ſi videbitur,

Venæ ſectio iteranda.

quod defuit in prima ſectione, iteratione ſupplere. hoc enim tutius eſt quàm ſemel immodicè vacuare: potiſsimùm cùm aliquid eorũ quę venæ ſectionem coindicare ſolent, pro ratione non ſatis reſpondeat: id quod ſemper aut ſaltem ſæpiùs contingit: tum etiam quoniam nec obſtructio, nec putredo curari per ſanguinis miſsionem poteſt: vt quæ aliæ remedia (ceu priùs eſt demonſtratum) deſiderent, & ob id aliquid ſanguinis reponi ad curationis ſpatiũ debebit, quò minùs intempeſtiuè nutrire neceſsitate vlla cogamur, vt citato lib. 11. de metho. med. cap. 14. ſcriptum eſt.

Venæ ſectio, nec obſtructionem, nec putredinẽ curat.

Si verò aliquid venæ ſectionẽ prohibeat, vt ætas, aut virtus, aut etiam propter ægri timiditatẽ, vel propinquorũ eam prætermittere cogaris, larga purgatione vtendum erit, ex Galeni auctoritate, quarto de ſanitate tuen. cap. 4. & deinde ad liberandam obſtructionẽ accedere, modò aliquid hanc etiam non prohibeat, aut alia ratione educendum, quod ſuperuacuũ eſt.

Purgatio loco venæ ſectionis.

nam abundantia, ſeu plethora, tum venæ ſectione, tum frequenti balneo, tum exercitatiõne, tum frictione, præterea digerentibus medicamentis: & præter hęc omnia cibi parſimonia, & inedia curatur: vt patet 4. cap. 6. et 13. meth. med. cap. 6. & lib. de cur. ratione per venæ ſectionẽ. ca. 10. Verùm vbi febricitet æger (nam de hac modò ſermonẽ facimus) nec exercitatione vacuare abundãtiam licet, nec vnctione quæ excalfaciat, nec multa frictione, nec balneo, imò ſanguinis miſsione, vnà cum inedia, vel purgatione aliqua, vt eodẽ 13. de metho. med. cap. 6. liquet. Erit inſuper & purgatione vtendũ à venæ ſectione, priuſquàm ad eximendas obſtructiones accedas, vbi abũdantia nõ ſimpliciter fuerit, ſed aliorum humorum, vt diximus, pro ratione humoris redundãtis, quemadmodum in eã multitudine, quæ ſimpliciter dicitur, iterandam eſſe venæ ſectionem non ſemel, ſed bis, & ſæpiùs ſi videbitur, conſulimus.

Purgatio à venæ ſectione.

Sed quæres, num refragante ætate duntaxat, omnibus aliis cõſentientibus, omnino venæ ſectio prætermittenda ſit? & reſpondemus, quòd non propter aliud à ſcopis venę ſectionis Hippocrates duas duntaxat ætates ſecluſit, ex Galeni teſtimonio, libro de curandi ratione per venæ ſectionem: ſenum inquam, & puerorum.

Iteratio venæ ſectionis.

ſunt nanq; ſenes vt plurimùm ſicci ac pauci ſanguinis, & propterea vires imbecillas habent. nulli enim qui in hac ętate eſt, robur ineſt, vt idem Galenus citato loco cap. 9. inquit. Pueri verò nõ propterea quòd vires imbecillas habẽt, vt quibuſdã non perperam viſum eſt, ſed quoniam plurimum corporis ſubſtantiæ quotidie eis abſumitur, vt quæ calida & humida ſit, venæ ſectionem non admittũt.

Senibus, & pueris, cur ſanguis nõ detrahendus.

Quapropter ſi ſenibus multus adſit ſanguis, ac robuſtæ vires, formidare non oportet venam ſecare, vbi affectus iubeat, & alia omnia conſentiant, minùs tamen his ſanguinem detrahes, quàm affectus exigat, etiam ſi eandẽ affectionem habere videantur, quam corpus ætate florens: quinimò viribus, & corporis habitui confiſus, deſpiciens annorum numerum, ſeptuagenariis etiam venam ſecabis, decreto eiuſdem Galeni citato lib. cap. 13. quo etiã loco docuit, quibus ſignis tanquã minimè fallacibus, robuſtarum virium fides ſit adhibenda, quia vehementi pul-

ſul,cum æquabilitate,& ex abundanti etiam,& magno,quòd ſi priùs eodem libro dixerit nulli qui in hac ætate eſt,robur ineſſe,intelligendum eſt ratione ætatis,& relatione ad florentem ætatem,& non habitus ratione,& collatione facta ad reliquos ſenes ſiccos,& pauci ſanguinis, qui etiam ſexageſimo ætatis anno venæ ſectionem non ferunt. itaque ſenibus etiam,vbi abundantia ſit huius febris auctor,venam audacter ſecabis,ſi reliqua omnia conſentiant, minùs tamē ſanguinis his detrahes,quàm abundantia requirat:corporis habitui, & viriū robori confiſus. Quod verò ad pueros attinet, Gale.eſt ſententia non ſolùm citato libro de curandi ratione per venæ ſectionem,cap.14.ſed nono, & 11. de metho.meden. ac ſexcentis etiam aliis in locis, quòd ſi quartumdecimum annum non attingunt, mitti illis ſanguis non debeat: quoniam, vt decretum reliquit, eodem 11. metho.meden.quod ex incidenda vena moliendum nobis fuerat, id vltrò nobis ex curati corporis natura præſtatur: quæ cùm calida & humida ſit,plurimum eius ſubſtantiæ quotidie abſumitur,ac digeritur. Verùm cùm non propter aliud venæ ſectionem Galen.pueris interdicat, niſi quòd eorum ſubſtantia quotidie digeratur ac diſsipetur: aſſerimus nos,quòd vbi laxæ admodum,ac mollis carnis nō ſint,nec pingues & albi, aut etiam graciles venas habeant,& rarum corporis habitum,eiſdem quoque ſi affectus iubeat, & reliqua omnia cōſentiant,venam ſecare licebit. nam non ſolùm annorum numerum ſpectare oportet,ſed etiam corporis habitum,eiuſdem Galeni teſtimonio, qui vbi talis fuerit,quòd ad digerendos tales ſuccos propenſus non ſit, vtpote denſus,non laxæ admodum,ac mollis carnis,ſed carnoſus, multóque ſanguine præditus puer, eidem quoque audacter venam ſecabis, vbi affectus exigat, & reliqua omnia conſentiant,ætate neglecta, quemadmodum de ſenibus idem Galenus ſentiebat.non enim propter ætatem qua ætas eſt,ſed propterea quod in illa ætate puerorum natura,ac ſubſtantia cùm calida humidáq; ſit, omnium facillimè digeritur,ac diſsipatur,vitanda eſt venæ ſectio. At ſi contingat in tali ætate pueros diuerſo,ab ætate,habitu præditos eſſe,ac bene ſanguinea natura,iis magis quàm ætati confiſus venam audacter ſecandam eſſe cenſerem, nec illud Gale.contradicere. nam & de ſenibus ita cenſuit, etſi illud in pueris affirmare auſus non ſit,id non propter aliud puto,quàm quod ipſe perpetuò exquiſita venæ ſectione vſus fuerit,vbi affectus præciperet,adeſſétque virium robur. excepit ergo pueros ab hac copioſa vacuatione, vt qui carnem facilè tranſpirabilem habeant. verùm vbi non adeò exquiſita,ac copioſa venæ ſectione fieret vacuatio,nec pueri carnem adeò facile tranſpirabilem habeant,neque ipſe Galenus venam ſecare prohiberet: quemadmodum eodem libro de curandi ratione per venæ ſectionem, conſtat, quo loco dē quantitate mittendi ſanguinis verba faciens,aſſerebat duo eſſe,ob quæ maximè coniecturalis efficitur in hoc auxilio quantitas euacuationis;laborantis videlicet natura,qualis ſit: quā vtique adamuſsim nouiſſe non liceat, & ambientis temperies qualis ſit à nullo, ſanguine futura. nam cùm febrilis calor multum ſanguinis digerit,atque abſtinenter laborans victitat, neceſſariò breui illum nutrimentum ex ſanguine deſtituit,interímq; virtus exoluitur. Abſumitur autem ob laborantis temperiem calidam & humidam,cuiuſmodi eſt puerorum,& ambientem calidæ regionis, & temporis æſtiui : deinde ſubdit: {Proinde minùs detrahimus quàm multitudo commonet,quod ad ætates quidem attinet,in pueris,quod ad corporis habitus , in candidis,& quibus mollis & tenera eſt caro,quales Galli ſunt, quod ad tempus,ſub cane: ſimiliter etiam in regionibus, & conſtitutionibus} quibus manifeſtè oſtendit Gale.copioſam,ac exquiſitam venæ ſectionem pueros non ferre,quam ſanè plenitudo commonet, moderatam autem ferre poſſe; & ob id non ſine forti ratione cenſendum,quòd vbique locorum præceperit pueris,ad quartumdecimum vſque annum non debere venam ſecari, quòd de eadem exquiſita,& copioſa intellexerit,vbi ſimilem quoque ætati habitū ac naturam pueri habuerint,quam etiā ſemper nos interdicimus, quemadmodum

cap.5. & cap.14.

Quibus pueris ſanguis educi poteſt.

cap.14. & 1. ad Glauco. cap.14.

modicam perpetuò admittimus, vbi quæ meminimus adſint, nihilq; aliud obſtet quàm ætas. Animaduerſione tamen dignum eſt, quòd vbi pueri vndecimũ, aut ſaltem decimum annum non attingerent, etiam omnibus cõſentientibus à venæ ſectione abſtinendum eſſe putarem, ac tutiùs per ſcarificationem, ſeu hirudines, ſanguinem mitterem. Hæc de venæ ſectione, quod ad ætates attinet ſeruanda eſſe ſentio, non modò pro abundantia ſeu multitudinis curatione, de qua præſens eſt ſermo; ſed etiam pro curatione reliquorum omnium præter naturam affectuum, qui magni ſunt, & venæ ſectionem deſiderant.

Venæ ſectionis vicē quid ſuppleat.

Humorum, craßitie, aut lentitie obſtruentium, ac ipſius obſtructionis, & prohibitæ tranſpirationis, curatiua methodus. Caput XLV.

VBI verò non humorum abundantia, ſed iidem craſsi, aut glutinoſi obſtructionem efficiant, ſuis etiam contrariis eos curare oportet, ita vt ſi craſsi fuerint ſucci, iis quæ extenuant vtendum ſit, ſi verò glutinoſi, detergentibus, ac incidẽtibus medicamentis vti oportebit, vbi autem craſsi ſint, & glutinoſi, eiſdem complicatis medicamentis, tenues eos, ac fluxiles efficies. Extenuant autem, atque detergunt, & incidunt ptiſana, aqua mulſa, & oxymeli, & reliqua nonnulla. Verùm iis vtendum eſſe cenſerem, quæ aut citra calfactionem & exſiccationem eadem moliantur, aut ſaltem exigua ſit eorum calfactio, & exſiccatio, quanquam ipſa ptiſana extenuet atque incidat, non modò citra calfactionem, verumetiam abſque exſiccatione, vt lib. de ptiſana, ſcriptum eſt. Sed ſtatim quiſpiam quæreret, num obſtructione orta ex craſsitie, ſeu humorum lẽtitie, priuſquàm iam dicta medicamenta extenuantia, ac detergentia adhibeantur, vena ſecanda ſit? pro cuius quæſiti ſolutione, animaduertendum eſt id quod priùs diximus ex Galeni mẽte de obſtructione ipſa, videlicet quòd curabitur id quod obſtructionis iam factum eſt, per ea quæ obſtructa liberant, propulſabitur autem quod futurum eſt, ſi affluxum obſtruẽtium ſuccorum compeſcas. duas itaque ex ipſa obſtructione Galen. ſumit indicationes, vnam ab eo quod factum iam eſt, alteram verò ab eo quod futurum eſt. quibus ita poſitis, dicimus quòd ſumpta indicatione ab eo quod ipſius obſtructionis iam factum eſt, vbi eadem ex iam dictis ſuccis ortum habeat, venæ ſectio nequaquam cõducere videtur, ſed eiſdem duntaxat extenuantibus, ſeu incidentibus vtendum erit, & potiſsimùm ſi eam nec putredo, nec febris excipiant. hæc nanq; obſtructio vnum habet ſcopum, ipſi morbo contrarium, nempe apertionem, ſeu reclusionem, eodem Gale. teſte, libro art. med. cap. 94. cuius cauſæ ſalubres ſunt, iam dicta medicamenta detergẽtia, & incidentia. Si verò ab eo quod futurum eſt indicatio capiatur, audacter cum Gal. aſſerimus, quòd priuſquàm talia adhibeantur medicamenta, vena ſecanda erit, non euacuationis gratia duntaxat, quemadmodum in ea quæ ex abũdantia gignitur, ſed reuulſionis potiſsimùm. etenim cùm prohibeatur quod futurum eſt, ſi affluxum obſtruẽtium ſuccorum compeſcas, eodem Galeno auctore, citato vndecimo meth. med. cap. 10. prohibebitur vtique obſtruentium ſuccorum defluxus ex tali venæ ſectione, ſaltẽ etiã ipſis humoribus craſsis aut lentis exiſtẽtibus. id autem quod obſtructionis iam factum eſt, per ea quæ obſtructa liberant, curabitur, nempe detergentibus, vt dictum eſt, atque extenuantibus: quoniam nec obſtructio, nec putredo curari per ſanguinis miſsionem poteſt, vt quæ alia remedia deſiderent, inquit Galenus citato loco. Sed adhuc in[illegible]is, aſſerens hoc eſſe contra Gale. ſententiam, 10. meth. med. quo loco talia re[illegible]it verba: {iam verò obſtructionum ipſarum alia eſt, quæ ex abundantia, alia quæ ex qualitate ſuccorum, ſed qui aut lenti aut craſsi ſint, incidit.} & demum ſubdit: {præferetur autem inter remedia, in ea quam copia facit, ſanguinis miſsio, in ea quæ ex humorũ qualitate conſiſtit, attenuãtium vſus.} Huic reſponſum ſit, rectè Gal. hoc loco dixiſſe: {præferetur autem inter

Queſtio, cui mox reſpondet.

Venæ ſectio in obſtructione.

Alia queſtio.

Reſpondet queſtioni.

inter remedia,&c.} nam in ea quam copia facit,præferenda eſt venæ ſectio, vt quæ quãtitatem ac copiam euacuet: reliquæ verò quæ ex qualitate humorum efficiuntur,ex medicamentis contrariam qualitatem habentibus,præcipuè curatur.Quapropter talia præferenda ſunt medicamenta. Atqui non propterea negauit,quòd priuſquàm hæc adhibeantur, ſanguis mittendus non ſit, reuulſionis ſaltem gratia, aliis conſentientibus, quo etiam modo intelligenda erit Alexandri ſententia lib.12.cap.1.cùm dixit:quòd ſi non copia,ſed viſcoſi,craſſique humores obſtructionem procrearint,ſanguis mittendus non eſt, ſed decoctis potius quibuſdam vtendum quæ extenuare poſſunt. Quinimò hoc idem Galenus luce clarius demonſtrauit,octauo eiuſdem operis libri. qua parte diarias febres,aut eiſdem ſimiles ex parua obſtructione ortas, curare docuit, inquiens: {ac ſiquidem vel puer, vel ſenex ſit, ſanguinem detrahere non licet, inter has ætates vbi robur ægro non deeſt,ſecanda vena eſt, etiam ſi plenitudinis ſigna non adſunt.} præſtat enim,vt ipſe ait,vitioſi ſucci maiore parte emiſſa,ad detergendas obſtructiones accedere,cùm alioqui metus ſit,ſi obſtructionibus liberandis,priuſquàm vacuaueris, ſtudeas, ne ipſas magis impingas. & deinceps: {at ſoluunt quidem obſtructiones, quæ deterſoriam facultatem obtinent,ſeu foris cuti ſint admota,ſeu intro in corpus accepta. periculum verò eſt etiam ne quæ foras trahunt, vnà cum his quæ obſtruunt etiam aliud quippiam attrahant,& quæ ab interno ſurſum feruntur,aliquid ſecum ex iis quæ in vaſis continentur, rapiant: quòd ſi ipſum tenax ſit & craſſum, obſtructionem ſanè geminabit,ſin aliter multitudine certè ſua non parum omnino nocebit.} Erit itaque ſanguis mittendus ſaltem pro reuulſione,& vt tutiùs quæ extenuãt ac diſſecant adhibere valeas,in obſtructione ex craſsis,& glutinoſis ſuccis orta,præſertim vbi putredo & febris ad eam conſequantur, de qua etiam eſt noſter ſermo (poſtquàm Galen. in exigua etiam obſtructione, ad quam putredo adhuc conſequuta non eſt,ſed diaria febris,etiam ſi plenitudinis ſigna non adſint, ſanguinem mittere præcepit, priuſquàm ad liberandas obſtructiones accedamus.)ſanguis verò tum ad virtutis, tum ad obſtructionis modo portionẽ mittendus erit. diſcernetur autem obſtructionis magnitudo,ex ipſa magnitudine febris,vtq; ex maiore obſtructione maior, ex minore,minor inciderit. Diſſectis deinceps ac extenuatis,per ea medicamenta, quæ incidendi, detergendi, ac extenuandi vim habent,humoribus ipſis craſsis,aut lentis, eandem obſtructionem efficientibus, ad auferendum id quod ipſius obſtructionis iam factum eſt,accedere eſt tempeſtiuum,pro quo iis medicamentis opus erit, quæ obſtructionem expediunt tanquam contrariis. etenim obſtructioni tanquam inſtrumentali morbo,contraria eſt recluſio,eodem Galeno auctore,citato lib. vndecimo de meth.med.cap.13. Verùm quoniam horum plurima calida ſunt,metus eſt ne tum putredinem,tum febrem augeant.itaq; iis quæ liberare obſtructiones valent,vtemur, ἐκφρακτικά Græcè dicta,inter quæ ea eligenda ſunt,quæ citra calorem obſtructionem eximant.Et quoniam,vt dictum eſt,ſoluunt etiam obſtructiones quæ deterſoriam facultatem habent,foris, ſeu cuti ſint admota, ſeu intro in corpus accepta,propterea aut nutrimentum aliquod, aut pharmacum cum his quæ detergunt,exhibebis,ſunt tamen non multa quæ in febribus id præſtent,eodem Galeno teſte,præcitato libro octauo meth.medendi. In alimentorum enim ratione,ſunt ptiſana & mulſa, in pharmacorum autem oxymeli,& quæcunque incoquere in mulſa licet,ceu calamintham,hyſſopum, origanum,ſerpillum,irim,& apium. Verùm hæc omnia iuſto ſunt calidiora, ideóque febres accendunt,haud aliter,ac vinum. Oxymel[illegible]rò ſolum, nec febres accendit,& ſtrenuè detergit, ſic vt ea quæ glutinoſa c[illegible]ſáque ſunt, diſſoluat, & meatus obſtructos liberet,vt liquet ibidem: poteris autem prædicta, non in aqua mulſa,ſed aqua hordei incoquere,& quandoque etiam eiſdem vti, vbi febris valida non fuerit,& ſucci admodum lenti & craſsi. incident etenim, atque detergent non obſcurè, & meatus obſtructos liberabunt cum exiguo calore, in quem

cap. 4.

Tollentia obſtructiones.

in quem vſum & vinum quoque conducit aquoſum,album, & ſubadſtringens cuius autē naturæ talia ſint medicamenta omnia,ac qua methodo dignoſcenda ſint,& quæ inter ea magis,& quæ minùs detergant, ac obſtructionem liberent,Galenus libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus, abundè docuit,præſertim quinto:quo loco repurgantia,ab extergentibus,quomodo conueniant & differant, abundè etiam demonſtrauit. ſunt nanque ſubſtantiæ genere minimè diuerſa,ratione maioris, ac minoris differentia: nam quæ poros etiam expurgant,ſunt ſubtiliorum partium quàm ea,quæ in ſuperficie ſordem auferunt,ſiue in cute, ſiue in vlceribus,& extergentia propriè nominantur, illa verò propriè pororum ecphractica,& eccatharctica, quaſi expurgantia poros,& farctu liberantia appellantur, inſuper & hæc propriè tum nitroſa, tum amara ſunt:cùm ea quæ cuti extimæ impoſita,ſolam nitroſam qualitatem poſſideant exactam,eſt opus, ad ea peragenda quæ diximus, intro verò in corpus aſſumpta,etiamſi adiuncta ſit quædam adſtrictio,poſſunt tamen ſic quoque magnos purgare,abſtergeréque meatus,cuiuſmodi ſunt in vaſis: nam foris meatuum exiguitas,priùs ab adſtrictione occluſa,quàm probè queat expurgari,nō etiam inde in altum abſtergētem ſubſtantiam recipit,nec expurgatur. At quæ circa ventrem ſunt partes omnès, quæq; in iocinore, liene, aliiſque omnibus viſceribus cùm maximos in ſe meatus habeant,maius accipiunt commodum, ex vaſorum corroboratione,quàm propter oſculorum exiguitatem lædantur. proinde intus abſynthium repurgare poteſt,foris nō poteſt,quippe quod compoſitum eſt ex amara,acerbáque facultate. Concludendum itaque, quòd quæcunque reperiuntur nitroſa & amara,ea ad purgandos meatus omnes valere, at cutis vniuerſæ, ac vlcerum ſordes,non hæc tantùm, ſed & viribus minora, auferre poſſunt,Galeno auctore,citato lib. quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus,id quod in ipſis amygdalis accidit:nam & horum ipſorū ea quæ amara ſunt,& detergunt,& meatus expurgant,ſeu infarctu liberant, quæ verò edendo ſunt,detergunt quidem, non tamen infarctu liberant. Vbi verò qui obſtruunt humores detерſi,diſſectique ſunt,recluſæq; viæ per quas expurgari debent, per ea quæ diximus medicamenta, per aluum,vrinas,& ſudorem eos vacuare tentandum eſt,Galeno teſte,præcitato libro vndecimo de metho. meden.ſi ſponte non excernantur. cùm verò materiæ quæ hæc efficiunt,etiam calidæ ſint,quoad licet,id agendum erit,vt, quæ minùs calfaciat (quemadmodum in hoc caſu balneum) vtique ea eſt petenda,vt inquit Galenus eodem loco. nos verò plura conſcripſimus, quæ eandem vim habent, parúmque calfaciunt,& quædam quæ nequaquā calfaciunt,paulò ante quando docuimus putredinem (cuius cauſa adhuc non adeſt) curare,quibus audacter vti poteris. interim in memoriam reuocabis Galenum hoc loco,nil aliud voluiſſe præcipere,quàm id quod decretum reliquit Hippocrates,aphoriſmo nono, ſecundi libri, cùm dixit: {corpora cùm quiſpiam purgare voluerit,oportet fluida facere.} erit autem fluidum,vt idemmet Galenus teſtis eſt in commento, omnibus meatibus quidem reſeratis,humoribus verò inciſis,abſterſis, atque extenuatis, ſi quis fuerit humor in corpore craſſus, ac glutinoſus. ſi verò plures cauſæ obſtructionis aliquando coëant,vt multi ſimul ac craſſi, & lenti humores, omnibus etiam per contraria iam dicta occurres,abundantia priùs per venæ ſectionem ſublata, omnibus conſentientibus, ſiquid verò prohibeat, alia ratione,vt dictum eſt,vacuata: deinceps craſſos ac lētos humores extenuabis, ac incides. ſemper enim cœpiſſe à ſanguinis miſsione conueniet, vt liquet eodem vndecimo de meth.med.cap.14. Sequebatur obſtructionem neceſſariò prohibita trāſpiratio,à qua duæ etiam indicationes oriebantur, tum quod retentum eſt vacuetur,tum quod retinendum eſt,prohibeatur. atqui prohibetur quod retinendum eſt,iis præſidiis quæ obſtructioni medentur,quapropter aliis non indigebis,quàm modò dictis. quod verò retentum eſt,vacuare oportet: nam ſymptomati,quod eſt tranſpirabilium retentio,vt teſtatur Galenus, excretio ipſorum

cap.12. & 14. Detergentia & repurgantia.

Abſynthium repurgat.

cap.9. & 10.

A prohibita tranſpiratione indicationes duæ.

contra

contrarium eſt, quæ item non alia ratione vacuanda ſunt, quàm ea quæ obſtructionem pariunt, vbi eadem obſtructionē conſequatur. quibus hoc ordine peractis, ad curandam putredinem, & deinceps ad extinguendam febrem, iis quæ paulò ante meminimus, accedendum eſt: nam ſi denſatis exiguis meatibus, aut conſtrictis corporibus, quandoque fiat tranſpirationis prohibitio, ſuis contrariis curanda eſſet, denſitas ſiquidem per ea quæ rarefaciunt, conſtrictio verò per ea quæ fundunt. ſi verò omnes iam dictæ cauſæ coibūt, omnibus etiam per contraria occurrendum erit. ſiquidem fieri poteſt & coarctatum corpus ſit, & exigui meatus denſati, & multi ſimul ac lenti humores ſubſint, etiam ipſos maiores meatus obſtruētes. in huiuſmodi autem cauſarum complexu, ſi rectè quæ priùs comprehenſa ſunt meminimus, cœpiſſe à ſanguinis miſsione etiam conueniet, ac abundantia euacuata, tum ad extenuandos humores venire, ac obſtructionem recludere: ab hoc ad remittenda quæ ſunt adſtricta, & rarefaciendo quæ ſunt denſata, eodem Galeno teſte. Ex quibus liquet quomodo, & quibus curanda ſit putredo febrem efficiens, tam ſi eius cauſæ abierint, & ipſa ſola per ſe ſubſiſtat, quàm ſi etiamnum adſint. Conſequens eſt, vt ad ſecundam, quam poſuimus putredinis differentiam, accedamus.

Methodus medendi putredinem, tam per totum animal diffuſam, quàm ſi in vna quadam parte conſiſtat. Cap. XLVI.

Vide cap. 41. circa finem.

ERAT autem ſecunda putredinis differētia ex eo ſumpta, quòd per totum animal, aut eius partem aliquam, diffuſa putredo eſſet. etenim ipſa, vel æqualiter in omnibus ſubſiſtit vaſis, vel in maximis, maximéque principalibus (ea porro ſunt inter alas & inguina) vel vna quapiam particula, quæ vel phlegmonem in ſe habet, vel citra phlegmonem, veluti in foco quodam principium febris in ſe continet, & eſt tertia eiuſdem putredinis differentia. In ſingulis his differentiis, ſeorſum exercitari conuenit, vt liquet vndecimo meth. med. cap. 4. Nos verò primùm iam tractandam proponimus, quæ vel in maximis vaſis, vel ſimul omnibus conſiſtit: quę autem ex tali affectu oritur febris, planè neceſſum eſt *σύνοχον*, id eſt, continentem eſſe. Erat nanque harum continentium febrium natura, non ſimplex atque vna, nam quædam earum manifeſtam habet putredinis notam, de qua diſſerere nunc propoſuimus, quædam prorſus nō habet, de qua priùs ſermonem fecimus: quoniam maiorem cōmunitatem habebat cum diariis: quemadmodum hæc cum iis, quæ ex humorum putredine ortum ducunt. Quamobrem meritò in vtroque genere de ipſa mentionem fecimus: eſt enim harum continentium febriū ſubſtantia, totáque natura ex eo genere febrium quod nunc nobis proponitur: in vno tantùm cum diariis conueniens: quòd videlicet vna in totum, totius morbi acceſsio eſt, vnde & earum curatio, vnum hoc duntaxat commune cum diariis habeat oportet, in reliquis autem omnibus, cōueniat cum his quæ ex putredine ſunt ortæ, quod verò omnium earum commune eſt, cōmunem habet indicationem. & ob id hæc quoque febris continens ex putredine orta, ſub hac ratione cum omnibus aliis communem habebit indicationem: de quibus ſermo priùs habitus eſt. Quatenus verò ad propriam eius ſubſtantiam ſpectat, propriam quoque curationis indicationem habebit, & quantum à reliquis eiuſdem generis eſt diuerſa, intantum & diuerſam ab illis ſortietur indicationem. nec opus eſt iterum repetere quam indicationem ab eadem capere debemus communem: tanquam videlicet ex putredine orta, tam ſi putredinis cauſæ adſint, quàm ſi ipſa putredo per ſe ſola ſubſiſtat; fuſiùs enim de his paulò ante diſſeruimus. Verùm cùm eadem gigni nequeat, niſi per vniuerſum corpus perſpirationes impeditæ fuerint, vaſorum finibus ſtipatis, vel tota cute, propterea in his qui ſanguine abundant plurimùm, & corpulentis gigni cernitur: nam humorū putredo in omnes quæ inter inguina

Febris ex putredine occupante vniuerſum corpus, quomodo generetur, & in quibus corporibus.

& alas interſunt venas, æquabiliter ac citò porrigi in frigido habitu non poteſt: debent enim quæ putreſcunt tum calida humidáque eſſe, in calido humidóq; loco manentia, tum verò difficilem tranſpirationem habere, vt ſcriptum eſt 9. & 11. meth. meden. cap. 3. & 4. Quapropter cùm in totum corpus diffuſa putredo ſit, toti etiam corpori per contraria eſt ſuccurrendum, atq; ob id mittendus ſtatim, morbo incipiente, ſanguis eſt, vbi reliqua priùs dicta conſentiant, tam ſi putredinis cauſæ adſint, quàm ſi non adſint: hæc enim vniuerſum corpus æqualiter euacuat.

Venæ ſectio.

Vbi verò detractus ſanguis fuerit, neque etiam particularibus vtendum eſt topicis medicamentis, vt prouidẽtia habeatur eorum viſcerum, quæ in medio ſunt corpore, præſertim ſi relaxantia remedia fuerint, quippe deuſta immodico calore viſcera, etiã amplius deuruntur, & torrentur ab euiſmodi medicamentis: talem nanque prouidentiam illi duntaxat requirunt, quibus in vna particula putredo conſiſtit, ſi tamen ij quoque ſanguinem priùs miſerint, vt dicemus, reponi tamẽ debebit aliquid ſanguinis ad curationis ſpatium, quò minùs intempeſtiuè nutrire neceſsitate vlla cogamur. Quamobrem eadem venæ ſectione moderatè vtendum erit, & ſiquid defecerit iteratione potius ſupplere, quoniam vt aliàs dictum eſt, nec obſtructio, nec putredo curari per ſanguinis miſsionem poteſt, vt quæ alia remedia deſiderent.

Topica remedia quãdo intempeſtiua.

Deinceps quæ putruerunt expellenda ſunt per vrinas, aluum, & ſudorem, quòd ſi ad os ventriculi aliquando ſua ſponte impetũ capiant, etiam per vomitiones, aliter autem non eſt quòd ea præter naturam irrites. quæ verò dictas vacuationes promoueant, ſuperiùs annotanimus.

Purgatio.

vniuerſum quoque corpus vbi vacuatum fuerit, rareſacere expediet medicamento aliquo, cui calor inſit tepidus, cuiuſmodi eſt quod ex chamæmelo conficitur, vt inquit Galenus, inſuper & frictiones ipſæ in vniuerſo corpore conducunt: quo etiam tempore ſi vinum quóque aquoſum bibatur, id omnes vacuationes promouet. idem faciet & temperatum dulcis aquæ balneum, præſertim vbi magnitudo febris non obſtet, quo caſu vbi cætera omnia conſentiant, aqua frigida pota in his febribus eſt aptiſsima.

Topicis quãdo utendum. 11. met. c. 9.

Balneum.

Potus frigidæ.

Ad eundem verò modum, & cæteras natarum ex putredine febrium differentias, ſanari conueniet, nempe, ſicut priùs dictum eſt, indicatione tum à communi ipſarum genere, tum à cuiuſque propria differentia deſumpta. Quapropter ſi in vna parte quapiam putredo inuaſerit, præter indicationem, quę à communi harum febrium genere ſumitur, propriam habebit, quòd illi particulariter adhibenda iam dicta ſunt remedia.

Si in parte una ſit putredo.

Verùm non eaſdẽ omnes partes vacuationes, medicamentáve requirent, cùm & temperamentis, & poſituris, & forma, ſeu figura, & omni denique conſtitutione, naturáque inter ſe diſsideant. ob id præter id quod particulatim affectus indicat in hac febrium differentia, adiicere neceſſariò oportet, eas nimirum quæ ex curandis ipſis ſuggeruntur particulares indicationes, vt eod. vndecimo de meth. med. liquet ca. 15. Atqui priuſquàm ſanguinem miſeris, vniuerſúmque corpus vacuaueris, haudquaquam affectæ parti iam dicta remedia adhibenda ſunt. quaproter in his quoque venam ſecabis primò, potiſsimùm vbi cauſæ putredinis adſint, & quæ parti adhibentur medicamenta, ſint calida. etenim ſaluberrimum eſt, eodem Galeno teſte citato loco, in febribus venam incidere, non continuis modò, verumetiam aliis omnibus, quas putreſcens cõcitat humor, vbi præſertim nec ætas, nec vires prohibeant: leuata nanque, vt ipſe inquit, quę corpus noſtrum regit natura, exoneratáque eo quo veluti ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum eſt, vincet. itaque proprij muneris haud oblita, & coquet, quod concoqui eſt habile, & excernet, quod poteſt excerni. & Paulus ca. 17. ſecundi lib. inquit, ſi vires ſunt validæ, ei qui ex putredine ſebricitat, ſanguinem demittes protinus, modò cruditas ventriculum non infeſtet. A venæ ſectione ei parti quam putredo inuaſerit particulatim remedia adhibenda ſunt, prout vſus requiret, ac ea quæ narrauimus expoſtulant, atque ab eadem putredo euacuanda erit, quanquam nec eaſdem vacuationes, nec medicamenta alia omnes eædem partes requirant, ſed

Venæ ſectio omnibus febribus putridis competit.

pro earum diuerſitate,diuerſa.conſiſtit autem earũ diuerſitas in temperamento diuerſo,diuerſáq; actione, necnon figura,& ſitu,& tarditate, ſeu acutie ſenſus, vt ſeptimo de meth.med.c.vlt.ſcriptũ eſt, à quibus omnibus ſumptis etiam, indicationibus diuerſis pro earũ diuerſa ratione,poteris iam dictis medicamentis rectè vti. A laborantis loci temperie quidem ſumenda indicatio erit.etenim calfaciendi, refrigerandi, ſiccandi, humectandi , vel aliquid horum coniunctè cum alio faciendi menſuram præſcribit,quemadmodum ſuperiùs de vniuerſo corporis temperamento ſcriptum eſt. ob id quæcunque calidiores natura partes,ex frigore laborant,eæ liberaliùs & diutius calefieri poſtulant, ſicuti etiam quæ frigidiores natura ſunt , ſi ex calore laborent, refrigerari , & ſicciores ſiccari,& quæ humidiores naturaliter ſunt,humectari,vbi illæ ex humiditate, hæ ex ſiccitate laborent. contrà verò pars quæ calidior natura eſt , ſi calido morbo ægrotat,exigua breuiſque temporis refrigeratione eget, ſicut quæ frigidior eſt calefactione; ita quoque ſentiendum erit de reliquis intemperantiis,etiamſi coniugatæ fuerint,quippe eatenus redeat ad naturam eorum quódque neceſſe eſt,quatenus à natura receſsit,ac veluti quadam via retro feratur,quæ in diuerſum agat ei, quæ facta eſt in ipſo tranſmutationi. vnde etiam minùs periclitantur quicunque cognato ſuæ naturæ morbo laborant, vt inquit Galenus eodem 7.de meth. meden.& decretum reliquit Hippocr.aphoriſ.34.ſecundi lib.quippe cùm priuſquàm ad propriam naturam particula redeat , nondum curationi impoſitum finem arbitrandum , atque ita quidem à temperamento laborantis partis auxiliorum indicatio ſumitur , in hac etiam putredine curanda , quæ in vna parte conſiſtit:etenim, vt dictum eſt, eorum menſuram præſcribit. A facultate item ſeu functione laborantis partis ſumitur indicatio , od id quòd actio eius; omnibus animalis partibus vtilis ſit,aut paucis quibuſdam, aut vni ſibi; in his tamen intemperiei generibus,quæ ex humoribus ſunt orta.nanq; in iis quæ abſque humore infeſtant, vtique nihil ex hoc ſcopo ſumitur.qua de re ſi particula ſoli ſibi inſeruiat,audacter vacues licet,prout affectus ſuadebit,ſed tamen etiam virtuti attentus; ſin neceſſarium opus eius ſit, omnibus animalis partibus, veluti ventriculi,& iocinoris,non leuis habenda ſolicitudo de robore virtutis eſt,ne hanc diſſoluas,magna ſemel vacuatione vſus,ergo in illis quamprimùm vacuare redundantiam licebit,prout volueris, ex ventriculo verò, & iocinore vtcunq; vacuare non licet,ſed cum cautione, vt nequid virtuti officias, Quoniam autem non par eſt actionum dignitas ad ægros ſeruandos , ſed aliæ magis iis, aliæ minùs vtiles ſunt, vtique ad portionem actionũ dignitatis etiam cuiuſque partis, proſpiciendum eſt robori. maxima nanque eſt cordis officij dignitas, atq; ægrotantibus maximè omnium neceſſaria , cerebri verò ad vitam quidem par eſt momentum, non tamen par robur eius in ægrotis requirimus, cùm neceſſe omnibus non ſit neruorum ac muſculorum opera vti, itaq; abundè fuerit, ſi tantùm eius ſeruatum ſit, quo reſpirationis munus ſit obeundum. At verò iocinoris opus , omnibus particulis perneceſſariũ eſt , non tamen adeò ſaltem perpetuam neceſsitatem habet, ſicut ipſius cordis,ad portionem autem iocinoris, etiam ventriculi opus ſe habet. Intelligens ergo omnium particularum tum functiones, tum vſus, haud difficulter inuenies quantum cuiuſque robur, in vacuationibus cuſtodiri oporteat, vt liquet citato ſeptimo de meth.meden.aç idem particulatim ſeruabis, vbi putredo in earum aliqua conſiſtat, quæ vacuatione indigeat. A ſitu inſuper earumdem partium indicatio dabitur, tum ad ſolidarum intemperies, tum etiam ad ſuccorum vitium, ſanè non leuis: nam per quæ vacuare oporteat, atque quomodo ipſe præcipuè demonſtrat. qui enim pro ſumma corporis intemperie laborant , iis medicamenta quæ intemperies requirit, applicabimus, quibus autem in profundo corpore intemperies eſt, in his rationem interualli inibimus: nam ſi medicamentis quæ intemperies requirit vtare, vtique multo imbecilliora, quàm pro vſu ad locum affectum peruenient. Ad vacuationes quoq; nonnihil ſitus indicat, dum ſocietatem laborantis

Cap. ſupracitato.

Indicatio à functione partis.

Partium dignitates.

Indicatio à ſitu.

partic

particulæ cum aliis docet: nam niſi illud compertum haberemus, quòd cauo
iocinoris ſubiicitur ventriculus, & ieiunum, tum quod ieiuno ipſi tenue inte-
ſtinum ſuccedit, id verò colon excipit, ac colon quod rectum appellant, vtique
inueniſſe illud nõ licuiſſet, quod iecur & per aluum, & per vomitum expurgari
poſsit: quanquam aptior ſit prior vacuatio, tanquam vſu iam callentibus inte-
ſtinis iocinoris ſuperflua tolerare. A figura verò partis, ipſius quoque modi va- *A figura.*
cuandi excrementi indicatio ſuggeritur, ad hunc modum, ventriculus vomi-
tu, deiectionéque inanitur, inteſtina deiectione tantùm, ſicut etiam & iocino-
ris euacuatio aptius quidem, renes verò & veſica, ac iocinoris gibba, ſi multo
vitioſo ſucco ſunt referta, per deiectiones, & pharmaca deiectoria expurgan-
tur, ſin mediocri, per vrinales meatus. Cerebrum vero per palatum & aures: pe- *A ſenſus par-*
ctus & pulmones per aſperam arteriam & fauces. Non aſpernanda autem ea *tium acutie,*
indicatio erit, quam ſenſus partium acuitas, hebetudóque ſuppeditant, quan- *vel hebetudi-*
do omne medicamen contemnunt, quæ tardi ſunt ſenſus, etiamſi non leuiter *ne.*
mordeant, at quæ acuti ſenſus, earum vires dolore reſoluuntur. Expedit igitur
has nec confertim, nec ſemel valentibus auxiliis mederi tentes, ſed tuto potius
in tempore. vbi verò tardus eſt ſenſus, in iis etiam celeriter obire quod iuſtum
eſt, licet ſemel vſis remedio, quod ſit idoneum. ſi verò quiſpiam hanc indica-
tionem reponat in ea, quam ex virtute partium deſumimus, nihil quantum ad
rectè medendum errabit, quemadmodum etiam ſiquis eam velit illis quatuor,
quas ante memorauimus, quintam annumerare, vt ſecundo libro de arte cura- *Cap. 2.*
tiua ad Glauconem, à Galeno ſcriptum eſt. Has itaque omnes indicationes me-
moria habere oportet, in quacunque particula, nedum putredine, ſed quouis
alio morbo affecta, communi tamen perpetuò indicatione ſeruata, quam ex
ipſo affectu ſemper aſſumendam eſſe docuimus, & hoc non ab re. nam partis
temperatura, & facultás, ſeu virtus, formatio, & ſitus, ac facilitas, ſeu difficul-
tas ad ſentiendum, ſingulas quæ in nobis fiunt operationes commutant. Nihil
igitur in curationibus pręterire oportet, præſertim earum febrium quę ex pu-
tredine excitentur, & putredo in vna determinata parte conſiſtit, ne noſmet-
ipſos decipiamus, in eum incidentes ſermonem, morbus quidem curatus eſt,
homo autẽ obiit, quod à quampluribus quotidie factitari videmus. Harum au- *Indicationes*
tem indicationum quædam à parte tanquam eadem ſimilari exiſtẽte, quædam *à parte, vel vt*
verò quà inſtrumentalis, non quà ſimilaris exiſtit, capiuntur. Sunt & aliæ quæ *ſimilaris eſt,*
tum vt inſtrumẽtales, tum etiam vt ſimilares communes ſunt, vt ſimilaris qui- *vel inſtrumẽ-*
dem conſiderata, ſecundum propriam naturam, ac temperamentum indicat, vt *talis, vel com-*
inſtrumentalis, ex eius figura, tum poſitione, indicatio ſumitur. ſi verò earum *munis.*
actionem inſpexerimus, præterea, an rara ſit pars, an denſa, an acuti, vel hebetis
ſenſus pars ipſa, tum vt inſtrumentalis, tum vt ſimilaris indicabit. Sunt enim
hæc vtriſque communia, vt 13. de metho. med. liquet. Hoc itaq; eſt illud quod *Cap. 7. & 10.*
Galenus innuere voluit 11. lib. eiuſdem operis, narratis indicationibus omni- *Cap. 7.*
bus, quæ ex curandis affectibus ſumuntur, pro harum febrium ſublatione, cùm
dicebat: ſi ſiquidem hîc iam deſinant, neceſſarium eſt indicationes, quæ ex cu-
randis ſumuntur affectibus, poſt has verò eas nimirum, quæ ab ipſis curandis
ſuggeruntur particulis, pro iam dicta methodo ſumemus.

Putredinis in quapiam parte exiſtentis citra phlegmonem, & cum plegmone, curatio. Caput XLVII.

EIVS porrò putredinis, quæ in vna parte cõſiſtit, duæ ſunt dif-
ferentiæ: nanque alia éſt quæ cum phlegmone coniungitur, alia
quæ ſine hac exiſtit, à quibus etiam diuerſæ oriuntur indicatio-
nes. De iis vtique poſtremò diſſerere opus eſt, pro complemen-
to vniuerſæ methodi de curandis febribus ex putredine ortis,
quanquam in his etiam ipſis alia ſit indicatio, præſente adhuc effectrice cauſa,

alia verò hac ſummota,de quibus iam abundè ſermonem fecimus,quo loco ſtudioſi has petant indicationes:ſunt enim omnibus communes febrium particularibus differentiis, quæ ex putredine naſcuntur, tanquam primæ & vniuerſales exiſtentes,veluti etiam illæ,quæ ex propria natura putredinis pullulāt. Verùm vbi abſque phlegmone in parte quapiam putredo cōſtiterit,nullam aliam particularem habebit curationis indicationem,præter eam quæ modò à nobis dicta eſt, de ea putredine quæ in vna parte conſiſtit, diſtincta aduerſus eam quæ per vniuerſum corpus diffuſa eſt.eſt verò ea,quòd eidem parti & non aliis, neque vniuerſo corpori medicamenta adhibere oportet. hoc igitur duntaxat præter alias communes putredinis indicationes deſiderat putredo, quæ in vna parte conſiſtit abſque phlegmone, quanquam ſimul cum eadem modo dictæ à nobis indicationes; quæ à partibus ipſis affectis capiuntur, ſpectandæ ſunt. At ſi cum phlegmone coniuncta putredo fuerit, neceſſariò cum his quæ diximus indicationibus,eas quæ à phlegmone ipſa capiuntur pro eius curatione, conſiderare oportebit.Eſt verò phlegmone quæ totius generis nomen accipit,atque inflammatio nominatur (de qua etiam verba facturi ſumus) morbus tum in quantitate,tum in intemperie, vt liquet libro de inæquali intemperię, & 13.de meth.meden.Conſiſtit autem omnis è ſanguinis confluxu, qui ſtatim calidior eſt quàm pro natura fuit, omnibus certè in ipſa parte quæ phlegmone vexatur:calidior efficitur,vt eodem 13.de metho.medendi, ſcriptum eſt. Quò fit vt etiam curationis indicatio omnibus ſit communis, nempe euacuatio redundantis in particula phlegmone obſeſſa,ſanguinis: quoniam momentum omne curationis laborantis phlegmone partis, in redundantis in ipſa ſanguinis vacuatione conſiſtit,eodem Galeno teſte citato loco. Hic etenim earum primus ſcopus eſt, euacuatio videlicet humoris, qui in parte phlegmone conflictata graſſatur, ex ſententia eiuſdem libri de conſtitut.artis medic. & tertio de temperamentis.Hoc itaque modo, licet duplici ratione à natura receſſerit,& quòd pars ipſa videlicet, multo ſanguine ſit referta,& quòd eadem ſit calidior,curare eam oportet: nam immodicè calida,non ſtatim ab initio,ſed tempore fit inflammata pars, vt liquet libro de tumo.præter naturam: & propterea particulæ, quæ per phlegmonem excalfacta eſt vacuationi, omnino ſuccedit refrigeratio. ergo cùm duplex in his, quæ à phlegmone laborant particulis, affectus ſit, vnus quidem in quantitate, ex ſuperuacui naturæ modū exeuntis abundantia, alter in qualitate, qui ex caloris ſpectatur ratione: ſequitur prioris eorum curationem etiam poſterioris curatio, fiúntque ex accidenti quæ vacuant, calentis materiæ remedia, & inflammationis particularum, ſeu feruoris refrigeratoria, vt eodem libro tertio de temper.ſcriptum eſt. Nec obſtant Galeni verba libro de differentiis morbor. quæ propter eorum ob intelligentiam omnes (quos viderim) tum barbaram ſectantes medicinam, tum etiam eos, qui Gale. doctrinam profitentur, deceperunt. Arbitrantur enim citato loco Gale. velle, inflammationem primò morbum eſſe in intemperie,& deinde in magnitudine, ſeu quantitate. At ſi ea diligenter perpendiſſent, ac intellexiſſent, percepiſſent vtique Gale.quiduis aliud potius ſubintelligere voluiſſe, quàm id quod ei tribuunt.Nam proponens ſe velle differere de compoſitis morborum differentiis, relictis eis ſecundum priorem ſuppoſitionē, volens eos determinare iuxta ſecundam ſuppoſitionem, afferebat in vnaquaque ſimilari particula, qualitatibus naturæ modum egreſsis, quatuor numero eſſe compoſitas ægritudines, profluente verò ad ipſas aliqua ſubſtantia, adhuc pariter eſſe quatuor alias. Et quoniam continuitatis ſolutio non tantùm in compoſitis inſtrumentis, ſed in ſimplicibus quoque particulis fit, inquit ipſe, quòd complicabitur & hæc nuper dictis iuxta vtranque ſuppoſitionem, compoſitis ægritudinibus, & ſimplicibus iis, de quibus ſtatim ab initio ſermonem habuimus. Nam fieri poteſt vt idem membrum,& vlcus patiatur,ſimul & ſiccitatē habeat, aut humiditatem, vel frigiditatem, vel caliditatem præter naturam, aut vnà cum vlcere, caliditatem

Curatio putred.in parte una citra phlegmonem.

Curatio putredinis cum phlegmone.

Phlegmone quid.

Cap.3.

Cap.1.& ſeq.

Indicatio communis in omni pleg.uacuatio.

Cap.2.

Cap.17.

Cap.5.

Cap.2.

2.Indicatio,refrigeratio.

Vacuatio per accidens refrigerat.

Cap.præcit.

Cap.12.

Gal.mens & locus declaratur,quem malè multi intellexerunt.unde uacuatione nō eſſe primum ſcopum concludebant.

tatem ſimul atq; humiditatem.& demum ſubdit: {quæ igitur exulceratæ ſunt partes & inflammantur, tripliciter ab eo quod ſecundum naturam eſt, diſcedunt: propter exulcerationem quidem vnitas deperditur propriarũ partium, quoniam autem inflammantur, calidiores & humidiores, eo quòd ſecundum naturam eſt, efficiuntur: tumor enim in ipſis, quando in tantam quidem magnitudinem attollitur, vt lædere operationem poſsit, propter hoc ipſum iam morbus appellandus eſt, aliter verò ſymptoma, & pathema tantum, quemadmodum & dolor. Omnia igitur quæ ſimul inflammantur atque vlcerata ſunt corpora, tres quidem neceſſariò, nonnunquam verò & quatuor ægritudines patiuntur,} Hæc ſunt Galeni verba fideliter ex Græco codice tranſlata citato libro de differentiis morborum. Ex quibus clariùs luce liquet, nunquam Galen. aſſeruiſſe inflammationem primò morborum eſſe in intemperie, & deinde in magnitudine, ſeu quantitate: ſed bene faſſus eſt, quòd exulcerata pars, ſimilaris inquam (nam de huius generis morbis verba faciebat) poterat ſimul ſimplicem intemperiem quãdoque compoſitam habere, vtputa caliditatem ſimul & humiditatem: hoc eſt, ob calidam & humidam intemperiem præter vlcus laborare, id quod accidit quando partes ipſæ inflammantur, ait, & non inflammatæ ſunt, vt iſti credunt: tunc enim tripliciter naturæ modum egrediuntur. Nam ob vlcus vnitatem admittunt, cùm verò inflammantur, calidiores & humidiores, eo quod ſecũdum naturam eſt, efficiuntur. hoc etenim tempore partes verè inflammatæ ac inflammationem pati, haudquaquam dicentur, ſed inflammari duntaxat, propterea quòd ex calida & humida fluxione, calidiores quoque & humidiores efficiuntur: & propterea partes vlcere affici, inſuper & calida & humida intemperie, qua ratione tripliciter naturæ modum egrediuntur, quoniam propter vlcus, propter calidam, & tertio propter humidam intemperiem: quę quidem intemperies, licet compoſita ſit calida videlicet & humida, ac genita à calida & humida ſubſtantia influente, non tamen propterea pars vere inflammata dicetur, ſed bene compoſitum erit vlcus cum calida & humida intemperatura. Si verò præter iam dictam compoſitam intemperiem tumor accedat, veluti ſymptoma, & pathema tantum erit ipſius partis quæ inflammatur, quemadmodum & dolor: quo etiam tempore neque inflammatio dicenda erit, neque partem inflammatione laborare, niſi ad tantam magnitudinem attollatur, vt propter hoc ipſum lædere actionẽ poſsit: læſio enim actionis (vt idem Galenus inquit libro de tumoribus præter naturam, circa principium) eſt terminus exceſſus præter naturam tumorum. & hoc tempore verè & proprie inflammata pars dici poterit, & partem quadruplici morbo laborare, aſſerimus. Nam priuſquàm ad hoc deuenerit, neutiquàm inflammationem genitam eſſe, neque partem inflammatam aſſerere licebit, quemadmodum ipſemet ſe exponens poſt dicta verba explicabat, quidnam eo loco inflammationem appellaret, quoniam renitentem, ac rubeſcentem, dolorificúmque tumorem; adeò vt ſiquid horum deerit, inflammatio appellanda non ſit. poteſt itaque pars aliqua exulcerata intemperie calida & humida laborare, ac eo tempore eam quodammodo inflammari dicemus, nunquam autem inflammatam eſſe verè & propriè inflammatione dicta, niſi priùs ad tantam magnitudinem pars attollatur, vt per eam operationes lædantur, & deinceps immodicè calida & humida fiat, quemadmodum vbique locorum differuiſſe Galenum comperium eſt. Nec quicquam refert ſi inflammationem eo loco dixerit morbum eſſe primorum ſeu ſimilariũ corporum: nam licet ſimilare aliquod corpus primò ab ea oblædatur, ſecundariò verò & ex accidenti totum inſtrumẽtum, non tamen ipſum offendit vt ſimilare eſt, ſed vt partem conſtituentem totum inſtrumentum, cùm ex ea diſtendatur, & in tumorem attollatur primò, ex quo totius inſtrumenti conſtitutio oblæditur, & propterea totius inſtrumenti, & ex accedenti morbus dicetur. Hoc igitur modo Galeni verba citato libro de differentiis morborum, exponenda ſunt, quæ, vt mea fert opinio, hucuſque à

Phlegmone primò morbus eſt in quantitate, deinde in intemperie.

Phlegmone ſimilarium per. primò, totius inſtrumẽti per accidens.

nemine, quos viderim, fuere intellecta. Non ab re itaque primus, præcipuus, ac proprius eius curationis ſcopus, eſt vacuatio. Atqui vacuatio hæc duplex excogitata eſt, aut tranſlato ad alias partes, qui in ægra continebatur ſanguine, aut foris à corpore expulſo. ſatiùs profectò erit vtraque vti, vt inquit Galenus, obſeruantibus diligenter, ne qua ex accidenti læſio ſequatur. Cùm verò gemina ſit dictarum vacuationū vtraque, quadruplex in vniuerſum naſcitur vacuantium auxiliorum genus. tranſlationis enim ſanguinis ad alias partes vnum genus eſt, vbi ipſa pars quæ phlegmone laborat, ſanguinem abigit, alterum cum eæ quæ integræ ſunt, ad ſe trahunt. eius autem quæ extra corpus educit, alterum ſenſibili effluxu, alterum ratione tantum contemplabili perficitur. Cùm itaque obſeruare oporteat diligenter ne aliqua ex accidenti læſio ex eiſdem vacuationibus ſequatur, propterea eis quæ tutiores ſunt euacuationibus, in principio vtendum erit, geminis videlicet iam dictis, à quibus ſanguinis tranſlatio ad alias partes efficitur, tam ſi ipſa laborans phlegmone pars ſanguinem abigat, quàm ſi aliæ quæ integræ ſunt ad ſe trahant: ex reliquis nanque duabus læſio ex accidente ſequeretur, vt dicemus. Trahunt autem ad ſe quæ integræ partes ſunt, aut venæ ſectione inanitæ, ſecta videlicet ex eiſdem partibus vena, aut fortibus adhibitis vinculis, ſeu applicatis cucurbitulis, potiſsimùm vbi cùm parte phlegmone tentata communitatem habeant. Repellunt autem à ſeipſis partes quæ phlegmone laborant ſanguinē, infrigidantibus atque adſtringentibus medicamentis adhibitis, tum quoniam id quod influit, ex eiſdem inhibetur, tum etiam ꝙ ex accidenti partes ipſæ corroborantur, vt minùs promptè diffluentem in ſe recipiant ſanguinem, ac quod in eis continetur promptiùs à ſeipſis abigant, vt 11. & 13. de metho. medendi, decretum eſt. ob has itaq; cauſas primò repellentia adhibemus, quamuis ex accidenti partes ipſæ ex eiſdem roborentur, vt minùs promptè recipiant excrementa, nō propterea quòd eiſdem denſentur ac conſtringantur, quemadmodum methodici ſentiebant, ſed quoniam morbi cauſa ab eiſdem primò repellitur, ad cuius expulſionem neceſſariò partis roboratio conſequitur, vnde minùs promptè affluentem ſanguinem recipiunt: quamobrem eiſdem quoque medicamentis in inflammationum principio ſæpiùs vtimur, tum quod parum eſt quod eo tempore affluit, tum magna ex parte non ita craſſum, tum partis ipſius quæ recipit virtus, nonnunquam valentior, vtpote nondum laſſata, tum quod in afflicta continetur parte nondum violenter impactum, & citato libro 13. de metho. meden. teſtatur Galenus, & libro 11. eiuſdem operis, idonea eſſe in principiis adſtringentia duplici ratione aſſerebat: & quòd robur affectis particulis inſerunt, vnde minùs promptè affluxum excrementorum in ſe recipiant, & quòd eorum quæ in iis iam contenta ſunt, tenuiſsimum extrorſum exprimant. qua de re licet quod impletum eſt vacuetur, non modò medicamentis iis quæ digerunt, ſed etiam quæ adſtringunt & refrigerant, magis profectò ad incipientes phlegmonas frigidis adſtringentibúſque, quàm iis quæ digerunt, eſt vtendum, atque magis, vbi quod cōfluit, craſſum non ſit, cùm neque partem phlegmone obſeſſam calfaciant, neque ad eandem trahant, veluti ea quæ digerunt. Inter hæc verò vacuantia, per quæ tranſlatio ſanguinis ad alias partes efficitur, ea præferenda ſunt, quibus integræ partes ad ſe trahunt paulò ante à nobis conſcriptæ, quanquam interim quoque purgatione vbi opus fuerit vti poteris, deinceps verò frigidis adſtringentibúſq; medicamentis vtare, licet vbi admodum exigua inflammatio fuerit, priuſquàm corpus vacuaueris, eiſdem quoque medicamentis vti poteris, nedum in hac inflammatione, verumetiam in aliis quæ ex vitioſis fiunt humoribus. Siquidem, vt inquit Galenus 14. de metho. medendi, exiguum vitioſi humoris etiam ſiquis ad viſcera & magnas venas retrudat, nullum profectò quod ſenſu percipiatur, malum cōmittet, at ſi eius non leuis quantitas ſit, in princeps aliquod membrum aliquando procumbit, vbi priùs totum corpus vacuatum non fuerit, quod quidem tutius eſſe arbitror, vt moliatur in

Vacuatio duplex.
13. met. c. 29.
Vtraque uacuatio, gemina.
Trāslatio ſanguinis duplex.
Cap. 15. & cap. 6.
Frigida, & adſtringentia in principijs inflammat.
Purgatione quādo utendū, & quando nō.
Cap. 27.

quacunque inflammatione. His itaque auxiliis in inflãmationis principio pro eius curatione vtare. Si verò ſanguis in particula quam phlegmone prehendit vehementer eſt impactus, non eſt amplius repercutientibus vtendum; ſed tum digerere eſt tempeſtiuum: etenim in phlegmone tantiſper eſt refrigerandum, quatenus & ad incrementum eius ſiſtendum inhibendúmque eſt commodum. ſiſtunt autem ac inhibent inflammationis incrementum refrigerantia & adſtringentia duplici ratione, & quòd immoderatum extingunt colorem qui dolorem excitat, & quòd repercutiũt id quod affluit, ac quippiam ex eo quod in laboranti membro continetur, in proximas partes repellunt, id quod phlegmones iam factæ medela eſt, vt diximus. Simili etiã modo vbi ſanguis in parte quam phlegmone prehendit, vehementer fuerit impactus, & quæ modicè excalfaciunt, vtraque ratione proſunt, verùm tranſacto principio, ac corpore præeuacuato, quoniam & dolorem ſedant, & quod contentum in laborante particula eſt, digerunt: quippe dolorem mitigando augeri phlegmonas vetant; digerendo quod earum iam impactum eſt, eaſdem ſanant. Dixi autem non ab re his vtendum eſſe medicamentis poſt inflammationis principium, totóque etiam corpore priùs vacuato, quippe cùm particulæ quam obſtructio, aut putredo, aut phlegmone obſedit, febris ipſius veluti focus ſit. Ergo cùm huic, propter calorem ſua ſponte trahenti, alia quæpiam occaſio extrinſecus, ex iis quæ poteſtate excalfaciunt acceſsit, neceſſe eſt affectum intendi, vt liquet eodem 11. meth. meden. cap. 15. in incremento igitur commodè digerentibus vtendum eſt medicamentis, præſertim vbi quippiam amplius nõ affluat, nec repelli quod in laborante particula continetur, poſsit, vtpotè quòd violenter impactum ac craſſum ſit. Verùm vbi fluxio non prorſus conſtiterit, repellere ſimul ac digerere hoc tempore conuenit, quamuis digerere magis, repellere autem minùs, & ob id cum his quæ digerendi vim habent, adſtringentia quoque miſcenda ſunt, exigua tamen, ita quòd digerant magis, repellant autem minùs, tum propter eas quas nuper tradidimus cauſas, tum etiam quia, vt inquit Galenus 3. de ſimplic. medic. facult. cap. 17. abſurdum planè eſt ſemel, vnóque impetu, ab adſtringentibus contrahentibúſque ſubſtantiam, ad laxantia fundentiáque tranſire, ſicut ſanè æquum eſt in intermedio principij ſtatúſque ſpatio, dum videlicet morbi adhuc increſcunt, nec planè repellere ſicut in principis, nec itidem digerere ſicut in vigore, ſed perinde vt morbi conditio media eſt inter cõtraria, ita medicinam quoq; mediam eſſe oportet, quæ videlicet non vt in principiis adſtringat, nec vt in vigore digerat: quanquam ſemper vtraq; miſceãtur oportet, & quæ repellendi, & quæ diſcutiendi facultatem habent, niſi quando fluxio prorſus conſtiterit, & corpus vacuum fuerit. tunc etenim ad digerẽtem ſeu diſcutientem facultatem tuta eſt acceſsio, præſertim in vigore, & in inclinatione, quo tempore magis relaxantibus & digerentibus vtendum eſt, ſicut in primis incurſibus infrigidantibus, ac repellentibus, vt liquet 1. de comp. med. per genera. cap. 4. hac igitur vacuationis ſpecie in modò dictis inflammationis temporibus, quæ ratione tantum contemplabili ex ægra parte ſanguinem euacuat, qui in inflammatione continetur, non autem in principiis earum vti licebit, propter eas, quas nuper cauſas aſsignauimus, interdum ſolis eiſdem medicamentis vtentibus, quæ digerendi vim habent, interdum cum his quæ infrigidant & adſtringunt permixtis, prout vſus requiret, & nos determinauimus. Ea autem vacuatio, quæ extra corpus educit eundem ſanguinẽ in phlegmone contentum, ſenſibili effluxu, vltimo loco molienda erit, quo videlicet tempore aliæ vacuationis ſpecies non ſatis fuerint. Ac tales quidem omnis phlegmones communes medicationes ſunt, variantur autem pro laborantium particularum ratione. quapropter memoria tenere oportet ſemper cunctas, quas narrauimus indicationes, quæ ab ipſis affectis partibus capiuntur; ſic etenim eaſdem inflammationes, in quacunque parte fuerint excitatæ, rectè curabis. nam ſi quis eam quæ à partibus ipſis præſtatur indicationem

Digerentibus quando utendum.

Indicationes ſumẽdæ à parte affecta, ut cap. 46.

adimat, nihil obſtat quo minùs medicinam non ſex menſibus, ſed ſex diebus totam perdiſcas, vt inquit Gal. eodem 13. meth. med. cap. 20. quãuis nec ſi quæ à partibus ſumitur, indicationẽ adiicias, vt ipſe inquit, iam totum quod exigitur ad curationem habeas, niſi etiam methodos de medicamentis didiceris. itaque eas aggrediatur oportet quiſquis conſummatè ſanaturus eſt morbos. Vbi vero phlegmone in generatione adhuc ſit, gemina oritur indicatio, veluti in reliquis morbis omnibus, quicunque in gignendo adhuc ſunt, & cauſam habẽt, oſtendimus, atque idcirco nõ ſimplicem, ſed compoſitam eſſe totã, de iis ægritudinibus quæ in generatione adhuc ſunt, medentis ſolicitudinem oportet, ex ea ſcilicet quæ prouidet, & ea quæ curat, eodem Gale. auctore citato lib. 13. de meth. med. cap. 2. quæ igitur cauſæ phlegmonem accerſere videntur, has cum in corpore ſint conceptæ, vtique ne maiores fiant, cohibere conueniet, atque hoc præcauentis phlegmonem eſt officium, cùm verò ea magnitudine ſint vt iam phlegmonem creent, eas ſummouere oportet, ac quantũ iam phlegmones genitũ eſt, ſanare. itaq; cùm adhuc in generatione phlegmone fuerit, in ea, prior vacuationibus quas ſupra retulimus, confluentis ad affectum locum ſanguinis, fienda eſt inhibitio. inhibebitur his commodè ſi ipſam fluxionis cauſam inuenerimus, vt idem Gal. inquit. eſt autem ea duplex, aliquando ex ipſa parte quã phlegmone vexat, orta, aliquãdo ex alia quapiam, aliiſve. ex ipſa quidem quoties aut calidior eſt facta. aut dolore vrgetur non ex ipſa, quando vel ab alia quapiam parte, vel ab aliis ſuperfluũ illi tranſmittitur, vel etiam ex totius corporis affectu. inuẽta itaque fluxionis cauſa, eam primò auferre oportet, vt cõfluentis ad affectum locum ſanguinis fiat inhibitio, ita vt ſi ex calore proritetur fluxio, idem primò ſedetur, ſi ex dolore, in contrarium quoque alteretur, ſi verò ab aliquo, vel pluribus partibus ſuperfluum tranſmittatur, tanquam robuſtioribus exiſtentibus, aut etiam ab vniuerſo corpore, ex eiſdem priùs vacuatio molienda erit, ac à tanta fluxionis parte reuulſio, & deinceps quod in affecta parte reſtitit, ac ipſius phlegmones iam genitũ eſt, paulò ante dictis vacuationibus ſanare oportet, curationem eandem immutantes pro ipſarũ partium tum natura, ſeu temperamento, tum facultate, ſeu actione, tum poſitione ſeu figura, ac aliis quæ ſupra narrauimus. Et hæc pro curatione ſingularum trium differentiarum ipſius putredinis quas propoſueramus, hoc eſt, tam ſi eius cauſæ adſint, quàm ſi non adſint, tam ſi per vniuerſa vaſa, ſeu maiora & principaliora fuerit diffuſa. quàm ſi vna parte conſiſtat; tã ſi fuerit cũ phlegmone quàm citra phlegmonẽ, dicta ſatis. Quibus omnibus, ſi eas quæ à viribus præbentur indicationes adiecerimus, abſoluta nobis methodus de febribus omnibus à putredine incenſis, ſanandis, erit, vt Gal. inquit. Nos verò quæ indicationes à viribus ſumẽdæ ſunt, nedũ pro febrium omniũ, verùm etiam quorſúcunque morborum curatione, ſuperiùs abundè diſſeruimus, quatenus ſpectat ad auxiliorũ inuẽtiones. Reſtat modò de eis ſermonem facere quod ad victus rationem attinet, id quod ſtatim abſoluemus, pro complemento huius noſtræ methodi de medendis febribus, ſi priùs rationes quaſdam diluamus, quibus iidem iuniores probare etiam nituntur, eas indicationes, quas ab affectis partibus neceſſariò ſumendas eſſe cum Galeno concluſimus, quicquam ad curationem conducere non poſſe, quemadmodum nec reliqua, quæ ſecundum naturam ſunt.

Indicatio duplex in phlegmone quæ adhuc fit.

cap. 3. Fluxionis cauſa.

Superat una ſolùm indicatio à uiribus, ſed eadẽ eſt in omnibus morbis.

Soluuntur rationes quibus quidam probare nituntur quòd indicationes quæ ab affectis partibus ſumuntur, ad curationem non conducunt. Cap. XLVIII.

SI natura ſeu partis temperamentum, actio, ſeu virtus, ſitus, poſitura ac ſenſus, omnia ſunt ſecundum naturam, & propterea nobis familiaria & amica, qua ratione ſui conſeruationem & tutelam perpetuò indicant, quomodo poſſunt curationem, aut remedij genus, qualitatem, locum, quantitatem & vtẽdi modum,

aut

aut quempiam alium ſcopum, quem in illis obſeruare oportet, demonſtrare, inquiunt iſti, ſi modò vnum ſemper indicare vnum, ſit opus, Galeno auctore 9. & 11. de meth. med. cap. 12. & cap. 13. Atqui nos vnà cum Gale. aſſerimus, perpetuæ veritatis eſſe quòd quicquid pro natura ſua indicat, id vnum ſemper indicabit, ſeu quòd vnam habeat naturam: qua etiam ratione fatemur, quodlibet quod ſecundũ naturam eſt, ſui cuſtodiam perpetuò indicare, nec propter aliud ab eo quampiam ſumi indicationem, quàm propter hunc finem, videlicet vt cuſtodiatur. Quamobrem ſi Galenus præcepit à partium natura, ſeu temperamento proprio ſumi indicationem pro morborum (qui in eiſdem excitantur) curatione, nõ propter aliud illud inſtituit, quàm vt earum partium natura, ſeu temperamentum conſeruetur ex eis medicamentis, quæ morbum auferunt: etenim eadem laborantis loci temperies medicamentis, quæ pro auferendis morbis adhiberi debent menſuram præſcribit, vt liquet 7. de meth. med. ca. vlt. quemadmodum etiam de vniuerſi corporis naturali temperie ſuperiùs diſſeruimus, quippe eatenus redeat ad naturam eorum quodque neceſſe eſt, inquit idem Galenus, quatenus à natura receſsit. item quòd nondum curationi impoſitum finem arbitrandum, priuſquàm ad propriam naturam particula redeat, idem etiam Galenus teſtatur, atque ita à temperamento laborantis partis auxiliorum indicatio ſumitur, in iis videlicet intemperiei generibus, quæ abſque humore infeſtant: nam & refrigerari, & calfieri, & ſiccari, & humectari, & per coniugationem quiduis horum pati ſingulæ particulæ pro morbi portione requirunt, vt citato libro 7. de metho. meden. ſcriptum eſt. Non igitur propter aliud, à propria partis temperie indicatio ſumitur, pro dictorum iam morborum euratione, niſi pro earum conſeruatione, id quod indicant, contrarietatis iam dictæ, menſuram præſcribentes. Pari ratione à virtute ſeu partis actione non propter aliud indicatio ſumitur, niſi pro eiuſdem cuſtodia. etenim ea vtilis eſt in iis intemperiei generibus, quæ ex humoribus ſunt ortæ, pro quorum curatione, vacuatione aliqua vtendum eſt: quapropter eiuſdem vacuationis quantitas ab ea definitur. etenim non adeò vacuandum eſt vt affectus ſuadet ſemper, ſed habenda ſollicitudo erit, de virtute partium à quibus vacuatur, non leuis quidem in iis quæ principes partes ſunt, ne hanc (magna ſemel vacuatione vſus) diſſoluas, quemadmodum à quibuſdam aliis partibus ſibi ſolis inſeruientibus, audacter vacuare licet, prout affectus ſuadebit, eius tamen virtuti attentus, & quoniam non par eſt, vt diximus, actionum dignitas ad ægros ſeruandos, ſed aliæ magis, aliæ minùs vtiles ſunt, vtique ad portionem actionum dignitatis etiam cuiuſque partis proſpiciendum eſt robori, atque id etiam non propter aliud quidem, niſi propter ipſius virtutis cuſtodiam. definit itaque actio, ſeu virtus partis affectæ vacuationis quantitatem, &. pro dignitate eiuſdem actionis, ſeu facultatis, robur ſeruandum erit, atque maior, vel minor ſollicitudo habenda prout magis, vel minùs fuerit eius officij dignitas, eatenus admittens vacuationis quantitatem, quatenus & morbus ſoluatur, eius verò virtus ſeu actio ſeruetur. Quemadmodum etiam à partis figura, ſi ipſius modi vacuandi excrementi indicatio ſuggeritur, non niſi pro ipſius partis natura, temperamento, ac naturali conſtitutione ſeruandis, quæ quidem ſi modo alio vacuaretur, vtique deſtrui neceſſum eſſet, vt ſi ventriculum quiſpiam non deiectione, aut vomitu, ſed per vrinales meatus inanire tentaret, & inteſtina per vomitum, pectus & pulmonem non per aſperam arteriam & fauces, ſed per deiectiones & pharmaca deiectoria: Oſtendit itaque figura partis affectæ vacuationis modũm, non niſi propter ſui tutelam, & conſeruationem: & propterea illud idem ſemper indicat. Nec aliter etiam & ſitus earundem partium, nam ab eo indicatio ſumitur, tum ad ſolidarum intemperies, tum ad ſuccorum vitium. Pro ſolidarum intemperie curanda, metitur quoq; contrarietatis mẽſium, adeo vt ſi quis per ſumma corporis intẽperie laboret, ei medicamenta quæ intemperies requirit, applicabimus, ſi verò in pro-

A temperamẽto partis ſumitur indicatio, vt ipſum conſeruetur.

Loco citato.

A partis functione ſumitur indicatio, pro eius cuſtodia.

A partis figura indicatio ad ipſius part. cuſtodiam refertur.

Indicatio etiã à ſitu non aliò refertur quã ad partis conſeruationem.

fundo

fundo corporis intemperies ſit, ſi his medicamentis vtaris quæ intemperies requirit, vtiq; multò imbecilliora, quàm pro vſu ad affectũ locum peruenient: & propterea affectus non curabitur, nec affecta pars ad propriam naturam redibit. erit itaq; fortioribus vtendũ, interualli rationem habentes. quandoque verò vbi medicamen affectum locum non attingat ſua natura, admiſcendum eſt aliquod, quod quidem dux veluti viæ ſit: Ad ſuccorum etiã vitium ſi nõnihil ſitus indicat, ſocietatem laborantis particulæ cum aliis docẽs, non alia ratione indicabit, quàm pro eiuſdem partis cõſeruatione: hac etenim ignorata vitioſos humores per cõuenientia loca vacuare ignorabimus, quos ſi vacuare per alia loca quiſpiã tentaret, vtique eiuſdẽ partis ſubſtantiã, temperamentum, ac vniuerſam conſtitutionẽ deſtrueret. Ad quodcunq; itaque conducat indicatio quę à ſitu datur, pro morborum ſublatione, non propter aliud conducere videtur, quàm pro ipſius affectæ partis cuſtodia. Similiter & eiuſdem partis ſenſus acuitas ſiue hebetudo pro viribus partiũ cuſtodiendis, & non ob aliud indicant. nã quæ acuti ſunt ſenſus partibus, ſi iis vtaris medicamentis, quæ non leuiter mordeãt, earũ vires dolore reſoluũtur, inquit Gal. quapropter expedit has nõ confertim, nec ſemel valentibus auxiliis mederi, ſed tuto potius in tempore, in iis verò partibus quæ tardi ſunt ſenſus, ſeu hebetis, celeriter obire quod iuſtum eſt licet, ſemel vſis remedio quod ſit idoneum, propterea quòd ab eo vires dolore non reſoluantur. ergo pro cuſtodia virtutis earundem partium, indicationem ſumimus ab acuitate & hebetudine ſenſus earum, ita vt propterea ea admittant medicamenta, à quibus curari affectus valeat, vires autem haudquaquam ſoluit, ea verò non admittant à quibus virtutis ſubſtantia eiuſdem partis aut diſsipetur, aut immodicè alteretur. Sunt itaque dictæ indicationes ad curationem neceſſariæ, & quamuis non vno eodémque modo ad affectus ſublationem conferant, vt diximus, in hoc tamen omnes conſentiunt, quòd quicquid indicant, licet conferat ad eorum morborum ſublationem, qui indeterminatis excitantur particulis, nam iis neglectis curari nequeunt, tamen non propter aliud indicant primò & per ſe, quàm pro earum partium tutela, ac cuſtodia, naturæ videlicet, ſeu temperamenti, actionis, ſeu virtutis, & omnis denique earundem conſtitutionis. Nunquam igitur Gal. ſui obliuiſcitur, perpetuóque de eadem re, diuerſis etiam in locis idem tradit, & poſita principia ſemper ſeruat, ac tuetur, quamuis quandoq; pro diuerſa de qua agit tractatione, diuerſa quoque aſſerere videatur, iis potiſsimùm qui parum in eius doctrina ſunt exercitati, ac perperam eiuſdem verborum ſententiam interpretantur: quò fit vt nimium etiam audaces ſint in calumniando Galeno, ad contradicendum potius quàm ad veritatem inueſtigandam laborantes.

Indicatio à partis ſenſu acuto, vel hebete codẽ refertur.

Gal. ſibiipſe conſtat.

Quibus potiſsima ratione vires cuſtodiantur, ac quomodo veſtiganda ſit nutrimenti quantitas. Caput XLIX.

Vita quid.

CVM neceſſe ſit vitam, aut ipſas eſſe vires, aut earum actiones, nihilque ipſa vita prius in animãtis corpore eſſe poſsit, propterea quòd nec ſanos eſſe citra vitã licet, eædẽ propterea omnium primæ cuſtodiẽdæ hominibus ſunt. etenim has vires ſeruare, nil planè eſt aliud quàm vitam ſeruare, vt liquet ex Gal. 9. de meth. med. Quid verò per vires intelligere oporteat, fuſiùs in præcedentibus diſſeruimus: nunc autem in memoriam iterum reuocemus, quibus, quótve rationibus vires ſeruari poſsint, quò id quod deficit in his quæ diximus, pro viribus ſeruãdis in ægris hac febre laborantibus, exactè definiamus, poſtquàm & ſanis & ægris adeò neceſſariæ ſunt, vt ſine ipſis viuere non valeamus, nec quicquam conduceret à morbis febribúſve liberari, ipſis haudquaquam ſeruatis. Seruantur autem potiſsima ratione vires, ex eo quod de ſubſtãtia earum vel inanitũ, vel alteratum eſt corrigendo, ſecundo loco ex prohibendis iis, quæ ipſarum ſubſtan

cap. 10.

ſubſtantiam vacuare, alteraréve poſſunt, vt 9. de metho. med. ſcriptum eſt: Atqui quo pacto ſeruari ipſæ debeant hoc ſecundo cõſeruationis modo, ſuperiùs abundè cum Gale. demonſtrauimus, quando vires ipſas neceſſariò conſiderandas eſſe pro morborum ſublatione, ac ad remediorum inuentiones, oſtendimus. Reſtat modò diſſerere modum quo valeamus ipſas tueri, corrigendo id quod de earum ſubſtantia fuerit inanitum, & alteratum, quod verè & propriè earum eſt conſeruatio. id verò efficiemus ſi priùs admonuerimus vires, vt ſæpius dictum eſt, perpetuo ſui cuſtodiã præſcribere, cuſtodiam autem ſimilium exhibitionem indicare. cùm verò virium ſubſtãtia tum ex ſpiritu, tum ex carnoſa ſpecie, tum ſolidis ipſis compleatur, ex iis quæ ſimilia ſunt, moliri cuique ſuam cuſtodiam conueniet, ſpiritui, ex reſpiratione, ac tranſpiratione, & qui ex ſanguine attollitur, vapore, ſolidorum verò generi, ex ſolido nutrimento, carnoſo autem per eam naturam, quæ in medio humidorum, ac ſolidorũ corporum eſt, Gal. teſte 11. de meth. med. cap. 3. cuiuſque autem horum quantitatẽ, ſeu modum, ex conſeruandæ ſubſtantiæ quantitate, ſeu modo inuenies, qualitatem verò ex ipſius temperie. Cùm verò horum cuiuſque vel optima temperies ſit, vel aliquatenus vitioſa, quæ quidem optima eſt, ſemper ſeruari debebit, quæ verò omnino vitio non caret, hæc in ſanis quidem vel ſeruanda eſt, vel alteranda, in ægris verò ſeruanda ſemper eſt. at cùm diuerſitas non parua ſit in partium animalis temperamento, propriam cuiuſque menſuram ſortê eorum, quæ ipſi ſunt ſimilia, nempe ei quæ terrea magis eſt, eorum quæ magis ſint terrea, & ei quæ humidior eſt, eorum quæ ſint humidiora. ad eundem modum ei quæ magis aërea eſt, eorum quæ plus huius ſubſtantiæ in ſe habent, ſicut calidiori eorum quæ magis ſubſtantiæ igneæ participãt. hinc materias iam particulares omnes in cibis, potione, aëre, & omnibus peragi ſolitis inueniendas eſſe decreuit Gale. citato libro 11. metho. meden. quamuis, vt ipſemet inquit, eodem loco, vires ipſas ſeruent præcipuè cibi, potiones, & ſpiritus, certa menſura, & apta qualitate exhibita. idque non ab re, cùm dictum ſit eorum ſubſtantiam ex ſpiritu, carnoſa ſpecie, ac ſolidis compleri, atque ob id iam dictis tribus etiam ſubſtantiis ſeruari, certa tamen menſura, & apta qualitate exhibita. quantum verò ad ſpiritum, ſeu aërem ſpectat, pro febrium curatione, ac ſpirituoſæ noſtræ ſubſtantiæ conſeruatione, ſatis abundè factus eſt in præcedentibus ſermo. Reſtat modò diſſerere quomodo reliquæ duæ virium ſubſtantiæ præcipuæ, carnoſa videlicet, & ſolida, per ea quæ ſimilia ſunt ſeruari debeant, id verò potiſsimùm conſiſtit in cibis atque potionibus. quãquam & ex iis quoque ſpiritus nonnihil vtilitatis participent, cùm ex ſanguinis etiã attenuatione, ſeu vapore præter aërem, nutriantur. De hac itaque menſura ſeu quantitate, ac qualitate victus, ſeu cibi, & potus, pro viribus ipſis ſeruandis, verba facere intendimus. etenim cùm tota moles animalium in perpetuo fluore ſit, vt inquit Gal. 1. de ſan. tuen. cap. 2. ni ſimilis altera ſubſtantia pro ea, quæ defluxit, reſtituta ſit, euaporabitur certè atque diſsipabitur vniuerſa, nedum in ſanis, verùm etiam in ægris corporibus, id verò admodum facilè non exiſtit, nam cùm ars ipſa tota ſit magna, non leuiſsima eius pars eſt ſcientia ordinandi victus, inquit idem Gale. 11. meth. med. cap. 15. nos verò qua ratione inueſtiganda ſit nutrimenti quantitas in ægris, ac febri laborãtibus, veſtigabimus primò, deinde quomodo eiuſdem qualitas, necnon & opportunum tempus diſſeremus. Et quoniam diximus inueniri quantitatis eius mẽſuram ex virium ſubſtantia, nimirum æſtimari debebit, quemadmodum vires, quæ corpus regunt, in his ſe habeant: quippe cùm vires legitimũ robur ſuum habẽt, & morbi ſummus vigor breui futurus expectatur, tenuiſsimo victu vti licet, cùm verò infirmiores ſint, non licet ſine graui noxa, ſed adiicere ad nutrimenta tantũ oportet, quantum de robore virium eſt imminutum, atque ex his ſcopis accipienda quantitas nutrimenti, vt liquet eodẽ 11. de meth. med. cap. 5. quibus in verbis clara luce oſtendit Gal. nutrimenti quantitatem deſumẽdam eſſe, tum ex ipſarum

Virium propria conſeruatio.

Cap. præcit.

Qũtitas cibi unde petatur.

virium

virium ſubſtantia,ſpectantes inquam num robuſtæ, vel imbecillæ fuerint, tum etiam ex morbi ſummo vigore, cùm ſcilicet breui vel longo futurus tempore expectatur. nam ſi qui ſunt alij ſcopi,pro hac victus quantitate inſtituenda, illi coindicare,& non indicare dicuntur,quatenus vires metiuntur,vt ætas, tempus anni,regio,conſuetudo,& reliqua huiuſmodi. Quamobrem non immeritò quiſpiam quæreret quid intelligat Gal.hìc per nutrimenti quãtitatem,num molem videlicet,ſeu copiam eiuſdem,an quippiam aliud, quod ſcilicet ipſum nutrimentũ plus,vel minus nutriat? Pro quo animaduertere oportet,quòd hoc in loco Gal.vtitur voce Græca πόσος, interim ποσότης, quod Latinè ſonat, prima quidem quantus,aliquantus, & quotus, ſecunda verò quantitas, quamuis (mea quidem ſententia) voce πόσος, hìc quodammodo abutatur, volens etiã per eam,quantitatem ſubintelligere: ſed quicquid ſit, dicimus nos quòd per quantitatẽ hoc loco Gal.non intelligit multitudinem,ſeu copiam alimẽti, quẽadmodum intelligere videntur tum ipſe,tum etiã Hipp. apho. 14. & 15. primi libri,per voces πλέος & πλεονὲς ϗ πλεῖστος, hoc eſt plus & plurimus. etenim iis in locis de multitudine,ac alimentorum copia ſermo ab iis ſit, quæ proportionalis eſſe debet,& quantitati eius,quod diſſlãtur, ac innati caloris multitudini,niſi fortè aliquando ex aëris ambientis caliditate foris adueniens, cogat ſubtrahere,vt inquit Gal.com.citati 15.aph.& propterea vbi multus fuerit calor innatus,& vires robuſtæ,multum quoque competit nutrimentum, vbĩ verò paucus,& vires imbecillæ,contra. ſed voluit,vt mihi videtur, per nutrimẽti quantitatem Gal.intelligere diuerſam formam,figuram, ſeu ſpeciẽ ipſius alimenti: quod quidem aliis in locis ſignificauit per vocem σχῆμα, vt liquet com. aph.7.& 9.eiuſdem 1.lib.id quod eius verba manifeſtant.ait enim docẽs nutrimenti quãtitatem ex quibus deſumi debeat: {cùm vires legitimũ robur ſuum habent,tenuiſsimo victu vtendum eſſe,cùm verò infirmiores ſint, adiicere ad nutrimenta tantum oportet,quãtum eſt de robore virium imminutum.} quod quidem falſum eſſet,ſi de alimentorum copia illud ſubintelligeretur. nam robore virium imminuto adiicere nutrimentorum copiam non oportet, neque etiam minuere, vbi legitimum robur ſuum haberent,ſed contrarium efficere, vt in citatis aph. præcepit Hipp. Quinimò in virium imbecillitate parum quidem alimenti offerre ipſe Gal.docuit,com.aph.17. primi lib. quoniam virium imbecillitas non poteſt totam ſimul multitudinem alimenti ſubſtinere: quod verò per nutrimenti quantitatem quam πόσον nominauit 11. de meth. meden eiuſdem nutrimenti ſpeciem ſeu formã intelligere voluit, ex qua plus vel minus corpora nutriuntur,liquet apud eundem commen.citati aphoriſ. 9. primi libri.ait nanque Galenus, {nunc hoc in loco alterum adiicit ſcopum ſcilicet victus,vt quantitatem declinationis exquiſitè noſcamus. eſt autem hic ſcopus, vis ipſa ægrotantis, cuius gratia nutrimus; neque enim morbi gratia.} & deinde ſubdit: {cùm enim vis ita robuſta fuerit, vt ſperemus ipſam poſſe perdurare totum tempus intermedium vſque ad ſummum morbi vigorem cum tali victus forma,ſpecie,ſeu figura (vtitur enim voce σχήματι.) tunc, (inquit ipſe) exquiſitam habebimus declinationis,quam diximus quantitatem.} vtens verbo πόσον, & ſubdit: quòd ſi imbecillior extiterit,adiiciẽdũ aliquid victus, & plenior eſt adhibendus,tantum ſcilicet,quantum natura imbecillior expoſtulat. conſiſtit ergo nutrimenti quantitas exquiſita,in ipſa victus forma, quæ talis inſtituenda eſt, vt æger perdurare cum ea poſsit vſque ad morbi ſummum vigorem,vt clarè ex his verbis oſtendit Galenus,& commẽ. citati apho. 7.eiuſdem libri,cum Hippocrat.in aphoriſ.ſcripſiſſet: {vbi morbus peracutus eſt,ſtatim extremos labores habet,& extremè tenuiſsimo victu vtendum eſt; vbi verò non, ſed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum eſt,quanto morbis extremis eſt mollior.} inquit ipſe, {in quibus verò morbi vigor ſtatim futurus eſt, hoc eſt in primis quatuor diebus, in iis poſſumus victu extremè tenuiſsimo vti,cùm eundem vires tolerent: qui verò minus

Coindicantia cibi quantitatem.

Quantitas cibi quid ſit.

Quantitas cibi quãdoq; copia, apud Hippocr. & Gal.

Quantitas cibi pro forma ſeu ſpecie hic ſumenda.

Loco citato.

tenuis exiſtit, quem etiam pleniorem nominauit, illis conuenit morbis qui poſterius in ſuo debent vigore conſiſtere, in quibus præcepit tantùm à victus tenuitate declinare, quantum morbus ab extremis recedit, hoc eſt vigore ſummo. Hoc enim proximo exiſtente, paulo pleniorem victum offeremus: longiùs verò diſtante, plus: & quanto tardiorem fore ſummum morbi vigorem expectabimus, tantum victus ſpeciem, formam ſeu figuram commutabimus.} iterũ vtens hac voce σχῆμα, liquet igitur ex iis, quòd tam Hippo. quàm Galen. indicatione ſumpta tum à viribus, tum à morbi ſummo vigore, pro quantitate victus inſtituenda, per quantitatem victus diuerſam, prout diuerſi fuerint iam dicti duo ſcopi, non multitudinem, ſeu copiam eiuſdem, ſed formam, ſpeciem, ſeu figuram ſubintelligere voluerunt. de qua etiam victus forma ſeu ſpecie, Gale. verba fecit com. aphor. 11. eiuſdem lib. ſub voce εἶδος, & aphor. 12. vtens eadem voce σχῆμα, interim quoque victus qualitatem appellauit, vtens voce ποιότητα, vt liquet libro de optima ſecta. At idem Hippo. aphο. 4. eiuſdem primi libri, de hac meminit, aſſerens non vnam duntaxat in omnibus morbis ſpeciem, ſed diuerſam inſtituendam eſſe, pro diuerſa morborum natura: & quoniam coniecturalis erat hæc etiam quantitas, quæ in ſpecie, ſeu forma continetur victus, veluti reliquæ omnes, & propterea aberrare quandoque contingit in hac declinationis quantitate, nedum medicos ipſos, verùm etiam ægros, non abſque ratione aphor. 5. eiuſdem primi libri, collatione facta inter eadem delicta, aſſerebat ægros magis lædi cùm ad magis quàm oportet, tenuem victum fieret declinatio, quàm vbi ad paulo pleniorem, quæ Hippocr. ſententia hucuſque à paucis, vt mihi videtur, rectè fuit intellecta. Non negamus propterea quod in hac diuerſa nutrimenti ſpecie ſeu forma quæ ægrotantibus inſtituitur, ea qua diximus ratione, conſideranda etiam ſit certa quantitas, ſeu menſura, quamuis id præcipuè à medico non intenditur. Etenim de hac etiam victus ſpecie quibuſdam plus, quibuſdam minùs, quandoque tribuere oportet, pro diuerſa ægrotantium ætate, ſeu conſuetudine, anni tempore, ac reliquis huiuſmodi, quibus eædem vires metiuntur, quemadmodum neque ipſe Hippo. hanc prætermiſit, ſed de ea meminit in paulò antè citatis apho. 14. & 15. primi lib. & 2. de ratione victus in morbis acutis, cùm dicebat: ciborum autem adiectioni intendendum multo minus, &c. Verùm aſſerimus quòd per nutrimenti quantitatem, quam primò inuenire debemus ex virium ſubſtantia, vt Gal. docet citato libro 11. metho. meden. intelligere debemus ſpeciem, ſeu formam, & non copiam aut multitudinem eiuſdem nutrimenti. ſunt etenim diuerſæ nutrimenti ſpecies diuerſimode quoque nutrientes, atque ſubſtantiæ virium adiicientes, id quod præcipuè conſiderare debemus in febribus ipſis, ac morbis omnibus, & propterea eadem nutrimenti ſpecies immutanda erit, conſideratis tum virium robore, tum morbi ſummo vigore: id quod etiam manifeſtè 10. meth. meden. idem Gale. nobis demonſtrauit, cùm dixit: {ſunt igitur tibi à primo ſtatim die in omni ægro ſpectanda duo illa quæ Hippo. iuſsit, à quibus cibandi conſilia petas, morbi ſummus vigor, & ægrotantis vires: poſtea ſi tranſiri ſummum incrementum ſine omni cibo poteſt, in cibi abſtinentia hominem ſeruabis, ſin exiguum adminiculum requirat, abundè erit ſola mulſa; quòd ſi maius deſiderat quàm ſit ex mulſa, ptiſanæ cremor ſatis erit. At ſi fas non eſt ſummũ morbi incrementum aut tenui victu, aut inedia tranſmitti, id agendum eſt vt homo ſtatim in primæ acceſsionis inclinatione cibetur.} Immutat igitur Galen. diuerſam victus ſpeciem ſeu formam pro vario virium ſtatu, ac diuerſa morborum ſummo vigore, & non multitudinem ſeu copiam eorundem alimẽtorum, quæ quidem contrario ad hoc modo permutari debet. nam vbi calor innatus plurimus fuerit, & propterea vires valentes, plurimus quoque cibus adhibendus erit: vbi exiguus, & propterea imbecillæ vires, exiguum quoq; nutrimentum dabimus, vt aphoriſ. 13. 14. & 15. primi libri decretum eſt. oportet enim alimenta, vt inquit Gal. ſemper eſſe innati caloris multitudini proportionalia, &

Cap. 39.

Apho. 5. lib. 1. illuſtratur.

Cap. 5.

Cap. 5.

eorum quantitatem, eſſe eius quod difflatur quantitati, proportionalem: præ-
Victus ſpecies permultæ.
ſertim in ſanis corporibus. Sunt verò ipſius ſpeciei ſeu formæ victus differentiæ non paucæ, quas pro diuerſa morborum natura, varióque virium robore, artificioſa quadam coniectura aſſequi licebit. Etenim vbi morbus peracutus fuerit, ac ſtatim ſummũ vigorem habiturus eſt, hoc eſt in primis quatuor diebus, & vires ſuum legitimum robur habent, poſſumus victu extremè tenuiſsimo vti, quemadmodum illis morbis qui poſterius in ſuo vigore conſiſtere debent, non adeò extremè tenuiſsimum adhibebimus victum, & vbi paulò poſt conſiſtant, extremè tenuem: vbi verò plus, victum tenuem adhibebimus, & deinceps etiam pleniorem, quandoque modicè, quandoque mediocriter, quandoque admodum, prout vires requirent, & morbi ſummus vigor breuiùs, aut tardiùs expectatur. quocirca præcepit Hip. tantum à victus tenuitate declinare, quantum morbus ab extremis recedit, hoc eſt à ſummo vigore, adeò vt tũc quantitatem declinationis exquiſitè habeamus, tum in febribus, tum in cunctis morbis, cũ adeo vis robuſta fuerit, vt tali vel tali victus ſpecie, ſperemus ipſam poſſe perdurare totum tempus intermedium vſque ad ſummum morbi vigorem. nam non permutandam eſſe victus ſpeciem, priùs quàm ſigna coctionis manifeſta ſint, inquit Gal. Hipp. auctoritate 2. de rat. victus, & deinde ſubdidit: {id autem fiet, ſi quot diebus ad vigorem morbus venturus ſit præcognoueris.} & paucis quibuſdam interiectis, eodem loco docens modum inuentionis generis victus, inquit: verùm quomodo ad generis victus inuentionẽ, operæ pretium eſt vt cognoſcas, an robuſta, vel infirma ſit laborantis facultas, quot item diebus morbi coctio futura ſit, ſic & conſiderandum quantum vel robuſta, vel infirma fuerit, nempe in virtutis tum robore, tum infirmitate magis, & minùs valde diſcrepant, ſic morbi quoque diſcrimina differentiáſque conicere oportet. Sed hic non abre dubitaret quiſpiam aſſerens Hippo. & Gal. in hac victus
Dubitatio.
Alicubi Galenus, & Hipp. à duob. ſcopis ſumunt victus rationem. Alibi ex unico.
ratione inſtituenda, ſibi ipſis pugnare, nempe aphor. 7. 8. 9. & Gale. etiam com. apho. 11. & 12. & citato lib. 2. de rat. vict. apertè præceperunt, à duobus ſcopis ſumendam eſſe totius victus rationem in vnoquoque morbo. nempe ex morbi conſtitutione, ſeu eiuſdem morbi vigore, & ex viribus ægrotantis. At citato libro 11. metho. meden. Gal. hæc verba (poſt ea quæ modò citauimus) de victus quantitate conſcripſit, inquiens, {ſiquidem oſtenſum priùs eſt ſolum virtutis
Cap. 14.
reſpectum eſſe, qui de nutrimento indicationem præbet.} & libro 1. de ratione
Super tex. 44
victus inquit: {verùm nos qui veritatem honoramus, laudamus Hippo. cum in cæteris omnibus, tum quòd in vnoquoque opere ſcopum ita docuerit, vt huic attentus omnino quiſpiam, definitam certámque inuentionis auxiliorum habeat viam: ſic ſane & cibandi ſcopum vnum communem prorſus tum ſanis, tũ langueſcentibus eſſe demonſtrauimus. his autem facultatis vitalis cuſtodia eſt, quam nunc manifeſtè explicuit cùm dixit, ſi validus fuerit, ob eandem ſanè facultatẽ ſani edimus & bibimus, aliáq; omnia vitæ munia exequimur. propter hanc eandem & ægri ad cibos, potúſque procedimus; nempe morbus ſuæ affectionis indicat auxilia, phlebotomiam videlicet, clyſma, cataplaſma, purgationem, oxymeli, aquam mulſam, atque aliorum vnumquodque: virtutis verò cuſtodia ſolam indicat alimoniam.} Quibus in locis vnum ſolum eſſe ſcopũ, qui alimoniam indicet, virtutis videlicet cuſtodiam, dilucidiſsimè eos aſſerere pa-
Super tex. 36.
tet, quáuis Gale. 1. de arte cur. ad Glau. cap. 8. oppoſitum ſentire videatur, quòd videlicet in omnibus morbis commune præceptum eſt, vt ab initio ſtatim ad vniuerſum ægritudinis tempus inſpicientes, rationem victus inſtituamus, nul-
Soluitur dubitatio.
lam faciens de viribus mentionem. Niſi eſſet quòd idem Gal. citato etiam loco 1. de rat. victus, per ea verba, quæ ea, à nobis modò conſcripta, conſequuntur, ſe ipſum ac Hipp. conciliat inquiens. {ſi igitur morboſam affectionem nullo pacto offenderet alimonia, nos virtuti ſoli attendentes, ægros vt ſanos aleremus, ſed quoniam ſæpius noxam; vt oſtendimus, affert, ob id morbi affectionem, non tanquam cibi indicationem, ſed tanquam prohibitricem contemplamur.

vbi

vbi ergo ea non prohibuerit, facultáſq; præceperit, tunc nutrimus. neque enim cibus morbi affectionẽ ſua ratione iuuabit, niſi vim tum cibi tum medicamenti obtineat.} Hinc liquet vnum eſſe præcipuum ac proprium ſcopum, alimoniã indicans duntaxat, nempe cuſtodia ipſius virtutis. Quòd ſi Hipp. & Gal. quandoque morbi conſtitionem, ſeu eiuſdem ſummum vigorem cõtemplari etiam iuſſerint pro ipſa alimonia inſtituenda, ea non tanquam cibum indicantia, ſed tanquam prohibentia ſpectarunt, veluti hoc in loco ſeipſum declarat Gal. concludens vniuerſale tempus offerendi alimenti eſſe, ac tunc nutrire oportere, cùm facultas præceperit, & morbus non prohibuerit: quemadmodum etiã de auxiliorum tẽpore lib. de opt. ſecta definierat, id eſſe præcipiens quando morbus exigit, & facultas non impedit. ſpectatur itaque morbi affectio, ſeu eiuſdem morbi ſummus vigor neceſſariò in ipſis ægris, pro victus ratione inſtituenda, non tanquam ſcopus quidam, quid faciundum ſit indicans, ſed tanquam prohibens. Atqui quod prohibet, haudquaquam vtile indicare poſſe, decretum reliquit idem Gale. citato lib. de opt. ſecta, & nos in præcedentibus fuſiùs declarauimus. Erunt itaque duo ſcopi, vnus, vt indicans, ac requirens nutrimentum, tanquam vtile ei exiſtens: alter verò non tanquam ei conducens, ſed tanquam prohibens. neque enim, vt diximus, cibus morbi affectionem ſua ratione iuuabit: quod quidem (ſi verum fateri liceat) verè indicare haudquaquam admittendum eſt: & propterea reuera vnus erit cibandi ſcopus, communis prorſus tum ſanis tum languentibus, nempe virtutis cuſtodia, licet de altero quãdoque ſcopo fiat ſermo, hoc tanquam omnibus manifeſto prætermiſſo, ab eodem Galeno, qua etiam ratione conciliari poterit idem Galenus cum iis quæ ſcripta reliquit eodem lib. de optima ſecta, quo loco aduerſus methodicos, morbi tempora haudquaquam quippiam vtile indicare poſſe, nonnullis rationibus dèmonſtrauit: neque medicamenta ſeu auxilia, neque alimentorum genus quantitatem aut qualitatem, quoniam nihil quod expedit à temporibus indicari poteſt. Poſſunt tamen id quod à morbo ſeu facultate poſtulatur, quandoque impedire: icciroo & ipſa morbi tempora, interdum impedientia ea quæ conducunt, haudquaquam propoſita, ſeu ſcopi verè eſſe dicentur, vt ipſe inquit, ſed tanquam impedientia, eo quòd nos auxiliis aut cibis vti, plerunque impediant, conſideranda ſunt. Hinc Gal. cõcludebat quòd quã vicem in exhibendis remediis facultas gerit, eandẽ in dandis cibis morbi tempora: quãuis ipſa quoq; interdũ auxilia exhiberi prohibeant, atque interuertant, veluti & cibũ. itaque morbi tẽpora pro victus ratione inſtituenda, ſpectanda à medico, non tanquam alimoniã indicantia, nec quantitatẽ, aut qualitatẽ eiuſdem, ſed tanquã impediẽtia, & interuertentia quandoq;: & hac ratione Gale. interdũ ſimul cum Hip. ea contẽplanda eſſe pro victus inſtitutione (& non tanquam ſcopos quicquam faciendum eſſe indicantes) nobis præceperũt. Quemadmodum etiã ſicubi in eorum doctrina cõpertum fuerit pro nutrimenti inſtitutione, conſiderandam eſſe ætatem, conſuetudinem, anni tẽpus, regionem, ac reliqua ſimilia, non tanquam indicantia, ſed velut coindicantia ſubintelligi debet: pręcipuus ſiquidem eſt virtutis ſcopus, vt ſæpius diximus. Hæc verò omnia tanquã eandẽ virtutẽ immutantia, ac propterea coindicantia, contemplari debent. Et ob id quiſpiam mirari non debet, ſi interdum ſolius virtutis meminerit Hipp. interdum ſimul cum ea, omnium, aut quorundam iam dictorum. Eſt etenim hæc Hipp. conſuetudo, Gal. teſte 1. de rat. victus in morbis acutis, com. aph. 16. primi libri.

Præcipuus cibandi ſcopus, cuſtodia eſt virtutis.

Morbi ſummus vigor non ut indicans cibũ, ſed ut prohibens ſpectatur. cap. 40.

Loc. precit.

Cap. 39.

Tẽpora morbi non indicãt ſed impediunt.

Victus rationem non indicant, ſed coindicant ætas, cõſuetudo, &c.

Super tex. 45.

Nutrimenti qualitas ex quibus deſumenda ſit. Cap. L.

CAETERVM nutrimẽti qualitas deſumenda eſt ex morbi affectu vnà cum ſolidorum corporum (quod tum eſt) temperamento ab affectu, ſi is obſtructio ſit, quæ extenuet, à naturali ipſorum temperie vnà cum conſuetudine, prout etiam prius eſt definitum, inquit Gal.

Qualitas alimenti morbo ſit contraria, ſimilis ſolidorum corpo. tẽperaturæ &c.

citato, lib. 11. meth. med. c. 5. vt velit qualitatem alimẽti debere eſſe contrariam ipſi præter naturam affectui, ſimilem verò naturali ſolidorum corporũ temperiei, atque etiam conſuetudini ægrotantiũ, cùm & ipſa vel temperamentũ originale ſeruare poſsit, vel aſcititiũ inducere. iis nanque ſeruatis circa nutrimenti qualitatem: auferetur ſiquidem morbus per cõtrariam alimenti qualitatem: ſeruabitur autem naturalis tẽperies, prout etiam ſuperiùs definitum eſt de medicamentorum qualitate. Semper enim definitur cõtrarietatis menſura ab ipſa naturali laborantis temperie, vnà etiam cum ipſo morbo. qua ratione febricitantibus frigida alimenta exhiberi debent, verùm adeò frigida, vt & febris ipſa auferatur, naturalis autem temperies, & conſuetudo febrientis per eadem ſeruentur. ex iis nanq; ſanatio perficitur. At Hippo. aph. 16. 1. lib. aliter de victus qualitate quæ febricitantibus competit, ſentire videtur: ait etenim: { victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris & aliis qui tali victu vti conſueuerunt. } ſubiecit nanq; hoc loco Hipp. indicationem quæ à corporis temperamento ſumitur. licet aliã adiecerit quæ ab ætate. At ſi in memoriam reuocabis ea, quæ in præcedentibus de ætate & conſuetudine diximus, haud difficulter percipies hos viros idem aſſerere. Etenim & conſuetudo & ætas non propter aliud in morborum curatione indicare vidẽtur tam pro remediorum inuentione, quàm pro victus ratione inſtituenda, niſi medio temperamẽto, veluti præcipuæ cauſæ ipſum immutantes: quamobrem Hipp. ætatis, & conſuetudinis mentionem faciens, non aliud ſignificare voluit (& ſi illud non expreſſerit) quã in proprium temperamẽtum, quemadmodum ipſe Gal. ætatem ſubintelligere voluit ſub temperamento, cuius ſimul cũ cõſuetudine meminit. Hinc Gal. cõm. citati apho. huic tacitæ obiectioni ſatisfaciẽs, dicebat, { verùm ſi quid expreſsis verbis Hip. in apho. non dixit, quòd tamen idem habeat iudiciũ, cùm iis quæ ab ipſo dicũtur, hoc quoque fuiſſe dictum potentia, debemus exiſtimare. nam & ætatis meminit, & conſuetudinis, tu verò & naturalis temperaturæ, & temporis anni, & regionis non abſq; ratione memineris, quæ & ipſe Hippo. adiicit aliquãdo, nonnunquam verò vnius aut duorum mẽtione facta, reliqua quæ ſunt eiuſdem naturæ atq; ordinis prætermittit. } Quibus etiam verbis ſibi ipſi Gal. ſatisfacere videtur, quòd pro nutrimenti qualitate, temperamẽti duntaxat, & conſuetudinis meminerit. Nam ſub iis reliqua etiam iam dicta ſubintelligere voluit, ſeruantibus nobis quòd ſimilem perpetuò victum exigũt corporum temperies naturales, etiam ſi inculpatæ non ſint in ipſis ægrotantibus, & reliqua quæ ſecundum naturam ſunt, quemadmodum quæ præter naturam per cõtraria corrigi debent. Id enim hac in breui ſententia propalare nobis voluit Hip. non tamen hoc apho. ſimul præcipere intendit qualitatem victus in ſanis, & ægris, quemadmodum quidam ſibi ipſi perſuaſerunt: etenim, (vt Gal. viſum eſt in fine com. præcedentis aphoriſ.) ab hoc aphor. 16. de victus ratione ægrotantium ſermonem facit Hippo. inquit enim, { Deinceps autem de illa victus ratione quæ ægrotis conuenit, ſermonem faciet. } inſuper nec perfectus eſſet ſermo de victus ratione, quæ febricitantibus conuenit, ſi ſolam indicationem de eius qualitate ſumpſiſſet ab ipſa febre, neque enim ſatis eſſet, niſi adiiceretur ea quæ ab ætate, & conſuetudine, hoc eſt corporis temperamento ſumitur. Quapropter perfectam voluit qualitatem rationis victus, febricitantibus conuenientem, hoc in loco nos docere Hipp. & non in ſimul ſanorum exiſtentium, nec propterea quiſpiam mirari debet ſi humidum dixerit, ſubticendo frigidum victum febricitantibus omnibus conferre: erat etenim hoc vel medicorum vulgo cognitum: nihil autem vulgare ſcribere Hippoc. dignatus eſt, vt liquet 2. & 3. de differen. reſp. ab affectus itaque qualitate, & ſolidorũ corporum temperie, vnà cum conſuetudine, & etiam ætate ſi velis, anni tempore, & regione, nutrimenti qualitas deſumitur, vel breuiter ex morbi affectu vnà cum ſolidorum corporum, quod tum eſt, temperamento, vt Galenus teſtatur. ſub his enim reliqua continentur.

Obiectio. *Dilutio.* *Cap. 7. & 8.*

De

De particulari exhibendæ alimoniæ tempore. CAP. LI.

QVamuis nutrimenti tempora vniuerſalia,cum vniuerſalibus au-
xiliorum temporibus conſentiant, quia eadem ſcribi poſſunt, &
inſtrumenta quibus eadem indicantur, ſimilia quoque ſunt, &
ſcribi etiam poſſunt (vtriuſque nanque opportuna vniuerſalia
tempora, ex eorum,quæ conducunt poſtulantium præſentia, &
potentis impedire abſentia,deprehenduntur) non tamen ſimiliter ſe habent, cir-
ca ea ex quibus particularia tempora colliguntur, cùm neque ipſa particula-
rium auxiliorum tempora,neque inſtrumenta ſeu propoſita quibus eadem in-
dicari valeant,ſcribi queant: vt liquet lib. de Opt.ſecta. Nam & remiſsionis ſpa- *cap.37*
tia,quibus potiſsimum adhibentur remedia, non æqualia omnium ſunt, & con-
ditiones abſimiles,& ſymptomata diſsidentia,quorum ſingula particularis auxilij
tempus conuariant,vt ipſe Galenus inquit. At victus rationis particulatim tem-
pora ſcribi poſſunt,quemadmodum & ipſorum morborum, ſimul atque eorum
indicatoria inſtrumenta,tum Hippoc.tum Gale.auctoritate.Dico autem particu- *Particularia*
laria tempora, quæ diſtinguuntur aduerſus vniuerſalia, & non propria cuique. *tempora.*
nam proprium nec dici,nec præcipi,nec ſcribi ad vnguem poteſt,vt patet 3. Me- *cap.7*
tho.meden.& primo de Arte curat.ad Glauc.Cùm itaque cum Gale.concluſeri- *cap.1.*
mus vniuerſale nutrimẽti tempus eſſe,cùm facultas præeperit,& morbi affectio
non prohibuerit,reſtat modò diſſerere poſtquàm ſcribi poſſunt alimenti particu
laria tempora,ex quibus ea deſumenda ſint: determinatis nanque propoſitis ex
quibus talia capiũtur tempora,inſimul etiam patebit quòd eadem ſcribi poſsint:
id verò particulatim oſtendemus in ipſis febribus,& præſertim ex putredine or-
tis.nam in cęteris facilè patere poterit.Hæ verò,vel vnam dũtaxat habent acceſ- *Cibus quando*
ſionem,vel plures,vt ſæpius dictum eſt,ſi vnam habeant,à principio ad finem vſ- *dandus in fe-*
que,in his facilis toleratio,& conſuetudo ſpectari debebunt,quando cibus illis eo *bribus unius*
tempore eſt offerendus,quo faciliùs quàm in cæteris morbum tolerant, eóque *acceſſ.*
potiſsimùm diei tempore,quo priùs in ſanitate cibari erant ſueti. etenim facilli-
mè cibum ferent,ſi ex iis conſiderationibus aſſument,Galeno teſte eodem vnde- *cap.5*
cimo methodi meden.quamuis,vt ipſe inquit,paucíſsimas ſorbitiones,potionéſ-
que eiſdem exhibere debeamus, quibus vtique ceu medicamentis potiùs, quàm
nutrimentis egemus. maxima etenim febris eſt, ac cito finietur, & virtus vtplu-
rimum valida. Si verò febris plures acceſsiones habeat, aſſerimus cum Hippo. *Cibus quando*
& Gale. in earum principiis cibum nequaquam adhibendum eſſe, dico in prin- *dandus in feb.*
cipiis, tam ſi cœperint acceſsiones, quàm ſi iamiam cœpturæ ſint, liquet hoc ex *pluriũ acceſſ.*
Hippo. apho.21.libri 1. cùm aſſerebat, { in acceſsionibus abſtinere oportet, nam
cibum dare nocuum eſt,&c.} & ex Gale.qui eodem commen.dicebat: { quomo-
do verò quiſpiam particulatim cibum offerat conuenienter,in hoc docet ſermo-
ne,caueri iubens morborum acceſsiones.ipſe verò manifeſtiùs in libro primo,de
Victu acutorum dixit,quòd neque cùm iam adſunt, neque haud ita poſt affutu- *1. tex.46*
ræ ſunt acceſsiones,cibus dandus eſt, ſed cùm declinant aut ceſſant.} quæ quo-
que ſententia quarto de Ratione victus ſcripta eſt.Præterea Aphoriſ.19.eiuſdem
primi lib.ait Hippoc. {iis qui per circuitus acceſsiones habent,nihil dare oportet, *tex.39*
neque cogere,ſed ſubtrahete adiectioni ante iudicationem.} & Gale. in cõment.
dicebat {nam tempora commoda ciborum particularium præcipuè docent ac-
ceſsiones,in morbis quidem in quibus ordinatè adueniũt,hoc eſt per circuitus.}
libro etiam primo de Ratione victus,docens Hippocr. particularia tempora nu- *tex.46*
trimenti, hæc conſcripſit: { tempus autem dandæ ſorbitionis,tum per initia,tum
per omnem morbi decurſum, hoc maximè ſeruare oportet. nam ſi pedes frigi-
di fuerint, non à ſorbitione modò, verùm quoque & maximè à potu tempe-
randum. at cum caliditas ad pedes deſcenderit,tunc dare expedit.} Tunc etenim
moderatiſsimè ſe habent, tum thorax, tum venter, quemadmodum teterrimè
in initiis. fit nanque acceſsionis principium, calore omni, tóto ex corpore ad
cor, thoracémque concurrente, Galeno auctore ex eiuſdem textus comment.

Quamobrem concludebat optimum tempus ipſis languentibus dandæ alimoniæ eſſe in inclinationibus, quemadmodum deterrimum in acceſsionum principiis: tunc etenim moderatiſsimè ſe habent, quemadmodum in principiis deterrimè thorax, & venter. lib. quoque de humoribus idem Hippocr. hæc ſcripta reliquit: {in exacerbationibus per circuitus fientibus, ciborum oblationes dandæ non ſunt, neque cogere oportet, ſed auferre de appoſitionibus, ante iudicationes.} idem confirmatur quarto de Ratione victus, per hæc verba: {cùm autem purgaueris, ſorbitionibus quibuſdam vtitor, obſeruatis ita febrium acceſsionibus vt nunquam cùm adſunt neque cùm futuræ ſunt exhibeas: ſed vel eùm ceſſant, vel quieuerunt, & maximè à principus receſſerunt. frigentibus ergo pedibus, neque potum, neque ſorbitionem, neque aliud quippiam huiuſmodi dabis.} Non vtique offerendus erit cibus in acceſsionũ principiis, ob iam dictas cauſas, neque etiam in incrementis ex ſententia Galeni eodem 1. de Ratione victus cùm dicebat,} ſed quoniam in acceſsionum tum principiis, tum incrementis ingeſta alimonia lædere admodum nata eſt, ob id differimus ipſius exhibitionem, quanquam corpus ipſum iamiam digerere videatur.} ſecluditur etiam ab vtriſque, dico tam Hippocr. quàm Gale. ſummus vigor acceſsionum, cùm eo tempore licet pedes calſiant, manet tamen in corporis medio: hoc eſt ventre, & thorace, præter naturam caliditas immodica necdum ad pedes deſcenderit, quo tempore dare expedit Hippocrate auctore, tum in morbis, omnibus, tum præcipuè in acutis, & potiſsimùm quibus febris vehementior ſuberit, periculúmque ſummum. Sed quid clariùs quòd tria hæc tempora alimoniæ exhibitionem prohibeant, ſi in acceſsionibus iuſſerit Hippocr. abſtinere oportere? nam cibum dare nocuũ eſt. Et quarto de Ratione victus, per hæc verba particulare cibi porrigendi tẽpus inſtituit, cùm dixit: {eius medicinæ partis quæ victu medetur, maximum eſt febrium tum intentiones, tum declinationes, non in acutis modò, verùm quoque & in longis obſeruare, vt tempora quibus cibi offerendi non ſunt, & tuto, & quibus offerendi ſunt, cognoſcas, atque adhuc quando plurimũ ab intentione abierint.} in cuius textus expoſitione diuiniſſ. Gale. nobis præſcribit ſimul cum eodem auctore particulare tempus porrigendi cibi. inquit enim: {Artis ciborum exhibendorum maximum eſſe ait particulare cibi porrigendi tempus noſſe, ſcopúmque vnum eſſe fatetur, quòd ſcilicet tempus illud, quo cibus exhiberi debet, quàmplurimum abſit à febris intentione (quam ἐπίτασιν dicit) acceſsionis principium intelligens. Id autem non in diuturnis ſolùm, ſed in acutis quoque verum eſſe videtur.} deinceps ſubdit: {ſed quare longis in morbis adiecit? nempe quòd in his magis, & forſan ſolis, euidens ſit ſcopus, in acutis etenim morbis, deprehenſa in pedibus caliditas, cibi tempeſtiuè offerendi ſignum ſufficiens fuit: non tamen in longis ita nutrire oportet, ſed melior declinationis pars eſt expectanda, quod in acutis haudquaquam eſt expectandum, timore cito futuræ acceſsionis: & propterea confeſtim cùm caliditas ad pedes deſcenderit, tunc dare expedit.} Particularis itaque temporis cibum porrigendi, vnum ait eſſe ſcopum Galeni hoc in loco, quòd videlicet tempus illud quo cibus debet exhiberi, plurimum abſit ab acceſsionis principio. Id verò in continuis inclinatio exiſtit, in intermittentibus interuallum, ſeu integritas, & propterea cùm ceſſant, vel declinant, dicebat Hippocr. offerendum eſſe cibum, quanquam nec in omnibus continuis febribus eadem declinationis pars expectanda ſit, ſed prout citiùs, aut tardiùs ſequens acceſsio futura eſt. Id quod dilucidiſsimè manifeſtauit Celſus libro tertio, cap. quinto, inquiens, {Scire licet optimum cibo tempus eſſe febre finita: deinde cùm deceſsio eius conſiſtit: tertium, ſi neceſſe eſt, quandocunque decedit, cætera omnia periculoſa eſſe.} idem verò Galeno citato vndecimo Meth. meden. in fine dicebat: {porrò aptiſsimum in febribus quæ intermittunt, & repetunt tempus eſt, cùm, vt dictum eſt, exhalare iam cœperit febrilis calor: ſtatim enim corpus ad nutrimentũ præparant, huius quoque opportuno tempore ex duplici coniectato reſpectu, nempe ſummo præcedentis acceſsionis vigore,

text. 39 *Loco præcit.* *In uigore cibus nondandus.* *tex. 114* *cap. ult.*

gore, & futuræ principio. adhæc nanque ſpectantes operam dabimus, vt quàm longiſsimè ab vtroque nutriamus. ergo ſi ſpatium quod inter ſummum prioris acceſsionis vigorem,& ſequentis principium interuenit, ſatis ſit amplum, facilè eſt idoneum tempus inuenire; ſin exiguum id affuerit, alterum facias neceſſe eſt,aut vt ægrum admodum adhuc calentem nutrias, aut ſequentis acceſsionis inuaſione iamiam adfutura,quo magis præſagio Medici eiuſmodi febris indiget, qui primis ſtatim diebus, quanto ſpatio febris duratura ſit, coniiciet.) Quòd ſi continua ſit, & breui finiendam eſſe conſtabit,& virtutem non defuturam conijcimus,continendus à cibo æger erit.ſin verò nutrire cogamur,propterea quòd vires infirmiores ſint, & febris vltra progreſſura ſit, neceſſum erit id deligere quod minùs ſit noxium, vt in re ancipiti conuenit: id verò diſtingues (vt ipſe inquit) tum ex loco afflicto, vnà cum affectu, tum acceſsionis, & principij, & ſummi etiam vigoris conſuetudine: ſiquidem vbi iecur phlegmone prehendit, perniciosiſsimum eſt paulò ante acceſsionem cibare. vbi hæc abeſt, infirma autem ſit virtus, vtiliſsimum. in aliis verò animalis inſtrumentis, quod iam dictis portione reſpondeat, tum ex ſitus eorum ratione, tum dignitatis, exiſtimabis. ſummi autem vigoris & acceſsionis principij morem ſic conſideres, ſummi inquam vigoris,an citra magnitudinem febrilis caloris,ſiccus ſit, & ſquallens, an citra ſiccitatem vrens. priorem nanque humectante victu madefacere quamprimùm oportet; in ſecundo dum plurimum caloris ſe remittat, manete. Principij verò acceſsionis morem exiſtimabis, an corporis extrema perfrigerent, & magnam ſanguinis reuocationem ad interiora corporis faciat, an omnino corpus non premat: quippe hoc ſecundum, ceu facile manſuetúmve contemnes. In priore diſtinguas oportet: nam ſi abſque viſceris phlegmone, aut ſuccorum redundantia motus ad interiora in acceſsionibus polleat, nihil offendes paulò ante cibans: ſin vel phlegmone, vel redundantia ſubſit, cauenda eſt ante acceſsionem cibatio, ceu res maximè noxia. Celſus verò, vbi febris intermittens fuerit,his verbis cibandi tempus determinauit,libro 3. cap. 4. ſatius eſſe principia cibi à decedente febre,quàm reliquias ab incipiente excipi, ita ſi longius tempus ſecundum eſt, quàm integerrimo dandus eſt,ſi breue etiam antequàm ex toto integer fiat.ſic itaque definiendum eſt particulare tempus cibi offerendi.ſed quoniam diximus cum Hippocr.& Galeno vnum eſſe ſcopum, quod ſcilicet tempus illud quo cibus exhiberi debet, quamplurimùm abſit ab acceſsionis principio, animaduerſione dignum eſt ſcopum hunc non quid faciendum ſit indicare.nam alimoniæ vnus perpetuò ſcopus eſt,nempe virtutis cuſtodia, vt ſæpiùs diximus. Verùm quemadmodum de morbi affectione, ac eius vniuerſali ſummo vigore determinauimus,ita etiam de hoc particulari tempore diſſerere oportet: dicimus enim hoc cibi offerendi tempus eſſe, quoniam ipſum exhiberi non prohibet, hoc verò non eſſe, quoniam ipſum prohibet, & quoniam inter cætera acceſsionis tempora declinatio non prohibet: quinimò rectius dixeris, ſi fatearis quòd minùs prohibet:etenim cibus ſua ratione nunquam morbum iuuabit, vt dictum eſt,ob id cum Hippocr.& Galeno concluſimus quatenus ad particularia acceſsionis tempora ſpectat,in hoc duntaxat tempore, cibum exhiberi debere, vbi videlicet vires abſque eo vſque ad morbi ſummum vigorem ſufficere non valeant; aliàs haudquaquam ipſe offerendus eſſet etiam in ipſa inclinatione.nam vbi ob copiam vel obſtructionem,vel phlegmonem,vel,vt ſemel dicam, humoris alicuius putredinem febris eſt orta,maximo malo eſt cibus,atque hos quidem nec in inclinatione febris citra noxam nutrias,vt inquit Galenus 10.Metho. med. *cap. 4* Sumitur itaque ſcopus particularis exhibendæ alimoniæ,ab ipſius acceſsionis inclinatione, non tanquam ipſum exhiberi indicante, ſed tanquam minùs prohibente,quàm reliqua acceſsionis tempora. Quamobrem magnoperè hallucinati ſunt qui crediderunt Hippocr.& Galenum hac in re admiſiſſe tempora indicare,veluti methodici affirmant.licet aliis in locis Galen. illud negauerit. Nos verò in præcedentibus abundè demonſtrauimus, quantùm à veritate deuiarint,

Tempus ante acceſsionē nō indicat cibum dandū eſſe,ſed non prohibet.

Quo acceſsionis tempore præter inclinationem cibus cum maiori noxa offeratur, ac quomodo in omnibus morbis inſtituenda ſit victus ratio.

CAPVT LII.

AT occaſione eorum quæ diximus de particulari nutrimenti tempore, non abſque ratione quiſpiam dubitaret, quo acceſſionis tempore præter inclinationem, cauenda magis cibatio ſit, ceu res maximè noxia? Cernimus enim hac in re non barbaram duntaxat ſectantes medicinam, ſed eos qui Galeni doctrinam profitentur inter ſeſe non parum digladiari, idque non ob aliud (vt mea fert opinio) quàm quòd parum rectè intellexerint cauſam, ob quam interdum cogamur iis in temporibus cibum offerre febricitantibus, declinatione non expectata. Conabimur nos propterea breuibus quoad fieri poterit cum eodem Galeno, & Hippocrate illud dilucidare; aſſerentes primò nullum aliud opportunius particularis cibationis tempus eſſe, quàm acceſsionis inclinationem in continuis, & integritatem in intermittentibus, vt paulò ante determinauimus, ob dictas etiam cauſas, vbi hæc eadem tempora expectari valeant, & vbi fuerint anguſta, id perpetuò ſeruandum eſſe cenſemus, quod cum Galeno concluſimus: interim videlicet ad ſequentis acceſsionis principium, quandoque verò ad præcedentis vigorem magis accedentes. Fatemur etiam ſecundò quòd quocunque acceſsionis tempore caſus aliquis interuenerit, robur naturæ ſeu virium diſſoluens, eodem neglecto tempore, cibum offerre cogimur, inſtante magis virium cuſtodia, quàm prohibente aliquo acceſsionis tempore, quemadmodum cum Hippocrate decreuit Galenus commento aphoriſ. 9. primi libri, etiam de ſummo totius morbi vigore, quo tempore omnino à victu abſtinendum eſſe præceperat idem Hippocrates, aphoriſmo octauo eiuſdem libri. Eſſet autem caſus hic, animi defectus, ſeu ſyncope, aut quiuis alius adeò virium robur diſſolnens, vt nutrire omnino cogat, propterea quia vt diximus, hic ſolus eſt alimoniæ ſcopus, nempe virtutis cuſtodia. Porrò quærimus nos, vbi nullus ſimilis interueniat caſus, verùm vires ferre inediam non valeant vſque ad acceſſionis inclinationem, quo tempore cum minori noxa cibus offerri queat? & quoniam inter cætera corpora quæ minimè inediam ferre poſſunt, ſunt ea quæ natura, ſeu temperamento, calida & ſicca exiſtunt, ſiue ex prima origine talia ſint, ſiue ex victu, & immodico labore, vigiliis, & animi perturbationibus, regione, anni tempore, & cæli ſtatu, talem naturam acquiſiuerint: propterea quòd iis aduerſiſsima ſit inedia, eaque vehementer lædat, cùm neceſſariò viribus ſint imbecillis, de eiſdem præcipue loquemur, quemadmodum ipſemet Galenus verba fecit 10. Metho. medend. Quamobrem dicimus eiſdem & cùm inuaſura adhuc ſit, & cùm incipiat acceſsio, cibum offerri debere; ſi coniectura aſſequare eos vſque ad acceſsionis inclinationem, inediam ferre non poſſe. nam, vt Galenus inquit, cùm accenditur in his febris propter mordentem acrimoniam, excalfacti, attenuatique ex ſole, & inedia, & laboribus ſucci, maximum eius remedium eſt humidum nutrimentum: quanto verò hos citiùs cibaueris, tanto ſcilicet magis febrem prohibueris, inquit idem Gale. citato libro 10. metho. meden. Quibus ex verbis dicere licebit, corporibus iam dictis, vbi ex prænarratis præſertim cauſis in febrem incidant, non modò adhiberi debere humidum cibũ, cùm primùm cœperit acceſsio, aut cùm iamiam inuaſura ſit, tanquam nutrimentum, verùm etiam tanquam maximum remedium exiſtens ipſis excalfactis, attenuatiſq; propter mordentem acrimoniam ſuccis, ac ipſi febri, & quanto citiùs exhibueris, tanto magis febrem prohibueris, ob iam dictam cauſam. Vbi verò propter quampiam cauſam hoc tempore eiſdem corporibus cibus oblatus non fuerit, audacter etiã fatemur cum eodẽ Gal. in eiuſdẽ acceſsionis vigore, cibũ eſſe offerendum, quemadmodum ipſe teſtatur citato lib. 10. potiſsimùm vbi febris admodũ valida nõ ſit, ipſumq; corpus ſiccũ, & ſqualléns, vt poſuimus: hos namq; humectãte victu, quamprimum madefacere oportet, inquit 11. eiuſdẽ operis lib. ne vel in

Si quid accide rit uires diſſoluens, cibamus neglecto acceßionis tẽpore.

Si ſole uires inediã nõ ferũt, initio acceßionis cibamus.

cap. precit. & cap. 6

cap. 4
cap. ult. & 10
cap. 5. & 8.
cap. 2

febrem

febrem ardentem, vel eadem prætergreſſa, in hecticam incidant, priuſquàm inclinare cœperit acceſsio. His itaque de cauſis non modò cum minori noxa, quinimò tanqnam maximum remedium èxiſtens, humidum alimentum exhibebimus eiuſmodi corporibus, interim in acceſsionum principiis, quandoque verò in earundem ſummo vigore, inclinatione non expectata, præſertim vbi ex prædictis cauſis in febrem inciderint, & non ob aliquam inflammationem, aut humorum copiam: perquàm rariſsimè verò contingit hæc corpora ob humorum copiam, ſeu multitudinem febricitare. Quòd ſi momentanei membri phlegmone cum eiuſmodi febre, ac corpore ſit cõiuncta, omnino æger morietur. nam quod ad phlegmonem, quæ in iis eſt partibus, ſpectat, minimè planè eſt cibandum, quod ad virium infirmitatem, vtique ſæpè, vt idem Galenus inquit citato loco, ita neceſſariò aut vires reſoluẽtur, aut phlegmone augebitur. Sed dices, quid aſſerendum ſit de acceſsionis incremento, num etiam hoc tempore eiſdem quoque corporibus cibum offerre quandoque liceat? Cui reſponſum ſit, hucuſq; nec in Hippocratis, nec in Galeni doctrina me illud ſcriptum reperiſſe, quòd videlicet febricitantibus quibuſdam hoc in tempore aliquando cibum exhibuerint. quinimò eodem decimo meth. med. cap. 4. Gal. omnino vitare videtur, cùm dixit: {quòd ſi horror præterierit, ac iam planè febricitẽt, cibandi id temporis non ſunt.} & primo de ratione victus, per hæc verba idem confirmauit, cùm dixit: {ſed quoniam in acceſsionum tum principiis, tum incrementis, ingeſta alimonia lædere admodum nata ſit, ob id differimus ipſius exhibitionem, quanquã corpus ipſum iamiam indigere videatur.} videtur ergo Galen. his verbis prohibere alimoniam in acceſsionum incrementis, quoniam hoc tempore admodum lædere nata eſt, quẽadmodum in principiis. verùm peracto incremento aduenientéque ſummo vigore, illud negare non videtur, licet in inclinatione ſit optimum, quemadmodum nec ipſe Hippocrates quarto de ratione vict. cùm dicebat: {frigentibus ergo pedibus, neque potum, neque ſorbitionem, neque aliud quippiam huiuſmodi dabis, ſed maximũ exiſtimato, ſi id tantiſper obſeruaueris, donec valde incaluerint, deinde ita quod confert dabis.} Atqui valde incaluerunt ægri in ſummo vigore, & non in incrementis acceſsionum, quo tempore paulatim ad extremas corporis partes calor ſeſe expandit, paulatímque incaleſcunt ægri, quemadmodum in ſtatu calor ex æquo corpus totum occupat, vt liquet eodem primo de ratione vict. & ſi dices æqualiter etiam prohibere in acceſsionum principiis alimoniam hoc in loco Gale. aſſerimus nos ſatis eſſe, quòd in incrementis cibum ſemper interdicant Hippocr. & Gale. nunquam verò admittant: in principiis autem, ac vigoribus, ſi quandoque prohibeant, interim admittere videantur, vt ex citatis locis patet, idq; non propter aliud, niſi quòd eo tempore cauenda omnino cibatio ſit, tanquã res maximè noxia. Adhæc quem vſum afferat ægrotantibus exhibitus in incremento cibus, quẽadmodum in principio, & ſummo vigore probauimus? eo etenim tempore ſi exhibeatur, neque maximum erit remedium ipſius febris, quemadmodum ſi in principio fuerit exhibitus, neq; etiam febres prohibebit. inſuper nec adeò inhibebit febrem, vt ea aut in ardentẽ, aut in hecticam non pertranſeat, veluti ſi fuerit in vigore oblatus, & præter id, quod nihil confert, maxima ex eo parabitur noxa, quæ in neutro dictorum temporum ſi exhibeatur, contingit. Nam augebitur porrò febris, vt decimo meth. meden. liquet, & cùm detineatur ex cibo calor, prohibebit ne ſeſe expandat ad extre[...]s corporis partes, ſed diutius in thorace, & corde, ac ventre contineatur, augebitúrque ex eo putredo, ſeu phlegmone, ſi ex eiſdem febris fuerit orta, quæ omnia ſpectans Gal. 11. meth. meden. in fine, cùm exiguum fuerit ſpatium inter præcedentis acceſsionis ſummum vigorem, & ſequentis principium, tanquam minùs noxium docuit, interim ægrum admodum adhuc calentem nutrire, quandoque verò iamiam futura ſequenti acceſsione, nulla omnino facta de incremento mentione, non ob aliud quidẽ, niſi quòd in incremento cibatio eſſet

In vigore quãdoq; cibandũ.

Si cũ viriũ infirmitate ſit phlegmone in parte principe, mors ſequitur.

Quæſtio.

Reſpondet queſtioni.

Super tex. 46

In incremẽtis non dandus cibus.

Text. 39.

Loco citato.

Obiectio, quæ mox diluitur.

Principio, & vigore, ſubeu.

Loc o citato.

magis noxia, quàm in dictis temporibus, alioqui parũ rectè præcepiſſet in eiſ-
dem duobus temporibus diſtinguẽdum eſſe duntaxat quod minùs ſit noxium,
Altera obiectio. ſi cum minori noxa in incrementis cibus exhiberi poſſet. Sed adhuc inſtabis,
quî fieri poſsit vt exhibito cibo in acceſsionis principio, eædem noxæ, aut for-
tè plures non inferantur, quàm modo dictæ vbi cibus fuerit in incremento ex-
Super text. 114. hibitus? eo magis cùm ipſe Galenus docuerit quarto de ratione victus, quòd eo
tempore acceſsionis cibus exhiberi debet, quod magis abſit ab ipſo acceſsio-
nis principio, tanquam hoc tempus inter omnia deterrimum putarit. Huic re-
Reſpondet obiectioni. ſponſum volumus, quòd nõ modo ſi in principio fuerit cibus exhibitus iam di-
ctis corporibus, ſimiles noxæ non prouenient, quæ in incremento generantur,
aut maiores, & plures, ſed vt dictum eſt, maximum erit remedium humidum
nutrimentum exhibitum tum febris, tum humorum, qui propter mordentem
acrimoniam excalfacti, attenuatiq; ſunt. & ſi qua noxa fortè generabitur, ma-
ius ſequetur commodum ex vſu, quem præſtat, quàm incommodum ex noxa
quæ fieri poſſet. Nec quicquam obſtat, quòd citato loco decreuerit tẽpus quo
exhiberi debeat alimentum, quàmplurimum diſtinctum eſſe debere ab acceſ-
ſionis principio, nanque illud ſubintelligi debet, vt paulò ante demonſtraui-
mus, vbi vires, ac corpora ferre poſsint inediam vſque ad idem tempus: quod
Loco citato. quidem declarauerat citato libro primo de ratione victus, idem Galenus: quo
caſu exhibitum in principio alimentum, quemadmodum & in incremento ac-
ceſsionis admodum læderet, & ob id differendum eſſet, quanquã corpus ipſum
iamiam indigere videatur, vt ipſe inquit: præſertim vbi ob humorum copiam,
Tertia obiectio. aut phlegmonem febricitent. Adhuc obiiceret quiſpiam aduerſus ea quæ dixi-
mus de ſummo vigore, aſſerens quòd maior noxa ſequeretur ex oblato cibo
in ſummo vigore acceſsionis, quàm incremẽto, illud probans Hippocratis au-
ctoritate, aphoriſ 8. primi libri, dum inquit: {vbi morbus in ſuo vigore conſti-
terit, tunc victu tenuiſsimo vtendum eſt.} ſi igitur in vniuerſali morbi ſummo
vigore per hæc verba vitandum eſſe cibum omnino præcepit Hippocrates, &
non in incremento, ſimili etiam ratione de vigore particularis acceſsionis diſ-
Diluitur obiectio. ſerendum erit. Huic reſponſum dabimus, ſimilitudinem, quam credunt eſſe in-
ter hæc tempora, non valere. etenim in vniuerſali morborum ſummo vigore
propter tum ſympromatum magnitudinem, tum morbi coactionem, vtendum
eſt tenuiſsimo victu, vt ait Galenus in commento citati aphoriſ. neque enim
oportet naturam diſtrahere ad alterã nouam coctionem, cùm eo tempore no-
xiorum humorum coctioni fortiter vacet: & haud ita multo poſt ipſos ſit eui-
ctura. at in eo qui particularis acceſsionis exiſtit, neque adeò ſymptomatum
magnitudo infeſtat, neque natura eo tempore ita noxiorum humorum coctio-
ni fortiter vacat, ita vt paulò poſt ipſos ſit euictura, cùm in eodem particulari
Cap. 7. ſummo vigore materiam ſuperauerit, vt Galenus inquit tertio de præſagit. ex
pulſ. atque fuliginoſum excrementum expiratione, & contractione eo tempo-
re expellat. Quapropter per alimentum eadem natura ac virtus non diſtrahi-
tur ad alteram concoctionem, videlicet ipſorum alimentorum: eſt inſuper &
eadem materia exigua valde, collatione facta ad eam, quæ in vniuerſali ſum-
mo vigore cõcoquitur, qua etiam ratione non adeò impeditur præter id quòd
eadem ſequuntur commoda, quæ paulò ante dicta ſunt: quanquã & hoc etiam
tempore vbi vires deficiant, cibare non incongruenit, vt dictum eſt. Ex iis itaque
liquet cauendam eſſe omnino cibationem in acceſsionum incrementis, ceu
rem maximè noxiam exiſtentẽ, etiam in iam dictis corporibus, quæ (vbi o[illegible]
teat) nedum cum minori noxa quàm in incrementis, verumetiam magno cum
emolumento in principiis, ac vigoribus earundem acceſsionum perpetuò ex-
Quarta obiectio. hibetur. Sed iterum obiicies, aſſerens hoc falſum eſſe eiuſdem Galeni auctori-
tate, citato decimo meth. meden. vbi verba faciens de eiuſmodi corporibus, ac
febrientibus dicebat: cap. 5. {illos verò omni certè tempore, ſed potiſsimùm per
inclinationem.} addas tu, nutrire poteris. ergo videtur admittere in ipſo etiam

incremento alimoniam, dicens omni certè tempore. Huic dicas primò Gale eiuſmodi corporibus omni certè tempore cibum concedere, eorum videlicet, in quibus paulò ante cibum conceſſerat, & non eo in quo cibum offerre vitauerat, hoc eſt incremento. Vel dicas omni certè tempore hæc corpora nutrienda eſſe, ſed potiſsimùm per inclinationem, in cæteris verò temporibus, ſi cibus offeratur, minori cum noxa, aut (vt rectiùs dicam) citra noxam exhibebitur in principiis, ſeu vigoribus, maiori autem, aut ſaltem non citra noxam, in incrementis. in hoc nanque tempore ſemper maiori cum noxa, quàm in principio, & ſummo vigore cibus adhibetur, vbi laborantes inediam vſque ad inclinationem ferre non valeāt, id quod paucißimis quibuſdam verbis, neſcio quo diuino furore percitus, confirmauit Celſus cap.5.lib.3.cùm dicebat: {ſi tamen propter infirmitatem neceßitas vrget, ſatius eſſe conſiſtente iam incremento febris aliquid offerre, quàm increſcente, ſatius eſſe inſtante quàm incipiente, cùm eo tamen vt nullo tempore is qui deficit non ſit ſuſtinendus.} Quamobrem nedum in prædictis corporibus (licet in his potißimùm) idem in exhibendo nutrimento ſeruare oportebit, ſed cæteris omnibus, in quibus protinus in primo, ſecundóve die, vires imbecillæ cernuntur, licet rariùs accidat. accidit tamen interdum, vel propter ægrotātis malum corporis habitum, vel propter ſenium, nonnullis verò fatigatio, vel triſtitia, vigiliæq; præceſſerunt, & inedia, & per totum ſequuta eſt diem, tum febris priuſquàm homo cibaretur circa veſperam occupauit, & nox inſomnis eſt acta, & propterea vires imbecillæ redditæ, vt eodem decimo meth. ſcriptum eſt. Sit porro cibus, qui eiſdem temporibus exhibetur, non copioſus, ſed modicus, humectandi vim habens, & qui facilè concoquatur, ita vt non modò vt nutrimentum, ſed vt remedium conferat. Itaq; victus ſpecies ſeu forma, modo quo diximus, inſtituenda erit, morbi ſummum vigorem, ac ægrotantis vires ſimul ſpectans. Deinceps ſi pertranſiri ſummum incrementū ſine omni cibo poſſe noueris, ægrum in cibi abſtinentia ſeruato, ſin exiguum adminiculum requirant vires, talis victus adhibendus erit, quo ſperare poſsis ea perdurare poſſe totum tempus intermedium vſque ad morbi ſummum vigorem, vtpote tenuis. At ſi maius requirant vires adminiculum, tantum adiicere ad nutrimenta oportet, quātum fuerit de robore virium immutatum, ac plenior victus adhibendus erit, tantum ſcilicet, quantum virtus imbecillior expoſtulat. ab his denique ſcopis nutrimenti, diuerſa ſpecies, ſeu forma deſumitur, cuius copiam maiorem licebit adhibere in morbi principio, atque incremento, at in ſummo vigore minorem, & interim (ſi vires ferant) minimam, atque ita victus formam eo tempore etiam immutare quandoque, quam victus formam ſi adeò exquiſitam artificioſa quadam coniectura non aſſequaris, ad paulo pleniorem victum declinare potius, quàm ad tenuiorem nitaris, tanquam minus malum: eritq; talis cibus offerendus in his febribus ex putredine ortis, quæ vnam duntaxat à principio ad finem vſque acceſſionem habent, tempore quo conſueuerunt cibari, ac potiſsimùm eo, quo morbum faciliùs tolerant, in his verò quæ plures habent acceßiones, in inclinatione, ſi continuæ fuerint, in integritate, ſi intermittant, & vbi ſpatium fuerit anguſtum, inter vigorem præcedentis acceßionis, & principium futuræ, interim ad vnum, quandoq; ad aliud tempus magis accedere licebit, prout ſuprà cum Galeno concluſimus. Quòd ſi propter virium imbecillitatem tanto tempore inediam ferre non poſsint, in acceßionum principio ſæpiùs, interim verò & in earum ſummo vigore cibum offerre licebit, incrementum vitantes: quamuis vbi ob aliquem caſum virium robur diſſoluatur, omni certè tempore cibus ſit offerendus. Verùm non propterea damnandi ſunt noſtri temporis medici, qui in primis morbi diebus, primo videlicet, aut ad ſummū ſecūdo, tenuiori vtuntur victu in omnibus ferè morbis indifferenter, vbi exactè eorundem morborum natura non fuerit cognita, modò eadem cognita confeſtim conueniens victus forma, ſeu ſpecies vſque ad morbi ſummum vigorem inſtituatur, eam

Reſpondetur obiectioni.

Loco citato.

Non improbā di medici, qui initio tenuiorem uictū præſcribunt.

amplius non immutando præterquàm in quantitate,& interim in qualitate ſeu ſpecie quoque eo modo quo diximus,ni aliquid interuenerit. etenim vires eo tempore validæ ſunt,& corpora vtplurimùm crudis ſuccis,ac cibis referta, nec adeo facile eſt morbi naturam, aut etiam febris ſtatim in prima die exquiſitè dignoſcere.nam ipſemet Galenus dicebat octauo meth.meden.cap.3. {ego verò nec in omnibus ægrotantibus fateor exactè me ſcire in prima die affectum, nec vllam diariam me febrem poſſe fugere.} poterit etiam & morbus talis eſſe natura, vt eodem tenuiori victu indigeat, & ita quoque nihil in victu peccabant,non propterea negâtes ſatius eſſe talem victus ſpeciem à primo die ægrotantibus,& præſertim febrientibus inſtituere, qualis expedit, habita eiuſdem morbi,ſeu febris exacta notitia,ac perceptis ægrotantis viribus.

Quomodo eorum quæ indicant magnitudo ſpectanda,& quotuplex ea ſit:ac qua ratione vbi plures coeant indicationes magnæ,inter ſe conferendæ ſint.
Cap. LIII.

CVNCTA quæ circa ægrum ſpectari debent pro febrium curatione,ac eorum quæ conducunt inuentione,tâ ſi medicamenta,quàm ſi alimenta fuerint,ſatis ſupérque eum Hippocr.& Galeno expoſuiſſe puto.Sed quoniam nô ſatis hæc eſſe cenſet Galenus, ſed inſpicere etiam ſemper conuenit, quando indicationes omnes ſecú conſentiant,& quando inter ſeſe diſſentiant, vt ipſe ait: omnibus enim conſentientibus vnam prorſus victus ſpeciẽ conſtituemus, diſsidentibus verò inter ſe quæ valentiores ac plures ſint,præferemus,ita vt victus ſpecies quam hæ præſcribunt,præferatur:ſic tamen vt ne contraria ſit neglecta, vt liquet octauo metho.meden.id quod etiam ſeruari perpetuò iuſsit in inueniendis,ac adhibendis medicamentis,7.9.10.& 11.eiuſdem operis lib. etenim vbi ambiguitas, pugnáque indicationum inter ſe oritur, eodem auctore, tum numerum indicationum,tum magnitudinem, ſimul conferas oportet, nihilq; in contrariis indicationibus, vt ipſe Galenus inquit, tam competit expendi, quàm magnitudinem eorum,quæ ad indicationem côierunt: propterea quomodo hæc indicationũ magnitudo inueſtigetur,& qua ratione cum aliis conferenda ſit,ac præferenda,vbi eædem indicationes pugnabunt,diſſerere oportebit,poſtquàm abunde tractauimus quid faciendũ ſit,vbi omnes conſentiant: quibus dilucidatis huic noſtræ methodo extremam manũ imponemus. Quocirca indicationum poteſtates recte examinabis, vbi magnitudinem eorum, quæ ad indicandum coierũt,intelligas. non eſt autem in omnibus rebus, vnius rationis ipſius maioris natura,eodem Galeno teſte, tertio de ſanitate tuenda, ſed alibi pro viribus & quaſi dignitate rei,alibi pro ipſius propria eſſentia ſpectanda eſt. idem confirmare videtur octauo meth.meden.ſub his verbis: {porrò nihil in contrariis indicationibus tam conuenit expendi, quàm magnitudinem eorum,quæ ad indicationem coierunt, quam vtique ex libro de ſanitate tuenda, duplicem eſſe oſtendimus; alteram quæ ex ipſorum quæ indicant dignitatibus cenſetur,alteram quæ ex ipſorum,vt ſic dicam,propriis ſubſtantiis, ſpectetur,quas ex conferendo cum mediocri,& quod ſecundum naturam eſt, ſeu naturali habitu, accipiendas eſſe teſtati ſumus.} Longè tamen diuerſa ab his de indicationum maguitudine ſcripſiſſe cernitur idem Galenus vndecimo metho.meden.dum dixit: {vbi verò ſecum pugnauerint indicationes aliquæ, ſuperiùs comprehenſa methodo,ad ea quæ agenda ſint inuenienda, vtendum eſſe,perpenſis ſcilicet eorum quæ indicant tum magnitudine, tum dignitate. oſtendimus enim eligendas eas indicationes eſſe,quas digniora,maioráq; indicantia præſcribent. at dignitatem eorum vel vitæ, vel ſanitatis reſpectu iudicandum, magnitudinem verò duplicem eſſe, vel propriæ ſubſtantiæ ratione, vel declinationis à naturali habitu.} hanc verò methodum conſcripſerat tum

cap.ult. cap. 12. cap.13. cap.1. cap. 3.

Indicationum magnitudo ex dignitate eorum, quæ indicant, & propria eſſentia.

cap. 9. cap.citato.

cap.citato.

citato

citato libro octauo de methodo medendi, partim etiam & nono, & decimo. Porrò hic videtur non in vno duntaxat ſibimet pugnare Galenus, nam citato octauo methodi medendi, & tertio de ſanitate tuenda, magnitudinem tanquam genus quoddam diuidebat, in eam quæ cenſetur ex dignitatibus eorum quæ indicant, & eam quæ ſpectatur ex propriis ſubſtantiis eorundem, hoc verò in loco, magnitudinem ſeorſum à dignitate perpendendam eſſe præcipit. inſuper citatis locis magnitudinem diſtinctam ab ea quæ ex dignitatibus cenſetur, ſeu viribus eorum quæ indicant, vnam eſſe ait, quæ ex propriis eſſentus, ſeu eorum quæ indicant ſubſtantiis ſpectatur, hic verò duplicem eſſe magnitudinem fatetur, vel propriæ ſubſtantiæ ratione, vel declinationis à naturali habitu: citatis etiam locis eas quæ ex propriis ſubſtantiis ſpectantur, ex conferendo cum medriocri; & quòd ſecundum naturam, deſumendas eſſe præcepit, hic verò alteram dixit eſſe magnitudinem per declinationem à naturali habitu, ſeclùſam ab ea quæ eſt ratione propriæ ſubſtantiæ. Horum primum facilè conciliabimus, ſi dixerimus tertio de ſanitate tuenda, & octauo methodi medendi, vniuerſaliùs ſumpſiſſe magnitudinem eorum, quæ indicent, & vt quoddam genus commune vtriuſque magnitudinis, tam illius quæ ſpectatur ex dignitate eorum, quæ indicant, quàm alterius quæ ex propriis ſubſtantiis deſumitur. Sunt etenim magnæ ambæ indicationes, quæ ex ipſis deſumuntur. libro verò vndecimo methodi medendi, perpendendam eſſe eorum quæ indicant tum magnitudinem, tum dignitatem, aſſeruit: ſpecificè magis ſubintelligens magnitudinem: ſumens tamen nomen generis, vt eam diſtingueret ab ea, quæ pro dignitate capitur, non negans quòd magnitudo generaliùs ſumpta ſit vtriſque communis tanquam genus. At non perinde facile eſt reliqua conciliare. pro quo animaduertendum, quòd ipſa magnitudo quæ ex aduerſo diſtinguitur ei, quæ pro viribus, & quaſi dignitate rei ſpectatur, poteſt ſola ſeorſum exiſtere abſque aliis magnitudinibus eiuſdem rationis, aut alterius, ſed cum aliis duntaxat indicationibus complicari, quæ nullo modo magnæ ſunt: poteſt inſuper cum, tum cum reliquis magnis indicationibus eiuſdem generis, tum etiam cum his quæ pro dignitate magnæ ſunt. adhæc id quod dignitatis magnum dicitur, ratione etiam propriæ ſubſtantiæ magnum, paruúmve eſſe poteſt, tam ſi ſeorſum conſiſtat, quàm ſi cum aliis complicetur, id quod manifeſtè Galenus declarauit citato tertio de ſanitate tuen. Vbi exemplum ponens laſsitudinis, quæ phlegmones ſenſum præfert, cum ea quæ vlceroſa ſeu excrementoſa dicitur, ſi inuicem copulentur, dicebat dignitate maiorem eſſe primam. demum ſubdit: vtraque tamen ipſarum ſic propria ratione eſſentiæ magna, paruáque eſſe poteſt, vt ſi ſola ſeorſum conſtiterit, vtraque quoque ipſarum poteſt cum aliis copulari magnis, & poteſt ſeorſum conſiſtere. Verùm vbi ſeorſum conſiſtant, coeuntes tamen cum aliis indicationibus, ac indicantibus non magnis, vna pro viribus, & quaſi dignitate indicantis maior dicitur, reliqua vero pro propria eſſentia eius quod indicat, vt ibidem liquet. vbi verò ſimul coeant, id quod magis in indicando pollet, explorandum eſt. modum verò idem Galenus oſtendit eodem loco, vbi continuans adhuc ſermonem de iam dictis laſsitudinibus dicebat: { ſi igitur vtaque pari interuallo à naturali habitu, ſeu ab eo quod ſecundum naturam eſt, receſſit, quæ phlegmones ſimilis eſt, præcipuam curationis ſolicitudinem ad ſe conuertet, vtpote dignitate pollens, ſin exiguè quæ phlegmones, plurimum quæ vlceris ſenſum repræſentat, à naturali habitu receſſit, æſtimandum num tantum ſuperet magnitudine vlceroſa, quantum quæ phlegmone ſimilis eſt, viribus, an minùs, an magis, atque ita quod pollet explorare, quòd ſi æqualiter pollentes videris, pari ſtudio vtrique conſulendum, atque ratio hæc perpetua ſit omnium coniugatorum affectuum. } Hanc eandem ſententiam, ſcilicet vbi plura coeant, quæ ob eorum magnitudinem indicent, ac contrarium exigant, confirmauit idem Galenus octauo methodi medendi, cùm dicebat, { Porrò

Locis citatis. Galen. ſibiipſe repugnare videtur.

Conciliatio locorum Gal.

Loco citato.

Loco citato.

nihil in contrariis indicationibus tam conuenit expendi, quàm magnitudinem eorum quæ ad indicationem coierunt.} dixit nanque eorum numero plurali, deinceps hanc magnitudinem duplicem eſſe in libro de ſanitate tuenda, ſe oſtendiſſe fatebatur, & declarans inſuper hanc duplicem magnitudinem, ſubdebat alteram quæ ex ipſorum quæ indicant dignitatibus cenſeatur, alteram quæ ex ipſorum, vt ſic dicam propriis ſubſtantiis ſpectetur: & addit, quas iterum in numero plurali, & non dixit quam, in ſingulari, ex conferendo cum mediocri, & quod ſecundum naturam eſt, accipiendas eſſe teſtati ſumus. quando itaque plura coeunt, quæ ob eorum magnitudinem indicant, ac contraria expoſtulant, eorum ſubſtautias ſpectare oporter, collatione facta ad id quod ſecundum naturam exiſtit, hoc eſt quantum eorum quodlibet à naturali ſtatu receſſerit, quantum enim quodque à naturali ſtatu receſſerit, ad tantam magnitudinem morbus peruenit, inquit idem Gal. primo de arte curatiua ad Glauconem. cap. 1. hoc etenim innento, eadem ratio ſeruanda erit in curatione perpetuò, quam docuit in paulò ante citatis verbis tertio de ſanitate tuenda, libro verò vndecimo methodi medendi, eaſdem indicationes, quas digniora, maioráque indicantia præſcribunt, tam ſi inſimul complicentur, quàm ſi cum aliis indicationibus copulentur non magnis, vbi ſecum pugnauerint aliquæ, particularem magis modum eas perpendendi docuit, ab eis tamen quæ citatis locis præceperat non recedens. Docebat enim primò quomodo iudicanda ſit dignitas eorum, quæ indicant: quòd videlicet vel reſpectu vitæ vel reſpectu ſanitatis, vt vires vbi indicant, earum indicatio digna eſt reſpectu vitæ, febris autem indicatio digna reſpectu ſanitatis: & ob id nono de method. meden. c. 13. præcipiebat quòd virtus omnium prima eſſet cuſtodienda, vtpote quæ dignitate magis pollet, à virium indicatione proximam eſſe, quæ ab affectibus, quos curare proponimus, datur, deinceps reliquæ. ſubdebat poſtmodum eodem vndecimo: {magnitudinem verò duplicem eſſe, vel propriæ ſubſtantiæ ratione, vel declinationis à naturali habitu: non quòd hæc magnitudo quam ex aduerſo diſtinxerat paulò ante, ei quæ ex dignitate ſumitur, re ipſa duplex ſit, ſed quòd ea non ſemper vno duntaxat modo perpendenda ſit, ſed duplici, vno modo ſi ſola ſeorſum conſiſtat, pugnaueritque cum aliis indicationibus non magnis, & ita ſpectanda eſt ratione propriæ ſubſtantiæ, quoniam non comparatur alteri magnæ indicationi: hanc etiam noſcendam eſſe magnitudinem ex propriorum ſymptomatum quantitate, ſeu magnitudine præcepit, libro tertio de criſibus, & libro de conſtitutione artis medicæ. ſecundo modo iudicanda erit per declinationem à naturali habitu, vbi videlicet cum aliis coeat magnis indicationibus, ſecúmque pugnauerint. nam aut æquè ab eo recedunt, & ita vtrique pari ſtudio conſulendum, aut magis, aut minùs, quo caſu magis de vno quàm de altero ſoliciti eſſe debemus, præcipuam ſemper curationis ſolicitudinem ad ſe conuertens, id quod maiori interuallo à naturali habitu receſſerit, vel licet pari interuallo receſſerint, polleat tamen vna altera dignitate. Nam & hæc etiam dignitatis magnitudo ratione propriæ ſubſtantiæ quandoque magna eſſe poteſt, nec aliter perpendenda erit, quàm per receſſum à naturali habitu, tam ſi ſeorſum conſiſtar, quàm ſi cum aliis coeat ratione propriæ ſubſtantiæ indicationibus magnis, & hæc ratio perpetua eſt omnium coniugatorum affectuum, inquit Galenus, præcitato libro tertio de ſanitate tuenda. Ex quibus liquet, quòd quamuis ſpeciatim magis definiuerit harum magnitudinum naturam, libro vndecimo de methodo medendi, Galenus non propterea aliud re ipſa per eaſdem intelligere voluit, quàm id quod de eiſdem diſſeruerat citatò libro tertio de ſanitate tuenda, & octauo methodi medendi} neque in his ſibi pugnantia ſcripſit. Sed non ab re quiſpiam quæreret, quomodo citatis locis Galen. duplicem tantùm eſſe magnitudinem determinarit eorum quæ indicant, eámq; eſſe ſpectandam vel ratione dignitatis, vel ratione propriæ ſubſtantiæ, ſi quarto de methodo medendi cap. 6. aſſerit nũ

Loco citato. (beside "rali, deinceps hanc magnitudinem…")
Cap. citato. (beside "vndecimo: {magnitudinem…")
Cap. 4. (beside "libro tertio de criſibus…")
Cap. 16. & 18. (beside "iudicanda erit…")
Cap. 9. (beside "ſanitate tuenda. Ex quibus…")
Loco citato. (beside "harum magnitudinum…")
Obiectio. (beside "di medendi} neque…")

vlcera, vulneráque duntaxat, verumetiam reliqua omnia vitia grauia magnáque poſſe reddi trifariam. Nam vel propter afflictæ partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quòd ſunt cacoëthe, & paucis quibuſdam interiectis illud confirmauit aſſerens: { nam cùm triplici genere morbus quiſque ſit grauis, aut propter præcellentiam partis, aut propter affectus magnitudinem, aut propter ipſius cacoëthiam. } necnon & ſeptimo eiuſdem operis libri, de affectus magnitudine verba faciens, quòd videlicet ea perpendenda ſit, dicebat: { ea triplex eſt, alia quæ ex læſæ actionis præſtantia ſpectatur, alia quæ ex propria affectus eſſentia, & tertia præter has, quæ ex facultate quæ læſum corpus gubernat, æſtimatur. } Dicas perpetuò magnitudinem eorum quæ indicant, duplici tantùm ratione ſpectandam eſſe, nempe vel ratione virium, ſeu dignitatis, vel ratione propriæ eſſentiæ, ſeu ſubſtantiæ. & ſicubi Galenus plures conſcripſerit, clarioris doctrinæ gratia, de eis ſpeciatim magis verba fecit, tamen omnes ad iam dictas duas reduci, atque ſemper ſub eis contineri voluit: & propterea cacoëthia, ſi ob magnitudinem quandam indicat, erit ratione dignitatis; quare ſub ea continebitur. Si autem eadem quoque magna fuerit ratione propriæ eſſentiæ, vtraque ratione indicabit, vt paulo ante demonſtrauimus. Similiter ea magnitudo quæ æſtimatur ex facultate, quæ læſum corpus gubernat, ad eandem reducitur magnitudinem, quæ ratione dignitatis capitur. Sed quod mihi admodum difficile videtur, eſt concordare eiuſdem Gale. dicta de triplici magnitudine ipſorum affectuum. Nam quarto de method. meden. cap. 6. vt paulò ante annotauimus, pro tertia affectus magnitudine connumerabat cacoëthiam, ſeptimo verò eiuſdem, non ex cacoëthia, ſed ex facultate, quæ læſum corpus gubernat, æſtimandam eſſe dicebat. Fateor me hercle diu fatigaſſe pugnantiam hanc, ac diu etiam laboraſſe pro ea ſoluenda, dicam tamen quid ſentiam. Appellant medici vlcera, quæ omnibus ritè decentérque factis tamen non ſanantur Græcè κακοήθη, nos maligna, contumacia, rebelliáve dicimus, vt liquet quarto methodi medendi, libro verò primo de morbis vulgaribus, fatetur Galenus ſibi conſtare eſſe morbum κακοήθη, vbi cùm rectè omnia adminiſtrantur, nihilo fit mitior. Conſtat inſuper apud omnes medicos tales morbos ob vitium, ſeu humorum corruptelam fieri, ac generari, ſiue in vniuerſo corpore, ſiue in quibuſdam partibus, aut in vna duntaxat corrumpantur, propterea quòd virtus eos haudquaquam euincere, domare, ac concoquere valet, & aſsimilare. Hanc facultatem puto Galenum intellexiſſe per eam quæ læſum corpus gubernat, diuerſam ſiquidem ab eis quæ in tribus principibus partibus reſident: eſt autem ea alteratrix, ſeu immutatrix facultas, quæ ſingulis partibus communis exiſtit, eſt etiam cuiuſque propria. Quapropter & in quibuſdam determinatis, & in vniuerſo corpore lædi, ſeu vitiari eam contingit, qua taliter corrupta, aut particularis quiſpiam morbus κακοήθης, ſiue malignus generatur, aut quiſpiam alius vniuerſalis etiam in vniuerſo corpore. Ex quibus cuiuis patere arbitror, idem ferè eſſe dicere quòd quidam magni reddantur morbi, propterea quòd ſunt κακοήθεις, quòd aſſerere vitiatam eſſe facultatem, quæ læſum corpus gubernat, atque eam æſtimandam eſſe, cùm ex eiuſdem vitio, vt diximus, humores corrumpantur, ex quibus maligni contumacéſque morbi originem ducunt.

Cap. 12.

Diluit obiectionem.

Gal. magnitudines plures ſub duabus cõplexus eſt.

Gale. aliter atque aliter de triplici magnitudine affectuum.

Conciliatio locorũ Galeni.

Commenta. 3. ſuper text. 1.

Nonnullis exemplis, ratio ſpectandi indicationum magnitudines, examinatur. Caput LIIII.

VT verò communis hæc ratio, omnium quæ inter ſe complicatæ ſunt contrariarum indicationum, magis pateat artis medicæ tyronibus, pluribus exemplis eam examinandam eſſe duxi, atque primò in morbis ipſis, vbi ſimul coeant, ſiue contrarij, ſiue non contrarij ſint, in quibus omnibus eiuſmodi complexioni-

bus triplex tibi propoſitus ſcopus, ſeu finis erit, Galeni auctoritate, tertio, & ſeptimo meth.meden.c.9. & c.12. Primò nanq; æſtimare debes à quo maximè affectu diſcrimen ægro impendere videatur. Secundò, quid quæve ex his, cauſę rationem obtineant, & quę ab ipſis efficiantur. Tertiò, quæ ſanari ante alia poſſint, & quæ non poſſint. Vbi enim à quoquam affectuum periculum non leue inſtat, ad id quod vrget dirigi primum curantis conſilium debet. Nam affectus vnde primum maximèque periculum homini imminet, hic primus curari debebit, interim verò non primus modo, verumetiam ſolus, quemadmodum exempla ponit Galenus eodem tertio de methodo medendi, de capite muſculi puncti, & ſuperueniente conuulſione, quæ nulla conuenientium medicamentorum vi remittatur. Præciſo etenim per tranſuerſum toto muſculo, conuulſionem ſanabis, licet aliquem ex particulæ motibus vitiaueris, ſimiliter etiam cùm è vena, vel arteria ſanguis immodicè profluat, cogimur interdum totum vas præcidere, & etiam neruum punctum vbi conuulſiones vel deliria, aut etiam ambo magna, ægréque ſanabilia ſuperuenerint. Eſt itaque in hoc curationis conſilio, quod ab vrgente initur, affectus magnitudo ſemper perpendenda, cùm ex his maximè ac primùm ægro periculum immineat, vt diximus, quacunq; ratione magni fuerint. Vbi etenim inuicem copulentur morbi quidam, eatenus habebunt communem indicationem curationis, quatenus copulabuntur, vel nobis ſcilicet ad id quod magis vrget obuiantibus, non tamen alterius cura omnino poſthabita, vel omnibus pari ſtudio auxiliantibus, vbi videlicet æquè vrgeant, & magni ſint, perquàm rariſsimè autem, vt dictum eſt, quandoque ſolum, etiam vbi maximè vrgeat, curamus. Sic itaque ſi quiſpiam morbo laterali, ac ſanguinis ſputatione laboret, qui contrarias exigunt curationes, ad id quod vrget magis obuiare oportet, non omnino poſthabita etiam alterius curatione, vt inquit Galenus commento aphoriſmi 16. primi libri. Similiter ſi quis febricitauerit, & aqua intercute laborauerit, ad ambos affectus reſpicientes, qui quidem contrariam exigunt curationem. Vtrique eorum ſolerter reſiſtimus, ſicut & in alijs omnibus pariter copulatis, vt ibidem reſtatur Galen. Atqui ſolerter omnibus talibus reſiſtimus, vt ſi æquè vrgeant, omnibus pari ſtudio auxiliemur, ſi verò vnus altero magis vrgeat, huic primo & magis auxiliabimur, altero tamen omnino non neglecto: hæc verò curationis prælatio fiet, eodem Galeno teſte, octauo metho.meden.c.vlt. aliàs vtriſque in vnius auxilij materiam mixtis, aliàs ſeorſum ſumptis. Secundo loco exiſtimandum eſſe propoſuimus, quid ex iis quæ copulantur cauſæ rationem obtineat, & quid ab ipſo efficiatur, ita vt id augere aut gignere reliqua poſsit, reliquum verò vel gignatur, vel incrementum ab eo accipiat. Etenim manente adhuc eo affectu, qui velut cauſa alium excitauit, hũc priùs tolli expedit. Nam omnino in omnibus, in quibus effectrix cauſa adhuc manet morbis, ab hac exordienda curatio eſt, inquit Galenus quarto methodi medendi, cap.4. quemadmodum abundè etiam in præcedentibus à nobis demonſtratum eſt. quapropter vbi aliud efficiens eſt, aliud quod ab eo efficitur, ipſa cauſa ſpectanda erit, vt liquet eodem ſeptimo methodi medendi. Si verò in complicatis hiſce affectibus, vnus rationem obtineat eius ſine quo non, ita vt reliqui affectus ſanari non poſsint, eo non curato, ipſe verò ante alios curari poſsit, ordo ſpectandus eſt, quid ante quod videlicet, vel quid cum quo, vel quid poſt quod ſanari poſſit, eodem Galeno teſte, citatis lib tertio, & ſeptimo de methodo medendi. At ſi non plures fuerint coeuntes morbi, ſed is vnus ſit, verùm qui contrariam indicationem ſubiiciat, aut naturali laborantis temperamento, aut ei quod nunc acquiſierit, præterea ætati, conſuetudini, regioni, anni tempori, & cæli ſtatui, ita vt pugna indicationum inter ſe oriatur, hoc etiam caſu magnopere opus eſt tum numerum indicationum, tum magnitudinem ſimul conferre. Exempli gratia, ſi quiſpiam febre correptus fuerit, qua ratione victum requirat, qui refrigeret & humectet, reliqua verò contraria expoſtulent, niſi quiſpiam ita indica

Primus ſcopus in cõplexibus indicationum.

2. Scopus in indicationũ complexibus conſiderandus.

Loco citato. 3. Scopus de ordine curandorum.

Loc. citatis. Si vnus morbus plures offerat indicationes.

indicationum poteſtates examinet, nequeat ſane menſuram victus inuenire. Nam cùm refrigerandum, humectandúmque eſſe febris perpetuò indicet, reliquorum verò cuiuſq; concors indicatio fuerit, nullum exhibetur negotium. Nam humectantia, refrigerantiáq; exhibenda ſunt non ſolùm, ſed etiam nec leuiter hæc, nec vtcunque facienda, imò planè magnopere ac vehementer omnibus ſcilicet indicationibus idem dictantibus. vbi autem diſcors, pro pluribus ac potioribus formari victus ratio debebit: quippe quæ à febre ſumitur indicatio, ea reliquis, quando omnes contrarium faciundum indicabunt, numero quidem inferior eſt, magnitudine tamen quæ ex dignitate, aut poteſtate ſpectatur, ſuperior, potiſsimùm ſi longe à natura receſſerit. Nam tum duplex magnitudo illi accedit, ſiquidem & quia febris plus cæteris omnibus ſolicitos nos habet, & quia præterquàm quòd febris eſt, etiã illi magnitudo notabilis acceſsit, idcirco contrarias indicationes inducit, atque obumbrat: ſin verò parua fuerit febris, fas eſt reliquas omnes indicationes vnà coniunctas cum ea conferri atque expendi: ac ſiquidem pares videantur, neque febris indicatio præferetur, neque etiam reliquorum, imò media victus ratio, vbi ita ſe corpus habet, eligenda erit: ita vt neque humectandum refrigerandúmque ſit, vt febris deſiderat, neque calfaciendum & exſiccandum, quemadmodum reliqua præſcribunt. Sin altera indicatiò exuperat, tantum receſsiſſe à temperato & medio victu par eſt, quantum ea quæ pollent, ſua contraria ſuperant: qua de re tum exercitatum in his omnibus, tum natura prudentem eſſe medicum conueniet, quò cuiuſque indicationis poteſtate diligenter conſiderata, omnibúſque inter ſe collatis, vnam idonei victus ſummam, quæ laboranti ſit, compatet, vt liquet octauo de metho.med.cap.vlt. quo loco duorum hominum febre laborantium ponit exemplum, qui, licet in regione nati, ac educati ſint temperata, in diuerſis tamen febre corripiantur, ac diuerſa quoque indicantia pro victus inſtitutione contineant. Idem quoque ſeruari debet in victus forma, ac eius quantitate. Nam ſi febris peracuta fuerit infra ſeptimum videlicet iudicanda, qua ratione tenuis victus febrienti exhibendus ſit, vt priſanæ cremor, & eius quoque exigua quantitas, verùm conſuetudo, ætas & tempus anni, aut etiam ipſa per ſe ſola conſuetudo aliam victus formam, ſeu eiuſdem maiorem copiam requirat, cùm ſemper ſeruandam eſſe in ægris conſuetudinem præceperit Galenus, & quantum ipſius ptiſanæ ingerere oporteat, ab ipſa conſuetudine ſumenda ſit indicatio, vt liquet primo de ratione victus in morbis acutis, *Super text. 20. & 21.* propterea ab hac indicationem ſumentes alia victus forma, quàm morbus requirat, immutanda erit, aut ſaltem eiuſdem quantitate adaucta, dignitate pollens in hoc indicatio quæ à conſuetudine ſumitur, etiam ſi febris aliam admittat victus rationem. Item vbi quiſpiam affectu aliquo laborabit, qui pro ſui curatione, vacuationem requirat, vires autem extrema imbecillitate laborent, adeò vt nullam notatu dignam ferre poſsint vacuationem, cùm indicantia contraria ſint, indicationes aduerſentur, pariter & indicata, dícimus cum Galeno nono method.meden.c.13. quòd toto illo tempore quo vires reficimus, eorum quæ affectum ſanent nihil planè ægrotanti exhibebimus. Quicquid enim indicationi, quam vires præbent, aduerſatur, id ſecundi eſt loci, ac poſterioris iis, quæ illæ præcipiunt: dignitate nanque ipſæ præualent, & propterea quæ ipſis aduerſantur dicebat Galenus citato loco, aliquando admiſtranda prorſus non ſunt, vt in hoc caſu, aliquando paulatim ſeu modicè, & quoniam à virium indicatione proxima eſt, vt ipſe refert, quæ ab affectibus, quos curare proponimus, datur vbi eo roboris perueniſſe eas coniicimus, vt nihil, aut parum ex vacuando ſint lædendæ, tum quoque ad affectus curationem eſt accedendum. Nanq; ſi abundantia paulo viribus ſuperior fuerit, vtique ex moderata vacuatione, adeò nullum accedit viribus incommodum, vt etiam maximum comparetur commodum, eo quod eas premebat, ſublato, eodem Galeno teſte citato loco. Rurſus laboret quiſpiam affectu quopiam, qui pro eius

curatione multa vacuatione indigeat, ídque vel vena inciſa, vel purgatione, vires verò adſint laboranti non adeò extrema imbecillitate, imbecillæ tamen, vt ex tanta inanitione reſoluantur, ſit porrò affectus hic humorum corruptela: quod enim corruptum eſt, id alienum à natura exiſtit quod tale eſt, id ſe auferendum dictat, quinimò quod omnino alienum eſt, nulla fieri ratione poteſt, vt id naturæ ſuæ gratiam recipiat, ſed educere id quamprimùm eſt tentādum, Galeno auctore, quarto de ſanitate tuenda. cap. 4. verùm vbi perinde fuerit æger viribus imbecillis, vtique quod affectus remedium eſt, id cum virtutis cuſtodia pugnat, ſiquidem affectus, vt diximus, vacuandum eſſe præcipit, ídque vel vena inciſa, vel purgatione, harum autem neutram ferunt imbecillæ vires: quoniam verò in eiuſmodi repugnantiis incerta ſuccurrendi ratio eſt, aliàs inſanabilis omnino affectus relinquetur, aliàs ſpatio & ægre ſanari poterit, ídque ſi magnum nactus ſit medicum. Quapropter vbi indicationes, ac indicantia ita ſibi aduerſantur, & paulatim quod vitioſum eſt vacuare, & paulatim inuicem quod ſalubre eſt, pro eo reponere oportet. vocant autem medici eiuſmodi vitioſi ſucci curationem Græcè ἐπίκρασιν, hoc etenim caſu cùm vires non extrema imbecillitate laborent, ea quæ ipſis aduerſantur, modicè & paulatim adminiſtranda ſunt, & non prorſus vitanda, vt in eo quem ante hunc poſuimus. id etiam confirmauit idem Galenus libro de curandi ratione per venæ ſectionē, cap. 12. dum inquit. {Vbi ergo multa euacuatione eſt opus, verùm vires ſunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit.} Amplius cùm tria ſint illa prima quæ in febribus ob putredinem ortis agendorum indicationem nobis præbeant, ad quæ attentum te eſſe oportet in prædictis febribus curandis, vna quidem febris ipſa, altera effectrix eius cauſa, & tertia ægrotantis vires, quorum prima duo ſubmouenda ſunt, tertium verò eſt tuendum, & ideò oportet vt cùm viribus tum febrem, tum cauſam inuicem conferas, vt inquit Galenus decimo de methodo medendi, cap. 1. vbi horum indicationes pugnabunt, quæ inter eas præferenda ſit, nempe quæ cæteris ſit valentior, hanc magis ſequaris oportet, non tamen cæteras negligens, hinc doceberis, primùm cauſam, febrémque profligare, vbi videlicet conieceris harum remedia vires poſſe ferre. rurſus primùm roborandas vires eſſe, vbi hæ imbecilliores fuerint, quàm vt cauſæ, febríſque præſidia ſuſtineant. Si verò cauſam ad febrem compares, plerunque cauſæ maior eſt vis: quamuis aliquando fieri poſsit, vt ea ſit febris magnitudo, quæ præſentem perniciem niſi occurras, offerat. quo caſu oportebit hac priùs ſummota, deinde ad cauſam accedere, quapropter vbi in idem conſentiant, & quæ febrem extingunt, & quæ cauſam oppugnant, in quod vtraque conſpirant cùm vnum ſit, ſine cunctatione agendum eſt. ſin febris, quæ iam accenſa ſit, ſanatio, cauſam quæ hanc excitauit, eſt auctura, aut quæ cauſam ſummouent, febrem exaſperabunt, diligens habenda conſideratio eſt de remediorum ſpecie, vt inquit Galen. citato loco. Hinc colligas, quòd vbi quiſpiam febre laboret ex putredine orta, quæ mediocris ſit, ac vires valentes fuerint, quæ à cauſa ſumitur, indicatio præferenda eſt, vt paulò ante concluſimus: interim autem ea quæ à febre deſumitur haudquaquam negligenda. ſi verò febris perinde magna ſit, vt ægro fuerit intolerabilis, adeò vt præſentem perniciem, niſi occurras, afferat, viribus adhuc validis exiſtentibus, adhibenda priùs ſunt, quæ febrem extinguunt, cùm eius indicatio maior, ac valentior fuerit, non ſolùm dignitatis ratione, verumetiam & propriæ ſubſtantiæ. Quare eadem præferenda erit, cauſam adhuc non cōtemnendo, ſed ea extincta, deinde ad cauſam accedere oportet. Sed dices, ſi magna fuerit febris, & cauſa, ita vt ambo propter earum magnitudinem indicent, & vires non amplius robuſtæ, ſed imbecillæ, adeò vt dictorum auxilia ferre non valeant, quam dicemus præferendam eſſe indicationem? Huic cum Galeno ſatisfacimus, quòd ea præferenda eſt, quæ à viribus deſumitur. dicebat etenim citato libro decimo methodi medendi. {Rurſus primam roborandam virtutem eſſe,

Dubitatio cui mox ſatisfecit.

Cap. prædi.

vbi

vbi hæc imbecillior eſt,quàm vt cauſæ,febríſq; præſidia ſuſtineat.} & ſi dices plures eſſe indicationes quæ à cauſa, & etiam febre capiuntur, ac etiam maiores quàm ea quæ à viribus deſumitur, dicimus nos adhuc præferendam eſſe indicationem à viribus deſumptã: & ſi numero inferior ſit, præualet tamen magnitudine. nam & ſanitatis ratione quæ à febre, & eius cauſa deſumuntur indicationes magnæ ſint, licet in ſubſtantia adhuc magnæ ſint, quæ verò à viribus, & æquè magna eſt, aut fortè maior ratione propriæ ſubſtantiæ, & dignitate etiam præualet, cùm non reſpectu ſanitatis iudicetur eius dignitas, ſed reſpectu vitæ, nec quiſpiam aſſerere poterit quòd minùs vires recedant à naturali habitu, cùm poſuerimus eas adeo imbecilles eſſe, vt dictorum auxilia ferre nequeant. Quòd ſi quiſpiam hæſitauerit aſſerens hoc in loco Galenum de virtute naturali duntaxar mentionem feciſſe, cum 9. eiuſdem cap. 10. tres facultates, ſeu vires corpus noſtrum diſpenſare aſſeruiſſet, ac cunctas ſpectandas eſſe, cũ nihil aliud ſit vitam ſeruare, quàm eaſdem vires conſeruare, fatebimur nos primò in quibuſdam Græcis codicibus deſiderari vox illa {naturalis,} ſed virtus duntaxat ſcribi, per quam idem intelligendum erit quod de tribus facultatibus dixerat, citato libro 9. etenim vna eſt virtus genere, plures ſpecie, vt in præcedentibus cum Hippocra. declarauimus, quòd ſi eadem conſcribatur, adhuc conciliari poterit Gale. cum iis quæ ſcripſit 11. libri eiuſdem operis, cap. 9. cùm dicebat: {neque enim pulſus duntaxat vires, ad huiuſmodi agenda firmas requirimus, veluti nec eius facultatis quæ voluntarium motum præſtat, ſed ſicut dictum eſt, ipſius potius concoctricis.} quare dicendum erit in febribus nos vires omnes firmas requirere, præcipue tamen naturales, & inter eas concoctricem. quapropter & ſi dixiſſet libro 10. à virtute naturali ſumendam eſſe indicationem, intelligendum eſt præcipuè, non negans idem Galenus quòd cæteræ quoque firmæ requirantur, pro curandis febribus, præſertim ex putredine ortis. Sed quid agendum ſit quæreret quiſpiam, ſi cum quapiam febre ex putredine orta, coeat vehemens aliquod ſymptoma, dixi vehemens, quoniam ſymptoma, quà ſymptoma eſt, nunquam curationis rationem indicat, nec curationem interpellat, quippe cùm vnà cum affectu vnde naſcitur ceſſet: & propterea cum affectuum ſanatio, eorum ſublatio ſit, hanc ſymptomatum quoque amotio ſequitur, vt 11. & 12. med. metho. ſcriptum eſt. ſed quæritur ſi cum febre incidant vehementia, ſeu grauiora ſymptomata, quibus proſpici maiore medentis ſollicitudine debet, quæ ratio eorum in curatione habenda ſit. poſſunt etenim quemadmodum vnus morbus cum alio morbo, & ſymptoma ſymptomati vno tempore, ita quoque & ſymptoma cum morbo copulari; dico ſymptoma talis rationis quod ſcilicet vehemens, ſeu grauius ſit: hoc nanque ſymptoma eſt quod ex accidenti quandoque curandi rationem mutat. cauſæ ſcilicet locum eo tempore habens. At cum eorum omnium, quæ veluti cauſæ curationem immutant, vnum caput ſit, dico id vnum læſionem, ſiue ea ipſius virtutis ſit, ſiue affectionis, quando ſi nihil iis officiat, curationem non interpellat, ea propter cum Galeno decernimus, quòd cùm ſimilia ſymptomata cum quauis febre incidunt, ſollicitudinem medici ad ſe conuertunt, affectúmque ipſum, hoc eſt febrem, deſerere cogunt, cauſæ eo tempore vt diximus, locum habentia, & veluti etiam cauſæ curationem immutant. Sunt verò potiſsimùm ſymptomata hæc vigiliæ, dolor, & immodica euacuatio, vt liquet eodem 12. de meth. med. cap. 1. quæ quidem vires ſemper lædunt, affectui verò ea non vtique ſemper. Cæterùm magna ex parte nocent, ac potiſsimùm cùm fuerint immodica, vt Galenus inquit. Ob hæc igitur curandi ratione, quam ab initio inſtitueramus ad præſens mutata, ſymptoma prius ſubmouere cogimur. Ergo ſi etiam labant vires ob aliquod iam dictorum ſymptomatum, non tamen vehemẽter ſint reſolutæ, ſed adhuc reſiſtant, ad ſymptoma tantum ſumus attenti, atque id quamprimùm ſubmouere maturamus: ſin verò iam reſolutæ vehementer vires ſint, non modò ſymptoma ſedare, ſed etiam illas

Loco citato.

Si cũ febre ex putredine grauius aliquod ſymptoma copuletur.

cap. 12. & c. 1.

firmare properamus. nam ſi ex dolore vires reſoluantur, atque ex eo periculum impendet, & mitigari dolor, & roborari vires debebunt, quo & morbo reſiſtere, & curationis ſpatio ſufficere valeant, vt citato lib. 12. meth. med. ſcriptum eſt. Eadem quoque ratio habenda erit de vigilijs, & immodica vacuatione, ac reliquis ſymptomatis quæ cum febre incidunt: nam hæ febres non æquè ſimplicē exigunt curationem. at pro viribus metiendum eſt quanta ſit febris, quantúmve ex ſymptomatis periculum immineat, atque ad id quod vehementius ac difficilius, intendendum, non omnino alterius curatione poſthabita, vt liquet 1. de arte curatiua ad Glauconem cap. 14. Si quis autem velit quantum humanis permittitur viribus, hac noſtra methodo in medendis febribus non errare; pauca hæc ſemper memoria tenere oportebit. Primum ſpectare debet omnia à quibus indicatio præſtatur ad auxiliorum inuentiones, quomodolibet ad eas conducere videbuntur, atque à ſingulis ſufficientes indicationes ſumere, quādo ſi vel vnam aliquam earum prætereat ad portionem tum magnitudinis illius, tum facultatis, curatio claudicabit, Galeno auctore 11. meth. meden. cap. 2. Quibus omnibus perpenſis id quoque neceſſariò ſpectandum erit, quòd eorum quæ ad auxiliorum inuentiones conducunt, magis, quódve minùs alio valeat ad inuenienda remedia, aut adeò valens ſit, vt ſolùm indicare videatur, aut ita imbecillum vt omittatur: quinimò nec in alijs vllis curatio, quæ per methodum agitur conſiſtit, quàm in his, eodem Galeno teſte 9. meth. meden. Tertium & vltimum, cuius nunquam obliuiſci oportet, eſt, quòd vbi indicationes ipſæ inter ſeſe pugnauerint, valentiores, ac plures præferendę ſunt, alijs tamen non omnino neglectis. Dico valentiores, eas quæ magnitudine alias præcellunt: etenim nihil in contrarijs indicationibus tam conuenit expendi, vt Galenus ait 8. meth. med. cap. vlt. quàm magnitudinem eorum, quæ ad indicationem coierunt: cùm autem non vnius duntaxat rationis ſit magnitudinis natura, quomodo quælibet earum ſpectanda ſit, paulo ante diſſeruimus. Nunc verò iam tempus eſt, ad particularem medendi methodum accedamus; qua media valeamus ſingulas particulares omnes febrium differentias inueſtigare, tum dignoſcere, tum etiam curare.

1. memoria mandandū.

cap. 7. & 8.

FINIS PRIMAE PARTIS.

DONATI ANTONII AB ALTOMARI, ARTIS MEDICAE DE MEDENDIS FEBRIBVS,

Pars Secunda.

Qua via particulares febrium differentiæ veſtigentur: ac proponuntur quæ ex humorum putredine excitantur differendæ. *Caput I.*

QVOMODO tria prima ac vniuerſaliſsima febrium genera quiſpiam methodo curare valeat, ad vnguē definiuimus: ſed quoniam in primis atque communibus generibus ſtandum non eſt, ita vt ab illis dũtaxat indicationes ſumamus, ſed (vt poſuimus) eadem quoque ſubdiuidere oportet, quouſque ad ea quæ amplius ſectionem non admittunt perueniamus, vt perfectæ & particulatim omnes particulares febrium differentiæ curari poſsint. Hanc ob rem ad diuidenda ea prima genera tranſeundum eſſe arbitror, vt ab omnibus, ac ſingulis particulatim deſumptis ſufficientibus indicationibus, in curandis eiſdem febribus, quantum humanis permittitur viribus non erremus, ab ipſis diariis exordientes, quæ quidem quatenus in genere communicant, communem quoque omnes curationem deſiderant, & nos eam in præcedentibus docuimus. Eſt verò diariis omnibus commune, quòd in eis ſola aërea ſeu ſpirituoſa ſubſtantia ſufficienter incaluit, vt liquet primo de differentiis febrium, & ob id ſuaptè natura & vna die ſoluuntur, & vnam habent à principio ad finem vſque acceſsionem citra putredinem, perpetuóque quantum in ipſis eſt refrigerantia, & humectantia requirunt, vt octauo nono & decimo metho. meden. ſcriptum eſt. Quatenus verò non omnes ex eadem cauſa accendantur, neque etiam per eundem corporis affectum, ſed à pluribus, ac variis cauſis, & per diuerſos quoque corporis affectus generantur, in particulari curatione diſsidere videntur, particularibus ex iis pro earum curatione indicationibus deſumptis, externas tamen cauſas ſemper à ſermone excipiendo, à quibus nunquam pro curatione aliqua ſumitur indicatio, vt fuſiùs differuimus. Fieri autem conſueuerunt ex immodico frigore, exuſtione, balneo aluminoſæ aquæ, aut alterius adſtringendi vim habentis, ex leui obſtructione, labore, ira, timore, triſtitia, vigiliis, pertinaci ſtudio, cruditate, ex bubone, furore, ebrietate, inedia, curis, ac diuturnis cogitationibus. Quarum etiam diariarum febrium, quemadmodum non vna eſt cauſa, ita etiam neque vnus eſt affectus, per quem generationem habent, ſed in quibuſdam inſeparabilis eſt ſtipatio, ab aliquibus minimè inſeparabilis, ſed vel plerunque ſimul adeſt, vel ambigua ſorte, vel rarò, vt Gal. inquit 10. metho. med. cap. 2. Quamobrem

Diariis omnibus communis materia, & indicatio.

cap. 1.

cap. 1. cap. 14. & cap. 10.

Diariæ pro cauſarũ et corporis affectuũ varietate, varias & particulares habẽt curationũ indicationes.

Diariarum cauſæ.

Diariarũ differentiæ. diariarum febrium plures videntur eſſe particulares differentiæ, vna, quando iam prorſus abiit effectrix earum cauſa, veluti exuſtio, altera, quando hæc etiã adeſt, ſicut ſtipatio, vt liquet citato loco; *cap. 14. 1. partis.* quamuis vno quatuor modorum ſemper generentur, vt priùs determinauimus. attamen cùm harum omnium curatio quidem facillima ac in promptu ſit: omnéſque balneis curare oportet, Gal. teſte 1. de arte cur. ad Glau. cap. 2. ob id ad particularem earundem curationem non deſcendam, tum propterea quòd rarò à medicis febres hæ particulatim curari ſoleant, eámq; curationem promptè quiſpiã inueniet apud omnes fermè artis medicæ auctores, & præſertim apud Gal. 8. & 10. de meth. meden. & *Loco citato.* eodem 1. de arte cura. ad Glau. quemadmodum etiam, & particularem earum dignoſcendi modum, non ſolùm citatis locis, ſed etiam 2. de criſib. cap. 13. idem auctor conſcripſit. Reliquorum verò duorum generum, alterum in præcedenti *Hectice, & ex putredine ortæ.* noſtra methodo ſubdiuiſimus, abundéque monſtrauimus hecticarum differẽtias plures quàm tres eſſe non poſſe; licet quomodo ſpeciatim illæ curari debent, diſtulimus: intendimus enim poſtea in particulari febrium exercitatione, particularem modum curationis earũ fuſiſsimè conſcribere, vbi priùs modum curationis docuerimus particularem omnium earum febrium, quæ ex putredine ortum habent. Hoc itaque genere primò deſumpto, ac in particulares differentias ſubdiuiſo vſque dum ad inſectiles perueniamus, ſingulas eius differentias diuiſiua methodo veſtigare intendimus, ac eis inuentis ſpeciatim curare. *Diuiſio febr. ex putredine, ex humorum diuiſione.* Quocirca aſſerimus cunctas quas dinumerauimus putredinis differentias, qui in noſtris corporibus continentur humores ſuſcipere poſſe, licet quidam ægriùs, quidam promptiùs putreſcant, id verò omnibus ferè medicis in conſeſſo eſt. quamobrem pro humorum varietate, qui eandem ſuſcipiunt putredinem, particulares huius generis febrium differentias facilè quiſpiam inueſtigabit, ſimplices primò, de quibus in primis ſermonem faciemus, & deinde compoſitas: qua etiam via, & ratione ipſemet Galenus eaſdem differentias ve- *cap. 1. & c. 2. cap. 1. & ſeq.* ſtigare docet 2. de differ. feb. & 2. de criſib. neque enim plures, neque pauciores eſſe poſſunt, quàm humores, qui eandem ſuſcipiunt putredinem. Quamuis & in hoc etiam non vna duntaxat reperiatur erronea, ac praua opinio. Etenim *Errores quorundã de febr. ex putredine.* quidam, ex bile ſolummodo redundante has febres accendi putarunt. Aduerſus quos Galenus tum ratione, tum etiam experientia abundè inuehit, citato libro 2. de differ. febr. demonſtrans quòd non ex ſola flaua bile, ſed & aliis etiã humoribus febres oriri queunt. probat inſuper neque etiam ſatis eſſe ad earundem febrium generationem, quòd flaua bilis redundet, aut etiam cæteri humores, ſed quòd eos priùs putreſcere oporteat, aliàs febrem haudquaquam efficient. Quidam verò non bilem, ſed pituitam, febrium materiam eſſe cenſebant, ex eo quòd ad putreſcendum, & obturandum non parum idonea eſt, cùm humida ſit, & craſſa: indicaréque illud dicebant pituitæ vocabulum quod φλέγμα Græcè dicitur ἀπὸ τοῦ φλέγειν, quod eſt inflammare. Cæterùm quidam aſſeruerunt ab humore melancholico nunquam febrem ipſam accendi poſſe, eo quòd ipſe frigidus ſit natura & ſiccus, nihilque habet humidi aut calidi, vnde putredines generantur. Nec deſunt qui in vniuerſum febrem nunquam à putredine fieri pronuntiauerint, nam humores in venis exardeſcere, & non putrefieri dictitant. ſi nanque hoc eſſet (inquiunt) cur tandem non etiam lumbrici, aut aliæ quædam beſtiæ in vaſis, ſi putrefactio eſt, gigni cernantur, quemadmodum in ventre, & aliis particulis? Quæ omnes prauæ opiniones ab Alexandro cap. 2. lib. 12. recenſentur. Et ſi quis velit Gal. verba perfectè examinare, ac intelligere, omnes ferè iam dictæ opiniones, ab eodem confutantur circa principium 2. de differentiis febrium. Atqui nos non in refellendis aliorum opinionibus ſtudebimus, ſed in veritate inueſtiganda duntaxat laborantes, ſimul cum Galeno fatemur tot eſſe primas particulares, ac ſimplices differentias febrium, quæ ex humorũ putredine fiunt, quot numero ſunt humores

ipſi:

ipſi: quapropter ex eorum numero eadem diuiſiua methodo vtentes eas inueſtigabimus, quemadmodum etiam eadem prima vniuerſaliſsima tria febrium genera ex triplici ſubſtantia, ex qua noſtra conſtituuntur corpora, inueſtigauimus, quæ Hippocrates continentia, contenta, & impetum facientia nuncupauerat, Galenus verò partes ſolidas, humores, ac ſpiritus. Cùm verò tres etiã ſint humores (præter ſanguinem, in quo omnes continentur, & de quo etiã ſermo fiet) tres denique particulares primæ differentiæ febrium ex putredine ortarum excitabuntur, totidémque numero fient febrium ex putredine ortarum exquiſitæ formæ, ſeu figuræ. Quarum vna ex putreſcente flaua bile, altera ex pituita putreſcente oritur; & tertia ex ſucco melancholico, ſeu nigra bile etiã putreſcente naſcitur. Verùm quoniam earum quædam continuæ ſunt, quas Græcis συνεχεῖς appellant, quædam verò intermittentes, quæ à Græcis διαλείποντες dicuntur, de omnibus particulatim ſermonem faciemus: priùs tamen modum generationis earum explicabimus in hac ſecunda parte, deinceps verò ſingularum, tum dignotionem tum curationem ſpeciatim docebimus in particulari exercitatione, & tertia huius operis parte.

cap. 12. 1. partis.

Sex feb. differentiæ, tres cõtinuæ ex tribus humorib. putreſcẽtibus, tres ex eiſdẽ intermittẽtes.

Quid per continuas & intermittentes febres intelligendum: cur vtræque fiant, & quomodo inter ſe diſsideant. *Caput II.*

CVM itaque ſex numero ſint particulatium febrium differentiæ ſimplices, quæ ex humorum putredine fiunt, priuſquàm deueniamus ad earum tum dignotionem, tum curationem, tanquam valde neceſſarium fore duxi modũ generationis earundem priùs animaduertẽtes quòd Galenus intermittẽtes febres, appellat quæcunque ad ſenſibilem infebricitationem ſeu (vt rectiùs dicam) ad febris vacuitatem perueniunt, Græci ἀπυρεξίαν dicunt, vt citato lib. 2. de differ. feb. liquet. cap. 2. Continuas verò, quę ad iam dictam infebricitationẽ ſeu febris vacuitatem, antequàm ex toto ſoluantur, non deſinunt quãuis declinatio aliqua ſenſibilis appareat, quemadmodum ab eodem Galeno 2. de criſib. ſcriptũ eſt. cap. 6. cui ſententiæ ſubſcribit Paulus cap. 26. lib. 2. aſſerens, {continua itaq; febris eſt, quæ non ante ad integritatem terminatur quàm ex toto fuerit ſoluta, & ſi inclinatio aliqua ſenſibilis appareat.} Quamuis, vt idem Gale. teſtis eſt 1. de morbis vulg. biſariam veteres vti continui nomine, & intermittentis, videntur. nam continuas vocant febres, quandoque omnes quæ nullum tempus liberum habent acceſsione, quandoque non omnes quæ acceſsione nunquam vacant, ſed ſolas extra ordinem illas, quæ omni carent, vſque ad iudicium, mutatione: ita intermittentes interdum appellant ſolas quæ acceſsionem perpetuam non habent, interdum eas, quarum non recedit acceſsio, ſed inſignes faciunt mutationes in initium, incrementum, vigorem, & remiſsionem. At medici iuniores, quidam febres quæ non magnam mutationem habent, non continuas, ſed ſynochos nominant (vt fuſiùs declarabimus, quando continuas ipſas febres ſubdiuidemus) continuas autem, iidem has ſolas, quæ non deueniunt ad integritatem, & intermittunt ſingulis acceſsionibus, appellant. Has antiqui vocant interim continuas, interim intermittentes. nam ſunt planè inter verè continuas, & deſinentes ad integritatem, mediæ; proinde rectè vbi cũ ſynochis conferuntur, intermittentes appellantur, cùm ad integritatem venientibus, continuæ. Nos verò, Galeni vt diximus morem ſeruantes, quæcunque febres ad ſenſibilem infebricitationem, ſeu febris vacuitatem perueniunt intermittentes appellabimus, reliquas verò omnes, continuas, quæ ad dictam infebricitationem, antequàm ex toto ſoluantur, non deſinunt; & ſi declinatio aliqua ſenſibilis appareat, relicta veterum medicorum opinione. Fiunt autem intermittentes ab humore febrem generante extra vaſa contento, ſed qui per omnes corporis partes defertur. Continuæ verò, vbi idem humor qui

Intermittentes feb. quæ.

Continuæ.

Comment. 3. ſuper tex. 2.

Continuarum & intermittẽtium nomine quomodo vtitur auctor.

Cauſa intermittentium et continuarum.

febris

febris eſt auctor, in vaſis incluſus continetur. Quapropter idem genus habent continuæ febres cum intermittentibus, vbi ex eodem humore ortum habeãt, eandémque hypotheſim habere dicuntur, hoc vno ſolo differentes quòd per venas, vel per totum corpus in eis deferuntur humores, Gal. auctore 2. de criſi.

Loco citato.
Continuæ cur in infebricitationẽ nõ deſinant.

cæterùm in continuis propterea etiam ſi plures fiant acceſsiones, eadem ad infebricitationem non perueniunt, quoniam qui earum cauſa eſt humor, nõ expurgatur, vt liquet citato lib. 2. de criſi. Præterea cùm humores ſibi inuicẽ adhæreant, ac continui ſint, ſuóque contactu vicinos ad putredinẽ trahant, quando in venis continentur, priuſquàm deſinat vna acceſsio, alteram incipere neceſſe eſt.

Intermittẽtes cur deſinãt in infebricit.

In intermittentibus verò cùm humor vehementer moueatur, diſſeminetúrque per ſingulas corporis partes, ſuo delationis impetu, per vomitum, vrinas, ac ſudores ſæpe expurgatur, interim verò inſenſibiliter in vaporem portio quædam digeritur, aut, ſi craſſus fuerit humor, per alui quoque deiectionem expurgatur, quamuis & tenuis etiam quandoque, & propterea ſenſibilem intermiſsionem habent, & priuſquàm acceſsio superuenerit, altera præcedens intermittit. neque etiam adeò adhærentes ac continui extra vaſa humores ſunt, quemadmodum ſi in eiſdem continerentur.

Cur humores aliquando in vaſis, aliquando extra putreſcunt.
Error eorum qui cũ nõ poſſint quæſtioni ſatisfacere, dicunt feb. intermittentiũ humores eſſe intra vaſa, ſicuti continuarum.

Sed cùm eandem habeant hypotheſim, idémque genus continuæ cum ſuis intermittentibus, vbi ſcilicet ex eodem humore fiant, non ab re quæreret quiſpiam, quæ cauſa ſit, quòd humores ipſi quandoque intra vaſa, interim verò extra putreſcant, & febrem efficiant? Quidam, vt Trallianus fatetur citato cap. 2. libro 12. arbitrati ſunt febres intermittentes intra vaſa conſiſtere, quemadmodum & continuas, ac nihil prorſus loci, ſed quantitatis, & qualitatis ratione differre. Etenim in continuis & multam & craſſam eſſe materiam exiſtimare conuenit, atque ideo (inquiunt) neque extra vaſa emitti poſſe, intermittentem verò tenuiorem, & vt in extimam cutem efferatur, magis idoneam. Aëtius quoque cap. 74. libro 5. dicebat: {cauſa verò cur non excidant extra vaſa humores in febribus continuis, eſt, aut multitudo, aut craſsitudo, aut viſcoſitas ipſorum.} ita vt admittere videatur, ſi continuarum, multitudo, aut craſsitudo, aut viſcoſitas humoris cauſa exiſtit, quod paucitas & tenuitas ipſorum citra lentorem intermittentium febrium cauſa ſit. Sed, pace eorum dixerim, non videntur hi viri ſatis admodum ſufficienter tradidiſſe cauſas, cur intra vaſa quandoque humores putreſcant. perquàm rariſsimè nanque, ſi vera eſſet eorum opinio, ex putreſcente bile febres continuæ fierent: ſæpiſsimè verò ex putreſcente pituita, ſeu ſucco melancholico, cuius ferè contrarium & Galenus teſtatur, & nos indies experientia obſeruamus.

Reſpondetur quæſtioni.
Cur idem humor, genus febriũ intermittent. & continuarũ, aliquãdo intra vaſa, aliquãdo extra putreſcat.

ſed rectiùs cum Galeno dicamus, quas iſti in medium afferunt cauſas, ſufficientes haudquaquam eſſe, nam & præter eas ob meatuum obſtructionem, aut etiam propter virium imbecillitatem, ita vt nequeant quod ſuperuacuum ac vitiatum eſt, vaſa ipſa expellere, in eiſdem putreſcit humor. ſemper enim, vt ipſe inquit citato libro 2. de differentiis febrium, cap. 5. natura ſuis viribus vtens, quicquid optimũ fieri contingit, iis quæ aluntur partibus aſsimilare, quicquid verò alienum, conatur excernere. Quòd ſi aliquando ob craſsitudinem, aut multitudinem, aut tenacitatem materiæ inutilis, aut aliquam meatuum obſtructionem, aut propter ſui imbecillitatem, totum quod vitiatum eſt nequeat expellere, neceſſe eſt, vt ſi id diutius perdurauerit, in animalis corpore putrefiat, ac corrumpatur. Cùm itaque vaſorum natura, ſeu expultrix eorum facultas, qui in eis redundant, ac geniti ſunt, vitioſos ſuccos expellere nequit, ob aliquam iam dictarum cauſarum, intus contenti putreſcunt, ac febrem efficiunt continuam, vt diximus. vbi verò nihil eorum obſtet, foras propellit, qua ratione intermittentes generari contingit. Quamuis & alia quoque ratione cõtinuæ & ipſæ febres generari poſsint, trahentibus videlicet vaſis ipſis ab vniuerſo corpore ſeu partibus quibuſdam

Tex. 1.

eoſdem vitioſos humores, vt liquet 4. de ratione victus, & ipſæ quoque intermittentes pari ratione, aut trahentibus carnoſis partibus eoſdem vitioſos humores

mores

mores ab eiſdem venis, aut etiam in ſeipſis eoſdem gignentes fieri poſsint, vt in ſequentibus fuſiùs demonſtrabimus. Continuarum igitur ac intermittentium febrium cauſæ dictæ iam ſunt.

Quot modis continuæ & intermittentes febres generari poßint.
Caput III.

CVM autem eiuſdem generis ſint (vt dictum eſt) cõtinuæ febres cum ſuis intermittentibus, vno ſolo differentes, quòd in continuis humor in venis incluſus continetur, in intermittentibus verò per totum corpus deferatur, animaduerſione dignum eſt in venis nullam aliam materiam contineri præter ſanguinem. Verùm cùm is in duplici ſit differentia, vt libr. 1. de natura humana, & aliis pleriſque locis à Gal. ſcriptum eſt, vnus quidem ſyncerus aliorum humorum expers, vtriuſque videlicet bilis, & pituitæ, alter verò non ſyncerus, ſed vtriuſque bilis, & pituitæ particeps; quando aſſerimus intra vaſa nullam aliam ſubſtantiam contineri præter ſanguinem, ſubintelligendum eſt non de ſyncero, ac reliquorum humorum experte, etenim hic in venis nunquam contineri poteſt, ſed de eo ſubintelligere oportet, qui, vt dixi, vtriuſque bilis & pituitę particeps eſt. Hanc ſententiam confirmauit Galo. lib. de multitudine, cap. 10. cùm dixit: {His antegreſsis præfinitionibus, poterit turgor tandem venarum ſanguinariæ ſignum eſſe multitudinis, ſanguine nunc per præualentiã dicto, quippe cùm exquiſitus vſque adeò ſanguis in venis contineri nunquam poſsit, vt nihil in eo, nec bilis, nec pituitæ, nec ſeroſæ feratur ſaniei, proinde ego ſupra ſiue humores dixiſſem, ſiue ſanguinem redundare, cenſebam perinde audiendũ, cùm impermiſcuus nunquam purúſque aliorum humorum ſanguis comprehendatur in venis.} Quapropter cùm dixerimus in continuis humores incluſos in venis contineri, vel intelligendum eſt, talem ſanguinem veteri omnino proportione ſeruata, abundare, ſic tamen per præualentiam appellatum, ſeu eundem tanquam quartam ſubſtantiam, veteri proportione haudquaquam ſeruata, ſuperabundare, de quo fuſiſsimè diſſeremus in ſequentibus: vel quiſpiã alius humor excedens, ſimul cum eodem ſanguine redundabit, ac putreſcet. Idque bifariam eſſe poterit, vt liquet citato lib. de multitudine, quoniam aut iuxta ſanguinem, & cum copioſo ſanguine idem redundabit, aut debita proportione non ſeruata, magnopere excedet, ita quòd non amplius cũ copioſo ſanguine, ſed ipſe vehementer præualens, ſanguini tamen adhuc permixtus abundabit, ac putreſcet. Si primo modo auctus fuerit quiſpiam aliorum humorum, ita vt breuem quendam cœperit exceſſum, ſitque commixtus cum copioſo ſanguine, adhuc verè & propriè non eundem humorem redũdare, ſed ſanguinem ipſum ſimul cum tali humore fatebimur, vnde potius bilioſum ſanguinem, pituitoſum, ſeu melancholicum, (vbi bilis, pituita, ſeu ſuccus melancholicus eodem modo excedat) redundare dicemus, quàm humores ipſos. eſt enim & hæc redundantia in numero plenitudinum ſeu multitudinum, licet non exquiſitè, & ſimpliciter talis dici poſsit, ſed cum adiectione bilis videlicet, pituitæ, ſeu ſucci melãcholici, quemadmodum & priùs nos declarabimus, quando abundantiã curare docuimus, & in ſequentibus demonſtrabimus ca. 11. Cùm verò iam dictorũ quiſpiam humor magnum ſuſceperit exceſſum, ac in venis ſimul etiam cum ſanguine cõmixtus redundans putreſcet, tunc verè & propriè non ampliùs multitudo appellabitur, ſed humorum vitium, ſeu prauitas, & eoſdẽ humores in venis contineri, ac putreſcere propriè fatebimur, ita vt nũquam humor quiſpiam in venis contineri poſsit citra ſanguinis admixtionem, ſed vnà cum ſanguine ſemper cõtineantur, diuerſimode tamen prout modò diſſeruimus, neque etiam ſi magnum ſuſceperint exceſſum, adeò quiſpiam eorũ præualebit, vt omnino ſanguinem, hoc eſt tres reliquas ſubſtantias ſuperet, ſed ipſum fatebimur, am-

Sanguis duplex.

Super tex. 27.

Sanguis purus non reperitur.

Humores in venis incluſi quomodo intelligantur, quomodo putreſcant, unde febres gignũtur continuæ.

Humor aliquis cũ ſanguine in venis redũdat ac putreſcit duobus modis, aut ut efficiat plethorã cum adiectione, aut cacochymiam.

Cap. 44. 1. partis.

Cacochymia.

pliſsimum exceſſum adeptum eſſe, quoniam pro veteri eius proportione, magnopere ſit auctus, aliàs nequaquā animal viuere poſſet, aut ſanè exiguo tempore ſi eundem ſanguinem copia, ſeu multitudine exuperare admiſerimus talem humorem redundantem. eſt etenim ejus copia minor, quàm ſanguinis, licet eidem valde propter redundantiam improportionatus ſit, quam cacochymiam dicimus. Quomodo verò humores tales poſsint æqualiter in omnibus vaſis ſeu maioribus principalioribúſque vel in quibuſdam non adeò principalioribus & particularibus contineri ac putreſcere, in ſequentibus patebit. nunc verò ſatis ſit monſtraſſe modū, quo humores ipſi putreſcentes, ac in venis contenti febres accendant diuerſas: continuas ſiquidem, pro diuerſa eorundē humorum putreſcētium natura, eo quòd ab eiſdem, ad ipſum cor putrida fuligo, ſeu veluti quidam fumus putridus perueniat, licet non ſemper eodem modo. etenim neque cum pari vehementia, ac impetu in omnibus continuis febribus, vt dicemus, ad cor putredo ipſa fertur. Sed cùm putreſcētes humores intra vaſa iis qui putredine vacant, propter contactum, continuitatē, ac adhærentiam, poſsint facilè commiſceri, poriſsimum cùm ex omnibus ad omnia cōfluxus & conſpiratio fiat Hipp. auctore qui fieri poſsit, interrogabit quiſpiam, vt putredo nunc vnam, nunc aliam occupet partem, & propterea continuæ febres generentur, quæ plures habeant particulares acceſsiones, niſi inflammatio putreſcentem humorem arceat, & coherceat. Huic reſponſum dabimus, propter eaſdem cauſas, in quibuſdam febribus continuis per circuitum fieri acceſsiones, ob quas contingit in cæteris omnibus morbis, qui per circuitum repetunt: id verò fieri poſſe ob triplicem cauſam Gal. decretum reliquit 2. de dif. feb. c. 11.

Cur cōtinuæ febr. plures habent acceſsiones.

Reſpondetur queſtioni, triplex que cauſa aſsignatur.

1. Quarum vna eſt, cùm partes robuſtiores ad imbecilliores excrementa tranſmittunt.
2. Secunda eſt, cùm ipſæ eædem partes, aliis haudquaquam trāſmittentibus, ſibi ipſis præter naturam excrementa trahant, dolore, vel calore affectæ.
3. Altera, & tertia cauſa eſt, cùm eædem partes ſibi ipſis excrementa generent, quæ, aut ob earum imbecillitatem, ſeu earum obſtructionē expellere nequeant.

Iſtis igitur tribus de cauſis, & febres ipſæ continuæ, quæ plures acceſsiones habent, excitari poſſunt. nanque vel à maioribus ac robuſtioribus, cordique propinquioribus vaſis, redundantes detruduntur humores ab imbecilla, ac minora, ſeu etiam à corporis habitu ad eadem effluunt vbi imbecilliora fuerint, & carnes validiores: aut eadem parua vaſa à corde diſsita, calore immodico, aut dolore affecta, nedum ex iam dictis vaſis maioribus, ſed ex reliquis etiam corporis partibus, eoſdem humores præter naturam attrahunt, vel in eiſdemmet geniti eos nequeuntia detrudere, propter imbecillitatem, aut meatuū obſtructionem, in eiſdem quoque detenti, ac putrefacti febrem generant, in qua per circuitus acceſsiones fiunt, id quod breuiſsimis verbis nos docuit Gale. in fine citati libri 2. de differentiis febrium, inquiens: { Quæcunque per circuitus aliquos ægritudinum acceſsiones fiunt, ex partium diſpoſitionibus ortum habēt, quæ ſcilicet partes, vel mittunt, vel ſuſcipiunt, vel generant, vel attrahunt ſuperfluitates, eo quo nuper diximus modo: ſed quæ circuitum non habent, in iis nulla eſt corporis pars præcipuè offenſa, quemadmodum de continentibus febribus paulò poſt declarabimus. } Neque hic acceſsionum circuitus nunquam deſinit, donec idem affectus in eiſdem partibus ſuperfluitates generantibus ſeruetur, vt ibidem liquet. Cæterùm quemadmodum aſſeruimus in continuis febribus humores ſemper intra vaſa contineri ac putreſcere, ita quoque ſatemur in intermittentibus, perpetuò eos extra vaſa contineri, ac putreſcere, neque amplius vnà cum ſanguine permixtos eſſe, ſed per ſingulas corporis partes diſſeminatos. etenim per totum corpus in eis deſeruntur humores, vt liquet 2. de criſibus accitato lib. 2. de different. febrium, cap. 3. à natura ipſa detruſi. quapropter & quòd putreſcant, & quòd vehementer per partes ſentientes deferantur humores, oportet vt intermittentes accendantur febres, aliàs nūquam quæpiam earum generabitur, vt citatis locis liquet. Sunt autē qui velint eiuſmodi

Loco citato.

Quomodo gignātur febres intermittētes ex putredine humorum extra vaſa.

Non eſt hic

modi humores acceſsionis tempore in intermittentibus, ſemper ex ipſis vaſis detrudi, à maioribus ſiquidem primò ad minora, dein ex ipſis ad reliqua, quo ad extra ad ſentientes corporis partes propellantur: neque alium dari generationis modum cenſent earundem intermittentium febrium. Nos vero licet admittamus hanc vnam eſſe, & fortè præcipuam earundem febrium generationis cauſam, cum eodem tamen Galen. aſſerimus, ob alias quoque cauſas, quas nuper tradidimus de ipſis continuis, eaſdem intermittentes generari etiam poſſe, tum videlicet ipſis ſentientibus corporis partibus ad ſeſe humores trahentibus, tum etiam in ſeipſis eoſdem gignentibus, nequeuntibus tamen eos propellere. Quòd verò ſentientes corporis partes, carnes, ſeu partes ſolidæ, dolore, aut immodico calore laborare poſsint, nemini in dubiũ venit. quibus ita laborantibus, quis hæſitabit eas, humores etiam vitioſos trahere è venis, etiãſi ab eis non mittantur. quibus attractis, ac præter naturam in eis detentis, quòd putreſcant opus eſt, & vehementiori motu per eas moueantur, ac febrem generent. quod quidem confirmare videtur Galenus 4. de ratione victus aſſerẽs, quòd quemadmodum venarum facultas attractoria perpetuò vicinis ex partibus humiditatem attrahit, ſubſtantiam ipſius qualiſnam ſit nullo pacto diſcernens, veluti pueri, ac bruta animantia, ad caſu oblatum humidum, cùm ſitiunt irruunt, ita quoque & carnes ab ipſis venis: habent enim & hæ quoque vim eorum quorum indigent, attractiuam, ſiue in parte vna, ſiue in toto corpore eas pati contigerit. Volens nobis oſtendere quòd febris ardens non modò generatur, cùm venulæ exſiccatæ tempore æſtiuo, acres, bilioſas, & tenues humiditates ad ſe trahunt, ſed vbi eodem modo affectæ fuerint carnes, eandem quoque generari contingit. ſimili etiam modo vbi in parte, vel in toto dolore, aut immodico calore laborauerint, ab eiſdem venis eoſdem ſuccos, haud ægrè attrahere valent, etiamſi ipſa vaſa haudquaquam eos tranſmiſerint, qui demum eaſdem carnes ſtimulantes, ac pungentes, & propterea delati violenter per corporis ſingulas partes, ac diſſeminati, febres generant. Quòd verò primo modo intermittentes febres generari poſsint, omnes ferè medici conſentiunt, præter paucos quoſdam, qui vt videantur paradoxa ſcribere, illud deſtruere tentant. Quorum rationes refellere non piguiſſet, niſi facillimè à quouis ſolui poſſent, conceſsis facultatibus naturalibus, tam in ipſis vaſis, quàm etiam in corporis habitu, ac perpenſis eis, quæ diximus, & dicemus de harum febrium generatione. neque enim perpetuò, vt dictum eſt, febres hæ ortum habent, propterea quòd vaſa tanquam robuſtiora, humores in corporis habitum propellant, ſed geminam aliam ob cauſam: neque cum hoc modo generantur, ſemper neceſſum eſt à maioribus, ac cordi propinquioribus venis in minores, & ex his in corporis habitum propelli, vt ipſi putant, ſed interim ab omnibus, interim à quibuſdam determinatis alicuius viſceris venis, id quod ſæpius contingit, ad ſentientes partes propelluntur humores, quemadmodum ſæpius Galenus teſtatur, præſertim citato libro 4. de ratione victus, quo loco docens diuerſum ab eo quem poſuerat modum generationis febris ardentis in carnibus, inquit: { Præterea & fieri poteſt vt modo altero ſimilis affectio fiat, modum alterum dico, cum ex validioribus partibus ad imbecilliorem aliquam mittantur excrementa. ergo fieri poteſt vt interdum quidem ex parte, interdum verò & ex pluribus, acres bilioſæ, quæ tenues ſint humiditates exactè, ad dictas fundantur particulas, quæ ſcilicet imbecilliores ſunt: } fuſiùs autem id explicauit, non de febribus duntaxat, ſed morbis omnibus, qui hoc modo generationem habent. Galenus citato libro ſecundo de differ. febrium. tertio de naturalibus facultatibus, cap. 13. & ſexcentis aliis in locis. Quam autem ipſi perſuadere tentant de harum febrium generatione, opinionem, impugnare ac refellere ſuperuacaneum fore duxi, cùm chimera potius videatur, parcant mihi cineres eorum, quàm quippiam rationis habere, aut veriſimilitudinis: quamuis ipſi non ratione tantum, ſed exemplis eam confirmare tenent. Fiunt

ſolus modus generationis febr. intermittentium.

In fine cap. 2.

2. modus generationis febr. intermitten.

Super text. 1.

Loco citato.

Loco citato.

3. modus generationis febr. intermit. & tertio modo intermittentes febres, veluti etiam de continuis diximus, cùm
ipſæ ſentientes partes, ſeu totius corporis carnes, à venis nec trahant, nec ſu-
ſcipiant excrementa, ſed in ſe ipſis eadem generẽt, quemadmodum de tertia-
Commenta. 2. ſuper tex. 29. na ſcriptum reliquit Gale. 1. de morbis vulg. volens tradere cauſam cur tertia-
næ febres in illa 2. conſtitutione, numeroſiores erant ardentibus, vt dicebat
Hippo. ait ſiquidem: {propter flauæ bilis exuperantiã febres ardẽtes & tertia-
nas oriri, atque hoc conuenire inter illas, locis verò in quibus ſuperfluus con-
trahitur humor diſtare. etenim ſi ardentes febres ſint, in venis abundar, præci-
puè iocinoris & ventris. Tertianæ fiunt cùm totius corporis carnes affluant
flaua bile: proinde tranſpiratione impedita corũ, qui natura bilioſa ſunt, quan-
tum bilis in carnoſo genere congeſtum ante expurgabatur, in hoc ſtatu non
purgatum, tertianas generauit, ardentibus frequentiores.} Quibus in verbis
Gale. oſtendit non modo in carnoſo genere colligi, ac generari bilem flauam,
ex qua tertianæ originem habent, verùm propter earum carnium expultricis
imbecillitatem, ac meatuum impedimẽtum, ipſam expurgari nõ poſſe, & hac
ratione tertianæ magis generabantur febres. idem quoque de eiſdem tertia-
nis luce clariùs confirmauit, libro de tremore, rigore, & palpit. cap. 7. cùm dice-
bat: {Medicamentorum enim calidorum vſu, quãdoq; horror ſolus, multoties
rigor etiam ſuperuenit, ſicut in ardentibus, & tertianis, flaua bile, non in vaſo-
rum cauis, ſed per carnes mota, vel quòd in illis ſupra metrum generata fuerit,
vel quòd mediis illis natura expurgetur. hoc enim ſolo diſtant ab ardente tri-
tæi, ſeu tertianæ. Ardentes enim in vaſis bilem delatam, tritæi per ſenſitiua lo-
ca extra habent.} Quod item ratione firmari poterit: nam ſi ſudor eandem ha-
bet materiam quam vrina, & eundem generationis modum, ſiquidem vtrique
ex bibito humore conſtat generatio, excalfacto ſimul in corpore, & bilioſæ
nonnihil ſubſtantiæ adepto, quamuis ſudor plus eſt elaboratus, vtpote qui ad
cutem vſque permeatis omnibus quę interſunt partibus, peruenit, vt idem Ga-
Ca. de ſudore. le. inquit to. de ſimplic. medic. fac. vbi idem ſudor craſſior redditus, aut immo-
dicè auctus fuerit, cutíſque meatus conſtipati, diúq; detineatur in eodem cor-
poris habitu, nonne neceſſariò putreſcet, quo putrefacto, ac per ſentientes cor-
poris partes vehementiori motu delato, cui in dubium venerit quòd febrem
accendet, & quidem bilioſam, cùm multum ipſius bilis particeps ſit, vt dictum
eſt, nec minùs & in eodem corporis habitu cæteri quoque humores (pituitam
dico, & ſuccum melancholicum) generari poſſunt, vbi corpora non natura bi-
lioſa, ſed pituitoſa ſeu melancholica fuerint. liquet igitur ex his febres ipſas in-
termittentes triplici modo oriri poſſe, quemadmodum & continuas, quæ plu-
res acceſsiones habent, & tandiu perdurare quàm diu tales in partibus ſuper-
fluitates generantibus, affectus ſeruantur. Verùm, vt dictum eſt ſæpius, ex hu-
moribus à venis detruſis ad eundem corporis habitum generationem habent:
id quod innuere voluit Galenus 1. de arte curatina ad Glaucon. cap. 5. cùm di-
cebat: {quotidiana verò intermittens rarò aduenit quin os ventriculi patiatur,
quemadmodum quartana ex malè affecto ſplene generatur, tertiana ex iecore,
laborante.} in his nãque viſceribus præcipuè tales coaceruantur humores, qui-
bus in eorundem venis congeſtis, robuſta exiſtente expultrice facultate, eiſ-
dem venis mediis, ad totius corporis carnes eos propellunt, tanquam imbecil-
liores exiſtentes. bilis ſiquidem ex iocinore, pituita ex ventriculo, ſuccus me-
lancholicus ex affecto ſplene. Dixit inſuper Galenus rarò, & nõ ſemper, haud-
quaquam ignorans quòd ob alias iam dictas cauſas, licet rarò, eaſdem quoque
febres generari contingat, quemadmodum nos cum eodem probauimus, & li-
bro 2. de different. febrium, cap. 5. ſub iis verbis illud idem confirmauit cùm di-
xit: {ſæpius etiam aut hepatis, aut ſplenis affectus attulit febrem.} quamuis in-
differenter intelligat cum continuas, tum intermittentes hoc loco. Poterunt
inſuper & earum cauſarum plures tam in continuarum, quàm intermitten-
tium febrium generatione complicari. eadem etenim pars, quæ ab aliis tanquã

imbecillior,excrementum admittit,propter eandem cauſam & in ſe ipſa quoque eadem generare potens eſt.quibus deinde putrefactis, febris generabitur, quæ duplex habebit principium, quòd ſi dolore etiam, aut calore immodico laborabit,ob triplicem cauſam febris accendi poterit,& tandiu etiam perdurabit,quandiu affectus hi in eadem parte permanebunt. Tot igitur ſunt cùm continuarum tum intermittentium febrium generationis modi.

Propter quid in intermittentibus,& non in continuis,rigor,horror,ſeu extremarum partium refrigeratio fiat:& quamobrem eadem in earum acceßionum principiis fiant,& naturalis calor intus ſe colligat. Caput IIII.

CAETERVM cùm omnis febris continua ſui quidem ratione cũ exquiſita fuerit,neq; rigorem habeat,neq; horrorem, vt citato lib.2.de dif.feb.c.8.liquet,inueſtigare licebit quamobrem hoc fiat,in his potiſsimùm continuis quæ plures acceſsiones habent? poſtquàm ipſæ intermittentes ſemper cum rigore, horrore, aut forti extremarũ partium refrigeratione inuadũt. Huius prima cauſa eſt quòd putreſcens humor in paruis ac particularibus vaſis non amplius propter obſtructionẽ,per eadem vehementiori motu defertur, ſed in eiſdem incluſus detinetur;qua ratione minus etiam lædit, quàm ſi vehementiori motu moueretur,id quod commune eſt omnibus excrementis præſertim acribus,ac mordacibus,vt liquet 2.de cau. ſympt.cap.5.Præterea nec eadem vaſa adeò exactiori ſenſu prædita ſunt,quemadmodum totius corporis carnes, ita vt ab eiſdẽ putreſcẽtibus ſuccis vehementer ſtimulentur, ac pungantur; & propterea ad eos excernendos vehementiùs moueantur,etiam ſi per eadem putreſcentes ſucci vehementiori motu deferantur,vt ibidẽ ſcriptum eſt. Sed dices,cur continuæ quædam febres in prima earum generatione cum aliquo dictorum ſymptomatum incipiant,vt indies obſeruamus, & deinceps illud non admittant? Ad hæc idẽ Galenus 1.de arte cur. ad Glau.c.5.de tertianæ rigore verba faciẽs,dicebat: {quòd ſi cum paruo rigore inceperit, tunc magis alia ſigna attendere oportet, quoniã non quotidiana intermittentes tantum,atq; quartana, ſed etiã hemitritæus,aut aliqua alia ex continuis eſſe poteſt.} Et Hippo.1.de morbis vulgar. in continuis febribus quæ omnino nunquam intermittebãt, rigores omnibus, dicebat,inordinati & errantes erant. At non inconuenit,dicemus nos, quòd in prima continuarum acceſsione,quædam febres rigorem, frigus,aut horrorem præ ſe ferant. Verùm non ratione qua continuæ ſunt, ſed quia ob humorũ copiam,ſeu eorundem tenuitatem,quæ in vaſis contineri nequeat, pars quædam ad ſentientes confluit partes, ex qua tale aliquod ſymptoma gignitur,& nõ ex eo humore qui in vaſis continetur;tẽporis verò progreſſu cùm magis in eiſdẽ vaſis impingantur humores, ac propterea obſtructio augeatur, craſsioréſque reddantur,& vaſorum vires imbecilliores,propterea non amplius cum aliquo dictorum ſymptomatum inuadunt, quoniam nec eiuſdem humoris propterea pars aliqua,ad ſentientes partes effunditur. Ad Hippocratis & Galeni auctoritatem eodem modo ſatisfacimus. nam quæcunque febres continuæ, cum aliquo dictorum ſymptomatum incipiant,quamuis ſæpius ac plures earum acceſsiones comitetur, id non ratione qua continuæ ſunt, euenit; vel exquiſitè continuæ non ſunt, qua ratione & in ſemitertianis, & cæteris quoque continuis nonnullis,vbi exquiſitæ non fuerint, & rigores parui, & horrores,extremarúmque partium refrigerationes quandoque fieri contingit,quomodo interpretari debet tum Hippoc.tunc Gale. citata ſententia. Sunt verò continuæ quædam febres lipyriæ,ſeu valde malignæ dictæ, in quibus fortis extremarum partium refrigeratio fit, ob maximam inflammationem ortam ſeu eryſipelas in viſceribus, ex quibus excitari conſueuerunt; id verò aliam ob cauſam fit, quemadmodum paulò poſt dicemus. Intermittentes autem febres, ac earum

1.cauſa cur cõtinuæ ſint ſine rigore,&c.

2.cauſa.

Cur continuæ quædam primùm cũ rigore inuadunt, poſtea nunquam.

Commen. 2. text.25.

Quæſtioni reſpondet.

Cur inter-

mittentes à rigore, &c. ſemper incipiunt.

accesſiones omnes, propterea cum aliquo dictorum ſymptomatum ſemper incipiunt, eo quòd in eis (vt dictum eſt) per ſentientes corporis partes, putreſcens ſuccus vehementiori motu fertur, cuius delatione, & acuitate lædens, morſum, ac dolorem eiſdem partibus infert, ob quem duo contingunt, ſanguinē in corporis profundum ferri, eóque corporis exteriora frigefieri, ac partes ſentientes in quibus humor adeſt, expultrice vi in proximam vnamquanque eum reiicere, quouſque ab omnibus expulſus via aliqua expurgetur. Quare non mirum, inquit Gal. 2. de cau. ſympt. (licet de rigore loquatur) ſi refrigerentur omnes externæ partes, animali virtute vnà cum ſanguine in profundum cōmeante. ſentiunt enim hoc tempore qui rigent, externarum partium frigus, non earum quæ ſunt in profundo, quippe cùm ſitiant ſenſibiliter eo tempore nonnulli, tāquam calore iis in internis partibus ſeruato. Quòd verò id rationabiliter accidat, inde colligi licet, nam ſi in vna quapiam parte dolor vehemens infixus, tum animi deliquia, tum perſrigerationē inferat, in eo qui in toto fit corpore, ſi non animi deliquia fiant, neque mors, certè perſrigerationes effici debent. Sunt etenim dolores rigentium eiuſdem (cùm cæteris aliis doloribus) generis: deficiunt ab his qui interimunt, magnitudine, & tempore, quippe cùm & minores magnitudine ſint, & breuioris temporis, vt citato lib. 2. de cauſis ſympto. liquet. Qua de re ſi rigor, aut horror futurus ſit, non modò humorum redundantia opus eſt, ſed vehementia etiam motus per corpora ſenſibilia requiritur, quo tempore, dum ſanguis cū calore ſimul in intima corporis, & viſcera confugit, cutis frigidæ partes fiunt & exāgues, manuum etiam, & pedum ſumma frigidiſsima, vtpotè quòd admodum adſunt à viſceribus, vt lib. de tremore, rigore, &c. ſcriptum eſt. Quòd verò nedum in principiis acceſsionum intermittentium febrium, verùm etiam & continuarum quæ plures acceſsiones habent calor naturalis vnà cum ſanguine ad corporis intima confugiat, comm. apho. 1. 2. libri liquet, his verbis: { In principiis ſiquidem acceſsionum, & calor naturalis totus, & humores in profundum corporis vergunt, quemadmodum ipſe docuit} innuēs Hip. & deinceps addit: { & præcipuè in quibus horror quiſpiam, vel rigor, vel fortis partium exteriorum refrigeratio contingit. } Et lib. 1. de rat. vict. acceſsionis principium fieri ait Gale. calore omni toto ex corpore ad cor, thoracémque concurrente. & 4. de ratione victus, volens Hippo. tradere cauſam ob quam pedes in acceſsionum principiis frigeant, aſſerebat, hoc prouenire calore toto eo tempore ad ſupernas partes concurrente. quapropter non abſque cauſa pedes frigeſcunt, vtpote qui natura & carne vacent, & neruis abundant, præterea & à calidiſsimis locis ſeparati refrigerantur, ſeſe ad thoracem colligente calore. Confugit itaque calor naturalis ſimul cum ſanguine ad corporis intima in acceſsionum principiis, tam ſi intermittentes, quàm ſi continuæ fuerint, maiori tamen cum impetu, ac vehementiori motu in intermittentibus: etenim in his putreſcens ſuccus per ſentientes partes vehementiori motu delatus, ſua acuitate magis lædet eaſdem partes, ac dolorem infert maiorē, cùm & ipſæ partes exactiori ſenſu præditæ ſint, quàm vaſa ipſa, quemadmodum priùs dictum eſt, & propterea in intermittentibus, & non in continuis dicta ſymptomata fiunt. At ſi verum eſt quod Gal. ſcriptum reliquit. 2. de diff. feb. c. vlt. videlicet quòd vbicunq; accenditur, atq; augetur caliditas, iſthuc ab aliis partibus ſanguis confluere ſoleat, quo verò tempore confluit, illas quidem refrigerari priuata ſanguine eſt neceſſarium, quòd verò patitur membrum grauari ac diſtendi, idque fieri contingat in acceſsionum principiis, cur in intermittentium febrium acceſsionum principiis ad corporis intima, thoracem inquam, & cor naturalis calor ſimul cum ſanguine ſe colligit? cùm præter naturam caliditas in intermittentibus ipſis accendatur, atque augeatur per ſingulas ſentientes corporis partes, ſeu per corporis habitum, qua de re ad eaſdem, & non ad corporis intima confluere deberet? Tan-

Cur in principiis intermittētium ſumma refrigerātur. Cap. citato.

Loco citato.

Super tex. 46.

Super tex. 39.

Quare initiis intermittentium calor naturalis ad corporis intima ſe colligit.

tam ſanè apud quoſdam vim habuit hæc difficultas, quòd coacti ſunt hac in re Galenum deſerere, ac alio modo ſentire quàm ipſe ſentiat. Quidam verò quòd in vaſis, & non extra contineatur in intermittentibus putreſcens ſuccus, auſi ſunt dicere. Alij quòd extra vaſa, non tamen in toto habitu contineantur humores, ſed omnium propria ſedes & origo, in prima ſit corporis regione, circum præcordia, ventriculum, diaphragma, iecoris caua, lienē, pancreas, omentum, aut meſenterium. hæ ſiquidem partes (inquiunt iſti) quaſi publica corporis ſentina, in quam omnis confluit, cumulatúrq; humorum colluuies, ex quibus etiam ſedibus horrores, rigores, ac partium extremarum refrigerationes ſuſcitantur. idq; perſuadere conantur ratiunculis quibuſdam ac pluribus exemplis confirmare.

Quæſtionis propoſitæ difficultas coegit quoſdā Gale. & veritatem deſerere.

Verùm nos ducem noſtrum Galenum in hoc, velut in reliquis ſectabimur, eiúſque ſententiam ac veritatem tuebimur, aſſerentes, quòd cùm in principiis acceſsionum febrium intermittentiū putreſcentes ſucci moueantur vehementiori motu per ſentientes corporis partes, vt ſæpiùs dictum eſt, eædem partes hoc in tempore mordacitatem, ac dolorem ſentiunt, ob quē doloris ſenſum vehementi quodam impetu, calor ipſe tanquam offenſus; ſimul cum ſanguine in intima corporis, & viſcera confugit, propriè tamen ad thoracem, ádque cor ipſum, tanquam ad ſuum principium & fontem, non ſiquidem (vt quidam ignari putant) vt ipſi cordi opem ferat, tanquam à putridis vaporibus oblæſo, ſed vt ibidem collectus, vnitus, ac vigoratus, vehemētiori quodam impetu redeat, ac certet cum eo quod ſentientes partes doloribus laceſſat, ac ipſas moleſtat (modò non accidat idem calidum innatum eo tempore in profundo extingui obſtructum adeò, vt extra expirare nequeat, aut à frigidis cauſis euictum.) Vbi verò hoc non contingat, violentia victa aceruatur: quo pacto inſtrumentum expultricis, in quocunq; membro eſt, euadit. hæc etenim & per ſeipſam nata eſt lædentia expellere. fortiùs autem cum calore redundante ab intra, propulſabit ea expellere adiuta, quò motus impetus promptior contingat, vnde quæ lædunt per cutem, ſæpiùs propellit vomitu, atq; citata aluo pluries, vt eodem libro de rigore, tremore, &c. à Galeno decretum eſt. Non igitur ſe colligit ad corporis intima calor in acceſsionum principiis, vt cordi opituletur, nec etiam vt ibi permaneat, ſed vt collectus, roboratúſque in eodem ſuo principio, maiori cum impetu foras redeat, perueniátq; ad affectas partes doloribus laceſsitas, vt tanquam inſtrumento, eodem vtatur calore, vt inquit Galenus, ita enim quod moleſtum eſt, promptiùs propulſabunt. Itaque tandiu extremarum partium refrigeratio, rigor, ſeu horror perdurabit, quādiu calor ipſe naturalis, cum cauſa dolorem, ac moleſtiam inferēte, pugnabit. Quinimò nec idem ſolus naturalis calor ſimul cum ſanguine & ſpiritu, qui in ſentientibus partibus continebatur, ac ad intima corporis cōfugerat, verùm & aliarum quoque partium quiddam ad eas peruenit. Nam, vt refert idem Galenus commento aphoriſ. 53. quinti lib. hæc eſt quædam ratio communis in his quæ natura aliquid violēter excernit, vt ſanguinis & ſpiritus impetus eò feratur: quibus duobus veluti inſtrumentis natura vtens, ea quæ infeſtant, per vim expellat. Vera eſt itaque citata Galeni ſententia libro ſecundo de different. febr. quòd vbicunque accenditur atque augetur caliditas, iſthuc ab aliis partibus ſanguis confluere ſolet. nam licet primò intus calor cum ſanguine & ſpiritu ſe colligat, acceſsione incipiente, ſtatim tamen ad eas redit partes in quibus accenditur, ſiue augetur calor, hoc eſt ad totius corporis carnes, per quas putreſcens ſuccus defertur, ſi intermittentes fuerint febres. quoties enim aliquid per has violenter agitur, ac ad cutim defertur, neceſſe eſt dum carnem cutímque permeat, omnia in quæ incidit, pungat, ſtimulet, diuidat, ac vulneret: vt citato ſecundo libro de cauſis ſympto. liquet. Quamobrem ſatis rectè aſſerebat eodem loco Galenus, quòd qui in rigore habetur caloris naturalis motus, non ei qui in timore, ſed ei potius qui in verecundia, ac frigida lauatione videtur, ſimilis eſt. pugnat enim virtus, ac certat cum his quæ offendunt, quoad excuſſerit,

Reſpondet quæſtioni.

Loco citato.

proſligaueritque omnia. in verecundia nanque primùm quidem intro agitur animalis facultatis motus, deindę rurſum foras celeriter vniuerſus, quippe cũ niſi redeat, timor ſit, noo verecundia. ſiquidem verecundia derepẽte ſit omnino nihil expectaote malum animali facultare, ſed, vt ſic dicam, præ mollitia, & timiditate naturali, cum homine longè meliore verſari non ſubſtioente, ſed refugere, & ſi poſsit, à conſpectu ſubducere properante. ideóque veluti refugiens tantum, citra vllam perſrigeratiooem, io profuodũ recedit: ratione verò patibilem partem animi, id eſt, quæ terretur & verecundatur excitante, atque inhortante, redit, extrorſúmque mouetur, ſimillimo motus modo, atqoe cum ex frigida lauatione, caloris ſit repercuſsio.} hæc Galenus. Huic itaque motui ſimilis eſt qui in rigoribus habetur. primò etenim naturalis calor confugit ad cor tanquam offenſus, impeditúſque ab eius naturali motu, deinde collectus, ac vigoratus, vibratus magis, maiorique cum impetu, ad ea quæ offendũt, peruenit, pugnátque cum eis quoad ipſa excuſſerit, ac proſligauerit. Quòd verò

Idẽ eſt motus caloris naturalis in horrore, & refrigeratione extremorũ, qui in rigore.

de rigoris motu aſſeruit Galenus de horrore quoque, ac partium refrigeratione ſimiliter ſubintelligere oportet. etenim nõ alia ratione calor oaturalis mouetur vbi hæc contiogant in principiis acceſsionum, quàm in ipſis rigoribus propter dolorem videlicet, qui in toto corpore ſit: hoc etiam tempore, ex putreſcentibus ſuccis, per ſentientes corporis partes vehementiori motu delatis, neque alia ratione inter ſe diſsident, quàm maioris, minoriſve. validi nanque motus ſiunt expultricis facultatis in rigoribus, mediocres in horroribus, ac multò magis mediocres in inæqualitate, & partium extremarum refrigeratione ita vt eiuſmodi motus dixeris propemodum motus non eſſe, ſed tantùm ſenſus. Inſuper mordacior, vel copioſior humor concutientem rigorem infert, minùs mordax, ſeu mediocriter auctus horrorem excitat. vbi verò quæ dicta ſunt remittantur, ne horror quidem ſiet, ſed vel inæqualitas, vel refrigeratio extremarum partiũ, adeò quòd ſi paucus fuerit humor, aut exigua eius acrimonia motúsve lentus, ac languidus, ſolum frigus iouehit: ſin copioſior ſit, aut acrior, vt eius motus impulſúſq; concitatior, horror inuadit. cùm verò plurimus, iſq; vehementer acer, ac mordax, magnóque impetu per ſentientes corporis partes deſertur, verus rigor inducitur, vt apud eoodem Galenum legitor, citato libro ſecundo de cauſis ſympto. & decimo de meth. med. cap. 10. Quamobrẽ acceſſum exacerbationis ſæpè cum rigore huic, alij cum horrore, alij cum frigore

Loco citato.

ſolùm acceſsiſſe fatemur: nominúmque eiuſmodi paſsim vſum, per volumina medicorum omnia reperias, vt niſi quis quaſſatione atque agitatione frigeat, rigere noo appelles. nam vbi rigor nominandus ſit, diſformẽ, & iuuoluntariam motionem adeſſe ſit operæprecium: quod hoc vacat, niſi ſuperficiẽ etiam impariter commoueat, dicunt frigefactionem: quòd ſi hanc per aliquas acceſsiones turbet, & concutiat, reliquo oon moto corpore, horrorem nominant, vt ſolius cutis horror eiuſmodi affectio exiſtat, ſicut rigor vniuerſi corporis. eſt enim rigor repentina, violentáq; innati caloris frigefactio, quoniam eiuſdem caloris naturalis motu violenter impedito ſit, atque ita rigere, horrere, frigefieríque in valetudinariis ac febrientibus ipſis differre dicẽdum erit, ex eiuſdem Galeni teſtimonio, libro de rigore, tremore, palpitatione, & conuulſione.

Rigor quid.

Refrigeratio.

Horror.

cap. 6.

Epilogantur quæ dicta ſunt de cauſa motus caloris naturalis in principijs acceſsionum: ac oſtenditur alia ratione ipſum moueri, vbi in viſceribus magna fuerit inflammatio orta, aut eryſipelas: confirmatúrque intermittentes febres fieri non poſſe, niſi per corporis habitum humor putreſcens deferatur. *Cap. V.*

COMMVNE eſt itaque omnibus ſuccis putreſcentibus, ac vehementiori motu perſentientes partes delatis, ex quibus etiam intermittentes ſiunt febres, vt eorum mordacitate & acuitate, dum carnes, cutímque permeant, pungant, ſtimulent, diuidant, ac vulnerent

rent quodammodo,& proinde dolorem inferant: ob quæ naturalis calor ſimul cum ſanguine & ſpiritu in corporis profundum fertur, ad viſcera córque confugit. Hinc extremæ corporis partes frigidæ, exanguéſque fiunt. Verùm vbi ob aliquam iamdudum dictarum cauſarum ipſum in profundo extingui non contingat, violentia victa, aceruatur,& quaſi in ſeſe coactus ac vnitus, vehementiori cum impetu, cùm perſiſtere in ſuo principio nequeat (ſubſtātiæ enim ſemper mobili,quies eſt mors) iterum ad propulſanda ea quæ moleſta ſunt, redit,vt dictum eſt: ac tandiu cum his quæ offendunt, pugnat,quoad ea excuſſerit,ac profligauerit. Verùm quantò maior ex redundantibus ſuccis, ſentientibus partibus infertur dolor,adeo maiori cum impetu,& intro confugit, & extra progreditur vt ea expellere valeat,atque euincere: quemadmodum vbi minori dolore laceſsitæ ſentientes partes fuerint,& eius impetus minor erit, ſemper tamen duobus hiſce motibus in acceſsionum principiis, calor naturalis vnà cum ſanguine mouebitur; primò foras intro confugiens, deinde ab intra foras rediens, vt demonſtrauimus. atque ita nedum in intermittentibus febribus,verumetiam in continuis,vbi plures habeant acceſsiones, vbicunque accenditur atque augetur caliditas, iſthuc calor naturalis ſemper vnà cum ſanguine ferri conſueuit; vt liquet ſecundo de differentiis febr.cap.vlt. At non perinde vt in intermittentibus,in continuarum acceſsionū principiis,aliquod iam dictorum ſymptomatū neceſſariò incidit,propter iam dictas cauſas,licet quandoque,quamuis rarò admodum,in earum quoq; acceſsionum initiis, aliquod eorundem ſymptomatum incidat. Verùm aut propterea quòd exquiſitè continuæ non ſunt,vt diximus; aut leuis quædam refrigeratio contingit, ob id quòd magna ſanguinis fit reuocatio ad corporis interiora,ob copiam, ſeu mordacitatem maximam putreſcentis humoris intra vaſa: & ſic magnitudine diſtinguitur ab ea, quæ in intermittentibus fit partium extremarum refrigeratio; modo citra phlegmonem intra vaſa putreſcant ſucci. Nam quando aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori, vel eryſipelate euenerit, totus ex toto corpore ſanguis ad locum trahitur patientem, atq; ideo vruntur profunda,ſed cutis refrigeratur,vt fit in principiis acceſsionū, vt liquet commento aphoriſ. 48. quarti libri. Contingit autem hoc in febribus ardentibus,pernitioſis,ac valde malignis,lipyriis dictis. Quo caſu non amplius leuis, ſed fortis fit partium extremarum frigiditas,quemadmodum in principiis acceſsionum febrium intermittentium, verùm alia ratione quàm in iſtis eædem partes extremæ refrigerantur. nam vbi inflammationis calor in viſceribus ortæ adeò vehemens fuerit,ad ſe cucurbitulæ modo, ex toto corpore ſanguinem trahit: & propterea iis qui ita ſe habent, viſcera peruruntur; extremæ autem partes frigeſcunt propter defectum ſanguinis ad viſcera ſe recipientis, ac cucurbitulæ modo attracti, eodem Galeno auctore,commento aphoriſmi primi, ſeptimi lib. in principiis verò aliarum iam dictarum febrium,non quia trahitur calor,ſed quia alia ratione ad corporis intima confugit,dictæ extremæ partes refrigerantur,vt iamdudum declarauimus.neq; his qui ita laborant adeo viſcera peruruntur,quemadmodum accidit in magnis viſcerum inflammationibus,ac eryſipelatibus: de quibus verba faciens Hippocr. ſecundo prognoſtic. dicebat: {ſi manus,caput,& pedes frigidi ſunt, ventre,coſtiſq; calentibus, malum eſt.} nam in morbis acutis (vt ait Galenus in commento) propter inflammationis magnitudinem in viſceribus fatigantis,parū ſanguinis in omne permeat corpus, plurimùm verò eius in parte inflammatione affecta includitur, & ob eam rem mediæ corporis partes,quæ ſunt thorax & venter,admodū calent. & ſubdit: {at verò per morbos acutos interdum annotatio cum rigore prehendens aut frigore,non ſolùm extremas corporis partes,ſed etiam cutem circa coſtas, ac ventrem,frigidam reddit,& quidem circa viſcera vitium non oſtēdit.} quibus in verbis (vt mea fert opinio) demonſtrare nobis voluit Galen. non ſolùm quòd alia ratione in internis inflammationibus,extremæ partes refrigerantur,

Proximo cap.

Differētia caloris intro cōfluētis in inflāmationibus interioribus, & in principijs acceſsionum.

text.com. 4.

quàm

** Dignotio inflammationis uiscerũ, à qua refrigerantur extrema, & principij acceſsionum, à quo etiã refrigerantur extrema.*

quàm in annotationibus febrium acutarum, quæ cum rigore aut frigore prehendunt, * verumetiã modum docuit quo valeamus has febres inter ſe diſtinguere, ac dignoſcere, inquiens, quòd quando in viſceribus inflammationis magnitudo orta eſt, licet aliæ partes frigidæ ſint, venter tamen & coſtæ admodum calent, ſecus autem in reliquis, in quibus annotatio cùm rigore aut frigore prehendit: quoniam eædem partes, veluti reliquæ, frigidæ redduntur.

** An intermittentes aliquãdo fiant humore putreſcẽte per corpora ſentientia nõ delato, & ob id ſine rigore, &c.*

** Nodus diſſoluitur. cap. 10.*

* Sed ſtatim obiiciet quiſpiã aduerſus ea quæ diximus de intermittentium febrium generatione, inquiens non ſemper opus eſſe vt ipſæ fiant, quòd putreſcens ſuccus deferatur per vniuerſum corporis habitum, ſeu totius corporis carnes. Nam putreſcat humor quiſpiam in ventriculi cauitate, aut inteſtinorum, ſeu vtriuſque veſicæ, aut vteri; dico extra vaſa, qua ratione intermittens febris gigni debet, in hac aut neutrum dictorum ſymptomatum incidet, aut ſi fiat, falſum eſt quod aſſerimus eandem ortum habere, propterea quòd vehementiori motu per ſentientes corporis partes putreſcentes, ſucci deferuntur. * Tu verò nodum hunc diſſoluas, inquiens, quòd ſi ex iam dictis putreſcentibus ſuccis intermittens febris generetur, neceſſum eſt aliquod dictorũ trium ſymptomatum fieri, cùm ſine his intermittens febris gigni nequeat, & quoniam nullum eorum generari vnquam poteſt, niſi per ſenſibiles corporis partes deferatur eorum cauſa, aſſerimus cum Galeno decimo de metho. meden. quòd non mordax ſuccus duntaxat, verumetiam & mordax halitus, vbi per ſenſibilia corpora feratur, horrores, & rigores facit. Quapropter vapor ſeu halitus ad eadem ſaltem corpora perueniens, ex putreſcentibus in iam dictis locis ſuccis eadem ſymptomata efficeret: neque aliter fieri poſſent, Galeni auctoritate, ſecundo de cauſis ſymptomatum. cap. 6. nam licet quælibet dictarũ partium expultrice facultate ſit prædita, qua quod moleſtum eſt, excutiat, in eo tamen excernendo, nullo dictorum ſenſibilium motuum vtitur: ſunt nanq; carnium, & muſculorum omnino proprij: quare vbi eadem non læduntur, neque hi motus inæquales totius corporis fiunt: & tunc eadem ratione fierent hæc ſymptomata, qua ex mordacibus, acribúſque medicamentis vlceribus adhibitis, ſeu putes, progigni ſolent: moueretur etenim per ſentientes corporis partes mordax ille halitus, ſeu vapor ex putreſcentibus ſuccis eleuatus, & non putreſcens ipſe humor. Vel dicas, quòd hæc quoque intermittens febris, ex delatis putreſcentibus ſuccis per ſenſibiles corporis partes, generatur. nam acceſsionis tempore, aut vniuerſus humor putreſcens in modo dictis partibus, aut ſaltem pars quædam ad corporis habitum effunditur, aliàs febris intermittens fieri nequit: ſed vel diaria, vel intra vaſa incluſus, ac effuſus talis humor, continuam excitabit febrem, quod quidem difficile haudquaquam videri debet. nam ſi ex eiſdem ſentientibus partibus, accidit quandoque, quòd humor putreſcens ad ventriculum ſeu inteſtina cõfluat, ac vomitu, ſeu deiectione excernatur, quinimò eodem tempore poteſt, partim per ſudorem, partim per vomitum, partim etiam per deiectionem humor, & præſertim bilis excerni, ſimul

Locis citatis.

eodem die intro, foráſque delata, vt liquet eodem ſecundo de differentiis febrium, & ſecundo de cauſis ſymptomatum. ita quoque difficile non erit, quòd humor, qui in ventriculi, ſeu inteſtinorum, aut reliquarum dictarum partium cauitate collectus eſt, etiamſi inceperit putreſcere, vi expulſus ab eiſdem partibus vniuerſus, aut ſaltem pars quædam eiuſdem, ad ſentientia corpora, ſeu vniuerſum habitum acceſsionis tempore, effundatur; & hac ratione aliquod dictorum trium ſymptomatum fiat, & febris generetur intermittens, quam alio modo fieri non poſſe, iterum cum Galeno proculdubio tenemus, & abſq; controuerſia confirmamus. & hæc de generatione intermittentium & continuarum febrium dicta ſatis.

Quomodo tres intermittentium febrium differentiæ conueniant, & diſsideant inter ſe, & continuarum ex bile ortarum ſubdiuiſio.

Caput VI.

ATQVI iam tempus eſt veſtigare quomodo iam dictę tum intermittentes, tum continuæ febres inter ſe conueniant, & diſsideant, ac quot etiam numero ſint continuarum differentiæ. Id verò promptiùs fiet, ſi iterum in memoriam reuocemus omnes earundem intermittentium febrium differentias ex putredine ortarum.

Intermittent. ſpecies tres.

Sunt ergo intermittentium differentiæ omnes numero tres, tertiana videlicet, quartana, & quotidiana, à Græcis τριταῖος, τεταρταῖος, & ἀμφημερινὸς appellatæ, vt ſecundo de differ. febr. cap. 2. & ſecundo de criſ. lib. cap. 9. ſcriptũ eſt, tertiana quidem ex putreſcente flaua bile, eáq; vehementiori motu delata per ſentientes corporis partes, generatur, quartana ex putreſcente nigra bile, atque ſimili modo per ſentientes corporis partes vehementer delata accenditur, quotidiana, ex pituitæ putredine ortum habet, ſimiliter per ſentientes corporis partes à natura detruſæ, vt liquet citatis locis.

In quo conueniant omnes intermittit.

Conueniunt itaque hæ tres intermittentium febrium differentiæ, quòd niſi humor qui eſt earum cauſa putreſcat, ac vehementiori motu deferatur per ſentientes corporis partes, nulla earum gigni poterit. Verùm cùm propoſuerimus de ſimplicibus harum febrium differentiis primò verba facere, attendas oportet tertianam; interim exquiſitam, interim ſimplici appellatione appellari tertianam ab Hippocrate, & Galeno, vt patet commento aphoriſmi 59. quarti libri, & ſecundo de differentiis febr. interim verò intermittens tertiana, vt diſtinguatur, à continua nuncupatur, eodem Galeno teſte, citato lib. ſecundo de differ. febr. cap. 3. Nec alia ratione dicendum erit de quartana, & quotidiana: nam interim ſimpliciter abſque alia adiectione ita appellantur. Interim cum adiectione exquiſita, interim quotidiana, ſeu quartana intermittens dicitur: ſed de nominibus non oportet prolixius diſputare; neque de eis (vt Plato inquit) magna cura habenda eſt; ſed ſatis ſit nouiſſe, has eſſe tres duntaxat intermittentium febrium ſimplices differentias; quæ cauſarum diuerſitate inter ſe diſsident, vt ex dictis patet, ac etiam circuitus forma.

In quibus diſsideant.

Etenim tertio quoque die efficitur tertianæ circuitus, quartanæ verò quarto quoq; die, ipſius autem quotidianæ ſingulis diebus. Sunt etiam & earum ſymptomata quoque diuerſa, vt dicemus. Nunc verò ad continuarum differentias accedamus, & primò earum quæ ex bile fiunt, tanquam ſæpiùs contingentes, quàm reliquæ, vt apud eundem Galenum citatis locis ſcriptum reperitur.

Cõtinuarũ ex bile ſpecies due.

Continuarum ergo, quæ ex bile fiunt, inquit Galenus eodem ſecundo de different. febr. cap. 2. duplex eſt ſpecies, altera earum quæ à continuo feruore ſynochi appellantur, quarũ vniuerſum tempus in vna conſumitur acceſsione, quæ à principio vſque ad finem pertingit. Altera earum quæ vnà cum genere nomen ſortiuntur, & continuæ etiam appellantur, atque in pluribus circuitibus continentur.

Synochorum differentiæ tres.

Earum verò quæ ſynochi dicuntur, tres ſunt omnes numero differentiæ, quemadmodum in præcedentibus dictum eſt. Nam quædam earum à principio ad finem vſque æqualiter perdurant, quas ὁμοτόνους τε, καὶ ἀκμαστικὰς, hoc eſt in eodem ſtatu & vigore perſeuerantes. Quædã paulatim augentur, quas ἀναβατικάς τε, καὶ ἐπακμαστικὰς, hoc eſt aſſurgentes, atque inualeſcentes dicunt, quædam paulatim decreſcunt, quas παρακμαστικὰς, hoc eſt decreſcentes appellarunt.

Continuarum pluriũ acceſſio. differẽtiæ due.

At continuarum quæ idem nomen cum genere ſortiuntur, duæ item ſunt primæ differentiæ; nonnullarum quidem quæ ſingulis tertiis diebus inualeſcunt, aliarum verò quæ die intermedio alteram faciunt acceſsionem, quæ ſanè nullum præcipuè obtinent nomen, vt Galenus inquit.

Loco citato. Comment. 2. tex. com. 25. & commẽ. 3. text. com. 5. & comm. 2. tex. com. 23.

Verùm, quæ tertio die inualeſcunt, fatetur ab eo nominari conſuéuiſſe τριταιοφυεῖς, id eſt, tertianæ naturam referentes, vt liquet apud eundem citato libro ſecundo de differentiis febr. & primo, & ſexto de morbis vulgaribus: non tamen prohibet quin pro ſuo quiſque arbitrio alterum eis nomen imponat, modò rerum obſeruet differentiam, ita vt hanc ſciat alteram eſſe differentiam ab ea, quam ſuprà diximus, quæ ad infe-

bricita

bricitationem terminatur. nam hæc licet ad febrilem declinationem deſinat, nunquam tamen intermittit vt illa. Qua re clarioris doctrinæ gratia poterit hæc continua tertiana appellari. Præterea alia quoque eſt natura illius, quæ die intermedio etiam acceſsionem facit, cuius quidem duæ acceſsiones inter ſe diſsimiles ſunt; nam ſi ſimiles eſſent, haudquaquam ex bilioſo humore ortum haberent, ſed ex pituitoſo potius, vt dicemus: ſunt autem diſsimiles, nam primæ quidem, tertia ſimillima eſt, & ſecundæ, quarta, in figura duarum tertianarum progredientes: & propterea aut duplicem tertianam continuam, aut duas tertianas continuas, appellare poteris. tot itaque ſunt continuarum quæ ex flaua bile proueniunt, febrium differentiæ, iuxta Galeni ſententiam eodem ſecundo de differentiis febrium.

Tertiana continua.
Duplex tertiana.

Qua ratione ex putreſcente intra vaſa flaua bile, febris ſynochos dicta accendatur: & quòd ſimiliter ex alijs humoribus generari poſsit, nedum ex ſolo ſanguine. Cap. VII.

EX HIS itaque luce clariùs cuilibet patere poterit continuas febres ex bile indifferenter accendi poſſe, tum eadem putreſcente in particularibus quibuſdam venis, ac à corde diſsitis, & proinde febres eaſdē plures habere acceſsiones, vt iamdudum explicauimus, tum inſuper in omnibus, aut ſaltem principalioribus, magniſque vaſis, quæ ſunt inter alas & inguina, poſtquàm alia ratione oriri haudquaquam poſſent ex eadem bile intra vaſa putreſcente continuæ febres, vnam duntaxat à principio ad finem vſq; acceſsionem habentes, quemadmodum decretum reliquit Galenus ſecundo de differ. febr. cap. vlt. iuxta fin. cùm dicebat: {ſed quæ circuitum non habent, in his nulla eſt corporis pars, quæ præcipuè ſit offenſa, ſed qui in venis & arteriis omnibus continentur humores, atque hi præſertim qui in maximis, atque plurimo calore abundantibus ſunt; aut ob aliam quamuis cauſam, quemadmodum in ephemeris, aut ob putrefactionem ſeruentes, febrem accendunt συνοχὸν appellatam, quæ à principio vſque àd finem nullam habent intermiſsionem.} * Nemo itaq; hæſitare debet, quòd vbi continua febris generatur, quæ à principio ad finem vſque vnam duntaxat acceſsionem habet, opus eſt humores in omnibus vaſis æqualiter, aut ſaltem in maioribus, ac principalioribus putreſcere, vbi ex putredine ortum habuerit. Verùm cùm hoc genus febrium ex ſanguine putreſcente generari conſueuerit, vt in ſequentibus fuſiùs demonſtrauimus, id quod ſubintelligere voluit Galenus 9. de metho. meden. cap. 3. cùm dicebat: {Alterum genus eſt vbi in omnibus vaſis, ac potiſsimùm maximis æquabiliter ſucci putreſcunt.} * idem enim ſubintelligendum eſt in eius doctrina per ſuccos, ſeu humores æqualiter putreſcere, quòd ſanguinem ipſum, quemadmodum ipſemet teſtis eſt lib. de multitu. cap. 10. cùm inquit: {Demonſtratum hoc eſt alibi nobis, nihil referre, humores, an ſanguinem de mixto appelles, modò ei non temerè, ſed vt in menſura quadam mediocri, animalibus naturali habitu præditis, admixti alij fuerint. Nam cunctis in naturali commoditate augeſcentibus cum ſanguine, per præpotentiam dicto, idem humorum vocabulum notat, nihilque diſcriminis eſt creuiſſe humores an ſanguinem proferas; oratione quæ humores dicit, idipſum demonſtrantem, nimirum pro veteri omnino proportione abundare.} Propterea non ab re hæſitare contingit. quî fieri poſſit, vt hoc idem genus febrium ex putreſcente flaua bile gigni valeat? quòd verò Galenus admiſerit continentes has febres, quas Græci συνεχὴς appellant, (nos verò clarioris doctrinæ gratia continentes nuncupamus) ex eadem putreſcente bile intra vaſa accendi poſſe, liquet in hoc ſecundo de different. febr. cap. 2. nec minùs & ſecundo de criſib. cap. 6. ab eodem confirmatur, quo loco tradens differentiam inter continuas febres & intermittentes ex bile ortas, hęc

Cap. 3. huius partis, ferè circa med.

** Continuæ febres unius acceſſ. ex bile in omnib. vaſis putreſcẽte, ſeu magnis, &c. oriũtur, ut in ſuperioribus declaratum fuit. Gal. tamẽ modò ex humoribus, modò ex ſanguine, modò ex bile, oriri ſcripſit in locis hic citatis, qui omnes hic conciliãtur, et explicantur.*

** Succos, humores, ſanguinem putreſcere, idem.*

protulit

protulit verba: { Continuam quidem nomino febrem, quæ ad infebricitationem antequàm ex toto ſoluatur, non deſinit: & ſi declinatio aliqua ſenſibilis appareat. Cùm autem neq; declinatio aliqua ſenſibilis fiat, ſemper verò à primo principio febris vſque ad criſim ſimilis perſeuerauerit, erit & hæc ex genere febrium deurentium, ab eiſdem verò acutie differt. ſed neque in primo die, neque in ſecundo eſt huiuſmodi febrem prænoſcere, neque aliter vtile. ſufficit enim genus agnoſcere, quòd ſcilicet biliosa ſit, atque deurens, & peracuta. neque enim ſi etiam συνεχὴν ipſam nominaueris, vt quidam medici faciunt, appellationis ratione à febribus deurentibus differt. } ſynocham igitur febrem ex bile ortam his verbis clara luce fatetur Galenus, idem quoque confirmare videtur citato loco. nam cùm dicebat eiuſdem generis eſſe intermittentes cum ſuis continuis, comparans tertianam cum ſua continua, illam ſignificare voluit, per febrem ardentē ſemper & non τριταιοφυῆ, quo nomine (vt paulò ante diximus) conſueuit ipſe Galenus tertianam continuam nuncupare. ergo quippiam aliud ſignificare voluit præter tertianam continuam, & id non niſi ſynocham febrem. hæc nanque, duo genera ſunt continuarum ex bile ortarum, vt dictum eſt. Amplius quarto de ratione victus, cùm venæ totius corporis ſupra modum exſiccatæ, acres, bilioſas, ac tenues traxerint humiditates è carnoſis partibus, ardentem febrem ſimul cum Hippocrate fieri, teſtatus eſt. Quòd ſi continens febris humores requirat in omnibus venis redundantes, vt priùs diximus, habebit & ipſa, ex bile generationem, cùm idem humor è carnoſis partibus ad omnes venas fuerit attractus, atque in eiſdem incluſus putreſcat. Poterit inſuper & hac ratione illud confirmari. Nam ſi ex putreſcente ſanguine, ſeu humoribus æqualiter adauctis in omnibus, vel principalioribus vaſis putreſcentibus gignitur ſynocha febris, quidnam prohibebit ſi bilioſus humor, ſimul cum copioſo ſanguine ſimiliter redundarit, quòd ex eodem ſynocha febris generari nequeat? potiſſimùm cùm ipſemet Galenus fateatur hanc quoque redundantiam connumerari inter multitudines, quamuis non ſimpliciter ea dicenda ſit, ſed cum adiectione bilis. Nemini itaque in dubium veniat ſynocham, ſeu continentem febrem generari poſſe ex redundante bile ſimul cum ſanguine putreſcente in omnibus, aut ſaltem maximis, & principalioribus vaſis. Ad dubium verò ita ſatisfacias, quòd licet Galenus nono de metho. meden. aſſeruerit ex ſanguinis redundantia talem progigni febrem, cum his qui ſanguine abundant, & corpulentis gigni cernatur; quando nec obſtructio, nec humorum putredo, in omnes, quæ inter inguina & alas interſunt venas, æquabiliter, & citò porrigi in frigido corpore poteſt, propterea quòd quę putreſcunt tum calida, tum humida eſſe debent, tum etiam difficilem habere tranſpirationem, non tamen omnino negauit, in aliis quoque corporibus eandem gigni poſſe, potiſſimùm vbi corpora, & calida etiam ſunt, & redundantes humores bilioſi, ſimul etiam cum copioſo ſanguine, & breuem quendam exceſſum ſuſceperint; dixit enim plurimùm contingere in his qui ſanguine abundant, & corpulentis, & non dixit in his dũtaxat ſemper, & perpetuò ſynocham febrem ex putredine generari. Poteſt enim ipſa bilis breuem quendam exceſſum vnà cum copioſo ſanguine adipiſci, quæ etiã plenitudo, ſeu plethora nuncupabitur ſecundum quid, vt liquet libro de multitud. & ca. 11. vbi in omnibus, aut ſaltem principalioribus vaſis redundauerit, putreſcere, & hac ratione febrem accendere continentem, quæ à principio ad finem vſq; vnam habeat acceſſionem, quemadmodum vbi multum excedat, non cum copioſo ſanguine in quibuſdam particularibus vaſis putreſcens, etiam efficit continuã, quæ plures acceſſiones habet. Ad hæc, ſi ex putreſcente ſanguine fit continens febris ergo ex putreſcente bile. Nam vbi admodum exuctus ac putrefactus fuerit, in bilem vertetur, præſertim quod in eo pingue, ac tenue exiſtit. quare aucto in eodem ſanguine calore, ac magis putreſcenté, quæ priùs erat ex ſanguine orta continens febris, modo ex bile accenſam eſſe verè quiſpiam affirmauerit. id

Quę idē nomen cum genere habet, & plures acceſſiones habet. Synochus intelligitur, quē ex Gal. probat à bile oriri.

Cap. proximè precedente. Tex. comm. 1.

Conciliatio, & explicatio locorum Galeni.

Loco citato.

verò neceſſariò conſequitur, vbi confeſtim eadem continens ex ſanguine orta, non fuerit curata, aut ſi interficere anticipauerit, priuſquàm in bilem ſanguis conuertatur. Sed mox inquies, plures ergo erunt harum febrium differentiæ quàm ſex, ſi tot ſint continuarum quæ ex flaua bile fiunt differentiæ? Huic reſponſum ſit, totidem eſſe continuarum febrium ſimplices, ac primas differentias, quot etiam ſunt intermittentes, & propterea ſex ſunt numero, vt ſimul cum Galeno concluſimus, licet eædemmet 1 continuæ poſsint in plures particulares differentias ſecari. 2 Id verò quod magis vrget, eſt, num quẽadmodum ex ipſa bile ſimul cum copioſo ſanguine in omnibus, aut principalioribus vaſis putreſcente, continens accenditur febris, ita quoque eadem gigni poſsit pituita, aut nigra bile, eodem modo ſimul cum copioſo ſanguine redũdante? potiſsimùm cum hi etiam ſucci paruum quendam exceſſum adepti inſimul cum copioſo ſanguine redundare poſsint, atque hæc etiam multitudo, ſeu plethora nuncupari, ſecundum quid tamẽ, vt ſuperiùs annotauimus, & liquet apud eundem Galenum citato libro de multitudine? Porrò aſſerimus nos, & ex eiſdem quoque eandem ſynocham, ſeu continentem febrem gigni poſſe. Nam quemadmodum ſanguis veteri aliorum humorum proportione in eo ſeruata, aut etiam inter eos ſolo ſanguine ſuperabundante, ac alios excedente, poteſt æquabiliter in omnibus vaſis putreſcere, perinde etiam vbi quiſpiam aliorum humorum breuem quendam exceſſum, ſimul cum eo ſuſceperit (quẽmadmodum de bile dictum eſt) ſentiendum erit. 3 Nec obſtat ſi dixeris pituitam, ac nigram bilem frigida natura eſſe, & hanc ob cauſam non adeò facilè poſſe eorum humorum putredinem in vniuerſa, aut principaliora vaſa porrigi, & ob id neque febris continens generari. nam eoſdem humores ſemper cum copioſo ſanguine redundare intelligimus, ipſos verò exiguum quendam ſuſcipere exceſſum, adeò vt potius pituitoſum aut melancholicum ſanguinẽ redundare dixerimus, ita etiam & bilioſum, quàm pituitam nigram, aut flauam bilem in ſanguine ſuperare. Quapropter cùm copioſa fuerit ſanguinis ſubſtantia, exiguus verò eorundem humorũ exceſſus, haud ægrè porrigi eorum putredo poterit per ſingula, aut principaliora vaſa quãuis non adeò promptè, vt ſi æquabiliter adaucti omnes ſucci putreſcerent, ſeu ſolus ſanguis, vt quarta ſubſtantia exceſſerit, aut bilis cum copioſo ſanguine, & propterea ſæpiùs ex putreſcẽte ſanguine, non raro ex bile ſimul cum eodem copioſo ſanguine, perquàm rariſsime autem ex nigra bile, ac pituita, ſimul etiam cum copioſo ſanguine, eandem ſynocham ſeu continentem febrem accẽdi poſſe, ſimul cum Galeno cenſemus. quòd verò ex pituita gigni poſsit, confirmari etiam poterit ex Hippocratis, & Galeni auctoritate, libro quarto de ratione vict. quo loco ex pituita ſalſa à totius corporis venis attracta, aliud cauſi genus generari fatentur. Cùm itaque propterea ſynochæ febres vnam acceſsionem à principio ad finem vſque habentes generẽtur, quòd in omnibus, aut maioribus, & principalioribus vaſis putreſcant humores, ita quoque attracta pituita ab omnibus venis, eâque in eiſdem putreſcente, in hoc cauſi ſeu febris ardentis genere, eadẽ continens generabitur febris. Atqui ſtatim inquies, propter quid Galenus ne vnum quidem fecerit verbum de his continentibus febribus, quæ ex pituita, & nigra bile fiunt, ſi ab eiſdem generari poſſunt, nec in ſecundo de differentiis febrium, nec in ſecundo de criſib. nec etiam libro de meth. medendi? verùm ex his quæ iamdudum diximus, reſponſum facilè patere poterit. Nam de eis ſermonem fecit, quæ ſæpiùs accidunt, paruifaciens ea quæ raro, & perquàm rariſsimè contingunt. Nam cùm ex dictis humoribus febres continuæ, quæ plures acceſsiones habent, raro accendantur, eodem Galeno teſte, citato libro ſecũdo de differentiis febr. & admodum raro fiant illæ, quæ vnam duntaxat habent à principio ad finem vſque acceſsionem, propterea has conſultò prætermiſit. difficulter namq; hi humores, cùm frigidi ſint, intra vaſa putreſcunt, & ſi putreſcãt, difficillimè eorum putredo per vniuerſa vaſa æquabiliter, & citò porrigi

poteſt,

1 Nã præter cõtinuas pluriũ acceſ. & cõtinuas unius acceſ. quæ cõtinẽtes dicuntur, earũ continentiũ quædam fiunt ex ſuccis æqualiter adauctis et putreſcentib. quedã ex bile, quedã ex pituita &c. ut paulo poſt dicitur.

2 Altera capitis pars. An ſynoch. ex aliis humorib. quã ex ſanguine oriatur?

3 Pituita & atra bilis cum ſanguine poſſunt putreſcere.

Text. commen. 13.

Cur febrium continentium ex pituita & atra bile Gale. non meminit?

Cap. 2.

poteſt,ſed potiùs in quibuſdam paruis, minúſque calidis vaſis impacti, ac de-
tenti ob eorum craſsitiem & tenacitatem, præſertim ſi multùm excedant ſan-
guinem,in eiſdem putreſcunt,priuſquàm per omnia, & calidiora vaſa diffun-
dantur,eiſdem etiam maximis vaſis tanquam calidioribus exiſtentibus exte-
nuantibus,ac euincentibus,aut ſaltem tales expellentibus humores, ad eadem
minora,ac remotiora vaſa,ita vt difficulter in eis aceruentur, & proinde con-
tinuæ magis ſebres ex eis fient, quæ plures acceſsiones habent quàm ſynochi,
ſeu continentes,vbi eos cõtingat intra vaſa putreſcere. Adde quòd nec etiam
alia ratione curari deberent, quàm reliquæ continentes, quarum putredo in
omnibus,vel in maximis,maximéque principalibus ſubſiſtit vaſis, paucis qui-
buſdam adiectis,ſiue immutatis,pro ratione exigui exceſſus humoris cum co-
pioſo ſanguine redundantis.& propterea eas nõ meminit Galenus, & non quia
nulla ratione fieri nequeant; id nanque nullibi ab eo ſcriptum reperitur. Sed
dices, ſi ex pituita & nigra bile fient continentes febres, id ſaltem vitare ne-
queas,quòd plures videlicet, quàm ſex erunt primæ febrium ex putredine or-
tarum differentiæ.etenim Galenus quotidianæ & quartanæ intermittenti nul-
lam communem oppoſuit vocem, quæ omnes eiuſdem generis(continuas ta-
men)ſignificaret, quemadmodum in his quæ ex bile accenduntur per vocem
καῦσον,ſed inquit quotidiana intermittens & continua; & quartana intermit-
tens & continua,vt liquet ſecundo de criſibus,& ſecundo de differentiis febr. *Cap.6.*
Niſi eſſet quòd vt dictum eſt,perquàm rariſsimè fiãt ex iam dictis humoribus *Cap.1.*
continentes febres, quo circa de eis ſermonem non fecit: & per vocem etiam
continuam Græcè συνεχῆ dictã,continentẽm etiam ſubintelligere voluit. Vel
rectiùs dicas, continentes febres, quas ex eiuſmodi humoribus oriri diximus,
accendi non poſſe,niſi cum copioſo ſanguine redundauerint,eorum verò hu-
morum paruus fuerit exceſſus,adeò vt pituitoſus,aut melancholicus magis di-
catur ſanguis redundare,quàm pituita,& nigra bilis.Cùm verò veſtigauit Ga-
lenus particulares febrium differentias ex putredine ortas, per continuas quæ
ex eiſdem fiunt humoribus,intellexit, quando copioſi fuerint,ac multum re-
dundauerint.hæ nanque febres propriè eiuſdem ſunt generis cum ſuis inter-
mittentibus.quapropter neque erunt plures quàm ſex,quæ ex eiſdem humori
bus redundantibus fiunt.tres, inquam, intermittentes, & totidem continuæ,
quoniam licet non intermittant, plures habent acceſsiones, eandem formam
ſeruantes cum ſuis intermittentibus, vt liquet ſecundo de criſibus, cap.ſexto.
poſſunt itaque continentes febrés non modo ex putreſcente in omnibus va-
ſis ſanguine,ſeu bile cum copioſo ſanguine generari, verumetiam ex pituita,
& nigra bile, modò paruus fuerit eorum exceſſus, & cum copioſo ſanguine
etiam redundauerint, vt dictum eſt,neque propterea plures erunt primæ par-
ticulares febrium differentiæ,quæ ex putredine oriuntur quàm ſex,ſubdiuiſis
eis in intermittentes & continuas.

Quid per καύσους,ſeu febres ardentes intelligendum ſit. Caput VII.

CVM itaque plures traditæ ſint continuarum febrium ex bile
putreſcente ortarum differentiæ; tanquam valde neceſſarium
diſſerere putaui,nunquid omnes,vel earum quaſdã per καῦσον,
hoc eſt febrem ardentẽ ſubintelligere oporteat:cernimus enim
ſæpenumerò in Hippocratis, & Galeni doctrina diuerſimodè
vocem hanc vſurpari.Nã quarto de ratione victus, cum Hippocrate de καύσῳ *Locis citatis.*
verba facit(quæ vox nil aliud Latinè ſignificat, quàm combuſtionem, ſeu ar-
dorem)quamuis ipſe determinaſſet eum fieri,cum venulæ tempore æſtiuo ex-
ſiccatæ, acres, & biliosas, tenuésque traxerint ad ſe humiditates, Galenus in
commen.cauſum nedum in vniuerſo corpore, verùm in vna eius parte,quæuis *Cauſus nomen homonymum.*
illa ſit, interdum gigni fatetur, vt in ventriculi ore, atque ipſo ventriculo, &

ſtomacho,ſiue etiam pulmone,& ſubinde in ieiuno, vbi earúdem partium venæ ad ſe eaſdem traxerint humiditates. Quinimò admittere videtur quòd in carne etiam,ſiue in parte vna, ſiue in toto corpore pati eam contigerit, generari cauſus poſſe,ita vt videatur & vniuerſalem & particularem cauſum admittere,nedum intra,ſed etiam extra venas, ex bilioſis acribúſque humiditatibus ortum. Et eodem libro poſt pauca,non modò ex bilioſo humore,verumetiam ex ſalſa pituita,febrem,cauſum dictam, hoc eſt ardentem, oriri fatetur ſimul cum ipſo Hippocrate,idem Gale.libro verò de rigore,tremore,&c. tertianam de genere ardentium febrium eſſe fatetur:ait enim:{nullus autem ſanæ mentis febrem hanc in ſucco frigido fieri affirmet, cùm genere ardens ſit, illius tantùm continuitatis egens.} & paulò poſt: {hoc ſolo diſtant ab ardente tertianæ(dicebat)ardentes enim in vaſis bilem delatam, tertianæ verò,per ſenſitiua loca extra habent.}& ſecundo de differen.febr.cap.3.loquens de tertiana inquit: { atque de genere ardentis eſt.} Idem quoque confirmauit octauo de Hippocratis,& Platonis decretis,ca.6.inquiens:{ita nunc ſatis erit tantùm quæ illis in libris demonſtrauimus,commemorare,acutiſſimas ſcilicet, & ardentiſſimas febres à flaua bile oriri, & tertianam ex ardentium febrium eſſe.} Nec minùs & ſecundo lib.de criſib.cap.6.ſimilem videtur proferre de tertiana ſententiã,dum ait:{continuas febres idem habere genus, eandémque hypotheſim cum intermittentibus,cum tertiana quidẽ exquiſita,exquiſitam ardentẽ &c.} quamuis & eodem loco,& commen.aphor.58.& 59.quarti lib.& primo etiam de morbis vulgaribus, ſæpiſsimè tertianam febrem ab ardentibus ſeparet, aſſerens eam hoc ſolo ab ardentibus diſsidere, quòd in illis intra vaſa,in ea verò extra,bilis putreſcat. Quamobrem mirum videri nõ debet in hac re plurimos hallucinatos eſſe, poſtquàm diuerſis in locis varia de febre ardẽte ſcribere conatur Galen. conabimur autem nos eiuſdem Galeni in hac re ſententiam exponere,id priùs pro hypotheſi aſſumentes, quòd quidam ſit cauſus propriè dictus,quidam autem communiter,propriè dictum per vehementem totius corporis caliditatem,inextinguibilémq; ſitim circunſcribi tanquam per propria, ac pathognomonica ſigna.hanc etenim febrem,cùm videlicet vrens caliditas, ſitiſque incompeſcibilis hominem torquent,καῦσον (hoc eſt ardentem) ſimul cum reliquis medicis ſimplicem, ac exquiſitum appellat idem Galenus citato libro quarto de ratione vict. Et tertio de morbis vulgarib.inquit,quòd nõ appellabitur ardens febris, niſi adiunctam perpetuò habeat per totum morbum ſitim aſsiduam,atq; exurentem calorem. Huic cauſo opponitur is qui communiter,& non ita propriè ſic appellatur,vtpote ſi in vna parte fiat,ob quam non de neceſsitate ſitim pariat, aut etiã in totius corporis carne eum generari contingat,vt diximus eiuſdem Galeni auctoritate,citato libro quarto de rat.vict. ſit autem & hic ex ipſa etiam flaua bile. Sit inſuper & ſecũda hypotheſis quòd cauſus,ſiue febris ardens, adhuc etiam propriè dictus biſariam eſſe poteſt ex eiuſdem Galeni ſentẽtia, quia aut propriè exquiſitus, ſimpliciter,ac legitimus eſt,aut pro dimidia parte,quem breuioris doctrinæ gratia,haud perperam fuerit,cauſum nothum,illegitimum,ſeu ſpurium appellare,ita quòd quemadmodum tertianarum duo eſſe genera quiſpiam dixerit, vnum exquiſitum,legitimúmque,alterum verò nothum,& ſpurium, cui videlicet ex legitimi quidem ſymptomatis nonnulla inſunt, aliqua verò non, vt in ſequentibus patebit, ita quoque duo cauſorum genera eſſe intelligemus,homonymian inter ſe habentia,verùm non eam per quam nullo pacto niſi nomine inter ſeſe communicãt, verè æquiuoca nuncupata,ſed modo quo diximus. Quibus ita iactis fundamẽtis,aſſerimus, intermittẽtes febres ex bile ortas,delatas per ſentientes corporis partes,aut etiam ſi ex eryſipelate generationem habeant, quæcunque fuerint, etiam ſi pars ipſa de neceſsitate ſitim non pariat, cõmuni appellatione καῦσον denominari poſſe,vt liquet ex Galeno citato libro quarto de ratione vict.qua ratione tertiana ipſa ardens febris à Galeno interdum nuncupatur. inſuper

Text.commẽ. 13.

Commen. 2. tex.com.2.

Cauſus propriè dictus.

Super tex.13. Commen. 3. text.com.34.

Cauſus improprie dictus.

Cauſus propriè dictus duplex,exquiſitus,et nothus.

Cauſus nothus.

Loco citato.

cum

eum eodem fatemur nothum cauſum ex alio humorum, quàm ex bile, generari poſſe, vtpote ex ſalſa pituita: legitimum verò non niſi ex eadem putreſcente bile. At ſi nō modo legitimus, ſed ſimpliciter, & exquiſitus cauſus generari debeat, cum eodem Galeno cenſemus, non niſi eadem bile intra vaſa putreſcente fieri poſſe, & propterea per exquiſitum cauſum, ſeu exquiſitam febrem ardentem, quam interdum conſueuit Galenus acutiſsimam, ac ardentiſsimam nominare, vſus vocibus ὀξύτατος, καὶ καυσωδέστατος πυρετὸς, vt liquet ſecundo de criſib. c. 3 continuam febrem ex bile ortam intelligimus, indifferēter, tam ſi æqualiter in omnibus vaſis putreſcat, & vnā habeat à principio ad finem vſque acceſsionē, quàm ſi in quibuſdam particularibus, plures in ſe continens acceſſiones, ſiue tertio quoque die eædem fiant, ſiue etiam die intermedia aliam acceſsionem habeant. id verò vbique locorum manifeſtauit Gale. quo tertianam ab exquiſita febre ardente ſecernere voluit, cùm non in alio diſsidere aſſeruerit, quàm quòd in febre ardente intra vaſa bilis, in tertiana, extra putreſcat, & propterea illa continua, hæc verò intermittēs eſt, & ſecundo de criſib. ca. 6 facta hac diſtinctione, quidnam per continuas intelligeret febres, his verbis propalauit, inquiens: {continuam quidē nomino febrem, quæ ad infebricitationē, anteaquàm ex toto ſoluatur non deſinit, & ſi declinatio aliqua ſenſibilis appareat, cùm autem neque declinatio aliqua ſenſibilis fiat, ſemper verò à primo principio febris vſque ad criſim ſimilis perſeuerauerit, erit hæc & de genere febrium deurentium, ab eiſdem verò acutie differt.} & paulò poſt ſubdit: {neque enim ſi etiam ſynochum ipſam nominaueris (vt quidam medici faciunt) appellationis ratione à febribus deurentibus differt.} quam etiam ſententiam ſcriptam reliquit Paulus cap. 26 lib. 2. dum ait: {continens itaq; febris eſt quæ non ante ad integritatem terminatur, quàm ex toto fuerit ſoluta, & ſi inclinatio aliqua ſenſibilis appareat. cùm autem nulla accedit quæ ſenſibus queat percipi, hæc quoq; ex ardentium genere habetur, ſed acutie ſeu acrimonia ab ipſis variat.} illud etiam clara luce nobis patefecit eodem quarto de ratione vict. nam cùm dixiſſet, cauſum propriè dictum non caliditatis modo, quæ per totum fit corpus vehementia, præſtare, verùm quoque & ſiti, quæ in eo vehemens & incompeſcibilis eſt, declaraſsétq; eum fieri poſſe, quemadmodum Hippocrates docuerat, cùm venæ totius corporis ſupra modum exſiccatæ calidas carnoſis è partibus humiditates traxerint. ſubdit: {deficit ergo præſenti dictioni ſingularis de cauſi generatione ſermo, quem nos nuper adiecimus, nempe in vna corporis parte quæuis illa ſit interdum cauſus gignitur, interdum & toto in corpore.} & paulò poſt apertè demonſtrauit in qua etiam corporis parte fieri poſſet propriè & exquiſitè dictus cauſus, qui iam dictas etiam duas conditiones contineret, vrentem ſcilicet caliditatem, & incompeſcibilem ſitim, exemplificans de ore ventriculi, ac ipſo etiam ventriculo, ſtomacho, ac pulmone, in quarum partium venis ſi cauſus fiat, neceſſariò præter vrentem caliditatem incompeſcibilis ſitis paritur. ſimilem quoq; ſententiam non ſemel duntaxat, ſed ſæpiùs conſcripſit libro primo de morbis volgar. quòd videlicet cauſus: ſeu exquiſita febris ardens accendatur cùm in vaſorum capedinibus, vnà cum ſanguine putreſcens flaua bilis contineatur, præcipuè verò vbi in ventris aut iocinoris, aut pulmonis venis, bilis efferueſcat, tanquam cordi proximioribus exiſtentibus. Ad hæc quòd per exquiſitam febrem ardentem Galen. quamlibet continuam ex bile ortā ſubintelligat, citato ſecundo de criſib. c. 6. manifeſtauit his verbis: {Dico autem febres continuas idem habere genus cum ſingulis intermittentibus, cum tertiana quidem exquiſita, exquiſitam ardētem.} & paucis quibuſdam interiectis afferebat citato loco: {Nam quæ in ſola flaua bile febris accenditur ſine aliquo viſceris affectu, ſiquidē manente adhuc intra vaſa bile accendatur, exquiſita febris ardens nuncupatur: ſi verò per totum corpus deferatur, exquiſita tertiana.} Non igitur quam vulgus medicorū, tertianam continuam appellat duntaxat, Gale. febrem ardentem exquiſitam nominat, verùm quam-

Cauſus exquiſitus.

Tam febris cōtinua quā continens per cauſum exquiſitū intelligitur, id quod iā authoritatibus quā rationibus cōfirmat.

Super text. 1.

Commenta. 1. ſuper text. 9. & com. 2. ſuper text. 20. & 73.

Exquiſita febris ardens dicitur à Galeno continua circuitus habens, & continens.

libet cootinuam quæ ex flaua bile accenditur, quemadmodum in citatis locis
patet. Quinimò ſi quiſpiam rectè perceperit verborum ſenſum eiuſdem Gale-
ni, quæ conſcripſerat citato loco de febre cootinua, clara luce intelliget quod
ea continua genita ex flaua bile, quæ voam duntaxat habet acceſsiooē à prio-
cipio ad finem vſque, & ardens, & peracuta magis ab eodem eſſe dicatur. dice-
bat etenim: {erit & hæc ex genere febrium deurentium. { & paulò poſt: { ſuffi-
cit enim genus agnoſcere (aſſerebat) quòd ſcilicet biliosa ſit, atque deurēos, &
peracuta. } vocibus vtens πυρικαῖς, καὶ κατόξυς, licebitque illud non Galeni ao-
ctoritatibus duntaxat, ſed & rationibus confirmari. Nam ſi ea eſt exquiſita fe-
bris ardens, quæ exurētem habet calorem, & incompeſcibilem ſitim, hæc duo
non magis fiunt in ea continua bilioſa febre, quæ plures habet acceſsiooes, &
contiouam tertianam appellant, quàm in illa quæ vnam duntaxat habet à prin-
cipio ad finem vſque acceſsionem, imò potius in hac, ac magis calor exurens
erit, vehemēnsque ſitis, cùm bilis putredo extenſa ſit per omnia vaſa, aut ſal-
tem per maiora, & principaliora. Quare ſi ea quæ plures habet acceſsiones, ex-
quiſita febris ardens appellari debet, multò magis & hæc, propter iam dictas
cauſas. Ad hæc ſi continuam duntaxat tertianam appellaſſet Galenus exquiſi-
tam ardentem, cùm eandem conſueuerit τριταιοφυῆ appellare, cur nullibi eam
meminerit, cùm tertianam exquiſitam ab eadem ſecernere intendit, ſed ſemper
vſus eſt voce καῦσος, ſeu καῦσος ἀκριβὴς, hoc eſt ardente, ſeu ardente & exqui-
ſita febre. Patet igitur exquiſitam febrem ardentem nuncupari in Hippocra-
tis, & Galeni doctrina, quamlibet contiouam ex bile ortam, tam ſi tertio quo-
que die acceſsionem habeat, quàm ſi etiam in die intermedio aliam habuerit,
& multò magis eam, quæ à principio ad finem vſque voam habet acceſsiooem.
Nec quicquam obſtant eiuſdem Gale. verba citato lib. ſecundo de criſ. c. 3. cum
Reſpondet obiectioni. inquit: {in adurentibus autem febribus ſingulæ acceſsiooes ad infebricitatio-
nem non perueniunt, quoniam qui earum cauſa eſt humor, non expurgatur. }
etenim hæc auctoritas verificatur indifferenter in his, quæ voam habeot ac-
ceſsiooem à principio ad finem vſque, & in his, quæ plures. in omnibus enim
acceſsiones ooo perueninot ad infebricitatiooem, quouſque morbus ex toto
ſoluatur. quòd ſi per hæc verba velis adurētes febres eſſe, quæ plures acceſsio-
nes habent, quæ tamen ad infebricitationem nō perueniunt, id etiam nos cum
eodem Gal. admiſimus, quòd hæ febres connumerentur inter ardentes. Verùm
hoc loco Galenus ooluit has duntaxat ouncupari ardentes, ſed eas cum exqui-
ſitis tertianis comparauit, volens cauſam reddere cur hæ oon intermittaut, il-
læ autem intermittere videantur: aſſerens quòd licet habeant plures etiam ac-
ceſsiones, quemadmodum & exquiſitæ tertianæ, non tamen vt illæ intermit-
tunt, neqi ad febris vacuitatem perueniunt, quoniam qui earum cauſa eſt, hu-
mor non expurgatur, etiāſi plures acceſsiones habeaot, non negans alias quo-
que febres continnas adurentes eſſe, ſi ex eadem bile voà cum ſanguine putre-
ſcente intra vaſa accendantur, vt iamdudū cooncluſerat in præcedentibus ver-
bis, cùm dicebat: {in aliis verò adurentibus febribus quæ nullam habent ioter-
miſsiooem, flauæ bilis humor in vaſis vnà cum ſanguioe cootineri oſteodeba-
tur, atque hoc ipſæ à tertianis differunt, quamuis eo, qui vtrunque facit mor-
bum humore communicent. } Qua etiam ratione liberari à calumnia poterit
Aëtius à calumnia liberatus. Aëtius, qui libro 5. cap. 76. dicebat: {differt autem febris ardens à contioente
putrida, eo quòd hæc ex ſangume purrefacto conflatur, & à principio vſque in
finem vnam habet exacerbationem, febris autem ardens ex flaua bile putre-
ſcente accenditur, & alternis diebus exacerbatur, & quandam habet febris im-
minutiooem, ac velut remiſsionem, continens verò putrida, ſimilis manet vſ-
que ad ſolutionem. } Videtur etenim hoc loco Aëtius eam febrem ardentem,
quæ alternis diebus exacerbatur, cum ea continente quæ ex ſanguine putre-
facto conflatur, comparare, & noo quamlibet febrem ardentem ex flaua bile
putreſcentę ortam, quam etiam hìc fieri poſſe non negauit, aliàs inſufficiens

fuiſſet

fuiſſet in tradendis ardentibus, atque adurentibus febribus, iuxta Hipp. & Gal. ſententiam, quorum nos ſemper imitatores ſumus. An verò exquiſita tertiana de genere ſit acutorum morborum, quemadmodum ex genere ardentium eſt, nos fuſiùs diſſeruimus in noſtro quæſito, num tertiana ſit morbus acutus.

De continuarum febrium quæ plures acceßiones habent conuenientia & differentia. De Epiala, & compoſitis febrium differentijs: déque ſingulas particulares febres ex putredine ortas curandi via. Cap. IX.

QVEMADMODVM continentes febres quæ vnam acceſſionem à principio ad finem vſque habent, ex quouis humore redundante fiant, conueniunt, eo quòd in omnibus vaſis, aut ſaltem in maioribus cõtinetur putreſcens humor, qui breuẽ quendam cœpit exceſſum, & ſimul cum copioſo ſanguine redundat: vt paulo ante dictum eſt, perinde etiam & illæ continuæ quæ plures acceſsiones habent, ex quouis humore accendantur, inter ſeſe cõſentire vidẽtur. Nam in particularibus quibuſdã à cordéque diſsitis venis incluſus humor, ampliſsimum exceſſum adeptus ſimul etiam cum ſanguine putreſcit, tam ſi bilis flaua, quàm nigra fuerit, quàm etiã ſi pituita, & propterea primã, continuã tertianã appellabimus; alteram, quartanam continuam quæ ex nigra bile accenditur: reliquam verò, continuam quotidianam, quæ ex putreſcente pituita generationem habet. Hoc tamen inter ſeſe diſsident, præter humorum diuerſitatem. Nam licet quemadmodum aliquando ipſa tertiana tum intermittens, tum continua duplex, aut triplex fit, ita quoque & ipſa quartana, non modò duplex, ſed etiam triplex euadit, prout in pluribus, ac diuerſis locis iſtarum febrium cauſa continetur, cumulatur, ac putreſcit. Attamen continuæ quartanæ perraro eueniunt, tertianæ frequenter, vt liquet 2. de criſib. cap. 9. & 2. de differ. febr. cap. 2. & eadem ratione magis raro fit duplex, aut triplex quartana, quotidiana verò duplex aut triplex admodum raro fit, quoniam & ipſa quotidiana tam intermittens, quàm continua raro admodum accidit, fit enim omnium rariſsima. nam pituitoſus humor propter ſui tum frigiditatem & humiditatẽ, tum craſſitiem & lentorem, ſeu tenacitatem, ægrè accenditur, & propterea de duplici quotidiana ſermonem non habuit Galen. libro 2. de different. febr. cap. 9. licet eam admittere videatur lib. 2. de criſib. cap. 3. & libro de typis. Verùm cũ ipſius pituitæ differentiæ plures ſint, ſiue quatuor eas dixeris, vt acidam, dulcem, ſalſam, & vitream, ſiue tres, nam & vitrea pituita acidæ qualitatis eſt particeps, animaduertendum quòd ex hac quæ vitrea pituita appellatur, differentia quædam particularis pituitoſæ febris generatur, vbi putreſcat, & per ſentientes corporis partes deferatur, quæ à Græcis ἠπίαλος, Latinè epiala febris dicitur. cur verò febris hæc epialos Græcè nuncupetur, ſequenti capite de quotidiana explicabimus. hæc ab intermittente, ſeu exquiſita quotidiana differt, non ſolùm ipſius pituitæ differentia, verùm etiam & putredinis modo. Nam in hac febre ſimul febricitant, & rigent ægrotantes, atque eodem tempore in toto corpore vtrunque ſentiunt affectum, propterea quòd humor hic vitreus, ſatis cùm frigidus ſit, & tenax, ac ſubſtantiæ inæqualis, non adeò promptè vniuerſus putreſcit, ſed veluti ſemiputreſcens, vbi modica aliqua in ipſo fiat putrefactio, per ſentientes corporis partes delatus quatenus frigidus admodũ natura eſt, frigus ac rigorem ſentiunt laborantes: quatenus verò putreſcens, calorem, ita vt acceſsione tota non modò rigeant, ſed etiam febricitent. qui hac febre laborant, epiala appellata: in his etenim febribus, tum ab interno, tum exiguis portionibus, eóque vniuerſum corpus, ambo ſentire vidẽtur. cum enim exiguis portiunculis aſperſum per corpus, tum calidum ſit, tum frigidum, nullam ſenſilem alterius portiunculam ita paruam deſumas, in qua non alterum ſit comprehenſum, vt patet lib. de inæq. intemperie, cap. 2. quòd ſi vehementius

In quo conueniunt continuæ plurium acceßionum.

In quo differunt.

Pituitæ ſpecies.

Epiala ex pituita uitrea.

Epiala differentia ab exquiſita, & intermittente quotidiana.

putreſcat ac æqualiter,rigor quidem antecedit,febris verò ſequitur ſuperatâ frigiditate à multitudine caliditatis,adeo vt dum febris incaleſcit, atque conſiſtit,minimè ſentiatur. Atqui licet hæc febris valde diuturna,& difficulter ſolubilis ſit,in quotidianæ tamen ſpecie,ſeu figura progreditur, vt liquet citato lib.2.de diff.feb. cap. 2. & propterea in quotidianarum genere reponenda eſt, quamuis ab exquiſita quotidiana,modo quo diximus diſsidere videatur. Eſt etiã & in numero ſimpliciũ,& non compoſitarũ febriũ,quoniã à ſimplici cauſa febris hæc ortũ habet,quæ pituita vitrea,modicè tamen putrefacta,per ſentiẽtes corporis partes delata exiſtit:totum enim id quod ex eadẽ putreſcit, febrẽ accendit,reliquum verò quod nondum putreſcit, rigoris ac frigoris cauſa eſt, non eandem ferè habens cum putreſcente qualitatẽ. Quapropter ab hac quidem rigor,à putreſcente verò febris generatur, vt citato loco teſtatur Galen.

Epiala ſimplex eſt febris.

Tot itaque ſunt ſimplicium febrium differentiæ,quæ ex putredine ortum habent,tam ſi continuæ,quàm ſi intermittẽtes fuerint. Quarum omnium primæ ſex duntaxat numero ſunt,tres videlicet intermittẽtes, & tres continuæ, quẽadmodum auctoritate Gal.2.de criſib.cap.9.& 2.de diffe.feb.cap.2.priùs declarauimus,licet affinitate quadã ſermonis,de quibuſdã compoſitis habitus fuerit ſermo,de quibus diſſerere iam tempeſtiuum eſt,ſi priùs his quæ ſimpliciter cõſiſtũt,quod deeſſe videtur adiunxero:quòd videlicet nulla dictarum febrium, vbi continua fuerit,exquiſita ſimplex eſſe poterit,nec tertiana, nec quartana, nec quotidiana,cùm ſaltem redundans humor nunquam omnino à ſanguine ſecerni poſsit:ſed ſimul cum ſanguine intra vaſa contineatur, licet quandoque magis,quandoque minùs,vt priùs dictum eſt,ſanguini ſit admixtus,& cum copioſo interdum ſanguine redundet,interdũ non cum copioſo ſanguine. Si verò intermittẽtes fuerint,poſſunt exquiſitam ſimplicitatem ſeruare, præſertim quo ad ſenſum:nam ſecundum rei naturam fortè, neque hæ ſimplices omnino conſiſtere queũt. Verùm ſimplices eas fatemur eſſe,cũ nullus alius humor qui ſenſu iudicari poſsit,cum eo qui febrem generat eſt permixtus. Atque ita aſſerimus exquiſitam tertianam, exquiſitam quartanam, atque exquiſitam quotidianam exiſtere,cùm flaua,aut atra bilis,ſeu pituita ſola putreſcens, per ſentientes corporis partes vehementer mouetur. vbi verò eorum quiſpiam humor non ſolus, ſed alteri cuipiam permixtus fuerit, vbi bilis flaua cum nigra, aut pituita, tunc haudquaquam talem febrem, aut talem febris differentiam exquiſitè ſimplicem eſſe fatebimur,ſed ſi bilis dominabitur, tertianam illegitimam,notham,ſeu ſpuriam nominabimus; ſi pituita, & ſingulis diebus æqualem habeat acceſsionem, quotidianam ſpuriam: ſi nigra bilis, ſpuriam quartanam, quæ ſingulis quatuor diebus acceſsionem habet. Neutra tamen earum adhuc compoſita febris denominanda erit, vt quidam falſo imaginantur, licet efficiens eam humor amplius ſyncerus non ſit, ſed alteri permixtus, vna ſiquidem eſt diſpoſitio, vna febris forma,ſeu ſpecies, hactenus ab eius exquiſita ſimplicitate recedens,quatenus fuerit eius cauſa alteri humori permixta. dicetur itaque febris hæc ſimplex adhuc,licet non exquiſitè talis ſit. Quoniam & ſi legitimè & exquiſitè febris ſymptomata aliqua non inſint, ſed eorum nonnulla habent,eundem tamen ſeruat intenſionis ac remiſsionis ordinem, eundémque typum, & propterea vna, ſimpléxque erit febris, licet non exquiſitè, quicquid alij ſentiant,quod manifeſtè Galenus confirmauit citato libro ſecundo de differentiis febrium,ſub exemplo tertianæ. neque enim ſola tertiana appellabitur quæ omnia in ſe habeat,quæ exquiſita tertiana requirit, erit tamen hæc exquiſita,ſi verò aliquid horum defecerit, non propterea tertiana non appellabitur,licet non amplius habeat exquiſitæ nomẽ, ſed vel tertiana ſimpliciter,vel extenſa,vel magis ſeu plurimùm extẽſa dicetur, ſeu quomodocunque eam appellare volueris,ſatis ſit eam eſſe,& dici tertianam, quoniam typum,formam,ſeu ſpeciem tertianæ ſeruat,tam ſi eius acceſsio breuiori tempore vltra duodecim horas protrahatur,quàm ſi longiori, tam ſi exiguus

Nulla cõtinua exquiſita ſimplex dicitur.

Intermittẽtes ſimplices exquiſitæ dici poſſunt quoad ſenſum.

Nothæ intermittentes.

Nothæ febres non cõpoſitæ ob id quòd nothæ ſunt, ſed ſimplices non exquiſitæ.

fuerit

fuerit flauę bili permixtus pituitoſus,ſeu melancholicus ſuccus, quàm ſi multus,modo ipſa prævaleat ac dominetur.Genus verò febris compoſitum dupliciter conſtituitur,vt inquit Galenus 2.lib.de criſib.cap.7. vel quia hæ quas diximus,febres,citra alicuius membri paſsionem, ſeu inflammationem commiſcentur,vel quia ex membri cuiuſpiam inflammatione accenduntur. Nos verò relicta ea febrium compoſitione quæ ex affectis, ſeu patientibus inflammationem locis accidunt,eam proſequemur, quæ citra inflammationem, ſeu alicuius membri paſsionem commiſcentur. nam ſimili ratione febres quæ ob membri alicuius inflammationem oriuntur, permiſceri poſſunt, quemadmodum illæ quæ citra hanc,generationem habent,eodem Galeno teſte citato loco,cap.6.quinimò ſæpenumero idem Galenus eaſdem febres quæ à phlegmone excitantur in communi putredinis genere cõprehenſas intelligit, vt liquet 10.de meth.med.Commiſcentur autem febres ipſæ dupliciter, aliquando quidem per ἐπιπλοκὴν, hoc eſt per implexum,& has febres,implexas, implicatas, ſeu complexas dicimus,nonnunquam verò per κρᾶσιν, hoc eſt confuſionẽ:ſunt etenim per ſe totæ (vt quiſpiam dixerit) cõfuſæ ſeu temperatæ.verùm ſiue per complexionem ſeu complexum,ſiue per confuſionem febres ipſæ miſceantur, id non vno duntaxat modo erit. nam quandoque quædam febres vnius generis, cum aliis eiuſdem generis componuntur, vel vnius ſpeciei cum aliis eiuſdem ſpeciei:interim verò contingit vt etiam differentes ſint, vt citato libro 2. de criſibus ſcriptum eſt. vnius ſiquidem generis,cum aliis eiuſdem generis, vt diaria cum diaria,aut quæ ex putredine ortum habet,cum alia quæ ex humorum putredine naſcitur: vnius generis cum aliis diuerſis genere, vt diaria cum hectica,aut ea quæ ex putredine originem habet,vel hæc etiam cum febre hectica complicatur. Complicantur item febres vnius ſpeciei cum aliis eiuſdem ſpeciei,vt tertiana cum tertiana,quotidiana cum quotidiana, & quartana cum quartana,& quælibet earum ſiue intermittens cum intermittente, aut continua cum continua,ſiue intermittens cum continua. Diuerſæ autem ſpeciei febres componuntur,vt tertiana cum quotidiana,aut quartana,ſiue quotidiana cum quartana;quandoque etiam & tertiana & quotidiana & quartana inſimul ſiue etiam intermittentes ſiue continuæ fuerint. Tot itaque modis permiſceri febres poſſunt,& potiſsimùm quæ ex putredine ortum habent, licet quandoque per implexum,quandoque autem per confuſionẽ,vt dictum eſt.Voco autem implexum,quando eædem febres horis differentibus inuaſerint:confuſionem verò,quando eodem tempore inceperint,vt liquet citato lib. 2. de differ. feb.modò earundem febrium compoſitarum putredinis ſedes fuerit diuerſa, ſeu acceſsionis principium diuerſum.Nos verò (ne nimis prolixus noſter reddatur ſermo) de ſingulis dictarum compoſitarum febrium differentiis, particulatim diſſerere non intendimus:ſed de ea duntaxat quæ ex quotidiana continua,& tertiana intermittente componitur. huius nanque tum modum generationis ac dignotionis,tum etiam curationis in ſequentibus cõſcribimus. ſub huius etenim exemplo, reliquæ omnes compoſitæ febrium differentiæ tum cognoſci, tum curari haud ægrè poterunt,potiſsimùm vbi quiſpiam exercitatus fuerit in dignoſcendis ſimplicium febrium differentiis,atque in eiſdem curandis,modo quo in ſequentibus conſcribemus. quibus ita perpenſis ac exactè definitis,haud ægrè quiuis curandi viam & rationem dictarum particolarium febrium ex putredine ortarum,tam ſimplicium & exquiſitarum quàm nõ exquiſitarum & etiam compoſitarũ inueſtigare poterit. etenim citra eas quas in vniuerſali methodo recenſuimus indicationes tanquam neceſſariò ſumendas in omnibus febribus ex putredine excitatis, hæc particularis adiicienda erit, quæ ex qualibet particulari iam dicta differentia oritur:ea verò non niſi ex diuerſa humoris natura,qui putredinem admittit,proficiſcitur. alia nanque particularis indicatio ſumitur vbi flaua bilis putreſcat,alia vbi nigra, & alia vbi pituita,pro particulari curatione febriũ,quæ ex eiſdẽ humoribus putreſcẽtibus

excit

Febris compoſita dupliciter.

Febres commixtæ dupliciter.

Febrium commixtio per cõplexũ, & confuſionem multiplex.

Per implexũ complicatæ febres, & per confuſionem, quid.

excitantur. nam ſi continuæ,aut intermittentes hæ fuerint, nullam aliam præ ſe ferent diuerſam indicationem: vbi ſcilicet continuæ plures acceſsiones habeant,ab eis quas diximus ex affectis partibus, ac inflammationibus ipſis eſſe deſumendas (vbi eædem etiam fuerint ortæ) ſi verò continentes pariāt febres, nullam præſcribent,quæ à parte affecta ſumitur,indicationem, nihilque particulariter indicabunt,præter id quòd ex eorundem humorum natura diuerſa indicant. oportet præterea quæ ſingulis iā dictis febriū particularibus differentiis,ex putredine ortis,propria eſſe diximus, conſiderare (præſertim intermittentibus) vt diſtinguas videlicet,nunquid earum quælibet exquiſita ſit,& legitima,an non exquiſita & illegitima, & velut notha? nam quantum quælibet earum à legitima,& exquiſita diſtabit,tantum oportet ab eo qui cōmiſtus eſt humore,pro eiuſdem febris curatione, indicationem ſumere, id quod ſeruandum eſſe puto in compoſitis etiam febrium differentiis,vbi diuerſi generis,aut ſpeciei fuerint:in continuis verò cùm exquiſitæ eſſe non poſsint, quātum quilibet humor putreſcens ſanguini cui ſemper, ſeu alteri humori cui interdum permiſcetur,exactè perpendendum eſt.At quomodo hæc dignoſcenda ſint: in particulari exercitatione patebit. Nunc verò tempus iam eſt vt determinati cuiuſlibet humoris periodi cauſas inueſtigemus.

De quotidiani,tertiani,& quartani circuitus cauſa. *Caput X.*

QVID autem humorum motus efficiat, & cur putreſcens pituita quotidie,bilis,tertio,melancholia quarto quoque die imperiū faciat,non ſatis admodum liquet. Quin potius plena diſſenſionis ac controuerſiæ exiſtit hæc diſceptatio, nec minùs difficilis Gale.auctore lib.3.de diebus decr.cap.8.cùm dicebat: {quæ igitur cauſa ſit,ob quam in acutis morbis tertio quoque die plurimum acceſsiones fiant,in longis autem,vel quotidie,vel quarto,non promptū eſt inuenire.} Propterea eam ſilentio præterire nolui,ſed breuiſsimis quoad potero huius veritatem ſimul cum eodem Gal.veſtigare conabor. Sunt nanque nonnulli, qui putant hoc ex humorum multitudine prouenire: nam quoties adeò aucta & collecta ſint excrementa,vt partem ad excretionem. ſtimulent, tunc validior in imbecillam,ea quaſi onus excutiens deponit,atque ideo morbos omnes qui per circuitum repetunt,fieri affirmant:qua etiam ratione interpretantur pituitæ ſatis quotidie,bilis flauæ nō niſi tertio,ac ipſius melancholiæ non niſi quarto die proinde cumulari poſſe,vt naturam ad excernendum proritet, circuitúmque moueat:eſt etenim maior pituitæ copia,quàm bilis flauæ,& maior bilis flauæ,quàm melancholiæ in corporibus noſtris, vt ipſi fatentur. Quæ opinio admodum erronea eſſe videtur, nonnulliſque erroribus ſcatens: nanque non omnes cauſas repetentium per circuitus morborum tradit,ſed vnam duntaxat,vtpote quando à robuſtioribus ad imbecilliores partes, excrementum transmittitur. Nos verò cum Galeno duas alias recenſuimus, videlicet quando partes quædam dolore, vel calore affectæ ſibiipſis excrementa trahant, aliis quidem non tranſmittentibus:item cum eædem ſibiipſis,ac in ſeipſis propter ibidem dictas cauſas generant excrementa. Nec minùs deficit in narrandis fluxionum cauſis, etiam earum quæ fiunt robuſtioribus ad imbecilliores excrementa tranſmittentibus: neque enim multitudine duntaxat ſeu copia grauatæ partes à ſeipſis (vbi robuſtæ fuerint) ſuperfluitates excutiunt, verùm etiam à qualitate irritatæ, cùm videlicet acre vel mordax fuerit excrementum:vt apud eundem Galenum legitur 3. de naturalib. facult. tertio de cauſis ſymptomat. 2. de differ feb. & ſexcentis aliis in locis. Ad hæc ſequeretur quòd vbi admodum non adeſſet pituitæ copia,ſed exigua quædam ipſius portio putreſceret,quotidianū non efficeret circuitū, cuius in dies contrariū cernimus: nam vbi putreſcat,ſiue multa,ſiue exigua fuerit: quotidianam efficit febrem.

Refellitur error eorū qui motū humorū in febrib. horū copiæ aſcribunt.

Circuitnū febrium ſubaud. cap. 3. huius partis.

Hæc opinio.

Rurſus

Rurſus pone quòd quibuſdam in corporibus maxima adſit bilis flauæ copia, aut ſucci melancholici, pauca verò pituitæ, tunc iidem humores ob copiã pari ratione quotidianam efficerent febrẽ, cuius oppoſitum in dies cernimus, quantumuis enim fuerit auctus quilibet eorum, tertio quoque die, ſi bilis flaua fuerit, & quarto, ſi nigra, acceſsionem pariet. Adde quod idem Gal. (vt paulò poſt dicemus) humorum copiam non typi ſeu acceſsionis formam variare fatetur, ſed acceſsionis longitudinem efficere. non igitur potens eſt humorum copia, diuerſorum circuituum cauſa eſſe, neque eorum ordinem ac ſpeciem mutare.

Altera opinio de circuituum febr. cauſa, quæ etiam improbatur.

Quidam alij non ſolam excrementi copiam, ſed aliam quandam vim maiorẽ eorundem circuituum, neceſſariò cauſam eſſe fatentur: eſt autem vis hæc propria contractæ putredinis qualitatiſve natura atque conditio, quæ vis ſeu qualitas in humore genita, efficit vt putreſcens pituita quotidie, bilis flaua tertio, atra quarto die impetum faciat, atque vt ſua eſt cuiuſque humoris ſpecies, ita & ſua cuiuſque putredo & qualitas, ſuus cuiuſque motus: ſed inuenire nequeo quomodo contractæ putredinis, qualitatiſve natura atq; conditio, efficere valeat horum circuituum diuerſitatem, cùm eadem putredinis natura vna ſit, Gal. auctore 11. de meth. med. cap. 8. eſt etenim mutatio totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam à calido externo. vna quoq; ponitur ab ipſo Ariſtotele 4. meteor. cap. 3. cùm dicebat, quod eſt corruptio quædam in vnoquoque humido, &c. cùm itaq; vna ſit cuiuſlibet putredinis natura, qua ratione poterit eadem diuerſos typos, diuerſóſque circuitus efficere, etiamſi in materiis diuerſis ſuſcipiatur, ipſius natura eadem ſemper exiſtẽte? At ſi velit iſte vir per propriã contractæ putredinis naturam, putredinis proprietatẽ intelligere, ita vt velut cuiuſque humoris ſua eſt ſpecies, ita & ſua cuiuſque propria putredo, nil aliud aſſerere intendit, quàm, id quod ferè vbique fatetur, cauſam videlicet cæcam eſſe, & occultam: ſed à forma (vt quiſpiã dixerit) ſpecifica, ſeu à proprietate ſubſtantiæ id prouenire: quia quemadmodũ quilibet humor ſuã propriam habet ſpeciem, ita etiã & putredinem, ſeu putredinis qualitatẽ propriam: & propterea proprium etiã motũ ac circuitum. quam opinionẽ via alia confutare nequimus, niſi manifeſtam vnà cum Galeno inueniamus cauſam hac etenim inuenta, fruſtra ad occultam quiſpiam confugiat.

Tertia opinio de eadẽ circuituũ cauſa non minus improbanda.

Sunt & qui huius cauſam ad ſtellas ſiue planetas quoſdam referendam eſſe contendunt: quæ opinio cùm adeò ſit (vt mea fert opinio) à veritate aliena, impugnationem nõ deſiderat, confugiunt enim ad communiſsimas cauſas, propriam ignorantes, qui iſthæc fatentur: neque nos falſas omnium opiniones, hìc refellere intendimus, ſed rei veritatem inquirere, pro qua inueſtiganda ſit prima hypotheſis, quòd pituita (vt inquit Galenus eodem 2. de diffe. feb. cap. 4.) humor eſt frigidus & humidus in temperatura, lentus autem, craſſus ac tenax in conſiſtentia, & idcirco ægrè accenditur, ac tardè mouetur, ſæpiúſque in foraminibus retinetur, & longũ etiam conſumit tempus, dum inualeſcendo peruenit ad ſummum, ita vt eius caliditatem cùm putreſcit, igni fumido in lignis viridibus accenſo, non male aſsimilaueris: nam quædam fumoſa caliditas cùm multo vapore cõmixta, exire videbitur, eo quòd magis ignis in multo humore ſuffocetur, quàm ipſum poſsit conuincere, vt patet primo de arte cur. ad Glau. cap. 7. oppoſito modo ſe habet flaua bilis: nam temperatura eſt calida & ſicca ſubſtãtiæ tenuis, quæ nullum in ſe habet, nec lentorem, nec tenacitatem, qua ratione humor hic putreſcens, promptiùs accenditur, citiúſque mouetur & inualeſcendo peruenit ad ſummum, nec foraminibus adhærens detinetur, quapropter eius calor veluti ignis effulgens, purúſque eſt, omnis fumoſæ fuliginis expers. Ipſa verò nigra bilis medio quodammodo ambigit, frigida ac ſicca temperatura conſtans, craſſæ & terreæ ſubſtantiæ, nullum tamen lentorem, nullámque tenacitatem in ſe continens, & propterea vbi accenſus fuerit in eo calor præter naturam, paulatim ſuccenditur, velut lapis aliquis, aut teſta, aut os, aut tale aliquid huiuſcemodi corpus frigidum & ſiccum. Sit altera & ſecunda

Cauſæ circuituum ex Gal. ſumptæ ex tẽperatura, conſiſtentia humorum, &c.

hypothe

hypotheſis, ex Galeni ſentẽtia citato loco, quòd eadem pituita cùm putreſcit, ac calor præter naturam in ea accenditur, propter iam dictas cauſas eius acceſsio admodum producitur, magis quàm in cæteris febribus, quæ ex vtraque bile accenduntur, neque intermiſsionis tempus eſt adeò, vt in tertiana, ſyncerum, ſed humoris putrefacti ſeruat indicium, idque propterea, quòd cum frigidus, lentus, tenáxque ſit humor, paruæ eius fiunt vacuationes in acceſsionum inclinationibus, neque integre expurgatur, ſed ſæpius in foraminibus retinetur, vt diximus, ita quòd cùm exquiſite ſuam ſeruauerit naturam, pleriſque videatur puram intermiſsionem habere, & nos quoque hoc idem non raro fatemur, cùm nimium diligens ſermo fuerit intempeſtiuus inquit Galenus, licet ad integram quietem manifeſtè (exceptis paucis) non perueniant, eodem Galeno teſte citato, libro 1. de arte curat. ad Glau. Si verò bilis flaua putreſcat, præter naturam calor qui in ea accenditur, contrario modo ſe habet; etenim eius acceſsio breuior erit quàm in aliis febribus, vbi exquiſita fuerit: neq; enim vltra duodecim horas æquinoctiales protelabitur, tempúſque intermiſsionis longius ac ſyncerius quàm in quotidiana. Nam cùm humor natura ſit calidus & ſiccus, conſiſtentia tenuis, & cito accenditur, & quàmprimum etiam ad ſummum peruenit vigorem, & propter ipſius humoris tenuitatem vniuerſus in acceſsionibus expurgatur. & propterea ad puriorem quandam infebricitationẽ terminare videtur, poſt quam acceſsionem breue aliquod putridæ caliditatis veſtigium relinquere. Cùm verò nigra bilis putreſcit paulatim (vt dictum eſt) veluti lapis, aut teſta ſuccenditur. Verùm vbi aliqua ex ea flamma fuerit accenſa, nihil fumidum aut ſemicombuſtum in acceſsione relinquit, & idcirco in hoc humore copioſiores fiunt vacuationes quàm in pituita, cuius febris acceſsio temporis ſpatio eſt ſimilis tertianæ: nonnunquam & longior, cùm adhuc exquiſita perſeuerat, vt quæ ex frigidiore humore cõſiſtat, atque intermiſsio exquiſitè pura videtur, quoniam quicquid nigræ bilis fuerit accenſum, exhauritur, atque diſpergitur, propterea quòd licet craſſus conſiſtentia ſit, nec lentitiem, nec tenacitatem poſsidet, quemadmodum pituita. Quibus ita poſitis cũ eodem Galeno fatemur, nullam aliam cauſam eſſe quòd pituita quotidie, flaua bilis tertio, & nigra quarto quoque die acceſsionem pariat: quàm eorundem humorum naturam: appello autem naturam eo modo quo Gal. eam definiuit
cap. 4. 3. de tempera. cùm dixit: {ſanè naturam cùm dico, vniuerſam ſubſtantiam, ac temperiem quæ ex primis elementis conflatur, ſignifico: calido, frigido, humido & ſicco.} ita vt per humorum naturam intelligam, tum eorum conſiſtentiam, ſeu ſubſtantiam, tum etiam temperaturam, quæ in calido, frigido, humido & ſicco conſiſtit. Cùm verò diximus ex Galeni auctoritate pituitam eſſe frigidæ & humidæ temperaturæ; craſſæ, lentæ, ac tenacis conſiſtentiæ, hac ratione ægrè quoque accendebatur, ac tardè mouebatur, longúmque conſumebat tempus, donec inualeſcendo perueniret ad ſummum. Ob quas cauſas rationabiliter concludimus eius acceſsionem citius quàm decem & octo horis terminari non poſſe, cum ægrè (vt dictum eſt) accendatur, tardéque moueatur, ac longum tempus conſumat, dum ad vigorem perueniat, inſuper cùm tenax lentúſve ſit humor, & propterea cutis foraminibus retineatur, neceſſariò ſequitur eum non exactè expurgari in acceſsionum declinationibus: quamobrẽ eius quod veluti ſuccendi videtur, non parum etiam relinquit, in eiſdem acceſsionũ declinationibus, ita vt ob id longè deterior ſit eius intermiſsio quàm in tertiana, ac ſecundæ acceſsionis feſtinat inuaſio eodem Galeno teſte citato loco, quæ feſtinatio eum citiùs fieri nequeat vna die, ſequitur quòd quolibet die faciat impetum. & ſi dicas quòd non propterea protelari vltra vnum diem eius circuitus non valet, fatentur & hoc quoque fieri non poſſe: nam adeò plurimæ ſunt reliquiæ ex priori acceſsione derelictæ, adeòque copioſum eſt id quod veluti ſuccendi videtur, & prohibitum ob cutis ſtipationẽ ne tranſpiret, & propterea deterrima eius intermiſsio, vt vltra diem vnum ſequens acceſsio

prorogari nequeat, ob quas cauſas Gal. eodē loco dicebat, quòd pituita ſingulis diebus accenditur, quāuis minùs calida ſit biliosa tertiana; ac ſi velit innuere quòd quamuis pituita minùs ſit opportuna vt accendatur quàm bilis, citius tamen ſecūdæ eius acceſsionis feſtinat inuaſio, quoniā non integrè expurgatur, neque parū relinquit eius quod velut ſuccendi videtur, eiúſq; intermiſsio propterea longè deterior eſt quàm in tertiana, quæ omnia bilis maiori opportunitate, longè præualent. Non igitur citiùs, neque tardiùs quàm quotidie pituita accendi valet, propter iam dictas cauſas, & propterea quotidiani circuitus ex propria pituitæ natura, hoc eſt ſubſtantia ac temperie, & non aliam ob cauſam, proueniunt. Similiter & flaua bilis, cùm calida & ſicca tēperatura exiſtat, tenuíſque ſubſtantiæ, & propterea ad accenſionem parata, quia tamen cū accenſa eſt, facilè ſubinde propter ſubtilitatem, quicquid ex eadem efferbuerit, totum in acceſsione expurgatur, ac ad puriorem quandam infebricitationem terminare videtur, & poſt acceſsionem quoque breue aliquod putridæ caliditatis veſtigium relinquit, propterea ſecundæ acceſsionis non ita feſtinat inuaſio, quemadmodum in pituita, ſed tertio quoque die fatigat. etenim quantum ad eius naturā ſpectat, opportunus magis eſt humor hic accenſioni quàm pituita: quia verò vniuerſus in acceſsione expurgatur, exigua propterea relinquitur occaſio, vt iterum ſuccendatur reliquus humor, cum breue aliquod putridæ caliditatis veſtigium relinquatur acceſsione ſoluta, adeò vt eius intermiſsionis tempus, longius, ac ſyncerius ſit quàm in quotidiana: & ob id non vt pituita ipſa circuitū pariet, ſed ipſam conſequitur, cuincitur enim eius opportunitas quam ad accenſionem magis, ac citius quàm pituita habere deberet, ab eius integra expurgatione, ob quam cauſam tardiùs accenditur. ergo quatenus ipſam præcedit pituita in acceſsione, eatenus eam inſequi debet, ſed pituita ſingulis diebus fatigat, & ipſa igitur flaua bilis tertio quoque die fatigare debet. At nigra bilis, quoniam frigidæ & ſiccæ temperaturæ exiſtit, terrenæ craſſæque conſiſtentiæ, difficiliùs quàm flaua bilis accenditur, quamuis in hoc humore copioſiores ſint vacuationes, quàm in pituita; nihilque fumidum, aut ſemicombuſtum in acceſsione relinquatur, quapropter & intermiſsio exquiſitè pura videtur, eo quòd quicquid nigræ bilis fuerit accenſum, exhauritur, atque diſpergitur in eius accenſione, & ob id licet cum flaua bile cōueniat quòd accenſus humor vniuerſus in acceſsione expurgetur, differt tamen ab ea & ſubſtantia ſeu conſiſtentia, & temperatura, ob quæ difficiliùs accenditur: frigidæ etenim & ſiccæ, ac craſſæ conſiſtentiæ exiſtit; tardius itaque accendi debet quàm flaua bilis: & quam proportionem eadem flaua bilis habet cum pituita in ſecundæ acceſsionis generatione, eandem & hic humor cum flaua bile, qui propter eius frigiditatem, ac craſsitiem duntaxat ægriùs quàm ipſa flaua bilis accenditur, & non ob aliam cauſam. Quare rationi conſentaneum eſt quòd par ſit tempus quo ipſa quàm bilis flaua tardiùs accenditur, cum eo, quo etiam ipſa flaua bilis pituita: erit itaque propterea quarto quoque die eius circuitus, quemadmodum bilis tertio quoque die.

De quintanis, ſeptimanis & nonanis circuitibus, longitudine & breuitate ac ordine & perturbatione ordinis ipſarum acceſsionum. Caput XI.

SED ſtatim obiicies, cùm nonnullæ ſint febres quintanæ, ſeptimanæ & nonanæ, quemadmodum ab Hippoc. ſcriptum eſt. 1. de morbis vulga. ſequeretur quòd nullus poſſet dari humor, ex quo oriri poſſent, ſi ex eorūdem humorum natura dicti circuitus, & non alij excitari valent. At nos (id quod Galenus fatetur eodem 1. & 3. de morbis vulgaribus, & 1. de differen. febr. cap. 5.) aſſerimus quòd quemadmodum ipſe, etſi ab ipſa adoleſcentia ad illum vſque diem obſeruaſſet nunquam ſeptimanum, aut nonanum omnino viderat circuitum, nec clare, nec

Commen. 3. ſuper text. 2. 7. & 17. Com. 3. ſuper text. 64.

obſcurè:quintanos tamẽ obſcuros,ſed non exactè,aut apertè,vt quotidianos, tertianos,& quartanos.ita & nos, cùm hucuſque obſeruauerimus, neque eoſdem circuitus inſpexerimus ſimul cum ipſo Galeno, illos fieri poſſe negamus, nam(vt ipſe inquit)non habebis ex quibus ſignis, aut humoribus oriri dicas, vel quintanum,vel ſeptimanum, vel nonanum circuitum. Hippocratis autem auctoritati ſimul cum eodem Galeno ſatisfacere poterimus, quòd videlicet illa quæ 1.lib.de morbis vulgaribus,de his febribus ſcripta ſunt, nõ ſint eiuſdem Hippoc.ſed ab alio fuerunt infarcta.nam cùm eodem libro & 2.& 3. eiuſdem operis, multos ſeparatim ægros adduxerit, ac tempeſtates integras ſit proſequutus,nunquam nec quintana nec ſeptimana quenquam ægrũ laboraſſe ſcripſit,nuſquam etiam de quintanis,vel ſeptimanis,vel nonanis meminit,nõ modo in præſagiis,ſed nec etiam in aphoriſmis, quemadmodum ipſe Galenus teſtatur. Quòd ſi eundem textum Hippocratis eſſe conteodes, & non alterius, adhuc eius ſententiam ſaluare poterimus, potiſsimùm cùm libro. de Typis,ca. 4.& c.5. videatur Gale.non negare tales circuitus,cùm dicebat: { eadẽ de quintano,& ſeptimano intelligantur,& ſiquis alius Typorum ordo inuenitur.} nã vt ipſe inquit libello de exercitio paruæ pilæ, ca.4.{nihil prodeſt qualitas, vbi quantitate labefactetur.} Et lib.3.de ſimplicium medicamentorum facul.c.23. de letalibus, ſeu deleteriis medicamentis verba faciens,tam calidis,quàm frigidis,dicebat:{opus eſt enim vt quicquid agat,etiam ſi valentiſsimũ ſit,quod aliquantam tamen & magnitudinem habeat,quando nimirũ & ignis ipſe,ſi prorſus minimus ſit,præterquàm quòd non vret,ne calfaciet quidem, quippe cùm & centeſima quidem ſcintillæ portiuncula ſenſu à nobis ſit imperceptibilis.} ita quoque & nos dicere poterimus quòd quemadmodum letalia medicamenta præ paruitate innoxiæ corpus permeare valent, licet ſuapte natura interficiant, perinde etiam & humores ipſi, licet ſuapte natura iam dictos excitent circuitus,poterit hæc eorundem natura, ex quantitate labefactari,adeò vt eorum circuitus forma, ſeu ſpecies omnino propter exiguitatem peruertatur, quoniam nec naturam proritant, vt eos ad proprios eorundem etiam motus excitet,niſi eo tempore quo conueniens etiam copia eorundem fuerit cumulata:hoc verò eſſe poterit quinto,ſeptimo,vel nono die,vt non priùs ob eorum exiguitatem,ob quam impeditur eorum proprius determinatus motus, ſed protelatur. horum autem circuitũ cauſa potiſsimùm atra bilis eſſe poterit, Paulo teſte capite 21.ſecundi libri. Sed iterum pugnabis, inquiens,nos decreuiſſe quòd ſiue multa fuerit eorum copia, ſiue exigua,ſemper tales ſeruabunt circuitus.ergo propter exiguitatem eorundem circuituum ordo non peruertetur. Huic ſatisfacies,nos de ea exiguitate ſermonem feciſſe, cùm qua poterit humorum natura, ac temperies ſeruari, ita quòd aliquantam habeat magnitudinem,& non vbi prorſum minima ſit eorum quantitas, adeò vt in ea, propria natura ſeruari non poſsit, ita vt à nobis ſit perceptibilis, quemadmodum de centeſima ſcintillæ portiuncula exemplum dabat Galenus: hæc etenim eſt illa exiguitas quam aſſeruimus poſſe eorundem proprios circuitus peruertere,ac diutius protelare, potiſsimùm vbi nigra bilis fuerit: poterit enim eius circuitus ob iam dictam cauſam vſque ad quintum, ſeptimum, vel nonum diem produci.licet ſimul cum Galeno cenſeamus per quàm rarò illud euenire poſſe,& inter eos circuitus, potius quintanos quàm ſeptimanos,& nonanos contingere poſſe:& ſi ſigna propria non habeamus talium circuituum, ſatis ſit nouiſſe eorundem cauſam ex propriis eiuſdem ſignis. Poterunt etiam caſu interdum iam dicti circuitus prouenire,atque adeo ſimili etiam victus ratione,licet reuera circuitus dici nequeant: qui enim ægroti non prorſus ſunt affectione morboſa liberati,ſed ſemen aliquod retinuerunt, iis ad victum negligentioribus euenit,interdum ſexto die à principio febricitare, ſæpe ſeptimo,non rarò octauo,ſæpenumero alio; & cùm febris ceſſauerit, putantibus ſe prorſus eſſe liberatos,eodem etiam victu omnino vtentibus, ex ſemine morbi reliquo,to-

Quintanorũ & ſeptim.circuitũ cauſa. Obiectio cui mox reſpondet.

tidem

tidem diebus in eandem affectionem deuenietibus ſimiliter febricitare; quod quidem ſæpe poteſt accidere, vt & æquale ſit quod affectionis eſt reſiduum, & ægroti eundem victum habeant, Galeno teſte citato libro 1. de morbis vulgaribus. Cæterùm cum quælibet acceſsio dictarũ trium differentiarum febrium, in eo quod magis & minùs plurimam habeat differentiam, tanquam valde neceſſarium, ac vtile diſſerendum eſt, quam ob cauſam hoc fiat: & breuiter vnà cum Galeno aſſerimus citato 2. de different. febrium, cap. 3. triplicem ob cauſam hoc fieri poſſe, quarum vna humoribus, ſecunda viribus, & tertia corporis diſpoſitioni tribuenda eſt. Humoribus quidem, aut propter eorum multitudinem, aut qualitatem, ſeu ſubſtantiam, & conſiſtentiam; viribus, quoniã aut robuſtæ, aut imbecillæ ſunt, corporis diſpoſitioni, quoniam aut rara aut denſa corporis diſpoſitio exiſtit. Multus ſiquidem humor, eo qui paucus eſt longiorẽ affert acceſsionem, & craſſus tenui. Robuſtæ vires breuiorem, quẽadmodum imbecillæ longiorem. Corporis autem diſpoſitio, rara quidẽ, breuiorem, denſa longiorem affert. Et vbi omnes, aut plures iam dictæ cauſæ copulantur; breuiſſimam aut longiſsimam efficient acceſsionem. tantóque tempore earundem acceſsionum ordo ſeruabitur, donec in partibus quæ acceſsionum cauſa exiſtunt, ſimilis ſeruatur affectus; qui quidem duplex exiſtit Gale. auctore eodem 2. lib. de diff. feb. ca. vi. alter quidem imbecillitas partis, ex qua fiunt ſuperfluitates, alter verò qui ex eiſdem quotidie genitis oritur. Peruertitur autem earundem acceſsionum ordo, aut ob tranſmutationem humoris, aut ob victus errorem. atqui maximè tranſmutatur, ac in alteram naturam tranſit ſanguis cùm putreſcit, cũ pars vna fiat flaua bilis, alia verò nigra, vt dicemus. Accedit etiam interdum, quòd qui putreſcere incipit humor in aliquo membro conſiſtat, alter verò ex aliis defluat partibus, qui, vel in ipſis ſolis continebatur, aut in vniuerſo corpore animalis redundabat. quantum igitur in ægrotantium corpore humores mutantur, tãtum etiam & acceſsionum circuitus. ſic quoque & quæcunque circa victus rationem errata ab ægrotantibus fiunt, nihilominus hæc circuituum ordinem euertunt. etenim quodcũque offenſionis genus effatu dignum interuenerit, vel circuitus anticipare, vel alios diuerſæ naturæ à prioribus oriri eſt neceſſarium, à quibus acceſsionum, ordo peruertitur. Animaduerſione tamẽ dignum eſt quòd ſæpius ob circuituum complicationem, quæ à medicis ignoratur, vidẽtur abſque ordine acceſsiones in ægrotantibus fieri: ſed non ita reuera res ſe haber, quemadmodum videtur; nam tunc verè ordo euariatur, vt diximus, quando qui febrem faciunt humores, in alteram naturam tranſierint, aut in victu errare contigerit, & ob id aut diuerſæ naturæ à prioribus circuitus fiunt, aut anticipant, vel cunctantur.

Com. 3. ſuper tex. 7.

Cauſa diuerſitatu acceſsionum triplex.

Cauſa ordinis acceſsionum ſeruati.

Cauſa ordinis acceſsionum peruerſi.

Conſiderandũ ne ordinis acceſsionũ immutationem exiſtimemus eſſe quæ ſit circuituum complicatio.

De febre ſanguinis, & quòd ipſe interdum putreſcat, permaneátque ſub forma propria: & febris ex ea orta ſit ſanguinea. *Caput XII.*

SED iam tempus eſt, vt completus fiat ſermo de omnibus febribus ex humorum putredine ortis, id quod iam conſultò diſtulimus aggredi. Eſt verò, Num ex ſanguinis putredine aliqua febris ſpecies oriatur diuerſa ab iis de quibus ſermonem habuimus? Contemplatio ſiquidem omnibus ferè quæ de ipſis febribus diſſeruntur, præſtantior. Nam ephemeras eo tantummodo calefacto, non autem putreſcente fieri, nemo hæſitare videtur. Verùm cùm hac in re nonnullos videam inter ſeſe digladiari, quò faciliùs veritas cuilibet pateat, ordine
quodam nonnulla diſſerenda putaui. Quorum primum eſt, Num ſanguis ipſe 1.
veluti & cæteri humores, putreſcere poſsit? Secundum, Num ſi putreſcat, 2.
confeſtim quod putreſcere incipit in alterius humoris naturam vergat, vel
adhuc ſuam propriam formam ſeruet? Tertium, ſi ſanguis putreſcat, febris
quæ ex eo generatur, num contineatur in aliqua iam dictatum trium differen- 3.

4. tiarum, vel ſit quarta differentia ſeorſum ab eiſdem diſtincta? Quartum, Num
hæc eadem febris, ſiue quartum genus ſit, ſiue ſub iam dictis tribus cõtineatur,
5. febris dicatur ardens, vel non? Quintum & vltimum, Num eadẽ febris ſit acu-
ta, vel nõ acuta? Et ſi acuta, num acutior, vel minùs acuta ea quæ ex flaua bile
generatur? Quibus declaratis, quæſiti veritas facile patebit. Quãtum ergo ad

Sãguis quandoque putreſcit.

primum attinet, ſimul cum Galeno 2. lib. de diffe. feb. c. 9. aſſerimus ſanguinem
ipſum neceſſariò quandoque putreſcere, & propterea, inquit ipſe, quærendum
quænam ſit harum febrium ſpecies. idem quoque confirmari poterit eiuſdem
Galeni auctoritate 1. de diff. feb. c. 4. & 9. & 11. metho. med. c. 3. & c. 4. cùm dice-
bat quòd promptiſsimè putreſcũt quæcunq; corpora ſunt calida & humida, at-
que in calidis locis permanentia, niſi diſflari, ac refrigerari cõtigerit, cùm verò
ſanguis ſit eiuſmodi, nõ modo putreſcere, ſed etiã prõptiſsimè valet, vbi diffici-
lem tranſpirationem habeat, in eóq; putredo oritur ab aliena caliditate, quem-
admodum in cæteris omnibus: hæc nanq; apta eſt putrefacere, & corrumpere
quemadmodum inſita atque natiua cõcoquere; veluti idem Gal. Ariſto. aucto-

Cap. præcit. Sanguis putreſcere poteſt in omnibus vaſis, uel in quibuſdam, ex Galeno.

ritate citato lib. 2. de differen. feb. ſcriptum reliquit. & cùm putredo nedum in
omnibus, aut principalioribus vaſis, verùm etiam in quibuſdã particularibus
ac determinatis partibus generari poſsit, eodem Galeno auctore vndecimo de
metho. meden. c. 4. vt ſæpiùs dictum eſt, ſimul cum eo etiam fatemur ſanguinẽ,
non modo in omnibus, aut principalioribus vaſis poſſe putreſcere, verùm etiã
in quibuſdam particularibus, quòd verò in omnibus ac potiſsimùm maximis
interim putreſcat, citato li. 9. de meth. med. c. 3. ſcriptum eſt; vbi de συνέχῳ (hoc
eſt continente febre) verba faciens, poſtquàm declarauerat vnum genus eiuſ-
dem febris citra putredinem exiſtens ſubdit hæc verba: { alterum eſt, vbi in
omnibus vaſis, & potiſsimum maximis æquabiliter ſucci putreſcant. } Atqui
per humores, vt in præcedentibus dictum eſt eiuſdem Gale. auctoritate lib. de

Sanguis & humores idẽ.

multitudine, c. 10. ſanguine perpetuò ſubintelligit Gal. ita vt nihil referat ſi hu
mores, an ſanguinem appelles. idem quoque cõfirmauit 11. eiuſdem operis libr.
& in fine citati lib. 2. de diffe. feb. c. 1. illud luce clariùs patefecit cùm dixit: { Sed
quæ circuitum non habent febres, in illis nulla eſt corporis pars, quæ præcipuè
ſit offenſa, ſed qui in venis & arteriis omnibus continentur humores, atqui hi
præſertim, qui in maximis, atque plurimo calore abundantibus ſunt, aut ob a-
liam quamuis cauſam quemadmodum in ephemeris, aut ob putrefactionem
feruentes febrem accendunt σύνοχον appellata. } Quid clariùs quòd feruenti-
bus ob putrefactionem humoribus qui in vaſis omnibus continentur, hoc eſt
ſanguine ipſo, continens accendatur febris? quòd verò in aliqua corporis par-
te, particularibúſque & paruis vaſis, ſanguis putreſcere, ac interdum corrumpi
conſueuerit, idem Gal. manifeſtauit citato lib. 2. de differen. feb. ca. 9. inquiens:
{ ſed & quando in aliqua corporis parte ſanguis plurimus aceruatus eiuſdem
corporis facultatem opprimit, corrumpi conſueuit, ac tum præcipuè cùm in
paruis vaſis propter craſsitudinem obſtruitur, aut propter multitudinem im-
pingitur, quemadmodum inguinum tumoribus ac collectionibus, atque vt
vniuerſaliter dicatur, in inflammationibus vniuerſis: nam in huiuſmodi affe-
ctibus, duplicem ob cauſam corrumpitur ſanguis, & quia ſcilicet nõ diſflatur,
& quia natura non conuincitur. } Ex quibus manifeſte iam liquet ſanguinem
ipſum quandoque putreſcere, non modò in omnibus ſeu maximis & principa-

Num ſi putreſcat ſanguis &c.

lioribus vaſis, verùm etiam in quibuſdam paruis, in aliqua corporis parte exi-
ſtentibus, patet inſuper quo pacto in eiſdem locis putrefiat. At quod ſecundo
loco differere propoſuimus, admodum in Galen. doctrina difficile videtur, ita
vt propter eius difficultatem eiuſdem Galeni opinio prauè à quibuſdam fue-
rit intellecta. Nam Auicen. libro 4. fen. 1. tracta. 2. cap. 43. habet hæc verba:
{ opinatus eſt Galenus, quòd non fit febris ſanguinis, à putredine ſanguinis;
nam ſanguis cùm putrefit, fit cholera, & non eſt ſanguis; fit ergo tunc febris
cholerica, & non ſanguinea, & fit cauſon prædictus, aut tertiana: & cura eam

cum

cum illa cura.} Auerroes verò 4. collig. cap. 31. dicit: {quòd Galeni verba vana ſunt in hac febre, quia aliquando dicit quòd eſt cholerica continua, & aliquando dicit quòd eſt aliud à cholerica, & quòd non debet attribui choleric æ, niſi quia non habet putrefactionem perfectam, quia natura iſtius febris eſt media inter febrem diei, & febrem putridam.} Hæc Auerroes. Nos autem conabimur eius opinionem, ac veritatem dilucidare, qua inuenta, clara luce patebit quantum ij ex Arabum familia præcipui viri (pace eorum dixerim) hallucinati fuerint, cùm aut Galeni ſententiã non perceperint, aut ſi perceperunt, gratis & abſque vlla ratione, ſatyrico intellectu, & leonino, vt quiſpiam dixerit, dente, eundem damnare, ac dilacerare conati ſint. Pro cuius veritatis inueſtigatione, ſtatuendum eſt primo pro hypotheſi, quòd cum ſanguinem dicimus putreſcere, non eundem exquiſitè ſyncerum ſubintelligere oportet: ſed eum qui vtriuſque bilis & pituitæ particeps eſt, quippe cùm exquiſitus vſque adeo ſanguis, in venis contineri nunquam poſſit, vt nihil in eo nec bilis, nec pituitæ, nec ſeroſæ feratur saniei, Galeni auctoritate libro de multitudine, per prævalentiam tamen, ſeu præpotentiam ſanguine appellato, quamuis menſura quadam mediocri, animalibus naturali habitu præditis, admixti alij fuerint ſucci, vt ſæpius dictum eſt, qui etiam proportionem quandam inter ſeſe ſeruant, etenim non ſolùm maior copia eſt eius ſubſtantiæ quæ ſanguinea dicitur, quàm pituitæ, ſed etiam maior pituitæ, quàm bilis flauæ, & maior bilis flauæ quàm nigræ. ſunt verò perpetuò iam dicti humores intra vaſa confuſi: & ob id cùm dicimus ſanguinem putreſcere, & ſub eius forma adhuc permanere, de hoc ſanguine intelligendum eſt, quem etiam ſæpe confundere videtur Galenus cum humoribus, ita vt idem ſit dicere humores redundare: aut putreſcere, quod ſanguinem: vt citato libro de multitudine, & alijs pleriſque locis à Galeno decretum eſt. Sequitur ex dictis altera, & ſecunda hypotheſis, quòd talis ſanguis licet ad ſenſum homogeneus, ac ſimilaris videatur, tamen ſecundum rei naturam, heterogeneus eſt, ac ſimilaris, plures in ſe continens diuerſas ſubſtantias, ac humorum naturas, vt diximus, quia pituitæ, & vtriuſque bilis particeps eſt. id verò indies cernitur etiam in ſanguine, ſecta vena euacuatoſi pauco poſt tempore inſpiciatur, nam in diuerſas ac inæquales ſubſtantias diſſoluetur, licet primo intuitu ſimilaris videatur, quemadmodum etiam & lac. Et proinde rationi conſentaneum eſt, quòd cùm ipſum putreſcere aſſerimus, non æquabiliter ſecundum omnes eius partes putreſcere intelligamus, cùm non æqualiter eædem partes præter naturam calorem ſuſcipiant, ac putredinem, ſed vna magis, altera minùs: vna promptiùs, altera ægriùs, prout vna, vel earum altera maiorem reperitur habere aptitudinem ad ſuſcipiendam putredinem, & calorem præter naturam. Quinimò tantam ineptitudinem quandoque ad ſuſcipiendam putredinem, ac præter naturam calorem, aliquam earundem ſubſtantiarum habere poſsibile eſt, quòd licet commixta ſit cohæreátque cum aliis putreſcentibus, nequaquam & ipſa putreſcat. Quapropter illa promptiùs ac magis putreſcit, quæ magis obnoxia putredini exiſtit: deinde altera quæ minùs, & deinceps (vbi inualuerit putredo) altera, quouſque populetur omnes ac ſingulas ſanguinis partes. quoad autem adeò augeatur putredo, vt vniuerſus ſanguis ſecundum ſingulas eius partes corrumpatur, ſemper in eo permanet ſaltem vna eius ſubſtantia, quæ videlicet minùs putredini obnoxia ſit, à putredine innoxia, aut ſaltem ſemiputreſcens, quamuis quòd eadem alteretur, ac incaleſcat neceſſum ſit, cum commixta, ac confuſa cum putreſcente ſubſtantia intra vaſa, conſiſtat. quæ quidem ſanguinis pars ceſſante putredine, & ſedata febre, ſiue in omnibus vaſis, ſiue in aliquibus ſanguis putreſcat, confeſtim ad ſuam redit naturam. id verò comprobare licebit: nam genita continente febre ex ſanguinis putredine ac per venæ ſectionem curata (etiam ſi vſque ad animi defectum fiat) ſanguis quidam omnino in ipſis venis permanebit, qui nutriendo idoneus eſt, etiam

Sãguis quis intelligatur in quæſtione propoſita.

Loco citato.

Sãguis corpus heterogeneũ.

Sanguis nõ æqualiter ſecũdũ omnes ſui partes putreſcit.

ſi nulla alia ſanguinis portio recenter fuerit genita, nullúmque alimentum fuerit exhibitum; aut exiguum adeò, vt tantam ſanguinis copiam, quæ pro animalis vita ſatis ſit, gignere non valeat. hac enim victus ratione in his febribus vtendum eſt, id verò fieri haudquaquam poſſet, niſi cum tali ſanguine putreſcente, aliqua ipſius ſubſtantia immunis à putredine ſeruaretur, alterata duntaxat, ac calfacta, aut ſaltem ſemimala, & ſemiputreſcens, adeò vt ſublata putredine, poſsit ad priſtinam redire naturam, corpúſque nutrire, alterata ſiquidem, ac vtili reddita à naturali vaſorum facultate. liquet igitur quòd cùm ſanguis putreſcit, non æqualiter ſecundum quamlibet eius partem præter naturam calorem ac putredinem ſuſcipit, niſi eius putredo fuerit exitioſa, aut valde magna in eo fiat corruptio, ſed perpetuò aliqua eius ſubſtantia à putredine immunis, aut ſaltem ſemiputreſcens, ſeu ſemimala remaneat. Cuius ſimile oſtendimus de febre hectica; nam licet in ea ſolidæ accendantur partes, non tamen in earum qualibet, ſingulæ ſubſtantiæ quæ ſolidas conſtituunt partes accenſæ ſunt, ſed quædam incaleſcunt duntaxat, vt in principio, ſeu prima ſpecie febris hecticæ fieri demonſtrauimus. Nec quiſpiam dixerit quòd tunc quod putreſceret non diceretur ſanguis, ſed alius quiſpiam humor; nam nullum alium dicimus humorem redundare, ſed veterem ſeruare proportionem, & propterea non quempiam eorum, ſed ſanguinem putreſcere aſſerimus, magis tamen ſecundum vnam quàm alteram eius ſubſtantiam, ob iam dictas cauſas: ſimiliter, & æquabiliter ſuccos putreſcere fatebimur, hoc eſt ſanguinem. Inſuper & tertio pro hypotheſi habeatur, quòd quemadmodum putredo in reliquis omnibus corporibus, ac cæteris humoribus non generatur in inſtāti, ſed in tempore, ita quoque aſſerendū eſt de ſanguinis putredine, quòd non in inſtanti, ſed in tempore introducatur. eſt nanque putredo, de qua nunc fit ſermo, non ſubſtantialis, ſed accidentalis forma, & propterea ſicuti ea in inſtanti non introducitur, & cùm accidentalis ſit, ſuſcipit etiam magis & minùs in quacunque re generetur, alioqui dicere haudquaquam valeremus hæc maior, illa minor putredo eſt; perpetuò tamen per putredinem intelligentes, mutationem totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam, à calido externo, quæ etiam à Gal. quandoque exigua ſeu parua corruptio nuncupatur. Quapropter cùm mutatio ſit in alteratione, ac (vt ſic dicam) in fieri conſiſtēs, audacter aſſerimus non ſolùm putreſcente ſanguine, non æqualiter omnes eius partes putredinem ſuſcipere, verùm etiam illas quæ putredinem ſuſcipiunt, non æqualiter putridas eſſe. etenim cùm aſſerimus aliquod putreſcere, quandam eius partem putrefactam, ſeu omnino corruptam eſſe fatemur, quandam verò non ita, ſed ſemimalam ſeu ſemiputridam, quemadmodum 11. de metho. meden. cap. 8. Galenus teſtis eſt; quæ iterum pars ſemimala, & alterari, & concoqui, & vtilis reddi valet, id quod perpeti haudquaquam poſſet, ſi omnino putrefacta, ac corrupta foret, quod dilucidiſsimè manifeſtauit Galen. comment. aphoriſ. 17. 2. libri, cùm dicebat: {quòd incipere quidem poteſt ea quæ ad vires refertur multitudo abſque corruptione, verùm non poteſt bona permanere. nam omnino neceſſe eſt vt ſecundum qualitatem tranſmutetur & proceſſu temporis corrumpatur.} & addit: {quod enim in vinis accidit aceſcentibus, tale quiddam & in ſanguinis alteratione cōtingit: quod autem in vinis accidit, tale eſt, vbi ex toto acida facta ſunt, non redeunt rurſum ad vini naturam, paruo autem in ipſis facto momento, ita quòd acidum quidem habeant saporem, nondum tamen acetum ſunt, multa ſæpius ex his priſtinam naturam recuperarunt; hoc idem in ſanguine euenit. nam & ipſe vbi magna in eo facta ſit corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem, ſi verò pauca fiat, vbi id quod eſt ſuperfluum fuerit euacuatum, quod reſiduum exiſtit, ad ſuam naturam reſtituitur.} Id etiam confirmauit de ſingulis humoribus lib. 1. de differen. febr. cap. 5. inquiens: {ſemper enim ſuis viribus natura vtens, quicquid optimum fieri contingit, iis quæ aluntur partibus aſsimilare, quicquid verò

Si ſanguis putreſcit, id eſt humores, ali qua ex his putreſcit & nō ſanguis. Huic obiectioni reſpondet.

verò alienum conatur expellere, quòd ſi aliquando ob quampiam cauſam expellere non valeat, fieri non poteſt, qualiſcunque fuerit humor, nedum alienus, vt talis permaneat, qualis erat ab initio, ſed alterum omnino ſequitur, vt ſcilicet concoquatur, atque aſsimiletur ſolidis partibus animalis, aut putreſcat, & corrumpatur.} Non itaque opus eſt vt confeſtim quicquid excerni non valeat, etiamſi alienum ſit, nedum ſanguis ipſe, vt putreſcat & corrumpatur, ſed vbi diutiùs in animalis corpore perdurauerit, & concoqui, apponi, atque aſsimilari ſolidis animalis partibus nequeat. Neque etiam cùm aſsimilari non poſsit, confeſtim corrumpitur vniuerſus, ſed paulatim putreſcens, exiguáque priùs in eo facta corruptione progreſſu temporis magnoperè putreſcit, ac corrumpitur, vt ex iam dictis liquet. Quibus ita poſitis aſſerere nõ dubitabo, quòd ſanguis interdum putreſcẽs ſub eius forma permanere poterit, ita vt non confeſtim in alterius humoris naturam tranſeat, potiſsimùm vbi exigua in eo putredo, ſeu curruptio generetur. etenim vbi quod eſt ſuperfluum, fuerit euacuatum, quod reſiduum exiſtit, ad ſuam naturam reſtituitur, vt paulò ante ex Galeni auctoritate commento aphoriſmi 17. ſecundi libri, concluſimus; ſi enim omnino corrumperentur, ac eius formam penitus deperderet, vtique non poſſet iterum ad primam redire bonitatem, vt liquet citato loco. Id quoque contingit, vbi non omnes eiuſdem ſanguinis partes æqualiter corruptæ ſint; quòd fieri poſſe paulò ante demonſtrauimus, ſed quædam eiuſdem ſanguinis partes veluti ſemimalæ, ſeu ſemiputreſcentes ſint. Nam vacuato priùs quod putrefactum eſt, poſſunt ab ipſa natura alterari, ac vtiles reddi, quemadmodum & cæteri humores ſemiputreſcentes, ſeu ſemimali exiſtẽtes. Quòd verò ſi in omnibus corporis venis, aut maioribus & principalioribus putreſcat ſanguis, adhuc ſanguis ſit, & dicatur, decretum reliquit Galenus libro ſexto de morbis vulgaribus, cùm inquit: {inter omnes corporis partes, plurimas, grădiſsimáſque venas vteri habent, cúmque eos aut menſes, aut à partu purgamenta ſuppreſſa, aut phlegmone aliqua vtcunque orta, male acciperint, ipſos ſanguine compleri neceſſum eſt; quo deinde putreſcente ſi febris excitetur, inter ſynochorum ſpecies ipſam connumerari opus eſt; nam id genus febrium, ex putrido ſanguine accendi oſtenſum eſt.} & ſecundo de differentiis febrium, circa finem, illud idem affirmauit, cùm dicebat: {quòd quando qui in venis & arteriis omnibus, aut præſertim in maximis, & calidioribus continentur humores, aut ob aliam quamuis cauſam, aut ob putrefactionem feruentes ſint, febrem accendunt ſynochon appellatam.} hoc idem & nono, & vndecimo de methodo medendi, ab eodem ſcriptum eſt, quemadmodum in præcedentibus demonſtrauimus. At quòd in quibuſdã partibus, ſeu paruis & determinatis vaſis, idem ſanguis putreſcens, quandoque ſuam formam ſeruauerit, neque in alterius humoris naturam tranſeat, clariſsimis verbis ſcriptum reliquit Galenus citato lib. ſecundo de differentiis febrium, cap. 9. inquiens: {eius verò quod dicitur fidem facere poteſt id etiam quod in laterum inflammationibus cernitur: nam quidam in ipſis ſpumoſum, quidam pallidum, quidam rubrum expuunt liquorem, quod nihil aliud eſt, quàm ea humoris pars in inflammatione exuperantis quæ retineri non poteſt, ſed præ tenuitate ſudat exterius.} & paulò poſt ſubdit: {quando pallida ſputa fuerint, bilis exuperantis ſunt indicia, quemadmodum ſpumoſa, pituitam, rubra verò ſanguinem indicant; quare (inquit) decens eſt ipſum ſanguinem nonnunquam in his quæ inflammationem patiuntur particulis ſubire putredinem, ex qua ſimpliciores quidem, quàm ex aliis humoribus febres fiunt, ſimilem verò acceſsionum proportionem aſſumere, qualem tertianæ maximè febres oſtendunt. nam ita in iis qui laterum inflammationes patiuntur obſeruatum eſt, quo tempore maximè rubrum expuũt.} Nemo itaque in Galeni doctrina hæſitare debet, quòd interdum putreſcens ſanguis, ſiue in vniuerſis aut maioribus vaſis, ſiue in paruis & particularibus adhuc propriam in ſe ſanguinis formam retineat, adeò vt ſanguis dicatur, & ſit, quamuis

Comment. 1. ſuper text. 2.

Locis ſupra citatis.

non optimus,ſed putreſcens ſanguis appelletur, nullúmque aliud ſortitur nomen alterius humoris, potiſsimùm vbi exigua fuerit eius putredo, ſeu corruptio,aut non omnes eius ſanguinis partes eandem æqualiter ſuſceperint, ſed quædam minùs,quædam forte nullo modo, eiúſque febrem ſanguineam eſſe, & dici, σύνοχον videlicet, hoc eſt continentem appellatam, ſi in omnibus,aut maioribus vaſis,aut συνεχῆ, hoc eſt continuam,quæ plures acceſsiones habet, ſi in paruis quibuſdam aut particularibus putreſcat,ex eóque ſimpliciores fieri febres,quam ex aliis humoribus, & ſi συνεχὴς fuerit, ſimilem acceſsionum proportionem aſſumere,qualem tertianæ febres oſtendunt.

Febris ex ſanguine putreſcente in omnibus,aut maioribus vaſis, continẽs eſt,ſi in paruis quibuſdã, cõtinua plurium acceſſionum.

Quòd licet febris orta ex putreſcente ſanguine ſit ſanguinea,poteſt biliosa appellari, quo fit, vt non detur quartum genus febrium. *Caput XIII.*

SED confeſtim inſtabis,inquiens hanc non eſſe Galeni ſententiam,ſed potius eidem aduerſari,nam ſecundo de criſib. cap. 11. loquens de ſanguine ſecundum naturam ſe habente,impacto ac detento in aliquo loco,ac inflammationem faciente, quemadmodum in inguine,habet hæc verba: {liquet autem quòd cùm hic putreſcere cœperit,non amplius bonus remanet,ſed iam ad amaræ bilis naturã trãſit,ſeu iam biliosus fit.} habet enim textus Græcus ἀλλ' ἤδη πικρόχολος γίνεται: hoc eſt,ſed iam biliosus,ſeu bilioſæ naturæ fit. non igitur putreſcens ſanguis,eiuſdem formam ſeruare poterit, poſtquàm cum putreſcere cœperit, non amplius bonus remanet,ſed bilioſus fit. Hæc Gal. ſententia nonnullos trãſuerſos egit,ex prauo eius intellectu,ita vt propterea quidam putarint, vt diximus,Galeni opinionem eſſe,quòd ſanguis putreſcens,confeſtim in amaræ bilis naturam vergat,& nõ amplius ſanguis ſit,nec dici poſsit. Verùm ſi quis intimius eius verba ſpectauerit,optiméque perpenderit, inueniet hanc ſententiam, nedum ei quam priùs concluſimus aduerſari, ſed eandem eſſe cum illa. Nam fatemur nos inſimul cum eodem Galeno, quòd cùm putreſcere cœperit ſanguis,non amplius bonitatem ſuam, ac mediocritatem ſeruat ita vt poſsit optimus aut bonus ſanguis appellari, quemadmodum etiam verum eſt in cæteris humoribus, qui cùm putreſcere cœperint, haudquaquam optimi,vel boni ſunt,ſed idem ſanguis cum primùm putreſcere incipiat, ſimul etiam incipit mutari, ac conuerti quodammodo in bilis naturam, ita quòd incipit bilioſus fieri, quaſdam bilis qualitates participans, quoniam calidior quodammodo redditur, cùm à præter naturam calore mutetur, & alteretur: at non confeſtim & immediatè omnino conuertitur in bilem, adeò vt ipſe fiat exactè bilis, ac in eandem conuertatur: ſed taliter alteratus, ac tranſmutatus aptior redditur,ac præparatur ad ſuſcipiendam bilis formam,quæ quidem alteratio, tranſmutatio,putrefactio,ſeu ſanguinis corruptio adeo magna,vt ipſe omnino corrumpatur, in inſtanti haudquaquam fieri poteſt, ſed in tempore, paulatim ac ſenſim,& per gradus quoſdam acquiritur: quo ſtante proculdubio fateri licebit, quòd donec hæc alteratio, ac ſanguinis putrefactio, ſeu corruptio exigua eſt,in motu, ac generatione,& (vt quiſpiam dixerit) in fieri, licet non amplius bonus remaneat,vt optimè inquit Galenus, & propterea bonus ſanguis dici nequeat,appellari tamen poterit ſanguis, ſed bilioſus, & non bilis: participat enim quaſdam qualitates ipſius bilis, vt dictum eſt: non tamen exactè in eandem conuerſus eſt, quouſque magna in eo corruptio facta fuerit, ſitque in alterationis termino,& eandem bilis formam ſuſceperit. id enim ſubintelligere voluit Galenus,cùm dixit quòd fit bilioſus, & non dixit quòd cùm putreſcere cœperit,fit bilis,& non eſt ſanguis, vt falſò eidem imponit Auicenna. Quinimò toto alterationis tempore, quo putreſcit, ac corrumpitur, ſanguis eſt, & non flaua bilis, licet bilioſus,vt ſæpiùs dictum eſt. Neque etiam vniuerſus ſanguis cùm putreſcere cœperit, fit bilioſus, licet calidior reddatur, ſed in dun-

Sanguis cùm putreſcit, bilioſus fit, non ſtatim bilis.

taxat

taxat quod in eo pingue, ac tenue eſt. Quod demum cùm magnoperè exuſtum, putrefactum, ac corruptum fuerit, fit flaua bilis, eodem Galeno auctore citato libro ſecundo de criſibus, & de differentiis febrium. Quatenus itaque putredine ei adueniente, ſanguis ab eius natura, & bonitate recedit, eatenus ad bilis naturam accedit. Verùm toto hoc tempore quo ab eius natura recedit, ac ad bilis naturam accedit, donec eiuſdem bilis formam ſuſcipiat, verum erit dicere ſanguinem putreſcere, eiúſque formam ac naturam ſeruare licet non optimum, nec bonum, ſed quodammodo bilioſum eſſe. Temporis autem progreſſu, cùm valde putrefactus, corruptus, ac exuſtus fuerit, tunc pars quidem eius ſubtilior, & pinguior omnino in flauam conuertitur bilem, quæ autem craſsior, in atram: quemadmodum citatis locis ab eodem Galeno ſcriptum eſt: nec amplius ſanguis appellari poterit, cùm iam conuerſus fuerit omnino in aliorum humorum naturam, ſpeciem, ac formam, & hoc tempore fatemur bilem eſſe ab eo genitam flauam, ſeu atram. verùm quemadmodum in his tumoribus qui carbunculi appellantur, ex ſanguine craſsiori ſupra modum efferueſcente, ortis, ad atræ bilis humorem eiuſdem ſanguinis fit tranſmutatio, appellátque Galenus atræ bilis humorum, licet nondum exquiſitè in atræ bilis naturam tranſierit, ſed in quodam ſit confinio conſtitutus, vt patet citato libro ſecundo de differentiis febrium, ita quoque impropriè quiſpiam, licet non verè poterit, tenuiorem, ac pinguiorem ſanguinis partem, cùm putreſcere cœperit, licet nondum in flauæ bilis naturam tranſierit, ſed in quodam confinio ſit conſtituta, bilem appellare. Neque nos de nominibus haudquaquam altercantes, reclamabimus, modò rei natura ſeruetur, quòd videlicet re ipſa ſanguis ſit, etiam ſi putreſcere cœperit, & bilioſus fiat: licet non amplius bonus permaneat, vt Galenus inquit, & febris quæ ex eo oritur, ſanguinea ſit, & non billioſa, quemadmodum neſcio quo pacto, parum rectè interpretatus hoc in loco Galenum, princeps Arabum Auicen. contrarium ei impoſuerit, quòd videlicet idem Galenus velit. cùm ſanguis putrefit, fit cholera, & non eſt ſanguis, & tunc febris fit cholerica, non ſanguinea: quod quidem vnquam ne vel ſomniaſſe viſus eſt, quinimò contrarium ſentire iamdudum demonſtrauimus, & nono etiam de meth. med. cap. 3. nō modò duplex eſſe febrium genus, quod ex ſanguine proficiſcitur, manifeſtè fatetur, cùm dixit: {atq; vnum quidem hoc, ſiue genus, ſiue ſpeciem, ſeu quiduis aliud appellare libeat συνόχων, id eſt, continentium febrium eſt, quódque ex eadem cum diariis natura conſtat, alterum eſt vbi in omnibus vaſis, ac potiſsimùm maximis, æquabiliter ſucci putreſcunt.} Verumetiam ambo dicta duo continentium febrium genera, ſe curaſſe teſtatur, vnum in adoleſcente libero, & palæſtræ perito, alterum in ſeruo adhuc exercitato: liber quidem, vt ipſe inquit, continenti citra putredinem febre laborauit, ſeruus verò continenti cum putredine. Qui etiam locus, ſi optimè fuiſſet ab Auerroë interpretatus, ac perpenſus, non vtique ſic temerè aſſeruiſſet, quòd verba Galeni varia ſunt de hac febre. non enim (vt palam ex eius verbis liquet) percepit hoc duplex genus febrium συνόχων, id eſt, continentium dictarum, à Galeno fuiſſe poſitum, quorum vnum eſt citra putredinē, & bene (vt idem Auerroës inquit) mediam habens naturam inter febrem diei, hoc eſt diariam, & febrem ex putredine ortam: exoritur enim velut tertia quædā formula in tranſitu diariarum febrium, & neutri extremitatum eſt idem, vt citato libro nono de meth. meden. ſcriptum eſt, de qua febre non quæritur num bilioſa ſit, cùm in hoc febrium genere ſanguis haudquaquā putreſcat. Alterum verò cum putredine exiſtit, quemadmodum eodem loco ſcriptum eſt, & aliis pleriſq;, & hoc eſt illud quod cùm perfectam non habeat putrefactionem, hoc eſt (vt nos declarauimus) magnam, & in termino, adhuc ſanguinea, & non bilioſa febris nuncupatur, licet idem ſanguis quodammodo bilioſus fiat, & quandam putredinem, licet exiguam ſuſcipiat. Verùm ne ſic libenter tanti viri condemnentur, excuſandos eſſe puto, quòd deprauatos habuerint Gale. codices, & pro

Locis citatis.

Loco citato. Febris continens cum putredine, eſt ex ſanguine putreſcente, & ſanguinea, nō bilioſa.

& propterea parum rectè eum hac in re fuiſſe interpretatos. quicquid autem ſit, ſatis fore putaui me propriam Galeni in hac re ſententiam demonſtraſſe. Et ne quis eum impugnare putet, inquiẽs, quòd vbi hoc verũ eſſet, daretur quartum genus febrium ex putredine ortarum, cuius contrarium ipſe ſemper ſentire videtur, præſertim ſecundo de criſib. cap. 9. & de different. febr. cap. 2. inquiens, tria tantùm eſſe prima ſimplicium febrium ex putredine ortarum genera: tertianam videlicet, quartanam, & quotidianam. quarum vna ex amara bile, altera ex atra, & tertia ex pituita generatur, ad diluendam hanc dubitationem accedam. Porrò ſi quis rectè perceperit ea quæ de ſanguinis putredine retulimus, haud ægrè eam è medio tollet: etenim cùm is putreſcere cœperit, ſuam bonitatem amittit, ac continuè ad flauæ bilis naturam accedit, fitque bilioſus, quanquam non propterea ſecundum rei naturam non ſit ſanguis, ſed quia à principio quo putreſcere incipit ad finem vſque, quo bilis formam recipit, eo magnoperè putrefacto, ac corrupto, ſemper alteratur, ac transmutatur in bilis qualitatem, præparatúrque ad eius formam ſuſcipiendam, tanquam ad finem: propterea quæ hoc tempore medio, ex eo febris accenditur, licet ſecundum rei naturam ſanguinea ſit, quoniam ex ſanguine oritur, quia tamen non bonus exiſtit, ſed bilioſus, & continuè magis bilioſus fit, à ſua natura recedens, accedénsque ad eam quæ bilis eſt, ob id febris hæc poterit quodammodo dici, & appellari bilioſa, licet ſanguis non omnino conuerſus ſit in bilem, ſed proximus ſit vt eius formam ſuſcipiat: admittit enim denominationem à fine, ſeu à termino ad quem, tanquam à ſuſcipienda forma, ac acquirenda, cui proximus iam ſanguis eſt: & hac ratione dici poterit, licet impropriè, quodammodo febris bilioſa, & reduci ad vnum iam dictorum trium generum febrium ex putredine ortarum, & ita quartum genus non dabitur. nam licet pars illa pinguis, ac tenuis, quæ in ſanguine eſt, fiat flaua bilis, eo putrefacto, ac corrupto, vniuerſus tamen ſanguis cùm putreſcere cœperit, calidior redditur à calore præter naturam, & propterea bilioſum reddi quiſpiam eum dixerit: ſanguis enim ex moderato calore generatur, flaua autem bilis ex maiore, atra verò, ex ſufficienter immodico, inquit Galenus, & id eſt quod voluit aſſerere lib. ſecundo de criſib. cap. 12. cùm dixit: {atque in hoc illud ſeruatur, triplex eſſe genus vniuerſum ſimplicium febrium, quæ enim ex ſanguinis putredine fit, iam quodammodo bilioſa eſt.} dixit enim: {ἤδη πως χολώδης ἐστίν,} hoc eſt, iam quodammodo, ſeu quoquo pacto bilioſa eſt. quaſi velit quòd non omnino ſit bilioſa, ſed poteſt ita quodammodo appellari, propterea quòd cùm ſanguis putreſcere cœperit, non amplius bonus remanet, ſed bilioſus fit, qua ratione ſaluari poterit triplex eſſe genus vniuerſum ſimpliciũ febrium ex putredine ortarum. verùm cùm idem ſanguis immodicè exuſtus, ſeu putrefactus fuerit, tunc verè & propriè quod in eo pingue ac tenue eſt, fit flaua bilis: craſſum verò ac veluti fæx, atra: & proinde verè vna, vel altera febrium ſpecies generabitur, & pro varietate humorum, in quos conuerſus fuerit ſanguis, febres fient, ſola bonitate vel malitia differentes: ſiquidem illæ quæ ſanguinis transmutationem conſequuntur, ſimpliciores ſunt, tum in reliquis, tum in caliditatis qualitate mitiori, vt liquet ſecundo de differentiis febrium. Generatur itaque ex putreſcente ſanguine, donec exigua in eo putredo fiat, reuera ſanguinea febris, cùm ſanguis adhuc ſit eius cauſa, appellari tamẽ quodammodo poteſt, licet impropriè, & non verè bilioſa, propter eas quas nuper tradidimus cauſas, quoniam ad illud genus reducitur, & ita non dabitur quartum genus febrium, ſed ſeruari poterit triplex in vniuerſum exiſtere, quemadmodum citato libro ſecundo de criſibus, à Galeno decretum eſt. etenim & illæ quoque febres quæ fiunt eodem immodicè exuſto, ac putrefacto, bonitate etiam differunt à reliquis ſimilibus, quæ ab aliis excitantur humoribus, non ex ſanguine genitis, ita quòd non vndequaque eædem eſſe videantur.

Reſpõdet obiectioni. Si febris ſit ſanguinea, eſt quartum genus febriũ ex putredine ortarũ.

Cap. citato.

Loco ſupracitato.

Quòd

Quòd febres ex putreſcente ſanguine ortæ, non ſint de genere ardentium.

Caput XIIII.

QVARTVM quod de febre ſanguinis abſoluendum propoſuimus, erat, num ſanguine putreſcente, quæ ex eo oritur febris, ſit de genere ardentium, ſeu deurentium, ita vt poſsit appellari καῦσος, hoc eſt febris ardens, ſubintelligimus autem per ſanguinem putreſcentem, quando idem breuem quandam & exiguam ſuſceperit putredinem, ſeu corruptionem, priuſquàm omnino putreſcat ac corrumpatur, hoc eſt toto eo tempore quo ipſe alteratur, mutatur, ac putreſcit: diximus enim toto eo tempore febrem eſſe ſanguineam, quãuis biliosa quodãmodo appellari poſsit, impropriè tamen. Huic facilis eſt reſponſio, ſi in memoriam reuocentur quæ à nobis explicata ſunt de καύσῳ, ſeu febre ardente. Conclusimus enim cum Galeno exquiſitam febrem ardentem ex flaua bile intra vaſa putreſcente accendi: quam duo neceſſariò comitantur, exurens ſcilicet caliditas, & incõpeſcibilis ſitis. Quibus ita poſitis, abſq; controuerſia aſſerimus, febrem ortam ex putreſcente ſanguine, donec is ſuam ſeruauerit formam, & exiguam ſuſceperit putredinem, non eſſe, neq; dici poſſe καῦσον, id eſt, febrem ardentem. etenim toto hoc tempore, neque ſanguis ipſe putreſcens bilis eſt, vt declarauimus, neque etiam hanc febrem illa duo neceſſariò comitantur, quod facilè patere poterit inſpecta ipſius ſanguinis natura. Sed aduerſus hæc ſtatim inuehunt quidam, aſſerentes quòd febris hæc de genere eſt deurentium, Galeni auctoritate ſecundo de criſib. cap. 6. cùm dicebat: {continuã quidem nomino febrem, quæ ad infebricitationem antequàm ex toto ſoluatur non deſinit, etſi declinatio aliqua ſenſibilis appareat: cùm autem neq; declinatio aliqua ſenſibilis fiat, ſemper verò à primo principio febris vſque ad criſim ſimilis, perſeuerauerit, erit & hæc ex genere deurentium.} ſed febris hæc (inquiunt iſti) quæ à principio ad finem vſq; vnam habet acceſsionem σύνοχος, à iunioribus appellata, oritur ex ſanguinis putredine: ergo erit ex genere ardentiũ atq; deurẽtium. Sed pace eorum dixerim: peruertunt enim hoc in loco Galeni ſentẽtiam, cùm non de continente, quæ ex putreſcente ſanguine accenditur febre, hîc ſermonem faciat, ſed de ea quæ ex bile oritur, quemadmodum paulò ante à nobis explicatum eſt: id verò confirmant verba eiuſdem Galeni quæ ſubſequuntur. ait enim: {ſed neque in primo die, neque in ſecundo eſt huiuſmodi febrem prænoſcere, neque aliter vtile: ſufficit enim genus agnoſcere, quòd ſcilicet biliosa ſit, deurens, & peracuta: neque etiam ſi ſynochum ipſam nominaueris, vt quidam medici faciunt, appellationis ratione à febribus deurentibus differt.} cùm itaque Galenus paulò ante determinaſſet exquiſitam febrem ardentem eſſe, ac fieri quando flaua bilis intra vaſa putreſceret, hoc in loco voluit docere, quòd eadem bilis quandoq; in particularibus, & exiguis vaſis putreſcebat, & tunc febris continua nomine generis appellabatur, plures acceſsiones vſque ad eius ſolutionem habens: quandoq; in omnibus, aut ſaltem maximis, & principalioribus, & tunc ſynochos à iunioribus medicis nuncupabatur, vnicam habens à principio ad finem vſque acceſsionem. Et comparans has duas febres ex bile ortas inter ſeſe, de hac ſecunda differentia dicebat, quòd ſatis erat genus agnoſcere, quòd ſcilicet biliosa ſit, atque deurens. erit itaque propterea ex deurentium genere febris hæc, quoniam ex putreſcente bile, & non ſanguine ortum habet, vt liquidò ex Galeni verbis conſtat, quinimò & tanto ardentior eſt febris hæc ea, quæ plures habet acceſsiones, quanto bilis in pluribus, ac maioribus vaſis putreſcit. De bilioſo ergo ſynocho, & non ſanguineo, hoc in loco Galenus loquitur: neque de febre ex putreſcente ſanguine adhuc verba fecerat, ſed poſt nonnulla, ferè circa finem eiuſdem libri, cap. 12. priuſquàm de ephemeris febribus loqueretur, de hac febre meminit, ſuámq; de ea propalauit ſententiam, quemadmodum præcedenti capite fuſiùs diſſeruimus. Tentant ſecundò probare, hanc eandem febrem ex genere deurentium eſſe, in mediũ afferentes

Obiectio ex Galeni uerbis malè intellectis, quæ ſtatim declarantur.

Altera obiectio.

Galeni

Galeni auctoritatem, nono de meth.med.cap.4.quo loco verba faciens de ambabus ſynochis ortis ex ipſo ſanguine dicebat febrem hanc eſſe magnam, imò maximam,& facta collatione eius quæ cum putredine exiſtit,cum ea quæ citra putredinẽ eſt,dicebat,eam putredinis notas,tum in lotio,tum in pulſu, tum ingrata caloris qualitate manifeſtare. Atqui non negamus nos febrem hanc magnam eſſe,imò & maximam:ſemper enim febrilis caloris multitudo, in multitudine defluxus conſiſtit,inquit Galenus ſecundo de differ. febr. cap. 9. porrò multum deſluit in hac febre ex putreſcente ſanguine orta,cùm ſanguis natura ſit calidus & humidus,& propterea propenſus vt exhalet,ac digeratur in halitum eius ſubſtantia,potiſsimùm vbi putreſcens ſupra modum incaluerit, & idcirco plurima manui tangenti ſe offert in hac febre caliditas: eſt tamẽ omnino mitis, ſicut ea quæ in balneo contrahitur, vt ait idem Galenus, etiamſi ſupra modum exuſtus fuerit,& in aliorum humorum naturam cõuerſus: ideóq; ardens febris dici nequit. non enim cõſiſtit in caloris febrilis multitudine, neque in multitudine defluxus ipſa febris ardens, ſed in eius caloris mordacitate,moleſtia,ac acrimonia.quamobrem exurentem,& non multum calorem,dicebat eſſe febris ardentis ſignum pathognomonicum,qui quidem ex humoris acredine prouenit,& tangenti manui moleſtus ſentitur: hócque tibi ſit maximum humoris febrem faciẽtis indicium,eodem Galeno teſte citato loco: qualitas videlicet caliditatis. nam quæ magis vaporoſa, ac minùs moleſta exiſtit, ex ſanguine naſcitur: quæ verò moleſtæ ſunt, & erodentes, atque mordaces, vtranque bilem conſequuntur. Quare non propterea quòd febrem hanc magnam, ſeu maximam appellauerit Galenus,ardens,ſeu deurens febris dicenda erit,quæ non multam caliditatem requirit,ſed eam exurentem,mordacem, atque moleſtam. Et cùm inquiunt,quòd in ſynocha ex putreſcente ſanguine orta ſentitur caloris ingrata qualitas, admittimus nos quodammodo eius qualitatem ingratam ſentiri, ídque ratione putredinis ac febris. Verùm collatione facta ad reliquas febres, cum Galeno fatemur mitiorem eſſe hanc caliditatis qualitatem,hoc eſt minùs mordacem,minúſq; inſuauem quàm ea quę ex vtraque bile prouenit ſaltem,& propterea dici non poteſt exurens. ſimiliter eſt dicendum ſi huius caloris qualitas cõparetur ei quæ prouenit ex continente abſque putredine,cuius relatione eodem nono de meth.meden.dicebat, huius febris ingratam eſſe caloris qualitatem,verùm non ſimpliciter talem eſſe. Quòd ſi dixerint Gale.ſecundo de different.febr.cap. 9. de febre ſanguinis verba facere,quæ generatur eodem putreſcente in quibuſdam determinatis partibus, & nõ de ea quæ oritur cùm putreſcit in omnibus,aut maximis, & principalioribus vaſis: nam in hac febre caloris qualitas mordax eſt atq; inſuauis. Dicam & ego ſatis admodum in hiſce verbis oſtendere ſeſe pertinaces eſſe,cùm Galenus citato libro ſecundo de differentiis febrium, dicat: {ſemper enim febrilis caloris multitudo,in multitudine defluxus conſiſtit. quod verò manui tangenti moleſtum ſentitur,ex humoris acredine prouenit.} Non igitur ex diuerſo loco,ſed ex humoris diuerſitate,inquit Galenus,ſemper caloris qualitatem ſimilem percipi à manu tangente,& propterea hoc tibi dicebas eſſe maximum humoris febrem facientis indicium,qualitatem videlicet caliditatis:nam quæ magis vaporoſa,ac minùs moleſta exiſtit,ex ſanguine naſcitur ſemper,& nõ quãdoque vt iſti putant. Adhæc quæ vnquam poterit diuerſitatis cauſa reddi, ſi in omnibus, ſeu maximis vaſis, aut exiguis & particularibus ſanguis putreſcat? nónne ſanguis eſt vtrobique? nónne æqualiter erit id quod defluit vaporoſum, minúſque moleſtum, potiſsimùm vbi æqualiter vtrobique putreſcat, an fortè ex loci diuerſitate mutabitur eius natura? Qua de re licet febris ex putreſcente ſanguine orta,magna,ſeu etiam maxima dici poſſit,nunquam autem exurens, ſeu ardens propriè appellabitur,vt ex iam dictis liquet,cùm in alio febrilis caloris multitudo conſiſtat,& in alio eius acredo, ſeu mordacitas, cuius relatione febris ardens dicitur. Adhuc febrem continentem ex putreſcente ſanguine

ortam,

Quãuis febris ſanguinea ſit maxima, non propterea erit ardens.

Febris ardens in quo conſiſtat.

Qualitas caloris maximũ ſignũ humoris febrem facientis.

Tertia obiectio,quæ mox diluitur.

Loco precit.

Quarta ob-

ortam, nedum ardentem, ſed ardentiſsimam eſſe Hippocratis, & Galeni aucto ritate aphoriſ. 23. primi libri, probare conantur. inquit etenim Hippocrates: {atque vbi vſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger tolerare poſsit.} & Galenus in horum verborum expoſitione dicebat: {ea igitur animi defectio quæ fit ratione euacuationis, nunc ab Hippocrate dicta eſt menſura euacuationis, & in maximis inflammationibus, & in ardentiſsimis febribus, & in vehementiſsimis doloribus.} & poſt pauca inquit: {& nos ſæpiùs huiuſcemodi euacuationes prodeſſe plurimùm experientia didicimus; nam & in ardentiſsimis febribus, ſi vſque ad animi defectionem ſanguis mittatur, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & ſudores emanant, & quidam eorum ex iis ſanitati ſunt prorſus reſtituti, alij adiuti plurimum, vehementiam ægritudinis abſciderunt.} Atqui, inquiunt hi viri, hanc ſanguinis miſsionem vſque ad animi defectionem nullibi Galenum præcepiſſe, præterquàm nono de meth. meden. pro curatione febrium ſynochon dictarum, hoc eſt continentium, quæ fiunt ex ipſo ſanguine tum putreſcente, tum etiam non putreſcente. cùm igitur has febres ardentiſsimas, hoc in loco nuncupauerit Galenus, ſequitur quòd nedum ardentes, ſed ardentiſsimæ etiam ſint. Sed ſi verum dicere fas eſt (parcant mihi) parum rectè videntur hoc in loco Galeni verba exponere, licet de ſynochis verificentur, de quibus ſermonem habuit citato libro nono de meth. meden. Nam licet in primis Galeni verbis Græcus codex habeat πυρετῶν διακαεστάτων, à verbo διακαίω, quod Latinè inflammo, ardeo, ſeu inflammationem infero, ſignificat, non propterea interpretari debent eius verba in febribus ardentiſsimis ducti à vocis ſignificatione, ſed potius inflammationem inferentibus, vtpote quæ calidiſsimæ ſunt. Id verò idem Galenus confirmare videtur citato loco. Nam cùm dicebat ſe didiciſſe experientia, plurimum prodeſſe huiuſcemodi euacuationes in eiuſmodi febribus, non amplius vſus eſt voce διακαεστάτων, ſed dicebat θερμοτάτοις πυρετοῖς, hoc eſt calidiſsimis febribus, à verbo θερμαίνω, quod Latine ſignificat calfacio, ita vt calidiſsimas appellauerit eas febres, in quibus tali vſus eſt venæ ſectione, etiam eodem nono de meth. meden. & non ardentiſſimas. Quòd verò calidiſsimæ ſint febres quæ ex putreſcente ſanguine oriuntur, & non ardentiſsimæ dici debeant, idémque voluerit intelligere per vocem διακαεστάτων, quòd θερμοτάτων, nedum hoc in loco manifeſtè oſtendit, verumetiam citato libro ſecundo de differentiis febrium, illud luce clariùs demonſtrauit Galenus, cùm dicebat, febrilis caloris copiam, ſeu multitudinem ſemper poſitam eſſe in ipſa effluuij copia, quapropter ſi vaporoſa ſit, ac minùs moleſta, ex ſanguine naſcitur, cùm etſi plurima manui tangenti ſe offerat, eſt tamen omnino mitis, vt paulò ante dictum eſt. Itaque non negamus continentes febres ex putreſcente ſanguine ortas, eſſe magnas & calidiſsimas, cùm ſemper in eis tangenti manui ſe offerat febrilis caloris copia, ſeu multitudo, magis quàm in cæteris febribus, ob eam quã nuper diximus cauſam. verùm non propterea ardentiſsima aut ardens dici debet, de cuius ratione eſt, quòd non multus ſentiatur calor, ſed exurens, acris, ac mordax, quemadmodum priùs à nobis demonſtratũ eſt. Non igitur καῦσος, hoc eſt febris ardens exquiſitè & propriè quæ ex ſanguinis putredine accenditur febris, etiamſi continens ſit, dici poterit. ſi quis autem velit eam impropriè ſic appellare, quemadmodum etiam non verè, & propriè biliosa dici poteſt, propterea quòd proximus eſt putreſcẽs ſanguis, vt in bilem cõuertatur, ita etiam quoniam proxima eſt vt febris ex eo orta in ardentem tranſmutetur, modo rei veritas ſeruetur, quòd videlicet verè & propriè ardens, neque ſit, neque dici poſsit; ne videamur de nominibus litigare, non reclamabimus. Quinimò & ipſe Hippocrates etiam febres has continentes ab ardentibus ſeiunxit aphoriſ. 21. tertij libri, cùm dicebat: {æſtate autem nonnulli horum & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ &c.} quo in loco liquidò conſtat febres continuas ab ardentibus ſeparaſſe, intelli-

lectio, quæ diluitur explicatione uerborũ Galeni perperam intellectorum.

Cap. citato.

In commentario aphor. 23. lib. 1. pro febribus ardentiſsimis, uerte calidiſsimas.

Cap. citato.

gens per continuas febres, non alias quidem quàm has continentes, quæ ex ſanguine naſcuntur, licet vſus vt voce σύνοχος, quæ Latinè continuæ interpretatur: nam nunquam vel Hippocrates, vel ex antiquis alius continuam febrem appellauit συνοχόν, Galeno teſte, in fine ſecundi libri de natura huma. quare alias nõ potuit per continuas ſubintelligere febres, quàm continẽtes ex ſanguine, quas generari æſtate, potiſsimùm circa eius initia conſonũ eſt, quemadmodum & ardentes, & tertianas.

Quòd febres quæ ex ſanguinis putredine generantur ſint de genere acutorum morborum. *Caput XV.*

AT SI ardens non ſit febris ex putreſcente ſanguine orta, non ab re quæreret quiſpiam, num ſaltem poſsit dici acuta? & ſi acuta, num acutior vel minùs acuta ipſa febre ardente, quæ ex putreſcente bile oritur? Huic reſponſum dabimus inſimul cũ Galeno lib. tertio de criſib. c. 4. quòd cùm in omnibus morbis peracutis, vt ipſe inquit, neceſſarium ſit febres, vel ſynochos eſſe, vel continuas quidem, ſed quæ per tertiũ exacerbantur, ſequitur ſynochos ex putreſcẽte ſanguine ortas non ſolùm ex acutorum morborum genere eſſe, ſed peracutorum. Nec quiſpiam interpretari poterit per ſynochos, eas duntaxat febres, quæ ex putreſcente bile vnà cum ſanguine in vniuerſis, aut principalioribus vaſis fiunt, cùm indifferenter, ac vniuerſaliter dixerit Galenus vel ſynochos eſſe, ſubdens demum: { ſynochi quidem rarò eueniunt. } id quod etiam confirmare videtur tertio de dieb. decretoriis, cap. 8. cùm dicebat, { quæ igitur cauſa ſit ob quam in acutis morbis tertio quoque die plurimum acceſsiones fiant. } & non dixit ſemper, quaſi velit innuere, quòd ſynochæ febres, licet ex genere acutorũ morborum ſint, rarò eueniant. Id etiam confirmari poterit ex eiuſdem Galeni

Cap. citato.

verbis citato libro tertio de criſibus, cùm dicebat: { nam ſi febris ſynochus fuerit, ac nullus error acciderit (nam ſemper eiuſmodi oportet meminiſſe) in quarto die ſperãdum eſt criſim futuram. } cùm ergo citò terminetur, quoniam non vltra quartum diem, vt ipſe inquit, & eius ſolutio per criſim fiat, quæ fieri nequit, niſi in morbis magnis, & qui celeriter mouẽtur, ſequitur neceſſariò quòd

Acutus morbus quis.

acuta ſit febris: hos etenim morbos appellauit acutos Gal. ſecundo de dieb. decretoriis, & ſexto de morbis vulgaribus, c. 12. qui videlicet celeriter mouentur,

Commen. 1. ſuper tex. 29.

interim quoque magnitudinem adiicit, vt liquet commento aphoriſ. 19. & 23. ſecundi libri, vt quæ motus celeritatem adiuuat, eodem auctore, tertio de cri-

Cap. citato.

ſibus. Quòd verò celeriter moueatur, facilè patere poterit, quoniam cùm putreſcere cœperit ſanguis, iam bilioſus ſit, cuius naturæ eſt celeriter moueri. Eſt itaque continens febris ex putreſcente ſanguine genita, de genere acutorum morborum, & acutarum febrium ob iam dictas cauſas. ſimiliter etiamſi continua fuerit plures habens acceſsiones, erit adhuc acuta: quoniam ſimilem acceſsionum proportionem aſſumit, qualem tertianæ maximè febres oſtendunt,

Cap. citato.

vt ſecundo de differentiis febrium, ſcriptum eſt, licet eis ſimplicior ſit. cùm ergo per tertium exacerbetur, erit & hæc etiam febris acuta, vt ex iam dictis patet. Num verò acutior ſit, vel minùs acuta febre ex bile orta, non ita facilè diſ-

An febris ex ſanguine ſit acutior, uel nõ, febre ex bile? Synochus ex ſanguine minùs acutus eſt, quàm continens ex bile, ex definitione acuti morbi.

ſerere licet. Nam ſunt qui opinantur hanc febrem ex putreſcente ſanguine accenſam, bilioſa acutiorem eſſe. Nos verò oppoſitum cum Galeno tenemus: propterea noſtram ſtatuemus priùs opinionem, & deinceps rationes eorum qui contrarium ſentiunt, diluemus. Fatemur enim συνόχους, hoc eſt continentes febres, ex putreſcente ſanguine genitas, minùs eſſe acutas, quàm continentes ex bile ortas, & continuas quæ plures acceſsiones habent, etiam minùs acutas eſſe, eis continuis febribus quæ ex putreſcente bile, in determinatis ac exiguis vaſis excitantur, ac propterea plures etiam acceſsiones habent. Nam ſi eſſe acutum in motus celeritate cõſiſtat, vt iamdudum Galeni auctoritate expli-

plica

plicauimus,nemini venit in dubium quòd cùm calidior ſit,ac tenuior bilis flaua ipſo ſanguine, quòd celeriùs ac citiùs mouebitur ad criſim quàm ſanguis ipſe.At ſi velis acutum morbum non ſolùm conſiſtere in motus celeritate, ſed in ſymptomatum magnitudine,adhuc liquidò conſtat quòd maiora, & ſæuiora ſymptomata ex putreſcente bile, quàm ſanguine fiant. id quod decretum reliquit Galenus ſecundo de differentiis febrium, cùm dicebat,febres ex putreſcente ſanguine ortas mitiores, ſeu ſimpliciores eſſe quàm reliquas ex aliis humoribus ortas; & ſi tales humores ex eodem ſanguine geniti ſint, adhuc febres mitiores eſſe, tum in reliquis omnibus, tum in caloris qualitate, etiamſi immodicè exuſtus,in bilem conuerſus fuerit: quoniam ex tali bile adhuc mitior generatur febris,quàm ex alia bile non genita ex putreſcente ſanguine,& ait tum in reliquis omnibus ſimpliciorem, ſeu mitiorem eſſe, hoc eſt, reliquis ſymptomatis.Concludimus itaq; ex dictis vnà cum Galeno continuas febres, quæ ex putreſcente flaua bile intra vaſa accenduntur, tam ſi vnam habeant à principio ad finem vſq; acceſsionem, quàm ſi plures, acutiores eſſe quàm continuas ex putreſcente ſanguine genitas, ſpectata ipſa acutie, tam relatione facta ad motus celeritatem,quàm ad ſymptomatum magnitudinem,modò ſemper in cæteris paritas ſeruetur. Quòd verò falſa ſit hæc noſtra opinió probare tentant quidam,primò Galeni auctoritate, ſecundo de criſibus, cùm dicebat: σύνοχον,hoc eſt continentem febrem eſſe nedum acutam,ſed peracutam,eſſéq; ex genere febrium deurentium,ab eiſdémque acutie differre, quoniam magis acuta exiſtit. Huic obiectioni ſiquis memoria teneat, quæ paulò ante à nobis dicta ſunt,facilè reſpondebit: diximus etenim eo in loco Galenum haudquaquam de ſynocho,quæ ex ſanguine putreſcente ortum ducit,verba facere, ſed de ea febre continente, ſeu ſynocho quæ ex bile generationem habet, etenim idem Galenus dicebat:{ſufficit enim genus agnoſcere, quòd ſcilicet biliosa ſit, atque deurens,& peracuta.} quam etiam priùs dixerat eſſe ex genere febrium deurentium, & ab eiſdem acutie differre, hoc eſt,quòd magis acuta eſt febris continens ortà ex bile, quàm continua plures habens acceſsiones,quoniam in maioribus,ac principalioribus vaſis, cordíque proximioribus putreſcit. Innituntur ſecũdò,Gal. auctoritate,freti tertio de criſib.cap.4. cùm dicebat συνόχους, id eſt continentes febres,licet raro eueniant (vbi nullus ſit error) in quarta die per criſim finiri,qua ratione idem aſſerebat raro accidere, vt in quarta die fiat criſis,ita vt bis tantùm Archigenes toto tempore vitæ ſuæ id obſeruaſſet. Ipſe verò vſque ad eandem horam ſemel ſolùm, ſed quæ tertio die exacerbantur (inquiunt iſti) ex bile originẽ ducentes, perquàm rariſsimè in tertia aut quarta die iudicantur, ſæpiùs verò in quinta, ſeptima,& vltra.quapropter aſſerendũ erit acutiores eſſe continentes febres ex putreſcente ſanguine ortas, quàm continuas plures acceſsiones habentes ex bile genitas. Atqui nos fatemur primò quòd quicunq; morbi ex bile fiunt,in cæteris paritate ſeruata,potiſsimùm ea intra vaſa putreſcente, ſunt acutiores, & celeriori motu mouentur, quàm qui ex putreſcente ſanguine. dicebat enim Galenus citato libro tertio de criſibus,{adiuuat motus celeritatem morbi magnitudo,& anni tempus,& regio, & ætas,& quæcunque alia aſſnaræ bili conueniunt.} & cùm aiunt per criſim finiri ſynochum in quarta die, fatemur nos Galenum de omni ſynocho ſubintelligere voluiſſe,tam ex ſanguine,quàm ex bile: & facta inter has febres collatione, adhuc dicimus quòd ſi ex bile fiat febris continens citiùs per criſim finiet quàm ſi ex ſanguine, cùm & ipſa bilis velocioris ſit motus, vt probauimus;ac maiora, ſæuioráque ſymptomata inferat. continuæ verò febres ex bile putreſcente in particularibus ac paruis vaſis plurès acceſsiones habentes, quãuis ſæpiùs poſt quartum iudicentur,& raro ante,non propterea dici debent minùs acutæ,cùm & celeriori motu etiam moueantur, & magnitudinem habeãt magis quàm ipſæ etiam continuæ, quæ plures acceſsiones habent genitæ ex ſanguine putreſcente ſimiliter in particularibus & exiguis vaſis. ſunt etenim

1. Obiectio ex Gale. auctoritate malè intellecta. ca. 6.

2. Obiectio, quæ diluitur explicatione ſententiæ Galeni.

Cap. præcit.

hæ ſimpliciores ſemper, quàm aliæ quæ ex aliis humoribus fiunt febres, vt ſæpiùs dictum eſt, & propterea minùs acutæ, cùm neque ita celeriori motu moueatur ſanguis, quemadmodum flaua bilis, neque àdeò magna, ſæuáque ſymptomata pariat, modò æqualiter putreſcant. qua ratione licet cõtinentes febres ex ſanguine citiùs iudicentur, quàm quædam febres bilioſæ continuæ quæ per tertium exacerbantur, nòn propterea ſequitur eas eſſe ſimpliciter acutiores; nam facta inter eas relatione, celerior ſemper erit motus ipſius bilis, quàm ſanguinis, & maior ac acutior erit quæ ex bile, quàm quæ ex ſanguine putreſcente accenditur febris, dummodo ſemper ſeruetur in cæteris paritas, id eſt continens cõntinenti, & continua continuæ comparetur, vtrique humores pariter putreſcant: quamuis etiam audacter cum Galeno cenſeamus, aliquam febrem quæ per tertium éxacerbatur ex putreſcente bile ortam, acutiorem eſſe aliqua continente ex putreſcente ſanguine genita, vt ea in qua tertio die criſis fit, licet eius motus non adeò continuus ſit, & æqualis. id quod etiam manifeſtauit Galenus citato libro tertio de criſib. cap. 4. cùm dicebat, quòd quamuis oportet criſim in idem tempus incidere cum acceſsione, & propterea raro accidat vt in quarta die fiat criſis, contingit tamen in ipſis ſynochis febribus, natura à propriis circuitibus ad criſim perueniente, quaſi ex ſeipſa excutiens quod moleſtum eſt, non irritata ex ipſis acceſsionibus, neq; à velocitate motus, ac ſymptomatum magnitudine, ita vt propterea citiùs moueatur ad criſim, ſed ſponte ferè ad criſim peruenit, vt exoneretur ab eo quod velut onus moleſtum exiſtit; citiùs ergo iudicatur propterea continens febris ex putreſcente ſanguine genita, quàm continua plures acceſsiones habens, ex putreſcente bile orta, quandoque non propter eius motus celeritatem, aut ſymptomarum magnitudinem, ſed ipſa natura à propriis circuitibus ad criſim perueniente. ſunt etenim acutiores, vt diximus, morbi qui ex bilioſo humore fiunt, quàm qui ex ſanguine ac reliquis humoribus. Quod etiam oſtendit Galenus commento aphoriſmi ſeptimi, tertij libr. cùm dicebat: {ſiccitas verò pauciores quidem humores efficit, ſed qualitate bilioſiores, & ob hanc cauſam febres numero quidem ſunt pauciores quàm in temporibus pluuioſis, ſed acutiores. Cùm ergo continuæ hæ febres quæ per tertium exacerbantur ex bile genitæ, in acceſsionibus criſim habeant, poſſunt in tertia die finiri, vt eodem tertio de criſibus, liquet, & ita acutiores erunt quàm continentes ex putreſcente ſanguine accenſæ, quæ in quarta finiuntur, id quod prouenit non propter aliud, quàm propter acceſsionis magnitudinem, ac motus celeritatem maiorem quàm habent ipſis ſynochis ex ſanguine genitis.

Cap. præcit.

Cùm verò inquiunt, propterea acutiores eſſe febres ex putreſcente ſanguine ortas, quia Hippocrates primo de ratione vict. dicebat, quòd harum vi complures pereant, aſſerimus Hipp. citato loco tex. 8. connumeraſſe morbos, quos priſci acutos nominatim perſtrinxerũt, quemadmodum eſt pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, cauſus, & quicunque alij hos conſequuntur morbi; & propterea per febres continuas, non continentes ex ſanguine putreſcente ortas duntaxat ſubintellexit, ſed quæ ex aliis humoribus, diuerſiſque inflammationibus fiunt, quapropter & peripneumoniæ, & lethargi, & cauſi, hoc eſt ardentis febris meminit, & deinceps dixit: {& quicunque alij hos conſequuntur morbi, quorum febres prorſus continuæ interficiunt.} ac ſi velit intuere omnes febres continuas, præſertim ex inflammatione viſcerum ortas, ex quouis humore generationem habeant, acutas eſſe, ac vt plurimùm interficere, etiamſi ex humore frigido generentur, vt lethargus.

3. Obiectio, quæ ſoluitur, declarata ſententia Hippocratis.

Nec etiam noſtræ opinioni pugnat Galeni auctoritas libro de curandi ratione per venæ ſectionem, cùm inquit: {cæterùm vbi ferueſcentis ineſt ſanguinis plenitudo acutiſsimam accendens febrem.} Nam ex ſanguinis plenitudine febrem acutiſsimam fieri non negamus, cùm de numero peracutorum morborum ſit (vt priùs dictum eſt.) at quæ ex bile excitantur non propterea eiſdem acutiores eſſe non fatemur, quinimò has perpetuò eiſdem acutiores magis eſſe affir

4. Obiectionẽ refellit ſenſum Gal. declarando. cap. 12.

affirmamus (iis quæ retulimus ſeruatis) quamuis citato loco etiam Galenus de plenitudine feruеſcentis ſanguinis, qui quodammodo bilioſus eſt, ad bilioſámque accedit naturam, & non de putreſcente, ſeu redundante ſolo ſanguine verba fecerit. Reliquas quas in medium afferunt rationes, conſultò prætermiſimus, cùm & parui momenti ſint adeò, vt quiuis vel parum in medicina exercitatus, facilè eas dilucre valeat, tum etiã quòd de putrefacto omnino ſanguine, ac corrupto extra vaſa, ſupráque modum exuſto potiſsimùm cõcludant, & non de eo qui modicè putreſcit, ac corrumpitur intra vaſa, adhuc eius formam ſeruante, de quo noſter eſt ſermo, vt ſæpiùs dictum eſt. Qua de re cum eodem Galeno proculdubio tenemus, continentem febrem ex putreſcente ſanguine accenſam, minùs acutam eſſe, quàm ea quæ ex putreſcente bile oritur, ſimiliter & continuam febrem quæ plures acceſsiones habet ex eodem ſanguine ortam, minùs acutam eſſe quàm continuam, ex bile quæ per tertium exacerbatur. Quinimò & quaſdam iſtarum febrium plures acceſsiones habentium quæ ex bile generantur, adhuc acutiores eſſe συνόχῳ ex putreſcente ſanguine, & (vt vniuerſaliter dicam) quæ ex putreſcente bile febres ortum ducunt, in cæteris paritate ſeruata, ſemper eis acutiores eſſe, quæ ex ſanguine putreſcente accenduntur; quicquid alij ſentiant: ſunt tamen & hæ febres quæ ex ſanguinis putredine generantur acutæ, licet non verè & exquiſitè ardentes. Sed mox quæreret quiſpiam, num ſicuti febres quædam acutæ eſſe poſſunt, & non ardentes, vt de ſynochis ex ſanguine concluſimus, ita quoque poſsint ardentes quædam eſſe, & non acutæ? quod quidem admittere videtur Hippocrates tertio de morbis vulgaribus ſub his verbis: {febrium ardentium quæ vigebant, hæc erat natura, initio ſopore erant oppreſsi, faſtidioſi, inhorreſcebántque, febris non acuta, neque magnoperè ſitibundi, vel deliri.} manifeſtè hîc Hippocrates admittere videtur ardentem febrem, quæ non ſit acuta. Verùm nos quamlibet ardentem febrem acutam eſſe cum Galeno fatemur; Hippocratis autem auctoritati eo modo ſatisfaciemus, quo ipſemet Galenus in commento ſatisfacere videtur, dicens: quòd cùm dixit febris non acuta, in quibuſdam codicibus abſque negatione reperitur; vtputa febris acuta. Deinceps vtroque modo conatur Hippocrat. dicta verificare, inquiens, quòd qui negationem omittunt, quòd diuelli ab ardente febre, acuta febris nequeat, intendunt, vel intelligendum eſt, quòd quemadmodum non magnoperè erant ſiticuloſi, tametſi etiam in febribus ardentibus hoc ſit peculiariſsimum, ita conſentaneum eſſe eos non valde febricitaſſe acutè, & propterea potuit ab Hippocrate ſcriptum eſſe febris non perinde acuta, deinceps corruptum ab eo qui primus hæc ſcripſit, errórq; remanſiſſe; quamuis quidam (vt ipſe fatetur) velint, quòd quemadmodum rarò iis, & nouo quodam exemplo acciderit ſopor, ita hæc febris. Atqui nos vel eſſe auferendam dictionem {non} vel ſi non auferatur, addendam eſſe; valdè, aut perinde, cum eodem Galeno putamus; & proinde nullam febrem ardentem eſſe, quæ etiam non ſit acuta, cum eodem Galeno verum eſſe arbitramur. Qua etiam ratione in noſtro quæſito de tertiana, num ſit morbus acutus, probauimus eam eſſe de genere morborum acutorum, cùm etiam de genere ardentium ſit; nam qua ratione ardens dicitur, ſimiliter etiam & acuta febris dicenda erit, vt fuſiùs nonnullis cùm auctoritatibus, tum rationibus eodem loco demonſtrauimus.

An febres quædã ardentes eſſe poſſint, & non acutæ?

Commen. 3. text. 3.

Reſpondet quæſtioni febres omnes ardentes etiam acutas eſſe.

*

FINIS SECVNDAE PARTIS.

DONATI ANTONII AB ALTOMARI, ARTIS MEDICAE DE MEDENDIS FEBRIBVS,

Pars Tertia.

EXERCITATIO.

De dignotione, prognoſtico, ac curatione febrium ex putredine ſanguinis accenſarum.

Caput I.

QVOMODO particulares omnes febrium differentiæ, præſertim earum quæ ex putredine accenduntur, eadem diuiſiua methodo vtentes, veſtigentur, & quot, quæve ſint, ac quis ſit modus earundem generationis, quæve curationis via & ratio fuſiſsimè explicaſſe arbitror. Reliquum eſt, vt tyrones inſtituamus, quomodo ſe exercere debeant, pro dignotione, ac curatione earum, adeò vt in ſingulis dignoſcẽdis primò ſe exerceant; & demum eis cognitis, quid de ipſis prædicendũ, ac quibus curari debeant, haudquaquam ignorant. id nanque eſt quod pro huius tractationis perfectione, ac complemento à principio docere propoſuimus, & ne longiùs euagemur, ab hac quæ ex ſanguinis putredine oritur differẽtia, quæ tot in medium attulit lites, exordiendum eſſe putaui, vt vniuerſus de ea abſoluatur ſermo, vtque ea cognita & ſublata, ad reliquas quietiùs tranſire valeamus, neque propterea reliquarum & dignotionis, & curationis ordo peruertetur, vt patebit. Pro loci portò diuerſitate, in quo ſanguis putreſcere conſueuit, duæ etiam febrium differentiæ oriuntur, vt dictum eſt; quarum altera σύνοχος, hoc eſt continens, altera συνεχὴς, id eſt continua appellatur. Prima, quoniam in omnibus aut principalioribus vaſis idem ſanguis putreſcit, vnam à principio ad finem vſque habet acceſsionem, quæ in multos dies porrigitur, cùm ob vehementem ſtipationem ſanguis non tranſpiret, nec vlla ſubſit occaſio, quæ alterius acceſsionis principium excitet, vt iamdudum diſſeruimus. Huius tres differentiæ (quemadmodum de ſynocho abſque putredine explicatum eſt) reperiuntur apud artis medicæ auctores, & præſertim apud Galenum nono de meth. med. c. 3. Nam aliæ ſimilem tenorem ſeruant, à principio ſiquidem ad finem vſque æquali magnitudine, ac vehementia perdurant, quas Græci ὁμοτόνους, καὶ ἀκμαστικὰς vocant, quædam verò ſemper augentur, & exiguũ aliquid adauciunt, eas Græci ἀναβατικὰς, καὶ ἐπακμαστικὰς nominant, hoc eſt creſcentes, ſeu incrementum ſuſcipientes, aliæ paulatim diminuuntur & decreſcunt, quas

Febris ex ſanguine duplex.

Continentis febr. ex ſanguine differentiæ tres.

παρακ

παρακμαστικὰς, hoc eſt deſcreſcentes appellant. Reliqua differentia, licet ad febris vacuitatẽ priuſquàm ex toto ſoluatur non deſinat, plures tamen habet acceſsiones, ac declinatio aliqua ſenſibilis in ea apparet, quoniã in paruis quibuſdam vaſis ſanguis putreſcit, & vt vniuerſaliter dicatur, in inflãmationibus vniuerſis, adéſtq; occaſio aliqua, quæ alterius acceſsionis principiũ excitat: ſimilẽ verò acceſsionum proportionẽ aſſumit, qualem tertianæ maximè febres oſtendunt, vt liquet 2. de diff. feb. cap. 9. Commune autem omnibus febribus quæ ex ſanguinis putredine accendũtur exiſtit, Alexandro auctore cap. 3. lib. 12. quòd mitis ſtatim calor ad primum manus tactum percipitur, qui nihil habeat rodens & acre, quale in febribus, quæ ex flaua bile plus ſatis aduſta generantur, deprehenditur. differt etiam hic calor ab eo qui ex putreſcente pituita ſentitur: quoniã licet per initia tum mitis, tum vaporoſus ſentiatur, paulò poſt tamen, manum diutiùs admouentis rodẽs caliditas, tactui occurrit, veluti per colum quoddàm aut cribrum ſurſum emergens in eadem pituita putreſcente, vt ipſe inquit. Quam ſententiam priùs conſcripſerat Gale. 2. de diffe. feb. aſſerens quòd quamuis manui tangenti plurima ſe offerat caliditas in hiſce febribus ex putreſcente ſanguine ortis, earum tamen caliditas mitis eſt, magis vaporoſa, ac minùs moleſta, quàm quæ ex cæteris putreſcentibus humoribus percipitur. hoc itaque ſignum maximum, commune eſt omnibus febribus ex putreſcente ſanguine accenſis Pulſus eis qui ita febricitant, præſertim vbi continens fuerit febris, maximus, vehemens, celer, frequens, & æqualis eſt, arteriæ conſtitutio, neç durior quàm pro natura eſt, nec mollior, celeritatis tamen frequentiæque eo peruenit, quo febris ipſa maguitudinis: hæc tamen indicia communia ſunt, vt inquit Gale. eodem 9. meth. med. cap. 3. cum ſynocho citra putredinem: priuatim tamen huic de qua ſermonem facimus putredinis ſigna aderũt, tum in lotio, tum in pulſu, tum caloris ingrata qualitate. In lotio, quoniam colore & craſsitudine magis à naturali habitu recedent vrinæ, craſſæ ſiquidem & rubeæ, vt liquet libro de vrinis. Eſt etenim ſanguinis color rubeus, licet quandoque etiam & flauus, non tamen adeò vt bilis natura ſemper rubicundior exiſtit, Galeno teſte 1. de criſib. cap. 12. erúntq; crudæ in principio, aut ſaltem obſcurè concoctæ. In pulſu manifeſtabitur putredinis ſignum, etenim celerior erit contractio quàm diſtenſio, & pulſus per externam quietem frequentior, quod ſignum commune eſt omnibus febribus ex putredine ortis, vt 3. de præſagit. ex pulſib. ſcriptum eſt. In caloris etiam qualitate putredo oſtenditur: nam quamuis ſemper ex ſanguinis putredine calor ſit mitior, quàm ex putredine cæterorum humorum, vt iandudum oſtendimus, erit tamen aliquantiſper acris & mordax in continente hac febre ex putredine orta, relatione facta ad continentem citra putredinem: rubicundi quoque ac pleni apparent ægri, ac plenitudinis ſenſum ſe percipere aiunt. Hæc febris neque in frigida ætate, nec frigido corporis temperamento excitari conſueuit, nec in gracilibus, vel qui raro ſunt corporis habitu, imò tum ætate, tum natura, tum acquiſititio temperamento quæ calida ſunt, ac præcipuè ſi & carnoſus, & multo ſanguine affluens, & denſo corpore æger fuerit, aut etiam calidis excrementis refertus, vt patet citato libro nono de meth. med. cap. 3. & propterea qui hac febre percipiuntur, ſi rectè curari debeant, iis ſanguinis miſsio eſt adhibenda, pro certo habens quòd niſi id adhibeatur præſidium, fore, vt vel ſuffocentur, vel certè ſyncope prehendi, & omnino periclitentur: niſi eos, vel virium robur, vel plurimus ſudor, vel largum ſanguinis profluuium à morte vindicet, vt liquet ibidem, cap. 4. Harum verò omnium continentium febrium deterrima eſt quæ incrementum ſuſcipit, inter reliquas, quæ ſimilem tenorem ſeruat, deterior eſt. Quocirca ciuſmodi febris curatio, non ſecus ac illius quæ citra putredinem, à venæ ſectione auſpicanda erit: quam licet Galenus citato loco, vbi valida ſubſit virtus, & ætas permiſerit vſque ad animi defectum, fieri debere præceperit, quia tamen vt ipſemet fatetur

Continuæ feb. ex ſanguine.

In quo conueniunt feb. omnes ex ſanguine.

Caloris qualitas.

cap. ſupra citato.

Pulſus.

Vrinæ.

Pulſus communis febrib. omnibus ex putredine.

Quibus in corporibus febris ex ſanguine generetur.

Curatio per venæ ſectionem.

11, eiuſdem operis lib. cap. 14. nec obſtructio, nec putredo curari per ſanguinis miſsionem poteſt, vt quæ alia remedia deſiderent, & propterea reponi ſanguinis aliquid ad curationis ſpatium debebit, quominus intempeſtiuè nutrire, neceſsitate vlla cogamur: ob id ſatius eſſe puto, ac tutius, vt quantum ſatis viſum fuerit, tantum principio detrahas: quod verò deſuit iteratione ſupplere oporter: quod quidem nec ipſe negauit eodem 9. de meth. meden. vbi vires, aut ætas non ſatis reſponderent, cætera autem quæ pro huius febris curatione conducunt, tum eo loco quo continentem citra putredinem curare docuimus, tum etiam vbi abundantiam curare præcepimus, ac putredinem, ſtudioſi petant, ne iterum eadem hîc repetamus: reperient enim quibus febrilis calor extinguatur, obſtructio eximatur, & putredo vacuetur. Similiter & victus rationem requirant in vniuerſali methodo, in qua eius inſtitutionem fuſiùs diſſeruimus, nedum in his, ſed in cæteris omnibus febribus particulatim autem ſis contentus in eiuſmodi febribus, paucißimas ſorbitiones, potionéſque exhibere, quibus vtique ceu medicamentis potius quàm nutrimentis egemus, eodem Galeno teſte 11. de metho. meden. cap. 9. veluti eſt aqua hordei, aut ptiſanæ cremor. Nam quibus febribus continuis ſtatus non vltra ſeptimum futurus eſt, & vires validę ſunt, atque ætas præterea conſentit, his quidē admodū exquiſitus, & tenuis victus eſt inſtituendus, vt patet 1. de arte curat. ad Glauc. cap. 8. vnū autem iterum repetere non grauabor, quòd maxima continentium febrium remedia hæc duo ſunt, ſanguinis detractio, & potio frigida, verùm illa, nullo non tempore, modò vires ſuſtineant, hæc, cum & impulſu, & vrinis concoctionis euidentes cernuntur notæ, febris autem eſt maxima, vt citato libro 9. de metho. meden. ſcriptum eſt. Continuas verò febres quæ plures acceſsiones habent ex eodem putreſcente ſanguine genita, ex eiſdemmet ſignis dignoſces, hoc ſolo ab eis diſsidentes, quòd plures habent acceſsiones, quoniam non in omnibus ſeu maximis vaſis, ſed in quibuſdam, ac paruis ſanguis putreſcit, & ſimilem habent acceſsionum proportionem, qualem tertianæ maximè febres oſtendunt, differunt autem ab eis febris bonitate. ſunt etenim hæ quæ ex ſanguinis putredine oriuntur, ſimpliciores, tum in reliquis ſymptomatis, tum etiam in caloris qualitate, vt ſæpius diximus, quod ſi non modo ſanguis ipſe putreſcat, ſed inflammationem pariat, aderunt & eadem ſimul inflammationis indicia: ac etiam propria ſi ex ſanguine excitetur, diuerſáque ab alijs humoribus, ſi eadem fiat, vt in laterum inflammatione clarè cernitur, quarum inflammationum ſigna, ac curationis modum, potißimùm vbi internis partibus fiant, fuſiſſimè & particulariter in noſtra arte medica docuimus. verùm vbi in quibuſdam paruis vaſis propter eius craſsitudinem aut multitudinem impingitur, adeò vt putreſcat, propterea quia non diſflātur ſanguis, & febrem accendat: ſi omnia conſentiāt, vena ſecanda erit, eáque repetenda, vt dictum eſt: præſertim ſi multitudine obſtruat, deinceps ad liberandam obſtructionem, ac craſſitiem extenuandam accedere, putredinémque euacuandam, ſub eadem via & ratione, qua in vniuerſali methodo præcepimus: ea autem deligenda medico ſunt, quæ citra calorem liberare obſtructiones valeant, ac putredinem auferre, aut ſaltem quæ citra calfactionem ſiccationémque valentem, eadem moliantur, tum intus aſſumpta, tum foris adhibita. quæ verò ſint quæ tali facultate polleant: in vniuerſali methodo ſunt explicata. particulatim autem, aqua hordei non decorticati, aut ptiſanæ cremor exhibeatur, vel radicis cichorij, apij, borraginis, vel fœniculi decoctum in aqua, aut oxyſaccharum, vel ſyrupus acetoſus, ſeu oxymel interdum. De foris verò ea quæ extenuandi, digerendi, alterandíque vim habent, adhibeantur, perpetuò indicationibus à parte affecta, quas priùs in vniuerſali methodo explicauimus, ſumptis, atque perpenſis. Sed quoniam exiguo quodam tempore ſanguis hic putreſcens ſuam ſeruabit naturam, ſed paulò poſt in aliorum humorum ſpeciem permutabitur, propterea pro diuerſo humore in quem mutatur, varia

Iterāda venæ ſectio.

Loco citato.

Victus ratio.

Potus frigidæ quando offerēdus.

Loco citato.

Curatio febris facta ab obſtructione ſanguinis.

Curatio febr. ex putredine ſanguinis in aliam humoris ſpeciem transmutati.

quoque

quoque exigit tum topica, tum alterantia ac purgantia medicamenta, quorum copiam ſtudioſi in ſequentibus requirant. Si verò in eadẽ parte in qua ſanguis putreſcit inflammationem pariat, pro eadem curanda, illæ etiam indicationes penſitandæ ſunt, quas ſupra in vniuerſali methodo diſſeruimus, cùm ſcilicet putredinem cum inflammatione curare doceremus. ſemper enim (ne eadem ſæpius repetamus) ſub eadem via & ratione particulares febrium differentiæ curandæ ſunt, quam in vniuerſali methodo ſeruandam eſſe monuimus, particulari quadam indicatione addita, quæ ex cuiuſque cauſæ adhuc manentis differentia deſumitur, ex qua & diuerſa particularis febris, ex putredine ortæ, differentia gignitur, ac varius modus generationis ipſius circuitus: quemadmodum in præcedenti ſecunda huius operis parte fuſiùs explicauimus.

De cauſo, id eſt, ardentis febris dignotione, prognoſtico, ac curatione. *Cap. II.*

QVOD per exquiſitum cauſum, ſeu exquiſitam febrem ardentem vnà cum Galeno quamlibet febrem continuam ex bile ortam, ſubintelligere debeamus, tam ſi plures habeat acceſsiones, quàm ſi vnam duntaxat à principio ad finẽ vſq;, in præcedentibus abundè demonſtrauimus. Nam quæ in ſola flaua bile febris accenditur, ſine aliquo viſceris affectu, ſiquidem manente adhuc intra vaſa bile accendatur, exquiſita febris ardens nuncupatur. ſi verò per totũ corpus deferatur, tertiana, eodem Gal. teſte 2. de criſib. cap. 6. ipſæ verò febres continuæ ex bile genitæ, in alio non diſsident niſi quòd quãdoq; eadem bilis in omnibus vnà cum ſanguine, aut maioribus, principalioribúſque vaſis putreſcit; interim in exiguis ac à corde diſsitis. nam cùm in vaſorum capedinibus, vnà cum ſanguine continetur flaua bilis, vtcunque accendatur, contingit febres ardentes prodire: præcipuè verò vbi in ventris, aut iocinoris, aut pulmonis venis bilis efferueſcat, vt liquet ex eodem Galeno primo de morbis vulgaribus. Harum itaque omnium dignotionem primò aggrediemur; & deinceps prognoſticum ac curationem. Cùm autem duo ſint, vt priùs dictum eſt, propria, eximia, ac pathognomonica indicia ardentium febrium, ſitis videlicet incompeſcibilis, ac exurens caliditas, neque appellari poſsit febris ardens, niſi adiuncta perpetuò habeat per totum morbum hæc duo, vt liquet tertio de morbis vulgaribus, propterea ab his exordienda eſt harum febrium dignotio. Pulſus eorum qui hac febre laborant, celerior, & frequentior erit, quàm qui fit ex ſanguinis putredine, inæqualis magis: nam multò celerior erit contractio diſtentione, & frequentior ſecundum exteriorem quietem; erit etiam & durus, & propterea non adeò magnus ac vehemens, quemadmodum in continentibus ex ſanguine ortis videbitur, aderitque manifeſtum proprium febrium ſignum, hoc eſt inæqualitas in vno pulſu: nam multò velociùs principium, finémque motus inuenies, quàm medium, licet hoc commune ſit omnibus continuis, vt patet primo de arte curatiua ad Glauconem cap. 8. Eſt etiam propriũ harum febrium ſymptoma lingua nigricans, vt liquet primo de locis affectis, nigreſcit autem ob immoderatam caliditatem, quemadmodum etiam arida & aſpera redditur ob immoderatam ſiccitatem, eodem Galeno auctore quarto de ratione victus: cap. 5. quo loco ab auctore cuncta hæc quæ ſequuntur ſigna cõſcripta ſunt, inquiens: {ſit quoq; & lingua aſpera, ſicca, & valde nigra, ventérque morſu dolet, deiectionéſque & liquidæ, ac pallidæ fiunt, vrgétque ſitis vehemens, & vigiliæ, atque interdum mentis abertatio}: quæ etiam ab Aëtio capite 78. libro 5. & à Paulo cap. 28. libro 2. annotata ſunt. Verùm non omnia hæc ſymptomata perpetuò febribus ardentibus inſunt. nam ventrem morderi & biliosa deiicere, non de eis quæ perpetuò inſunt, niſi cùm morbus vehemens ſit, motúſque acrium & tenuium humiditatũ ad interna fiat. quapropter iis qui ventrem hepárque cauſi veluti ſedem habent, hæc contingunt,

In quo diſsideant febres continuæ ex bile.

Com. 2. ſuper tex. 20.

Signa propria febr. ardentis.

Com 3. text. com. 34.

Signa ex pulſibus.

Ex linguæ colore.

Super tex. 1.

Signa alia.

verùm

verùm iis qui pulmonem veluti ſedem habent, hæc non admodum cõtingunt: ſed quæ de lingua dicta ſunt, & deſipientia magis, difficulter etiam & hi ſpirãt. (ea ſcilicet quæ denſa, & magna eſt ſpirandi difficultate) efflãntque continenter os apetientes, igneíque ſpiritus efflatione leuantur, vt ab eodem Gal. citato libro 4. de rat. victus ſcriptum eſt. vnde Hippo. aphor. 50. 4. lib. dicebat: {vbi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, letale:} ſit autem in his febribus interdum mentis aberratio, ſeu deſipientia, ob eam, quæ ad caput recurrit, bilem, & ob temperaturæ caliditatem ſiccitatémque, & propterea vbi admodum vehementes fuerint hæ febres, eſt hoc peculiare; quemadmodum etiam ſanguinis ex naribus profluuium. etenim nihil habet admirationis ſi recludantur, & diſrumpantur huius regionis venæ à ſanguine qui ſurſum incitatus calore effertur, à quo non poſſunt non inflari, ac tum reſerari venæ, & rumpi ob ſpiritus copiam, qui diſrumpit vel vtres ac dolia, cùm in muſto ferueſcente accumulatur, vt liquet 1. de morbis vulga. cùm ergo copioſus ad caput calor attollatur, vbi vehementes fuerint hæ febres, ſanguinis fiunt profluuia, & delirant. erunt & vrinæ in his febribus tenuiores, quàm in febribus ortis ex ſanguine putreſcente, ſimiliter non adeò rubeæ, ſed ruſæ, ſeu flauæ & igneæ. Differunt autem hæ febres ab exquiſitis tertianis, quoniam neque cum rigore inuadunt vt illæ, neque etiam ſi plures acceſsiones habeant, ad febris vacuitatem deſinunt, propter eas quas ſupra meminimus cauſas. diſtingues autem eas, quòd quæ continentes non ſunt, plures habent acceſsiones, illæ verò vnam duntaxat, minùs etiam quodammodo ſitiunt ægri, & calor, ac cætera modò dicta, in eiſdem ſunt paulo mitiora; reliqua verò quæ vtriſque communia ſunt, ſequenti capite de tertiana expectabis, ne eadem bis repetamus.

Locus præcit. *Delirij cauſa.* *Sanguinis profluuij cauſa.* *com. 1. text. comment. 63. & 66.* *Signa ex urinis.*

Nunc ad prognoſtica tranſeamus. Si incipiente ardente febre confeſtim parum rigeant laborantes, prauum eſt ſignum: etenim iudicare ardentes febres rigor ſolet, Hippo. auctore apho. 58. 4. libri cùm dicebat: {febre ardente laboranti, rigore ſuperueniente ſolutio fit.} bile ſiquidem ex qua febris ardens habuerit ortum, expurgata. Atqui decretoria nõ ſtatim elucere oportet, vt idemmet teſtatur 2. de morbis vulg. inſuper malum eſt ſi inſomnes ac faſtidioſi ſint, grauitérque angantur. nam vigiliarum & angoris ſymptoma ſemper exitioſum eſt, nedum in principio. Adhæc vbi paululum in fronte & clauiculis ſudabunt, multúmque delirabunt, prauum eſt ſignum: nam eiuſmodi ſudor, etiam ſi frigidus non ſit, minatur ſyncopem: peſsimus autem erit, ſi frigidus egrediatur, quippe qui non fore ſed iam eſſe ſyncopem indicet Galeno teſte primo prognoſticorum, & propterea dicebat Hippocrates aphoriſ. 37. quarti libri, {frigidi ſudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori autem, longitudinem morbi ſignificant.} delirare verò læſum ſignificat cerebrum, nec minùs timores, mœſtitiæ, extremitates ſubfrigidæ, vt ſummi pedes, magiſque minùs, praui ſunt timores inquam, quoniam magnopere acris, & deuſtæ flauæ bilis ſymptomata ſunt, cognatæ verò timoribus ſunt mœſtitiæ. At partium extrematum frigus pernicioſiſsimum febribus ardentibus ſymptoma eſt, & ſignum, quemadmodum etiam deſipere: febris æſtu caput inflammante, cùm proprium ſit, & familiare febribus acutis, vt i extremis corporis partibus; quæ ſi quando refrigerentur, regionéſque ad viſcera continentes ardeant, in corporis meditullio coactum ſanguinem eſſe, indicio eſt, extrema autem membra ſanguinem deſiderare, refrigerari, & ſemel emori, deſtituente iam ea natura. Quapropter Hippocrates aphoriſ. quadrageſimooctauo, quarti lib. ſic ſcriptum reliquit; {in febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores ſint frigidæ, interiores verò vruntur, & ſitim habeant, letale.} & aphoriſmo primo, 7. libri, {in morbis acutis frigus partium extremarum malum.} Nec minùs & malum quoque eſt, vbi ardentes febres plures habeant acceſsiones, ſi eædem diebus paribus fiant à principio ſtatim; nam interim ad ſextum diem peſsimum iudicium fore prænunciant, interim in longum producendum morbum: at ſi quid

Prognoſtica lethalia, ex rigore. *Sect. 1.* *Ex vigilijs, angore.* *Ex ſudore.* *Super tex. 26.* *Ex delirio, timore, &c.* *Extremorum frigore.* *Ex acceſsionib. quæ paribus diebus fiunt.*

at ſiquidem velociter moueantur (quarto die prauam acceſsionem habent) ad diem ſextum de vita decedunt, Gale. auctore 1. de morb. vulg. & præſertim ſi eadem die quarta, ſudores diutiſsimè frigidiores appareant. Hip. verò aphor. 61. 4. lib. ſcriptum reliquit, quòd qui morbi diebus paribus iudicantur, malè iudicantur, ac lubēter repetunt. inſuper quòd febricitans, niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſolet recidiuare. ſi verò extremitates liueſcant ſimul cum earum frigiditate, neq; amplius calor eis redeat, demori eos indicat, & eſt argumentum conſtans, vt inquit Galenus, non poſſe vltra diem ſextum vires ſuſtinere: quòd ſi cùm antea æſtuaſſent, & propterea ſiti flagrarent, poſtea ſint à ſiti liberi, ita vt amplius non ſitiant, horum duorum alterutrum eſſe neceſſe eſt, aut morbi ſolutionem, aut virtutis extinctionem, ita vt impræſentia mala amplius non ſentiant. At ſi cùm lingua nigra, arida, ac aſpera à principio, abſit ingens ſitis, alterutrum indicat, aut mentem læſam ægrorum eſſe, vt propterea quæ patiuntur non ſentiant, aut ventriculi naturalem facultatem extingui, vt 3. de morbis vulga. ab eodem Gale. ſcriptum eſt. cùm verò iam dicta exitialia ſymptomata adfuerint, atque priùs ſitierint, cùm non cōtingat eos à morbo vindicari, proinde ſi amplius non ſitiant perditi ſenſus ſignum eſt. fiunt tamen interdum minùs ſiticuloſi ob ſiccas tuſſes, leuiter irritantes, ſiue ob faucium aſperitatem, ſiue ex ſola intemperatura inſtrumentorū reſpirationi ſeruientium accidant: nam ex locis vicinis humor aliquis tenuis, vel diſtillat, vel trahitur ad loca quæ ad aſperam arteriam pertinent, vt liquet aphoriſ. 34. libri 4. Vrinæ item nigræ, tenues ac paucæ, aluíque duræ, in his febribus, exitialia ſunt ſigna. nam nigræ, ab aduſto iam bilioſo humore proueniunt; paucæ, quòd omnis ſit ex ſanguine humor aquoſus, ab ardente febre toſtus, ſignificat; quòdque vrinæ inſtrumenta iam emortua ſint, tenues, quia à natura bilis non euicta eſt. eandem etiam ob cauſam alui duræ fiunt. Pernicioſum inſuper ſignum eſt cum in aliis, tum maximè in ardentibus febribus, ſanguinis è naribus ſtillicidium in his febribus; ſiquidem familiariſsimum eis eſt ſanguinis è naribus profluuium, vt liquet citato libro 1. de morbis vulga. Quòd etiam in cæteris febribus malum ſit, ex eodem Gal. liquet 4. de ratione victus. At quòd non ſolùm ſanguinis è naribus ſtillatione, ſed quælibet alia exigua excretio in febribus potiſsimùm ardentibus, praua ſit, idem Gale. decretum reliquit 2. prorrhet. ſub his verbis: {excerni pauca in ægris vnum quoddam ex ſignis eſt, quæ ex toto prauitatem habent, ſiue ſanguis per nares excernatur, ſiue deorſum per ventrem, ſiue per vomitum tale quippiam, quod ſuperfluum ſit, excernatur. idem & in ſudoribus eſt, & his quæ per vterum excernuntur.} & reddens cauſam ſubdit: {nihil etenim eorum quæ decretoria exiſtunt, exiguè ſecerni conuenit, ſed quæ ita vacuantur, omnia duorum alterum ſubeunt. nam vel quòd non queant tolerari ob copiam, ab affectis effūnduntur partibus, vel imbecillitatem oſtendunt naturæ, quæ proponit quidem ſuperflua excernere, ſed nequit. ſi verò cùm iam dictis ſymptomatis prauis inuoluntariæ ex oculis lachrymæ cadant, mortem ſignificant, vt liquet 6. de morb. vulg. quanquam & hoc ſymptoma malum ſit in cæteris febribus, ac aliis quibuſque morbis Hippocrate auctore aphoriſ. 52. quarti libri. exitioſum autem atque letale in morbis acutis, vt patet 1. prognoſtic. Idem quoque Hippocrates aphoriſ. 34. & 35. citati libri quarti ſic ſcriptum reliquit. {ſi febrem habenti ſuffocatio repente ſuperuenerit, nullo tumore in faucibus exiſtente, eſt letale.} Item, {ſi febrem habenti, repente collum peruertatur, ac vix deuorare poſsit, non exiſtente tumore, eſt letale.} & aphoriſmo ſexageſimoquinto: {in febribus circa ventriculum fortis æſtus, & cordis morſus, malum.} & 67. {in acutis febribus conuulſiones, & circa viſcera dolores fortes, malum.} malum quoque eſt & ſpiritus offendens, mali item ex ſomnis timores, & conuulſiones, ſeu labores, vt aphoriſ. 67. & 68. ſcriptum eſt. Inſuper ſi in frigido ambiente vehementer vri hominem contingat, exigua ſalutis ipſius ſpes eſt habenda.

Com. 2. ſuper tex. 75.

Ex ſiti ſedata ſine cauſa.

Comment. 1. ſuper tex. 2.

Ex vrinis.

Ex ſanguine guttatim è naribus ſtillante.

Comment. 2. ſuper tex. 65.

ſuper tex. 67.

Ex lachrymis non voluntariis.

Comment. 1.

comment. 2.

ſi ver

ſi verò nec concoctionis habeat ſigna, nec vires validas, ſeruari is planè non poteſt Galeni auctoritate 11. de meth. med. cap. 9. Cùm verò tot explicauerimus mala, ac letalia ſigna ardentium febrium, tempus eſt bona, & ſalutaria, ſi

Signa bona facilis tolerantia.

qua ſunt, conſcribere. Ergo bonum erit ſignum vbi ægri morbum facilè ferāt, ita vt non admodum æſtuent, propterea quòd calor nō admodum fuerit exurens, neq; incompeſcibili ita ſitu detineātur, neq; faſtidioſi ſint, nec grauiter angantur:

Facilis ſpiratio.

ſimiliter ſi bene ac facilè ſpirent: magnam etenim habet vim in omnibus morbis acutis qui cum febre fiunt, ſpirandi facilitas, vt inquit Hippocrat.

Tex. com. 25.
Dolor nullus.

1. prognoſt. Adhæc ſi nullum ſentiant dolorem, præſertim internarum partiū, ſi eorum corpus æqualiter calidum eſſe videatur, ac molle,

Lingua nō admodū malè colorata.

lingua non admodum nigra, arida, & aſpera.

Vrinæ laudabiles.

inſuper ſi eorum vrinæ bonæ ſint, nedum in colore, ſubſtantia, & quantitate, ſed ſi ſtatim coctæ appareant, candidum ſedimentum habentes, leuéque & æquale per omne tempus dum morbus iudicetur: ſecuritatem enim, ac morbum fore breuem ſignificabunt, vt liquet ex eodem Hipp. 2. prognoſt.

Deiectiones bonæ.

& deiectiones ſimiliter, ſi concoctæ appareant, bonæ ſunt.

Tex. com. 26.
Sudores boni.

ſudores item boni ſunt, ſi per diem decretorium euenientes, ac ex toto corpore prodeant, à quibus à febre vindicentur, aut ſaltem faciliùs morbum ferant.

Somnus utilis.

quòd ſi dormiant & ex ſomno iuuentur, ſalubre quoque erit ſignum.

Delirium nullum.

ſimiliter ſi non delirent, aut ſaltem parum: nam in quouis morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad illa quæ offeruntur, bonum eſt, contrà verò ſe habere, malum vt ait Hippocrat. aphoriſ 33. 2. libri, ſi etiam non timeant, nec mœſti ſint, ac de ſalute confidant, bonum. ſi verò ſignis concoctionis priùs apparentibus, cum virium robore, in aliqua die critica largum fiat ſanguinis è naribus profluuium, aut ſudor qualis modò dictus eſt, abſque dubio æger liberabitur. ſimiliter quoque febris fiet ſolutio, ſi rigor ſuperueniat: ſi modo dicta præceſſerint.

Solutio morbi.

Nam à febre ardente habito rigore ſuperueniente, ſolutio fit, inquit Hippo. aphor. 58. quarti libri, vbi verò febre non intermittente rigor incidat (videlicet non ſemel) ægro iam debili exiſtente, letale eſt, eodem Hippocrat. auctore apho. 46. citati libri 4. vt verò ſummatim dicam, nedum de his febribus, ſed de cæteris omnibus, præter ea quæ diximus, calorem videlicet, arteriarum motus, vrinas, excrementa, & corporis habitus, & nonnulla alia quæ inſpicienda ſunt, vt regiones, anni tempora, conſtitutiones, ætates, corporum temperaturas, conſuetudines, & antecedentes cauſas: nec non & quæ ſimul cum morbo inuadunt, & quæ in medio tempore apparent:

Duo ad bene prædicendum neceſſariò ſpectanda.

præ cæteris omnibus quoddam maximum, breue tamen dictu, ſpectandum erit, ſi velis rectè prædicere: eſt verò hoc morbi quantitas, ac vitium, res quæ ad eam explicandam vno indiget verbo, ad vſum verò permagna. neque enim bene prænoſcere poſſumus, niſi horum ſingulorum magnitudinem diligenter penſitemus: nam vtrum morbus ſit exitialis, aut non, & quando magis debeat mori, aut ſanitati ægrotus reſtitui, niſi omnino quæ diximus diligentiùs animaduerteris, ad duo ea redigens capita ſcilicet, ad ipſius morbi magnitudinem, & ægroti vires, non poteris verè prænoſcere, vt liquet primo de arte curatiua ad Glauconem, cap. 8. etenim ſi vires adeò validæ ſint, vt poſſint morbum ſuperare, neceſſe eſt ægrotus euadat: ſi verò contrà, omnino morietur. Non igitur ſolùm inſpicias qualis ſit morbi ſpecies, ſeu forma, ſed & eius magnitudinem aduertas, quod quidem non paruam exigit experientiam: nanque ex nulla alia re poſſumus ad exquiſitam peruenire notitiam ipſius quantitatis, ſeu magnitudinis, quàm ex crebra exercitatione

Super text. 6.

circa quantitatis coniecturam, vt eodem loco ſcriptum eſt, & libro 2. prognoſt. inquit idem Galenus quòd ſumma totius præſagitionis in morituris conualituriſque eſt, quoties vis ægrotationis cum ægri facultate conferatur: ſi enim morbus vehementior eſt, æger omnino morietur, ſi debilior quàm ægri facultas, haudquaquam morietur, vbi nihil comitatur. Hæc itaque de prognoſticis dicta ſatis.

Curatio.
Aer.

Nunc ad curationem harum febrium accedamus. Prima ergo auxilia in ardenti febre, decubitus ſunt in locis frigidis, qui ad purum aërem pa-

tent,

tent,ac perflantur;ſtatum verò ſit molle,amicula aſsiduè permutata,ſatis gracili & non ſordida, ſit etiam lectus abundè amplus quo poſsint membra calefacta ſubinde ad alias atque alias eius partes transferri,& per flabellū aër ignauior concitetur: quin & alia animi oblectamenta procurentur,folia vitis viridia,item myrti ac roſarum per pauimentum ſpargantur; & aqua frigida frequentèr irroretur, ac aquæ ſalientes in vicinia ſonum edant, vt liquet ex Aëtio Philumeni auctoritate cap.78.libro 5.ſomnus quoad fieri poteſt conciliari debet,nam vigiliæ,vt dictum eſt, magnopere lædunt. Motus omnino prohibeatur,viténtque immoderatos animi affectus;iram ſcilicet,triſtitiam, & timorem,citandáque aluus erit quotidie clyſteribus lenientibus, ac emollientibus,potiſsimùm vbi naturæ ſponte eadem alui excrementa non excernantur. *Somnus.* *Quies.*

Quod ad cibum & potum attinet, ab initio ſtatim ad vniuerſum ægritudinis tempus inſpicientes,rationem victus inſtituemus. Nam quæ velociter fiunt,ac celeriter ad ſtatum veniunt, etſi valde tenuem victum exhibueris, haud magnum afferes detrimentum, vt inquit Galenus 1.de arte curatiua ad Glaucon. c.8.potiſsimùm vbi vires validæ ſint.quæ verò ſunt diuturniores,niſi ab initio pleniori cibo reficias,hominem cum morbo pariter perimes, aut intempeſtiuè victus formam commutabis:neque enim oportet ſtatu aduentante pleniorem quàm priùs cibum offerre,ſed contra potius tenuiſsimum victum qui in totò morbo adhibeatur,ad ſtatum reſeruare,vt patet citato lib. 1.de arte curati.ad Glauconem, ſunt inſuper cibi offerendi qui humectandi, refrigerandíque vim habeant, vt lactuca, intybúmque agreſte,& domeſticum: omnibus verò ptiſanæ cremor idoneus exiſtit,Alex.teſte cap.3,libro 12. Prædicta autem olera cum aquoſa poſca ferueſacta exhibeantur, ex Aëtij præcepto. Verùm cùm ex oleraceis nihil ſit,quòd bonum ſuccum præſtet, lactuca enim in us quæ boni, malique ſucci ſunt, mediocriter ſe habet, Galeno teſte libro de cibis boni & mali ſucci;propterea in iure parui pulli dictis oleribus decoctis,aut quibuſdam alijs,vt malua,portulaca,atriplice, rumice, oxalide, bugloſſo, buccellæ panis maceratæ,tutius,ac vtilius exhiberi poterunt. Interim eædem panis buccellæ aqua frigida lotæ, inſperſæque præſertim aut citrangulorum, aut citri acido, ſeu malorum punicorum acidorum ſucco, exhibeantur. Nec minùs & ptiſanæ cremor,ſeu eadem ptiſana, iniectis in ea mali punici granis, conducere videtur. vbi verò propter virium infirmitatem pleniorem cogeris victum exhibere,paruorum pullorum,aliarúmque paruarum auium montanarum carnes elixas,cum aliquo iam dictorum olerum, aut etiam cucurbita, præbebis. & ſi pleniori indigebunt alimento ægri,ad gallinarum ſeu caponum, perdicum,faſianorum ac ſtarnarum carnes accedendum erit;interímque eiſdem contuſis, aut in aqua tabefactis, adiecto citri, limoncelij, limonis, aut citrangulorum acido,aut malorum punicorum ſucco, ſeu omphacio, vtare. Perpetuò tamen vitare conſulo cibos qui ex amygdalis conficiuntur: ſunt enim temperamenti calidi,& pinguis,ac oleoſæ qualitatis participes, vt liquet 6.de ſimplic.medi. c.11.& 2.de alimen.facult.c.29. Qua ratione,quemadmodū & cætera dulcia calidioribus corporibus exhibita, facilè in bilem mutantur, vt 2.de naturalibus facult.c.8.ſcriptum eſt,ita & hęc, vbi nedum calidis,ſed calidiſsimis corporibus exhibeantur,& eò potiſsimùm quòd nedum quia dulcia ſunt & calida, verùm etiam oleoſa & pinguia, vt dictum eſt, promptiſsime in bilem mutantur. igitur cane peius & angue amygdala,eorum ſorbitiones,& quicunque alij ex eiſdem parantur cibi, aut dulciarij panes, vitari debent, nedum in iſtis febribus, ſed cæteris omnibus, præſertim acutis, quinimò & multò deteriores redduntur cibi ex amygdalis, ſi cum ſaccharo parentur. nam & ipſum quoque ſaccharum in hiſce febribus vitandum eſt quoad fieri poterit, quoniam velut cætera dulcia facilè in bilem vertitur, niſi quiſpiam alterius cuiuſdam rei gratia, & non pro cibis eiſdem interdum vtatur. Pro potu aqua hordei tribuatur, aut leuiter decocta aqua exiguo adiecto mali punici acido, ſeu mali medici, vinum *Victus ratio.* *cap. 8.* *Ca.6. & 2.de alim.fac.c.11.* *Potus.*

quoque vbi vires exigant, aut propter conſuetudinem ægri ab eo abſtinere nequeāt, exhiberi poterit, quòd tum aſpectu, tum viribus ſit aquoſum: id enim ad omnia vtilius quàm aqua eſt, vtpote quòd & concoctionem iuuet, & vrinas, ac ſudores prouocet Gal. auctore 8. de meth. med. c. 3. Nam & Hipp. quoq; nō modo in diariis febribus, verùm etiam in acutis vinum exhiberi præcepit,

Commen. 4. Tex. com. 15.

vt liquet 3. de rat. vict. in morbis acu. nec propterea ſibiipſi pugnat, ſi 6. de mor. vulga. dixerit (etiam ſi ipſe ſit auctor) {calidæ naturæ refrigeratio potus aquę, quies.} nam in eiuſmodi naturis non omnino vinum prohibet, ſed ſuadet copioſiùs vtendum eſſe aqua quàm vino: id quod etiam nequaquam nos negamus, admittimus autem quòd quibuſdam ardente febre laborantibus ipſum innocuè exhiberi poterit, modò, vt dictum eſt, tum aſpectu, tum viribus ſit aquoſum, inſuper & medioctiter aqua dilutū. Huius generis vina ſunt Amynea quæ in eo colle naſcuntur qui Neapoli imminet, vt liquet ex Gale. 1. de ci-

Cap. 8.

bis boni & mali ſucci; quo loco eóque delato ac magis aptico noſtrum ſitum eſt rus amœnum, mihíque iucundum, & quod in eo naſcitur vinum album (neſcio tamen an amyneum ſit) tenue, aquoſum, ac ſubadſtringens eſt, ac ferè infirmiſsimum vt citra nocumentum hac febre laborantibus exhiberi poſsit, vt ſæpius obſeruauimus. haud tamen me præterit, & in aliis quoque regionibus Italiæ præſertim, huius generis vina reperiri, quibus hac febre laborantes innocuè vti poterunt. idem quoque vinum interim colluendum, ſeu gargariſſandum præbeatur aut aqua hordei, ſeu iam dicta aqua leuiter decocta, adiecto granatorum acidorum ſucco, aut mali medici, ſeu exiguo aceto, inuicem aquæ frigidæ fractæ quam Aëtius præbet. Verùm acetum tanto debet aquæ frigidæ permiſceri, vt bibi poſsit, ita enim refrigerabit & humectabit, vt liquet 10. de meth. med. cap. 9. confert item poſt cibum, vt inquit Aëtius, ſi quandoq;

Venæ ſectio.

frigidam cochlearij vnius aut duorum menſura abſorbeant, potiſsimùm vbi frigidæ potui aſſueuerint ægri. Inter prima quoque auxilia venæ ſectio ſuum habet locum, & proinde initio etiam venam ſtatim incidere oportet, vbi quippiam non impediat Alexand. auctoritate cap. 2. & 3. lib. 12. quod quidem præcipere videtur Gale. lib. 1. de arte cur. ad Glauc. c. 13. quo loco docet continuarū febrium curationē inquiens: ſanguinē verò mittere oportet & ob morbi magnitudinē, & quibus rubor multò pluſquàm naturæ conueniat, & maior quàm pro corporis conſuetudine tumor, & venæ eminentes atque extenſæ, iis omnibus eſt auferendus, niſi vires aut ætas, aut aliquid eorum quæ ſupra meminimus, prohibuerint. Id etiam & ratio dictat: nam cùm bilis ſimul cum ſanguine intra vaſa fuerit aucta, efficaciùs remedium eſt venæ ſectio, ac tutius etiam quàm purgatio: cùm febris validiſsima ſit, incognitáque ſæpius ægrotantis natura quomodo ſe habeat ad purgationes. Quamobrem hoc auxilio nedum morbi cauſa exhauritur, verùm etiam ex accidenti corpore refrigerato, febris extinguitur. id verò animaduertendum erit ne admodum copioſa fiat, ac vſque ad animi deliquium venæ ſectio in hiſce febribus ardentibus, vt quidam iuniores temerè conſulunt, autumantes ſe Galen. fautorem habere, comment. aphoriſ. 23. primi libri, quæ auctoritas, vt paulò ante expoſuimus, nonnullos fefellit, cùm non de his febribus, ſed de continentibus ex ſanguine ortis Galen. ſententia verificetur. nos verò ſatius eſſe conſulimus moderata vti venæ ſectione, etſi quod deficit in prima ſectione, potius repetenda ſitiquam venæ ſectionem tanquam efficaciſsimum, ac tutiſsimum remedium, fiendam eſſe arbitramur, nedum in eiuſmodi ardentibus febribus, verùm etiam & aliis omnibus quæ ex putredine excitantur, vbi reliqua omnia conſentiant ex Galeni vniuerſaliſsimo decreto 11. de metho. meden. c. 15. cùm inquit: {ſaluberrimum, autem, vt prædiximus, eſt in febribus venam incidere, non continuis modò, verùm etiam aliis omnibus, quas putreſcens humor concitat, vbi præſertim nec ætas, nec vires prohibent. leuata nanque quæ corpus noſtrum regit natura, exoneratáque eo, quo veluti ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum

eſt vin

eſt, vincet itaque proprij muneris haud oblita, & coquet quod cōcoqui eſt habile, & excernet quod poteſt excerni.} Quapropter valeant & Arabes, & Barbaram quidam ſectantes medicinam, qui præter rationem timentes, vt ipſi aiunt, bilis efferueſcentiam in hiſce febribus, venam ſecari vetant in ægrorum perniciem; ignorantes (vt mea fert opinio) quòd per venæ ſectionem redundante flaua bile cum ſanguine intra vaſa, perpetuò eadem proportio ſeruabitur vtriuſque ſucci ſi venæ ſectio fiat, adeò vt non magis de vno quàm de reliquo euacuetur, ſed ſemper eandem ſeruabunt proportionem quam intra vaſa habebant. ſecetur autem interna cubiti vena; nam velociſsimè, & plurimùm ex iis quæ principes ſunt partibus; vena ea corpus vacuat, Galeno auctore 4. de ratione victus. priùs tamen quàm ſanguis mittatur, aluus emollientibus, lenientibúſque clyſteribus exinaniri debet, qualis eſt is qui recipit foliorum maluarum, violarum betæ, & lactucæ, ſingulorum manip. i. fiat decoctum ſecundum artem, cuius per colum transfuſi R. libram j. s. vel libras ij. adiicitóque olei violacei vnc. iij. vel iiij. mellis violacei vnc. ij. medullæ caſsiæ fiſtularis recenter extractæ, aut etiam caſsię tractæ vnc. j. ſalis communis dra. ij. vel iij. miſceantur ſingula, & fiat clyſter, quo nedum ante ſanguinis miſsionem, verùm vbi vſus requirat ſæpius, & quouis ferè die vti poteris. quibus auxiliis hora quietiori vtendum eſſe omnes conſentiunt, potiſsimùm vbi febris ardens plures habeat particulares acceſsiones. At quoniam ſi perfectè ardens febris ſolui debeat, horum alterutrum fieri neceſſarium eſt, aut bilioſos excerni humores, aut eoſdem extingui Paulo auctore cap. 29. libro 2. ob id à venæ ſectione per ſudores, imum ventrem, aut vomitiones, eadem bilis excerni tentanda eſt, atque etiā extingui, aut frigidæ potu, aut reliquis infrigidantibus, & humectantibus. vt verò promptiùs eadem bilis expurgetur, potiſsimùm per imum ventrem, eiuſdémque feruor mitigetur, ac putredo extinguatur, vbi eandem occaſionem arripere poteris, ſyrupum acetoſum ſimplicem, de oxyſaccharo, de citri acido, cum eo qui fit de ſucco bugloſsi, endiuiæ, cichorij, ſeu ex ſucco vel infuſo roſarum, aut violarum præbeas; adiectis æquis cichorij, endiuiæ, aut bugloſsi, non ſiquidem in acceſsionum principio, ſi eædem adſint, ſed in earum incremento, ſeu ſummo vigore. Quam primum autem poteris, à venæ ſectione, vbi purgatione indigeant ægri, ea vtare; nec numerus dierum ſpectandus eſt, vt quidam Neapolitani medici falsò opinati ſunt, perpetuò quartum expectantes diem; nam vel ſtatim ab initio priuſquàm in partem aliquam firmentur humores, medicandum, vel poſtea, cùm ad maturitatem perducti fuerint. Quam ob cauſam & prima interdum die, & ſecunda, & quarta, & interdum quinta, & non in quarta ſolùm medicamenta dedimus, inquit Galenus 4. de ratione victus, & Hippocrat. aphoriſ. 29. libro 2. { cùm morbi inchoant, ait, ſi quid videtur mouendum, moue.} & aphoriſm. 24 primi libri. { in acutis morbis rarò, & in principiis medicinis purgantibus vti. } & hoc cùm præmeditatione faciendum præcipit. cuius cauſam reddit Galenus in commen. aſſerens deinde quòd in acutis morbis circa principia, ſtatim circa primum videlicet diem, vel non vltra ſecundum, ſi ſumus vſuri purgantibus medicamentis, eis vtendum. non igitur expectandus eſt perpetuò quartus dies, ſed vbi eiſdē opus ſit, ſingulis iam dictis à Galeno diebus, & quàm citiùs poteris præbenda erunt, etiam concoctione non expectata, quemadmodum nos fuſiùs noſtro tractatu de purgatione explicauimus; præterquàm ſi criſis aliqua futura ſperetur, quo caſu omnino à purgatione abſtinere oportet. vbi verò purgantia medicamenta cōueniunt, cholagoga Græcè dicta, hoc eſt bilis eductiua, ea eligenda erunt, vt in vniuerſali methodo docuimus, quæ aut calida non ſint (qua ratione dicebat Hippocrates, rarò eiſdem in principiis vtendum eſſe) aut parum calida cùm ſint, alia miſcenda erunt medicamenta quæ refrigerandi vim habeant, cuius generis medicamenta noſtris temporibus non pauca reperiuntur. Quamobrem audaciores eſſe poterimus in exhibendis purgationibus in

Reprehenduntur Arabes, & hæmophobi.

Super text. 24.

Clyſteres lenientes.

Tempus vtendi.

Purgatio humoris & refrigeratio.

Quando purgandum.

Super text. 38. & 76.

eiuſmodi febribus quàm veteres. Sunt verò hæc tamarindi, caſsia fiſtularis, mel aëreum, ſaccharum violaceum, ſyrupus è pluribus infuſ. roſarum, ſeu violarum, atque etiam roſarum ſuccus, rhabarbarum, quibus hunc in modum vti poteris. Recipe florum bugloſsi (intelligo autem per bugloſſum, borraginem) nymphææ, violarum, & hordei decorticati ana drac. iiij. tamarindorum vnc. j. fiat decoctum in aqua fontis, in quo per colum transfuſo diſſolue mellis aërei vnc. ij. s. rhabarbari vigorati, macerati in vnc. ij. ſucci roſarum, & colati ſcrup. iiij. fiat potus: vel inuicem mellis aërei vnc. j. s. pulpæ caſsiæ fiſtularis adiicito, aut ſacchari violacei vnc. ij. vel ſyrupi è pluribus infuſ. roſarum, vel violarum tantundem. vbi verò robuſtiora ſint corpora quæ hac febre laborant, vnc. s. diacat. iam dictis medicamētis adiicere poteris, aut vnc. iij. ſacchari violacei ſumito, & cum dra. iiij. aut diapruni ſolutiui, aut electuarij è ſucco roſarum cum eodem decocto exhibeto. Quòd ſi bolum potius quàm potionem ſumere cupiant ægrotantes, ex eodē ſaccharo violaceo, diacat. diapruni, aut electario de ſucco roſarum & rhabarbaro formari poterit, vel ex pulpa caſsiæ fiſtularis, ſeu ſaccharo violaceo, & rhabarbaro, ac diacat. formetur. Cæterùm à purgatione apparentibus manifeſtis coctionis indiciis, inſtante iam vigore, viribúſque valentibus (& nullo alio prohibente, ex iis quæ incontinenti febre citra putredinem relata ſunt) aqua frigida exhibēda eſt, quam ſi quid impediat, aqua hordei commodè exhibebitur, aut etiam ſtillatitia aqua bugloſsi, cichorij, ſeu domeſticæ endiuiæ, quibus vnc. 2. vel 3. zulapij violacei, aut roſacei, ſeu ſyrupi de oxyſaccharo aut ex citri acido, adiicere poteris; cuius quantitas eo etiam modo determinetur, quo iandudum citato loco expoſuimus. Poſſunt item & paſtilli hunc in modum figurari quibus tutè vti poteris cum iam dictis aquis; Recipe pulueris dia margaritonis frigi. dra. 1. triaſantalati dra. s. ſeminū com. frig. vnc. 1. ſacchari diſſoluti in aqua roſarum quātum ſatis ſit, miſceantur & fiant paſtilli. Vt verò bilis feruor mitigetur, reſtinguatúrque febris, ac putredo arceatur, & ſitis ſedetur, hoc noſtro medicamento ſæpe tum à purgatione, tum etiam ante vtare. Recipit autem ſacchari violacei, bugloſsi, & roſacei, ſingulorum vnc. 1. s. diſſoluantur in aqua acetoſellæ, bugloſsi, & endiuiæ, cuiuſlibet libram s. deinceps per colum transfundantur, & adiicito pulueris diamargarit. frig. dra. 2. ſyrupi de pomis, de citri acido, & de oxyſaccharo ana vnc. 2. foliorum auri num. 4. quibus ſimul commixtis omnibus, æger ſæpe vtatur, cochlear vnū pro qualibet vice abſorbens. Reliquum eſt vt ad topica medicamenta transeamus: verùm animaduerſione dignum eſt quòd vbi febris ardens vnam duntaxat habebit à principio, ad finem vſque acceſsionem, eadem cordi, ac thoraci, & non reliquis adhibenda ſunt partibus, ſi verò plures acceſsiones habeat, inueſtiganda priùs eſt ea pars, in qua bilis ipſa corriuata putreſcat: num videlicet in venis pulmonis, iocinoris, aut ventriculi, in quibus præcipue putreſcere conſueuit in eiuſmodi febribus, vt liquet primo de morbis vulgari. aut in reliquis. nam illi præcipuè parti, & non cæteris præterquàm cordi adhibenda remedia ſunt; cordi verò perpetuò tanquam principi membro, ac ſemper affecto ſuccurrendum erit: non enim conuenit indiſcriminatim (vt maior pars medicorum hodiernis temporibus præcipit) medicamenta adhibere, tam ſi refrigerantia, quàm ſi calfacientia ſint, imò illi maximè parti quæ primò affecta eſt, quemadmodum in cura hecticarum febrium decretum reliquit Galenus decimo de metho. meden. cap. 9. Nam ſiue refrigerantia ſint medicamenta, ſiue calfaciendi vim habeant, ſemper partes quæ eis non indigent, lædentur. Quamobrem cordi hoc epithemate ſuccurrendum erit, Recipe aquæ roſaceæ libram 1. aquæ acetoſellæ, & bugloſsi, & meliſſæ ana libram s. ſantalorum omnium, & corallorum rubeor. ſingulorum drachma 3. ligni aloës, 2. corticum citri & ſeminis baſilicōis ana drac. 1. oſsis de corde cerui numero 2. croci parum, & vini albi odoriferi parum, miſceantur, & fiant epithemata pro corde. ſunt qui margaritas, alióſque precioſos lapides adiiciant, quæ cùm parum, aut nihil conferre videan

Cholagoga pharmaca.

Frigida potio.

Paſtilli cum aqua miſcendi.

Topica.

Loc. pluries citatis.

videantur(vt mea fert opinio)conſultò pretermitto. hæc epithemata communia ſunt ardentibus febribus omnibus,ac calida adhibenda ſunt, confert etiam magnopere huic febri, ſi panniculi linei complicati moderatè graciles, madefacti in aqua roſacea oleóque roſaceo pauco adiecto aceto, thoraci imponantur,interim pampinorũ vitis,cichorij,endiuiæ,lactucæ,aut cucurbitæ ſuccus adiici poterit.oportet autem vt abundè calida ſint,nam tepida partium firmitatem exoluunt Aëtio teſte præcitato loco.id enim mirum in modum febrium ardorem ſedabit;aſsiduus tamen horum vſus vitandus eſt,eodem auctore. Iocinore verò laborante, hoc applicandum eſt remedium,Rec. ſucci ſolani, & cichorij ana lib.s.aquæ roſaceæ & endiuiæ ana.lib. 1.ſantalorũ omnium dra. 3.aceti parum,miſceantur,& fiant epithemata,ex ſucco inſuper cichorij, ſolani ſeu endiuiæ, vnguentóque roſaceo, ſantalis, pauco aceto & cera, vnguentum parari poterit. Vbi verò ventriculus primò affectus ſit, palmulæ cum vino & roſaceo, aut melino tritæ adhibendæ ſunt, ex eiuſdem Aëtij teſtimonio: vel, Rec.aquę roſacęę lib.1.s.ſucci pampinorum vitis,polygoni,ſeu cichorij lib.s.vini albi odoriferi, in quo lene priùs factum fuerit decoctum abſynthij, & chiæ maſtiches parum,vnc.4.miſceantur,& fiant epithemata. Poteris inſuper & ex ſantalis ſiue corallis quippiam adijcere,vitandáque perpetuò ſunt hoc in caſu, quæ validã calfaciendi vim habent, velut vulgus medicorum, & medici etiam quidam non vulgares in dies, in ægrorum perniciem indifferenter abutuntur. Tempus autem horum frigefacientium epithematum ac ſimilium in his febribus quæ plures acceſsiones habent,eſt vigor exacerbationis, vt inquit Aëtius: nam in principiis ac augmentis earundem,dum adhuc inæqualiter affectum eſt, & caliditas circa viſcera reſidet,ſi hæc adhibeãtur, diffundunt quidem ſenſum, verùm repellentia caliditatem in profundum maius detrimẽtum inducunt, incluſo intus feruido calore,& rurſus febrem ardentiorem efficientem. At in vigore expãſa caliditate per totum corpus,facilè extingui poterit ea,quæ adhuc reliqua eſt circa viſcera.nam & melius ſpirantes,& minùs ſiticuloſi fiunt,his in tempore adhibitis,& ipſorum roſcido vapore excluſo, ad ſomnũ conuertuntur.Si verò vnam duntaxat acceſsionem habeant,omni certe tempore à purgatione adhiberi poterunt. Quòd ſi renes etiam admodum calfacti videãtur, albo Gale.cerato,aut roſaceo vnguẽto,oleóque violaceo,aut de cucurbita,paucò adiecto aceto,exiguáq; cera inungantur:nec parũ eis confert,ſi odoramentum parabis hunc in modum:Rec.aquæ roſaceæ,myrtillorum,& florum nymphęæ ana vnc.2.ſantalorum omnium,& corallorum rubeorum,ſingulorũ dra. 1.s.corticum citri dr. 1.aceti roſacei vn.1.s. miſceantur in ampulla tenui panniculo lineo tecta,quam ſæpe agitatam æger odoret. Hunc etiam in modum medicamentum parare poteris ad vigiliarum inſtantiam, Reci.florũ, & foliorum lactucæ,& hyoſcyami,ac florum nymphææ ſingulorum drac.4. corticum papaueris albi,& nigri,ana dra.2.roſarum rubearum pugillum s.fiat decoctum in aqua fontis,de quo recipe lib.s.& adiicito olei de nenufare,de papauere,& violacei,ſingulorum vn.1.aceti parum, & fiat odoriferum, interim & pomorum, ſeu radicum mandragoræ dra.1.adiicere poteris,aut etiam opij ſcrup.s. Porrò Balneum illis ſolùm conuenit in ardente febri,vt inquit Aëtius;qui citra tumorem aliquem inflammatum, aut eryſipelatum ægrotant, vbi concoctionis ſi- Balneum.
gna apparuerint in vrinis.ſi verò qui ægrotat,iuuenis ſit bene carnoſus, ſeu bona corporis habitudine, tum ſtatus cœli calidus & ſiccus, vires cunctas valentes habeat, febris ſit ardentiſsima, & concoctionis notæ planè euidentes ſint, etiam ſi in frigidam natationem hunc dimittas,haudquaquam lædetur: quinimò protinus ſudabunt, & nonnullis eorum aluus biliofa redditur. Gale. auctore 11.de meth.med.c.9.ſubintelligere autem oportet quòd citra viſceris alicuius inflammationem febricitet.at ſi mediocris febris ſit,vires non adeò validæ,cum eiſdem tamen concoctionis notis, iis etiam qui ita ſe habent, balneum prodeſt,non tamẽ aquæ frigidæ,ſed temperatum,aquæ dulcis, vt liquet eodem

11.de meth.med.& ab Aëtio citato loco.aduertant autem ſtudioſi quòd Galenus de putredine quæ totum corpus occupat, indifferenter hoc loco verba facit,quæ ſynochos:idest continentes efficit febres,& non de continente ex ſanguine ſola, vt quidam putant,quapropter & eas etiam ſubintelligit quæ ex bile continentes excitantur febres, quas ardentiſsimas, & vehementer vrentes ibidem appellat, in quibus etiam frigidam natationem commendauit. quæ enim ex ſanguine putreſcente continens excitatur febris,licet maxima dici poſſit, nunquam tamen ardentiſsima,vt ſæpius dictum eſt.Alexander verò præcitato cap.3.lib.12.de balneo ſic ſcriptum reliquit: { lauandi ſunt qui feruida,& perardenti febre laborant,in domo potiſsimùm, vbi ſolium habeatur tepente aqua plenum,vt totum ægri corpus vndequaque ab aqua operiatur.}Verùm vbi nec concoctionis habeat ſigna,neq; vires validas,ambiens verò ſit frigidus; quoniam ſeruari,vt dictum eſt,is planè non poteſt; neç lauandus eſt in balneo, nec aliquod aliud medicamentum exhibēdum.in quo enim deſperata omnino ſalus eſt,imprudentis conſilij fuerit apud vulgum infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti, eodem Galeno auctore citato libro 11.de meth.medc. c. præcit.

Curatio lipyriarum. Cùm verò lipyriæ febres quæ ex aliqua forti inflammatione in corporis parte profundiori genita,vel eryſipelate fiũt,ex genere ſint ardentium,licet malignę, & pernicioſæ magis,vt liquet com.aph.48.4.lib.& lib.de inæqu. intemperie.c. 2.cùm dixit,{tales perpetuò febres ſunt,& quæ lipyriæ vocãtur,præterea quòddam ardentium febrium pernicioſum genus.} non alia ratione curari debent. vbi curari queant, quàm reliquæ ardentes febres, particularibus tamen indicationibus deſumptis,tum ab inflammatione quæ cum putredine copulata eſt, ſeu eryſipelate in his febribus,tum etiam à parte affecta, in qua talis genita eſt inflammatio, ſeu eryſipelas, quas fuſiùs in vniuerſali methodo explicauimus, perpetuò tamen abſtinebis ab eo medicamento quòd à Meſ. Alchermes nuncupatur, & maior pars Neapolitanorum medicorum, in eiuſmodi febribus ſæpe vtitur, propter eas quas capite de curat.febr. peſtilentium recenſebimus cauſas.

De exquiſita tertianæ dignotione, prognoſtico & curatione. *Caput III.*

QVAE ex eadem flaua bile ſyncera per ſentientes corporis partes delata oritur febris,exquiſita tertiana nuncupatur, quãdoque ſimplici appellatione tertiana,vbi videlicet ſuam naturam ſeruat puram,atque ſynceram,vt liquet commen.apho.59.lib. 4.& nos etiam priùs expoſuimus.ſeruabit autem ſuam naturã *Cap.9.2.per tis.* ſynceram,eritq; ſimplex,impermixta,ac legitima, vbi omnia quæ enumerabimus,in ea manifeſtantur. Atqui primum eſt, quòd cum valido rigore incipit, *Signa tertianæ puræ.* quo cum nulla alia febris incipere poteſt,eritque rigor vehemens, pungens, ac *Ex rigoris ſpecie.* carnem feriens,in quotidianis etenim rigor nõ antecedit,neque ſtatim ab initio, neque in progreſſu, ſed ſolũ frigefactio, aut fortè exiguus quidam rigor. Quartanæ autem,non primo ſtatim die cum rigore inuadunt vehementi:nam progrediẽte ipſa,atque aucta vnà etiam rigor augetur, ſenſúſque ægrotantibus adeſt,non quaſi pungantur,ſed potius refrigerentur,vt in ſequentibus patebit. Quia verò cum rigore inuadit, & ad infebricitationem deſinit, differt quoque ab exquiſita febre ardente, quæ omnia alia ſeruat exquiſitæ tertianæ indicia, *Ex pulſibus.* præter hæc,vt patet 2.de criſibus.c.6. Hoc etiam tempore pulſus parui erunt debiles,tardi,ac rari; non tamen adeò vt in quartanis tardi,ac rari ſunt, ſed tarditas propè accedit ad eum qui ſecundum naturam eſt motus:.præterea certus ordo, atque æqualitas pulſibus ineſt,neque enim in his aliqua in vno motu adeſt inæqualitas, neque etiam in collectione, quamuis hoc rarum ſit, & quod paucis acceſsionum principijs ſolet accidere, ſubintelligere tamen oportet,

quòd

quòd non aderit inæqualitas aliqua in pulſu, in vno motu, neque etiam in collectione, vt Galen. inquit ſecundo de criſib. cap. 3. manifeſta videlicet: aut non aderit inæqualitas aliqua præterquàm febrilis, vt ipſemet teſtis eſt primo de arte curat. ad Glauc. cap. 5. eſt etenim omnibus communis febribus, inæqualitas pulſus in vno motu, quòd videlicet multo velociùs principium, finémque motus inuenies, quàm medium, licet in ipſa tertiana non adeò ſit manifeſta: breuis etenim in ipſa eſt velocitatis exceſſus, atque inconſiſtentia præſertim, vt liquet citato loco. Nam licet in hac febre, velut in cæteris ex putredine ortis, pulſus contractio celerior ſit diſtenſione, non tamen hæc pulſus inæqualitas dici poteſt: etenim neque in vno motu, neque in collectione inæqualitas eſt: at in aſcenſu, ſeu incremento acceſsionis, pulſus magni ac calidi, vehementes, veloces, atque frequentes erunt, æqualémque, & liberam habebunt celeritatem. ſtatim enim ad magnitudinem, vt diximus, atque vehementiam excitabitur pulſus, atque omnibus iis frequentiam reſpondentem habebit: neque vllum aderit inflammationis ſignum.

Ex caloris qualitate, &c.

Calor verò multus, & acris ſentietur, inueniéſque æſtum, deuſtionem, & quendam veluti feruorem, inuehítque febris ſitim atque hominem exurit, vt ſe denudet, & abiiciat veſtitum, ſeu operimentum, & magnum ac denſum ſpiritum ducat, & velut flammam quandam efflet, & frigidam bibere expetat, vt inquit Aëtius. & paulò poſt in vigore conſiſtit, calórque æqualiter quaque verſus extenditur, nihilóque plus thorax extremitatibus calet, & ſi manum impoſueris, in primo occurſu quidem multus, atque acris erit, vt diximus: quique veluti quodam cum vapore efferatur, paulo poſt verò à manu ſuperatur, non vti in febribus malis adurentibus accidit: contra enim illæ grauiores ac moleſtiores, quanto diutiùs perdurant, apparent. quod tempus ſanè bibendi adeſt ægrotanti, & ſtatim poſt potum plurimus vapor calens per cutem exhalat, ſudoris nuncius: biliſque ſuperuenit vomitus, venter ſoluitur: & bilioſum mingunt.

Ex ſudore.

Incipit enim ſudor vaporoſus, ac calidus, quemadmodum in balneis, totum verò ipſis corpus æqualiter ſudat, taliſque eſt pulſus hoc tempore, qualis in his qui bene valentes exercitantur, ac balneantur, velox ſcilicet, ac magnus, vehemens, & frequens, erat autem & ſtatim ab initio æqualis, & præter hæc omnia etiam ad infebricitationem definit,

Ex tempore acceſsionis.

vniuerſum acceſsionis tempus, vltra duodecim horas non extendens. nam hoc tempus in veris, legitimis, atque exquiſitis tertianis, longiſsimum eſt. ſæpiùs autem ſeptem horas acceſsio continet, nonnunquam citiùs, aut tardiùs, ſed non multò finitur, prout multa, vel pauca; craſſa, vel tenuis fuerit bilis: virtus robuſta adſit, aut imbecilla, ac ægrotantis corporis diſpoſitio rara, vel denſa.

Ex vrina.

ſi verò æger minxerit, vrina ſubruffa, vel ſubflaua, & craſsitudine mediocris apparobit, ac paulò poſt vel albam nebulam, vel ſuſpenſionem optimã habebit. quinimò ex hac vrina noueris, nedum exquiſitam eſſe tertianam, ſed etiam quòd vltra quartum circuitum non progredietur: ruffiore verò exiſtente vrina, neque ſuſpenſione aliqua, neque nebula in primo circuitu apparente, ad ſeptem circuitus extendetur. Inter omnes autem exquiſitas tertianas, illa erit ſimpliciſſima, quæ cùm omnia illa nuper à me dicta ſigna commoſtrauerit, in vrinis etiam ſubſidentiam; & leuem, & æqualem ſtatim primo fecerit die: neque enim hæc vltra tertium progredietur circuitum, vt inquit Galenus ſecundo de criſibus.

Cap. citato.

Ex cæli conſtitutione.

Ipſius verò generatio tempeſtatem aridam, & calentem requirit, & vt ſummatim dicam, æſtiuam, iuuenilem, ſeu conſiſtentem ætatem; & naturam bilioſam, quæ in laboribus, vigiliis, curis, & inediis extiterit, ſolis incendiis, & etiam ciborum parcitate, præſertim calidorum, atque ſiccorum: præterea medicaminum calfacientium immodicus vſus, febres tertianas faciliter affert: ſimiliter & mœrores, & intenſæ cogitationes. Quòd ſi multos alios eodem tempore laborantes contigerit tertianis corripi febribus: hoc quoque maximum præter ea quæ diximus, ſignum erit.

Ex pulſu, qui reperitur tempore primæ intermiſsionis.

Si verò inter hæc à febre quieuerit homo, hac inquam, quæ in ſuo motu eſt, & omnibus nota, propria verò fe-

Non iam repe riatur.

brium inæqualitas in arteriarum motu relinquatur, tunc certiſsimè poteris enunciare febrem eſſe tertianam, æquè ac ſi tertio die acceſsionem feciſſe vidiſſes, vt liquet primo de arte curat. ad Glauc. cap. cit. cùm in nulla alia febre arteriarum motus ad naturalem habitum reuertatur, etiamſi multum temporis inter primæ acceſsionis finem, & ſecundæ principium intercidat, præterquàm in diariis: ſemper enim febris remanet ſignum, in ephemeris autem in totum aboletur acceſsione ceſſante, vt eodem lib. ſcriptum eſt. cap. 2. Tempus autē intermiſsionis in hac febre nullum habet humoris putreſcentis ex pulſu perceptibile indicium, in die aut nocte quæ conſequitur acceſsionem. cùm verò paruper ſuccenditur, vix agnoſci poteſt in primis diei, aut noctis ſubinde ſequentis partibus, manifeſtiùs autem iam circa finem eiuſdem diei, vel noctis: adhuc verò manifeſtiùs proxima quæ antecedit (videlicet acceſsionis diem, vel noctem.) in illa verò, iam ſignum euidentius apparet, ac multò etiam magis acceſsione incipiente, atque adhuc plus iam inualeſcente febre: cùm verò iam cōſiſtit, minùs quàm cùm augebatur, multò verò minùs vbi iam declinat, eodem Galeno teſte, ſecundo de different. febr. cap. 3. eſt verò in febribus putreſcentis humoris ex pulſu indicium proprium atque perpetuum, vt arteriæ cōtractio efficiatur celerior quàm diſtenſio, vt tertio de præſagit. ex pulſ. ca. 7. ſcriptum eſt. Ex his itaque indiciis quocunq; tempore ad ægrum accedes, exquiſitam tertianam dignoſcere poteris: ex propriis ſiquidem eiuſdem temporis ſignis, vt principij incrementi, vigoris, inclinationis, & intermiſsionis, inſimul cum reliquis, propriis ſiquidem, ipſius tertianæ, ac communibus ſingulis temporibus eius complicatis.

Prognoſtica.

Quod ad prognoſticum attinet, aphor. 59. lib. quarti, de tertiana exquiſita Hippocr. ſic ſcriptum reliquit: {tertiana exquiſita ſeptenis circuitibus, cùm longiſsima eſt, iudicatur.} Et primo de morbis vulgarib.

Comment. 3. ter. 8.

{Tertiana exquiſita, inquit, citò iudicatur: nec eſt letalis.} Galenus verò idem confirmauit commen. apho. 43. lib. 4. & lib. primo de arte curat. ad Glauc. ca. 8. {ex intermittentibus, ait, breuiſsima quidem, ac mitiſsima eſt tertiana.} & lib. ſecundo de criſib. cap. 3. dicebat: {quòd in tertiana exquiſita, ruffiore vrina exiſtente, neq; ſuſpenſione aliqua, neq; nebula in primo circuitu apparente, ad ſeptem circuitus extendetur.} ſi verò ſubruffa, vel ſubflaua, & craſsitudine mediocris appareat, ac paulò poſt vel albam nebulam, vel ſuſpēſionem optimam fecerit: vltra quartum circuitum non progredietur. Omnium autem tertianarum illa eſt ſimpliciſsima, quæ cùm omnia ſeruet exquiſitæ tertianæ indicia, in vrinis ſubſidentiam etiam habet, & leuem, & æqualem ſtatim in prima die: hęc etenim vltra tertium circuitum non progredietur. Trallianus verò cap. 6. lib. 12. aſſerit: {tertiana quidem facilis curatu eſt, cùm autem à medicis illis qui nulla ratione, & via vtuntur, malè tractatur, non difficilis modò curatu, ſed etiam inſanabilis interdum redditur.} quod confirmare videtur Galenus citato libro primo de arte curat. ad Glauc. cap. 9. ſub exemplo eius, qui corrupto iudicio calidis balneis vſus, extenuato corporis habitu, deinde ad tantā deuenit perniciē, vt tabe cōſumptus interiret.

Curatio.

Cùm verò exquiſita tertianā ex flaua bile per ſentientes corporis partes commota, inualeſcat, ſitque flauæ bilis humor inter omnes qui in corpore ſunt, aridior, ac calidior, quāto magis fieri poteſt, pro eius curatione: refrigerare, ac humectare oportet, Galeno auctore, primo de arte curatiua ad Glauconem, & Aëtio cap. 80. lib. 5. necnon & Paulo cap. 20. lib. 2.

Loca præcit. Aër.

Quapropter in loco frigido æger decumbat, pauimentúmque frequēter ſpargatur aqua frigida, vel roſacea, cum exiguo aceto: inſuper ſternantur ſalicis, ſeu vitis folia, myrti, roſarúmque, aut violarum flores, ac etiam nymphææ.

Victus ratio.

Conſtat etiam cunctis hac febre laborantibus cibum humectantem, refrigerantémque præbendum eſſe. itaque ptiſanæ cremor ſuper omnia vtilis ipſis cenſetur, vt inquit Alexander citato loco. ab omnibus autem cibis qui vim calfaciendi habent, abſtineant, Paulo teſte: quamuis Galenus ante eum ipſa etiam vitauerit. præter hæc autem ab omnibus dulcibus abſtinendum eſſe præcepit Aëtius

citato

citato loco. Qui verò humectant atque refrigerant, omnes vtiles ſunt exquiſitis tertianis, Galeno teſte citato loco. eorum verò quantitas tanta ſit, vt benè concoqui poſsit. qua de re ex oleribus conueniunt atriplex, blitum, lapathum, malua, lactuca, & cucurbita, ptiſanæq; ſuccus. Addas tu cichorium, endiuiam, bugloſſum, ſeu boraginem. quãuis vtilius ſit his oleribus vti modo quo in præcedenti capite docuimus: nam licet refrigerent & humectent, probum tamen ſuccum non generant, vt diximus. & ex piſcibus, ſaxatiles, ex volatilibus quæ mollibus conſtant carnibus: quæ autem talia non ſunt, eorum, alæ; necnon & gallorum teſticuli, vt ipſe Galen. inquit. ſuum verò pedes, & cerebra, ac etiam porcellorum carnem liquefactam, noſtris temporibus vitamus. licet (vt ipſe inquit) non lædant: cùm & præſtantiores, ac longè temperatiores cibos habeamus, quemadmodum præcedenti capite explicauimus. interim quoque & oua ad ſorbendum offerimus, præſertim vitellos. permittendum quoque eſt ex fructibus vt illos deguſtent, qui non ſunt omnino concoctu difficiles, nec etiam facilè corrumpantur, vt ſunt pruna damaſcena, ſeu ſurrentina, & qui azarolæ, ſeu amarenæ vulgò appellantur. Verùm vbi non admodum delitioſi ſint, qui hac febre laborant, ſuccus priſanæ duntaxat vſque ad criſim exhiberi debet, vt idem Galenus citato loco fatetur, aut ex illis quos præcedenti capite narrauimus, aliquem eligas cibum pro natura, ac ægrotantis conſuetudine, ſeu viribus, vt in vniuerſali methodo fuſiùs diſſeruimus, quo in loco cõuenientiorem exhibendi cibi horam, etiam ſtudioſi requirant. A vino verò antequàm morbus concoquatur omnino abſtinẽdum: aut vbi concoqui cœperit, tenue, aquoſum, ac modicum primò dandum eſt: vbi verò iam prope eſt vt morbus ſoluatur, amplius offerendum, vt liquet ex eiſdem auctoribus præcitatis locis. Toto verò eo tempore quo à vino abſtinere debent, aqua hordei, aut aliquo alio ex eis, quæ in præcedenti capite narrauimus, pro potu vtantur: ac reliqua etiam in motu & quiete, inanitione & repletione, animi affectibus, & ſomno, & vigilia ſeruentur, quæ ibi præcepimus. Illud verò præcipuè ſeruandum tam in hac exquiſita tertiana, quàm etiam continua, ac ſingulis febribus quæ plures acceſsiones habent, quòd in acceſsionum principus haudquaquam dormire debeat ægri, propter ea quæ à ſomno, hoc tempore conſequuntur mala à Galeno conſcripta, commento aphoriſmi primi, libri ſecundi. quo etiam tempore nec cibus, nec medicamentum exhibeatur, niſi aliquid vrgeat: retineretur ſiquidem longiori tempore ſaltem intus calor naturalis, non ſine magno eiuſdem ægri detrimento: ob quam cauſam & vigilias præcepimus hoc in tempore, & à cibo, aliiſque medicamentis abſtinemus. alui etiam excrementa ſi excernantur priuſquàm inuaſerit acceſsio, confert, & ſi non natura, ſaltem mollibus clyſteribus aluus exinanienda [illegible]. in earum verò acceſsionũ incrementis, frictiones lenes competunt: excitant enim caloris naturalis ad exteriora motionem, humorémque extenuant, qui in vniuerſo habitu continetur, ac cutis meatus rarefaciunt. At in ſummo vigore tempus eſt ſanè ægro vt bibat, Galeno teſte ſecundo de criſib. cap. 3. & Aëtio cap. 79. lib. 5. bibant autem aquam hordei, ex hordeo potiſsimùm decorticato factam, aut ſtillatitiam aquam intybi, ſeu cichorij, aut endiuiæ, aut bugloſsi, cui zulapij violacei, aut roſacei vnc. 2. adiicito, aut ſyrupi acetoſi ſimplicis, ſiue oxyſacchari tantundem: nec minùs adiicere poteris ſyrupum è ſucco cichorij, ſeu endiuiæ, aut bugloſsi. ſi verò mallent paſtillos aliquos potius quàm ſyrupos, ex margaritarũ drac. 1. & ſaccharo diſſoluto in aqua roſacea quantũ ſatis ſit, formari poterũt. interim vnc. s. ſeminum communium frig. adiicito. quandoq; etiã demptis margaritis drac. 1. pul. diamargaritonis frig. addere poteris. Vbi verò potione æger fuerit recreatus, ſtatim copia vaporis calidi per cutem emergit ſudoris nuntia, & vomitus bilis quandoque ſuperuenit, aut aluus ſoluitur, & per vrinam biliosa reddunt, vt liquet ex Gal. Paulo, & Aëtio. qua de re ſi ad ventriculũ bilis repat, per vomitum educere oportet, cùm verò vergit ad inferiora, per inferiorem excretionem,

Potus.

Quies, ſomnus, &c.

Somnus initio acceſsionis vitandus, &c.

Clyſteres.

Frictiones.

Bibẽdi tẽpus.

Purgatio.

vbi

cap. citato.

vbi ſponte à natura eædem excretiones non perficiantur, iuuat enim per inferiores partes bilis expurgatio, & per vrinam quoque, & ſudores, eam diuortere oportet, vt ipſe Galenus teſtis eſt citato libro primo de arte curat. ad Glauconem. mollibus itaque clyſteribus eo tempore aluus exinaniatur, vomitus aqua tepida exiguo aceto, ſeu ſyrupo, acetoſo adiecto proritetur. reliquę excretiones per vrinam, & ſudores à medico prouocari non debent, niſi vbi maior pars bilis per aluum, aut vomitum fuerit excreta, aut ſaltem manifeſtæ concoctionis notæ appareant, nec ipſius bilis multa copia adſit, pręterquàm ſi frictionibus mollibus, ac lenibus ſudores excitabis. Quamobrem acceſsione finita, in tempore intermiſsionis, eodem oxyſacchoro, ſeu ſyrupo acetoſo ſimplici, aut reliquis modo dictis cum cichorij, endiuiæ, aut bugloſsi aqua vti poterunt ægrotantes, necnon & mollibus clyſteribus ex hordei, foliorum maluarũ, violarum, mercurialis & betæ priùs facto decocto, deinde adiecto pauco ſale, vnc. iij. vel iiij. olei violacei, & duabus mellis roſacei, & fiat clyſter. interim addere poteris vnc. j. medullæ caſsiæ fiſtularis, aut caſsiæ tractę, interdum etiam vnc. ſ. diacatholic, aut diapruni ſolutiui drac. iij. Apparẽtibus verò manifeſtis coctionis indiciis, perſeuerantéq; acceſsione, potiſsimùm vltra tres periodos, vbi criſis aliqua non expectetur, purgãns medicamentum exhiberi poterit: nanq; iuuat in hac febre, vt inquit Galenus, per inferiores partes bilis expurgatio, & libro ſecundo de morbis, Hippocrate aſcripto, reperitur: {ſi tertiana febris tenuerit, ſiquidem non omiſsis tribus inuaſionibus, quarta corripiat, pharmacũ deorſum purgans, bibendum dato.} & Actuar. cap. 19. lib. 3. ſuæ meth. med. his verbis clariùs id ſignificauit, cùm dixit: {febre verò leuiori facta modicè quoque purgantibus, refrigerantia ac humectantia medicamenta permiſcentẽ, quò purgantia, quæ magna ex parte calida ſunt, & turbandi vim obtinent, minùs offendant, vacuare oportet.} Quibus autem purgantibus medicamentis vtendum ſit, præcedenti capite explicauimus. atqui deinceps cienda vrina erit ex iam dictis ſeminibus communibus frig. cum radicum & foliorum cichorij decocto: interim etiam apium, aut fœniculum adiicito, aut ſyrupũ ẽ tribus radic. præbeto, quo caſu etiam, cum fiducia abſynthium exhibere poteris vbi coctionis ſigna monſtrantur, quod alioqui ſummum eſt ſtomacho remedium, vbi bilis infeſtauerit, Galeno teſte, ſi præſertim ex ipſius coma (vt ipſe inquit) quantum ſufficiat, accipiens, mellicrato intinxeris, tutiùs autem cum iam dicto cichorij decocto exhibebis. ex eodem quoque decocto cichorij, radicúmq; apij, & fœniculi, ſudor prouocari poterit, ſi vn. ij. vel iij. eiuſdem prębebis, cum aliquo ex prædictis paſtillis, aut etiam ſequenti. Recipit autem diarhodon drac. ſ. triaſantalati drac. j. ſeminum melonum drac. vij. ſacchari diſſoluti in aqua roſacea quantũ ſatis ſit, fiant in morſulis. N[illegible]c minùs proſunt balnea temperatè calida, ex aqua potabili, tum quia aliquid bilis educunt, tum etiam quia ſua qualitate plurimùm iuuant: nam huiuſmodi balneą humectant, ac potentia refrigerant. ſemper autem oportet contrarias qualitates opponere illis, quæ præter naturã inualuerint, cùm hoc multò plus iuuet, quàm quomodolibet euacuare, vt liquet citato primo de arte curat. ad Glau. cap. citato. Illud tamen in memoria ſemper habeto, vt in tempore fiant: ſi verò etiã coctionis ſigna oſtendãtur, tunc & ſi etiam ſæpiùs laueris, nihil deliqueris, vt ibidem liquet. Reliquis etiam medicamentis alterantibus, tum intus, tum extra adhibitis præcedenti capite explicatis, commode vti poteris. Vnum tamen magnoperè neceſſarium, pro curatione huius febris, definiendum reſtat. Num videlicet competat venæ ſectio? Quam licet Galenus vniuerſaliter commendauerit 11. de metho. meden. in omnibus febribus ex putredine ortis, vt ſuperiùs annotauimus, eam tamen primo de arte curatiua ad Glauconem, pro exquiſitæ tertianæ curatione ſubticuit. Hunc nodum ſic ſoluerem, quòd cùm ſine periculo ſit, & citò iudicetur hæc febris, quantum in ipſa eſt, modò nihil in ea delinquatur, ſi quis eam ſolam inſpiciens, venã ſecari non præceperit pro eius curatione, non errabit, id quod

Cap. de febre à bili, uerſus finem.

Vrinæ prouocatio.

Abſynthium quando cõpetit in tertiana.

Sudoris prouocatio.

Balneum.

An ſectio venæ cõpetat in tertiana pura.

inſpiciens Galenus (vt mea fert opinio) propterea in eius curatione eam non præcepit, ſed ipſius bilis motum ſpectans, per eandem viam qua vergit, & à natura tentatur excerni, eam vacuari iuſsit. At ſi multa ſit bilis copia, ex qua exquiſita tertiana accenditur; coacervata intra vaſa, à quibus acceſsionis tempore excernatur ad ſentientes corporis partes, ſiquis non inſpiciens bilem putreſcentem ſolam, quæ acceſsionis cauſa eſt, ſed eius copiam in venis, ac iocinore genitam, nondum tamen putrefactam, venam ſecari iuſſerit, nec rationi, nec Galeni ſententiæ pugnabit. Taceo Arabes qui eam commendant, potiſsimùm ſi reliqua omnia conſentiant, eadémque moderatè fiat, etenim leuata natura ab eo quo velut ſarcina premitur, quemadmodum ipſemet Galenus fatetur citato lib. vndecimo de metho. med. cap. 15. haud ægrè quod reliquum eſt, vincet: itaque proprij muneris haud oblita, & coquet quod coqui eſt habile, & excernet quod poteſt excerni. At ſi quiſpiam dixerit propterea non debere fieri venæ ſectionem, quoniam Galenus eam non præcepit, citato libro primo de arte curatiua ad Glauconem, quemadmodum eam commendauit pro cura tertianæ nothæ, aſſerimus nos quòd ſi eam non commendauit, non tamen omnino negauit. nec obſtat eam commendaſſe in cura tertianæ nothæ, cùm de ea curanda, magis dubium eſſet, num competeret venæ ſectio, quàm pro curatione exquiſitæ tertianæ, eò potiſsimùm quòd (vt diximus) impetum duntaxat putreſcentis bilis; acceſsionem facientis, ſpectauit, non negans quòd vbi formidetur, propter eius copiam, naturam non poſſe eam euincere, aut vix, & fuluiores apparuerint in primo circuitu vrinæ, & crudæ, quod tutiùs erit ſtatim venam ſecare, hoc tamẽ tanquam in vniuerſali methodo explicatum, hîc ſubticuit. vbi igitur prædicta adſint, ac reliqua conſentiant, confeſtim ſanguis mittendus erit, hora tamen quietiori, & aliis quæ ſæpiùs diximus, ſeruatis: id quod confirmauit Actuarius præcitato loco, cùm dixit: {& niſi quid impedierit, ſanguis eſt detrahendus: etenim in omnibus propemodum febribus ſanguinem mittere, niſi adſit quod interpellat, præſtat.} Qua etiam via, & ratione, & duplicem, ſeu triplicem curabis tertianam, modò exquiſitæ ſint: nanque hæ non propter aliud fieri contingũt, quàm propter multitudinem, & craſsitudinem, ac bilis inæqualitatem, vt inquit Aëtius citato cap. 79. libri quinti. Dignoſces autem duplicem, aut triplicem tertianam, ex iam dictis ſignis. etenim & cum rigore vehementi irruent, & omnes prædictas habebunt notas in pulſibus, vrinis, ac reliquo corpore, & omnino ſimiles acceſsiones erunt.

Duplicis, ac triplicis tertianæ curatio.

De tertianæ nothæ dignotione, prognoſtico, ac curatione. *Caput IIII.*

SI OMNIA, quæ præcedenti capite tertianarum febrium indicia ſetipſimus, adfuerint, exquiſitam reddũt tertianam, cuius acceſsionis tempus, vt dictũ eſt, breue exiſtit: nam quatuor, aut quinq;, aut ſex, & longiſsimè vndecim aut duodecim horas cõplectitur: quatum etiã febriũ vrinæ tertiò die, aut ad ſummum quarto coctionis ſignum oſtendunt. Si verò aliquid eorum deſit, non amplius exquiſitæ erunt. nam quæcunque febris exquiſitam ſimplicitatem ſeruauerit, vnam obtinebit formam, veluti regulam quandam aliarum quæ exquiſitæ nõ ſunt. etenim quæ aliquo modo ab illa defecerit, tantùm etiam à febrium ſimplicitate recedet: vt liquet ſecundo de different. febr. cap. 3. id quod tanquam proprium, nedum tertianis, ſed ſingulis febribus intermittentibus primùm conſiderare oportet. Itaque in ipſis tertianis primùm diſtinguere opus eſt, ſi exquiſita & (vt quiſpiam diceret) legitima ſit febris, aut non exquiſita, ſed velut notha, Gal. au&. primo de arte curatiua ad Glauc. cap. 10: quantum enim natura differunt, tantum rationabile eſt, & victus rationem, ac reliquam curationem permutare. ſunt nanque tertianæ quædam, quibus aliquid iam dictorum deficit, quæ non exquiſitæ, ſed ſimpliciter tertianæ appellantur, quarum acceſsio

Tertianæ ſimpliciter, etiam nõ exquiſitæ.

longiùs

longius quàm duodecim horarum occupat tempus, adeò vt ad decem & octo perueniat horas, tantóque longiores ſunt hæ tertianæ, quàm illæ quæ exquiſitæ dicuntur, quanto earum acceſsiones maiores extiterint ac longiores. ſi verò longiorem habuerint acceſsionem, intermiſsionem autem minorem, acceſſione videlicet in longius tempus protracta, quàm decem & octo horis, tertianæ extenſæ vocantur: licet & hæ ipſæ extenſæ tertianæ plurimam in eo quòd magis, aut minùs differentiam ſuſcipiant. nam licebit ex his aliquam ſimpliciter extenſam nuncupare, quæ cùm vigintiquatuor horas in acceſsione conſumpſerit, reliquas habet febris expertes: aliquam verò ſufficienter extenſam, quæ vſque ad triginta extenditur horas, atque aliquam etiam in longius tempus productam, vt quæ vſque ad triginta ſex horas protendatur, atque aliam adhuc amplius vſque ad quadraginta, vel plures: neque enim ex his aliqua certis terminis poteſt definiri. Et quanquam huiuſcemodi nomina adeò curioſè inueſtigare non ſit neceſſarium, tamen clarioris doctrinæ gratia, præter exquiſitam tertianam nominatam, quæ parum ab ea diſtat, ſimpliciter tertianam appellabimus, vt dictum eſt, deinde aliam paulùlum extenſam, deinde aliam ſufficienter extenſam, aliam verò amplius, & deinde aliam plurimùm extenſam, vt liquet ſecundo de different. febr. cap. 8. nam ſi ea ſola tertiana eſſet, quam exquiſitam conſueuit Hippocr. appellare, vtique ſimpliciter tertianam eam appellaſſet, & non exquiſitam, quæ duodecim horis breuiorem acceſsionem habet. cùm verò aliæ ſint tertianæ iam dictæ quæ exquiſitæ non ſunt, propterea iam dictam exquiſitam nuncupauit, vt ſexto de morbis vulgaribus, ſcripſit Galenus aduerſus Agathinum, & eius ſectatores, qui extenſas tertianas non admittebant, ſed eas ſemitertianas nuncupabant. differunt autem inter ſe acceſsionis longitudine, vt dictum eſt: qua etiam ratione magis, vel minùs ab ea quæ exquiſita eſt, recedunt. nam quanto longior fuerit earum acceſsio, tanto impuriores erunt: rarò tamen reperies febrem, quæ vltra tria interualla exacerbationem producat in vocatam integritatem deſinere, vt liquet ibidem. Appellat autem Galenus interuallum, interſtitium, ſeu ſpatium duodecim horarum, vt liquet ſecundo de criſib. cap. 3. Vt verò quiuis valeat ſingulas, quas dinumerauimus tertianas nothas, ſeu non exquiſitas dignoſcere, illius ſigna explicauimus, quæ exquiſitæ tertianæ maximè contraria exiſtit. nam ex extremis determinatis, non difficulter inuenies intermedias, haud quidem numero paucas, vt Galenus refert citato lib. primo de arte curat. ad Glauconem, cap. 8. erit autem maximè contraria ea quamplurimùm, ſeu admodum extēſam nuncupauimus, cuius acceſsionem vſque ad triginta ſex, ſeu quadraginta horas, vel etiam plures diximus extendi. Quam tertianam ſub exemplo adoleſcentis cuiuſdam, qui medio tempore inter occaſum Pleiadum, & autumnale æquinoctium tali febre laborare cœpit, nobis ſignificauit Galenus eodem libro primo de arte curat. ad Glauc. cap. præcit. incipit enim febris hæc, quemadmodum in eo adoleſcente cœpit, haudquaquam cum rigore, ſed cum horrore: quæ etiam, neque in caliditate ſimilis eſt exquiſitæ tertianæ: mitior etenim eſt eius caliditas neque adeò confeſtim per vniuerſum corpus effunditur, neque etiam ſimilatur ei in pulſibus, neque ſubſequitur bilis vomitus, neque ſudor ſufficiens, ſed pauci quidam humidi vapores exeunt in eius inclinatione, ex quibus febris penitentiam tranſpirat, ac vix intermittit, longo tamen tempore, cùm eius acceſsio diutiùs producatur, vt dictum eſt. pulſus verò minores, tardiores ac rariores fiunt, & in dies duriores euadunt: permanet etiam in pulſibus intermiſsionis tempore febris ſignum ſatis manifeſtum. in quam febrem, licet adoleſcentes, & iuuenes incidant, non tamen ij, qui natura bilioſi ſunt, ſed pingues, aſpectu albi, qui in otio degunt, & crapulis, balneiſque plurimis, & repletionibus vſi ſunt, & propterea benè cibos non concoquant: ſimúlque eis aduenit pulſus durities in prima, atque ſecunda die mediocriter, in tertia autem, quarta, atque ſequentibus vſq; ad ſeptimā, ad magnam peruenit duritiem: qui quidem mult

Tertianæ extenſæ, ſimpliciter, ſufficienter, &c.

Comment. 2. ſuper tex. 23.

Tertianæ plurimū extenſæ ſigna.
Ex horrore.
Caloris qualitate.
Ex pulſibus.
Ex temperatura ægrorū.

multorum fore dierum,ac menſiũm,ægritudinem indicant: deinde paulò poſt tempore paulatim molleſcere incipit, ac minores etiam quotidie fient acceſſiones: vrinæque meliorem habebunt ſubſidentiam,cùm in priori tempore admodum crudæ fuerint: tardiùs etenim concoctionis ſigna apparent in hac ſpuria tertiana, quàm in exquiſita. His itaque indiciis non exquiſitam tertianam cognoſces, eam ſcilicet quæ exquiſitæ maximè contraria exiſtit, reliquas verò intermedias,cognitis exquiſitæ tertianæ indiciis, & huius nõ exquiſitæ, eidem maximè contrariæ, non difficulter inuenies; & eatenus eas magis accedere, vel recedere, ab altera earum percipies, quatenus plus, vel minus eiuſdem ſigna participabũt,ac earum acceſſio longius, aut breuius ſupra duodecim horarum tempus occupabunt. Hæc verò omnia prouenire cenſendum eſt, propterea quòd bilis ex qua nothę tertianę accẽduntur, amplius ſincera non ſit, ſed alteri permixta humori, craſsioris, ac frigidioris naturæ exiſtenti: & prout frigidior, ac craſsior fuerit ac maior eius copia cum bile permixta, eò impurior tertiana fiet, acceſsionémque habebit longiorem, & intermiſsionis tempus breuius, quemadmodum in hac quam modo deſcripſimus, in qua multa admodum commixta eſt pituitæ copia, vt ex enarratis indiciis colligitur, & propterea nõ abre eam dicebat Galen, eſſe maximè exquiſitæ tertianæ contrariam, non negans quòd ſi minor ſit copia pituitæ eidem bili permixta, poſſit aliqua notha tertiana generari,quæ non adeò ſit exquiſitæ contraria, neque etiam eodem loco,aut alibi negare viſus eſt, vt quidam iuniores Galenici ſentire videntur, quòd eadem tertiana ſpuria gigni poſsit, atra bile, & non pituita ipſi flauæ bili permixta, quemadmodum etiam vniuerſa Arabum ſchola admittit. Verùm de his particulatim haudquaquam verba fecit, excuſans ſe, citato libro primo de arte curatiua ad Glauconem, quòd cognitis extremis tertianis, hoc eſt exquiſita,& illa quæ ei maximè contraria eſt, quam ipſe figurauerat ſub exemplo adoleſcentis, vt diximus, haud ægrè poterant inueniri reliquæ intermediæ,quæ quidem numero paucæ non ſunt, vt ipſe fatetur. Decepit autem hos viros quòd arbitrati ſint aliam Gale. non nouiſſe tertiam notham, quàm eam de qua verba fecit præcitato libro primo de arte curatiua ad Glauconem,ſub citato exemplo; non animaduertẽtes quòd primo,& ſexto de morbis vulgaribus,& ſecundo de differentiis febrium, plures conſcripſerit tertianæ ſpuriæ differentias: hoc verò in loco arte, & breuitate quadam vſus, eam deſcribens, quæ (vt diximus) extrema eſt, poterant reliquæ intermediæ facilè percipi, quemadmodum etiam & curari. De hac quoque verba faciens, dicebat ſe vidiſſe aliquam tertianam notham in autumno incepiſſe, & deinceps vere terminaſſe: nam non omnes nothæ tertianæ in tam longum protrahuntur ſpatium, ſunt nanque inter eas quæ citiùs terminantur,& eo citiùs quo pulſus paulatim ad molliriem non longo poſt tempore ab eius initio tendant. ſimiliter vbi non longo poſt tempore à principio, acceſsiones minores fiant, & in vrinis coctionis nothæ apparuerint meliores, ſubſidentiam ſcilicet habentibus,quæ priori in tempore crudę,aut minùs concoctæ viſæ ſint: quapropter interdum in ſexaginta, interdum verò in quadraginta diebus terminentur: minùs tamen formidanda erit, ac citiùs quoque ſoluetur ea quæ ex atræ bilis permixtione generatur, quàm quæ ex pituitæ, in cæteris paritate ſeruata; quamuis nulla earum quantumuis impura & illegitima fuerit, ex ſeipſa periculoſa exiſtat, vt liquet aphoriſmo 43. libri quarti, niſi in aliquo fuerit delictum, nec opus eſt vt particulatim hic cuiuſlibet ſigna conſcribamus. nam ſi bili pituita permixta fuerit præter ea quæ diximus, quædam alia aderũt indicia ex iis quæ in capit. de quotidiana narrabimus, & prout plura aut maiora adfuerint eiuſdem quotidianæ indicia complicata, aut minora, maiorem, aut minorem etiam permixtionem ipſius pituitæ coniectare licebit. perinde etiam exiſtimare oportet, vbi atra bilis flauæ fuerit commixta; aderunt enim & nonnulla quartanæ indicia & pro eorum multitudine, aut paucitate, maiorem, vel minorem

Cap. ſupra citato.

Loco citato.

Cõmen. 2. ſuper text. 25. & com. 3. ſuper text. 5. com. 2. ſuper text. 23.

Prognoſtica.

Minùs formidanda mixta cum atra bile, quàm cum pituita.

atræ bilis permixtionem percipies, ex cuius quoque notitia vnà cum acceſsionis maiori vel minori longitudine prædicere poteris, num longiori vel breuiori tempore iudicentur. Pariter etiam patebit & curationis modus, vbi iam dictæ tertianæ nothæ, exquiſitæ maximè cōtrariæ, curationem præcepimus, ac quotidianæ & quartanæ.

Curatio. Victus ratio.

Vniuerſa itaq; victus ratio pro eius curatione, non quæ refrigeret, ac vniuerſum corpus humectet, inſtituenda erit, qualis in exquiſitis exhibetur tertianis, ſed & aliquem modum aſſumat ad calfaciendum & incidendum, eodem Galeno auctore, citato libro primo de arte curatiua ad Glauconem. quem etiam ſectati ſunt Paulus cap. 20. lib. ſecundi, & Aëtius cap. 81. libri quinti, nimirum velut craſsiore bile ſubiecta, & non valde calidiore, vt idem inquit Aëtius.

Cap. citato.

Prouidendum etiam pro viribus eſt, ne morbus augeatur, néve ægrotantis vires proſternantur, quæ longiori tempore debent laborare, difficile verò eſt ſeruare vtrunque, quoniam inediæ, quantum proſunt ad morbi coctionem, tantum, vel amplius officiunt viribus, cibi vero quantum ægri vires adaugent, tāntum coctiones impediunt. ſed id quoque noſcere opus eſt, ad quantam magnitudinem perueniat morbus, ac quantæ ſint ægroti vires, vt ad ea inſpiciens quæ maius auxilium expoſcunt, inedia quidem in valentioribus vtaris viribus, & morbo coctu difficili, largiori autem cibo vbi vires ſunt debiliores, neque morbus admodum concoqui contumax. hæc quidem & in omnibus aliis morbis conſiderare oportet, vt liquet ex eodem Galeno, & nos in vniuerſali methodo fuſiùs diſſeruimus. Maximè verò eis conducit ptiſanæ ſuccus iniecto pipere, hyſſopo, aut origano modico, necnon & aliæ ſorbitiones concoctu faciles, ex prædictorum auctorum teſtimonio. ſemper autem plenior victus in hac febre adhibēdus erit à principio, quàm in exquiſita tertiana. Reliqua verò quæ ad victum ſpectant, tum præcedenti capite de tertiana, tùm ſequentibus de quotidiana, & quartana ſunt petenda, eatenus ipſum victum variās, quatenus ipſa tertiana notha ab ea quæ exquiſita eſt, declinauerit. & cùm acceſsionem habeat longiorem, cibum non quotidie exhibere oportet, ſed alternis diebus (niſi quippiam vrgeat, vt in acceſsione cibum offeras) quanquam etiam exiguū magis, minúſque nutriens, ac medicamentoſus eo tempore exhiberi debebit.

Refellitur Alexander reprehendens Galen.

Sed mirum ſanè eſt de Alexandro, qui cap. 6. libri 12. adeò facilè putat Galenū condemnare, eo quòd commendauerit ptiſanæ ſuccum pauco pipere, hyſſopo, vel origano adiecto in hiſce febribus, inquiens, huiuſmodi plerunque periculoſa eſſe, & febres vehementiores accendere, ídq; magis adhuc ſi temperamentum corporis calidius inueniatur, & pituita minor quàm bilis; & quæ non adeò calefacientia requirat, parum (vt mea fert opinio) animaduertente quòd nec Galen. eis, qui ita laborauerint, eadem præceperit, neque vt eiſdem, immodicè vtantur cum ptiſana: docet enim (vt diximus) eam notham tertianā curare, quæ alteri exquiſitæ tertianæ maximè contraria exiſtit, cuius exemplum paulò ante conſcripſerat in adoleſcente, circiter decimumoctauum ætatis annum, albo aſpectu, pingui, & ſæpiùs antea in otio degente, ac crapulis, balneis plurimis, & repletionibus vſo; quæ quidem febris nec vehementior erat, neque in corpore temperamento calidiore, nec pituita permiſta bili, adeò mitis, ac exigua erat, vt non etiam calfacientia requireret, ſimul cum his quæ refrigerant & humectant. In qua etiam febre ea quæ ſupra modum calefaciunt & exſiccant, ipſemet Galenū omnino vitauit, eodem loco. Conatur etiam idem auctor citato loco Galenū reprehendere, quòd pro curatione exquiſitæ tertianæ, apparentibus concoctionis ſignis abſynthij decoctum comprobet, tanquam valde nocuum ægris, calidum & ſiccum temperamentum habentibus, aſſerens ſe nouiſſe in quibuſdam, qui immoderatiùs illud aſſumpſiſſent, particularum colliquationem expertos eſſe, quibuſdam partes ſolidas ſicciores reddi, aliis verò bilem efferueſcentem qualitate potius offendere, alium autem igneam intemperiem, aut inflammationem in ore ventriculi ſentire. atqui ex eiſdemmet verbis liberari à calumnia Galen. poterit

Vide de abſynthio cap. 3. huius partis, circa fin.

cùm

cùm immoderatum eius vſum non commendet,ſed moderatum, ex ipſius coma quantum ſufficiat accipiens. ad hæc quis vnquam arbitrabitur tanta poſſe prouenire incõmoda ex abſynthij decocto,modò immoderatiùs illo ægri non vtantur? neque enim tantam habet vim calfaciendi, licet amaroris particeps ſit,cùm & adſtringendi facultatem habeat, plurimam etenim obtinet adſtri-

Cap. propria

ctionem, vt ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus,liquet,maximè vbi ponticum ſit,& propterea intus aſſumptum idoneum eſt medicamentum ad repurgandos meatus; gratúmque eſt ſtomacho, adeò vt propterea neque igneam intemperiem,aut inflammationem in ore ventriculi proritare valeat.parcat itaque mihi Alexander in hoc,cùm ſatis animosè, exigua ſeu nulla ratione prómotus, in Galenum inuehere conatus ſit. Nos verò ad penſum re-

Potus.

deuntes,aſſerimus etiam, quòd pro potu vti poterunt hac febre laborantes cinnamomi decocto,aut hordei cum exiguo cinnamomo, & vbi admodum delitioſi ſint,vt à vino abſtinere nequeant, eo etiam vti poterunt, pauco,tenui, atque aquoſo potiſsimùm circa initia. nam procedente tempore amplius offerri poterit,neque ita aquoſum,modò tenuis ſubſtantiæ ſit. Quòd ſi ſanguinem

Venæ ſectio.

mittere oporteat, neque hoc quoque omittendum erit, ſed ab initio ſtatim adhibita earum rerum,quas explicauimus diſtinctione,tantum mittẽdum,quantum præſens exigit ſtatus, eodem Galeno auctore.erit itaque ſecanda interna

Clyſteres.

cubiti vena,vbi quippiam non impediat ſtatim ab initio. Conferunt etiam clyſteres,iíque non admodum molles, vt idem auctor inquit, qui parari poterunt ex maluarum,mercurialis,foliorum betæ,florum camomillæ,& hyſſopi decocto,cui colato iuri,mellis roſacei vn.2.olei communis,vel chamæmelini,& violacei vnc.3.vel quatuor,confectionis de dactylis dra.4.aut diacatholiconis,ſeu

Syrupi.

hieræ picræ ſimpl.vn.s.ſalis cõmunis dra.4.adiicito,& fiat clyſter.extenuantes quoque modicéque calfacientes ſyrupi exhibeantur,permiſti cum iis quæ vim humectandi ac refrigerandi habent,veluti ſyrupus acetoſus ſimplex,roſaceum mel,aut ipſummet oxymel,cum ſyrupo de ſucco borraginis,endiuiæ,aut cichorij parato hunc in modum,Recipe ſyrupi acetoſi ſimp.mellis roſacei,aut oxymellis,& ſyrupi è ſucco borraginis,endiuiæ,vel cichorij,ana vnc.1.aquarum cichorij,& borraginis vn.3.miſce.quibus ſæpiùs aſſumptis,apparentibúſque con-

Purgationes.

coctionis notis,aliquod exhiberi poterit pharmacum ex his quæ leuiter ventrem ſubducũt,vt rhabarbari dilutum,diaphœnicon, ſeu diacatholicon, quod quidem hunc in modum componas,Recipe rhabarbari vigorati cum ſpica,diluti in vnc.2.ſucci roſarum,& per colum transfuſi ſcru.4.diacath.dra.7.aut diaphœniconis dra.4.mellis aërei vnc.2.cum aquis cordialibus fiat potus. Poteris in vicem mellis aërei vti vn.3.ſyrupi è pluribus infuſionibus roſarum,vel violarum,aut vn.1.s.pulpæ caſsiæ fiſtularis.Cùm verò febris hæc ex craſsiori accendatur bile, non vnicam fortè purgationem duntaxat deſiderabit, ſed plures, quod quidem ſub his verbis nobis inſinuauit Alexander citato loco: { conuenit igitur, vt qui humores diſſolutos nouerit, non modò ſemel exhibeat, quæ per aluum ſubducere poſſunt, ſed etiam rurſus humectante victu vſi, & diſſoluentes,ſi quæ ſiccæ,& craſſæ reliquiæ ſubſint, iterum leuiter expurgẽt. } Quapropter vbi adhuc perſeuerauerit,reliquis vtendum eſt ſyrupis extenuãtibus, ac aperientibus magis,vt ſyrupo de tribus radic.cum aceto,quo Neapoli vtimur,aut ſyrupo de duabus,vel quinque radic.vel etiam acetoſo compoſito,de bizantiis,aut de eupatorio,aut etiam oxymelite; quibus etiã adiicias aliquem ex iis quæ refrigerandi vim habeant,vt ſyrupum de ſucco, vel infuſ.roſarum, aut de ſucco cichorij,ſeu borraginis. Quibus deinde ſæpiùs aſſumptis repetenda erit purgatio,eíſq; vtendum eſt medicamentis,quæ expurgandi craſsiorem bilem vim habeant, & propterea agaricum adiicito ſimul cum rhabarbaro; vel catapotia quædam tribuas quæ ex eiſdem figurentur,aut ex agarico & aggregatiuis pil.ſeu ex rhabarbaro,& eiſdem pil.catapotia formato, dra.1.pilularum aggregatiuarũ,& alterã ſeu ſcrup.4.ſeu agarici,ſeu.rhabarbari accipiens,

à quorum aſſumptione, mellis aërei vnc.2.aut ſyrupi de pluribus infuſionibus roſarum vel violarũ vn.3.aut ſacchari violacei vn.2.s.præbeto cũ aqua cichorij, aut bugloſſi. Conferunt etiam hoc in tempore ea quæ vrinam ciunt, præterquàm illa quæ ſupra modum calfaciunt & exſiccant, vt inquit Galenus, cuiuſmodi eſt decoctum hyſſopi, aut ſpicæ nardi, & poſt diem ſeptimam danda eſt (vt ipſe Galenus ait) iugiter abſynthij coma. inſuper paſtillis in hũc vſum vtantur, hoc modo confectis, Recipe diarhodon abbatis, & aromatici roſ. ana ſcru. 2. ſeminum communium frigidorum maiorum, aut melonum duntaxat vnc.s. cum ſaccharo in aqua roſacea, & capillorum veneris, ſeu meliſſophylli diſſoluto, fiant paſtilli, quibus vtantur cum aliquo ex prædictis decoctis, aut ſyrupis, aut aquis cichorij, vel borraginis. multis quoque fuit auxilio oxymel epotum, vt citatis auctoribus viſum eſt. vomitus inſuper poſt cibũ adeò iis, quibus hæc febris perdurauerit, vtilis eſt, vt multos ſciam ſolis vomitibus ſtatim fuiſſe curatos, vt Galenus inquit citato libro primo de arte curatiua ad Glauconem.

Vomitus.

Loco citato.

Vbi verò adhuc perſeuerauerit febris, neque iam dictis cedat medicamentis, iis quæ leniter expurgant, ſemel ſaltẽ in hebdomada, vtare, vt trociſcis de rhabarbaro, ſeu de eupatorio, aut de abſynthio cum ſyrupo è pluribus infuſionibus roſarum perſicarum, aut ſyrupo compoſito è cichorio Nicholi hunc in modum, Recipe trociſcorum de rhabarb. de abſynthio, aut de eupatorio dra.1. diſſoluatur in vn.2. ſyrupi è cichorio Nicholi, aut è pluribus infuſionibus roſarum perſicarum tãtundem, & cum aqua meliſſophylli, cichorij, aut capillorũ veneris, fiat potus, vel ex dra.1. ſeu ſcru.4. trociſcorum dictorum, tria catapotia formato cũ melle roſaceo, ſeu oxymelite, & vtare. Et ſi videbitur, poteris poſt horam vel alteram vn.2. dictorum ſyruporum cum iam dictis aquis ſimul exhibere. nec etiam parum efficaces ſunt trociſci è roſis, præſertim vbi admodum laborauerit ventriculus, maléque concoxerit, & febris admodum producta ſit, ac color ægri fuerit vitiatus, quorum poteris drac. s. exhibere ſingulis tribus, vel quatuor diebus cũ vnc.3.aut 4.decocti ex radicibus cichorij, & pauco abſynthio facti. conducit etiam non parum ſi vn.1. vini albi odorati adiicias. Iuuat inſuper ex Galeni præcepto citato lib. de arte curatiua ad Glaucon. necnon Pauli, & Aëtij citatis locis, hypochondriorum calefactio ſeu fotus. at nõ indifferenter omnia calefacere oportet (vt ſæpiùs animaduertimus) ſed ea quæ laborant. Quare laborante iocinore tales fiant fotus, Recip. cichorij, & fumariæ an. manip.s. florum chamæmeli, meliloti, & fœnigræci an. drac.4. ſummitatum abſynthij, & roſarum an. manip.1. ſpicæ, iunci odorati, cuiuſlibet dra.1. bulliant ſecundum artem in ſufficienti quantitate aquæ, deinceps aceti albi vnc. 2. vel 3. adiicito, & cum panniculis lineis in eo irrigatis, iecur ſæpiùs foueatur, inungatur demum hoc vnguento, Recipe olei roſacei, & de abſynthio ana vnc.1. olei chamæmelini, & amygdalarũ amararum, ſingul. vn.s. olei nardini dra.3. pulueris ſeminis lini, fœnigræci, & florum chamæmeli an. dra.2. coral. rub.1.s. ſucci cichorij dra.6. cum cera & exiguo aceto, fiat vnguentum. At ſi lien laborauerit, ac intumuerit, nõ iocinori, ſed lieni calfacientes ſunt approximãdi fotus, quos hunc in modum componas, Recipe corticum rad. capparorum, & tamaricis an. dra.4. ſcholopendrij, abſynthij an. p.s. ſpicæ dra.3. lupulorum, fumiterræ ſingulorum manip.s. florum chamæmeli, fœnigræci, meliloti, ſeminis lini & anethi ana dra.4.s. fiat arte decoctum in quatuor partibus aquæ, & vna aceti albi, & irrigatis in eo ſpongiis, fiant fotus, à quibus tale applicetur vnguentum, Recip. olei liliorum alborum, & irini an. vn.s. olei de capparibus, & amygdalarũ amararum an. vn.1. nardini dra.4. ſucci ſcolopẽdrij vn.1.s. butyri recẽtis, & adipis anſeris cuiuſlibet dr.4. pul. ſeminis lini, fœnigræci, & florũ chamæmeli an. dra.s.s. cum aceto pauco, & cera, fiat vnguentum. huic etiam vn.1. capparorum, aut tamaricis, interim etiam vn.s. ſucci ciclamini adiicere poteris. Vbi verò ventriculus primò affectus ſit, aut etiam ob dicta hypochondria laborauerit, flatibúſque ſit oppletus, & ſubtumida in facie decoloratio apparuerit, idem quoq; fouendus

Fotus hypochondriorum.

dus erit, ex eo quod ita paratur fomento. Recipe ſummitatum abſynthij, & roſarum rubearum ana manip. 1. ſpicæ nardi, chiæ maſtiches an. dr. 2. cinnamomi dra. 1. s. florũ chamæmeli, meliloti, & anethi, ſingulorum dra. 4. ſingula bulliant in tribus partibus aquæ, & vna vini albi odorati, vt conuenit, & ſpongiis in eo irrigatis, ventriculus foueatur. vel, Recipe vtriuſque menthæ & abſynthij ana manip. 1. chiæ maſtiches, cinnamomi, ligni aloës, cort. citri, ſingulorũ dra. 1. maceris, galangæ, an. ſcr. 2. florũ chamæmeli, anethi, & meliloti an. drac. 4. roſarum rubearum manip. 1. s. ſingula contundantur, & ex eis cum linteo lineo fiant ſacculi, qui irrigati in ſequenti decocto, calidi ventriculo applicentur. Recipe abſynthij & roſarum rubearum, an. manip. s. cinnamomi, chiæ maſtiches ana dra. 1. fœnigræci: ſeminis lini, cuiuſlibet dra. 2. ebulliant omnia, in ſufficienti quantitate aquæ, & vini albi, tribus videlicet partibus aquæ, & vna vini, & fiant fotus, quibus ſæpiùs adhibitis, licet eundem ventriculum hoc vnguento inungere, quod accipit oleorum de abſynthio, & maſtichini ana vn. s. olei roſacei, & amygdalarum amararũ ana vn. 1. olei nardini dr. 4. corallorum rub. dr. 1. s. cinnamomi, chiæ maſtiches ana ſcr. 1. vini albi, & ceræ parum, fiat vnguentum. Hæc ſatis eſſe puto pro tertianæ nothæ curatione, nã licet plures, vt recenſuimus, ſint eius differentiæ, non difficulter tamen earum curationem inuenies, vbi extremarum curationem non ignorabis; eius videlicet quæ exquiſita eſt, & alterius quæ eidem maximè contraria exiſtit: cuius curationẽ hoc in capite docuimus. Etenim prout magis, vel minùs ab exquiſita recedit, ita poteris tam victus, quàm medicamẽtorum rationem permutare, ac pro eadem ratione permiſcere. ſimiliter pro diuerſo humore qui permiſcetur, poteris eadem etiam componere, nedum ex his quæ pro cura tertianarum explicauimus, verùm etiam eis quæ ſequenti capite de quartana, & alio de quotidiana conſcribemus.

Exquiſitæ quartanæ cauſa, dignotio, prognoſticum, ac curatio. *Caput V.*

ALTERVM intermittentium febriũ genus eſt exquiſita quartana, quæ ex ſolo melancholico humore generatur, qui frigida & ſicca conſtat temperatura, ſuccenditur autem paulatim velut lapis aliquis, aut teſta, aut os, aut tale aliquod huiuſcemodi corpus frigidum & ſiccum. verùm ſi neque putreſcat, neque vehementer per ſentientes corporis partes deferatur melancholicus hic ſuccus, nunquam efficiet quartanæ exquiſitæ circuitum, vt liquet ſecundo de differ. febrium, ca. 5. quamuis Alexan. ca. 8. lib. 12. velit quòd quartanæ febris non vna ſit ſpecies, ſed multiplices, & diuerſæ exiſtant: etenim alia ex flaua bile nimium adusta, alia ex fæculento ſanguine naſcitur, quod quidem neque negare videtur Galenus tertio prognoſtic. quo loco quartanam (dicebat) ex melancholico humore conſiſtere, atque ipſum duplici modo generari, tum ex ſanguine craſſiore, qui reſpondeat proportione in venis, ſubſidenti fæci in dolio vini, tum etiam flaua bile vehementer aſſata. Inſuper illud confirmare videtur comm. 22. aphoriſ. tertij libri, ſub his verbis: { quin etiam illo tempore quartanas febres fieri inquit (loquens de autumno) quia ſcilicet ex atra bile ortum habent, quæ duplicem habent generationem, alteram quidem ex flaua bile ſuperaſſata, alteram verò ex ſanguine craſſo. } ex quibus indifferenter innuere videtur quartanam febrem generari poſſe, licet ſecundo de differentiis febrium (vt dictum eſt) contrarium ſentiat. Verùm ne quiſpiam putet ſibi pugnantia conſcripſiſſe Galenum, hunc in modum conciliandus erit, quòd exquiſita quartana, incipiens præſertim à ſolo melancholico humore frigido & ſicco, temperaturam exiſtente, ac vini fæci ſimili, eóque putreſcente, ac vehementer per ſentientes corporis partes delato, generationem habet, quemadmodum ipſe fatetur citato libro ſecundo de differ. febrium, cap. 4. Nam licet frigidus natura ſit hic ſuccus, tamen cùm putredinem ſibi adiunxit, cuius cauſa febrem accendit,

Febris quartanæ multæ ſpecies.

Super text. 27.

Loco citato. Conciliatio locorum Galeni.

Quartanæ febris ex bilis aduſtione generatio.

tantum poſsidet caloris, quantum etiam putredinis, vt liquet ſecundo de cauſis ſymptomatum. Eam verò quæ ita exquiſita non eſt, neque ſtatim ab initio inuadit, ſed alijs febribus ſubſequitur inordinatis, ſeu (vt ita dixerim) erraticis, ex præaſſatorum, ac efferueſcentium humorum, & veluti in cinerem verſorum, putredine, quando eadem affectio in cunctis fiat venis, ita vt in eis generetur atra bilis, non tamen quòd eadem in eis putreſcat, ſed exuperet duntaxat, & deinceps acceſsionis tempore ad ſentientes corporis partes tranſmittatur ac putreſcat, generari contingit, potiſsimùm vbi præcedens febris præter inordinationem intermiſerit, atq; ita per finem æſtatis eueniat, autumnóque propinquet, ex Hippocratis auctoritate, citato libro tertio prognoſticorũ. & hoc modo, fortè ſubintelligere voluit Galenus eodem loco febrem quartanam fieri etiam poſſe ex atra bile, genita ob vehementer aſſatam flauam bilem, non autem ſynceram, ſed ob veluti cinerem quendam vehementer aſſatorum humorum (inquit) quem natura non antea excreuit, putrem quandam recipientium affectionem: ex immodicè enim cocto, & feruente ſanguine, veluti cinis quidam, atra bilis efficitur, ac quæ in eo tenuior pars continetur & biliosa, ac aſſata fuerit, in atram conuertitur, ex quibus quartana generatur vbi putreſcant, & per ſentientes corporis partes vehemẽter deferantur. & vbi maior fuerit ſuperaſſatæ bilis copia, ex ſuperaſſata bile quartanam generari fatebimur, non ſynceram, ſed atræ bili ex feruente craſsiore ſanguine genitæ, permiſtam. nam pituitoſus humor vſque adeò minimè aſſari poterit, vt ex eo atra bilis, & deinde quartana generetur (quemadmodum Arabum principi, & ſectatoribus eius viſum eſt) bene autem cæteri humores. ex putreſcente itaque melancholico ſucco, ſeu quod in ſanguine craſſum, ac veluti fæx eſt, immodicéque excalefacto, per ſentientes corporis partes delato, exquiſita accenditur quartana febris, ac ſtatim ab initio ſæpiùs inuadere ſolet. ex putreſcente verò, ac vehementer ſuperaſſata bile, eáque haudquaquam ſyncera, & impermiſta, perinde etiam vehementer per ſentientes corporis partes delata quartana etiam interdum accendi poterit, non tamen ſtatim ab initio inuadens, neque adeò exquiſita nunquam tamen ex ſuperaſſata pituita. Quapropter neque ſibiipſi in hoc pugnantia conſcripſit Galenus, ſi quis autem velit eum Galeno fateri quartanam tam ſtatim ab initio inuadentem, quàm ſi alias cõſequatur inordinatas febres, ſemper à melancholico ſucco, natura frigido & ſicco accendi, & non ex flaua bile aſſata, vtique non errabit: ait enim Galenus tertio prognoſtic. { ſed ſi non antea natura quodammodo excernat veluti cinerem vehementer aſſatorum humorum, hic rurſus permanens in corpore, ac caleſcens, putrem quandam recipit affectionem; idque quoties ei accidit, feruendo excitat febrem, quoties verò in cunctis venis eadem fiat affectio exuperante atra bile, quartana conſiſtit febris. } atqui clarum eſt in Galeni doctrina per humores ſanguinem ſemper ſubintelligere, vt nos etiam in præcedentibus adnotauimus, eóque magis hoc in loco, cùm inquiat, quoties in cunctis venis eadem fiat affectio, per quam videlicet veluti cinis vehementer aſſatorum humorum generetur, tunc enim exuperante atra bile, quartana conſiſtit febris. per cinerem itaque vehementer aſſatorum humorum, non bilis, aut alterius ſucci intelligit, ſed ſanguinis, neque propterea quòd duplicem dixit commen. aphoriſ. 22. libri tertij, habere generationem atram bilem, alteram ex flaua bile ſuperaſſata, & alteram ex ſanguine craſſo, voluit quòd ex vtriſque quartanæ fiant febres, ſed explicata duplici atræ bilis differentia, tanquam in alijs locis declaratum, ac manifeſtum, reliquit differere quòd ex ea duntaxat quæ ex ſanguine craſſo generatur, fiant quartanæ febres; ex hoc nanque ferueſcente, immodicéque cocto, & exuſto veluti cinis quidam, nigra bilis efficitur, frigida quidem, eo quod terrea, caloris autem particeps, ſicuti cinis, & acetum, eodem Galeno auctore, tertio de cauſis ſympto. Id itaque quod in ſanguine craſſum, & veluti fæx exiſtit, quando immodicè excalfactum exaruerit, fit atra bilis vt liquet

Loco citato. (beside "que propinquet, ex Hippocratis auctoritate")

Pituita per aduſtionem in atram bilem mutari nõ poteſt, cõtra Auicennam.

Loco citato. (beside "tio prognoſtic.")

Cap. 2. circa finem.

vt liquet 2. de criſib. & 2. de diffe. feb. Quare ſemper ex putreſcente melancholico humore, ſeu atra bile ex eo genita, quartana accenditur febris. Nam quæ ex ſuperaſſata flaua bile, nigra bilis generatur, præter cætera mali moris eſt, & erodit, ſeu exulcerat partes vbi contingat plurimum colligi, & propterea ab ea quartana febris generari nequit. exulceraret etenim ipſas, præſertim ſi ſyncera eſſet, priuſquam quartanam accenderet febrem, ac putreſceret: demum ea putreſcente & vehementiori motu per ſentientes corporis partes delata, multomagis eas eroderet, cùm mota mordacia extrementa magis lædãt, quàm quieſcentia. verùm interim exquiſita, vbi ſyncerus fuerit talis melancholicus humor, interim non exquiſita, vbi alteri humori fuerit permiſtus, quartana accenditur, quemadmodum etiam de tertiana determinauimus. Nunc verò exquiſitæ indicia explicabimus: ea etenim cognita, facilè etiam non exquiſita dignoſci poterit. Hæc quidem manifeſtum ſui præbet indicium in principiis acceſsionum, quando rigent adhuc qui quartana laborant: eſt etenim eius rigor non vehemens, quemadmodum in tertiana, ſed mediocris ſeu paruus: etenim quartana febris non primo ſtatim die cum rigore inuadit vehementi, verùm ipſa progrediente atque aucta vnà etiam rigor augetur, ſenſúſq; ægrotantibus adeſt: non quaſi pungatur ac percutiatur corpus, ſed frigefactionem ſimilem habent, qualis per gelu tempore hyberno ſentitur, cùm ex frigido accenſo humore ortum habeat, vt dictum eſt: necnon & cum quibuſdam veluti contuſionibus vſque ad oſſa tendentibus, ita vt eos audire licebit dicentes quòd videantur in oſsibus pati laborem, & carnem habere con fractam vt liquet 2. de criſib. cap. 3 quo etiam tempore eorum pulſus qui quartana laborant, ſatis tardi ſunt, ac rari, parui, ac debiles, & magis quàm in nulla altera affectione: nam quamuis in tertianis etiam parui, debiles, tardi ac rari cùm inuadunt pulſus neceſſariò adſit, tarditas tamen, ac raritas non parum ab iis abeſt, qui in quartanis acciduntnam in quartanarum principiis videbitur tibi arteria quodammodo eſſe alligata atque ad interiora retracta, neque liberum habere aſcenſum: in tertianis verò, neq; aliquid tale percipietur, tarditáſque propè accedit ad eum, qui ſecundum naturam eſt motum, quapropter vbi quartanæ febres inuadunt, quamuis iuuenis ægrotus fuerit, talis fit motus arteriæ, qualis in ætate decrepita, in qua cùm calor paucus exiſtat, cui par quoque eſt generatio fuliginoſorum excrementorum, ſpiritúſque animalis nutritio, iure pulſus paruos, tardos ac raros habent, vt 3. de cauſis pulſuum cap. 5 ſcriptum eſt. Cùm autem conſiſtit atque etiam augetur huius febris acceſsio, neceſſe quidem eſt vt veloces fiant, atque frequentes pulſus, ſeruatur tamen & tunc ipſius tarditas ac raritas, ſi additam velocitatem atque frequentiam in acceſsionibus ratione perpendas: & quidem ſi comparaueris quartanæ febris conſiſtentiam, tertianæ conſiſtentiæ, non paulò velociores atque frequentiores in tertianis pulſus oſtendere arteriæ videbuntur, & quæ etiam omnibus communis eſt febribus in vno pulſu arteriæ inæqualitas, in quartana manifeſtiſsimè licet comprehendere ex Galeni decreto libro 1. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 6. Caliditatis quoq; indicia diuerſo modo ſe habent quàm in tertianis: nam æſtum, & deuſtionem, & quendam veluti feruorem qualiter in tertianis videtur, in quartanis haudquaquam inuenies, vt liquet ibidem. Vrinæ quoque tenues, & albæ & aquoſæ erunt, nimirum propter materiæ craſsitudinem percolatæ, progrediente verò morbo, pro ratione coloratiores fiunt, & ſubſidentiam habent craſſam, Aëtio teſte cap. 83. lib. 5. quo circa inquit Gale. citato libro 1. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 7. in quartanis variæ erunt vrinæ, ſed erudæ omnes. Hæc igitur ſigna maxima ſunt ipſius quartanæ. Verùm non propterea reliqua omittenda ſunt ſigna, ſed ægrotantis natura inſpicienda, ſi in ea atra bilis abundat, & ætas, ſi ſenior ſit quàm conſiſtentiam, vtpote declinans, tempus quoque anni ſi autumnus, frigidam & ſiccam, ac inæqualem habẽs temperaturam: in hoc enim magis ſperabis quartanos circuitus

Dignotio quartanæ ex rigoris ſpecie.

Ex pulſibus.

Ex caloris qualitate.

Ex vrinis.

Ex natura ægri.

Aetate.

Tẽpore anni.

ſore frequentiores. ſimiliter & loci natura inſpicienda, ſi lien intumuerit, febríſque ſine ordine anteceſſerit, ſi cibus, potúſque, ac victus vniuerſus, frigidus & ſiccus præceſſerit, necnon ſi eo tempore quartanæ febres populariter fiant, quòd ſi febris ceſſauerit, remanſeritque adhuc in pulſibus febris ſignum, ac iidem pulſus iis qui ſecundum naturam ſunt, rariores, ac tardiores fuerint, proculdubio huiuſmodi febris quartana cenſenda erit, vt eodem primo de arte curatiua ad Glauconem, ſcriptum eſt. huius etiam febris acceſsio temporis ſpacio eſt ſimilis tertianæ, nonnunquam & longior, cùm adhuc exquiſita perſeuerat, vt quæ ex frigidiore humore conſiſtat; in qua nec etiam bilis flauæ vomitus, quemadmodum in tertianis expectandus eſt, vt liquet 2. de different. febrium, cap. 5. & citato libro 1. de arte curatiua ad Glauconem. Sequitur autem ſudorum copia circa exacerbationis declinationem: copioſiores etenim in hoc humore euacuationes fiunt, quàm in pituita, quoniam quicquid atræ bilis fuerit accenſum, exhauritur, atque diſpergitur. Eadem inſuper in hiſce febribus, atque aliis omnibus eſt cauſa, quæ differentiam facit longitudinis acceſſionum, quemadmodum in præcedentibus declarauimus, multitudo videlicet, ac humoris qualitas, vigor inſuper ac virtutis imbecillitas, & præterea ipſius ægrotantis diſpoſitio rara & denſa: ex iis enim diuerſitas aſſumitur. Exquiſita autem, an non exquiſita ſit, nedum ex acceſsionis breuitate ſeu longitudine, ſed & aliis quoque indiciis percipi poterit. Neque enim omnia aderunt exquiſitæ quæ explicauimus quartanæ indicia, ſed nonnulla deerunt, & alia quædam alterius humoris, cum eadem atra bile permiſti, percipies. Ex intermittentibus verò febribus, quemadmodum tertiana breuiſsima quidem, & mitiſsima eſt, ita longior ac quantum in ipſa eſt haudquaquam periculoſa quartana exiſtit: quæ neque etiam ſtatim ab initio inuadere ſolet, ſed aliis quæ anteceſſerint febribus, præſertim inordinatis, ſubſequi, vt 1. de arte curatiua ad Glauconem, ſcriptum eſt: etenim admodum difficulter putreſcit melancholicus humor, cum frigidus & ſiccus natura ſit, promptiùs verò vbi priùs efferueſcat, ac ſupramodum exuſtus fuerit. Hippocr. vero 1. de morbis vulgarib. inquit, quòd omnium eſt quartana ſecuriſsima, facillima, longiſsima, hæc enim non eſt ipſa quidem tantum per ſe talis, ſed etiam à magnis aliis vindicat morbis, & 6. eiuſdem ait. {quartana laborantes magno morbo non capiuntur: ſi priùs autem capiuntur, & quartana ſuperuenit, liberantur.} Id etiam confirmauit apho. 70. lib. 5. cùm dixit: {à quartanis capti non admodum à cõuulſionibus capiuntur: ſi verò capiantur, & quartana ſuperuenerit, liberantur:} verùm animaduerſionẽ dignum eſt per quartanas, intermittentes ſubintelligere Hippocrat. nam continuæ (licet perrarò eueniant, liquet 2. de differentiis febrium) cùm nullam habeant vſque ad iudicium moleſtiarum remiſsionem, ſed perpetuò infeſtant, meritò graues & dicuntur, & ſunt. oportet item quòd ea genita ſit abſque lienis, aut alterius viſceris affectu, quandoquidem ex liene ſæpenumero grauiter vidimus (vt inquit Galenus) citato libro primo de morbis vulgaribus, homines febre laboraſſe quartana, ac deinde collecta aqua inter cutem, eſſe defunctos. Verùm ipſa ſua ſponte quartana, abſque alio viſceris affectu, præſertim magno, periculo vacat, neminémque iugulat, vt inquit Celſus cap. 15. libro tertio, & ab aliis etiam morbis liberat, atque ita nouimus morbos comitiales fuiſſe à quartana, diu tamen infeſtante, diſcuſſos: vt ibidem teſtatur Galenus, id verò nulli dubium eſt quòd priùs quartana febre laborantes, comitialis morbus adoriri nequit, quandoquidem iam adortum, ſuperueniens quartana diſcutere conſueuit: quo circa multò ſanè magis ipſum impendentem arcere poterit, vt præcitato libro ſexto de morbis vulgaribus, à Galeno ſcriptum eſt. Quartanæ inſuper à ſplene initium ſumentes, diuturniores ſunt: fiunt autem manifeſtæ ex colore, & cruditatibus, & quod venter non facilè egerit, & ex ſplenis tumore, & quòd ad ſiniſtram magis ſe reclinent: eſt autem periculum ne, progreſſu tem-

poris

Loco citato.
Loco citato. *Sudoris copia.*
Non exquiſitæ ſigna.
Prognoſtica.
Loco citato.
Comment. 3. text. 4.
Com. 6. ſuper text. 7.
cap. 2.
Loco citato.
Loco citato.

poris etiam in aquam inter cutem incidant, Aëtio auctore præcitato loco. At verò propter hepar inflammatum quartanarij, vt ipſe inquit eodem loco, coloris ſunt albicantis, & toto corpore tumidi, & vrinæ ipſæ valde rubræ, ſandaracham referentes, & ad contactum tumor dextri hypochondrij occurrit, & hi etiam magis difficulter ſpirant quàm ſplenici, & ſibtuſsiunt, & poſtremùm in hydropem ineuitabilem labuntur. Atqui aphoriſ. 25. libri 2. Hippocr. dicebat quòd æſtiuæ quartanæ magna ex parte breues fiunt; autumnales longæ, & maximè quæ hyemem attingunt, quamuis nedum de quartana verificetur aphor. Gal. auctore in commento, ſed de quolibet alio morbo; nullus etenim æſtate fit longus, Hippoc. verò de ſolo omnium longiſsimo fecit mētionem, veluti per exemplum de omnibus aliis ex iſto præcipiens. Vetus verò quartana rarò, niſi vere ſoluitur, vt inquit Celſus cap. 16. lib. 3. omnium verò peſsima eſt quintana; etenim & ante tabe, & iam tabidis ſuperueniens permit. ſeptimana verò longa eſt, verùm non letalis. Nonana hac longior etiam at non letalis, eodē Hip. auctore præcitato libro 1. de morb. vulg. Cæterùm quod ad curationem ipſius quartanæ attinet, illud primò ſeruare oportet, quòd qui ea laborant, ab initio mediocriter ac leniter tractandi ſunt, ita vt neque aliquod ex fortibus medicamentum, neque vacuationem adhibeamus, Galeno teſte præcitato lib. 1. de arte cur. ad Glauc. cap. 11. quem ſectati ſunt Paulus cap. 22. lib. 2. & Aëtius cap. 84. lib. 5. victū itaque inſtituere oportet optimum, miniméque flatuoſum, arcēdíq; ſunt à carnibus ſuillis, atque ab omnibus eduliis quæ tenacia ſunt, & tardū habent exitum, ac quæ refrigerant & exſiccant corpus, vt ibidem à Gale. ſcriptum eſt: ob id boni ſucci cibi, concoctu faciles, ſubſtantia non craſſa, nec tenaci, tribuendi ſunt, quemadmodum volatilia quæ in paludibus non degunt, vt Gallinæ, earúmque pulli, ſimiliter & columbarum, capi, perdices, faſiani, & reliquæ huiuſmodi, inſuper & qui non refrigerandi exſiccandíque vim habeant, ſed leuiter calfaciendi, ac humectandi corpus. Conducunt quoque piſces mollibus carnibus, nihílque tenacis habentes, & concoctu faciles. interim autem ſalſis quibuſdam & ſinapi in cibo vti poterunt, pro extenuando, incidendóque craſſo humore: eſt etenim valde terreſtris, ac craſſus. Quapropter neque colymbades interdum, neque parui quidam piſciculi ſale conditi vitandi ſunt, in quem vſum confert etiam, & quod Neapoli paratur condimentum quoddam ex ſapa, & ſinapis ſemine, pauco etiam adiecto cinnamomo, quādoque vti, vino quoque vtendum eſt albo, & tenui, nō autem aquoſo, ſed mediocriter calido, optimè diluto, aut aqua in qua cinnamomum fuerit decoctum. à frictionibus autem, ambulationibus, & balneis, atque aliis vſitatis arcendi penitus non ſunt, quanquam omnino poſſent à balneis abſtinere, ſolis contenti frictionibus quàmplurimum ex eo iuuamen admitterent, & ſi quartana febris breuis ſit, neque admodum violenta, nihil nocuerit ſi diebus intermediis ad conſueta exercitia ſe transferant laborantes. reliqua quæ ad victus rationem pertinent, noſtro capite de melancholia ſtudioſi petant. Illud verò haudquaquam prætereundum eſſe arbitror, quòd quartana laborantes, vbi vires non indicent, in die acceſsionis minimè cibandi ſunt, aut ſatis modicus eis exhibeatur cibus, iſque per ſex, aut ſaltem quinque horas ante acceſsionem, aut eadem finita: etenim natura ipſa cibo non impedita, facilius humoris tum euictioni, tum etiam expulſioni vacabit. quod quidem confirmare videtur Actuarius lib. 3. ſuæ meth. meden. cap. 20. cùm dixit: {cæterùm in omnibus acceſsionum annotationibus, ne aliquis in ventriculo ſit cibus, qui mali pondus ingeminet ſtudendum eſt. Nam cùm natura tempore acceſsionis ad propellendum ea, quæ affligunt exurgat, ſi quis intempeſtiuè nutriens illi obſtiterit, dubio procul quo minùs validè noxios humores adoriatur præpedit.} Optimū iis quoque eſt vētrem quantū poſsibile ſit, mollem facere his quæ vſitata ſunt. quòd ſi ea nihil proficiant, clyſteribus vtendū erit, à principio quidē mollibus, poſtmodū acrioribus, vt idem Gal. inquit, molles quidem ex præcedenti capite

Commen. 3. tex. 7.

Curatio.

Victus ratio.

Potus.

Frictiones & exercitationes.

Tempus cibi exhibendi.

Clyſteres.

de tertiana petas,acriores hinc in modum parabis, Rec. foliorum maluarum, mercurialis,betæ,& florum chamæmeli ana M.j.folliculorum ſenæ drac.4.furfuris M.ſ.decoquantur omnia in ſufficienti quantitate aquæ, cui decocto per colum transfuſo admiſceantur olei cõmunis,chamæmelini ſeu anethini vnc.4. mellis roſacei vnc.2.medullæ caſsiæ fiſtularis,aut caſsiæ tractę vnc.1.ſalis cõmunis drac.3.diacat.vnc.ſ.ſeu drac.7.Interim cõfectionis de dactylis,aut hamech, ſeu electarij indi drac.vel 3.educere poteris.Vbi verò ſanguis abũdare valde videatur,ab initio quoq; verã ſecare licebit aliis conſentiẽtibus, etſi vena inciſa is qui fluit ſanguis,niger &craſſus videatur,audacius mittendus erit, præcipuè verò in iis qui liene laborã talis viſitur.Quòd ſi flauus,aut tenuis apparuerit, ſtatim ſupprimẽdus eſt: venã verò ſecare oportet,aut interiorem, aut eam quæ eſt in ſiniſtro cubito medam,Gal.auctore citato lib.1.de arte curar. ad Glauc. Secanda autem erit interna,aut media in ſiniſtro cubito vena (vt Gale.inquit) ſi ſplenicus fuerit homo.Aëtio teſte præcitato loco: nam ſi circa hepar fuerit affectio (vt ipſe fatetur)in dextro ſecãda erit. Quamobrẽ non ſemper in quartanis febribus in ſiniſtro cubito vena ſecanda eſt,ſed interim in dextro Aëtio auctore,præſertim,ſi circa hepar magis quàm lienem laborauerit æger. Illud tamen perpetuò ſeruare oportebit, quòd ſi flauus, ac tenuis ſanguis appareat, ſtatim ſupprimendus eſt ex Gal.decreto,quamcunque ſecaueris venam. A venæ ſectione,quamuis Gal.omne vitauerit ab initio forte medicamẽ,ac vacuationem,quam non niſi coctionis indiciis apparentibus admittere videtur, tamen vbi multa adſit atræ bilis copia,& quædam apparuerint concoctionis indicia,licet non admodum manifeſta,ſeu perfecta,purgans aliquod, atque id leue medicamentum exhiberi poterit.Nec propterea Gal.pugnabis cùm fortem interdixerit ab initio vacuationem,quam etiam vitandam eſſe omnino arbitramur,quemadmodum leuem intermittimus:id quod puto Celſum ſubintelligere voluiſſe,quando aluum ducere præcepit poſt ſeptimam diem,quam purgationem hũc in modum parare poteris,Recipe florum borraginis, fumariæ, violarum,& hordei decorticati,ſingulorum drac.4. vuæ paſſæ vinaciis detractis vnc.ſ.fiat decoctũ in aqua fontis,aut aqua lactis caprini,cui per colũ trãsfuſo vnc.2.mellis aërei,aut vnc.1.ſ.medullæ caſsiæ fiſtularis, vel vnc. 3. ſyrupi ex pluribus infuſionibus violarũ,vel 2.ſacchari violacei cum drac.7. diacatholiconis adiiciro:in vicem autem diacath.vnc.3.ſyrupi domini Auguſtini adiicere poteris,priùs tamen quàm tale præbeatur purgãs medicamentũ, ſyrupi aliqui,nõ ſemel duntaxat,ſed ſæpius exhiberi poterũt,etiam acceſsionis tempore,potiſsimùm ſex à principio trãſactis horis,vt ſyrupus ex ſucco borraginis, fumariæ,aut de pomis cum ſyrupo ex infuſ.roſarũ,adiectis aquis meliſſophylli & borrag.his quippe purgantibus medicamentis, etiam ſi non ſatis manifeſtè,aut perfectè coctionis notæ apparuerint, citra noxam vti poteris, vbi ea adſint quæ paulò ante explicauimus. Atque hæc quidem in principio, & augmento facienda ſunt. Si verò in ſtatu morbi præcipuè ægrotus eſſe videatur, aut propè ſtatum, tunc ſubtilioris victus ratio eſt adhibenda quàm antea: ſtatim quoque pręcipiendum eſt, vt diu conquieſcat,& viſceribus prouidendo,vngendo,atque emplaſtrando,iis quę mollire ac laxare poſſunt: deinde medicamentis vtendum, quę ciendi vrinam vim habent: quamuis vbi coctionis morbi indicia apparuerint, tunc purgare oportet iis quę humores atros exinaniendi vim habent, non ſemel tantum,ſed ſæpiùs,ſi fuerit neceſſarium, vt inquit Galenus præcitato loco. Quamobrem & aliis quoque vtendum eſt ſyrupis, ac purgationibus validioribus: ſyrupis quidem, vt ſyrupo ex epithymo, ex duabus, tribus, ſeu quinque radicibus paratis, ac ſyrupo de bizantiis, cum eo qui è ſucco, fumariæ aut roſarum fit, ſimul permiſtis, adiectis etiam prædictis aquis,vel aquis lupulorum,ſcolopendrij,ſeu abſynthij, purgantibus verò medicamentis ſequentibus vtare, Rec. florum violarum, fumariæ, & borraginis ſingul.drac.4.ſenæ & epithymi cuiuſlibet drac. 2. ſ. ſcolopendrij,

capillo

Vena ſectio.

Loco ſupra citato.

Purgatio à venæ ſectione.

Syrupi.

capillorum veneris ana drac.2. vuæ paſſæ vinaceis detractis vnc.j. fiat decoctũ in aqua fontis, in quo per colũ transfuſo, diſſoluas mellis aërei, aut ſacchari violacei vnc.2. rhabarbari in parte prædicti decoct. infuſi, & iterum per colũ trãſfuſi ſcrup.4. ſpicę gra.v. diaſenæ drac.3. vel 4. diacat. vnc.s. aut cõfectis hamech. dra.2.s. Poteris inſuper & eiuſmodi cataponis vti, Rec. pill. de lapide lazuli, vel de lapide armeno, aut aggregatiuarũ drac.j. rhabarbari vigorati cum ſpica, aut agarici trocif. ſcrup.2. figurẽtur pillulæ quinq; cũ melle roſaceo, aut aqua meliſſophylli, à quibus poſt horã vel alterã abſorbeã: laborãtes vnc.2. mellis aërei, aut 3. ſyrupi è pluribus infuſ. violarum cum aqua borraginis, meliſſophylli, & ſcolopendrij. Et quoniam non ſemel tantum, ſed ſæpius, vbi vſus vrgeat, præcipit Gale. purgans medicamentum exhiberi, quod vim habeat humores atros exinaniendi, propterea eadem vbi oporteat repetẽda ſunt. in quem vſum etiã cõfert, ſi exhibeatur decoctum ſenæ & epithymi in aqua lactis, ſenæ & epithymi drac.3. vel 4. accipiens, & vuæ paſſæ vinaceis detractis vnc.s. ex quibus arte in vnc.v. vel vj. aquæ lactis fiat decoctum, & exhibeatur. Hoc etiam tempore ſi paſtilli quidam figurentur, ac exhibeantur, conferent nedum in diebus intermiſsionis, verùm etiam & acceſsionis tempore, per ſex horas poſt principium: vt, Recipe pul. diamarg. frigidi drac.1. diambræ, diarhodon, ſeu diamoſchi dulcis, aut electarij de gemmis drac.s. vel ſcrup.2. ſeminum cõmunium frig. dra.4. vel vnc.s. ſacchari diſſoluti in aqua roſacea & meliſſophylli quantũ ſatis ſit, fiãt paſtilli, quorum vnus vel duo præbeantur cum 3. aut 4. vncijs aquæ borrag. aut ſcolopendrij, & meliſſophylli. inſuper ſemel ſaltem in hebdomada, theriacæ drac.1. exhibere poteris cum pauco vino albo odorifero, aqua ſcolopendrij aut meliſſophylli diluto. quam etiam per tres vel duas horas ante acceſsionem ſumendam eſſe commendarem, cùm magnopere etiam rigori conduceret, apparentibus tamen coctionis morbi indicijs, ac à purgatione (ſi modò eadem ritè confecta reperiri valeat, quod mihi ſemper in dubio fuit, tum propter alia, tum vel maximè propter ipſius viperæ cognitionẽ incertam) in hunc quoq; vſum Galenus tanquam ſibi familiare, & præ cæteris laudatiſsimum, quod ſuccum cyrenaicum recipit medicamentum eodem 1. de arte curatiua ad Glauconem c.7. commendauit. Eſt etenim quartanariis ſummè præſentaneum remedium, præſertim dum à rigore maximo tenentur, eodem auctore libro de rigore, tremore, palpitatione, &c. hoc medicamentum Aëtius citato capite 84. lib.5. hunc in modum deſcripſit, Recipe ſucci cyrenaici, piperis, myrrhæ troglodyticæ, & florum rutæ viridium, ſingulorum æquales partes, ſingula ſeorſum leuiſsimè teruntur, & ruta cum melle trita excipiuntur, fiúntque pillulæ de quibus aliquibus obolus vnus, aliis duo, exhibentur. ſed quoniam citato libro de tremore & palpit. Gal. medicamentum ex cyrenaico ſucco & caſtoreo compoſitum commendat quartanariis, propterea ſi dimidia pars caſtorij prædictis adiiciatur, non parùm commendarem. Nam & ipſe per tres, aut ſaltem duas horas ante acceſsionem caſtorij & myrrhæ cuiuſlibet drac. s. apparentibus coctionis ſignis manifeſtis, ſeu perfectis, cum vnc.3. vini albi odoriferi diluti cũ aqua borrag. exhibere conſueui, ex quo medicamento ſemper ingentem quartanariis vtilitatem prouenire conſpexi, vbi tribus, vel quinque vicibus fuiſſet aſſumptum: nam caſtoreum potum rigores mitigat, & morboſam carnem conſumit, & concoctionibus in venis opitulatur, & ſegnitiem ad motum eximit, vt inquit Aëtius Archigenis auctoritate præcitato loco: & myrrha Dioſcoride auctore horrores diſcutit, duabus horis ante febrium acceſsiones, fabæ magnitudine epota cum pipere & aqua vt ipſe ait, nullum autem ex prædictis medicamentum ab initio exhibendum erit, aut omnino ante ſtatum: nam ſæpius quæ ſimplex eſt duplicem faciunt, aut ex duplici triplicem, aut omnino maiorem ac difficiliorem reddunt, vt liquet ex eodem Galeno citato loco, nec minùs etiam confert hoc in tempore vrinam cientibus vti, inter quæ, præter eos quos ſupra annotauimus, tum ſyrupos, tum paſtillos,

Præſtans Gal. pharmacũ ex ſucco cyrenaico in quartana.

Lib.1. c.67.

apij,

Topica. apij,rutæ, & anethi decoctum ex aqua mulſa valde commendantur. A tviſceribus prouidendum erit iis quæ mollire ac laxare valent medicamentis, quæ capite de tertiana notha ſtudioſi requirant, paucis quibuſdam adiectis, vbi ea nõ ſuffecerint, inter quæ ſunt iris, chamæpithys, ruta, ſemen apij, fœniculi, aniſi, dauci, & cumini, potiſsimùm vbi lien, aut ventriculus afficiantur. vtendum *Vomitus.* eſt etiam & vomitibus à cibo, & à raphanis, ſi nihil impedierit. pleriqne enim ipſis aſsiduè vſi partim perfectè à morbo liberati ſunt, partim facilè pertulerunt. Nam vnà cùm hoc quòd euacuant ea quæ ſtomachum infeſtant, etiam faciliùs concoquunt tales, vbi verò nihil iam prohibet, etiam album veratrum dandum eſt, primùm quidem raphanis infixum, velnti in ſermone de purgatorijs dictum eſt: poſtea verò ipſum per ſe, vt inquit Aëtius citato loco, quem etiam vomitum à cibo cum iam dictis etiam albo helleboro & raphanis Ga- *Cap. citato.* lenus commendauit eodem 1. de arte curatiua ad Glauconem. Id verò intelligendum eſt in iis qui prompti ad vomitiones ſunt: nam qui vomere nequeunt, per inferiora valentiùs purgandi ſunt, vt ipſe ait, tutius autem pro ciendis vomitionibus oxymelitis ſimp. vnc. ij. cum lib. ſ. aut vnc. 4. aquæ tepidæ exhibebis. interim ipſius raphani, ſeu radicum in eadem aqua facto decocto, aut adiectis eiuſdem ſucci vnc. 2. vel tribus, ab albo helleboro ægros abſtinendo, quoad fieri poterit. Alexander verò eodem cap. 8. lib. 12. vomitum omnibus vtiliſsimum eſſe fatemur, præſertim iis qui humores craſſos in ore ventriculi cõtinẽt. verùm non à cibo, ſed optimum eius tempus eſſe inquit, acceſsione incipiente, quoniam etiam tunc humores cum materia mouentur, & illi in ſtomachum confluunt, illúmque rodunt & nauſeam excitant. exhibet autem mulſam non nimis aquoſam, ac præcipit anſerinis pennis præcipuè vtendum eſſe, vt maiori irritatu vomitus omnino proueniat, præſertim vbi humores valde lenti ſint, ac difficulter auelli poſſunt, quo modo inueteratas quartanas diſcuſsiſſe fate- *Cõciliatur Alexander cum Gal. Paulo et Aetio.* tur, vt nonnullæ ipſarum ſuperata iam deteriore parte conqnieuerint. porrò quæ de vomitu inquit Alexander, licet ab iis quæ de eo præcipit Galenus Paulus, & Aëtius diſsidere videantur, haud ægrè conciliari queunt: nam à cibo vomitus quem præcipiunt iam dicti viri, eos exinanire videtur humores, qui futuram acceſsionem, excitare debent: & proinde aut ipſam prohibebit, aut ſaltem leuiorem efficiet, vbi potiſsimùm præcedenti die ante acceſsionem talis fiat vomitus: propterea id ſpectantes Galenus, Aëtius, & Panlus, à cibo eum præceperunt, quò promptiùs craſsiores ſucci aptitudinem quandam habentes ad futuram acceſsionem per eum exinaniantur. Alexander verò eos duntaxat tentauit per vomitum craſſos ſuccos exinanire, qui iam acceſsionem efficiant, & propterea incipiente acceſsione vomitum commendauit: inſuper & motum eorundem humorum, ac confluxum in ſtomachum eo tempore inſpexit, vt ipſemet eodem loco manifeſtauit. vterque igitur vomitus diuerſa ratione iuuabit, vbi ad eundem prompti fuerint laborantes. Sed magis mirandum eſt de eo qni tam facilè in Galenum inuehit, ipſúmque condemnare ten- *Oſtendit Galenum iniuria ab Alexãdro reprehenſum.* tat quòd quartanariis omnibus (vt ipſe ait) præcipere videatur idem Galenus non alium victum quàm qui calfacere ipſos & ſiccare poſsit: præbet enim ipſis antidotum diatrion pipereon, & quod diaſpolites dicitur: item liquorem cyrenaicum, & theriacam, & in cibo ſalſamentum, & piper. hoc autem potiſsimùm quotidie bibere iuſsit, & in vniuerſum (vt fatetur idem Alexander) præcipit Gale. abſtinere ab iis, quæ refrigerant & humectant, eo quòd humor (inquit) morbum efficiens frigidus exiſtat, ex quibus ſiccantur, aſſantúrque magis, ac craſsiores reduntur qui quartanam efficiunt humores, vt ipſe Alexander concludit. ſed pace tanti viri dixerim, nimis animoſè Galenum condemnare tentat. Nam arcendos eſſe qui quartana laborant ab omnibus edulijs, quæ tenacia ſunt, & tardum habent exitum, ac quæ refrigerant exſiccántque corpus, præcepit Galenus, & non quæ humectant, vt ipſe eidem Galeno imponit. eſt enim ſuapte natura melancholicus ſuccus, ſeu atra bilis ex eo genita, frigida & ſic

& ſicca temperatura, caloris participans velut cinis, & acetum, vt vbique locorum ab eodẽ Gale. ſcriptũ eſt, præſertim 3. de cauſis ſympto. c. 2. ſimiliter vbi putreſcat, adhuc frigidus & ſiccus eſt natura, tantam ex accidenti habens caliditatem, quantam habet putredinem, eodem auctore 2. de cauſis ſympto. & hanc ob rem victum prohibens, omne quod refrigerat ac exſiccat, ex neceſsitate admittit, quod vim habet calfaciendi & humectandi. & ſi quandoque eis quæ calfaciunt, ſimul atque exſiccant vti præcipit, vt ſalſis, & ſynapi, diatrion pipereo, & diaſpolitico, quæ certis diebus aſſumenda eſſe dixit, non propterea condemnandus eſt; nam cùm craſſus valde, ac terreſtris fuerit hic humor, qui quartanæ auctor eſt, non ſolum quæ proprio temperamento eius contraria exiſtunt, calida videlicet & humida, ſed quæ quodammodo eius ſubſtantiæ ſe opponunt exhibenda ſunt. Quamobrem craſsis quæ extenuant cõtraria ſunt, & tenacibus quæ detergunt ac incidũt, vt 11. de meth. med. c. 13. ab eodẽ ſcriptũ eſt. extenuãdi igitur gratia eadem aſſumere iuſsit & non ſemper, ſed certis diebus, vt ipſe refert, quaſi dixerit quibuſdam, ne ea proueniant quæ ipſe Alexander fatetur incommoda, quo etiam modo neque ipſemet Alexander ratione coactus eodem loco inhibet. Quare non inconuenit, & ſi ſiccus natura fuerit hic humor, quandoque ſiccantibus vti pro eius extenuatione, præparatione, ac etiam euacuatione, per quæ etiam curatio per contraria efficitur. Nam licet frigidus & ſiccus natura ſit hic humor, qua ratione quæ ſiccant non conducunt, quia tamen terreſtris valde, ac craſſus eſt, per ea quæ extenuant tanquam per contraria etiam curabitur; qualia ſunt quæ ſiccant, ac calfaciunt, non tamen immodicè adeò vt aſſent. At ſi quiſpiam dixerit Galenum quartana laborantibus piper quotidie commendare, dicimus nos ipſum cum aqua potum admittere, & non ſolùm. Atqui ſi cum aqua etiam quotidie bibatur, multam eſſe aquæ copiam, paucam verò ipſius piperis coniectandum eſt. quapropter non adeò validè calefaciendi ac exſiccandi vim habebit potus hic, quinimò leuiter calefaciendi potius & humectandi, ſimul atque extenuandi, & detergendi, vbi (vt dictum eſt) multa fuerit aquæ copia, exiguúmque piperis recipiat. Theriacam quoque ac medicamen, quod ſuccum recipit cyrenaicum probat; apparentibus priùs coctionis morbi indiciis, & poſteaquàm purgans medicamentum aſſumpſerint, vt quod reliquum eſt ipſorum humorum euictorum iam ab ipſa natura, per eadem extenuatorum faciliùs poſsit expellere, necnon vt per ea partes corporis alteratæ, ampliùs in futurum eundem humorem non generent. pugnat itaque Galenus cunctis modò dinumeratis ſemper iis quæ præter naturam ſunt, pro quartanæ curatione contrariorum vſu, tam victu, quàm medicamentis, & prout vſus vrget diuerſimodè, diuerſiſque in temporibus eiſdem vti præcipit, & proinde nullum ex eorum vſu incommodum ſeu malum prouenire poterit, vt Trallianus perſuadere conatur iis, qui parum artem medicam guſtarunt, eo potiſsimùm quòd quartanam Gale. exquiſitam videlicet, à nullo alio humore quàm à melancholico, ſeu fæculento & craſsiori ſanguine, aut ex atra bile ex eo genita ortum habere arbitratus ſit, quemadmodum ſupra explicauimus. miror inſuper cur Ariſtotelem non legerit Alexander problemate 58. primæ ſectionis, vbi habet quòd quartanis febribus victus calfaciens prodeſt, quia febris quartana imbecilla eſt: nam niſi imbecilla eſſet, quartana non fieret, & propterea ignem corpori inferendum eſſe præcepit: quo etiam curationis modo & duæ, vel tres quartanæ, vbi exquiſitæ fuerint, necnon & continuæ, quamuis rarò eueniant curari poterunt, modo febris valida non fuerit, quomodo autem continuæ febres omnes dignoſcantur, & ab intermittentibus diſcernantur, Galen. docuit 1. de arte curatiua ad Glauco. cap. 5. & 8. & nos in ſecunda huius operis parte, modũ generationis earumdem demonſtrauimus. Vbi verò non exquiſitæ fuerint, pro diuerſo humore qui eidem nigræ bili permiſcetur, ac diuerſa etiam quantitate eiuſdem curationem variare licebit, habita ratione humoris, qui cum eadem nigra bile permiſcetur,

Quartanæ nõ exquiſitæ curatio.

quod quidem in continuis ſemper perpendere oportet:nam cum ſanguine ſaltem perpetuo permixtus eſt humor. At præter iam dicta medicamenta ferunt (inquit Dioſcorides) tres plantaginis radices cum tribus vini cyathis, & pari aquæ modo tertianis auxiliari,& quatuor quartanis.& capite de trifolio, bituminoſo videlicet (nam hoc per trifolium intelligit) inquit: ſquidam terna folia aut ſemina in tertianis cum vino potui dedere,& in quartanis quaterna vt quæ febrium circuitus diſcuterent. Aëtius præcitato loco, Dioſcoridis etiam auctoritate eaſdem plantaginis radices quatuor ſiccas tritas in vino bibendas eſſe fatetur. ſimiliter conferre (inquit) ſi verbenacæ rectæ quartus à terra geniculus tritus cum vino potetur, in tertiana verò tertius: quamuis Dioſcorides de ſupina verbenaca,& non recta idem aſſeruerit. inſuper radicis libanotidis drac.1. ſi in vino etiam exhibeatur confert.& ne ſic doctiſsimum Alexandrum deſeramus, medicamenta quæ appendi ſolent ab eodem conſcripta quædam hic annotare placuit: inquit enim multis experimentis ſæpe ab eo comprobatũ fuiſſe quòd ſcarabeus quartanarios curat; oportet autem ipſum viuum extrinſecus fuluo linteolo firmiter alligatum collo ſuſpendere. dicunt autẽ hoc ipſum præſtare ſi ita appendatur. Referunt quoque ſi quis ex gena hirci pilos excerptos ægro alliget, mirabiliter quartanæ poſſe mederi, omniúmque naturalium medicorum teſtimonio firmatum eſſe fatetur, ſanguinem, qui primus à virgine fuerit excretus, naturaliter quartanæ aduerſari. Similiter etiam corruptæ ſanguinem efficere, ſiquis ipſum ægro ad brachiale dextræ manus, aut eiuſdem brachium alliget. Hæc ex Alexandro hìc conſcripſiſſe libuit, cum Galeni doctrinæ non pugnent. Quæ verò aduerſus eum ſcribere auſus fuit, inſoluta non deſeruiſſe, quo Galeni veritas eluceſcat, non ab re arbitratus ſum. Adhæc fatetur quoque Dioſcorides quòd vermiculi in dipſaci capitulo inuenti in aluta clauſi tum collo brachióve hominis alligati, quartanas finiunt febres: finit & eaſdem cùm etiam & tertianas hypericum in vino potum. inſuper id bugloſſum quod quatuor tantum caules protulerit totum cum radicibus ad tertias decoctum quartanariis ad bibendum datum, confert: bibuntur etiam pentaphylli folia in dulci aqua, aut diluto vino, addito exiguo pipere contra circulares febres, quartanas quidem ex quatuor ramulis, tertianas tribus, quotidianas vno. quatuor quoque heliotropij ſemina cum vino pota ante acceſsiones quartanas, tertianas verò tria finire febres idem inquit Dioſcorides.

Lib.2.c.152. *Lib.4.c.55.* *Lib.3.cap.13.* *Lib.3.c.153.* *Lib.4.c.123.* *Lib.4.c.38.* *Lib.4.c.185.*

De exquiſitæ quotidianæ dignotione, cauſa, prognoſtico ac curatione.

Caput VI.

EST altera,& tertia exquiſitæ ſimplicitatis febris, quæ ex pituitæ putredine ortum habet, per ſentientes corporis partes à natura detruſa, Græcè ἀμφημερινὸς, Latinè quotidiana dicitur, licet à quibuſdam iunioribus medicis καθημερινὸς ὁ μεθημερινὸς appellari ſolet, præſertim vbi ad integritatem non deſinat, vt 2. de morbis vulga.& 2. de diffe. feb. ſcriptum eſt. At Gale. quotidianas etiam continuas ἀμφημερινὰς cum hac adiectione, continuas, nominare conſueuit, fateturque hoc vocabulum καθημερινὸν nuſquam apud Græcos ſcriptum repериſſe, vt liquet 2. de differ. ſebr. verum quoniam (vt inquit Plato) non eſt habenda de nominibus cura, nos hanc febrem quotidianam ſimpliciter, nulla alia ſermoni facta adiectione, interim verò intermittentem appellabimus, quæ non ab re ἀμφημερινὸς Græcis vocatur: etenim de ambabus participat, die videlicet & nocte, vniuerſum tempus acceſsionis faciens horarum plerunque 18. Aëtio teſte cap. 85. libro 5. hæc febris incipit ab extremorum frigefactione, atque horrore potiùs quàm rigore, vt patet eodem 2. de differ. febrium, cap. 4. quinimò rigor eam non antecedit, neque ſtatim ab initio, neque in progreſſu, ſed refrigerationes

Comment.3. ſuper text. 4. cap.7. *Loc. precit.* *Signa febris quotidianæ, Horror et ex tremorum refrigeratio.*

tiones potius quàm rigores ipſis adueniunt vt 2. de criſib. c. 5. ſcriptũ eſt. Quarum etiam caliditatem humidiorem cum quadam acritudine eſſe oportet, non cùm primùm manus admouetur confeſtim occurrẽtem, ſed per moram. Nam quædam fomoſa caliditas cum multo vapore commiſta exire videbitur cùm magis ignis in multo humore ſuffocetur, vt inquit Galen. 1. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 7. quàm ipſum poſsit conuincere. Cùm itaque in primo tactu calor quidam potius vaporoſus quàm acris ſe manui repræſentat, at per moram paulatim mordacitas aduenit, ac maximè inæqualis, adeò vt per colum quoddam & cribrum percolari videatur, ex pituitæ putredine huiuſcemodi ſebrem oriri cognoſcas, eodem Gal. teſte præcitato lib. 2. de diff. feb. c. 9. & 1. quo loco cauſam reddit, cur in febribus aliis calor æqualis occurſet, quæ verò ex pituita ortum habent, talem caloris inæqualitatem oſtendunt; inquiens, {quòd nulla potior cauſa ſibi viſa eſt, quàm tenacitas, atque humoris craſsitudo, qui difficulter diſſoluitur. Nã & in hoc ſicut aliis omnibus primò ea pars omnis expirat, quæ fuerit extenuata, vix autem extenuatur quicquid valde craſſum extiterit, quòd ſi etiam natura frigidum fuerit, tunc & difficultas augetur. Non itaque totus humor, neque ex omni parte æqualiter, ſed ex illa tantummodò in qua m putredo inualuerit inflatur, atque extenuatus effertur.} Hæc ille. Cum primum autem acceſsiones fiunt, neque vllus ordo, aut æqualitas pulſibus aſſidet, vt liquet 2. de criſib. qui etiam pulſum in his febribus multò minores ſunt pulſibus quartanarum, quàm iſtarum pulſus pulſibus tertianarum, vt patet eodem 1. de arte cur. ad Glauco. Nam humor ex quo febris hæc conſtituitur, frigidus eſt, & humidus temperatura, lentus autem, & tenax in cõſiſtentia, ita vt magis ignis in multo humore ſuffocetur, quàm ipſum poſsit conuincere, vt dictum eſt. Tarditas verò pulſus in vtriſque febribus tam videlicet quartanis, quàm quotidianis, eodem modo ſe habet, inquit Galen. verùm tanto rariores ſunt in quotidianis intermittentibus pulſus, iis qui in tertianis, quanto quotidianis, pulſus quartanarum: nam cùm in tarditate eodem modo ſe habeant, verùm multò minores ſint pulſus in quotidianis, quàm pulſus quartanarum, & magis recedant à paruitate ab eis qui in quartanis fiunt, quàm pulſus quartanarum; à pulſibus tertianarum, propterea licet in quotidianis rariores ſint pulſus quàm in tertianis, tamen pulſus quartanarum tanto illis rariores ſunt, quanto quotidianarum pulſus, pulſibus tertianarũ: ex pletur enim magis vſus in quartanis, cùm non adeò minores ſint pulſus, veluti in quotidianis, & propterea pulſus rariores fiũt quàm in quotidianis, licet tn tarditate eodem modo ſe habeant. Sunt itaque quotidianarum intermittentium pulſus minores pulſibus quartanarum, æquè tardi, licet minùs rari, opprimit autem atque aggrauat aliquando virtutem humor qui quotidianam conſtituit. hinc inæquales, & debiles magis, ac paruos efficit pulſus, quamprimum ea inuadit, atque inualeſcit, vt ſecundo de differ. febr. ſcriptum eſt c. præcit. Sed dices, Galenus ſecundo de criſib. ca. 3. loquens de quartanis aſſerit, quòd hæ paruos, & debiles, & tardos, & raros adeò pulſus faciunt in inuaſionibus, ſicuti nulla altera diſpoſitio, ita vt quamuis iuuenis fuerit ægrotus, talis ſit motus arteriæ, qualis in ætate decrepita. ergo ſibi ipſi pugnat cùm dixit 1. de arte curatiua ad Glauconem, c. 7. quòd minores ſunt pulſus in quotidianis, quàm in quartanis. Tu verò hoc modo eius dicta concilabis, veriſsimum eſſe affirmans, quòd in quartanis parui, & debiles, & tardi, & rari pulſus fiant, in inuaſionibus, magis quàm in cæteris aliis diſpoſitionibus, ac febribus. Verùm non inconuenit quod in aliqua alia febre minores duntaxat pulſus adſint, quemadmodum de quotidianis aſſeruit citato loco primo de arte curatiua ad Glauconem, ſed neque deurunt laborantes hæ febres, neque denudare corpora, & pallia iactare coguntur, neque multum, aut frequenter reſpirare, ac veluti flammam ex ore efflare, frigidúmque potum expetere, quemadmodum in tertianis, miniméque ſitiunt, vt 2. de criſibus ſcriptum eſt c. 5. minùs etenim ſiticuloſa hæc febris eſt

Caloris qualitas.

Cap. citato.

Cap. citato.

Obiectio, quã diluit concilliã do Galeni locos duos.

tantúmque eam quartana excedit, quantum iſtam tertiana.lingua verò,& to-
Vrinæ. tum corpus ſiccißimum eſt in tertianisat in his febribus humidißimum. Vri-
næ in primis diebus tales ſunt,quales in quartanis incipiētibus adſunt, inquit
Gal.2.decriſib.c.præcit.At 1.de arte cur.ad Glauconem,c.7.ait,quòd in quoti-
dianis vrinæ vel albæ ſunt & tenues,vel craſſæ & turbulētæ,vel rubidæ.Aëtius
verò citato cap.85.lib.5. id declarauit aſſerens,quòd vrinæ in primis quidem
diebus albæ & tenues minguntur, poſtea verò craſſæ & turbatæ fiunt, quoniā
húmor concoquitur & euincitur,ac etiam expurgatur per eas; qua etiam ra-
Vomitus. tione rubidæ fieri poſſunt: vomitus etiam pituitoſi, & quæcunque per ven-
trem excernuntur,frigidiora ſunt,atque humidiora, crudiora,aquoſiora,& pi-
tuitoſiora, vniuerſum denique corpus in his febribus plenum crudis humori-
bus inuenitur,vt citato libro 1.de arte curatiua ad Glauconem,ſcriptum eſt. in
Sudores. primis diebus minimè ſudant,ſed progrediente tempore hoc etiam illis adue-
nit, qua ratione ad integram quietem manifeſtè exceptis paucis, non perue-
niunt;& quidem ætatibus, naturis, anni temporibus, & temperaturis humi-
Aetas, anni tēpus, temperatura. dioribus accidunt. Nam iuuenem biliosa ac ſicca natura nunquam vidi huiuſ-
cemodi corripi febre,inquit Galenus.Pueri autem,& maxime paruuli,& ex iis
qui iam perfectum corpus habent ſenes, pituitoſi, & habitus craſsi,atque otio
plurimo dediti, crapulis, ebrietatibus, balneis aſsiduis, poſt cibum præſertim
vtentes, à quotidianis facilè capiuntur.loca etiam humidiora atque ex anni
temporibus hybernum, & ex conſtitutionibus humidiores, hanc præcipuè af-
Affectus viſcerum. ferunt febrem.ac perrarum eſt,quin & os ventriculi, & hepar in ipſis malè af-
ficiatur, ſed & cruditates antecedunt plurimæ, & coquendi moræ,& acidi ru-
ctus, & cùm primùm febrire incipiunt, præcordia vltra naturalem habitum
Color. intumeſcunt, magna verò ex parte inflantur, ac diſtenduntur; color iis cum
palliditate albus,etiam cùm acceſsio ad ſtatum venerit, & acceſsionum prin-
cipium ſub veſperam inuadit. Quòd ſi ſit etiam populo communicata, tunc
præter ea quæ ante diximus ſigna,hoc quoque non parum ad hanc febrem di-
gnoſcendam conducit;quæ omnia eodem libro 1.de arte curatiuà ad Glauco-
Locis citatis. nem. 2.de criſib.& 2.de differen.febr.à Galeno ſcripta ſunt;& magna ex parte
ab Aëtio præcitato loco,& Paulo cap.23.lib.2.ac Alexandro cap.7.lib.12.quo
in loco modum etiam docet dignoſcendi hanc febrem, quando germana, ſeu
exquiſita fuerit, & quando non exquiſita, aſſerens quòd quandoque indicia
omnia ſimul adſunt, interdum non, in germanis ac exquiſitis vniuerſa propè
inueniuntur,in falſis autem non omnia, ſed quædam ipſorum adſunt,quædam
non ſemper,propter varias ipſarum cauſas,qua etiam ratione in curatione dif-
Pituitæ 4.ſpecies. ferunt, quemadmodum de reliquis dictum eſt. Cæterùm cùm quatuor ſint
pituitæ ſpecies, vna videlicet dulcis, altera ſalſa, tertia acida, & quarta vi-
trea appellata, aut ſaltem ſi diuerſos earundem duntaxat ſapores ſpectes,tres,
dulcis inquam,ſalſa,& acida:nā & vitrea pituita acidæ qualitatis eſt particeps,
vt liquet lib.de multitudine,& 2.de diff.feb.c.11.quæres à qua iſtarum pitui-
tæ ſpecierū quotidiana ortum habet;num à quibuſdam,vel ab omnibus? Huic
A quauis pituitæ ſpecie feb. quotidiana oritur. cum Galeno ſatisfacimus quòd à quauis earum, vbi putreſcat, & per ſentien-
tes corporis partes deferatur, quotidiana accendi poteſt febris, quemadmo-
dum idem Galenus ſentire citato libr.2.de differen.febr.c.6.ex cuius etiam au-
ctoris verbis facilè percipi poterit modus dignoſcendi ac diſtinguendi,quando
Signa quotidianæ ortæ à pituita dulci, vel acida,&c. ab vna ſeu ab altera pituita ſpecie quotidiana accendatur. Nam vbi ex dulci
pituita ortum habeat, aut etiam acida, verùm non vitrea exiſtente, acceſsio
cùm extremarum partium frigefactione incipit, frigent autem magis in acida,
quàm in dulci, vtpote quæ frigidior ſit. At ſi ex ſalſa pituita quæ talis ſit, aut
propter putredinem, aut propter ſalſæ ſeroſæ humiditatis permiſtionem, fe-
bricitare contingat, acceſsione incipiente horrent potiùs quàm rigeant, &
hoc eſt illud quod voluit innuere citato loco Galenus cùm dixit: {incipit au-
tem ab extremorum frigefactione, atque horrore potiùs quàm rigore: } ex
dulci

dulci enim & acida pituita extremæ partes refrigerantur: vbi verò ſalſa, hanc efficiat febrem, horrent potius febrientes in acceſsionum initiis. At ſi ab acida, ac vitrea pituita ortum habet hæc febris, ſi modica aliqua fiat eius putrefactio, febrem epialam appellatam, inducit, in qua non modo rigent, ſed etiam febricitant ægrotantes, atque eodem tempore in toto corpore vtrunque ſentiunt affectum. ſi verò vehementiùs putreſcat, rigor quidem antecedit, febris verò ſequitur ſuperata frigiditate à multitudine caliditatis, inquit Gale. eodem loco, adeò vt dum febris inualeſcit, atq; conſiſtit minimè ſentiatur. Verùm vbi per ſentientes corporis partes deferatur hæc acida & vitrea pituita nondum putrefacta, ſine febre rigores generat. Quantum verò ad ſomnos attinet, ex prædictis quidem pituitis omnibus, paulo ſupra modũ naturæ ſunt, & crudus, ſeu vitreus humor perinde, ac dulcis pituita apertè ſomniculoſos facit, vt liquet citato lib. de multitudine. Sed ſtatim hæſitabis, ſi Gal. 2. de criſib. ſcriptum reliquit, quòd in quotidianis non antecedit rigor, neque ſtatim ab initio, neque in progreſſu, ſed ſolùm frigefactio, aut eodem 2. de differ. febr. dixit quòd hæc febris quotidiana incipit ab extremorum frigefactione, atque horrore potiùs quàm rigore; quomodo poſt pauca citato loco fatetur in epiala febre, quæ ex genere quotidianæ eſt, ſimul rigere, & febricitare laborantes, & ſi vehementiùs putreſcat humor, rigorem antecedere, febrem verò ſequi? Atqui dicimus nos in exquiſitæ ſimplicitatis quotidiana, neque rigorem ſtatim ab initio, neque in progreſſu, ſed ſolùm frigefactionem antecedere: hanc autem generari aſſerimus ex dulci, ſeu acida pituita, quæ vitrea non ſit, vbi prius putruerint, & per ſentientes corporis partes deferantur; nam aliàs (vt ſæpiùs dictum eſt) febris hæc non accenditur. ſi verò quoſdam febricitare hac febre contingat ob ſalſam pituitam, horrent tantummodo, & non rigent ſuperueniente acceſſione, cùm non adeò mordax & frigidus ſit humor hic, quemadmodum vitreus, nec adeò exquiſita quotidiana ab eodem humore conſtituitur, velut à modo dictis aliis duabus ſpeciebus; præſertim vbi eadem propter ſalſæ ſeroſæ humiditatis miſtionem generetur. minùs etiam frigidus exiſtit quàm dulcis, & etiam acida pituita, & propterea horrore potius, quàm frigefactione, aut rigore incipit quotidiana ex ſalſa pituita genita; vbi verò vitrea atque acida pituita modicè putreſcens, per eaſdem ſentientes corporis partes deferatur, febrem epialam appellatam inducit quæ nec verè quotidiana, nec exquiſita à Galeno nuncupatur, ſed ait eam progredi in quotidianæ figura. quod ſi vehementiùs putreſcat, rigor quidem antecedit, febris verò ſequitur, ſuperata frigiditate à multitudine caliditatis adeò, vt dum febris inualeſcit atque conſiſtit, minimè ſentiatur rigor, quæ etiam febris cum ex eodem humore vitreo generationem habeat, licet vehementiùs putrefacto, eiuſdem erit quoque generis cum ea quæ propriè vocatur epiala, quam non veram quotidianam appellari, ſed in quotidianæ figura progredi diximus. quapropter non inconuenit quòd in his febribus rigor incidat, aut quòd ſimul febricitent & rigeant, atque eodem tempore in toto corpore vtrunque ſentiant affectum, vt in ea febre quæ propriè vocatur epiala, aut quod rigor quidem antecedat, febris verò ſequatur, eodem humore vehementiùs putreſcente, neutra tamen earum nec vera, nec exquiſita quotidiana dicetur, licet in eius figura progrediatur. ſempiternæ itaque veritatis erit Gale. ſententia, quòd in quotidianis veris, ac exquiſitis rigor non antecedit, neque ſtatim ab initio, neque in progreſſu temporis, ſed aut ab extremorum frigefactione incipiunt, ſi exquiſitæ ſimplicitatis febris fuerit, vel ab horrore, ſi non adeò exquiſitæ ſimplicitatis fuerint quotidianæ febres, vtpote quæ ex ſalſa pituita ortum habeant. quæ verò cum rigore inuadunt, veræ quotidianæ dicendæ non ſunt, licet in eius figura progrediantur vt dictum eſt, ortæ ſiquidem ex pituita vitrea vel modicè, vel vehementiùs putreſcente, ac per ſentientes corporis partes delata. Ex quocunque tamẽ humore quotidiana intermittens generetur, longa eſt, & non ſine

Obiectionem diluit ſtatim Gal. locis explicatis. Cap. citato.

Prognoſtica.

periculo, vt liquet 1. de arte curat. ad Glaucon. c. 8. etenim nunquam eam verè intermittere dixeris, minùs tamen diuturna erit, ac minùs perículoſa ea, in qua citius ſudor apparuerit, coctione tamen præcedente. quæ vero ex vitrea pituita ortum ducit, eſt valde diuturna, & difficulter ſolubilis, vt liquet citato libro 2. de diffe. febr. cùm frigidus magis, craſſus ac tenax fuerit humor. ſunt autem febres quarum quædam interdiu tenent, nocte intermittunt, quædam nocte tenent, die intermittunt, quas Hippocrates nocturnas & diurnas appellat 1. de morbis vulgaribus, & Galenus ad quotidianas reducere videtur, harum nocturna non admodum letalis, longa tamen eſt, diurna longior. ſunt quibus ad tabem vergat, vt idem inquit Hippocrat. cuius cauſam Galenus reddit in commen. ſi vero exquiſita non fuerit quotidiana, breuior erit quàm exquiſita: nam quemadmodum exquiſita tertiana, vt diximus, breuis eſt temporis, ſic quotidiana, & quartana cùm exquiſitæ fuerint, ſunt diuturniores Galeno teſte 1. de arte curatiua ad Glau. c. 8. Quod ad curationem huius febris attinet, vniuerſa victus ratio extenuans ac inciſoria eſſe debet. quapropter aër eligatur ad calidum & ſiccum vergens, modicè tenuis, purus, ac clarus, qui ſi natura talis non fuerit, arte paretur. ſomnus eſto mediocris: pro motu ſeu exercitio, frictiones adhibeantur. præſtat ſingulis diebus aluum adſtrictam glandibus, aut clyſmatis inanire. animi affectus omnes vitandi ſunt. cibum boni ſucci, nec craſſum æger ſumat: permiſcenda autem cibo ſunt quæ incidere, tenuare & meatus obſtructiones liberare poſſunt, non tamen admodum calida eſſe debent. vino potandus eſt æger tenuiori & paucifero in morbi principio. At vbi iam tenuior humor diſsipatus eſt, etiam ruffiore, ac ſi licet tota victus ratio in calidiorem migret ex Actuarij ſententia libro 3. ſuæ methodi cap. 20. eligantur itaque pro cibo gallinæ, gallinaceique pulli, capi, perdices, faſiani, aliæque aues non in aquis degentes, paſſerculique omnes: interim quoque & lepuſculorum, capreolorum, ſeu cuniculorum caro exhibeatur: item & vitulina, hœdina, & iuuenum caſtratorum: gallinarum autem, pullorúmque gallinaceorum ac caponum caro interdum contuſa, aut alio modo liquata, quomodo iura quædam Neapoli parantur, exhiberi poterunt. in earum autem iure ſeu decocto quædam extenuandi ac incidendi vim habentia decoqui poſſunt, vt hyſſopum, radix apij, petroſelini, aut fœniculi, & reliqua huiuſmodi. interim confert eas in ptiſanæ ſucco decoquere; habet etenim & ipſa ptiſana leuem quandam extenuandi atque incidendi vim, licet humidum præbeat alimentum, vt liquet lib. de ptiſana, ſimiliter & cinnamomi modicum cum iam dictis cibis permiſceri poterit: conducunt quoque cappares cum aceto conditi, interim etiam exiguo melle adiecto, & inter fructus vua paſſa. panis exhibeatur optimè fermentatus, modico ſale adiecto, & poſt primos morbi dies, ſi ſeminis fœniculi aut aniſi quippiam impoſueris, non parum confert: qui etiam panis in gallinarum ſeu caponum iure, modico cinnamomo adiecto madefactus, ſeu maceratus, exhiberi poterit. verùm in triduo primo magnopere abſtinere oportet, vel ſi ex quartana quotidiana facta eſt, per biduum abſtinere oportet, vt inquit Celſus cap. 13. & 17 libro tertio, potiſsimùm vbi crapulæ præceſſerint, & admodum frigidus, ac crudus humor quotidianam excitauerit. talis itaque victus ratio omnibus competit quotidianis ex quocunque humore accendantur. verùm animaduertere oportet quòd prout magis vel minùs frigidus fuerit humor, ex quo generationem habent, perinde etiam magis, vel minùs calefacientia ac extenuantia iam dictis cibis permiſcenda ſunt, ita etiam & diuerſa ipſius quotidianæ febris tempora, obſeruare licebit, nam in primis morbi diebus non adeò calida, extenuans, ac incidens victus ratio inſtituenda erit quemadmodum temporis progreſſu, & poſt primos morbi dies: tunc etenim efficacioribus vtendum erit, ac calidioribus, vt liquet ex Actuario præcitato loco, & Galeno 1. de arte curat. ad Glauc. licet non indicatione ſumpta à morbi temporibus, ſed à diuerſa cauſæ motione illud definiatur, ita vt nemini in dubium

veneri̇t,

Com. 3. ſuper tex. 2. & 6.

Curatio, in qua primum ſpectatur victus ratio.

Aër.

Somnus.

Frictiones.

Clyſteres.

Potus.

Tempora morbi obſeruanda in victus ratione.

Ca. 10. & 12.

venerit,quòd febris quotidiana,vt quæ ſemper ex pituita naſcatur, extenuantium incidentiúmq; vſum requirat,vtpote quæ craſſa & tenax ſit. verùm cùm quædam eorum admodum calida ſint,ac ad incidendum efficaciora,quædam verò modicè calfaciant,atque exſiccent,aut in totum non calfaciant, quemadmodum à principio eis vtendum eſſe præceperunt dicti auctores,quæ non admodum calida,ac efficacia ad extenuandum,incidendúmque ſint,ita quoque putandum eſt non indifferenter in ſingulis quotidianis ex quauis pituita ortis eiſdem medicamentis vtendum eſſe conſuluiſſe,vtpote quòd non ignorauerint aliquam pituitæ ſpeciem valde frigidam,aliquam non adeò,ſed mediocriter aut parum frigidam eſſe. quocirca non parum mirandum eſt de eodem Alexandro,qui adeò aut oſcitanter,aut toruis (vt ſic dixerim) oculis Galeni verba perlegerit,ac eadem impugnauerit,vt qui indiſtinctè (vt ipſe ait) Glauconi philoſopho præceperit,vt in hac febre extenuãtibus vtatur,inquiẽs quòd ſalſa pituita non ſimiliter extenuantia ad curationem deſiderat,vt quæ calida ſit,& ſicca facultate,etiamſi videatur humida. quòd verò calida ſit,probat exemplo dyſenteriæ,quam nihilominùs bilis ſuſcitat,& propterea nequit eadem pituita ſalſa extenuari,quandoq; & diffundi per ea quæ ipſam inflammant,ſiccántque: ſed potius adhuc craſſior ex eis efficitur: illud inſuper probans nitri,& ſalis exemplo,ac ſalſi iuris: hæc quippe caleſcentia craſſiora redduntur,nec minùs & Ariſtotelis auctoritate,quarto meteororum,ac experientia: nam ea quæ à calore coacta fuerint,non à calore,ſed à contrario diſſolui poſſunt. Qua de re vbi ſalſi humores quotidianam excitauerint,non calefacientia,aut quæ admodum ſiccant,aut extenuare poſſunt,adhibere oportet, ſaltem per initia morbi,cùm ſalſus adhuc humor fuerit. verùm tanti viri ſentẽtiã ac verba impugnare haudquaquam auderem,niſi diuiniſs.Galeno aduerſarentur,qui vbique locorum,præſertim ſecundo de different.febr. cap.6. & lib. de cauſis morborum, cap.6. quemcunque humorem natura frigidum,atque humidum pituitam appellari aſſeruit,quamuis vnus altero frigidior exiſtat, qua ratione & pituita etiam ſalſa,ſiue ob putredinem talis ſit,ſiue propter ſalſæ ſeroſæ humiditatis miſtionem,perpetuò quà pituita eſt,frigida & humida erit natura,alioqùi pituita appellanda non eſſet. inquit enim: {quicunq; enim frigidus atque humidus natura humor exiſtat,ad pituitæ appellationem reducitur,ſi Hippocra. omnéſque non modo priſcos,ſed alios etiam Græcos in nominibus imitari velimus.} adeò vt quiuis humor donec frigidam atque humidam ſeruauerit naturam,ex pituitæ genere ſit,vt liquet citatis locis. non igitur imaginatione,ſeu actu duntaxat frigida humidáq; eſt pituita ſalſa,ſed etiam natura propria,ac facultate,aliàs ſub pituitæ nomine non contineretur,minùs tamen frigida eſt,quàm cæteræ pituitæ ſpecies,ex accidenti tamen,caliditate & ſiccitate quadam participabit,aut ob putredinẽ videlicet,aut propter miſtionem ſalſæ ſeroſæ humiditatis,vt dictũ eſt. quapropter cùm craſſæ etiam ſubſtantiæ,atque eſſentiæ ſit,non ob immodicam caliditatem,vt putauit Alexander,ſed ob frigiditatem,extenuabitur vtique calidis,non tamen adeò immodicè vt ipſam inflamment,atque exſiccent. quocirca nec exemplum ſalis, ſeu nitri,nec Ariſtotelis auctoritas,neque etiam ipſa experientia erit ad propoſitum: neque enim cum Galeno negamus nos,quòd ea quæ à calore coacta fuerint,non à calore,ſed à contrario diſſolui poſſunt,at cum eodem aſſerimus, pituitam ſalſam haudquaquam ab immodico calore coactam eſſe,ſed propter frigiditatem craſſiorem habere ſubſtantiam,& ob id non ſecus quàm cæteræ pituitæ ſpecies eam extenuantia deſiderare,quæ tamen modicè calfaciant,atque exſiccent,aut in totum non calfaciant. quòd ſi dyſenteriam efficiat,eámque crudeliſſimam,vt inquit Galenus commento aphor.12. lib.3. tum propter eius putredinem,aut ſalſæ ſeroſæ humiditatis permiſtionem,tum etiam propter lentorem in tranſitu per inteſtina inhærens,ac tardans,ſempérque aliquid deterẽs,& non propter eius immodicam caliditatem naturalem ac ſiccitatem

Alexandrũ reſellit,qui Gale. reprehendit,præcipientem in febre quotidiana ex tenuantibus ſemper eſſe utendum.

Tex.36.

eam efficere videtur: eſt etenim natura ſemper, quà puita eſt, humor hic frigidus & humidus: quòd verò Galen. nec in hac quotidiana, quæ ex ſalſa pituita ortum ducit, neque in cæteris aliis per initia morbi, eis quæ efficaciùs extenuant, ac incidunt, valdéque calefaciendi poteſtatem habeant, vti Glauconi præceperit, clara luce ex eius verbis liquet, cùm dixerit eiſdem vtendum eſſe non ſtatim à principio, ſed poſt primos morbi dies: id quod idem Alexander minimè negare videtur: inquit etenim Galenus, μετὰ τὰς πρώτας ἡμέρας, tunc enim (vt ipſe inquit) oxymelite vtẽdum, & illis quæ poſſunt vrinam valde ciere, & vniuerſum totius victus caput ſit ad incidendum efficacius, quaſi velit etiam innuere, quòd in primis morbi diebus, iis quæ concoquendi, leuitérque extenuandi, ac calfaciendi vim habent quotidianam curare oporteat tam cibis, & potibus, quàm cæteris medicamentis. quanti igitur momenti ſint rationes Alexandri aduerſus Galenum cuius facilè admodum ex iam dictis patere poterit. Nos verò ruſus ad penſum redeuntes cum eodem Galeno, ac Actuario fatemur, leuiter in principio extenuantibus medicamentis quæ non valde calefaciendi facultatem habeant, aut etiam iis quæ citra calorem extenuare poſſunt, vtendum eſſe, nec minùs & humoris coctioni vacandum: ex quocunq; humore pituitoſo quotidiana accendatur febris. Conueniunt itaque in hunc

Syrupi. vſum ſyrupus acetoſus ſimplex, ſyrupus è ſucco borrag. è corticibus citri, mel roſaceum ſimplex, & cum ſaccharo confectum, cum aquis borrag. fœniculi, & capillorum veneris: quibus per ſe, aut inuicem prout videbitur compoſitis, pluribus vicibus in acceſſionum inclinatione vti poteris pro redundantis humoris concoctione, ac præparatione. quo etiam tempore clyſteribus vtare, qui ex maluarum, mercurialis, foliorum betæ, ac furfuris decocto, interim etiam & florum chamæmeli, adiectis pauco ſale cõmuni, & vnc. 3. aut 4. olei communis, aut chamæmelini, & vnc. 2. mellis roſacei, vnc. s. aut drac. 4. diacathol. hieræ picræ ſimplicis, aut cõfectionis de dactylis parari poterunt. humore autẽ concocto, ac ad euacuationem parato, purgans exhiberi debet medicamẽtum, quod

Purgationes. pituitam ſubducat. Verùm (vt rectè inquit Alexander) non conuenit vniuerſam curationem moliri, ſed per vices, & interualla: ita nanque accommodari debet morbis, qui ex craſsioribus generantur humoribus, ac ſenſim extenuare, & leuiter purgare materiæ copiam oportet, donec ſatis habere videbitur, & primò ſimplicioribus, hinc demum aliquantò valentioribus vti medicamentis: cùm enim materia ſit craſſa, haud facile iis cedit, quæ vniuerſam, celerémque vacuationem præſtant, vt ipſe inquit, inter quæ ſummoperè commẽdauit agaricum, vbi ſcrup. 3. aut 4. ex melle exhibueris, interim etiam plus, aut minùs pro ægrotantis virium ratione, & humoris qui ſuperat quantitate, quippe pituitam educit, nec morbum inueterari ſinit, vt ipſe fatetur. Tu autem poteris purgans medicamentũ hũc in modũ parare, Recipe agarici trociſ. ſcrup. 4. diacath. vnc. s. vel drac. 7. medullæ caſsiæ fiſtulæ, vnc. j. s. fiat bolus: vel, Rec. agarici drac. j. vel ſcrup. 4. polypodij drac. j. s. fiat leue decoctũ in aqua borrag. in quo per colũ transfuſo diſſoluas vnc. 2. mellis aërei, & drac. 7. diacath. & fiat potus: interim drac. j. rhabarbari, quod etiã pituitã educit, aducere poteris: interdũ verò vice diacath. drac. 4. cõfectionis de dactylis adiicito, & pro melle aëreo vn. 3. ſyrupi è pluribus infuſ. roſarũ, aut tantundẽ ſyrupi domini Auguſtini, vt licebit. & quoniam (vt dictũ eſt) nõ oportet vniuerſe hos purgare, ſed per vices, iterum extenuantibus ac incidentibus medicamentis materiam præparare licebit, eiſdémque efficacioribus vbi prædictis morbus non ceſſerit, in quem vſum conuenit ſyrupus de hyſſopo, acetoſus cõpoſitus, de abſynthio, ſyrupus de duabus radicibus, de bizantiis, & oxymel ſimplex, tum etiam & compoſitum, quibus pro diuerſo humore redundante, diuerſimodè quoq; vti oportebit, ac non ſemel, ſed ſæpiùs quoque eos exhibere conuenit, quò craſsi iam humores, ac lenti extenuentur, & diſſecentur, vacuationíque paratiores reddantur. deinceps repetenda purgatio eſt, & vbi prædicta non ſuffecerint, iis quæ valentiùs pituitam

subdu

ſubducunt vti expedit: vt, Recipe pil. aggregatiuarum, aut ſtomachicarum ex deſcriptione Meſuę, & agarici trochiſ. an. drac. j. formẽtur pillulæ cum oxymelite, à quibus poſt horã vel alterã, vnc. 2. mellis aërei, aut vnc. 3. ſyrupi ex pluribus infuſ. roſarum rubearum, vel perſicarum, cum aqua borraginis: abſorbeat æger. poterunt inſuper ex puluere hieræ ſimplicis Gal. & agarico trochiſ. catapotia formari, quibus ſingulis decẽ diebus æger vti poterit: formentur autẽ ex drachma vna agarici trochiſ. & ſcrup. 2. pulueris hieræ ſimplicis pil. quioq; cum oxymelite, quibus (vt dictum eſt) vtãtur. in quem etiam vſum trochiſci de agarico, & etiam de abſynthiò magnoperè conducunt.

Topica.

circa ſtatum etiam huius febris de ventriculo habenda eſt ſolicitudo, ac de eios ore præſertim, Galeno auctore, citato lib. primo de arte curat. ad Glauc. cap. 12. in quem vſum tali medicamento vtare, Rec. abſynthij, ac menthæ vtriuſq; an. m. j. cinnamomi, chiæ maſtiches, corticum citri, maceris, & ligni aloës, ſingulorũ drac. 3. ſantalorum omnium, & corallorum rubeorũ, cuiuſlibet drac. 2. roſarum rubearũ m. j. s. contundantur omoia, & fiant tres ſaceelli, ad ſcuti figuram, quorum duo per vices madefacti in vino Græco, aut guarneto, & aqua roſacea, ſeu citoniorum ſucco, calidi ventriculo adhibeantur, alter verò aridus, ventriculo ſuperimponatur. vel hoc applicetur vnguentũ, quod recipit olei nardini, de abſynthio, & maſtichini an. vnc. s. chiæ maſtiches, caryophyllorũ. & ligni aloës an. drac. j. olei roſacei drac. 4. corallorum rubeorũ drac. j. ceræ quod ſatis ſit, & vini odorati parum, fiat vnguentũ, quo ventriculi regio inungatur. cõfert inſuper ſi chiæ maſtiches vnc. j. aut vnc. j. s. diſſoluatur in oleo nardino, aut de abſynthio, & cũ pauca cera in modũ emplaſtri in alura extendatur, & ſupra ventriculi regiouẽ imponatur. interim quoq; drac. 2. vel 3. aloës adiicerè poteris. Nec parum coofert hoc etiam tempore iis quæ intus aſſumpta ventriculum roborant, vti, quemadmodum eſt aromaticum roſaceum, diarhodon, ac confectio de xyloaloës. Tutius autẽ eis vtare ſi drac. j. alterius eorũ aſſumas, & drac. 4 aut vnc. s. ſeminum cõmuniũ frigidorum adiicias, & cum ſaccharo diſſoluto in aqua roſacea paſtillos parabis, vnum, vel duos pro qualibet vice tribuens, cum aqua fœniculi, vel borrag. vel abſynthij & cichorij inclinante acceſsione. Ad oris etiam veotriculi imbecillitatem, etiamſi ad eam animi defectus ſequatur, magnoperè conducit emplaſtrum, eiuſdem Galeni citato libro primo de arte curat. ad Glauc. quod ex palmulis conficitur, vino, farioa hordei, croco, aloẽ, & maſtiche.

Vrinam cientia.

ea quoq; quæ vrinam validè ciere poſſunt hoc tempore exhibeantur, veluti apij, aſari, & acori decoctum, vel etiam hyſſopi, ſeu ſpicæ nardi, præſertim in aqua mulſa. quanquam etiam & ex iis quæ diximus, nonnulla eandem vrinam ciere valeant.

Vomitus.

Quòd verò vomitus inſuper hoc in tempore conferat, etiam à cibo, omnes ferè conueniunt. Vt verò faciliùs fiat, octo, aut decem vnciæ, ſeu libra vna aquæ tepidæ, vnà cum ſyrupi acetoſi, aut oxymelitis vnc. 2. vel 3. bibaotur.

Venæ ſectio, an cõpetat in febre quotidiana.

At quid ſentiendũ ſit de venæ ſectione non admodum liquet, cùm neque Galenus nec poſt eum Aëtius, Paulus, & Alexãder, eam meminerint. Actuarius verò præcitato loco hæc verba ſcripſit: {quotidianam, quæ à pituita ortum duxit, neque venæ ſectione (oiſi aliud vrget) nec refrigerantibus medicamentis compeſcere oportet.} Taceo Arabum priocipem, cùm eum non ſectemur, qui ait: {quoties videris vrinam groſsiorem & rubicundiorem, non erit malum ſi phlebotomaueris.} verùm aſſetimus nos, quòd quotidiaoa quatenus quotidiana eſt ac exquiſita, venæ ſectionem pro eius curatione nõ deſiderat, præſertim vbi à frigidiori humore ortum habeat: & propterea oec Galen. nec citati auctores Græci eam præceperũt: vbi verò aliquid aliud vrgeat (vt inquit Actuarius) potiſsimùm ſi corpus cùm pituitæ reduodãtia ſimul ſanguine plenum ſit, adeò vt pituita cum copioſo ſanguine redundet, viribus valentibus, ac reliquis omoibus conſentientibus, quæ in vniuerſali methodo commemorauimus, ſanguioem mittere non incõuenit, vniuerſaliſsimo præcepto ſæpiùs citato ipſius Galeni vndecimo de meth. med. cap. 15. Adhæc ſi morbi magnitudo adſit cum

l. 4. tract. 2. cap. 55.

virium

vitium robore, mittendus ſiquidem ſanguis eſt, vt idem inquit libro de curandi ratione per venæ ſectionem. quibus ſcopis præſentibus (vt ipſe refert) nulla eſſe poteſt crudorum humorum tanta, taliſque plenitudo quæ hoc inhibere auxilium poſsit. venam itaque ſecare interdum non inconuenit pro quotidianæ curatione, modò vires, ac cætera omnia quæ requiruntur pro venæ ſectione, eam non prohibeant, haudquaquam tamen copioſus mittendus eſt ſanguis: leuata enim per eam natura, atque exonerata, eo quo veluti ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum eſt, concoquet, ac vincet. Ea autem febris, quæ priuatim à leni afflictione epiala appellatur, vt inquit Aëtius cap. 87. libri quinti, vel, vt refert Paulus cap. 25. lib. 2. per tranſlationem à ſale, dico autem mari, quod à principio tranquillum apparet, cùm turbatur difficillimum euadit, vel ab ἠπίως, quod eſt molliter, & ἀλαίνειν, quod ſignificat calfacere, quaſi dicas, quoniam blandè, & leuiter calfacit, cùm ex quotidianarum genere exiſtat, in earum figuram progrediens, vt dictum eſt: ſimiliter quoque curanda erit inciſorio tum curationis modo amplius aucto, vt inquit Aëtius, vel (vt ait Paulus) niſi quòd tanto commemorata quotidiana calidioribus, magiſque incidentibus præſidiis indiget, quanto etiam pituita frigidior illa exiſtat. ſi verò contingat continuam fieri quotidianam, non alio etiam modo curanda erit, quàm intermittens, niſi quòd propter pituitæ cum ſanguine permiſtionem, vbi reliqua conſentiant, audacter venam ſecabis magis, quàm in intermittentibus. vitanda autem quæ admodum calfaciunt atque exiccant in hac, magis quàm in intermittentibus, quamuis admodum rarò cùm intermittens, tum etiam continua quotidiana, præſertim exquiſita febris accidat.

Epiala unde dicta.

Epiale curatio.

De ſemitertianarum differentijs, earúmque dignotione, prognoſtico, & curandi ratione. Cap. VII.

QVAMVIS non paucæ ac variæ ſint (vt dictum eſt) compoſitarum febrium differentiæ, & eædem poſt ſimplices tractari debeant, ex Galeni auctoritate, cùm tamen de ea duntaxat diſſerere propoſuiſſem, quæ confuſa eſt ex quotidiana & tertiana, nam ſub huius exemplo, & reliquæ omnes compoſitæ febrium differentiæ, præſertim ſi ex putredine ortum habeant, facilè dignoſci, ac curari poterunt, propterea ſermonis quadam affinitate ductus, hoc in loco de eadem compoſita febre diſſerere inſtitui (licet nondum de ſimplicium febrium differentiis ſermonem abſoluerimus) vt completus fiat noſter ſermò de febribus, quæ ex putredine ortum habent. Appellatur autem hæc febris Græcè ἡμιτριταῖος, Latinè ſemitertiana, ex duarum ſiquidem febriū temperatura compoſita, quoniam ex duobus etiam humoribus conſtat. miratur tamen Galenus libro primò de morbis vulgaribus, qua re adducti, ſic potius nomen huic febri poſuerunt primi iſtius auctores, quàm aliter. Pro quibus quatuor in medium affert reſponſiones, quarum prima eſt, quòd cùm tertiana febris habeat, vt tertio quoque die inuadat, & ad integritatem veniat, quòd ſemitertiana alterum habeat de his, alterum non habeat, & propterea ita fuiſſe ei inſtitutum vocabulum: habet enim vt tertio quoque die inuadat, vt autem ad integritatem veniat: non item, inquit, ſecundò quòd potuerunt hoc nomen impoſuiſſe, quòd & acceſsione careat cum rigore incipiente. Ad hæc & tertiò quòd non cum excretione finiatur. Iam etiam & quartò quòd diem ſecundum non habeat integrum. Attamen cui potiſsimùm tribuat ſebri ſemitertianæ nomen Hippocrat. non planè tenemus, vt ibidem à Galeno ſcriptum eſt: neque ex proprio inſtituto ſemitertianam appellauit, ſed dixit eodem loco: {in febre quam ſemitertianam vocant, & non pronuntiauit ſimpliciter in febre ſemitertiana.} quaſi videatur, vt cenſet Galenus, vt improprium vocabulum, illud reprobare: ſiquidem illis quæ integram non ſunt abſolutionem conſequuta, dimidij attribuimus

Commen. 3. tex. com. 5.

Cur ſemitertianæ nomen ſit poſitum.

Semitertiana impropriè dicta uidetur.

mus vocabulum, qua ratione dicimus ſemimortuũ,ſemiuocalem, ſemideum, ſemiaſinum,& ſemiaſſum,& id genus reliqua. at ſemitertiana tantùm abeſt vt dimidia ſit,vel multitudine ſymptomatum,vel viribus,vel horum tota conditione,vt longè etiam ſit tertiana deterior,vt potius huius illa, quàm hæc illius eſſe videatur dimidia,vt liquet ex eodem Galeno citato loco. quicquid tamen ſit,de huius febris conuenienti nomine, quoniam (vt dictum eſt) ex quotidiana & tertiana tota eius natura confuſa eſt, dimidiam partem vtranque ex dictis febribus retinens: etenim dimidiam eius partem habet tertianam, alteram verò partem dimidiam,quotidianam.ob id non omnino ſine ratione inditum eſt huic febri nomen ſemitertianæ. Pro cuius febris faciliori notitia animaduertendum eſt, quòd pituitoſa cum biliosa febre quatuor modis commiſceri poteſt:nam,aut quotidiana continua permiſcetur cum tertiana continua, aut intermittens cum intermittente,aut continua tertiana cum quotidiana intermittente,vel intermittens tertiana cum quotidiana continua. ex his autem diuerſis harum febrium mistionibus non omnibus,ſed vna duntaxat, ſemitertiana febris,verè,& propriè generationem habet, Galeno teſte,ſecundo de differentiis febrium, vtpote ex quotidiana continua, & tertiana intermittente. Id verò comprobat Hippocratis auctoritate,qui eodem primo de morbis vulgaribus, hæc verba de ſemitertianis conſcripſit: {Infeſtabant illos pleroſque hæc incommoda,febres horrificæ,continuæ,acutæ,non intermittentes,modus erat ſemitertianus,vno die leuiores,altero grauius,iterum inuadentes.in ſumma,in dies acutiores euadebant.} cùm itaque horrificæ ſint febres ſemitertianæ,non poterunt ex duabus continuis originem ducere, quarum altera ex bile,altera ex pituita generetur: etenim hæc commiſtio febrem horridã, ac quæ multas habeat reduplicationes non facit, cùm febris omnis continua ſui quidem ratione, cùm exquiſita fuerit, neque horrorem habeat, neque rigorem, neque etiam quæ ex eiſdem componitur horrida fiet. Appellauit autem Hippocrates horrificas has febres,non quòd initio acceſsionis horrores incidant, ſed quoniam per totam prope acceſsionem horroris ſymptoma produceretur, & ſi id bifariam contingat,modo cùm reduplicet incrementum,modo cùm nihil niſi ipſum inæquale faciat incrementum, vt liquet citato libro ſecundo de differentiis febrium,& primo de morbis vulgaribus:neque etiam generari poterit ſemitertiana ex duabus febribus intermittentibus, quoniam neque erit continua.Neceſſe eſt igitur ſi horrifica ſimul atque continua futura ſit ſemitertiana,ex duabus ipſam febribus generari,quarum altera ſit intermittens, altera verò continua cùm neque vtraque continua,neque vtraque intermittens huiuſcemodi queat febrem generare. Verùm vbi miſtio fuerit ex quotidiana intermittente,& biliosa continua, licet & ipſa poteſt continuam ſimul, atque horridam febrem efficere, quoniam continuitatem quidem ex bile obtinebit, horrorem verò ex pituita,reduplicationes autem ex pugna mutua: non tamen verè ac propriè febrem hanc ſemitertianam appellabimus, impropriè autem & abuſiuè, ſiquis eam ita appellauerit,non reclamabimus,cùm neque illud negare videatur Galenus ſecundo de differentiis febrium, licet febrem hanc ſemitertianam appellare auſus non fuerit:contrario tamẽ modo ſe habet quàm ea,quæ verè ſemitertiana dicitur, ea etenim continuitatem quidem habet ex quotidiana,horrorem verò ex tertiana.& propterea quæ ex tertiana intermittente,& quotidiana cõtinua compoſita eſt febris, ſemitertianam appellamus, vt ipſe inquit: nam verè ſemitertiana ex quotidiana continua, & tertiana intermittente tota eius natura confuſa eſt, quæ quidem aut flauam bilem habet exuperantem, atque ob id in ea ſunt tertianæ febris ſymptomata maiora. aut hic quidem humor paucior,pituita verò abundantior eſt,atque idcirco quotidianæ continuæ affectus firmiores, aut neuter horum alterum vincit, ſed ambo æquipotentes exiſtunt, quo tempore exquiſita ſemitertiana eſt, & dicitur: nam æqualis earum febrium miſtio ſola exquiſitum hemitritæum conſtituit, eodem

Quatuor modis feb. ex pituita cũ febre ex bile miſceri poteſt.

Cap. 7. & 8. Vera febris ſemitertiana ex quotidiana, continua, & tertiana intermittẽte. Comment. 1. tex. com. 23. & commẽ. 2. tex. com. 25.

Locis ſupra citatis.

Semitertiana impropriè ex quotidiana intermittente, & tertiana continua. Loco citato.

Semitertiana exquiſita.

eodem Galeno teſte citato loco. quamuis Archigenes hanc haud intellexit, neque in ſcriptis ſuis oſtendit, ſed omnino prætermiſit, & ſolas duas ſemitertianarum differentias cognouerit, alteram in qua præualet tertiana videlicet, alteram verò in qua quotidiana. parum etiam rectè ſemitertianæ naturam fuit aſſequutus, cùm in numero febrium intermittentium ipſam poſuerit. quo circa licet triplex fuerit ſemitertianarum differentia, exquiſita tamen quæ talem repræſentat formam, qualem de ea Hippocrates manifeſtauit prærcitato libro primo de morbis vulgaribus, quòd videlicet ſit horrida, continua & acuta, ex æquali dictarum duarum febrium temperatura compoſita eſt, atque etiam ex duobus humoribus conſtat. quæ verò exquiſita non eſt aut bilem, aut pituitam habet præpotentem, & propterea cùm æquales magnitudine fuerint, & febris ex bile intermittens, & ex pituita continua, acceſsionis initium fit cum horrore, qui medium inter rigorem & frigefactionem obtinet locū, cùm ab vtroque extremo æqua diſtet proportione quorum alterum tertianam febrem, alterum quotidianam comitatur. neque etiam cum horrore duntaxat inuadit hæc febris, ſed horrida ab Hippocr. dicitur: quoniam (vt dictum eſt) magnam acceſsionis partem horrores aſſumunt, altera dierum ſcilicet in qua & tertiana, & quotidiana ſimul inuadunt: nam altera dies ſolam habet quotidianam. etenim cùm ab inuaſione inualeſcit, tertianæ quidem ratione citò caleſcit, ac feſtinat ad ſummum, at propter quotidianam ex pituita tardatur, atq; in aſcenſu retinetur nonnunquam, ac interrumpitur, éſtque inter varios affectus veluti pugna quædam, cùm æger nonnunquam inualeſcente febre tertiana, atque ad cutem humores impellente, vehementiùs calefiat, contrà verò remorante atque ad interiora reuocante ipſius motum febre quę ex pituita ortum habet, vt quæ tardi ac difficilis motus, frigidáque ac lenta exiſtat materia. in hoc autem certamine cùm humor frigidus ſuperauerit, ſummiſsiones, horrores, atq; extremarum partium, & cutis refrigerationes ſequuntur: adeò vt videatur altera rurſus acceſsio renouari, cùm verò calidior vicerit, tunc ſtatim totū corpus calefit, ac iam videtur febris penè in ſummo conſiſtere, mox paulò poſt ad pituitam redeunte victoria, ægroti denuò contrahuntur, refrigerántur, & horreut, neque hoc terminum vllum habet, donec febris ad ſummum perueniat, quòd quidem citiùs accidit, quàm pro more pituitæ, tardiùs tamen quàm in bile fieri conſueuit. Nam huius quidem celeritatem cohibet pituita, ac rurſus pituitæ tarditatem, atque hebetudinem excitat bilis. acceſsio igitur ſemitertianæ ex vtriuſque humoris ac febris commiſtione atque confuſione, nam de hac miſtione loquimur, quando humores fuerint æquipotentes, & propterea exquiſita ſemitertiana fiat, talis vtique erit qualem deſcripſimus. Cæterùm non exquiſita ſemitertiana, aut bilioſum humorem, habet præualentem, aut pituitoſum. cùm verò tertiana præualuerit, horridior fit febris, atque in acceſsione ſibi aliquid rigoris aſſociat, cōfeſtim verò & feruidior eſt huiuſcemodi febris, & incendij plus habet, magiſque feſtinat ad ſummum, & aliquid bilis per vomitum, aut per aluum, aut per ſudorem excernitur. at cùm altera ex pituita febris potentior exiſtit, tunc frigus vehementiùs extremas occupat partes, horroréſque pauci fiunt, & pulſuum fit afflictatio maior, ac diuturnior, tardiúſq; acceſsio inualeſcit, ac longum poſt tempus conſiſtit: non tamen aut ſtatim, aut magnum affert incendium, neque in ea per vomitum, aut per aluum, aut per ſudorem bilis excernitur. Duplex autem eſt ſemitertianarum generationis modus, vel ſcilicet duabus in vnum tempus conuenientibus acceſsionibus, quia altera præuenit, altera verò differtur, quemadmodum de adoleſcente teſtatur Galenus eodem ſecundo de differentiis febr. cap. 7. aut ſtatim ab initio ambabus acceſsionibus inuicem confuſis. quæ tamen fit in vnum tempus conuenientibus vtraque acceſsione, altera ſcilicet præueniente, altera verò retardante, vnam tantummodò habet hemitritææ naturæ acceſsionem. altera autem omnes à principio ægritudinis vſque ad finem, quæ maximè atque præcipuè ab omni

Acceſsiones ſemitertianæ exquiſitæ, quales ſint.

Acceſsiones quales ſint ſemitertianæ, in qua bilis dominabitur.

Acceſsiones ſemitertianæ pituita dominante.

Modus generationis ſemitert. duplex.

omnibus febris ſemitertiana appellatur, vt liquet eodem ſecundo de differentiis febrium talis itaque eſt tam exquiſitarum, quàm non exquiſitarum ſemitertianarum natura, ex Galeni, Pauli, ac Aëtij ſententia, quamuis earum naturam parum rectè fuerit aſſequutus Archigenes, vt dictum eſt, & minùs etiam Agathinus, qui ſemitertianam in eodem genere cum tertiana manifeſtè locauit, ac ſola acceſsionis vehementia ab eadem differre fatetur; eodem Galeno auctore, citato libro ſecundo de different. febr. At Hippocrates nullam ex iis quæ ad integritatem euadunt febribus, ſemitertianam vocare viſus eſt, vt liquet ex eodem Hippocrate primo de morbis vulgaribus, & Galenus tum eodem loco, tum etiam ſecundo de differen. febrium, c.4. quamuis idem Galenus libello de typis, huic ſententiæ pugnare videatur, quo loco loquens de ſemitertiana, habet hæc verba: { Porrò non ſemper continua eſt, ſed etiam intermittens reperitur. } niſi eſſet quòd eodem loco dicebat Galenus, quòd ſemitertiana tres habet in magnitudine differentias, alia enim exigua eſt, alia media, alia magna. exigua ſiquidem eſt, quæ horarum 24. interuallo vertitur, media quæ 36. magna verò quæ 48. quæ & continuæ febri propinqua eſt. ex quibus verbis videtur Galenus non ex propria ſententia, ſed Agathini potius de ſemitertiana verba facere: hic enim (vt iamdudum diximus) eandem ſemitertianam in tertianarum genere collocauit, eas appellans ſemitertianas febres, quæcunque tertianæ exiſtentes, vehementiores habent acceſsiones, ac magnoperè productas. Nam licet quandam quotidianam & quartanam febrem appellauerit extenſam Agathinus, poſtmodum in tertiana non ſeruauit eandem vim proportionis, cùm ſi longius acceſsio protendatur, non tertianam, ſed ſemitertianam appellat, vt liquet apud eundem Galenum citato loco ſecundo de differentiis febrium. Id etiam confirmari poterit ex eiuſdem Galeni verbis primo de morbis vulgaribus, cùm dicebat: { Atqui ſanè qui aiunt, ſi horas quatuor & viginti quis febre vacet, mediam eum ſemitertianam habere, in numero habent talem febrem intermittentium: ſic etiam qui mediam, & paruam à magna diſtare horarum numero ferunt, ſtudentes vtranque ad integritatem deducere, ab Hippocr. ſenſu diſcedunt, dum in febribus intermittentibus ponunt ſemitertianam, quia nihil hæc periculi habebit, quamuis ab illo letalis dicatur. } damnat itaque Galenus eos qui horarum numero aiunt ſemitertianas diſtare, ſtudentes eas quæ mediæ & paruæ ſunt, ſaltem ad integritatem reducere, quicunque hi fuerint. poſſet & aliter huic controuerſiæ ſatisfieri, quòd videlicet lib. de typis, omnem miſtionem quotidianæ cùm tertiana largiori vocabulo ſemitertianam appellauerit, qua ratione dixerit eam non ſemper continuam eſſe, ſed reperiri intermittentem ſemitertianam, quando ſcilicet intermittens quotidiana, cùm intermittente tertiana fuerit permiſta, quod quidem confirmare videtur ipſemet Galenus citato libro primo de morbis vulgarib. in expoſitione illius textus: { inter febres quædam continuæ ſunt &c. } inquit enim eo loco, quòd intermittẽtes dicemus febres, ſiue integritatem, ſiue remiſsionem quam vocant, aſſequantur: & demum poſt pauca ſubdit: { At ex ſemitertianis quædam vtraq; incedunt via, quædam altera tantum, earum quæ ad integritatem non veniũt. } videtur ſiquidem hoc in loco quaſdam admittere ſemitertianas, quæ vtraque incedunt via, videlicet ad integritatem, ſiue remiſsionem peruenientes, & iſtæ ſunt communiter, & non propriè dictæ ſemitertianæ, quæ quandoque poſſunt intermittere, hoc eſt integritatem aſſequi, & quaſdam quæ ad integritatem non veniunt, & ſunt propriè dictæ, & præſertim exquiſitæ, vel dicas quòd quando libro de typis, aſſeruit quòd aliqua ſemitertiana intermittens repetitur, pro intermittente non intellexit quæ veram integritatem, ſed quæ remiſsionem magis aſſequitur, cum bifariam intermittere intelligat citato loco de morbis vulgarib. ita quòd eam intellexerit ſemitertianam intermittere, quæ licet verè non intermittat, tamen magis accedit ad veram integritatem, vt ea quæ exigua ſeu media ab eo nuncupatur. Altera verò quę magna dicitur,

Semitertiana ex continuis eſt ſemper. Locis citatis.

Conciliatio locorum Gal. in quib. ſibi contradicere uidetur.

Comment. 3. text. com. 5.

Commẽt. 3. ſuper text. 2.

non adeò remiſsionem aſſequitur, & propterea continua magis dicenda erit: nullam etenim ex iis quæ verè ad integritatem euadunt, ſemitertianam, neque Hippocr. neque Galenum vocare compertum eſt. De qua ſemitertiana ſic ſcriptum reliquit idem Hippocr. citato libro primo de morbis vulgarib. {in febre quam ſemitertianam vocant, cùm morbi eueniunt acuti, tum præter cætera hæc, eſt letalis, ac tabidi, & qui longis aliis morbis detinentur, præcipuè ægrotant.} ex quibus verbis infert Galenus in commen. quòd fortaſsis, etiamſi horrore careat, vocabimus eam ſemitertianam, ſi die ſecundo iterum inuadat, quamuis impropriè. Nam propriam & exquiſitam ſemitertianã potiùs eodem libro non modo horrore non carere, ſed horrificam eſſe aſſeruerat Hippocr. vt iampridem explicauimus. & libro de typis, clariùs hanc confirmauit ſententiam, cùm dixit: {traditum eſt ab Hippocrate non modò acutis eam morbis annumerandam eſſe, ſed etiam diuturnis.} veram enim propriam, & præſertim exquiſitam ait Hippocra. citato libro de morbis vulgaribus eſſe acutam, non veram autem ac impropriè dictam ſemitertianam tabidis, & aliis qui longis morbis detinentur contingere, ac diuturnis annumerari. Quòd verò ſemitertiana periculum minatur, vt quæ non ſolùm ſtomachum, & neruoſam eius partem attingat, & ſummatim media, ſed etiam lethargicas animi delationes, attonitáſque vigilias inuehat, interim & ad ſyncopem vſque corpus deferat, linguam valde ſiccet, animæ defectum efficiat, vehementer ea quæ in alto ſunt commouens, ſcriptum reliquit Galenus eodem lib. de typis, & deinde ſubdit: {in vniuerſum typus hic & ferus eſt, & periculoſiſsimus.} ac poſt pauca inquit, quòd frequentiùs corripit naturam virilem, ætatem florenti proximam, tempore potius autumnali, quando etiam valde periculoſa accidit. non exquiſita ſemitertiana, ſi abundantiorem habeat pituitam, magis curationi renititur, vt liquet ex Paulo, quàm exquiſita. Quod ad curationẽ eius attinet, cùm ex vtriſque humoribus relatis confletur, etiam miſtam eſſe conuenit curationem, Aëtio auctore, ca. 82. lib. 5. quare ex his quæ de tertiana & quotidiana relata ſunt, curationem componere oportet. & vbi exquiſita fuerit ſemitertiana, ex æquo vtriſque proſpiciendum, tum tertianæ, tum quotidianę. vbi verò exquiſita non ſit, ſi flaua bilis ſuperior ſit, præſidiis maximè vtendum eſt, quæ in cura tertianæ explicauimus, quotidiana non penitus neglecta, ſin pituita largior fuerit, iis maximè vtare medicamentis, quæ pro cura quotidianæ approbauimus, ſimiliter bile non neglecta, in totum ei quod vrget incumbentes, ſed ita ne alterum prorſus negligamus, vt inquit Paulus cap. 33. lib. 2. &, vt ſummatim dicam, cùm complicati ſint affectus, quorum vnus magis vrget quàm reliquus, id ſeruandũ eſt, quod in vniuerſali methodo docuimus: ſimiliter vbi æqualiter vrgeant. Non igitur conuenit hîc particulatim iterum omnia recenſere, quibus febris hæc curari debeat, cùm promptè quiuis ex eiſdẽ capitibus de tertiana & quotidiana colligere poterit, ac pro humorũ diuerſitate rectè vti. Nam ſiquis ſimplicium febrium curationem exactè ſciuerit, abſq; vllo labore, & compoſitas curare non ignorabit. & proinde etiam quæ de biliosa & pituitoſa febre ſimul commiſtis conſcripſimus, licebit ad atræ bilis humorẽ transferendo, eius cum vtraque illarum complexionem, ſeu implexum, ac confuſionem pariter coniectare. voco autem complexionem, vt ſuperiùs iterum annotauimus, quãdo horis differentibus inuaſerint, confuſionem verò quando eodem tempore inceperint commiſtæ febres, ſic etiam & tres ſimul febres per ſe quiſpiam complecti & confundere poterit, ac eaſdem haud ægrè dignoſcere: nã harum omnium primum fons atque elementum eſt ſingularium atque ſimplicium febrium formam ac figuram exquiſitè cognoſcere, vt Galenus inquit ſecundo de differen. febr. cap. 10. & nos in præcedentibus explicauimus qualiter ipſæ dignoſcendæ ſint. quibus cognitis, & earum quoque curatio facilè patebit, & ob id particularem omnium compoſitarum febrium curationem, haudquaquam ſcribere arbitratus ſum, ſed ipſius ſemitertianæ duntaxat, tanquam ſub exemplo quo-

Cap. citato.

Semitertianæ periculoſæ.

Curatio.

Semitertiana per complexum, & per confuſionem.

dam

dam reliquarum omnium, curationis vniuerſalem modũ inſtituimus.ſub qua via & ratione,ad particularem tum eiuſdem ſemitertianæ,tum etiam & cæterarum compoſitarum febrium curationẽ facilè quiuis accedere poterit,quemadmodum in ſecunda etiam huius operis parte docuimus.

De febrium hecticarum prognoſtico,ac curatione. *Caput VIII.*

CVM duplici via quæ febres hecticæ appellantur ortũ habeant, nam aut ſtatim ab initio inuadunt,aut reliquis ſuccedunt febribus,ſitque earum differentia duplex,quandoquidem aut hecticæ febres duntaxat,aut nedũ hecticæ, ſed etiam tabidæ exiſtũt, quemadmodũ in vniuerſali methodo fuſiùs explicauimus,quæcunque ſtatim ab initio inuadunt,nondum autem tabidæ ſunt,non admodum difficile eſt eas curare. *Prognoſticũ.* At quæ,ex ipſis ad tabem peruenerunt, vbi iam exquiſitæ conſiſtunt,& iamdudum inceperunt, non modò eas curare difficile eſt, ſed impoſsibile: etenim omnium hecticarum febrium diſpoſitio difficilis eſt, vbi iam principij tempus præterierit,Galeno auctore, libro primo de diff.febr.cap. 8.& 9.quæ verò quodammodo ad vtranq; partem declinat, ac medium obtinet locum inter eam tabidam febrem, quæ penitus curam non admittit, atque illam quæ citra tabem,ac facillimè in principio curari poteſt,quoniam eius & ampla latitudo eſt,& multæ ſunt in eo quod magis & minùs diuerſitates, pro eadem ratione magis vel minùs difficulter curationi reſiſtit.Nam quæ æqualiter diſtat ab vtraque, & ea ſcilicet quæ exquiſitè tabida exiſtit, atque illa in qua nihil eſt adhuc tale, medio quodammodo ſe habet ad curationem, dubio ad partes ambas inclinans momento; quæ autem tabidæ proximior, eſt etiam periculo vicinior. At quæ alteri primæ magis adhæret, non paruã ſalutis ſpem afferre poteſt,eodem Gale. teſte citato loco ca.9. Quòd verò ad earum curationem attinet,nos primò qualiter curandæ ſint quæ citra tabem exiſtunt,deinceps,quæ ſimul etiam cum tabe,docebimus. Illarum etenim vera & propria curatio eſt,quẽadmodum & diariarum,vtpote ſimplicem habentes primã curationis indicationẽ,quoniam & ipſæ ſimplices affectus ſunt. *Curatio hecticæ citra tabẽ.* Quapropter non ab re Galenus decimo de meth.med.cap.6.dicebat, quòd caput totius curationis harum febrium in iis remediis quæ refrigerent & humectent,ſtatuere oportet.quæ autem ſimul tabidæ exiſtunt,quæcunq; fuerit ſubſtantia ſolidarũ partium,exſiccata propria humiditate, humectantis nutrimẽti ope,replere etiam oportet. Quapropter non adeò ſimplicem habent curationis indicationem,licet vbi propria ſolidarum partium ſubſtantia,membranoſa videlicet,& fibroſa fuerit exuſta,ſeu exſiccata,ea vt corrigatur fieri omnino non poteſt, veluti nec ſenium.vt liquet ſeptimo,& decimo de meth.med.c.5.& 6.& lib.de Maraſmo.ca.vlt.erit itaq; pro cura hecticæ febris citra maraſmum,aër eligendus qui nõ admodum calidus,aut admodum frigidus ſit,verùm ſi tẽperatus eſt,qualem ſe exhibet, vtique tali nobis eſt vtendũ,nihil amplius de eo ſollicitis.vbi verò admodum calidus fuerit, pro calido reducendus eſt arte contrarius, ſubterraneis inuentis domibus,quæ & frigidiores ſint,& maximè perflatæ,& ad ſeptentrionem verſæ,tum auris quibuſdã quæ ipſis ſint ſuaues opera noſtra paratis, alias ex euripis in quo ſe deiiciant multi aquarum fontes,alias aqua frigida, de vaſis in vaſa transfuſa,quod quidem ſtatim etiam ſomniferum eſt.præterea domi aſsiduè aqua quæ prorſus frigida ſit aſperſa,ac roſis plurimis humi fuſis,aut vitium capreolis,aut ruborum ſummitatibus, ſeu etiam arundinum,aut denique reliquarum quæ refrigerent ſtirpium aliquibus, turba quoque hominum ingredi prohibita:nam id quoque domum calefacit. Atque ita calidiſsimum aërem refrigerare tẽtandũ eſt,qui non niſi æſtate calida & ſicca accidit: quandoquidem in hyeme calidiſsimus eſſe non poteſt, ſicut nec frigidiſsimus in æſtate.ſiquis verò aër modicè frigidus ſit, hoc eſſe contentos oportet, nihil aut

machinantes, aut de ipſius temperie alterantes. qui verò frigidiſsimus eſt, vtique quatenus reſpirando attrahitur admittendus eſt, vt qui calorem qui eſt in corde admodum refrigeret, non tamen quatenus extrinſecus ægrum contingit, quippe id denſat cogitque cutim, ac putredinoſorum humorum fluxum tranſpirare prohibet: maius tamen fore ex frigida inſpiratione commodum ſcire licebit, quàm ex cute denſanda incommodum, præſertim cùm operimentis hanc calfacere liceat. Porrò vtendum maximè eiuſmodi aëre eſt, in his hecticis, quibus primum quod afficitur eſt ipſum cor. A corde verò vbi pulmones primùm afficiantur, plus cæteris omnibus refrigerantem aërem requirunt. Vbi verò ex reliquis partibus primò afflictis ipſa febris hectica generetur, temperato, aut modicè frigido aëre, contentos eſſe oportet. ſomnus item ſit moderatus,

Somnus.

vel paulo longior, &, vt inquit Actuarius, ca. 21. lib. 3. ſomnus conciliandus eſt à cibo: ac quærenda animi oblectamenta, & relaxationes, ac quodcunque tandem cum refrigeratione humectare putatur. quies iniungenda erit, & pro

Quies, & motus.

exercitio lenibus frictionibus vtẽdum eſt, & vbi aluus plus æquo adſtricta fuerit, lenes clyſteres adhibere oportet, qui ex hordei, foliorum maluarum, ac vio-

Inanitio per clyſteres.

larum decocto, exiguo ſale, & vnc. 3. olei violacei, & vnc. 2. ſacchari, vel ſacchari violacei, vnáq; medullæ caſsiæ fiſt. aut caſsiæ tractæ adiectis, parari poterunt. Interim eadem gallinarum iuri, aut ex capitibus arietum parato decocto, ad-

Affectus animi.

iicies. Vitent omnes animi affectus immodicos, præſertim iram, timorem, & triſtitiam. Nutrimentum autem humidum eſſe ac frigidum, quod hecticis febri-

Cibus.

bus ſit conducturum, nemo neſcit, inquit Galenus decimo de meth. med. ca. 11. Huiuſmodi eſt ptiſanæ cremor cùm frigidus ſumitur, & exiguus in aqua frigida panis. Cæterùm nullius horum pura frigiditas eſſe debebit, ſicuti potionis, quippe hæc maturè tum incaleſcit, tum per corpus digeritur, illa cum pluſculum temporis in ventriculo morentur, ipſum fortaſsis refrigerāt, ſi fuerint immodicè frigida, eodem Galeno auctore citato loco. Alexander cap. 4. lib. 12. iis qui primariò in hecticam febrem inciderint, præter ptiſanæ cremorem, & panem in aquam tinctum, lactucas commendat, & poſt cibum, aquam frigidam quantum æger velit, potui tribuit. etenim in hac febre cauere febris inſultus, & metuere non oportet, neque enim remiſsionem, aut acceſsionem in hac febre, quemadmodũ in febribus ex putredine ortis inuenire licet, vt ipſe inquit: ea ſiquidem tribuenda fatetur, quando febris hectica per ſe, ac primario fuerit, ægríq; vires non imbecillæ, & non alia febris ex putredine creata ei ſit admixta. Poſſunt quoque & his ſaxatiles piſces exhiberi, ac etiā ſcorpij, & mulli, eodem Actuario auctore citato loco, necnon & borrago, endiuia, & cichorium, & panis item in pullorum ſeu gallinarũ iure maceratus. Inſuper & aues

Potus.

paruæ quæ in montibus degunt. Pro potu aqua hordei præbeatur, aut aqua in qua coriandrorum præparata ſemina fuerint decocta: quibuſdam etiam & aquoſum vinum modicè dilutum conuenit, iis præſertim qui aquam bibere non ferunt, ac vires quodammodo imbecillas habent, eodem Actuario, ac Alexandro teſtibus. Vbi verò febris iam traxerit, dandum quoque erit aſininum lac, ſed diligenter obſeruare oportet ne in ventriculo cogatur: id verò interim ipſe

Lac aſininum quomodo hecticis propinandum.

nos æger docebit, vtpote qui ſuæ ipſius naturæ peritus, interim id à nobis inueniendum eſt paulatim ad eius vſum accedentibus, ac mel exiguum illi admiſcentibus, ſeu ſaccharum, licet quoad fieri poteſt in hecticis febribus à melle, atque idcirco etiam à mulſa abſtinendum ſit: quippe protinus vertitur in bilem, & ſicciores, acrioríſque caloris febres reddit, & proinde à principio non plus aſinini lactis, quàm cyathus dādus eſt, inducta in ipſum cubiculum aſina, quo nullum tempus interponatur, ſed æger id protinus bibat. & vbi non corrumpatur (quod quidem dignoſcere ex pulſu præcipit Galenus citato lib. 10. de meth. med.) ca. præcit. dimidium cyathi lactis adaugeas, deinde rurſus aliud dimidium adiicias; ſicq; ſenſim vſque ad mediocrem modũ addas. id verò quouis tempore exhiberi poterit, illud tantùm obſeruans quòd per quatuor, aut

ſaltem

ſaltem tres horas ante cibum offeratur,manè potiſsimùm; quo etiam tempore non inutiliter & alia quoque medicamenta refrigerantia ac humectantia præbebis,etſi(vt diximus)ea quacunque hora præbere poteris; modò vacuus à cibo ventriculus fuerit; neque enim in hac febre acceſsionum ſeruantur tempora,cùm eiſdem careant.huius generis ſunt zulapium roſaceum , ac violaceum, ſyrupus violaceus,de nymphæa, de ſucco endiuiæ,de ſucco cichorij, de ſucco borrag.& de ſucco ſeu infuſ.roſarum cum aquis endiuiæ, cichorij, ſeu borrag. aut paſtillis vtare,qui hunc in modum parentur, Recipe diarhodon abba. aut triaſantalati,ſeu diatragacāthæ,aut electarij regum ſine ſpeciebus drac.1.quatuor ſeminum com.frig.vn.s.ſacchari diſſ.in aqua roſacea quantū ſatis ſit,fiant in morſulis,quorum vnum qualibet vice præbeas cū vnc.3.aquæ endiuiæ, aut cichorij.his verò neq; indiſcriminatim vtare:nam cùm eorum quædam magis, quædam minùs refrigerandi facultatem habeant, quanto hecticarum febrium affectus fuerit calidior,tanto vtique frigidiora requirit auxilia,& ſimul maiorem ſolicitudinem habere debemus, ne valentibus auxiliis vtentes quicquam lædamus, vt decimo de meth.med. c.11.ſcriptum eſt. Purgantia autem medicamenta eis qui febre hectica laborant ,propinanda non ſunt, niſi aliqua ex eis quæ ex putredine ortum habēt,fuerit ei copulata. verùm vbi admodum aluus adſtricta fuerit,nec leniri lenientibus iam dictis clyſteribus valeat,aut æger eis vti recuſauerit vn.2.ſacchari violacei,aut iij.ſyrupi è pluribus infuſ.violarum, aut vn.2.mellis aërei, vel vn.1.aut vn.1.s.medullæ caſsiæ fiſtulæ cum prædictis aquis præbere non incōuenit,cùm & aluus ex eis ſoluatur,nec febri quicquam obſunt; nam corpus neque calefaciunt , neque exſiccant. Sed quoniam communis febrium omnium hecticarum ſanatio eſt,per ea quæ extrinſecus applicata refrigerant & humectant , licet ea, non indifferenter etiam admoueri debeant ſingulis partibus,ſed illi maximè,quæ primò affecta eſt, vt liquet eodem decimo de meth.med.cap. 9.ſequitur propterea vt de iis medicamētis agamus. porrò horum ea deligenda ſunt, vt inquit Galenus citato loco,quæ citra vehementem adſtrictionem refrigerant:etenim talia præterquàm quòd non humectant, etiam dimittere frigiditatem ſuam non valent ; propterea quòd cutim cogunt, & coarctant.quapropter optima ſunt quæ non modo citra adſtrictionem refrigerant, ſed etiam corporis ſubſtantia ſunt tenui. abſolutiſsimè verò quæ tenuium partium ſit,ſubſtantiam exactè frigidam inueniſſe fortaſſe non eſt,cùm neque acetum quod omnium quæ nouimus poteſtate refrigerantium, tenuiſsimarum eſt partium,exactè frigidum ſit,ſed admiſtam ſibi aliquam caliditatē habet,attamen deligi materias oportet, quæ ad eiuſmodi medicamentorum compoſitionem maximè ſint idoneæ,quæ etiam pro ratione partis primariò affectæ admouendæ ſunt.quæcunque tamen ea ſit,ſemper cordi proſpiciendum erit;quandoquidem in omnibus neceſſe eſt vt ipſum ſimilem intemperiem recipiat,citra quam nec maraſmus,nec hectica, nec reliquarum vlla febrium cōſiſtere poteſt,vt liquet ab eodem Galeno citato loco,c.8.quapropter tali epithemate cordi ſuccurrendum eſt , quod recipit aquæ roſaceæ,& nymphææ an.vn.8.aquæ borrag.& oxalidis,cuiuſlibet lib.s. ſantalorū omnium, coral.rubeorū an.dr.2.corticū citri dra.3.oſsis de corde cerui numero 1.croci gra. 3.vini albi aquoſi vn. 3.olei roſacei omphacini vnc.2.s.interim vbi cor primò affectū ſit,& febris hectica nō exigua,vn.2.ſucci polygoni,cichorij, vel endiuię adiicere poteris , miſceantur , & fiant epithemata , quæ ſæpiùs repetenda ſunt. Iecur inſuper hoc epithemate refrigerare & humectare licebit , quod recipit ſucci ſolani,& cichorij, ſingulorum lib.s. aquæ roſarum rubearum, violarum, nymphææ,& endiuiæ,cuiuſlibet vn.4.ſantalorum omnium, & corallorum rubeorum an.dr.2.aceti vn.2.miſceantur,& cum duplicato linteo lineo in eis madefacto , iocinoris regioni imponantur , ſæpiúſque renouentur, præſertim vbi ipſum primò fuerit affectū. Pro renibus hoc vnguento vtitor, Recipe ſucci polygoni, vel lactucæ, portulacæ, ſeu ſemperuiui, vel vmbilici veneris vn.1.s. olei

Syrupi.

Purgatio.

Admouenda extrinſecus.

Loco prædicato.

de nymphæa, de papauere, & de cucurbita, an. vnc.ſ. olei amygdalarũ dulcium, roſacei, & violacei, ſingulorum vh. 1. medullæ cruris vituli dr. 3. lenti cremoris tragacanthæ extractæ cũ aqua roſ. dr. 4. ceræ quod ſatis ſit, & aceti parum, fiat vnguentum. in quem vſum magnoperè conducit Galeni ceratum, quod ex cera quàm optima & elota, vtpote alba, & roſaceo omphacino, ac etiam aqua conficitur, pauco aceto addito, vt liquet ex eodem decimo de meth. med. ca. 9. Id verò medicamentum (vt ipſe inquit) aſsiduè mutari debet, ac euſque ſuper ægrum corpus manere, donec manifeſtè incaleat. Idem quoque Galenus refrigerandæ particulæ, quæcunque ea ſit, imponenda nonnulla medicamenta, citato loco conſcripſit, quemadmodum eſt oxalidis; aut oxylapathi ſuccus, cum exigua polenta miſta: quinetiam portulacæ, ſemperuiui, & vuæ immaturæ ſuccus, ſimiliter ſi polentæ miſceantur. Adhæc lentis paluſtris, & viridis tribuli, polygoni, & lactucæ, ac intybi ſuccus, etiam cum tenui polenta, quamuis etiam ſine polenta liceat integris dictis herbis tuſis vti, vt ipſi refert, & ſi dictorum ſingulis roſacei quippiam aliquando miſcere volueris, nihil vtilius pharmacum habebis, eodem auctore, modo ſimplex, & perfrigidum ſit, & quod factum ex oleo ſit ſalis experti. Tu verò omphacino roſaceo cum eiſdem vtare, exiguúmque aceti albi adiicito, atque illi maximè particulæ, quæ primò affecta eſt, imponito, vt in ea veluti ignis fomitem extinguas. At pectori non nimis refrigerantia medicamenta admoueri debent, niſi multus feruor, aut inflammatio in eo ſpectetur. verùm ne ſic quidem linamenta diutius inhærere ſinemus, eo quòd pleroſq; ab immodica ipſorum refrigeratione haud mediocrem non ſolùm reſpirationis, ſed etiam vocis noxam expertos nouimus, vt Alexander inquit præcitato loco. id quod etiam ante eum innuere ferè videtur Galenus de his quæ ſtrenue refrigerant, præcordiis impoſitis eodẽ decimo de meth. meden. cap. præcit. Porrò aquæ dulcis balneum, eis qui hectica febre laborant, nemo eſt qui non commẽdet, præſertim Galenus citato loco, vt quod tum prima ratione, tum etiam ex accidente eis proficiat, vtraq; ſiquidem ratione refrigerans & humectans: eſt autem & ipſum quouis tempore huic febri idoneum. atqui licet totum curationis momentum in his febribus in refrigerando humectandóq; conſiſtat, & propterea illico qui hectica laborant, refrigerandi ſunt antequam progreſsi in marasmum perueniant, quoniam omnibus refrigerantibus auxiliis propter corporum horum gracilitatem quodammodo noxa imminet, vbi præſertim eis quiſpiam non ritè vtatur. ob id non ſtatim in frigidam aquam balneandi ſunt, ſed prius in eiuſdem aquæ dulcis balneo temperatè calido, moderatiſsimè primo calfaciendi ac balneandi ſunt, ac in eo moderatè etiam commotari debent: deinde priuſquam de eorum propria ſubſtantia aliquid exhauriatur, ſeu ſudor aliquis excitetur ab eo demittendi ſunt, atque in frigidum balneum dimittendi: nam qui hectica febre laborantes ad balneum accedunt, niſi in frigidam ſint dimiſsi, nihil iuuantur, vt liquet eodẽ 10. de metho. meden. cap. 16. quoniam in hecticis febribus id quod remedium affert, calidæ ſolium non eſt, ſed frigidæ. ex hac nanque & innoxiè refrigerantur quæ fuerant excalfacta, ſolidarúmq; partium ariditas corrigitur, & vires firmantur, ſit autem ea frigiditate aqua in qua balneantur, vt nullam euidentem qualitatem nec prorſus frigidarum, nec tepidarum aquarum præferat, ſed qualem ea quæ fontana vocatur, quæ & frigoris quod ferit, & teporis qui reſoluit, eſt in medio, præſertim ſi maraſmo etiam tentẽtur, eodem Galen. teſte citato loco. quicunque igitur hectica febre laborant modo his alia nulla febris, vel ex ſolo putreſcente humore, vel cum phlegmone ſit adiuncta, eos omnes audacter ita lauabis, ſed prorſus citra omnem laborem, ne vires reſoluas; protinus verò vbi à balneo fuerit egreſſus æger, alter paratam habens ſindonem ipſi iniiciat, ac deinde aliam, & in lectulo collocetur, mollibúſque deinde linteis blandiſsimè detergatur, ita vt qui detergebunt violentius eum non contrectent. id verò diligentiùs ſeruandum eſt, vbi nedũ febre hectica ſed tabe etiam

labo

laborabit. poſt lauationem oleo vngendus eſt, ne videlicet plus iuſto digeratur, ſed obſtruantur exigua cutis ſpiramenta, idem protinus & ſiccitati remedium fuerit, & aduerſus incommodum quod ab aëre ambiente contingit, veluti munimentum, vt patet 7. de metho. meden. cap. 6. erit autem oleum violaceum, aut roſaceum omphacinum, ſeu de nymphæa, aut amygdalarũ dulcium, quo ſæpe vtor, ſolo, aut violaceo admiſto. Poſthęc aut lac exhibebis, præſertim vbi eo delectetur, aut ptiſanam diligenter coctam, ſeu eius cremorem, quem in gallinarum ſeu pullorum contuſorum iure paratum aſſumendum præbeo: nam tunc potiùs in vniuerſum corpus diſtribuitur atque attrahitur, quæ ferè omnia breuibus quibuſdam verbis Actuarius præcitato loco ſub his verbis cõſcripſit: {Balnea porrò iis ſunt idonea quæ corporis ſquallorem humectent, verùm tepida eſſe debet, nec vllam reſipere qualitatem, nec tempus in iis trahere conuenit, ſed vbi modicè fuerint immorati, egredi, ne quod ex natiuo humore ſupereſt, euaneſcat, & exhalet, egreſſo ſorbitio quæpiam refrigerans dabitur.} & poſt pauca ſubdit: {quòd ſi ſolium exeuntem, melino, aut roſaceo, aut omphacino ſaltem oleo inunxeris, & meatus præcludes, & ne maior fiat difflatio, prohibebis, ac antea ex irrigatione inductam humiditatẽ intro compeſces: atque hoc quoque pacto opem homini tuliſſe videberis:} conferunt etiam ſemper, potiſsimùm eo tempore quo ægri balneantur, media quæcunque odorata refrigerant, quorum copiam capire de cura febris ardentis ſtudioſi petant: inter ſimplicia ſunt roſæ, violarum, & nymphææ flores, ſeu etiam myrtillorum.

Hecticarum febrium cum tabe curatio. Caput IX.

SI verò febres non hecticæ duntaxat ſint, ſed quæ Græcè *μαρασμώδεις* dicuntur, hoc eſt tabidæ & ſiccitati coniunctæ, quatenus hecticæ ſunt, non aliam deſiderant curationem quàm modo dictam, quæ in refrigerando & humectando conſiſtit, quatenus verò ſiccitatem, ſeu tabem coniunctam habent, deperditæ ſubſtantiæ humidæ etiam indicant inſtaurationem, ſeu refectionẽ, hanc autem inſerere particulis ſine nutrimento non eſt: quare præter eam quam inſtituimus victus rationem, alimenta quoque eligere oportet, quæ reficere corpus valeant, nam quæcunque partium ſolidarum ſubſtantia fuerit exſiccata, eadem genere victus ratio cõpetit, quamuis vna alterà difficiliùs inſtauretur, & quædam nullo modo refici poſsit: primùm enim eiuſmodi febris propriam partiũ humiditatem ex qua nutriuntur, depaſcit: hinc verò ad carnoſum genus tranſit, quod circa tum fibroſas, tum membranoſas partes ſolidorum corporum hæret, ita deinde ipſas ſolidas populatur, quando exactè tabida febris dicitur: Gal. reſte citato lib. 10. de meth. med. cap. 11. Donec autem propriam partium humiditatem depaſcit, non admodum difficile eſt eam curare, nam hanc humiditatem etiã ſi omnino ſit aſſumpta regigni licet: cùm verò ad carnoſum genus pertranſit, licet curare difficilius ſit, vtique eam ſanandi adhuc ſpes eſt. At cùm verè ſolidas populatur, fibroſas inquam, & membranoſas, fieri haudquaquam poteſt vt talis ſiccitas perſanetur. verùm ne deſperata horum ſalus relinquatur, hac etiã victus ratione vti debent, ſaltẽ vt quoad fieri liceat, eorũ vita protelетur. Vt verò paucis alimẽti ſummã cõplectar, ſit coctu facile, & nutriẽs, miniméq; glutinoſum atq; excrementoſum, quamuis, maximè nutriente cibo haudquaquã ſit vtendũ. nã ſi nutrimentũ ipſum ſeipſum coqueret, ac in partes digereret, præterea aſsimilaret alendis partibus, & quibus alimento plurimo eſt opus adhæreſceret, proculdubio maximè nutriente cibo eſſet opus. Verùm quoniam non aliud eſt quod nutrimentum deſiderat, aliud quod ipſum conficit, ſed quod nutriendum eſt, ipſum ſibi & nutrimentum attrahit & mutat, & concoquit, & adiungit, & aſsimilat, ad duo nimirum nobis in opportuno cibo

Quarum partiũ ſiccitas inſtaurari poſſit, & quarũ minimè.

Victus ratio.

eligendo,ſpectandum eſſe dictat. vnum ipſius cibi naturam,alterum vires ſuas proprias inſitáſque. itaque ex his illud patet,nec planè quod maximè nutriat optimum eſſe iis corporibus quæ refici magis egent, vtpote quibus concoquēdi facilitas non eſt:nec etiam quod facillimum concoctu eſt,cùm ſcilicet ipſum nequeat maximè eſſe nutriens ex Galeni decreto,7.de metho.med. cap.6. medius itaque victus ceu optimus eſt præferendus qui modicè refrigeret. pleno nanque victu opus non eſt quòd is concoqui nequit,ſed cibus boni ſucci ac concoctu facilis dandus,vt inquit Actuarius citato loco. Quo circa panis purus qui curioſe ſit in furno coctus exhibeatur,qui tum fermenti,tum etiā ſalis quippiā habuerit,carnes gallinarum,caponum,pullorum gallinaceorum, & præſertim eorum teſtes qui lacte ſint alti,idonei ſunt. ſimiliter fāſianorum,perdicum,ſtarnarum,omniúmque auium montanarum,& mollis carnis. vitanda tamen ſunt quæ paluſtria,& quæ etiam carnem duram habent. inſuper & hœdinæ carnes, vitulinæ,capreolorum,leporum,ac cuniculorum iunenum, necnon & arietum caſtratorum conducunt,quæ omnes elixatæ potius,quàm aſſatæ præbeantur: cum quibus etiam decorticatum hordeum,lactuca,cucurbita, endiuia , cichorium,ſeu etiam bugloſſum decoqui poterit. oua item recentia, & ſorbilia, caſeúmque mollisſimum, ac recentem ipſis dare , alienùm non eſt. Et quoniam qui ita ſe habent , plurimo nutrimento indigent , nequeunt autem, vel quod mediocre eſt concoquere,paulatim hos,& ſæpius cibare melius fuerit : & hac de cauſa Galenus inquit : {ipſe ter eos cibare ſum ſolitus.} Verùm quando iam manifeſtè meliores facti appareant,etiam bis nutriuiſſe ſit ſatis. Pro potu vino vtendum eſt, quod quidem aquoſum natura ſit , & leuiter adſtringat , vtpote albo & tenui, idque modicè diluatur:hoc enim ab aquæ imbecillitate recedit, & vini noxam nondum habet. vitanda eſt frigidæ potio , præſertim multa , & quæ prorſus ſit gelida,cum corpora extenuata,exiguique ſanguinis ſint. Quocirca eiſdem minùs tuta eſt frigidæ potio,vt quæ celeriter ad ſolidas animalis partes peruenit,nulli quod eius vim frangat occurrens, vt liquet 9. de metho. med.cap.5. Poſſunt etiam & ea animalia quorum carnibus hac febre laborantes veſcuntur , per aliquod tempus priùs decocto hordeo & decorticato , ſeu eius farina , inſuper & lactucæ,endiuiæ,portulacæ , ſeu cichorij folis nutriri, vel cochlearum,ſeu teſtudinum carnes priùs decoctas , farináque hordei permiſtas , eiſdem pro cibo præbeas , & quibuſdam eorum lac quoque tribuendum erit. Conſueuerunt etiam Neapoli ex his carnibus contuſis quibuſdam etiam ex iam dictis refrigerantibus alteratis ,cibos prædictis parare , vtpote quæ citiùs ac promptiùs concoquantur:interim verò & iura quædam ex contuſis ac liquatis eiſdem carnibus. ſimiliter etiam cum ptiſana,aut dictorum refrigerantium aliquo alterata , ac exigua aqua roſacea parantur , quibus etiam quandoque nemoralium teſtudinum carnes adiiciunt. inſuper & ſtillatitium quendam liquorem extrahunt,ex pullorum,gallinarum , caponum , ſeu faſianorum carnibus,ſimiliter cōtuſis:adiciúntque & teſtudinis nemoralis carnes bugloſſi,oxalidis,& lactucæ,ſeu endiuiæ folia minuratim conciſa : necnon & poma dulcia quædam,ex quibus omnibus qui poſtea ſtillat humor iam dictis ægrotantibus præbetur. Quidam verò noſtræ tempeſtatis Medici,neſcio qua ratione,ſeu auctoritate freti ſtillatitium cochlearum liquorem eiſdem ægrotantibus præbent,putantes eos cùm refrigeratione quadam valenter reficere. verùm cùm hoc & à ratione alienum ſit,& Galeno pugnet,omnino ab eo abſtinendum eſſe conſulo. Nam licet aceruatim reficere poſsint, maximéque nutriant cochleæ ſi conficiantur,in corporibus tamen quæ refici magis egent , talia nutrimenta quæ concoctu difficilia ſunt,nō competunt, vtpote quibus concoquendi facilitas non adſit, vt liquet ex Gale.7.de metho.meden. cap.6. Adhæc ſi nutrire debeant cochleæ,non crudæ,nec ſemel,aut bis elixæ, ſed ter , & veluti in aqua tabefactæ exhiberi debent, vt tertio de aliment.facul.cap.3. ſcriptum eſt. Præter id etiam quòd craſſum ac lentum generant ſuccum , ex quo

Potus.

Cochlearū ſtillatitiū liquorē non probat in hecticis.

prompt

promptè obſtructio, & putredo fit, ac præter naturam calor augetur, potiſsimùm hectica febre laborantibus, in quibus nedum concoctio, verùm etiam diſtributio imbecilla eſt. At ſi dixerint non totam cochlearum ſubſtantiam, ſed earum tenuiorem ſuccum ignis artificio extractum conducere, dicimus nos, & hunc quoque difficilem concoctu eſſe, quòd ex earum ſubſtantia trahatur, quæ talis eſt naturæ tum vel maximè quòd ab eis crudis, quæ eſculenta non ſunt, extrahatur, quamobrem promptiùs aluum ſoluere, quàm eos nutrire poterit. poſſunt item hunc in modum paſtilli formari non parum conferentes, vt Recipe, carnium gallinarum, pullorum vel caponum, elixatarum vnc. 2. carniũ *Paſtilli.* teſtudinis, ſimiliter elixatæ vnc. j. electarij regũ ſine ſpeciebus drach. 2. margaritarum drac. j. quatuor ſeminũ communium frigidorum vnc. s. ſacchari diſſoluti in aqua roſa. quantum ſatis ſit, fiant in morſulis, quorum vnc. j. s. vel vnc. 2. pro qualibet vice exhibeantur cum vnc. 3. aquæ endiuiæ, vel bugloſsi, aut tantundẽ prædicti ſtillatitij liquoris. lac etiã iis mirificè prodeſt, præſertim muliebre: & vbi ex ipſa mulieris papilla ipſum hauſerint: id verò optimũ quidẽ, vt *Lac hecticis vtile.* potè cognatum; inter alia exiſtit. ſed quoniam plerique id ſibi adhiberi recuſant, aſininum ipſis dare conuenit: id enim reliquis omnibus ad propoſitum affectum eſt vtile: quippe cùm tenuiſsimum ſit, & minimè coagulatur & quoquo verſus ocyſsimè in corpus digeritur, aut ſi hoc etiam recuſauerint, aut ægrè aſſumpſerint, caprillum iis dandum eſt, quod medium ferè exiſtit, & magis poteſt nutrire, vt liquet ex Tralliano, miſcendúmque ei erit exiguum mellis, aut ſacchari, vt paulo ante dictum eſt. quòd verò balneum quoque mirum in mo- *Balneum.* dum eis proficiat, atque conueniat, decretum reliquit Galenus citato libro decimo de meth. meden. cap. 10. quo etiam loco, modum præcipit quò tales ſint balneandi, etiamſi exactè tabidi fuerint, ac non parum imbecilles, eo itaque in loco ſtudioſi hæc petant: quamuis nonnulla præcedenti capite explicauimus. etenim maiori cùm diligentia hi balneandi ſunt; quàm cæteri qui hectica duntaxat febre laborant. Nec etiam parua cura habenda eſt aliorum refrigerantium medicamentorum, quibus etiam & in hac febre vti licebit, tam ſi intus, quàm ſi extra adhibeantur. vitanda nanque perpetuò magis erunt quæ immodicè refrigerant in his febribus, quàm in hecticis quæ nondum tabidæ ſunt.

FINIS TERTIAE PARTIS, SIVE EXERCITATIONIS.

DE PEST

DE PESTILENTI FEBRE.

Quid per communes, quidve per diſperſos, & diſsimiles morbos ſubintelligendum ſit, ac ex quibus proficiſcantur.

Capue I.

QVAMVIS febris communiſsimus ſit morbus, eius tamen duo ſunt genera Hippocrate auctore lib. de flatibus, quorum alterum commune omnibus, peſtis appellatur, alterum propter malam diætam priuatim iis contingit qui ea vtuntur, de quo, vt cuique patere poterit, abundè differuimus. Vt igitur completus fiat noſter ſermo de febribus, reliquum eſt de altero genere pertractare, quod quidem omnibus commune, ac peſtem citato libro Hippoc. appellauit. De quo febrium genere, licet à recentioribus nonnullis multa fuerint exarata, ac paſsim ſcripta reperiantur, non propterea viſum eſt noſtram de eo, quam veram Galeni, quæ putamus eſſe ſententiam, non explicare, breuibus tamen quoad fieri poterit. Vt verò promptiùs tyrones eam aſſequi valeant, animaduerſione dignum eſt morbos in Hippoc. & Gal. doctrina, quoſdam eſſe vniuerſales ſeu communes, quoſdam verò particulares, diſperſos ſeu diſsimiles. Appellant autem morbos diſsimiles eos, qui ſparſim, priuatímque prehendunt, ægros diſcrepanter fatigantes, neque ſecundum communem modum conſtantes, σποράδες Græcè dicti, vt patet 1. de ratione victus. etenim diuerſis eodem tempore morbis homines afficiuntur, ſeorſúmque vnumquenque prehendunt. horum cauſa eſt ſuus cuique victus, vt liquet 2. de natura humana, cùm dixit Hippocr. {At vbi diuerſis eodem tempore morbis homines afficiuntur, ſuus cuique victus ſine controuerſia cauſa eſt.} vniuerſales autem ſeu communes appellant morbos, vbi omnes, aut multi vno morbo homines corripiantur eadem tempeſtate, qui morbis diſperſis è regione opponũtur, Græci παγκοίνους, interim πανδήμους & κοινὸς appellant, quorum cauſa referenda eſt ad quoddam communiſsimum, quo maximè vtimur vniuerſi. tunc enim victus cuiuſq; noſtrum nequaquam in cauſa eſſe, manifeſtum eſt: cùm morbus omnes iuxta attingit, tam iuuenes, quàm ſenes, tam fœminas, quàm viros, perinde vinum, ac aquam bibentes, tam qui offam, quàm qui panem commanducant: tam qui multum, quàm qui parum laborant. ergo non fuerit victus ratio in cauſa, cum homines quoque victu vtentes in eundem incidunt morbum, vt ibidem teſtatur Hippocrates, & proinde non immeritò aſſerebat eodem loco, quòd morbi fiunt partim à viuendi ratione, partim à ſpiritu, cuius attractione viuimus: diſperſos morbos tribuens viuendi rationi, pro ſuo cuique victu, viuendi rationem nuncupans, non ipſa ſola eſculenta & poculenta, ſed vniuerſam vitæ ſortem complectens: neque enim cibi ſolum, & potiones, verùmetiam balneæ, exercitationes, otium, vigiliæ, mœror, ira, frigus, æſtúſque pariunt morbos: vt Galenus inquit, in commenta. vniuerſales autem ſeu communes morbos cuidam cauſæ, quæ quidem communiſsima ab eo appellatur, referens, ſpiritui videlicet, ſeu

Morbi ſporades qui, et quæ eorum cauſa. *Tex. com 9.*

Tex. com. 3. *Morbi cõmunes, & eorum cauſa.*

Tex. 2.

cet,ſeu aëri,cuius attractione viuimus.Sed mox inquies Hippocratem ſibi ipſi pugnare,quoniam citato libro de flatibus poſtquàm duo poſuit febrium genera,vt dictum eſt,ſubdit hæc verba: {vtriuſque autem generis auctor, & cauſa aër exiſtit.} cur itaque eodem loco vnum dixerit febrium genus priuatim contingere ob malam diætam?.& ſecundo de natura humana illud confirmauit nedum in febre,ſed in alijs morbis qui diſsimiles,diſperſique ſunt, eos aſſerens oriri ex diuerſa viuendi rationē, quæ cuique propria exiſtit? Atqui nos hunc in modum Hippocr.dicta conciliabimus, aſſerentes verum eſſe omnem morborum cauſam eſſe aërem: verùm quorundam propriè,vtpote eorum qui communes omnibus ſunt,quorundam verò impropriè, quemadmodum ipſemet Hippocra.ſeipſum declarat. nam cùm multorum ciborum ingeſtione neceſſe eſt,& multum ſpiritum ingredi: omnia etiam quæ eduntur, & bibuntur, ſpiritus in corpus inferunt aliquando plures, aliquando etiam pauciores (vt ipſe inquit) & propterea ipſtorum etiam morborum diſsimilium qui ex victu oriuntur,cibo inquam & potu quodammodo ſpiritus auctor exiſtit, qui ſimul corpus ingreditur cum eodem cibo & potu. Id verò ſigno quodam confirmauit cùm ait: {id autem inde manifeſtum eſt quòd plurimis eructuationes poſt cibos & potus euenire ſolent,diſcurrente nimirum aëre incluſo, vbi perruperit bullas quibus fuerit incluſus.} deinceps declarat modum quo affectus præter naturam ex eo ſimul cùm cibis & potionibus ingeſto generantur, vbi exire nequeant. erit itaque aër ſeu ſpiritus non propriè ſeu primaria ratione horum morborum cauſa,ſed ex accidenti quodammodo, & impropriè quatenus ſimul cum cibis & potibus qui morborum cauſa præcipuè ſunt, corpus ingreditur,aliorum vero qui multis ſeu omnibus communes ſunt,propriè & primaria ratione auctor,& cauſa exiſtit. vel dicas vnum eſſe morborum genus quod ex inſpirato aëre proficiſcitur,idque commune eodem Hippocrate teſte.2.de natura humana.Alterùm verò ſemper priuatim accidit ex mala victus ratione. quod quamuis dixerit ex ſpiritu ſeu aëre quoq; oriri,modo quo priùs explicauimus,non tamen aſſeruit ex inſpirato aëre,ſed potius, vt dictum eſt,cum cibis ſeu potionibus ingeſto. non igitur ſibi pugnat Hippocrates, nam verè & propriè hoc morborum ſeu febrium genus ob malam diætam priuatim contingere faſſus eſt, licet quodammodo aër cùm eiſdem ingeſtus poſsit aliquo pacto dici eſſe etiam eorum cauſa. at communium, ſeu vniuerſalium morborum ſolus præcipuus & propriè auctor & cauſa aër exiſtit, non cùm cibis & potibus ingeſtus,ſed per reſpirationem attractus,vt liquet citato lib. 2. de natura humana.Atqui adhuc cum Galeno obijcies huic Hippoc.ſententiæ. videtur ſiquidem non rectè,vt Galenus inquit,citato loco, communium morborũ ortum in ſolum aërem conferre Hippocr.nam cùm in fame quidam frumentum ſemiputre coacti eſſent manducare, in communem, communi de cauſa, morbum inciderunt,aliquando etiam cùm vſus infecta aqua eſſet totus exercitus,ſimiliter afflictos omnes milites fuiſſe: idque confirmabat Thucydidis auctoritate 2.hiſtoriarum volumine:quo loco ſcripſit quòd qui Aẽno graſſante fame leguminibus veſcerentur,cruribus debilitabantur,qui verò eruum eſſent,hos genuum dolor corripiebat.Huic obiectioni ipſemet Galenus ſatisfacere videtur in proœmio libri de morbis vulg.cùm dicebat: {Porrò qui à cibo proficiſcũtur & potu (loquens de vniuerſalibus,ac communibus morbis) tum infrequentes,tum cognitu ſunt faciles.} cùm itaque infrequentes ſint qui ab hiſce cauſis oriuntur vniuerſales morbi, ſintque cognitu faciles, propterea eos Hippocrat.prætermiſiſſe videtur, de ſola ea cauſa verba faciens, quæ nedum communis, ſed communiſsima eſt, communiſsimam cauſam appellans aërem, à quo ſæpius ac frequentiùs vniuerſales morbi proficiſcuntur. Sed dices,nonne idem Galenus in eodem proœmio libri de morbis vulgarib. inquit, quòd cùm tres ſint cauſæ à quibus morbi auſpicantur, vna quidẽ in iis quæ offeruntur,altera verò in operibus quæ obimus, & tertia in his quæ extrinſecus

Obiectio, quæ ſoluitur cõciliatione duorum locorum Hip. qui repugnare uidentur.

Alia obiectio, quã diluit declaratione ſententiæ Galc.

Tex. com. 3.

Alia item obiectio ex Gal. quam ſimiliter diluit.

occur

occurrunt nobis, per vnamquanque communes morbi fieri conſueuerunt. igitur eius verba quæ mox citauimus Hippocratē à calumnia non liberant: niſi eſſet quòd ſtatim poſt citata eius verba ſubdit: {ac præſertim quidem per affectum aëris ambientis: non enim frequenter accidit, vt per ingeſtos cibos morbus communis ciuitatem, vel nationem, vel exercitum peruadat, ſicut neque per communes tum occupationes, tum labores. At continens nos aër ſi immoderatiùs calefiat, frigeſcat, humeſcat, vel ſicceſcat, corporum ſymmetriam, quæ ſanitas eſt, confundit, interturbat, ac corrumpit: alijs verò cauſis neque omnes ſimul obuiamus, neque integrum diem ſubijcimur. ſed aër ſolus extrinſecus omnes ambit, & inſpiratur. Non enim fieri poteſt, quin corporum animalium temperaturæ cùm eius permutatione afficiantur, ac permutentur.} Hæc ille. quibus ex verbis id quoqi elicitur, quòd quamuis ex illis etiam duabus ab eodem Galeno explicatis cauſis, veluti cæteri priuatim, & diſperſi, ita quoque communes morbi fieri conſueuere, frequentius tamen, ac præſertim ab aëre nos ambiente communes morbi contingunt: ab alijs verò perquàm rariſsimè ob eas quas ipſe tradit cauſas. & ob id iterum ad eandem Hippocrat. ſententiam conuerſi, ſimul cum eo aſſerimus, communes morbos qui communiſsimam cauſam habent, & frequentiùs contingunt, à ſpiritu ſeu aëre cuius attractione viuimus, quóque maximè vtimur vniuerſi, originem ducere, reliquos verò à viuendi ratione, raró autem contingere, quòd per ingeſtos communes cibos & potus, communéſque occupationes, ſeu labores ijdem communes morbi fiant.

Quot modis Aër nos ambiens qui communium morborum auctor eſt, in calido, frigido, humido, & ſicco alteretur. *Caput II.*

CVM verò aër nos ambiens non vno duntaxat modo immutetur, qua etiam ratione diuerſorum communium morborum auctor & cauſa eſſe poteſt, propterea à quibus cauſis ipſum immutari contingat, diſſerere putaui: illis nanque habitis ac intellectis, facilè poterimus in quo communium morborum genere peſtis contineatur, inuenire. Alteratur autem aër bifariam Galeno auctore, lib. artis medic. 2 de natura humana, 1. de ſanit. tuen. cap. 5. ac 12 meth. med. cap. 11. vno modo ſecundum manifeſtas eius qualitates, quando videlicet eidem accidunt mutationes in frigido, calido, humido & ſicco, aut horum cõiugatione. ſecundo modo in tota eius ſubſtantia mutationes adueniunt, ſeu in totius proprietatis eſſentia, quæ ex vtraque ſimul iuncta, forma inquam, & materia conſiſtit, vt liquet lib. de conſtitutione artis medicæ. cap. 11. vtputa quãdo ex puro impurus, coinquinatus, ſeu infectus, ob quampiam cauſam redditur, vt paulò pòſt docebimus: priùs tamen cauſas ob quas eidem aëri mutationes accedunt, in calido, frigido, humido, vel ſicco recenſebimus, quas mutationes omnes, cœli ſtatum vocare conſueuit Galenus, hoc eſt ipſam ambientis nos aëris temperiem, vt liquet 9. de meth. meden. cap. 5. quæ temperies eidem prouenire poteſt, tum propter regionem ipſam, tum anni tempus, tum ob præſentem cœli ſtatum, hoc eſt particularem eius præſentem temperiem, quẽadmodum liquet ab eodem Galeno citato lib. 9. de meth. meden. necnon & 11. eiuſdem. cap. 1. Alteratur ſiquidem à diuerſa regione aër, prout in concauo, aut ſublimi ſita fuerit, ad orientem, vel occidentem, aquilonem, vel Auſtrum expoſita: pro eius item regionis natura diuerſa, vtputa ſi ſulphurea, aluminoſa, paludoſa, petroſa, vel argilloſa regio fuerit: iuxta mare, flumen, aut montes, aut alia ſimili ratione, diuerſa fuerit regionis, loci, ſiue ciuitatis natura: ex cuius aëris alteratione cõmunes quidam oriuntur morbi, quos Hippocrat. interim ἐπιχώρια νοσήματα, interim verò ἔνδημα ἢ ἐνδήμια, hoc eſt collectaneos, vernaculos, patrios, ſeu regionales, & publicos morbos appellare conſueuit, vt liquet ab eodem libro de aëre,

Cap. 85. ſuper text. 4.

In qualitatib. manifeſtis.

Propter regionem.

Cap. prædicto.

Morbi regionales, ſpecies vna cõmuniũ.

aëre, region. &c. & à Galeno primo de Morbis vulgaribus. & primo de ratione victus in morbis acutis. Qui morbi quouis tempore procedente, ſeu æſtate, ſeu hyeme, & quoquo anno, in eadem regione communes multis ſuperuenire conſueuerunt. etenim perpetuò tenent locum quempiam, incolasque ac ſi cognati eſſent nullo non tempore comitantur. & hoc vnum genus eſt communium morborum modo quo diximus ab Hippocrate & Galeno locis citatis nuncupatum, de quibus morbis, in eodem libro de aëre, aqua, & locis egit Hippocrates. Alteratur item, & ſecundo nos ambiens aër, ex diuerſis anni temporibus; diſtant autem mutuo anni tempora humiditate, calore, frigore, & ſiccitate, & propterea magnæ differentiæ temperamenti, quas rectè generales appellaueris, annum diuidunt in quatuor tempora, genere inter ſe, aut ſpecie differentia, vtcunque tibi appellare viſum ſit. Nominantur autem Hyems, Ver, Aeſtas, & Autumnus. Horum temporum hyems humiditate aliis frigoreque præſtat. Aeſtas item calore ac ſiccitate. Ver plane in medio eſt vtriuſque: nam in vtraque oppoſitione neutrum alteri illic præſtat, neque ſicco humidum, neque calido frigidum. Verùm quaſi ambarum eſt æquilibrium oppoſitionum; æquabilitasque horarum omnium totius propè diei & noctis, atque nulla in illis fit magna immutatio, aut exuperantia; cuiuſmodi conſpicias in Autumno: hic enim de matutino frigus viget, circa meridiem magnus æſtus, qui rurſus ad crepuſculum veſpertinum tranſit in algorem, dominatur tamen in eo ſiccum humido, & frigidum calido. Atque hoc eſt temporum anni temperamentum, quorum ferè mutatio fit paulatim, vt à nemine toto tempore ſentiatur, vt liquet primo de morbis vulgaribus. Quòd ſi libro primo de natura humana Hippocr. Ver dixerit calidum eſſe & humidum, quemadmodum etiam nonnulli alij philoſophi fatentur; poterit & illud quoque veritatem habere; etenim ſic dicunt in temporibus anni, Ver eſſe calidum & humidum, vt in genere corporeorum animalia, hæc cum plantis conferentes. Ver autem cum Autumno optimum inter tempora anni, & quaſi ſolum prorſus naturali præditum ſtatu, cum illo quod præter naturam affectum eſt, rectiùs tamen erit aſſerere ipſum temperamentum eſſe; vt eodem libro de natura humana à Galeno ſcriptum eſt, ob eam quam modo ex eius ſententia primo de morbis vulgaribus tradidimus cauſam, & vt fuſiùs nonnullis rationibus primo de temperamentis demonſtrauit. horum autem quatuor temporum ordo hic eſt, Ab ortu Pleiadum, ſeu dixeris Vergiliarum, vſque ad Arcturi ortum Aeſtas dicitur. ab Arcturi ortu vſque ad occaſum Pleiadum, Autumnus perdurat. deinde occaſus Pleiadum, principium facit hyemis, & quod hyemem ſequitur Aequinoctium, veris principium habet. totumq; tempus eius ad ortum vſque Vergiliarum, ſeu Pleiadum protenditur; atque hæc ſunt quatuor anni tempora, vt liquet primo de morbis vulgaribus, & commenr. aphoriſ. decimiquarti libri 3. qui verò in ſeptem partes annum diuidunt, quemadmodum inuenies libro de ſeptimanis, qui Hippocr. nomen præfert, ij hyemem in tres partes diſſecant, cuius ſub ſolſtitium tempus, medium conſtituunt, de extremis duobus primam ſementem, poſtremam φυτάλιαν, quod eſt inſerēdi tempus: nam hoc pacto illi iſta appellant. Aeſtatem autem in duas diſſecant partes, quarum vna eſt à Pleiadum ortu, & dicitur eius prima pars, poſt quam Canis ortus oporan, id eſt, fructuum generationem inchoat, quam & ipſam pro ſecunda parte æſtatis ponunt; & vſque ad Arcturi exortum protendunt. Veris autem tempus, quoniam ne duos quidem habet ſolidos menſes, factum eſt vt iure indiuiſum permanſerit, quemadmodum etiam & Autumnus, quod licèt ſit vere maius, quia in menſes duos extenditur, magnitudine tamen longè ab æſtatis & hyemis tempore vincitur: eſt enim inter Vergiliarum & Arcturi ortū tempus, men ſium quatuor plurium etiam quàm quatuor inter Pleiadū occaſum, & Aequinoctium vernum intereſt. atque eſt & hæc etiam anni vtilis partitio, vbi duas differētias generales hyemis ſcilicet, & æſtatis in maius & minus ſeces, in duas quidem æſtatem, in tres hyemem. Verùm nos primam anni temporū diuiſionem in

Cap. 1. & 2. in proœmio 1. ſuper tex. 9

Propter anni tempora.

Quæ ſint anni temporū temperaturæ.

Super text. 1. Comment. 1. ſuper text. 35. Ver quomodo calidū & humidū intelligatur.

Loco citato. cap. 4

Com. 1. ſuper tex. 1

Hyemis partes tres.

Aeſtatis duæ.

quatuor generales differẽtias admittimus potiùs, vt quæ magis noſtro propoſito arrideat: nam quãuis bifariam tempus quod intercedit inter Vergiliarum exortum,& Arcturum diuidas, nihilominus omni nimia caliditas & ſiccitas eſt communis,vt etiam hyemi immodicus algor & humiditas,licet eam in tres partes diducas. cùm itaque tali prædita ſint temperatura,quatuor anni tempora,vt dictum eſt,fieri etiam non poteſt quin animantium corporum temperaturæ ab eiſdem non afficiantur ac permutentur,& humorum exuperantiæ in iiſdem corporibus non diſsideant: & propterea dictum eſt ab Hippoc.lib.1. de natura hum. ſingulis anni temporibus, ſingulos vigere humores: ſiquidem hyeme pituita viget, ſanguis vere, Aeſtate bilis, Autumno bilis atra. vnde fit vt frigida & humida appelletur pituita iuxtà ac hyems,& calidus humidusque ſanguis vt ver,calida & ſicca vt æſtas bilis flaua,atra verò,vt autumnus,frigida & ſicca. Cum verò hæc eodem loco confirmaſſet Hippoc. voluit etiam cauſam adducere ſub hyemis exemplo, inquiens propterea hyeme maiorem eſſe pituitæ copiam,quòd frequentiores ſint pluuiæ,& noctes longiores,quod perinde eſt,ac ſi dicas (vt ait Gale. in commen.) quòd humidum ſit,frigidumque hoc anni tempus,humidum eſſe pluuiarum frequentia probatur,frigidum, noctium prolixitate. ſiquidem caloris quo præditus eſt aër nos ambiens æſtate,auctor ſol eſt: qui tum antecedit propè ſupra verticem noſtrum,& diem longiorem efficit. Item frigus hyeme inducit, quòd obliquus & humilis,paucoque tempore ſupra terram feratur. vult denique Hippocr. cùm circunfuſi aëris ſtatu,vnà animalium corpora affici,ſiccari in ſiccis eius temperamentis,humectari in humidis,incaleſcere in calidis, & in frigidis algeſcere: & proinde libro de aëre regio. & aquis. { Quicunque artem medicam integrè aſſequi velit, (ſcriptum reliquit) primùm quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat: non enim ſimile quicquam in illis exiſtit, verùm differunt inuicem propter varias quæ in eis fiunt mutationes. } Quare ſi humida hyems, & frigida eſt, meritò in ea frigida & humida præualet pituita. Quæ ratio, & aliis etiam anni temporibus conſtat; æſtate flaua bile dominante, quando ſicca & calida virtute eſt. Vere ſanguine, humido, & calido humore, etenim & ver eſſe ait calidum & humidum. Autumno atra bile, vt quæ iuxta, ac hoc anni tempus, frigida ſit & ſicca, ſi autem velis ver eſſe potiùs temperatum recenſere, Galeni opinionem ſectatus; eadem etiam ratione non calidum & humidum, ſed temperatum eſſe ſanguinem dices: eſt etenim humorum temperatiſsimorum quemadmodum temperatum anni ver. & propterea in bene temperata conſtitutione abundat, eodem Galeno teſte in proœmio libri primi de morbis vulgaribus. Quia igitur non propter dictorum temporum appellationes, in eiſdem temporibus, dicti generantur ac redundant ſucci, ſed ob eorum proprias temperaturas; aliàs vbi ab eorum temperatura aliquando degenerarent, alios generare ſuccos non valerent, vt liquet ab eodem Galeno citato loco. propterea pro ratione, ſeu temperatura, & non propter nomen prædictos ſuccos vnumquodque tempus auget. quo fit vt quando ambientis nos aëris temperatura ab eiſdem temporibus permutatur, permutentur etiam ſucci, & corporum temperamenta, neceſsitate cogente,& ob id vti ſingula anni tempora propriam temperaturam ſeruabunt, pro ſuarum naturarum ratione,etiam morbi ipſi creentur: non enim exiſtimare debes quòd propter anni temporum appellationes ſingulæ ægritudines accidant, tales ſcilicet, vel tales, vt inquit idem Gale. ſecundo de criſibus, ſed propter ambientis aëris temperaturam: nam qualem hic naturam habet, ita etiam nos afficit. fiunt itaque morbi pro ratione cuiuſque anni temporis, ſimilitudinem habentes cum natura ſucci exuperantis vbi ipſa tempora propriam ſeruabunt. Qua etiam ratione & communes ſeu vniuerſales eſſe dixeris, ac ſub eiſdem contineri, cum cauſam habeāt vniuerſalem atque cõmunem, aërem videlicet, vt liquet 3. prognoſt. de quibus loquutus fuit Hippoc. 3. lib. apho. 20. 21. 22. & 23. apho. quòd ſi dixeris hoc pugnare eidem Galen. qui 1. de morbis vulga, ait: { Itaque

tex.32. & ſequent. *text.36* *In princip.* *cap. 3* *Morbi pro ratione cuiuſq; temporis anni, altera ſpecies morborũ communium.* *tex.38.*

exper

Obiectio, quã diluit explicata Gal. ſententia.
Comment. 1. text. 1.

experimentis & ratione didicimus vbi in hunc modum anni tempora procedant, & in ſe mutuo conuertantur, non exiſtere neq; peſtem vllam neq; quemquã alium morbum vulgarem, ſed ſolos diſperſos quos vocant morbos, qui victus comites ſunt. Aſſerimus nos quòd vbi quatuor anni tempora ſuã ſeruant naturam, & paulatim in ſe mutuo conuertantur, neque morbus vllus vulgaris generabitur (quorum morborum cauſas, nos in ſequentibus explicabimus) ſed bene vniuerſales & communes (vt dictum eſt) quoniam à cauſa vniuerſali aëre inquam nos ambiente, à diuerſis anni temporibus immutato. & ſi dicas contrarium aſſerere Gal. citato loco 1. de morbis vulg. quoniam fatetur diſperſos ſolos generari, eóſque victus comites eſſe, admittimus nos cum eodem Galen. hos morbos qui in diuerſis anni temporibus ſuam ſeruantibus propriam naturam generantur, quodam modo dici etiam diſperſos, eo quòd in his generantur qui praua vtuntur victus ratione, vt ipſe inquit, & non in aliis: hi enim diſperſi appellantur morbi, Græci σποράδες dicti. at quoniam non iidem eos tenent omni tempore morbi, vt ipſe Hippoc. docuit in præcitato aphoriſ. ſed immutantur eorum ſpecies ſeu formæ pro diuerſo anni tempore, quẽadmodum pro diuerſa natura, & ætate pro quibus tum corporum alterantur temperamenta, tum humorum exuperantiæ diſsident, vt ipſe inquit Galenus citato libro 1. de morb. vulg. ob id communes morbi appellari poſſunt, propterea quòd communem habeant cauſam: obtinet enim parem vim laborantis corpus ad concitandam cauſam, ac aër quæ vbi ambo coëant, acquiſititiũ efficiunt temperamentum, cuius comes eſt publicè prodeuntiũ, ſeu vagantium morborum ortus, vt idem Galenus inquit. ſunt itaque hi morbi de genere communium, quatenus ab aëre ortum habent, alterato pro diuerſo temperamento anni tempore. at quia ſufficiens non eſt talis alteratio morbos procreare, licet cauſa ſit, cur ſinguli in ſingulis temporibus anni, humores vigeant; pro quorum etiam ratione morborum ſpecies commutantur, ſed opus eſt etiam, vt hi quos morbi tentant, praua vtantur victus ratione, propterea diſperſi quoque morbi ab eodem Galeno, quandoque ſub hac ratione appellantur: nam ex offenſione quidem in ratione victus proficiſcuntur. cæterùm immutantur eorum formæ pro anni tempore, vt diximus.

Morbi epidemij tertia ſpecies morborũ communium.
Loco citato.

De genere etiam morborum qui multos in communi inuadere ſolent, & communes ſeu vniuerſales appellãtur, ſunt ij qui à Græcis ἐπιδήμιοι, tum ἐπίδημοι vocantur, Latini populares, ſeu vulgares nuncupant. dicuntur autem vulgares morbi hi qui per aliquod tempus aliquam regionem inuadunt, vt liquet à Galeno 1. de morbis vulgaribus, & 1. de ratione victus: dicebat idem Galenus quòd vulgaris morbus eſt, qui tempore anni aliquo, in regione aliqua abundat, inſoleſcitque: neque enim certi eſt morbi nomen vulgare, ſed quicunque vno in loco multos ſimul inuaſerit, vulgaris hic vocatur, eodem Gal. auctore 3. de morbis vulga. quorum etiam morborum auctor, & cauſa aëer exiſtit, at non ex regione, aut anni tempore aliquo alteratus, ſed ex peculiari cœli ſtatu, ipsiſque anni temporibus præter naturam immutatis. quare ex particulari aëris intemperie proficiſcuntur, quæ eidem prouenire poteſt, ex nonnullis, ac diuerſis ſtatibus, conditionibus, tẽpeſtatibus, ſeu conſtitutionibus dixeris, eundem ambientem nos aërem in calido, frigido, humido, ac ſicco, aut horum coniugatione immutantibus, de quibus ſummatim, & velut per capita docuit Hippocrat. libro tertio aphoriſ. particulatim autem, libro de morbis vulgaribus.

Com. 3. ſuper text. 20.

Non quælibet particularis conſtitutio cauſa eſt morbi epidemij.

Cæterùm ſcire licet hos morbos quos vulgares, ſeu publicè graſſantes nuncupanimus, non quemlibet aëris particularem ſtatum, ſeu particularem conſtitutionem comitari: nam cùm quædam exiguæ eſſe póſsint, quædam vehementes, & quædam mediæ aëris ambientis intemperaturæ, ſeu particulares conſtitutiones, vt liquet comment. aphoriſ. 14. libri tertij, non quælibet earum poteſt eſſe vulgarium morborum cauſa, quia non quæ modico tempore durat, ac imbecilla eſt, ſed quæ vehemens exiſtit, ac etiam multo tempore durat, quod ſignificare voluit Hippocrates per verbum

dominari,inualeſcere,ſeu vigere,vt teſtatur idem Galenus citato libro primo
Loco citato. de morbis vulgaribus,atque hæc de communibus morborum generibus, quorum auctor eſt aër à diuerſis cauſis immutatus, dicta ſatis ſint; cum non ob aliam cauſam,quàm ob tres quas narrauimus in calido,frigido,humido,aut ſicco,ei mutationes adueniant.

Quòd peſtis è genere ſit vulgarium,& non aliorum communium morborum:& quo modo ab eis etiam diſsideat. Caput III.

SED iam tempus eſt vt ad peſtem noſtra cõuertatur oratio,cuius gratia cuncta quæ de aëre ac morbis ab eo genitis diſſeruimus, à nobis explicata ſunt, quòd quidem è genere communium etiam morborum qui ex aëre proficiſcuntur ea ſit, præter id quod auctoritate Hippocratis paulò ante demonſtrauimus, cùm dicebat libro de flatibus; quòd alterum febrium genus commune omnibus Peſtis appellatur. poterit etiam confirmari eiuſdem Hippoc.auctoritate 1.
Text.9. de ratione victus in morbis acutis,cùm aſſerebat: {cùm enim nullum commune genus peſtilentis morbi vulgetur,&c.} necnon & Gal.auctoritate in proœmio lib.de morbis vulg.cùm dicebat: {quòd morbi qui perpetuò tenent locum quempiam, ἐνδήμοι vocati, ex illorum ſunt genere qui multis communes ſunt, vt peſtis quoque.} & deinde ſubdit: {nam & hæc in communibus morbis eſt.}
Peſtis non eſt ex genere cõmunium morborũ qui fiunt ex aëre anni temporibus immutato. At cùm tria à nobis communia morborum genera fuerint enarrata, in quonā eorum peſtis reponenda ſit,nondum liquet. quòd verò fieri non poſsit peſtis, aëre ex anni temporibus immutato ſuam ſeruantibus naturam, paulatímque eorum facta mutatione,ſeu conuerſione in ſe mutuo, idem Gale. confirmauit citato 1. libro de morbis vulg.cùm dixit: {itaque experimentis,& ratione didicimus,vbi in hunc modum anni tempora procedant, & in ſe mutuo conuertantur, non exiſtere neque peſtem vllam, neque quenquam alium morbum
Loco citato. Neque ex genere communium qui regionales dicuntur. vulgarem. Adhæc quòd neque generari peſtis valeat ab ea aëris alteratione quæ fit ab ipſis regionibus diuerſis,eiuſdem Hip.auctoritate lib.de aëre,regio. & aquis confirmari poteſt,cùm dicebat,eos morbos, quoquo tempore procedente & anno,ciuitatem tenere,ſeu æſtate,ſeu hyeme. Præterea Galen. in præcitato proœmio lib.de morbis vulg.cap.1.fatetur eiuſdem Hippo.auctoritate, quòd qui morbi perpetuò tenent locum quempiam,endimi vocantur:cùm vero peſtis perpetuò locum, regionem,ſeu ciuitatem aliquam non occupet; nec etiam quam occupat regionem,eam omni tẽpore teneat,ſed quibuſdam annis, ſeu anni temporibus,ac certis aëris conſtitutionibus, vt infra patebit, ſequitur propterea quòd nequaquam peſtis ſit ex eorum communium morborum genere qui à Græcis ἐνδήμοι, à Latinis publici,vernaculi,ſeu regionales appellantur.quo circa neceſſariò aſſerendum erit peſtem è numero, ſeu genere eorum communium morborum eſſe, qui ex aëre ob cœli ſtatum immutato proficiſcuntur, quemadmodum Galenus teſtatur citato libro 1.de morbis vulga.quo loco de morbis vulgaribus verba faciens ſic inquit: {horum pernicioſiſsimi quique peſtilentes vocantur,qui perinde ac totum vulgarium morborum genus,ex cœli ſtatu proficiſcuntur.} & libro 1.de ratione victus in morbis acutis, ſic ſcriptum reliquit: {Nullum autem peculiarem de peſte confecit librum, quoniam ex epidemiis vnum eſſe illam,per lib.de morbis vulgaribus demonſtrauit.} Nemo itaque hæſitare debet, & communem eſſe morbum peſtem ipſam ex eorum genere, qui ab aëre immutato, proficiſcuntur, ac ſub his contineri qui vulgares; ſeu populares appellantur: eo quod & genere vulgaris eſt morbus,peſtis,vt inquit idem Galenus citato libro 1.de morbis vulgari. Diſsident tamen ab iis pernicie:nam (vt teſtis eſt Galenus citato loco) peſtes appellant omnes homines,ſciúntq; exitiales morbos eſſe, & poſt pauca de vulgaribus (vt paulò ante diximus) verba faciens,dicebat: {horum pernicioſiſsimi

quique peſtilentes vocantur, qui perinde ac totum vulgarium morborum genus, ex cœli ſtatu proficiſcuntur.} & eodẽ 1. de ratione victus inquit: {peſtis verò eſt epidemia pernicioſa.} Tertio quoque de morbis vulgaribus, clariùs illud confirmauit cùm aſſeruit: {neque enim certi eſt morbi nomen vulgare, vel peſtilens. cæterùm quicunque vno in loco multos ſimul inuaſerit, vulgaris hic vocatur, qui ſimul ſi hoc habeat, vt multos perimat, peſtis eſt.} Pro cuius rei exactiori notitia animaduertendum, quòd peſtis à Græcis λοιμος appellata, nil aliud ſignificare videtur quàm morbus peſtilens, qui ab eiſdem Græcis νοσημα λοιμωδες, ſeu λοιμικον nuncupatur, vt liquet ex iis quæ diximus. Quapropter cùm peſtis vnus ſit morbus ex genere epidemiorum, ab epidemiis ſola pernicie differens (vt dictum eſt) propterea rectè inquit Galenus eodem 1. de ratione victus quòd peſtis epidemia pernicioſa eſt. ſiquis autem quæ de peſte aſſerit Galenus in proœmio libri de morbis vulgar. ritè perpenderit, reperiet vtique peſtem morbum eſſe communem, nam & hæc in communibus morbis eſt, vt ipſe inquit, ac ex genere vulgarium cùm dicebat ex vulgarium morborum eſſe genere eos qui peſsimi, ſeu malignißimi, & peſtilentes appellantur. & paulò infra, horum pernicioſißimi ait, quique peſtilentes vocantur. Ex quibus omnibus liquet quòd nihil aliud ſit peſtis quàm morbus communis, vulgaris, peſsimus, atque pernicioſißimus, quæ perinde ac totum vulgarium morborum genus ex cœli ſtatu proficiſcitur. additum eſt autem clarioris doctrinæ gratia, quòd ex cœli ſtatu proficiſcatur, cùm id ſub vulgaris morbi nomine cõtineatur. quòd verò peſtis peſsimus ac exitialißimus morbus ſit, ex eodem Galeno etiam patet libro de Theriaca ad. Piſonem, cùm ait: {Nanque peſtis, tanquam & ipſa exiſtat quædam bellua, haud paucos interimit, & ciuitates quoque totas depaſcens, malè conficit.} Cæterùm non ab re, pernicie peſtis diſsidere videtur à cæteris morbis vulgaribus, cùm non à quouis cœli ſtatu, quauis anni præter naturam conſtitutione, ſeu quauis tempeſtate eadẽ oriatur, etiam ſi valde vehemens, ac inæqualis, & diuturna fuerit: nam cùm tot in libro aphoriſmorum, & libris de morbis vulg. varias tempeſtates conſcripſiſſet Hippocr. ex quibus vulgares morbi orti fuere, cunctæ ſanè fuiſſent peſtilẽtes. nunc verò cùm non omnes ab eo peſtilentes fuerint appellatæ, neque multi in ſingulis tempeſtatibus perierint, neceſſariò aſſerendum erit, quòd non in omnibus peſtilentes morbi, licet vulgares fuerint orti. Hinc patet eorum error qui volunt ex quauis aëris diuturna intemperie peſtem oriri. quocirca cum eodem Hipp. & Gal. fatemur, quòd cùm tot fuerint ab eodem Hipp. ſtatus, quorum comes eſt vulgarium morborum ortus, conſcripti, duo duntaxat ex eis fuere peſtilentes, vnus qui in 3. lib. de morb. vul. tractatur, alter qui in ſecũdo, primum in vnũ caput reduxit, his verbis: {Annus auſtrinus pluuius, à ventis in totum ſilens.} iam alium ſtatum initio ſecundi ſcripſit, hunc in modum: {erant carbunculi in Cranone æſtiui, pluebat per æſtum larga pluuia; acciderunt autem magis Auſtro ſpirante.} qui duo ſtatus, Gal. teſte citato lib. 1. & 3. de morb. vul. in alio nõ diſsident, niſi quòd hic in vno anni tempore accidit, æſtate videlicet: at ille de quo in 3. lib. agitur per totum annũ, & propterea diuturnior. addidit etiam in hoc ſtatu, à ventis in totum ſilens, id quod illic non aſcripſit, niſi fortaſſe arbitreris, vt inquit Gal. quòd illo libro addidit: {acciderunt magis auſtro,} hinc tale quid ſignificari. nam hic etiam auſtrinum ſimul, & tranquillum totum dicit annum fuiſſe, nobis ita accipientibus, tanquam poſsit tranquillus ſimul, & auſtralis aut Aquilonius eſſe, & dici totus annus. verùm quicquid ſit, cùm valde calidi, humidique fuiſſent ambo hi ſtatus, & ob id etiam peſtilẽtes. aſſerendum propterea abſque controuerſia erit, nullam aliam tempeſtatem, ſeu præter naturam conſtitutionem peſtem comitari, quàm calidam & humidam, quamuis diuturna ac inæqualis, ſeu vehemens fuerit, cùm hæ ſolæ quæ talem habuerunt aëris temperaturam, inter tot quas Hippocrates conſcripſit, & 3. lib. aphoriſ. & libro de morbis vulgaribus, fuerint peſtilentes.

Com 3. ſuper text. cit.

Locis citatis.

Cap. 16.

Peſtis non à quouis cœli ſtatu, quamuis vehemẽti, & diuturno oritur, ſed alij epidemij oriuntur ſine peſte.

Comment. 3. à principio, 2. ſect.

Quòd vt peſtilentes morbi generentur opus eſt,nedum in manifeſtis qualitatibus, verùm etiam ſecundum totam ſubſtantiam aerem immutari.

Caput IIII.

SED mox quæres,num pro peſtis generatione, ſatis ſit aërem in manifeſtis qualitatibus à calida & humida conſtitutione immutari,vel opus ſit vt in ſubſtantia etiam, ſeu propria eſſentia tranſmutetur. Huic reſponſum ſit nullum peſtilentem morbum oriri poſſe ex aëris alteratione in manifeſtis dũtaxat qualitatibus,etiam ſi immodicè calidus & humidus fiat, niſi & ipſe etiam in tota ſubſtantia mutationem accipiat.quod quidem probatur primò auctoritate Hipp. lib.de flatibus,quo loco de communi febrium genere,quod peſtem appellari dicebat, verba faciens, reddens cauſam cur omnibus accidat, quòd eundem ſpiritum omnes attrahunt, inquit: deinceps cur alicui animantium generi, & non omnibus incidat quærens,ait,quia corpus differt à corpore,natura à natura,& nutrimentum à nutrimento; & poſt pauca dicebat: { Quando igitur aër eiuſmodi inquinamentis plenus eſt, quibus humana natura offenditur, homines ægrotant.} his in verbis clarè docuit quòd vt homines peſte laborent,opus eſt aërem adeo eſſe inquinamentis plenum, vt natura humana offendatur. Non igitur qualitate ſola, ſed tota ſubſtantia aër, cùm inquinamentis plenus eſt,oblædit,& propterea peſtis oritur. Idem confirmatur eiuſdem Hip.& Gal. auctoritate 2.de natu.humana, cùm poſitis duobus modis generationis morborum,volens docere Hipp.eorundem etiam curationem, eam inſtituit morborum ab aëre genitorum curationem, qui non ex aëre in nuda qualitate alterato ortum ducebant,ſed potius ex eodem,totius proprietate eſſentiæ, immutato, vt Gal.etiam in commen.fatetur:referens ſiquidem eorũ curationem in duo propoſita, loci viciſsitudinem videlicet & pauculæ attrahendæ vſum animæ.ex quibus autem aër in propria ſubſtantia immuteтur,idem Galen.meminit citato loco,& nos in ſequentibus explicabimus. Nunc ſatis ſit quòd ex modo curationis quem docent Hippocr. & Gale.in commen.confirmat, tales morbi,qui ex aëris attractione in propria ſubſtantia,ſed totius proprietate eſſentiæ immutati,fiũt,peſtilentes ſint,& non ij qui fiunt ex eius qualitate duntaxat immutata,quoniam hi aliam exigunt curationem,vt Galenus inquit in comment.cùm peſtilentes, & exitiales non ſint, & propterea Hippocrat. pro eorum curatione,hæc ſcripta reliquit: {At ſpiritus vt fluxus quàm parciſsimus corpus ſubeat,vtque ſit quàm familiariſsimus prouidebis,atque ſolum quoad eius facere poteris,in quo morbus vigeat, vertas, corporáque extenuabis; ita enim minimè multum ſpiritum,& frequentem, homines requirent.} Adhæc, & fortiùs ſi in peſte (vt inquit Galenus libro de theriaca ad Piſonem) praua quædam aëris ad corruptionem prompta mutatio efficitur,& mutatio ad corruptionem(quæ putrefactio dicitur à Galeno 11.de meth.meden.)cap.8.eſt totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam mutatio,à calido externo, ſequitur neceſſariò quòd aëris ad corruptionem mutatio fiat in eius ſubſtantia, & non qualitate ſola, quando peſtis oritur. præterea eodem loco ait Galenus,quòd cùm homines hoc tempore reſpirationis neceſsitate, periculum euitare nequeant,ipſum aërem veluti venenum quoddam, ad ſe per os attrahunt. quòd ſi venena tota ſubſtantia nobis aduerſantur, & aër ipſe, veluti venenum redditus inſpiratur, erit vtique & ipſe non in qualitate ſola, ſed in propria ſubſtantia,ſeu eſſentia immutatus. rurſus ſi Hippocrat. luem illam ex Aethiopia Græcos inuadentem,non aliter curauerit, quàm aëris immutatione,alterationéque,ne talis amplius inſpiraretur,ignem per totam vrbẽ incendi iubens neque ſimplicem lignorum materiam alimentũ ipſius eſſe conſuluit, verùm ſerta, floreſque ſuauiſsimos, vnguentáque pinguiſsima & odorifera ipſis ſuperinfundi,vt aërem purum hoc modo redditũ, homines in mali ſubſidium reſpirarent,vt inquit Gal.citato loco, cui venerit in dubium,quòd cùm hoc mo

Text. com. 4.

Cap. citato.

Cap. citato.

hoc modo peſtem curaſſet, non ex ſimplici aeris alteratione in manifeſtis qualitatibus ea fuerit orta, ſed ex eodem coinquinato ac impuro, & propterea hominibus aduerſiſsimo, poſtquàm ſerta, floréſque ſuauiſsimos ignis alimentum eſſe conſuluit Hippoc. & non ſimplicem lignorum materiam, necnon & vnguenta pinguiſsima & odorifera, ipſis ſuperinfundi, vt hoc modo aërem impurum coinquinatúmque, purum redderet. Ex quibus etiam patefit eorum error, qui putant propterea fieri poſſe peſtem ex frigida & humida aëris intemperie, quòd Hippo. hanc igne curauerit: etenim non ſimplicem voluit Hippo. lignorum materiam fuiſſe ignis alimentum, ſed ſerta, floréſque ſuauiſsimos, nec non & vnguenta iuſsit pinguiſsima, & odorifera ipſis ſuperinfundi, & in hoc decepti ſunt quidam magnæ auctoritatis viri, niſi ab eorum codice auferatur hæc vox {frigidum} vt itaque peſtis generetur, neceſſariò (vt demonſtrauimus Hipp. & Gal. auctoritatibus) aër nedum in manifeſtis qualitatibus, & per calidum & humidum, verùm etiam ſecundum totam eius ſubſtantiam, ſeu eſſentiam immutari debet, intelligentes per totam ſubſtantiam eam, quæ ex vtraque ſimul iuncta conſiſtit, forma inquam & materia ipſam excipiente, vt paulo ante animaduertimus, ſupra cap. 2. & propterea non ab re peſtilentes morbos valde malignos ac exitioſiſsimos eſſe: atque hac ratione à cæteris vulgaribus morbis diſsidere à Gal. decretum eſt. Præter id quòd nec etiam à quouis cœli ſtatu proficiſcantur, ſed à calido duntaxat, ac humido, vt præcedenti capite definiuimus. Sed dices hoc pugnare Hippoc. & Gale. ſententiæ, qui conſtitutionem peſtilentem tam 2. quàm 3. de morbis vulg. conſcriptam fuiſſe aſſeruerunt calidam & humidam, nihil aſſerentes de eiuſdem aëris immutatione in propria ſubſtantia. Quamobrem & peſtilentes morbi oriri poterunt abſque eo quòd aër mutationem ſuſcipiat, in eius propria eſſentia ſeu ſubſtantia. huic obiectioni hunc in modum ſatisfacies, quòd in citatis ſtatibus, ſeu conſtitutionibus peſtilentibus 2. & 3. de morbis vulg. ab Hippocr. conſcriptis, aër etiam nedum in manifeſtis qualitatibus, ſed etiam ſecundum totam ſubſtantiam fuit immutatus: fuit etenim nedum calida & humida conſtitutio, ſed nebula turbida, vmbroſa, ſeu caliginoſa, & aër multis nubibus plenus, non lucidus, nec purus, neque omnino ſerenus, vt inquit Gale. propterea igitur quòd auſtrinus ſimul, pluuius, nebuloſus, turbidus, & nonnunquam nubium plenus fuit aër toto anno, in ea peſtilenti conſtitutione, quæ 3. de morbis vulg. ſcripta eſt, quemadmodum tota æſtate, in ea quæ 2. de morbis vulg. conſcribitur, ob id à naturali temperie immutatus ob caliditatem & humiditatem, tota eius ſubſtantia ſeu eſſentia impurior, vaporibúſque plena craſsis, ac caliginoſis, reddita eſt. Quod quidem luce clariùs manifeſtauit Galenus 3. de morbis vulg. Inquiens, {tamen affectus vtriuſque communis tempeſtatis, putredo eſt, vtique cauſam obtinens humiditatem citra ventos.} & ſubdit: {& videtur putredo ex materia quidem gigni humida: ex cauſa verò efficiente extraneo, & præter naturam calore, augeri porrò quiete, quæ omnia in his conſtitutionibus, aëri adfuiſſe cernuntur. Necnon & lib. 1. de diff. feb. c. 4. Illud cõfirmauit cùm dixit: {erat autem eorũ ſumma (vt oſtendit Hipp.) ipſa putrefactio.} loquẽs de his duobus ſtatibus: quæ quidem (vt prius dictum eſt) mutatio eſt totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ, & non qualitatis. Quòd verò talis tempeſtas humida calidáque, & pluuia propterea peſtilens ſit, quòd aër, nedum in qualitate, ſed etiam in tota ſubſtantia immutetur, Ariſtoteles teſtatur proble. 21. ſect. primæ his verbis: {cur annus peſtilens tunc inuadit, cùm ſol multum vaporis de terra excitat? An tunc annus humidus, pluuiúſq; ſignificetur neceſſe eſt, terrámque madeſcere neceſſarium: fit igitur vt quaſi locis paluſtribus, grauibúſq; proinde inhabitetur, & corpora quoque multis tunc excrementis redundare neceſſarium eſt, ita, vt ægrotandi materiam habeant in æſtate.} cùm itaque aër (vt inquit Ariſt.) ſimiliter alteratur in hac conſtitutione, perinde ac in locis paluſtribus, & grauibus ex eorum halitu, ſeu euaporatione, & hac ratione in to-

Error quorũdam de peſte reſellitur.

Obiectio quæ ſoluitur explicato ſenſu Gale. & Hippo. Loco citato.

Com. 3 ſuper text. 1.

tius proprietate eſſentiæ, & non in nudis qualitatibus aëri accidunt mutationes, Gale. teſte 2. de nat. hum. Et 12. de metho. meden. ſequitur neceſſariò quòd in iam dictis conſtitutionibus aër fuerit etiam alteratus in propria ſubſtantia, & nõ in qualitatibus ſolis. nec minus idem Ariſt. illud confirmare videtur, quòd videlicet peſtilentes morbi ex aëre oriantur in propria ſubſtantia immutato, & non in qualitate ſola, probl. 4. ſect. 7. cùm dixit: {celerrimè autem omnes morbis arripiuntur iis, qui ſpiritui corrupto proueniunt, quale eſt omne peſtilens genus. prouenit ergo omnis morbus peſtilens ex corrupto ſpiritu, ſeu aëre, & propterea ſecundum totam ſubſtantiam, & non in ſola qualitate immutato, & vt ex iam dictis liquet.

Loco citato. cap. 2. ſupra.

Quomodo ac quibus ex cauſis Aër putreſcat: & quòd ex eo, & non abditis cauſis peſtilentes morbi fiant. Caput V.

PORRO ex his quæ diximus, duo inſurgunt neceſſariò de ipſo aëre diſſerenda. primum, num poſsit in propria ſubſtantia ſeu eſſentia alterari, & putreſcere, adeo vt propterea peſtilens reddatur, cùm inter corpora ſimplicia connumeretur? ſecundum, eſto quòd talis fieri poſsit, inueſtigandum eſt quomodo, & ex quibus cauſis illud efficiatur. Quantum ad primum attinet aſſerimus aërem, donec propriam ſeruat naturam, vel ſubſtantiam, ita vt prorſus purus, ac ſincerus ſit, putreſcere nullo modo ſeu corrumpi, & peſtilentem reddi poſſe. At vbi contingat, vt amplius, eo modo quo fieri poſsit, ſyncerus, ac purus non fuerit: ſed aliqua ei permiſceatur ſubſtantia praua, vt expiratio, halitus, ſeu vapor putridus, fatemur aërem nedum poſſe putreſcere, verùm etiam & corrumpi, ac ſecundum totum ſubſtantiam immutari, adeò vt peſtilens, ſeu venenoſus reddatur: coinquinatur nanque atque inficitur, nobíſque aduerſiſsimus redditur, ex putrida euaporatione, putridóque halitu, & peſtilenti quadam aura, vt paulo poſt declarabimus. Quod vero nedum aër, ſed cætera quoque elementa (excepto igne) putreſcant, decretum reliquit Ariſtoteles 4. Meteororum, tum propter alias cauſas, vt inquit Alexander in commen. tum vel maximè, quòd cùm putrefactio corruptio ſit calidi in humido, in omnibus aliis elementis præterquàm in igne, humiditas reperitur: etiam in ipſa terra, quæ licet humiditatem ſecundum propriam naturam nõ habeat, eſt tamen in ipſa quædam humiditas, per quam vnitur, ac ſimul manet: poteſt itaque aër, ſecundum totam ſubſtantiam, ſeu in totius proprietate eſſentiæ, quæ vtraq; ſimul iuncta forma inquam, ſeu qualitate, & materia eiuſdem cõſiſtit, vt priùs diximus, immutari, putreſcere, ac corrumpi, vbi prorſus purus non ſit, ſed altera ei permiſta fuerit praua ſubſtantia, quamuis vnum ſit elementorum. At ſi idem Ariſtoteles probl. 20. ſect. 25. dixerit aërem, & ignem non putreſcere, ſed aquam, & terram, cauſam reddidit hanc eſſe non ob aëris naturam, ſed quia igne refertus eſt, qui imputreſcibilis omnino exiſtit, cùm eo nihil ſit calidius. quemadmodum ergo qui igne refertus eſt aër non putreſcit, ita ob alteram ei permiſtam ſubſtantiam prauam, ſuámque humiditatem, non raro putreſcere contingit, quo fit vt ſibi ipſi non pugnet Ariſtoteles. Quod verò ad ſecũdum, aſſerimus, nos nolle inueſtigare cauſas peſtilẽtis aëris, vt Theologi, aut Chriſtiani. nam hanc haudquaquam Deo referendam eſſe ignoramus, quemadmodum & cæterarum rerum. Quinimò Gale. qui neutiquam Chriſtianus fuit, in procemio lib. primi de morbis vulg. hæc de peſte protulit verba: {At peſtes appellant omnes homines, ſciúntque exitiales morbos eſſe: & verò etiam ad Deos ſæpe referunt, de curatione earum conſulentes.} Neque etiam vt Aſtronomi tales cauſas veſtigare intendimus, haudquaquam etiam ignorantes illos ortui & occaſui aſtrorum, ſeu ſyderum, diuerſiſq; aliis aſpectibus, effectùs hos inferiores tribuere: indagabimus tamen eas, vt medici philoſophi, non recur-

Primæ quæſtionis diſquiſitio.

Tex. 5.

Ariſto. ſibi cõſtat etiã ſi dixerit aerẽ nõ putreſcere.

Secũda quæſtio. diſquiſitio, à quibus cauſis aër putreſcat.

ren

rentes ad abditas,& cæcas ,vt quidam qui artem medicam , ac philóſophiam profitentur,aſſerentes peſtis cauſam,ac peſtilentis febris eſſe pernicioſam , venenatámque qualitatem è ſublimi , cœlitúſque in aërem demiſſam. Etenim fruſtra, cum manifeſtas habuerimus cauſas,ob quas aër venenatus ac peſtilens redditur,propter eius putredinem,ad abditas confugimus , præſertim cum in Hippo.& Gal.doctrina paſsim eædem conſcriptæ reperiantur. quibus inuentis ac enarratis facilè patere poterit quàm toto etiam (vt inquiunt)cœlo errarint, qui ex diuturna duntaxat aëris intemperie , peſtem oriri credunt : necnon & hi qui ex prauo victu, ſeu ex humoribus , ad putreſcendum paratis citra aëris immutationem peſtem generari poſſe arbitrantur:cum nunquam excitari poſſit peſtis,ſeu morbus peſtilens,niſi,vt diximus,aëri nedum in caliditate , & humiditate immodicè,verùm etiam ſecundum propriam ſubſtantiam mutationes accidant,ita vt putridus,impurus,coinquinatus, & vt ita dixerim,venenoſus redditus ſit,ac naturæ humanæ aduerſiſsimus , & pernicioſiſsimus ob aliquam putreſcibilem euaporationem ſibi permiſtam, vel cadauerum multitudine non crematorem,quemadmodum in prælijs contingere ſolet , aut ex aliquorum lacuum,vel ſtagnorum ſeu paludum,vel locorum cœnoſorum halitu, etiam fluminum quorundam,potiſsimùm æſtatis tempore,vel ob auram peſtilentem,quæ ex profundo ſpecu ſpiret,vel ex cloacis quæ vrbem , aut numeroſum exercitum purgent,aut ex aliorum animalium mortuorum,olerũ,aut leguminum putredine,aut etiam fimo coinquinatus fuerit. poterit etiã ipſe aër per contagium primò infici , coinquinari , ac peſtilens reddi , quemadmodum Thucydides inquit de ea peſtilentia quæ Athenienſes inuaſit , propterea quòd ex Aethiopia per continuum quædam putredinis fluxere contagia. verùm & experientia compertum eſt non modò ventorum vi,aut alteratione , peſtilentiæ ſemina à remotiſsimis regionibus prouenire poſſe ad reliquas , verũ etiam ex peregrinis aduentantibus,cum veſtimentis,aut alijs quibuſdam rebus peſtilentem aërem incluſum afferentibus,quemadmodum etiã periculoſa eſt conuerſatio cum peſtilenti morbo laborantibus,ne inde contagium contrahatur, vt inquit Gal.1.de diffe.feb.cap.2. Et Ariſtoteles probl. 4. ſect. 7. ſic quoque & cum aëris temperatura à naturali habitu ad caliditatem atq; humiditatem immodicè fuerit conuerſa,vt in his ſtatibus quos Hippo.ſcripſit 2.& 3. de morb. vulg.peſtilentes quidem oriri morbos eſt neceſſarium,vt citato lib. 1. de differ. feb.ſcriptum reliquit Gal.& nos paulo ante annotauimus. Nam in his quoque aëris conſtitutionibus putridi vapores qui è terra eleuãtur, ad eum perueniũt, ipſúmq; aërem ſecundum totam ſubſtantiam inficiunt , & coinquinant , ac ſi in locis paluſtribus,grauibúſque inhabitaretur , vt inquit Ariſtoteles citato proble.21.ſect.primæ.ex his itaque omnibus aër putrefieri , coinquinari , ac peſtilens reddi poteſt,Gale.auctore 1.de diffe.feb.2.de nat.hum.1.de ſan.tuen.lib.de morbis vulg.& alijs pleriſque locis. Qui verò peſtilentiæ ſemina occulta , cæca & à ſenſibus aliena eſſe contendunt , aduerſus hanc Galeni ſententiam inuehunt , primò quòd cùm nulla putrida, nulláque intemperantior aëris conſtitutio ex iam dictis cauſis orta , poſsit in valde multas mundi regiones euagari , illíſque vigere:peſtilentia verò tam immaniter interdum ſæuit , vt vniuerſum planè orbem occupet , propterea eadem ex iam dictis cauſis oriri non poterit,verùm ſi quis memoria teneat ea quæ paulo ante diximus , facilè hanc eorum rationem ſoluet.Nam quamuis in vna mundi regione poſsit peſtilentia oriri , poteſt tamen per continuum nonnullis communicari , veluti ex Aethiopia Thucydides ait , propterea quòd per continuum quædam putredinis fluxere contagia , Athenienſes etiam inuaſit . poteſt itaque per contagium in diuerſas regiones peſtilentia diſſeminari,tum medijs ventis quibuſdam , tum etiam peregrinis per diuerſas regiones vagantibus , aut quapiam alia ſimili ratione . Peſtilens item aëris conſtitutio , calida inquam , & humida immodicè poterit nedum in vna , ſed pluribus regionibus vno in tempore dominari,

Loco citato.

Diluuntur rationes eorum qui peſtis cauſas eſſe cæcas exiſtimantes Galenũ reprehendunt.

minari, aut in vna, vel duabus priùs vigere, & deinde in valde multas euagari, & ita peſtilentiam nonnullas mundi regiones occupare. Rurſus in-
3. Obiectio. quiunt, ſi vna putredo tantæ perniciei cauſa foret, omnes animantes peræquè attingeret: nam ſalubris aër ſpiritu ductus, omnes animantes tuetur, ac ſubitinet, toti illarum generi ſalutaris. qui ergo ex aduerſo à putrida illuuie peſtilens euaſerit, toti animantium generi æquè pernicioſus euader, & inſpiratus omnes peræquè lædet, neque homines magis quàm boues, aut hos
Dilutio. potius quàm oues, & ſues. Sed non poſſum tantum virum non admirari, vt qui huius ſolutionem apud Hippocratem libro de flatibus, non perlegerit, poſtquam eiuſdem obiectione vtitur. Ait nanque Hippocrates citato loco: ſed eſt fortaſſe qui dicat, vt quid ergo non omnibus animantibus, ſed alicui eorum generi incidunt hi morbi? cui ego ſic reſponderem, differt corpus à corpore, natura à natura, & nutrimentum à nutrimento: non enim omni animantium generi eadem aut non conferunt, aut commoda ſunt, ſed ſunt alia aliis magis conuenientia. quando igitur aër eiuſmodi inquinamentis plenus eſt, quibus humana natura offenditur, homines ægrotant: quando verò alteri cuipiam animantium generi aër inconueniens eſt, tum morbus illud genus corripit.} ſoluit itaque Hippocrates his verbis dilucidiſsimè hanc ſecundam eorum rationem. Quinimò nedum in peſtilentia quadam nonnulla animantium genera poſſunt illæſa permanere, quemadmodum Hippocr. nos docuit in citatis verbis, verùm etiam & nonnulli homines, Galeno teſte in prooemio libri de morbis vulgaribus, ob eas quas ipſe tradidit cauſas: ait nanque: {cur igitur in vnaquaque tempeſtate non omnes vno & eodem morbo capiuntur? quoniam ſane non parum adinuicem diſtant (vt ipſe fatetur) per connatas naturas, & per ætates, necnon per viuendi formas. quo circa hic quidem facilè cedet malitiei temperaturæ præſentis tempeſtatis, alius verò quàm multum repugnabit, alius verò læditur omnino nihil, alius verò per malam viuendi rationem priùs morbo occupabitur, quàm tempeſtatis ſentiat læſionẽ.} quod
3. Obiectio. etiam confirmauit fuſiſsimè libro 1. de diffe. feb. cap. 6. Arguunt & 3. aduerſus Hippocr. reſponſionem, aſſerentes cùm homines ſoli peſtilentia corruunt, quænam cauſa hanc ſtragem facit? non ſimplex putredo, vt quæ omnes animantes pariter attingit. neceſſe igitur fuerit abditiorem cauſam, & peculiarem eſſe, ipſúmque aërem peculiari quodam quaſi veneno inquinari, quòd huic, non illi animantium generi ſit infenſum, totáque ſubſtantia contrarium. & ſiquis aſſeuerauerit aëris putredinem cauſam eſſe peſtilentiæ, ſed quæ tamen non vna ſemper ſit, & vnius modi, verùm nunc illi, nunc alteri animantium generi pernicioſa: inquiunt iſti, ergo neceſſe eſt fateamur malignam hanc eſſe, & quæ huic, illi ve præcipuè aduerſetur. id autem quid aliud eſt quàm venenum tota ſubſtantia, non manifeſta qualitate infenſum? non enim explicare poſsis quis modus, aut quæ ratio ſit eius putredinis, quæ ouibus, vel bobus, vel hominibus ſolis ſit infenſa. igitur, ſi nec dilucidè exprimi, nec animo percipi poteſt, debet in eorum genere cenſeri, quæ cæca, obſcura, & abdita nuncupauimus, & quæ tota ſubſtantia contraria ſunt, tantóque genere deleteria, quæ nec ab elementis, nec ab eorum qualitatibus fluxerunt. itaque quicquid aſſeratur, omnis peſtilentiæ cæca, & deliteſcens eſt cauſa, & aliunde quàm ex primis qualitatibus, aut ex putredine profecta, hoc eſt à certa permiſtione ſyderum, ſeu cœleſti configuratione. itaque concludunt terrenas, inferioréſque infectiones ſolas peſtilentiam inferre non poſſe, quamuis ad illam non parum
Solutio. præparant, & excitant. Atqui nos cum Hippocrate & Galeno fatemur propterea huic, & non illi animantium generi aërem peſtilentem eſſe infenſum, quia tota ſubſtantia eidem contrarius exiſtit, & non illi, verùm huius putredinem ſolam ipſius aëris cauſam eſſe cenſemus, à quacunque cauſarum quas paulo ante meminimus eiuſdem aëris putredo initium ſumpſerit. Inſuper aſſerimus illam quoque malignam eſſe putredinẽ, quæ huic, illi ve præcipuè aduer-

ſatur

ſatur animantium generi: quoniam talibus plenus eſt aër inquinamentis, quòd alteri cuipiam generi inconueniens eſt, totáque ſubſtantia alienus: aliis verò nequaquàm, ita vt propterea confugiendum non ſit ad cæcas, abditáſque cauſas. & cùm inquiunt, quòd tunc aër nil aliud eſt quàm venenum tota ſubſtantia, non manifeſta qualitate infenſum atque contrarium, quemadmodum quę toto genere ſunt deleteria, admittimus nos quòd ob putredinem, eámque prauam ac malignam ſecundum totam ſubſtantiam aer, & non in qualitatibus ſolum immutatus, veluti venenum deleterium redditur; & propterea tanquam contrarium nobis aduerſatur. verùm non propterea etiam (vt ipſi putant) confugiendum eſt ad abditas cauſas, quemadmodum in verè dictis venenis deleteriis quandoque confugiunt: hæc nanque ſecundum vniuerſam eorum ſubſtantiam ac naturam propriam, perpetuò quouis tempore noſtra corpora corrumpunt, vt Napellus, qui nullo non tempore deleterium venenum non eſt, quoniam ſuapte natura à tota ejus ſubſtantia nobis aduerſatur. at aer ſuapte natura cùm optima temperie fuerit, prorſusque ab omni inquinamento puriſsimus, nobis adeo familiariſsimus eſt, ac neceſſarius, vt abſque eo ne pauco quidem tempore viuere valeamus, ita vt ſi cui ſpiritus in corpus viæ intercipiantur, in breui parte vnius diei intereat, eodem Hippocrate auctore citato libro de Flatibus: cùm verò contingat eum nedum in manifeſtis qualitatibus immutari, adeò vt eius optima temperies alteretur, verùm etiam in eius eſſentia tota, ita quòd à putreſcibili aliqua euaporatione vitietur, putreſcat, coinquinetur, impurúſque reddatur, ex accidenti, & non ex eius propria natura, efficitur nobis infenſus, peſtilens, ac venenoſus: quoniam non vt aer, ſed vt taliter immutatus ab aliena ſubſtantia ei permiſta in eius tota ſubſtantia, ſeu proprietate eſſentiæ alteratur, quando non amplius ſynceram, prorſusque puram eam ſeruet. hoc etenim modo ipſum ſecundum totam ſubſtantiam immutari ſubintelligendum eſt, vt præcedentibus demonſtrauimus, & non quòd eius cauſa ſit abdita, quemadmodum fortè dicere quiſpiam poterit de deleteriis venenis: habet etenim aer manifeſtas immutationis cauſas, ob quas ſecundum totam ſubſtantiam alteratur, permiſtionem videlicet alienæ, nobiſque aduerſiſsimæ ſubſtantiæ, vtpote putreſcibilis auræ, vel halitus, ſeu euaporationis, ob quæ putreſcit, valde coinquinatur, inficitur, ac peſtilens, & velut venenum nobis efficitur, quibus ſublatis ad propriam redit naturam. ſunt itaque manifeſtæ cauſæ quę aerem peſtilentem, nobiſque infenſum reddunt, ac ſecundum totam ſubſtantiam immutant, & non abditæ, & cæcæ, quicquid alij ſentiant.

Quid ſit febris peſtilens, & quòd non niſi ex peſtilenti aëris ſtatu proficiſcatur: ſoluunturque rationes in contrarium. CAP. VI.

QVoniam non eſt alicuius certi morbi nomen, vulgare, vel peſtilens, ſed quicunque vno in loco multos ſimul inuaſerit, vulgaris hic vocatur: ſi verò ſimul & hoc habeat, vt multos perimat, peſtis eſt, Galeno teſte, tertio de Morbis vulgaribus. *Loco citato.* Propterea cum non de omnibus vulgaribus ſeu peſtilentibus morbis, ſed de febribus duntaxat peſtilentibus pertractare intendamus, iam tempus, eſt vt ad eas noſtra conuertatur oratio, earum naturam inueſtigantes, ac cauſas, vt exinde etiam & prognoſticum, & earum curatio pateat. *Quid febris peſtilens.* Eſt itaque febris peſtilens praua ſeu peſsima, ac pernicioſiſsima, communis ac vulgaris febris, ex peſtilenti aeris ſtatu proficiſcens. quòd verò febris peſtilens communis ſeu vniuerſalis morbus ſit, ex eo quòd omnes homines aut ſaltem plures eodem tempore inuadit, liquet ex Hippocrate citato libro de Flatibus cum dicebat: {Alterum genus febrium commune omnibus, peſtis appellatur.} & addit: {Communis ergo febris, propterea omnibus accidit quòd eundem ſpiritum omnes attrahunt, itáque vt ſimili corpori ſimiles ſpiritus ſimiliter permiſti, ſimiles gignat febres.} Id etiam experientia comprobare licebit: cernimus enim aut omnes, aut plures, ſaltem

hominés,

homines, cum hæc vagatur febris, inuadere: eſt inſuper nedum vniuerſalis, ſeu communis, ſed vulgaris etiam hæc febris, veluti cæteri peſtilentes morbi, qui perinde ac totum vulgarium morborum genus, ex cœli ſtatu proficiſcuntur, vt dictum eſt, & perinde peſtis morbus eſt è genere vulgaris, vt Galenus aſſerebat in proœmio libri de Morbis vulgaribus, non igitur è genere eſt aliorum communium morborum febris peſtilens, ſed vulgarium. & quemadmodum cæteri peſtilentes morbi à vulgaribus non niſi prauitate & pernicie differunt, ita quoque & hæc febris: etenim & ex hac plures pereunt, propterea quòd non ex ſola aëris in qualitatibus manifeſtis alteratione efficitur, ſed ex eodem ſecundum totam ſubſtantiam immutato: quamobrem dicimus ex peſtilenti aëris ſtatu proficiſci. Quid autem per peſtilentem aëris ſtatum ſeu conſtitutionem intelligendum ſit, nuper declarauimus, ac etiam quomodo, & à quibus cauſis talis efficiatur aër putridus, peſtilens, ac venenoſus, qui peſtilentium morborum, ac febrium auctor, & cauſa exiſtit. Sed confeſtim obiicies, aſſerens non eſſe perpetuò verum quòd ex peſtilenti aëris ſtatu, peſtilentes oriantur febres, & propterea neque ſemper eſſe eas ex genere vulgarium morborum: etenim ex prauis quoque cibis eas interdum gigni fatetur Galenus primo de Differentiis febrium, cap. tertio. Quorum natura duplex eſt; aut enim à natura tales, vt allia, cæpe, naſturtium, porri, braſsicæ, vrticæ, ocyma, & quæcunque alia agreſtia dicuntur. aut natura quidem optimi ſunt, ſed ob quaſdam putrefactiones, modo æquale prædictis, aut maius aliquando vitium contrahunt, veluti frumenta, hordea, atque omnes aliæ fruges, quæ ad vſum cibi aſſumuntur, quæque vel temporis longitudine ad putreſcibilem ducuntur diſpoſitionem, vel quia malè repoſita fuerint, ſitu ſint repleta, vel etiam in primo ortu rubigine fuerunt deprauata, cum vrgente fame tales cibos plures comêdere coacti ſint, inquit Galenus: nonnulli quidem à putridis, ac peſtiferis febribus interierunt, nonnulli autem puſtulas inſtar ſcabiei ac lepræ in corpore contraxerunt. Sed dicas tu has febres non fuiſſe omnino peſtilentes: nam licet fuiſſent prauæ, & pernicioſæ, ortum tamen non duxerunt ex cœli ſtatu, ſeu peſtilenti aëris conſtitutione. quòd ſi dicat Galen. nonnullos periiſſe à putridis, & peſtiferis febribus, dicas has febres Galenum nuncupaſſo putridas & peſtilentes: putridas quidem, quoniam ex putredine ortum duxerunt, genita ex prauorum ciborum vſu, ex qua cùm plures interierint, aſſerit eas fuiſſe peſtilentes, quaſi verè dictis peſtilentibus ſimiles, in hoc duntaxat, quòd plures ex eis periere; nō autem omnino peſtilentes, quia ab aëre non ſumpſerunt originem, ex quo verè peſtilentes dictę ſemper proficiſcuntur, vt idem teſtis eſt libro primo de Morbis vulgarib. & Hippoc. libro de Flatibus. Sunt etenim & febres quædam ardentes, pernicioſæ, valde malignæ lipyriæ dictæ, ex forti viſcerum inflammatione, vel eryſipelate ortæ, adeò letales velut peſtilentes verè dictæ, vt liquet Aphoriſ. 48. libri 4. & primo ſeptimi libri, & de Inæquali intemperie, cap. octauo. Amplius & citra inflammationem, ſeu viſcerum eryſipelas corruptiò in animantibus aliqua naſci poteſt tânta, citra externam cauſam, vt veneni tum qualitatem, tum vires æquet, eodem Galeno teſte ſexto de Locis affectis. Et libro de Cibis boni & mali ſucci, idque non ob aliud quàm ex praua victus ratione, prauorúmque ciborum vſu, & ob id non mirum ſi in febres incidant putridas adeò malignas, & peſtilentes, hoc eſt pernicioſiſsimæ dicantur, non tamen omnino peſtilentes ſint, cùm earum cauſa non ſit aër. Incidunt itaque ex prauis cibis nonnulli in putridas febres quæ adeo malignæ & pernicioſæ ſunt, veluti peſtilentes verè dictæ, vt Galenus teſtatur hoc in loco, & libro de Cibis boni & mali ſucci, & non tamen poſſunt exquiſitè & verè peſtilentes appellari, vt diximus, quemadmodum inſigniores quidam medici, etiam ſi ſine peſte oriantur febres hecticæ, ex ipſo cordis corpore excitatæ peſtilentes vocant, Galeno teſte tertio de Præſag. ex pulſibus. Quoniam exitiales ſunt. Ad hæc dixit Galenus, quòd nonnulli ex vſu talium prauorum ciborum vrgente fame non in putridas, & peſtilentes febres inciderunt, ſed puſtulas inſtar ſcabiei & le-

Obiectio quã paulo poſt diluit negando.

Locis citatis.

cap. 4

præ

præ in corpore contraxerunt ita, vt non omnes eodem morbo laborarint. At peſtilentes febres cùm fiunt, omnibus accidunt, omnibúſque communes ſunt, vt inquit Hippo. in ea verò fame non ſolùm non omnes homines in eaſdem febres inciderunt, quinimò nonnulli (vt inquit Gale.) contraxerunt puſtulas inſtar ſcabiei ac lepræ, ex quibus neque etiam perierunt, ita vt propterea neque dictæ puſtulæ peſtilentes fuerint, idque non ab re: nam quibus praui humores ex vitiatis cibis orti intra vaſa, ac in viſceribus quibuſdam fuerunt detenti, ibidémque putrefacti, in febres inciderunt putridas, ac perinde etiam pernicioſas, & interierunt. At quibus tales humores ad cutim priuſquam in internis partibus putreſcerent, peruenerunt, tales puſtulæ fuerunt ortæ, & febre non laborarunt putrida & peſtilente, imò neque etiam febre, & propterea neque interierunt. Fuerunt itaque hæ febres ex putredine, ob vitioſorum ciborum vſum ortæ, & propterea prauæ, & pernicioſæ, non autem verè peſtilentes, vt quæ non omnes inuaſerint, neque ex particulari & peſtilenti aëris ſtatu principium habuerint. Sed quomodo (inquies) ex peſtilenti aëris ſtatu peſtilentes febres perpetuò oriuntur, ſi conuerſatio eorum qui peſtilenti morbo, peſtilentique febre laborant, periculoſa eſt, ne inde contagium contrahatur, vt inquit Gal. citato lib. 1. de dif. feb. c. 2. Admodum facilis eſt huic obiectioni reſponſio, nam hæc quoque febris quæ per contagium ex conuerſatione contrahitur, ex peſtilenti aere quem priùs laborantes inſpirarunt, & deinde expirant, ortum habet, vel ab eiſdē inſpiratus inficitur, ac coinquinatur priùs; qui demum ita infectus, ac peſtilens expiratus, ab his qui cum eiſdem conuerſantur attractus, peſtilentem in eis gignit morbum, ac febrem. Adhuc obiicies aſſerens quòd cum Gal. dicat eodem. 1. de diffe. feb. {in peſtilentibus verò conſtitutionibus, inſpiratio potiſsima, ſeu maxima cauſa eſt.} & ſubdit: {fit quidem & aliquando propter humores ad putredinem paratos in corpore exiſtentes.} loquens de febre peſtilenti, ſequi videtur quòd non ſemper peſtilens febris ex aere gignitur, neque etiam ex peſtilenti ſtatu. huic breuiter ſatisfacies, quòd licet aliquando febris peſtilens ob eos qui ſunt in corpore humores ad putreſcendum paratos, fieri poſsit, hoc tamen ad eius generationem ſatis non eſt, niſi aer etiam ambitiens concurrat, quod quidem manifeſtauit Gal. adiiciens ſtatim citatis verbis: {cùm breuē aliquam occaſionem ad febris originem, ab aere ambiente acceperit animal,} itaque vt febris peſtilens generetur, ſatis non eſt vt in corpore humores ad putreſcendum parati, conſiſtant, niſi & hi quoque breuem ſaltem aliquam occaſionem, pro eiuſdem febris origine, eorúmque putredine, ab aere ambiente ſuſceperint. Sed confeſtim fortius inſtabis aduerſus hanc reſponſionem inquiens, Galenus poſt dicta quæ modo citauimus, verba c. 4. ſtatim ſubdit: {vt plurimū autem ex inſpiratione incipit aeris ambientis à putreſcibili euaporatione vitiati.} ergo non ſemper ad generationem peſtilētis febris, neceſſaria eſt peſtilens aeris conſtitutio, cum dixerit ſæpe, ſeu vt plurimum, & non ſemper. Niſi eſſet quòd Gale. noluit per hæc verba aſſerere peſtilentem febrem magna ex parte fieri ex ambiente nos aere à putreſcibili euaporatione vitiato duntaxat, & interdum fieri poſſe ab aliis cauſis præter ipſum aerem; ita quòd nequaquam is ad eius generationem concurrat; ſed cùm paulo ante dixiſſet ipſam quandoque fieri poſſe propter humores qui ſunt in corpore, ad putreſcendum paratos, cum breuem aliquam occaſionem in originem febris, ex ambiēte aere acceperit animal, ſtatim ſubdidit, hoc rarò accidere, quemadmodum vt plurimum contingit eam incipere ex reſpiratione ambientis aeris à putreſcibili euaporatione vitiari; ita vt opus ſit quòd ambo coeant ſi peſtilens febris generari debeat, & peſtilens videlicet aeris conſtitutio, & qui humores in corpore, ſeu ipſamet corpora ſint ad patiendum parata, ſed quandoque magis ſunt humores ad putreſcendum parati, quàm aer ſecundum totam ſubſtantiam immutatus, interim contrà, quod & ſæpius accidit. Sed inquies iterum, ſaltem effugere non poteris quòd licet

Obiectio, cui reſpondet febrem quæ per cōtagium contrahitur, ex peſtilēti quoque aeris ſtatu oriri.

Alia obiectio. Cui reſpōdet, non ſatis eſſe humores in corpore putridos ad generationē feb. peſtilentis, niſi aer peſtilens concurrat.

Obiectio, quæ Gal. auctoritate nititur, quam explicādo, & ſuo more ad ſenſum ſuum accōmodādo, obiectionem ſe diſsolniſſe putat.

Alia obiectio quā diluit aſſerendo ſemper

requiri aëris peſtilentiam ſi altera cauſa concurrat.

ſemper concurrat aër pro peſtilentium febrium generatione, non tamen ſemper opus eſt, vt vitiatus ſit, à putreſcibili euaporatione, ſeu peſtilens effectus: nam citato lib.1.de diff.feb.cap.4. Paulo poſt dicta verba quæ modo citauimus idem Gal.inquit:{contingit autem quandoque præcedere ambientis aëris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea peſtilentia quæ Athenienſes inuaſit, vt Thucydides inquit. in hac ergo peſtilentia immodica ambientis aëris caliditas præceſsit, & non peſtilens eiuſdem aëris ſtatus. quare non ſemper requiritur eundem eſſe coinquinatum ſecundũ propriam ſubſtantiam, ſed ſatis eſt, vt in qualitatibus manifeſtis fuerit alteratus, vt immodicè calidus redditus. verũ dicimus nos, quòd in hac quoque peſtilentia, aër fuit ſecundum totam ſubſtantiam immutatus: nam (vt inquit Thucydides) in ſuffocatis tuguriis, æſtatis tempore, habitantium corpora corruptione laborabant, & quia erant humores corporum ex victus prauitate geniti putredini obnoxij, hinc febribus peſtilentibus origo data eſt eiſdem corporibus. quemadmodum enim qui in cauo loco aër incluſus nullum recipiens perflatum, ſuffocans, putriſque eſt, & ſimiliter is qui in domibus quibuſdam eſt incluſus, ſuffocans ac putris exiſtit, potiſsimùm in quibus ob putredinem, & per flatus defectum plurimus aceruatur ſitus, vt inquit Gal.1.de ſanit.tu.cap.11. Ita quoque in hac peſtilentia ea corpora in febres peſtilentes inciderũt æſtatis tempore, quæ in ſuffocatis (ob domorum penuriam) colebant tuguriis ſeu cauernis, propterea quòd haudquaquam perflatum recipere poſſet aër in eiſdem cauernis ſeu tuguriis incluſus; ex immodicóque calore præcedente, putris, ſuffocánſque redditus eſt, & ita in ſubſtantia immutatus, quemadmodum in cæteris peſtilentiis. verùm cùm non adeo praua eſſet hæc aëris immutatio in propria ſubſtantia, ſed manifeſtiùs ad caliditatem immodicam fuiſſet alteratus, propterea Galen. dicebat febribus peſtilentibus originem datam fuiſſe ex eo, quia erant humores in corpore ex victus prauitate putredini parati, ac ſi voluiſſet dicere, quòd harum febrium peſtilentium origo, magis referenda eſt ad humores ex victus prauitate genitos, & putredini obnoxios, quàm aërem, licet ambo requirantur: ſiquidem exigua erat aëris putredo. quòd verò ambo requirantur, & quòd quandoque vna cauſa potentior altera exiſtat, ipſemet Gal. citato loco, fuſiſsimè demonſtrauit, inquiens; {oportet enim hoc in toto ſermone memoria repetere, quòd nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poteſt, alioqui omnes qui ſub æſtiuo ſole commorantur, febricitarent, & circa canis ortum omnes ægrotarent. & in peſtilentibus aëris ſtatibus morerentur, ſed magnam in generatione ægritudinum partem habet, eius qui paſſurus eſt habilitas corporis.} & ob id ex aëris peſtilentis inſpiratione rationabile eſt, quædam corpora ſtatim à prima inſpiratione principium putredinis ſumere, ac plurimùm in malo procedere, nonnulla verò nihil, & nonnulla minimum mali ſentire, ac facilè ad naturalem habitum habere regreſſum. itaque vbi aëris ambientis intemperatura ac immutatio in propria ſubſtantia admodum immodica non fuerit, neceſſum eſt plurimùm eos peſtilentibus morbis laborare, quicunque magis ad patiendum parati ſunt, vtpote in quibus ſuperflua adeſt humiditas, & ex victus prauitate præcedẽte humores magis putredini parati ſunt, minus verò quæ corpora ſicciora ſunt, ac modicis laboribus vſa, victúque moderato; hæc etenim vel nullam omnino ſentiunt offenſionem, vel exiguam, ac facilè ad naturalem habitum reuertuntur, ſunt propterea nedum in peſtilentis febris generatione, ſed cuiuſlibet alterius ægritudinis, neceſſariæ præter cauſas eas efficientes, corporum diſpoſitiones, verùm quandoq; efficiens cauſa valentior eſt, corporũ verò diſpoſitio non magna. interim verò maxima eſt corporum diſpoſitio, quamuis efficiens cauſa non admodum valida exiſtat, vt in hac peſtilẽtia, interdum verò ambæ valẽtes exiſtũt, vbi verò ambæ imbecilliores fuerint, haudquaquam morbus generabitur. licet ergo in hac peſtilentia præceſſerit ambientis aëris caliditas immodica, fuit tamen efficiens eius cauſa immediata, aër putris,

Cap.8.lib.1. de diffe.feb.

ſuffo

ſuffocans, in propria ſubſtantia immutatus, ob perflatus defectum, qui ab habitantibus in eiſdem tuguriis ſeu cauernis inſpirabatur. potiſsimùm autem iis febres ortæ ſunt peſtilentes, in quibus humores ob victus prauitatem erant putredini obnoxij, tanquam maiorem habentibus aptitudinem ad ſuſcipiendam aëris inſpirati putredinem. Poteris & aliter etiam dicere cum eodem Gal. ibidem, quòd non ex immodica aëris ambientis caliditate præcedente fuerit talis peſtilentia orta ſolum, ſed per contagium: nam inquit Thucydides, fortè per continuum ex Aethiopia quædam putredinis fluxere contagia his, quorum corpora erant ad patiendum parata, febrium cauſæ futura. quomodocunque tamen fateatis ſempiternæ veritatis erit, quòd febris peſtilens ortum ducat ex ambiente nos aëre, nedum in qualitatibus manifeſtis, ſed ſecundum totam eius ſubſtantiam immutato, quantumuis humores corporum, ſeu corpora ipſa ſint putredini obnoxij, & ad patiendum parata. Cæterùm aduerſus hanc ſententiam iterum pugnabis probans cum Galen. non ſemper peſtilentes morbos, peſtilentéſque febres ex aere originem ducere, ſed ex praua duntaxat victus ratione: nam in illa annonæ caritate aſsiduas quæ multas nationes Romano Imperio ſubditas afflixit, vt ſcribit Galen. lib. de cibis boni & mali ſucci, { Cùm coacti eſſent homines mali ſucci alimentis toto vere veſci, vtpote teneris fruticibus, arborúmque germinibus, & extremis ramulis, tum bulbis, & mali ſucci plantarum radicibus, ac agreſtibus oleribus, herbiſque ferè omnibus virentibus decoctis, quas nemo vnquam priùs deguſtauerat, eáſque ad ſatietatem edebant: propterea nonnulli vltimo vere, ſed ferè omnes ineunte æſtate multimodis, variíſque per cutim vlceribus, laborarunt, cúmque nonnullis inſtar carbunculi, aut phagedænæ cum febre acciderunt, multos longo quidem tempore ſuſtulerunt, vixque pauciſsimi ita affecti, morbi periculum euaſerunt, quinetiam febres permultæ abſque cutis vlceribus fiebãt, quas nonnullæ graues excretiones ſequebantur, quibus verò nulla earum excretionum ſeu abſceſſus contingebant, omnes, vel aliquo ex extis euidenti phlegmone correpto, vel ex vehementi, prauáque febre interiere. } Horum itaq; variorum vlcerum, prauarúmq; febrium, & exitioſarum, cauſa extitit ſolus prauus victus, ex quo vitioſi in corpore ſucci geniti ſunt, nihil conferente ambiente nos aëre. At ſi quiſpiam Gale. verba perlegerit, quæ citato libr. paulo poſt ea quæ modò citauimus, conſcripſit, quàm facilè hæc obiectio tollatur, promptè dignoſcet, cùm non ſolùm peſtilentes non fuerint morbi illi, ſeu febres eo tempore geniti, quinimò neque πάνδημοι, ſeu πάγκοινοι, hoc eſt communes ſeu vniuerſales: etenim non omnes quoque victu vtentes in eundem inciderunt morbum, neque etiam ex eodem victu, vno eodémque morbo correpti ſunt omnes: horum etenim morborum velut generatio, ita quoque & cauſa communis eſt, Aetio & Paulo teſtibus, ſed diuerſos contraxerunt morbos, prout varus, diſsimilibúſque cibis vti, pro fame cogebantur, quamuis omnes fuerint praui ſucci. Quare ſporades ſeu diſperſi potius, tales appellandi ſunt morbi eo tempore orti, quàm communes, aut peſtilentes, quod quidem manifeſtauit Galenus ſub his verbis: { ſed nec mirum fuiſſe contrarios morbos, ſymptomatáque quibus tunc illi corriperentur, cùm non modò natura, aut ætate inter ſe, inuicémque differrent, ſed victus quoque ratione, quo variè, & contrarias vires habente, ſuperiore victus inopia vſi ſunt: his enim rebus quarum cuique copia erat, veſcebantur, quæ cùm diſsimiles, variæque eſſent, eas nonnulli ſumebant, quæ vel acido, vel acri, vel amaro ſalsóve ſucco forent, alij quæ auſtero, aut tenaci, aut aſtringendi, vel refrigerandi, vel egregiè quidem humectandi vim obtinẽte, aut quæ veneni participes extitiſſent } ex quibus quiuis, vel parum in Gal. doctrina exercitatus haud ægrè percipiet tales morbos, taléſque febres, licet ex prauo victu fuerint ortæ, nedum non fuiſſe peſtilentes, ſed neque communes & vniuerſales, quamuis nonnulli ex eis perierint: nam de ratione peſtis (vt dictũ eſt) non ſolũ eſt vt plures perimat,

Alia obiectio quã refutat negando morbos fuiſſe communes ſeu peſtilẽtes, ſed ſporades erant.

Sporades fuiſſe probat auctoritate eiuſdem Galen.

ſed vt ex aëre originem ducat,eóque non modò in manifeſtis qualitatibus,ſed ſecundum totam ſubſtantiam immutato: quod etiam perpetuæ veritatis exiſtit de peſtilentibus febribus, quarum cauſæ tot numero eſſe poſſunt, quot ſupra explicauimus poſſe aërem inficere, coinquinare, putrefacere, ac in totius proprietate eſſentiæ, immutare.

De modo generationis peſtilentium febrium, & quòd in nullo trium primorum genere continentur. *Caput VII.*

EST itaque peſtilentium omnium febrium ortus ex putredine, vt inquit Gal. 1. de diff. feb. c. 4. Quæ putredo prouenit (vt dictũ eſt) ſemper ex aeris vitiati, ſeu coinquinati & putrefacti inſpiratione, cùm ſine eo febris peſtilens generari nequeat. perueniens ſiquidem talis aer ad cor, neceſſum eſt & ipſum ab eo infici, coinquinari, & præter naturam calidum reddi, quemadmodum eodem puro ac ſyncero per inſpirationem attracto eius caloris ſymmetria ſeruabatur, & ita febris generatur peſtilens. nam quamuis eodem etiam tempore idem aer peſtilens extrinſecus corpori circunfuſus, per tranſpirationem ab arteriis trahatur; quia tamen ægrè cùm ſua ſubſtantia, ſuíſque viribus ad cor peruenit, quemadmodum vbi fuerit inſpiratus, propterea qui per inſpirationem attrahitur aër peſtilens, potiſsimùm peſtilentis febris cauſa exiſtit, quod etiam ſubintelligere voluit Gale. cùm dicebat præcitato lib. 1. de diffe. febr. cap. præcit. In peſtilentibus aëris conſtitutionibus inſpiratio potiſsimùm cauſa exiſtit. dixerat enim priùs quòd ex calidiori aëris ſtatu æquè poterat febris gigni, tum per inſpirationem, tum etiam per tranſpirationem, eodem calidiori aëre attracto, ipſoq; corde immodicè calefacto, quamuis non eadem ratione. At in peſtilenti ſtatu aër non ita, ſed potiſsimùm febrem efficit per inſpirationem attractus, vtpote quòd promptiùs ſua qualitate & ſubſtantia ad cor perueniat, non negans omnino, quòd ſi per arterias quæ ad cutim terminantur, idem vitiatus aër trahatur, quòd poſsit etiam cor affici, & eadem febris generari, vtcunque tamen ſit, vt febris peſtilens generetur, opus eſt vt putrefactus, ac coinquinatus aer ſua cum ſubſtãtia ac viribus ad cor perueniat, & media putredine febrem generet. At non propterea quiſpiam dixerit peſtilentem febrem eiuſdem generis eſſe cum his quæ ab humorum putredine accẽduntur, cùm non vna duntaxat ratione ab eiſdem diſsideat: perpetuò etenim illa ab externa cauſa exoritur, aere inquam coinquinato & putrefacto, iſtæ verò ſemper ab internis fiunt cauſis, nunquam autem ab externis, recentibus, ac manifeſtis. putredinis item excellentiâ febris peſtilens ab eiſdem differt, nam illæ à quauis humorum putredine excitantur, iſta verò generari nequit niſi maxima ac excellens putredo fuerit genita, ita vt potius corruptio per putredinem, quàm putredo ſimpliciter appellanda ſit; cùm neque alterãri, neque concoqui, neque euinci, adeo poſsit, quod in hac febre putreſcit, vt iterum naturæ gratiam ſuſcipere queat. amplius in hac febre id quod putreſcit perpetuò eſt aliqua cordis ſubſtantia; in aliis verò febribus ex humorum putredine ortis, admodũ rarò hoc accidit: ſed aliis in locis humores ſæpius putredinem ſuſcipiunt, quamuis febris etiam generari nequeat ex humorum putredine, niſi & qui in corde continentur humores fuerint præter naturam calefacti. Diſsidẽt rurſus & magis, quòd in febribus ex humorum putredinè accenſis, ſemper aliquis ex humorum quatuor putredinem ſuſcipit, in peſtilenti febre nequaquam, ſed poſſunt aliæ etiam cordis ſubſtantiæ præter humores qui in eius ventriculis continentur, à peſtilenti aere infici, coinquinari, ac eiuſdem aeris putredinem admittere, vtpote ſpiritus, qui in ſiniſtro eius ventriculo continentur, ac etiam eius partes ſolidæ, quo fit vt in nullo trium febrium genere propriè contineri poſsint hæ febres, vt quidam arbitrantur, diuerſi inquam ad diuerſa genera reducentes, quamuis

Febris peſtil. in quo diſsideat ab iis quæ ex putredine oriuntur.

omnes

omnes à putredine ortum habeant, ſed pro diuerſa cordis materia, in qua præter naturam calor accenditur, ab inſpirato peſtilenti aëre diuerſimodè ſit denominanda, ita vt interim diaria, interim hectica febris peſtilens appelletur. quandoque verò ex numero ſit earum quæ ex humorum putredine excitantur, impropriè tamen, & non verè, cùm neque diaria, neque hectica, neque ex humorum putredine orta verè dici poſsit, vt patet ex his quæ diximus, & clarius ex dicendis. Quod autem ex humorum putredine poſsit febris peſtilens generari, vbi à vitiato aëre inſpirato principium putredinis ſuſceperint, propterea quòd ipſi magis fuerint ad putreſcendũ parati, decretum reliquit Gale. citato lib. 1. de differ. feb. Et 3. de præſag. ex pul. de inſpirato aere qui putredine infectus ſit, loquens, ſub his verbis illud confirmauit: {Nam quibus calor hic putridus ad humores quos continent cordis ſinus, vniuerſus deflexit, non autem ad corpus ipſum viſceris, multi horum fuerunt ſuperſtites.} quibus etiam in verbis (vt cuilibet patere poterit) manifeſtauit calorem hunc putridum poſſe ad corpus cordis deflectere, & ita hectica generabitur. Quod paulo ante dilucidiùs explicauerat inquiens: {quod in ſermone præteriuimus vbi aer quem inſpirando attrahimus infectus putredine ſit, ac putredo ad corpus cordis peruenerit, illi pulſus fiunt &c.} & poſt nonnulla eodem libro talia protulit verba: {etenim ſunt (vt docuimus) peſtilentes non paucæ, inde vſque ab initio hecticæ, diſtántque ab omnibus alijs febribus, quæ ex magna putredine oriuntur.} & ante omnia præcitáta verba, inter cauſas ob quas corpus cordis largius incaluerit, qua ratione febris excitatur hectica, dinumerauit aerem peſtilentem ſpiritu attractum, offenſo cordis corpore, & non alijs ſubſtantijs quæ in eius ſinubus continentur. Adhæc 10. de metho. meden. in fine inquit: {verùm de colliquantibus febribus diſſerere in poſtremum licebit æquè, vt de his hecticis febribus quæ in peſtilentijs contingunt, cuiuſmodi ea eſt quæ nunc publicè graſſatur: dicetur nanque & de hac inter peſtilentes febres.} Nemo itaque hæſitare debet peſtilentem febrem, nedum in humoribus accendi poſſe, verùm etiam in partibus ſolidis ipſius cordis, ex Gale. ſententia. quòd ſi ex peſtilenti aeris ſtatu poſſunt tum humores, tum ſolidæ cordis partes præter naturã calorem ſuſcipere, quis negabit ſpiritus etiam eiuſdem cordis poſſe ex eodem inſpirato aere infici, ac propterea in eiſdem eundem præter naturam calorem accendi, & ita diariam fieri peſtilentem febrem? Quinimò promptiùs ipſi hunc præter naturam calorem admittent, quanto paratiores ſunt ab inſpirato aere alterari, & veluti ex eodem puro ac ſyncero inſpirato generantur, ac nutriuntur, ita ex eodem coinquinato & infecto, putreſcunt, ac corrumpuntur: neque hoc etiam intactũ prætermiſit Galen. nam. 1. de differ. febr. cap. citato. Dinumerans nonnullas procatarcticas cauſas, ex quibus homines febricitare conſpiciuntur, dicebat: {& quidem quòd aeris peſtilens conſtitutio febrem afferre conſueuit, nemo ſanæ mentis dubitauit.} At qui cũ cauſæ quæ ab eo narrantur, omnes ſint externæ, à quibus diariæ fiunt febres, connumerans inter eas aerem peſtilentem, ex quo febris generatur, ſubintelligere etiam voluit eam eſſe diariam, aut certè aſſerens abſolutè, peſtilentem aeris ſtatum febrem afferre, non magis intelligendum eſt de alijs, quàm de diaria, imò de ea potius cùm cauſa ſit febris externa, ex qua diariæ potiſsimùm accenduntur febres. Adhæc eodem lib. paulo poſt dicta verba, explicans modum generationis febris propter adhæſum alterius caloris, poſuit exemplum ambientis ſtatus aëris calidioris, qualis maximè contingit circa canis ortum, inquiens, {quòd talis aer per inſpirationem attractus, manifeſtè cor calefacit, & febrem generat, corpori autem extrinſecus circunfuſus, totum ipſum priùs calidius efficit, & præſertim arterias quæ aliquid dicti aeris ambientis ſubſtantiæ attrahunt, ex quibus demum omnibus ſimul cor afficitur: & cùm ſupra modum incaluerit febris generatur.} & deinde ſubdidit: {in peſtilentibus autem conſtitutionibus inſpiratio potiſsima cauſa eſt.} ſi ergo ex calidiori aeris ſtatu, tam per inſpira-

Peſtilens hectica diaria &c. impropriè citatur.

Locis citatis.

tionem attracto, quàm per tranſpirationem, & etiam toti corpori circunfuſo febris generatur, eáque non niſi diaria, licet diuerſa ratione, ſequitur neceſſariò quòd vbi idem aër coinquinatus & peſtilens fuerit per inſpirationem attractus, diaria etiam peſtilens debeat generari, cùm eadem ſit cauſa externa, & idem generationis modus, aut ſaltem præcipuè, vel non minùs ea quàm cæteræ. verùm ſi peſtilentes febres omnes à putredine ortum habent, non abs te dubitabis, qui fieri poſſit vt diariæ peſtilentes generentur, cùm ſpiritus haudquaquam putreſcere queant? Huic reſponſum ſit, quòd quamuis ex putredine accendi poſſit diaria febris, modò ea ad cor non perueniat, vt de bubone ſcriptum reliquit Hippoc. aphor. 55. lib. 4. & Gal. 1. de diff. febr. cap. 5. Spiritibus ipſis haudquaquam putrefactis, quia tamen inſpiratus peſtilens, ac putrefactus aër ad cor peruenit, aſſerimus diariam peſtilentem febrem fieri non poſſe, niſi & ſpiritus qui in cordis ſinubus continentur, putreſcant: qui licet ex eorum natura ſynceri, tenues, ac puri exiſtentes putreſcere nequeant, permixta tamen eis aëris putrefacti ſubſtantia impuriores, craſsioréſque propterea redditi, putredinem admittunt, quemadmodum de aëre dictum eſt, qui licet ſynceriorem habeat naturam quàm ſpiritus, ſimpliciórque fuerit, ex permiſtione tamen putreſcibilis alicuius ſubſtantiæ quandoque putreſcit. hac etiam ratione & magis ſpiritus putreſcere, licebit aſſerere, cùm eiſdem aliqua putreſcibilis ſubſtantia, (vt aër peſtilens) fuerit permiſta: donec autem ſuam ſeruauerint propriam naturam ac puritatem, putredinem non admittunt. non igitur in qualitate ſola vitales ſpiritus, quemadmodum in cæteris febribus diariis, immutantur cùm peſtilens ac putrefactus aër inſpiratus eiſdem permiſcetur, verùm etiam in propria ſubſtantia, & propterea diarias aſſerimus eſſe has febres, quatenus in ſpiritibus calor præter naturam accenditur, peſtilentes autem, eo quòd ſecundum propriam ſubſtantiam immutantur, inficiuntur, ac coinquinantur, & propterea putreſcunt, commiſta eiſdem iam dicta peſtilenti, ac putrida aëris ſubſtantia per inſpirationem attracta. qua etiam ratione, nec verè & propriè hæ febres diariæ nuncupari poterunt, ſed diariæ peſtilentes. ſimili quoque ratione dicimus alienum à veritate non eſſe, hecticas generari febres & peſtilenti aëris conſtitutione, quamuis & hæ quoque à putredine ortum habeant. Nam vbi aër quem inſpirando attrahimus, infectus putredine ſit, ac putredo ad corpus cordis perueniat, corpus ipſum cordis non ſolùm præter naturam calorem ſuſcipit, vt in cæteris hecticis febribus, ſed eius vniuerſa ſubſtantia ſolida inficitur, ac coinquinatur à praua, malignáque aëris qualitate, ac ſubſtantia, ita vt ſimilis etiam eidem aëri reddatur. & quemadmodum ab eodem aëre puro ac ſyncero exiſtente per inſpirationem attracto, eius propria ſubſtantia, natura, ac temperamentum in ſymmetria ſeruabatur, ita quoque cùm coinquinatus ac putridus, peſtilénſque redditus fuerit, ac vniuerſus ad eiuſdem cordis corpus deflexerit, eius naturam, temperamentum, ac propriam ſubſtantiam deſtruit, putrefacit, ac corrumpit, & veluti alienam ac venenatam reddit, adeo vt propterea nullus ab hac febre euadat: quemadmodum teſtatur Galen. 3. de præſag. ex pul. cap. 3 Cùm inquit: {quam autem excogites medicinam ad putredinem quæ cor occupauit?} Aliorum autem nonnulli ſuperſtites fuerunt, quibus videlicet ad humores quos continent cordis ſinus, vniuerſus aër putridus deflexit. ſed de his in ſequentibus fiet ſermo, cùm de prognoſticis huius febris pertractabimus, nunc verò ſatis ſit nouiſſe. quod cùm putrefactus aër ad corpus cordis peruenit, hectica febris peſtilens generatur quæ verè & propriè hectica non eſt: quoniam non ſolùm in ſolida cordis ſubſtantia præter naturam calor accenditur, eadem excalfacta, ſed putrefacta quodammodo ac corrupta. Cæterùm adhuc dubitabis quomodo generari poſſit febris peſtilens diaria, aut hectica, ſi Gal. 1. de differ. febr. cap. 4. dicebat: {eam promptiùs generari iis corporibus quibus humores ex prauitate victus erant putredini obno

Quomodo peſtilētes diariæ fiant, cum ſpiritus non putreſcant.

Dubitatio.

obnoxij?} Niſi eſſet quòd aliquando, dicebat Galenus, & non ſemper febris peſtilens generatur ob eos, qui ſunt in corpore humores ad putreſcendum paratos, cùm breuem aliquam uccaſionem ad febris originem ab aëre ambiente acceperit animal, id quod nequaquam nos negamus. & ſi dixeris quòd in ea peſtilentia quæ Athenienſes inuaſit, iis etiam corporibus febrium peſtilentium origo data eſt, vt ibidem poſt panca ſcriptum eſt. adhuc aſſerimus in ea peſtilentia corpora promptiùs laboraſſe, in quibus, ob victus prauitatem humores erant putredini obnoxij, quæque in ſuffocatis tuguriis habitabant. at non propterea negauit Galenus quòd in illa, & in aliis etiam peſtilentiis poſsint, & diariæ, & hecticæ peſtilentes febres generari. non ob id quòd humores ſint in talibus corporibus magis putredini obnoxij, ſed ſpiritus magis parati ad ſuſcipiendam talem aëris putredinem, vel partes ſolidæ cordis. quod etiam innuere videtur idem Galenus citato libro primo de differentiis febrium, cap. 8. cùm dicebat: {oportet enim in toto ſermone memoria repetere quòd nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poteſt.} & paulò poſt inquit: {At vt diximus magnam in generatione morborum partem habet eius qui paſſurus eſt, habilitas corporis.} ſatis eſt itaque vt plurimùm eos peſtilenti febre laborare, qui magis parati ſunt ad ſuſcipiendam aëris putredinem: quæ diſpoſitio corporis, non modò referenda eſt ad humores putredini obnoxios, verùm etiam ad ſpiritus, & partes ſolidas, eo quòd indifferenter aeris putredo inſpirata, ſingulas has tres cordis ſubſtantias occupare poteſt, prout vna vel altera ad ſuſcipiendam eius putredinem magis parata eſt. Nam veluti febris ipſa indifferenter incipere poteſt calore præter naturam accenſo, in vna trium ſubſtantiarum ſeu materierum, quæ noſtra corpora conſtituunt, humoribus videlicet, ſpiritibus, aut partibus ſolidis, vt liquet citato libro primo de differentiis febrium, cap. 1. quamuis in genere primo læſo nõ ſiſtat, ſed duo reliqua genera inuadat, progreſſu temporis, niſi antea ſoluatur, perinde etiam non inconuenit vt ab inſpirato peſtilenti aëre febrilis diſpoſitio alias ex aliis dictarum cordis ſubſtantiarum initium ſumere poſsit, & ſi dicas hoc non eſſe vndequaque ſimile, nam non ſolùm maior diſpoſitio vnius, ſeu alterius ſubſtantiæ efficit vt quandoque vnum, quandoque alterum genus febrium generetur, ſed requiritur etiam cauſarum efficientium diuerſitas: ex aliis nanque cauſis diariæ oriuntur febres, & ex aliis hecticæ: atque etiam ex aliis quæ ex humorum putredine fiunt. At febrium peſtilentium omnium vnicam aſſeruimus eſſe cauſam, aërem ſiquidem peſtilentem, ac putridum, & ob id fieri nequit, vt ex eadem cauſa diuerſæ cordis materiæ ſeu ſubſtantiæ accendantur: & propterea diuerſæ etiam genere febres peſtilentes fiant. Huic reſponſum dabimus, quòd licet perpetuò aër putridus ſeu peſtilens, auctor, & cauſa ſit peſtilentium febriũ, non tamen ſemper idem aër, eadem ratione, eodémque modo coinquinatur, ac peſtilens redditur, ſed diuerſa ratione, & quandoque magis, quandoque minùs talis efficitur, ob quam diuerſitatem, maiorem etiam, vel minorem proportionem habebit cum hac, vel illa cordis ſubſtantia. quo fit vt interdum ſpiritus, interim humores, non raró autem ſolidam cordis ſubſtantiam occupet, atque in ea primo febrilis diſpoſitio initium ſumat, progreſſúque temporis, reliquas etiam, niſi antea ſoluatur, inuadat. Diuerſum itaque genus eſt peſtilentium febrium à iam dictis tribus primis generibus, cùm in nullo eorum contineantur, ſed indifferenter, non ſolùm ex hecticarum, & diariarum numero eſſe poſsit, ſed earum quæ ex putredine ortum habeant, ſi earum febrium ſubiecta inſpexeris, ſemper tamen in aliquo ab eiſdem diſcrepabunt peſtilentes febres, vt in præcedentibus explicauimus. & propterea Hippocr. libro de flatibus alterum genus febrium eſſe dicebat commune omnibus, quod peſtis appellatur: quarum febrium tempus iam eſt ſigna recenſere, primò dignoſcitiua, & deinde prognoſtica.

Reſpondet. Non ſemper feb. peſtilẽs generatur ex humorib. putridis.

Alia obiectio. Diuerſa ſubſtãtiæ ex eadẽ cauſa accendi nequeunt.

Reſpõdet aerẽ non ſemper eodem modo corrũpi, quare pro diuerſa ratione corruptionis diuerſas cordis ſubſtantias corrumpit.

De peſtilentium febrium dignotione, ac prognoſtico. *Caput VIII.*

Signa febris peſtilentis.

QVONIAM in peſte omnia horrendiſsima fieri poſſunt, & grauiſsima quæque ſuperueniūt, nihilq; in ea velut in aliis morbis definitum eſt: plurima etenim, & varia fiunt ſymptomata, Aëtio & Paulo teſtibus, ob id à maximis exordiemur indiciis febrium peſtilentium, quemadmodum in cæteris febribus egimus: & deinde reliqua omnia recenſebimus. ſunt autem maxima quæ à calore, pulſu, & vrina ſumuntur. calor ſiquidem harum febrium ab aliis per putredinis excellentiam differt, nam tangentibus nobis eos qui tali febre laborāt neq; calidi, & perurentes videbuntur, quamuis interius magno flagrarint incendio, vt liquet ex Gal. 6. de morb. vul. ita vt in ea peſte quam Thucydides deſcripſit, adeò interiora ægris vrebantur, vt neque valde ſubtilium veſtimentorū, neq; linteolorum velamenta, neq; aliud quicquam præter nuditatem, ferre poſſent, quamuis tangenti corpus exterius valde calidum non erat, neque viride, ſed ſubrubrum, liuidum, puſtulis exiguis, & vlceribus efflorefcens. & ſi manum thoraci exercitatus medicus in explorando febrili calore, imponat, caliditatem maiorem, ac acriorem ſentiet, quàm in reliquo corpore, & æſtum quoque ſentiunt ægri in thorace maiorē. Pulſus aderūt omnino celeres, frequentes ſæpius, non autem prævalidi, ſed quibuſdam imbecilli, manifeſtiúſque in hac febre celeritatem contractionis percipies, in quacunque cordis ſubſtantia præter naturam calor fuerit accenſus: magis tamen, vbi peſtilens febris cordis humores occupauerit. quibuſdam verò aderunt pulſus ferè moderatis ſimiles, parúmque præter naturam immutati, ac in eodem ſtatu perpetuò permanentes, aderítque ſimiliter reſpirationis frequentia, interim & magnitudo, & ſi quiſpiam obſeruauerit expirationem ægrotantium, ſæpius graueolentem reperiet, quemadmodum vulgus obſeruare vſu conſueuit. Tu verò non vſu modò, ſed & ratione æſtima id veritatem habere. Vrinæ non ſemper eodem modo videbuntur: nam quorundam conturbatæ, & aquoſiores erunt, nonnullorum autē multò quàm pro natura tenuiores. Quibuſdā vrina naturali ferè vndequaque ſimilis erit, colore, craſsitudine, & ſedimento: quæ inter omnes exitioſior eſt, vt dicemus. erit quoque animus, præſertim vrinarum ſublimamentis, adhibendus: nam quædam quæ ſubliuida quodammodo ſunt, fugiunt: & item alia quæ aranearum latas telas referunt, in modum lanæ congeſtæ. At ſiquid tale animaduertas, aut nullum plane ſublimamentum innatare vrinis, in peiorem partem hæc interpretare, vt Gale. inquit 3. de præſag. ex pulſ. verùm ex vrina in eiuſmodi febribus, præſertim vbi corpus cordis occupauerint, firmam notitiam petere ſemper non licebit, vt ipſemet Gale. teſtis eſt: ſed alia ſunt perpendenda. Nam & in ore eorum cernes aliquid peſtilentis coloris, cùm partim eryſipelatoſum, partim colorem habent depaſcentibus herpetibus ſimilem, per plures partes diffuſum, cibum reſpuūt, ſitiunt præter modum, ac frigidam poſtulant. & oculi manifeſtè calidi & flammei redduntur, potiſsimùm ſi liceibit eos balneare, à balneo hæc accidunt, vt Galenus inquit citato libro tertio de præſagit. ex pulſ. Accidunt quoque eis deliria varia, bilis vomitus, præcordiorum diſtentiones, dolores, ſudores multi, extremitatum frigiditas, profluuia bilioſa, tenuia, flatuoſa. vrinæ aliis aquoſæ & tenues, aliis bilioſæ, aliis nigræ, malas ſubſidentias habentes, & peſsima ea quæ in medio vaſis dependent. ſanguinis narium deſtillationes, æſtus in thorace, linguæ torrefactæ, vigiliæ, conuulſiones violentæ: ſed & vlcera praua, & carbûculoſa, & pernicioſa in peſte fieri poſſunt, & in reliquo corpore, & in facie, ac tonſillis, vt ex Ruffi auctoritate fatetur Aëtius ca. 95. lib. 5. & Paul. cap. 35 lib. 2. interim ex hac febre incidunt in ſyncopē, anguſtia premuntur, ac inquietudine vehementi. Alui excrementa fiunt graueolētia, quandoque verò ſyntectica & pinguia, & vrinæ etiam oleoſæ: interim in cataphoram incidunt, & vox eiſdem vitiatur. Ex his omnibus, aut eorum quibuſdam, peſtilentem febrem dignoſces.

A caloris qualitate. *Comment. 1. ſu per text. 29.* *Ex pulſibus.* *Ex reſpiratione.* *Ex vrinis.* *Ex colore & aliis in facie conſideratis.* *Ex deliriis.* *Ex excretionibus, &c.*

Num ve

Dignotio ſi in humorib. calor ſit accenſus.

Num verò in humoribus, partibus ſolidis, aut ſpiritibus cordis accenſus fuerit præter naturam calor, ita diſcernas. Nam ſi in humoribus fuerit accenſus, internùs magis æſtu laborabunt, & vruntur, & hi ſunt qui maximè velamenta lintcolorum tum ferre non poſſunt, neque aliud quicquam præter nuditatem: licet exterius corpus valde calidum non ſit, ſed ſubrubrũ, liuidum, puſtulis exiguis, & vlceribus efflorefcens. Pulſus habent celeriores, neque adeò imbecillos, quãuis neque præualidos, percipiúntque ægri ſe febre laborare, neq; æqualiter perpetuò, ſed inæqualiter febricitãt. Reſpiratio maior, & frequentior erit, vrinæ quoque conturbatæ, interim aquoſæ & tenues, aliis bilioſæ, aliis nigræ, malas ſubſidentias habentes, aut peſsima ſuſpenſa, ſeu etiã ſublimamenta: interim oleoſæ, & pingues videbuntur: ſpiritus graueolens, & in ore aliquid peſtilentis coloris magis percipietur: ſitiunt magis ac linguam habent aridiorem, & frigidam maximè deſiderant, ac cibum reſpuunt. Poſt aures, aut ſub alis, aut circa inguina potiſsimùm fiunt abſque manifeſta cauſa eiſdem bubones, vigiliæ, conuulſiones, deliria, anguſtiæ, inquietudines, alui excrementa graueolentia magis, bilioſa, & interim ſyntectica, & pinguia maximè aderunt. Si verò ſolidæ cordis partes fuerint accenſæ, febris admodum exigua erit, adeóque exiguus præter naturam calor, ac perpetuò æqualis aderit, vt quidam ſe febricitare negent, cùm ſe febricitare non percipiunt. Pulſus etiam aderunt moderatis ſimiles, eo quòd parum ſunt præter naturam immutati, & in eodem ſtatu perpetuò manebunt, neque maiores iuſto, atque interim neque crebriore, omnino tamen celeres quodammodo, eo quòd celeritas febricitantium pulſibus perpetua eſt, ſúntq; omnino etiam imbecilli, cùm ipſum corpus cordis fuerit occupatum. ſimiliter vrina colore, craſsitudine, & ſedimento, naturali ſimilis erit Gal. auctore, eodẽ 3. de præſag. ex pul. verùm non propterea hæc accidunt (vt quibuſdam viſum eſt) quòd natura præ malitia ſeu venenoſitate aggredi non audeat peſtilentis febris cauſam. quidam verò aliter atque aliter interpretari hoc conantur, qui omnes, quos viderim, vſque ad noſtra tempora in hoc hallucinati ſunt. Neque enim propter aliud (vt Gal. viſum eſt citato libro 3. de præſa. ex pul. febris exigua eſt, calórque exiguus, pulſúſque moderatus, ſeu his qui ſecundum naturam ſunt admodũ ſimiles, in eodémque ſtatu perpetuò manent, nec febricitare ſe percipit æger, & vrinæ quoque colore, craſsitudine, ac ſedimento admodum naturalibus ſimiles ſunt) niſi ob id, quòd febris peſtilens ipſum cordis corpus occupauerit, planéque confirmata fuerit: & vt ita dicam, hectica, & in habitu: qua ratione hi ſunt quoque qui omnino inter omnes qui peſte laborant morituri ſunt. Nam quam excogites medicinam, inquit Gale. citato loco, cap. 3. ad putredinem, quæ cor occupauit? cùm autẽ ad corpus ipſius viſceris calor hic putridus vniuerſus deflexerit, non ab re pulſus non omnino celeres erunt, nec maiores, aut crebriores, in eodem ſtatu perpetuò manentes, parúmque præter naturam immutati, licet imbecilli ſint omnes, febriliſque calor exiguus & æqualis, quoniam nullam acceſsionis inuaſionem, nec incrementum, nec vigorem, nec remiſsionem habet, vt cæteræ febres hecticæ. Et quoniam vaſorum facultas concoctrix ferè oblæſa non eſt, aut parum ob febrium exiguitatem, ob id etiam vrinæ colore, craſsitudine, & ſedimento, naturalibus penè ſimiles erunt, minúſque deliria, vomitus, ſudores, aluíque profluuia his febribus accidunt: neque puſtulæ aut vlcera quædam in corpore efflorefcent, aut bubones fient, & dolores, ſeu labores minùs eos afficient. At ſi contingat calorem hunc putridum ad cordis ſpiritus deflectere, & ſi ratò eueniat, quòd ſi contingat ſtatim hominem perimit, aut ad aliquam duarum ſubſtantiarum peruadit (non enim in eiſdem ſpiritibus diu ſiſtere poteſt) non tamen deeſt facultas id dignoſcendi, ægriùs tamen ab hectica, quàm ab ea quæ in humoribus accenditur, diſtingui poteſt: quemadmodum & cæteræ diariæ ab incipientibus hecticis febribus difficulter etiam ſecernuntur. erit autem in his febrilis calor non adeò exiguus & æqualis velut in hectica,

Si in partibus ſolidis.

Cap. citato.

Cur cũ peſtis occupauit ſolidas cordis partes, quædam quæ hic recenſentur, ſecundùm naturam reperiũtur. in qua cauſa explicanda omnes hallucinãtur.

Si calor putridus cordis ſpiritus inuaſit.

nec ita

nec ita acris & mordax, vt in ea quæ in humoribus accenditur. Corporis extrema non admodum frigida. & ſi thorax tangatur, licet calidior reliquis corporis partibus reperiatur, minùs tamen acris, & mordax ſentietur caliditas, quàm in cæteris peſtilentibus. Pulſus non adeò imbecilli velut in hecticis, celeriores tamen, & frequentiores: minùs quidem celeres & frequentes quàm ſi in humoribus calor hic putridus fuiſſet accenſus. vrinæ admodum ſimiles his quæ ſecundum naturam ſunt. Incidunt in animi deliquia, ac ſyncopen ſæpius qui hac febre laborant, quàm cæteri. qua etiam ratione pauci quoque ſudores, præſertim in ceruice & fronte, in his cernuntur, ſeu madores quidam, lingua adetit non admodum ſicca & ſalebroſa, & propterea neque ſitis intenſa, corporíſque iactatio, ac inquietudo citra dolorem quempiam, propter virium imbecillitatem in his percipietur: neque etiam puſtulæ, aut vlcera, ſeu bubones eiſdem oriũtur, aut alui profluuia. His quippe indiciis febres peſtilentes dignoſcuntur: atq; hoc modo inter ſe diſsidere videntur. Nunc ad prognoſtica tranſ-

Prognoſtica.

eamus. Si quis ſolerti fuerit ingenio præditus, futuram peſtẽ prænoſcet, & animaduerſione malignorũ anni temporum, & vitæ ſtudiorum ad ſanitatẽ haud conducentium, aliorúmque animalium præcedente interitu. Inſuper etiam ſi expenderit cuiuſmodi ſit præſens anni tempus, qualíſque vniuerſus annus, vt liquet ex Aëtio & Paulo præcitatis locis. Cæterum neminem præterit peſtilentes febres omnes pernicioſas eſſe magna ex parte ex earum propria natura, cùm non modò duplicem, ſed ſæpius etiam triplicem in ſe magnitudinem contineant. inter cæteras verò illæ ſunt pernicioſiores in quibus plura, ac ſæuiora ſymptomata accidunt, vbi eiuſdem generis fuerit. Quòd in humoribus calor hic putridus ſuſcipiatur, minùs periculoſa febris erit, ſi puſtulæ, aut vlcera in corpore effloreſcent, ſeu bubones appareant, quàm vbi talia non fiant, etenim virium robur præ ſe ferunt, vt quæ adeò robuſtæ ſint, vt venenoſam materiã extra expellere conentur. quamuis vbi peſtilens fuerit conſtitutio, vt plurimùm criſes ad mortem terminantur, vt liquet comment. aphoriſ. 13. ſecundi libri. Verùm relatione ad eas febres peſtilentes in quibus aëris putredo ad corpus cordis peruenit, ſemper minùs minantur periculum hæ, in quibus calor hic putridus, ad humores quos continent cordis ſinus, vniuerſus deflexerit, cùm horum multi ſuperſtites fuerint, illi verò omnes interierint, vt inquit

Quæ peſtis minùs periculoſa, & quæ periculoſior.

Galenus tertio de præſagit. ex pulſ. Quapropter neque hos curare tentandum erit, cùm nullam excogitare poteris medicinam, ad putredinem, quæ cor occupauit, eodem Galeno teſte. vbi verò aër quem inſpirãdo attrahimus, putredine infectus ad ſpiritus cordis vniuerſus peruenerit, admodum exitioſa eſſe conſueuit febris peſtilens, ac cito interimens, niſi ſpiritus prætergrediens priuſquàm omnes inficiat ac corrumpat, ad humores quos continent cordis ſinus, ſiue ſolidas cordis partes deflexerit, & ob id neque etiam tales peſtilentes febres curationem deſiderent, cùm autem citò interimant, aut in aliud peſtilentem febrium genus tranſeant. Reliquum itaque eſt, vt earum quæ curationem admittunt aggrediamur: earum inquàm, in quibus aër infectus, putredine, inſpiratus, ad humores quos continent cordis ſinus, vniuerſus peruenerit. Nam harum quædam curari poterunt.

Cap. citato.

De peſtilentium febrium curatione. *Caput IX.*

CVM verò hæ febres omnes ex putredine ortum habeant, vt concluſimus, Gal. auctore 1. de diffe. feb. cap. 4. neq; etiã ſimplicem habebunt curationis indicationem, quemadmodũ de cæteris febribus quæ ex humorum putredine fiunt, cum eodẽ Gal. determinauimus, ſed geminã, alterã videlicet quæ ex putredine ſumitur, alteram quæ ex ipſa febre præſtatur, quãuis putredo nimirũ primò ſananda ſit, tanquã febrium cauſa. nec interim febris quæ per eam accenſa eſt,

Indicatio duplex, à putredine & à febre.

ratio

ratio non erit habenda, modò vires valeant. & ſi in idem conſentiant quæ febrem extingunt, & putredinem auferunt, ſine cunctatione id agendum erit. At cùm putredo in his febribus, non ex quapiam interna cauſa, ſed ex putrido inſpirato aëre originem ducat, huic primò proſpiciendum erit, ne & putredinem & febrem ampliùs in corporibus efficiat atque augeat, deinde quicquid eorum iam factum eſt ſummouere tentandū. Et ob id à de nat. hum. (ſiue Hip. fuerit, ſiue alius quiſpiam auctor) ſcriptum eſt: {At ſpiritus vt fluxus quā parciſsimus corpus ſubeat, vtque ſit quàm familiariſsimus prouidebis, ac ſolū quo ad eius facere poteris in quo morbus vigeat, vertes, corporáq; extennabis: ita enim minimè multum ſpiritum & frequentem homines requirant.} & Gale. in comment. dicebat: {auctorem, curationem eo loco ordine tradidiſſe eorum morborum, quos totius proprietate eſſentiæ, potius quàm nuda qualitate corpora offendens parit aër, in quorum numero febris peſtilens eſt: in duo (vt ipſe inquit) referens propoſita, loci ſiquidem viciſsitudinem, & pauculæ attrahendæ vſum animæ.} verùm vbi ob quampiam cauſam ſolum vertere non liceat, id ſaltem quàm primùm curabis, vt quàm parciſsimus, aër, & minimè frequens, corpus ingrediatur, ſitque his quàm familiariſsimus: ac corpora extenuabis: ita enim (vt inquit Hippoc.) minimè multum aërem, & frequentem homines requirent; parúmque ab eo nondum familiariſsimo reddito, oblædentur: quoniam aëris nos ambientis temperamentum, corporis diſpoſitionem ſecum mutat, acquiſititiúmque efficit temperamentum, quemadmodum natura & ætas, Galeno teſte quarto de ratione victus, & primo de morbis vulgaribus. eóque magis, ſi nedum in qualitate, ſed in tota ſubſtantia fuerit immutatus. Quo circa huic attenti eſſe cogimur, maximè & primò, quoniam nō tanquam cauſa ſine qua non duntaxat, vt in cæteris febribus ab eo indicationem ſumimus, ſed velut efficiente, cùm ipſe putridus, ac peſtilens redditus (vt dictum eſt) ſit harum febrium auctor: & proinde domus in qua æger decumbit, eligenda erit ſita verſus aquilonem, in loco non vtique cauo, qui nullum percipiat perflatum, ſed elato: ſint tamen feneſtræ clauſæ quodammodo, ne multus, & peſtilens aër ingrediatur, præſertim ſi quæ erunt verſus auſtrum. Quæ verò ad aquilonem ſunt poſitæ, interim patere conuenit, vbi potiſſimùm aër clarus, ac ſerenus fuerit. Turba quoque hominum quantum fieri poteſt, ingredi prohibeatur: nam præter id quòd aërem peſtilentem ſecum trahunt, domum etiam calefaciunt. Atqui curare oportet ipſum ad frigidum ſiccúmque alterare, quod ad qualitates ſpectat. Quod verò ad ſubſtantiam, vt ſyncerus, purus, atque odoratus ſit, ob id aſsiduè domus hæc aqua roſacea, aſpergatur, aut aceto roſaceo, vel vtriſque ſimul permiſtis, aut humi roſæ plurimæ, violæ, nenupharis flores, ſeu myrti ſubſternantur: in reliquis verò ædibus, aulæ in qua æger iacet, contiguis quotidie ignis ſuccendatur ex optimis, atque odoratis lignis, quo illatus peſtilens aër purgetur: vt quercus, iuniperi, pinus, oliuæ, lentiſci, cupreſsi, lauri, myrtillorum, roriſmarini, farmentorum viris, & huius generis ſimilibus, ponantúrque deſuper res odoratæ, vt ſantali, roſæ, roriſmarini, mali medici, ſeu citrangulorum flores: neque inconuenit vt interdum in eodem conclaui in quo æger decumbit, paruus quidam accendatur ignis, ex dictis lignis odoratis rebus etiam; ac floribus odoratis iniectis, præſertim vbi febris valida non fuerit, ac tempus anni non vehementer calidum. Nam & temperatè calidus aër, etiam in febribus à Galeno probatur, vt patet decimo de methodo medendi: cap. 8. præter id quòd talis ignis purum, ac familiarem aërem reddit, in hunc etiam vſum confert ſi domus hoc decocto inſpergatur, Recipe roſarum rubearum manip. j. ſantalorum omnium drach. iiij. florū nenupharis, & violarum ana manip. ſ. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ, & addita quarta aceti parte, vtare. interim iuniperi baccas; & myrtillorum folia ac fructus adiicito, ac poma quæ apia vulgo appellantur, ſeu eorum cortices, lauri, malique medici tum folia, tum flores.

Tex. com. 4.

Super tex. 1. Com. 1. ſuper tex. 1.

Domus qualis eligenda in peſte.

Ignis ſuccendi debet.

item odoramenta aſsiduè æger teneat, quæ capite de febre ardente requiras. & licet in hac febre vigiliæ & ſomnus moderatè conueniant, quia tamen ſæpiùs vigiliæ ægrū moleſtant, cùm his quæ eodē capitulo conſcripſimus ſomnus conciliandus erit. Cauendus tamen immodicus ſomnus, cùm humidiora corpora reddat, quemadmodum vigiliæ, ſicciora, & imbecilliora vbi modum excesſerint: omninóque motus vitandus erit, tum quòd febrientibus haudquaquam conueniat, tanquam calorem in corpore augens, vt liquet ab Hippoc. & Galeno 6. de morbis vulgaribus, & ex eodem Galeno comment. aphoriſ. 28. libri ſecundi, & 20. lib. tertij, tum vel maximè quòd maius frequentiùs infectum & venenatum aërem inſpirare cogentur. quies igitur ægrotis iniungenda: pari ratione repletio vitetur, ac excrementorum omnium, præſertim alui inanitio procurabitur congruo tempore: ſingulíſque diebus, prout docuimus citato cap. vitentur inſuper animi accidentia omnia immoderata, cibis etiam & potibus eiſdem vtantur, quos eodem capitulo de curatione ardentis febris probauimus, ſemper eiſdem acetum, aut acida quædam, præſertim mali medici acidum permiſcendo: nam corruptela exigit contemperamentum, & non ſolam adiectionem Gale. teſte commen. aphoriſ. 17. primi libri. Et quamuis cogendi ſint ægri vt cibos aſſumāt, vbi eos faſtidiuerint: nam fortiſsimi, qui vim ſibiipſis afferentes, cibum oblatum aſſumpſerunt, omnes ferè ſuperſtites fuerunt, vt ait Galenus tertio de morbis vulgaribus: plurimi verò mori quàm comedere quicquam priùs duxerunt, & minimè vtile ſit, vt inquit Celſus capitulo ſeptimo lib. 3. fame vti, vitanda tamen cane peius & angue erit nimia cibi & potus repletio, quam quidam Empirici ac Barbari nimiopere probarunt, parum rectè eadem Galeni verba intelligentes, ac propterea ægros nimio cibo implentes, citiùs ſtrangulantes, eo quòd putredinem, ac humorum corruptionem augeant. quocirca corpora extenuare præcipiebat Hippocrates libro 2. de natura humana. ita enim minùs cogentur multum ac frequentem ſpiritum attrahere, & non eadem replere iuſsit. Tanta itaque cibi & potus quantitas exhiberi debet, quantam vires exigunt, vt ex ea ſeruari poſsint vſque ad morbi ſummum vigorem, vt fuſiùs in vniuerſali methodo explicauimus. & vbi nō valeant vnica vice vel duabus in die eam euincere ac concoquere, in plures tum diuidenda erit, hoc eſt ter & ſæpius, ſed parum, cibus exhibendus erit, quemadmodum docuit idem Galenus commen. citati aphoriſmi 17. libri primi, vbi videlicet vires laborantis debiles fuerint, & ea quæ eſt in corpore diſpoſitio ſit ex corruptione humorum, vel defectu. confeſtim autem in primis morbi diebus nulla expectata coctione, quoniam neque omnino euinci, aut concoqui quod putrefactum, ac corruptum eſt in his febribus, à natura valet, euacuare tentandum eſt: nam quod alienum à natura eſt, ita vt amplius ad primam humoris bonitatem redire non poſsit, educere, idque primum eſt tentandum, vt liquet quarto de ſanitate tuenda. cap. 4. quapropter omnibus conſentientibus, per venæ ſectionem tentabis quod putrefactum eſt vacuare, & ob id ſtatim vbi potiſsimùm ſanguis abundet (vt inquit Aëtius) venam ſecare licebit internam dextri cubiti. nam velociſsime & plurimū ex his, quæ principes ſunt, partibus, vena hæc corpus vacuat, quo circa in acutiſsimis morbis ad hanc incidendam ſe confert Hippocrates, vt liquet ex eodem, & Galenus quarto de ratione victus in morbis acutis. qua ſecta, eam quæ ſiniſtri cubiti interna eſt, venam, iterum ſecabis: neque enim ſimul multa ſanguinis copia in his febribus extrahenda erit, ne vires proſternantur: ſunt etenim hæ ſemper in eiuſmodi febribus parum validæ, vt dictum eſt, propterea quòd cor primariò ſit affectum, & ob id tutius erit venæ ſectionem repetere, quàm ſimul multam ſanguinis copiam vacuare, etiam ſi morbus exigat: in quem etiam vſum confert ſiniſtri cubiti ſecundò venam ſecare, magis quàm dextri, vt quæ magis è directo ſita ſit ipſi cordi. ſi verò cum hac febre, poſt aures, vel ſub alis, aut in inguinibus bubones fiant, non minùs etiam vena ſecanda erit, potiſsimùm vbi non ita

Somnus qualis. *Quies & motus.* *Comment. 3. tex. 31.* *Inanitio & repletio.* *Animi affectus.* *Cibus & potus.* *Com. 3. tex. 8. comment. 5.* *Tex. citato.* *Purgatio.* *Venæ ſectio.* *Tex. com. 14.* *Vena ſecanda etiam ſi bubones appareāt.*

non tota materia ad eaſdem partes fuerit delegata, & expultrix facultas, ſegnis fuerit ad excernendum. At non ſemper interna dextri cubiti, ſed ſeruata rectitudine, ea incidatur quæ cùm iam dictis partibus maximè cõmunicat, vt humeralis, vbi poſt aures, interna cubiti vbi ſub alis, poplitis, ſeu maleoli vena, vbi in inguinibus bubones apparuerint: dextra tamen vbi in dextra, & ſiniſtra vbi in ſiniſtra bubones emerſerint. Exonerata etenim natura ab hac venæ ſectione, potentior efficitur ad excernendum à corpore quod corruptũ, ac omnino alienum eſt. At ſi vlcuſcula, puſtulæ, ſeu reliquæ cutis effloreſcentiæ in toto corpore apparuerint, quæ φύματα, ſeu ἐξανθήματα Græci vocant; perpendẽdum eſt criticæ, vel ſymptomaticæ excretiones ſint. dignoſces autem id ex conferentia & tolerantia: nam ſi criticæ fuerint, conferẽt, & ægri leuius ſe habebunt, ſi ſymptomaticæ, haudquaquam, ſed contra. ſecabis itaque venam aliis conſentientibus ſemper, vbi ſymptomatis ratione hæc proueniant: neque enim ab eiuſmodi excretionibus natura iuuabitur vnquam, præſertim vbi ea fuerint exanthemata, quæ vulgò paſticij Neap. appellãtur, & propterea non modo ea iuuanda non erit per hanc viam, cùm vtiles tales vacuationes non fuerint, ſed cohibere Hippo. decreto aphoriſ. 2. lib. 4. id quod in dies admodum formidare cernimus quamplures noſtros Neapolitanos medicos, in ſimilibus febribus peſtilentibus, cum eiuſmodi cutis efflóreſcentiis. Qui ob eorum imperitiã putãtes à venæ ſectione naturæ motum, ac ſi eſſet criticus, impediri, eam omnino prohibent, & propterea ægros veluti gladio quodam iugulant, quamuis nos non cohibendas, hoc eſt repellẽdas eas eſſe aſſerimus, ſed cùm ex eis æger iuuetur, quòd venæ ſectionem, aliáque medicamenta, tum intus, tum etiam de foris adhibita non impediant, fatemur. quinimò eiſdem audacter vtendum eſſe, cenſemus. Si verò criticè natura ad cutim pellat redundantes, ac vitioſos humores, animaduertere oportet num integrè eos excernat, vel excreuerit, hoc eſt perfectè, & indeficienter, an non: vel excreuerit, hoc eſt perfectè & indeficienter ſit iudicatum, aut iudicetur, neque mouere, neque nouare aliquid oportet, Hippocratis decreto aphoriſmo 20. libri primi, & ita inhibenda erit venæ ſectio. At ſi non integrè, & perfectè expellantur, aut fuerint expulſi ad cutim contenti in corpore vitioſi ac venenati ſucci, ſed permulta fuerit eorum copia, adeò vt à natura expelli nèqueant, eadem per venæ ſectionem exoneranda priùs erit, vbi reliqua conſentiant, & deinceps iuuanda per ea quæ per cutim vacuant, vt ſexto de morbis vulgaribus à Galeno decretum eſt. Nec propterea natura impedietur, ſed citius ac promptiùs aggreſſam iam criſim perficiet, à multa humorum copia exonerata, ob quam priùs grauata, inceptam criſim perficere non poterat. ſi verò ætatis, aut virium ratione, ſeu alterius cuiuſpiam, venæ ſectio fieri nequeat, cucurbitulis ſcalpello circuncisis, aut hirudinibus vtendum erit. ſimilis quoque ratio de purgatione habenda erit. Nam vbi ea indigeant ægrotantes, nulla (vt diximus) coctione expectata, eadem vti oportet, quàm citius poteris à venæ ſectione, vel ſtatim in primo ſaltem, vel in ſecundo die, ſi venæ ſectio fuerit impedita, etiam ſi materia non turgeat: eſt etenim venenoſa, & in corde conſiſtens: quapropter neque concoctionem admittit, neque ſi eam admitteret, eadem expectanda eſſet, ratione partis in qua continetur; quemadmodum ſuſiùs noſtro libello de concoctione differuimus. eſt itaque in principio ſtatim purgatione vtendum, vbi ea indigeant ægrotantes, nulla expectata morbi coctione in his febribus. Nam non ſolùm per vrinas, euacuationes, ſed quaſcunque alias corporis purgationes, probarunt Aëtius cap. 95. libro 5. & Paulus capitulo 35. libro 2. ambo tamen ex Ruffi auctoritate. & Galenus primo de differentiis febrium, cap. 4. corpora in quibus ſuperfluitates redundabant, peſtis tempore, purgatione ſanabat, inquit ipſe: quamuis de præſeruatione loqueretur; neque enim alia & diuerſa ratio eſt, quòd ad cauſæ abſciſsionem, in præſeruatione & curatione, quamuis in illa quæ poteſt in futurum, morbum facere, cauſam tollimus, in

Puſtulæ ſi ſymptomaticæ ſint etiã ſecanda vena.

Si puſtulæ per criſim non integrè iudicauerint, etiã vena ſecanda.

Com. 2. tex. com. 29.

Purgatio à venæ ſectione, & ante.

hac, quæ iam actu facit: quoniam ſub hac, iam ſenſibiliter ex ipſa cauſa morbus eſt genitus, in illa verò eſt futurus: vtraque tamen prophylactice appellatur, vt liquet vndecimo de metho. med. cap. 2. quamuis & curatio quoque appellari poſsit, nam & quæ præcuſtodia dicitur, eſt etiam curatio quodãmodo, eodem Gal. teſte citato lib. primo de differentiis febrium. cap. 4 at purgationis ea ratio habenda erit, vt per ea purgantia medicamenta perficiatur: quæ nihil venenati, nihilque moleſti habeant: per hæc etenim non modò morbi malitia non augetur, neque cum maximo labore, & virtutis proſtratione, putrefactus humor ſimul cum bono educitur, vt quibuſdam viſum eſt: quinimò redundans humor, licet excellenti putredine & malitia præditus fuerit, tuto & non multo cum labore, ac cum virtutis robore eadem exonerata, expurgatur. Neque enim eadem ſeruanda eſt lex in educendis eiuſmodi venenatis humoribus, ac in cæteris, ita vt concoquendi, ac præparandi priùs ſint, neque natura, poſt coctionem & ſecretionem, eos excernere tentat, ſed cùm omnino alieni ſint atque venenati, eos quàm primum expellere conatur, æquè certè, vt quæ in ventre corrupta prorſus ſunt, & propterea confeſtim etiam indiget aliquo manum porrigente, & hunc eiuſdem motum adiuuante, vt ex vtroque noxij humoris fiat euacuatio. Natura quidem expellente, medicamento verò attrahente, perinde ac in materia turgente, cùm non minùs in peſtilenti febre, imò magis eadem pericula immineant: decumbunt etenim ad membrum princeps, & non per corpus vagantur putrefacti ac venenati humores. ſunt verò hæc, mel aereum, caſsia fiſtula, tamarindi, ſaccharum violaceum, roſarum rubearum ſuccus, rhabarbarum, agaricum, ſena, epithymum, myrobalani, è quibus ea ſeligenda ſunt, ac inuicem componenda, quæ tibi pro ratione redundantium ſuccorum conducibilia eſſe videbuntur. Interim diacatholicon, ac etiam tryferam perſicam deſcriptione Meſues aducere poteris: neque enim in his febribus omnino deſpicienda erit. Id verò, memoria ſemper teneas, quòd vbi putridus ac peſtilens inſpiratus aër, vniuerſus ad partes ſolidas cordis, aut eiuſdem ſpiritus deflexerit, neque venæ ſectione, neque purgatione vtendum erit, neque his quæ vrinas, aut ſudores ciunt, quibus à purgatione iam dicti vti poterunt, ſed cæteris medicamentis alterantibus intus & extra, quæ ſtatim docebimus: ſunt etenim hæc communia omnibus peſtilentibus febribus. nam quod futurum eſt putridum, ſeu venenatum, vitandum eſt ne fiat in cunctis peſtilentibus febribus, quòd verò corruptum atque omnino à natura alienum, omni via vacuare tentandum eſt, potiſsimùm autem vbi humores tales fiãt, vt dictum eſt, & licet id vitabitur præcipuè vbi cauſa fuerit ſummora, non parum etiam confert, ſi cum eiuſdem medicamentis, aëris inſpirati malitiæ valde obſiſtat, & corpus imparatum ad ſuſcipiendam eiuſdem aëris putredinem reddas, eámque ſiſtas, ne amplius progrediatur, ac reliquas nondum putrefactas cordis ſubſtantias occupet, & corrumpat, & quamuis in reliquis peſtilentibus febribus non ex putredine humorum ortis, fruſtra hæc etiam ferè remedia tentabis: ſunt etenim exitiales ferè omnes, vtcunque non ea exhibere non inconuenit: in quem vſum magnopere à Galeno commendatur terra Armenia, ſeu lapidem nominare volueris. Inquit enim nono de ſimplicium medicamentorum facultatibus, quòd in magna illa peſte cuius eadem facies fuit, atque eius quæ Thucididis memoria graſſabatur, quotquot hoc medicamentum bibere, celeriter curati ſunt. At quibus non profuit, omnes interiere, ſcilicet cùm nec alio quouis iuuarentur. vnde colligitur quòd iis duntaxat non fuerit auxilio, qui planè erant incurabiles. vult itaque Galenus hoc in loco quòd qui à peſte curari poſſunt, omnes hoc medicamento liberantur. Deinceps exhibendi modum docens, aſſerit: { Cæterùm bibitur ex vino albo, conſiſtentia tenui, modicè diluto, ſi aut planè febri careat, aut leuiter ea teneatur, ſin grauiter febriat admodum aqueo, non tamen calore vehementes ſunt febres peſtilentes. } hæc ille: ſed vtinam bolus hic, lapis, ſeu terra,

Si putridus aër ſolidas cordis partes occupauit, neque venæ ſectione, neque purgatione vtendum.

Quæ in peſtilenti febre maximè commendentur.

Cap. proprio.

ſeu terra, ex Armenia, ea quæ Cappadociæ finitima eſt, etiam ſiccantior (vt ipſe ait) ad nos perueniret: neque enim hæſitandum eſſet de eius facultatibus, quas Galenus citato loco teſtatur, neque in peſte præſtantius vllum medicamentum eſſet præferẽdum. verùm cùm talis lapis ſeu terra ex Armenia haudquaquam ad nos deferatur, aut ſaltem per quàm rariſsimè, & paucisſimus, & propterea neque vetus, & ſyncerus reperiatur, vt ex eius tum colore, tum ſubſtantia coniectare licet, ab eo potiùs abſtinendum eſſe arbitror, ne pro lapide armeno, aliã vtamur adſtringenti ac obſtruente terra, ex qua potiùs ægri læduntur, quàm iuuentur, vt indies cernimus quoſdam Neapolitanos medicos in omnibus ferè febribus, etiam non peſtilentibus, vti, non paruam ægrotis noxam inferentes, cùm obſtructionem ac putredinem augeant, ob eiuſdem terræ craſſam ſubſtantiam, frigidúmque ac ſiccum temperamentum. neque hic qui apud nos reperitur (orientalis bolus communiter dictus) omnis ex Lemno vehitur: eſſet etenim fortè vera terra lemnia; ſed adhuc eius conditiones omnino participare haudquaquam videtur. Quamobrem neque etiam eodem vtor, neque vti conſulo, poſtquam terra illa non eſt armenica, quæ ex Galeno commendatur, & dubia res eſt, num etiam ex Lemno feratur. ſed veriſimilius eſt adulteratam eſſe terram, tum ob eius copiam, quæ paſsim in Italia reperitur, tum vel maximè quòd neque terræ lemniæ, omnino conditiones participare videtur; & valde difficile ſit, etiam veram à non vera diſcernere, ita vt veram à ficta dignoſcere queat nemo, vt liquet ex Galeno 1. de antidotis. ca. 2. ſed pone veram eſſe terram lemniam, non eam ſed armeniam commendauit Galenus. quam ſi conducere iis febribus nouiſſet, non vtique ſubticuiſſet inter tot quas ei tribuit facultates, licet tutum reddere accipientem eam, à venenis, aliíſque mortiferis medicamentis, ac fortè ferarum morſibus, non negauerit, 9. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ſimul cum iuniperi fructibus, quod medicamentum poſſe à peſte etiam præſeruare cum eodem Galeno admittimus. vbi autem lapis hic armenus fortè haberi poterit, apud quoſdam Regulos repertus, modo quo Galen. commendauit, tuto in his febribus vtare. commendatur etiam non minùs à Galeno, libro de Theriaca ad Piſonem, Theriaca, ceu ipſa quoque ignis quidam purgatorius exiſtat, vt ipſe inquit, præſumentes enim in peſtifero aëris ſtatu, neutiquàm malo corripi ſinere nouimus, correptis iam poſſe mederi, aëris inſpirati malitiam inalterantem mutantémq́; vt quæ corporis temperaturam infici magis prohibeat: de qua ſimilis mihi occurrit hæſitandi ratio, velut de bolo armeno, tum propter viperæ varias opiniones, atque eius incertitudinem (neque enim hucuſque, licet magnopere laborauerim, & plures ad me ſub hoc nomine fuerint delatæ, veram viperam ſuis cum conditionibus inſpicere potui) tum etiam propter alia medicamenta ſimplicia quæ Theriacæ compoſitionem ingrediuntur, quorum nonnulla haudquaquam comperiuntur. At vbi fortè exactè, & probè præparata reperiri contingat, audacter ea vtare. In hunc etiam vſum confert magnopere mali medici ſuccus acidus ſolus, aut exiguo ſaccharo paratus, nec minùs & limonũ, & limõcelij, aut cæterorũ malorum aureorũ, acidorum, ac malorum punicorũ, ac pomorum acidorũ, oxalidis, ſonchi, bugloſsi, melliſſophylli, ex quibus ſeparatim, aut quibuſdã eorum permiſtis cum ſaccharo, ſyrupũ conficere poteris, cũ quo interim ſmaragdi gẽmæ pollinem (vbi diues fuerit æger) miſceto. Conducit inſuper ſyrupus aceto ſus ſimplex, aut oxyſaccharũ. poteris etiam hunc in modũ medicamentum quo ipſe vtor, parare. Reci. ſacchari roſacei, & bugloſſati ana vn. 1 s. diſſoluas in lib. 1 s. aquæ meliſſophylli, oxalidis, ac ſeris ſeu bugloſsi, trãſfunde per colũ, & adiicito ſyrupi ex citri acido, oxyſacchari, & de pomis ſingu. vn. 2. pulueris diamargarit. frigidi drach. 2. foliorum dictamni, zedoariæ, & radicis heptaphylli ana drach. s. foliorum auri numero ſex, miſceantur, & ægrotanti ſæpius in die & nocte, parum exhibeatur. Huius etiam pulueris per duas horas ante cibum drã. 1. exhibere poteris cum vn. 1. vini albi odoriferi, & altera

Cap. 3.

Theriaca.

Syrupi.

Pulueres.

aquæ roſaceæ,& mirifice conferr. Recipe radicis heptaphylli, & pentaphylli ana dr.1.zedoariæ,dictamni cretenſis,ſeminis mali medici, & cornu cerui vſti ſingulorũ ſcru.2.cyperi,baccarum iuniperi cuiuſlibet ſcru.1.oſsis de corde cerui ſcru.s.croci gra.3.miſceantur & fiat puluis tenuiſsimus.interim drachmã s. margaritarum,aut ſmaragdi pollinis adiicere poteris.& vbi ſynceram habueris terram armeniam,drach.1.s.eiuſdem adiicito:denique ex his inuicem diuerſimodè commiſtis, diuerſos componere poteris,prout vſus vrgebit, pulueres, eóſque prout conducere magis videbitur, accommodabis. Cordis inſuper regioni epithema hoc erit imponendum, quod recipit aquæ oxalidis, bugloſsi, nymphææ,& roſarum rubear.ana vn.4.aquæ meliſſophylli, & florum citrangulorum ana vnc.2.ſantalorum omnium,& corallorum rubeorum ſingulorum drach.3.ligni aloës,corticum mali medici, ſeminis baſiliconis, cinnamomi,cuiuſlibet ſcru.1.oſsis de corde cerui numero 2.croci grana 4.vini albi odoriferi vnc.2.s.omnibus ſimul commiſtis cum ſericò,purpureóque linteo, fiant epithemata. Conuenit inſuper eidem cordis regioni hoc medicamentum imponere, Recipe Theriacæ drach. 4. terræ lemniæ, & ſantalorum rubeo. ana drach.1.aquæ roſaceæ,& aceti parum, fiat ad modum vnguenti: roborat enim cor,medicamentum hoc,foráſque trahit id quod in eo venenatum eſt,& prohibet ne vlteriùs ac magis inſpirari aëris malitia eiuſdem cordis ſubſtantiam inficiat.etenim non propellendo à ſe Theriaca, aut cætera alexiteria medicamenta,ſed ad ſe trahendo venenum, vacuant,Galeno auctore 5.de ſimplicium medicamentorũ facultatibus.ca.18.& præſertim vbi foris fuerint impoſita.ait nanque,omne deleterium venenum à foris impoſitis medicamentis euacuatur,nempe aut caliditate attractionem mollientibus, aut totius ſubſtantiæ ſimilitudine.horum tamen medicamentorum quæ alexiteria, ſeu alexipharmaca vocant, duplex eſt natura; vna eorum quæ diximus, quæ vacuant à patiente corpore venenum,ſeu deleterium medicamentum; altera quæ alterant, aut vna duabúſve qualitatibus,aut denique tota ſubſtantia,vt ibidem à Galeno ſcriptum eſt. Sacculi inſuper parari poterunt hunc in modum, Recipe florum nymphææ,bugloſsi,roſarum rub.ana manip.s. florum citrangulorum,roriſmarini,& meliſſophylli ana drach.2. ſantalorum, & corallorum rubeorum ana drach.3.ligni aloës, corticum citri, ſeminis baſiliconis ana drach. 1.foliorum dictamni,zedoariæ,cyperi, & baccharum iuniperi ana ſcru.s.croci grana 3.oſsis de corde cerui numero 1.interim margaritarum, aut lapidum precioſorum contritorum,ſeu ſolius ſmaragdi drach.s.aut ſcru.4.adiicere poteris: ambræ quoque,& moſchi grana 2.& cum ſerico, & purpureo linteo,omnibus ſimul commiſtis, ac contuſis, ſacculi fiant.atque his topicis medicamentis vtendum eſt, etiam ſi exanthemata quædam apparuerint, quæ Neapoli vulgo paſtitij vocantur vt dictum eſt, cùm per ea materia aliqua intus non repellatur, neque per hæc exanthemata vnquam criſis fieri poſsit, cùm non humor, ſed vapor ad cutim perueniat; etiam ſi à natura fiat eorum excretio. Adhæc roborato per eadem medicamenta corde, promptiùs ad alias ſaltem cutis partes à ſe quod moleſtat,excutiet, adeò vt ſemper maius ſequatur commodum quàm incommodum. Quod quidem perſuaderi quibuſdã noſtris Neapolitanis medicis, nunquam potuit,in grauẽ tamen ægrorum perniciem,ob eorum pertinacem ignorantiã.& hæc ſatis eſſe duxi pro cura febris peſtilentis.neq; enim me præterit complura peſtis remedia apud nonnullos eruditiſsimos viros,qui de ea conſcripſerunt, reperiri, à quibus vbi hæc non ſuffecerint, ſtudioſi petant. Nos verò quæ præſtantiora ac magis conducibilia ſunt, vſúque comprobata, hic conſcripſimus. Ad bubonum, exanthematum, aliorúmque ſymptomatum quæ cùm his febribus complicari ſolent, curationem propriam conſultò prætermiſimus: neque enim deſunt qui horum curationem fuſius explicauerint,innumeráque eorum ferè remedia ſcripta reliquerint. Nos verò hic peſtilentis dũtaxat febris curationem docere propoſuimus: qua etiam ratione

Margin notes: Epithemata. | Vnguẽta cordi admota. | Sacculi

tione & febres peſtilentibus ſimiles curari poterunt. Id tamen perpetuò vitare conſulo, ne in communem grauiſsimúmque noſtræ tempeſtatis medicorum errorem incidas, qui in eiuſmodi febribus, præſertim pernicioſis, & valde malignis, velut in lipyriis, in quibus ob magnam inflammationem in corporis parte aliqua profundiori ortam, ſeu eryſipelas, interiora vruntur, exteriores autẽ partes ſunt frigidæ, medicamentũ quoddam Meſues exhibent, non ſemel duntaxat ſed ſæpius, quòd Alchermes dicitur, putantes ex eo naturalem augeri calorem, atque ita extremas partes calfacere: ignorantes quòd cùm propter inflammationem, ſeu eryſipelas calor intus trahatur ac detineatur, & propterea extremæ partes frigeant, ex eodẽ calido medicamento inflammationẽ ipſam, aut eryſipelas augeri, magíſque propterea extremas partes refrigerari. Nec etiã innatum calorem augebit vnquam medicamentum hoc, cùm non nutriat, quo circa ægrotantes ſæpiùs hac ratione iugulant, tum vel maximè ſi ipſum cum vino, aut alio etiam calido potu præbeant. Admodum certè pernicioſus abuſus, nulla ratione aut auctoritate, nec etiam experientia comprobatus.

Vide finem cap. 2. partis tertiæ.

Quomodo, & quibus à peſtilentia quis præſeruari poſſit. *Caput X.*

SED quoniam non minùs confert peſtilentiæ tempore corpora ægrotantia curare, quàm eadem vbi non ægrotauerint præſeruare, ne in peſtilentem incidant febrem, propterea quo pacto ea præſeruari poſsint, breuiter exponere decreui, ea videlicet corpora quæ iuſtas ob quaſdam cauſas peſtilentem aërem fugere, ac alias in regiones migrare nequeunt. quo minùs ergo hæc corpora à peſtilenti & putrefacto aëre patiantur, vnus ſiquidẽ ac primus eſt in omnibus communis ſcopus; quòd videlicet corpus quàm maximè ſuperfluitatibus vacet, atque optimè ſpiret. ſecundo loco poſt hoc, vt præpotenti cauſæ quoad eius fieri poteſt aduerſetur, Galeno auctore primo de differentiis febrium. quapropter ſtatim ab initio (vt ipſe fatetur) quæcunque corpora humida videbat, omni via exſiccare conabatur, quæ verò ſicciora, in his antiquum habitum conſeruabat. At in quibus ſuperfluitates rẽdundabant, hæc purgationibus ſanabat, obſtructionem autem foraminum aperire, atque abſtergere ſuadebat. hæc itaque omnia ſeruare oportet, ſi velimus à peſtilentia corpora præſeruare: neque alia tentanda eſt via ſeu methodus: & ob id præpotenti cauſæ, hoc eſt aëri peſtilenti, & venenoſo, hoc modo aduerſetur. Primò, domus in qua commorari debent, eligatur ab omni inquinamẽto ſeu fœtore puriſsima, his etiam quæ in præcedenti capit. docuimus, ſeruatis conditionibus. & quia ignis potiſſimùm vbi eius non ſimplex lignorum materia fuerit, ſed lignorum, aliarúmque rerum odoratarum aëris putredinem conſumit: propterea quiſque domi ſuæ frequenter ad focum ſedeat, cuius ignis alatur lauri, pinus, iuniperi, quercus, oliuæ, lentiſci, cupreſsi, roriſmarini, & myrtillorũ lignis, ac vitium ſarmentis; ſuperimponẽdo etiam, interim thus, myrrham, lignum aloës, ebenum, ladanum, ſtyracem, ſpicam, iuncum odoratum, malorum, ocimum, caſiã. Huic itaque igni mira vis eſt in omni tempore, & præſertim hyeme, quo tempore largiùs eo vtendum eſt, parciùs autem æſtate. Aërem inſuper cõclauis his odoramentis alteramus, thure videlicet, maſtiche, ſtyrace, ladano, iuniperi baccis, ligno aloë, caryophyllis, caſsia, ſantalis, roriſmar. ex quibus omnibus, vel quibuſdam puluis fiat craſſus, aut orbiculi quidam cum meliſſophylli, ſeu roſatum aqua, figurentur, ac in exiguo igne proiiciantur, ſuffitúſque fiat. His denique atque aliis in præcedenti capitulo conſcriptis, alterandus eſt aër. Inſuper pomum, ſeu pila odorata componatur, quam hoc tempore manu geſtare conuenit, quæ ex his cõſtat, Recipe ligni aloës, carpobalſami, caſiæ ſingulorum ſcr. 1. calami odorati, amomi, ſpicæ ana grana 7. caryophyllorum, nucis muſcatæ, thuris, myrrhæ ana gra. 5. ſtyracis drach. 1. ſ. croci grana 3. labani drac. 3. ambræ,

Cap. 4. Corpora exſiccanda, & pori aperiendi.

Domus qualis eligenda.

Aër immutandus.

& moſchi, ſeu zibeti ana grana 2. florum nymphææ, violarum, bugloſsi, ana drach. 2. ſantalorum, & corallorum rubeorum drach. s. roſarum rubearum drach. 2. contundantur omnia ſimul, & cum aceto, aqua roſacea, & florum citrangulorum fiat pila; & vbi opus fuerit adde cremoris tragacanthi, ſeu gummi arabici, aut reſinæ terebinthinæ parum. Quòd ſi omnia prædicta haberi nequeant, aut pauper fuerit æger, poterit ex quibuſdam eorum eadem pila figurari. Item pro diuerſa natura, ætate, conſuetudine, regione, anni tempore, ac reliquis huiuſmodi, eorundem ſimplicium medicamentorum quantitatem, minuere, aut augere licebit, maximéque curæ hoc tempore eſſe debet, vt hominum cœtus quoad poſſunt, vitare conentur.

Somnus & vigiliæ quales. Somnus autem & vigiliæ (vt dictum eſt) moderatè conueniunt, vitandus tamẽ erit ſomnus meridianus, præſertim inſuetis frictiones lenes conueniunt, potiſsimùm aluo exonerata: curare etenim opus eſt, vt ſingulis diebus eadem alui excrementa natura excernantur, aut ſaltem arte, clyſteribus videlicet lenibus, aut glandibus: nec minus & reliqua corporis excrementa excerni debent. exercitio, niſi admodum modico, haudquaquam vtendum eſt. Aëre etiam priùs per ſuffitus, aut aliqua iam dicta etiam in præcedenti cap. purificato: coguntur enim ob exercitium, vbi aliter fiat, multum & frequentem aërem inſpirare homines; cuius contrarium iuſsit Hippocrates 2. de natura humana, & ratio etiam dictat.

Text. 4. ſimiliter & animi affectus omnes immoderati, vitandi ſunt: iuuat tamen hoc tẽpore fabulis, iocis, leui lectione, liberalibúſque ludis animum recreare. Triſtitia autem & animi mœror, omnino pellatur; ſimiliter & peſtis timor, coitus item magnopere fugiendus, præſertim immoderatus.

Cibus & potus. Quod ad cibum & potum attinet, nihil adeò vitandum, ac nimia cibi & potus repletio, vt dictum eſt: vitanda quoque, vt letale, eſt cruditas, nec minus & fames, ſed quantum oportet, & vires exigunt, exhibere conuenit. ſint autem cibi facilis coctionis, boni nutrimenti, ac putrefactioni minùs obnoxij; ſempérque eiſdem acetum, aut acidum quempiam ſuccum, præſertim mali medici, permiſcendo, quemadmodum cap. de ardenti febre, & præcedenti etiam, explicauimus. ſit itaque carnis vſus moderatus, aſſæ magis quàm elixæ, qualis eſt gallinarum, caponum, gallinaceorúmque pullorum, perdicum, faſianorum, itarnarum, attagenarum, vitulorum, hœdorum, capreolorum, leporum, merularum, turdorum, turturum, iuuenum columbarum, ac reliquarum paruarum, & montanarum auium. oua item recentia, ſorbilia, & tremula conueniunt. Inter piſces, ſaxatiles commendantur omnes, neque contemnendus eſt mullus, ſcorpius fluuiatilis, truta, & pelagicus mugil, & reliqui qui ſaporis ſuauitate cæteris præſtant, minime lentam, ſeu viſcoſam & craſſam habentes carnem, qui omnes tosti in craticula ex aceto, aut ex eodem, gelu præſtricti, conferunt. Ex oleribus lactuca ex aceto conuenit, cichorium, ſcariola, ſonchus, pimpinella, oxalis, bugloſſum, potiſsimùm æſtate. Hyeme vero meliſſophyllum, flores mali medici, vbi leuiter ebullierint, & cappares ſimiliter ex aceto. Item ruta, ſaluia, pulegium, hyſſopum, ſerpillum, apium, calendula, ſampſuchus, betonica, fœniculum. A fructibus præterea recentibus omnibus abſtinere oportet, præter quàm ſi acidi fuerint, vt mala medica, limones, limoncelia, & reliqua aurea mala, pruna, & acida mala punica: his nanque vti conuenit, quemadmodum etiam vua paſſa, nucibus pinus, caricis, ac nucibus iuglandibus. lactis omnia genera, oleoſa præterea ac pinguia, vitanda ſunt; & vniuerſaliter omnia quæ humectandi, ac calfaciendi vim habent: etenim vniuerſa victus ratio exſiccans eſſe debet, vt à Galeno præcipitur, 1. de diffe. feb. ſimiliter & refrigerans

Loco citato. postquam ab immodica aëris intemperie calida & humida, ac ab eodem putrido exiſtente, peſtis generatur. Pro potu, vino vtantur tenui, aquoſo, ac ſubadſtringente. Vinoſiora autem, & meraciora vitare oportet. Mediocris tamen potentiæ vinum ſubflauum, & ſuaue, mediocriter lymphatum. hyeme, & quibus crudi redundant ſucci, cæteriſque corporibus temperamento

frigid

frigidioribus, vitandum non eſt: quemadmodum aqua etiam confert calidis admodum temperaturis, & quibus ea vti conſueuerunt, interim ſola, interim verò cum momento cinnamomi, aut cyperi decocta: aut etiam caryophyllis paucis adiectis. Vbi verò in corporibus ſuperfluitates aliquæ redundarint, eaſdem purgare conuenit, Galeni inſtituto, citato libro primo de differentiis febrium. Necnon & foraminum obſtructiones aperire, atque detergere ſtudendum, quorum medicamentorum copiam in præcedentibus conſcripſimus. Eligenda tamen ex eis ſunt quæ minùs moleſta ſint, nihilque venenoſi habeant, miniméque corpus agitent, ac moleſtent, & pro ratione redundantium humorum vtendum: priùs tamen eiſdem concoctis ac præparatis. quæ verò obſtructiones aperiant, ac detergant, in vniuerſali methodo explicauimus, eorúmque magna copia habetur. quare non eſt cur hic iterum ea repetamus. id tamen non præteream, quòd inter purgantia medicamenta hoc ipſe potiſsimùm vterer, Recipe pulueris hieræ ſimplicis Galeni drachmam vnam, rhabarbari cum ſpica tantundem, aut ſcrupulos quatuor, cum aqua meliſſophylli, aut bugloſsi, fiant catapotia, & præbeantur, à quibus per horam, vel alteram mellis aërei, aut ſyrupi è pluribus infuſionibus roſarum rubearum vncias duas aut ij.s. cum eiſdem aquis exhibeas. quòd ſi pituitoſi magis redundauerint humores, pro rhabarbaro, agarico vtare: & ſi melancholici, ſena, & epithymo: poſſunt etenim humores omnes indifferenter qui in cordis ventriculis continentur, à peſtilenti aere inſpirato infici ac putreſcere, quamuis vnus altero ſit paratior. Inter celebratiſsima peſtis remedia, quibus corpus tutum redditur, ſunt Ruffi Catapotia, quæ (vt quibuſdam viſum eſt) cōſtant ex aloës lotæ partibus duabus, myrrhæ, & croci ana parte vna, quorum drachma vna aut drachma s. ex vino datur ſummo mane: promittit enim Ruffus quòd qui his fuerit vſus catapotiis, neque peſtilentia, neq; cōtagione correptus fuerit vnquam. Paulus verò capitulo 35. libri ſecundi aliter ex Ruffi intentione hoc medicamentum deſcripſit: ex aloe videlicet partibus duabus, guttæ ammoniaci tantundem, & myrrhæ parte vna. hæc in vino odorato contrita inſtar dimidij cyathi exhibentur, nimirum quotidie, inquit ipſe. eius autem quantitas ſit ſimiliter drachma vna, aut drachma s. nec quotidie, ſed ſingulis tribus, aut quatuor diebus exhiberi poterit. etenim præter id quòd à peſtilentia præſeruat, ventrem etiam exonerat hoc medicamentum. quòd ſi huic Pauli deſcriptioni momentum etiam croci adieceris, non erit abſurdum. Præſeruant item à peſte caricæ cum ruta, nucibúſque præſumptæ: etenim vniuerſis venenis aduerſari teſtantur nonnulli, de letalium venenorum compoſitione ſcribentes, vt liquet libro de cibis boni & mali ſucci. At lib. ſecundo de antidotis, cap. 5. Ex Apollinij mutis auctoritate hunc in modum medicamentū hoc deſcripſit Galenus, cap. 8. Rutę folia xx. nuces iuglandes duæ: ſalis gran. vnum: caricæ duæ. hæc ſi ieiunus quis comederit, à venenis nō lædetur. Deinceps aliam conſcripſit eiuſdem auctoris antidotum, quæ exhibita, accipientem tutum à venenis reddit. Recipit autem baccarum iuniperi drachmas duas, terræ lemniæ drachmas duas. hæc vbi in puluerem redegeris, oleo & melle commiſcebis & repones, atque cùm opus fuerit, ex aquæ mulſæ cyathis duobus, quantum eſt auellana, dabis. Hac antidoto Nicomedes rex vtebatur, ſi quando ſuſpectos habuiſſet qui ſe vocarant: nam ſi venenum non ſubſit, quieta manet, ſin adſit, nauſeam concitat, & euomere cogit: ita vt venenum quoque cum antidoto reuciatur. hæc ille. Nec minus à peſte præſeruat myrrhidis herbæ radix, Dioſcoridis auctoritate: ait nanque capitulo proprio: {Ferunt præterea quidam bis, térve pota quotidie in vino in peſtilentia radice eius, incolumes à peſtilenti morbo ſeruari qui biberint.} in hunc etiam vſum conferunt flores meliſſophylli, roriſmarini, & mali medici ſaccharo conditi: mirificè tamen conducit ipſiuſmet mali medici acidum ſimiliter ſaccharo conditum, & vniuerſa eius ſubſtantia, ſi cum ſaccharo conficiatur. ſaccharum quoque roſaceum, & bugloſſatum, nō parum etiam

Cap. citato.

Pharmacū cōueniens.

Pilulæ peſtilentiales Ruffi.

Carica cum ruta.

Lib. 4.

confert. Si verò cùm eorum aliquo drachmam vnam huius pulueris mane per tres horas ante cibum exhibebis, aut cum exiguo vino albo odorato & aqua roſacea, ſi quod aliud, præualebit, Recipe cornu cerui vſti, ſeminíſque citri ana drachmas duas, foliorum dictamni cretenſis, baccarum iuniperi, radicis heptaphylli (tormentillam vocant) & zedoariæ ana drachmam vnam, ſeminis roſarum, & oxalidis, ac corallorum rubeorum cuiuſlibet ſcrupulos duos, croci grana quatuor. fiat puluis, quo, vt dixi vtere: poterunt inſuper ex oxalidis, ſeu ſonchi ſucco, limoncelij, limonum, aut cæterorum malorum aureorum acidorum ſucco ſyrupi ex ſaccharo parari, quibus ſæpe vti, æſtate potiſsimùm, apprimè conferre puto, adiecta interim drachma vna prædicti pulueris. reliqua pręcedenti capitulo petas. quæ ſi ſatis eſſe non videbuntur, cæteros conſulito: reperies enim non paucos, qui peſtis medicamina conſcripſerunt. Nos verò quæ magis conducibilia viſa ſunt, ratione, & experimento comprobata, hic meminimus: ne ſcilicet in magnam mutatus hic excreſceret molem: & Tyrunculos artis medicæ perterrefaceret, atque confunderet. Qua etiam cauſa nonnulla breuitati indulgens, reliquo in hoc opere conſultò prætermiſi, quę fuſiùs ſcribere potuiſſem.

TRACTATVS DE FEB. PESTILENTIBVS

FINIS.

RAIMVS GRAECVS
PADVANO GVGLIELMINO
AMICO OPTIMO S.

NEGOTIVM, quod tuo ſuaſu ſuſceperam, notandi particulares locos in miro illo, & iam diu ſatis à nobis expectato libro Altimari Præceptoris noſtri, methodus de curandis febribus inſcripto, præter expectationem, non parum mihi attulit laboris. credidi enim id facilè præſtare: ſed cùm facto opus fuit, longè ſecus ac cogitaueram, rem ſe habere perſpexi: neceſſe enim fuit omnia ferè Galeni, & nonnullorum aliorum bonorum auctorum monumenta legere ac relegere. multum enim cùm ſolus fuerim, te abſente laboraui: ſed maxima vtilitas, quam conſequutus ſum ex hac doctiſsima lectione, inuentione ornata, diſpoſitione digeſta, & orationis perſpicuitate illuſtrata: in qua nihil eſt, quod non idem aptè, diſtinctè, & ordinatè dictum ſit, hunc laborem perpeti fecit. Quantum profecerim non pœnituit, occaſio mihi data fuit, vt viderem multos auctores, & præſertim noſtrum Galenum. nullus quippe fuit ferè in eo locus, quem non accuratè viderim. quàm mira legi de diffinitione methodi, & indicationis de primis præcipuíſque indicationibus, déque numero, & dignitate earum: & quàm conſtantem ſibimet Galenum in ſua doctrina faciat: licet aliquibus ſe diſſentire videatur: & quàm acerrimum Galeni defenſorem cognoui hunc virum contra quoſdam non poſtremæ famæ, hac noſtra tempeſtate, medicos: qui credebant ſuis rationibus, ſi dijs placet, demonſtratiuis, ſolidam, & veram Galeni in arte medica methodum euertere: quàm miro ordine prima genera febrium, priùs aſsignata definitione, ad Galeni mentem ſtabiliuit: & diuiſiua methodo, ad inſectiles differentias, deuenit: demum qua arte omnium febrium & præſertim peſtilencialis (in qua tractanda, omnes, quos viderim, ſuperauit) dignotionem, prognoſticum, ac curationem, tradidit. ſatis, ſupérque tibi debere ſentio, cùm ad hunc fructuoſum me laborem excitaueris. nullus enim eſt ſenſus, in illa abſtruſa, & difficillima methodo Galeni, qui hac lectione duce non pateat. nullus ordo, qui non elucescat: omnia diuinè potius quàm humanè in arte medica vir iſte ex rei natura rimatur. cuius ingenium quanti faciam, ſempérque fecerim, tu teſtis es. quò fit, vt omnes artis medicæ ſtudioſi huic non parum debeant. nam ſi verum dicere licet, noſti iam diu eſt, meum liberum iudi-

cium

cium (abſit adulatio, quæ neſcit ſtare cum vera amicitia) nullus poſt Galeni memoriam, quem viderim, febrium doctrinam ſub methodo vniuerſali ac perſpicua, à principio ad finem tradidit. quapropter ſi quis erit, qui ſe huic doctiſſimo viro non debere ſentiat, monſtroſæ & ingratæ erit naturæ. interim artium medicinæ Tyrones commonefacio, vt, de hoc noſtro qualicunque labore, tibi amico ſincero ac optimo gratias agant, qui me ad illum ſubeundum impuliſti: & Deum optimum Maximum comprecentur, vt Altimarum in re medica φιλόπονον ſeruet, licet enim mihi ſic eum nominare, quia iuxta Græcam ſententiam τὰ ἀγαθὰ τοὺς πόνοις ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἔπραξεν: hoc enim, ſaluo capite, promitto vobis, omnia in arte medica fore clara, perſpicua, & facilia, & in veſtri gratiam ac vtilitatem vnà cum amico noſtro non ceſſabimus illi ſuadere, vt ſub compendioſa methodo doctrinam de tumoribus præter naturam, iuxta Galeni placita, elaboret: vt nihil obſcuri remaneat in arte medica. ſperamus exoraturos quod petimus: perſpectum enim eſt nobis, iam diu eſt, viri ingenium, quàm ad omnia verſatile, pronum ad iuuandum, & benefaciendum: & tandem de omnibus benemerendum. Vale amicorum optime: & me vt ſoles ama.

DE MANNAE, VT AIVNT, DIFFERENTIIS AC VIRIBVS, DEQVE EAS DIGNOSCENDI VIA, ET RATIONE.

DONATO ANTONIO AB ALTOMARI AVCTORE.

Ad excellentem Hieronymum Albertinum intimum Philippi Regis, ac primum hoc in Regno conſiliarium ornatiſsimum.

DE ea re quam vulgus Mannam appellat, & noſtræ tempeſtatis Medici ad aluum molliẽdam vti conſueuere, quid ſentiam Albertine iucundiſ. honorum omnium, atque bonarum artium ornatiſ. inſtanter ſcribere petiiſti. Et quamuis id diu in animo fuiſſet, méque ad hoc alij nonnulli ſæpius impulerint, meam tamen de hac re ſententiam propalare nolui: ne fortè ſi aliud quàm cæteri eruditiſ. viri qui de ea ipſa ſcripſerunt, ſentire cogerer (ſunt etenim non pauci) contradicẽdi potius gratia, quàm veritatem aſſerendi me ſcripſiſſe putarent, hiſce noſtris præſertim temporibus, quibus plerique eorum qui libros ſcribere tentant, quò ſapientiores videantur, aliorum dictis contradicere potius, quàm ex propria Minerua vtile quicquam poſteritati in apertum proferre nitantur. Id quod (Deus mihi teſtis eſt) ſemper odioſum proſequutus in his omnibus quæ hactenus literis mandaui. Nunc verò, & vt tibi morem geram, & poſteris non parum, vt mihi videtur, proficiam, hanc ſubire prouinciam non recuſaui: nam pro tantis tuis in Rempubl. meritis hónores tibi habendi, gratiæque ſunt referendæ, mecúmque præſertim tam amicè, honorificentiſsiméque te ſemper geſsiſti, vt nullam partem tuorum meritorum non modo in referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi poſsim, cogitánſque (virtute excepta) nihil amicitia præſtabilius eſſe, omnes, & me tibi, concordi beneuolentia, & charitate coniunxiſti. Demùm vera opinione, & ſcientia præditus, atque ob id prudentiſsimus cum fueris, meritò in omnibus tibi, Patriæ & huic Regno ſiquid accidat, ſummum agens conſulem conſulere potes. eſt nanque res ſacra conſilium, vt inquit Plato in Theage. Quamobrem ius ſuum hominibus tribuens, Mannæ (vt aiunt) ne iniuria inferatur, tuum etiam erit conſulere,

cúmque

cúmque mater (vt ita dicam) Natura rerum omnium in hac noſtra cæli clementia hoc bonum nobis tribuerit, ne per eius vim, ne per Deos quæſo direptioni, & contumeliis relinquatur, & dum nonnullorum iam diu vſitata rabies, vt aliquid facere videantur in hæc cæleſtia dona propter animi acerbitatem inuadit, te acerrimum defenſorem agnoſcat, & natura, & ars ipſius æmula quæ humano generi miro quodam ingenio hoc medicamentum parans, déque ægris benemerita, Dij immortales, cur cauſa cadere debeat non video. Illud tamen ingenuè fateor iure ac prudenter à noſtro iuſtiſſ. præſide atque conſulibus de quadam manna ſancitum eſſe, vt igne crematetur. Non enim ſuam ſententiam ſequuti, ſed pharmacopolarum, & quorundam medicorum teſtificationem id decreuere, qui eam mannā aiebant rem eſſe peſsimam, & humano generi omnino aduerſiſsimam: quæ vera ne an falſa ſint, videant eorum conſcientiæ: non enim cenſorem agere conſtitui, ſed tantum poſteritati conſulens, quid de hac re ſentiendum ſit, tibi ſcribere volui, vt te fautore facilè huius Regni ſummo præſidi pateat veritas, dum ea, quæ ſcripſi, rem non aliter eſſe præſtabunt, & propterea perficienda iubeat, legémque hac in re velut in cæteris condat, tanquam maximum huic regno, vniuerſæque Italiæ & toti fere Europæ bonum, cuius ratione legum latores leges condere conſueuerunt Plat. auctoritate lib. de pulchr. Nec à tua dignitate alienum arbitror ſi ſummus Conſul, & Iureconſultus in hac re te medicum præbeas: intereſt enim Reip. ipſius rectores ad hæc etiam deſcēdere, quæ ad ſalutem pertinere videntur. Quod vt facias Chriſtiana pietas te admonet, rogátque noſtra humana ſocietas atque charitas, quæ me etiam hortata eſt, vt hæc ad te ſcriberem: quæ dum legeres, faciliùs pro manna dicere poſsis. Nam oportere (vt ait idem Plato in Alcib.) cùm aliquid facturi, aut dicturi ſumus, nos priùs verè cognoſcere quod priùs agere & loqui debemus. Itaque quid ſentiam currenti calamo libenter ſcribere aggrediar, meam cùm auctoritatibus, tùm rationibus ac etiam experientia firmans ſententiam, reliquorum iuniorum opinionibus prætermiſsis, cùm non eas improbare intendam, vt diximus, imò eoſdem potiùs ſemper venerari ac colere. At vt dilucidior noſtra reddatur oratio, quoniam cum Medicis omnibus ac Pharmacopolis res agenda erit, & demittendum eſſe ſtilum cenſui, ac primò diſſerendum, Num ea Manna qua noſtri temporis Medici ad aluum molliēdam vtuntur, velut ros quidam ſit è cælo delapſus, quemadmodum Arabū familia cenſuit, an arboreus ſuccus, liquor, ſeu veluti lachryma, vel vtroque modo eam generari contingat? Secundo vtrum eorum fuerit, Num innoxie ea vti citráq; omne diſcrimen indifferenter valeamus, vel vniuerſa omnino explodenda ſit? vel ſi altera ſit altera perfectior, nū alicuius duntaxat ſit innoxius vſus, quædam verò omnino vitanda? Tertiò ſi vna fuerit altera perfectior, & vtroq; modo generari poſsit, Num detur via, ſeu poteſtas aliqua, aut quiſpiam modus, quo alteram ab altera dignoſcere, ac ſecernere valeamus? Quod igitur ad primum attinet, attendere oportet Ariſtotelē primo meteororum ſcriptum reliquiſſe, quòd quemadmodum ex media Aëris regione ſeu loco circa nubes tria proueniunt corpora, propter vaporum ad eādem aëris regionem eleuatorum infrigidationem, aqua videlicet, nix, & grando: ita quoque proportionabiliter propter eaſdem cauſas, maioris duntaxat minoriſve ratione diſsidentes, ac multitudine & paucitate, in eiuſdem aëris parte inferiori quæ prope terram habetur, duo pari ratione corpora generari conſueuerunt, ros inquàm, & pruina: quorum primum aquæ, alterum niui correſpondet: ros enim, & pluuia idem ſunt, quamuis pluuia multa ſit, ros autem paucus, cum ex multo vapore infrigidato, multo etiam tempore, ampliorîq; loco pluuia generetur, ex exiguo vero, atque vno die conſiſtente, paucóque in loco ros fiat: id verò manifeſtum eſt ex pauca roris multitudine eiúſque veloci generatione. Similiter pruina & nix idem ferè eſſe videntur: cùm enim congelata eſt nubes, nix eſt, cùm verò vapor, priùs quàm in aquam concretus fuerit, iterum

rum

cum pruina fit. Grandini autem quemadmodum idem Ariſto. citato loco fatetur, nihil hic ſimile correſpondet, ita vt quippiam grandini proportione correſpondens, circa terram generari non contingat, ob cauſas ab eodem philoſopho ibidem explicatas; quemadmodum pluuiæ & niui ſimiles ros & pruina generantur. Verùm quamuis ros & pruina communicent, eo quòd ambo ex vapore fiant, qui de die euaporat, & propter caloris paucitatem, ſurſum admodum, ad eum locum quo in aquam fit tranſmutatio, eleuari non poſsit, ſed nocte prope terram infrigiditatus (frigidiores enim noctes ſunt) deorſum tandem deſcendat: item quòd ambo etiam fiant ſerenitate, & tranquillitate; nam ſerenitate non exiſtente neque eleuari poterunt vapores, neque etiam conſtare vento flante, vt eidem Ariſt. viſum eſt: ſiccitate etenim opus eſt ad ipſius eleuationem, ac etiam tenuitate à qua ſurſum ferantur; flante verò vento, non conſiſtent, ſed potiùs diſpergentur, & corrumpentur, vt inquit Alexander: diſſident tamen inter ſe: nam ros generatur cùm vapor concretus fuerit in aquam ita, vt neque adeò ſit immodicus calor continentis loci, vt anni temporis, aut particularis conſtitutionis cauſa, vt idem ſurſum latus vapor exiccetur, neque ita ingens frigus, vt priùs quàm in aquam conuertatur, congeletur: & proinde in temperie quadam & temperatis locis, ros fit magis, pruina verò cùm vapor priùs congelatur quàm in aquam concretus fuerit: & quoniam ampliori frigiditate opus habet vt ipſe congeletur, propterea fit magis hyeme, & frigidioribus locis, ac particularibus conſtitutionibus frigidioribus exiſtentibus. Quicquid tandem ſit, ſerenitate, & tranquillitate indigent, vt ros & pruina fiant: & quamuis à diurno calore in vtriſque ſurſum vapor feratur, minori tamen exiſtente eo quod eleuatur, caloréque exiguo vt ſurſum admodum eum eleuare non valeat vt dictum eſt, à noctis tamen ſuperuenientis frigiditate, generationem vtrique habent: quæ ſi minor fuerit, in aquam concretus idem vapor, ros fit, & proinde in temperatis maximè locis hic fieri conſueuit: Si verò frigidior nox ſuperuenerit, ita vt prius quàm in aquam conuertatur, vapor congeletur, pruina prouenit. His itaque de cauſis ros, & pruina fiunt, atque ita inter ſe conuenire, & diſſentire videntur iuxta Ariſt. decreta. Quo fit, vt & rationi conſentaneum ſit, quibuſdam etiam particularibus regionibus ſeu locis, ſtatis quibuſdam anni temporibus, ac particularibus aëris conſtitutionibus, ſerenis tamen ſemper, ac tranquillis exiſtentibus, liquor quidam ſuauis, melleæ conſiſtentiæ, rorique ſimilis, necnon res quædam ſacchari, ſeu gummi ſimilitudinem præ ſe ferens pruinæ inſtar generetur, craſsiuſculis quibuſdam, interim etiam & lentis è terra vaporibus, atque aqua diurno tempore à ſolis calore ſublatis, exactéque tenuatis, ac coctis; & deinde ſuperuenientis noctis frigore concretis, ſeu congelatis, ac deorſum decidentibus. Qua ratione liquidam interim mannam generari rori ſimilem, quam roſcidum ſeu roridum mel, aut ſaltem eidem ſimile, appellare licebit, interdum concretam, atque congelatam, ſaccharo, ſeu gummi ſimilem, pruinæ inſtar, quã roridum ſaccharum iure appellare poterimus, ſeu mauis pruinoſum, cùm pruinæ magis quàm rori ſimilis ſit, eidémque in eius generatione proportione reſpõdet. Sed mox quæret quiſpiam, cùm ros in temperie ac temperatis locis magis generetur, pruina verò in frigidioribus magis, vt Ariſt. viſum eſt, citato libr. 1. met. & liquida manna, ſeu mel roſcidum rori, concreta verò, & quæ coagulata eſt, pruinæ correſpondeat, num eodem anni tempore, eodémque loco ambo generari valeant? Huic reſponſum ſit, quòd quamuis vterque halitus ſeu vapor, ex quo tam liquida, quàm concreta manna generatur, à ſolis & diurno calore, vt dictum eſt, ſubleuetur atque à ſuperuenientis noctis frigore prope terram infrigidatus ac concretus deorſum tandem deſcendat, quemadmodum de rore & pruina dictum eſt, diſsident tamen inter ſe maioris, minoriſve ratione. Nam cùm exiguũ fuerit ſuperuenientis noctis frigus, quemadmodum ros magis generatur, perinde etiam, & liquidum, roſcidum, aëreúmque mel, potiſsimùm gignitur; ſi verò

maius fuerit ſuperuenientis noctis frigus, congelatus ſiquidem idem vapor à maiori frigore priuſquam in liquidam, & melleam ſubſtantiam conuertatur, concreta manna, pruinæ ſeu etiã niui ſimilis procreatur, etenim amplioris frigiditatis eſt ipſum cõgelaſcere, vt inquit Ariſt. citato loco. Quapropter in tẽperatis etiam natura locis, ac etiam calidis, & æſtate, nihil impedit quod quandoq; pruina generari poſsit, particulari cæli ſtatu (ſuperueniente nocte) frigidiori exiſtente, & ob eandem etiam cauſam congelata, ſeu coagulata manna ſimiliter eodem in loco, eodémque anni tempore diuerſis tamen noctibus, quemadmodum & liquida generari poterit: quamuis ros in temperie atque temperatis locis, pruina vero hyeme, & hyemalibus locis magis fieri contingat. nam idem operari poterit particularis aëris conſtitutio frigida, quod regio, ſeu anni tempus frigidũ. At ſi dixeris, ex ſolis calore extenuatos, & coctos adeò fuiſſe pridie ob calidam & ſiccam aëris intemperiem ſublatos vapores, vt concreſcere amplius, ſeu congelaſcere pruinæ inſtar, à ſequentis noctis frigiditate, etiam valida exiſtente, haudquaquam valeant, adeo vt cõcreta manna fieri poſsit, æſtate præſertim, dicimus nos non modò non impedire, ſed conferre admodum ad promptiorem, & celeriorem maiorémque coagulationem, ſeu congelationem præcalefactos vapores ſeu halitus: etenim citiùs ad eorum tenuitatem, ac impenſiùs à ſequentis noctis frigore infrigidantur, & propterea congelantur, ſeu coagulantur: quemadmodum ſiqui voluerint citiùs aquam refrigerare, ad ſolem primò imponunt, & qui circa Pontum habitant, cùm in glacie habitacula faciunt ad piſcium venationes, (venantur etenim intercidentes glaciem) aquam calamis calidam circunfundunt, propterea quòd citiùs coagulatur, eodem Ariſto. auctore citato lib. 1. meteororum. Id quod Gal. etiam confirmauit 6. de morbis vulg. inquiens, Hac ergo ratione cum aquam frigidiſsimam reddere voluerimus, niuẽ habentes priùs feruefactæ aquæ ipſam exterius circumponemus; ſed niue carentes in puteo ſeu amne labente ipſam priùs calefactam, vt faciliùs permutetur refrigerabimus. Nam quodque priùs calefactum à vicinis in ſe totum alterationem admittit. Ex præcalefactis itaque à ſolis & diurno calore vaporibus, & deinde à ſequentis noctis frigore congelatis, nihil impedit quominus concreta manna æſtatis tempore generari poſsit, quemadmodum ex ipſis concretis à pauco frigore mel roridum fit eadem in regione, eodémque anni tempore, modò frigidior ſuperueniat cæli ſtatus in ſequenti nocte: quinimo & æſtate magis vbi eandem quam diximus ſeruauerit conſtitutionem. Proinde etiam conſtat ex dictis, quod veluti materia ex qua roſcidum, ſeu aëreum mel generatur, eiuſdem eſt cum rore generis, vt inquit Galen. 3. de alim. fac. perinde etiam & ea ex qua manna concreta, quam roridam vocant, generationem habet, eiuſdem erit cum pruina generis, vt probauimus Ariſto. auctoritate. Eſt namque pruina (vt ipſe inquit lib. de mundo) nihil aliud quàm ros concretus. Et Plinius cap. 60. lib. 2. his verbis idẽ confirmauit, grandinem conglaciato imbre gigni, & niuem eodem humore molliùs coacto, pruinam autem ex rore gelido. Et idem Ariſt. 5. de gene. anim. cap. 4. ponens conuenientiam & differentiam inter ſitum, & pruinam, dicebat, omnis enim vapor terrenus, vim habet aëris craſsioris; ſitus enim quaſi reſpondens pruinæ exiſtimatur: nam ſi vapor ſe efferens concreſcit, pruina fit, ſin putreſcit, ſitus. quamuis neque aſsiduè, neque copioſè vt illa, ambo hæc proueniant: mel inquam roſcidum, & manna hæc cõcreta. Et licet potuerit à lapidibus ſeu plantis in quibus reperitur quodammodo in eius coagulatione, ſeu congelatione iuuari, eius tamen præcipua & propria coaleſcentia ſeu congelatio, ab ambientis aëris frigiditate prouenit: eſt enim eius generatio niui, ſeu pruinæ aſsimilis, vt dictum eſt, quamuis nõ tantam exigat frigiditatem pro eius concretione ſeu coagulatione, propterea quòd vapores ſeu halitus ex quibus manna hæc concreta generatur, licet craſsiuſculi & lenti propemodum exiſtant, tamen non eo indigent frigore pro eorum cõcretione, quo nix,

& pruina

& pruina,ſed minori, propterea quòd à ſolis calore pridie ſublati, ex aëre fue-
rint extenuati & cocti, qua ratione citiùs concretionem ſeu coagulationem
admittunt à ſequentis noctis frigore, vt demonſtrauimus, etiamſi immodi-
cum non ſit; cúmque è cælo ambo hi liquores proueniant,tam liquidus vide-
licet, quàm concretus, neceſſariò ſequitur quòd non in quibuſdam arbori-
bus, ſeu fruticibus, aut etiam particularibus quibuſdam eiuſdem generis
plantis, ſed indifferenter in omnibus tum arboribus, tum fruticibus, ac reli-
quis plantis, ſimúlque lapidibus, ac terra eiuſdem loci etiam decidat, quam-
uis boni malíve quippiam ex his plantis in quibus colligitur ipſi accedere poſ-
ſit,& in quibuſdam magis, in quibuſdam verò minus ſeruari valeat. fit itaque
quemadmodum ſuauis ac liquidus quidam liquor, quem mel roſcidum, ſeu
aëreum nominamus, aut admodum melli ſimilis, à materia quæ eiuſdem eſt
generis cum roreſita quoque & concretus ſeu coagulatus quidã ſemini gum-
mi,ſaccharóque ſimilis, qui manna aërea appellatur, ex eiuſdem generis ma-
teria ex qua fit pruina. At quæ eo quo diximus modo generantur,conueniunt,
ac diſsident inter ſe, vt priùs demonſtrauimus. Sed ſtatim quiſpiam ea quæ di- *Obiectio.*
ximus oppugnaret, inquiens, Si ex frigore vtraque enarratam manna gene-
rationem habet, quî fieri poſsit vt dulcis ſit, temperatéque calida, ac aluum
ſoluat, vt omnes medici vno ore fatentur? Niſi eſſet quod quamuis à frigore *Reſponſio.*
concreſcant ſublati halitus ſeu vapores ex quibus vtraque manna generatur,
à ſolis tamen calore,priùs fuêre extenuati & concocti, aliàs eleuari haudqua-
quam potuiſſent, quapropter etſi concretio ex frigore eis proueniat, earum
tamen materia calida eſt & humida,cuius etiã temperaturæ remanet vtraque
manna ex eis genita, ſimilem etenim habet generationem ac pinguedo ipſa,
quæ non minùs dulcis ac calida moderatè exiſtit, quamuis à frigore concre-
ſcat,vt Gale. viſum eſt. Quòd verò vtraque manna taliter generari poſsit, au-
ctoritatibus quoque confirmare non grauabor,ab Arabum familia exordiens.
Sunt etenim inter eos qui de vtriſque iam dictis liquoribus verba feciſſe vi-
dentur,præſertim Serapio & Auicenna. Nam Serapio cap.45. loquens de man-
na ait, Men, id eſt Manna, eſt calida, & abſtergit, & lauat, niſi quia virtus
eius augetur,& diminuitur ſecundum diuerſitatem arborum ſuper quas ca-
dit, meiuragie,eſt calida in primò,temperata in humiditate & ſiccitate,bona
pectori,& pulmoni, & quod de ipſa cadit ſuper arborem Tamariſci, eſt bona
tuſsi. Haben meſuhai, manna, cadit ſuper Tamariſcum & quod de ipſa colli-
gitur, confert tuſsi,& aſperitati pectoris. Collegit Razes, & dixit quòd man-
na cadit ſuper arborem quæ dicitur Maluauiſcus ſicut mel, & quando facit
moram ſuper plantam iſtam, albeſcit; ſed quando non diu ibi moratur, ſed
colligitur cito cum folio eius, eſt viridis,& deinde ſubdit, Habix eſt calida in
fine ſecundi gradus &c. Ex quibus verbis & reliquis quæ eodem cap. conſcri-
buntur, clara luce apparet hoc loco, non de liquida (vt quibuſdam viſum eſt),
ſed de concreta ac coagulata aërea manna Serapionem verba facere. Quod
confirmare videtur idem auctor cap.11. cùm de Tereniabin ſermonem habet,
quo loco luculentiſsimè apparet liquidam, & melli ſimilem conſcribere, ait
enim, Tereniabin eſt ros cadens de cælo, aſsimilatur melli granuloſo aggre-
gato,éſtque nominatum mel roris, & plurimum quod de ipſo cadit, eſt ſuper
arbores quæ ſunt in terra Coraſceni in Oriente, quæ arbores habent folia ſi-
milia, & ſpinas virides,& flores rubeos & non faciunt fructum,& cadit in
caſtella ſuper ſummitates palmarum,& deinceps poſito eius temperamento,
narratíſque eius viribus, ſubdit, Habix Tereniabin eſt plus ſaccharo, & ſe-
dat inflammationes febrium calidarum, & aufert ſitim, & mollit ventrem.
mollitione mediocri, & eſt manna quæ cadit ex aëre ſicut cadit manna, & le-
nit pectus ex tuſsi, & reliqua. Ex his itaque locis manifeſte apparet, Serapio-
nem vtrunque iam dictum aëreum ſuauémq; liquorem, tam ſcilicet liquidum
& melli ſimilem,quàm concretum,ſacchatíque ſimilitudinem gerens, deſcri-

pſiſſe : à qua Serapionis ſententia, ne latum quidem vnguem diſcedere videtur Auicennas, qui cap. 490. lib. 2. tract. 2 de manna ſic ſcriptum reliquit: Manna quid eſt? eſt omnis ros cadens ſuper lapidem, aut arborem, & fit dulcis, & coagulatur ſicut mel, & exiccatur ſicut gummi, quemadmodum Tereniabin, & Siracoſt, inquit Bellunenſis, antiquus codex habet haſce eracoſt, & mel aſportatum de terra Cuſaran ſylueſtri; habet autem Bellunen. Caſeram in reb. & demum inquit: & nos quidem iam diximus vnumquodque in ſuo cap. & ipſum aſſumit de natura eius ſuper quod cadit virtutem & cætera. cap. verò 702. eiuſdē lib. & tract. de Tereniabin, ita ſcripſit, Tereniabin quid eſt? hic eſt ros qui plurimum cadit in Coraſceni, & in locis qui ſunt vltra fluuium, & plurimum caſus eius in regione noſtra eſt ſuper lapides. melius eſt recens, album, & cætera. Nemo itaque hæſitare debet quòd per Tereniabin Auic. quoque liquidam mannam intelligere voluerit quæ melli aſsimilis exiſtit, & per mannam, concretum, ſeu coagulatum rorem, & velut gummi exiccatum. verùm aliud intelligere videtur per Tereniabin quàm mel roridum, licet eodem modo generetur, & Serapio aliud fortè ſentiat: id quod comprobare videntur eius verba poſita cap. de manna, & etiam quæ de melle profert ca. 497. cùm inquit; Mel eſt ros occultus cadens ſuper flores, & ſuper reliqua quod colligunt apes, & eſt vapor qui eleuatur, & maturatur in aëre, & conuertitur, & ingroſſatur in nocte, & mel factum cadit, & quandoque cadit mel, ſicut quando eſt circa Caſeran, inquit Bellunen. in monte Caſeran. & ſubdit: diuerſificatur autem ſecundum ea ſuper quæ cadit, quæ ſunt arbor, & lapis, & manifeſtum ipſius colligūt homines: quod verò occultum eſt, colligunt apes. Concreta nanque manna non modò ros eſt, vt ipſe fatetur, & coagulatur ſicut mel, ſed exiccatur etiā ſicut gummi, vt ipſo dixerat Cap. de manna, id quod de Tereniabin haudquaquam aſſeruit. Succedit tertio loco inter Arabes Ioannes Meſues, qui in ſuo tract. de ſimpl. cap. de manna, hæc ſcripſit, manna eſt ros cadens ſuper quaſdam plantas & lapides cuius materia eſt vapor qui eleuatur, cui accidit digeſtio, & maturatio in aëre quando eſt æqualis & fœcundus, lætis aſpectibus: diuerſificatur autem ſecundū diuerſitates rerum ſuper quas cadit: cadēs enim ſuper lapides eſt ſicut guttæ paruæ quæ congelantur, & ſunt ſicut ſemen, & cadens ſuper plantas, ſuſcipit de virtute plātarum, & eſt cum permiſtione particularum foliorum, & florum. Quibus ex verbis liquido conſtat Meſuem de concreta & coagulata manna, & non de liquida hoc loco verba facere. Nāque dixit quòd eſt ſicut guttæ paruæ quæ congelantur, & fiunt ſicut ſemen, & priùs dixerat eius materiam eſſe vaporem cui accidit digeſtio & maturatio in aëre. De liquida verò fortè non meminit, niſi quiſpiam velit eam voluiſſe intelligere per alſiracoſt, cuius meminit in confectione yeracoſt, deſcriptio Irani in ſuo antidotario. Patet inſuper ex eius dictis eam eſſe rorem cuius materia vapor eſt eleuatus, digeſtus, & maturatus in aëre æquali & fœcundo, lætis aſpectibus, vt ipſe ait, & demum refrigeratus & congelatus à superueniente frigore, quemadmodum nos priùs determinauimus. Etenim concretus hic vapor, & congelatus in aëre deorſum deſcendit, & non liquidus, & deinceps congelaſcit in lapidibus ſeu plantis, in quibus reperitur, vt quibuſdam viſum eſt, quamuis in hoc quodammodo opem ferre videantur, ſaltem pro eius conſeruatione, quod quidem liquidò cōſtat ex his quæ Meſues dixit, quòd videlicet vapori ex quo fit manna, digeſtio & maturatio accidit in aëre, & quod cadens ſuper lapides, vt ſicut guttæ paruæ quæ congelantur, & ſunt ſicut ſemen. Neq; etiam potens eſſet lapidum aut plantarum natura talem rorem vbi liquidus defflueret cōgelare, niſi priùs concretus ac congelatus in aëre fuiſſet, confeſtim quoque liqueſceret à ſuperueniente diurno ſolis calore, neq; diu ea etiam collecta eiuſdem concretio permaneret, potiſsimum cum in regionibus, annique tempore calidioribus, concreta & congelata hæc manna generari ſoleat. Nam cùm præceſſerit calidior dies, & ſiccior, adeò vt à ſolis calore vapores ſeu halitus è terra, &

aquis

aquis ſubleuentur, exactéque fuerint ab eo extenuati ac cocti, ſuperueniente deinde frigore, ſequentis noctis ob particularē cæli ſtatum, etiam frigidiorem, iidem halitus, ſeu vapores, concreſcunt, ac coagulantur, atque ita manna hæc decidit, vt dictum eſt. At ab hoc frigore, frigidáque particulari aëris conſtitutione ſuperuenientis noctis, aërem ipſum magis, quàm terram, lapides, ſeu plantas refrigerari neceſſum eſt, cùm tenuioris ſit ſubſtantiæ aër ipſe. Nam vt aqua faciliùs quàm omnia terrena corpora calet, atque frigeſcit, quippe cùm illa tenuitate partium ſuperet, pari ratione, & aër quàm aqua, vt inquit Gale. 6. de morb. vulg. ſatis itaque non eſſet lapidis, plantarum, terræque frigiditas, ad vaporis huius ex quo concreta manna generatur, congelationem, ſi ab aëris frigore congelari, ſeu coagulari non potuiſſet, maiori ſiquidem exiſtente eiuſdem aëris frigiditate, vt probauimus, quàm terræ, lapidum, ſeu plantarum; decidit ergo, & non in his locis in quibus reperitur, concreſcit, concreta, & congelata manna, ſaccharo, aut ſemini ſimilis exiſtens. Quòd verò in calidis regionibus, temporéque anni calidiori aër frigidior eſſe poſsit in nocte, quàm terra in eius ſuperficie, & terrena omnia corpora, particulari potiſsimùm conſtitutione frigida exiſtente, hac inſuper ratione conſormari poterit. Nam quemadmodum ex præcedentis diei calore impenſiùs ob eius tenuitatem ac citiùs fuit calfactus aër, pari ratione à ſequentis noctis frigore impenſiùs ac citiùs refrigerabitur, id verò terræ & terrenis, haudquaquā contingit: non ſolùm autem ob eiuſdem aëris ſubſtantiæ tenuitatem, verùm etiam propter radiorum ſolis reflexionem, in die factam, id veritatem habet. nam ob vicinitatem, calorem magis perpetiuntur terra, & quæcunq; terrena ſunt, quàm locus ille aëris in quo liquor hic concretus generatur, & propter craſſam quoque eorum ſubſtantiam, diutiùs in eis permanet calor ille, adeò vt vix tota etiam nocte deferueſcat, quinimo non abſque ratione cenſendum, mannam hanc concretam roridam ſublucanis maximè temporibus, primáque aurora, quo tempore præcipuè frigus intenditur, potiſsimùm decidere, quemadmodum Plin. cap. 12. lib. 11. de roſcido ac liquido melle ſcriptum reliquit. eſt autem eo tempore aër frigidior quidem, tum ob ſolis longiorem abſentiam, tum quod eodem iterum appropinquante, è terra ſublati frigidi vapores vniantur ac denſentur magis. Quamobrem mannam quam vocant aëream cōcretam & coagulatam è cælo delapſam, proculdubio in aëre, & non locis in quibus reperitur, concreſcere ac coagulari cenſendum eſt; conſerre tamen locos in quibus colligitur quodammodo ad eius ſaltem conſeruationem, adeo vt in quibuſdam plātis, terris, ſeu lapidibus meliùs quàm in quibuſdam aliis conſeruetur, licet, vt rationibus ſufficienter probauimus, & ex iam dictis Arabum auctoritatibus liquet, præſertim Meſues, indifferenter in vniuerſis tum arboribus, tum lapidibus in ea regione decidat, in qua generatur, & non in quibuſdam ſpeciebus duntaxat, ac determinatis eiuſdem ſpeciei arboribus, vt quidam falſo imaginantur. Neque etiam prætermittendus erit Auerrois, qui libr. 5. colliger, talia de manna verba ſcripta reliquit, de hac fortè quæ concreta eſt intelligens, aut ſaltem de ea quæ liquida eſt. ait enim: Terregebin, id eſt manna, eſt ex ſpeciebus antiquæ mannæ quæ prouenit à partibus ſuperioribus Syriæ vel Indiæ, & eſt ſimilis ſaccharo, in ſuis virtutibus, calida & humida in primo gradu, & eius proprietas eſt purgare ſuauiter choleram, & eſt debilior aliis purgatiuis, ideo datur in paſsionibus calidis, antequam etiam appareant ſigna digeſtionis. De hoc ſuaui ac coagulato liquore inter Græcos quos legerim, neminem hactenus reperi, qui meminiſſet, quicquid alij ſentiant, niſi quiſpiam velit Actuarium de hac manna intelligere voluiſſe, cū dixit, quæ his deinceps ſuccedunt perquàm moderate purgant, nimirum caſsia nigra, & manna: caſsia quidem tribus aut quatuor drachmis ſumpta, vix moueret aluum, manna verò etiam maiore modo quàm caſsia ſumenda eſt, & flauam bilem ſimplici ratione pellit, &c. De liquida autem manna, ſeu potiùs roſcido melle, Theo-

phraſtus libr. 3. de hiſt. plantarum cap. 9. de robore verba faciens, hunc in modum ſcriptum reliquit. Sed nihilominus, vt dictum eſt, ferax hęc arbos habetur plurimùm, ſin autem auctore Heſiodo, mella, apéſque ferat, magis quoque illud confirmatur. ergo naſcitur vel hic melleus humor cælo cadẽs, nec aliis magis inſidens fronidbus. De melleo itaque liquore ſeu humore, quem mel roſcidum, ſeu aëreum appellant, hoc in loco verba fecit Theoph. & non de coagulato, de quo quidem ſoli Arabes ſcripſiſſe videntur. De eodem etiam aëreo ſeu roſcido, & liquido melle, meminit Gale. 3. de alim. fac. c. de melle, vbi de melle verba faciens inquit. omnis alimentorum materia, hactenus duobus generibus eſt comprehenſa, quorum alterum quidem ipſorum à plantis, alterum verò ab animalibus ſumebatur. & deinde ſubdit. ab vtroque verò ipſorum mel eſt ſecretum, ita vt duo ſint mellis genera apud Gale. quorum vnum ab animalibus, vt ex apibus, reliquum verò à plantis colligitur, quod quidem, vt ipſe inquit, oritur in plantarum foliis, eſt verò neque ſuccus earum, neque fructus, neque pars, ſed eiuſdem eſt cum rore generis, non tamen aſsiduè, nec copioſè vt ille prouenit, de quo iterum continuans ſermonem, ita ſcripſit. memini aliquando cùm æſtate ſuper arborum & fruticum, herbarúmq; folia mel quamplurimum fuiſſet repertum, agricolas velut ludentes ceciniſſe, Iupiter mella pluit. & deinceps declarans eius generationis modum, ait. præceſſerat autem nox, vt per æſtatem benè frigida, nam tunc tempus anni æſtiuum erat, pridiéque calida & ſicca fuerat aëris temperies, peritis quidem naturæ interpretibus videbatur halitus è terra & aquis, à ſolis calore ſublatos ac deinde exactè tenuatos, ac coctos, à frigore ſequutæ noctis concretos, coaluiſſe, apud nos verò raro id accidit, in monte autem Libano quotannis perſæpe. Itaque coria ſuper terram extendentes, & arbores excutientes, quod ab eis defluit excipiunt, & ollas ac fictilia melle implent, vocántque id mel roſcidum, & aëreum. proinde conſtat materiam ex qua mel generatur rori eſſe congenerem. videtur autem ex plantis in quarum foliis colligitur boni, malíve quippiam ipſi accedere. Hæc Gale. de roſcido, ſeu aereo melle. Quibus ex verbis quilibet vel parum in eius doctrina exercitatus, percipere poterit de liquido, ac aereo melle rori ſimili eundem verba facere, & non de ea liquida manna quam Tereniabin Serapio, & Auicennas appellant, neque de congelato melle quod manna appellatur, & ſaccharo ſeu ſemini ſimilis exiſtit: nam licet concreti fuiſſent à ſequutæ noctis frigore halitus pridie à ſolis calore ſublati, & propterea coaluiſſent, non tamen adeò concreti fuerunt, vt congelarentur, ac coagularentur, & ſolida genita fuiſſet manna ſed eò concreti fuerunt, vt mel genitum fuiſſet liquidum, vt cætera mella, & rori ſimile: concreſcit etenim vapor, ſeu halitus, etiam dum in rorem ſeu aquam conuertitur, vt inquit Ariſtot. citato libro primo meteororum. Patet inſuper ex eiſdem Galen. verbis, modus, tempus, ac locus generationis eius, & quod cùm ſit eiuſdem generis cum rore, non ſuper quaſdam arbores duntaxat, eáſque determinatas, ſed ſuper arborum, fruticum, herbarúmque folia indifferenter reperiatur quando decidit; necnon quod in monte Libano quotannis ſæpe id accidat; raro autem in Galen. patria: ita vt velit ipſe oſtendere quòd non ſemper neque in quolibet anni tempore, aut quauis regione, & cæli ſtatu, hoc etiam mel roſcidum defluat, ſed quibuſdam anni temporibus, & potiſsimùm æſtate: quibuſdam etiam in regionibus, vt in monte Libano, & eadem exiſtente particulari aeris conſtitutione, quam ipſe deſcripſit, & nos ſupra narrauimus. De quo etiam roſcido melle Ariſtoteles libr. 5. de hiſtor. anim. cap. 22. hunc in modum ſcripſit, de apibus verba faciens, Conſtruũt fauos è floribus, ceram ex lachryma arborum fingunt: mella ex rore aeris Syderum ortu potiſsimùm, & arcus cæleſtis incubitu contrahunt, omnino ante Vergiliarum exortum mel non fit. fauos itaque, vt dictum eſt, floribus faciunt, mel autem ipſas non facere apes, ſed rorem cadentem deferre, argumento eſt quòd vno aut altero die cellas melle repletas inueniunt apiarij. Hæc Ariſtot.

Inter

Inter Latinos auctores Plinius vir alioqui magnæ auctoritatis, de hoc eodem roſcido, aërco, ac liquido melle, non ſemel duntaxat meminit. Nam libro 16. cap. 8. videtur ad vnguem quæ de eo Theoph. ſcripta reliquit, tranſcripſiſſe, dū inquit, Robora ſerunt & viſcum, & mella, vt auctor eſt Heſiodus, conſtátque rores melleos è cœlo (vt diximus) cadentes, non aliis magis inſidere frondibus. & libro 11. cap. 12. tractans de mellis natura, ait: venit hoc ex aëre, & maximè ſyderum exortu, præcipuéque ipſo ſyrio explendeſcente fit, nec omnino prius Vergiliarum exortu ſublucanis temporibus. itaque tam prima aurora folia arborum melle roſcida inueniuntur, ac ſi qui matutino ſub dio fuere, vnctas liquore veſtes, capillúmque concretum ſentiunt, ſiue ille eſt cœli ſudor, ſiue quædam ſyderum ſaliua, ſiue purgantis ſe aëris ſuccus, vtinamque eſſet & purus, ac liquidus, & ſuæ naturæ qualis defluit primò, &c. Quis itaque hæſitabit vnquam quòd Plinius hiſce in verbis de aëreo liquidóque melle, & non coagulato verba fecerit inquiens. vtinámque eſſet & purus, ac liquidus & ſuæ naturæ qualis defluit primo. Et cap. 14. eiuſdem lib. inquit, Alterū genus eſt mellis æſtiui quod ideo vocatur horæum, à tempeſtiuitate præcipua, ipſo ſyrio explendeſcente, poſt ſolſtitium diebus triginta, ferè immenſa circa hoc ſubtilitas (alius rex. dicit ſublimitas) naturæ mortalibus patefacta eſt, niſi fraus hominum cuncta pernicie corrumperet, & cætera. Et ſi liceat nobis Latinorum etiam Poëtarum auctoritatibus hac in re vti, Vergilius libro 4. Georg. de aëreo melle ſic cecinit,

Protinus Aërei mellis cœleſtia dona:
Exequar. Et in Bucolicis ecloga quarta.
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Hæ ſunt quæ (vt mihi videtur) cùm rationibus, tum auctoritatibus dici poſſunt de roſcido & aërco melle, tam liquido, quàm coagulato: ob quæ proculdubio fateor quòd neque vllus inficias ibit, mannam quam vocant aëream, tam liquidam quàm concretam generari poſſe: at non in vniuerſis regionibus mundique locis, quia non in valde intemperatis, neque quouis anni tempore, ſed æſtate, potiſsimùm circa auroram, neque etiam quauis exiſtente aëris particulari conſtitutione, ſed vbi dies præceſſerit calida, & ſicca, ſuperueneritq; nox, vt ad æſtatem bene frigida, lætis quibuſdam, & benignis aſpectibus, ac ſyderū exortibus concurrentibus, ſi iam dictis auctoribus aſtrorúmque peritis credendum ſit: nam vt ait Plin. citato loco, ab exortu ſyderis cuiuſque, ſed nobiliū maximè, aut cœleſtis arcus, ſi non ſequantur imbres, ſed ros tepeſcat, ſolis radiis, medicamenta, non mella gignuntur, oculis, vlceribus, interníſque viſceribus dona cœleſtia, & Meſues mannam prouenire in aëre, quando eſt æqualis, fœcundus, & lætis aſpectibus fatetur. Nec minùs Ariſt. citato loco, mella ex rore aëris, ſyderum ortu potiſsimùm, & arcus cœleſtis incubitu apes contrahere, nec omnino ante Vergiliarum exortum, aſſeruit. Confirmant inſuper hæc rorida mella, liquida & coagulata, locupletiſsimi noſtri temporis teſtes, viri alioqui eruditiſsimi Ant. Muſa Braſauolus, & Petr. Andreas Matthiolus, quorum alter vtranque ſpeciem ab Oriente delata, propriis oculis inſpexiſſe fatetur: alter verò concretam, & granuloſam duntaxat, tam perfectam & veram (maſtichinam vocant) quàm adulteratam, ſeu quæ iam euanuerit, bombicinam dictam, ab Oriente & ipſam quoque delatam, & proinde vtranque Orientalem dictā. Refert inſuper idē doctiſ. Matthiolus ſe nedum cognouiſſe, ſed manibus propriis legiſſe tam liquidam, quàm concretam mannam è cœlo defluxam anno 1546. in Goritiæ comitatu, ac Friuli patria, & quibuſdam etiam vicinis regionibus, menſe Maio, & Iunio ſuper ficus, & Orni folia, quæ candida, & granuloſa erat. At ſuper perſici, amygdalæ, & quercus, liquida reperiebatur, ſapore ac colore melli ſimilis. Ipſe verò ingenuè fateor, & ſi maximam adhibuerim diligentiam, neutram adhuc Orientalem vidiſſe mannam, præter eam quam bombicinam vocant, ex Venetiis tranſmiſſam. At in Regno

noſtro Neapolitano, pluribus in locis ſæpe liquidam, & melleæ conſiſtentiæ mannam inſtar roris decidere ſupra folia ac ramos nounullarum arborum, necnon ſuper herbas & lapides, nedum à quamplurimis ruſticis, verùm etiam à non paucis Nobilibus percepi: ipſamque ſole ſuperueniente, fundi ac liquari cognoui: verùm adeò noxiam eſſe retulerunt plantis ſuper quas decidit, vt protinus earum folia ſaltem marceſcant. Hanc verò vno ore fatentur omnes, ſuper vniuerſas indifferenter arbores, plantas, ſeu herbas ac lapides cadere, ea in qua decidit parte: quam tanquam nullius vſus paruifacientes, minimè colligunt, nec quiſpiam eorum quos nouerim, hactenus ea vti auſus eſt. Concretā verò & granuloſam, ſemini, aut gummi ſimilē, & cuius frequēs eſt vſus, quotannis colligere conſueuerunt, nedum Calabri, ſed & Samnites, & Veſtini, qui Garganum incolunt montem, & pleraſque Apuliæ partes, vt Caſtellanetam, aliiſque etiam in locis ipſam colligere ſolent. Eam tamen non niſi ex fraxino & orno, altera ipſius fraxini ſpecie colligi, vno ore fatentur: quæ itē ea eſt manna, quam communiter ad molliendam aluū medici omnes vtuntur, ac vſi ſunt quotquot per centum ferè annos & vltra, medici ante nos fuere. De qua nō abre differendum eſſe cenſui, an ſit velut ros quidam è cœlo cadens, quemadmodum ea de qua Arabes meminerunt, vel dictarum arborum ſuccus, humor, ſeu lachryma. Quòd verò quam colligunt ex fraxino & orno manna, minimè ros ſit, ſeu pruinæ ſimilis è cœlo cadens, velut ea quam Arabes ſcripſerunt, hac prima ratione poterit demonſtrari. Quæcunque ex aëre decidunt, in quacunque regione, ac quouis loco, non ſpeciatim ſupra vnam rem determinatā illius regionis ſeu loci, ſed indifferenter in vniuerſis ibi exiſtentibus rationabiliter cadere debent: ſed manna hæc nō niſi in fraxino & orno reperitur, in cæteris verò arboribus, herbis, ſeu lapidibus eiuſdem loci nequaquam: igitur non generatur in aëre, neque è cœlo cadit. Adhæc illa quam Arabes ſcripſerunt, præſertim Meſues manna, ſuper arbores, herbas & lapides indifferenter decidit, hanc verò qua vtimur, nunquam ſuper reliquas plantas, ſeu lapides præterquā ſupra fraxinum & ornum colligunt, neque etiam eadem in cæteris præter dictas arbores, vt collectores aiunt, reperitur. Igitur eiuſdē ſpeciei non eſt cum illa quæ è cœlo decidit. Rurſus hæc qua vtimur manna, quotānis ex eiſdem colligitur particularibus arboribus, quod quidē per x x x. ferè annos, vt aiūt, aut x x x x. ſeruatum eſt, ac etiam vltra, vt colligentes eam fatentur, ita vt non deſint qui eaſdem arbores emant, tanquam ſingulis annis hoc producentes vectigal, veluti & nos ab eiſdem emptoribus accepimus: ſúntque eodem in loco, & eiuſdē etiam ſpeciei arbores nonnullæ ſuper quas manna hæc non reperitur. igitur è cœlo nō cadit. Nam quæ maior ratio reddi poſſet de vna quàm de altera, præſertim eiuſdem ſpeciei arbore, eodē in loco exiſtente, ac per plures continuos annos eam producente, vbi è cœlo caderet? nulla inquam, quamuis in vno plantarum genere magis quàm reliquo quædam afferri poſsit apparens ratio. Præterea ſi manna cœleſtis ſeu aërea pro eius generatione, particularem quandam, vt dictum eſt, cœli conſtitutionem requirit, ita vt calida & ſicca præcedat diurna aëris temperies, nox verò ſequatur, vt per æſtatem bene frigida, (etenim æſtiuo tempore potiſsimùm generatur) conſonum rationi exiſtit vt non qualibet die, ſinguliſque noctibus etiam æſtiuo tempore ea generari poſsit, ſed rarò admodum, quemadmodum & liquida, hac præſertim noſtra in regione. At hæc qua vtimur, quæ quidem in fraxino & orno colligitur, ſingulis diebus, Canis tempore præſertim, aut parum ante in eiſdem reperitur, modò pluuiæ, & præſertim magnæ, aut ventorum vehementia non adſit, igitur aërea non eſt. Amplius ſi aërea manna de genere eſt mellis roſcidi, ſeu aërei, magis tamen à frigore concreti, vt determinauimus, cùm mel ſoluatur à calido ſicco, coaguletur autem ab aqua, hoc eſt ab eo quod in ea eſt frigido, vt liquet quarto meteororum: ſequitur quòd eadem manna, à frigido, tanquam contrario cauſis liquefactionis, coagulari debeat: ſolui verò à calido: cùm verò hæc

quæ in

quæ in orno, & fraxino reperitur, contrarium perpetiatur, etenim à calido durior fit, atque coagulatur, ab aqua verò ſoluitur, ac diſsipatur, neceſſariò ſequitur quòd eadem, aërea, & de genere mellis roridi non ſit. Quòd ſi dixeris non modo à ſolis calore mannam in his arboribus repertam cõcreſcere, & duriorem reddi, verumetiam à frigore, vt eam colligentes diu obſeruarunt, aiunt etenim non ſolùm à ſole, verùm etiam à frigore Aquilone videlicet modicè flante in nocte, eam condenſari, ſicciorémque reddi, dicimus nos: & hac etiam ratione probari eam non eſſe rorem è cœlo cadentem: nam hic cùm ſit aquæ, à frigido duntaxat coagulatur. quæcunque etenim ſunt aquæ (inquit Ariſt. citato lib. 4. meteo.) non coagulantur ab igne, ſoluuntur enim ab igne: quæ verò communia ſunt terræ & aquæ, & ab igne coagulantur, & à frigido, vt ipſe inquit, quoniam ab vtriſque ingroſſantur, recedente videlicet, & euaporante humido, diuerſa tamen ratione. Cùm itaque coaguletur, & à ſolis calore, & ab aquilonis frigore, hæc quæ in fraxino & orno reperitur manna, neceſſariò ſequitur eam, nec vaporem, nec rorem eſſe, aut ex eiſdem genitam, propterea neque etiam aquæ ſolius, ſed aquæ & terræ eſſe. Item & fortius, ſi à ſolis calore manna hæc non ſoluitur, nec liquefit, ſed potius concreſcit, duriórque efficitur, adeò vt eam colligentes aſſerant meridie, ſoléque magis ardente, aridiorem, candidiorem, magíſque concretam, & coagulatam eſſe, & collecta iam vbi humidior fuerit, ac liquefieri cœperit, ſoli impoſita, albidior etiam duriórque redditur, quis vnquam aſſerere audeat eam à cœlo fuiſſe delapſam? atque ex concreto rore genitam? Cùm quæcunq; à frigore concreſcunt ſeu coagulãtur, à calido liquefiãt, & ſoluantur, & quæ à calido cõcreſcunt & coagulantur, à frigore liqueſcãt, eiuſdem Ariſt. auctoritate eodem 4. meteo. Quinimo manna hæc ab aqua ſoluitur atque liqueſcit, id quod nedum in dies obſeruamus: verùm etiam eam colligentes teſtantur, aqua nanque ſuperueniente, confeſtim eadem ſoluitur, atque euaneſcit, adeò vt amplius haudquaquam colligant, cum primùm Auguſti menſe pluere cœperit, quod quidem proprium eſt eorum, vt inquit Ariſt. citato loco, quæ à ſicco calido coagulata ſunt: quẽadmodũ eorum quæ à frigido ſunt coagulata, ab igne ſolui: etenim quæcunque coagulata ſoluuntur, à cõtrariis ſolui neceſſarium eſt, & hoc aut frigido, aut calido. ſi igitur ab aqua ſoluitur, neceſſariò ſequitur quòd ab igne, ſeu calore igni aſsimili fuerit coagulata, igitur non eſt aërea, nã quæcunq; ſunt aquæ, vt ipſe inquit Ariſt. non coagulantur ab igne, ſoluuntur enim ab igne. At vapor aquæ eſt, vt inquit idem Ariſtote. ſignum, quod vbi conſiſtat, aqua eſt, vt patet in eis qui in aëreis operculis congregantur. Cùm itaque non ab igne, neque à ſole, ſed ab aqua ſoluatur atque liqueſcat manna hæc in fraxino & orno duntaxat reperta, coaguletúrque ac durior reddatur à calido, demonſtratiuè concluditur eam non eſſe de genere roris, nec ex concretis à frigore vaporibus genitam, neque è cœlo cadere, ſi Ariſt. ac veritati fides ſit adhibenda. Adde quòd vt huius mannæ copia maior generetur, contrariam requirit particularem aëris conſtitutionem quàm aërea: non ſi eo tempore quo emanare conſueuit, dies pluuioſa præceſſerit & frigida quodãmodo, ſequatúrq; admodum calida & ſicca altera non prima duntaxat, ſed ſecunda, & tertia, maior, vt aiunt, in eiſdem arboribus quantitas colligitur. Qua item ratione aërea ſeu roſcida eſſe non poterit. Quod ſi quiſpiam rationibus deſtitutus, ad cæcas & occultas cauſas confugerit, inquiens cauſam ob quam manna hæc in fraxinis & ornis duntaxat reperitur, eſſe earundem arborum proprietatem quandam, ob quam ad ſeipſas magis alliciant, trahántque hunc ſuauem liquorem è cœlo cadentem quàm cæteræ arbores, quemadmodum magnes ferrum, & ſuccinum paleam trahit, dicat quæſo cùm hæc totius ſpeciei proprietas exiſtat, nonne cuilibet particulari eiuſdem ſpeciei conuenire debet? adeò vt quemadmodum cuilibet particulari magneti, & particulari ſuccino donatum eſt, vt ferrum & paleam trahat, ita etiam cuilibet fraxino & orno hæc facultas tribui debet.

At per

At per multos annos, eóſque continuos obſeruatum eſt, quòd in vna regione eodémque loco quotannis quidam determinati fraxini & orni talem in ſe contineant dulcem liquorem: quidam verò alij eodem in loco exiſtentes, eiuſdem magnitudinis, eiuſdémque ætatis nequaquam: obſeruatúmque præterea eſt, quòd diuerſæ magnitudinis ac ætatis quædam particulares arbores ex iam dictis, eodémque in loco conſiſtentes, quotannis etiam, talem in ſe contineant dulcem liquorem: determinatis tamen temporibus, vtputa ſub Cane, vel parum antè, quædam verò nunquam. qua de re fateri haudquaquam poterit hanc eſſe fraxini & orni quandam proprietatem, quoniam ſingulis hæc ineſſet proprietas, etiam ſi non æqualiter eiſdem reperiretur: non itaque à tota ſubſtantia ſeu ſpecifica forma fraxini & orni talem ſibi liquorem alliciunt è cœlo cadentem: nam omnibus talis donata eſſet trahendi facultas. Nunc verò in paucis id obſeruatur: qua item ratione neque id perſuadere mihi valeo quòd manna hæc ſupra eaſdem arbores è cœlo ceciderit, proximè antegreſsis menſibus Maio, & Iunio, imbibitáque ſit in earum corticibus, ac intra eoſdem attracta: propterea quòd areſacti & exſiccati, necnon rareſacti & ſciſsi, à ſolis calore cortices fuerint, & ob id inciſis eiſdem corticibus canis tempore ab eodem Canis ardentiſsi. calore foras trahatur, à quo iterum concreſcat condenſetur, & granuloſa inſtar gummi fiat: nam eiſdem etiam corticibus haudquaquam inciſis, eodem tempore hæc manna ſæpe emanare viſa eſt, quapropter cur prius trahatur, & deinceps ab eiſdem ſponte etiam Canis tempore excernatur. nam in ornis etiam ante ſponte emanat, ratio nulla dari poterit, præſertim longo tempore, & per ſingulos dies continuos, cadit quoque eadem, in aëre prius ex frigore concreta, & coagulata, & non liquida vt probauimus, quæ aërea eſt, neque à ſole ſeu alterius calore concreſcit, ſed liquatur ac ſoluitur potius cum fuerit à frigore iam coagulata. Sed pone eam liquidam decidiſſe, cur potius à ſolis calore Maij & Iunij etiam tempore non liquatur ac ſoluitur, adeo vt ſolum petat, quàm à dictarum arborum cortice trahatur, & in eodem, vt ita inquam, bibatur, cùm nulla adſit familiaritas aut altera cauſa ob quam attrahi ab eodem debeat. quinimò cùm ſit à dictarum arborum natura aliena, & veluti ſuperfluum quoddam, propterea quòd earum nutrimentũ non eſt, expelli potius quàm attrahi deberet, opem ferente in hoc ſolis calore, qui foras trahit. Nec ſatis eſt, quòd ab eodem ſolis calore cortex fuerit eo tempore exſiccatus, aridúſque redditus, & areſactus pro eius attractione, cùm valentior admodum fuerit ſolis calor in diſſoluendo, exſiccando, ac foras trahendo, quàm dictarũ arborum cortex, necnon & ipſimet cortices in expellendo tanquam ſuperfluum, in hoc potius opitulantur quàm in trahẽdo: ſimiliter vt eorum ſciſsio & areſactio potius opem ferre videntur, vt cõmodiùs à ſolis calore foras trahatur, quàm vt intus in eorũ ſubſtantia imbibatur, & detineatur. At ſi dixeris roridam hanc mãnam non eſſe velut ſuperfluum quoddam, & alienũ dictarum arborum, ſed ſimile, & familiare, ac velut alimẽtum quoddã, & propterea ab eis trahitur, cur cauſa fuerit quòd deinceps tã continuè, & diu, & copiosè ab eiſdem excernatur, & non detineatur potiùs, imaginari nemo queat. Rurſus quæ poterit diuerſitatis cauſa tribui quòd ſolis calor opituletur, vt eadem mãna in cortice imbibatur priùs, ipſum exſiccando, areſaciendo, ſcindendo, ac rareſaciendo, & deinceps Canis feruidus calor eundem humorem foras trahat, condenſet, ac coagulet, cùm multo magis corticem ipſum coagulet, cũ multò magis corticem ipſum exſiccet, & areſaciat, quàm præcedens ſolis calor menſe Maio & Iunio, potiſsimũ cum abſque inciſione aliqua ſæpius ſponte ex eiſdẽ arboribus prodeat, ac in eis reperiatur Canis tempore: & interdum ante præſertim in ornis vt dictũ eſt. Adhæc quid fuit impedimento quod eodẽ Maij & Iunij tẽpore eadẽ manna non fuerit à ſolis calore cõcreta potius & coagulata inſtar gummi circa cortices dictarum arborum, quàm cauſa vt in eiſdẽ imbibatur, & intus trahatur? poſtquam Canis tempore ab eodem calore iterum

conden

condenſata & granuloſa, inſtar gummi reddita eſt, equidem id ipſum imaginari non valeo, quamuis eruditiſsimi certè viri, à me ſemper colendiſsi. ita ſentiant. Sed puto eos deceptos fuiſſe à villicis & paſtoribus Calabris falsò aſſerẽtibus quòd mannam hanc quæ in fraxinis & ornis reperitur, mane antequam ſolis calor inualeſcat, collectores colligant, cùm communiter contrarium & hodie obſeruetur, & ſemper obſeruatũ ſit, etenim non mane priuſquam ſol valde peturat, vt ipſi falsò retulerunt, ſed meridie, ſolóque feruidiſs. eam colligunt: neq; eadẽ à ſolis calore rarefit, ſoluitur, atq; in aërem vertitur: ſed potius cõcreſcit, & durior ac candidior redditur. Vt verò non adeò areſcat, duriórq; reddatur, ſolis ſuperueniente feruidiſs. calore, & non quòd ab eo ſoluatur, & liqueſcat, eam quæ ex ornis prouenit, pręſertim à ſolis ortu per tres, vel quatuor horas colligunt. non enim vt concreſcat, & coaguletur, perinde vt ea quę in fraxinis colligitur immodico calore hæc manna indiget, cum ſiccioris ac terreſtrioris, vt ita dixerim, naturæ fuerit orni quàm fraxini humor, ſeu ſuccus: colligunt inſuper eam quandoque, vt aiunt, ante ſolis ortum, vbi pridie inclinante iam ſole profluxerit, & ab eodem concreta fuerit, aut nocte flante aquilone fuerit coagulata, ob eandem videlicet cauſam, ne ſole ſuperueniente ſiccior, aridiórque reddatur, potiſsimùm vbi non ſponte, ſed vi adiectis cæſuris proſilierit. Quapropter aſſerendum haudquaquam erit, quòd à proprietate quadam ſpecifica fraxini & orni hanc aëream, & è cœlo cadentem mannam ſibi ipſis alliciãt, & trahant, neque quod in eorum corticibus imbibatur, menſe Maio & Iunio delapſa, & deinde ſub cane dureſcat, & coaguletur ob dictas cauſas, & Iunio etiam menſe præſertim in ornis, eadem ſponte prodiens reperitur, ac colligitur. neque etiam dicenda erit cæleſtis & aërea hæc manna quæ in eiſdem duntaxat colligitur arboribus, ſed arborea, & propria dictarum arborum. nec etiam aſſerendum eſt hanc mannam eſſe melſaccharum Dioſc. aut zuccharum alhuſar Auic. nam melſaccharum, vt inquit idẽ Dioſcor. 104. libri 2. in India, & fœlici Arabia reperitur in arundinibus, & non in Regno Neap. in fraxinis & ornis. præterea ſalis modo coactum eſt, fragile dentibus, vt ipſe inquit; quod quidem huic noſtræ mannæ haudquaquam conuenit. ſimiliter quoque dicendum eſt de zucchαro alhuſar Auic. quod quidem, vt ipſe ait, manna eſt cadens ſuper alhuſar, & non ſuper ornum & fraxinum: eſt etiam ſicut fruſta ſalis, præterea in eo eſt cum abſterſione, & reſolutione ponticitas, & amaritudo, quæ omnia huic noſtræ mannæ non competunt. Qua etiam ratione nemo aſſerere audebit mannam hanc, id eſſe quod à Galeno 7. de ſimplic. medica. faculta. cap. de melle, ſacchar nominatur. nam id quoque (vt de melleſaccharo dicebat Dioſc.) ex India & fœlici Arabia conuehitur, vt Galenus inquit, & in calamis, vt aiunt, concreſcit, & non in fraxinis & ornis, quemadmodum hęc noſtra manna reperitur, & propterea idem eſſe reor melſaccharum Dioſc. & id quod ſacchar à Gale. nominatur. quamobrem neque ros cadens è cœlo, neque melſaccharum ſeu ſacchar, aut zuccharum alhuſar eſt manna hæc quæ in fraxinis & ornis duntaxat colligitur, & noſtræ tempeſtatis medici ad aluum molliendam vtuntur. Quòd verò neque manna thuris fuerit, nedum medicis omnibus & pharmacopolis, ſed & tonſoribus liquet. Sed porrò aliud quippiam eſt ſeorſum ab his diſtinctum, vtpote proprius dictarum arborum ſuccus ſeu humor, & propterea arborea, & nõ rorida, & aërea appellari debet: id verò luculentius patebit, vbi eiuſdem generationis modũ, ac cauſas inueſtigauerimus. Quapropter animaduertendum eſt nonnullas eſſe plantas quæ humorẽ, ſeu ſuccum plurimum habentes, determinatis quibuſdã tẽporibus in caules, ſeu caudices, ramos, atq; etiam radices earum ab eiſdem delegatur, ibidẽmq; conſiſtit, nec deſunt etiam quæ tum in radice tum in caule eundem habeant humorem. Verùm quibuſdam earum humor ipſe craſsitudine tantum conſiſtit, vt lactuoſis, quibuſdam etiam in lachrimæ modum gignitur, vt Abieti, Pino, Terebintho, Larici, Piceæ, Amygdalæ, Ceraſo, Pruno,

Iunip

Iunipero, Vlmo, Spinæ Aegyptiæ, & plantis quæ thus & myrrham præſtant, Theophraſto auctore ca.1.lib.9.de hiſto.plan. Accidit verò, vt vel proprij ſucci colorem plantæ nonnullæ ſortiantur, id qnod planius in annuis & anni caulibus animaduertitur, quàm in arborum genere, licet vires pro cuiuſque plantæ ratione, humor ſeu ſuccus ſortiatur, ſapor verò humorem alium magis, aliũ minus conſequitur, ita vt nec omnibus ineſſe appareat ſic exilis, & dilutus quidam in pleriſque ſentitur, vt idem Theoph. inquit citato loco. Inter has arbores ſeu plantas quæcunque pinguedine aliqua conſtant, gummi, ſeu lachrymæ odoratæ percipiuntur, quæ contrà pinguedine carent, ſine odore proueniunt, ex prædictis verò omnibus, alia ſponte cõſiſtunt, aliá inciſura, alia modo vtroque, quibus concretio ſponte cõſiſtit, iis fluxus humoris largior prodit, cæſura verò capiuntur quæ vtilia, magiſque operæpretium ſunt: at non eodẽ tempore omnium inciſuræ, atque coneretiones notantur: nam quamuis humor plurimus omnibus iam dictis ac reliquis etiam plãtis reperiatur cùm germinare incipiant, validiſsimus tamen, maximéque ſuam oſtendens naturam eſt, cùm iam à germinatione, & à fructificatione aſſarunt. Quapropter qui talem humorẽ, ſeu gummi ad vſum quempiam conſeruant, hæc eadem pro eius collectione tempora obſeruant, vt patet ab eodem Theoph. citato loco. Inter has itaq; arbores quæ copioſum ſuccum, ſeu humorem habent, non ab re fraxini & orni connumerari debent, poſtquam modo vtroque, ſponte videlicet, atque etiam inciſura, & in caudicem, ramos, ſurculos, iuxtáque foliorum pediculos, ac folia ipſa talem expuunt humorem ſeu lachrymam, vt in ſequentibus patebit, non quolibet tamen tempore, ſed ſub cane, aut iuxta canem, quo tempore hæ dictæ arbores à germinatione, & fructificatione etiam ceſſarunt, qua ratione, eodem quoque tempore earum ſuccus validiſsimus exiſtit, maximéque ſuam oſtendit naturam, vt diu obſeruatum eſt, & nos infra demonſtrabimus. Nec quicquam refert, ſi Theoph. cæteríque veteres auctores qui de plantarum hiſtoria ac cauſis ſcripſerunt, inter eas arbores in quibus iam dictus humor. emanat, conſiſtit, ac coagulatur, fraxinum & ornum non connumerarint: nam neque oleam tam domeſticam quàm ſylueſtrem, quæ ſponte, & vi etiam ſimilem procreat lachrymam, vt diu à quibuſdam obſernatum eſt, meminerunt: huius tamen lachrymæ hucuſque nullus eſt in medicina vſus, præſertim ad aluum molliendam, ſed potius contrarium molitur. eſt quoque impedimento, reliquis purgantibus medicamẽtis vbi cum eiſdem propinetur, velut qui ſæpius id experti ſunt medici, mihi retulerunt, & nonnulla quoque alia à iunioribus inuenta obſeruatáque ſunt, etiam in arte medica, quæ priſcis fuere incognita. Neque etiam iam dictæ arbores omnes, ſed inter eas paucæ admodum, nec ſingulis etiam in locis & quolibet anni tempore, ſed quibuſdã particularibus cũ regionibus, tum anni temporibus, ſponte præſertim, talem expuunt humorẽ, ac procreant, ita vt facilè priſcos fugere potuerit, quamuis cætera de eiſdem plantis conſcripſerint. Etenim Theoph. cap. 11. libri 3. de hiſtor. plan. duo fatetur eſſe fraxini genera, quorum alterum excelſum procerúmque eſt, lignum candidum, craſsiuenium, neruatum, mollius, enodius, criſpiúſque habens: alterum humilius, minùs auctile, ſcabrius, durius, flauius: folia habens laurinis, lauri latifoliæ ſimilia, in acutius tamen coacta, & ambitu leuiter ſerrata, ac ſubſidentia, ſeu aculeata, ramulus totus, quem folium vnum putaueris, quoniam ſimul cuncta folia ferat, ſingulari pediculo, & ſingulis foliis cõiugatim, veluti per genicula pendentes, conſtat: amplo interuallo, coniugationibus diſtinctis, ſimiliter atque in ſorbo: ſunt aliis breuiora internodia, coniugationéſque pauciores, aliis vtputa candidis, longæ, pluréſque, & ſingula folia oblongiora, anguſtiora, coloréque porracea, cortice leui, ſpiſſo, tenui, coloréq; rubro integitur, radicibus crebris, craſsis ſublimibúſque adhæret. Fructum Iudæi nullum hanc habere exiſtimant, atque etiam flore carere: fert tamen in ſiliqua fructum minutum, nucis modo, qualis amygdalæ, guſtu ſubamarum. & poſt pauca eodem loco

loco ſubdit. leuis illis, locis potiſsimùm concauis, madidiſque emigrat, ſcabra, ſiccis, atque ſaxoſis, quidam alteram fraxinum, alteram bubulam Fraxinum vocant, hoc eſt ingentem & maiorem, vt Macedones &c. Diſcorides verò cap. 109. libri 1. de Fraxino ſic ſcriptum reliquit: [Fraxinus arbor nota eſt, cuius folia & ſuccus, illa illita, hic potus ex vino, viperarum ictibus auxiliatur. Corticis cinis ex aqua illitus, lepras eximit: ligni ramenta pota letalia eſſe ferunt.] At Pli. ca. 13. lib. 16. hæc de fraxino ſcripſit, Materiæ enim cauſa reliquas arbores natura genuit, copioſiſsimámq; fraxinum, procera hæc ac teres, pennata & ipſa folio, multúmque Homeri præconio, & Achillis haſta nobilitata, materies eſt ad plurima vtilis, ea quidem quæ fit in Ida Troadis, in tantum citio ſimilis, vt ementes fallat corticе ablato. Græci duo genera eius fecere longam enodem, alteram breuem, duriorem, fuſcioremque, laureis folijs (Bumeliam vocant in Macedonia) ampliſsimam, lentiſsimámque, alij ſitu diuiſere. Campeſtrem enim criſpam, montanam ſpiſſam, folia earum iumentis mortifera, cæteris ruminantium innocua Græci prodidere: in Italia nec iumentis nocent, contra ſerpentes verò, ſucco expreſſo ad potum, & impoſita vlceribus opifera, ac nihil æquè reperiuntur, tantáque eſt vis, vt ne matutinas quidem, occidentéſve vmbras quæ ſunt longiſsimæ, ſerpens arboris eius attingat, adeò ipſam procul fugiat. & demum ſubdit. experti prodimus ſi fronde ea gyro claudatur, ignis & ſerpens, in ignem potius quàm in fraxino fugere ſerpentem, mira naturæ benignitas, priuſquam hæ prodeant florere fraxinum, nec ante conditas folia dimittit: & cap. 18. eiuſdem lib. inter arbores quæ montes amant ornum, qui & ipſe fraxini ſpecies quædam eſt: inter eas verò quæ aquoſis montibus gaudent, fraxinum connumerauit lib. verò 24. cap. 8. hæc de fraxino protulit verba, Fraxinus quã vim aduerſus ſerpẽtes haberet indicauimus. Semen eius folijs ineſt, quo medentur iocinoris, & lateris doloribus in vino: aquam quæ ſubit cutem extrahunt, corpus obeſum leuant onere, ſenſim ad maciẽ deducentes, iiſdem folijs eum vino tritis ad virium portionem, ita vt puero quinque folia, tribus cyathis diluantur, robuſtioribus ſeptem folia quinque cyathis vini. & ſubdit, Non omittendum ramenta eius & ſcobem quibuſdam cauenda prædici. Hæc Pli. de fraxino & orno tradidit, quæ ferè omnia, potiſsimùm quæ de fraxino ſcripſit, à Theoph. & Dioſc. tranſcripſiſſe videtur, quamuis iuniores quidam (vt Hermolaus & Ruellius) voluerint in hoc parum ſibi conſtare Plinium, vt qui fraxini folia dixerit omnibus venenatis ſalutaria eſſe, iumentis tamen letalia, cæteris verò ruminantium innocua, quæ quidem de Taxo, & non fraxino Theoph. interpretatur: poſſet tamen (vt mihi videtur) à calũnia idem Pli. vendicari. Nam quamuis Theophraſtus cap. 10. lib. 3. de hiſt. plan. de Taxo verba faciens inquit. aiunt, quòd ſi iumenta folia comederint, emoriuntur; ſi ruminantia, nihil patiuntur. non propterea notandus erit Pli. quòd idem quoque de fraxini folijs ſentiat, potiſsimùm cùm neque id Theophraſt. negare videatur, quamuis id non fateatur; & ſi quiſpiam dixerit in Italia obſeruatum eſſe Taxi folia, & non Fraxini, non ruminantia animalia interficere; dicimus hoc haudquaquam Plin. negaſſe, & ſi fraxini folia eadem interficere teſtatur, illud in Italia veritatem non habere fatetur, imò fraxini folia nec iumentis in Italia nocere ait. ſed quicquid ſit, ſatis eſt monſtraſſe ornum & fraxinum inter eas arbores connumerari poſſe quæ ſuccum, ſeu humorem ſuperfluum habentes, lachrymam ſeu gummi procreant ac generant, quamuis à iam dictis auctoribus, aut cæteris quibuſdam illud haudquaquam ſcriptum fuerit, nam quemadmodum alia quædam ferunt, vt Theophraſt. teſtatur citato cap. 11. libri 3. de hiſto. plan. Veluti muſcos quemadmodum laurus, verùm magis adſtringentia guſtu, ſinguláque per ſe in orbem circumacta platani pilorum ſpecie, & horum alia circa fructum, alia multo ſemota exeunt, quin & implicamina quædam eodem modo in eis naſcuntur, perinde etiam cùm multo humore ſcateant, ac redundent, lachrymæ ſeu gummi modo, vbi idem ad

caudicem ramos, ſeu ſurculos, & etiam folia demandatur, iuxtàque corticem concreſcat, & coaguletur, hæc quam in eis colligunt, & mannam appellant, generari poterit gummi ſubſtantia ſimilis, poſtquam è cœlo, vt probauimus, eadem lapſa non eſt, & in eiſdem ſolis, & non cæteris in plantis herbis, fruticibus, ſeu lapidibus eiuſdem loci reperitur, ac colligitur. At ſi dixeris non omnes eiuſdem generis arbores talem producere liquorem, & propterea non eſſe earundem arborum humorem, ſeu ſuccum proprium, aſſerimus nos hoc arborum genus, fraxini inquam & orni, talem habere naturam, vt eandem lachrymam, ſeu gummi, ob earundem ſuperfluum humorem ſeu ſuccum, generare poſsit. Quod verò non omnes ſed paucæ eiuſdem generis illam procreent, ſponte præſertim (nam cæſuris illatis modo, & tempore quo decet, plures illam expuere videntur, vt ferunt) ob aliquod prouenit impedimentum, vt puta vel ob earundem arborum defectum aut vitium aliquod, vel ob ſoli, ſeu regionis diuerſitatem, quemadmodum & amygdalarũ, prunorum, ceraſorum, iuniperorum, ac reliquarum quarundam arborum generi contingit, licet eandem habeant facultatem ſeu naturam. Eſt igitur proprius dictarum arborum ſuccus, ſeu humor manna, quæ quotannis, ſub cane potiſsimùm in fraxinis & ornis duntaxat pluribus continuis diebus colligitur, qua & nos longo tempore Neap. vſi fuimus, & quotquot etiam ante nos per plures annos medici fuere ad aluum ſoluendam vſi ſunt, & non ros è cœlo cadens; vt fuſiſsimè demonſtrauimus, quod quidem, pluribus etiam experientiis confirmare voluimus. Nam ſuperiniecto linteo laneo, aut lineo, vt quibuſdam præcepimus ſæpius, per plures noctes ac dies, ſupra eaſdem arbores, ita vt ros ad eas peruenire non potuiſſet, inuenta nihilominus in eis, eiſdem diebus, ac collecta manna fuit, dictis etiam arboribus non inciſis, vt retulerunt, id quod fieri haudquaquam potuiſſet, ſi ſponte ex eiſdem arboribus non emanaſſet, potiſsimùm cum ſupra idem linteum ne veſtigium quidem eiuſdẽ generis roris, nec liquidæ, nec concretæ, aut coagulatæ mannæ fuiſſet inuentum. At quid opus eſt diu hac in re ſermonem protelare, tempúſque fruſtra terere, cùm non vnus duntaxat, duo, vel tres, ſed longè plures, & quidem fide digni vno ore confeſsi fuerint, mihiq; retulerint, vt qui rem hanc peritius inueſtigare decreuerim, eos propriis conſpexiſſe oculis, poſt collectam in dictis arboribus mannam ex eiſdemmet locis, reliquam reſudaſſe, ac emanaſſe, atque ſenſim effluxiſſe, & deinceps ſolis calore ſuperueniente, coagulatam eſſe: idque non ſemel duntaxat, ſed ſæpius ac ſæpius ſe obſeruaſſe teſtantur. Aiunt inſuper in fraxini, orniqi caudicibus iuxta corticem ſæpius adnatas veluti veſiculas quaſdam ſe inueniſſe, ſeu tubercula, quas diſrumpentes primo, liquorem quendam album dulcem, concretum & craſſum in optimam mannam conuerſum, deinde minùs album, tenuiorem, liquidiorémque, ſed dulcem quoque manifeſtiſsimè emanãtem ſæpius inſpexiſſe, qui etiam à ſuperueniente ſolis calore coagulatus, concoctus, albidiórque redditus, effectus eſt manna primæ aſsimilis, & vbi diu permanſiſſet ſuperfluè à ſolis calore exſiccata, inutilis reddita eſt. Adhæc ſi inciſis dictis arboribus, in eiſdem inciſuris talem iam reperiunt concretum & coagulatum humorẽ, eiuſdem ferè coloris, ſaporis, & cõſiſtentiæ cum ea quam in eiſdem arboribus non iñciſis colligunt, manna, quis vnquam hæſitare audeat eam non eſſe earundem arborum humorem ſeu ſuccum, ſponte ad eoſdem ramos, caudicem, ſeu ſurculos detruſum, potius quàm rorem quempiam è cœlo delapſum, poſtquam eiſdem inciſis arboribus ſimilem colligunt concretum humorem, ac antea priuſquam cæſuræ factæ fuiſſent? nemo inquã niſi admodũ duræ ceruicis homo, ac pertinax valde. Confirmant illud inſuper, quoniam cicadas, & quædam alia animalcula ſe propriis oculis inſpexiſſe fatentur quæ à dictis arboribus, ornis præſertim, cùm corticem perforauerint, hanc lachrymam exugunt, & deinceps eiſdem profligatis, ex eodem foramine ſeu ſciſſura, liquorem hunc dulcem profluxiſſe, quem poſtea à ſolis calore coagulatum legerunt, tanquam in

optimam mannam conuerſum. Qua de re dubio procul quæ in ornis & fraxinis ſolis colligitur manna, non modo hac noſtra tempeſtate, verum etiam quæ per omnes iam elapſos annos collecta fuit, earũdem arborum humor ſeu ſuccus eſt, quemadmodum rationibus locupletiſsimè probatum eſt, & experiẽtia confirmauimus, & vt longo tempore, ac ſæpius ab eiuſdem collectoribus obſeruatum eſt. Cognoui inſuper à fide dignis quibuſdam viris ſe plures ſecuiſſe ornos, vt ex eis pro vini doliis circulos pararent, quos cùm findiſſent, Solíque expoſuiſſent, non paruam in eis huius mannæ, quantitatem inueniſſe, nõ quidem extra in cortice, ſed in lignoſa ac veluti eiuſdem orni etiã medulloſa ſubſtantia emanatam. Teſtatur item quidam faber ferrarius, vir probus, cuius nomen Cæſar de ruodi, quòd cùm in quandam perrexiſſet Syluam pro carbonibus faciendis, ignéque accenſo, ex orno qui prope fornacem aderat, mannam reſudaſſe oculis propriis inſpexit, & exiguo poſt tempore ab eodẽ igne coagulatam fuiſſe. At cùm dictarũ arborum cortex ſimul atq; folia amarũ præ ſe ferant ſaporem, non ab re quæreret quiſpiã, qui fieri poſsit vt tam dulcis liquor, ſi earum arborũ humor ſeu ſuccus eſt, ex eiſdem gigni poſsit. Et dicimus quòd quãuis cuiuſque plantæ humor, vires, pro eiuſdem plantæ ratione ſemper ſortiatur, ſapor tamen humorẽ alium magis, alium minùs conſequitur, nec omnibus ineſſe apparet, ita ex illis & dilutus quidã in pleriſq; ſentitur, quemadmodum etiam neque idem ſuccus (in arboribus præſertim) eundem ſemper ſeruat calorem, vt inquit Theoph. citato cap. 1. libr. 9. de *hiſt.* plan. Qua de re non inconuenit liquorem hunc dulcem eſſe, licet ex amaris profluat plantis. At hæc licet cortex dictarum arborũ amarum repræſentet ſaporem, hic tamẽ humor, ſeu liquor, nõ ex cortice, ſed ex propria lignoſa ac medulloſa ſubſtantia effluit, quæ ſapore dulcis fere eſt, aut ſaltẽ amaritudinis non eſt particeps, aut parum admodum, ita vt non ſentiatur, effertur autem foras per corticis meatus, ſeu fiſſuras, & non ex corticis ſubſtantia. Et ſi quis permiſcetur ipſius corticis humor, exiguus cùm ſit, à ſolis calore concoctus, tandem dulcis redditur; potiſsimùm cùm maior ſit copia eius qui à propria arborum ſubſtãtia humor excernitur, quã qui ex cortice. Præterea eſto quod multus fuerit humor, qui ex corrice emanauerit, inciſis potiſsimùm arboribus, aut vniuerſus ex eo profluat, & harum etiam arborum propria medulloſa & lignea ſubſtantia, eiuſdem particeps ſit amaritudinis quemadmodum cortex & folia, adhuc mirum videri non debet, quòd talis dulcis liquor in eiſdem colligi poſsit, aut ferè inſenſibilis amaritudinis particeps. Nam cùm ſuperfluus fuerit, vt prius dictum eſt, harum arborum humor ſeu ſuccus hic, qui ad caudicem ramos, ſeu etiam folia excernitur, non quantitate duntaxat, ſed etiam qualitate neceſſariò is dulcis erit, poſtquam pro earum nutrimento quod ſatis eſt ex eiſdem attraxerint ſimilem, ac retinuerint humorem, qui rationabiliter amarus eſſe debet, quemadmodum iam dictæ arbores, is verò qui excernitur, dulcis eo potiſsimùm, quoniam à ſolis calore, cœlique benignitate, concoctionem, coagulationẽ, ac perfectionem acquirat, ſimiléque huic liquori accidere videtur ac terris in quibus agricolæ lupinos ſeuerint: aiunt nanque terram dulciorem, ac fertiliorem reddi, non ob aliud quàm quòd amarum ſuccum è terra lupini pro eorum nutrimento traxerint tanquam eis familiarem, dulcémque reliquerint. Adde quòd cùm per tenues ac anguſtos corticis meatus idem excernatur humor, quod quidem ipſis craſſum eſt, in eiſdem impingitur, ita vt per eos expelli nequeat, niſi quod dulce & tenue exiſtit: id quod contingit etiam iis qui aquam dulcem ex ſalſa, ac etiam amara interdum extrahunt vaſe cereo tenuíque conſtructo, adeò vt tenues, & quæ dulces ſunt in id reſudent aquæ partes, reliquæ verò reſudare, ac extrahi nequeant. Retinent itaque pro earum nutrimento dictæ arbores id omne, quod eiſdem familiare ac ſimile eſt liquoris; ſeu eius humoris quem in ſe continent; quod verò alienum & diſsimile, tanquam ſuperfluum excernunt, & propterea dulcis eſt qui in earum caudice, ramis, ſeu folis colli-

gitur (hoc eſt aut nullam præ ſe fert amaritudinem quæ ſenſu iudicari queat, aut valde exiguam, nam ſecundum naturam fortè ab ea omnino non abſoluitur) præſertim cùm per anguſtos tranſeat meatus, & à ſolis calore concretionem, perfectionem, dulcedinem quodammodo, ac concoctionem acquirat.

Sed id ſaltem vitari non poſſe (inquies) quòd quæ in foliis reperitur atq; colligitur manna dictarum arborum, aërea non ſit: nam quo pacto, aut qua via ad ea tranſmitteretur ac peruenire poſſet, ſi earundem arborũ humor eſſet? At dicimus nos quòd in orni foliis nunquam talem colligũt mannam, neq; in eiſdem reperitur, quinimo nec etiam in eorum ramis, niſi perquam rariſsimè, & fortè quæ non in eiſdẽ ſit genita, ſed ex caudice defluxerit; ſed in eorum caudicibus ſeu truncis, aut craſsioribus ramis duntaxat ipſam reperiunt & colligunt. Cuius cauſa eſſe poterit, quòd cùm in ſaxis magis mõtoſiſque ac ſiccis locis emigret ornus, ſiccioris etiã naturæ, hoc eſt minùs humidæ eſt quàm fraxinus, qui in cõcauis madidiſq; magis gaudet, Theoph. & Plin. auctoribus. Quapropter tantam in ſe non cõtinet humiditatem ſuperfluam, neque adeò dilutam & tenuem, vt ad folia vſq; ac paruos ramos perueniat. Eſt item ſcabroſa arbos, ita vt facilè priuſquam ad ramos & folia humor deueniat, per caudicis corticem prorumpat: idque facilè comprobatur, propterea quòd qui eam colligũt, aiunt huius arboris mãnam perfectiorem eſſe, ſi mane & veſperi legatur, quàm meridie ſub ardenti ſole: nam ex immodico ſolis calore aridior, ſicciórque admodum redditur, & propterea imperfectior. In fraxini verò foliis, eã ſæpius colligere tradunt. At non mane ac veſperi, ſed meridie ac calidiſsimis diei horis, vt dictũ eſt. Nã mane humidior cùm ſit, colligi nequit. Verùm ſatis exigua eſt ea, quam in foliis reperiũt, & veluti miliũ parua eius grana, ita vt facilè perſuaderi poſsit ex eiuſdem arboris ramis ſuper folia deciſſe potiuſquàm in eiſdẽ genitam eſſe, aut ſaltem propterea quod magna ex parte, vt collectores referunt, in fraxinis manna emanat ex ramis, ea potiſsimùm parte, qua foliorum pediculi eiſdem annectuntur, quẽ locum vulgo vocant gliocchi, atq; in eiſdemmet pediculis & ramis coaleſcentem inueniunt; poterit ob id quæ in foliis reperitur, per eoſdem pediculos ad folia effluxiſſe, poſtquã minuta admodũ ac milij grano ſimilis ferè in eiſdem reperitur, adeò vt die vna ac etiam altera ex foliis ipſis vix ſemunciam colligant. Rurſus dicas quid erit impedimento quominus in fraxinis qui in concauis, madidis, paludoſiſq; locis oriuntur, in quibus præſertim (vt aiunt) manna reperitur, quod in eorum foliis eadem generari poſsit, quẽadmodum in caudice, ramis, ſurculis, ſeu foliorũ pediculis, ad eadem folia tranſmiſſa portione quadam exigua ſuperfluentis humoris ſeu ſucci, per eoſdẽ foliorum pediculos ab eiſdem fraxinis, poſtquã humidiores ſunt quàm orni, & in madidis locis magis quàm in ſiccis talem producunt lachrymã, ſeu gummi, nonne & in quibuſdam etiam arboribus, vt vlmis, veſiculæ, ſeu tubercula quædam, humore etiam craſſo & lento plenæ in foliis reperiuntur? Et in Fago proprius me inſpexiſſe oculis fateor, præter eos quos in ſpinoſis quibuſdã folliculis proprios fructus procreant, in foliis etiam plures generare veluti fructus quoſdam cono ſimiles, herbacei coloris primò, deinde rubeſcentes, duros quidem, intus verò inanes. Non itaq; à ratione alienum cuipiã videri debet quòd in fraxini foliis ſimilis cõcreſcat, & coaguletur humor veluti in eius caudice, ramis, ac foliorum pediculis, tranſmiſſo tanquam ſuperfluo per eoſdẽ pediculos humore ad eadem folia, ac per eorum poros demum reſudans, à ſolis calore concreſcat, & coaguletur, poſtquam humidiores natura ſunt, ac in madidis locis magis talem producunt lachrymam, cuius indicium maximum exiſtit, quia (vt ferunt qui eam colligunt) derelicta illa exigua manna quandoque in foliis, vno vel altero die, maiorem poſtea eam reperiunt, circa quam grana alia etiam, admodum minuta & coagulata ſunt. Aiunt inſuper parua illa grana quæ mane ſuper folia reperiunt, eodem etiam die ſole ſuperueniente augeri, & maiora reddi, quæ poſtea veſpere colligunt. Quod fieri haudquaquã

poſſet

poſſet ſi ex aëre fuiſſet delapſa, nam à ſolis calore potius liquefacta ac abſumpta fuiſſet, quàm coagulata, & maior reddita eius ſubſtãtia, vt paulo ante probauimus. Quapropter valeant qui mannã in fraxinis & ornis ſolis repertam, aëream ſeu roridam, ac è cœlo delapſam eſſe contendunt. Dixi non ab re ſolis, nam contingere poterit quòd eædemmet arbores in quibuſdam locis, in quibus aërea manna decidit, reperiantur, & ita in eaſdem etiam decidere poterit. At non in eis ſolis, & quotidie per multos dies, ſed cæteris quoque omnibus, & rarò tum arboribus, tum fruticibus, tum herbis & lapidibus eiuſdem loci ſimiliter eam inueniri neceſſum eſt, poſtquam è cœlo decidit, in aëréque & non particularibus plantis concreſcit, & coagulatur, vt probauimus particularémque quandam aëris conſtitutionem, vt diximus, requirit: ſed quæ in eis duntaxat reperitur, earum arborum humor proprius ſeu ſuccus exiſtit; qui cùm ſuperfluus fuerit, non ſolùm quantitate, ſed etiam qualitate pro earum nutrimento ad caudicem ramos, ſeu ſurculos, interim etiam ad folia eorúmque pediculos excernitur, quemadmodum in cæteris plantis, quæ lachrymam ſeu gummi procreant: pro cuius generatione non parum etiam ſolis calor opitulatur, earundem arborum corticem, aliáſque partes, rarefaciendo, ac findendo, dictúmque humorem liquando primò, ac extenuando, foráſque trahendo, & deinceps cogendo, coagulando, ac concoquendo, ita vt ſuauior & dulcior fiat, & ad vſum quempiam paratior, idque potiſsimum ſub cane, aut non multo ante tempore, quo quidem tẽpore feruentior calor exiſtit. Nã feruentiſsimis etiam diebus, ſub cane videlicet, thus, & myrrham colligũt, Theophr. auctore cap. 2. libri 9. de hiſto. plan. licet hæc inciſis arboribus (vt ipſe inquit) fiant. Cuius rei occaſione non ab re quis quæreret, num inciſis eiſdem arboribus, fraxinis inquam & ornis, quemadmodum ſponte concluſimus, hanc etiam lachrymam ſeu gummi dictæ arbores producant? Huic ex his quæ priùs diximus reſponſum patere poterit: diximus enim has arbores inter eas poſſe connumerari quæ & ſponte, & inciſura quoque talem valeant lachrymam generare, atque experientia etiam eorum, qui inciſis eiſdem arboribus, eam colligunt vt vno ore omnes fatentur, probauimus poſſe etiam ſponte dictas arbores eandem producere. Qua de re nemo inficias ibit quòd manna ex his arboribus inciſis emanet, ac emanare poſsit, quinimo ad vulnera illata copioſior humor confluit, vt aiunt. Verùm non vnus duntaxat earum eſt inciſionis modus, vt ferunt omnes, nam quidam nonnullis factis inciſuris in toto caudice, ita ſequenti die, vel altera eam colligunt, quidam verò per aliquos dies ante eaſdem arbores incidunt, quibuſdam inciſuris in inferioribus earundem partibus illatis, & deinde eadem collecta, ac proiecta quam primò reperiunt in eiſdem inciſuris manna, quæ deinceps confluit per eaſdem inciſuras, colligunt, & conſeruant. Alij verò prætermiſſa omnino ea quæ per primas effluit inciſuras, poſt paucos dies alijs in locis ſuperioribus eaſdem arbores incidentes colligunt, quæ quidem præ cæteris dulcior, admodúmque ſuauior exiſtit, purgato, vt inquiunt, per primas inciſuras arbore, hoc eſt excreto eo humore, qui impurior, & propterea amarior, & crudior erat. Id verò in ornis potiùs quàm fraxinis non ab re machinati ſunt: nam fraxini humidiores cùm ſint, vt dictum eſt, ſponte magis, nedum in caudicibus & ramis, verùm etiam in folijs eorúmque pediculis atque eo in loco qui eſt inter foliorum pediculos & ramos, talem emittunt lachrymam. At orni, vt qui ſicciores natura ſint, hoc eſt minùs quàm fraxini humidi, corticéque duriores & ſcabriores, locíſque ſaxoſis, montoſis ac ſiccis degant, tantam in ſe humiditatis copiam non continent, nec adeò dilutus & tenuis eſt eorum humor vt ad ramos & folia eum ſponte emittere valeant. Sed in caudicem ſolùm, & rariſsimè in ramos. Quapropter vt copioſus effluat ex eis humor, eiſdem vulnera iniiciunt; ita enim & promptiùs effluit, & à ſolis etiam calore non parum arbores pro eius expulſione eiſdem inciſis iuuantur, eundem ſcilicet humorem ad corticem trahen-

te. Ex quibus pleniſsimè ſatisfactum eſſe cenſeo ad primum quod diſſerendum propoſuimus. Etenim non ſolùm mannam quam vocant, rorem eſſe quendam e cœlo delapſum, vt Arabes ſentire videntur, verùm etiam arboreum humorem ſeu ſuccum, fraxini inquam & orni, ſatis ſupérque demonſtrauimus, ita vt modo vtroque eam generari contingat.

Validiſsimis inſuper rationibus atque experientia probatum eſſe reor, eam, qua noſtra tempeſtate vtimur ad aluum molliẽdam, quáq; etiam prædeceſſores noſtri per plures ante annos vſi fuere, illam non eſſe quæ eiuſdem generis cum rore exiſtit, quámque etiam Arabes ſcripſere, ſed fraxini ſeu orni humorem, ſiue ſuccum concretum, poſtquam ex eiſdem duntaxat, hoc noſtro in regno Neap. pleriſque in locis præſertim Calabriæ eam colligunt, & per plures ante annos ſe collegiſſe fatentur: idque etiam percepiſſe aiunt ab iis qui eam colligere eos docuerunt. Reliquum eſt vt ad ſecundum dilucidãdum tranſeamus. Erat autem: num liceat medicis indifferenter atque innoxiè eiſdem mannæ ſpeciebus vti, poſtquam rationibus, auctoritatibus, atque experiẽtia inuentum eſt bifariam eam generari poſſe: & num vna etiam eiuſdem ſpeciei ſit altera perfectior, & quæ imperfectior quodammodo earum eſt nũquid omnino vitãda, explodendáq; ſit? Pro cuius dilucidatione aſſerimus aëream mannam ex rore genitam, ab Arabibúſq; deſcriptam, potiſsimùm concretam, & quam Meſues commendat, ad eos vſus quos ipſe ac Serapio & Auic. probarunt eſſe vtiliſsimã: etenim cùm ex rore ſit genita æquali, ac fœcundo aëre, & lætis aſpectibus, ſaporéque dulcis ſit, ad æqualitatem ferè accedit, ad caliditatem, & humiditatem parũ vergẽs quodammodo: quapropter guttur, pectus, ac ventrem lenit, leniendóque cum facilitate quadam bilem educit, ac ſitim ſedat; præter id quod ſua dulcedine, ſi cũ aliis purgantibus miſceatur medicamentis, eorũ operationes vigorat: efficit enim vt natura ob eius dulcedinẽ promptiùs ea aggrediatur, ac ad actũ ducat. Verùm ſi ſuper lapides cadat, ea optima eſt (vt inquit idem Meſue) quæ eſt ſicut ſemen album, & eſt dulcis, & recens: ſequitur deinde quæ eſt ſubcitrina, nam fuſca, cœnoſa, & antiqua non eſt bona. At ſi ſuper arbores ſeu plãtas cadat, melior eſt illa quæ eſt paucæ permiſtionis cum foliis, & eſt ſubalbida, recens: ſuſcipit enim hæc quippiam de virtute plantarum, vt idem Meſues teſtatur. Quas etiã ferè omnes facultates Tereniabin dictæ, quã liquidam & melleam mannam eſſe diximus, Auic. & Serapio etiam tribuerũt: ita vt non minùs innoxiè iuxta eorũ ſentẽtiam ad iam dictos vſus Tereniabin vti valeamus, quàm iam dicta concreta & coagulata manna. Ipſéque vtrãque apprimè idoneam ad eos vſus eſſe cẽſerem, modò vtraque his noſtris in partibus reperiretur. Verũ neutrã hoc noſtro in Regno Neap. è cœlo cadere puto, aut valde exiguam, eámq; rariſsimè, & non quotannis, potiſsimùm concretam, & coagulatam: liquidam verò aut non omnino, aut ſi qua reperitur quæ non concreſcat, vt dictum eſt, eam non eſſe eiuſdẽ ſpeciei ac facultatis ingenuè fateor, cuius Arabes Tereniabin eſſe fatentur, poſtquam neque eiuſdem notas habet. Et qui coagulatam mannam colligunt, tanquam inutilem eam derelinquũt; & per plures ante annos dereliquerunt, quotquot concretã & coagulatã mannã hoc noſtro in Regno Neap. quibuſuis in locis colligunt, cámque ſegetes in quotquot inciderit, protinus tabe quadã veluti rubigine perimere aiunt, quod quidem haudquaquam de tereniabin Arabes ſcripſere. Itaque vbi haberi poſsit roſcida concreta ac coagulata manna, tute ad iam dictos vſus vtare: at eius defectu, num ea, quam arboreã eſſe probauimus vti liceat, nondum liquet. Pro cuius dilucidatione in memoriam reuocandum eſt fraxini folia, eorúmq; ſuccum, illa illita, hunc potum, ſerpentum morſibus ſubuenire Dioſc. auctoritate Quod etiam confirmauit Plin. cap. 13. libri 16. Cap. verò 8. lib. 23. vt paulo ante animaduertimus, hæc de fraxino ſcripſit, Fraxinus quam vim haberet aduerſus ſerpentes, indicauimus. & deinde ſubdit. ſemen foliis eius ineſt. putarem ipſum melius dixiſſe folliculis ſeu ſiliquis eius ineſt, vt cum Theophra.

concord

concordaret qui dicebat. fert tamen in ſiliqua fructum minutum nucis modo, & deinceps idem Plin. de ſemine ait. quo medentur iocinoris & lateris doloribus in vino. & iterum de folijs ita ſubdit. Aquam quæ ſubit cutem extrahunt, corpus obæſum leuant onere, ſenſim ad maciem reducentes, iiſdem folijs cum vino tritis ad vitium portionem: ita vt puero quinque folia, tribus cyathis diluantur, robuſtioribus ſeptem folia, quinque cyathis vini, non omittendum ramenta eius, & ſcobem quibuſdam cauenda prædici. Has Plin. de ſeminis & fraxini folijs facultates enarrauit, quamuis in fine enarrationis addiderit id quod fabuloſe potiùs de eodem fraxino conſcripſerat Dioſco. cùm dicebat. ferunt tamen ligni ramenta pota letalia eſſe: nam cùm inſipida quodammodo ſit lignea fraxini ſubſtantia, nec quampiam præ ſe ferat excedentem qualitatem, aut fungorum modo enecet, propterea quòd multo liquore plena non eſt vt colchicon, imaginari non valeo, cur eius ramenta pota poſsint eſſe letalia, ſeu deleteria venena, eo potiſsimùm cùm illa nonnullis ſæpiùs exhibens, letalia non eſſe experientia comprobarim: quibus non modò letalia non fuere, verùm neque vllum periculum, aut aliud quoduis ſymptoma potu malum attulere, adhæc ſi foliorum ſuccus potus velut alexiterium eſt aduerſus ſerpẽtum ictus pharmacum, eorundem auctoritate, quî fieri poſsit vt ligni ramenta pota deleteria eſſe poſsint non inuenio. ſi igitur letalis haudquaquam eſt fraxinus, vt ex eius ſapore liquet, & experientia comprobauimus, ſed tales habet vires ſecundum folia & fructus, poſtquam manna quæ in eo colligitur probatum eſt eiuſdem arboris humorem ſeu ſuccum eſſe, & quilibet ſuccus ſeu humor, vt Theoph. auctoritate dictum eſt cap. 1. lib. 9. de hiſt. plan. vires ſortitur pro cuiuſq; plantæ ratione, ſequitur quòd eaſdem etiam habebit vires, & quòd tutè & innoxiè ea vti valeamus, præſertim ad iam dictos vſus, ad quos ſemina & folia fraxini, eorúmque ſucci ſunt accommodata. Similiter quoque ſentiendum eſſe puto de ea quæ in ornis colligitur manna, poſtquàm eiuſdem ſunt cùm fraxino generis, parúmque inter ſe diſsidere videntur, vt priùs oſtendimus: nam ſi roſcidum mel, aëreáque manna cadens ſuſcipit de virtute plantarum ſuper quas cadit, vt Gal. & Meſue, viſum eſt: quanto magis propriùs earundem plantarum humor eadem participabit facultate, quæ ipſis arboribus propria eſt? Rurſus ſi dulcis eſt humor hic ſeu lachryma quam mannam vocãt, neque multo craſſo lentóque humore plena eſt, aut parum amari ſaporis particeps, adeò vt ferè imperceptibilis ſit, & à ſenſu iudicari nequeat, ſintq; dulcia omnia moderate calida, gratáque, & noſtræ naturæ amica, vt liquet 4. de ſimp. medic. fac. neceſſariò ſequitur quòd ex eius aſſumptione nulla corporibus noſtris noxa prouenire poſsit. Quinimo præter iam dictos vſus quos præſtare poteſt manna hæc, velut fraxini & orni humor, propterea quòd earũdem arborum vires ſortiatur, vim etiam habebit concoquendi, laxandi, & rarefaciendi, quemadmodum cætera dulcia, necnon fundendi, læuigandi, ac molliendi, vt eodem 4. & 5. de ſimp. medic. fac. à Gal. ſcriptum eſt: & vt ſummatim dicam, præter iam dictos vſus cunctas etiam præſtabit vtilitates, quas Arabes aëreæ mannæ tribuerunt, quatenus dulcedine communicant, quamuis non tantæ humiditatis ſit particeps, neque adeò temperatè calida exiſtat. Et ſi dixeris id ſaltem vitari non poſſe quòd licet propria dictarum arborum lignoſa, & vt ita dicam, medulloſa ſubſtantia nullum excedentem præ ſe ferat ſaporem, cortex tamen & folia amaritudinem manifeſtã repræſentent, quapropter & hæc arborea manna quæ in folijs & iuxta corticem earundem arborum colligitur, neceſſariò quadam participabit amaritudine, ſaltem occulta, & ſenſu imperceptibili, & ob id præſtare eos non poterit vſus quos præſtat aërea, quæ dulcis eſt omnino, aſſerimus nos dubio procul quòd ob eas quas ſuperiùs diximus cauſas, non inconueniet quòd amaritudine careat, quamuis cortex & folia amarũ repræſentant ſaporem: & ſi alicuius amaritudinis particeps ſit mãna hæc arborea, adeò tamen exigua eſt, vt nullo pacto, aut vix percipiatur, multam verò, eámq; ſua-

nem admodum præ ſe fert dulcedinem, & proinde quos præſtant vſus dulcia omnia, & ipſam quoque præſtare poſſe non inconuenit, licet non adeò exquiſitè, & præter id eaſdem quodammodo vtilitates molietur, quas amara præſtare ſolent, nō tamen valenter, & exquiſitè. Qua de re citra manifeſtam ſeu excedentem caliditatem, abſtergendi vim quodammodo habebit, extenuabit, incidétque humoris craſsitiem, & meatus quoque perpurgabit, quemadmodum de cæteris amaris ſcriptum reliquit Gale. citato lib. 5. de ſim. med. fac. nec minùs & menſes mouebit, educendóque ex pectore & pulmone quicquid in eis continetur, ſiue pus, ſiue pituita craſſa, non parum auxiliabitur, & eadem quoque ratione comitiali morbo opem feret, velut de amaris omnibus teſtatur Gale. citato lib. 4. de ſim. med. fac. Et quo amarior fuerit manna hæc arborea, eo magis & valentiùs, eos vſus quos amari ſapores præſtare poſſunt, præſtabit, minus tamen quos dulcis ſapor, & quo dulcior, magis dulcis ſaporis facultates potiùs molietur, minùs autem eos producet effectus, quos in corporibus noſtris amara efficere ſolet, vtroſque tamen perpetuò præſtabit vſus, cùm vtriuſque ſaporis ſit particeps, & à neutro manna hæc omnino abſolui poſsit, eos tamen imbecilliùs quàm exquiſita dulcia, exquiſitáque amara operabitur. itaque cùm ea adeò dulcis ſit, vt nullam ſenſui repræſentet manifeſtam amaritudinem, nam ſecundum rei naturam ab ea fortè non abſoluitur, quoniam omnino ſyncera, & ab aliarum qualitatum miſtione alienam dulcedinem aut ſaporem quempiam alium inuenire impoſsibile eſt, vt liquet ex Gal. citato lib. 4. de ſimplic. medic. fac. non ab re eos præſtabit vſus, quos aërea manna, cæteráque dulcia præſtant, & quo magis vel minùs amaritudine participabit, eo plus vel minùs eaſdem in corporibus noſtris vtilitates molietur, quas amaris omnibus conuenire cum Gal. concluſimus, eos tamen non adeò exactè & abſolutè poſtquam ſemper in hac arborea manna ſiue ſponte, ſiue vi emanauerit dulcis ſapor prædominatur, dulcedóque in ea primò ac magis à guſtu percipitur quàm amaritudo, etenim hæc aut non omnino, aut vix, & in fine percipitur. quapropter non modò citra omne diſcrimen ac periculum penitúſque innoxiè hac quæ in fraxinis & ornis reperitur manna vti poterimus, quomodolibet ea prodierit, ſed ad omnes iam dictos vſus proculdubio erit accommodata, ac præ cæteris eligenda erit poſtquam ſapore dulcis, moderatáque calida exiſtens, aut exiguæ amaritudinis particeps, quæ etiam interdū in ea non percipitur, aut vix tandem eas quas narrauimus vtilitates præſtabit, & nullius exceſſus periculi, aut mali auctor mortalibus eſſe poterit, etiam ſi manifeſtè amaritudo aliqua in ea ſentiatur. At quid opus eſt tot rationibus ac auctoritatibus vti, vbi res experiētia pateat, & longo vſu fuerit comprobata? quippe cùm huius rationem quærere dimittentes ſenſum, infirmitas quædam intellectus eſt, quemadmodum aduerſus Zenonis opinionē qui omnia quieſcere fatebatur, Ariſt. dicebat 8. phyſ. Neque enim ipſe ſolus, ſed eorum omnium qui hac noſtra tempeſtate medici ſunt, nemo eſt qui ſæpius longóque tempore hac manna quæ ex ornis & fraxinis colligitur vſus non fuerit, perpetuóque cum bono & fœlici ſucceſſu citra vllam noxam eorum qui eam ſumpſerunt, præſertim ad aluum molliendam. etenim neque inquietudines & faſtidia, neq; tormina, colliquationem, aut ſuperpurgationem, aut aliud malum ſymptoma ex eius aſſumptione quiſpiam perpeſſus eſt, tam ſi ex foliis, aut loco qui eſt inter foliorum pediculos & ramos, ſeu ex ipſiſmet foliorum pediculis, ramis, ſeu caudice fuerit collecta, quarum primam frondinm, ſecundam verò corporis mannam vulgo appellant. Quotquot item medici hoc noſtro in Regno Neap. permultos annos ante nos fuere, ſemper hac qua modo vtimur manna, citra diſcrimen aliquod vſi ſunt. Puto tamen eos hactenus non obſeruaſſe cæteros quos eiuſdem narrauimus vſus, arbitrati (quemadmodum & ipſe etiam multo tempore arbitratus ac hallucinatus fui) hanc mannam eam eſſe quam Arabes ſcripſere. Poſtea verò non multis abhinc annis rationibus inſtructus, & vſu, ac ex-

perien

perientia certior redditus, iam dictos enarratos vſus omnes, per Deum immortalẽ me obſeruaſſe, ingenue fateor, & dubio procul omnes in futurũ quos narrauimus vſus, citráq; vllam noxã ex eius aſſumptione, nõ ſolũ periti & generoſi medici, ſed vulgares etiam (ſi vt decet, ea vtantur) perpetuò prouenire videbũt. Sed mox inquies. ea omnia quæ de fraxini & orni lachryma narrata ſunt, veritatem habere, vbi ſponte emanauerit, & non ſi inciſis iam dictis arboribus colligatur: quæ etiam non multò antehac fuit inuenta: hæc nanque cùm factitia quodammodo ſit, & non ſpontè proueniat, ſaltem inhibenda erit, omninóque vitanda tanquam mortalibus noxia, & veluti deleterium quoddam pharmacum. At nos aſſerimus quòd quouis modo fiat & producatur earundem arborum lachryma ſeu concretus humor, quem mannam appellãt, & in quacunque dictarum arborum parte ſiue ſpõte, ſiue vi aliqua emanabit, ea innoxie ad diuerſos tamen vſus vtẽdum erit, neque earum quæpiam prohiberi, aut omnino vitari debet: cùm quælibet ipſarum tempeſtiue adhibita non parum conducat: etenim vbi ſpontè proueniat, cùm dulcis admodum ſit, moderatéque calida, eos præſtabit vſus, quos narrauimus dulcia omnia moliri, & propterea valde ſimiles facultates habebit cum Arabum manna, quæ etiam (vt ipſi aiunt) ex plantis ſuper quas cadit, aliquam ſuſcipit facultatem. Idque veritatem habere cenſemus, tam ſi in foliis eorúmque pediculis, quàm ſi in ramis, aut caudice colligatur, eo duntaxat diſsidentes, quòd quæ in foliis foliorum facultate, quæ verò in ramis & caudice, totius arboris & corticis quoque facultate quapiam participabit. Vbi verò inciſis priùs arboribus ea proſilierit, quam mãnam vulgò appellant manna forzata, aut eam in primis vulneribus illatis colligunt, & hæc omnium maximè amaritudinis particeps erit, præſertim ea quæ primò ex eiſdem effluit: aut priùs per aliquos dies antè, quibuſdam cæſuris factis, eam quæ ex eiſdem profluit, prætermittunt, & deinceps reliquis illatis, quæ inde profluit, colligunt, & hæc medio modo ſe habebit & ſapore & facultate inter eam quæ ſponte, & eam quæ ex primis inciſuris factis, primò emanat, quælibet tamen earum ſemper dulcedinem magis præ ſe fert quàm amaritudinem, cùm hic ſapor in eis omnibus præualeat, quapropter licet prima quæ inciſuris factis colligitur, minorem habeat concoquendi, laxandi, ac rarefaciendi, ſeu læuigandi & fundendi vim, propterea quòd non adeò temperatè ſit calida ob amaritudinem cuius magis particeps eſt, maiorem tamen habebit abſtergendi, extenuandi, meatus purgandi, ac incidendi facultatem, & ob id in educendo pure, aut craſſa pituita ex thorace, & pulmone, menſéſq; mouendo, magis auxiliabitur, magiſque aluum ſoluet, & liberandis obſtructionibus opitulabitur. quinimo Theophraſtus citato cap. 1. libro 9. de hiſtor. plantarum, de lachrymis quæ inciſis arboribus conſiſtunt, inquit: cæſura capiuntur quæ vtilia, magiſque operæpretium ſunt: ita vt propterea vtilior hæc manna quodammodo eſſe videatur, & non ab re tot præſtabit vſus quot narrauimus: vbi congruè eã vtaris: cauenda tamen erit in ardentibus febribus alui fluoribus ac diſſenteriis, aliiſque calidioribus morbis, ſimiliſque naturæ corporibus, ac etiam æſtate, regionibus, anniſque conſtitutionibus, ſimiliter valde calidis exiſtentibus, non tamen adeo vt cætera pharmaca aluum ſoluentia quæ calidiora ſunt, tempore anni calido, calidioribúſque corporibus, prohiberi debet, cùm non adeo noceat, atque calidior ſit, ſed ea vtendum præcipuè vbi hæc adſint, quæ ſponte emanat & in foliis, eorúmq; pediculis, ac eo potiſsimùm loco qui inter pediculos & ramos colligitur. Si verò quibuſdã vulneribus priùs dictis arboribus illatis, quàm primò reperiunt ex eiſdẽ emanantem mannam non colligunt, ſed eam quæ deinceps ab eiſdem, aut ex aliis ſecundo loco factis cæſuris, profluit, hæc licet vi etiam extrahatur, inciſis ſcilicet dictis arboribus, & propterea violenta quodammodo appellari poſsit, & in hoc conuenit cum modò dicta, tamen quod ad facultates attinet, medio modo ſe habebit inter hanc, & eam quæ ſponte profluit, cùm non adeo exquiſita & pura

fuerit

fuerit, quemadmodum ea quam ſponte dictæ arbores amittunt, neque adeo impura & violenta, vt ea quæ ex primis illatis cæſuris primò emanat: propterea quòd ex primis illis inciſuris, qui impurior ac magis amaritudinis particeps eſt humor, fuit expurgatus. Iure igitur mediocriter ſe habebit tam ad eas operationes, quas ſpontaneè competere diximus, quàm ad eas, quas perficere retulimus eam mannam quæ ex primis inciſuris illatis primo effluit. Quamobrem proculdubio aſſerimus quemlibet ex iam dictis ſuccum, ſeu concretum humorem, lachrymam, ſeu gummi, aut quomodolibet appellare volueris, admittendum eſſe, etiamſi vi extractus fuerit, mortalibúſque ad diuerſos vſus eſſe accommodatum, & citra noxam aliquam magnopere conducere, & proinde nullum eorum, prohibendum eſſe, iure arbitror, nec minus naturæ, & arti quoque plurimum deberi cenſeo, & innumeræ agendæ ſunt gratiæ (mea ſententia) vt quæ nobis inter cætera medicamēta valde conducibilia, hunc fraxini & orni humorem, quem mannam appellant, producere, ac propalare conatæ ſint: quo vt decet vtentes citra noxam aliquam, vt ſæpiùs dictum eſt, nonnullos præter naturam affectus curare valeamus, etiam ſi aliqua ferro inquam, aut igne, & non ſponte proſilierit. Quocirca vt rem hanc paucisſimis perſtringamus, nam præclarum prouerbium illud eſt (vt inquit Plato in Philebo) quo dicitur: quæ pulchra ſunt, & bis, & ter, repetenda eſſe, vbi ea haberi non poterit manna quæ ab Arabibus ſcripta eſt, loco eius ea vtare quæ ſponte in dictis arboribus emanat, nam eoſdem ferè præſtabit vſus, quos Arabes bonæ, aëreæ mannæ tribuerunt, & longè plures præſertim ea, quam in fraxini foliis, eorúmque pediculis, aut parte ea qua foliorum pediculi ramis aunectuntur, colligunt, & frondium mannam appellant, hæc namque inter cæteras eligenda erit. Nam præterquam humor ille ex quo generatur ſyncerior, dilutior, ac tenuior eſt, quoniam ad extremas peruenit ad ſummas arboris partes, ac coucoctus magis, & ob id dulcior exiſtit, foliorum etiam viribus quodammodo participabit, quorum ſuccus, vt dictum eſt, ſerpentum ictibus valde opitulatur. Dioſco. & Plin. auctoribus, qua de re inter cæteras ad eos vſus ad quos aërea accommodata eſt Arabum auctoritate, præcipuè hæc eligenda erit. Nam cùm dulcior ſit quàm cæteræ arboreæ mannæ, candido, ant ſubcitrino calore velut roſcida, cæteris propterea eiuſdem generis præſtare videtur, & aërea etiam præſtantior, cùm nedum ſerpentum ictibus, verumetiam & eadem ratione malignis peſtilentibúſque febribus auxiliabitur. Deinceps verò ea quæ etiam ſponte prodiens in ramis aut caudice tam fraxini quàm orni reperitur, ſuccedit. Nam in orni foliis aut eorum pediculis humor hic ſponte non emanat aut raro admodum, & raro etiam in ramis. Sed in caudice plurimùm, vt ſæpius dictum eſt: quamuis quæ in fraxini ramis, ſeu caudice colligitur exigua ſit, vt diximus, collatione facta, ad eam quæ in ornis ſupra dictas partes legitur, dignitate tamen præſtat ea quæ in eiſdem orni partibus reperitur: propterea quòd non adeo calidæ temperaturæ ſit fraxinus ac ornus, humiditatéque magis participet: & ob id dulcior quoque eſt quæ in fraxini ramis, ſeu caudice colligitur manna, quàm quæ in orni eiſdem partibus reperitur. Sequitur in bonitate tertio loco quæ non ex primis illatis cæſuris colligitur, videlicet quæ ex eiſdem primò profluit, ſed ex aliis vulneribus poſt aliquos dies factis. Nam ex primis illis quod primò effluit, impurum, inconſectum, ac excrementoſum valde eſſe cenſendum eſt: & propterea puriorem, perfectiorem, dulcioremque ex ſecundis cæſuris humorem profluere: necnon & ſecundo loco ex illis primis inciſionibus factis non ab re putandum eſt. Poſtremò neque etiam ea omnino ſpernenda eſt arborea manna, atque penitus profliganda, quamuis quarto loco in bonitate ſuccedat quæ primò ex primis illis inciſuris profluit. Nam & hæc quoque, licet amaritudinis cuiuſdam quodammodo particeps ſit, dulcedinem magis præ ſe fert, qui ſapor perpetuò in ea etiam præualet, quamuis parua quædam, & in fine ſentiatur ama-

ritu

titudo, cuius etiam gratia quandoque morſus quidam ſentitur dum guſtatur, eſt enim mordicatio communis cum acidi, tum amari, tum etiam acris ſaporis, vt liquet 4. de ſimp medic. fac. quapropter & ad eos valde conducere videtur vſus, quos dulcia omnia, modicéque amara perficere ſolent, vt ſæpius dictum eſt, & ſi contingat, vt quidam ferunt ac experti ſunt, quandoque humorem hunc lento igne ſub dictis arboribus accenſo, vi extrahi: & hæc quoque manna admittenda erit, cum non niſi caliditate quadam magis participabit, quæ non adeo erit immodica vt vrat, & corrumpat, at ſenſibiliter lædat, ſed vt valentius operetur, id quod manifeſtat huius humoris dulcedo, quæ quomodocunque is humor ex iam dictis arboribus effluat, ſemper in eo præualet, & amaritudo aut nulla ineſt, aut adeo exigua, vt vix percipi poſsit, perquam rariſsime autem, idque in fine potiùs manifeſte ſentitur: quo fit vt hoc eodem humore, ſucco, lachryma, ſeu gummi, quomodocunque à dictis arboribus emanauerit, ſiue ſponte, ſiue vi aliqua innoxiè, citráque omne periculum vti valeamus. Id quod non ſolùm validiſsimis rationibus, ac auctoritatibus probatum eſſe reor, verumetiam & longa experientia confirmatum. etenim nedum ipſe ſæpius & longo tempore eadem ſponte, & vi etiam collecta vſus ſui, ſed & cæteri ferè quotquot ſunt in hoc noſtro Regno medici, indifferenter per plures annos eadem manna quomodolibet collecta, ad molliendam aluum, præcipuè citra noxam aliquam, citráque omne diſcrimen vſi fuère. At ſi quiſpiam dixerit quandoque obſeruatum eſſe, ex eius ſaltem mannæ vſu, quæ primo arboribus iam dictis inciſis emanat, ſuperpurgationes, inteſtinorum abraſiones, ſeu tormina & alia quoque mala ſuperueniſſe: nos facilè obiectionem hanc delebimus, aſſerentes hæc non huius arboreæ mannæ ratione proueniſſe, ſed quia minùs rectè medicus quiſpiam ea vſus fuerit intempeſtiue, aut morbis, ſeu corporibus quibus non competit, exhibens: vel coniectura malè eius quantitatem aſſequutus, aut fortè deceptus, putans eam aêream eſſe, vel quippiam aliud adulteratum, ſeu factitium, pro manna hac exhibens: quamobrem fruſtra non animaduertimus nos priùs quando diximus quòd abſq; noxa ſemper hac arborea manna vti poterimus: vbi vt decet ea vtamur. Cæterùm quis vnquam eiuſdem vſum impedire audeat, ſi nonnulli alij arborum, fruticũ, ſeu herbarum ſucci, humores, lachrymæ, reſinæ, ſeu gummi, in medicinæ vſu admittuntur, quamuis eorum aliqui violentiores, calidiores, acrioréſque fuerint, & quidam venenoſa etiam qualitate participent, vt ſcammonium, elaterium, euphorbium, & alij ſimiles: ſunt & præter hæc humores alij, gummi ſeu reſinæ, quorum in arte medica vſus admittitur, vt aloë, bdellium, ſagapenũ, opopanax, Hammoniacum, myrrha, maſtiche, thus, & reliquæ reſinæ omnes, præſertim terebinthina, nonnulláque alia, quæ breuitatis cauſa conſulto prætermittimus. Admittenda itaque eſt hæc noſtra manna, quæ ex fraxino & orno duntaxat quouis modo colligitur, tanquam mortalibus magnopere ad iam dictos vſus conferens: illud tamen animaduerſione dignum puto, quo maiori emolumento ac tutiùs ea vti valeas, vt eam quæ recentior & humidior eſt ſemper eligas: nam quæ diuturnior aut quouis modo aridior reddita eſt, omnino vitari debet: necnõ vt vnam ab altera ſecernere coneris, ac rectè diſtinguere: nam & hoc erat tertium à nobis abſoluendum. Quod etſi difficile admodum videatur, id tamen quoad fieri poterit manifeſtare conabimur, aſſerentes aëream, & quam Arabes ſcripſerunt mannam haud ægrè dignoſci præſertim optimam, eiſdem videlicet notis, quas Meſues animaduertẽdas, ſuo proprio cap. de manna, neque etiam admodum difficile eſt hanc, ab ea quæ arborea eſt diſtinguere, nam cùm hæc à frigore concreſcat ſemper, atque coaguletur, vt ſæpiùs dictum eſt, neceſſariò liquefiet ac ſoluetur à calore, ſi Ariſtotelis principia vera ſint. Itaque ſi ſoli feruentiſsimo, aut igni ſeu calefacto ex igne ferro aut lateri impoſita, ſoluatur, atque liqueſcat, quòd aërea ſit, certo affirmare poteris, modò adulterata non fuerit, & eas ſeruauerit notas, quas Meſues meminit: qua

etiam

etiam ratione neque admodum difficile erit hanc qua vtimur,& arborea eſt, à roſcida diſcernere. Etenim à ſolis ſeu ignis calore,etiam immodico, neque ſoluetur,neque liquefiet,cùm ab eodem vt dictum eſt concreſcat, & coaguletur. Quod etiam dum hæc ſcriberem experiri volui. Nam cum diligētia Ferdinandi imparati,ſolertis quidem pharmacopolæ Neapolitani, ex Venetiis eam Orientalem mannam quam bombacinam appellant, habuiſſem, calefacto ex igne ferro,ac lateri, impoſitis eiuſdem, & noſtræ mannæ granis quibuſdam, tam eius quæ ex foliis,quàm quæ ex caudice & ramis colligitur, illa protinus liquefacta & ſoluta, hæc verò aridiora durioráque reddi viſa ſunt: expoſui quoque eadem ſoli feruentiſsimo,propriíſque oculis inſpexi, & ſi non ita repente & affatim,pauco tamen interiecto temporis ſpatio, bombacinam mannam ſenſim liquefactam; noſtram duriorem effectam, & albidiorem. Nec ſecus cenſendum puto de ea quam maſtichinam vocāt,& de qualibet alia manna è cœlo cadente,quocunque in loco,ac quonis tempore, vbi adulterata non ſit. cùm enim & humidior & recentior ſit quàm bombacina, cōſentaneum eſt vt citiùs & ad ſolem,& ad ignem impoſita liqueſcat. Liquefit autem, ac ſoluitur à frigido humido,hoc eſt aqua,manna hæc arborea: nam quæ à ſicco calido coagulata ſunt,ab aqua ſoluuntur,quę eſt frigida & humida,inquit Ariſt. 4. meteor. ſiquidem coagulata,quæcunque liquabilia exiſtunt, diſſoluuntur ab his,quæ cauſis coagulationis contraria ſunt,& propterea, vbi fuerit frigidum aliquod ſine humiditate eam quoque ſoluere non valet, quoniam & à frigido ſicco etiam,quandoque concreſcit hæc manna, vt collectores teſtantur, & nos priùs dilucidauimus, & hoc non ob aliud niſi quòd non ſolùs aquæ, ſed terræ etiam exiſtit eius materia, quæ quidem dictarum arborum ſuccus, ſeu humor eſt vt diximus,& quæcunque communia ſunt terræ & aquæ, & ab igne coagulantur,& à frigido,ait Ariſtot. citato loco. Idque non ob aliud, niſi quòd hæc quæ ſunt communia terræ & aquæ cum eorum coagulatione ingroſſantur etiam,quæ ingroſſatio alio modo fieri nequit, quàm humido abeunte,ſicco autem conſtante: id verò indifferenter,& à calido & à frigido, quamuis diuerſa quodammodo ratione perficitur, vt liquet ex eodem Ariſt. ibidem. Quo fit vt non abſque ratione arborea hæc manna interim à frigida, interim verò à calida, præſertim non immodica, aqua ſoluatur atque liquefiat, eo ab vtraque iniecto iterum,quod priùs abierat humido, ac in maiori copia, ſiccóque, quod propterea conſtiterat,iterum diſſoluto à ſuo contrario. Illa verò quæ aërea eſt,& à calida aqua,tanquam à contrario, nonnunquam autem à frigida cuius cauſa quod priùs à ſicco frigido concretum erat, iterum liquefit ac ſoluitur, quemadmodum niui,atque grandini contingit, quæ nedum à ſolis ſeu ignis calore liquefiunt ac ſoluuntur, verumetiam à calida & frigida aqua. Soluitur itaque atque liquefit aërea & roſcida manna ſemper à ſolis, ſeu ignis calore atque etiam à calida aqua, quatenus ſcilicet calida eſt potiſsimùm: & à frigida quoque, verùm non tanquam frigida,ſed tanquam humida. Quæ verò arborea eſt,nunquam à ſolis ſeu ignis calore ſoluitur, ſed potiùs concreſcit, & coagulatur magis,ab aqua verò,ſiue modicè frigida,ſiue modicè calida fuerit, & ſoluitur, & liquefit,tam ſi à calore, quàm ſi à frigore fuerit concreta, propterea quòd eadem aqua ſemper humiditatem admiſtam habet, & quod ad actiuas qualitates attinet,perpetuò contrariam quodammodo habebit qualitatem ei,quæ cauſa coagulationis fuit, ſiue immodicus calor, ſiue immodicum frigus ingroſſationis & coagulationis eius cauſa fuerit. At cùm decretum à nobis prius ſit hunc arboreum ſuccum interdum concreſcere & coagulari à frigore, quemadmodum aëream,& roridam mannam ſemper: non ab re quiſpiam quæreret,cur cauſa ſit,quòd hæc ſaltem arborea manna, à ſole & igne non liquefiat,velut ea quæ à cœlo lapſa eſt,cùm vtraque à frigore concreta,ac coagulata fuerit. At nos dicimus non eſſe vnum & eundem modum concretionis & coagulationis vtriuſque, ſed valde diuerſum,quamuis ab eadem cau-

ſa efficiente perficiatur, frigore inquam. Præterea materia etiam quæ coagulatur, diuerſa eſt: nam arboreæ mannæ materia, ſuccus, ſeu humor eſt, qui terræ & aquæ exiſtit, aëreæ verò vapor, aquæ exiſtens ſolùm. Quæ verò communia ſunt aquæ & terræ, vbi coagulantur, incraſſantur etiam inſimul, quæ incraſſatio, humido quidem recedente & euaporante fit, ſicco autem conſtante, vt diximus, tam ſi à calido, quàm ſi à frigido coagulentur, & incraſſentur. At quæ ſolùs aquæ ſunt, & à ſolo frigore coagulantur, & talia coagulata cùm fuerint, non incraſſantur, vt inquit Ariſt. citato libr. 4. met. propterea quòd neque recedit, neque euaporat humidum quod in eis continetur, quemadmodum in his quæ cùm coagulatione incraſſentur. quò fit vt à ſolis, ſeu ignis calore, qui ſiccitati etiam commiſtus eſt, quod in eis continetur humidum, & priùs à frigore fuerat concretum ſeu coagulatum, fundatur, & propterea eadem liquefiant, quamuis calor ſiccitati fuerit copulatus. Verùm quæ ſimul coagulata, & incraſſata à frigore ſunt, nequeunt à calore ſiccitati commiſto ſolui, ac liquefieri: nam nedum calido, verumetiam humido indigẽt; eo iam euaporato quodammodo: & niſi eiſdem illud adduciatur, quoniã iam ferè euaporatum erat, & receſſerat, liquefieri nequeunt, nec ſolui. Qua ratione dictum eſt hæc à calida aqua liquefieri, non tamen ab igne & ſole, quæ videlicet ſimul aquæ, & terræ exiſtentes, à frigore fuerint coagulata, & incraſſata: cuius generis eſt arborea hæc noſtra manna ſi à frigido ſicco concreuerit, & propterea eadem à calida aqua quæ humida eſt, etiam ſoluitur, atque liquefit, non autem ab ignis, ſeu ſolis calore, qui ſiccitati permiſtus eſt, quoniam cauſis coagulationis contrarius omnino non eſt, veluti aqua modice calida Diſsidet inſuper hæc arborea manna, quomodocunque coagulata fuerit, ab aërea, colore. Nam non ita candida erit, quemadmodum illa, neque adeo exactè dulcis, modo à plantis ſuper quas decidit roſcida manna, aliquam non participauerit amaritudinem. Eſt item huius mannæ arboreæ ſubſtantia ſiccior, & denſior quodammodo, cùm non ſolùm aquæ, ſed etiam terræ ſit particeps, & ob id etiam ponderoſior, niſi immodicè fuerit à ſolis calore exiccata. His denique notis aëream ab arborea manna, haud ægre diſcernere poteris. At arboream num ſponte ea prodeat, vel vi fuerit extracta, non ita facilè dignoſces. Poteris tamen & illud quoque coniectura quadam aſſequi, nam vbi ſponte emanauerit, ſi in folis corúmque pediculis, ac locis quibus pediculi ramis annectuntur proſilierit, & alba & dulcia, admodúmque exigua grana ſibiinuicem adhærentia citra inciſionem, vbi ſimul coaceruata fuerint videbuntur. Hæc quippe eſt illa manna quæ ſemper ſponte erumpit, & cæteris etiam ſponte emanantibus præſtat, ad aluum molliendam, bilémque leuiter educendam, ac thoracis aſperitatem leniendam, & præter hæc aduerſus venena confert, quemadmodum fraxini folia, háncque noſtri temporis medici pro magnatibus eligunt, pręſertim in febribus acutis, & frondium mannam appellant, quamuis, vt diximus optimam aëream mannam ſe elegiſſe putent, hactenus ignorantes quòd dictarum arborum ſuccus fuerit, vt demonſtrauimus. Si verò in caudice & ramis legatur manna hæc arborea, quæ manna corporis nuncupatur, vbi ſponte prodierit, præterquam, quòd eius grana maiora ſunt, & ita ab ea proximè ſcripta diſtat, dulcior quoque erit, albidior, atque humidior ea quæ vi emanat, ob eas quas ſupra recenſuimus cauſas, minus tamen ea, quæ in foliis, corúmque pediculis legitur, & alba, & dulcis erit. Quæ verò inciſis arboribus effluit, ſi ex primis inciſuris prodierit obſcurior, ac quodammodo herbaceo, ſeu ſubuiridi calore participans apparebit: ſapore verò in fine ſaltem cùm eam guſtaueris, amaritudinem repræſentabit, & cum ea quandoque mordacitatem quandam, ſiccioríſque ſubſtantiæ erit, præterea quod terreæ magis ferè quàm aqueæ ſubſtantiæ & earundem arborum corticis coloris ac ſaporis quoque particeps eſt. Verùm vbi non ex primis inciſuris, ſed cæteris poſtea illatis, aut ex eiſdemmet primis, ſed non prima colligatur quæ effluit manna, medio modo ſe habebit inter hanc & eam

quæ ſponte emanat, ſubſtantia, calore, ſapore ac humiditate, & ſiccitate, & ob eaſdem etiam cauſas facultate & viribus mediocriter ſe habebit. Hæ igitur breuiter animaduertendæ ſunt notæ pro cuiuſlibet (vt aiunt) mannæ notitia, tam ſi aërea quàm ſi arborea fuerit, & ſi arborea, tam ſi ſponte quàm non ſponte emanauerit. Illud tamen prætereundum non eſt, quòd ſi contingat hac in re quempiam decipi pro eius exacta cognitione, quod ad vires & facultates attinet, parum aut nihil referre, modò deceptio valde magna nō fuerit, tam ſi fuerit aërea quàm arborea manna, & ſi arborea, tam ſi ſponte quàm non ſponte prodierit. Neque enim valde inter ſe, quod ad vires attinet, diſsidere videntur, niſi pro aërea aut ea quæ ſponte naſcitur arborea, eam eligas, quæ ex primis arborum inciſuris primò effluit. Hæc nanque valentiùs purgat, incidit, & detergit quàm vtræque earum, & propterea ad eos affectus qui talibus indigent, licet valde idonea fuerit, minus tamen confert thoracis & pulmonis aſperitati ac febribus ipſis, præſertim acutis, vt paulò ante determinauimus. Hæc denique ſunt quæ de manna (vt aiunt) qua noſtræ tempeſtatis medici, in hoc Neapolitano Regno ad aluum molliendam ſæpiſsimè vtuntur, iure ſentio, quicquid alij (eorum pace dixerim) ante nos, & nunc etiam ſcripſerint, aut abſque ratione, auctoritate & experientia ſentire videantur. Tua nunc intereſt clariſſ. Albertine, vt quæ de manna ſcripſimus tot validiſsimis rationibus, & auctoritatibus, ac etiam experientia comprobata, ſummo huius Regni præſidi iuſtiſsimo ac prudentiſsimo Alchalæ Duci, conſulas, vt perfici iubeat, poſtquam nedum hoc Regnum incolentibus, ſed & Italiam totam, & vniuerſam fere Europam, quæ de ipſa ſcripſimus, tot taléſque vtilitates præbebunt: omniúmque tu velut præcipuus auctor eris, & Deo opti. max. rem gratiſsimam facies. Si quid verò inconcinne & imperfectè à me ſcriptum fuerit, corrigere ac emendare tuum erit, ídque non mihi ſed temporis anguſtiæ, qua hæc ad te ſcribere coactus ſum, adſcribas quæſo.

Vale.

FINIS.

DONATI ANTONII AB ALTOMARI, DE VINACEORVM FACVLTATE, AC VSV,

AD EXCELLENTEM FRANciſcum Antonium Villanum intimum Philippi Regis Conſiliarium Digniſsimum, Iuſtitiam atque Prudentiam colentem.

CVM diebus non longè ab hinc elapſis in tuo iucundiſsimo agro ſimul conueniſſemus, excellens vir, literis, & dignitate clariſsime, cupiebã ſiquidem ſimul, & tecum colloqui de re, quam pridie mihi cõmiſeras, nec minùs & vxorem tuam, mulierem ſanè lectiſsimam, diu laborantem viſere; poſtquàm iam pridem vocatus, ob vehementiſſimum cruris dolorem, quo eo tempore cruciebar; quod magnopere deſiderabam, perficere nequiui. præter cætera, inter nos ſermo incidit de vinaceorum facultate, ac vſu; cùm ex eis me à tali dolore vindicatum tibi aſſeruiſſem; exoptabáſque à me intelligere num illuſtriſsimo, & excellentiſsimo Don Paraſanno Riberæ Alchalæ Duci huius regni Proregi genuum imbecillitate, ac dolore quandoque laboranti, ſimulatque tibiarum frigiditate, ac debilitate, necnon pedum œdematoſo tumore, & interdum dolore affecto, eorum vſus conferret. Quamobrem viſum eſt extemporaria hac, incultáq; epiſtola tibi, cui multum debeo, de vinaceorũ facultate, ac vſu, quicquid ſentiam, recenſere. potiſsimùm cùm & tu id, vt ex tuis percepi verbis, ſcire deſiderares, & perquam vtilis in nonnullis, vt demonſtrabimus, affectibus ſit eorum vſus, neque vllus ante nos, qui ad manus noſtras peruenit, de his vèrba fecerit. id verò non in me ſolo experimento, ac aliorũ nuda experientia, ſed ratione etiam, ac auctoritatibus confirmare conabimur. illud primò animaduertentes, quòd per vinaceos nihil aliud ſubintelligere voluimus, quàm ſolidas vuæ reliquias, cùm in torculari ſuccus ipſius omnis expreſſus fuerit, auctore Galeno ſecundo de alim. fac. cap. 9. quamuis quidam per vinaceos; ſeu vinaceas acinorum ſemina intelligere videantur. hos tamen vinaceos Galenus Græcè σίμφυλα citato loco appellat. cap. 3. ſimiliter & Dioſcorides lib. 5. reliqui Græci, interdum τρῦγα quandoque βρύτια nuncupant. qui itidem vinaceorum dilutum τρύγα vocitant, aliquando autem & vini fœcem ita appellant. σίμφυλα verò oliuarũ partes ſolidas, cùm ex eis oleum fuerit expreſſum. Quamobrem rationi conſentaneum eſt, vinaceos iuxta Galeni doctrinã conſtitutos eſſe ex mem-

branoſo acinorum tegumento,ſeminibus,ſeu nucleis, γίγαρτα Græca dicunt, & eorundem acinorum radice, quæ ex palmite enaſcitur, vnde ipſi acini pendent,quam Gal.βότρυχον nominat citato loco,quidam,vt ipſe inquit,στέμφυλον.

Cap. eodem.

Plin.vero lib.23.c.1.partes eas, in quibus acini fuere,ſarmenta vocat;poſtquam vuarum partes ſolidas,quæ muſto expreſſo ſuperſunt, cùm eodem Galeno vinaceos nuncupamus,ſed mox dubitabis,ſi acinorum ſubſtantia,qui ῥᾶγες Græcè dicuntur,ex Galeni monimentis compoſita eſt ex ipſorum velut carne, & humore,qui per carnē diſperſus eſt,ex quo fit vinum; præterea ex ſeminibus, atque ex membranoſo tegumento, quod omnia hæc extrinſecus circumambit,nunquid particula quædam muſto etiā in torculari expreſſo tum ipſius velut carnis acinorum,tum etiam ipſius humoris per eandem diſperſi remaneat; & ſanè videtur per ea,quæ modo citauimus Gal.verba,quòd vtique non.Nam ſolidas vuarum reliquias, cùm in torculari ſuccus ipſius omnis fuerit expreſſus, vinaceos appellat. Atqui nos quòd vtriuſque ſubſtantiæ quidpiam relinquatur in vinaceis,etiam ſi torculari vuæ admodum expreſſę fuerint,audacter aſſerimus.quinimo ipſius humoris nedum portiuncula quædam per carnē diſperſa,verùm etiam in membranoſo tegumento, nucleis,ac ſarmentis effunditur.Argumento eſt,quòd coniectis in dolia vinaceis, vbi tantum aquæ ſuperinfuderis,quoad omnia permadeant, & pro vinaceorum copia aqua effundatur,non multo poſt in dolij fundo foramen aperiens dilutum effluit,idque pro vino bibant,ſapitque vinum ſaporem, calorem,odorémq; ipſius priùs expreſſi vini præ ſe ferens.qua ratione & ſubſtantiam quoq; participare conſentaneum eſt,hoc dilutum Græci quandoque τρύγα, Attici verò δευτερίαν vocitant, à

Citato loco. noſtratibus,inquit Gale.στεμφυλίτης,à Latinis lora appellatur.poterítque eadem aquoſior,interdum etiam meracior fieri,vt ipſe fatetur,pro maiori,vel minori quantitate aquæ ſuperinfuſæ,quanquam huiuſmodi aquæ quantitatem Plinius metitur lib.14.cap.10.triáque narrat loræ genera.& Columella lib.12.cap.40. de re ruſtica,quomodo optima lora fiat,docuit.Marcus etiam Varro lib.1.cap.54.quomodo lora paretur inſinuat,quādo pro vino operarijs dari hyeme dicebat.& M Cato.c.25.de recentibus,vinaceis ſeruatis verba faciens dicebat; itidē,ſi voles lauito paululū, & lora erit familiæ,quod bibat. Quòd verò in loris ipſis portio quædam acinorū,& eius ſubſtātiæ,quæ velut caro exiſtit,& humoris,qui per eam diſperſus eſt,ex quo fit vinū, permixta ſit,idem Pli.eod.lib.14.cap.10.his verbis confirmauit:Non poſſunt iure dici vina,quæ Græci δευτερίαν appellant,Cato,& nos loram,maceratis aqua vinaceis:ſed tamē inter vina operaria nominantur,quinimò rurſum aliam aquam, parciorem tamen priori,vi-

Citato loco. naceis quidam affundentes,vt inquit idem Gale.aliud parant dilutum,ita vt id quoque in potu ſit tolerabile,quod etiam loram nos appellamus:quamuis quidam Attici propriè non,vt priùs, dilutum hoc δευτερίαν nominari velint, nec minùs & ipſum vini quandam commiſtionem habens,cùm & vini antea etiam expreſſi quodam modo ſaporem, colorē, ac odorē habeat.id verò fieri haudquaquam poſſet, niſi & ſubſtātia quæpiam ipſius humoris,ex quo fit vinum, ipſis permiſta eſſet.Accedit ad hæc,quòd ni ſuccus,ſeu humor quiſpiam,ſimúlque carnoſæ ſubſtantiæ aliquid in vinaceis relinqueretur, ſed ſolidæ duntaxat partes ſupereſſent,non haberent vinacei ex quo,veluti ex materia,parua quædam animalia volatilia quidem,& admodum culicibus ſimilia generarent,exiguam quandam putredinem perpeſſi, & deinceps eadem magis aucta vermiculos quoſdam paruos inſtar eorum,qui in cerafis, aliíſque fructibus humidioribus exiſtentibus, ac putreſcentibus, poſtquam humiditas in eis non adeſſet, ex qua talia produci animalia poſſent; aut ſaltem eadem ſatis non eſſet ad eorum generationem.Attendendum inſuper quòd pro maiori, vel minori etiam vuarum prelo expreſſione,maior item, aut minor copia tam ipſius veluti carnoſæ ſubſtantiæ, quàm humoris per eam diſperſi, ex quo fit muſtum,in vinaceis relinquitur;nunquam tamen vniuerſæ hæ geminæ ſubſtātiæ prorſus à vinaceis,

naceis, eíſque præſertim recentibus, ſecernuntur, ob eas, quas nuper retuli-
mus, cauſas. Ad Galeni auctoritatem, cùm dixit, vinaceos appellare, ſoli-
das vuæ reliquias, cùm in torculari ſuccus ipſius omnis expreſſus fuerit, hoc
modo ſatisfacias; eum intelligere voluiſſe omnem ſuccum, qui exprimi poteſt
per torcular; qui autem minimè etiam valde prelo preſsis vuis ſecerni poteſt,
cùm eiſdem vinaceis relinqui non negans, adeo vt ſecundum ſenſum, non au-
tem ſecundum rei naturam videatur omnis ſuccus fuiſſe expreſſus. Nam vt
dictum eſt, non modò per eam ſubſtantiam, quæ velut caro exiſtit, portiun-
cula eius diſperſa, ſed in membranoſo regumento ſeminibus, ac ſarmentis im-
pacta in ipſa expreſsione permanet, de ea autem ſubſtantia, quæ ceu car-
noſa exiſtit, hæſitari non debet quin aliqua eius portio remaneat ſimul cum
acinorum tegumento permiſta. Quòd ſi aliter Galeni verba interpretentur,
nequaquam vindicari poſſet, quin ſibi ipſi pugnaret; poſtquam citato loco
aſſerit ex iam dictis vinaceis, ſi aqua pro eorum copia infundatur, vt quidam
experientia docti infundunt, dilutum fieri ſuaue, & interim dilutum hoc
aquoſius, quandoque verò meracius, ſeu vinoſius, quòd quidem procul du-
bio abſque aliqua humoris, ex quo fit muſtum, permiſtione, haudquaquam
fieri poſſet: & nos etiam paulò antè probauimus. intelligere itaque per vina-
ceos oportet cum Galeno ſolidas vuarum reliquias, quæ prelo ſubiectæ, mu-
ſtóque expreſſo ſuperſunt. Sunt autem hæ maximè membranoſum acini te-
gumentum, ipſiúſque nuclei, ac radices acinorum, quæ ex palmite naſcuntur,
ſeu ſarmenta, necnon & exigua quædam portio eius ſubſtantiæ quæ ceu caro
exiſtit, atque humoris per eam diſperſi, & reliquis etiam ſolidis ſubſtantiis per
expreſsionem imbibiti. harũ autem duarum ſubſtantiarum portio maior, aut
minor in vinaceis relinquitur, prout magis etiam, vel minus per torcular
vuæ fuerint expreſſæ. Et quoniam valde exigua, vt dictum eſt, harum dua-
rum ſubſtantiarum quantitas in vinaceis continebatur, aliarum trium ſo-
lidarum relatione, propterea Galenus de eis haudquaquam meminit; ſed ſo-
lidas vuarum reliquias vinaceos appellauit. At quoniam magnum reperitur
vinaceorum diſcrimen, pro varia, ac diuerſa vuarum ſpecie, ex quibus vi-
nacei ſunt, ob id rurſus attendas oportet quot, quæúe ſint hæ vuarum dif-
ferentiæ, quo diuerſas etiam vinaceorum naturas inueſtigemus. verùm non
de omnibus vitium generibus verba facere oportet, ne nimis longa ſuma-
tur oratio; ſed earum duntaxat differentias recenſebimus, quæ ex diuerſo
vuarum ſapore pullulant. eæ etenim ad noſtrum inſtitutum non parùm con-
ducere videntur: tum vel maximè quòd Plinius lib.14.c.11. ſcripta reliquerit
de vitium generibus hæc verba, omnia genera vitium numero comprehendi
poſſe vnus exiſtimauit Democritus, cuncta ſibi Græciæ cognita profeſſus.
cæteri innumera, ac infinita eſſe prodiderunt. ſunt tamen & quod ad ſapo-
rem attinet, vuarum inſuper differentiæ non paucæ; id quod manifeſtauit Ga-
lenus eodem libr.2. de alimentorum facultatibus, cùm inquit: Non parua au- Cap.eodem.
tem eſt inter vuas differentia, quòd aliæ ſint dulces, aliæ acidæ, aliæ auſte-
ræ, aliæ denique quæ nullam habent vehementem qualitatem. vocant autem
ipſas vinoſas, qui licet in his verbis de acerbis vuis non meminerit, paulò ta-
men poſt comparans inter ſe auſteras, & acidas, de eis verba facit, inquiens:
auſterarum autem quædam ſi ſuſpenſæ diutiùs fuerint, dulciores redduntur,
acerbæ verò, vt acidæ, etiam ſi ſuſpenſæ fuerint diutiùs, mutationem in dul-
cius nunquam aſſequi poterunt. quocirca ipſarum eſus perpetuò eſt cauen-
dus. quibus ex verbis liquet quinque in vniuerſum eſſe ſimplices vuarum dif-
ferentias, quæ ab earundem ſaporibus capiuntur: dico ſimplices quoad fieri
liceat; neq; enim reperias omnino ſyncerum ſaporem aliquem eodem Galeno
auctore quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus. cap. 5. compo-
ſitæ autem multò plures eſſe poſſunt ex varia dictorum ſaporum commiſtio-
ne. quas omnes vbi ſimplices quiſpiam rectè perceperit, facilè aſſequi pote-

rit. Cæterùm quæ dulces ſunt vuæ, ſuccum habent calidiorem, & ob id ſitibundæ: acerbæ verò, auſteræ, & acidæ frigidiores, vinoſæ autem inter calidum, & frigidum medium locum obtinent: cuius etiam naturæ putandum eſſe cenſeo, & dictarum vuarum vinaceos. Nam veluti dulcium acinorum ſuccus calidior eſt reliquis vuarum ſuccis, ita & reliquæ eorum ſubſtantiæ proportionabiliter ſe habebunt relatione ad eas, quæ aliorum ſaporum ſunt, præſertim ob eiuſdem ſucci ſubſtantiam, cuius participes eſſe videntur, & quemadmodum frigidiorem habent ſuccum vuæ acerbæ, auſteræ, & acidæ, ita quoque & reliquas earum ſubſtantias eſſe dixeris, & vinoſarum velut ſuccus, ita & reliquæ partes medium locum obtinebunt. inter acerbas autem, auſteras, & acidas, ceu ſuccus acerbarum, ita & reliquæ ſubſtantiæ frigidiores erunt, quàm auſterarum, & acidarum: & auſterarum ſuccus rurſus, cæteræque ſubſtantiæ frigidiores quàm acidarum. Hunc etenim ordinem ſeruant in frigiditate ſapores ij, vt liquet 4 de ſimp.med.facultat.cap.6. verùm non abre dubitabis, propter quid auſterarum vuarum quædam, vbi diutius ſuſpenſæ fuerint, dulciores redduntur, acerbæ verò, & acidæ, etiam ſi diutius fuerint ſuſpenſæ, mutationem in dulcius nunquam aſſequi poterunt? An dicas tu quòd acerbæ multam habeant terrenam, ſiccam, craſsámque ſubſtantiam quæ à calido etiam aſcititio minimè poteſt adeò euinci, vt dulciores fiant? auſteræ verò tenuiorem, humidiorémque: ac minus etiam frigidæ ſunt. & quamuis acidæ minus frigidæ ſint, quàm auſteræ, id tamen aquoſum, & quod velut ſemicoctum eſt in eis excrementum, multum eſt; adeò vt neque ab earum calore etiam aſcititio confici poſsit, & in dulcius mutationem aſſequi, quamuis ipſæ minus frigidæ ſint, quàm auſteræ. Ad hæc non omnes auſteræ, ſed quædam, dulciores redduntur, inquit Galenus, vtpote illæ, quæ non exquiſitè tales ſunt, ſed quidpiam dulcedinis, licet non manifeſtè, in ſeipſis continent. Acerbæ verò, & acidæ ſyncerè, nunquam. Facta inſuper collatione inter eaſdem quatuor acinorum partes eiuſdem vuæ inter ſe, fatemur membranoſi tegumenti, ac ſeminis ſubſtantiam ſiccam, & frigidam eſſe, frigidiorem tamen, ac ſicciorem ſeminis, quàm membranoſi tegumenti: calidam autem eſſe fatemur eam, quæ ceu caro exiſtit, ac humoris ſubſtantiam, qui per eam diſperſus eſt, necnon & humidam, minus tamen calidam, ſed humidam magis eſſe humoris ſubſtantiam, quàm carnis, argumento eſt, quòd minus nutriat, & promptius ſubſideat. calidior item quodammodo, & mediocris humiditatis eſt ea ſubſtantia, quæ velut caro exiſtit, eò quòd copioſius quàm ſuccus nutriat, nec adeò citò deiiciatur. & propterea vuæ quibus exiguus eſt ſuccus, magis nutriunt, quibus verò vberior, minus quidem nutriunt, ſed promptiùs ſubſident. Quamobrem, vt inquit Galenus citato loco, copioſiùs ex carnea acinorum ſubſtantia, quàm humidum, alimentum corpori accedit. Cùm itaque in vinaceis minima ſit acinorum tum caro, tum ſuccus, quorum ſubſtantiæ, vt dictum eſt, calida, & humida exiſtit, ſignum quòd eis duntaxat deuoratis aluus magis laxatur, vt idem Galen. inquit citato loco, ſemina autem ferè omnia reliqua ſint, quorum ſubſtantia eodem auctore ſicca eſt, & quodammodo aſtringens, quo fit vt ſi tranſglutiantur, nihil quod ſenſu deprehendi queat, à ſeſe mutata, omnia inteſtina peruadant, inſuper & tegumenta omnia remanent, quæ cùm vſum acinis præſtent, quem cutis animalibus, eandémque ferè ſiccam ſubſtantiam habeant, quemadmodum & ſemina, vt diximus, qua ratione & ipſa quoque exiguam, cùm deuorata fuerint, in ventriculo mutationem ſuſcipiunt. nec minus & ſarmenta, in quibus acini fuere, omnia poſt muſti expreſſionem ſuperſunt, ipſa quoque frigida, & ſicca, ac aſtringendi vim habentia, quemadmodum & acinorum nuclei ex Plinij auctoritate citato lib.23.c.1. cùm dixit: Sarmenta earum, in quibus acini fuere, loquens de vuis, aſtringendi vim habent, efficaciora ex ollis. nuclei acinorum eandem vim obtinent: re-

Cap. citato.

liquum propterea eſt, vt vniuerſa vinaceorum ſubſtantia frigida ſit, & ſic-
ca, atque aſtringendi vim habeat. qua ratione mammarum inflammationi
triti cum ſale vtiles ſunt: decoctúmque eorum veteres dyſentericos, & cœlia-
cos iuuat, & potione, & fotu, vt idem Plinius ibidem teſtatur, haud valdè diſ-
ſentiens à Dioſcoride, qui lib.5.cap.3. de eis verba faciens ita inquit; Recondi-
ti vinacei inflammatis mammis, ac duris, nimióque lactê turgentibus, ita enim
interpretanda ſunt eius verba, cùm dixit σπαργῶσιν μαστῶν illiniuntur. eorum
decoctum dyſentericos, cœliacos, & fœminas fluxione vuluæ laborantes iu-
uat infuſum; ad deſeſsiones, ac fotus aſſumitur. & demum de acinorum nu-
cleis ait; Nuclei acinorum aſtringendi vim obtinent: ſtomacho vtiles ſunt: in-
ſpargitur farina toſtorum polentæ modo dyſentericis, cœliacis, & ſolutis ſto-
macho. Talis itaque eſt vniuerſa vinaceorum propria ſubſtantia, ſeu natura.
hóſque vſus præſtare valent, ſi eorum potentiam perpendas. magis tamen, &
minùs pro diuerſis vuarum differentiis, ex quibus fiunt, quas etiam priùs
narrauimus. ſed cùm non ſolùm, vires eorum, quas in potentia poſsident, ve-
rùm etiam & eas, quæ ab eorundem qualitate actu exiſtente proficiſcuntur,
animaduertendæ ſunt. Reſtat propterea differendum, quidnam præſtare cor-
poribus noſtris valeant per hanc, quam actu obtinent, qualitatem; poſtquam
in potentia aſtringendi, ac refrigerandi facultatem habent; necnon & priùs
hoc vnde tale ſuſceperint actu aſcititium temperamentum, ſiquidem tangen-
do eos ſentimus, quòd licèt poteſtate frigidi ſint, vt retulimus, actu tamen
calidos eſſe, potiſsimùm vbi recenter fuerint prelo preſsi, ſimúlque cum mu-
ſto priùs efferbuerint, quæ vtique huius caliditatis cauſa exiſtat, inueſtigare
primùm oportet; vt exinde pateat, quot, quive vſus ex his hac ratione no-
ſtris corporibus adhibitis prouenire poſsint. vt verò huius quæſiti veritas pa-
teat, altius quodammodo inchoanda erit oratio noſtra, ſumpto principio ab
Ariſtotele, qui libro 5. de gen. animalium cap. 6. concoctionem à calore fieri
ait. & quarto meteororum, concoctionem perfectionem quandam eſſe, re-
tulit, quæ a calore proprio, & naturali efficitur. Quamobrem concludit eodem
quarto meteororum, fructuum maturationem a naturali etiam calido fieri, *Text.19.*
quam πέπανσιν appellat, calor enim, vt ait Theophraſtus libro ſecundo de
cauſis plantarum, vbique vim obtinet concoquendi. nam, ſi quem vſum fri-
giditas præſtat, per euentum fieri neceſſe eſt, vt ipſe refert, vel ex acciden-
ti, quemadmodum Ariſtoteles eodem quarto meteororum ſentire videtur. *Citato loco.*
hanc fructuum concoctionem idem Theophraſtus lib.1. de cauſis plantarum,
cap.18. duplicem eſſe aſſeuerauit, aliam videlicet pulparum; aliam verò ſe-
minum, quarum prima ad hominum vſum præualet, propter cibum: cùm
eadem in pulpa fructus fieri ſoleat. qua edulecta, ſuccum, ſaporémque capeſ-
ſere noſtræ naturæ congruum neceſſe eſt. Quamobrem idem etiam auctor
lib.6.cap.12. eiuſdem aſſerebat, quod vuæ etiam ſapor in ipſa etiam carne con-
ſiſtit. de qua concoctione tanquam noſtro inſtituto neceſſaria differere inten-
dimus. Nam reliqua, quæ ſeminum eſt, cum ad generationem, vt ipſe inquit,
perpetuitatémque arborum pertineat, cuius cauſa fructus, ac ſemina natura
produxit, ad rem noſtram haudquam conducere videtur. quemadmodum
etiam præſentis negotij neque eſt indagare, vtra earum perfectior ſit; nunc
verò ſatis ſit ſciuiſſe concoctionem, ſeu fructuum maturationem, quam nunc
intendimus, cùm perfectio quædam eorum ſit, ab initio eorum calore perfici,
eámque ad hominum vſum, propter cibum, vt diximus, præualere. Et quo-
niam quicquid nutrit, ex genere dulcium eſt, imò nihil præter dulce nutrire
poteſt, vt liquet per Galenum 4. de ſimp. med. facul. ca.10.15. id verò omne con-
coctione efficitur. Nã concoctum, vt inquit Ariſtoteles 3. de gene. animaliũ c.1.
in quouis genere dulcius eſt coctione: nanque dulce efficitur eodem auctore
citato libro quinto, de generatione animalium, propterea non ab re inquiren- *Eodem cap.6.*
dum eſt, à quo calore dulce omne efficiatur, vt deinceps pateat inter fru-

ctus, vuis, ac muſto à quo calore dulcedo proueniat. hoc etenim inuento, tum muſti, tum etiam & vinaceorum caliditatis cauſa, quam actu poſsident, facilè patebit. Cùm verò familiare, amicum, iucundúmque fuerit, ac modicè calidum id, quod continuè ex noſtra ſubſtantia euacuatur, ac diſsipatur, ſitque nutritio euacuati repletio, quòd familiare quoque eſſe neceſſe ſit id, quod nutrit, nemini dubium eſt, ac etiam modicè calidum, qua ratione à moderato calore dulce omne prouenire confiteri neceſſariò oportet, idque bifariam fieri poſſe in quocunque corpore decretum reliquit Galenus eodem 4. de ſimpl. medic. facult. cap. 10. partim enim ſunt, vt ipſe inquit, proprio, & inſito calore dulcia, partim verò aſcititio. proprio quidem calore, vt mel, aſcititio verò, vt ſunt omnia, quæ pro cibo igne præparantur; ac proinde dum calida ſunt, ſuauiora his, quibus nutritione eſt opus, apparent, quædam autem non ſuo modo proprio, & inſito calore dulcia fiunt, ſed acquiſititio quoque; quemadmodum in fructibus apparet, in his enim vt ait Galenus citato libr. 4. de ſimp. medic. facultat. cap. 11. Ariſtotelis, & Theophraſti auctoritate multùm ceu ardoris, Græci ἐμπύρευμα vocant, etiam ex ſolari calore reliquum eſt, à quo illud aqueum, ac etiamnum ſemicoctum ad concoctionem ducitur, conficitúrque, ac tranſmutanti ſimile redditur. & propterea tam acinis, quàm muſto multa ineſt talis caliditas, ita vt non ſolùm muſtum ipſum feruere deprehendas, ſed ex quibuſcunque pomis, ſi ſuccum exprimas, eum protinus non ſecus, ac muſtum feruére videbis. tanto tamen féruoris diſcrimine, quanta erit vnius fructus ab alio in calore diuerſitas. à ſolari denique calore prouenit vuis dulcedo, & fructibus omnibus maturatio, eodem Galeno teſte citato loco. nihil enim fortaſſe prohibet, quominus externo quoque calore fructus coquantur, vt Theophraſtus inquit libro 2. cap. 10. ineſt itaque ipſi muſto omni dulcedo quamdiu feruet, ex eo, qui circa ſemicoctum, aquoſúmque excrementum ineſt ſolis feruore proueniens, & proinde quodlibet muſtum, donec ferueat, actu calidum eſt [illegible] dulce ſentitur. ſed vbi quod iam aquoſum, ac ſemicoctum erat, tranſmutatum fuerit, atque confectum, & is, qui feruorem concitabat, calor, euanuerit, tunc propriè vinorum naturæ, ac quæ propriæ ſunt ſuccorum proprietates, ſynceræ conſpiciuntur. eo etenim tempore, quæ proprie ſit vinorum natura, agnoſcimus, vt liquet apud eundem Galenum citato loco. ex quibus omnibus liquet, quòd quamdiu feruor, dulcedóque iam dicta, quæ ex aſcititio calore in muſto prouenit, perdurauerit, tam diu etiam id actu calidum eſſe. ídque eidem prouenire ab illo acquiſititio calore, quem ex ſole ſuſcepit, cùm verò qui feruorem concitabat calor euanuerit, neque amplius omne muſtum dulce permanebit, ſed ad propriam ſuam quodlibet redibit naturam, quòd ſi poſtquā efferbuerint, in quibuſdam dulcedo quædam remaneat, eadem ſyncera erit, ſuauis, ac ex propria ipſius ſucci natura, eiúſque proprio, ac inſito calido proficiſcens, non qualis antea erat miſta, ſcilicet proprio, ac inſito calore & aſcititio ex ſolari calore ſuſcepta. nullum tamen eorum hoc tempore actu calidum ſentietur. Quod etiam rationabiliter de eorum vinaceis aſſerendum eſt. etenim acquiſititiam, quam habent actu caliditatem à ſolari calore ſuſceperunt medio muſto, ſeu acinorum humore, ac carnea eorum ſubſtantia præcipuè, eáque tamdiu in eis reperitur, quamdiu aſcititius ille calor euaneſcat, qui licet aſcititius ſit, moderatus tamen eſt, vt diximus, & concoctionem, perfectionémque operatur velut proprius, & inſitus. conficit enim id, quod ad eum, & velut ſemicoctum eſt in muſto excrementum, quo cum participare decretum ſit vinaceos ipſos, ſimiliter & talem calorem participabunt, qui licet externus ſit, & aſcititius, moderatus tamen eſt, ceu inſitus, vt dictum eſt, ac proprius ipſorum acinorum, poſtquam idem quoque operatur, dulcedinem inquam, & concoctionem, ſignum quòd ſuperinfuſa eis aqua, vbi exiguo tempore cum ea macerentur, dulcedinem, ac actu caliditatem retinet, vt in locis in dies obſeruamus. deinceps autem tempo-

Cap. eodem.

ris

ris progreſſu vtrumque euaneſcit. poterit tamen dulcedinem quandam diu retinere, vbi ex dulcibus naturâ vuis vinacei fuerint expreſsi, & modica aqua ſuperinfuſa. hac itaque ratione vinacei cùm primùm cum muſto efferbuerint, ac prelo ex acinis fuerint preſsi, actu calidi ſunt. Sed dices, hoc Ariſtoteli pugnare, quòd videlicet muſtum, acini, cæterique fructus ab aſcititio calore dulcedinem, ac concoctionem naniſcantur. cùm ipſe velit 4. meteororum, vt dictum eſt, ab inſito calore hoc fieri, ab alieno autem non perfectionem, & concoctionem, ſed putredinem, ac corruptionem proficiſci. *Tex.6. & 19.* huic reſponſum dabimus, quòd Ariſtoteles à naturali calido maturationem fieri fructuum aſſeruit, intelligens præcipuè, & propriè, non negans quòd ab aſcititio quoque quodam calore, vt ſolis, poſsit etiam ſimul cum eodem inſito calido concoqui, & perfici: quemadmodum Galenus innuere videtur citato libro 4. de ſimplic. medic. facultatibus. cap. 10. vel dicas eam fructuum concoctionem à naturali calido perfici voluiſſe Ariſtotelem, quæ præcipuè ſeminum eſt ad generationem, perpetuitatémque arborum pertinens, vt prius cum Theophraſto concluſimus. id verò eius verba oſtendunt. dicebat etenim eodem 4. meteororum, fructuum tunc perfectam eſſe maturationem, quando ſemen, quod in ipſis eſt, poteſt efficere tale alterum, quale ipſum eſt. *Text.19.* quam conficeri à naturali calido perfici, abſonum nôn erit. Atqui nos, vt iam dudum diximus, de hac verba non facimus. Rurſus, cùm dicebat, ab aliena caliditate putrefactionem, ac corruptionem generari, intelligebat de ea extrinſeca caliditate, quæ *Tex.6.* valdè immoderata, validiórque exiſtit, nec minùs & humida, aſſerens eam eſſe, quæ ambientis. Nos verò non de hoc immoderato valdè, humidóque calore externo, & aſcititio ſubintelligimus. ſcimus etenim rem quamlibet ab hoc corrumpi, quemadmodum à proprio, & inſito calore in propria ſeruatur natura, ſed ſolarem calorem ſimul cum Galeno faſsi ſumus, eúmque moderatum in acinorum, reliquorúmque fructuum concoctione opitulari, à quo quidem, cùm moderatus ſit, & vuis ac fructibus omnibus maturatio prouenit, & dulcedo, hic nanque generationem, accretionem, concoctionem, &, vt ſummatim dicam, perfectionem omnem cunctis rebus afferre ſolet, haudquaquam ignorantes, quemadmodum hi, qui circa naturam exercitati non ſunt, quòd caliditas mediocris omnibus ſit vtilis; immoderata verò non minùs frigiditate noxia, eodem Galeno auctore citato libro quarto de ſimplicium medica. facultatibus cap. 14. Sed iterum quæres: propter quid vuarum acini, aliíq; fructus, priuſquàm in minutas partes redacti ſint, aut ab eis ſuccum exprimas, hāc eorum actu caliditatem tactui non præ ſe ferunt? huic reſponſum ſit, quòd cùm craſſa ſit eorum membrana, qua veluti tegumentum eos circumambit, eam tactu ſentire caliditatem non valemus. hæc etenim vna ex cauſis eſt, vt loquit idem Galenus 3. de ſimplic. medic. facultatib. cap. 21. quòd plæraque, quæ actu ſunt calida nos fugiunt, propter craſſam videlicet eorum eſſentiam. addit & aliam cauſam, propter quam hoc contingat, quòd ſcilicet ipſi plurimùm habeamus caloris. propter vnam itaque vel alteram dictarum cauſarum, aut ob ambas, contingit acinis, aut fructibus haudquaquā in minutas partes redactis, aut expreſsis, quem in ſe continent actu calorem, nos fugere. An propterea talem nos calorem non percipere inquies, quoniam extrinſeca eorum ſuperficies ab ambiente extrinſecus aëre ſit refrigerata? quemadmodum de calce refert Galenus citato libro 3. de ſimplic. medic. facultat. cap. eod. Nam ſi bolum ex ea vnum acceperis, nullum ob iam dictam cauſam, calorem percipies. quippe qui refrigeratas tantum eius partes contingas. idque antequàm in minutas partes redactum ſit. ſi verò accumulatæ calci manum in profundo inſeras, confeſtim calidam ſenties, quemadmodum etiam accumulato ſtercori columbino, quippe cùm refrigeratæ ab ambiente extrinſecus aëre non ſint, nec minus & hoc ſimile in vuis contingit. Nam ſi eiſdem ſimul aceruatis ad internas partes manum inſeras, confeſtim earum caliditatem percipies. hæc eadem inſuper

ratio in vinaceis ipſis ſeruatur. quippe cùm eorum externa ſuperficies ab ambiente aëre ſit refrigerata, calorem non præ ſe fert. ſi verò altius manus imponas, protinus eorum caliditatem ſenties. Vel dicas, exiguum eſſe humorem, qui in ſingulis vuarum acinis, ac fructibus continetur, & propterea calorem quoque exiguum eſſe. Quo fit vt commiſtis etiam cum ſeminibus, ac tegumẽto, vix, aut nullo modo ſentiatur. Cùm verò fuerit expreſſus, ſeparatus, multúſque ob eam rem effectus talis ſuccus, protinus eiús calor percipitur. Permanet igitur ille, ceu ardor, ex ſolari calore acquiſitus, ac moderatus calor in vinaceis ipſis, quemadmodum & in ipſis vuis priuſquam fuiſſent expreſſæ, cõtinebatur, eúmque excipiunt ex humore præcipuè, qui per acinorum ſubſtantiam, quæ veluti caro exiſtit, diſperſus eſt. tamdiúque eum in eiſdem permanere fatemur, donec alter validior, ac immoderatus extrinſecus calor ſuperuenerit, eundem moderatum calorem, ac etiam inſitum, quem habent in propria humiditate exiſtentem, vincens, ac corrumpens, moleſtus ſiquidem, immitis, inſuauis, ac tactui mordax, quo tempore cùm putreſcere cœperint vinacei ipſi, ac eorum humiditas corrumpi, necnõn & acidi fieri; amplius eis vtendum eſſe non cenſeo. nam cùm aliena omninò validior, mordax, ac immoderata fuerit hæc eorum caliditas, vt ad ſenſum cuilibet tangenti patere poterit, non minùs vt diximus, frigiditate noxia eſt, quemadmodum quoad eorum caliditas moderata, ac mediocris fuerit, omnibus eſſe vtilem cum

Eodẽ cap. 14. eodem Galeno audacter affirmo. Quamobrem vinaceos recentes, qui mox, cum muſto efferbuerint, ac prelo preſsi ſint, valdè vtiles eſſe aſſerimus, priuſquàm tale aliquid perpetiantur, ſed moderatam, ſeu mediocrem in ſe ipſis caliditatem obtineant: & ij ſunt, quibus procurandis nonnullis præter naturam affectibus vtendum eſſe conſulo. quod quidem ratione, & experientia facilè confirmabimus. Nam cùm mediocris, ſeu moderata ſit, vt determinauimus, eorum caliditas, non tantum calore excedunt, vt nos lædat, ac moleſtus ſit, aut immodicè calorem noſtrum exuperet, calefaciunt tamen moderatè, ac mediocriter vinacei ipſi, non tamen adeò vt ſoluant, ſecent, diſtrahántve continuum, ac propterea mordacitatem, doloré mque inferant: ſed eorum caliditate fundunt, læuigant, ac molliunt. fundunt ſiquidem quod in corporibus noſtris conſtiterat, atque concretum fuerat. quo maximè affectu voluptas animantibus conſtat. hactenus itaque nos calefaciunt, vinacei ſuo mediocri, ſeu moderato calore, vt concretas frigore in nobis particulas fundant, quemadmodum quælibet ſimilis caliditas efficere ſolet Galeno auctore

Cap. 2. & 9. quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, cuius quidem proprium eſt fundere, & liquare. qua ratione ſcirrhoſis, ceu induratis corporis tumoribus magnopere conferunt. tales enim affectus, vt inquit Galenus ſecundo de

Cap. de ſcirrhis. arte curatiua ad Glauconem: ſimile quid pati debent iis, quæ ſub ſole funduntur. Quapropter curari debent eo medicamento, quod calorem habeat tepidum: humiditatem verò nec omninò multam, nec omninò minimam. vocantur autẽ huiuſmodi medicamenta mollificantia, ſeu mollientia. algentes quoque partes propterea moderate calefaciunt, ita vt ad refrigeratas corporis partes magnopere conducant. Quamobrem non ſine ratione putandum eſt, podagra, & coxendicum dolore laborantibus, præſertim ex frigidis ſuccis, magnopere conducere, etiam ſi à principio fuerint adhibiti, præcedente tamen totius corporis vacuatione. nam eorum moderato calore, fundendi, molliẽdi, & læuigandi vim habent, vt dictum eſt, necnon & dolorem leniendi, quemadmodum & cætera huiuſmodi medicamenta. inſuper cùm adſtringendi: vt diximus, facultatem obtineant, robur eiſdem partibus addunt ita vt per eos, qui morbum parit humor frigidus, calefiat, fundatur, ac emolliatur cum earundem partium firmitate. Quòd ſi diutius etiam eis vtare, ſenſim eundem humorem digerere, ac diſſoluere valent. nam quatenus etiam vim habent molliendi, adhuc parum diſſoluunt, quẽadmodum & cætera huius generis medicamenta,

iuxta

iuxta Galeni ſententiam citato lib. 2. de arte curatiua ad Glauconem, & 5. de ſimplic. medi. facultatib. cap. 8. 9. œdematoſos inſuper tumores exſiccant, ac diſcutiunt, vbi eis, præſertim nō exiguo tempore, ſed diutius quodammodo vtare. nec minùs & neruoſarum partium imbecillitates, ex humiditate, frigiditatéve, aut ex frigidis, & humidis humoribus ortas tutò curant, ob eam, quam habent caliditatem, ac ſiccandi, & adſtringendi facultatem. Aqua etiam inter cutem laborantibus propterea non parum conducere videntur, præſertim λιγγογλιμματία, verùm admodum expreſsi, & dulcium vuarum vinacei eſſe debent. At non propterea quod eorum caliditate vinacei fundā, molliant, læuigent, ac diſſoluant, partibus etiam immodico calore affectis, ac propterea imbecillibus exiſtentibus non opitulantur. nam cùm modicus ſit eorum calor, ſiquis eis moderatè vtatur, æſtuantes etiam frigefacient, quemadmodum & balnea. hic etenim eſt moderati caloris effectus, vt rigentes excalfaciat, æſtuantes verò frigefaciat, veluti etiam & roſaceum, eodem Gale. auctore tertio de ſimplic. medicament. facul. cap. 11. id verò ſemper cum partium robore, poſtquam ab eis vis adſtringendi, quam habent, ſeparari nō poteſt. admodum tamen preſsi vinacei in his affectibus eſſe nō debent, & ex vinoſis, aut quibuſdam auſteris potius, quàm ex dulcibus vuis preſsi, neque diutius eſt eis vtendum. inſuper quamuis partes frigidis humoribus refertas, ac propterea etiam in tumorem adauctas cùm earum robore curare valeant vinacei, non ob id extenuatis quoque partibus conducere non videntur, ob quamcunque cauſam fuerint extenuatæ, ſiue ex immodico calore, ſiue ex frigore, aut propterea obſtructæ ſint viæ, per quas ſanguis, & ſpiritus ad eas peruenit. & ita ob nutrimenti defectum id perpetiantur. poſſunt etenim, vbi, vt decet, eis quiſpiam vtatur, vtramque intemperiem corrigere eorum moderato, ac mediocri, vt diximus, calore, necnon & obſtructionibus liberare. Quamobrem non immeritò à Galeno decretum eſt citato libro 4. de ſimp. medi. facult. cap. 14. caliditatem mediocrem omnibus eſſe vtilem. qua etiam ratione & nos concludamus cum eo, vinaceos omnibus eſſe vtiles, & præſertim iam dictis, propter eorum, quam habent, mediocrem, ſeu moderatam actu caliditatem, ac poteſtatem adſtringendi, quam ſemper obtinent, ſi quis eis ritè vtatur. Porrò rectè eis vtare, vbi præter naturam affectum, quem curare ſtudes, eiúſque cauſam, ſimúlque & affectarum partium, ac totius corporis temperamentum exactè noueris, nam vbi is frigidus fuerit, eiúſque cauſa frigida, vinaceos adhibebis dulcium vuarum, & præſertim earum, quas Græcas vulgus appellat, diutiúſque, ac ſæpius eis vtantur. Quòd ſi humidiores fuerint tum affectus, tum cauſæ, eligendi ſunt ex eis vinacei admodum prelo preſsi, quemadmodum ſi hic humor concreuerit, frigidus, aut ſiccior fuerit, ita vt ex eo duriores tumores fuerint geniti, aut etiam extenuatæ partes fuerint ob nutrimenti penuriam, ſeu ob quamcunque aliam cauſam, eoſdem vinaceos non admodum expreſſos applicabis. Sunt verò inter omnes vinaceos hi calidiores, cùm nedum actu, ſed poteſtate etiam quandam obtineant caliditatem. & quò dulciores vuæ fuerint, eò & vinacei quodammodo calidiores erunt. Propterea eis præcipuè vtendum. Si verò hos vinaceos habere nequeas, aut non adeò frigidi affectus fuerint, eos, qui ex vinoſis reſtant vuis eligas, cùm ſuapte natura quodammodo medium obtineant locum inter calidum, & frigidum, quemadmodum & eorum vuæ, vt dictum eſt, eadem ſeruata ratione circa earum expreſsionem. Ab acidarum autem, acerbarúmque vuarum vinaceis, quemadmodum & ab earundem vuarum eſu, omninò abſtinendū eſſe conſulo. cùm maiorem habeant vim refrigerandi, & exſiccandi, ob eorum propriam naturam, ac ſubſtantiam, quàm calfaciēdi ob aſcititium, quē obtinent, actu calorē: auſterarum tamen vuarum vinaceis, vbi eædem tales non exactè fuerint, ſed quandam habeant permiſtam dulcedinem, quandoque vtendum ad affectus calidos, aut non adeò frigidos, minúſque frigidiores cauſas: cùm frigidæ

Cap. eodem.

quoque

quoq; ſint natura partes affectæ. tutius tamen erit eos prætermittere, & dulciũ, ſeu vinoſarũ duntaxat vuarum vinaceis vti. vtrũ verò ſæpius, aut non longiori etiam tẽpore: aut breuiori laborantibus ſint adhibendi, ac repetendi, affectus ipſi præter naturam, earúmque cauſæ ſuadebunt: necnon & ægrotantiũ natura, ſeu temperamentum. Nunc ſatis me rationibus, ac auctoritatibus demonſtraſſe puto vinaceorũ vſum: ac qua ratione, quibúſve cauſis cunctis à me narratis affectibus præter naturam conferant, modò eorum curationem aſſequi liceat. & quos, qualéſve vinaceos pro eorum ſublatione quilibet ipſorum deſideret. nec minùs & illud ex his, quæ diximus, neceſſariò conſequitur, quòd eò vtiliores, ac potiores ſunt vinacei pro medendis narratis præter naturam affectibus, naturalibus balneis, ac exſudationibus ſiccis, Puteolanis videlicet, quibus etiam pro eiſdem curandis vti conſueuimus, quò vinaceorum caliditas ſuauior, mitior, ac moderatior, quàm earum fuerit, ac ſemper cum adſtrictione coniuncta. qua ratione affectis quoque partibus robur afferre ſolent. id quod in iam dictis naturalibus balneis, ac exſudationibus ſiccis haudquaquam perpetuò contingit. Sed iam tempus eſt eorum vtilitates, quas ratione inueni, experientia comprobare, à me ipſo inchoans, qui cùm graui quodam dolore diu laborantem muſculorum circa iſchium, ac lumborum. qui dolor inſuper ab eodem articulo non rarò ſumebat initium, quandoque etiam in crurum muſculis, modo vno, modo alio ſentiebatur: interim circa poplitem, præſertim in muſculo ſub eius inflexu ſubſtrato, aut in tendonibus iuxta rotulam, interdum autem tibiæ muſculi afficiebantur. nonnunquam partes iuxta talum. inter cæteras autem partes ſæpius dolore cruciabar eius nerui magni, qui quatuor habens principia ab oſsis ſacri vertebris ad plantam vſque pedis diſtribuitur. Quamobrem nonnullis adhibitis remediis, venæ inquam ſectionibus, purgationibus, fotibus, cataplaſmatis, vnguentis, emplaſtris, perfuſionibus, denique balneis tum naturalibus, tum arte paratis, cùm ab eiſdem parum, aut nihil vtilitatis percepiſſem, ad vinaceorum vſum me contuli. à quibus omninò Deo fauente fui liberatus, & vxor mea coxendicum dolore diu vexata à frigidis, craſsis, lentíſque ſuccis, nec valde à cæteris medicamentis adiuta, ex eorundem vinaceorum vſu curata fuit. Excellens Troilus Spes podagra, coxendicúmque dolore ex eiſdem frigidis, craſsíſque ſuccis orto magnopere, ac diu offenſus, ex eorum vſu non paruam percepit vtilitatem. quamuis ob vinaceorum inopiam paucis quibuſdam diebus eiſdem vſus fuerit. Illuſtriſsima quoque Caterina Sanſeuerina nuper eodem coxendicum dolore affecta ob iam dictos frigidos, craſſóſque humores, necnon & crurum, ac tibiarum, ob eandem cauſam magnam cùm contraxiſſet imbecillitatem, ex iam dictis vinaceis maximum commodum ingentémque vtilitatem adepta eſt, ferè omninò curata: quamuis paucis etiam quibuſdam diebus eiſdem vſa fuerit, ob eorum etiam inopiam: erant etenim eo tempore omnes ferè vindemiæ abſolutæ. Magnificus item artium, & medicinæ doctor Fuluius de Beroardis à dextræ tibiæ, ſiniſtríque cruris diuturno dolore ex vinaceorum vſu prorſus liber euaſit, quamuis valde extenuatas eaſdem etiam partes habuiſſet: percepi inſuper excellenti Hieronymo Albertino Philippi Regis intimo Conſiliario digniſsimo, vinaceorum vſum mirum in modum contuliſſe: cùm podagra, maximáque pedum imbecillitate laboraret. & ſi neque ipſe, vt intellexi, neſcio qua de cauſa diutius, neque, vt nos infra docebimus, eiſdem fortè vſus fuerit. licet cùm me interrogaſſet, non aliter vt eis vteretur, præceperim. Nec deſunt & alij nonnulli, qui ex vinaceorum vſu magnam quoque nacti ſint vtilitatem pro diuerſis enarratis affectibus curandis: quos breuitati indulgens iure prætermitto. illud tamen ſilentio non præteream, quod nuper dum hæc conſcriberem, retulit excellens Marius Galeota vir alioqui prudentiſsimus, omniumque bonarum artium peritiſsimus, nec minus veritatis amantiſsimus, ita vt propterea non parua ei adhibenda

hibenda ſit fides, retulit, inquã, quòd cùm eius filia nomine Maria nunc in venerabili monaſterio Sancti Frãciſci monialis, tribus, quatuórve annis, magno, ac duro amborum genuũ tùmore laboraſſet, vt ambulationis motus ferè fuerit ablatus, ex dictorũ vinaceorũ vſu adeò perfectè curata fuit, vt exinde nullum amplius neque dolorem, neque laborem, in eiſdem partibus ſenſerit. inſuper in quadam eius ſubdita contrarios vinaceorum effectus ſe obſeruaſſe teſtatus eſt, hæc cùm diuturno tempore cum crura, tum tibias maximè extenuatas haberet, motu omninò priuatas, cum pauco admodum ſenſu, viginti ad ſummum diebus vinaceis inſidens, ambulare cœpit, carnéque impleri cœperunt dictæ partes eo anno. ſequenti autem, cùm iterum eis vſa fuiſſet, ſanitatẽ omninò adepta eſt, inſtauratis, quæ extenuatæ erant, partibus, articulis, ac neruis omnibus roboratis, adeò vt motum, ac ſenſum omninò recuperarit. ad hæc quendam inſpexit genuum tumore, tibiatúmque extenuatione ſimul laborantem, qui ex eorundem vinaceorum vſu omninò liber euaſit: & in ſeipſo expertus eſt, quòd cùm ex præcedenti podagrico dolore pes reliquus eſſet admodum imbecillis, tumoréque affectus, ita, vt, cùm moueretur, non parum doleret, ex vſu vinaceorum, tumor, & dolor penitus ceſſarunt: tantúmque robur inde adeptus eſt, vt non modò citra dolorem ambulet, ſed robuſtior etiam altero pede euaſerit. quinetiam cognoui à Cæſare Scamnapeco medico, & philoſopho peritiſs. magnam attuliſſe vtilitatem vinaceorum vſum Andreę Carlutio laboranti œdemate magno, ac diuturno in vtraque tibia, vbi ne minimã quidem ex nonnullis aliis medicamentis adhibitis vtilitatem ſibi comparaſſet. Non ab re itaque vir peritiſsime pro medendis omnibus præter naturam affectibus, quibus laborare percepi iam dictum illuſtriſsimum, ac excellentiſsimum Proregẽ noſtrum, vinaceorum vſum cõmendaui: iterúmq; commendo, tanquam ſaluberrimum, valde bonum, citráque omne periculum medicamẽtum, dummodo eiſdem, vt decet vtatur. Ad quem, etſi nullus mihi datus ſit aditus, vt eidem mea opera inſeruirem, nihilominus tanquam diuinum quendam hominem exiſtimo, ac colo, ex his, quæ in dies, prudentiſsimis ſuis operationibus, intelligo, ac experientia obſeruo. adeò enim vera opinione, ac prudentia ad rectum dux eſt; rectéque præeſt, ac ſapienter & iuſtè omnia gubernat, vt cuncti per publicam amicitiam, iuſtitiámque ſeruentur. Quamobrem nedum ſanitatem, ſed vitæ etiam perennitatem ſummopere ipſi deſidero, ac exopto. Rectè denique vinaceis vtetur, ſi priùs, quæ à me de eiſdem narrata ſunt, obſeruentur, ac inter cætera, quòd ex dulcibus vuis fuerint expreſsi, non parùm prelo preſsi, vbi priùs cum eorum muſto efferbuerint, recentéſque fuerint. ij etenim vinacei ſunt, qui eidem domino magis conducere videntur, vt ex his, quæ prius diſſeruimus facilè liquet. & quò dulciores fuerint vuæ, ex quibus ſecreti fuerint, eò etiam vtiliores erunt, perpenſis eiuſdem excellentiſsimi domini morbis omnibus, earúmque cauſis, ac totius corporis temperamento, & reliquis. Modum verò vſus eorum omnibus communem recenſebimus; ſub quo, & qui proprius & particulari huius illuſtriſsimi, ac excellentiſsimi domini exiſtit, proculdubio continebitur. Capiendi ſunt vinacei modo dicti, aut reliqui, quos ſupra probauimus ſimiliter recentes, prelóque preſsi, qui priùs cum eorum muſto, & non aqua efferbuerint, humíque, aut conclauis pauimento aceruandi. Nam multi eſſe debent, iique manibus adeò premendi, ac læuigandi ſunt, vt, quoad fieri liceat, partes omnes inuicem cohæreant. deinde craſsis laneíſque tegumentis, quæ eos omnes, circumambiant, contegendi ſunt, ne ex ambiente aëre refrigerentur, ſeruetúrque eorum caliditas, foribus ac feneſtris omninò clauſis, potiſsimùm vbi ex aliqua cauſa aër ambiens frigidior fuerit. Atque vbi eiſdem vti velis, vniuerſo prius corpore vacuato, veniréque à cibis, aliíſque ſuperfluitatibus immuni, ac deiectis alui priùs excrementis, exutus veſtibus, ſcrobe quàm primùm longitudine, latitudine, & profunditate manibus commodè parata,

in eos

in eos ſe inſerat æger, protinúſque eiſdem vinaceis, qui pro ſcrobe fienda ſublati ſunt, contegi debet, eis moderatè manibus compreſsis, ac læuigatis, & deinde laneo etiam tegumento velentur, vbi verò mediæ, ac ſuperiores corporis partes minimè affectæ ſint, ſatis erit eiſdem vinaceis inſidere, ac crura, tibias, ſimúlq; pedes affectos in eos inferre, reliqno corpore cõſuetis pannis côtecto, At ſi admodum delicioſus fuerit æger, mollíſque carnis, ne in partibus circa ſedem labor aliquis, dolor, aut exulceratio ex vinaceis inferatur, lineum linteum duplicatum, triplicatum, aut etiam quatruplicatũ ſubſternes, ſuper quod incideat. ſi verò dorſo, ac ſcapulis ſolis laboret, eædem partes vinaceis immergendæ ſunt, crura autem & pedes haudquaquã; verùm vbi vniuerſum corpus fuerit affectum, fouea in vinaceis effodienda erit pro vniuerſo corpore congrua, maiórque copia vinaceorum eſſe debet, vt eis contegi vndequaque vniuerſum corpus valeat, atque ita in eis, veluti in lecto iacere, puluinari duntaxat ſub capite impoſito: laneo etiam tegumento ſuperpoſito: id quod ſemper ſeruari debet, brachiis antem, & manibus, ſi qnispiã afficiatur, eaſdem partes vinaceis obruai. hoc modo ſi qnispiã vinaceis vtatur, vtiliores erunt. At vbi admodũ delicioſi ſint ægrotãtes, vt pueri, vel mulieres, aut reliqni molles carnes habentes, priuſquam vinaceis immergantur, linteo lineo molli, ac veteri inuoluantur, deſupérque vinacei proiiciantur, manibúſqne premantur, ac læuigentur: & deinde laneo, vt diximus, tegumento contegantur. Nec minùs quàm per mediæ horæ ſpacium in eis quiſpiam immorari debet. melius tamen erit, ſi hora vna permanſerit. Nam cùm mediocris, ſeu moderatus ſit vinaceorum calor, exiguo tempore, ſi in eis permanſerint, quibuſdam parum proficiunt, longiori autem multum. eſt tamen eorum vſus omnibus ſemper vtilis, vt dictum eſt, vbi probè eis vtare. ſunt demum à vinaceis ægrotantes detegendi, cùm congruo tempore in eis commorati ſint, & in eodem cõclaui cnbiculi parato, leuitérqne excalſacto ab eiſdem exurgentes iacere debent ſaltim per horam pannis mediocriter contecti, deinde calido etiam linteo lineo detergantur, & conſuetis veſtibu induantur. At cùm primùm ex vinaceis exurgũt, iterum iidem aceruari debent, manibúſque premi, & læuigari, & pannis contegi, vt prius, atque id quoque ſequenti die, & reliquis ſeruandum erit; quamuis vbi robuſta fuerint corpora, nedum mane ante cibum, verùm etiam veſperi eiſdem vti poternnt, maiorémque vtilitatem afferunt, quemadmodum & ipſe vſus fui. illud tamen animaduertas oportet, quòd ſingulis tribus, aut ad ſummũ quatuor diebus iidem vinacei renouandi ſunt. etenim verendum eſt, ne poſt hac putreſcere cœperint, eorúmque mediocris caliditas deperdatur, & altera immoderata ſuperueniat, quæ ambientis eſt, qua ratione nocumentum magis, quàm iuuamentum corporibus præſtent. ſed videbar fortè oblitus eſſe diſſerere, num renum dolore laborantibus, etiam ſabulo, aut calculo vinacei conſerant, cùm id, quoque à me ſcire deſiderares. Quare priuſquam huic epiſtolæ extremam manum imponam, in hoc quoque tibi ſatisfacere putaui, potiſsimùm cùm in eiuſmodi dolorem non rarò incidere cõſueueris: ſaicor propterea, quòd cùm vinacei eorum moderato calore, vim habeant fundendi, læuigandi, ac molliendi, vt prius demonſtrauimus, admodum vtiles eſſe puto iis, qui graui renũ dolore vexari ſolent. Nam cùm tenuare, ac mollire præter cætera iubeat Hippo. in renum dolore. 6. de morb. vulgaribus: & optima res ſit, tenuare videlicet humores, & renum corpora mollire, vt per ipſa tranſire facilè humores poſſint: vt inquit Galenus in commento, imò ſi quis hæc vtraque diligenter obſeruauerit ab initio, calculus in ipſis nunquam generabitur. ob id non parum vinacei conducere videntur. ſiquidem ipſa renum corpora mollia reddunt: ac humores etiam tenuant, & fundnnt eorum moderato calore: ita, vt facilè per eoſdem renes tranſire queant. qna inſuper ratione & arenulæ facilè pelluntur. & ſi qui ſunt calculi, eorum etiam calore molliuntur, franguntur, & demum per vrinam excernuntur: roborantúrque ex eis renes, ob eorundem

Comment. 2. text. 6.

adſtrin

adſtringendi facultatem,quam habeñt. Nec quiſpiam dixerit,quòd propter vinaceorum caliditatem calidiores fiant renes, & propterea aptiores ad calculos generandos reddantur: nam vt priùs determinauimus, moderatus, ac mediocris eſt eorum calor. ex quo renum caliditas etiam ſi immodica fuerit, moderatior redditur. neque enim poſſent calculos generare, niſi æſtuarent, & immodicè calidi eſſent renes, vt etiam lippis, & tonſoribus, nedum medicis omnibus liquet. Qua de re non modò calidiores renes nō fiunt ex vinaceorum moderato vſu,ſed præter id,quod dictum eſt,à lapidis generatione præſeruãt, cùm eius cauſam extenuent,ex qua fiunt, & renum caliditas immodica, quæ eſt eorum cauſa efficiens,per eos obtundatur,& moderatior reddatur. vt itaque eis vtaris,conſulo,omnibus tamen ſeruatis,quæ priùs narrauimus, præſertim vniuerſo corpore antea euacuato, vinaceóſque eligas vuarum dulcium, aut etiam vinoſarum, non tamen multum prelo preſſos, neque diutiùs in eis immoreris,aut multo tempore eiſdem vtaris. quæ, ſi ritè ſeruabis, non paruam ex eis vtilitatem aſſequeris. & ne adeò de vinaceis noſtra oratio protrahatur, vt & tuas putiſſimas, ac aliorum aures offendere videar, ſatis ſit hæc currenti calamo ſcripſiſſe, & meam de is ſententiam explicaſſe: quam nedum experientia, ſed validiſsimis quoque rationibus comptobaſſe puto.

FINIS.

DOMINICVS PIZIMENTIVS VIBONENSIS IN DONATI ANTONII ALTIMARI EPISTOLAM, DE VINACEIS.

Hûc Iouis imperijs tulerat genus omne malorum
Pandora, excelſo culmine lapſa poli.
Pellit at Altimarus morborum millia, mittens
Pharmaca muneribus nobiliora Iouis.
Quam terris igne abrepto pater altus ademit,
Cernimus hunc dulcem ferre ſalutis opem.
Per quem nunc primùm meritas vinacea laudes,
Et Bacchus tanti muneris author, habet.
Ergo vulgetur diuûmque, hominúmque per aures,
Altimarum meritis exuperaſſe Iouem.

INDEX CHARTARVM.

* ** ***. a b c d e f g h i k l m m* n o p q r s t v x y z. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ss tt vv xx yy zz. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ. Omnes ſunt terniones, demptis, ***. m*. qui ſunt duerniones, & m. QQ. quaterniones.

Digitized by Google

R.

Google